STEPHANI CURCELLAEI OPERA THEOLOGICA, QUORUM PARS...

ÿtienne : de Courcelles,
Philippus : van Limborch, ...

I. Johnson

STEPHANI CURCELLÆI

OPERA THEOLOGICA,

Quorum pars præcipua

INSTITUTIO RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Cum indicibus necessariis.



AMSTELODAMI,

Apud DANIELEM ELSEVIRIUM.

CIƆ IƆC LXXV.

CHRISTIANO LECTORI

PHILIPPUS à LIMBORCH S. P.

CHRISTIANE LECTOR,

Quam arduum sit & periculosæ plenum opus aleæ posthuma alterius opera in lucem edere, expertus novi. Multa à viris doctis privatum in usum in chartam conjiciuntur, quæ prælo committi nolunt. Multa secundis curis & limæ accuratiori reservata, quia expoliri non potuerunt, ab autoribus suis si superstites essent tanquam fœtus abortivi abjicerentur. Alia edendi quidem animo scripta sunt; sed cum ætate accrescente judicio, quædam sive in methodo, sive tractandi modo, sive in phrasiologia non satis commoda, postea displicent; quæ, quia ipsi emendandi facultate caruerunt, ab amicis non nisi emendata & in methodum meliorem digesta edi nolunt. Atque hic editores sacrum inter & saxum stant, ancipites dubiique utrum postremæ autoris voluntati obsequendum, an vero nihil immutando religiose ejus verba exprimenda sint. Maxima ingeniorum est varietas; adeo ut ne duo, unius ejusdemque circa aliquod religionis dogma sententiæ, eodem illud modo ac ordine tradituri ac digesturi sint. Est præterea unicuique scriptori suus scribendi genius: cujus si lucubrationibus alter manum admoveat, statim de operis venustate multum peribit. Hæc causa est, cur aliquamdiu de Operis Curcellæani, quod jam publici juris facimus, editione, à plurimis sæpe efflagitata, ardentissimisque votis, præsertim in Anglia, expetita, deliberatum sit. Religionis Christianæ Institutionem discipulis in privato collegio dictavit autor. Cum vero opere vix ad mediam partem perducto & in methodo & tractandi ratione quædam non satis probaret, dictata sua ad incudem revocare, & interea dum in posterioribus quæ restabant dictandis pergeret, priora nova methodo ordinare accuratiusque expolire aggressus est. Sed nec operi ipsi finem imponere, nec emendationem quam moliebatur, ex voto perficere potuit. Capitibus de passione Servatoris Nostri J. Christi resumendis vix manum admoverat, cum in dirissimos calculi dolores, & ex calculo in morbum lethalem incidit: Interimque de veritate ac pietate promovenda sollicitus, quædam etiam in capitibus jam emendatis meliore posse ordine disponi deprehendit. De singulis itaque filio suo, D. Gedeoni Curcellæo P. M. mandata dedit, institutionesque suas non nisi juxta postremas hasce cogitationes emendatas edi voluit. Tractatum de Ecclesia Jesu Christi ante Institutionem suam conscripsit: sed integrum doctrinæ Christianæ Systema discipulis tradere gestiens, illum vix media sui parte absolutum aliquandiu è manibus seposuit, resumturus postea, Institutionibusque suis tanquam partem inserturus. De eo itaque edendo, utpote mutilo & ad incudem non revocato, nunquam cogitavit. Filius vero, D. Gedeon Curcellæus, omnia patris sui Scripta accurate evolvens, hunc nobis una cum aliis prælo committendum suppeditavit. Institutiones, ultimæ parentis voluntati obtemperans, revidit, methodumque paucis in locis immutavit: Quod tamen adeo fæliciter fieri non potuit, quin alicubi authoris locutio immutanda, novaque connexio facienda fuerit. Opus ipsum, non in libros, sed in capita prolixa distributum, in libros capitaque breviora dispescuit; ipsa autem

capita in paragraphos; utque tanto magis Lectoris commodis inserviret, singulorum paragraphorum argumentum singulis præfixit capitibus. Cum autem in digerendo paterno opere ad munus usque Regium Servatoris Nostri J. Christi pervenisset, in lethalem incidit morbum; paucisque ante obitum hebdomadibus omnes reverendi Patris lucubrationes mihi concredidit, utque eodem quo ille inceperat pede in distributione operis pergerem commendavit. Quod pro viribus præstare conatus sum: Religiose vero omnibus autoris verbis inhæsi; nullas ordinis trajectiones, novasve connexiones adhibui: Non enim quod filio in paterna, idem mihi discipulo in præceptoris reverendi scripta juris esse unquam credidi. Tractatum de Ecclesia non castigatum, sed de verbo ad verbum prout in autographo extat, expressi; malens tibi ipsius Curcellæi sensus, licet minus politos, exhibere, quam aliis vel minimam cavillandi ansam, me sub Curcellæi nomine meos obtrusisse, præbere. Quod reliquos tractatus attinet, quia antehac editi fuere, de iis nihil opus est ut moneam.

Hic quædam de Authore, ejus vita, eximiisque dotibus ac virtutibus dicenda forent, sed quia id elegantissime præstitit Doctissimus D. Arnoldus Poelenburgius P. M. D. Curcellæi Successor dignissimus, in Oratione sua funebri, quam huic præfationi subjungemus, labore isto supersedebo. Solummodo paucula quædam de opere ipso, ejus fine ac scopo, aliisque, quæ id commendant, qualitatibus egregiis indicabo. Duæ sunt præcipuæ virtutes, ad quas quemvis Christianum Theologum omnes suos labores omniaque studia, tanquam ultimum Theologiæ finem ac scopum, dirigere oportet, Pietas nimirum, ac Charitas. Quæ pietate destituta est scientia arida est & inutilis, animumque rerum curiosarum cognitione onerat verius quam ornat, nulliusque in magno ac stupendo illo judicii die apud Deum pretii est futura, imo scienti noxia, gravioris que condemnationis causa: Cum servus, qui cognoverit voluntatem Domini sui, seque non præparaverit, neque fecerit secundum illam, pluribus plagis sit vapulaturus, Luc. XII. 47. *Charitatem sibi quæcunque comitem non habet scientia, contentiosa est, non cælestis, sed terrena, animalis, ac diabolica, Christianæque nomine, quantumcumque de Christi cognitione glorietur, prorsus indigna; cum ex charitate discipulos suos agnosci velit Servator*, Joan. XIII. 34. 35. *Paulusque testetur*, etiamsi omnem habeamus cognitionem omnemque scientiam, noverimusque omnia mysteria, imo omnem habeamus fidem, charitatis autem simus expertes, nullius nos esse pretii *apud Deum* 1 Corinth. XIII. 2. *Utramque hanc virtutem passim, si non ubique, inculcatam vides. Utraque omnem in toto hoc opere paginam facit. Ipse totius quam docet Theologiæ genius quid aliud quam pietatis necessitatem adstruit & inculcat? Tractandi ratio eam ubique commendat: adeo ut vix ullum in tota Institutione dogma compareat, quin illius multiplex ad pietatem usus sit indicatus. Quam diffusus autem est, quam totus ardet, in explicandis virtutibus Christianis! quarum naturas tam dextre explicuit, ut nihil hic desiderari videatur, nisi quod conatibus adeo fœlicibus colophonem optatum imponere non potuerit. Quod tamen illis deest, ex breviori Ethica, in qua virtutum Christianarum brevem habemus delineationem, aliquatenus suppleri potest. Disputat aliquando; sed non de rebus nihili, ut animum quæstionum inanium speculatione occupatum in pietatis exercitio languidiorem reddat; sed de rebus gravibus, maximique ad promotionem virtutum Christianarum usus; nulliusque dogmatis se graviorem*

viorem ostendit adversarium, nisi à quo pietati certa labes ac pernicies imminet. Charitatis se ubique studiosum ostendit sectatorem, dum sibi à temerariis decisionibus sollicite cavet; & cum Serenissimo Magnæ Britanniæ Rege Jacobo summisque Reformatæ Religionis Doctoribus, pauca ad salutem necessaria credens, in quibus omnes ferme, qui à Christo nomen ducunt, consentiunt, dissensum in reliquis, fidei fundamentum non evertentibus, fraternitatis vinculum abrumpere non debere evincit. Hinc sollicita illa inter dogmata necessaria & non necessaria distinctio ubique obvia: hinc nusquam termini Scriptoribus Sacris ignoti aliis necessario credendi obtrusi; articulique fidei non verbis quæ humana docet sapientia, sed quæ Spiritus Dei nos in verbo suo docuit passim traditi & explicati.

Præter hæc non exiguam operi venustatem conciliat summa, etiam in materiis subtilioribus, perspicuitas, accuratissimusque ordo, quibus omnes qui antehac scripsere autores longo post se intervallo reliquisse videtur. Fatemur libenter, Religionis explicationem nulli certo ordini alligatam, fœlicissimumque Scripturæ S. interpretem optimum esse Theologum; cum Theologia nihil sit aliud, quam voluntatis divinæ Scriptura comprehensæ cognitio: Sed negari nequit, quin tot tamque multiplices in Theologia explicandæ materiæ fœlici ordine digestæ multo facilius clariusque sese lectorum animis insinuent, profundiusque inhæreant.

Hisce accedit ingenua παῤῥησία ac libertas, qua veritatem candide, sine cujusquam gratia aut odio indagat, inventamque ingenue amplectitur, & ad nominis divini gloriam sincere profitetur. Quod institutum licet alii damnent, ac tanquam novitatis studium dissentiendique pruritum exagitent, mihi summopere laudandum videtur, modo cum prudentia, modestia animique moderatione innoxia sit conjunctum, absitque omnis præcipitantia, fastus ac supercilium, judiciumque temerarium. Libertatem enim hanc natura dictat, ratio suadet, utilitas veritatisque studium commendat. Omnibus rationem indidit Deus, vitæ morumque ducem ac regulam, cognitionisque nostræ mensuram. Hæc nullius hominis auctoritate ad assensum cogitur, sed rei evidentia argumentorumque pondere flectitur. Frustra humana obtenditur autoritas, argumenta ubi desunt: hæc autem sine autoritate humana assensum extorquent. Hic naturæ lex dictat, unicuique in argumentorum robur inquirendi libertatem permittendam, ut nulli dogmati, nisi de cujus veritate est persuasus, assensum præbeat. Qua libertate vigente, quantum quamque latum veritati promovendæ panditur ostium! Ex parte enim prophetamus, & ex parte hic cognoscimus omnes, donaque sua Deus non uni omnia largitur, sed inæquali mensura singulis distribuit, unique revelat, quod alteri voluit occultum. Hic si in unum singuli dona sua ad communem totius Ecclesiæ ædificationem conferant, quem alium ex mutuo hoc, sed amico & fraterno collisu exspectamus fructum, quam clariorem veritatis ex errorum tenebris emersionem ac splendorem? E contra, destructa & eversa hac libertate, quid aliud, quam ipsi nobis oculos effodimus, veritatemque, cujus cognoscendæ nobis occasionem dedit Deus, ingrati rejicimus? Non enim examen reformidat veritas, sed ventilari gaudet, quoque magis inquiritur, eo emicat clarius, rupis instar, quæ undis fluctibusque quo magis alluitur, eo nitet magis. Quid quod omnes quotquot sunt in orbe Christiano Doctores, hanc sibi libertatem vindicent, etiam qui aliis eam ereptum eunt. Nemo alterius judicio suum subjici patitur, quando ratio manifesta dissensum suadet,

 neque

neque alterius judicium sui normam esse sustinet. In quamcunque opinionem argumentorum pondere ducitur, illi adhæret. Et quam quisque veritatem fidei stabiliendæ utilem credit, ejus asserendæ defendendæque libertatem sibi concedi justum & æquum putat. Imo quo arctioribus limitibus libertatem ejus circumscribere alii contendunt, eo acriore obnititur studio, ut eam integram illibatamque tueatur & conservet. Quis Reformatus acquiescit definitioni Papæ Romani? Quis Lutheranus judicio Reformati? An non videmus omnes Scripturæ Sacræ interpretes & Theologiæ Doctores hoc sibi juris arrogare, tam in Scripturarum interpretatione, quam in locis Theologiæ communibus tradendis, ut alter ab altero libere dissentiat? Concedant igitur, secundum æquissimam naturæ legem, eandem alteri libertatem, quam sibi vindicant.

Cum itaque tanta ac tam multiplex sit libertatis hujus utilitas, maxima mihi laude digni videntur, qui labore indefesso veritatem perscrutati, libere ac ingenue eam profitentur, aliisque faciunt communem. Quia enim ipsis cum erroribus inveteratis, aut publico applausu receptis, sæpissime depugnandum est, plurium indignationem, odium, atque insectationem effugere nequeunt. Veritati hæreseos stigma inuritur; &, ne professores ejus calumniandi prætextus desit, antiquæ & obsoletæ hæreseos nomen temere arripitur. Opinioni, quam ut erroneam impugnant, eximiorum virorum, quorum ingentia in Ecclesiam sunt merita, nomen prætenditur: Atque ita tanquam Religionis perduelles, qui orthodoxorum partibus desertis in hæreticorum unanimi Christiani orbis calculo damnatorum castra transeunt, traducti, omnium odio & execrationi exponuntur, ac in vitæ fortunarumque discrimen sæpissime adducuntur. Hisce nec frangi nec terreri, animi est generosi, se suaque omnia Deo gloriæque divinæ consecrantis. Quod quia arduum, maximopere laudandum.

Unum solummodo cavendum, ne specioso libertatis prætextu dissoluta temere quidvis effutiendi licentia quæratur. Duo hic potissimum expendenda, dogmata quæ inquirimus, & auditores coram quibus inquisitio instituitur. Non enim omnia sunt movenda, nec coram omnibus. Primo itaque quod dogmata, quæ ventilantur, attinet, sollicite cavendum, ne moveantur aut in dubium vocentur fundamenta salutis. Hæc enim perspicue ac clare Scripturis θεοπνεύστοις tradita, unanimique consensu ab omnibus Christianis ubique & semper recepta sunt: Nec audiendus aut in Ecclesia Christi tolerandus foret, eorum unum qui in dubium vocare sustineret; denuntiante Apostolo, licet nos, aut Angelus de cœlo, euangelizet vobis præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema sit, Gal. I. 8. Sed & ab altera parte pertinaciter nimis contendendum non est de rebus exiguis, nulliusque ad confirmationem fidei promotionemque pietatis momenti; quales sunt pleræque Scholasticorum quæstiones vanæ prorsus ac curiosæ. De iis enim acriter digladiari hominis est contentiosi ac charitate destituti. Stultas quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; sunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita; sciens quia subversus est qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus, monet Apostolus Tit. III. 9. 10. Multa Ecclesiæ paci condonanda sunt, neque temere ac sine ingentis fructus spe quies ejus in periculum adducenda est. Præsumtuosi est sibique nimium placentis, ob speculationes inanes, quæ ignoratæ non obsunt, nec cognitæ prosunt, hominum animos ac studia in diversum trahere & turbare. Cum enim nulla hic utilitas disqui-

disquisitionis scopus esse appareat, quid aliud colligendum, nisi, non divinæ sed inanis gloriæ causa, aut contendendi ac rixandi studio, omnem excitari disceptationem? Ut ergo omnis temeritas & præcipitantia evitetur, summa cum prudentia animique lenitate procedendum. Inquirendum in dogmatis, de cujus falsitate evidentibus argumentis in animo nostro sumus persuasi, gravitate ac pondere, ejusque perniciosis fructibus ac effectis. Tum demum dissensus publice est testandus, quando fidei aut pietati labem à dogmate publice recepto non sine gravi causa metuimus. Neque hic præceps consilium probandum. Diu deliberandum de iis, quæ semel prolata nostri arbitrii & potestatis non sunt aut cohibere, aut emendare. Considerandum causam Dei, causam Ecclesiæ, causam salutis æternæ tractari. Implorandum ergo ante omnia precibus ardentibus divinum auxilium, neque viribus propriis confidendum: Consulendi viri pii, docti, moderati veritatisque amantes: &, postquam animo à præjudiciis, ambitione, aliisque fœdis vitiis purgato nobis satisfacere, & in doctrina recepta acquiescere non possumus, cum ipsis amicæ ac placidæ privatim sunt instituendæ collationes, antequam considerationes nostras evulgamus, ut ipsorum ope & industria vel scrupulus nobis eximatur, vel nos in veritate, nobis per gratiam divinam revelata, certius confirmemur. Laudatur à multis D. J. Arminii. P. M. modestia, quod considerationes suas super gravissimo de prædestinatione divina dogmate, aliquot annos apud se presserit, neque certi quid in materia adeo sublimi statuerit, nisi prius cum doctissimo Theologo Francisco Junio *instituta collatione; sententiamque suam non explicuerit, nisi adversariorum suorum importunitate quodammodo adactus, quam non nisi in legitimo cœtu declarare statuerat.*

Sed & Auditorum coram quibus disceptatio instituitur ratio habenda est. Multa utiliter in Scholis ventilantur, quæ maximo cum Ecclesiæ damno coram cœtu & pro concione dicuntur. Multa ad pleniorem S. Scripturæ explicationem in Academiis inquiruntur, quæ à suggestu arceri debent. Etiam minutiora inter doctores non sine fructu excutiuntur, etiam subtilissima indagantur, quæ si coram plebe tradas, ridiculus merito habearis. Et in talibus facile quis dissentientem à se fert: Sed tempestive intempestive hæc rudioribus inculcans ferri non posset. Doctoris Ecclesiæ est, periti ac prudentis Medici officio fungi, qui non tantum morbi naturam ac medicamentorum virtutes, sed & potissimum ægroti vires considerat. In negotio religionis quidam sunt infantium instar, alii adultorum, qui exercitatos ad discretionem boni & mali habent sensus; illi, docente Apostolo Hebr. v. 11. *lacte, hi solido cibo pascendi sunt.*

Verum hæc aliaque plura, quæ circa libertatis hujus legitimam limitationem observare oportet, unica hac æquissima, omniumque animis inscripta naturæ regula, comprehendi existimo: Quicquid vultis ut faciant vobis homines, idem facite illis; &, Quicquid non vultis ut faciant vobis homines, nec hoc facite illis. Æquissimum enim est eandem nobis figi legem, quam aliis præscriptam volumus, neque alios vinculis adstringi, quorum nos patientes non sumus. Et intra hosce limites si consistatur, neque libertas degenerabit in licentiam, neque libertatem evertet tyrannis. Dogma enim à recepta Ecclesiæ doctrina diversum si pro vero amplectar, considerabo quantam alteri, si ego cum Ecclesia sentirem, ipse autem dogma, de cujus veritate me persuasum credo, tueretur, illius propalandi ac defendendi libertatem sim concessurus; mihique majorem arrogare non debeo: imo si æquum credam, ut, ne Ecclesiæ pacem in periculum addu-

adducat, altum de suo dogmate silentium agat, idem mihi præscribere debeo. Ab altera parte, si contingat alium à communi Ecclesiæ doctrina dissentire, considerabo quantam mihi, si cum illo sentirem, sententiam meam proponendi ac defendendi libertatem desideraturus essem: eandemque etiam à me dissentienti fratri, sine ulla pacis Ecclesiasticæ diremtione, concedam. Sed quid, si quis lege hac naturæ neglecta temere & sine consilio in disputationes ruat, turbasque ob res exigui momenti excitet? Eadem illa lex qua ratione in ordinem cogendus & ad officium revocandus sit docebit: Nimirum considerent, quibus Ecclesiæ salus cordi est, quam erga se disciplinam, eodem modo si delinquerent, æquam judicaturi forent: eandemque erga alium adhibeant: sic enim nec supina negligentia veritatis defensionem deserent, nec nimia severitate prophetandi libertatem exstinguent. Et tandem, quam nobis ab aliorum sententia recedendi libertatem vindicamus, eandem & aliis à nostra dissentiendi ultro concedemus, ut ita discamus ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, Eph. IV. 15.

Hisce ita expositis, inquiramus utrum D. Curcellæus in tradendis Religionis Christianæ dogmatibus quicquam legibus hisce adversum admiserit. Quæcunque tradidit disceptavit inter doctos, quorum officium est sensus Scripturæ penitius rimari, omniaque probantes quod bonum est retinere. Si qui animo non rite præparato, sed vel præjudiciis excæcato, vel amore in opiniones proprias præpedito, aut privato erga D. Curcellæum odio obnubilato, omnia ejus in sequiorem traxerint partem, & sub quavis vocula hæresin sint venati, & à veritate quam docuit alieniores redditi, sibi, non viro meritissimo, imputent, quod quem alias potuissent ex scriptis ejus fructum non perceperint. Dogmata non impugnavit, nisi à quibus grave pietati periculum imminere credidit. Eam pro virili promovere officii sui duxit; cum omnis scientiæ nostræ finis sit pietas, Religioque Christiana ab Apostolo describatur, cognitio veritatis quæ secundum pietatem est. Nemini ergo mirum videri debet, quod dogmatum pietati noxiorum acrem se censorem exhibuerit; quæ vel eo ipso, quod pietatem labefactent, falsitatis convinci evidentissime queunt. Cum enim Apostolus inculcari jubet Tit. III. 8. *ut bonis operibus præesse curent qui credunt Deo; Servatorque noster eos qui Dei voluntatem volunt facere de doctrina sua judicaturos pronuntiat utrum ex Deo sit, an vero à se ipso loquatur,* Joan. VII. 17. *Doctrinam pietatis studium exstinguere sua natura comparatam, aliam esse à sua, ac proinde falsam, satis manifeste inculcant. Sed & hic summa ejus elucet lenitas; neminem insectatur, in neminem inclementius scribit; sed seposito omni ad personas respectu, sine affectu sine odio candide in veritatem inquirit. Nec hic silentio prætereunda summa animi moderatio. Dissentientem non odit, nec monitorem fastidit. Quod sibi juris in alterum assumit, idem alteri in se concedit. Fragilitatis humanæ sibi conscius, etiam in iis quæ pro certissimis habet, hallucinari se potuisse novit. Tantaque ejus fuit modestia, ut ne discipulorum quidem judicia refugerit, & dissensum ægre tulerit. Novi ego, lucubrationes ab ipso sæpius discipulis communicatas, eorumque judicia exquisita; si forte dissentirent, non moleste tulit, sed ut sepositis præjudiciis invocatoque divino auxilio propius considerarent commendavit. Quis tam modesti, tam æqui ac placidi viri, sola rationum evidentia sententiam suam persuadere conantis, non autoritate obtrudentis, dissensum exagitet aut carpat? Si te rationes ejus non convincant, licet dissentire, sententiamque ipsius redarguere. Nos ipsi eandem nobis reservamus libertatem. Imo nec mihi operum*

horum

horum editione præjudicium fieri velim, omnia pro meis agnoscendi, aut tanquam veritatem indubitatam recipiendi. Omnia probandi, quodque bonum est retinendi libertatem integram mihi semper esse volo, ac illibatam.

Sed vero contradicentes quosdam audire videor, libertatem D. Curcellæi terminos à nobis antea præstitutos excedere, ipsumque movere non movenda. In Quaternione enim contra Samuëlem Maresium dogma S S. Trinitatis, ab omnibus pro capitali Religionis Christianæ articulo agnitum, impugnari. Verum si quis attentius, sine affectu atque odio, tractatum illum examinet, D. Curcellæum Trinitatis dogma neutiquam impugnare, immeritoque à D. Maresio Antitrinitarii & hæretici convitio notatum comperiet; sed solummodo in sententiam Patrum super hoc gravissimo, captumque humanum excedente articulo, inquirere. Verum est, paradoxum quid & à communi opinione alienum tradidit, Patres essentiam divinam tribus personis non unitate numerica sed specifica communem, prout tres homines, Petrus Paulus & Timotheus, unam specie humanam essentiam communem habent, asseruisse contendens: cum hactenus essentiam numero unam à Patribus constanter creditam omnibus persuasum sit. An propterea tam acerbe excipi meruerit aliorum à partibus liberorum judicium esto. Non primus hanc in Patrum Scriptis sententiam deprehendit Curcellæus: Habuit sibi præeuntem doctissimum inter Jesuitas Dionysium Petavium, quem tamen propterea à Jesuitis ne leviter quidem reprehensum constat. Liberum sit Doctori Reformato inter Reformatos, quod Jesuitæ inter Jesuitas impune licet: Nec arctioribus in veritatis inquisitione adstringantur vinculis Doctores Reformati à tyrannide Papali liberi, quam Jesuitæ Papæ serviliter obnoxii. Si credunt aliqui, Patrum sententiam à D. Curcellæo non recte perceptam, testimoniis ex eorum scriptis collectis eum redarguant, non maledictis & convitiis lacerent & proscindant. Cogitent spiritum Christi esse lenem, sapientiamque cælestem esse pacificam, modestam, plenam misericordiæ, neque præcipitis judicii: illam vero quæ zelum habet amarum, non desursum descendere, sed terrenam esse, animalem, & diabolicam; teste Jacobo cap. III. *Regeret forte quis, non eundem Curcellæi sententias Patrum inquirentis cum Petavio fuisse scopum. Libentes id confitemur. Petavius, more in Ecclesia Romana usitato, continuam doctrinæ de SS. Trinitate successionem adstructurus, Patrum sententias in magnum congessit volumen. In hoc tamen opere, licet proposito suo aliquatenus videri possit contrarium, adeo est ingenuus, ut sententias Patrum quorundam non dissimulet, qui trium personarum essentiæ unitatem non numericam sed specificam verbis apertis adstruunt. Solummodo licet ejusmodi in ipsorum scriptis expressiones occurrant, nihil tamen continuæ unitatis numericæ professionis successioni derogari contendit. Quod quam dextre & solide demonstret lectores ejus dijudicent. Alio longe fine aliaque mente D. Curcellæus examen hoc aggressus est; ut quorundam temeritati, in quosvis à se dissentientes anathemata quasi pro tribunali pronuntiantium, frænum injiceret. Videbat Christianum orbem ob varias de Religione opiniones in partes misere scissum & discerptum, animos odio mutuo exacerbatos, Ecclesiæ unitatem conculcatam, charitatem exstinctam: Nec ullum malis hisce adhiberi posse remedium fonte & scaturigine eorum non sublata. Omnium autem malorum fontem deprehendit, quod homines simplicitate Scripturæ S. derelicta, verba formulasque loquendi Spiritui S. ignotas excogitaverunt, iisque tanquam θεοπνεύστοις conscientias aliorum*

alli-

alligarunt, à quibus recedere esset nefas: hæ tesseræ & κριτήρια fuerunt, ex quibus orthodoxi ab hæreticis dignoscerentur: nec ulli ad eadem Sacra nisi formularum harum subscriptione admissi. Quod aliis jugum intolerandum videtur; qui Scripturam S. unicam fidei regulam agnoscentes, conscientias suas humanis verbi divini interpretationibus perinde atque verbo ipsi adstringi indignissime ferunt. Hinc dum illi pro verborum à se excogitatorum autoritate, hi pro sua libertate stant, misera fit Ecclesiæ ruptura. Unicum huic malo remedium est, omnibus ejusmodi humanis formulis rejectis ad Scripturæ S. simplicitatem reverti, &, ad Apostolorum exemplar, loqui prout Spiritus S. nobis dedit eloqui: Act II. 4. *Compendiosissima id obtinendi via est, formularum harum & phrasium multiplices defectus & incommoda ostendere, iisque malum, cui tollendo excogitantur, non sanari sed exasperari. Ut autem tanto fœlicius finem optatum consequeretur, exemplum dedit in articulo, omnium ferme judicio inter controversos capitalissimo, plurimisque dissensionibus & disputationibus agitato, de SS. nimirum Trinitate; sperans commoda lites de eo motas componendi ratione indicata, etiam dissensiones circa minoris momenti articulos facili negotio componi posse. Id autem solidissime se præstitisse judicavit, ostendendo terminos hosce esse ambiguos, alioque sensu à Patribus, qui eos excogitarunt primique usurparunt, alio ab hodiernis Theologis acceptos. Si quorundam judicio hic erravit, laudent saltem pium & sanctum ejus institutum, charitatique ac pacis studio, quo totus flagrasse videtur, errorem, si quis est, fraterne condonent. Tu interim, Christiane Lector, sine præjudicio, sine affectu ac odio, ad operis hujus lectionem accede; argumentaque D. Curcellæi in timore Domini æqua judicii lance expende: Quibus si te convictum non sentias, saltem modeste à te dissentientem fratrem tolerare, Scripturæque Sacræ debitam exhibere reverentiam disce, ac nobiscum sanctum Christianæ pacis opus promovere indesinenter studeto. Ita tandem Deus tolerantiæ & consolationis dabit nobis ut itidem alii in alios affecti simus secundum Christum Jesum, ut concorditer uno ore glorificemus Deum ac Patrem Domini nostri Jesu Christi. Scribebam Amstelodami* IX. *Cal. Novemb. Anno æræ Christianæ* CIↃ IↃCLXXIV.

A R-

ARNOLDI POELENBURGII

ORATIO FUNEBRIS

In Obitum Clarissimi Viri

D. STEPHANI CURCELLÆI.

Magnifici D.D. Senatores & Scabini, Patres ac Fratres, Collegæ Venerandi, Studiosi adolescentes & Auditores quotquot adestis omnes, Ornatissimi, Doctissimi.

CUm multa præclare constituta sint à veteribus, tum illud laude dignum, quod defunctos suos debitis ac justis post mortem laudibus ornaverint. Nam in vita dicuntur plurima vel ad gratiam vel ex odio eorum, de quibus sermo est habendus: post obitum vero, quia defuncti nobis nec prosunt nec obsunt, eorumque neque gratia expetenda, nec ira extimescenda est, liberius ac incorruptius de aliorum vita, sermonibus, factis oratio instituitur. Videtur hoc laudabile institutum, ut alia complura bene cœpta, ab Ægyptiis originem duxisse; quorum antiquissimo more receptum fuit, ut sacerdotes, quod esset eorum & vita integerrima & oratio maxime sincera, Reges demortuos laudatione funebri prosequerentur. Quod idem Græcorum consuetudine ac consensu comprobatum fuisse locuples autor est Demosthenes, qui suo ævo rem honoris & amoris & æquitatis plenissimam fuisse testatur, bonorum atque præstantium virorum facta oratione funebri ornare: *τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔργα ἐν τοῖς λόγοις ἐπιταφίοις κοσμεῖν.* Idque officii hic ipse, qui maximi oratoris Romani judicio maximus inter Græcos fuit orator, exemplo suo nobis commendatum esse voluit. Fuisse hoc idem solemne Romanis à primis usque temporibus docet nos oratio Valerii Consulis, qua Junio Bruto collegæ suo parentavit: postea que receptissimum fuit, ut liberi defunctos parentes, fratres, agnatosque reliquos pro concione laudarent. Neque abhorruit ab hoc instituto prisca Christi Ecclesia, in qua hoc ipsum officii genus viris sanctis & honoratis accepimus præstitum ab Eusebio, à Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, aliisque Primarum Ecclesiarum antistitibus. Ac tametsi ad nimiam venerationem cultumque superstitiosum quodammodo viam sternere videatur demortuorum immoderata laudatio, quæ plerumque in hoc genere satis late vagatur, non tamen hunc morem refugit Ecclesia Reformata, si intra justæ moderationis terminos cohibeatur oratio. Itaque, ut alios prætermittam innumerabiles, ferunt hac in parte Genevates eousque sibi indulgere, ut Calvini memoriam quotannis habita publice funebri laudatione celebrent. Parentavit in Academia Leydensi, D. Franc. Junio Doctor Theologiæ celeb. Franciscus Gomarus, ibidemque D. Jacobo Arminio vir disertissimus Petrus Bertius. Parentavit D. Conrado Vorstio in civitate Fredericopolitana, quam exsules nostri ad ripam fluminis *Eydera* in commune sibi perfugium exstruxerant, Marcus Gualtherus Palatinus. Parentavit D. Simoni Episcopio in hac ipsa civitate Amstelodamensi clarissimus vir Caspar Barlæus, defuncti memoriam scripto carmine erudito ac vere heroico prosecutus. Horum ego virorum exemplum imitatus mihi fas esse duxi, ut ejus viri, qui in magni Episcopii locum munusque successit, cujus corpus, ingentis hospitium animæ, hodierno die supremo honore sepulchrali affecimus, Stephani Curcellæi, inquam, vitam, memoriam, laudem vobiscum

colam ac retexam. Cæteri enim fortasse fecerunt satis, si defuncti corpus consecuti sunt: mihi etiam anima, potissima pars nostri, nunc prosequenda & ornanda est. Cæteris luctum suum silentio premere liceat: mihi, qui tantis ab ipso muneribus condecoratus sum; tacere citra ingrati animi notam non licet. In hac autem omni oratione ita sermonem meum moderari conabor, ut neque huic reverendo viro vera laus à me detracta, nec falsa ac vana ei afficta esse cujusquam judicio videri queat.

Natus est Stephanus Curcellæus Genevæ VI. Nonas Maj. A. C. cIↃ IↃ LXXXVI. Patre Firmino Curcellæo, Ambianensi; cujus frater, Ambiani in sede præsidiali advocatus, tantum eloquentia valuit, ut vulgo *Bouche d'or*, id est, *Chrysostomus* vocaretur. Prognatus est matre Abigail Cox, avo Michaële Copo Parisino, Ecclesiæ Genevensis pastore, quem Calvinus in sacrum illum hæreticidarum Serveti catalogum nobis adscriptum reliquit. Firminus, cum crudelis illa in Reformatos laniena Parisiis sæviret, indeque per alia regni Gallici loca tristi contagione proserperet, Lugduni in cella quadam ab homine Pontificio per tres dies ac noctes occultatus ac custoditus fideliter evasit incolumis. Duxit Stephanus noster duas ex ordine uxores, Johannam de Beaulieu le Blanc, matronam cumprimis nobilem; ex qua duos, qui nunc supersunt, suscepit liberos, D. Gedeonem Curcellæum in nobili Dousarum toparchia Nordvici Ecclesiæ Remonstrantium Pastorem, & Mariam Curcellæam lectissimam filiam. Alteram priori mortuæ superinduxit Susannam Fleurigeon Vasciacensem, quæ aliquot abhinc annis ex vita decessit, nulla relicta sobole. Possem hoc loco afferre ex defuncti nostri progenitoribus Johannem Curcellæum, cujus nomen jam quatuor abhinc seculis apud Picardos notum erat ac celebre: Possem huic alia ejusdem familiæ haud indecora decora subjungere. Verum non est mihi propositum in hoc orationis auspicio avos ejus ac proavos longa serie contexere, neque illustrem satis nobilitatem ostentare, qua inter Galliæ primores effulsit, ubi in majore honore stemmatum claritudo habetur: siquidem hic noster ipse nobilitatem suam hac in parte contempsit, vel saltem dissimulavit, existimans verum, quod ait ille, optimos quosque esse nobilissimos, & satius esse, ut stirpis claritas in nobis oriatur quam desinat. Placuit illud, quod etiam in postremo scripto usurpavit;

Et genus & proavos & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto. ——

Nimirum eos vere ignobiles prædicabat, qui ex vana nobilitatis suæ prædicatione inanem gloriolam aucupantur. Enimvero alia erant longe majora & digniora, quæ hunc virum ad veræ nobilitatis fastigium & decus evehebant. Nobilitabant eum præstantes ingenii dotes, quibus ipsum Deus supra communem sortem cumulaverat. Nobilitabat eum animus egregius, ad humanitatem, lenitatem, omnemque virtutem mirabiliter aptus atque compositus. Nobilitabat eum ipsa virtus, quæ sola est vera atque unica nobilitas. Denique industria exquisita, labor improbus, insatiabilis veritatis pervestigandæ cupiditas, singularis illa in ferendis excusandisque aliorum erroribus moderatio; hæc omnia, aliaque permulta, in quibus familiam ducit ipsa divina veritas, hunc virum vere nobilem, & admirabilem nobis, & omnium prædicatione dignum reddiderunt. Accedunt peregrinationes longe & late patentes; accedunt doctissimorum hominum familiaritates ex peregrinationibus ac lustrationibus diversarum regionum collectæ, accedunt munera publica, quæ ille omnium maxima atque dignissima in Ecclesia administravit summa cum laude. Videtis nunc, A. O. & quasi per transennam conspicitis hujus nostri ædificii veluti formam externam, aut ut pannos ac supellectilem pretiosam in unum hactenus convolutam, quæ nobis deinceps singula prolixius distinctiusque evolvenda sunt, ut internam eorum pulchritudinem ac venustatem ex vero æstimare possitis.

Inge-

Ingenium ei quantum fuerit, quam ad percipiendas res abstrusissimas aptum; d excogitandum fœcundum ac uberum, ad respondendum iis, qui aliquid ex ipso requirebant, promptum paratumque, non arbitror alios rectius existimaturos, quam nos ejus discipulos, qui illam vim ubertatemque & fontes sacros sæpius cum fructu degustavimus: quamquam penes nos solos hujus rei arbitrium deponi nolumus, cum testes ac conscios habeamus plurimos alios partim vivos, partim mortuos, qui illum quamdiu noverunt, adamarunt; neque amassent hunc à primis annis viri doctissimi, nisi ingenium ipsius suo dignum amore judicassent. Erat ei judicium limatum, subactum, prudens, ut neque opinionem aliquam, licet magnis authoritatibus subnixam, levi inductus ratione susciperet; &, si quam sententiam animo conceptam suo semel comprobasset, eam non facile dimitteret, nisi majore vi rationum & veritatis evidentia compulsus. Memoria valuit, si quis alius, plurimarum rerum capaci ac tenaci; quod donum esse maximum & utilissimum ad studia feliciter promovenda nemo inficiabitur.

Cum igitur hoc ingenio judicioque natus esset, cumque deinde egressus ex pueris, excusso scholastico pulvere, animum ad res percipiendas adjungeret; haud obscure colligere possumus, quo ille, quamque prospero cursu hoc studiorum stadium emensus fuerit. Ingressus est Lycæum sive mavis Stoam Genevensem, ibique audivit præstantissimos viros, Historicos, Philosophos, aliosque in alia quavis eruditionis parte versatissimos.

In illis autem studiorum incunabilis impense deditus fuit Mathematicæ, vel ne contra Platonis monitum Geometriæ expers ἀγεώμετρος ad capessenda graviora accederet, vel quia ingenium subtile satis & acre res sibi suæque indoli congruentes, abstrusas atque recondita, occulta quadam naturæ propensione rimabatur. Nam quod Philosophi nonnulli ex illa veteri disciplina de abditis rerum formis & qualitatibus existimant (quomodo ferrum à magnete, ignis à naptha, palea à succino attrahitur, & hæmatites sanguinis ex naribus profluxum sistere creditur) id ipsum in hominum ingeniis, si quod opificium tractandum aut ars addiscenda sit, haud obscure conspici existimem. Sequitur quisque naturæ suæ semina, propensionem, aptitudinem, promptitudinem. Hinc illud celebratum Poetæ,

Tu nihil invita dices faciesve Minerva.

Itaque ut ignis ex vicino pabulum arripit, sic ingenium ardens & erectum ad se rapit ea, rapiturque vicissim inflammato impetu in ea, quæ sibi consentanea & accommodata esse novit. Quamobrem Mathematicas disciplinas D. Curcellæus pro ingenii sui vi & ardore non primoribus labiis degustavit (ut hodie non pauci, ac pauci forte, quoniam multi hæc studia ne attingunt quidem) sed in earum intima adyta lucosque penetravit. Postquam autem Renatus Cartesius priorum inventis plurima de suis adjecit, ejus philosophandi rationem in multis comprobavit, penitusque in illius viri familiaritatem se tradidit: qui (ut æquales delectantur æqualibus) eum mutuo amore ita complexus est, ut vix unquam hanc urbem sine ipso aut viderit aut inviserit. Non est autem dissimulandum (ut pateat eum nihil hac in parte impervestigatum reliquisse) hunc nostrum, cum adolescens esset, etiam Astrologiæ, quæ rerum futurarum divinatrix dicitur, addiscendæ studio ductum fuisse: Verum re bene explorata animadvertit omnia incerta, falsa, conficta: planissimeque comperit, eas artes non cognoscendas, nisi ut devitentur; quemadmodum & Judæi scriptores de LXX viris summi consessus *Sanhedrin* testantur, eos hanc artem judiciariam (quam judiciariam esse recte dictam nemo dixerit, nisi ipse judicii sit expers) addiscere debuisse, ut alios, qui eam didicissent atque probassent, rite damnarent.

Quid attinet nunc de reliquis Philosophiæ partibus, quantopere in iis versatus

fatus fuerit, multa disserere, cum ea sic ipse didicerit, ut alios qui non didicissent ac discere vellent docere potuerit? Neque tamen in hoc studiorum genere indormiendum, multoque minus immoriendum huic putavit: quod nimium hodie pervulgatum est, apud eos maxime, qui barbaras ac non intellectas Scholasticorum (ut vocantur) voces avide consectantur, ut eruditi ac subtiles & Angelici Doctores aliis esse falsa specie & inani pompa compareant: sed eam maxime in Philosophando viam laudavit, quam sequi se Neoptolemus profitetur apud Ennium; Philosophandum, inquit, sed paucis. Si enim moderatio hic observetur, non contemnendus inde fructus existit, quia illa ingenii rubigo abstergitur, & acuminis pars aliqua comparatur, & ii, qui his latebris se interdum occultant, in lucem protrahi hac ope facilius possunt. Sed si quis in hoc pistrinum se totum compingat, is & pretiosissimi temporis thesaurum prodige decoquit, & fit non raro ut ingenii acies hebescat, aut certe evanescat in illis subtilitatum tricis, & alia longe utiliora studia summo cum detrimento plerumque negliguntur.

Nos igitur relictis his rebus (in quibus quia alios consenescere senex noster nolebat, ne nos quidem nunc nimium diu obhærescere oportet) transeamus ad alia gravioris ponderis studia Theologica, ad quæ D. Curcellæus ab initio ætatis sic adspiravit, ut in his sibi versandum, in his conquiescendum, in his moriendum esse perpetuo duxerit. Intelligebat enim animus ille immortalitatis desiderio succensus, cæteras artes literasque, per se alioqui non illiberales & liberi hominis cognitione non indignas, non esse dignas tamen, ut in iis tantum consumeretur otii ac laboris, in hac præsertim vitæ brevitate, nisi ad hunc scopum felicius obtinendum omnia referrentur. Ac cæteræ quidem facultates, ut vocantur, aut opibus sunt præsidio, ut Juris-prudentia; aut corpori ad sanitatem vel conservandam, vel recuperandam prosunt, quod utrumque præstat Medicina: At Theologia mentem, divinam illam hominis partem, scientia rerum maximarum instruit, virtutibus exornat, ad immortalitatem educit deducitque. Cæteros juvet terrena cognoscere, terrenis vel construendis opibus vel conquirendis honoribus, vel comparandis scientiis inhærere; hæc mens originis altioris memor ad sublimiora bona consideranda, complectenda, conservanda rapiebatur. Itaque in his laboribus desudans, noctesque & dies audivit Theologos viros eruditos studiosissime, Sacras Literas imprimis volvebat ac revolvebat assidue; nonnullos etiam eorum, qui commentariis Scripturam sacram illustraverant, consulere solebat; habebat insuper delectos sibi selectosque rerum Theologicarum tractatores, qui omnia, quæ in Sacris Literis latius diffusa continentur, ad certam quandam methodum in compendium redegissent. Neque tamen unquam his vel vivis, vel mutis ac mortuis magistris ita se mancipavit, ut judicium de rebus divinis non integrum sibi & illibatum servaret. Noverat enim, omnes illos antecessores & homines fuisse & erroribus obnoxios, quantumvis aliis eruditione ac pietate præfulsissent; nec paucos etiam ex illis primorum temporum concertationibus partiumque ferventibus studiis plus eruditionis ex hominum fama, quam ex vero traxisse. Tum quidquid sit, sibi sciebat soli pro se Domino reddendam esse rationem: videndum itaque sibi ac solicite dispiciendum, quid cum divina veritate, quid cum recta ratione, cum honestate sit consentaneum: Quod quidem olim & hodie apud plerosque contra obtinet, quibus usitatissimum est, non quid dicatur exquirere, sed à quo quid profectum sit inquirere, adeoque se totos in obsequium magistris addicere, aut, ut ait ille, jurare in verba magistri; quod optimo jure omnibus veritatis cultoribus semper improbatum fuit: maximeque id reprehensum quondam in Pythagoræ discipulis, quibus omni ratione major erat illa oratio, si quid à magistro derivatum aut comprobatum diceretur. Nobis vero alia mens sedet, ut qui edocti simus, hanc magisterii dignitatem soli Christo competere, & in hunc unum tota fide recumben-

ben-

bendum; secundum illud *Matth.* XXIII. 10. *Ne vocemini magistri: unus enim vester* est *magister, Christus.* Erat tunc temporis, cum D. Curcellæus hoc Theologiæ curriculum vixdum ingressus esset, in honore permagno Calvinus, aut potius ipsius tunc defuncti scripta: cui proximus erat autoritate ac celebritate nominis Beza, duo magni viri & clarissimi scriptores; quorum posterior, ut erat literaturæ Græcanicæ peritissimus, privatim etiam hunc nostrum literis Græcis imbuebat: quod beneficium, tanquam eximiæ benevolentiæ specimen, in scriptis alicubi suis ipse prædicat, haud immemor collatorum in se benefactorum æstimator. Equidem cum ad tantum culmen autoritas istorum virorum esset evecta, ut jam non nomine quidem, sed re tamen ipsa irrefragabiles haberentur, cumque universa pene Anglia, Gallia, Belgica, illorum sententiam in religione fidemque religiose sequeretur, arduum erat, ac vix fieri posse videbatur, ut aliquis privatus, suo judicio nixus, contra tantam torrentis vim tamque multorum hominum consensionem, se unum tanquam molem quandam in adversum opponeret. Majoris etiam id operæ esse omnes agnoscent, si animum præcipuis istiusmodi viris habeamus vel diuturna quadam veneratione vel etiam ipsorum beneficentia devinctum. Nam beneficia nos ad amorem hominis benefici occulta quadam vi alliciunt: & sicuti odium, ita & amor, si in consilium adhibeatur, cæcum ferme parit judicium; certe ita hominum mentes obnubilat, ut veritatem contueri ac pervidere vix possint. Nunquam tamen vel autoritas vel amor, quo & istos & alios Doctores plurimum colebat, tantum effecerunt, ut duram illam Calvini, nec minus ac magis forte asperam Bezæ de prædestinatione sententiam concoquere potuerit. Obstabant contraria Dei oracula permulta, eaque clarissima; ut paucis obscurioribus ea infringi minime posse constaret. Obstabat Ecclesiæ veteris primitivæ consentiens authoritas, quæ Authoribus sententiæ novæ, & ante sæculum quartum non auditæ, pondere judicii & gravitate suffragiorum multum præponderabat. Obstabat denique indoles ipsa mansuetudinis ac lenitatis, qua ille convictus atque constrictus tam dura de Deo, tam cruda, tam horrida dogmata recipere non audebat. Plurimum sane in eo positum est, qualem quisque animum ad veri inquisitionem afferat; durumne illum & præfractum, an vero lenem & mansuetum. Asperior animus facile de Deo aspera sibi omnia persuadet: indoles in lenitatis partem propensa ægre perversas de Dei misericordia persuasiones admittit. Quare nequaquam mirandum, si Curcellæus noster, animo cum esset miti, immites illas quorundam de Deo imaginationes aversatus fuerit. Præterea illud quoque observabat, multos primarios etiam viros, dum Pontificiis erroribus medicinam afferre voluerunt, in diversos errores esse delapsos, idque non deliberato consilio, sed, ut fit, nimio contentionis studio ulterius quam decet provecti: quod idem Augustino accidisse, cum adversus Pelagianos nimio zelo, & Chrysostomo cum contra Anthropomorphitas nimia contentione proveheretur, Beza & Calvinus ipse confessi sunt. Cum igitur hic noster videret nonnullos aliquid humani passos, & imitatos esse non raro imperitos Medicos, qui partes etiam sinceras & incorruptas cum vitiosis & corruptis resecant, ac remediorum loco interdum venena suffundunt, hinc justam sibi causam oblatam arbitrabatur, ne quodvis ab ipsis prolatum aut probatum dogma comprobaret: sed ex Apostoli præscripto omnia probanda, ea quæ bona comperiebatur, sola sibi retinenda existimabat.

Calvinum vero (ut hoc obiter adjungam, quia in hujus mentionem incidimus) quo minus veri cognitionem adeptus fuerit, duæ potissimum res in transversum videntur egisse. Nam & ingenio erat acriore, quod ex violenta aliorum dissentientium oppressione apparet; unde Deo aspera quædam & horrenda decreta, quæ *horribilia* ipse vocat, attribuere non reformidavit: & dum Pontificios omnium virium annisu insequitur, in diversos errores deviavit, non minus noxios quam illos, quos sibi sumpserat refutandos. Ita cum Pontificii statuerent

satis-

satisfactiones humanas nobis ad electionem salutemque humanam consequendam aliquid afferre subsidii, unde merito Christi caligo offunditur; ipse ex adverso urgebat, satisfactionem Christi non prodesse tantum, sed etiam solam sufficere, & ita quidem sufficere, ut nec fides nec opera hic in censum venirent. Similiter, cum illi urgerent nonnulli, nos operum nostrorum merito justificationem adipisci; ille contra contendebat fidem solam, quatenus Christum crucifixum amplectitur, ad justificationem satis esse, non consideratis operibus. Illi in bonorum classem receperunt non bona; hic non contentus rejecisse falsa, operum etiam vere bonorum necessitatem in negotio justificationis sententia sua sustulit. Sint hæc exempli causa dicta & posita, quia plura nunc persequi non licet.

Cæterum Curcellæus noster, licet in illa duriore sententia, quam secuti nonnulli absolutum Dei decretum in prædestinationis negotio tuebantur, acquiescere penitus non posset (memini enim ipsum mihi dicere aliquando, se nunquam horrida illa placita penitus comprobasse) tamen, quam potissimum sententiam recipiendam duceret, vix aliquid secum firmi constitutum habebat. Reperiebat facilius, quid fugeret, quam quid sequeretur. Imprimis autem, quia illis in locis habitabat, ubi neque rigidum illud decretum tuto oppugnare, neque sententiam diversam libere defendere, neque cum aliquo super ea re ex voto licebat conferre; id sibi fuisse & detrimento maximo & summo cum dolore conjunctum, aliquoties deplorabat. Ex ea re quid mali postea fit consecutum; & in quas angustias fuerit redactus, paulo post à nobis copiosius explicabitur.

Nunc quoniam exorsus eram studiorum ejus cursum proponere, postquam in Academia Genevensi propter educationis opportunitatem urbisque natalis amorem diutius commoratus esset, angustis illis terminis vitæ suæ spatium sibi circumscribendum non duxit: sed emergendum ex patria, & ad exemplum Pythagoræ, Platonis, maximeque Hieronymi & aliorum Christianorum veterum, alias sibi regiones adeundas peragrandasque, alias sibi Academias perlustrandas esse constituit, ut velut apicula diligens per omnium vireta circumvolitans undecunque decerperet aliquid, quod usui suo in alveare suum posset reponere. Neque enim omnium eadem ubique sententia est; &, si sententia obtineat eadem diversis tamen rationibus constabilita proponitur, aut ea, quæ aliunde ei opponuntur, responsis multum variantibus diluuntur. Anno igitur hujus seculi nono Geneva egressus est, perhonorifico testimonio à Scholæ Rectore tunc Johanne Deodato & Antonio Fayo communitus: quo ipsius genus, diligentiam, eruditionem, modestiam, pietatem laudant; tandemque cum eum dixissent *spem concitasse non mediocrem fore, ut laudabilem rerum optimarum sementem largi fructus Dei benedictione consequantur, hoc nomine ipsum bonorum omnium fidei ac studiis diligenter commendatum* dimittunt. Profectus est igitur in Helvetiam ad Academias, Tigurinam, Basileensem, indeque peragratis aliis Germaniæ partibus devenit Coloniam, invisit Heydelbergam, ubi summo Jurisconsulto Dionysio Gothofredo usus est familiariter, ejusque in prælectionibus stupendam memoriam admiratus. Nam cum alii Doctores soleant eas, quas allegant, leges, vel ex scheda vel ex ipso codice prælegere, ille prolixe citatas plerasque quinquaginta vel sexaginta linearum ex fidissima rerum custode memoria accurate depromebat. Statuerat autem Curcellæus noster in Belgium quoque hoc nostrum profectionem suscipere: sed ferente sic tristi quodam casu ad Gallos sibi suos revertendum existimavit: nec ita diu post Ecclesiastico muneri admotus est A. C. cIↃ IↃcxiv. Multa hic prætereo consulto, A. O. de D. Curcellæi eruditione quam ea late patuerit, quemadmodum & Medicinæ naviter operam dederit, & fuerit Jurisprudentiæ non ignarus, & in aliis eruditionis partibus ornamentisque bene subactus ac politus. Quamquam enim hoc in vitio poni solet, si quis animum in plura distrahat, quia tunc minus idonei

nei ad singula censemur, in magnis tamen & sublimibus ingeniis id non tam reprehendendum est quam laudandum, si vires sibi & opes à Deo large concessas protendant latius, nec intra aliorum angustias se contrahi patiantur: præsertim si à præcipuo illo scopo non aberrent, sed huc, velut ad patriam peregrinantes, oculos animumque perpetuo reflectant. Neque etiam in commemoranda ipsius indefatigata diligentia diutius (ut constitueram) commorabor, sat habens, si verbo dixero, cum post annum ætatis quinquagesimum exactum linguam Hispanicam addidicisse, ut Judæorum libros Hispanice & Lusitanice magno numero conscriptos posset intelligere: eundemque, cum esset homo confecta ætate, septuagesimum annum agens, dum per vires licuit, nihil de summa legendi scribendique assiduitate remisisse: immo etiam postremis vitæ annis pleraque veterum Ecclesiæ Scriptorum monumenta pervolutasse ac pervolasse summa cum alacritate, sed accurate tamen: denique cum discruciaretur internis gravissimisque corporis doloribus, eum è lecto sæpenumero se subduxisse ac prorepsisse, ut quod vacuum dabatur tempus pauxillum à doloribus, id laboribus impenderet. Verum ego in his aliisque recensendis nunc non hærebo, ne nobis ad alia properantibus majora forte moram injiciant.

Mox igitur in Galliam redux, Fontisbellaquæi Pastor constitutus est. Erat ibi infrequens quidem Ecclesia, ut quæ ex familiis tantum quatuor aut quinque tantum constiterit: sed auditorium tamen maxime frequens & celebre, propter confluxum hominum, qui aulam assidue frequentabant, Regemque Ludov. XIII. comitabantur. Hic enim quoniam Fontisbellaquæi primam lucem aspexerat, natalis soli amore ductus frequentius istuc commeabat. Accidit ea occasione, ut illustrissima Domina Aloysia Colinia, quæ & vidua tunc erat Celsissimi Principis Auriaci Guilielmi, fuitque summa fautrix ac tutatrix causæ Remonstrantium (quod ex literis ad D. Utenbogardum datis liquere possit) in gravem ac lethalem plane morbum incideret. Huic tunc Heroïnæ, quia religioni Reformatæ cum primis addicta erat, D. Curcellæus adfuit in extremis, eique suprema ac justa, quæ debebantur tantæ pietati, solatia adhibuit. Forte, cum ad alterum lecti latus assideret istic alia quædam Princeps Matrona Reformata, ingressus illic Cardinalis Richeliacus Armandus Plessiacus, Lucionensis tunc Episcopus, honoris causa istuc à Regina Lutetiam discedente submissus; Domina, inquit ille ægrotanti Heroïnæ, habeto curam animæ tuæ, duo enim tibi nunc à latere assident dæmones. Hoc ille pro studio in Papatum suo, quo erat inflammatus, aut saltem voluit videri. Meliori ac gratiori animo non ita pridem hoc beneficium Curcellæi nostri agnovit nepos D. Aloysiæ Illustr. Princeps Auriacus Gulielmus: qui, cum filium senis nostri D. Gedeonem Curcellæum Campis in Transisulania conjectum in vincula rescivisset, quia in Remonstrantium cœtu concionatus fuerat, literis ad magistratum datis iteratisque ex arctissima illa custodia, in qua tres circiter menses desedit ac pene contabuit, eripere eum conatus est. Ac licet Illustr. Princeps nihil intercessione sua profecerit, obnitentibus contra illius loci quibusdam zelotis; gratum est tamen quod in Illustrissimæ aviæ suæ, fautricis nostræ, memoriam hoc animi benevoli signum nobis exprimere voluerit. Postea D. Curcellæus relicto Fontisbellaquæo, ubi per novennium circiter vixerat, ad Ecclesiam Ambianensem in Picardia sitam, sibique quodammodo patriam, promotus fuit.

Quandoquidem vero in Ecclesiæ Ambianensis mentionem incidi, in qua per biennium tantum fuit commoratus, video nunc mihi necessario aperiendam causam, cur eam provinciam deseruerit, aut potius cur inde depulsus fuerit. Simul etiam exponendum, qua occasione ad Remonstrantium partes delatus, quo vel astu quorundam vel æstu reciprocationis quodammodo repulsus sit, quo denique urgente casu constantissime nostræ seu potius divinæ veritati addictus hæserit. Cum igitur hic vir rever. Ecclesiæ Ambianensi Pastor esset datus

tus circa annum cIↄ Iↄc xxi. fervebat etiamnum in Belgio quæstio de quinque Prædestinationis capitibus controversis, eaque disceptatio ad vicinas etiam nationes permanaverat. Quamvis autem Synodus Dordrechtana controversias illas ex voto adversariorum, ex quibus ea constabat, decidisset; tamen contentionis flamma adeo non fuit sopita, ut etiam vehementius multo quam antea exarserit. In Belgio, postquam decisio facta est, intra eam moderationem stetit (si tamen ea moderatio dicenda est) ut, si quis canonibus Dordracenis subscriberet, is in pristina statione ac munere maneret. Sed in Gallia, unde nemo (Rege, ne id fieret, interdicente) ad Synodum dimissus fuerat, res ulterius progressa est, adeo quidem ut jurandum fuerit in canones Dordraci procusos. Decretum id conditum est in Synodo Alesiana, præsidente idque imprimis urgente (ne scilicet *Anatome Arminianismi* novam ibi anatomen subire cogeretur) Petro Molinæo; rigidum id plane decretum, & severum, & atrocissimum, quale nescio an à primis usque Christianismi primordiis ad hæc usque tempora vel factum vel auditum fuerit. Nam non modo judicium Dordracenum ibi *Regula fidei* nuncupabatur, sed etiam adhibito sacratissimo jurejurando obstringebantur Pastorum conscientiæ ad promissum chirographo suo sanciendum, se canones Dordracenos pro veris ac divinis agnoscere, immo etiam ad extremum vitæ halitum se in ea fide permansuros. Huic decreto, quod in Synodo Nationali constitutum erat A. 1620. in proxima Provinciali Carentonensi se opposuerunt non tantum Curcellæus noster, Ambianensis, & David Blondellus, Houdanensis tunc Ecclesiæ Pastor, postea historiarum Amstelodami Ecclesiasticarum Professor, sed etiam plerique alii omnes istius Diœceseos administri. Ibi tunc quidem juramenti illa sacerrima formula diruta fuit, proximo autem anno in alia Provinciali Synodo novum instrumentum effabricati sunt, quo omnes in illam Canonum fidem recipiendam adstringebantur, sine juramento tamen. Noster vero, quia videbat hoc pacto sententiam nostram rejiciendam, quam nondum ad Scripturæ lancem satis exegerat; & Remonstrantes ut schismatis reos condemnandos esse, quos hoc crimine teneri minime constabat; & hominum constitutionibus conscientiam obligandam, quam soli Deo obstringendam noverat; negavit se in eam subscriptionem manu aut mente posse concedere: pauloque post se à munere abdicavit suo, provocans ad Synodum Nationalem proxime Carentone celebrandam, suadentibus id affinibus & amicis, à Synodo clam astu quodam subornatis; qui nisi ipse id sponte faceret, Synodum ei graviorem ignominiæ maculam inusturam minabantur. Cum autem ea deinde Synodus haberetur, erant res nostræ valde turbatæ in hoc Belgio nostro, nec ullus terra marique patebat refugii locus, neque meliorum temporum spes magna affulgebat. Nonnulli præterea scrupulum de Dei præscientia animo ejus nondum satis firmato ingesserant, atque ex illa arce veram de Dei Prædestinatione sententiam labefactare conabantur. Accesserunt consanguinei hortatores, amici impulsores, aliique importuni interpellatores, qui animum dubium & labantem eo tandem perpulerunt, ut conscientiam suam sacris illis quibusdam canonibus dato chirographo in servitutem addiceret, sub hoc tamen conditionum temperamento. Primo ut Remonstrantes damnare non teneretur; à quo se profitebatur alienissimum. Deinde canones illos, quibus sententia nostra rejiciebatur omnino non comprobare; reliquos autem, affirmativos quos vocant, quibus illorum opinio expressa erat, non ut Dordracenos comprobare tenebatur. Synodus enim illa omissis prioribus posteriores tantum evulgavit hoc titulo: *Articles arrestés au Synode national des Eglises Reformées de France tenu à Charenton chez Paris*, &c. Denique ex can. xv. cap. i. videri dicebat consequi, Deum esse authorem peccati: cujus tamen canonis, cum aliqua non absurda, uti tunc videbatur, explicatio daretur vel emollitio, acquievit. Exinde confestim ad ministerium alicujus Ecclesiæ ruralis in pago *Helmauru* fuit promotus, ac Samuëli Maresio vel

propter

ropter ætatem vel alia de causa prælatus: nec diu post ad Ecclesiam urbicam Vitriacensem totius Campaniæ celeberrimam frequentissimamque evocatus: qua in statione per decennium perseveravit, ad annum trigesimum quartum. Interea animo ejus non leve vulnus insedit ex eo, quod propter injectos scrupulos non satis graves & difficultates non penitus insuperabiles à pretiosissima veritatis possessione laudatissimaque ejus professione aliquo saltem pacto dimoveri se passus esset, aut dimotus videri posset. Imprimis autem ille stimulus animum urgebat, quod conscientiam suam soli Deo ac divinæ Scripturæ obnoxiam in servitutem hominibus hominumque statutis eousque submisisset. Præterea omnia ipsius, etiam optime dicta, perverse in hæreseos suspicionem sinistra quorundam suggestione trahebantur. Libellum forte D. Herm. Herberti Pastoris Goudani de Prædestinatione Belgice editum Galliceque conversum commodato dederat vicino cuidam proximo, unde uberrima ei litium seges & à privatis & in ipsa Synodo subnascebatur. Ibi vero tum diu anceps & anxia deliberatio ex altera parte ipsum districtum tenebat. Quid enim jam homo provectæ satis ætatis ageret, re familiari non admodum locupletata? Maneretne in Galliis? At ibi spes nulla libertatis. An huc se conferret? At quid homini alienigenæ & extero in his locis præsidii, ubi se nulli satis acceptum fore metuebat? Videte tamen, A. O. quanta sit vis conscientiæ, in animis præsertim erectioribus. Quid enim egit noster, quid consilii cepit in his angustiis fluctuationibusque constitutus? Non jam amplius consanguineis, affinibus, auscultans, sed Spiritui Sancto soli se totum ducendum regendumque tradens, patriam, cognatos, amicos reliquit. Fugit è patria inferiori ac terrestri, ut Abraham, iterque illud arripuit, quod ad illam superiorem ac cælestem tendenti tutius atque expeditius esse intelligebat. Fugit, ut Loth; neque post tergum respexit; cum sciret, eos, qui manu ad aratrum apposita respiciunt, aptos non esse ad regnum Dei. Fugit, ut Jacob; & in ea demum terra conquievit, in qua vidit scalas, per quas itur in cælum. Ad hoc, inquam, Belgium nostrum confugit, tanquam ad veritatis asylum, ad libertatis aram, ad domicilium pacis, ad conscientiarum oppressarum refugium unicum. Hic sibi degendum, hic vivendum libere, hic libere moriendum esse duxit. Non est autem prætermittendum hoc loco, priusquam Galliam cum ipso deseram, Joannam de Beaulieu le Blanc uxorem ipsius, quam nonnemo D. Curcellæo nunc infensus *Matronam* appellat *nobilem & egregiam*, cum ex infirmitudine quadam decumberet anni ferme spatium ante mortem, condidisse in urbe Vitriacensi, ubi & obiit, tabulas sive literas testamentarias, quas misit ad fratres suos, viros nobiles, D. Stephanum & Ludovicum de Beaulieu le Blanc, illum Sylvanectensis, hunc Plessiacensis Ecclesiæ Pastorem, & ad Jacobum ac Petrum de Beaulieu le Blanc, quorum prior Carolo Angliæ Regi erat à secretis, posterior in Parlamento Parisiensi celebrem egit causarum patronum. Ad hos, inquam, omnes, quos pariter in maritum suum minus bene affectos noverat, epistolam misit supremæ voluntatis testem, qua fratribus neque fundos legat, nec domos, nec supellectilem pretiosam, nec aurum, nec argentum, sed eam, quam auro argentoque longe pretiosiorem habebat, charitatem, concordiam, pacem cum marito suo fraterne colendam, nec propter hoc sententiarum in religione discrimen ullo unquam tempore violandam aut interrumpendam. Verba Testamenti, quæ tum propter sententiæ pondus, & quia nobilis fuit matrona ac prudentia ac pietate conspicua, digna sunt, ut in æternum perennent, ex ipsis tabulis excerpta nonnulla obiter hic inseram.

Testamentum, quod quatuor meis plurimùm honorandis & dilectissimis fratribus, atque optimæ meæ sorori relinquo.

Domine ac plurimum honorande Frater,

Meum hoc ad te scriptum mitto, ut tibi significem, quonam nunc in statu sint res nostræ. Non levis est afflictio nostra propter diuturnum meum morbum, & febrim continuam, quæ vires meas plane prostravit, & magnum ciborum fastidium peperit. Parvuli nostri, sat bene, Deo sit laus, se habent. Hoc me unice torquet, quod Dominus Curcellæus tristitia & mærore maximo afficiatur, cum videat me ad vitæ hujus metam magno passu tendere. Tanto me nunc amore, quanto unquam ab initio, complectitur. Tanto me honore & benevolentia decennio toto est prosecutus, quanto ulla uxor à marito vel sperare, vel optare posset. Multa cum lenitate, multa cum consolatione, mihi semper, & in omnibus meis morbis opem tulit. Hac in re ingentem suorum curam Deum gerere deprehendo; sæpius tristitia correpta fui, cum intuerer me tanto à vobis locorum intervallo esse divulsam, sed non mihi defuit Dominus, qui me per maritum, quem mihi dedit, erexit & solatus est. Vos omnes, Dei nomine, oro atque obtestor, ut, quemadmodum in pace & concordia inter nos viximus, eadem porro dilectione maritum meum prosequi velitis; hæc votorum ejus summa est, & me amat & vos diligit, perinde ac si germani ejus essetis. Quam vereor ne dissidium inter eum & collegas ejus ortum, aliquam abalienationem in animis vestris pariat, propter suspiciones quas aliqui de eo conceperunt, quasi opiniones quasdam privatas in sinu foveat. Sincere vobis testor, nullas maritum meum alias opiniones fovere, præter eas, quarum unusquisque pius & probus Christianus plenus esse debet: Nullam in eo unquam aliam animadverti vel deprehendi doctrinam, præter illam unicam, quam Christus Apostolos suos docuit, idoneam ad convincendum, corrigendum & instruendum hominem ad salutem. Oro ergo vos & obtestor per honorem Dei, & per amorem quo vos prosecuta sum, ut vos erga Dominum Curcellæum, non uti erga peregrinum & alienigenam, sed uti erga dilectissimum fratrem, & ejusdem promissi cælestis cohæredem, geratis. De nullo male judicandum est, quod in aliqua, exigui momenti, à nobis diversa opinione versetur: Agnoscetis eos, inquit Servator, ex fructibus eorum, putrida arbor bonos fructus ferre nequit, nec bona malos. Pro modulo rationis & cognitionis, quas Deo mihi impertiri placuit, nullas unquam in marito meo alias, nisi sanctas, actiones animadverti. Insurrexerunt nuper aliquot in eum, & sibi persuaserunt omni eum ratione destitui; sed hoc modestiæ ejus tribuere debuissent, quod animadverteret clausas & surdas esse multorum aures suis rationibus. Enixe rogo ut tu, & cæteri fratres mei, monelæ Apostoli locum detis, præcipienti, ne ante tempus judicemus; &, ut omnia probantes, bonum retineamus. Utinam vobis omnibus, perinde ac mihi, mariti mei indoles esset perspecta; magna, sat scio, cum animi contentione ejus consortium & familiarem conversationem ambiretis. Eum una cum liberis meis, quantum possum, vobis commendo. Rogo vos ut meas plurimum honorandas amitas, & consanguineos meo nomine oretis, ut amorem quo me semper fuerunt dignati, in maritum & liberos meos transferant ac transfundant, & hoc me in votis habere indicetis, ut sicuti, quamdiu mihi lucis hujus usuram Deus concessit, pacem & amicitiam colui, ita etiam funeri meo supervivant & inter eos floreant. Vobis omnibus supremum Vale dico, uti & optimis meis sororibus, uxoribus vestris, nec non & liberis vestris, & ut omnes uno verbo complectar, omnibus meis charis amicis. Oro te mi frater, ut hujus scripti copiam fratribus meis omnibus facere velis, & ut hoc exemplar manu mea subscriptum tibi serves. Cupio enim ut illi, & tu quoque hoc parvum Testamentum executioni mandetis. Exequi autem illud poteritis, cum se dabit occasio;

nam

nam animadvertitis alio esse stilo conscriptum quam vulgo Testamenta esse soleant. V--eor ut hoc scriptum, ante discessum meum ex hoc mundo, recipere possitis. Continuo stilo à me dictatum non fuit, sed repetitis vicibus & per intervalla, propter cerebri debilitatem ex paroxysmis febris. Majori ea propter apud vos erit in pretio. Mihi facile condonabitis, si rude ac impolitum sit: nam uti ex proprio motu procedit, ita etiam propriæ est inventionis opus. Si ad hoc conscribendum opera Domini Curcellæi uti voluissem, ornatius nunc in conspectum vestrum prodiret. Sed ut tandem huic scripto finem imponam, sum & ad finem usque hujus vitæ ero vestra, & vobis omnibus impensissime addicta ac fidelis soror. Deum supplex oro, ut vos omnes sospites, & ab omni malo incolumes servet. Factum in Helmauru 21. Februarii 1625. Rogo vos ut me responso vestro, statim atque hoc epistolium meum receperitis, beare velitis; ut, si Deo paululum adhuc lucis hisce in terris mihi concedere libeat, hoc solatio ante obitum fruar, quod sciam quomodo erga nos animati sitis.

JOANNA LE BLANC.

Nunc igitur, ut relicta Gallia in Belgium D. Curcellæum nostrum oratione nostra deducamus, operæ pretium erit cognoscere, quemadmodum in his regionibus se gesserit, quomodo seipsum sustentaverit, quibus muneribus perfunctus fuerit, quos libros conscripserit, quas amicitias coluerit, quantum apud Superiores dignitate & autoritate polluerit, denique qua via ex hac vita luctuosa ad mortem, ex morte ad cælestem ascensionem sit provectus. Refert nonnemo ipsius inimicus, quod in has terras ingressus *D. Episcopio ad pedes sit provolutus*. Dein prolixe illud exagitat, quod canonibus Dordracenis subscripserit; denique exprobrat, quod typothetis ad prælum in libris emaculandis inservierit, atque hoc velut opificio se & familiam sustentaverit. Nescis Maresi, nescis inimici vel potius amici tui (nam tua tibi voluntate, non sua inimicus fuit) factum reprehendere; cum neque verum sit omne quod dicis; & id, quod verum est, non in contemptum, sed in laudem amici tui cedat. Nego supplicem esse factum illum, cui in hoc auditorium ingredienti D. Episcopius ipse honoris causa assurrexit, suaque ei subsellia concedere voluit, ut ipse habendæ disputationi præesset: unde existimare licet, quanta in dignatione à rever. D. Episcopio sit habitus, quamque nihil necesse fuerit huic humanissimo viro se supplicem prosternere. Sed enim prœlo noster inserviit, & ad magnas angustias est redactus. Fecit hoc ille non spe lucri adductus, sed in gratiam præstantium aliquot amicorum, & quidem eorum rogatu, Ill. Hugonis Grotii imprimis, cujus annotata in quatuor Euangeliorum codicem à mendis repurgavit. Vertit & Mathematica nonnulla in linguas alias, quod nescio an homo inimicus præstare possit, & in gratiam amicorum an facere id si posset velit. Descriptiones Geographicas, quas Cl. Caspar Barlæus nonnullas confecerat in opere magno Blaeviano, prosecutus est atque pertexuit. Fateor autem (cur enim id, quod verum & rectum est, diffitear?) fateor hunc rever. virum à nonnullis initio frigidius exceptum ex illa priore Canonum subsignatione: fateor in angustias forte aliquas ipsum devenisse. Sed eas angustias satis ipse prævideràt; in eas se sponte conjecerat; eas forti animo & suscepit & pertulit; iis fortiter ferendis comprobatum dedit, atque omnibus testatum fecit, nihil à se ficte, nihil simulate geri, omniaque se exantlare durissima paratissimum, ut pacem conscientiæ inviolatam & imperturbatam conservaret. Nonne igitur imprudens, ne dicam insipiens, iste, qui id reprehendit, quod est laude dignum, atque ea re inimicum deprimere conatur, qua amicum extollere deberet? nonne pius in Deum, qui rem familiarem in angustias quodammodo labi siverit, ut conscientiam ex angustiis claustrisque Dordracenis erutam in justam filiorum Dei libertatem assereret? Quinam autem ad has eum difficultates compulerunt, nisi Dordrechtani jugi mancipia? Qua in re si quid

peccatum est, non hoc illius est qui malum tulit, sed qui intulit. Intulisse censendus est merito, qui illatum probat, qui inferre paratus est ipse; qui eos, qui intulerunt, pro fratribus agnoscit. Accidit vero, cum illa, cujus paulo ante memini, disputatio haberetur præside D. Episcopio, præsente D. Curcellæo, ut disquisitio incideret de sensu ac complemento promissionis Dominicæ, quæ extat *Matth. cap.* XIX. *Quicunque reliquit domos aut fratres aut sorores*, &c. *propter nomen meum*, centuplum accipiet & vitam æternam hæreditate obtinebit. Respondit autem D. Episcopius in eam sententiam, ut diceret promissum hoc in hac vita frequentius non impleri, sed certissimum ejus complementum in seculo futuro expectandum: nihilominus tamen Deum in hoc vitæ cursu nonnullis hoc beneficium eximia quadam benignitate largiri, ut aut in sorte sua acquiescant, aut reipsa promissionis suæ fidem quibusdam veluti productis exemplis demonstret, ad confirmandum alios, ne in desperationem præcipites demergantur. Ac simul exultans animo, videte, inquit, videte me & Curcellæum hunc nostrum, in quibus expressa impletæ promissionis vestigia cernitis: Ego exul ex Hollandia in Galliam, ille ex Gallia in Hollandiam ultro profugit: domos, fratres, sorores, &c. reliquimus, Deus vero noster nos non deseruit, sed nobis abunde prospexit & de facultatibus & de amicis, quos omni terrena possessione chariores habemus. Itaque non ita diu, quod hic liquet, in illis salebris hæsit defunctus noster, cum & antea fuerit à nostris honoratus, &, postquam D. Episcopius ex hac sede terrena ad illam superiorem concessit, consentientibus totius communitatis nostræ suffragiis, in defuncti locum suffectus est una cum clarissimis viris D. Carolo Niellio, qui nunc cum Deo inter cœlites vivit, & D. Bartholomæo Prævostio, qui nunc etiam superstes, & hic assidens septuagesimum primum egressus est annum, rudemque jampridem meruit: quibus accessit tandem D. Albertus Huttenus, Sedani quondam linguæ sanctæ Professor, qui hinc ad patriam Ecclesiam administrandam Neomagum discessit. Posteaquam vero vel cum iis quos dixi collegis venerandis, vel solus in eo munere versatus est, diligentissime huic operi & summa cum assiduitate incubuit; adeo quidem ut nec domi nec foris, neque in hoc auditorio neque extra hunc locum nos ope sua, consilio, subsidio destitui voluerit. Quin etiam cum primum in hanc civitatem studiorum causa commigrassem, memini ipsum in lecto non sine gravi periculo decumbentem disputationibus non interruptis domi suæ exercuisse. Exercebat autem ille studiosos adolescentes, uti inter nos constat, non una aliqua in parte eruditionis separatim: sed jam aliquo ex tempore, ut Atlas quidam, omnium prope linguarum quæ ad scientias percipiendas conducunt, omnium scientiarum quæ ad Theologiam animos præparant, Theologiæ denique ipsius gravissimam molem humeris suis solus sustinebat. Ille orationibus, quæ singulis hebdomadibus habebantur, præfuit solus: ille literas Græcas nobis tradidit solus, quamdiu licuit: ille nos disciplinam morum, ille rerum naturalium cognitionem, ille rerum divinarum humanarumque scientiam edocuit: idem ad Mathematices studium nos hortatus est quondam, & succinctam quandam astronomiæ cognoscendæ rationem nobis proposuit, eamque paulo post, quatenus ad usum sacrum dirigitur, brevi libello complexus est. Denique in illa Theologiæ arce & informanda & exornanda, tanquam Dux quidam ac Princeps, aut ut eximius quidam artifex, in opere sibi proprio consedit. Multa prælegit, multa dictavit; sæpe non disputando solum, sed etiam examine instituendo studiosos, velut in palæstra aut officina omnium instrumentorum plenissima, exercuit. Quid multa? ille fuit aliquo ex tempore tanquam dictator inter nos unicus. Dictavit principio discipulis suis in Epistolam Judæ catholicam exiguum commentarium, quem tamen ad finem non perduxit. Dictavit per præcipuos locos Theologiam, eamque ad virtutum usque tractationem deduxit, quarum etiam bonam partem absolvit. Præterea novam quandam disputationum rationem tradidit ad eandem fere normam, quam fuerat in prælectionibus suis secutus,

cutus, nisi quod multa quæ in lectionibus erant omissa, hic cumuli vice adjecerit. Atque hæc omnia ea argumentorum firmitudine, ea ordinis concinnitate, ea styli perspicuitate conscripta sunt, ut pronunciare ausim, neminem in hoc genere accuratius aliquid atque politius elucubrasse; ideoque, licet ea propter morbum ac mortem viri perfici in totum nequiverint, tamen esse dignissima, quæ quamprimum lucem conspiciant. Edidit ipse in lucem non pauca, quæ nobis tanquam eruditionis suæ, humanitatis, ac moderationis luculenta testimonia reliquit. Cum de Prædestinationis controversia disceptatio nova inter Mosem Amyraldum & Petrum Molinæum esset oborta, ipse veluti Palæmonem ac arbitrum se partibus disceptantibus interposuit, scripto Gallice edito, cui titulus *Advis d'un Personnage desinteressé*, &c. Hoc opusculo declarans, quid in utravis parte vel probandum vel improbandum censeret. Amyraldum statuit bene loqui, sed sentire male, cum statuit, Deum omnes velle salvos fieri, Christumque mortem subiisse pro omnibus excepto nemine, & tamen definitum dari numerum hominum absolute à Deo electorum atque absolute rejectorum: Molinæi autem nec verba nec sensum cum Scriptura congruere, cum Deum neget omnes velle salvos fieri, quod Scriptura affirmat; & affirmet reprobos ad salutis communionem non vocari, quos tamen ad nuptiarum suarum solemnia celebranda Deus per Ministros invitat *Matth.* XXII. Aliud etiam in lucem dedit scriptum adversus Amyraldum Salmuriæ Professorem Theologiæ, quo suam & D. Arminii sententiam de jure Dei in creaturas defendit, oppugnans eorum maxime errorem, qui insontes tenellorum infantium animulas Deum juste suppliciis infernalibus & æternis cruciare posse, atque etiam reipsa cruciare Gentilium infantes cum Calvino nonnulli contendunt; licet eos insontes esse negent, & sub peccati originarii incrustamento propudiose delitescant. Præterea Novum Testamentum Græcum ex antiquissimis codicibus emendatum, & multijuga lectionum varietate illustratum, ac typis elegantissimis accuratissime excusum, anno superiore in publicum emisit. Sub extremum vitæ tempus evulgavit eruditissimum tractatum de Esu Sanguinis; quo, adductis aliunde rationibus permultis, probare annixus est, Christianis, uti olim, ita nunc, ex Dei præcepto, quod Noacho posterisque demandavit, & ex Apostolorum præscripto, quod ad omnes Gentilium Ecclesias quaquaversum dimiserunt ac promulgarunt, ab omni Sanguinis Esu abstinendum esse. Susceperat etiam paucis abhinc annis Davidis Blondelli defensionem adversus Maresii criminationes in demortuum amicum probrose congestas: quam ille defensionem præfationis vice præmisit ei D. Blondelli dissertationi, qua vulgatam de Papissa Joanna historiam, ut fabulosam, rejici debere demonstrat. Denique hujus defensionis defensio jam sub prælo sudat, & ad lucem quam proxime adspirat, liber omnigena eruditione refertissimus, ubi *De vocibus Trinitatis, Personæ*, &c. *De Peccato Originis, de Necessitate Cognitionis Christi, de Hominis coram Deo Justificatione*, aliisque sublimibus quibusdam fidei Christianæ capitibus sententiam suam explicatam ac confirmatam dedit. Quo in tractatu liquebit, quam immerito eum nuper ille, ex amico nunc inimicus, contempserit, perinde quasi oculis & corporis & mentis ex senectute caligaret: qui fortasse Isaaco etiam Patriarchæ oculorum defectum, & Elisæo Prophetæ calvitium exprobraret cum pueris ex Bethele prodeuntibus: sed cavendum, ne in ipsum ursi irruant; quod pueris illis sanctum senem exsibilantibus evenit. Tum autem, sicut celebris quondam apud Græcos Poëta Sophocles, cum filii eum, quod mentis propter senectutem ipsis non satis compos videretur, ab administratione rei familiaris cuperent excludere, prolata Electræ Tragœdia recens composita liberos coram judicibus sic obturavit atque confudit, ut contra hiscere amplius non liceret: ita hic liber, qui jam mox fortasse prorumpet in lucem, quantum senex noster in extremis (nam sub extrema hunc eum composuisse certum est) mente, consilio, sapientia valuerit, abunde comprobabit. Quid vero, etiamsi ex senectute

ſtute cæcutiiſſet quodammodo, num propterea aut contemnendus ipſe aut inſultandum ei tantopere fuit? Me quidem cæci magiſtri non puderet magis, quam Hieronymum qui Didymum Alexandrinum præceptorem ſuum à quinto nativitatis anno cæcum fuiſſe in Chronicis proditum reliquit. Non me latet, Doctorem quendam Reformatum inter Adverſarios cumprimis celebrem, cum à Curcellæo noſtro interrogaretur, putaretne reſpondendum inimico homini tam dura ac dira convitia atrociter evomenti, hoc reſponſi dediſſe, *feram illam beſtiam eſſe relinquendam:* ſcio idem aliorum præſtantium virorum fuiſſe judicium. Nec mirum; cum non aliud vindictæ genus aut viro gravi aut homine Chriſtiano ſit dignius, neque alia re ulla calumniarum ſpicula melius vel retundantur vel confringantur, quam ſi dicacitatem eorum conſtanti ſilentio velut ex alto deſpicias. Quis etiam finis erit rixarum, ſi cum litigantibus litigandum, ſi oblatrantibus reſponſandum ſit ſine fine? Veruntamen quia homines ſupra cæteros elati facile ex aliorum ſilentio victoriam ſibi decantant, ac vana ſibi triumphi oſtentatione blandiuntur; ſua intereſſe judicavit ſenex noſter, intereſſe etiam famæ ſuæ poſt mortem, intereſſe veritatis divinæ, ne tam graves, tam atroces criminationes per ora hominum ſine ulla caſtigatione impune graſſarentur. Itaque quemadmodum natura in multis, cum deficit, tunc in ſupremo conatu vim ſuam maxime exerit; & ſicut ſol, cum occaſui eſt proximus, radios ſolito majores per terras diffundit, oculiſque noſtris idoneum magis lumen infundit: ſic ſenex hic venerandus hoc poſtremo, quod molitus eſt, opere naturæ quodammodo labaſcenti vim adhibuit, omnes ingenii induſtriæque nervos contendit, ſeque ipſum vicit; & quanto propius à ſuperiore lumine aberat, tanto fulgentiores de ſe radios emiſit. Mitto nunc præfationes complurimas eruditas, quas aliorum eruditorum hominum editis ſcriptis præmiſit, in quarum cenſu eminet illa, quæ in frontiſpicio Inſtitutionum Theologicarum D. Epiſcopii P.M. conſpicitur. Mitto etiam epiſtolas diverſi generis & argumenti, quæ partim in publicum nondum prodierunt: in his excellunt imprimis illæ, quas ſcripſit ad Illuſtr. virum Hug. Grotium de Antichriſto; ad V.N. Sorberium de abuſibus ſive erroribus Eccleſiæ Romanæ; ad D. Adrianum Paetſium inter Juriſconſultos Theologiæ peritiſſimum, de idololatria Pontificia, quam ea ſit gravis, & quouſque damnanda.

Quærat fortaſſe quiſpiam, quid hic vir præclarus in omnibus illis dictis ſuis, ſcriptis, factiſque ſpectaverit, quid cogitaverit, ad quem finem omnia ſua conſilia direxerit. Neque enim credibile eſt, tantas res, tamque multas ab homine prudenti ſuſcipi potuiſſe, niſi eximium quendam ſcopum ſibi propoſitum habuerit. Id vero nemini obſcurum erit, ſi quis modo ſcripta ejus à limine ſalutaverit. Primum omnem ingenii aciem in divinæ veritatis inquiſitionem intendit: ſiquidem hunc e cœlo delapſum theſaurum omnibus aliis poſſeſſionibus præponendum exiſtimabat. Deinde omnes mentis ſuæ cogitationes in ipſam honeſtatem habuit directas, quia ne veritatem quidem prodeſſe nobis arbitrabatur, niſi ad pietatem inſigne aliquod utilitatis momentum afferret. Denique illud maxime voluit, hoc unice molitus eſt, ut Chriſtianiſmum multis & horrendis ſchiſmatibus divulſum in unum conglutinaret, ut diſtractos animorum motus ſedaret atque conjungeret, ut dogmata, quæ ſchiſmati vel faciendo vel fovendo prætexuntur, non omnia ad ſalutem eſſe neceſſaria doceret: ſimul ut oſtenderet, ea, quæ neceſſitatis pondus non habent, ad ſcindendam Chriſti Eccleſiam nequaquam ſufficere. Huc enim omnia illa referenda ſunt, quæ meditatus eſt, quæ dixit, quæ geſſit: cum & famoſis illius Synodi canonibus ſubſcribere recuſavit, quia ibi damnabantur noſtri, quorum nec dogmata nec facta condemnare audebat; & eandem ob cauſam Galliam ſibi dulciſſimam patriam relinquendam, multas ſibi calamitates tolerandas eſſe pro tolerantia mutua, jugiterque pro ea tanquam pro divino quodam Palladio depugnandum conſtituit. Tantum hac in parte aliis indulſit, quantum ſibi æquo jure concedendum putabat: nihil ſibi ut concederetur

tur

tur ab aliis postulabat, nisi quod concedendum esse ipsa æquitas & ratio recta & S. literæ præciperent. Quid hoc proposito sanctius, quid salubrius, quid his temporibus necessarium magis? Litigant enim de veritate plerique, & ita litigant, ut neque veritatem obtineant, & charitatem amittant. Hinc illæ tot, tamque levibus de causis, in Christianismo scissuræ ac disceptationes. At quid fœdius nobis Christi membris, quid ignominiosius Christo capiti nostro ac duci, quam si toga ejus inconsutilis, si corpus ipsius quod amoris nexu arctissimo unitum esse oportebat, in mille fragmenta discerpatur? Hoc vero est illud Remonstrantismi insigne; hæc corona gloriæ nostræ, quod schisma neque hoc fecimus, neque aliud admisimus, neque ullum fovemus aut comprobamus: sed omnes, qui Christum solum amant, qui soli Euangelio adhærent, eos ad eandem pacis communionem nobiscum ineundam hortamur, vocamus, invitamus. Quis est tam cæcus aut amens, ut hanc pacis ineundæ rationem non omni ratione sibi amplectendam ducat? Quis non hanc Scholam, ut charitatis omniumque adeo virtutum gymnasium, sibi studiose frequentandam putet? Ubi enim charitas, ibi omnium virtutum coagulum. Quis non hunc virum, qui huic divinæ causæ ac disciplinæ omnes res alias postposuit, eidemque ipse præfuit, sibi etiam post mortem diligendum ac grata memoria prosequendum statuit?

Sed enim, cum hic vir rever. Genevæ eo genere prognatus, in Stoa Genevensi educatus, & iis magistris sit usus, ut non ad tolerantiæ mutuæ studium, sed ad vim & persecutionem dissentientibus inferendam ab ipsa nativitate institutus atque imbutus videri possit, illud etiam à nobis requiretur fortasse nunc, quemadmodum ille tam arctis servitii vinculis ac veluti catenis constrictus ad spem libertatis animum attollere potuerit, undeque ipsius oculis tanta caligine circumfusis tam repentina, tam exoptata lux mutuæ constituendæ pacis affulserit. Principio omnino hoc fatendum est neque ullo modo dissimulandum, Deum Patrem luminum non eadem ubertatis mensura omnibus gratiæ suæ dona concedere, sed aliis majorem, aliis minorem ejus modum elargiri. Quamquam enim unicuique tantum cumulum attribuit, quantum ipsi pro virium portione sufficiat, aliis tamen plura, aliis pauciora talenta conferre solet. Tum autem ipsa lenitatis indoles, quæ moderata plerumque consilia suggerit, quamvis ab ipsa interdum natura videatur insita, pro eximio tamen Dei munere habenda est. Præterea, ut illi, qui diu in bello atque inter bellatores hostium sanguine respersos versati sunt, haud raro flagrantissime pacem exoptant, quia cædem & sanguinem maxime aversantur; sic nonnulli, dum persecutoribus immisti vivunt, ac busta in perniciem errantium forte animarum extructa contemplantur, misericordia & communi fragilitatis nostræ sensu commoti à truculenta illorum asperitate toto pectore refugiunt. Accedit etiam magna vis domesticæ consuetudinis & educationis, præsertim si nutritius aliquis obtigerit non alienus, sed probus ac prudens, & ea autoritate præditus, ut ei recte monenti obtemperandum credamus. Omnia vero hæc bona, divina quadam benignitate, Curcellæo nostro obtigerunt. Constat jam de indole viri, de gratia Dei in eum collata, attigimus etiam alia, quæ ad mitiorem mentem eum traducere potuerunt. Illud autem non dixi, quod hoc loco prætermitti non debet, ipsum, cum patrem suum vix natus aut nondum natus amisisset, mox consanguineo proximo Carolo Perrotto, Ecclesiæ Genevensis Pastori ibidemque SS. Theologiæ Professori, in disciplinam educationemque domesticam traditum esse. Tibi Perrotte pro tuo in pacem Ecclesiasticam, quo flagrasti ac pene conflagrasti, amore plurimum debemus. Tu enim post discussas densissimas Papalium superstitionum tenebras, cum omnium fere animos ardens alios persequendi libido teneret, hunc ardorem flammamque restringere conatus es, ac veluti primus in isto seculo tolerantiæ mutuæ magister extitisti. Ex tua nobis disciplina prodiit ille præco pacis doctus & disertus Joh. Uytenbogardus; quem tu, cum esset Genevâ in Hollandiam reversurus, monuisti graviter, ut, simulac

ad sacrum ministerii munus obeundum accessisset, ab omni consiliorum acerbitate in religione vel asserenda vel propaganda sibi cumprimis caveret, neque alios propter leve ac ne propter gravius sententiarum discrimen condemnaret; sed ut adhibita omni lenitate, quantum posset, pro viribus studeret uniendo Christianismo, quem dolebas ipse tam miserandum in modum dilaceratum. Addebas etiam nonnullos in reformanda Ecclesia ulterius quam par erat progressos esse, qui opiniones quasdam suas nimia contentione ursissent atque urgerent, in quorum censum collegas tum aliquos tuos, qui Genevæ facile primas tenebant, referre non dubitasti. Ac porro ne fidelissimæ admonitionis memoria animo Utenbogardi nostri excideret, libello ejus (album vulgo vocant) & nomen inscripsisti tuum, & simul apposuisti divinum illud Christi effatum: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Scripsisti similiter ad Thomam Tilium, qui fuit Abbas ad S. Bernardi, ac postea deserto Papatu Pastor Ecclesiæ Delphensis Reformatus; *Reformatorum plerosque fecisse instar Uzæ, temere manum admoventis arcæ Domini, in speciem ruinam minitanti:* innuens, licet multa correctionis indiguissent, in nonnullis tamen rebus aliquos recto tramite non incessisse, ac parum fuisse memores illius sententiæ, vulgo quæ dici solet, ita fugias, ut ne præter casam. Utinam præclarum illud tuum monumentum extaret, quod haud dubie ad pacem plurimum afferret momenti, *de extremis in religione vitandis*, cujus fit mentio in Syllabo aliquot Synodorum Aureliæ, hoc titulo insigniti; *De extremis in Ecclesia vitandis Caroli Perrotti pii & moderati Theologi liber, nondum, quod sciam, editus.* Est enim nunquam editus; sed, ut ferunt, à Genevensibus suppressus, quia forte eum placitis suis à moderatione abhorrentibus adversum compererant. Quidquid sit, haud exigua pars felicitatis Curcellæo nostro in eo reponenda fuit, quod in hujus viri & docti & pii & moderati familiam ac clientelam à prima statim pueritia devenerit. Accidit aliquando, ut, cum noster Calvinum suspiceret, Bezamque aliis omnibus anteferret, Perrottus contra, assidentibus viris eruditis non paucis, in eorum placita Doctorum, maxime ubi alios à se dissentientes condemnant aut opprimere conantur, gravissima oratione inveheretur. Miratus est initio noster hunc viri doctissimi sermonem, quod existimasset hactenus, Antistitum illorum autoritatem esse tantam, ut ab eorum sententia discedere instar piaculi habendum esset. Quia tamen multum hujus viri prudentiæ senili tribuebat, & quia ii, qui assidebant, viri docti non refragabantur, & quia moderata oratio seipsam sua pulchritudine homini non duro facile commendabat; id, quod etiam antea venerat in mentem, nunc majori cura sibi faciendum statuit, ut nullius hominis autoritate inductus, sed sola veritate persuasus sententias de religione suscipiendas in animum suum demitteret. Factum est exinde, ut cum consanguineo hoc suo nutritio de reformandis erroribus quibusdam sæpius ageret; ut scismata & aliorum oppressiones, vimque omnem conscientiis adhibitam vehementius odisset; denique ut desideraret ejusmodi aliquam Ecclesiam sibi dari, ubi moderatio non tantum in ferendis quibusdam erroribus, sed etiam publica moderationis professio vigeret. Celebris erat hoc tempore D. Jacobus Arminius S. Theologiæ in Academia Leydensi Professor, illiusque fama nominis & laus moderationis per ora hominum ad vicinas etiam regiones passim dimanaverat, Itaque Curcellæus noster, licet aliæ etiam causæ non defuerint, hac tamen Arminii fama ac celebritate præcipue impulsus, exteros Theologos sibi compellandos esse decreverat. Sed ut Heydelbergam usque pervenit, nuncius eo tristis de Arminii morte allatus est, qui certe hujus viri animum non leviter afflixit, quoniam propter hunc unum imprimis & videndum & audiendum longinquam illam peregrinationem susceperat. Hac igitur spe frustratus ad sedes sibi patrias confestim profectus est, indeque, ut diximus, ad obeundum Ecclesiæ munus provectus. Vixit postea familiariter cum D. Tileno, D. Utenbogardo, D. Episcopio, Corvino, aliisque nostrarum Ecclesiarum primariis anti-

antiſtitibus, dum in Gallia ipſis exulandum fuit: ex quorum ſermonibus vere eruditis, pacem ſpirantibus ac ſperantibus, ſe & in cognoſcenda veritate & in concordiæ ſtudio non contemnendos feciſſe progreſſus aliquoties ipſe cum gaudio profitebatur. Neque tamen, cum ab illorum virorum & ſermone & communione fraterna aberat, ſacra illa lux, illæ moderationis ſcintillæ interea poſt illud tempus in ipſius animo emortuæ penituſque obrutæ jacuerunt; ſed excitabantur quotidie, ac felici auctu ſuccreſcebant magis magiſque, donec ad eam maturitatem, in qua nos eum & ſtetiſſe & floruiſſe & obiiſſe vidimus, adſpirante Deo pervenerunt.

Ille quidem, dum vixit, hac via charitatis id conſecutus eſt, ut & Dei gratiam, & hominum, proborum maxime, favorem abunde promereretur. Quomodo enim poteſt Deo non eſſe gratus acceptuſque, qui regnum Dei in his terris tam juſta, tam ſancta, tam religioſa ratione promovit? præſertim cum aliæ multæ fuerint hujus adminiſtræ comiteſque virtutis? Erat enim in illo pietas tanta, ut de Deo nec verba faceret, nec ullas fere cogitationes ſuſciperet, niſi cum devota animi attentione, ac demiſſione. Erat temperantia tanta, ut nunquam eum aut genio liberalius indulſiſſe, aut voluptatum illiciis irretitum fuiſſe auditum ſit. Quid dicam de zelo quo fervebat eximio, de prudentia, de humanitate, affabilitate, de ſingulari gravitate, quæ in ſermonibus, in vultu, omnique actione relucebat? Hiſce igitur rebus factum eſt, ut etiam hominum, bonorum præcipue, favor eum undequaque circumdaret. Collegit hinc atque retinuit multas longinquas & fidiſſimas amicitias. In cæteris obtineat illud, multas fidas amicitias intervalla locorum dirimunt: in hoc noſtro id nunquam, quod cognitum eſt, obtinuit. In Gallia ne ii quidem ipſum deſeruerunt amici, quorum cauſam & dogmata ipſe deſeruit. Te teſtor, Rivete, qui hunc literis tuis libriſque editis cohoneſtare conſuevisti. Te teſtor, Blondelle, qui, dum viveres, hunc tibi fratris loco diligendum ac complectendum putaſti. Te quoque teſtem advoco D. Dallæe, qui hunc virum & humaniſſimum & tibi amiciſſimum verbulo aliquo aſperiore abs te læſum publice indoluiſti. Tu denique vel imprimis teſtis eſſe potes, D. Agneti, facunde ſenex, qui huic ſeni noſtro fuiſti quondam in ſtatione tua Vitriacenſi collega, & nunc etiam ad extremum permanſiſti amicus, & nuper paucis abhinc diebus per literas eum afflictum conſolatus es. Quid quod etiam illi, qui ſimultates in Curcellæum noſtrum fovebant, ſe palam aut non odiſſe eum, aut etiam pro amico habuiſſe venditaverint? Quod compertum eſt in Molinæo, qui non accuſatus excuſat ſe tamen, quod in ejus damnationem nihil mali contulerit, neque cauſæ ipſius quæſitor aut judex fuerit; & imprimis in Samuële Mareſio, qui, licet ipſi fuerit infenſus propter cauſæ noſtræ ſtudium, jactat tamen ſe cum ipſo coluiſſe amicitiam. Poſſem alios ad teſtimonium citare, qui hic & alibi ipſum in veneratione habuerunt, Petitos, Voſſios, viros etiam hujus civitatis primarios, adeoque & Conſules & Conſulares, Senatores ac Senatorios, Haſſelarios, Baſſios, Coccios, qui nec tuas ædes præteribant ſine tui fruitione conſpectus, nec te ſuas præterire patiebantur. Ad te denique complures tanquam ad eruditionis theſaurum, ad oraculum hujus civitatis, ad literarum humanitatiſque præſidem confugere ſolebant. Si qua gravior quæſtio animos ſolicitos teneret, tu nodos rerum intricatos exſolvere paratus eras: ſi quis commendandus eſſet, & ad munus literarum promovendus, tuum unius judicium plus habuit ponderis quam aliorum multorum. Tu, inquam, unus eras inſtar omnium. Tu cum D. Davidem Blondellum animo tibi charum, eruditione clarum pro meritis ſuis exornares, verbo perfeciſti, ut eum ad ampliſſimum Profeſſoris hiſtoriarum Eccleſiaſticarum munus A. Coſſ. evocaverint. Quid quod ejuſdem hujus celeberrimæ civitatis Conſules (uti accepimus) eo te in honore ſint dignati (qui honos neſcio an cuiquam ante hoc tempus ſit habitus) ut te in numerum civium ſuorum non empto, ſed dato, non emendicato ſed ſponte oblato jure cooptandum cenſuerint? Peregri-

nus eras & advena, illi te esse subditum suum ac civem cupiverunt. Multorum eras insidiis inimicorum expositus & appetitus, qui de tuo capite agebant, sollicitabant, cogebant comitia: illi magnifici Viri, Patriæ patres, innocentiæ custodes, suo præsidio & urbis suæ privilegiis te tectum ac munitum esse voluerunt.

Cum igitur alieni (quamquam quis alienus, qui tibi, qui per te nobis tantopere favet) si illi, qui à nobis externa communione disjuncti sunt, hunc virum tanto honore coluerunt; quo nos igitur eum amore complectemur, qui ipsius quotidiano aditu, conspectu, eruditione fruebamur, ejusque toties benefacta persensimus? Si dolere debeant hujus excessum alii, quanto justius nos, quanto magis filius ejus charissimus & filia dilectissima? Verumtamen tam tristis erat ejus afflictio, tam graves ac diuturni dolores, ut ille ex mortis appropinquantis spe solatium quæreret, & nos quoque nunc ipsius exemplo moderatius hunc ex miseriarum valle decessum ferre debeamus. Immo est etiam quod nobis gratulemur, si reminiscamur, abhinc decennium circiter eadem vesicæ exulceratione laborasse, & ita laborasse, ut Medici ac Chirurgi nihil nisi certam mortem mox ei expectandam prænunciarent. Erat etiam in Gallia tunc temporis nonnemo, qui cum de ipsius excessu nuncium accepisset, epicedio ipsum prosecutus est, aut potius insecutus, ac persecutus. Non enim, ut defunctum (quem defunctum falso putabat) honoris aliquo præconio afficeret, sed ut manes ejus ac ossa convelleret, carmen illud ferale composuit, huic quasi mortuo ferociter insultans Leoni, maximeque exagitans illud, quod de jure Dei in creaturas non ita illimitate ac vaste, prout isti volunt, scripsisset: unde & ipsum orco adjudicare pro clementia sua & jure injusto poëtaster iste non verebatur. Deus vero noster omni Medicorum ope superior, & calumniarum ac calumniatorum contemptor, eum nobis quasi ex mortuis redivivum dedit, restituit, conservavit: ac confestim ipse carmine conscripto os hominis maledici compescuit; seque nihil contra Dei jura, omnia pro Dei gloria meditatum molitumque esse ostendit, cum Deum negavit insontium puellorum animulas in orcum aut posse aut velle dare præcipites. Carminis initium est:

Ecce redivivum, &c.

Post illud autem tempus, sicut perhibent Phœnicem ex cineribus suis multo quam antea fuerat vegetiorem renasci, ita Curcellæus noster ex illa mortis umbra eluctatus vitam recuperavit plane novam, valetudinemque bene firmatam pro ratione ætatis adeptus est. Quin & discipulorum fœcundam sobolem ex illo tempore progenuit, adeo quidem ut majorem Ecclesiarum partem nova crescentium indies surculorum propagine instructam & ornatam reddiderit. Dum vero septuagesimum annum esset supergressus, sensit paulatim vires imminui, nec se esse laboribus ferendis æque, ut fuerat, idoneum. Tandem ad eosdem valetudinis scopulos est revolutus, quibus antea tanto cum discrimine illisus fuerat: jamque annus ferme elapsus est, ex quo literis ad venerandam Synodum nostram datis afflictum valetudinis suæ statum exposuit, ac poposcit, ut fratres Seminario nostro ac sibi de collega ac successore prospicerent. Maximum autem insecuti temporis spatium in lecto & doloribus vesicæ gravissimis transegit, donec hujus mensis die vigesimo omni afflictione liberatus, omni cruciatuum tentamine exsolutus animam Deo, unde ea derivata ac data erat, in manus reddidit. Corpore post obitum à Medicis resecto (quod ut fieret, haud abnuerat) compertum fuit vesicæ paulum quiddam superesse, ejusque loco hærescere ingentem calculum glareosum, qui digitorum attactu facile atteri posset & confringi; reliquas vero internas corporis partes ita bene constitutas esse, ut secundum naturæ statum, si Deo summo arbitro ita fuisset visum, per multos annos sanus & incolumis perdurare potuisset. Non deplorabo hoc loco aut humanæ vitæ brevitatem, aut senis nostri defuncti miserandos casus. Non exclamabo cum Oratorum disertissimo; ô fallacem hominum spem fragilemque fortunam & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe fran-

franguntur & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. Hic enim, quamvis disertus fuerit, Christianus tamen non fuit; neque spei nostræ magnitudinem firmitudinemque vel animo comprehendere, vel mente percipere potuit. Nos vero à defuncto nostro discamus, quomodo in hac nostra damnosa ærumna compositi & animati esse debeamus. Ille, ut doloris sensu non vacabat, ita dolores patienti animo tulit, ex passionibus occasionem nactus, arduam quidem, sed pulcherrimam patientiæ virtutem addiscendi. Nos quoque, qui more Stoico obfirmati atque obdurati non sumus, ipsius dolore nullo pacto dolere non possumus, præsertim cum mors consecuta sit, quæ nos præceptore eximio, liberos charissimo parente orbavit: sed quia ille nos & monitione sua & vivo exemplo ad patientiæ disciplinam erudiit, componamus ac redigamus nos affectusque nostros in obsequium quod præstandum recte monenti, recte viventi, recte laudabiliterque præeunti. Ille mortem imminentem non exhorruit, non expavit, non formidavit, ut multi; sed eam exoptavit, eam desideravit, ad eam ut perveniret votis ac precibus anhelavit, quia noverat in hac sibi suisque laboribus & angoribus requiem fore, perque eandem viam aditum sibi patere ad vitam æternam. Cognoscite, cognoscite, A. O. quonam ille modo pectus suum ad patientiæ palmam obtinendam, ad supremum certamen animose subeundum informaverit. Primo quidem ex hymnorum Davidicorum codice, unde pleni solatiorum fontes exuberant, frequentissime sibi prælegi aliquid curabat. Tum ad preces se deinde convertit, in quibus & à cæteris rever. collegis & à D. Prævostio imprimis adjuvabatur, cum quo etiam prolixos contulit sermones de animarum immortalitate & statu excessum subsequente. In omnibus autem sermonibus illis immotam suam in Deo Christoque fiduciam, spemque omni modo inconcussam assidue testabatur. In extremis positus exclamabat, Deus mi, Pater mi: deinde ad circumstantes liberos & amicos conversus, ad hanc usque horam, inquit, omnia bene se habent, bene sum compositus, bene animatus. Sic igitur ille fidelis Dei servus defunctus est supremo certamine, cursum consummavit, fidemque retinuit eam in Christo, cujus finis est corona justitiæ, salus animarum, gaudium sempiternum. Hoc sibi laborum præmium in cœlis repositum credidit, hoc ipsi datum iri confidimus & speramus: quæ una solatii causa omnes alias rationes gravitate exuperat. Ac ne nimium tristis ac luctuosa illius sit recordatio diei, quo nobis ille ex oculis subductus est, Deus ipse, Deus consolationum Pater abunde providit. Nam eodem die, quo nos Christiani Christi Domini gloriosam in cœlos ascensionem sacrosancta memoria lætabundi celebramus, eodem inquam die Stephanus Curcellæus ex his terris sublatus est. Quomodo potest nobis ille dies calamitosus videri, quo Christus in cœlum subvectus, de mortalitate ac morte, de superis & inferis potestatibus gloriose triumphavit? Quid ni etiam hinc de Stephani nostri ascensione omnia prospera ac læta auguremur? Præsertim cum ille in terris sic vixerit, ut animum jam diu ante, quam animam in cœlos intulerit. Stephanus protomartyr, cum esset è vita exturbandus, suspexit in cœlum, cœlos sibi apertos vidit, Christumque sedentem ad dexteram Dei Patris omnipotentis conspexit; exclamans, *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Similiter hic noster Stephanus cœlos sibi repansos vidit oculis fidei, quæ invisibilia facit visibilia, per quam fidem hic quoque in cœlum animum attollens, pretiosissimum illud animæ suæ depositum reposuit in manus Christi, in præsidium Patris omnipotentis. Ille flexis genibus elata voce clamavit ad Christum, *Domine, ne imputes illis hoc peccatum.* Noster quoque Stephanus hanc fidei vocem imitatus, suprema illa dedicatione, quam fidelibus Christi servis, Ecclesiarum Reformatarum pastoribus in Insula Franciæ, Campania, Picardia, inscripsit, testatissimum omnibus esse voluit, se omnem injuriarum aut offensarum memoriam penitus ex animo suo delevisse: pro quibus, ut veritatem videant ac charitatem amplectantur, ibidem ad Deum preces fundit. Hortor igitur illos, ut hoc postremum viri

eximii alloquium æquis animis excipiant. Rogo, ut si qui illum oderunt (quamquam odisse cum quis potest) si qui tamen ipsum non amarunt, quia non noverunt, saltem mortuum odisse desinant qui vivus ipsos non oderat, sed amavit, & vivum hujus rei post mortem testimonium reliquit. Vivet enim illa oblivionis injuriarum testificatio semper in animis nostris, neque ea ulla unquam oblivione hominum aut injuria temporum obliterabitur.

Nos igitur, A. O. qui hunc virum præstantissimum, cum viveret, & novimus, & cognitum non amore tantum, sed etiam honore dignum judicavimus, ejus nunc demortui memoriam non superstitioso ritu, sed grata dilectione ac justa virtutum prædicatione, maximeque diligenti adhibita imitatione prosequamur. Hac enim ratione pie defunctorum memoriam colere ac recolere & possumus & debemus. Quoties igitur de Stephano Curcellæo animum nostrum subit cogitatio, toties ad animum grata recordatio ne revocemus illius maxima merita, quibus & nobis profuit, & omnibus Christianis prodesse voluit: toties statuamus, nobis indefessos ejus labores suscipiendos; ejus vestigia premenda; ejus pietatem, patientiam, lenitatem imitandam esse; Toties denique renovemus illud propositum bene vivendi ac bene moriendi. Satis diu vixit, qui satis bene: nec ulla mors immatura, nedum in ea senectute, si modo vitæ pietas eam comitetur. Sic igitur vivamus, tanquam mox morituri, ut bene vivamus. Sic moriamur, velut æternam vitam possessuri, ut bene pacateque mori valeamus. Corpus obhærescat licet in terra; animus tamen sursum ascendat in cœlos, ibique obambulet cum Deo in civitate superiore, ubi conversationem nostram esse testatur Apostolus, undeque & Christum Dominum expectamus ut nos mortalitate liberatos immortalitate donatos, gaudiis æternis cumulatos reddat. Imprimis autem illud nobis animo fixum immotumque sedeat, ut neminem propter levem in religione dissensum odio habeamus, immo ne propter gravius quidem discrimen; si modo fundamentum illud, quod ab Apostolis & viris Apostolicis jactum est, maneat, nempe Christus solus, Dominus noster in secula benedictus. Recordemur, nos ipsos ab erroribus gravibus fortasse non penitus immunes esse; nos, ut homines, in graviores labi posse; tum & illos, qui graviter errant, si non pertinaciter errent (cujus rei judicium Deo, qui solus corda scrutatur, relinquendum) non odio dignos, sed misericordia complectendos; non vi ac persecutione compellendos, sed armis spiritualibus, Dei verbo & charitatis officiis, ad veritatem ducendos esse. Damnemus neminem, quem Dei oracula aperte non damnant, ne servum alienum temerario ausu judicasse & in Dei judicis tribunal nos ipsos sacrilego conatu subvexisse arguamur. Quia vero ad eandem cœlestem civitatem votis & factis contendimus & aspiramus, diligamus omnes spei nostræ consortes, Deumque precemur assidue, ut pacis cogitationes benigne, distractis nunc animis inspirare dignetur: Saltem ut nos, qui concordiam quotidianis monitis suademus & precibus assiduis exposcimus in perpetuum divulsos esse non sinat, sed nos pariter omnes, qui ipsum pacis Deum pacifice columus & religiose veneramur, cum Christo pacis sequestro unico transferat in cœlum, ibique cum capite membra in unum recollecta constituat, confirmet, glorificet in æternum. Amen.

In

In Clarissimum omnique insignioris Doctrinæ laude Conspicuum Virum,

D. STEPHANUM CURCELLÆUM,

In Operis sui posthumi editione quasi redivivum ac æternitati consecratum.

Quis mihi tam clara de busto luce resurgit,
Insuetaque micans veste beatus ovat?
An Stephanus rabido mactatus turbine plebis?
Immeritaque, Deo judice, morte redux?
Non Stephanus Martyr, sed Curcellæus, eodem
Adversis fidei casibus ingenio:
Livori expositus, mitis liventibus, oris
Argutis vinci nescius insidiis;
Nascitur hic novus exuviis, chartisque refulgens
Æternum aggreditur nocte cadente diem:
Nempe resurgentes abstersa morte triumphos
In Scriptis, Cælo vindice, lætus agit.
Hinc tantis rediviva Viri se gloria rebus
Explicat, & doctis evolat aucta typis;
Evolat, & toti diffundit lumina mundo,
Quæque diu latuit, jam jubar orbis adest.
Ecce vides quanti nitidum splendoris honores,
Quamque micans radiis ambiat aura caput?
Hæc tanquam salubris de sidere fluxa benigno
Lux, lustrare animum rite legentis amat:
Judicium, doctrina gravis, vis enthea mentis,
Et rarus veri sæpe latentis amor;
Suada fluens sine nube, docens sine felle, modestis
Suaviter urgendo cordibus ingeritur.
Omnibus his veræ genius pietatis inhæret,
Divinisque afflat vimque fidemque libris.
His Curcellæus renovus fulgoribus orbi
Sistitur, & major post sua fata redit.
Hinc procul ergo acris petulanti scommate rixa,
Non eget auxilio candida causa tuo.
Hic vel justa suos domat indignatio motus,
Longanimemque jubet mitia verba loqui.
Sic virtus nullo nisi se superatur: at ira
Despumata bilem, viribus hausta jacet.
Fama opus inspectans, hæc, inquit, dona superstes
Consecro delubris non peritura meis.
Hoc meruit, quem non odium mutavit amantem,
Perpetuo hunc hominum pectore servet amor:
Hoc, inquam, meruit, quem non malus abstulit error,
Contempto æternus clareat ut tumulo.
Et tibi, Limburgi, tanto pro munere nusquam
Doctorum applausus desinet ire favor:
Namque Viri manes dum illustri cingis honore,
Illustras studio sæcula docta tuo.

O. Pesser.

IN EDITIONEM OPERUM

CLARISSIMI VIRI

STEPHANI CURCELLÆI,

S. S. Theologiæ Professoris.

INnocui manes, & docti nominis umbra;
 Non fastiditos nobilis inter avos;
Ecqua tibi rerum forsan succurrit imago,
 Ecqua subit mentis pristina cura tuæ?
Anne subit vitæ, vigilatorumque laborum
 Inter honoratos orbis ab arte viros?
Gratulor in dias venientia luminis oras;
 Gratulor è latebris eruta scripta suis.
Illa quidem flammæ non absumsêre rogales;
 Nec famam, cineres quæ capit, urna capit.
Illa suo recidiva dedit Limborgius ævo,
 Grande jubar nostræ præsidiumque Scholæ.
Debuit has cineri inferias tumuloque Magistri,
 Debuit has nati manibus ille tui.
Candida posteritas jam culta volumina volvat;
 Ante diem dextræ deficientis opus,
Explicitasque sacras & plenas numine voces,
 Mysticaque arcani pagina quicquid habet.
Scriptaque percurrat placidam spirantia pacem,
 Quæ dudum populis emeruere legi.
Magne Vir, exemplum doctis venerabile morum,
 Hic patet in laudes area lata tuas.
Maximus ingenio, tu maximus arte fuisti,
 Eloquioque potens, perspicuusque stylo:
Fingere seu mores, divinaque jura tueri,
 Seu fidei leges explicuisse juvat,
Seu magis implicitos placuit dissolvere nodos,
 Sive tuos, Maresi, sive, Amyralde, tuos.
Vidimus & Stoam, te Præside, viribus orbam,
 Teque dedit victas Roma loquente manus.
In te simplicitas, in te prudentia, candor,
 Et micuit veri sæpe latentis amor.
Ille tamen laudes titulus supereminet omnes;
 Hoc decus à sera posteritate feres,
Nulla quod assuetus jurare in verba Magistri
 In tua nec quenquam cogere verba velis.

CASPAR BRANDT.
Ger. Fil.

IN-

INDEX TRACTATUUM HOC OPERE CONTENTORUM.

INSTITUTIO Religionis Christianæ.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER

[Lib]er Quartus.

Liber Quintus.

Liber Sextus.

Liber Septimus.

Tractatus de Ecclesia JESU CHRISTI.

De Jure Dei in creaturas innocentes.

Quaternio Dissertationum Theologicarum.

Diatriba de Esu Sanguinis inter Christianos.

Cap.

Synopsis Ethices.

R E-

RELIGIONIS CHRISTIANÆ INSTITUTIO.

LIBER I.

CAPUT I.

De Religione in genere.

I. Religionis dignitas, utilitas & necessitas. II. *Auctoris institutum.* III. *Religionis Etymon.* IV. *Ea dividitur in Falsam,* V. *& Veram.* VI. *Has iterum in Naturalem,* VII. *& Revelatam.* VIII. *Has denique in Veterem,* IX. *& Novam.*

I. INter omnes, quibus homo toto vitæ suæ tempore incumbit, occupationes, nulla est quæ Religionis studio, sive dignitatem ejus, sive utilitatem, sive denique necessitatem spectes, æquiparari mereatur. Quod enim dignius actionum humanarum objectum Deo Optimo Maximo fingi vel cogitari potest? At circa eum versatur Religio. Rursus; quid utilius eo quod Deum omnis boni fontem nobis propitium & faventem reddit? Aut quid eo magis necessarium sine quo æternum animæ nostræ exitium effugere nequimus? At utrumque istud sola præstat Religio.

II. Qua de causa operæ pretium me facturum putavi, si talem Religionis Christianæ (quæ hodie sola est vera & Deo accepta religio) institutionem conscriberem, in qua nullum ejus utile caput desideraretur, nec tamen nimia mole lectores gravaret; In hac autem ut ordine legitimo progrediar, pauca primò de Religione in genere dicam: deinde ad specialiorem ejus tractationem accedam. DEUS SPIRITU SUO SANCTO ITA MENTEM ET CALAMUM MEUM REGAT, UT NIHIL COMMENTER AUT SCRIBAM, QUOD SACRO EJUS VERBO ET VERITATI QUÆ SECUNDUM PIETATEM EST, ULLA EX PARTE ADVERSETUR. AMEN.

III. Religio (Græcè θρησκεία) secundùm Ciceronem *lib. 2. de Nat. Deorum*, à *relegendo* dicta est, quòd diligenter retractet & tanquam relegat ea quæ ad Dei cultum pertinent. Sed Lactantius *Institut. lib. 4. cap. 28.* Ciceronem reprehendit, & religionis vocem à *religando* deducit, quòd per ipsam Deo obstricti & religati simus. Sunt & qui alias etymologias afferant. Sed in eo parum situm est. Undecunque vox ista originem habeat, triplici significatu accipitur apud Scriptores Ecclesiasticos: 1. *Latè*, pro universa Dei cognoscendi & colendi ratione. 2. *Strictè*, pro Dei cultu, qui omnium ejus mandatorum observationem continet. 3. *Strictissimè*, pro solo immediato Dei cultu, qualis primâ Decalogi tabulâ præscribitur. Nos illam in prima significatione deinceps usurpabimus.

IV. Deinde Religio distingui solet in *Veram* & *Falsam*; quanquam Falsa eo nomine indigna sit, & non nisi abusivè & æquivocè Religio appelletur, quemadmodum homo pictus aut mortuus aliquando homo dicitur. Talis est Religio eorum qui verum Deum non agnoscunt, aut eum debito modo non colunt. Exempli gratia, 1. Ethnicorum, qui πολυθεΐαν introduxerunt, Deos mares & fœminas finxerunt, Solem, Lunam, homines mortuos, imò & bruta animantia adoraverunt, imagines coluerunt, homines vivos Diis suis immolaverunt, & tam fœdis ritibus aliquando eos honorare præsumpserunt, ut honestiores illorum puderet. 2. *Judæorum* infidelium, qui Dominum nostrum Jesum pro Christo seu Messia ipsis promisso agnoscere nolunt, ejusque Euangelium repudiant. 3. *Mahumetistarum*, qui fabulosum Mahumetis Alcoranum tanquam legem cœlo delapsam amplectuntur, & Jesu Christi Euangelio præferre non verecundantur. Denique *Pseudo-Christianorum*, qui unum, aut plura religionis Christianæ fundamentalia dogmata convellunt, quales inter cæteros sunt Pontificii.

V. Nos his relictis, de Vera Religione agere instituimus, quæ est *Recta Deum cognoscendi & colendi ratio*, seu *Verus de Deo sensus & rectus ejusdem cultus, sub certa spe remunerationis ab eo obtinendæ.*

VI. Ea est duplex, *Naturalis* nempe & *Revelata. Religio Naturalis est, quæ solis naturæ principiis in Deo cognoscendo & colendo nititur.* Talemque habuerunt maximam partem primi incolæ mundi per annos 2450, aut circiter, usque ad legem per Mosem datam. Talem quoque habuerunt postea Ethnici, sed corruptam & imperfectam.

VII. *Revelata Religio est, qua nititur patefactione divina, vel in omnibus, vel saltem aliqua ex parte.* In omnibus, ut Mosaïca & Christiana; aliqua ex parte, ut vetus illa quæ à principio mundi usque ad Mosem viguit. Deus enim humani generis misertus quod videbat palabundum in tenebris sine ulla certa lege aut religione oberrare, se ipsum & sui cultus rationem, ex singulari gratia, certis quibusdam hominibus, diversis modis & vicibus patefecit.

VIII. Hinc fit ut Religio Revelata, pro tempore & modo patefactionis divinæ, iterum in duas species subdividatur, aliaque *Vetus*, alia *Nova* dicatur: quarum illa rudimenta tantùm pietatis continuit, hæc verò perfectionem. Ad Veterem Religionem referri *primò* debent Revelationes, quibus se Deus antiquis, tam ante quàm post diluvium, usque ad Abrahami tempora, manifestavit, & quædam eis præcepta dedit, additis insuper promissis si parerent, aut contra minis, si parere detrectarent. Licèt fatendum sit, Deum non tam hominibus perfectam Religionis formam præscripsisse, quàm monita quædam particularia his vel illis suggessisse, ex quibus ratiocinando colligere possent, qualis & quantus Deus esset, & quomodo in reliquis, ubi voluntatem suam non aperuerat, gerere se deberent; ita ut eorum Religio in plerisque fuerit Naturalis. *Secundò*, & magis propriè, huc pertinent ea quæ Deus Abrahamo ejusque posteris usque ad Mosem patefecit: in quibus expressior quidem & plenior Religionis forma continetur quàm in præcedentibus Revelationibus: sed quæ tamen ex principiis naturæ & rectæ rationis erat supplenda & perficienda in iis de quibus Deus nihil præscripserat. *Tertiò*, denique & maximè propriè, huc pertinet Revelatio per Mosem facta populo Israëlitico, cui Deus Legem dedit, pro illo tempore perfectam, magno Moralium, Ceremonialium, & Politicorum Præceptorum numero constantem, variisque promissis & minis sancitam: adeo ut ad eam aliquid addere, aut de ea quippiam detrahere nefas esset, prout legimus *Deut.* IV. 2. & XII. 32.

IX. *Nova Religio est ea, quam Deus nobis, per Filium suum Unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, patefecit & præscripsit, & ab eo Christiana cognominatur.* Ea reliquas omnes, adeoque Legem Mosaïcam, tum præceptorum perfectione, tum promissorum excellentiâ, longè antecellit: ita ut nulla nova aut perfectior Revelatio deinceps, usque ad mundi finem sit expectanda. Et de ea præcipuè in sequentibus tractare nobis est propositum: de reliquis autem obiter, eo solùm fine, ut collatio inter Veteres Religiones & Christianam Novam tantò melius institui possit, hujusque præ illis præstantia apparere. Et hæc de Religione in genere prælibasse sufficiat.

CAPUT II.

De Dei Existentiâ.

I. *Fundamentum Religionis, credere Deum esse.* II. *Existentia Dei probatur ex creatione mundi.* III. *Mundum non esse æternum, ut vult Aristoteles.* IV. *Nec ex fortuito Atomorum concursu coagmentatum, ut vult Epicurus.* V. *Eadem probatur, ex fine ob quem omnia agunt,* VI. *Et admirando ordine quo sunt disposita,* VII. *Ex miraculis,* VIII. *Ex consensu omnium populorum,* IX. *Atque sceleratissimorum conscientia.* X. *Gentes quasdam plane barbaras, nullo jure universali consensui posse opponi.* XI. *Opinionem de Deo nequaquam esse Politicum commentum.* XII. *Deum invisibilem in operibus suis abunde conspici.* XIII. *Male concludi, nullum esse Numen, quod hic mala bonis & bona malis eveniant.*

I. INstitutionem *igitur Religionis Christianæ* per breves aphorismos traditurus, initium ducam ab ejus fundamentis, quæ sunt *Deus* & *Dei Verbum*, ad partes deinde progressurus. Primò itaque agam de *Dei existentia*, & demonstrabo esse aliquod Ens primum & independens, à quo mundus sit conditus, & qui supremus illius sit Dominus ac Rector. Hoc enim est Religionis omnis, ac proinde etiam Christianæ fundamentum, *credere Deum esse, qui remunerator sit eorum, qui ipsum quærunt*, sicut Apostolus docet *Heb.* XI. *v.* 6. De quo nisi ante omnia simus persuasi, nunquam de Deo cultu aut veneratione aliqua prosequendo serio cogitabimus.

II. Sic igitur illud probo. *Mundus factus est: ergo habet causam efficientem: ea autem est quam Deum seu Numen vocamus.* Enthymematis hujus antecedens *Aristoteles* & *Peripatetici* negant: consequens verò *Epicurus* & ejus sectatores. Utrumque ergo nobis est adversus illos adstruendum, & quidem tanto accuratius, quanto res de qua agitur majoris est momenti. Quam graviter primi decipiantur, hinc est videre; quod si mundus non est factus, sed ab æterno (ut volunt) exstitit; aut totus erit æternus, aut tantum quædam primariæ ejus partes, veluti cœlum, astra, & quæ vulgo dicuntur elementa, à quibus cætera omnia, quæ in eo sunt, deinde producta fuerint. Utrumque autem est falsum. Mundus enim totus non est æternus, quia homines, bruta, & plantæ, non sunt æterna; sed existentiæ suæ initium aliquod habuerunt.

III. Id de hominibus solis ostendam: nam quod de illis dicetur, facile erit brutis quoque & plantis applicare. Si homines exstiterunt ab æterno, aut ejusdem naturæ fuerunt cujus ipsos nunc esse videmus, ita ut alii fuerint infantes, alii viri adulti, alii senes; aut alterius fuerunt naturæ, atque ab hodierna diversæ. Atqui ab æterno non fuerunt alii infantes, alii viri adulti, alii senes; quia illud non est æternum quod aliquid prius se habet. Oportet autem ut senectus ante se habuerit virilem ætatem, virilis ætas infantiam, infantia nativitatem, nativitas generationem, & generatio marem & fœminam; qui rursus parentes suos habuerint, & sic in infinitum: nisi tandem sistamus in aliquibus primis hominibus, qui non fuerint ordinario modo geniti, sed à prima & independente causa, quæ est Deus, producti. Si homines ab æterno alterius fuerint naturæ quam hodie, id est, neque geniti, neque nati, &c. necesse fuerit illos fuisse à se, seu à nulla causa pependisse. Hoc autem est ex hominibus Deos facere, & pro uno Deo, quem confiteri recusas, plurimos introducere: quod longe minus credibile est, cum perfectio, in summo Ente requisita, longe facilius in uno, quam in multis reperiri possit. Adde quod si ab æterno fuissent ejusmodi homines independentes ab aliis, hoc est neque geniti neque nati, & per consequens qui successivè non crevissent & ad

ad virilem ætatem perveniſſent, eos etiamnum hodie ſupereſſe oporteret. Nam ſicut nullam habuiſſent cauſam efficientem, ita neque corrumpentem potuiſſent habere; ſed æterni, tam à poſteriori, quam ab anteriori parte, eſſe debuiſſent. Hæc nonnulli ex illo grege perpendentes, concedunt homines non fuiſſe ab æterno, ſed in tempore dicunt genitos, *Natura*, aut *Aſtrorum viribus*; ſicut ſponte naſci videmus mures, ranas, vermes, & alia ejuſmodi inſecta. Sed quod ad Naturam attinet; illam aut cognitione deſtitutam aut intelligentem eſſe exiſtimant. Si prius; ſcire velim quomodo tam perfectum atque elaboratum opus, quale eſt homo, ſive corpus, ſive animam ejus rationalem conſideres, ab ejuſmodi re bruta proficiſci potuerit: cum nemo alteri det quod ipſe non habeat, nihilque ſit in effectu, quod prius in cauſa efficiente non fuerit. Si poſterius; hæc Natura nihil aliud erit, quam id quod Deum dicimus: & ita nobiſcum idem reipſa ſentient, licet verbis diſcrepent. Quod ſpectat Aſtra, ut Solem, Lunam, &c. nemo unquam perfectum aliquod animal, ut bovem, equum, canem, felem, aut ſimilia, ab iis producta eſſe vidit: imo ne inſecta quidem illa, quæ in exemplum afferunt, ab Aſtris generantur abſque ſemine, quod in terra, aut in aquis inveniunt; ubi procul dubio aut ab aliis ejuſdem ſpeciei inſectis fuit relictum, aut ab auctore naturæ creatum. Quis ergo credat hominem adeo excellens animal eo fuiſſe modo productum, quo ne quidem canes aut feles, aliaque id genus vilia corpora ſunt genita? Præterea ſi Aſtra olim iſta fuerint virtute prædita, qui fit ut eam hodie non amplius exſerant? Dicentne illa jam eſſe effœta, & vires quibus antea pollebant amiſiſſe? ſed quomodo iſtud cum principiis Philoſophiæ Peripateticæ convenit; quæ vult cœlos tanquam æternos nulli mutationi eſſe obnoxios? Deinde quem idoneum nobis proferent auctorem inter antiquos ſcriptores, qui aut ipſe teſtetur ſe vidiſſe homines viribus Aſtrorum in terra genitos, aut ab aliis fide dignis ſe id audiviſſe narret? Ediſſerant, ſi poſſint, ubi locorum, & quando iſtud contigerit, aut permittant nobis tam inſolentem aſſertionem veluti ægri delirium repudiare. Jam ſi homines à ſolo Deo originem ſuam habent, non eſt cur aliud ſtatuatur de terra, cœlo, & aſtris. Quamvis enim hæc corpora mole hominem longe exſuperent, dignitate tamen ei ſunt inferiora, utpote quæ uſibus ejus inſerviant, adeo ut propter ipſum condita eſſe appareat. Adde quod nulla in iis rationis indicia deprehendas, cujus ope homo non tantum dominatur terrenis omnibus, ſed etiam cœlum ipſum ſibi quodammodo ſubjicit. Præterea ſi Sol fuiſſet ab æterno, etiam ab æterno curſum ſuum ab oriente in occidentem abſolviſſet, & terram radiis ſuis illuminaſſet. Non potuit autem id facere ab æterno. Nam aut prius percurriſſet orientalem plagam quam occidentalem, vel contra; aut prius illuminaviſſet hemiſphærium noſtrum quam antipodum, vel contra. Quod autem prius ſe aliquid habet, non eſt æternum; neque poteſt æternum, ab eo quod non eſt æternum, horarum tantum paucarum ſpatio diſtare, cum inter finitum & infinitum nulla ſit proportio.

IV. Nunc, ut *Epicuri* ſententiam expendamus, faſſus eſt quidem ille mundum non exſtitiſſe ab æterno, ſed recentioris eſſe originis; quia incredibile ipſi videbatur homines ab infinitis ſæculis fuiſſe, & nullam tamen eorum, quæ ab illis geſta ſunt, memoriam ſupereſſe, niſi à duobus circiter annorum millibus, unde vetuſtiſſimi Græciæ hiſtorici incipiebant; narrantes diverſas terræ provincias antea incultas ab iſto tempore primùm habitari cœpiſſe, & artes atque ſcientias, quæ tunc florebant, inventas fuiſſe. Sed mirum eſt quàm fœdè hic Philoſophus erraverit in aſſignando mundi ortu; ipſum *ex fortuito atomorum concurſu* coagmentatum fuiſſe comminiſcens. Nemo enim unquam vidit ex materia ſola, abſque cauſa efficiente, quicquam ortum eſſe; tantum abeſt ut adeo eximium, & adeo affabre elaboratum & ordinatum opus, tali modo productum fuerit. Non minus igitur abſurda eſt hæc opinio, quam ſi quis exiſtimaret eximiam aliquam urbem, ut *Amſtelodamum* aut *Lutetiam*, una cum omnibus, quæ in illis continentur, domibus, & ſuperbis magnatum palatiis atque baſilicis, ex magnis lapidum & lignorum temerè congeſtorum acervis ſubitò conſurrexiſſe.

V. Mundum cauſam efficientem habere; non tantum potentiſſimam, ſed etiam ſapientiſſimam & optimam, probatur etiam tam adverſus *Peripateticos*, quam adverſus *Epicureos*, ex eo quod omnes res naturales in ſuis actionibus ad aliquem certum finem tendant, quem tamen pleræque earum non noverunt. Inde enim evidenter colligitur illas ad finem dirigi conſilio & providentiâ ſapientiſſimi alicujus Rectoris & Domini, qui tales eas fecerit ut ad eum ſponte ſuâ ferrentur. Animadvertet autem facile quicunque volet, *omnia ob aliquem finem agere*, ſi mentis oculis ſingulas ejus partes perluſtret. Sol & Luna indefatigabili curſu, tam diurno quam periodico, Terram, aut Terra & Planetæ, Solem in mundi centro quieſcentem circumambulant; (eodem enim, quod ad hanc rem attinet, redit utrumvis ſtatuatur) non ſui autem ipſorum gratia moventur, cum tali motu non indigeant; ſed ut terram fœcundent, & omnibus ejus incolis ſuum lumen & calorem vivificum impertiantur. Terra non propter ſe, ſed in uſus animantium, omnis generis plantas & fructus producit, & diverſa mineralia in viſceribus ſuis alit. Corpora animalium tam bipedum, quam quadrupedum, & aquatilium, imo etiam inſectorum, tantâ cum arte & ſapientiâ ſunt conſtructa, ut nulla in iis pars, quantumvis exigua, conſpiciatur, quæ uſum aliquem non habeat. Denique homo tanta ex iis commoda percipit in ſe alendo, veſtiendo, variiſque operibus adjuvando, ut ei, qui ſponte inſanire non vult, facile ſit agnoſcere illa non te-

mere aut casu facta, sed in ipsius gratiam condita fuisse.

VI. Idem testatur *Mundi Ordo*, quem nemo, nisi plane cœcus, negare potest esse admirandum. Videsis Conversiones siderum, tam regulares, ut nunquam vel minimum à semita sua aberrent, & semper intra constitutum tempus cursum suum absolvant. Vicissitudines tempestatum, veris, æstatis, autumni, hyemis. Successiones generationum, quibus plantarum & animalium species continuò propagantur, & in sua mortalitate immortalitatem quodammodo æmulantur. Omnia denique, uno verbo, quæ in mundo sunt, clamant & testantur ipsum esse præclarissimè dispositam compagem. Cum igitur hîc sit res ordinata, debet quoque esse qui illam ordinaverit, qui alius non est nisi Deus, omnia consilio & ratione sapienter disponens. Certe ejusmodi ordo *Casui* aut *Fortunæ* non est tribuendus. Nam ea nihil sunt nisi vana hominum figmenta; vel si quid dici merentur, res sunt cœcæ, consilii expertes, ordinis non intelligentes, sed potius omnis confusionis & perturbationis parentes.

VII. Ex *Miraculis* quoque seu operibus contra ordinarium naturæ cursum factis, probatur efficacissimè Numen aliquod esse. Cum enim miranda omnes naturalium rerum vires superent, manifestum est eorum non alium, quam hujus universi auctorem esse, qui ordinem à se institutum, quando libet, immutat. Ratio hæc tanti est ponderis, ut vel sola thesi nostræ probandæ sufficiat. Nec aliud fere habent Athei, quod vel adversus eam excipiant, nisi fabulosa esse & commentitia, quæ de ejusmodi miraculis recensentur. Verum etiamsi agnoscam quædam talia interdum ab impostoribus, compendii sui causâ, venditari, & à superstitiosis temerè credi; attamen fides non potest absque impudentia derogari omnibus in universum miraculis, de quibus tot præstantes historici, quorum non intererat ut crederentur esse vera, testimonium perhibent. Et quamvis cætera omnia in dubium revocarentur, nulla tamen cum specie rejici possent ea, quæ olim Moses & Josua, multis Israëlitarum millibus inspectantibus fecerunt: neque ea, quæ à Jesu Christo & ipsius Apostolis edita sunt, quibus innumeri, per universum fere orbem, homines ad veri Dei & Euangelii ipsius cognitionem adducti sunt. Quod verò nonnulli præterea afferunt pleraque eorum, quæ pro miraculis habentur, mediis naturalibus fieri potuisse, ideoque non esse satis solida existentiæ Dei argumenta, vanum omnino est, & Historiæ Sacræ veritate admissa, in fumum abit. Nullus enim sanæ mentis dixerit unquam, gravissimos morbos in instanti, solo verbo, naturaliter sanari posse, cœco nato visum restitui, mortuum quatriduanum in vitam revocari, aliaque ejusmodi plura, quæ in Veteris & Novi Testamenti libris legimus.

VIII. Denique his accedit, *universalis omnium populorum in aliquo Numine agnoscendo consensus*; adeo ut Cicero scribat *Tuscul. quæst. lib.* 1. *Nullam esse gentem tam feram, neminem omnium tam immanem, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio*. Inquirenti autem unde fiat, ut qui in aliis fere dogmatibus & consuetudinibus inter se dissident, hac in re adeo sint concordes, apparebit id ab aliquâ toti humano generi communi causâ proficisci debuisse. Ea vero duplex esse potest; vel quod Deum esse tam manifestæ sit veritatis, ut id nemo mentis compos negare aut in dubium vocare ausus fuerit; vel quod omnes ex constanti patrum suorum traditione acceperint Deum se olim hominibus patefecisse. Unumquodque autem istorum separatim, multoque magis utrumque conjunctim, consensum istum non esse brutum evincit. Quod si persuasio hæc solummodo apud obtusioris ingenii populos obtineret, suspicari aliquis posset eos ab astutioribus in errorem fuisse inductos. Sed cum illa imbuti inveniantur etiam sagacissimi & naturæ arcanorum scrutatores diligentissimi, quos omnes simul decipi potuisse nequaquam est verisimile, hominis esset nimis inverecundi tantæ se consensioni opponere.

IX. Huic adde, quod sceleratissimi quoque, qui nullum esse Deum vellent, & totis viribus persuasionem hanc animo excutere conantur, ut metu Numinis sublato tanto liberius cupiditatibus suis morem gerant, conscientiæ tamen suæ, Deum peccati ultorem esse testanti, silentium imponere nequeunt; ut apparet in Caio Caligula, Nerone, aliisque, qui post admissa scelera, quæ nemo mortalium noverat, aut punire poterat, diras ultrices die nocteque ante oculos suos versari crediderunt & exhorruerunt.

X. Nec est quod aliquis huic generali totius orbis consensui opponat, inventos esse nuper quasdam gentes in Brasilia & Canada, apud quas nulla Deitatis opinio locum obtinere observata sit, adeo ut in earum lingua ne vox quidem ulla exstaret ad eam exprimendam apta. Item olim fuisse Philosophos celebres, qui nullum Numen agnoscerent: verbi gratia, Diagoram Melium, Euhemerum Messenium, Protagoram, Prodicum, & Theodorum cognomento Atheum, nostroque sæculo Julium Cæsarem Vaninum. Non est enim mirum gentes illas barbaras, quæ omnem humanitatem exuerunt, & ferinæ indolis esse videntur, nullum Dei sensum habere: quomodo enim divina saperent, qui ne quidem humana cognoscunt aut curant? In computum itaque non debent hoc loco venire, ubi colliguntur suffragia ratione utentium, quam illi excolere negligunt, & pro monstris in humana specie haberi possunt. Quod multo magis in Philosophos illos quadrat, qui seorsum à cæteris in hoc Religionis primario capite abierunt. Adde quod tam exiguo fuere numero, respectu tot myriadum hominum qui contrariæ sententiæ adhæserunt & adhuc adhærent, ut universalem illum, quem dixi, consensum turbare nequeant. Ut jam præteream quosdam doctos non sine verisimilitudine existimare,

veteres

veteres illos qui apud Gentiles ἀθέων titulo fuerunt infamati, non tam videri Deum omnino & universaliter negavisse, quam commentitia illa numina & idola, quæ passim inter suos colebantur. Si tamen nonnulli eorum Atheïsmum aperte profiteri sint ausi, adeo debilibus, imo absurdis eum argumentis defenderunt, ut id ex mera contradicendi libidine, insignique animi improbitate proficisci patuerit: ideoque nullos sectatores invenerint, sed statim ab omnibus fuerint explosi.

XI. Sed nondum acquiescunt impii. Dicunt enim opinionem de Deitate esse excogitatam à Politicis, ad homines metu illius in officio continendum. Item pro Deis initio habitos fuisse Reges & Principes, quemadmodum de Jove & quibusdam aliis refertur. Ad quæ resp. nullius ea esse momenti. Non primum; nam etiamsi quidam legumlatores, ut Minos, Numa Pompilius, abusi sint opinione vulgo recepta de Diis, ad conciliandum legibus suis auctoritatem; nihil tamen promovissent, nisi populi, quibus imperabant, illa jam fuissent imbuti, & pro certa habuissent. Non secundum; non enim ausi fuissent unquam ulli Principes se aut antecessores suos pro Diis obtrudere, & divinum cultum à subditis exigere, nisi illi jam credidissent esse Deos, & eorum cultui fuissent assueti.

XII. Pergunt; Deum à nemine unquam fuisse visum, & ipsum mortales alloquio non dignari. Non posse igitur nos de ejus existentia esse certos. Resp. Etiamsi Deus se conspiciendum nobis non præbeat, non sinere tamen se absque testimonio in operibus suis & beneficiis erga nos, ex quibus certi esse possumus ipsum existere. Multa alia credimus esse quæ non videmus, ut ventos, & nos animam habere; quia nimirum ex effectis illa deprehendimus. Sic igitur cum tam multiplicia Dei effecta quotidie incurrant in oculos nostros, & tot rationes evincant ipsum esse, nullam de eo dubitandi justam habemus causam. Hodie quidem non alloquitur nos de cœlo; nec id convenit; quia sic omnis fidei, quam in eum debemus collocare, laus tolleretur. Sed alias id fecit, in testimonium futuris sæculis, cum legem Israëlitis ex monte Sinaï dedit. Sufficere cunctis jam debet *vox cælorum, qui enarrant gloriam Dei*; Psal. XIX. 1, 2, &c. ut de aliis patefactionibus, quibus se Deus revelavit, nunc non agam.

XIII. Tandem afferunt; si foret aliquis Deus, hujus universi rector, ipsum non permissurum ut tot in eo scelera grassarentur, nec ut improbis omnia succederent ex animi sententia, probi verò fere perpetuo cum adversâ fortunâ conflictarentur. Resp. hanc objectionem ad doctrinam de providentia propriè pertinere, ubi accuratius erit examinanda. Nunc uno verbo dico; Deum scelera impedire eo quo decet modo, libertate arbitrii homini datâ, nempe per legislationem, & judicia aliquot insignia, in testimonium futuri universalis, in quo unicuique redditurus est secundum opera. Tunc apparebit quantum discriminis ponat inter probos & improbos, inter eos, qui ipsum colunt, & qui nomen ejus blasphemant.

CAPUT III.

De S. Scripturæ Veritate.

I. *Sacram Scripturam esse normam Religionis Christianæ.* II. *Scriptores Novi Testamenti vera scribere potuisse,* III. *& voluisse.* IV. *Constare de auctoribus librorum Novi Testamenti.* V. *Fieri non potuisse ut hæc scripta corrumperentur.* VI. *Nec id probari ex quibusdam variantibus lectionibus.* VII. *Providentiam divinam id nunquam permissuram fuisse.* VIII. *Quia scripta Novi Testamenti sunt vera, idcirco etiam esse divina.*

I. SI Deus est, (ut superiori capite ostendimus) etiam Religionem esse oportet, hoc est, studendum est nobis, ut Deum rectè cognoscamus, & convenienti cultu prosequamur, ut sic propitium ipsum inveniamus. In Religione autem duo sunt consideranda, videlicet *Norma* secundùm quam dirigenda est, & *Partes* ex quibus constat. *Norma Religionis Christianæ est S. Scriptura, libris V. & N. Testamenti comprehensa; sed præcipue Novi.* Hi vulgo dicuntur *Biblia*, & sunt, quinque libri Mosis, Genesis, Exodus, &c. quibus adduntur nonnulli in isto volumine, quorum veritas & divinitas non ita est explorata, ut Tobias, Judith, &c. Quia autem isto munere nequiret fungi nisi esset vera & à Deo profecta, idcirco antequam ulterius progrediamur, illius *Veritas* & *Divinitas* nobis erit solidis argumentis adstruenda. Incipiemus à Nov. Test. quod nos propius spectat, & testimonium perhibet Veteri. Sic duplici labore quod nobis incumbit simul defungemur, & veluti ex eadem fidelia duos dealbabimus parietes.

II. Veritas cujuscunque scripti sufficienter demonstratur si de duobus istis constet. 1. Auctorem illius res de quibus scribit perfectè cognitas habuisse, ita ut per ignorantiam in illis explicandis errare non potuerit. 2. Illum noluisse mentiri, aut quicquam aliter scribere quam se habere scivit. Si in ullum autem scriptorem utrumque unquam quadraverit, certè primas in isto ordine tenent ii qui N. T. libros composuerunt. Nam quod ad primum attinet, cum ad certam alicujus rei notitiam habendum, oporteat illis locis & temporibus vixisse, quibus gesta est, ita ut ab aliorum relatione, quæ sæpe est fallax, & semper incerta, pendere non sit opus; id singulari providentia Auctoribus istis concessum fuit: non enim scripserunt de rebus quæ aliquot sæculis ante, aut etiam patrum suorum tempore contigissent, vel quæ in regnis atque regionibus procul à se dissitis factæ essent, ut Herodotus, Plutarchus, Livius, Tacitus, & plerique omnes historici. Sed de iis solum, *quæ*, ut Joannes dicit, *ipsimet oculis suis viderunt & manibus contrectarunt*, 1 *Epist.* 1. 1. adeo ut certior nulla inter homines cognitio dari queat illâ quam habuerunt.

Videſis *Matthæum*, *Joannem*, *Petrum*, *Jacobum*, *Judam*, quorum opera atque induſtria non exiguam librorum N. T. habemus partem. Illos Jeſus Chriſtus ſtatim atque Euangelium prædicare cœpit in ſodalitium ſuum aſſumpſit, & tam familiariter uſus eſt, ut nunquam fere ab ejus latere diſcederent, nec quicquam clam iis aut diceret aut faceret. *Paulus* verò, cujus tot extant Epiſtolæ inſigni doctrina refertæ, non fuit quidem è numero XII illorum Apoſtolorum, quos Chriſtus ab initio doctrinæ & factorum ſuorum teſtes elegerat: ſed poſtea fuit iis adjunctus ab ipſo Chriſto, qui eum miraculoſe de cœlo vocavit, per cujus revelationem ſe Euangelium quod annunciavit didiciſſe aſſerit: ita ut nulla cum ſpecie ipſum rerum quas docuit & ſcripſit ignarum fuiſſe objici queat. *Marcus* diu Petri ſectator fuit, ex cujus ore didicit ea quæ poſtea ſcriptis mandavit; eaque de cauſa nonnulli eum potius pro Petri amanuenſi in conſcribendo Euangelio, quam pro auctore primario libri qui nomen ejus præ ſe fert habent. *Lucas* etiam per longum temporis ſpatium in Pauli contubernio vixit, & præter illa quæ à tam fideli præceptore diſcere potuit, nihil ſcripſit niſi *diligenti inquiſitione facta ex aliis, qui à principio ſpectatores & adminiſtri fuerant ſermonis*, ut ipſe in Euangelii ſui procemio teſtatur. Cui adde ipſum multis quæ in Actibus narrat non ſolum interfuiſſe, ſed etiam partem aliquam eorum feciſſe: cætera vero ex familiari cum Apoſtolis converſatione facillimum illi fuiſſe cognoſcere. Quod etiam in *Epiſtola ad Hebræos Auctorem* (quicunque ille fuerit) optime quadrat, qui *ea tantum ſcribit, quæ ſibi ab iis qui Dominum Jeſum audiverant confirmata fuerunt*, ut ipſe diſerte profitetur, *Heb.* II. 3. Denique Joannes, *cum trium Euangeliſtarum ſcripta ad eum perveniſſent, illa probavit, & veritatis illis dedit teſtimonium*, quemadmodum narrat Euſebius *hiſt. lib.* III. *cap.* 21. propterea que de eorum veritate quæ à Marco & Luca ſunt prodita, non magis nobis dubitare licet, quam ſi ipſum Joannem dilectum illum Chriſti diſcipulum, auctorem haberent. *De auctore vero libri Apocalypſeos*, ſi putemus alium à Joanne Euangeliſta fuiſſe, (quod tamen nullo alicujus roboris argumento probari video) certi etiam eſſe poſſumus fieri nequiviſſe ut per ignorantiam falleretur in iis quæ tractat; cum tantum in illa viſione deſcribenda occupetur, quam narrat ſibi cælitus contigiſſe, & à nemine melius quam ab ipſo cognita fuit.

III. Quod ad alterum membrum ſpectat, nimirum Auctores librorum N. T. noluiſſe in iis ſcribendis mentiri, aut quicquam aliter tradere quam perſuaſi erant id ſe revera habere; illud probatu non eſt difficile: Nam ſi propoſuiſſent ſibi mundo imponere, non tanta cum ingenuitate vitia ſua & defectus propalaſſent, ut factum ab ipſis videmus: ex. gr. non ſolum ingenii, in percipienda magiſtri ſui doctrina, tarditatem, & fidei debilitatem; ſed etiam ambitioſas ſuas de primatu contentiones, turpem fugam cum Chriſtus ab inimicis caperetur, ejus defectionem & abnegationem, aliaque ejuſmodi, quæ niſi ſcriptis prodidiſſent, veriſimile eſt æternæ oblivionis tenebris ſepulta fuiſſe manſura: nullo autem alio fine poſteritati commendaviſſe apparet, niſi quia gloriæ divinæ & ædificationis Eccleſiæ intereſſe ſciebant, ut iſta non ignorarentur. Deinde cum religio Chriſtiana, quam in libris illis docent, omne mendacium ſevere ſub æternæ damnationis pœna prohibeat, non eſt credibile illos adeo turpiter & cum tanto animæ periculo diſciplinæ ſuæ regulas voluiſſe violare. Dices forſan, illos ſciviſſe omnia quæ docebant eſſe falſa atque à ſe conficta, ideoque damnationem illam, cujus metu tanquam μορμολυκείῳ alios territabant, non formidaſſe. Sed ſi hæc ita ſe habent, quo reſpiciebant ergo in confingendis iſtis mendaciis, quibus totum terrarum orbem in errorem inducerent? Oportebat enim eos dubio procul eximiam aliquam tanti ſceleris ſibi pollicitos fuiſſe mercedem. Indéne ſperabant *divitias?* Sed contra, facultatum ſuarum, ſi quas habebant, jacturam ea de cauſa patiebantur. An *honores?* imo contra, contumelias & omnis generis probra reportabant. An *famam* poſt mortem? ſed quam ex tam fœda impoſtura expectare aliam poterant quam probroſam & cum omnium bonorum deteſtatione conjunctam? An denique *ſenſuum voluptates?* Sed ex oppoſito propagandæ hujus religionis ſtudio vitam trahebant miſeriarum plenam, extorres à patria, procul ab amicis & propinquis, & quotidie fere mille periculis, verberibus, plagis & acerbiſſimis mortibus obnoxii. Regeres: ignorabant iſta ſibi eventura, & imprudentes præterque expectationem in tot calamitates inciderunt. Sed quomodo fieri poterat, ut de iis non cogitarent, cum ob oculos haberent recens præceptoris ſui Jeſu exemplum, & vidiſſent quam triſte doctrinæ ſuæ præmium reportaſſet: prætereaque conjicere poſſent, talem religionis novæ quam annunciabant eſſe genium, ut omnium in ſe hominum odia & perſecutiones concitaturus eſſet? Concludo itaque, neminem poſſe tam turpe mendacium, & totum mundum in errorem inducendi conſilium iſtorum librorum ſcriptoribus objicere, quin eos non tantum faciat peſſimos; ſed etiam mortalium omnium ſtultiſſimos: quorum utrumque quam procul à veriſimilitudine abſit, clarius luce meridiana legentibus eorum ſcripta patet.

IV. Aliqui his rationibus preſſi fatentur ſcripta iſta fidem meritura, ſi modo nobis certo conſtaret, illos quorum nomina præ ſe ferunt, veros eorum eſſe Auctores: ſed fieri poſſe, ut ſuppoſititii ſint fœtus, quales non paucos videmus claris ſcriptoribus jam olim fuiſſe attributos. Quibus reſpondeo, nullius momenti eſſe exceptionem iſtam. Nam ſtatim à primis annunciati in mundo Euangelii temporibus, unanimi Chriſtianorum conſenſu creditum eſt N. T. libros ab illis Auctoribus fuiſſe conſcriptos, quorum nomina in fronte præfixa oſtendunt: ſi paucos ſolum

lum & parvæ molis, cum aliis collatos, excipias, de quibus olim fuit dubitatum, qui nullum peculiare dogma continent, quod alii non tradant, & ab hoc Codice abesse possent absque necessariæ ad salutem veritatis detrimento. Istud ex eo probatur, quod ab antiquissimis scriptoribus, qui proxime ad Apostolorum ævum accesserunt, quales sunt Justinus Martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus & alii, sub iisdem illis nominibus citatos legamus libros, quos hodie in N. Test. volumine conspicimus. Quin etiam Tertullianus, libro *de præscriptionibus adversus hereticos*, testatur suo sæculo superfuisse adhuc quorundam scriptorum Apostolicorum archetypa, quæ consulere possent ii qui de ipsorum Auctoribus dubitarent. Et Julianus Imperator, quantumvis Christiano nomini infensus, concedit ultro, ut legere est apud Cyrillum, illa esse genuina Petri, Joannis, Matthæi scripta, quæ ipsis vulgo tribuuntur. Sicut ergo audiendus non esset, qui negare auderet Iliadem ab Homero esse scriptam, aut Æneïdem à Virgilio; ita nec illi, qui in controversiam vocant an scripta quæ Matthæo, Petro, Joanni & aliis Christi Apostolis tribuuntur, ipsorum revera sint; cum hoc non minore constantia creditum sit ab omnium temporum & locorum Christianis, quam illud à Græcis & Romanis.

V. Objicitur adhuc, etiamsi optime noti essent librorum N. T. scriptores, non fore tamen admodum tutum fidem iis adhibere, cum forsan aliquibus in locis sint depravati; ita ut ex illis genuinam Christi & Apostolorum mentem discere nequeamus. Sed possemus hic nos tueri regula illa in Jure recepta, *affirmanti incumbere probationem*, non vero illi qui aliquid negat: & cum nullæ suspicionis istius rationes afferantur, illam responso non dignari. Attamen ne veritati deesse videamur, addimus, fieri nullo modo potuisse, ut libri isti, si cui tantum scelus in mentem venisset, corrumperentur. Nam cum statim atque conscripti fuerunt, & viventibus adhuc auctoribus, in varias sint regiones delati, multorumque manibus descripti; & non multo post in linguas cuique genti vernaculas conversi; atque dissidiis inter Christianos jam obortis id factum sit per eos, qui non minus à se invicem sententiis de religione, quam locis & habitatione distabant; si qui illos adulterare aggressi fuissent, eorum fraus facili negotio deprehensa fuisset. Et quanto plus procedente tempore exemplarium N. T. numerus ubique multiplicabatur, tanto difficilius erat aliquid tale exsecutioni mandare. Nam fac quempiam id tentare ausum fuisse; cum pauca tantum exemplaria depravare posset, & multo plura superessent incorrupta quam corrupta, utrorumque facta collatione, impostura omnibus statim patuisset.

VI. Et mirus ille quem hodie deprehendimus inter N. T. codices tam Græcos, quam Latinos, Arabas & Syros aliosque, in omnibus quæ alicujus sunt momenti, consensus, nullam in iis factam esse mutationem evidenter probat. Nihil enim moror minutam illam lectionum varietatem, quæ, sicut in omnibus aliis libris, ita etiam in N. T. passim occurrit, & soli exscriptorum oscitantiæ aut ignorantiæ imputari debet. Nam præterquam quod in plerisque locis ea tam exigui sit momenti, ut ne hilum quidem interesse videatur, utrum eos hoc vel illo modo legas; non difficulter etiam vera lectio à falsa dignosci potest, modo quis plane fungus non sit, & in promtu habeat exemplaria illa, in quibus omnes variantes lectiones quæ reperiuntur, diligenter doctorum virorum opera sunt annotatæ. Quæ valde quoque prodessent, si forte contingeret ut unus aut alter locus, qui alicujus momenti esse putaretur in controversiis fidei, data opera à falsario aliquo in paucis libris esset depravatus. Nam saltem admonerentur lectores, conspecta scriptionis variatione, ut seponerent locum dubium, & veritatem ex aliis indubiis indagare mallent.

VII. Denique tanquam immotum fidei fundamentum tenendum est, Providentiam divinam, quæ nobis tam benigne prospexit de omnibus quæ ad vitæ præsentis usum pertinent, nunquam permissuram fuisse Scripturæ S. fontes, ex quibus aqua vitæ nobis haurienda est, ita hominum malitia infici, ut loco potus salutaris ibi venenum & certam mortem inveniremus. Nulla enim res adeo cura Dei est digna atque hæc, unde hominum æterna salus aut damnatio pendet. Alioquin etiam Deus frustra in Scripturis revelasset voluntatem suam, ad omnium hominum institutionem, si passus fuisset illas ita depravari eorum fraude quibus primo traditæ sunt, ut posteri nullum inde commodum ad animæ suæ salutem, sed potius inevitabilem perniciem percepturi essent. Quod de tam benigno & sapiente generis humani curatore suspicari eos est nefas, qui profitentur se credere Scripturam esse θεόπνευστον, sed vereri se ne in illam corruptio aliqua postea invaserit.

VIII. Restat ergo ut concludamus N. T. scripta esse vera, cum nulla sufficiens ratio excogitari possit, quæ viro prudenti & pietatis studioso fidem eorum suspectam reddere apta sit. Si autem sunt vera, etiam sunt divina, seu à Deo tanquam primario auctore profecta, qui Spiritu suo direxit mentem & manum eorum quorum opera ad nos pervenerunt. Id enim testantur de se, cum dicunt Auctores suos Spiritum S. cælitus accepisse, à quo deducti sint in omnem veritatem.

CAPUT IV.

De S. Scripturæ Divinitate.

I. *Divinam esse S. Scripturam, quod divinam Religionem contineat.* II. *Christi divinam missionem ex ejus miraculis & resurrectione abunde probari.* III. *Religionis Christiana*

stiana divinitatem elucere ex ipsius præceptis, IV. *promissis,* V. *& tandem efficacia.*

I. SCripturæ Sacræ *Divinitas*, ex Religione ipsa Christiana abunde evincitur, quæ cum divina sit, oportet etiam ut scripta quibus ab initio comprehensa est, & quæ sunt fons unde illam hodie haurimus, à Deo fuerint profecta. De divinitate autem Religionis Christianæ constat nobis inde, quod Jesus Christus à Deo fuit missus ad illam mundo annunciandam. Missionem vero ejus divinam arguunt plurima miracula quæ edidit. Hæc enim fuerunt instar literarum fiducialium, quibus Deus eum instruxit, ut tanquam ipsius Legatus ab hominibus reciperetur.

II. Jesum Christum miracula fecisse confessi sunt olim etiam jurati ejus inimici, tum Judæi, tum Ethnici, quia illorum fama tam constans erat ut non auderent eam in dubium revocare. Nonnulli quidem objecerunt ipsum fuisse magum, qui arte Diabolica illa ediderit, sed nulla cum veri specie. Doctrinæ enim Christi summa sanctitas, Diaboli consiliis directe contraria, non permittit ut id suspicemur. Sane astutus Dæmon non fuisset adeo improvidus, ut operam suam perfectæ sanctitatis Doctori, qui totis viribus regnum suum oppugnabat, commodare vellet. Cui adde, quod Deus Jesum, à Judæis propter doctrinam, quam in Dei nomine annunciabat, interfectum, è morte suscitando, comprobavit verum fuisse quod affirmarat, se miracula virtute divina facere. Absurdum enim foret putare, Deum impostori, qui falso de commercio cum ipso gloriatus esset, adeo illustre testimonium perhibere voluisse. Quin autem Deus Jesum in vitam revocarit, nulla est justa dubitandi causa. Plurimi enim fuerunt qui statim post ipsius passionem constanter affirmarunt se eum vidisse redivivum, imo cum ipso comedisse, bibisse, & familiariter collocutos esse: & propterea quod de eo testarentur graves calamitates & crudelissimam mortem adierunt. Quod nemo sanæ mentis in re aliquo modo dubia, multoque minus quam falsam esse novisset, unquam fuisset facturus. Nec ideo suspectum esse nobis debet illorum testimonium, quod Jesu discipuli & amici fuerint. Dilectionis enim istius nulla alia fuit causa, nisi quod ipsum Doctorem à Deo missum crediderunt. Si autem postea deprehendissent se ab illo deceptos fuisse, non mansissent constantes in ejus amore, sed contra summo odio fuissent prosecuti. Adde quod præter Apostolos & illos quibus Jesus redivivus apparuerit, infiniti alii ab iis edocti ipsum pro Servatore suo amplexi fuerunt, istaque de causa omnis generis persecutiones & supplicia alacri animo sustinuerunt. Quod nequaquam facturi essent, nisi ex miraculis, quæ conspiciebant fieri à Jesu discipulis, de veritate testimonii, quod resurrectioni ejus reddebant, plene persuasi fuissent. Et sane Religio Christiana, quæ nec divitias, nec honores, nec voluptates cultoribus suis afferebat; sed contra iis omnibus ipsos privabat, & in plurimas afflictiones conjiciebat, à tot hominum myriadibus recepta non esset, nisi ejus divinitas Jesu Christi resurrectione comprobata fuisset.

III. Sed præterea hæc Religionis Christianæ divinitas omnibus eam propius inspicere volentibus facile patebit. Tam sancta enim sunt ejus mandata, & tam excellentia promissa, ut manifestum sit, ea nullum alium præter Deum auctorem habere posse. Aut enim homo quispiam ea confinxit, aut impurus Dæmon, aut à Deo sunt profecta. Quartum non datur. Nam ad Angelum aliquem bonum, qui Dei fidelis est minister, illa referre, tantundem est atque Deum ipsum eorum auctorem facere. Hominem igitur aliquem Christianæ Religionis præcepta non excogitasse inde apparet, quod ea sint dura admodum & carni ingrata. verbi gratia, cum vetant divitiis colligendis incumbere, corporeas voluptates sectari, vindictam de iis qui læserunt sumere; sed contra jubent eos inimicos diligere, & bonum pro malo iis rependere; pro Christo & ejus honore bonorum omnium amissionem, exilium, ignominiam, propinquorum odia, cruciatus & mortes etiam acerbissimas perpeti. Nulla enim Religio ab hominibus inventa tale quippiam præscribit. Id videre est in Turcica, quæ Mahometis est commentum. Nihil in ea asperum aut carnis desideriis repugnans mandatur: sed in plerisque suis legibus carnis cupiditatibus frænum laxat, ut cum polygamiæ & divortiorum licentiam indulget, atque inimicos odisse, & eorum qui injuria aliqua affecerunt ultione animum satiare, non tantum permittit, sed etiam laudat. Nam quod ad vini interdictum attinet, & jejunia, quæ præscribit, ea admodum levia sunt, ut in comparationem cum Religionis Christianæ præceptis venire nequeant. Circumcisio vero non est impostoris illius commentum, sed duntaxat eam à majoribus acceptam retinuit, & Arabibus suis ab Ismaële oriundis, eique jam assuetis commendavit. Monachorum vero quorundam austeritates sponte ab iis suscipiuntur, non ex præcepto aliquo omnibus communi, & tanto propterea apud vulgus & magnates sunt in honore, tantisque fruuntur opibus & deliciis, ut superabundantem remunerationem ipsos extemplo accipere appareat. Neque Diabolum aut aliquem impurum Dæmonem præceptorum istorum esse auctorem, inde evidenter colligitur, quod immundi illius Spiritus genio nihil sanctitate sit magis invisum. Similes sibi cupit habere subditos, qui in omnis vitiorum generis cœno se volutent, non qui virtutis sint sectatores. Tales enim præceptis suis reddendo, simul imperii sui desertores efficeret.

IV. Eadem est promissorum ratio, præcipuè eximiorum illorum, qui cæterorum sunt colophon & complementum, Resurrectionis videlicet ex mortuis, & vitæ in cælis cum Deo & beatis mentibus in æternum degendæ. Illa enim ab homi-

homine excogitata non fuisse inde liquet, quod adeo ab humanis sensibus abhorreant, & naturæ vires superent, ut hujus sæculi sapientes ea semper pro impossibilibus & absurdis habuerint, nihilque difficilius fuerit quam ipsos ad illis credendum adducere, quantumvis & stupendis miraculis essent comprobata. Quis ergo fuisset tam væcors, ut illo commento lactare alios vellet, quod se ulli sanæ mentis persuadere posse desperaret? Dices, aliquam tamen istorum promissorum umbram apud poëtas conspici, ubi de campis Elysiis loquuntur. Sed resp. 1. nihil unquam ipsis in mentem venisse de mortuorum resurrectione, sine qua omnis quæ fingi potest animarum beatitudo imperfecta est. 2. Quod ad illum post vitam felicem statum spectat, verisimile est ipsos quasi per nebulam aliquid de eo ex majorum suorum traditione accepisse, quod delectandi potius animo, quam persuadendi spe poëmatibus suis inseruerint. Saltem ita se rem habere nullo unquam argumento probare sunt aggressi; cum Dominus Jesus, qui illuminavit vitam & immortalitatem per Euangelium, postquam per illam sanctitatis viam quam ostendit aliis ambulasset, primus etiam è mortuis in vitam æternam sit suscitatus, & in cœlos exaltatus, unde in Discipulos effudit Sp. Sanctum, cujus virtute miranda multa fecerunt, & Religionem Christianam potentissime confirmarunt.

VIII. Nec magis credibile est Diabolum illa confinxisse, præsertim si consideretur promissa Euangelii eo tendere, ut homines ad mandatorum ejus observantiam adducantur. Nam id adversa fronte cum hujus improbi Spiritus scopo pugnat, qui est persuadere cunctis sanctimoniæ studium aut noxium esse aut saltem inutile. Excipies forte, ipsum tam splendidis promissis, quæ falsa esse sciebat, homines voluisse decipere. Sed fraus ista plus damni, quam emolumenti Diaboli imperio afferre apta erat. Fieri enim poterat ut homines promissorum istorum excellentia inducti sese ad virtutis iter capessendum accingerent. Nam promissa operantur in animum, non qua vera sunt, sed qua credita; adeo ut falsa, quibus fides adhibetur, aliquando efficaciora sint veris, de quibus dubitatur.

IX. Denique Religionis Christianæ divinitas agnosci potest ex admirabili ejus efficacia. Nam cum ea primo annunciata esset per paucos aliquot homines viles & contemptos, qui neque eloquentia aut eruditione sæculari erant instructi, neque ullo mundanæ authoritatis præsidio subnixi, brevissimo tamen temporis spatio per universum terrarum orbem tunc cognitum pervasit; innumerosque mortales, doctos pariter & indoctos, nobiles & ignobiles, cujuscunque ætatis & sexus, in sui amorem pertraxit; adeo ut patriis religionibus, in quibus educati fuerunt, repudiatis eam sint amplexi, non solum nulla commodorum terrestrium spe allecti, sed etiam nulla calamitatum, quam doctrinæ istius professionem comitari videbant, mole & acerbitate deterriti. Et licet totis imperiorum hujus mundi viribus & dolis oppugnaretur, nunquam tamen supprimi potuit, sed contra reliquas religiones penitus abolevit (excepta sola Judaïca, quæ divinæ est originis, & rudimenta continet Christianæ cui viam præparare debuit). Id autem nullo modo credibile est potuisse fieri, nisi hæc doctrina esset divina eique Deus insolitam istam vim & efficaciam indidisset, quæ in nulla unquam humanitus inventa observata fuit. Nam quod ad religiones Ethnicas attinet, cum paulatim longi temporis consuetudine invaluissent, postea in animis & regnantium potentia præsidium sibi quæsiverunt; quibus tandem deficientibus, simul & ipsæ defecerunt, & nullas amplius ad seducendum alios vires habuerunt. Mahumetana vero sicut ipsa inter arma est nata, ita etiam illis solis propagationem & durationem suam debet. Sed Christiana nullis aliis, quam persuasionis, per trecentos primos à sui ortu annos, viribus usa, plerasque mundi provincias sibi subjecit.

CAPUT V.

De S. Scripturæ Auctoritate.

I. Scripturæ auctoritatem non pendere à testimonio Ecclesiæ. II. Sed à divina Scriptorum missione. III. Omnem Ecclesiæ auctoritatem à Scripturæ testimonio pendere. IV. De testimonio Spiritus Sancti.

I. PRæter superiora divinitatis S. Scripturæ argumenta, habemus etiam testimonium Veteris Ecclesiæ, quæ fuit tempore Apostolorum, aut saltem non diu post, & audivit eos agnoscentes libros qui ipsis tribuebantur à se fuisse compositos, vel autographa illorum inspexit, aut ex quopiam alio minime suspecto indicio didicit, quinam essent auctores scriptorum qui Novi Testamenti nomine circumferuntur. Nam quod certo cognovit id quoque ad posterorum institutionem testari potuit, & actu testata est. Ecclesiam autem Veterem de sacrorum librorum divinitate testari, inde liquet, 1. quia nullus est Scriptor Christianus eorum qui tribus vel quatuor aut quinque primis à nato Christo sæculis vixerunt, qui non eos tanquam divinos, & religionis Christianæ fontes laudet, omniaque sua ex illis confirmet, v. gr. Justinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Origenes, &c. 2. quia multi sunt qui Catalogos eorum operibus suis inseruerant, non solum singuli seorsim, sed etiam simul in Conciliis, sive Provincialibus sive Generalibus congregati. Sed tamen inde non sequitur auctoritatem Scripturæ ab Ecclesia pendere. Nam quod testata est illam fuisse à Matthæo, Joanne, Petro, Paulo, aliisque consignatam, id non fecit quatenus erat Ecclesia, seu fidelium cœtus, cui ea de re testimonium reddendi auctoritas à Deo esset tributa; sed simpliciter tantum ut multitudo hominum certam & sensualem (ut ita dicam) ejus quod asseve-

ſeverabant notitiam habentium. Nullaque fuit iſta in re Eccleſiæ prærogativa ſupra alienos à vera Religione, quibus noti eſſent viri illi divini, & eorum manus, cæteriſque in teſte idoneo requiſitis, conditionibus fuiſſent prædití. Hodiernæ vero Eccleſiæ, quæcunque illa ſit, ſive Græca, ſive Syra, ſive Romana, auctoritas in teſtando de libris Sacris, tantum eſt Doctoralis, quæ plus fidei non meretur, quam ex antiquitatis monumentis, vel argumentis Scripturæ inſitis, ſolide demonſtrat.

II. Sed hic adverſantur nobis Pontificii, objicientes non tantum requiri, ut ſciamus quinam ſint auctores librorum, quos Chriſtiani pro ſacris agnoſcunt, ſed etiam ut nobis conſtet illos fuiſſe divinitus inſpiratos, & licet de priore teſtari poſſent etiam alieni à fide, de poſteriore tamen ſolius eſſe Eccleſiæ pronunciare, atque ita totam Scripturæ Auctoritatem ab illa reſpectu noſtri dependere. Ad quod reſpondeo: Neceſſarium non eſſe, ut Eccleſia teſtetur libros qui ab Apoſtolis ſcripti aut approbati fuerunt, eſſe divinos, quia divina Apoſtolorum miſſio ad Euangelium annunciandum tam multis ſignis & miraculis fuit obſignata, ut qui illa oculis uſurparant, dubitare nequirent quin omnis eorum doctrina, ſive viva voce, ſive ſcripto tradita, vere eſſet divina. Proinde nihil aliud requirebatur ad probandum librum aliquem eſſe divinum, quam oſtendere ipſum ab Apoſtolo aliquo fuiſſe conſcriptum aut approbatum.

III. Quod ſi iſtud alicui non ſatisfaciat, ne in teſtimonio quidem Eccleſiæ jure acquieſcere poterit, ut ſequentes rationes docent. 1. Quia omnis auctoritas, quam apud nos habet aut habere debet Eccleſia, neceſſario ab ipſius S. Scripturæ, quæ verbum Dei eſt, auctoritate dependet. Niſi enim Scriptura nobis indicaret, aliquam eſſe Dei in terris Eccleſiam & quænam illius eſſent proprietates atque privilegia, nemo id ſciret. Unde enim diſceremus? An ex ore infidelium? ſed illi rei, quam ignorant, aut pro tali, qualis revera eſt, non agnoſcunt, teſtes eſſe nequeunt. An potius ex Eccleſiæ iſtius teſtimonio? Ne id quidem. Nam omne quod aliquis de ſeipſo teſtatur merito eſt ſuſpectum. Atqui, inquies, Scriptura aſſerit *Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis*, 1 *Tim.* III. *v.* 15. Ergo Eccleſiæ teſtimonio eſt credendum. Sed hoc eſt in circulum ire, ſeu idem per idem probare. Quæritur enim unde conſtet nobis Scripturam eſſe à Deo profectam? Reſpondes, nos id diſcere ex Eccleſiæ teſtimonio. Quæritur rurſus, unde conſtet iſtud Eccleſiæ teſtimonium eſſe verum? Reſpondes. Inde quia Scriptura Eccleſiam veracem eſſe docet: Et ſic illuc, unde abieras, imprudens reverteris. Pergo igitur; Aut certi eſſe poſſumus de veritate hujus dicti Paulini (eadem eſt cæterorum ſimilium ratio) abſque auctoritate Eccleſiæ, aut non poſſumus. Si poſſumus, cur non de tota quoque Scriptura Sacra? Si non poſſumus, cur allegatur ad probandum id quod verſatur in controverſia? 2. Quandoquidem varii ſunt cœtus, & quidem ſibi invicem contrarii, qui omnes ſibi Eccleſiæ Chriſti nomen aſſumant, velim ſcire, cum Pontificii dicunt Scripturæ auctoritatem pendere ab Eccleſia, utrum id de omni Eccleſia indifferenter intelligant, an vero de Romana tantum? Reſpondebunt de Romana, quæ ſola ſit vera Eccleſia. Sed unde probant Romanam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam & quidem ſolam? Ex quibuſdam notis, inquiunt, quales ſunt antiquitas, multitudo, Doctorum ſucceſſio & ſimiles, quæ Eccleſiæ Romanæ conveniant, aliis vero minime. Inſto: Quâ ratione certum eſſe potero illas eſſe genuinas Eccleſiæ notas, ex quibus vera Eccleſia à cæteris omnibus infallibiliter diſcernatur? Hic afferunt quædam Scripturæ loca, in quibus notarum iſtarum mentionem fieri putant. Sed iſtud eſt iterum ſuo ſe circulo includere & ſciuri inſtar multum ſe movere ſed parum promovere. Si enim Scripturæ divinitas Eccleſiæ teſtimonio probari debet, ut de ea certi eſſe poſſimus, cur ad Scripturam recurrunt, ut ſuam Eccleſiæ Romanæ adſtruant auctoritatem? 3. Si Eccleſiæ Romanæ hodiernæ auctoritas unicum eſt fidei quam Scripturæ S. præbere tenemur fulcrum, tota Religionis noſtræ certitudo labat, utpote quæ teſtimonio jure ſuſpecto, Eccleſiæ in fide & moribus valde corruptæ, innitatur. Imo cum tota Eccleſiæ iſtius auctoritas penes unum Papam reſideat, quem aliquando contingit impium & omnis Religionis irriſorem eſſe; qui iſtud tantopere urgent, videntur in animo habere Religionis Chriſtianæ fundamenta ſubvertere & viam ad Atheïſmum ſternere, ut ſic conſcientiis hominum pro lubitu ſuo dominentur.

IV. Argumentorum noſtrorum agmen claudet teſtimonium Spiritus S. quod de divinitate doctrinæ ſacris libris comprehenſæ in fidelium cordibus perhibet. Quo pertinet iſtud Joannis pronunciatum, *Unctio ejus* (nempe Patris & Filii) *docet vos de omnibus*, 1 *Joan.* II. 27. Nam per Unctionem intelligi debere Spiritum S. vel ejus in nobis actionem, oſtendunt alia loca, in quibus de ſpirituali fidelium unctione agitur, ut 2 *Cor.* I. 21. *Heb.* I. 9. De illo autem duo ſunt obſervanda. Primo, Non eſſe aptum ad perſuadendum aliis Scripturæ divinitatem, præterquam illi ſoli cui contingit. Nemo enim tenetur alii credere, propterea quod ſe à Spiritu S. edoctum affirmat, ſed debet probare Spiritum illum, an ex Deo ſit, 1 *Joan.* IV. 1. Secundo, Non eſſe neceſſarium ad hoc ut credatur Scripturam à Deo eſſe profectam. Nam cum Spiritus S. nullis detur niſi fidelibus, ut conſtat ex *Joan.* XIV. 17. *Act.* V. 32. *Eph.* I. 13. aliiſque locis, ſequeretur nullum infidelem unquam poſſe de divinitate Scripturæ, atque ſe ad ei credendum & parendum obligari, eſſe certum. Huc accedit quod ille qui motum aliquem religioſum in corde ſuo ſe ſentire putat, non poteſt eſſe certus an is à Spiritu S. proficiſcatur necne, niſi prius Scripturam eſſe divinam crediderit, & ex ea quale ſit Spiritus Sancti teſtimonium didicerit.

Nam

Nam quamdiu aliquis eam nondum pro divina agnoscit, nullam habet regulam ad quam id quod sentit in se examinet, & utrum proveniat à Diaboli suggestione, vel à præconcepta aliqua opinione, dijudicet. Unde videre est frustra datum iri Spiritum S. iis qui non credunt Scripturam esse à Deo, & quamvis daretur, testimonium ejus sufficiens non fore ad ipsos de illius divinitate convincendos. Quo tamen non excludimus arcanas Spiritus S. suggestiones, quibus hominum corda ad fidem præparat ac disponit; sed eas solum, ut par est, à testimonio quod fidelibus perhibet, & peculiare credentium Evangelio est privilegium, distinguimus.

CAPUT VI.

De libris Canonicis & Apocryphis.

I. Quinam libri sint Canonici. II. Quinam Apocryphi. III. Hi à Judæis in Canonem scriptorum divinorum nunquam fuere relati. IV. Nec etiam à primitiva Ecclesia.

I. QUæ præcedentibus capitibus à nobis dicta sunt de S. Scripturæ Veritate, Divinitate, & Auctoritate, ea intelligi solum volumus de *libris Canonicis*, non de aliis. In Bibliorum enim volumine, quo vulgo utimur, duplicis sunt generis libri, quorum alii vocantur *Canonici*, alii vero *Apocryphi*. *Canonici in Vetere Testamento* sunt *quinque libri Moysis*, videlicet, *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri*, & *Deuteronomium*. Deinde *liber Josue, Judicum, Ruth, duo Samuelis, duo Regum, duo Chronicorum*, sive *Paralipomenon: liber Esdræ, Nehemiæ, Esther*. Item *Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum: quatuor Prophetæ majores*, nempe *Esaias, Jeremias* cum *ejusdem Threnis* seu *Lamentationibus, Ezechiel* & *Daniel: Duodecim minores*, scil. *Oseas, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias* & *Malachias. In Novo Testamento, Evangelia quatuor, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam*, & *secundum Joannem: Acta Apostolorum, Epistolæ Pauli*, videl. *una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Ephesios, una ad Philippenses, una ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, duæ Epistolæ Petri, tres Joannis, una Judæ, & Apocalypsis Joannis*. Hi libri dicti sunt *Canonici* à voce Græca *κανὼν*, quæ tum *Regulam* tum *Catalogum* significat: nam & Regulam continent fidei, atque morum, quam nos oportet sequi, & jam olim recensiti fuerunt in Catalogo librorum sacrorum, quos à viris *θεοπνεύστους* scriptos esse constabat.

II. *Apocryphi libri* sunt, *Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, tertius, & quartus Esdræ, tres libri Machabæorum, quædam additamenta ad librum Esther, & Danielis*, atque *oratio Manassis*. Atque ita dicti sunt à verbo *ἀποκρύπτω abscondo*, sive quod authores habeant absconditos, de quibus non est certum ipsos in scribendo à Deo afflatos fuisse; sive quod tanquam dubiæ fidei non debeant in medium proferri ad confirmanda religionis dogmata, sed potius abscondi, & occultari. Cavendum est ergo ne æquentur aliis libris indubie divinis, seu par iis auctoritas tribuatur; etsi fateamur eos multa præclare dicta continere, quæ ad fidei, & morum institutionem non inutiliter legi possunt, modo id fiat cum judicio, quo humana à divinis discernantur.

III. Pontificii tamen maximam *Apocryphorum* librorum partem pro *Canonicis* recipiunt, qui parem cum cæteris auctoritatem habeant, excepto solum *tertio & quarto Esdræ*, una cum *oratione Manassis*. Sed male: ut ostendo primum argumento generali uno, deinde aliquot specialibus. Generale argumentum nostrum hoc est; illi in V. Testamento libri pro Canonicis, seu divinis non sunt habendi, quos Ecclesia vetus Judaïca pro talibus non agnovit. *Et enim credita sunt eloquia Dei, Rom.* III. 2. Quæ diligentissime ipsam custodiisse, saltem post reditum à captivitate Babylonica, cum Esdras omnes libros Sacros in unum volumen collegisset, Judæi, & Christiani scriptores testantur. Alioquin si Judæi Scripturarum mutilationis rei fuissent, Dominus Jesus, qui Scribas, & Pharisæos tam libere variorum peccatorum redarguit, nunquam istud adeo enorme dissimulavisset. Ecclesiæ autem Judaïcæ libros istos controversos, tanquam eloquia Dei creditos non fuisse, eamque ipsos pro Canonicis non recepisse, sequentibus rationibus probatur. 1°. Quod nunquam comprehensi fuerunt in archetypo scripturarum Hebraïco. Is enim viginti duos libros tantum habebat, ut discimus ex Josepho *lib.* I. *contra Appionem*. Qui numerus ut inveniretur, in unum conjungebant duos libros Samuëlis, item duos Regum, duos Chronicorum, Nehemiam cum Esdra, nec non duodecim Prophetas minores: sicut etiam Ruth cum libro Judicum, & Threnos cum Jeremia, tanquam eorum appendices. 2°. Quod plerique istorum librorum non fuerint, ut reliqui, lingua Hebraïca scripti, qua Judæi utebantur; sed Græca. Absurdum enim esset existimare Deum populo suo normam fidei & vitæ, lingua peregrina, quam non intelligeret, tradere voluisse. 3°. Quod Prophetas, ut cæteri omnes Canonici, non habuerint auctores. Nam post Malachiæ tempora scripti sunt, qui (ut fatentur Judæi) ultimus fuit Prophetarum. Qua de re sic Josephus loco contra Appionem modo citato; *Ab Artaxerxe vero, usque ad nostrum tempus, singula quidem conscripta, non tamen prioribus simili fide sunt habita, eo quod non fuerit certa successio Prophetarum.*

IV. Illos autem solos V. Testamenti libros, qui populo Judaïco à Deo crediti, & ab illo tanquam divini sunt recepti, nobis nunc pro Canonicis habendos esse, consentiente veterum Christianorum testimonio probatur. Primo se offert *Synodus Laodicena*, Anno Domini 364 celebrata, quæ postquam canone ultimo dixisset, non oportere privatos Psalmos in Ecclesia legi, aut libros non Canonicos, sed solos Canonicos Veteris, &

Novi Testamenti, eorum catalogum subjungit, per omnia cum illo, quem supra apposuimus, convenientem, nisi quod Apocalypsin omittit. Etsi autem hæc Synodus fuerit particularis; ejus tamen canones postmodum in codicem illum Ecclesiæ Catholicæ relati sunt, qui à Justiniano Imperatore fuit confirmatus, & iterum in Synodo Constantinopolitana in Trullo approbati. Secundo *Melito Sardensis*, vir Apostolicus, qui circa A. D. 160. floruit. De quo Eusebius *hist. Eccles. lib. 4. cap. 25. vel 27.* narrat, eum in Orientem idcirco profectum fuisse, ut accurate verum Testamenti Veteris canonem cognosceret. Quem deinde ex quadam illius ad Onesimum epistola proponit eundem, quem & nos amplectimur, excepto solum quod Sapientiam inter libros Salomonis recenset; quanquam hic textus Græci lectio variat, & Sapientiam pro eodem cum Proverbiis libro habet. Tertio *Origenes*, qui circa A. D. 200 vixit. De quo idem Eusebius *lib. 6. cap. 19. vel 25.* scribit, eum Psalmum 1. exponentem eosdem plane Veteris Instrumenti libros, quos supra enumeravimus, recensuisse, nempe XXII, quot sunt apud Hebræos Alphabeti literæ. Quarto *Athanasius*, qui circa A. D. 330 floruit; qui in Synopsi S. Scripturæ, post enumeratos illos V. Testamenti libros, quos agnoscimus, ita concludit: *sunt itaque Canonici V. Instrumenti libri XXII, literis Hebraicis numero pares. Totidem enim apud Hebræos sunt literarum elementa. Præter istos autem sunt adhuc alii V. Instrumenti libri, non Canonici, &c.* Quinto *Hilarius Pictaviensis* A. D. 350. Prologo in Psalmos dicit; *& ea causa est ut in XXII libros lex V. Testamenti deputetur, ut cum literarum numero convenirent, &c.* Et postea istos libros ordine recenset, eosdemque quos agnoscimus, excepto solum quod epistolam Baruch, Jeremiæ adjungat. Sexto *Cyrillus Hierosolymitanus* circa A. D. 363. Qui *Catechesi* IV, eundem Canonicorum librorum catalogum exhibet. Ubi etiam illos reprehendit, qui plures XXII. libros in hunc ordinem adsciscunt, quasi Apostolis, veteribusque Episcopis, Ecclesiæ Antistitibus, sapientiores esse vellent. Septimo *Ruffinus, Aquileiensis presbyter* circa A. D. 380. Qui *in expositione symboli Apostolici*, ab aliis Cypriano attributa, eosdem nobiscum libros pro Canonicis agnoscit. Et postquam illos enumerasset, sic concludit; *Sciendum tamen est quod & alii libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici, à majoribus sunt appellati; ut est Sapientia Salomonis, & alia Sapientia filii Sirach; qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur; quo vocabulo non auctor libelli, sed Scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem ordinis est libellus Tobiæ, & Judith, & Machabæorum libri &c. Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras vero Scripturas Apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiâ legi noluerunt.* Octavo *Hieronymus*, Ruffini contemporaneus, in *Prologo galeato*, qui Vulgatæ Bibliorum versioni Latinæ præfigi solet. *Hic Prologus*, inquit, *Scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest; ut scire valeamus, quicquid extra hos est, inter Apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Jesu filii Syrach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone. Machabæorum primum librum Hebraicum reperi. Secundus, Græcus est; quod ex ipsa quoque phrasi probari potest.* Vide etiam ejusdem præfationes in primum librum Paralipomenon, item in Esdram, & Nehemiam, & in Salomonis libros. Nono *Gregorius Nazianzenus*, circa A. D. 370. qui in suis carminibus de libris Scripturæ divinitus inspiratæ legitimis, idem sentit. Decimo *Epiphanius*, qui eodem tempore vixit, in libro *de Mensuris & Ponderibus* non alios agnoscit V. Testamenti libros Canonicos quam qui sunt in Bibliis Hebraicis. Quibus plures alios, si opus foret, possem adhuc adjungere, etiam ex posteriorum seculorum doctoribus, & ex ipsis Pontificiis, qui in eadem nobiscum super hac re sunt sententia, ut *Joannem Damascenum, Nicephorum Callistum, Rabanum Maurum, Nicolaum Lyranum, Hugonem de S. Victore, Thomam à Vio Cardinalem Caietanum, Benedictum Ariam Montanum, &c.* Sed hi, quorum testimonia citavi, sufficiunt.

CAPUT VII.

Libris Apocryphis plurima deesse ad auctoritatem Canonicam.

I. *Quid desideretur in libro Tobiæ.* II. *Historia Judith.* III. *Libro Baruch.* IV. *Libro Sapientiæ.* V. *Et Ecclesiastico.* VI. *Tertio & quarto Esdræ.* VII. *Libris Machabæorum.* VIII. *Additionibus ad Hester*, IX. *& ad Danielem.* X. *Pontificiorum argumenta pro auctoritate librorum Apocryphorum refelluntur.*

I. Specialia adversus libros Apocryphos argumenta desumam ex singulorum consideratione, unde quid ipsis desit ad auctoritatem Canonicam apparebit. *De libro Tobiæ* scribit Hieronymus in præf. suâ; *Hebræos ipsum de catalogo divinarum Scripturarum secantes, his quæ Hagiographa memorant mancipasse.* Nec immerito id fecerunt, cum in eo varia legantur quæ palam est à Spiritu Dei non fuisse profecta. 1. inducit Raphaëlem Angelum mentientem, cum se Azariam, filium Ananiæ, fratris Tobiæ esse dicit, *cap.* V. 2. Absurdum est quod de Dæmone maritorum Saræ rivale narrat, *cap.* VI. 3. Consilium istius Angeli de fugando Dæmone per suffitum ex jecore piscis, *eodem capite* superstitionem sapit. His adde 4. quod Chaldaïcus Tobiæ archetypus, cujus meminit Hieronymus, hodie amplius non extet; & magna sit inter Græcam & Latinam editionem, quæ nobis supersunt, non tantum diversitas, sed etiam contrarietas, atque incertum sit, quam ex illis pro genuina oporteat amplecti.

II. *De libro Judith*, idem Hieronymus scribit in præf. sua, *ipsum apud Hebræos inter Hagiographa legi,*

legi, ejusque auctoritatem ad roborandu illa, quæ in controversiam veniunt, minus idoneam judicari. Addit quidem postea: *hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse.* Sed non significat quo in loco. In Canonibus suis certe id non fecit. Isti autem libro fidem detrahit: 1. quod nullum conveniens tempus historiæ, quæ in eo narratur, assignari potest. Dicitur quidem *capite* v. contigisse sub Nabuchodonozore Assyriorum rege, post æquatum solo templum Hierosolymitanum, & reditum populi Judaïci ex captivitate Babylonica. Sed nullus fuit Nabuchodonozor, rex Assyriorum, postquam Judæi ex captivitate Babylonica redierunt, Assyriis Persarum, & Medorum imperio subjectis, ut ex Danièle, & aliis historicis constat. 2. Josephus, rerum à gente sua gestarum scriptor diligentissimus, nullam hujus historiæ mentionem facit; quam ignorare non potuisset, si vera fuisset; nec voluisset prætermittere, si pro tali agnovisset.

III. *Liber Baruch* pseudepigraphus est. Fingit Auctor se Baruch, filium Neriæ, illum nempe, de quo legimus Jerem. XXXVI. qui Prophetæ fuit amanuensis. Sed si res ita se haberet, lingua Hebræa scripsisset, sicut Jeremias; non Græca, quam verisimile est γνήσιον Baruch ignorasse. At phrasis Græcanica auctorem hujus scripti Græcum esse manifeste arguit; in quo etiam *cap.* VI. *vers.* 2. contra Sacrorum Scriptorum morem, septem generationes accipit pro septuaginta annis, quos Deus Babylonicæ captivitati præfiniverat, uni generationi decem tantum annos tribuendo. Cæterum libellus est lectu non inutilis, & in quo præter nominis suppositionem, nihil fidei, aut bonis moribus contrarium occurrit.

IV. *Sapientia* quoque, liber est pseudepigraphus, teste Hieronymo Præf. in libros Salomonis. Auctor quidem loquitur, quasi esset Salomon, dicens; *tu me elegisti Regem populo tuo, & dixisti, me ædificare Templum in monte sancto tuo* &c. *cap.* IX. *v.* 28. quæ in nullum alium, quam in Salomonem quadrant. Sed in contrarium aliquot sunt indicia, quæ ipsum à Salomone compositum non fuisse ostendunt. 1. Quod iste auctor innuit Israëlitas, cum eum scriberet, sub inimicorum suorum oppressione gemuisse. *Omnes*, inquit, *insipientes sunt inimici populi tui, & imperantes illi. cap.* XV. *vers.* 14. Quod Salomonis felicissimo tempori non convenit, *qui dominabatur omnibus regibus, à flumine ipso* (nempe Euphrate) *usque ad terram Philistinorum, & usque ad fines Ægypti 2 Chron.* IX. *v.* 26. 2. Quod Judæi ipsum pro genuino Salomonis fœtu, aut Canonico Scripto non agnoscunt; cum tamen ob Salomonis reverentiam Canticum Canticorum (de quo multo major est dubitandi causa) libenter recipiant. 3. Quod nonnulli ex veteribus, ut refert Hieronymus, hunc esse Philonis Judæi affirmant. Et sane stylus ejus Græcam eloquentiam redolens, magnam cum Philonis stylo affinitatem habet. Iste autem Philo non fuit Propheta; imo, cum post Christi adventum vixerit, Christianam Religionem amplexus non est. 4. Cum aliquando Augustinus quandam ex hoc libro sententiam citasset, reclamatum est à fratribus, librum non esse Canonicum; ut ipse narrat, libro *de prædestinatione Sanctorum cap.* XIV. Monet tamen, *utile esse scriptum, & non contemnendum*; quod nos etiam facile concedimus, id solum caventes, ne divinis Scripturis exæquetur.

V. *Ecclesiastici librum* dicit quidem Hieronymus Præf. in libros Salomonis, se Hebræum vidisse. Sed tamen eum pro divino non agnoscit; imo satis aperte rejicit, inquiens; *sicut Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit; sic & hæc duo volumina* (nempe Sapientiam Salomoni adscriptam, & Ecclesiasticum, seu Panæreton) *legat ad ædificationem plebis; non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Jesus filius Syrach vertit eum in Græcum sermonem ex Hebraïco avi sui, ut ipse in Prologo testatur. Ubi & veniam sibi dari petit, si Hebræa non satis commode reddiderit; quod à θεοπνεύστων scriptorum more alienum est. Et quamvis iste liber multa eximia bene vivendi præcepta tradat, ideoque sit lectu dignissimus, occurrunt tamen in eo quædam vanitatis humanæ indicia; ex. gr. quod inter Samuëlis Prophetæ laudes refert ipsum prophetasse postquam obdormivisset, & Regi (Sauli) finem vitæ ejus ostendisse, *cap.* XLVI. *vers. ult.* Quasi verus Samuël hæc protulisset, & non potius spectrum aliquod à Saga arte Diabolica excitatum.

VI. *De tertio, & quarto Esdræ libro* non est opus ut multis agamus. Pontificii enim ipsos apocryphos esset fatentur, nec unquam in Hebræorum Canone fuerunt; & ambo Esdræ falso attribuuntur. *Tertius*, qui in Bibliis Græcis primum inter Esdræ libros locum occupat, totus est consarcinatus, tum ex duobus postremis capitibus libri 2 Chronicorum; tum ex veri Esdræ & Nehemiæ historia: excepta illa trium juvenum disceptatione coram rege Dario de re omnium fortissima, *cap.* III. *&* IV. Quid in eo desideretur, patebit illis, qui ipsum cum libris, unde est desumptus, conferre volent. *Quartus* tantum Latine extat. Auctor illius sibi Esdræ Sacerdotis nomen assumit, & se ipsum pro Divinitus inspirato Propheta venditat. Sed utrumque falso. De adventu Christi tanquam post quadringentos annos futuro vaticinatur; cum tamen appareat satis evidenter illum diu post Christi in carne tempora vixisse, quem diserte Jesum Christum Dei filium vocat *cap.* II. *vers.* 47. & *cap.* VII. *vers.* 28, 29. Videtur ergo fuisse Christianus; sed ex Judaïsmo conversus, licet eum non penitus ejuraverit. Judaïcis enim fabulis est refertus, qualis illa est de duobus animantibus Henoch, & Leviathan, tam prodigiosæ magnitudinis, ut mari contineri non possent, *cap.* VI. *v.* 49. *& seqq.* Impudenter etiam comminiscitur S. legis libros incendio periisse, & à se per Spiritus Dei revelationem, quadraginta

dierum ſpatio reſtitutos fuiſſe, aſſumptis quinque viris ταχυγράφοις quibus ducentos & quatuor libros dictaverit. Quod mendacium docte refellit Bellarminus *de verbo Dei lib.* II. *c.* I.

VII. Ex *tribus Machabæorum libris*, Pontificii *tertium* Apocryphum eſſe agnoſcunt; ſed *duos priores* in Canonem eſſe recipiendos pertendunt, quanquam immerito. Eccleſia enim Judaïca eos nunquam pro divinis recepit, nec primitiva Chriſtiana, ut ante vidimus. Et ſane primum librum à Propheta ſcriptum non fuiſſe, inde apparet, quod ejus auctor, nullos iſtis, de quibus agit, temporibus Prophetas inter Judæos extitiſſe confitetur. Vide *cap.* I v. 44, 45, 46. ubi dicit, *lapides altaris holocauſtorum à Juda diruti, quia à gentibus profanatum erat, repoſitos fuiſſe in loco apto, donec exſurgeret aliquis Propheta, qui reſponderet, quid de illis eſſet faciendum:* quod ipſe potuiſſet docere, ſi Propheta fuiſſet. Et *cap.* IX. 27. *facta eſt afflictio magna in Iſraële, qualis non fuit ab eo tempore quo non eſt viſus Propheta inter eos. De ſecundo* quoque *libro* id ipſum evincit, quod auctor dicit *cap.* II. 24. *ſe in epitomen redegiſſe quinque libros Jaſonis Cyrenæi*; qui fuit homo obſcurus, nulloque divino teſtimonio commendatus, unde eum Prophetam fuiſſe conſtet. Item quod in fine libri, *veniam ſibi dari petit, ſi minus bene, & convenienter hiſtoriæ ſcripſerit:* quod alienum eſt ab eo, qui ex Spiritus divini inſtinctu ſcribit. Hieronymus in *Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum*, eos à Joſepho, Antiquitatum Judaïcarum auctore, compoſitos eſſe putat. Deinde multa in utroque libro occurrunt falſa, & Spiritu S. indigna. Quale eſt *primò*, quod dicitur de Alexandro Magno, *illum cum mortem ſuam inſtare agnoſceret, vocaviſſe nobiles, qui ſecum erant nutriti à juventute, & diviſiſſe illis regnum ſuum, cum adhuc viveret*, *lib.* I. *cap.* I. 7. Quod omnium tam Græcorum quam Latinorum hiſtoriographorum teſtimonio repugnat. *Secundò*, quod de Romanis ſcribitur, *eos quotannis uni homini Magiſtratum ſuum committere, ut univerſæ terræ ſuæ dominetur, & omnes uni obedire, lib.* I. *cap.* VIII. 16. Cum tamen conſtet illis temporibus, duos Conſules ſingulis annis Romæ creari ſolitos, qui Rempublicam adminiſtrarent. *Tertiò*, pugnantia in iis narrantur de morte Antiochi Epiphanis: nam *lib.* I. *cap.* VI. 4, 8. *&* 16. dicitur *eum in Babyloniam reverſum, præ triſtitia in languorem incidiſſe & illic extinctum fuiſſe.* Sed *lib.* II. *cap.* I. 16. dicitur *eum lapidibus in templo Nanææ fuiſſe obrutum, deinde membratim diſcerptum, & obtruncatum.* Et *ejuſdem libri cap.* IX. 28. dicitur *peregrè in montibus, miſerabili obitu, vita functus. Quartò*, narratur *lib.* I. *cap.* IX. 3, *&* 18. *Judam anno* 152. (nempe regni Græcorum, ut apparet ex *hujus libri cap.* I. II.) *in prælio occubuiſſe.* At *libro* II. *cap.* I. 10. dicitur, *anno* 188. hoc eſt totis 36. poſt obitum annis, *Epiſtolam ſcripſiſſe. Quintò*, narratur, *libro* II. *cap.* II. 4, 5, 6, 7, 8. *Jeremiam in ſpelunca occultaſſe tabernaculum, & arcam, & altare incenſi; & dixiſſe, ignotum fore locum, donec Deus iterum congregaret populum, & tunc Deum ipſum oſtenſurum.* At, quemadmodum teſtantur Judæi, hæc poſt reditum è captivitate Babylonica nuſquam ſunt inventa. Ut jam non dicam, Jeremiam hæc occultare non potuiſſe, nec ante captam Hieroſolymam, cum detineretur in carcere, *Jerem.* XXXVII. *&* XXXVIII. Nec poſt eam captam, quia tunc Aſſyrii omnia iſta in poteſtate ſua habebant, quos ſibi tam opimam prædam è manibus eripi permiſiſſe non eſt credibile. *Sextò*, eodem libro II. cap. XIV. 37, &c. laudatur Razias, quod ſe ipſum interemiſſet; *eligens* (inquit hic ſcriptor v. 42.) *nobiliter mori, potius quam ſubditus fieri peccatoribus, & contra natales ſuos indignis injuriis agi. Septimò* & poſtremo *lib.* II. *cap.* XII. 39. *& ſeqq.* laudatur factum Judæ Machabæi, *qui ſacrificium obtulit pro idololatris in peccato ſuo cæſis*; cum tamen pro talibus peccatis, nulla, præſertim poſt mortem, ſecundum legem fieri poſſet expiatio. Et poſtquam auctor dixiſſet *v.* 40. *factum illud, ob quod milites iſtos interemptos fuiſſe conſtabat, lege eſſe prohibitum*, nempe *Deut.* VII. 25, 26. tanquam ſui oblitus, paulo poſt *v.* 45. addit, *eos cum pietate obdormiſſe.* Quam autem Pontificii hinc elicere volunt concluſionem, Recte preces & ſacrificia offerri pro defunctis ad illos ex ignis purgatorii cruciatibus liberandos, plane inconſequens eſt, etiamſi hujus libri fides non laboraret. Auctor enim dicit *v.* 43, & 44. *Judam ſacrificium iſtud offerendo, religioſe de reſurrectione cogitaſſe, alioquin ſuperfluum fore & vanum* (ληρῶδες habet textus Græcus) *orare pro mortuis, niſi eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaviſſet.* At Pontificii cum preces & ſacrificia pro defunctis offerunt, non cogitant de reſurrectione illorum, (quam piis una cum impiis communem fore credunt; cum Judæi impios, & quorum peccata non fuerunt expiata, in morte æternum manſuros opinentur) ſed de liberatione è purgatorio. Superfluum ergo & vanum, ſecundum hunc auctorem, opus faciunt. Unde patet locum iſtum, de quo tantopere gloriantur, plus ipſis obeſſe quam prodeſſe: & nos cauſam non habere, cur in diſputatione cum ipſis, iſtorum librorum auctoritatem multum refugiamus.

VIII. *In additionibus ad librum Eſther*, quæ Hebraïcè non extant, non ſolum iteratur ſuperflue earundem rerum narratio; ſed etiam multa occurrunt, quæ cum genuino Eſther libro pugnant. Quale eſt 1. quod vera hiſtoria dicit Mardochæum nullum ob detectam duorum Eunuchorum in regem Aſſuerum conjurationem, præmium accepiſſe, *cap.* VI. *v.* 13. Additiones vero dicunt, data ei fuiſſe pro delatione munera, *cap.* XII. *v.* 5. 2. Vera hiſtoria dicit Aſſuerum benigne Reginam Eſther ad ſe ingredientem aſpexiſſe, *cap.* V. *v.* 2. Additiones vero dicunt, eum ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſe, adeo ut Eſther præ metu in λειποψυχίαν inciderit, *cap.* XV. *v.* 9, 10. 3. Vera hiſtoria dicit Hamanem fuiſſe Agagæum, (id eſt ex proſapia Agag, regis Hamalekitarum) *cap.* VIII. 13. Additiones vero dicunt

cunt ipsum fuisse Macedonem *cap.* VI. 10. & regnum Persarum transferre voluisse in Macedones, ibidem *v.*14. Quod ridiculum est; cum Macedones tunc temporis nullarum, tanti imperii respectu, virium essent. Quæ Nicolaus Lyranus perpendens, Additiones istas commentario non est dignatus, sicut veram historiam fecerat: *quia* (ut inquit in fine sui operis) *non sunt in Hebræo nec de Scriptura Canonica; sed magis videntur à Josepho, & aliis scriptoribus conficta, & postea vulgata editioni inserta.*

IX. *De Additionibus ad Danielem* ita scribit Hieronymus Præf. sua in hunc Prophetam: *apud Hebræos* (Daniel) *nec Susannæ habet Historiam, nec Hymnum trium puerorum, nec Belis, Draconisque fabulas: quas nos, quia toto orbe dispersæ sunt, veru anteposito, easque jugulante subjecimus; ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.* Deinde ex quodam Judæo refert paronomasiam illam ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσει, ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσει, id est de schino seu lentisco scindet; de prino, seu ilice secabit, arguere partem illam *de Susanna* à Græco aliquo fuisse confictam. Nec sane Daniel, qui Hebraïcè aut Chaldaïcè loquebatur, hujuscemodi vocibus uti potuit. Ibidem illud quoque à vero abludit, quod dicitur Daniel adhuc puer, & nullo publico munere fungens, rescidisse judicium Seniorum, qui populi judices erant constituti, & viribus ad sua decreta exsequendum armati. Et quod de Habacuc narratur *in Historia Belis & Draconis*, eum coma capitis ex Judæa in Babylonem momento temporis ab Angelo transportatum, idque in eum finem, ut prandium ferret Danieli, fabulam potius, quam veram historiam sapit, cum nihil simile usquam in Scripturis Sacris legatur: ut ibidem dicit Hieronymus, ex aliena quidem persona, sed ita tamen, ut illud non obscure approbet. *In cantico trium puerorum* in fornace Babylonica nihil desideramus, nisi quod ex speciali Spiritus S. afflatu non fuerit conscriptum, & Ecclesiæ ad fidei & morum normam traditum: alioquin, quod ad materiam attinet, non male cum Scriptura Canonica congruit. Quod etiam *de regis Manassis oratione* dici potest.

X. Concludo itaque libros istos indignos esse, qui cum Canonicis auctoritate exæquentur, & nos merito in Apocryphorum classem eos amandare. Pontificii quidem in contrarium objiciunt *Canones Apostolorum, Concilium Carthaginense* III, A. D. 397. *Florentinum* A. D. 1438. & *Tridentinum* superiore seculo celebratum. Sed hæc exigui sunt momenti respectu eorum, quæ pro nostra sententia attulimus: Nam 1. quod attinet ad *Canones* vulgo dictos *Apostolorum*, jamdudum constat inter eruditos falso illos divinis illis viris attribui. Deinde non possunt eorum se tueri auctoritate, quin pariter in Canonem recipiant Machabæorum librum tertium, Clementis duas Epistolas, & Constitutionum libros octo; contraque Tobiam, Judith, & Sapientiam inde excludant. Adde quod in Constitutionibus Apostolicis Clementi Romano, sicut & isti Canones, attributis *lib.* II. *cap.* 57. vel 61. extat Catalogus librorum Sacrorum, ubi nec Sapientiæ, nec Ecclesiastici, nec Tobiæ, nec Judith, nec Machabæorum ulla fit mentio. 2. *Concilium Carthaginense* fuit tantum provinciale, & præjudicare non potest Laodiceno 33 annis ante habito; imo adhuc multo recentius esse videtur, cum in fine Canonis 47. ubi S. librorum numerus recensetur, mentio fiat Bonifacii, qui A. D. 419. Episcopus Romanus creatus est. Ne jam dicam Pontificios Concilii illius canonem 26 repudiare, in quo vetatur ne Episcopus primæ sedis, Princeps sacerdotum, aut summus sacerdos appelletur. 3. *Concilia Florentinum, & Tridentinum* nimis sunt recentia, ut tanto veterum consensui opponantur, & non sine manifesta in conscientias tyrannide libros istos in Canonem referendos esse decreverunt. Quod tamen ideo non dico, quod putem eos nobis adversari. Certus enim sum nihil inde posse afferri, quod ad dogmata inter nos & Pontificios controversa, quod recte intellectum, aut causæ illorum faveat, aut nostræ quicquam obsit.

CAPUT VIII.

De libris Novi Testamenti, de quibus fuit dubitatum.

I. De quibus libris dubitatum fuerit. II. Rationes dubitandi nullas esse. III. De Epistola Jacobi. IV. De Epistola ad Hebræos. V. De Apocalypsi. VI. De aliis quibusdam libris librorumque particulis.

I. In Novi Testamenti codice, quo nos hodie utimur, nulli sunt libri Apocryphi. Dubitatum quidem est olim de quibusdam, an ab illis Apostolis, quibus vulgo tribuebantur conscripti fuissent; nempe de *Epistola Jacobi*, de 2 *Petri*, de 2 & 3 *Johannis*, de *Epistola Judæ*, de ea quæ est *ad Hebræos*, & *de Apocalypsi*: ut testatur Euseb. *Histor. Eccles. lib.* III. *cap.* 3. & *cap.* 25. & *lib.* VI. *cap.* 13. Sed procedente tempore, cum diligentius inquisitum esset in illorum auctores, & compertum eos ab Apostolis scriptos, vel saltem approbatos fuisse, dubitatio illa sponte evanuit; adeo ut pauci nunc sint Christiani, qui eos pro Canonicis suscipere recusent. Causæ suspectos habendi istos libros, fuerunt; tum quod serius ad notitiam Christianorum venissent, quam reliqui, nimirum postquam libri Apostolici in unum corpus fuissent compacti, & persuasum vulgo esset, nullos alios præter eos, qui isto volumine continebantur genuinos esse Apostolorum fœtus; tum quod putarent quædam in illis haberi cum libris indubitato canonicis pugnantia: ex. gr. id quod legimus in Epistola Jacobi *cap.* II. *hominem justificari ex operibus, & non ex fide tantum*; quod in Epistola ad Hebræos *cap.* VI. & X. lapsis post baptismum in grave aliquod peccatum videatur omnis veniæ spes adimi. & quod Apocalypsis *cap.* XX. Chiliastarum opinioni, de Regno Christi in terris, faveat. Veteribus istis accedunt hodie

hodie Lutherani, & præfatos libros inter *Apocrypha* rejiciunt, aut pro *Deutero-Canonicis*, qui inferioris cæteris sint auctoritatis, tantum habent; quod videntur potissimum facere propter *Epistolam Jacobi*, cujus sententiam de justificatione, doctrinæ Pauli adversari existimant. Alioqui satis honorifice loquuntur *de Epistola ad Hebræos* & *de Apocalypsi*. Et quod attinet ad 2 *Petri*. 2 & 3 *Joannis* & *Judæ Epistolam*, vix habent quod in illis reprehendant.

II. Sed istæ objectiones tanti non sunt momenti, ut propterea tam præstantes libri apud nos auctoritatem amittere debeant: Nam 1 etiamsi satis non constet de quorundam scriptoribus, ut, an Epistola ad Hebræos sit Pauli, an vero Barnabæ, aut Clementis; Et an 2 & 3 quæ Joannis nomen præferunt, sint Apostoli Joannis, an alterius Joannis cognomento Senioris, ut quibusdam olim visum est: id nobis debet merito sufficere, quod multi veteres, qui id accurate scrutati sunt, testentur, libros istos controversos à viris divinis & Apostolicis compositos fuisse. 2. Repugnantia quæ illis objicitur cum libris indubitato Canonicis, non est difficilis conciliatu, modo eadem hic adhibeatur æquitas, quam vulgo interpretes in aliis scripturæ S. ἐναντιοφανείαις afferre solent.

III. Quod enim Jacobum putant dissentire à Paulo, docente hominem justificari fide absque operibus legis, *Rom.* III. *Galat.* II. id profectum est à prava mentis Paulinæ expositione, quasi ille omnia in universum opera à justificatione hominis coram Deo excluderet, cum loquatur tantum de operibus Legis, quatenus ab operibus Euangelicis & ex fide profectis differunt, id est, de Legis Mosaïcæ Ceremoniis, qualis erat Circumcisio, cujus imprimis necessitatem urgebant qui ex Pharisæis Christo nomen dederant, ut videre est *Act.* XV. Nam adversus illos ita disputat, ut manifestum sit ipsum nihil minus quam de excludenda à justificatione mandatorum Christi obedientia cogitasse; dicens *in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere neque præputium: sed fidem quæ per charitatem operatur, novam creaturam, & observationem mandatorum Dei*. Galat. v. 6. & VI. 15. 1 Cor. VII. 19. item, *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificantur*. Rom. II. 13. aliaque ejusmodi plura, quæ cum Jacobi sententia ad amussim conveniunt.

IV. In capitibus vero Epistolæ ad Hebræos allegatis non agitur de quibusvis Christianis graviter lapsis: sed tantum de Apostatis, qui à Religione Christiana, de cujus veritate in cordibus suis convicti sint, deficiunt. Nec ibi omnis remissionis spes [illegible] ipsis præscinditur: sed tantum ordinariæ & Novo Fœdere, cui Apostasia sua renunciarunt, promissæ; quod non obstat quominus extraordinaria Dei gratia converti & salvari possint.

V. Denique locus ex Apocalypsi *cap.* XX. citatus, nihil omnino facit pro crassa illa, quæ Chiliastis tribuitur, opinione, Christum & ejus fideles per mille annos in omnis generis deliciis & carnis voluptatibus super terra regnaturos. Ita ut hoc prætextu rejici non debeat tam excellens prophetia, tot salubribus documentis referta.

VI. Si quis tamen aliquo conscientiæ scrupulo motus, non audeat libros istos reliquis, de quibus nunquam dubitatum est, per omnia exæquare, eum idcirco condemnare nolim, persuasus opinionem istam nullum necessariis fidei capitibus, quæ abunde in reliquis non controversis Novi Test. libris traduntur, detrimentum allaturam. Quod etiam applicari potest illis librorum aut capitum particulis, quæ in quibusdam codicibus desiderantur, ut 12 *ultimis versibus cap.* XVI. Marci à versu 9 inclusive usque ad finem; & 12 *primis versibus cap.* VIII. Joannis & aliis: Idem judicium esto *de libro Hermæ*, qui inscribitur *Pastor*, & olim inter Scripturas Sacras Novi Fœderis recensebatur, de quo Eusebius *Hist. Eccles. lib.* III. *cap.* 3. dicit, *eum tametsi à nonnullis in quæstionem vocaretur, ideoque Scripturis, omnium consensu receptis, non esset annumerandus, ab aliis tamen pernecessarium fuisse judicatum, & in Ecclesiis publice lectum.* Et sane libellus est antiquissimus, jam à temporibus Apostolorum conscriptus, & qui nihil ab ipsorum doctrina alienum continet: Sicut & *Clementis Epistola ad Corinthios*, de qua idem Euseb. *lib.* III. *cap.* 16. *vel* 12 *vel* 14. scribit: *hanc sane cum veterum, tum nostra ipsorum memoria, plurimis in Ecclesiis publice lectam usurpatamque cognovimus. De Euangelio secundum Hebræos* nihil opus est hic quicquam addere, cum hodie non amplius extet, maxime eo gaudebant olim Hebræi illi, qui doctrinam Christi amplexati erant, Euseb. *lib.* III. *cap.* 25. *vel* 19. *vel* 22.

CAPUT IX.

De textu S. Scripturæ authentico & versionum antiquarum auctoritate.

I. *Auctoritatem S. librorum residere in linguis Originalibus.* II. *De auctoritate versionis Græcæ* LXX. *& Latinæ vulgata.* III. *Nec textum Hebraïcum à Judæis,* IV. *aut Græcum ab Hæreticis corrumpi potuisse.* V. *Potuisse tamen nonnulla vitia in Hebræos fontes irrepsisse.*

I. QUemadmodum autem soli libri Canonici auctoritatem habent divinam, ita hæc auctoritas primario residet in linguis originalibus, in quibus olim fuerunt à Prophetis & Apostolis conscripti, nempe Hebraïca quod ad Vetus, & Græca quod ad Novum Testamentum; ad quas proinde oportet confugere, cum interpretes qui transtulerunt eos in alias linguas dissident inter se, vel cum aliqua occurrit difficultas, quæ ex versionibus facile non potest solvi: Et quia *dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ*, laborandum est omnibus qui Scripturam recte intelligere cupiunt, ut eam in linguis istis originalibus legant: interpretum enim verba non debent pro Spiritus Sancti verbis haberi, nisi versiones istæ à viris divinis factæ aut approbatæ

probatæ

probatæ fuerint. Sed quando id evenit, tum pari à nobis reverentia cum textu originali suscipiendæ sunt. Quod propter *Euangelium secundum Matthæum* dico, de quo veteres, ut Irenæus, Origenes, Eusebius, Hieronymus aliique testantur, ipsum Hebraïcæ scriptum fuisse; & cujus hodie tantum superest versio Græca, sed cujus auctoritatem contemnere est nefas: cum jam statim ab initio prædicati Euangelii ab aliquo viro Apostolico fuerit facta, & in Ecclesiis, quæ Græco sermone utebantur, recepta. Item propter *Epistolam ad Hebræos*, quam dicunt à Paulo Hebraïce fuisse scriptam & à Luca Græce, ita ut illam nunc habemus, versam, sicut ex Clemente Alexandrino refert Eusebius *Histor. lib.* VI. *cap.* 13. *vel* 11.

II. Sed objicitur hic à quibusdam Pontificiis (omnes enim non sunt in eadem sententia) Prophetarum & Apostolorum αὐτόγραφα jam dudum non amplius reperiri, & superesse nobis tantum ἀπόγραφα, quibus non satis tutum sit fidere, propterea quod Judæi in odium Religionis Christianæ corruperint Hebraïcum Veteris Testamenti textum; & varii hæretici, qui fuerunt in Græcia, Novi Testamenti Græcum. Præstare ergo multum illis versionem Græcam LXX interpretum in veteri Testamento, & Latinam vulgatam in utroque Testamento, quæ factæ sint antequam originalia corrumperentur, & falsariorum manus effugerint. Ad quod respondeo primo in genere, has esse meras suspiciones, quæ nullo idoneo teste probantur, & longe ab omni verisimilitudine absunt, ita ut merito possint contemni. Cui adde Græcam versionem LXX interpretum & vulgatam Latinam in plurimis magni momenti rebus inter se dissidere, ita ut oporteat necessario alteram earum esse vitiosam; nec absque manifesta contradictione possit utraque simul ut fidelis & incorrupta commendari.

III. Deinde dico in specie, de textu Hebraïco Veteris Testamenti, eos velle ipsum à Judæis corruptum fuisse aut ante adventum Jesu Christi, aut post: neutrum autem ulla cum specie affirmari posse. Certe non ante illud tempus: nam si quid ejusmodi tentassent, nunquam id dissimulaturi fuissent Christus & Apostoli, qui ipsos de aliis longe minoribus peccatis, quam istud sacrilegium fuisset, acriter reprehenderunt; contra veteres Christiani ipsis testimonium perhibent tantæ fidei & diligentiæ in custodiendis voluminibus sacris, præsertim post reditum ex captivitate Babylonica, & ab illo tempore quo Antiochus Epiphanes ea abolere conatus est, ut major non possit adhiberi. Nec causa fuit cur vellent corrumpere, quia nesciebant quid Christus docere vel facere deberet, & an id cupiditatibus suis vel præconceptis opinionibus contrarium futurum esset. Neque post Christi adventum Hebræi Hebraïcum textum Veteris Testamenti corruperunt; nam si maxime id voluissent facere, non tamen potuissent. 1. Quia multa ejus exemplaria erant in manibus eorum qui Religionem Christianam amplexi fuerant, qui non sivissent ea corrumpi. 2. Quia paulo post dispersi fuerunt per totum terrarum orbem, nec potuissent in ejusmodi facinus consentire aut illud exsecutioni mandare. Quis enim credat omnes tam improbos fuisse, ut in Christianorum odium corrumpere vellent librum ex quo existimabant se habere vitam æternam? *Johan.* v. 39. 3. Si tali de causa cogitassent corrumpere Sacras literas, id fecissent in illis locis, quibus Christiani eos oppugnabant: atqui ea manserunt integra, & non aliter leguntur in Hebræis exemplaribus quam in Græcis & Latinis versionibus, quæ inde sunt expressæ, adeo ut si textus Hebraïcus sit corruptus, pariter fatendum sit Græcam LXX & Latinam vulgatam esse corruptas.

IV. Et quod ad Græcum Novi Testamenti textum, is descriptus fuit statim ab initio in plurima exemplaria, quæ omnia non potuerunt venire in manus Hæreticorum, ut ea corrumperent: & male sentirent de piis & orthodoxis, qui id affirmare auderent, quasi adeo negligentes fuissent in asservandis libris sacris, ut ipsis ignorantibus aut non attendentibus ab Hæreticis ita potuerint depravari ut nec ullus integer codex ad nos pervenerit; & si tantum iis licuerit in Græcos, quis credat Latinos à corruptione mansisse immunes? Scilicet sola Ecclesia Latina thesauri istius fidelis fuit custos. Credat qui volet: non ego.

V. Nolim tamen negare quin LXX Interpretes, & Auctor Vulgatæ versionis Latinæ habuerint exemplaria quibusdam in locis correctiora iis quibus hodie utimur; adeo ut ex ipsorum translationibus textus Hebraicus & Græcus, si series orationis & aliæ circumstantiæ, id omnino postulent, queant interdum emendari. Apparet enim ipsos non semel aliter in suis libris legisse, quam nunc in nostris habemus; illas autem omnes diversas lectiones, hodiernis fuisse deteriores, improbabile est; cum veteres libri, utpote ab origine sua minus remoti, recentibus soleant esse emendatiores. Neque existimo cum quibusdam, libros Hebraïcos veteris Testamenti ita mansisse integros, ut nulla in eos per exscriptorum ignorantiam aut negligentiam progressu temporis, sicut in aliis omnibus usu venit, irrepserint vitia; præsertim cum certum sit id contigisse in libris Græcis Novi Testamenti, ubi maximus numerus variarum lectionum invenitur, inter quas, singulis in locis, una tantum genuina esse potest. Sic enim sequeretur Deum non tam magnam gessisse curam librorum originalium Novi Fœderis, atque gessit Veteris; quod cederet in Religionis Christianæ opprobrium, & triumphandi de illa materiam Judæis infidelibus valde plausibilem præberet.

CAPUT X.

De Capitibus fidei ad salutem necessariis & non necessariis.

I. *Status quæstionis de Perfectione Scripturæ Sacræ.* II. *Errores aliquot circa eam notantur.* III. *Quæ pro dogmatibus necessariis non sint habenda.* IV. *Necessaria esse quæ Scriptura expressis verbis necessaria esse asserit,* V. *aut quæ per necessariam consequentiam talia esse evincuntur.* VI *Variorum Religionis Christianæ dogmatum ad hasce regulas examinatorum pondus ac momentum indicatur.* VII. *In fundamentalibus consentientes in non necessariis mutuam tolerantiam colere debere.*

I. Asserta Scripturæ S. divina authoritate, & ostenso quibus ea libris & exemplaribus competat, sequitur ut de ejusdem *Perfectione* agamus. Quo elogio significamus Scripturam S. ea omnia, quæ de Deo & ejus cultu ad salutem æternam consequendam, *creditu*, *speratu*, & *factu* sunt *necessaria*, perfecte tradere. Cum autem hæc perfectio in duobus consistat, tum ut nihil eorum, quæ istiusmodi sunt generis, omittatur, tum ut illa ita proponantur, ut facile ab omnibus, quorum interest, intelligi possint, quorum prius *Sufficientia*, posterius *Perspicuitas* vulgo dicitur, utramque Scripturæ S. convenire, seorsim erit ostendendum. Sed antequam id aggrediar, operæ pretium duxi, aliquid in genere de Capitibus religionis necessariis delibare, cum absque eorum cognitione perfectio Scripturæ neque intelligi, neque demonstrari queat. Quamvis ergo universa S. Scriptura, & singulæ ejus partes ad nostram institutionem sint utiles, adeo ut absque gravi peccato, ne minimam quidem particulam, quam Θεόπνευστον esse constet, aspernari, aut parvi pendere liceat; non tamen omnia, quæ in sacris literis continentur, ad salutem sunt cognitu necessaria; sed quædam inter utilia tantum sunt referenda, quibus salus nostra non est præcise alligata: ideoque sine ejus amissione ignorari à nobis possunt: Cujusmodi ex. gr. sunt hodie ceremoniæ Legis Mosaïcæ & multæ historiæ ad populum Israëliticum pertinentes. Idque inde patet, quod alioquin nemo quantumvis pius, & mandata Christi observans, damnationem æternam effugeret, nisi illa omnia & singula accurate & ad unguem teneret. Rursus inter utilia, quæ in Scriptura comprehenduntur, alia sunt magis, alia minus utilia. Illa sunt magis utilia, quæ majorem cum necessariis cohærentiam habent & affinitatem: minus vero, quæ minorem. Sic indubium est quin virtutum exempla, quæ in libris V. & N. Testamenti occurrunt, longe magis ad pietatem conferant, quam scire Genealogias Patriarcharum, aut qua ratione Tabernaculum Mosis & Templum Salomonis fuerint constructa.

II. Unde videre est illos graviter errare, qui cum putant se probavisse ex Scriptura aliquid esse verum, id statim in necessariorum censum referunt; cum tamen fieri possit ut nequidem nobis sit admodum utile, ex. gr. quæ Paulus de penula sua & membranis scribit, 2 *Tim.* IV. 13. & amicorum illæ salutationes, quæ in ejus Epistolis aliquoties occurrunt. Taliaque sunt non pauca, quæ licet cum fidei articulis cohæreant, ad eorum tamen essentiam non pertinent, ac proinde ignorari aut etiam in dubium revocari nihil vetat, quales sunt variæ quæstiones curiosæ de Deo & ejus attributis, de duabus in Christo naturis & earum unionis modo. In Religione Christiana, qualis ab Apostolis post acceptum Spiritum S. fuit annunciata, plura uno tempore creditu non sunt necessaria quam alio, nunc quam olim, & postquam aliquid definitum est in Concilio, quam ante. Nulla enim est autoritas humana cui articulorum fidei necessariorum numerum augere liceat. Concilia quidem possunt constitutiones aliquas facere de ordine aut regimine Ecclesiæ: sed non de rebus credendis. Pastoribus etiam & Euangelii Ministris non est opus plures fidei articulos credere, quam privatis Ecclesiæ membris. Una eademque via utrisque est calcanda, ut perveniant ad cœlum, non his brevior, illis vero longior. Etsi enim doctores pro ratione muneris quod sustinent, plura debeant scire quam Christianorum vulgus, ut veritatem solide confirment, contradicentibus os obstruant, omnesque ad officium suum hortentur; plura tamen, tanquam ad salutem necessaria, non tenentur credere.

III. Nunc qua ratione necessaria Capita ab utilibus tantum distingui queant nobis est dispiciendum. Nihil pro necessario ad salutem, neque pro valde utili, habendum esse existimo, nisi id in Scriptura S. tradatur, & quidem ita clare, ut ab unoquoque Dei timente, qui illam diligenter scrutatur, intelligi possit ibi doceri. Cujus pronunciati veritas tum demum omnibus patebit cum *Scripturæ S. Sufficientiam & Perspicuitatem* solidis rationibus adstruxerimus: sed id nunc pro concesso sumimus apud Protestantes, qualescunque sint, qui de eo nobiscum adversus Pontificios consentiunt. Et intelligimus non solum de *Dogmatibus*, sed etiam de *Verbis & Phrasibus* quibus illa enunciantur: sicut enim de Dogmate quod Scriptura ignorat, asseri nequit ipsum esse necessarium, quin ejus abnegetur sufficientia; ita neque urgeri potest vox, aut loquendi formula, qua non utitur, quin in controversiam vocetur ejus perspicuitas: Imo quin injuria fiat S. Scriptoribus & ipsi Spiritui Sancto, quo fuerunt afflati, quasi nescíverint, aut non potuerint æque commodas voces & phrases invenire atque sequentium sæculorum doctores. Non tamen eodem semper modo, ea, quæ ad salutem sunt necessaria, in Scriptura continentur; sed alia expresse & totidem verbis consignata occurrunt, alia vero per consequentiam & ratiocinationem aliquam inde eliciuntur; quæ tamen ita clara esse debet, ut omnes, qui præjudicio aut affectu aliquo non sunt excæcati, illam facile animadvertere queant. Quæ igitur neque expresse in

in Scriptura S. habentur, neque inde per manifestam consequentiam deduci possunt, ea in necessariorum; aut valde utilium, numero reponi non debent: adeoque sine salutis discrimine non solum illa ignorare, sed etiam contemnere & rejicere licet.

IV. Quia vero omnia, quæ in Scriptura S. expresse traduntur, aut inde per legitimam consequentiam colligi possunt, necessaria non sunt ad salutem; opus est ut eorum, quæ talia putantur, necessitas validis argumentis adstruatur: id autem duobus fit modis. *Primus est*, cum ostenditur S. Scripturam expressis verbis asserere aliquid ad salutem esse necessarium; vel contra, ejus adeptionem impedire: sicut enim illud est indubitatum γνώρισμα veritatis: ita hoc erroris fundamentalis. Passim autem & magno numero ibi occurrunt ista de re testimonia: ex. gr. cum dicit, *quicumque hoc credit vel facit, salvus erit, habebit vitam æternam, ingreditur in Regnum Cœlorum, beatus est, placet Deo, ex Deo est, natus est ex Deo, manet in Christo, in dilectione Christi, mercedem suam non amittet, super ipsum est pax, superavit mundum, vel malignum*; aut contra, *qui hoc non credit, aut non facit, non potest placere Deo, non videbit vitam, super eum manet ira Dei, super eum est ira & indignatio, vapulabit multis plagis, ibit in ignem æternum, ex diabolo est, mendax est*, & similes. Quare non dubito affirmare, *Dei & Christi cognitionem ad salutem obtinendam esse necessariam*, quia lego, *hæc est vita æterna, ut te cognoscant* (Pater) *solum illum verum Deum, & quem misisti J. Christum*, *Joan.* XVII. 3. item *fidem*: quia, *sine fide impossibile est placere Deo*, *Heb.* XI. 6. *qui credit in Filium habet vitam æternam, qui vero non obedit Filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super ipsum*, *Joan.* III. 36. Item *resipiscentiam*, quia dicitur, *Nisi resipueritis, omnes peribitis*, *Luc.* XIII. 3, 5. Item *observationem mandatorum Dei*, quia *Non omnis, qui dicit Christo, Domine, Domine, ingredietur in Regnum Cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris, qui est in Cœlis*, *Matt.* VII. 21, 22, 23, quibus vide similia loca *Matt.* III. 8, 9, 10. & V. 3, 4. & seq. VII. 24, 25, 26, 27. & XXV. toto. *Marc.* XVI. 16. *Luc.* XII. 8, 9, 47, 48. *Joan.* III. 16. &c. & XIII. 17, 35. & XV. 4, 5, 6, 7. 14. *Act.* II. 38. & III. 19. *Rom.* II. 6, 7, 8 9, 10. & VIII. 13. & X. 9. & 1 *Cor.* VI. 9, 10. & XV. 13, 14, 19. *Gal.* V. 19, 20, 21, 22. *Ephes.* V. 3, 4, 5, 6. & 2 *Thess.* I. 5, 6, 7, 8, 9. *Heb.* XII. 14. *Jacob.* I. 21. & seq. & 1 *Joan.* II. 22, 23. & IV. 2, 3. & V. 1, 5, 12. *Apocal.* II. & III. totis & XXII. 14, 15.

V. *Alter modus est*, cum per claram & evidentem consequentiam colligitur aliquid esse creditu, speratu aut factu necessarium; veluti si absque eo non possit promissis Dei confidi, vel mandatis obtemperari; aut contra illud damnationem afferre, quia cum eo fides promissorum Dei, vel observatio mandatorum consistere nequit. Cum enim in his duobus potissima Religionis Christianæ pars sita sit, apparet dogmata, quæ cum illis inseparabili nexu cohærent, pro necessariis etiam ad salutem esse habenda; quæ vero ipsa impediunt, aut cum iis sociari nequeunt, salutis adeptioni noxia esse. Ita ex. gr. *est necesse credere Deum esse æternum*, quia ab eo alioquin non possemus sperare vitam æternam: item *rejicere opinionem Epicuri, Deum non curare res humanas*, quia ista impedit ne studeamus ipsi placere, aut in eo fiduciam collocare.

VI. Ad istas regulas si examinentur dogmata de quibus hodie inter Christianos magna cum acerbitate contenditur, apparebit multa, quæ tanquam ad salutem necessaria urgentur, minime esse talia, imo quædam potius noxia esse & perniciosa; contra nonnulla quæ tanquam fundamentum evertentia, omnium odio digna censentur, illud nequaquam concutere, sed potius cum ipso optime convenire. Adeo ut dolendum sit Christianos idcirco tam incogitanter in partes ire, & dum id faciunt, regiam charitatis legem, sine cujus observatione constat neminem visurum Deum, tantum non pedibus conculcare. Nos, ut pacis amantibus viam præeamus, paucis, quæ in Religione Christiana nobis videntur esse necessaria, aut admodum utilia, vel contra indigna quæ in isto ordine collocentur indicabimus. Necesse est credere, Scripturam S. comprehensam libris V. & N. Testamenti communi Christianorum consensu receptis, esse Verbum Dei, eique summam exhibere reverentiam; iis, quæ narrat, aut promittit, aut minatur, credendo; & iis, quæ jubet, aut vetat, obtemperando. Necesse est credere de Deo, quod existat; item ipsum esse unum, incorporeum, æternum, immensum, omnipræsentem, optimum, justissimum, sapientissimum, potentissimum & beatissimum. Præterea illum esse Cœli & Terræ, atque omnium, quæ in ipsis sunt, creatorem; mundum providentia sua regere, præcipue hominem, quem ad imaginem suam condidit; ad ipsius actiones attendere, & bonas quidem remunerare, malas vero punire. Non est tamen necessarium credere Deum esse ita simplicem, ut in eum ne mentalis quidem compositio cadat; ita æternum, ut in eo nulla sit distinctio temporis præteriti, præsentis, aut futuri; ita immensum, ut atomus nulla dari queat, in qua essentia sua totus non sit; & ita omniscium, ut ab æterno omnia futura contingentia determinate noverit. Neque est necesse credere, in Deo tres ὁμοουσίους, seu consubstantiales esse personas, quin etiam id tuto affirmare nequit, antequam bene constet, quid nomine personæ in divinis intelligatur, & an ὁμουσία, seu consubstantialitas, quæ personis S. Trinitatis tribuitur, sit specifica, ut veteres omnes Theologi à tempore Concilii Nicæni per sex aut septem sequentia sæcula putarunt, an vero numerica, ut recentiores Theologi, præcipue à 500 annis, seu à tempore Petri Lombardi Scholasticæ Theologiæ parentis, docent. De J. Christi persona necesse est credere ipsum esse non tantum verum hominem, ex Spiritu S. conceptum, & ex immaculata virgine natum: sed etiam unigenitum Dei filium &

Deum, Patri tamen, à quo Deitatem accepit, subordinatum: qua vero illam ratione acceperit, definire est periculosum: modus unionis divinæ & humanæ naturæ in Christo est inexplicabilis: & multæ de illo acres olim fuerunt, & hodie adhuc sunt, contentiones, in quibus videntur disputantes, nec alii alios, imo interdum nec ipsimet sese bene intellexisse. Male fuit damnatus à Synodo Ephesina Nestorius, quod B. Virginem Mariam Θεοτόκον, id est, *Deiparam* esse confiteri detrectaret, cum nusquam in sacris literis ita vocetur, neque etiam absque magna ἀκυρολογίας vocari possit. De Christi officio necesse est tenere ipsum esse summum Prophetam, à Deo Patre ad nos missum, ut nobis ultimam suam de humani generis salute æterna, & eam adipiscendi modo voluntatem revelaret, & tum vitæ perfecta sanctitate, tum infinitis propemodum miraculis, tum morte cruenta, & tandem etiam gloriosa resurrectione, ascensione in cœlum, & Spiritus S. in Apostolos & credentes missione, confirmaret. Ipsum esse summum Sacerdotem, qui sacrificio & sanguinis effusione peccata hominum expiarit & ipsos cum Deo conciliarit, apud quem etiam pro fidelibus intercedat, & sic eum plane Patri satisfecisse. Denique ipsum esse summum Regem, qui ad dextram Dei exaltatus omnem in Cœlo & terra potestatem habeat, & è cœlo tandem ad judicandum vivos & mortuos sit venturus, & pios vita æterna donaturus, impios vero cum Diabolo & Angelis ejus in ignem æternum abjecturus. Christum autem nobis salutem apud Deum esse promeritum, non est necesse dicere, cum Scriptura nusquam ita loquatur & videatur gloriam gratiæ divinæ aliquatenus obscurare. Non repugnamus tamen, quo minus qui volent meriti voce hic utantur, modo ea commode & sensu à Scriptura non alieno intelligatur. De Spiritu S. necesse est credere ipsum ab æterno esse in Deo, in Christo perpetuo habitasse; Prophetas olim per eum locutos; & ipsum in corda fidelium mitti, quos certos de amore Dei paterno reddat: Sed non est necesse credere ipsum esse personam, nisi prius inter Christianos conveniat quomodo persona sit definienda. Talis enim dari potest personæ definitio, quæ satis bene, talis rursus, quæ nullo modo in Spiritum S. quadret. Controversia quæ fuit olim inter Catholicos, qui asserebant Spiritum Sanctum esse Deum, & Macedonianos, qui putabant ipsum esse creaturam, non videtur fuisse irreconciliabilis, cum utrumque diverso respectu sit verum. Similiter quæ est inter Græcos, statuentes Spiritum S. à solo Patre procedere, & Latinos dicentes ipsum procedere à Patre & Filio, facile componi posset, si utrimque afferretur animus pacis amans. Non est necesse credere, primum Adami & Evæ peccatum omnibus illorum posteris imputari, seu ejus sic reos censeri quasi id vere commisissent. Nec omnes nasci cum tali pravitate quæ sit verum & proprie dictum peccatum, quod infernales pœnas seu damnationem æternam mereatur. Nec obedientiam quam Christus Deo Patri exhibuit, legem ejus perfecte observando, nobis ad justitiam imputari, quasi nos eam ipsi præstitissemus. Nec Christum tanquam sponsorem nostrum id omne persolvisse justitiæ divinæ quod ipsi ob peccata debebamus, atque adeo mortis æternæ pœnam cui obnoxii eramus perpessum esse. Nec legis Mosaïcæ præcepta tam perfectam sanctitatem præscribere, ut nihil illorum perfectioni à Christo addi potuerit, aut saltem reipsa additum fuerit. Nec in lege Mosis expressa vitæ æternæ promissa contineri. Nec hominem, per Spiritus S. insuperabilem potentiam, à peccato ad justitiam converti, & in eadem ad finem usque suæ vitæ conservari. Necesse est unumquemque pro viribus omnia Christi præcepta, sub fide & resipiscentia comprehensa observare, licet per istam observationem nemo justificetur coram Deo aut salutem æternam mereatur. Necesse est Baptismum & Cœnam Domini in Ecclesia usque ad ultimum Christi adventum usurpare. Omnes mortuos, non solum pios, sed etiam impios resurrecturos, & coram Christi tribunali comparituros, ut reportent congrua his, quæ in corpore gesserint, sive bona sive mala, necessarium est creditu. Mortuorum resurrectio præsupponit animas post mortem manere superstites: an tamen in illo intermedio statu cognitionem aliquam retineant & aliquid agant, non oportet extra Scripturam definire, ut neque necessarium est credere corpora piorum suscitatorum adhuc ex carne & sanguine, quemadmodum nunc, constitura: quod tamen non impedit quo minus eadem quæ ante futura statuantur. Quæstiones de regimine Ecclesiæ, utrum per Episcopos vel Presbyteros debeat gubernari & aliæ ejusmodi, non sunt fundamentales. Itaque rei sunt schismatis qui se ab Ecclesia separant, cujus regimen minus probant, si modo illud non sit tyrannicum. Dogmata, quæ in necessariorum ordinem retulimus, non ita habemus omnia pro absolute necessariis, ut audeamus sententiam condemnationis pronunciare adversus eos, qui forte quodpiam istorum ignorant aut circa ipsum hæsitant; præsertim si defuerit illis occasio melius veritatem cognoscendi. Quin tamen omnia & singula valde sint utilia, & ad absolute necessariorum classem quam proxime accedant, nullatenus dubitamus.

VII. Omnes qui in necessariis & fundamentalibus religionis capitibus inter se consentiunt, & tantum circa ea quæ non sunt necessaria aut fundamentalia dissident, deberent sese mutuo in isto dissensu fraterne tolerare, & eo non obstante in unum Ecclesiæ corpus se conjungere. Et qui impediunt quo minus id fiat, non possunt à schismatis crimine se legitime excusare: si tamen unio ista, ob quorundam morositatem, aut alia gravia incommoda, quæ inde, animis nondum satis præparatis, juste extitura metuantur, nequeat adhuc procedere; oporteret saltem, ut qui uni cœtui adhærent, alterius membra non damnarent, nec

nec insectarentur, sed pro fratribus illos agnoscerent; & aliquando ad testandum fraternum animum Cœnæ Dominicæ una participarent. Sic sperari posset, ut paulatim sopitis dissensionibus & inimicitiis, tandem omnium credentium cor unum fieret & anima una. Quod brevi faxit Deus Opt. Max. per immensam suam misericordiam, in Christo J. Domino nostro. Amen.

CAPUT XI.

De S. Scripturæ Sufficientia & Verbo interno Libertinorum.

I. Libertinos & Pontificios S. Scripturæ Sufficientiam negare. II. Sententiam Libertinorum esse absurdam & pestiferam. III. Quomodo Libertini refutandi. IV. Christum Apostolis omnia necessaria revelasse. V. Apostolos ea alios viva voce docuisse, VI. & literis mandasse. VII. Præcipua Libertinorum objectiones refutantur.

I. HIs in antecessum præmissis de capitibus ad salutem creditu necessariis & non necessariis, sequitur jam ut ostendamus omnia necessaria in S. Scriptura Novi Testamenti perfecte & sufficienter contineri, maxime si ei quoque Veteris Testamenti libri adjungantur. Quod adversus duplicis generis adversarios nobis est probandum; nimirum *Libertinos*, & *Pontificios*. *Libertini* enim, qui *Spirituales* dici amant, aliud quoddam præter Scripturam S. existimant esse *Verbum Dei internum*, quod solum facultatem habeat corda hominum afficiendi & regenerandi: cum *Scriptura*, quam habemus, nihil aliud sit nisi *litera mortua*, omni efficacia spirituali destituta; vel ad summum, verbum tantummodo præparatorium, viam rudioribus sternens ad verbum illud internum, quod omnia ad salutem necessaria suggerit, recipiendum. *Pontificii* vero etsi longe plus virium tribuant S. Scripturæ, quam Libertini, non concedunt tamen eam omnia ad salutem necessaria complecti; sed ad supplendum ejus defectum volunt adjungi *Verbum Dei non scriptum*, quod *Traditiones* vocant. Utrique ergo nobis sunt paucis aliquot, sed solidis, quantum poterimus, argumentis impugnandi.

II. Quod ad *Libertinos* attinet, observandum est, primo, illorum opinionem non tantum esse valde *absurdam*, sed etiam *pestiferam*. *Absurdam* esse patet, quia verbum istud internum, quod in Scripturæ S. locum substituunt, aut sensum intelligibilem in se habet aut non habet. Si posterius dicant; sequetur esse verbum irrationale & stultum, non autem divinum. Si prius malint; sensus iste intelligibilis poterit sermone externo exprimi simul & scribi: Sed tunc secundum ipsorum placita, nihil aliud erit quam Scriptura atramentaria, quam ad salutem sufficere negant. *Pestiferam* vero esse istud evincit, quod per eam *vaga & incerta religio introducitur*, aut etiam *religio omnis pessumdatur*. *Vaga*, seu ad uniuscujusque libitum flexilis introducitur religio; quia singuli verbum istud internum pari jure sibi vindicare & ejus afflatum jactare poterunt; unde fiet ut pugnantia ipsi tribuantur. Nam ex. gr. is cui polygamia allubescet, ut olim fanaticis Monasteriensibus, dicet istud sibi à Verbo interno esse suggestum: is vero cui displicebit, id pariter ad inspirationem suam internam referet. *Incerta* itidem; quia sublata Scripturæ S. perfectione, nulla supererit norma ad quam explorari queat Verbum istud internum, an sit divinum & fide dignum, aut contra. Istud enim officium privato singulorum judicio tribuere ineptum foret, cum nullam firmitatem habeat, & infinitis modis variare possit, non tantum in diversis hominibus, qui diversa sentient, secundum proverbium, *Quot capita, tot sensus*, sed etiam in uno eodemque, qui hodie in hac, cras in illa, perendie in alia erit opinione. Item, quia norma à re, quæ ad ipsam exigitur, differre debet: hic autem suggestio privata ad privatum uniuscujusque judicium expenderetur: cum tamen nihil sui ipsius possit esse norma. Quod adeo verum est, ut nequidem certi esse queamus Spiritus Sancti instinctum esse divinum, nisi ipsum ad Scripturam, de cujus divinitate nobis prius constet, examinemus. Unde Joannes monet, *Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus an ex Deo sint*, 1. *Epist.* IV. 1. *&c.* Denique etiam *religio omnis* per istam opinionem *pessumdari poterit*. Nam si alicui spiritus suus dictet, nullam esse observandam religionem, secundum suam hypothesin tenebitur ei assentiri. Et impossibile erit ut unquam ab errore suo abducatur, utpote nullam habiturus idoneam rationem cur potius alienæ quam suæ suggestioni obtemperet.

III. Sed quia parum est falsitatem evertisse, nisi veritas bene stabiliatur, ulterius in hoc conflictu progrediendum est, & interrogandi sunt Libertini, an S. Scripturam esse veram & à Deo profectam agnoscant: & si negaverint, laborandum erit ut ipsis persuadeatur, allatis argumentis, quibus supra id adstruximus. Si vero concedant, hæc tria deinde ex Scriptura illis demonstrare oportebit. 1. Omnia quæ ad salutem universis & singulis Christianis cognitu sunt necessaria usque ad mundi finem, Apostolos partim à Christo, partim à Spiritu S. quem ipsis post abitum suum misit de cælo, perfecte fuisse patefacta, adeo ut nullæ inposterum pleniores de ejusmodi rebus revelationes nobis sint exspectandæ. 2. Apostolos nihil istorum, quæ sibi à Christo & ejus Spiritu patefacta fuerant, auditores suos celasse: sed omnia illis quibus Euangelium annuntiarunt, fideliter viva voce declaravisse. 3. Nos, hæc omnia quæ docuerant, plene & perfecte in libris Veteris & Novi Testamenti descripta habere, ita ut alio præterea Verbo non scripto, qualecumque illud sit, sive internum sive externum, non indigeamus. Priora duo capita nobiscum confitentur Pontificii, sed de tertio controversiam movent. Quare si illa omnia firmis rationibus adstruxerimus, utrisque simul, tam Libertinis, quam Pontificiis, eadem opera satisfactum erit.

IV. *Primum* igitur caput, nempe omnia ad salutem creditu & factu necessaria Apostolis patefacta fuisse, multis probatur expressis sacrarum literarum testimoniis; qualia sunt hæc: *Omnia*, inquit Christus, *quæ à Patre audivi, nota feci vobis Joan.* xv. 15. *Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & in memoriam revocabit vobis ea, quæ dixi vobis, Joan.* xiv. 26. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, introducet vos in omnem veritatem, Joan.* xvi. 13. Ubi istæ voces *omnia* & *omnem veritatem*, ostendunt Christum, & vicarium ejus Spiritum nihil prætermisisse eorum quæ docendi erant Apostoli, ut demandato sibi munere recte defungi possent. Et ne quis existimet Apostolis quidem illa fuisse revelata quæ isto tempore cognitu erant necessaria, sed alia præterea esse quæ Deus sequentibus sæculis reservare voluerit; notandum est Dominum Jesum jussisse Apostolos omnibus annunciare *se à Deo constitutum esse judicem vivorum & mortuorum, Act.* x. 42. & prædixisse *Euangelium, per quod judicaturus est orbem, annunciatum iri in universa terra, ut sit testimonio omnibus gentibus, & tunc venturum finem, Matth.* xxiv. 14. Quo spectant etiam hæc Pauli verba, *Deum judicaturum occulta hominum, secundum Euangelium per Jesum Christum, ad Rom.* ii. 17. Non ergo per aliquam perfectiorem doctrinam aut revelationem.

V. *Secundum*, videlicet Apostolos illa omnia quæ sibi à Christo & ejus Spiritu patefacta fuerant alios docuisse, non minus est certum. Ut enim unum ex ipsis solum in exemplum afferam; Paulus apud Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteros protestatur *se purum esse à sanguine omnium, eo quod non subterfugerit quominus eis annunciaret omne consilium Dei. Act.* xx. 27. Et Corinthiis dicit, *ipsos per Euangelium à se prædicatum servatum iri, si modo illud retineant, prout à se annunciatum fuerat*, 1 *ad Corinth.* xv. 2. Idemque reliquos vere profiteri de se potuisse, non est cur dubitemus. Omnes enim in opere Domini fideles fuerunt, & mundum Euangelii cognitione repleverunt. Inde autem apparet illos non tantum prima tradidisse fidei Christianæ elementa, quibus præparandi essent rudiorum animi, ad perfectiorem aliam Doctrinam postea recipiendum. Elementa enim fidei non sunt omne Dei consilium, nec per ea salvantur, qui illa retinent. Quod etiam confirmatur ex eo quod Paulus dicit, *Sapientiam loquimur inter perfectos; & quidem sermonibus, non quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus Sanctus,* 1 *ad Corinth.* ii. 6, 13. Item, quod non vereatur *illi anathema dicere, qui euangelizaverit quicquam præter id quod euangelizaverat, etiamsi foret Angelus de cœlo, ad Gal.* 1. 8, 9. quod procul dubio, ut pius erat, cavisset facere, si scivisset doctrinam à se annunciatam esse tantum præparatoriam, quam alia longe perfectior excipere deberet.

VI. *Tertium* est; Omnia illa fidei & morum dogmata ad salutem necessaria, quæ Apostoli ex Jesu Christi & Spiritus S. revelatione didicerunt, & populis, institutioni suæ commissis, viva voce tradiderunt, in libris Veteris & Novi Testamenti perfecte contineri. (Conjungo autem Vetus Testamentum cum Novo, quia Scriptores Novi Testamenti, interdum uno tantum aut altero verbo attingunt ea, quæ fusius in Veteri enarrantur, & tunc utrumque Testamentum inter se conferre expedit, ut mutuam sibi lucem præbeant.) Id autem sequentibus argumentis, quæ non minus Pontificios quam Libertinos feriunt, imus demonstratum. *Primo* ex celebri loco 2 *ad Timoth.* iii. 15, 16, 17. ubi eximium habemus S. Scripturæ encomium. Paulus enim tria illic asserit. 1. *Sacras Literas posse Timotheum instruere* (seu potius *sapientem reddere*, ut vox Græca σοφίσαι proprie significat) *ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu.* 2. *Utiles esse* ad omnia religionis capita, sive fidem, sive mores spectantia, videlicet *ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, & ad institutionem in justitia.* 3. Eam nobis istum in finem esse traditam, *ut per ipsam perfectus reddatur homo Dei, atque ad omne bonum opus perfecte instructus.* Præter ista autem nihil potest desiderari, ut Scriptura omni sit modo perfecta, & ad salutem diligenter eam meditantibus sufficiens. Quod vero hic excipitur, Apostolum ad Scripturam Veteris Testamenti proprie respicere, id argumenti nostri robur non minuit, sed potius auget, & intendit. Nam si Scriptura jam tunc erat adeo perfecta, cum solum Vetus Testamentum exstabat, longe perfectiorem addito Novo illam evasisse oportet. Sed præterea observandum est, nihil obstare quo minus sub sacris literis, quas Paulus dicit Timotheum à puero novisse, comprehendantur etiam nonnulli Novi Testamenti libri, ut Euangelium Matthæi quod octavo ab Ascensione Christi anno scriptum fuisse testantur Veteres, cum Timotheus adhuc esset puer, ut ex *Act.* xvi. 1, 2, 3. & 1 *ad Timoth.* iv. 12. colligi potest. Unde verisimile est ipsum in fide Jesu Christi non parum fuisse confirmatum. *Secundo*, Cum tam multa, quæ ad salutem non sunt necessaria, imo neque admodum hodie nobis utilia, in Scriptura S. tradantur, nullo modo est credibile necessaria, quæ pauca numero sunt, illic desiderari. Id enim accidisset, aut quia Deus efficere non potuit, ut literis mandarentur, aut quia noluit. Sed prius nemo sanæ mentis dixerit. Posterius vero alienum est à scopo quem sibi proposuerat cum Prophetas & Apostolos ad scribendum impulit; videlicet nos per Scripturam instituere in omnibus, quæ nobis credenda & facienda sunt, ut ipsi placeamus & vitam æternam adipiscamur. Atqui, inquies, res ipsa docet, Deum ad istum finem non respexisse: alioquin Scriptores illos instigasset ad plenum aliquod doctrinæ Christianæ systema componendum. Quod non fecit: Sed ipsi fortuitis quibusdam occasionibus oblatis se ad scribendum accinxerunt. Ad quod respondeo 1. Fac ita esse viros istos divinos particulares aliquas habuisse scribendi occasiones, inde tamen non sequeretur id absque providentiæ divinæ

divinæ nutu contigisse, aut Deum illas occurrere ipsis non fecisse, & direxisse, ut una eademque opera, & sui sæculi homines, & post venturos usque ad mundi finem instituerent. 2. Sed neque istud in omnes aut præcipuos Novi Testamenti libros quadrat. Certe de Matthæo & Luca aliud non apparet, nisi ipsos voluisse compendium Doctrinæ & factorum Christi tale conscribere, quod ad salvificam fidem in ipsum ingenerandam sufficeret. Paulus etiam in Epistola ad Romanos præcipua religionis Christianæ capita complexus est, imo in aliis quoque brevioribus, sicut & Petrus in suis. Joannes vero & Jacobus charitatem, quæ est novæ legis complementum, præcipue urserunt. Ita ut non unam tantum Epitomen religionis, sed multas in scriptis Novi Fœderis habeamus. *Tertio*: Nihil est ad salutem necessarium, præter *Fidem, quæ per Charitatem operatur, ad Gal.* v. 6. Atqui nos illam ex S. Scriptura, & præsertim ex Apostolorum libris sufficienter haurire possumus. Omnes enim fidei articuli, qui summarie ad hunc unum referuntur, *credere Deum esse, & remuneratorem esse eorum qui ipsum quærunt*, absque ullo defectu illic traditos habemus. Omnia etiam Charitatis officia, tam erga Deum & Christum, quam erga proximos nostros, ita plene ibi partim generalibus, partim specialibus præceptis explicantur, ut quicunque illa opere exsequitur, nihil ei ad perfectionem desit, & certo Deum sibi fore propitium polliceri queat. Si quis plura istis fidei vel charitatis præcepta esse putet, proferat illa, & facile, ut confido, erit nobis ostendere, aut illa ad salutem neque creditu, neque factu esse necessaria: aut si revera sint talia, ea in Scripturis, quantum ad nostram institutionem satis est, inveniri.

VII. Nunc præcipua, quæ adversus Scripturæ perfectionem, tum à Libertinis, tum à Pontificiis objiciuntur paucis expendamus. Primi magnum se putant habere præsidium in his Pauli verbis, *Litera occidit; Spiritus autem vivificat, 2 ad Corinth.* III. 6. Unde colligunt Scripturam, si literæ cortici inhæreatur, non modo inutilem, sed etiam valde noxiam esse: ideoque aliud verbum internum requiri, quod totum spirituale sit, & vitam afferat. Sed toto cælo aberrant à mente Apostoli, qui *litera* voce, non intellexit totum verbum Dei scriptum, sed *Legem* tantum *Mosaicam*, cujus præcipua pars, nempe Decalogus, in duabus tabulis lapideis veluti Dei digito inscriptus fuerat. Nec etiam legem ideo *literam* appellavit, quia scripta erat. Sic enim Euangelium postquam scriptis mandatum fuit, nihil aliud esset quam litera, contra quam probare intendit. Nec denique ideo legem *occidere* dixit, quod secundum literalem sensum intellecta, & observata mortem afferat: Nam contra testatur, *Qui fecerit ea homo, vivet in illis, ad Gal.* III. 12. Voce ergo *literæ* Paulus significare voluit, Legem tantum rudimenta pietatis proponere, & velut Alphabetum. Quo sensu etiam vocat illam *elementa mundi, ad Coloss.* II. 8. & dicit eam *nihil ad perfectionem adduxisse, ad Hebr.* VII. 19. Et quod *occidit* id fit per accidens, quia non observatur, *Nam maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis; ut faciat illa, ad Gal.* III. 10. Sed sua natura *mandatum erat ad vitam, ad Rom.* VII. 10. Parvæ autem lex est efficaciæ ad impediendum ne qui ei subsunt in maledictionem transgressoribus denunciatam incidant, quia promissa ejus magnam partem sunt carnalia, & ad hanc vitam pertinentia. *Euangelium* ex opposito *Spiritus* vocatur, quia Spiritum illum subministrat, per quem alacriter obtemperamus Deo; & vitam affert, cum aperte & absque figurarum involucro promissa spiritualia & vitæ æternæ contineat, quorum spe excitati fideles & corroborati se toto corde ad mandata Dei observanda accingunt. Quare absurdum est quod Libertini sub isto prætextu totam Scripturam in allegorias transformant, ut fit eis vivifica; cum sic mortem potius in illa sint inventuri, à genuina ejus mente aberrantes, & prodigiosis suis fabulis totam corrumpentes. Pugnant etiam his locis, *Est scriptum in Prophetis, Erunt omnes docti à Deo, Joan.* VI. 45. Item, *Et erit in novissimis diebus, (dicit Dominus) effundam de spiritu meo, super omnem carnem; & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt, Act.* II. 17. Denique, *Hoc est Testamentum quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in mente eorum & cordi eorum inscribam, &c. Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Deum: quoniam omnes cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, ad Heb.* VIII. 10, 11. Sed ne de sensu locorum istorum disputem, quod prolixioris foret operæ, dico tantum uno verbo, male inter se opponi, quia sunt consentanea & subalterna. Promisit quidem Deus se fideles uberiore sui cognitione donaturum sub Novo Fœdere, quam olim fecerat sub Veteri: sed non significavit se illud solum, & absque ullis omnino mediis peracturum, Scripturæque Sacræ nullum amplius fore usum. Contra gratia illa extraordinaria, Spiritus S. suggestiones, somnia, visiones, eo potius tendunt, ut mens Dei in Scripturis loquentis facilius à nobis intelligatur, ita ut nullus sit futurus, qui eas cum attenta devotione scrutetur, & Spiritus S. auxilium imploret, qui alterius institutione multum indigeat. Adde quod in ultimo loco etiam ad excellentiam beneficiorum Dei respiciatur, quæ vim habent molliendi corda & flectendi in amorem & obedientiam; adeo ut id perinde fit atque si Deus ipse amorem legum suarum in cordibus hominum insculpsisset. Et ita nihil plane omnes isti loci faciunt ad Scripturæ S. imperfectionem aut insufficientiam demonstrandam.

CAPUT

CAPUT XII.

De Verbo non ſcripto ſeu Traditionibus Pontificiorum.

I. *De traditionibus Pontificiis.* II. *Quid auctor ſtatuat de traditionibus.* III. *Traditionum Pontificiarum incertitudo.* IV. *Examen quinque regularum Bellarmini, quibus veræ traditiones à falſis dignoſci poſſint.* V. *An Eccleſia Scriptura, ſed non traditionibus carere poſſit.* VI. *Quomodo per traditionem certi ſimus de Scripturæ divinitate.* VII. *Quomodo Scriptura traditiones commendet.*

I. JAm quod ad *Pontificios* attinet, etiamſi confiteantur J. Chriſtum omnia neceſſaria Apoſtolos ſuos docuiſſe, eoſque fideliter iſta populis quos ad fidem adduxerunt tradidiſſe, negant tamen ab ipſis omnia fuiſſe plene ſcripta, aut libris Veteris & Novi Teſtamenti contineri: ideoque ad ſupplendum S. Scripturæ defectum indigere nos aiunt *Verbo Dei non ſcripto*, quod *Traditiones* vocant: quarum geminam partitionem faciunt, unam ab *Auctoribus*, alteram *à Materia Traditionum* deſumptam. Ab *Auctoribus* dividunt *Traditiones* in *Divinas*, *Apoſtolicas*, & *Eccleſiaſticas*; *Divinæ* iis dicuntur, quæ à Chriſto ipſo Apoſtolos docente ſunt acceptæ, & nuſquam in S. litteris inveniuntur, v. g. de materia & forma Sacramentorum Novæ Legis. *Apoſtolicæ*, quæ ab Apoſtolis Spiritu S. afflatis inſtitutæ ſunt, & nihilominus non extant ſcriptæ in ipſorum libris & epiſtolis, ut jejunium quadrageſimæ. *Eccleſiaſticæ* ſunt quædam antiquæ conſuetudines, vel à prælatis, vel à populo inchoatæ, quæ paulatim tacito Chriſtianorum conſenſu vim legis obtinuerunt. Et duo quidem priora traditionum genera auctoritate æquant verbo Dei ſcripto, hac ratione nixi, quod verbum Dei non eſt divinum, nec habet auctoritatem ſimpliciter quia ſcriptum eſt in charta aut membranis, ſed quia à Deo profectum eſt, ſive immediate, ut ſunt Domini Jeſu ſermones, ſive mediantibus Apoſtolis, ut decretum de abſtinentia ab idolothytis, ſanguine, ſuffocato & ſcortatione, de quo *Actor.* xv. Poſterius vero genus Traditionum, eodem gradu collocant quo decreta & conſtitutiones Eccleſiæ in Conciliis factas & litteris mandatas. *A materia* diſtinguunt traditiones in eas, quas putant eſſe *de fide*, ut perpetuam virginitatem Mariæ; & eas quæ ſunt *de moribus*, ut quod ſignum Crucis in fronte pingendum ſit, & certis diebus jejunia aut feſta ſint celebranda.

II. Nos vero agnoſcimus quidem ultro, Dominum Jeſum & ipſius Apoſtolos longe copioſius viva voce explicuiſſe ea, quæ tam ad fidem, quam ad mores, & regimen eccleſiaſticum ſpectant, quam in Scriptura S. reperiantur: Sed iſta copioſior explicatio non eſt hodie nobis ad ſalutem neceſſaria. Sufficiunt abunde ea quæ literis ſunt comprehenſa, ut probant ſupra allatæ rationes. Legimus in fine *Evangelii Johannis* XXI. 25. *Sunt & alia multa quæ fecit Jeſus; quæ ſi ſcribantur ſigillatim, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Sed de ſcitu neceſſariis iſtud non eſſe accipiendum inde patet, quod abſurdum ſit pro talibus habere, quæ mundus capere non poſſet: ſic enim nullus mortalium ſalvaretur. De ſignis ſeu miraculis agitur, quorum tria vel quatuor evidentia ſufficere poſſent, ad oſtendendum Jeſum eſſe Chriſtum, & fidem in ipſum in cordibus noſtris accendendum. Sic Apoſtoli multa quæ ad ritus externos & Eccleſiæ *εὐταξίαν* pertinebant tradiderunt auditoribus ſuis, quæ ſcribere non judicarunt conſultum; quia non erant ſemper & ubique neceſſaria, ſed mutationi pro ratione locorum, temporum, & perſonarum obnoxia. Qualia ſunt illa quorum mentio fit 1 *Cor.* XI. *verſu. ult. Cætera cum venero diſponam.* Quæ, ut ex ſerie orationis apparet, ad ordinem & decorum in Euchariſtiæ celebratione obſervandum ſpectabant. Quod ſi nobis certo conſtaret de iis omnibus quæ ab Apoſtolis in iſto rerum genere ſunt inſtituta, etiamſi non eſſent præciſe neceſſaria, exiſtimarem tamen illa in magna reverentia à nobis eſſe habenda, & aliis omnibus quæ poſt ipſorum tempora introducta ſunt in Eccleſiam longe præferenda. Sic primum diem hebdomadis, quem vulgo diem dominicum vocant, ex *Apoc.* I. 10. conventibus Eccleſiaſticis libenter conſecramus; quia viventibus Apoſtolis id jam obtinuiſſe, & ab ipſis obſervatum fuiſſe, compertum nobis eſt, etſi nullum iſta de re præceptum in ſcriptis ſuis tradiderint. Probetur ergo nobis ſolide, aliquod dogma vel ritum, de quo in Scripturis nulla fit mentio, à Chriſto vel Apoſtolis eſſe profectum, illud ſtatim cum reverentia tanquam divinum amplectemur.

III. Sed quia pleraque ſunt incerta, quæ Apoſtolicarum traditionum nomine venditantur, imprudentium foret, & quibus perinde eſt, ſive verum ſive falſum ipſis obtrudatur, illa abſque diligenti examine, pro talibus ſuſcipere. Incertitudinem illarum duobus vetuſtiſſimis exemplis contentus ero oſtendere, ex quibus de cæteris judicium fieri poterit. Olim circa annum à Chriſto nato ducenteſimum exorta eſt inter Eccleſias Aſiæ & Romanam gravis contentio *de die Paſchatis*; quod Eccleſiæ Aſiæ celebrabant decimaquarta Luna, ſive die, menſis Niſan, dicentes ſe hanc conſuetudinem à Joanne Apoſtolo accepiſſe: Eccleſia vero Romana, ſub prætextu traditionis à Petro & Paulo derivatæ, judicabat celebrandum die Dominico illam decimamquartam Lunam ſequente. Quæ contentio eo uſque exarſit, ut Victor Epiſcopus Romanus propterea Eccleſias Aſiæ excommunicarit, & *Quartadecimani* pro hæreticis habiti fuerint: *Euſebius hiſtor. Eccleſ. lib.* v. *cap.* 26. Et *Socrates lib.* v. *cap.* 22. ubi iſtius diſſidii hiſtoriam narrans, dicit *Chriſtum & Apoſtolos nihil prorſus de Paſchate aut aliis diebus feſtis præcepiſſe; ſed homines ſuis quoſque locis propter remiſſionem laborum, & memoriam ſalutiferæ paſſionis, ſicut voluerunt ex conſuetudine quadam eos celebraſſe.* Sic etiam magna fuit inter veteres Chriſtianos diſcrepantia in obſerva-

servatione *Jejunii Quadragesimalis*, ut videre est apud Eusebium & Socratem in locis modo allegatis. Nam alii unum diem ante Pascha jejunabant, alii duos, alii plures, alii denique quadraginta. Quidam etiam tunc ab omni animantium genere abstinebant: quidam inter animantia pisces solos comedebant: quidam vero cum piscibus volucres quoque manducabant: alii solo pane arido vescebantur; alii ne illo quidem. Nonnulli cum ad horam usque nonam diei jejunassent, indiscriminatim quibuslibet cibis reficiebantur; alii adhuc alia ratione jejunabant, & omnes vocabant jejunium istud Quadragesimam, & pro Apostolica traditione habebant. Si ergo centum aut ducentis annis post Apostolorum excessum tanta jam erat traditionum incertitudo, quantam hodie illam oportet esse, tam paucis veterum monumentis, quæ nobis fidem earum faciant, exstantibus?

IV. Bellarminus *Libro* IV. *de Verbo Dei*, *cap.* 9. huic objectioni obviam ire volens, quinque proponit regulas, quibus veræ Traditiones à falsis possint discerni: quas obiter examinabimus. *Prima* est, Quando universa Ecclesia aliquid tanquam fidei dogma amplectitur, quod non invenitur in divinis litteris, necesse est dicere ex Apostolorum traditione id haberi: talisque est secundum ipsum *perpetua virginitas B. Mariæ*, &c. Hæc regula magnam veri speciem haberet, & in ea libenter acquiescerem, si per universam Ecclesiam intelligerentur omnium temporum & locorum Christiani, aut saltem Ecclesiarum Pastores. De re enim tam unanimi consensu recepta, vix liceret ulli pio dubitare, nisi apertissima in contrarium haberet S. Scripturæ testimonia. Sed talis non est *perpetua B. Mariæ virginitas*, quam nunquam probabitur trium primorum sæculorum Doctores pro dogmate necessario recepisse. Nos ei potius assentimur, quod matrem Domini ita decuisse videatur, quam quod partem aliquam fidei Christianæ faciat. Universa ergo Ecclesia in ista regula significat tantum postremorum sæculorum Ecclesiam, & speciatim Romanam, aut potius solos illius Episcopos, à quorum testimonio pendere non putamus esse tutum. *Secunda*; Quandò universa Ecclesia aliquid servat, quod nemo constituere potuit nisi Deus, quod tamen nusquam invenitur scriptum, necesse est dicere ab ipso Christo & Apostolis ejus traditum: & tale esse vult *Baptisma parvulorum*, &c. Idem de hac regula dicimus quod de prima: Magna id semper cum reverentia suscipiemus quod ab omnium temporum & locorum Doctoribus constabit nobis fuisse approbatum: Sed talis non est *Pædobaptismus*; qui duobus primis à Christo nato seculis fuit incognitus, in tertio vero & quarto à paucis est approbatus, in quinto demum & sequentibus passim obtinere cœpit: ad quæ tempora regulam respicere nullum est dubium; & proinde hic ritus à nobis quidem, ut antiqua consuetudo, sed non ut Apostolica traditio observatur. *Tertia*; Id quod in Ecclesia universa, & omnibus retro temporibus servatum est, merito ab Apostolis creditur institutum, etiamsi illud tale sit, ut potuerit ab Ecclesia institui: quale esse putat *Jejunium quadragesimæ*. Assentimur huic regulæ, & propterea diem Dominicum non gravate custodimus: sed male eam jejunio quadragesimali applicari, ostendit multiplex illa diversitas de qua nos modo loquebamur. *Quarta*; Cum omnes Doctores Ecclesiæ communi consensu docent aliquid ex Apostolica traditione descendere, sive in Concilio generali, sive scribentes seorsim in libris, illud credendum est Apostolicam esse traditionem. Exemplum primi affert *Imaginum venerationem*, quam esse ex Apostolica traditione asseruerunt doctores Ecclesiæ congregati in Concilio secundo Nicæno generali: Exemplum secundi fatetur vix inveniri: si debeant omnes penitus Patres qui scripserunt expresse aliquid dicere, tamen putat sufficere si aliquot Patres magni nominis expresse id afferant, & cæteri non contradicant: & tales sunt ipsi ritus, qui servantur in Baptismo, &c. Sed exigui, in re historica, est ponderis testimonium Patrum, qui diu post Apostolorum tempora vixerunt, sive in Concilio generali multi conjunctim, sive aliquot seorsim in suis scriptis illud perhibeant. Nec plus eis credere tenemur, quam ex antiquitatis monumentis probant. *Quinta*: Id sine dubio credendum est, ex Apostolica traditione descendere, quod pro tali habetur in illis Ecclesiis, ubi est integra & continuata ab Apostolis successio: qualis inveniebatur olim non solum Romæ, sed etiam Ephesi, Corinthi, Antiochiæ, Alexandriæ, Hierosolymæ, & alibi. Sed nunc defecit in omnibus Ecclesiis Apostolicis, præterquam in Romana; & ideo ex hujus solius Ecclesiæ testimonio sumi potest certum argumentum ad probandas Apostolicas traditiones. Verum hæc regula parvi admodum est momenti. 1. Quia manente integra & non interrupta Pastorum successione, potest facile in doctrina fieri mutatio, quando is, qui alteri in Episcopatum succedit, non est ejusdem cum prædecessore suo in omnibus sententiæ. 2. Quia talis successio non reperitur in Ecclesia Romana, cujus Onuphrius in Chronico Pontificum Romanorum annotat xxx schismata, & Bellarminus ipse xxvi, in brevi Chronico, quod adjunxit libro suo de Scriptoribus Ecclesiasticis. 3. Quia in Ecclesia Constantinopolitana (quam, nescio quo consilio, prætermiserit Bellarminus) durat adhuc hodie, non minus constans quam in Romana, Episcoporum successio. Et tamen ejus suffragium hic non vult audiri: nimirum quia traditionem illam non agnoscit, quæ Papæ Romano dominium in cæteros omnes totius orbis Episcopos & Ecclesias attribuit.

V. Cum igitur tam parva sit Traditionum certitudo, graviter errant Pontificii, qui eas magis necessarias esse putant quam Scripturam, dicentes, Ecclesiam quidem S. Scriptura, sed non traditionibus carere posse. Nec refert quod Ecclesia ab Adamo usque ad Mosem, per annos

amplius bis mille quingentos, Scripturas nullas habuit, & solis traditionibus usa est. Et quod post Christum exhibitum Christiani aliquandiu plerisque Novi fœderis libris caruerunt, & nihilominus sola pastorum voce, in iis quæ ad salutem requiruntur, sufficienter instituti fuerunt. Nam quod ad primum hujus objectionis membrum attinet, non est mirum si primis mundi sæculis nulla fuerit Scriptura: quia Religio, quam tunc observabant homines, magnam partem erat naturalis, seu ad rationis dictamen conformata. Et paucæ illæ traditiones quas habebant, facile, propter Patriarcharum longævitatem, incorruptæ poterant servari. Sed tamen quia postea Deo visum est aliam tutiorem inire viam ad veritatem suam propagandam, curando ut litteris mandaretur, magnæ foret ingratitudinis aut perversitatis eam aspernari. Quod ad alterum vero; Ecclesia Novi Testamenti exiguo admodum tempore destituta fuit Apostolorum scriptis, & sine periculo, quia tunc à viris Spiritu Sancto plenis docebatur, quorum viva vox Scripturæ defectum facile supplebat. Sed nunc omnes Doctores errori sunt obnoxii, nec iis satis tuto credi potest, nisi immotam & infallibilem regulam, quæ scripto comprehensa sit, in docendo sequantur.

VI. Atqui, inquiunt, inde apparet Traditiones esse magis necessarias quam Scripturam, quia absque Traditione certi esse nequimus Scripturam aliquam esse divinam, aut libros Canonicos ab Apocryphis discernere. Ita est. Sed Traditionis istius alia plane est ratio, quam earum quæ nobis hodie à Pontificiis obtruduntur. Scriptura aliter ad nos pervenire non potuit nisi per Traditionem eorum qui illam primum à viris divinis acceperant: quales fuerunt primi Christiani, qui constanter testati sunt libros Novi fœderis, quos habemus, ab Apostolis fuisse scriptos aut approbatos: & veteres Judæi, qui simile testimonium de libris Vet. Testamenti, à Prophetis apud se depositis, perhibuerunt. Hinc necesse erat initium fieri, ut Ecclesia pretioso Scripturæ thesauro potiretur, & nos de ejus divinitate certi esse possemus. Si de aliarum traditionum veritate æque idonei testes producerentur, nullam de iis controversiam moveremus.

VII. Objicitur etiam, Scripturam ipsam commendare nobis traditiones, & indicare omnia quæ Apostoli docuerunt aut instituerunt, ab ipsis non esse scripta, ut 1 Cor. XI. 2. *Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* Et versu 34. *Cætera cum venero disponam.* Item 2 *Thess.* II. 15. *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Et 2 *Joh. versu* 12. *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum, spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Cui similia repetuntur, *Epist.* 3. *versibus* 13, 14. Respondeo primo, *Traditionis* vocem diversimode in sacris literis usurpari. 1. Interdum enim significat generaliter omnem doctrinam quocunque modo traditam, sive viva voce sive scripto, ut in loco ex 2 *Thess.* II. citato, ubi Paulus duo Traditionum genera facit, aliud Scriptarum, aliud non scriptarum. 2. Interdum hæc vox specialiter accipitur pro doctrina scripta, ut *Actor.* VI. 14. ubi agitur de traditionibus quas tradidit Moses, nempe in libris suis, & 1 *Corinth.* XV. 3. *Tradidi vobis Jesum Christum mortuum esse, & resurrexisse*; quod copiose scriptum est ab Euangelistis; ideoque statim addit, *secundum Scripturas:* quod non minus de Novi, quam de Veteris Testamenti libris accipi potest. 3. Interdum quoque hæc vox sumitur de doctrina non scripta, ut cum Pharisæi dicunt Christo, *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?* Et Christus ipsis respondens dicit, *Et vos, cur transgredimini mandatum Dei vestra traditione? Matth.* XV. 2, 3. Qui est sensus quo eam Pontificii usurpant; sed isto in loco vituperantur traditiones, non commendantur, ita ut nullum in eo suæ sententiæ præsidium habeant. Quod ad citatos locos speciatim attinet, dico secundo, quædam ex his testimoniis ostendere quidem Apostolos nonnulla docuisse aut statuisse, quæ in ipsorum scriptis non sunt comprehensa; verum non asserere ista ad salutem esse necessaria: nec ulla ratione nobis constare, an ea sint quæ Ecclesia Romana pro Apostolicis traditionibus venditat. Quædam vero non loqui de traditionibus quæ nunquam scriptæ fuerint, sed tantum de iis, quæ certorum hominum, aut certi temporis respectu scriptæ non sunt; cum interim alio tempore, vel ad alios homines scribi potuerint. Alias (ut modo diximus) videmus Traditiones in Scriptura reprehendi: unde valide evincitur, quod etiamsi aliquæ traditiones essent recipiendæ, istud tamen non deberet trahi ad eas quæ cum Verbo Dei scripto pugnant, Paulo expresse docente, *ut si quis euangelizet præter Euangelium quod accepimus, etiamsi is foret Angelus de cælo, sit anathema, Gal.* 1. 8, 9. Et tales esse existimamus plerasque illarum, quas Ecclesia Romana nobis hodie magna vi obtrudere satagit. Quasdam etiam ridiculas, & sancta Christi religione omnino indignas; ut sal, sputum, exorcismum, & similes, quæ in Baptismi, aut aliorum Sacramentorum celebratione usurpantur.

CAPUT XIII.

De S. Scripturæ Perspicuitate, & authentica Ecclesiæ Interpretatione.

I. *S. Scripturam omnia ad salutem necessaria clare proponere.* II. *Id tribus argumentis probatur.* III. *Deum nullibi nos in obscuris ad Ecclesiæ interpretationem remisisse.* IV. *Scripturæ obscuritatem in necessariis non probari ex responso Eunuchi, Act.* VIII. 31. V. *Nec ex loco Petr.* 2 *Epist.* III. 16. VI. *Nec ex discrepantibus Christianorum opinionibus.*

I. ALterum quod ad *S. Scripturæ Perfectionem* pertinet est ejus *Perspicuitas*, in eo consistens, quod non solum omnia ad salutem creditu & factu necessaria, sed etiam multa alia ad istum finem obtinendum utilia,

lia, ita clare & dilucide proponit, ut à quolibet sanæ mentis homine, modo ipse sibi obicem culpa sua non ponat, facile intelligi possint. Qua in re ut bene sententia nostra capiatur, ad sequentia monita attendendum erit. 1. Nolle nos negare, in Scriptura multa esse obscura, quales præsertim sunt Prophetiæ, in quorum vero sensu percipiendo, etiam perspicacissima ingenia caligent (hoc enim esset adversus Solem loqui), sed tantum omnia quæ docet non esse talia. 2. Cum asserimus eam omnia necessaria perspicue tradere, nos ita non intelligere, quasi semper id faceret, ubi de ejusmodi rebus est sermo: contrarium enim apparet ex non uno loco. v. gr. *Joan.* III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei*, & *Joan.* VI. 53. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: de quorum sensu magnæ sunt hodie inter Christianos disputationes; sed hoc tantum volumus, nullum dari necessarium aut valde utile dogma, sive ad fidem, sive ad mores pertinens, quod non in aliquo S. Scripturæ loco clare traditum inveniatur. 3. Etsi sensus ejus melius intelligantur à piis, qui Dei opem assiduo implorant, quam ab aliis: nullum tamen esse hominem, sive regenitum sive non regenitum, modo rationis compos sit, qui non sufficienter illos in capitibus necessariis capere queat. 4. Nihilominus non est hæc nostra mens, æque facile esse omnibus, fidem S. Scripturæ adhibere, ac sensum ejus intelligere, cum ad fidem non solum requiratur ingenii sagacitas, sed etiam animus probus, qui Dei voluntatem facere velit, *Joan.* VII. 17. 5. Itaque nulla Ecclesiæ authentica *Interpretatione* indigemus, ad Scripturæ necessarios aut valde utiles sensus intelligendum: sed sufficit, si ad ejus lectionem afferamus mentem affectibus & præjudiciis, quantum fieri poterit, vacuam, ne nobis ipsis, quo minus illos recte intelligamus, propria culpa obstaculo simus.

II. Hoc quem nunc exposuimus modo, Scripturam Sacram esse perspicuam, sequentibus argumentis ostenditur. *Primum* est, Quod Scriptura ipsa suæ perspicuitati testimonium perhibeat diversis in locis. ex. gr. *Psal.* XIX. 8, 9. ubi dicitur, *Legem Dei sapientiam præstare parvulis: esse lucidam & illuminare oculos*, & *Psal.* CXIX. 105. *Lucerna pedibus meis est Verbum tuum, & lumen semitis meis.* similiterque Petrus *Sermonem propheticum comparat lucernæ in caliginoso loco lucenti*, 2 *Petr.* I. 19. Pontificii excipiunt Scripturam his elogiis ornari, non quod facilis sit intellectu, sed quia postquam intellecta est illuminet: sed istud effugium est absurdum, utpote quod discrimen tollat inter clara & obscura Scripturæ loca, ita enim obscurissimæ prophetiæ Ezechielis, Danielis, & Apocalypseos, possent dici lucidæ; quia illuminant mentem eorum, qui ipsas recte intelligunt: sed apparet hic præcipue respici, ad facilitatem percipiendi sensum mandatorum Dei, significarique ipsum omnibus qui animum advertunt esse obvium & apertum. *Secundum*, Euangelium, quod Christus & Apostoli viva voce prædicarunt, fuit clarum, & facile ab ipsorum auditoribus intelligi potuit; ergo etiam postquam literis mandatum est. Antecedens patet ex eo, quod Christus vocatur *Lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem veniens in mundum, quam qui sequitur non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, *Joan.* I. 9. & VIII. 12. Istud autem nomen ei convenit respectu Euangelii, quod primum mortalibus annunciavit. Eandem quoque ob causam Apostoli *Lux gentium* appellantur, *Act.* XIII. 47. Et Christus dicit *se Paulum mittere ad Gentes, ad aperiendum oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem*, *Actor.* XXVI. 18. Consequentia inde probatur, quia Apostoli non alio fine scripserunt de doctrina Euangelica, nisi ut intelligeretur ab omnibus, ad quos sui libri pervenirent: illi autem ab initio magnam partem erant homines simplices & idiotæ, nullaque humana sapientia imbuti, qui parum utilitatis cepissent ex ipsorum scriptis, nisi viri isti divini, se ad eorum captum adtemperassent. *Tertium*, Omnes & singuli homines, necessarios S. Scripturæ sensus, fide amplecti, & opere exsequi, sub æternæ damnationis pœna tenentur: ergo eos ita clare & dilucide scriptos esse oportet, ut ab omnibus qui id serio cupiunt intelligi possint. Antecedens probatione non indiget: neque enim sensus isti essent necessarii, si absque illorum fide & obedientia, perditio æterna evitari posset. Consequentiæ veritas inde patet, quod sicut lex, quæ non est publicata, nullam obligandi vim habet, ita etiam eo modo proposita ut ab omnibus intelligi nequeat. Cum ergo Deus præceptis fidei & morum, in Scriptura comprehensis obtemperare nos velit, credibile non est, tam obscure ea scribi curasse, ut nemo nisi Oedipus aliquis illorum mentem caperet: id enim summopere ejus bonitati & sapientiæ adversaretur.

III. Sed inquies, Deus isti Scripturæ obscuritati remedium præsens adhibuit, nempe Ecclesiam suam, quæ ipsam absque ullo errore interpretaretur. At quæro, ubinam istud remedium indicavit nobis Deus, in Scripturane, an vero alibi? Dices id factum in Scriptura, quæ nos Ecclesiam in dubiis nostris consulere jusserit. Sed respondeo, Si Scriptura, etiam in necessariis, ita est obscura, ut nemo eam proprio marte intelligere queat, quomodo capiam sensum locorum, quæ nos ad Ecclesiam remittere dicuntur? Quid si post accuratam, quantum in me erit, inquisitionem factam, nulla reperiam loca, in quibus asseratur, Ecclesiam S. Scripturæ infallibilem esse interpretem. Quid denique si veram Ecclesiam, cui soli non errandi privilegium competit, non noverim, aut à cœtibus qui falso sibi nomen istud arrogant, discernere non possim, quomodo me ex tot tantisque difficultatibus expediam? Quare remedium istud, quod adversus Scripturæ obscuritatem datum esse dicunt,

eam nequaquam tollit, imo neque minuit, sed potius auget.

IV. Expendamus jam paucis, duas aut tres ex præcipuis objectionibus, quibus Pontificii sententiam nostram oppugnant. Primum, afferunt exemplum Eunuchi Candaces Æthiopum Reginæ, quem Philippus cum offendisset in curru legentem *Esaiæ caput* LIII. interrogavit, *Intelligisne quæ legis?* & ille respondit, *& quomodo possim, si non aliquis ostenderit mihi? Actor.* VIII. 30, 31. Respondeo, supra fassi sumus, non paucas in Scriptura sacra occurrere difficultates, verum in eo non consistit status quæstionis, sed in his duobus: 1. Utrum in locis obscuris agatur de aliquo ad salutem necessario dogmate. 2. Et, si constet agi, an non id alibi claris verbis & facilibus intellectu, explicetur. Hoc posito, dico in loco Esaiæ, quem Eunuchus absque interprete non poterat intelligere, haberi quidem eximiam de Christi passione & morte prophetiam, sed cujus rectum sensum tenere Eunucho non erat præcise necessarium, non enim deerant alia media, quibus ad fidem in Christum adduci posset, quamvis Spiritui S. libuerit ex hac Scriptura quam legebat occasionem arripere, ipsum in fide instituendi. Imo recta quoque istius prophetiæ intelligentia carere possumus hodie, absque salutis jactura; cum historia passionis & mortis Christi tam clare recenseatur ab Euangelistis, ut vel pueri ipsi eam facile intelligant, & sufficienter, quantum ad salutem requiritur, in Symbolo fidei, quod Apostolicum vocant, contineatur.

V. Objiciunt etiam Petri testimonium dicentis, *Paulum in omnibus suis Epistolis loqui, de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravent, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem, 2 Petr.* III. 16. ubi inquiunt apparere Petrum de necessariis ad salutem agere, cum ex eorum ignoratione sequatur æterna animæ perditio. Respondeo *primo*, hic non asseri, in Epistolis Pauli quædam esse intellectu difficilia (quod tamen non diffitemur), sed tantum in iis de quibus tractabat quædam esse talia: ista enim verba ἐν οἷς ἐστι δυσνόητά τινα non referuntur ad ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς, alioquin usus fuisset genere fœminino, & dixisset ἐν αἷς non vero ἐν οἷς. Nihil autem obstat quominus aliquis, præsertim tantus vir, ut erat Apostolus Paulus, perspicue de rebus obscuris scribere possit. *Secundo*, Petrus non loquitur de omnibus hominibus, sed de ἀμαθέσι & ἀστηρίκτοις, ἀμαθεῖς autem sunt, non tam *indocti* (quales plurimi sine culpa sua esse queunt, ut qui discendi facultatem non habuerunt) quam *indociles*: seu qui licet possint, discere non curant: & ἀστήρικτοι, sunt *instabiles & inconstantes illi, qui quovis doctrinæ vento circumferri se patiuntur, Ephes.* IV. 14. Non mirum est vero, si talibus hominibus Scripturæ sint obscuræ, & eas ad suam ipsorum perditionem torqueant; nam ne Sol quidem erit clarus illi, qui sponte oculos suos ad ejus jubar claudit, aut ea quæ manifesta sunt aspicere non dignabitur. *Tertio*, ex eo quod isti homines exitium sibi accersunt, quædam Scripturæ loca torquendo aut pervertendo, non sequitur in iis de necessariis rebus agi: evenire enim potest ut quispiam locum aliquem, qui sensum ad salutem necessarium non continet, ita corrumpat, ut inde sensum perniciosum & saluti suæ noxium eliciat: quod ex duobus exemplis unicuique patebit. 1. Non est absolute necessarium scire, quis sit sensus istorum Christi verborum, *Hoc est Corpus meum:* potest tamen aliquis ita ea torquere, ut inde concludat panem Eucharisticum cultu divino esse afficiendum, & eos qui ipsum adorare nolunt quovis supplicio esse dignos; atque ita idololatriæ & persecutionis piorum reum se faciat. 2. Non est etiam præcise necessarium scire, quomodo hæc verba sint accipienda, *Jacob dilexi, Esavum autem odio habui:* potest tamen aliquis adeo à vera eorum intelligentia aberrare, ut inde perniciosum hunc sensum eliciat, neque bona opera ad salutem quicquam prodesse, neque mala nocere, ut dicuntur olim Prædestinatiani fecisse, atque ita ex prava ista interpretatione ansam arripiat, pietatis studio valedicendi, & carnis suæ cupiditatibus frænum laxandi. *Quarto*, Fac Paulum de capitibus quibusdam necessariis obscure scripsisse, non sequetur protinus inde, ea nusquam alibi in sacris libris clare fuisse exposita ab alio aliquo divino Scriptore, qui faciliorem stylum habuerit.

VI. Affertur adhuc, tot dissidia, quæ cernuntur inter Christianos de Scripturæ sensu, & tantam commentariorum, ab utriusque partis, Romanæ nimirum & Reformatæ Doctoribus conscriptorum multitudinem, satis ostendere, longe difficilius esse quam dicamus, verum ejus sensum invenire: alioqui supervacaneus esset labor nostrorum in explicanda Scriptura, perinde ac si aliquis facem Sole in meridie lucente accenderet. Respondeo *primo*; non esse tam multa dissidia, ut vulgo creditur, de sensibus Scripturæ, quæ ad salutem intellectu sunt plane necessarii: de omnibus enim fere Christiani inter se consentiunt, quamvis interdum ea quæ recte credunt, pravis à se superadditis opinionibus evertant. *Secundo*, plurima ex istis dissidiis, non tam esse imputanda obscuritati Scripturæ, quam hominum vitio, qui aut non ea qua debent, cum attentione & diligentia eam legunt, aut Spiritus Sancti auxilium assidue non implorant, aut præjudiciis, vel carnis affectibus, mentem obnubilatam habent, secundum id quod Paulus dicit, *Quod si opertum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt opertum est, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentem infidelium, ut non fulgeat iis illuminatio gloriæ Christi, qui est imago Dei, 2 ad Cor.* IV. 4. quibus etiam accedit aliquando ignorantia linguarum originalium Hebraïcæ & Græcæ, in quibus libri Veteris & Novi Fœderis primo fuerunt conscripti, sed quæ tamen vix impedit, quominus necessaria ad salutem, ex locis de quorum interpretatione nulla est controversia, sufficienter hauriantur. *Tertio*, Commentario-

tariorum in S. libros multitudinem, ficut & Doctorum, qui eos viva voce explicant, labores, non esse supervacaneos, aut inutiles, etiamsi tanta in necessariis, ut prætenditur, non sit obscuritas, quia adjuvant ad multa utilia intelligendum, & stimulos addunt, ad ea quæ bene percepta sunt, servandum & opere exsequendum.

CAPUT XIV.

De legitima Sacræ Scripturæ Interpretatione, & ad eam legendam obligatione.

I. *Scripturæ interpretationem esse Metaphrasticam vel Paraphrasticam.* II. *Metaphraseon necessitas, quia omnes tenentur Scripturam legere.* III. *Earum modus,* IV. *& auctoritas.* V. *Paraphraseon necessitas.* VI. *Qua ratione fieri debeant.* VII. *Quomodo Scripturæ obscuritas tollenda.* VIII. *De sensu Scripturæ Literali & Mystico.* IX. *Paraphraseon species.*

I. ET occasione illius auctoritatis, quam sibi Romanam Ecclesiam arrogare, superiore capite diximus, aliquid de legitima S. Scripturæ interpretatione hic attexere operæ pretium erit. Ea duplicis est generis: una, qua Scriptura ex originalibus Hebraïcis & Græcis in linguas unicuique genti vernaculas transfertur; & *Metaphrasis* dici solet: altera, qua sensus Scripturæ, sive eadem lingua qua primum à Prophetis & Apostolis fuit exarata, sive diversa, explicatur & illustratur, & *Paraphrasis* appellari potest; licet hæc vox in paulo angustiore significatu vulgo accipiatur, pro peculiari aliquo explicationis Scripturæ modo.

II. In *Metaphrasibus* S. Scripturæ duo sunt consideranda; nempe *Necessitas* illarum & *Modus*. *Necessitas* hinc patet, quod omnes Deum timentes teneantur S. Scripturam assiduo legere & meditari: plerique autem eorum hodie sunt linguarum Hebraïcæ & Græcæ ignari, qui nequeunt id facere, nisi à viris ilarum peritis in alias ipsis notas & familiares vertatur. Omnes vero Dei timentes ad Sacram Scripturan legendum esse obligatos, multis rationibus probatur. *Primo*, Israëlitis id olim commendabat Moses; *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, iens dormitum & consurgens; & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ, Deut.* VI. 6, 7, 8, 9. Cui adde Davidem dicentem, *virum illum esse beatum qui in lege Dei meditatur die ac nocte, Psal.* I. 2. Ubi licet lectionis expressa non fiat mentio, intelligi tamen debet comprehensa, cum nemo possit legem Dei habere in corde suo, & in ea meditari die ac nocte, aut filiis suis enarrare, & scribere in limine atque ostiis domus suæ, nisi eam diligenter legat. Speciatim etiam præceptum id erat Regibus & Principibus Israëlitarum. *Postquam sederit* (Rex) *in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus* (Hebr. iteratam legem hanc) *in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ; ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus quæ in lege præcepta sunt, Deut.* XVII. 18, 19. Sic Deus dicit Josuæ, *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo. Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam*, Jos. I. 8. *Secundo*, Christus omnibus promiscue Judæis dicebat: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, Joh.* V. 39. Quod licet possit accipi non minus in indicativo quam in imperativo modo, tamen à multis celebribus inter Pontificios interpretibus redditur in imperativo, ut à Doctoribus Lovaniensibus in sua versione Gallica, aliisque; & ostendit saltem, usitatum inter Judæos tunc fuisse, ut omnes Sacræ Scripturæ lectioni incumberent. Quod præterea confirmatur exemplo Timothei, de quo Paulus dicit, *ipsum ab infantia S. literas novisse, 2 Tim* III. 15. *in quibus institutus fuerat à matre sua Eunice, & avia Loide*, quarum fidem sub initium hujus Epistolæ celebrat: nam pater ipsius erat Græcus seu Gentilis, Act. XVI. 1. Christiani autem Judæis cedere in divinarum literarum legendi studio turpe foret. Sed habemus etiam expressum hac de re mandatum. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, Col.* III. 16. Nam Verbum Christi in ipsis πλουσίως habitare nequit, nisi libros, in quibus solis illud hodie purum & incorruptum reperitur, assiduo scrutentur. Commendatur quoque nobis à Petro lectio Prophetarum: *Habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & oriatur lucifer in cordibus vestris, 2 Epist.* I. 19. Quod si tenemur incumbere lectioni Veteris fœderis, multo magis Novi, quod nos propius spectat. *Tertio*, Id suadet quoque multiplex utilitas quæ ex ista lectione percipitur. Nam *S. literæ possunt sapientem reddere ad salutem, & sunt utiles ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, & ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus instructus, 2 Tim.* III. 15, 16. Illæ sunt instar armamentarii instructissimi, ex quo πανοπλίαν illam debemus petere, quæ nobis in certamine adversus Diabolum est necessaria, *Ephes.* VI. 11. Eoque recurrit Dominus Jesus, qui impuri illius spiritus tentationes repulit, dicendo, *Scriptum est*, &c. *Matth.* IV. Mentitur itaque regula *Quarta*, Indici librorum prohibitorum à Clemente VIII. publicato, præfixa, cum dicit, *experimento manifestum esse, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde detrimenti quam utilitatis oriri.* Nullum enim ejusmodi experimenti exemplum afferri potest; sed multa contrarii, quam male saluti suæ consulant, qui lectionem istam negligunt.

III. *Modus Metaphraseon* hic est. 1. Ut nemo illotis, quod aiunt, manibus ad S. Scripturam

ram in aliam linguam transferendam, accedat; id est, qui non calleat accurate, quantum hoc tempore fieri potest, linguam Hebraïcam & Græcam, quibus ea primum consignata est; sed præcipue Latinam aut vernaculam, in quam illam vertere cogitat. 2. Ne interpres idem sibi licere credat quod in scriptis humanis, ut sensum qui ipsi verus esse videtur, quibuscunque lubebit verbis exprimat, sed si fieri possit verbum verbo reddat, & neglecto elegantiæ studio Hebraismos & Græcismos retineat, quos tamen, si obscuriores sint, aliis verbis in margine explicet. 3. Si quid in originali lingua ambiguum sit, id ambigue quoque transferendum est, aut si lingua, in quam fit translatio, illud non permittat, annotatio aliqua addi debet, quæ de ambiguitate ista lectorem moneat. Quo tamen ipso non rejicimus aut aspernamur eorum labores, qui perspicuitati aut elegantiæ sermonis studentes, S. Scripturam paulo liberius sunt interpretati; modo ipsorum Versionibus paraphrasticis, non plus quam alicui Commentario fieri solet, authoritatis tribuatur.

IV. Quacunque tamen fide & accuratione versio aliqua sit elaborata, nunquam tanta in æstimatione esse debet, ut æquetur archetypis, & ab ea ad fontes Hebraïcos & Græcos provocare non liceat: & quin perpetuo revisioni & emendationi obnoxia maneat. Nam fieri vix aliter potest (quæ est humana ignorantia & imbecillitas) quin interpres alicubi sit lapsus, aut minus commode & perspicue Divinorum Scriptorum mentem expresserit. Unde sequitur neque Græcam veteris Testamenti versionem, à LXX interpretibus Ptolemæi Philadelphi cura, 300 circiter ante Christum natum annis adornatam; neque Latinam vulgatam utriusque Testamenti, neque ullas alias (quæcunque esse possint) Bibliorum translationes, pro authenticis & æqualis cum Hebræo & Græco archetypo authoritatis haberi debere: cum illarum Auctores non fuerint in scribendo à Spiritu Sancto afflati, aut aliquo non errandi privilegio donati.

V. *Paraphrasis* latiore significatu, est S. Scripturæ interpretatio qua verus ejus sensus aperitur, & lux obscuris locis infertur, quacunque id demum lingua fiat: unde Commentarios habemus in illam, non solum Latinos, & vernaculis nostris linguis conscriptos; sed etiam Græcos multos & Hebraïcos. De ea tria paucis dicemus. 1. Quanta sit illius necessitas, aut utilitas. 2. Qua ratione fieri debeat. 3. Quænam sint illius species. Quod ad *primum* attinet, colligi potest ex iis quæ supra fuere dicta, de S. Scripturæ perspicuitate, ejus interpretationem non esse absolute necessariam, adeo ut sine illa fides vera haberi aut retineri non possit. Sufficienter enim ad salutem intelligebatur à Christianis, qui usque ad ducentesimum & amplius à Christo nato annum vixerunt, antequam ullis Commentariis à quoquam Doctore fuisset illustrata: attamen quia certum est multa in S. libris esse loca intellectu difficilia, præsertim idiotis & minus exercitatis, nemo prudens unquam negabit interpretationes, quæ facem in tenebris illis præferant, esse valde utiles, doctosque viros qui hac in re studium & operam suam collocant, optime de Jesu Christi Ecclesia mereri.

VI. Quod ad *Secundum*, ut sciamus qua ratione in Scriptura explicanda versari oporteat, primum aperiendæ sunt nobis causæ obscuritatis, quæ in ea subinde occurrit. Eæ sunt vel in rebus ipsis de quibus tractat, vel in stylo & sermone quo illas explicat; ut jam omittam dicere de hominibus qui ipsam legunt, quia id supra quantum sufficit, à nobis factum est. Multas res in Scriptura esse intellectu difficiles, id arguit, quod agat de Deo & Angelis, de statu futuri sæculi, & similibus, à sensu, unde omnis nostra cognitio oritur, remotis. Sermonem etiam ejus non raro esse satis obscurum, ostendunt figuræ quibus scatet, contradictiones apparentes, & multiplex sensus, quo interdum phrases, quas usurpat, accipi possunt. Quibus accedit in legentibus, ignorantia linguarum, vel historiæ & consuetudinum veterum, & non raro præjudicia vel affectus. His omnibus obviam ire debet is qui Scripturam recte intelligere, & fidelis interpretis munere fungi cupit.

VII. Cum sublimitas rerum difficultatem adfert, unicum adversus eam remedium est, acquiescere in eo, quod placuit Deo patefacere, nec præsumere sapere ultra id quod scriptum est. Inde enim magna dissidiorum in Ecclesia Dei pars exorta est, quod Doctores ingenio suo nimis confidentes, in arcana Dei, quæ ipsi & futuræ vitæ relinquenda erant, perrumpere voluerunt. Si obscuritas est in stylo & modo tractandi, oportet primo diligenter attendere ad scopum loci, antecedentia, consequentia, & cæteras circumstantias, sicut in omnium aliorum authorum scriptis explicandis fieri consuevit. Deinde conferre phrases & sententias similes, sed quantum fieri potest clariores, & de quibus nulla sit controversia. Denique obscurorum locorum interpretationem examinare ad analogiam fidei, id est, ad sententias aliquas clarissime in Scriptura traditas, & quæ sunt tanquam principia quædam indubia & immota Religionis; nullumque sensum qui iis repugnet, aut contradictionem implicet, vel manifeste absurdus sit, admittere. Speciatim in Prophetiis quas Petrus 2 Epist. 1. 20. monet non esse *ἰδίας ἐπιλύσεως*, *explicationis*, vel *ἐπελεύσεως*, seu *ἐπηλύσεως*, ut conjicit Calvinus, id est, *adventus* seu *inspirationis*; notandum nullas esse probandas temere expositiones, nisi ad eas viri Divini viam straverint, vel eventus ipsas comprobarit. Si vero causa difficultatis Scripturæ sit in nobis ipsis, id est, in ignorantia, vel præjudiciis aut affectibus nostris, totis viribus est contendendum ut ab istis impedimentis nos liberemus, & Spiritus Sancti auxilium, qui mentem nobis aperiat, devote implorandum, præcipueque pietati est studendum,

dendum, quia *secretum Domini timentibus eum, & suum pactum illis notum faciet*, *Psalm.* XXV. 13. Sed quæcunque diligentia & fidelitas in interpretatione obscurorum Scripturæ locorum sit adhibita, ea semper errori est obnoxia, ideoque nemini qui illam capere non potest importune obtrudenda.

VIII. Quod vero quidam præterea hic monent de gemino sensu in S. Scriptura observando, altero *Literali*, altero vero *Mystico*, & *Mystico* iterum triplici, nempe *Allegorico*, *Tropologico*, & *Anagogico*, id ad universam Scripturam non pertinet, sed tantum ad paucas aliquot ejus partes, præsertim Veteris Testamenti. Nam *Allegoricus* sensus esse dicitur, cum aliquæ historiæ Vet. Testamenti, præter sensum literalem quem habent, aliquid significant quod in novo ad Christum aut ejus Ecclesiam refertur: Ita quod Abraham duas habuit uxores, nempe Saram liberam & Agar ancillam; & ex hac filium Ismaëlem, ex illa vero Isaacum suscepit; hæc Paulus docet nos esse ἀλληγορούμενα, & per Agarem significatum fuisse Vetus Fœdus, per Saram vero Novum, *Gal.* IV. Talesque sunt multæ Prophetiæ de Christo, geminum habentes sensum, unum literalem, qui jam, antequam veniret, in ipsius Typis impletus fuit: alterum vero mysticum, qui in solum Christum quadret. *Tropologicus* sensus est, cum verba aut facta quædam quæ mores non videntur directe respicere eo applicantur. Qualia sunt illa verba legis *Deut.* XXV. *Non alligabis os bovi trituranti*: quæ Paulus 1 *Cor.* IX. dicit significasse fideles teneri victum Euangelii ministris suppeditare. *Anagogicus* denique sensus est, cum verba quæ de rebus terrenis dicta sunt, aut facta ad hanc vitam pertinentia, ad vitam æternam referuntur, qualia sunt verba illa *Psal.* XCV. *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam:* quæ Apostolus, *ad Hebr.* III. & IV. de requie regni Cœlorum interpretatur. Sed proprie loquendo unus est tantum Scripturæ sensus, is nempe, quem *literalem* seu *grammaticum* vocant, quem ipsa ejus verba sive proprie sive tropice accepta indicant. Et is semper immotus manere debet, aliisque pro fundamento substerni. *Mystici* vero sensus nihil aliud sunt nisi quædam literalis hujus sensus extensio ad quippiam aliud, quod Deus præter id quod litera, præcise sumta, significat, sibi propositum habuit, ita ut sit potius Dei, quam Scripturæ in se ipsa consideratæ sensus. Tales ergo sensus in Scriptura non sunt facile quærendi, nisi viri Divini eos quodammodo nobis insinuent. Saltem ex iis quos aliquis proprio marte elicuit, non licet argumenta petere ad dogmatum Religionis confirmationem. Sed multo magis cavendum, ne sub *mystici* sensus prætextu *literalis* evertatur, prout quidam faciunt, qui præcipuas Scripturæ partes, ut quæ agunt de creatione mundi, de lapsu primi hominis, & similes alias plures in meras allegorias convertunt.

IX. Quod ad *Tertium*; Interpretatio Scripturæ est duorum generum. Alia enim nude & simpliciter verum ejus sensum enarrat; alia vero præterea, doctrinas aliquas inde elicit, quas ad audientium aut legentium usum applicat. Illa ut plurimum contenti sunt Professores in Scholis: Hanc vero adhibent Concionatores in Ecclesia & apud populum. Usus autem ad quem applicatur Scriptura est quintuplex, nempe *doctrina*, *redargutio*, *institutio*, *correctio*, *& consolatio*: ut docet nos Paulus partim 2 *Tim.* III. 16. partim *Rom.* XV. *v.* 4. Qui tamen non possunt semper omnes ex quolibet Scripturæ textu elici; adeo ut illi inepti sint qui id facere tentant. *Doctrina* autem in primo Apostoli loco, est veræ doctrinæ confirmatio: *Redargutio*, falsæ doctrinæ refutatio: *Institutio*, præcepta religiosæ, justæ & sobriæ vitæ tradit: *Correctio*, vitiorum, sanctimoniæ contrariorum, reprehensionem & castigationem continet. *Consolatio*, denique in altero loco, est afflictorum animorum erectio; quæ adhibetur vel erga peccatores serio resipiscentes, quibus spes fit veniæ apud Deum obtinendæ: vel erga pios in aliqua calamitate constitutos, præcipueque cum persecutionem patiuntur propter justitiam: quibus istarum afflictionum utilitas & merces à Deo est proponenda.

CAPUT XV.

De Norma Controversiarum Religionis.

I. *Quatuor conditiones in perfecta Norma requiri, quæ in Scriptura & nusquam alibi reperiuntur.* II. *Non in Traditionibus.* III. *Non in Symbolis.* IV. *Non in Conciliorum decretis.* V. *Non in Patrum Scriptis.* VI. *Nec in Confessionibus & Catechismis Reformatorum.* VII. *Adversus modestiam non peccare qui se ejusmodi scriptis non subjiciunt.*

I. EX iis quæ hactenus de S. Scripturæ Divinitate, Sufficientia, & Perfectione diximus, apparet eam *perfectam* esse *Normam* seu *Regulam*, & quidem *solam*, ad quam omnes religionis controversiæ examinari debeant. Omnes enim quæ in perfecta norma requisitæ sunt conditiones in ea reperiuntur, & nusquam alibi. 1. Ut norma nunquam fallat eos qui ipsa utuntur. Quam S. Scripturæ convenire nemo Christianus repugnabit, qui illam à Deo profectam esse credet. 2. Ut sufficiat ad ea omnia, de quibus controversia moveri potest decidendum. Quod etiam in Scripturam quadrat, quæ non tantum omnia creditu & factu ad salutem necessaria plene continet, sed etiam multa alia ad illam obtinendum conducibilia; adeo ut quæ silentio præterit parvi sint momenti, & absque periculo aut damno ignorari queant. 3. Ut sit clara & facilis intellectu. Quæ est quoque S. Scripturæ dos. Nullum enim proferri potest alicujus momenti dogma, quod in ea perspicuis verbis alicubi traditum non sit. 4. Ut ad manum sit quotiescunque illa opus erit. Quod de S. Scriptura recte dici ita manifestum est, ut superfluum sit id pro-

probare. Nullus enim liber adeo vulgaris est hodie inter Christianos & comparatu facilis in omnibus linguis, ut sunt Biblia. Idcirco Deus vult illa à nobis consuli in dubiis nostris, *Ad legem & ad testimonium; quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit illis matutina lux*, *Esa.* VIII. 20. Et Jesus [illegible] dicit Judæis, *Scrutamini Scripturas; illæ sunt qu[illegible] perhibent de me*, *Joh.* V. 39. Quod si non est mandatum, saltem consuetudinis Judæorum est approbatio. Berœenses etiam laudantur, quod audito ex ore Pauli & Silæ Euangelio, *quotidie scrutabantur Scripturas, si hæc ita se haberent*, *Act.* XVII. 11.

II. Scripturam autem *solam* esse *perfectam* omnium religionis controversiarum *Normam*, inde constat, quod quatuor istæ conditiones, & præcipue prima, ut sit *infallibilis*, nulli alii scripto aut verbo, qualecunque id sit aut cogitari queat, conveniunt, neque Traditionibus Apostolicis; neque fidei symbolis; neque Conciliorum decretis; neque Patrum, qui vocantur, scriptis; neque ullis Ecclesiarum Confessionibus. De *Traditionibus* jam superius actum est, & ostensum, iis propter incertitudinem tuto credi non posse. Alias magna cum reverentia parati essemus illas suscipere, si nobis solide & idoneis testimoniis probaretur ab Apostolis originem habere. Sed illis non indigemus, Scriptura nobis abunde sufficiente.

III. *Symbola Fidei* in Conciliis edita, pro ejusmodi Norma non esse recipienda inde patet, quod ne *Symbolo* quidem *Apostolico*, vulgo sic dicto, hæc auctoritas competat. Non enim est ab Apostolis compositum, ut quidam existimant; alioqui pars foret Scripturæ Canonicæ, pro qua tamen nunquam fuit agnitum. Nec ab initio omnes eos articulos continebat, quos nunc habet, ut *de Ecclesia*, & *Communione Sanctorum*: sicut neque illum qui meminit *descensus Christi ad inferos*, qui in multis veteribus editionibus desideratur, aut loco sepulturæ ponitur. Merito tamen ipsum magni facimus, & omnibus aliis Symbolis præferimus; non solum quia antiquissimum est, sed etiam quia fere ad verbum ex Sacris Literis est descriptum. De Symbolis in Concilio Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, &c. compositis, idem & majori etiam jure dicendum est, ea non habere auctoritatem regulæ fidei, neque ullo modo Scripturis Canonicis exæquanda. Unde videre est quam graviter peccaverit Gregorius I, qui *se quatuor illa prima Concilia suscipere & venerari* ait *sicut quatuor Sancti Euangelii libros*: cum certum sit Episcopos ex quibus constiterunt, & qui Symbola illa condiderunt, non fuisse θεοπνεύστους, aut privilegio non errandi in suis decretis donatos, quemadmodum Euangeliorum Scriptores. Adde quod hæc Symbola depravationis non fuerunt expertia, ut apparet ex Constantinopolitano: nam cum in eo legeretur, *Et in Spiritum S.* (supple, credo) *Dominum vivificantem, ex Patre procedentem*; Latini has duas voces adjecerunt *& Filio*; quod male admodum habuit Græcos, & occasionem præbuit schismati, quod ipsos à Latina Ecclesia nunc dividit: præcipue quia Latini affirmabant se nihil mutasse, & eas jam olim in Symbolo Constantinopolitano extitisse: licet aliter se rem habere constet ex Actis & Historicis qui illius Concilii meminerunt. Imo, quod mireris, nonnulli ex Reformatis favent huic depravationi; ut videre est in editione Græco-Latina Novi Testamenti apud Henricum Stephanum, anno 1575. & in Syntagmate Theologico Amandi Polani.

IV. Quod de *Conciliorum Symbolis*, idem etiam de ipsorum *Decretis* sentimus, ea pro controversiarum Norma neutiquam admittenda esse, idque duabus præcipue de causis. Prima est, quia sunt errori obnoxia, nec ullam fidem merentur nisi quatenus cum Sacris Literis consonant: quod à norma alienum est, cujus officium est dirigere, non dirigi. Idque Pontificii ultro de particularibus Conciliis confitentur, & multa exempla evincunt. Eadem autem est universalium ratio, ut postea de Patribus, ex quibus constiterunt, agentes dicemus. Et vel ex eo solo probari potest, quod illa sint inter se contraria: ut Nicænum I, quod ὁμοούσιον statuit, & Ariminense, quod improbavit. Duo Ephesina eodem anno 431. celebrata, quorum unum Nestorium damnavit, alterum vero Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Ephesium, à quibus damnatus fuerat, vicissim, ductu Joannis Antiocheni, condemnavit. Item Nicænum II, quod cultum imaginum sanxit, & Francofordiense, quod illum improbavit. Nec ullius est momenti quod objicitur, Ecclesiam universam erraturam si Concilia universalia errent. Nam in eo nihil est absurdi, ut statim ostendemus, neque etiam consequentia hæc est legitima. Nulla enim celebrata sunt Concilia vere universalia, in quæ deputati ex omnibus Christiani orbis Ecclesiis convenerint. Quod etiam distantia locorum, discrimen linguarum, & inimicitiæ populorum atque Principum non permittunt. Quæ vero œcumenica dicuntur, ex imperio tantum Romano, aut interdum forte ex vicinis quibusdam & fœderatis provinciis convocata fuerunt. Nec ad ea invitati sunt Presbyteri, aut saltem ad suffragia non fuerunt admissi; multoque minus ulli laïci, etsi doctrina & probitate Episcopis non inferiores. Adeo ut errantibus istis Conciliis, non fuerit necesse universam etiam Ecclesiam simul in errorem abduci. Altera causa est, Quod Conciliorum acta sint corruptissima, & non exigui sit laboris genuinas illorum decisiones à supposititiis distinguere: Quod duobus exemplis ostendere sufficiet. In Concilio I Nicæno Can. VI. statutum fuerat *ut Episcopus Alexandrinus potestatem haberet in Ecclesias Ægypti, Libyæ, Pentapolis, sicut Romanus in Ecclesias suburbicarias*: quemadmodum reddidit illum *Ruffinus*, *Eccles. Histor. lib.* 1. *cap.* 6. Sed legati Pontificis Romani in Concilio Chalcedonensi, citarunt hunc Canonem depravа-

pravatum, præfixo ei tali principio; *quod Ecclesia Romana semper habuit primatum; tenuit autem & Ægyptus, &c.* Cui falsitati totum Concilium reclamavit, & ad eam revincendam producta sunt in medium vera acta, in quibus nihil ejusmodi exstabat. *Hist. Concil. Chalced. Actione* 16. In eodem Concilio Chalced. *canone* 28. statutum erat *ut Constantinopolis, Nova Roma, paribus privilegiis frueretur, etiam in rebus Ecclesiasticis, cum seniore Roma.* Sed quia hæc Constantinopolis & Romæ exæquatio displicebat Episcopis Romanis, Canon iste omissus fuit in quibusdam Conciliorum editionibus, ut in *Summa Carranza*, & in *Codice Canonum Lutetiæ* edito, anno 1609. In aliis vero est depravatus, & verba illa, *etiam in rebus Ecclesiasticis*, mutata fuerunt in hæc, *sed non in rebus Ecclesiasticis*; ut apud *Gratianum, in decreto*; Quod absurdum est: Nam Concilium alia non poterat tribuere privilegia Constantinopoli & ejus Episcopo, quam Ecclesiastica. In aliis denique legitur quidem integer, sed addita censura, qua spurius esse declaratur, & à Græcis hujus Concilii Actis falso insertus.

V. *Scripta* etiam *Patrum* non debere pro fidei Norma recipi inde patet, quia munus istud neque singulis seorsim, neque universis conjunctim competit. Non primum; quia nullus omnino est inter veteres Patres erroris expers, ut tam Pontificii quam Protestantes agnoscunt. Non secundum; quia si singuli seorsim errori fuerint obnoxii, omnes quoque conjunctim erunt. Eadem enim est ratio totius, quæ partium ex quibus componitur, neque ex partibus corruptibilibus totum incorruptibile, aut ex partibus falsis totum verum constitui potest. Ut jam omittam Patrum consensum jactari quidem à multis, sed non facile ostendi. Sed inquies, si omnes Patres simul sumpti errarunt, tota quoque Ecclesia erravit: quod est absurdum. Respondeo *primo*, Non esse absurdum existimare totam Ecclesiam, etiam veram, erravisse in quibusdam minus necessariis fidei capitibus, qualia sunt pleraque eorum, de quibus hodie disputatur inter Christianos. Nam si tota certi cujusdam temporis Ecclesia à fide deficere potest, multo magis in aliquos errores incidere qui fidem non evertant. Id autem non esse impossibile ostendit apostasia multarum Ecclesiarum particularium, quæ deserto Christo Mahumetismum sunt amplexæ. Quod enim illis evenit, nihil est quod obstet aliis quoque evenire. Dico *secundo*, Non sequi, si omnes Patres, quorum scripta nobis supersunt, erraverunt, totam quoque Ecclesiam Christi erravisse. Illi enim non sunt tota Ecclesia, neque de ejus sententia certos nos reddere queunt. Ex tribus primis à Christo nato sæculis vix XII auctorum scripta habemus, eaque multis in locis depravata, aut falso iis quorum nomina præferunt attributa, ut doctissimi viri, tam ex Pontificiorum quam ex Protestantium ordine confitentur. vide *Rob. Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & *Andreæ Riveti Criticum sacrum.* Cui adde, Patres illos, quorum lucubrationes supersunt, fere tantum fuisse Græcos aut Afros: ex aliis vero Christiani orbis provinciis nullos. Quantulus vero hic est numerus, ut nos quid universa Ecclesia crediderit edocere queat? Imo etiam si decuplo plures essent, vix majorem haberent rationem ad infinitam illam Christianorum multitudinem toto orbe dispersam, quam paucæ aliquot aquæ situlæ ad totum mare. Atqui ubi de totius Ecclesiæ fide agitur, omnium peritorum audienda sunt suffragia: Illi vero non tantum inter Ecclesiæ Doctores, sed etiam inter Laïcos reperiuntur; & non raro contingit ut, Doctoribus à veritate deficientibus, privati fideles incorruptam fidei doctrinam retineant. Præterea, pauci inter Ecclesiæ Antistites fuerunt omni ævo qui scriptis aliquid mandarunt, præ iis qui nihil scripserunt. Nec semper ii qui composuerunt libros, cæteris meliores aut saniores in fide fuerunt: sed potius magis contentiosi, qui ut opiniones suæ prævalerent, totis viribus nitebantur. Deinde, veterum illorum, de quibus loquimur, Patrum scripta nequaquam sunt sufficiens norma secundum quam de omnibus, imo ne de præcipuis quidem, quæ hodierno tempore agitantur, fidei controversiis judicetur. Ea enim nihil fere aliud continent, quam disputationes adversus Ethnicos & Judæos, aut quasdam sæculi sui hæreses jam pridem obsoletas: materias vero de quibus Christiani nunc inter se disputant non attingunt; & quid de illis senserint per obscuras tantum & longe petitas consequentias elicitur: adeo ut quod Pontificii Scripturæ objiciunt, eam non plene continere omnia creditu aut factu necessaria, longe majori jure in primorum illorum Patrum scripta retorqueri possit. Denique multa ex istis scriptis valde sunt obscura & intellectu difficilia, ut apparet è locis, quæ inde ad controversias hujus temporis dirimendas afferuntur, de quorum sensu non minus acriter quam Scripturæ decertatur. Ita ut si Scriptura propter obscuritatem suam idonea non sit ad normæ officio fungendum, multo minus eandem ob causam Patrum scripta sint, frustraque Pontificii ipsa ad Scripturæ tenebras illustrandum adhibeant. Quod si non solum trium primorum Christianismi sæculorum scripta pro controversiarum norma assumi debeant, sed etiam (ut volunt Pontificii) quarti, quinti, & sequentium; de iis nulli alii judicare poterunt quam exercitatissimi in illorum lectione; qui pauci admodum sunt. Tanto enim sunt numero, ut vix hominis vita ad præcipuos eorum perlustrandos sufficiat. Saltem nemo ante senectutem aptus erit ad judicium de illorum consensu aut dissensu ferendum. Ne dicam, doctos tantum, & linguarum Græcæ & Latinæ peritos, istud facturos. Atqui norma controversiarum religionis talis esse debet, ut omnes ea uti facile possint, non minus juvenes quam senes, & idiotæ quam doctores. Omnium enim hic res agitur, non paucorum quorundam. Nec est quod excipiatur, illos qui longo multorum

rum annorum ſtudio & labore indefeſſo veterum ſcripta pervolverunt, cæteros quibus tantum otii aut capacitatis non eſt ut ea cum fructu legere poſſint, vigiliarum ſuarum participes facturos, & quid iis contineatur indicaturos. Tutum enim non eſſe ab illorum relatu in cauſa ſalutis pendere, de quorum fidelitate nobis non conſtat, prudentes ſatis animadvertunt. Sed qui plura de his noſſe volet, conſulat doctum *J. Dallæi* tractatum *de uſu Patrum*.

VI. Sed multo adhuc minore cum ſpecie, quidam, in hac ſæculorum fæce, Reformationi addicti, *Confeſſiones* ſuas & *Catechiſmos* pro regula fidei nobis importune obtrudunt; cum tamen non audeant aſſerere hæc ſcripta infallibilis eſſe veritatis. Excipiunt quidem ſe illa non habere pro *norma primaria*, qui honor ſoli Scripturæ S. competat, ſed tantum pro *Secundaria*; nec pro *norma veritatis*, ſed tantum pro *norma conſenſus*, unde genuina Eccleſiæ Reformatæ membra ab extraneis diſcernantur. Verum iſtud non excuſat ipſos. Nam quid attinet normam ſecundariam cudere, ſi primaria eſt ſufficiens? Eſſe autem ſufficientem ipſi agnoſcunt, cum adverſus Pontificios contendunt S. Scripturam plene & perſpicue omnia ad ſalutem creditu & factu neceſſaria continere. Non magis ergo ſecundaria iſta norma eſt opus, quam ſecundario aut miniſteriali capite Eccleſiæ ſub Chriſto, quod ipſi pariter nobiſcum rejiciunt. Deinde norma conſenſus à norma veritatis non poteſt eſſe ſeparata. Nemo enim urgeri debet ad conſentiendum in eo quod non eſt infallibilis veritatis. Sed inſtant illi; niſi aliqua ejuſmodi ſecundaria conſenſus regula cudatur, hæretici non poterunt diſcerni ab Orthodoxis, oportebitque eos in Eccleſiam recipere, quamvis ad eam non pertineant: quia omnes hæretici profitentur ſe credere Scripturæ, & ipſam pro unica fidei norma habere. Ad quod reſpondeo 1. Falſum id eſſe; nam non ſolum olim fuerunt hæretici, qui non agnoverunt Scripturam eſſe divinam; aut ſaltem præcipuas aliquot ejus partes, ut Vetus Teſtamentum, Euangelia, Epiſtolas Pauli, rejecerunt; ſed etiam hodie non pauci tales ſunt, ut Spirituales, & Pontificii, qui illam pro unica & perfecta religionis norma non admittunt. 2. Illos non eſſe peſſimæ notæ hæreticos, qui ita præclare de S. Scriptura ſentiunt, etiamſi forte in quibuſdam noſtro judicio errent. Nihil enim poſſunt ignorare aut in dubium vocare quod ad ſalutem ſit neceſſarium; cum ea quæ iſtiuſmodi ſunt plene & perſpicue in Scriptura contineantur. Itaque nihil abſurdi foret, ſi omnes illi, qui ex ſola Scriptura S. pendere ſe velle in rebus fidei profitentur, in unum Eccleſiæ corpus conjungerentur, & ſe mutuo tolerarent in cæteris ubi diverſa ſentiunt, donec Deus ignorantibus veritatem ſuam patefeciſſet.

VII. Sunt qui dicunt *Confeſſiones* ſive veterum, ſive recentiorum, non eſſe quidem religionis noſtræ normas; ſed tamen magni debere fieri, quia communi aliquot bonorum & doctorum Antiſtitum conſenſu ſint conditæ, & modeſtia non permittat ut qui eruditione ſunt multo inferiores ab eorum ſtatutis reſiliant. Reſpondeo 1. Doctis opponi poſſe alios non minus doctos, qui diverſum olim ſenſerint, aut nunc etiam ſentiant; nec illum quicquam adverſus modeſtiam peccare, qui his potius adhærere mavult quibus Scripturam S. favere credit, quam illis quos ab ea diſcedere opinatur. 2. Non conſtare nobis Confeſſiones illas, in quarum verba jurari volunt, communi bonorum conſenſu fuiſſe conſcriptas. Imo ſi monumenta veterum diligentius evolvamus, nos potius habituros cauſam contrarium credendi: nimirum in quatuor illis primis Conciliis Oecumenicis, quæ tantis laudibus à quibuſdam efferuntur, non fuiſſe liberum diſcedere à potentiorum ſententia; & odii atque ambitionis affectus, ſtudio pacis & veritatis ibi longe prævaluiſſe. Unde forte *Beza* non male *Præf. in ſuam Novi Teſtamenti verſionem Latinam* ſcripſit, *Optimis etiam illis temporibus* (ſi cum poſterioribus conferantur) *eam fuiſſe Epiſcoporum ambitionem, futilitatem, ignorantiam, & multorum etiam apertiſſimam ac deſperatiſſimam improbitatem, ut Satanam plane cœtibus eorum præfuiſſe, vel ipſi cæci, facillime perſpiciant.* Quod Concilio quoque Tridentino jure applicari poſſe non diffitebuntur Reformati; an vero in Dordracenum non quadret ſimiliter, intelligentibus, & rerum quæ ibi geſtæ ſunt gnaris, judicandum relinquo.

CAPUT XVI.

De Judice Controverſiarum religionis.

I. *Variæ Pontificiorum & Reformatorum de Judice Controverſiarum opiniones.* II *Quomodo Scriptura & Deus in Scriptura loquens Judex vocari poſſit.* III. *Nullum Judicem à Deo eſſe conſtitutum.* IV. *De obligatione ſe ſubjiciendi conciliorum decretis.* V. *Occurritur exceptioni Pontificiorum ex Deut.* XVII. 8. *&c.* VI. *Unicuique privatum de controverſiis judicium competere.*

I. SEd quia non ſufficit habere normam, niſi etiam *Judex* ſit aliquis qui ſecundum eam judicet, & quis genuinus illius ſit ſenſus pronunciet: quæritur nunc, an ſit aliquis in terris ſupremus *Judex*, cui Deus auctoritatem dederit omnes religionis controverſias dirimendi, & cujus ſe judicio omnes Chriſtiani ſubjicere teneantur, & quiſnam ille ſit. Pontificii talem aliquem in Eccleſia judicem perpetuo eſſe volunt; ſed quiſnam ille ſit nondum inter ſe convenire potuerunt; aliis pro ſupremo ejuſmodi judice Pontificem Romanum nobis obtrudentibus; aliis vero Eccleſiæ tantum univerſali, in Concilio legitime congregatæ, jus iſtud tribuentibus. Proteſtantes autem quod attinet, illi quidem omnes Pontificem Romanum conſtanter repudiant; ſed cui munus iſtud judicandi conveniat, nondum mihi videntur ſatis aperte declaraviſſe:

visse: vulgo quidem id tribuunt S. Scripturæ, quam non tantum pro norma, sed etiam pro Judice omnium religionis controversiarum habent: sed cui tamen adjungunt Concilia sua; quorum decretis, etsi non sint universalia, nec prorsus infallibilia, volunt omnes acquiescere. Nos vero nullum talem in terris Judicem esse existimamus, nec ipsam Scripturam S. nec ulla Concilia, qualiacunque illa sint, multoque minus Episcopum Romanum, etiamsi auctoritatem istam magna sibi cum fiducia arroget.

II. Nam ut de S. Scriptura primum dicamus; concedi quidem potest, figurato aliquo sensu, eam esse Judicem, quatenus videlicet secundum id quod tradit, Judicium de controversiis religionis ferri & sententia pronunciari debet: Sic enim Jesus Christus, *Qui spernit me, & non audit verba mea, habet qui judicet eum: sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die, Joh.* XII. 48. Nimirum quia *tunc Deus judicabit de occultis hominum secundum Euangelium per Jesum Christum, Rom.* II. 16. sic etiam figurato loquendi genere dicitur, *Mosem Judæos apud Deum accusaturum esse, Joh.* V. 45. videlicet quia in lege quam ipsis dedit redarguuntur ipsorum crimina. Sed tamen cum proprie & absque tropo loqui volumus, evidens est in unam eandemque rem aut personam non posse cadere, ut sit lex seu norma, & Judex: distincta enim sunt utriusque officia. Lex in genere tantum de aliorum dictis aut factis pronunciat: Judex vero applicationem legis specialem ad hunc vel illum hominem aut casum facit. Quod præcipue locum habet, ubi de sensu legis aut normæ controvertitur. Cum igitur, ut supra ostendimus, S. Scriptura controversiarum religionis sit norma, sequitur eam simul illarum judicem proprie esse non posse, sed alium aliquem esse debere, qui controversias istas secundum eam judicet: prout in omnibus judiciis humanis videre est, ubi judex & judicii norma semper à se invicem distincta sunt. Eodemque redit illorum sententia, qui Judicem, de quo agitur, volunt esse Jesum Christum, aut Spiritum S. in Scriptura de Christianorum controversiis pronunciantem. Quamvis enim id certo quodam sensu verum sit, tamen Jesus Christus aut Spiritus S. non aliter pronunciant de nostris dissidiis, quam prout leges olim conditæ lites recenter ortas judicant. Quemadmodum enim id non faciunt solæ & per se, sed interveniente judicis applicatione ad facta singularia quæ in contentionem veniunt, ita neque Christus aut Spiritus S. in Scriptura loquentes. Unde fit ut non obstante ista, quæ dicitur, sententiæ pronunciatione, nulla litigantium pars alteri cedere velit, sed inter se contendere pergant. Quod non fieret, si Christus aut Spiritus S. in Scripturis eodem quo alii judices modo solent sententiam ferrent, & illi quidem dicerent, tu causa cecidisti; huic vero, tu causam obtinuisti.

III. Quod vero nullus in terra sit supremus controversiarum religionis Judex, id manifeste evincit, quod oporteret ipsum à Deo aut Christo, quibus solis αὐτοκρατορικὸν istud jus competit, esse constitutum. Id autem non est factum. Nullus enim è Sacris literis proferri potest locus qui ejusmodi judicis mentionem faciat, multo minus quis ille sit indicet. Quod in re tanti momenti, ex qua Ecclesiæ Christianæ salutem & tranquillitatem pendere putant, nequaquam fuisset omissum; imo illud foret præcipuum de quo Scriptura nos monuisset. Fatemur quidem Christum & ejus Apostolos quamdiu in terris vixerunt hanc auctoritatem habuisse; sed nemini post abitum suum eam reliquisse ostendunt monita quæ singulis Christianis dederunt, *Cavete à falsis prophetis*, &c. *Matt.* VII. 15. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint*, 1 *Joh.* IV. 1. *Omnia probate & quod bonum est retinete*, 1 *Thes.* V. 21. Et alia ejusmodi multa, quæ non tantum forent superflua, sed etiam noxia, si aliquis supremus esset omnium religionis controversiarum arbiter, qui sine provocatione judicaret: non licet enim privatis ejusmodi Judicis sententiam examini subjicere. Denique supremum controversiarum judicem oporteret esse infallibilem, qualis nullus inter homines reperitur: *omnis enim homo mendax*, Rom. III. 4. *Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus*, 1 *Cor.* XIII. 9. Papam autem Romanum esse ἀναμάρτητον nulli nisi jurati ejus gnathones asserunt: multi in Ecclesia Romana docti viri fatentur ultro, ipsum à communi reliquorum mortalium sorte non esse exemtum, & experientia id docet. Præterea cum accusetur corruptæ religionis, & usurpatæ in Ecclesiam tyrannidis, tam diu saltem ab hoc munere abstinere deberet, donec esset absolutus, cum nemo possit reus simul esse & Judex. Concilia similiter qualiacunque sint, sive universalia, ut prætendunt, sive particularia, sunt errori obnoxia, ut alibi probabitur fusius, & jam supra paucis factum est: Considerari enim ea duobus modis possunt, velut lex & norma secundum quam de controversiis judicetur; qualia sunt veterum decreta respectu hodiernarum controversiarum: vel ut judex, quatenus sunt congregata, ut de lite aliqua in Ecclesia exorta sententiam ferant. Neutrum autem præstare possunt, propter hujus conditionis defectum.

IV. Protestantes quidam, etiamsi non audeant negare omnia Concilia errori esse obnoxia, putant tamen Christianos placitis eorum subjicere se debere, afferentes illud quod dicunt Apostoli, in epistola ad Gentiles conversos, *visum est Spiritui S. & nobis, Act.* XV. 28. & dicentes duplicem esse veritatem, nempe absolutam Scripturæ S. & Synodalem; atque in hac esse acquiescendum propter Ecclesiæ pacem, alioqui nullum unquam fore disputationum finem. Sed respondeo ad primum, impudenter illos dicere de suorum Conciliorum decretis, *ita visum esse Spiritui S.* qui nullo miraculo ostendere possunt se ab illo impelli; quasi quicquid Apostolis conveniebat, id ipsi sibi quoque tribuere jure possint. Quod si Pontificios istud asserentes merito irrideant; velim scire an

an justius id sibi ipsis vindicent, & num aliquas hujus privilegii tabulas proferre possint. Alias merentur audire idem quod Jacobus & Joannes, Eliam temere imitari volentes, *Nescitis cujus spiritus sitis*, *Luc.* IX. 55. Ad secundum dico, ridicule duplicem veritatem, quarum una alteri sit contraria, fingi: veritas enim ista Synodalis, si dissentiat à veritate absoluta, quam sacræ literæ tradunt, nihil est nisi merum mendacium, male nomine veritatis velatum ab iis, quos pudet aperte fateri, Synodos suas interdum in errorem labi. Quod si constet eas crasse à vero aberravisse, & quidem in rebus magni ad salutem momenti, an pax mundana tanti cuiquam esse debet, ut ejus causa mendacio assentiatur & veritatem divinam repudiet. Atqui nullus unquam erit disputationum in Ecclesia finis, nisi in Synodorum decisionibus acquiescatur. Sit ita. Longe præstat nunquam eas, quam cum veritatis oppressione, terminari. Sed neque multum possunt Synodi ad lites Christianorum feliciter terminandas, nisi prius constiterit eas secundum veritatem judicasse. Exemplo possunt esse quatuor illæ primæ Synodi, ut vocantur, Oecumenicæ. Nicæna non abolevit hæresin Arianam, nec Constantinopolitana Macedonianam, nec Ephesina Nestorianam, nec Chalcedonensis Eutychianam, sed exasperaverunt potius, ut majora postea sumserint incrementa. Nec efficaciores fuerunt Tridentina, Dordracena, & aliæ nuperæ. De quibus Gregorius Nazianzenus si reviviseeret, non minus quam de iis quæ ad illa usque quibus scribebat tempora habitæ fuerant, pronunciaturus esset, *se nullius Concilii finem latum faustumque vidisse, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem & incrementum habuerit*; Epistola ad Procopium.

V. Objicitur etiam, Deum olim inter Israëlitas constituisse summum controversiarum Judicem, ut apparet ex *Deut.* XVII. 8. *&c.* Ergo talem quoque esse debere in Ecclesia Christiana: quia alioqui Deus non æque bene prospexisset incolumitati ejus atque Israëliticæ. Sed respondeo, enthymematis hujus tam antecedens quam consequens esse falsum. Nam *primo*, verum non est Deum talem Judicem, de quo quæritur, olim in populo suo ordinasse, nec id loci allegati verba probant, quæ sic habent, *Si latuerit te aliquid in judicio, inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, lepram & non lepram, &c. venies ad Sacerdotes Levitas, & ad judicem qui fuerit in diebus illis, & indicabunt tibi verbum judicii, & facies verbum quod indicaverint tibi, &c.* Ubi nulla sit mentio controversiarum religionis, sed sanguinis, causæ, lepræ; id est, litium criminalium aut civilium; sicut 2 *Paral.* XIX. Josaphat dicit judicibus; *Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum qui habitant in urbibus suis, inter cognationem & cognationem; ubicunque quæstio erit de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus; ostendite eis ut non peccent in Dominum, &c.* Nec dicitur hunc Judicem fore infallibilem: Si enim talem promisisset Deus, præstitisset etiam; ideoque eum semper spiritu suo direxisset, ne à vero & æquo aberraret in judicando. At tribunal istud graviter sæpe erravisse apparet ex eo, quod morte affecerit Prophetas & ipsum Dominum Jesum. Dices, attamen illic additur, *Non declinabis à verbo quod indicaverint tibi, aut ad dextram aut ad sinistram: vir autem qui fecerit per superbiam, ut non obediat Sacerdoti aut Judici, moriatur, &c.* Ita est. Id usu venit in omnibus supremis Curiis & tribunalibus humanis, quæ sæpe à justo & æquo deflectunt, ut eorum decreta sint rata, & tanquam seditiosi puniantur qui se illis opposuerint. Sic enim expedit reipublicæ tranquillitati, præstatque ut Curiæ illæ errent aliquando, quam lites indecisas relinquant, unde summa oriretur rerum omnium perturbatio. Sed non eadem est ratio controversiarum religionis, ubi falsa decisio animas multorum in perditionem æternam trahere potest; ita ut longe præstet eas supremo Judici Christo in ultimo suo adventu dirimendas relinquere, quam aliquid temere pronunciare; cum illa sufficiant ad salutem, quæ in S. Scripturis clare sunt proposita, & nulla interpretatione aut decisione indigent. *Secundo.* Fac Deum talem inter Israëlitas Judicem instituisse, ex eo non sequitur velle etiam ut aliquis sit inter Christianos: cum Ecclesia Catholica, quæ per totum orbem est diffusa, non possit ita ab uno Judice regi ut Israëlitica, quæ angustis Cananææ limitibus continebatur. Quod si placeret ipsi, indicasset procul dubio quisnam ille judex esset & ubi locorum inveniretur. Atqui id non fecit. Nec propterea Deus minus bene prospexit Ecclesiæ Christianæ saluti quam Israëliticæ, sed contra longe melius. Quia ille est optimus prospiciendi ipsi modus, qui cum religionis, quam profitetur, natura optime convenit. Religionem autem Christianam Deus liberam plane esse volebat, non servilem & coactam instar Mosaïcæ legis. Ergo veritatis inquisitio uniuscujusque privato studio & industriæ relinquenda erat.

VI. Unde concludimus nullum alium inter Christianos esse controversiarum Judicem quam sanam rationem, qua singuli apud se examinant an id de quo disputatur cum sacrarum literarum norma conveniat, aut non. Sed ejus judicium non est judicium auctoritatis, cui alii teneantur se subjicere; verum discretionis tantum, quale ferimus de cibis, qui palato nostro sapiant, qui minime; & neminem alium, præter eum qui ipsum tulit, obligat. In istud autem privatum uniuscujusque rationis judicium omnes tandem controversias resolvi debere, inde patet, quod quicunque alius judex statuatur, sive Scriptura sive Concilium, sive Pontifex Romanus, illius judicium nullam apud nos auctoritatem habere potest, priusquam ratio dictaverit nobis oportere, ut illi acquiescamus. Si enim verb. gr. disputetur, an fiat transsubstantiatio in Missa, vel an detur purgatorium animarum post hanc vitam: primo quidem Pontificius respondebit affirmative, nimi-

mirum quia Concilium aliquod generale aut Papa illud statuerit: Protestans vero negative, quia Scriptura S. dogmatibus istis repugnet. Sed si ulterius quæras, ab illo quidem, cur judicium Concilii aut Papæ sequatur, ab hoc vero, cur Scripturam potius audiat, uterque nihil habebit quod secundo respondeat, nisi rationem dictare ut ita faciat. Quod evidentissime etiam apparet in hac controversia de controversiarum judice, quæ aut indecisa manere debet, aut à privato rationis singulorum judicio dirimi; cum nulla pars in alias auctoritatem habeat, cui cogantur se subjicere.

CAPUT XVII.

De usu Rationis in Religione.

I. *Rationem esse unicum fundamentum religionis naturalis.* II. *In rebus credendis,* III. *& faciendis.* IV. *Usus ejus in religione revelata.* V. *Occurritur objectioni ex* 1 *Corinth.* II. 14. VI. *ex Rom.* VIII. 7. VII. *Ex corruptione rationis humanæ,* VIII. *& Mysteriis religionis.* IX. *Quid hic faciendum sit idiotis.*

I. LIbet nunc occasione eorum quæ in fine præcedentis capitis, verbo uno aut altero, de *Ratione* diximus, aliquid hic de ejus usu in divinis subnectere. *Rationis* autem voce, hoc loco, eximiam illam hominis facultatem intelligo, qua is homo vere est, quæ essentiam ipsius constituit, & qua non tantum ab inanimis creaturis, sed etiam ab animantibus brutis omnibus differt; unde à Philosophis definiri solet, *Animal rationale.* Istius Rationis usum in religione esse necessarium, apparet, tum naturalem religionem, tum revelatam intuenti. Ad naturalem enim quod attinet, cum ea supponatur revelatione divina carere, saltem maxima sui parte, nullum aliud fundamentum superest cui inædificetur, aut norma secundum quam dirigatur, præter rationem humanam; qua rejecta, religionem quoque illam corruere necesse est. Quamvis enim fatear, Deum se, à primis statim orbis conditi temporibus hominibus patefecisse, ac proinde eos, qui tunc vixerunt, nunquam omni prorsus revelatione destitutos fuisse, attamen facile est videre, plenam aliquam & perfectam religionis regulam, illis non fuisse traditam; nisi extra paucas illas patefactiones divinas, quarum Moses meminit, alias pro libitu comminisci velimus; quod an tutum satis sit, aliis judicandum relinquo. Ne jam dicam incertum esse, utrum illæ, ad omnium cognitionem integræ pervenerint. Nullam itaque in reliquis omnibus fidei & morum capitibus, quæ modo commemoratis patefactionibus non comprehendebantur, regulam habuerunt quam sequerentur, præter rationis rectæ dictamen: ita ut necesse ipsis fuerit, aut ab omni divino cultu abstinere, aut cultum suum ad istam normam conformare.

II. Agnosco quidem, *Fidem esse ex auditu, & auditum ex prædicatione Verbi Dei*, id attestante Apostolo *ad Rom.* x. 14. Sed id de omni fide non dici, sed de Euangelica intelligendum esse, ex ipso textu liquet; alias enim certum est, non esse semper necesse ut fides expresso aliquo Dei Verbo nitatur, cum illa etiam oriri possit, ex cognitione bonitatis potentiæque divinæ, quam natura docet. Ita Abrahamus, cum se ad filium Isaacum in holocaustum offerendum accingeret, cujus respectu dictum fuerat, *in Isaaco vocabitur tibi semen*, illa se fide consolabatur, *Deum potentia præditum esse, etiam suscitandi ex mortuis, Hebr.* XI. 17, 18, 19. indeque concludebat, ipsum filium suum dubio procul in vitam revocaturum; etsi nullam ea de re revelationem haberet. Ninivitæ quoque dicuntur *credidisse Deo, & sperasse, se illum ad misericordiam commoturos, si converterent se à via sua mala*; quamvis ea de re nihil promissum ipsis fuisset, sed contra Jonas exitium ipsis absolute denuntiasset, *Adhuc quadraginta dies sunt, & Nineve subvertetur*, *Jon.* III. 4, 5, 9. Et sane nisi ita se res haberet, male Paulus reprehenderet Gentiles, qui legem non habebant, *quod cum Deum cognovissent, ut Deum non glorificassent, neque gratias ei egissent, Rom.* I. 21.

III. Fateor etiam Deo displicere omnem *ἐθελοθρησκείαν*, seu *cultum voluntarium*, qui ab ipso præscriptus non sit, *Coloss.* II. 23. Et *frustra eum coli mandatis hominum*, *Esa.* XXIX. 13. *Matth.* XV. 9. Sed interdicta ista non debent applicari temporibus quæ legem antecesserunt, cum manifestum sit, ea respicere ad Legem, cui quidquam addere Deus vetuerat, *Deuter.* IV. 2. & XII. 32. Nemo enim ut arbitror dixerit, primævos illos mortales peccasse qui *de primogenitis gregis, & de adipibus eorum, Deo obtulerunt*, ut Abel, nam ei testimonium perhibet Scriptura, cum dicit, *& respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*, *Genes.* IV. 4. aut *altaria Domino ædificarunt, & de pecoribus & volucribus mundis holocausta immolarunt*, ut Noë, nam addit Scriptura, *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis*, *Genes.* VIII. 20, 21. aut qui *Domini nomen invocarunt*, ut *temporibus Enos fieri cœptum est*, *Genes.* IV. 26. cum dicat Scriptura, *Quicunque invocaverit nomen Domini servabitur*, *Joël.* II. 22. Quis inquam illos male fecisse dixerit, eo quod nullum illis de rebus mandatum, quod sciamus habuerunt? Quin etiam post Legem latam, Deus non improbavit omnia quæ ad sui cultum, sine expresso mandato instituebantur, sed tantum ea quæ prohibuerat, aut quæ à se prohibitis affinia & superstitiosa erant. Alioquin Gedeon se peccato obstrinxisset, quando conspecto Angelo ad se misso, *aram Deo ibidem extruxit*, etsi de illa extruenda nullum mandatum accepisset, *Judic.* VI. 24. Quod tamen Deo non displicuisse ex omnibus illius loci circumstantiis liquet. David etiam non fuisset immunis à culpa, cum in animo habuit templum ædificare Domino: quod nec sibi, nec ulli alii ante se, mandatum fuisse pro comperto habebat. Atqui tantum abest ut in eo quidquam peccaverit, ut contra eo nomine laudem reportarit à Deo dicente, *Eo quod*

fuerit in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti quod fuerit in corde tuo, 1 *Reg*. VIII. 18. & 2 *Paralip*. VI. 8.

IV. Quod ad Revelationes divinas attinet, insignem etiam rationis usum circa illas esse ex dicendis palam fiet. Cum enim rationis humanæ duplex in rebus divinis usus esse possit, unus in inveniendis iis, quæ ad cultum Dei pertinent, alter in iis quæ inventa, seu potius revelata sunt, intelligendis & perpendendis: prior usus in religione revelata, qualis est tum Judaïca, tum Christiana, nullum amplius locum habere videtur; præsertim cum Deus illius auctor ei *quidquam addere*, ut modo dicebamus, severe admodum prohibuerit. Sed revera tamen non est ullo modo superfluus existimandus. Quamvis enim Deus nobis prolixe satis, & quantum ad salutem sufficit, voluntatem suam, primum in Lege, deinde in Euangelio, manifestare dignatus fuerit: neutrobi tamen omnes illi casus, qui in religionis exercitio occurrere possunt, expresse sunt definiti. Neque id fieri poterat, cum sint infiniti. Ut igitur regulæ generales, quæ ibi habentur, prudenter ad illos accommodari queant, omnino ratione opus est. Sed frequentior ejus usus est in iis quæ nobis revelata sunt expendendis; mens enim nostra non est, rationem humanam absque revelatione divina posse capere mysteria fidei, aut de iis judicare: absit. Hoc tantum volumus, rationis esse expendere, an dogma aliquod, de quo movetur quæstio, in scripturis contineatur nec ne; an consentiat vel repugnet, cum aliis quæ clare ibi traduntur; quis genuinus alicujus loci controversi sensus sit, aut quæ mens Dei nos in S. Scriptura alloquentis. Quod adeo necessarium est, ut nullam ex S. Scripturæ lectione utilitatem percipere possimus, nisi ad illius intelligentiam rationem in consilium adhibeamus. Contradictoria enim sunt, & se mutuo evertunt, intelligere, & intellectu seu ratione in intelligendo non uti. Quod autem quis non intelligit, fieri non potest ut id fide amplectatur; cum fides, quæ in assensu consistit, cognitionem necessario prærequirat. Id quod etiam non obscure innuit Servator, inquiens, *Si quis verbum regni audiat, & non intelligat, tum venit Malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus*; & iterum, *Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum & intelligit*, *Matth*. XIII. 19, & 23. Et cum discipulos suos ad credendum tardos animadverteret, causam ejus neglectui rationis imputat; *Nondum cognoscitis*, inquit, *neque intelligitis? Adhuc occæcatum habetis cor vestrum, oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis? Marc*. VIII. 17, 18. Ideo ad rationem crebro nos remittit scriptura, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*: *Psal*. XXXII. 9. *Nunc ergo habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me & vineam meam*, *Esa*. V. 3. *Ut intelligentibus loquor, judicate vos quod dico*, 1 *Corinth*. X. 15. *Ne estote pueri intelligentia, sed malitia infantes; intelligentia vero adulti estote*, 1 *Corinth*. XIV. 20. vide etiam *Ephes*. IV. 14. & V. 15, 16, 17. *Coloss*. III. 16. *Hebr*. V. 14.

V. Scio adversus rationem urgeri celebrem istum Apostoli locum, *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur*, 1 *Corint*. II. 14. Sed *Animalis homo*, ψυχικὸς, non significat eum, qui ratione sana utitur, ut apparet ex duobus aliis locis, in quibus eadem vox exstat, videlicet, *Jacob*. III. 15. & *Jud*. 19. Accipitur enim illic pro carnali; qui autem affectibus carnis ducitur, pro stultitia habet ea quæ Spiritus Dei nobis in Euangelio revelavit. Stultum enim esse putat propter cælestia bona, quæ non conspiciuntur, & longe adhuc absunt, terrenis, quæ sunt in promptu, renuntiare. Quod ergo Paulus dicit, *eum non capere quæ sunt Spiritus Dei*, non significat ipsum spiritus divini mentem, & quid sibi velit, intelligere non posse. Quomodo enim haberet pro stultitia quæ ab eo revelantur, si illa non perciperet? Sed *non capere* idem est quod *non recipere*, seu *non approbare*: quod non nisi rebus aliquomodo cognitis convenit. Sicut enim plane ignoti nulla est cupido, ita neque aversatio & rejectio, cum illa tantum appetamus, quæ intellectus bona esse judicat, & illa fugiamus quæ mala esse censet.

VI. Idem dicendum est de altero, non minus celebri, Apostoli loco, *Sapientia carnis inimica est Deo*, *Rom*. VIII. 7. Cui enim vero simile fiet, per *Sapientiam carnis*, sanam rationem intelligi? cum ea cum vera ratione pugnet, nihilque aliud sit quam ejus depravatio. *Sapientia* enim *carnis*, phrasi Hebræa, idem est quod *Sapientia carnalis*, quam Jacobus (adeo mala res est) *terrenam*, *animalem*, & *dæmoniacam* vocat, & *sapientiæ quæ est superne*, opponit: *Jacob*. III. 15, 17. Ideoque Paulus ibidem addit, *Qui in carne sunt Deo placere non possunt*, *versu* 8. Et rursus, *si secundum carnem vixeritis, moriemini*, *versu* 13. Illi autem sunt in carne, & secundum carnem vivunt, qui quæ carnis sunt sapiunt, quique nihil aliud quam de explendis carnis desideriis cogitant, quomodo satisfaciant avaritiæ suæ, ambitioni, gulæ, libidini, &c. quod quam longe à vera ratione absit, quæ contraria omnia suadet, facile est animadvertere.

VII. Instant illi, Magni quidem esse faciendum rationis rectæ dictamen; sed omnem mortalium rationem esse nunc peccato corruptam & depravatam, ideoque tuto in rebus divinis audiri non posse. Non inquiro nunc quantas tenebras hominum mentibus peccatum intulerit, id tantum fateri me, dico, rationem corruptam non solum in divinis, sed ne quidem in humanis rebus esse audiendam. Corrupta enim ratio nihil habet nisi umbram veræ rationis, cujus est abusus, similisque est cibo putrido, qui comedenti venenum est potius quam alimentum. Sed ea demum ratio corrupta censeri debet, quæ se sensuum voluptatibus ab honesti tramite abduci sinit, Deique verbo subjicere se recusat; non illa quæ

quæ, ut voluntatem Dei cognoscat, quam diligentissime potest S. Scripturam scrutatur, nullamque ejus interpretationem admittit, quam absurdam & contradictionibus scatere videt. Nam si in hoc casu nobis ratione uti non liceat, nulla via superest, qua verum S. Scripturæ sensum à falso discernamus. Et frustra illi argumentis utuntur ad suam sententiam confirmandum, quæ nobis, adhibita rationis lance, expendere non permittunt: Sed, quidquid in contrarium adserri possit, tam magnus est, & tam late patens rationis usus, ut etiam illi, qui in rebus divinis repudiari eam oportere contendunt, non nisi rationibus & syllogismis ad id persuadendum utantur; & sic sibi aperte contradicant, thesimque suam confirmare volendo, eam imprudentes destruant. *Quippe res Dei Ratio. Quia Deus omnium conditor, nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit; nihilque non ratione tractari intelligique voluit. Tertullianus de Pœnit. cap.* 1.

VIII. At mysteria, inquiunt, in religione Christiana occurrunt, quæ nemo possit admittere nisi prius rationi suæ nuntium mittat. Mysteria in Sacris Scripturis reperiri fateor; sed ea cum ratione pugnare inficior: Quædam enim ibi traduntur, quæ superant quidem rationis humanæ captum, ideoque nunquam in mentem nobis venire potuissent, nisi à Deo essent revelata; verbi gratia, *Mortuorum resurrectio; & vivorum in adventu Christi immutatio*, 1 *Corinth.* XV. 51. Sed nullatenus tamen veræ rationi adversantur; aut (quod eodem redit) contradictionem implicant. Si quis talia de iis doceat, quæ cum ratione conciliari nequeant, certum est illa ex S. Scriptura non esse deprompta, quæ rationis largitorem pro auctore agnoscit; sed mera esse ingenii humani commenta. Ideoque *Religio Christiana*, prout nobis ab Apostolis est tradita, *Lac rationale* Petro dicitur, 1 *Epist.* II. 2. & *cultus*, ad quem Deo exhibendum nos hortatur, *rationalis* à Paulo vocatur *Rom.* XII. 1.

IX. Sed inquies, quomodo idiotæ & illiterati ope rationis poterunt se extricare ex tot perplexis quæstionum nodis, in quibus videmus doctissima & subtilissima etiam ingenia subinde hærere? Respondeo, non esse opus ut ejusmodi homines se immisceant omnibus horum temporum controversiis. Multæ enim earum curiosæ potius sunt quam utiles, & quas nihil refert in hanc aut illam partem decidi. Quod ad cæteras attinet quæ majoris sunt momenti, modo constanter adhæreant necessariis, quæ in S. Scriptura perspicue docentur, non est quod vereantur, ne in errorem aliquem, saluti suæ noxium, incidant. Possunt sine periculo assensum suspendere in iis quæ non intelligunt, & expectare donec major cognitionis lux sibi divinitus affulgeat. Omnesque in genere cavere debent, ne judicium de rebus obscuris, & nondum sibi satis compertis, temere ferant, & ut ignorantiæ & imbecillitatis propriæ sibi conscii, dissentientes tolerent in charitate. Interim *dantes operam, ut in eo ad quod pervenerunt, eadem incedant regula, & iidem sint affecti, Philipp.* III. 16.

RELI-

RELIGIONIS CHRISTIANÆ INSTITUTIO.

LIBER II.

CAPUT I.

De Cognitione Dei in genere, & ſpeciatim de ejus Nominibus.

I. Diviſio religionis in Cognitionem Dei & Cultum ejus. II. Quibus nominibus Deus in S. literis inſignitur. III. *De Nomine Jehova.* IV. *De Nomine Elohim.* V. *De Nomine Adonai.* VI. *De Nomine El.* VII. *De Nomine Schadai, & El-Schadai.* VIII. *De Nominibus Θεὸς & Κύριος.*

I. HActenus actum eſt de Religionis Norma: ſequuntur partes. Eæ ſunt duæ, videlicet *Cognitio Dei* & *Cultus*, ſub quibus omnia ad Religionem pertinentia comprehenduntur. Imo ſola *Cognitionis Dei* voce aliquando utraque hæc pars in Sacris Literis deſignatur, ut cum Chriſtus dicit, *Joan.* XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, &c.* Quod etiam locum habet in altera voce *Cultus Dei*: unde univerſa Religio vocatur *θεοσέβεια*, 1 *Timoth.* II. 10. & *λατρεία*, *Rom.* XII. 1. & *θρησκεία*, *Jacob.* I. 27. Idque fit ideo, quia nemo Deum colere poteſt ut oportet, niſi prius eum bene noverit, & quicunque Deum bene novit, ſe etiam totum ad ejus cultum accingit. Ut Deus recte à nobis cognoſcatur, duo in eo conſideranda ſunt, nempe *Natura* & *Opera*. *Natura* quidem, ut ex præſtantia ejus appareat ipſum excellentiſſimo cultu eſſe dignum. *Opera* vero, inprimis *Creationis* & *Providentiæ*, ut omnes ſciant illum quem vult cultum jure à nobis poſtulare poſſe.

II. De natura Dei acturi, non repetemus id quod initio hujus Inſtitutionis tanquam omnis Religionis fundamentum ſubſtravimus, nimirum Deum eſſe; ſed ſupponentes tanquam ſufficienter demonſtratum, ad ejus Attributa accedemus, initio facto à *Nominibus* quibus in Scriptura inſignitur. Ea ſunt vel Hebræa, quæ in Veteri Teſtamento leguntur, ut יְהוָה, *Elohim*, *Adonai*, *El* & *El-Schaddai*: vel Græca, quæ in Novo exſtant, ut Θεός, & Κύριος. De quibus in genere notandum eſt, nomen Θεὸς reſpondere præcipue Hebræis Elohim & El: Κύριος vero affinitatem habere cum Jehovah & Adonai; ut apparebit conferentibus verſionem Græcam LXX interpretum, & ſcripta Apoſtolorum, cum textu Hebraïco veteris Teſt.

III. Primum nomen יְהוָה & contracte יָהּ, idem eſt quod *Ehjeh*, id eſt, *Ero*, quod Deus ſibi tribuit, *Exod.* III. 14. A numero literarum Græcis vocatur *τετραγράμματον*. Id tanta in reverentia habent Judæi, ut putent eſſe *ἀνεκφώνητον*. Quod vulgo Chriſtiani ipſorum ſuperſtitioni tribuunt. Sed revera hodie genuina ejus pronunciatio ignoratur. Nec enim veræ ſunt ejus vocales quibus ſcriptum eſt in Bibliis Hebraïcis; ſed vocis *Adonai* cum legitur *Jehovah*, & *Elohim*, cum legitur *Jehovih*. Mutatio autem hæc putatur facta jam olim à Judæorum magiſtris, ne tam venerabile nomen ordinaria pronunciatione vileſceret. Quidam exiſtimant illo proprie eſſentiam Dei ſignificari, id eſt, eum qui ex ſe ab æterno eſt, & ſemper fuit idem; idque Joannem exprimere voluiſſe, cum Deum hac periphraſi deſcribit, *ὁ ὤν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος*, *Apoc.* I. 4, 8. Sed incertum iſtud mihi videtur, nec ſatis convenire cum eo, quod Deus ipſe dicit, *Exod.* VI. 3. ſe Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, cognitum quidem fuiſſe in nomine *El Schaddai*, (id eſt, *Dei ſibi ſufficientis*, vel *omnipotentis*) at non in nomine *Jehovah*. Atqui ſi nomine *Jehovah* ipſa Dei eſſentia ſignificaretur, contrarium potius dixiſſet, cum Deus prius à nobis concipiatur ut Ens æternum & à nullo exiſtens, quam ut ſibi ſufficiens, vel omnipotens. Ratio igitur dicti iſtius eſt, Deum ſe non pateſeciſſe Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo in nomine יהוה quatenus ſignificat *Ero qui Ero*, id eſt, conſtantiam ejus in ſervandis promiſſis exprimit. Nondum enim eos, ut pollicitus erat, in poſſeſſionem terræ Canaan introduxerat. Sed tunc cum Moſem alloquebatur paratus erat poſteris ipſorum illam dare, & ſic reipſa oſtendere ſe eſſe, *qui eſt*, id eſt conſtantiſſimum. Unde id corruit quod huic fundamento ſuperſtruitur, nempe nomen *Jehovah*, utpote æternitatem ab omni parte interminatam ſignificans, creaturis incommunicabile prorſus eſſe, & multis quæ habemus in contrarium exemplis refelli poteſt. Nam ut nihil dicam de Arca fœderis, cui aliquoties tribuitur, quia gratioſæ Dei præſentiæ inter Iſraëlitas erat ſymbolum, ut *Pſal.* XXIV. 8, 10. & XLVII. 6. certum eſt Angelos tanquam Dei legatos & ejus perſonam repræſentantes iſto nomine ſæpe inſigniri; & ſingulariter illum qui Iſraëlitarum dux fuit in deſerto, iiſque legem dedit, qui putatur etiam idem fuiſſe, qui Moſi in rubo ardenti apparuit; de quo ſic

ſic Deus loquitur: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem præparavi. Obſerva eum & audi vocem ejus, quia non dimittet cum peccaveris, & nomen meum eſt in illo, &c.* *Exod.* XXIII. 20, 21, 22, 23. Excipitur quidem hic à nonnullis, Angelum iſtum fuiſſe Dei Filium, qui jam tum futuræ incarnationis præludia (ut ipſi loquuntur) exhibebat. Sed id non convenit cum eo, quod Apoſtolus dicit, *Deum multifariam multiſque modis olim locutum fuiſſe Patribus per Prophetas, noviſſimis autem diebus locutum eſſe per Filium*, *Heb.* I. 1. Nam ſi hæc opinio eſſet vera, Deus non tantum noviſſimis diebus, ſed etiam olim ſub Veteri Teſtamento locutus per Filium fuiſſet. Et valide refutatur ex eo, quod lex à Stephano dicitur *data in diſpoſitione Angelorum*, *Act.* VII. 53. & à Paulo, *ordinata per Angelos*, *Gal.* III. 19. non ergo per Dei Filium, ut iſti volunt. Cui adde, quod *Heb.* II. 2, 3, 4. Lex, quæ per Angelos dictus ſermo ibi appellatur, Euangelio opponitur, quod per Dominum Jeſum annuntiari cœpit. Hæc autem oppoſitio falſa eſſet, ſi Legem Dei Filius perinde ut Euangelium tuliſſet, & nullam præ Lege Euangelii excellentiam, quam tamen Apoſtolus illic probare vult, oſtenderet. Præterea, nomen *Jehovah* non ſemel tribuitur Angelis illis, aut ſaltem uni illorum, qui Abrahamo & Lotho apparuerunt, *Gen.* XVIII. & XIX. Iſtum autem Angelum non fuiſſe Dei Filium unigenitum, ut iſti homines exiſtimant, inde apparet, quod Apoſtolus ad hiſtoriam illam alludens hoſpitalitatem commendat, hac ratione adducta, *quod quidam inſcii Angelos hoſpitio exceperint*, *Heb.* XIII. 2. quæ longe fortius ſtrinxiſſet, ſi non Angelos ſervos, ſed ipſum Dei Filium Angelorum Dominum, ab iſtis hoſpitio exceptum fuiſſe dixiſſet. Ideo autem non dixit, quia falſum eſſe noverat. Vide etiam *Geneſ.* XVI. 13. ubi Angelo qui Agaræ apparuit nomen *Jehovah* tribuitur. Et *Judicum* XIII. 22, 23. ubi Angelus, qui ad Simſonis parentes miſſus eſt, eodem nomine vocatur. Item *Zachar.* I. 14. & III. 1. aliiſque in locis.

IV. Secundum Dei nomen eſt אלהים plurale, quod aliquando quidem, ſed raro אלוה in ſingulari reperitur. Nomen eſt appellativum potius quam proprium, & *Judicem* ſignificat. Unde Deo vero, Angelis ejus, & hominibus admiratione dignis, præſertim qui aliis præſunt ſeu imperium aliquod habent, tribuitur. De vero Deo non eſt opus exempla afferre, cum ubique occurrant. De Angelis etiam aliquot habemus: & primo quidem de uno tantum. Ille enim cum quo Jacob luctatus eſt, *Elohim* vocatur, *Gen.* XXXII. 28, 30. Et *Oſea* XII. 4. Similiter ille qui Moſi in rubo apparuit, *Exod.* III. 4. qui Angelus appellatur, *Act.* VII. 30. Et Manoach dicit uxori, *Moriendo moriemur, quia Elohim vidimus*, *Judic.* XIII. 22. Sæpe autem in iſto capite is qui apparuit illis Angelus nuncupatur. Deinde de multis Angelis, *Minuiſti eum* (ſcilicet hominem) *paulum ab Elohim*, *Pſalm.* VIII. 6. Et, *Adorent eum* (nempe Deum vel Chriſtum) *omnes Elohim*, *Pſalm.* XCVII. 7. qui uterque locus exponitur de Angelis in epiſtola ad *Heb.* I. 6. & *cap.* II. 7. De hominibus quoque: & primo quidem de uno ſingulariter uſurpatur vox *Elohim*. Vide *Exod.* IV. 16. ubi Deus Moſi dicit, *Tu eris ei* (ſcilicet Aaroni) *Elohim*, pro Deo, vel in Deum. Item VII. 1. ubi eundem Moſem ſic alloquitur, *Ecce dedi te Elohim Pharaoni*. De multis vero; ut cum de Judicibus legimus, *Pſalm.* LXXXII. 6. *Ego dixi, Elohim eſtis.* ubi reſpicitur ad verba legis, quæ Judices nomine *Elohim* aliquoties honorat, ut, *Accedere faciet Dominus ſervum ſuum ad Elohim*, *Exod.* XXI. 6. Item, *Elohim non maledices*, *Exod.* XXII. 28. Qua de cauſa Deus ſummus vocatur, *Elohe Elohim, Deus Deorum*, *Deut.* X. 17. & *Pſalm.* CXXXVI. 2. Imo de Idolis quoque non pauca exſtant loca; Bahal appellatur *Elohim* *Judic.* VI. 11. Item Bahalberith, *Judic.* VIII. 33. Chemos *Jud.* XI. 26. Dagon *Judic.* XVI. 23. & 1 *Sam.* V. 7. Aſtoreth, 1 *Reg.* XI. 1. Bahalzebub, 2 *Reg.* I. 2.

V. Tertium Dei nomen eſt *Adonai*, quod itidem eſt plurale, & cum affixo primæ perſonæ compoſitum, ſignificat *Domini mei*. In ſingulari habet *Adon*, ſed quod raro de Deo uſurpatur, ut *Joſ.* III. 11. *Mich.* IV. 13. in quibus locis tamen Deus non vocatur ſimpliciter *Adon*, ſed *Adon univerſæ terræ*, & appellativi potius nomine quam proprii officio fungitur, idemque eſt quod *Dominus*. Ubique fere à LXX interpretibus redditum eſt per vocem κύριος, exceptis quibuſdam locis, in quibus id per δεσπότης vertunt, quod tamen eſt ejuſdem ſignificationis. Nullum autem eſt dubium, quin nomen plurale *Adonai* creaturis ſæpe communicetur. De uno Angelo vide *Gen.* XVIII. 27, 30, 31, 32. *Jud.* VI. 15, 22. Et de uno homine, *Gen.* XXIV. 9. & XXXIX. 2. & XL. 1. & XLII. 30. *Jud.* II. 25. & 2 *Sam.* XX. 6.

VI. Quartum nomen eſt *El*, in plurali *Elim*; quod etiam appellativum eſt & multis commune; & *fortis*, vel *Deus fortis*, vulgo verti ſolet. LXX interpretes id ordinarie reddunt per Θεὸς, paulo rarius per κύριος, & rarius adhuc per ἰσχυρὸς. Hoc nomine Dominus Jeſus in cruce pendens Patrem ſuum ex *Pſalm.* XXII. compellabat, *Eli, Eli, Deus mi, Deus mi.* Tribuitur etiam Angelis, & hominibus, qui potentia valent. De Angelis vide *Exod.* XV. 11. *Quis ſicut tu inter Elim*, id eſt, *Deos*, vel *Angelos*. Et *Pſalm.* LXXXIX. 7. *Quis aſſimilabitur Domino in filiis Elim?* quanquam hæc loca quidam interpretantur de hominibus: ſed non multum id refert. Nam ſi vilioribus tribuatur iſtud nomen, quidni etiam excellentioribus? De hominibus vero ſaltem accipienda ſunt duo ſequentia, *Ele terræ*, & *Ele robuſtorum*, *Ezech.* XVII. 13. & XXXII. 21. id eſt, fortes. Ideoque Deus ſummus per excellentiam, & ad aliorum omnium diſtinctionem, dicitur *El Elim, Deus Deorum*, *Dan.* XI. 36. & *El Elohim*, *Pſalm.* L. 1.

VII. Quintum nomen eſt *Schaddai*, quod plerumque cum *El* conjunctum reperitur. LXX inter-

interpretes ſæpe reddunt per παντοκράτωρ, aliquando per ἱκανὸς, & per Θεὸς, & per Κύριος. Vix aliis quam ſummo Deo tribuitur, præſertim cum *El* habet ſibi adjunctum, & *El Schaddai* dicitur.

VIII. Reſtant nomina Græca, Θεὸς & Κύριος. A Θεὸς quin Latinum *Deus* factum ſit non eſt dubium. Sed unde ipſum originem habeat diſputatur. Alii enim derivant à θέω *curro*, quod per omnia currat ſeu penetret, ſecundum illos qui ſolem fecerunt Deum. Alii vero à θεάω ſeu θεάομαι, *contemplor*, quod omnia videat ſeu contempletur. Alii aliunde. Nomen eſt etiam appellativum, & quod non niſi κατ' ἐξοχὴν ſupremo omnium Domino & Rectori tribuitur. Significat enim *beneficum ſervatorem*, item *judicem*. Iſtoque ſenſu vulgo dicitur, *Homo homini Deus*, quando alteri benefacit, vel è periculo aliquem liberat. Multis præter ſummum Deum tribui ſufficienter probat vel unus iſte locus Pauli; *Etſi ſunt qui dicantur Dii, ſive in cœlo, ſive in terra, ſiquidem ſunt Dii multi & Domini multi, tamen &c.* 1 *Cor.* VIII. 5. Item cum Satan vocatur hujus ſæculi Deus, 2 *Cor.* IV. 3. Sed cum articulus ei additur, & ὁ Θεὸς in Novo Teſtamento dicitur, ſummum tantum Deum ſignificat, excepto loco iſto quem ultimo citavimus, ubi tamen reſtrictio addita poſt ὁ Θεὸς, his verbis, τοῦ αἰῶνος τούτου, impurum illum ſpiritum ſatis à ſummo Deo diſtinguit. Nomen Κύριος etiam appellative in Scriptura ſumi, & hominibus honoris gratia tribui, nemo ignorat, qui eam vel obiter inſpexerit. Summo tamen Deo ſoli, qui omnium abſolutus eſt Dominus, per excellentiam convenit. Sed in Novo Teſtamento, cum articulus ei additur, fere ſemper Dominum Jeſum ſignificare ſolet, qui peculiari ratione noſter eſt Dominus, quod nos à peccati & mortis dominio ſanguine ſuo redemerit, ſibique in peculium acquiſierit. Unde Paulus loco modo citato ex 1 *Cor.* VIII. 5. *Quamvis multi ſunt Domini, nobis tamen unus eſt Dominus, nempe J. Chriſtus, &c.* Excipiendi tamen ſunt loci, qui in Novo Teſtamento ex vetere allegantur, ubi aliquando ὁ Κύριος Patrem ſignificat. Et hæc de præcipuis Dei nominibus, tam Hebraïcis, quam Græcis ſufficiat breviter dixiſſe. Unde colligi poteſt quid de Latinis, & iis quibus in vernaculis noſtris linguis utimur, ſentiendum ſit. Licet autem Dei nomina eſſentiam ejus non exprimant, aliquomodo tamen oſtendunt quantus ſit, eique ab omnibus creaturis amorem, honorem, obedientiam, timorem & fiduciam deberi. Sed iſtud melius adhuc ex Attributis ejus eluceſcet, ad quorum conſiderationem nunc tranſimus.

CAPUT II.

De Attributis Dei in genere, & ſpeciatim de ejus Spiritualitate & Inviſibilitate.

I. *Attributa Dei unum idemque eſſe cum eſſentia divina.* II. *An & quomodo hæc attributa à ſe invicem differant.* III. *Enumeratio præcipuorum Dei attributorum.* IV *Spiritualitatem primum locum obtinere.* V. *Qualiſcunque Spiritus deſcriptio.* VI. *Deum, juxta quoſdam, melius dici incorporeum.* VII. *Sub Spiritualitate, Dei ſimplicitatem comprehendi.* VIII. *Quo ſenſu Deo membra humana tribuantur.* IX. *Ad quam Dei imaginem homo ſit factus.* X. *Ex Dei Spiritualitate ſequi, eum Inviſibilem eſſe.* XI. *Quomodo Deus dicatur viſus Iſaaco, &c.* XII. XIII. *Quoſdam impropriè, alios propriè intelligere quod de futura Dei viſione dicitur.* XIV. *Conſectaria tria præcedentis doctrinæ.*

I. DE attributis Dei notandum eſt in genere, ea non eſſe accidentia communia, perfectionem aliquam denotantia, quæ in eſſentia non contineatur, aut à ſubjecto ſuo abeſſe poſſit abſque illius interitu; imo nequidem propria ejuſmodi, ſine quibus etſi ſubjectum nunquam eſſe queat, tamen nihil repugnet quominus abſque illis concipiatur à nobis. Sed unum idemque ſunt cum eſſentia divina, multiplicemque quam in ea, ſecundum noſtrum conſiderandi modum, perfectionem animadvertimus, ſolum denotant. Ita æternitas Dei nihil aliud eſt niſi Deus ipſe æternus, juſtitia Dei, quam Deus juſtus, & ſic de aliis.

II. Utrum vero hæc attributa à ſe invicem differant & quomodo, difficilius eſt dictu. Vulgo exiſtimant in Deo generalem quandam eſſe perfectionem, quæ unum idemque reipſa ſit, ſed diverſa ſortiatur nomina pro ratione objectorum circa quæ verſatur: eamque, verbi gratia, vocari æternitatem, quatenus initio & fine durationis carere intelligitur; omnipotentia, quatenus nihil eſt ipſi factu impoſſibile, & ita de cæteris. Quam ſententiam amplecti non dubitabo, dummodo ad hæc duo attendatur. 1. Neceſſe eſſe iſta Dei attributa ſecundum noſtrum concipiendi modum, ad quem ipſe quoque ſe accommodat in Scriptura S. diſtinctis definitionibus exprimere. Cum enim ſingula particulam veluti quandam generalis illius quæ in Deo eſt perfectionis repræſentent, fieri non poſſet ut Deum ſalutariter cognoſceremus, aut mentem ejus conciperemus, cum nos in verbo ſuo alloquitur, niſi unicuique peculiarem definitionem conceptui iſti convenientem adaptaremus. Ita aliter definire oportet Dei bonitatem, quam potentiam, aliter iram, quam ſapientiam, niſi velimus omnia permiſcere. 2. Non eſſe confundenda quædam attributorum iſtorum effecta cum attributis ipſis, v. gr. Dei beneficentiam cum ejus bonitate, punitionem quam ſecundum juſtitiam facit, cum ipſius juſtitia eſſentiali. Effecta enim iſta à libera Dei voluntate proficiſcuntur, ac proinde eſſe vel non eſſe poſſunt pro ipſius beneplacito. Attributa vero Dei eſſentialia, æqualis cum Deo ſunt neceſſitatis, utpote unum idemque reipſa cum illo; ideoque negari, aut in dubium revocari nequeunt, quin Deus etiam abnegetur, aut de ejus exiſtentia dubitetur.

III. Præcipua Dei attributa ſunt iſta, ſpiritualitas, æternitas, immenſitas, vita, intellectus, volun-

voluntas, amor, odium, sanctitas, justitia, longanimitas, mansuetudo, severitas, potentia, potestas, perfectio, beatitudo, gloria, & unitas: sub quibus etiam alia nonnulla comprehenduntur, ut ex speciali singulorum tractatione apparebit.

IV. Primum inter Dei attributa locum assignavimus *Spiritualitati*, quia instar generis de ipso enunciari solet, cum dicitur, *Deus est Spiritus*. Cui si aliud aliquod addideris, quod differentiæ vice fungatur, veluti æternus, habebis qualemcunque Dei definitionem, nempe *Deus est Spiritus æternus*. Et quo plura accumulabis, ut *immensus*, *omnipotens*, *omniscius*, *optimus*, *beatissimus*, eo clariorem facies, & ad vulgi captum accommodatiorem. Denique si ad præcedentia mentionem aliquam Dei operum adjicias, & dicas, *Deus est Spiritus æternus, immensus, omnipotens, omniscius, beatissimus, optimus, creator & gubernator universi, &c.* perfectissimam, quæ dari possit, habebis.

V. Quid autem non sit Spiritus, facilius est dicere, quam quid sit. Ita Dominus Jesus ad ostendendum se non esse spiritum, prout discipuli, quibus se ex improviso, post resurrectionem, dederat conspiciendum, opinabantur, dicit; *Spiritus carnem & ossa non habet*, *Luc.* XXIV. 39. Sed ad Dei Spiritualitatem explicandam non sufficit carnem & ossa ab eo removere, cum & Angeli, & anima nostra, imo etiam brutorum, carnem & ossa non habeant, nec tamen spiritus sint plane immateriales. Plenius aliquomodo definiri potest Spiritus, si dicatur esse substantia subtilissima, purissima, agillima, & efficacissima, à qua si præterea ubi de Deo agitur, omnem corpoream quantitatem, & ejus consequentia removeris, totum id fere, quod de Spiritu mens humana capere potest, dixeris.

VI. Quin autem Deus in ordine Spirituum sit perfectissimus, nemo, ut opinor, eorum qui ipsum Spiritum esse confitentur, in dubium revocabit. Sed utrum solide probetur Deum esse Spiritum, ex his Christi verbis, πνεῦμα ὁ Θεὸς, *Joan.* IV. *v.* 24. dubitatur à quibusdam. Putant enim verbum substantivum ἐστὶ ibi non esse supplendum, ut in multis locis fieri solet; sed potius ex præcedenti versu repetendam esse vocem ζητεῖ, & vertendum, *Deus Spiritum requirit*, id est, spiritualem cultum, & ex animo puro profectum, vult ab hominibus sibi exhiberi: sicut etiam sequentia verba ostendunt, *Et qui adorant eum, in Spiritu, & veritate, oportet adorare.* Et certe non Dei natura, sed voluntas norma est cultus, quem ipsi exhibere tenemur. Nam si natura Dei esset ejus norma, non tantum oporteret cultum nostrum esse spiritualem, sed etiam plane incorporeum, imo æternum & immensum, &c. qualis est Deus, quod absurdum est. Quin etiam nonnulli existimant Deum summum, qui à nullo est, non esse vocandum nomine Spiritus, quia hæc vox spirationem passivam, ac proinde originem ab alio significet, sicut etiam Græca πνεῦμα & Hebraïca רוח meliusque Deum *incorporeum* dici. Quia tamen communi Christianorum usu receptum est, ut Deus appelletur Spiritus, nolumus λογομαχεῖν. sed tantum monemus attendendum esse, ne in vocabuli hujus explicatione aliquid Deo indignum tribuatur.

VII. Sub Dei autem *Spiritualitate*, aut, si mavis, *incorporeitate*, id totum comprehenditur, quod alii *simplicitatis* nomine intelligere solent: ita ut necesse non sit ex ea speciale Dei attributum facere, præsertim cum Scriptura S. simplicitatis Dei nusquam meminerit, & doctrina ista plus metaphysicarum argutiarum, quam solidæ utilitatis habeat. Si Deus est Spiritus plane incorporeus, evidens est ipsum ex materia & forma, aut ex partibus materialibus integrantibus & quantitativis non esse compositum. Sed superfluum est, quod alii præterea volunt addi, Deum non esse compositum ex genere & differentia, essentia & existentia, & similibus. Ista enim veram compositionem non arguunt, ne quidem in creaturis; sed tantum non posse nos, quin diversos de Deo conceptus formemus, cum distincte perfectiones ejus exprimere volumus.

VIII. Sed objicitur, videri Deum non esse purum Spiritum, aut plane incorporeum, quia membra corporea adinstar hominis ipsi in Scriptura passim tribuuntur, ut oculi, aures, &c. Ad quod respondeo, corporis humani membra Deo tribui ἀνθρωποπαθῶς, quia nec Spiritus naturam, nec ejus actiones possumus aliter concipere, quam sub aliquo corporeitatis modo, non quod Deus revera talis in se ipso sit. Idcirco illi non promiscue omnia corporis membra attribuuntur; sed ea tantum, quæ præstantissimarum actionum sunt organa, veluti os, oculi, aures, cor, brachium, manus: non vero humeri, venter, femora, & similia viliora, quæ actionum servilium, aut etiam minus honestarum sunt instrumenta. Et per oculos quidem & aures ejus providentia; per os voluntatis decreta, aut mandata; per cor affectus; & per brachium atque manus ejus potentia designatur.

IX. Affertur etiam, hominem, qui corporeus est, ad imaginem Dei esse factum, indeque probabiliter colligi Deum esse corporeum. Sed respondeo, imaginem Dei, ad quam homo conditus est, non esse figuram corpoream, secundum quam Deo similis sit. Sic enim falsum esset, quod Deus, ut ostenderet nulla se imagine, nequidem hominis, sive masculi, sive fœminæ, esse repræsentandum, dicit; *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua vobis locutus est Dominus in Horeb de medio ignis, &c. Deut.* IV. 15. Nam similitudo Dei ab Israëlitis conspecta fuisset in semet ipsis, & quotidie à nobis conspiceretur, si homo esset imago Dei secundum corpus. Et male reprehenderentur Gentiles, *quod transformavissent gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem hominis corruptibilis*, *Rom.* I. 23. Nihil enim aliud fecissent, quam id, cujus ipse Deus in creatione hominis exemplum dedisset; ac proinde tanti criminis non fuissent

rei, ut isto loco dicitur. Qua in re vera Dei imago, ad quam homo conditus est, consistat, non est hujus loci explicare. Dicimus uno verbo, Deum illam in dominio, quod homini dedit in omnia creata, collocare, *Gen.* I. 26. quod absque ratione, quæ animæ est facultas, exerceri non potest. Unde apparet ipsam in anima, non in externis corporis lineamentis sedem habere; corpusque hic in considerationem non venire, nisi quatenus aptum est ut operationibus animæ inserviat.

X. Ex eo, quod Deus Spiritus est & incorporeus, sequitur eum esse *invisibilem*. Nihil enim nisi corporeum oculis corporeis videri potest. Idque S. Scriptura expresse testatur diversis in locis. Mosi enim petenti videre Dei faciem, respondit ipse: *non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & vivet*, *Exod.* XXXIII. 13, 20. Quod idem est, ac si dixisset; nullus homo vivens me videbit: non autem, ut quidam opinantur, quicunque me viderit statim morietur. Quamvis hæc videatur fuisse olim Israëlitarum opinio, qui conspecto, non quidem Deo ipso, sed Angelo ejus legato, in quo nomen suum posuerat, dicebant; *morte moriemur, quia Deum vidimus*, *Judic.* XIII. 22. Cum quo confer *cap.* VI. 22, 23. Si enim hæc foret verborum Dei mens, significasset se ab hominibus posse conspici, licet non ad longum tempus; haud aliter atque ii, qui solem irretortis oculis intueri volentes, splendore ejus confestim excæcantur. Sed contra Paulus testatur Deum esse ἀόρατον, I *Tim.* I. 17, *& ipsum lucem habitare inaccessam, quem nemo hominum vidit, nec videre potest*, *cap.* VI. 16.

XI. Objicitur tamen, multis in locis Scripturæ dici, Deum in hac mortali vita ab hominibus conspectum fuisse. Sic de Isaaco dicitur; *visus est ei Dominus*, *Gen.* XXVI. 2. Et Jacob dicit; *vidi Deum facie ad faciem*, *cap.* XXXII. 30. Et de Mose, Aarone, Nadab, Abihu, & LXX Senioribus scribitur; *viderunt Deum Israël*, *&c.* *Exod.* XXIV. 9, 10, 11. Consule etiam *Judic.* VI. 22. & *cap.* XIII. v. 22. & I *Reg.* XXII. 19. & *Esai.* VI. I. ubi de apparitionibus Gedeoni, Manohæ, Michæ, & Esaiæ factis agitur. Sed non est difficilis ad hanc objectionem responsio, nimirum omnia ista loca, & si quæ alia occurrunt similia, non esse de summo Deo accipienda, qui humanis & mortalibus oculis plane est invisibilis; sed de Angelo personam ejus repræsentante; imo quædam illorum de Angelis, in figura humana apparentibus, loqui, quam ab hominibus conspici posse nullum est dubium.

XII. Quæritur hic, utrum loca Scripturæ, in quibus pii Deum in futuro seculo dicuntur esse visuri, proprie sint accipienda de oculorum intuitu, an secus. Qualia sunt hæc; *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt*, *Matth.* V. 8. *Cernimus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem cernemus*, I *Cor.* XIII. 12. *Dilecti, nunc filii Dei sumus, & nondum manifestatum est quod erimus: Scimus autem, quod si fuerit manifestatum* (vel manifestatus) *similes ei erimus, quia videbimus ipsum sicut est*, I *Joan.* III. 2. Item, *pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum*, *Hebr.* XII. 14. Sed quia in ultimo hoc loco habetur vox Κύριος cum articulo, quæ in N. Testamento J. Christum significare solet, in illo non immorabor. De reliquis non est exigua difficultas; quamvis de oculorum visione intelligi non debere inde probetur; quia si Deus ita à nobis conspici posset, oporteret ipsum coloratum, figuratum, atque adeo corporeum esse: quod paulo ante falsum esse dicebamus. Quidam itaque de clara naturæ Dei cognitione, quanta nempe in creaturam cadere potest, illa accipi volunt. Alii vero exponunt de Divini favoris sensu, seu beneficiorum Dei fruitione: simili loquendi genere, quo aliquando in S. Literis dicitur, *videre vitam, non videre mortem, & videre regnum Dei*, *Joan.* III. 36. & *cap.* VIII. 51. *Luc.* II. 26. id est, non sentire mortem, frui vita vel æterna felicitate, accipiendo metonymice visionem pro fruitione, quæ ejus adjunctum esse solet.

XIII. Sunt tamen etiam nonnulli, qui contendunt non esse absurdum credere Deum proprie in futuro seculo à nobis visum iri, eosque multum de felicitate piis promissa detrahere, qui istud negant; sed oculos nostros tunc non fore carneos, prout nunc sunt; verum spirituales; quorum aciem Deo in tantum augere facile sit, ut illa, quæ jam non possunt videre, clare intueantur; Absurdum itaque non esse dicere, Deum, qui corporeis oculis conspici nequit, aliquando spiritualibus, quales sunt Angelorum, quibus post resurrectionem similes erimus, *Luc.* XX. 36. conspectum iri à beatis. *Illi enim*, aut saltem quidam eorum præcipui, *semper vident in cælis Patris faciem*, *Matth.* XVIII. 10. Et nos eodem quo ipsi modo eam videre, si Deo placuerit, poterimus. Sed quæstionis hujus solutionem præstat differre in illud tempus, quo exuta mortalitate, quomodo Deus à creaturis conspici possit, reipsa experiemur; quam præcipitato judicio de illa quicquam temere decernere.

XIV. Ex eo autem, quod Deus est incorporeus, & invisibilis, recte colligitur, *Primo*, Ipsum nulla imagine corporea repræsentari posse, ideoque à nobis nunquam ita debere depingi, ut supra ex *Deut.* IV. 15. monuimus. Cui similia habemus adhuc alia loca *Esai.* XL. 18. *Act.* XVII. 29. ubi quam absurdum sit imagines corporeas Deo erigere ostenditur. *Secundo*, Nullum esse convenientiorem naturæ Dei cultum, quam spiritualem; ac proinde si illum à nobis exigat, ut præcipue facit sub Novo Fœdere, libenter exhibendum esse. Ille vero spiritualis dicitur cultus, qui non est alligatus certis locis, temporibus, personis, & ritibus corporalibus, qui non minus ab impiis, quam à piis observari queant: sed corde puro potissimum peragitur. *Tertio*, Nos plena cum animi fiducia à Deo bona spiritualia, quæ nobis in Euangelio promisit, exspectare posse. Ea autem fundamentum satis solidum non haberet,

beret, nisi Deus ipse esset Spiritus, & incorporeus, cum nemo alteri dare queat, quod ipse non habet.

CAPUT III.

De Dei Æternitate, & Immutabilitate.

I. Deum esse æternum. II. Definitio æternitatis Boëthii examinatur. III. Quo sensu dici possit, Deo omnia esse præsentia. IV. Æternitatem & Immutabilitatem Dei differre. V. Superiora attributa esse creditu necessaria.

I. SEcundum Dei Attributum est *Æternitas*; per quam nihil aliud intelligimus, nisi Deum principio & fine carere. Quod significatur hac periphrastica Dei descriptione, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Apoc.* I. *v.* 4, 8. & IV. 8. & XI. 17. ubi ἐρχόμενος, quod proprie significat *venturus*, usurpatur pro ἐσόμενος, *futurus*, sicut legimus *Apoc.* XVI. 5. male itaque refertur ad Christum, sub hoc prætextu, quod ipse ad judicium aliquando expectetur. Nam omnes locorum istorum circumstantiæ, de Deo Patre illic agi ostendunt, præcipue *cap.* I. 4, 5. ubi is *qui est*, *qui erat*, *qui futurus est*, distinguitur aperte à Jesu Christo: nec inusitatum esse ut ἔρχεσθαι accipiatur pro ἔσεσθαι, indicant hæc loca *Joh.* XVI. 13. *Act.* XVIII. 21. in quorum primo dicitur de Spiritu S. τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν, id est, *futura annunciabit vobis*; & in altero mentio fit τῆς ἑορτῆς τῆς ἐρχομένης, id est, *festi futuri*: & ita accipi debere in locis ex Apocalypsi citatis, probat oppositio quæ fit inter hæc tria membra, *qui est*, *qui erat*, *qui venturus est*, quæ nulla foret, si ultimum verteretur, *qui venturus est*. Eadem quoque Æternitas probatur aliis Scripturæ locis; ut cum Moses dicit; *priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à sæculo & usque in sæculum tu es Deus*, *Psalm.* XC. 2. & cum vocatur Θεὸς αἰώνιος *Rom.* XVI. 26. Βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἄφθαρτος, 1 *Tim.* I. 17. ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν, 1 *Tim.* VI. 16. Cum Scriptura consonat evidens ratio. Nam si summum numen non esset ab anteriori parte æternum, oporteret ipsum ab alio existentiæ suæ principium accepisse. Atqui sic non foret summus: sed ille potius qui ei existendi causa fuisset. Qui si neque foret absolute æternus, & ex se ipso, tamdiu ascendendum esset, donec ad aliquem perveniremus, qui à nullo alio suum esse haberet. Et sic demum esset summus & independens universi Dominus. Quod si Deus vere sit æternus à parte anteriori, erit etiam à posteriori. nam nullum habebit se majorem à quo destrui queat: & cum sit necessario & per se, omninoque perfectus, nunquam ex naturæ imbecillitate deficiet, sed perpetuo in suo esse absque ulla variatione permanebit.

II. Et hac de re consentiunt omnes tam Philosophi quam Theologi; sed non de eo quod æternitatem distinximus, non solum per præsens, sed etiam per præteritum & futurum. nam Scholastici volunt in ea considerari solum præsens, instar puncti indivisibilis, nitentes hac Severini Boëthii definitione, quod *æternitas sit interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*: verum definitio ista non videtur adeo esse accurata, ut ad eam tanquam ad amussim æternitatis naturam expendere sit necesse. Nam *primo*, vita non est proprie de ejus essentia, sufficit si existentia ei tribuatur, ut evincit eorum opinio, qui materiam, licet vita careat, æternam & Deo coævam esse putant: quamvis enim fallantur, nihilque præter Deum sit vere ab utraque parte æternum, inde tamen apparet vitam notione æternitatis proprie non includi, cum aliquod ens possit concipi vere æternum, id est, principio & fine suæ durationis carens, quod tamen non vivat. *Secundo*, Neque etiam ad æternitatis naturam quicquam pertinet, ut totam simul suam existentiam possideat: nam si materia foret æterna, ut modo quosdam putare dicebamus, non tamen totam suam existentiam simul possideret, quasi esset momentanea; sed unam partem post aliam. Et quod ad Deum attinet, verum quidem est ipsum aliam existentiæ suæ partem non acquirere post aliam, ita ut priori deperditæ nova succedat, quam antea non habuerit, quemadmodum in rebus creatis contingit, non solum iis quæ alimento indigent ad sui conservationem, eoque deficiente statim marcescunt; sed etiam in auro, gemmis, & solidioribus ejusmodi corporibus, quæ omnia perpetuo sunt in fluxu, & temporis spacio deteruntur, etsi mutatio ista tam lente fiat ut sensu vix animadvertatur. Sed nihil prohibet quominus Deum concipiamus, sine ulla essentiæ suæ mutatione durationem habere per præteritum præsens & futurum distinctam; quæ ita fuerit, ut etiamnum perseveret esse quod semper antea fuit; & ita futura sit, ut talis ab æterno fuerit, qualis perpetuo est futura. Hoc observato, puto absque periculo posse dici, in æternitate Dei esse præteritum, præsens & futurum; & hæreseos istam phrasin accusare eorum tantum esse, qui supra Sacros Scriptores sapere præsumentes, nesciunt quid sit humano more & intelligibiliter loqui.

III. Sed inquiunt, Deo omnia sunt præsentia, non minus quæ respectu nostri dicuntur præterita aut futura, quam ea quæ nunc sunt. Respondeo, etsi nusquam id diserte scriptum inveniatur, aliquo tamen modo posse concedi, nempe si hoc sensu accipiatur, Deum adeo perfecte præteritorum meminisse, & ita certo ea quæ sunt futura præscire, atque si utraque oculis ejus præsentia forent: sed falsum, proprie & absque tropo intellectum: nam sic reipsa præterita, Deo non essent præterita, & reipsa futura non essent ei futura; Deique æternitas rerum creatarum naturam destrueret; ac omni temporum, respectu Dei, distinctione abolita, æque vere dici posset Deum mundum hunc, in quo habitamus, posthac creaturum, & eundem jam destruxisse, atque contrarium. Afferunt etiam Petrum dicentem, *Unus*

dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut unus dies, 2 *Epiſt.* III. 8. Et Moſen, *Mille anni ante oculos tuos ſicut dies heſterna qua præteriit*, *Pſ.* XC. 4. Sed tantum abeſt ut hæc verba probent æternitatem inſtar puncti indiviſibilis, omnem prioris & poſterioris ſucceſſionem excludere, ut contrarium non obſcure ſignificent, nempe illam durationem eſſe adeo prodigioſe longam, ut mille ex noſtris annis, cum ea collati, quaſi unus dies ſint; & viciſſim mille anni æternitatis, Deo ſint, quaſi nobis unus dies, quia Deo facilius ſit ex ſua æternitate mille annos impendere, quam nobis ex brevi noſtra vita unum diem.

IV. Qui ergo Æternitatem ita deſcribunt, videntur eam cum *Immutabilitate* confundere, à qua tamen ſecundum noſtrum concipiendi modum differt, licet neceſſario inter ſe ſint connexæ, & Deus æternus eſſe nequeat quin ſimul ſit immutabilis. Sed Deum immutabilem eſſe inde præterea probatur, quia neque à ſe neque ab alio mutari poteſt; non à ſe, quia ſic non eſſet neceſſario ſed contingenter, quod abſurdum. Adde quod ſi mutaretur, id fieri oporteret vel in quantitate, vel in qualitate, vel in melius, vel in pejus: ſed nullo ex his modis, quia ſunt imperfectionis ſigna & conſequentia, quæ in Deum non cadit. Non ab alio etiam Deum mutari poſſe perſpicuum eſt, quia neminem ſibi æqualem aut ſuperiorem habet. Idem quoque Scriptura teſtatur; *Cœli peribunt, tu autem* (Deus) *permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es & anni tui non deficient*, *Pſalm.* CII. 27, 28. Aſſeruntur etiam hæc loca, *Ego Dominus & non mutor*, *Malach.* III. 6. &, *apud ipſum non eſt transmutatio, vel converſionis obumbratio*, *Jacob.* I. 17. Sed circumſtantiæ, vel obiter inſpectæ, oſtendunt, in illis non agi de exiſtentia divina, ſed de ejus voluntate, quæ eſt quidem immutabilis, ut ſuo loco dicetur, ſed non tamen eodem modo, quo eſſentia. In actiones autem Dei mutationem aliquam poſſe incidere non eſt abſurdum: quod enim fecit, etiam quando libet deſtruit; ſic mundum quem condidit olim diluvio vaſtavit, & in extremi judicii die incendio conſumet; ſed hæc mutatio eſt extra Deum, & nihil ad ejus eſſentiam pertinet.

VIII. Neceſſariam eſſe creditu Dei Æternitatem inde colligitur; quia niſi Deus foret æternus, pios æternæ vitæ præmio donare non poſſet, nec proinde illam pii certa cum animi fiducia exſpectarent. Nec eſt quod excipias, non requiri propterea ut Deus ſit abſolute æternus, tam à priori quam à poſteriori, ſufficere ſi talis ſit à poſteriori: ſi enim initium exiſtentiæ habuiſſet, ſine carere ex ſe non poſſet, ſed iſtud alterius dono haberet, à quo proinde nos potius immortalitatem ſperare, quam ab ipſo æquum foret.

CAPUT IV.
De Dei Immenſitate, & Omnipræſentia.

I. S. Scripturam de Immenſitate Dei teſtari. II. Non liquere an de eſſentia id debeat intelligi. III. An Deus puncti inſtar eſſentialiter ubique ſit. IV. Omnem extenſionem non eſſe diviſibilem. V. Quomodo Deus, qui eſt in cœlis, ubique operetur. VI. Uſus præcedentis doctrinæ.

I. TErtium Dei attributum eſt *Immenſitas*, de qua vix aliud habemus quod dicamus, præter id quod apud Prophetam legitur, *Deus magnus eſt: ſed magnitudinis ejus non eſt inveſtigatio*, *Pſal.* CXLV. 3. Infinitum enim definire velle, eſt id aggredi, quod manifeſtam contradictionem implicat, & fieri à creatura finita nequit. Nec enim minus abſurdum eſt finito noſtro intellectu præſumere infinitatem Dei capere, quam ſi quis univerſam maris aquam, vola manus continere ſe poſſe exiſtimaret. Contenti eſſe debemus ſcire Deum ita eſſe immenſum, ut nullo loco includi, nec ab ullo loco excludi queat: ſed ubique ineffabili & incomprehenſibili modo præſens ſit: nec aliud ſignificare voluit cum dixit, *Cœlum eſt ſolium meum, & terra ſcabellum pedum meorum*, *Eſa.* LXVI. 1. item, *An non ego cœlum & terram impleo, inquit Dominus? Jer.* XXIII. 23, 24. & Salomon, *Cœlum & cœli cœlorum te non continent*, 1 *Reg.* VIII. 27. & Sophar Naamathites, *Profundior eſt inferno, quomodo cognoſces? longior eſt terra ipſa menſura ejus, & latior mari*, *Job.* XI. 7, 8, 9.

II. Quæritur, utrum iſtud de eſſentiæ Dei immenſitate, an vero de providentia & potentia ejus, quæ ſe ad omnia extendat, ſit accipiendum? Reſpondeo, non ſatis liquere: circumſtantiæ ſane locorum modo citatorum videntur iſtud ad poſterius referre, ut celeberrimi interpretes agnoſcunt: & putarim ad ſalutem ſufficere, ut credamus Deum omnibus noſtris factis, dictis, & cogitationibus intereſſe, nullumque in hoc univerſo eſſe locum, quo ejus providentia & potentia non pertingat: eoque manifeſte reſpicit ipſe apud *Jeremiam* XXIII. 23, 24. *Nunquid Deus de propinquo ſum, dicit Dominus, & non Deus de longinquo? num occultabit ſe quiſquam in occultis, & ego non videbo eum, dicit Dominus?* Similiter David *Pſ.* CXXXIX. v. 7. &c. *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo fugiam à facie tua? ſi aſcendero in cœlum, tu ibi es; ſi ſtratum fecero in inferno, ecce tu ades: ſi aſſumam alas auroræ, & habitem in noviſſimo maris, etiam illuc manus tua deducet me, & apprehendet me dextra tua.* Nec alia eſt mens Pauli, *Actor.* XVII. 27. ubi de Deo dicit, *Non longe abeſt ab unoquoque noſtrûm: in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* Modo igitur iſtud firme teneatur, non opus eſt de reliquis, quæ & captum noſtrum excedunt, & ad Deum rite colendum nihil faciunt, quicquam definire.

III. Non probatur ergo nobis quod nonnulli audacter aſſerunt, Deum ſic immenſum eſſe, ut totus puncti inſtar in omnibus rebus eſſentialiter ſit. Iſta enim opinio ægre admodum cum Scri-

Scriptura conciliari potest, quæ passim docet Deum esse in cœlis: sic *Psal.* II. 4. hoc describitur elogio, *habitans in cœlis*, & *Psal.* CXV. 3. *Certe Deus noster est in cœlis*; & Christus ipse in Orationis formula, quam nobis reliquit, ita jubet nos eum compellare, *Pater noster, qui es in cœlis.* Præterea cum ratione non obscure pugnat. *Primo*, Quia nulla concipi potest inter Deum & creaturas differentia, si Deus in quolibet puncto sit totus, sive omnia universi puncta tota sua essentia repleat: sic enim quicquid uspiam est, Deus ipse erit; quæ fuit olim Stoicorum opinio, à *Lucano lib.* IX. expressa.

Juppiter est, quodcunque vides, quocunque moveris.

Et à *Virgilio Ecloga* III.

——— *Jovis omnia plena.*

sed improbata à veteribus Ecclesiæ Christianæ doctoribus, ut Tatiano, Clemente Alexandrino, & aliis. *Secundo*, Nulla erit idololatria, si ne minimum quidem punctum reperiatur, quod Deo toto totum non sit plenum: quocunque enim dirigetur cultus, ad Deum ipsum dirigetur, qui illic erit. *Tertio*, Nec Spiritualium opinio poterit solide refutari, qui dicunt Deum omnia in omnibus agere, tam mala, quam bona; quia essentialiter in omnibus atomis sit totus & quasi communis universi anima reputandus. *Quarto*, Ne jam dicam pudendum esse cogitare Deum purissimum & sanctissimum, æque esse in fœdissimis cloacis, quam in cœlo, & quicquid in corpus nostrum ingerimus, quicquid inde egerimus, ipsa tota Dei essentia totum esse plenum. Contra quod vide *Deut.* XXIII. 12, 13. ubi præcipitur Israëlitis, *ut castra ipsorum sint munda & nihil fœditatis in illis appareat*; addita hac ratione, *ne Dominus Deus tuus, qui ambulat in medio castrorum, derelinquat te. Quinto*, Sic Deus non minus præsens erit impiis, quam piis; & damnatis in inferno, atque dæmonibus ipsis, quam beatis in cœlo & ipsi Christo. Ex quibus aliisque similibus difficultatum nodis cum impossibile sit se extricare, posita hac atomica essentiæ divinæ omnipræsentia: Concludo eam nemini tanquam necessariam creditu obtrudi debere.

IV. Atqui inquies, nisi Deus ita *omnipræsens* concipiatur, extensionem ipsi tribuere oportebit; quod absurdum, quia omnis extensio est divisibilis & partem habet extra partem. Respondeo, Infinitum quidem aliter quam per alicujus extensionis modum concipi à nobis non posse: sed omnem extensionem non esse divisibilem; id solum corporeæ extensioni convenit (quam à Deo removemus, cum ipsum Spiritum esse agnoscimus) non spirituali; quæ etiamsi infinita sit, non est tamen magis divisibilis quam punctum.

V. Nec inde certe ejusmodi absoluta essentiæ divinæ infinitas concluditur, quod ubique operetur; nihil autem in distans agere possit: sed contactus ad agendum sit necessarius. Philosophi enim conjunctionem agentis cum patiente duplicis generis faciunt, aliam suppositi, aliam virtutis: Quo posito, dici forte non incommode posset ad conciliandum Scripturas, & illa quæ memoravimus absurda vitandum, Deum essentia sua esse in cœlo: sed inde Spiritum seu vim quandam ex se prodeuntem emittere quocunque vult, per quæ ibi quoque vere præsens sit & operetur, ut supra ex *Psal.* CXXXIX. audivimus. Ita etiam concipi aliquomodo posset, quomodo Deus esset in Sanctis suis & beatis, non vero in impiis, & damnatis dæmonibusque, & excellentiori adhuc longe ratione in Christo. Verum hæc non definiendi, sed in veritatem inquirendi animo dicta, & doctorum piorumque judicio subjecta sunto.

VI. De usu hujus attributi non est necesse aliquid addere præter id quod jam supra dictum est; nimirum ex immensitate Dei sequi ipsum pios sui cultores, ubicunque locorum sint aut degant, protegere favore suo, & remunerari; impios vero & contemptores, merito supplicio afficere posse. Ac proinde coram ipso cum omni reverentia & metu semper ambulandum esse.

CAPUT V.

De Vita Dei, & vitæ divinæ adjunctis, Intellectu & Scientia.

I. *Deum Vita excellentissima esse præditum.* II. *Scientiæ divinæ objectum esse omne scibile.* III. *Deum speciatim se, & actiones suas, nosse.* IV. *Tum alia omnia tam singularia quam universalia.* V. *Deum æque nosse præterita quam præsentia.* VI. *Deum sua cognitione futura antevertere.*

I. QUartum Dei attibutum est *Vita*, & quidem *rationalis* sive *intellectu & voluntate prædita.* Hæc Dei vita est longe alius generis ab animantium vita, quæ amitti potest & ipsis eripitur, quando anima, per quam vivunt, à corpore recedit; quin etiam Angelorum vita longe est excellentior, qui licet in se nullum corruptionis principium habeant, ab eo tamen, qui ipsis vivum esse dedit, possunt destrui & in nihilum redigi: Deus enim totus quantus est, essentia est viva, sive actuosa & efficax, perpetuo sese intus agitans, & ad extra se quicquid libet agendum idonea. Id ex S. Scriptura probatur, quæ passim Deum verum nobis describit ut vivum, eumque hoc elogio à mortuis gentium Idolis discernit: *Vivo ego, dicit Dominus Deus*, *Ezech.* XXXIII. 11. Item *Vivo ego in æternum*, *Deut.* XXXII. 40. quæ est veluti quædam juramenti forma, qua ipse dictorum suorum veritatem confirmat. Vocatur etiam sæpe *Deus vivens: In hoc laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viventem*, 1 *Tim.* IV. 6. *horrendum est incidere in manus Dei viventis*, *Heb.* X. 31. Sic Christus nuncupatur *Filius Dei viventis*, *Matt.* XVI. 16. & fideles quoque omnes, ad *Rom.* IX. 26. Nec Deus in se tantum est vivus, sed etiam omnibus aliis viventibus causa est vitæ; unde legimus *Psal.* XXXVI. v. 10. *Apud ipsum est fons vitæ.* & Paulus dicit, *Deum vivificare omnia*, 1 *Tim.* VI. 13. Item, *Ipse dat omnibus*

bus vitam & respirationem, in ipso vivimus, movemur & sumus, *Act.* XVII. 25, 28. Et quia vita hæc est perfectissima Deoque essentialis, nunquam desinere potest. Inde appellatur *Immortalis*, 1 *Tim.* I. 17. *Incorruptibilis*, *Rom.* I. 23. & *vivens in secula seculorum*, *Apoc.* IV. 9. & X. 6. Imo *solus habere* dicitur *immortalitatem*, 1 *Tim.* VI. 16. &c. Nimirum quia solus eam ex se ipso habet, sive *in se ipso*, *Joh.* V. v. 26. non ut Angeli beati & homines pii, qui Dei dono immortales sunt futuri. Contra vero de Idolis dicitur quod *Spiritus non sit in eis*, *Jer.* X. 14. vide etiam *Esa.* XLII. 17, 18. & XLIV. 9. 10. sed præcipue *Psal.* CXV. 4, 5, 6, 7. & *Psal.* CXXXV. 16, 17. ubi Idola dicuntur *os habere & non loqui*, *oculos habere & non videre*, *aures habere & non audire*, *eo quod spiritus non sit in ore ipsorum.* Cum S. Scriptura consonat etiam ratio, & docet Deo competere vitam: nam cum Dei nomine intelligamus Ens omnium perfectissimum, & summum universi Dominum ac Rectorem; necessario ei quoque tribuenda est natura horum omnium capax, nempe vivens & ratione prædita. Et sane cum tales reperiantur in hoc universo naturæ, multo magis quadrat in omnium Rectorem ac Dominum: præsertim cum supremus sit atque independens, & causa ut cæteri sint id quod sunt: Nemo enim alteri dat quod ipse non habet, & propter quod unumquodque tale est, id ipsum magis est tale. Ejusmodi etiam vita, cum iis quæ cohærent, est causa ut Deus sit cultu dignus: fac enim, verbi gratia, æternitatem & immensitatem Dei posse absque vita rationali consistere, nihil in ipso erit, quod nos ad eum colendum moveat; utpote qui cultum quem ei exhiberemus cognoscere & remunerari nequiret. Unde videre est quam illi insaniant, qui res sensu & ratione destitutas tanquam Deos colunt, præsertim cum homines omnibus istis longe sint excellentiores, & ab iis potius, si aliqua cognitione forent præditæ, mereantur adorari.

II. Cum autem vitæ creaturarum perfectissimæ, qualis est Angelorum & hominum, duo sint adjuncta propria, videlicet *Intellectus* & *Voluntas*; ea etiam in Dei vita consideranda veniunt. *Intellectus* Dei est duplex, unus Theoreticus, qui intelligendi facultatem, & actum sive *scientiam* sub se comprehendit. Alter practicus, qui *Sapientia* & *Prudentia* vulgo dicitur. De intelligendi facultate, & scientia actuali simul quidem agemus; sed ita tamen, ut quando opus erit discrimen quod inter illas est indicemus. In *scientia* Dei duo sunt spectanda, nempe objectum & modus. Objectum scientiæ divinæ in genere est omne scibile, id est, quicquid entitatem aliquam habet, vel habuit, vel habiturum est, cujus respectu apprehendi ab intellectu possit; & quia tam late patet, recte ab ea vocatur Deus *Omniscius*: idque significat Anna in Cantico suo, cum dicit: *Dominus est Deus scientiarum*, 1 *Sam.* II. 3. & Psalmographus; *Intelligentia Dei non est numerus*, *Psal.* CXLVII. 5. & Joannes, *Deus novit omnia*, 1 *Joan.* III. 20.

III. In specie Deus cognoscit tum se ipsum, tum reliqua omnia præter se. Se ipsum *primo* cognoscit Deus, id est, naturam suam optime perspectam habet, omnesque ejus proprietates; quod etsi Scriptura forte nusquam expresse dicat, Deo tamen denegari nequit, quin imperfectionis accusetur. *Secundo*, Deus cognoscit omnia alia præter se vel extra se: quales sunt ejus actiones, tum internæ, quæ Decreta vocantur; tum externæ, quibus operum nomen proprie tribuitur. De decretis testatur Paulus, *Spiritus* (nempe Dei) *omnia scrutatur, etiam profunda Dei; & quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei*, 1 *Cor.* II. 10, 11. ubi per Spiritum Dei, potest quidem intelligi illud donum quod fidelibus communicatur, sed ita ut id multo magis competat Spiritui, qui in Deo est, seu ipsi Deo; & ratio dictat intellectum tam perfectum, qualis est divinus, sua ipsius decreta nullo modo ignorare posse. Præterea Deus omnes actiones suas externas cognoscit, non tantum quando in iis est occupatus, sed etiam longe antea, secundum illud Jacobi, *nota sunt Deo ab ævo omnia opera*, *Act.* XV. 18.

IV. Deinde quæ extra Deum sunt & ab eo cognoscuntur, vel universalia sunt, vel singularia. Sed universalia Deo talia non sunt tribuenda qualia nostra esse solent, quæ per collationem singularium inter se in animo nostro fingimus. Deus qui perfecte singularia omnia novit, ejusmodi ratiocinatione non utitur; sed universalia respectu Dei possunt vocari ejus leges, promissa, minæ; quia non uni tantum aut alteri homini speciatim, sed universitati illorum proponuntur. Aristoteles putavit Deum universalia tantum cognoscere, & singularia quæ sunt infra Lunæ orbem fugere ipsum: sed fœdo in tanti nominis philosopho errore, quo omnis religio funditus evertitur. Inter singularia illa sunt præcipua quæ ad homines pertinent, ut actiones externæ, cogitationes cordis, & virtutes & vitia quæ in eo latent. Omnia autem prorsus à Deo cognosci docet Scriptura, *An qui plantavit aurem non audiet? An qui oculum finxit non videbit? An qui corripit gentes non arguet? An qui docet hominem scientiam non cognoscet?* *Psal.* XCIV. 9. *Qui formavit simul cor eorum, considerans omnia opera eorum*, *Psal.* XXXIII. 15. Speciatim Deus hominum corda & cogitationes cognoscit. *Profundum est cor præ omnibus rebus & perversum, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor & probans renes, ut dem unicuique juxta viam suam & juxta fructum operum suorum*, *Jerem.* XVII. 9, 10. Et sæpe alibi, ut *Psal.* VII. 10. *Prov.* XV. 11. 1 *Reg.* VIII. 39. Singulariter Deus dicit de Abrahamo, *Ego novi eum, propterea præcipiet filiis suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, faciantque justitiam & judicium*, *Genes.* XVIII. 19. & de Davide, *Inveni Davidem filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, *Act.* XIII. 22. ex 1 *Sam.* XVI. & *Psal.* LXXXIX. 21. Nec tantum bona quæ sunt in homine Deus novit, sed etiam mala: sic de populo Israëlitico dicit, *Scio cogitationes quæ facturus*

sit

fit hodie, Deut.XXXI.21.Item, *Scivi quia durus es tu & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ænea: Scio quia prævaricans prævaricaberis & transgressorem ex utero vocavi te*, *Jesa.* XLVII.4.8. Summatim, nihil est plane in hoc universo quod ejus notitiam fugiat, docente id Apostolo, *Nulla est creatura invisibilis in conspectu Dei, & omnia sunt nuda atque aperta oculis ejus*, *Hebr.* IV. 13. *Numerat stellarum multitudinem, & omnes nominibus suis vocat*, *Psal.* CXLVII.4. Imo ipsos *capitis nostri pilos in numerato habere*, dicit Servator, *Matth.*X. 30.

V. Distingui etiam debent objecta divinæ Scientiæ in præsentia, præterita & futura. De præsentibus testantur sufficienter loca jam allata. De præteritis dicit Propheta, *Memor fuit in seculum Testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham, & juramenti sui ad Isaac*, *Psal.* CV.8. vide & *Luc.* I. 72. Nec refert quod David conqueritur: *Usquequo Domine oblivisceris mei in finem*, *Psal.* XIII. I. Nam per oblivionem Dei non intelligitur ulla memoriæ imbecillitas, sed tantum nolle ipsum opitulari, aut differre auxilium suum; Metaphora sumpta ab hominibus qui amicorum in angustia positorum obliviscuntur,& negligunt iis succurrere.

VI. Nec Deus tantum præteritorum recordatur, sed etiam futura cognitione sua antevertit, istaque potissimum nota se à falsis Gentium Diis discernit: *Annunciate quæ ventura sunt in posterum, & cognoscemus quod Dii estis*, *Esai.* XLII. 22, 23. Nam quæ de Oraculis deastrorum jactantur, aut meræ erant imposturæ, à pecunia corruptis sacerdotibus in gratiam potentiorum confictæ: aut conjecturæ ex rebus præsentibus à sagacibus Dæmonibus deductæ & verborum ambiguitate velatæ,ut quicquid eveniret, id prædixisse putarentur. Unde *Apollo* vulgo Λοξίας, id est, *ambiguus* vel *obliquus* ab Ethnicis est dictus. Hujus autem præscientiæ futurorum qua Deus pollet, tot habemus evidentia argumenta, quot in utroque Testamento occurrunt prædictiones; quarum veritas eventu ipso comprobata fuit: vide inter alias illustrem *Dan.* IX. de LXX hebdomadibus, intra quas Messias venire, & cultui Levitico finem imponere debebat, Hierosolymaque cum Templo delenda erat; quæ ad amussim impleta est. Futura circa quæ Scientiam Dei versari concipimus, vel actu sunt futura, qualia sunt quæ decernit, vel efficit ipse, vel facere volentibus permittit, &c. & quædam horum necessaria sunt: Vel considerantur ut possibilia, sive simpliciter, sive sub aliqua conditione. Et huc pertinent futura contingentia; de quibus, antequam ad *Modum Scientiæ divinæ* progrediamur, nobis aliquid dicendum est, & de Dei Præscientia circa illa.

CAPUT VI.

De Præscientia futurorum contingentium.

I. *Quosdam præscientiam negare, alios contingentiam tollere.* II. *Auctorem præscientiam & contingentiam agnoscere.* III. *Prædictiones variæ de futuris contingentibus.* IV. *Deum nunquam decernere peccatum in pœnam peccati.* V. *Prædictiones illas non fuisse conjecturales.* VI. *Objectiones ex S. literis adversus præscientiam.* VII. *Ad illas responsio.* VIII. *Respondetur rationi palmariæ adversus præscientiam.*

I. AMbigitur nempe de futuris contingentibus, an Deus illa infallibiliter etiam præsciat: ratioque dubitandi hæc est, quod ea non sint scibilia,utpote nullam determinatam entitatem habentia, quæ Scientiæ objectum esse possit, & quod contradictionem implicet infallibiliter illa præscire, quæ tam non fieri, quam fieri possunt. Quem nodum quidam solvere conantur, dicendo; futura contingentia non esse quidem natura sua scibilia; sed Deum illa ut certo præscire possit, in alteram partem decreto suo determinare. Verum istud est contingentiam ex humanis actionibus, & per consequens virtutem & vitium, præmiorumque & pœnarum æquitatem tollere; imo totam incomprehensibilis Sapientiæ, quæ in futurorum contingentium præscientia elucet, laudem Deo eripere; nihil enim est in eo admirabile, si Deus certo illa præsciat, quæ decreto suo ita determinavit, ut aliter quam decrevit evenire nequeant: cum norit neminem esse, qui potentiæ, qua decreta sua exequitur, resistere possit. Deinde ex eo sequitur, Deum esse auctorem peccati: Nam si Deus certo præscit peccatum, & aliter illud præscire non potest nisi quia decrevit ut fieret, oportet ut decreto suo libertatem abstinendi à peccato homini eripiat. Qui autem id facit, vera est peccati causa. Negant quidem id sequi, allata hac ratione,quod decretum Dei cui præscientia peccati innititur, non sit effectivum, sed permissivum. Sed nullius ea est momenti; nam aut permissio divina relinquit homini libertatem abstinendi à peccato, aut non relinquit. Si relinquit, præscientia incerta manet, secundum hanc ipsorum hypothesin, illa nempe quæ ab hominis libero arbitrio pendent præsciri non posse. Si non relinquit, quomodo non est peccati causa? Nec indigne modo de Dei sanctitate illi mihi sentire videntur, qui hoc Præscientiæ divinæ fundamentum statuunt;sed etiam in Religionem non parum injurios esse hic asserere non dubitabo. Inde enim Pietatis omnis eversionem sequi, quis non videt? cum frustra homines in peccato vitando laborent, si Deus decreto suo & omnipotente actione efficiat ut necessario perpetretur.

II. Quam ob rem nos utraque hac opinione rejecta, futurorum contingentium præscientiam ita Deo tribuimus, ut contingentia nihilominus semper ea manere agnoscamus; non solum antequam Deus ea præsciat, sed etiam postquam præscivit. Quod probamus hoc argumento. Deus futura contingentia sæpe prædixit: ergo illa certo præscit. jus consequentia cum sit evidens, & à nemin sit negari, nisi qui prædictiones divinas, q Sacræ literæ meminerunt, mendacii argue solum ejus antecedens nobis superest cc dum.

III. Eo faciunt omnia Scripturæ loca, in quibus peccata, quæ homines perpetraturi sunt, prædicuntur. Sunt enim vere contingentia: quia nisi peccatum libera voluntate committatur, non est vere peccatum, nec pœna dignum. Talia sunt ista: Deus dicit Abrahamo, *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis: Veruntamen gentem cui servituri sunt, ego judicabo*, *Genes.* XV. 13, 14. Hanc enim posteritatis Abrahami afflictionem verum fuisse peccatum ostendit pœna ei denunciata, cujus exsecutionem videre est Exodi primis XV. capitibus. Item Deus Mosi dicit; *Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iste consurgens fornicabitur post Deos alienos, in terra in quam ingreditur ut habitet in ea. Ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus quod pepigi cum eo. Et irascetur furor meus contra eum in die illo, &c. Deut.* XXXI. 16, 17. Ubi quin de vero peccato agatur nullum est dubium. Prædicitur etiam ab Angelo Gabriele tempus adventus Messiæ post LXX hebdomadas, ipsumque occidendum à Judæis, & ea de causa civitatem, & templum Jerusalem excisum iri, *Dan.* IX. 24. *& seqq.* Et Christus ipse prædixit mala sibi eventura: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, Matth.* XX. 17. *Marc.* X. 23. *Luc.* XVIII. 31. Imo [illegible] prædixit se à Juda esse prodendum, *Joan.* VI. 64, 70, 71. & à Petro abnegandum, *Matth.* XXVI. 34. Idem denique probant prædictiones de adventu Anti-Christi, & variorum Pseudo-prophetarum, & de multiplicibus vitiis, quæ postremis temporibus grassari debebant, ut *Matth.* XXIV. 5, 24. *Luc.* XXI. 8. *Act.* XX. 28. 2 *Thess.* c. II. 1 *Tim.* IV. 1. 2 *Tim.* III. 1. 2 *Pet.* II. 1. & passim in libro Apocalypseos. Ex quibus aliisque multis similibus, quæ tum in Veteri Testamento tum in Novo occurrunt, irrefragabiliter probatur Deum futura contingentia certo prænosse.

IV. Excipitur hic à nonnullis, Deum peccata illa, quorum in locis modo allatis fit mentio, præscivisse, quia decreto suo constituerat ut fierent, nempe in aliorum antecedentium peccatorum pœnam; ipsum enim peccata interdum peccatis punire. Ad quod respondeo *primo*, Non videri consentaneum Dei Sanctitati, ut in antegressorum peccatorum pœnam alicui necessitatem imponat alia rursus admittendi: nec justitiæ, ut puniat peccata, quæ ipse effecit ut vitari nequi[illegible]t. *Secundo*, Nullibi etiam in Sacris Literis lo[illegible]s ist[illegible]phrasin, Deum peccata punire pecca[illegible] æquivalens. [illegible] quidem [illegible] *Gentiles* propter fœdam ipsorum ido[illegible]iam *tradidisse in desideria cordis sui, in immun[illegible], & in passiones ignominiæ, &c. ad Rom.* I. 24. [illegible]r inde factum, ut à Deo deserti, magis [illegible] in peccatis obdurati fuerint, & difficilius [illegible]it inde emergere quam ante istam tradi[illegible]. Sed non tamen idcirco inevitabiliter peccarunt. Nemo id facit nisi Deus ipsi mentem eripiat, ut olim Nebucadnezari. Quod admodum est rarum. Et quando istud contingit, non magis ille peccare potest, quam bruta, aut novam pœnam mereri. *Tertio*, Istam exceptionem locum non habere in peccatis quæ aliquot sæculis post eventura prædicuntur; qualium mentio fit in plerisque locis antea citatis. Neque enim Deus potuisset decernere, priora peccata posterioribus punire, nisi ista priora jam ante præscivisset. Atqui non præscivit ea in ejusmodi decreto. Prima enim peccata, quæ aliquis perpetrat, cum rationis compos esse incipit, antecedentium peccatorum pœna esse non possunt. Quare oportet ut Deus alia ratione ipsa præsciverit.

V. Excipitur etiam, prædictiones aliquas peccatorum esse potius monitiones, ut homines ab illis sibi caveant, quam denunciationes eventus necessario futuri, ut de Petro Christum abnegaturo. Quod negare nolo interdum verum esse. Sed omnibus non competere est certissimum. Excipitur denique, Deum prædicere peccata, quia novit quam proni ad ea sint homines: non quod certo & infallibiliter illa præsciat: ut de Judæis, *Deut.* XXXI. 16, 17. Sed hæc præscientia conjecturalis, & ex verisimilibus, Deo satis non est digna, & imperfectionem sapit. Si quæras, qua ratione Deus hæc futura contingentia, quæ tam esse quam non esse possunt, certo & infallibiliter cognoscat. Puto me non male, sed convenienter divinæ Majestati, responsurum, si dicam; Hæc ipsum ex Intellectus sui infinitate cognoscere, cui res creaturis incomprehensibiles, sunt captu facillimæ. Aliud Præscientiæ istius fundamentum frustra quæritur, nec potest à quoquam statui, quin se inextricabilibus difficultatibus involvat.

VI. Nunc videamus quomodo sententia nostra à quibusdam impugnetur. Afferunt primo varia Scripturæ loca, cum quibus dicunt præscientiam infallibilem futurorum contingentium conciliari non posse: ut *primo*, quod pœnituerit Deum creavisse hominem, *Genes.* VI. 6. & Saulem constituisse Regem, 1 *Samuël.* XV. 11. *Deinde* quod Deus dicat Abrahamo, *Nunc cognovi quod timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me*, *Genes.* XXII. 12. *Item*, quod etiamsi Deus jurasset se populum Israëlis introducturum in terram Canaan, postea tamen irritatus ipsorum incredulitate, id facere noluerit, *Num.* XIV. v. 22, 23. *Præterea*, quod *exspectaverit, ut vinea sua produceret uvas, & fecerit labruscas*, *Esa.* V. 4. *Denique* quod Deus aliquando peccatores serio hortetur, ut se ad ipsum convertant, qui tamen hortationes istas contemnunt. Non fit autem credibile Deum tantum operæ collocaturum, si certo frustra id fore præsciret.

VII. Respondeo *primo* in genere. Non videri mihi incommodam eorum solutionem, qui futurorum contingentium præscientiam in Deo quidem agnoscunt, sed eam tamen voluntatis ipsius arbitrio subjiciunt, ita ut illa præsciat quan-

quando vult, & non præsciat, quando non vult. Ratione enim nituntur admodum probabili: nempe, quia etsi præscientia Dei ab ejus decretis ita non pendeat, ut illa præscire non possit, quæ non decreverit ut fiant; tamen oporteat, ut in plerisque rebus præcedat aliquod decretum antequam certo sciri queat eas esse futuras: ex. gr. Deus nequivit certo & determinate scire, quomodo David administraturus esset regnum, antequam ipsum regem creare constituisset: aut quomodo Salomon usurus esset magnis suis divitiis, antequam ipsas ei largiri decrevisset. Verisimile autem est, decreta ista non admodum longo tempore exsecutionem ipsorum præcessisse. Nec propterea objici potest, scientiam Dei crescere & perfectiorem reddi, cum id cognoscit actu, quod antea non noverat nisi potentia. Eadem enim est quodammodo scientiæ Dei ratio, quæ visus aut auditus. Facultas autem nostra visiva & auditiva non crescit aut perfectior redditur, quando illa videmus vel audimus, à quibus antea oculos & aures avertebamus. Aliud igitur in Deo est sciendi vis, aliud cognitio actualis inde procedens: illa semper eadem manet absque variatione: hæc vero secundum objecta debet variari. Respondeo *secundo* in specie ad singula loca. 1. Pœnitentiam quæ Deo tribuitur esse figuratam, & nihil aliud per eam intelligi, nisi actiones Dei mutari cum objectis circa quæ exercentur. Quia homines non amplius tales erant, quales Deus fecerat ab initio, voluit diluvium mundo immittere; & quia Saul rebellis fuerat Dei mandato, statuit ipsum regno deturbare; quod alioqui non fecisset: & istud ἀνθρωποπαθῶς pœnitentia vocatur. 2. Id quod Deus dicit Abrahamo, *nunc cognovi, quod timeas Dominum*, &c. humano quoque more dictum est de cognitione experimentali, quam tum demum Deus habuit de Abrahami pietate, quando filium suum super altare offerre non dubitavit. Confer *Deut.* IV. 2. *ut affligeret te, & tentaret, ac cognosceret quæ in animo tuo versabantur, &c.* & XIII. 3. Nam antea cor ejus satis ipsi perspectum erat, cum dicebat, *Scio, quod Abrahamus præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam, Genes.* XVIII. 11. 3. Juramentum quod Deus fecerat Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, de danda ipsorum posteris terra Canaan in hæreditatem, non respexit speciatim illos, qui contumaces fuerunt in deserto, & in aliis salva juramenti istius veritate potuit impleri: licet non sit dubium quin Deus in ipsis impleturus fuisset, nisi ipsorum incredulitas & murmura obstitissent. 4. Exspectatio quæ Deo tribuitur, in parabola de vinea, est figurata, nihilque aliud ea significatur, nisi curam quam Deus gessit populi Judaïci, & multiplicia beneficia, quæ in ipsum contulit, eo tetendisse, ut bonorum operum fructus ederent, quod tamen non fecerunt. Ingratitudo autem & contumacia in populo isto locum habere non poterat, ac proinde neque à Deo prævideri, nisi cura illa & beneficia præcessissent. 5. Dico Deum serio ad pœnitentiam illos hortari, quos certo scit in rebellione sua perseveraturos: quia illi tantum sunt pervicaces, qui hortationes ad pœnitentiam contemserunt: proindeque illas adhiberi necesse fuit, ut contumaciæ rei haberi possent.

VIII. Rationes etiam quasdam adversus eam proferunt: quarum hæc palmaria est: Quæ non sunt certo scibilia, ea nequidem à Deo ipso sciri certo possunt, id enim contradictionem implicaret. At futura contingentia non sunt certo scibilia, Ergo &c. Et quia major evidentis est veritatis, minorem controversam ita confirmant. Quæ sunt in se incerta, illa non sunt certo scibilia: quia qualis est res aliqua, talis est quoque illius scientia. Sed futura contingentia in se sunt incerta. Ergo non sunt certo scibilia, seu certa atque infallibilis eorum non datur scientia. Ad hoc argumentum videbimus primum quomodo alii respondeant, deinde exponemus, quomodo ex nostra sententia sit solvendum. Nonnulli ergo concessa prosyllogismi majore, negant minorem, & dicunt futura contingentia in se esse certæ & determinatæ veritatis, ac proinde certo scibilia. Quod ita ostendunt. Hæc propositio, Judas prodet Dominum Jesum, vel non prodet, est vera & necessaria, quia inter ejus membra est oppositio immediata, & alterutrum illorum oportet esse verum. Sed Judas non potest utrumque facere, sive prodere & non prodere, quia hæc sunt contraria, quæ simul subsistere nequeunt: Ergo alterum tantum facturus est, nempe Dominum prodet. Itaque si quis Davidis tempore affirmasset, illud futurum esse quod Judas erat facturus, determinate vera fuisset illius affirmatio. Ad quod respondeo, talem affirmationem isto tempore, neque determinate futuram esse veram, neque falsam, quia esset de futuro contingenti, cujus non est determinata veritas, *Arist. lib.* 1. *de interpret. cap.* VIII. & *lib.* 2. *cap.* X. Sed quando Judas reipsa Dominum prodidit, quod facere poterat & non facere, affirmatio illa tempore Davidis facta verificata fuisset. Propositiones enim de futuro contingenti, non sunt magis determinate veræ, aut falsæ, quam res ipsæ determinate futuræ sint, vel non futuræ. Nam ex eo quod res sint futuræ, propositiones affirmantes sunt veræ, & negativæ sunt falsæ. Sed futura contingentia neque determinate sunt futura, neque determinate non futura; alioquin non essent contingentia, sed necessaria. Nec aliter se habet res Dei respectu, ideo quod ejus scientia errori non sit obnoxia. Nulla enim scientia, ne quidem divina, facit ut res sint futuræ, vel non futuræ. Quod præsertim locum habet in futuris contingentibus, quæ secundum ordinem à Deo constitutum contingenter fieri debent, id est, ita ut non fieri possint. Scientia igitur Dei non est causa determinatæ veritatis alterius propositionum contradicentium de futuro contingenti. Nam eatenus propositio aliqua de futu-

futuro contingenti, eſt vera vel falſa, quatenus res ipſa eſt futura vel non futura. Quare ſi ſcientia Dei non facit, ut res determinate ſit futura vel non futura, non facit etiam ut propoſitio de futuro contingenti ſit determinate vera vel falſa. Dices: Quod Deus vidit futurum non poteſt non fieri, adeoque determinate fiet; alias falli poſſet. Reſpondeo, Quod Deus vidit futurum re ipſa fiet; ſed ita tamen ut poſſit non fieri, quia eſt contingens. Deus enim videt res eo modo, quo ſunt futuræ, nempe neceſſarias, ut neceſſario futuras, & contingentes ut contingenter futuras; Si alio modo eas videret, id eſt, vel neceſſarias, ut contingenter futuras: vel contra contingenter futuras, ut neceſſarias, deciperetur, quia ſcientia objecto ſuo non reſponderet. Quare præcedenti Syllogiſmo aliter puto eſſe reſpondendum. Nempe hoc pacto. Rationem illam, quæ ad majoris confirmationem allata eſt, Qualis eſt res, talis eſt ejus ſcientia, non eſſe univerſaliter veram, ſed contra eam duas inſtantias adferri poſſe. *Prima* eſt, Rei malæ ſcientiam non ſemper eſſe malam, ſed aliquando valde bonam & utilem. Ita bonum eſt medicum noſſe venena, quæ ſunt res malæ, ut adverſus illa præparet antidota. Et Magiſtratum ſcelera quæ committuntur, ut illis obviam eat. Sic illa ſcientia qua Deus hominum peccata cognoſcit, eſt bona, & ab omni malitiæ ipſorum contagione ſejuncta. *Secunda* eſt, Rei neceſſariæ ſcentiam, non ſemper eſſe neceſſariam, ſed plerumque contingentem, ut apparet in Phyſica & Aſtronomia, quarum veritates quantumvis neceſſariæ à multis ignorantur. Imo Deum qui eſt ens ſumme neceſſarium multi eſſe dubitant, tantum abeſt ut illum neceſſario cognoſcant. Propoſitio igitur illa non eſt admittenda, niſi commode explicetur & limitetur: hoc modo: ſcientiam rerum, quæ ſciuntur, naturæ earum debere eſſe accommodatam, ſeu illas ita cognoſcere ut revera ſe habent. Ita res bonas, ſcire oportet eſſe bonas, malas vero eſſe malas. Item res neceſſarias oportet ſcire eſſe neceſſarias, contingentes vero eſſe contingentes. Si quis enim eas ſe contrario modo cognoſcere putaret, non cognoſceret vere, ſed erraret. Ad minorem, quæ eſt, futura contingentia in ſe ipſis ſunt incerta, reſpondeo, ambiguis & impropriis terminis illam eſſe enunciatam. Res enim circa quas ſcientia verſatur, in ſeipſis neque ſunt certæ, neque incertæ, ſed tantum ſunt neceſſariæ aut contingentes. Sed quia voces iſtæ vulgo inter ſe confunduntur, & certum pro neceſſario, incertum vero pro contingenti accipitur, dico, minorem illam eſſe identicam & nugatoriam ita intellectam, utpote quæ æquipolleat huic enunciationi, futura contingentia ſunt contingentia. Quare ut iſta res melius intelligatur, animadvertendum eſt, certitudinem & incertitudinem, non eſſe rerum cognoſcendarum affectiones, ſed intellectus cognoſcentis, qui circa illas diverſimode ſe habet, & aliquando certo, aliquando incerto illas cognoſcit & apprehendit. Imo una eademque res, abſque ulla prorſus ſui mutatione, certa & incerta ſimul eſſe poteſt: certa quidem illi, qui eam recte novit, incerta vero illi qui ignorat aut de ea dubitat. Ita una eademque futura Solis aut Lunæ Eclipſis certa erit Aſtronomo perito, incerta vero Aſtronomiæ ignaris. Sed idem de rerum neceſſitate, aut contingentia dici non debet. Neque noſtra cognitio, neque ignorantia, earum naturam vel minimum mutat. Manent perpetuo quales ſunt; nempe neceſſariæ non poſſunt non eſſe, & contingentes poſſunt eſſe & non eſſe; ſive id noverimus, ſive ignoremus.

CAPUT VII.

De Scientia Dei Media, ſive Conditionata.

I. De triplici diviſione ſcientiæ divinæ juxta Scholaſticos. II. Scientiam conditionatam Deo competere. III. Fatum Stoicum hac opinione non introduci. IV. Tolerabiliorem eſſe opinionem illorum qui Præſcientiam negant, quam qui contingentiam tollunt.

I. SEd ut hæc futurorum contingentium Præſcientia melius adhuc intelligatur, obſervare oportet, Scholaſticos duplicem Dei ſcientiam facere, unam ſimplicis intelligentiæ, alteram viſionis. *Scientia ſimplicis intelligentiæ* illis eſt, qua Deus ſe ipſum & omnia poſſibilia, etiamſi nunquam actu ſint futura, cognoſcit. *Scientia* vero *viſionis* eſt, qua Deus novit ea omnia, quæ decrevit facere aut permittere ut fiant, & ſic revera futura ſunt. Illam eſſe neceſſariam dicunt, hanc autem liberam, utpote eorum quæ à libero Dei decreto pendent. Sed præter has duas ſcientiæ ſpecies, alii addunt tertiam, nempe *ſcientiam conditionatam*, qua Deus ante omne decretum ſactum novit, quid creaturæ liberæ, ut Angeli & homines, facturi eſſent, ſi in hoc vel illo ſtatu, & cum his vel illis circumſtantiis, ponerentur, eaſque facultatibus à ſe tributis uti ſineret. Vulgoque eam vocant *mediam*, quia affinitatem habet partim cum neceſſaria, partim cum libera, & medium veluti locum inter utramque obtinet. Talis eſt qua Deus ſcivit, etiam ante decretum de condendo Adamo, ſi ipſum talem crearet, legem poneret, tentari à Diabolo ſineret, aliaque ejuſmodi, eum in peccatum lapſurum. Si quis tamen admittere nollet, ſcientiam conditionatam eſſe ſpecie diſtinctam à duabus prioribus, cum eo nollem de voce litigare, modo de re ipſa conſtaret. Nec illibenter concederem ſcientiam conditionatam ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ comprehendi poſſe, quatenus circa ſola poſſibilia verſatur, quæ Deus hac aut illa conditione poſita, extitura eſſe novit.

II. De hac ſcientia magna eſt inter Theologos controverſia, aliis eam admittentibus, aliis vero rejicientibus. Nos primis accedimus; quia varia ejus in Scripturis exempla exſtant. *Primum* occurrit 1 *Sam.* XXIII. 9. &c. ubi narratur quomodo

modo David versans in urbe Ceïla, quam è manu Philistæorum liberaverat, audivit Saulem cum exercitu adventare ad se capiendum, & quæsivit ex Deo per Sacerdotem Abiathar, utrum Saul eo esset venturus, & viri Ceïlæ ipsum in ejus manus traditurі; Deus vero responderit, & *Saulem venturum & Ceilenses Davidem ipsi tradituros*. Hic apparet nullum antecessisse Dei decretum, ut David traderetur, quia id non contigit, ipso inde ad vitam salvandum fugiente. *Secundum* exemplum huic persimile reperitur *Jerem.* XXXVIII. 19. &c. ubi cum Jeremias suasisset Regi Sedeciæ, ut exiret ad principes regis Babylonis, si vellet vitam suam conservare, & impedire ne Hierosolyma incenderetur: & respondisset Sedecias, se sollicitum esse propter Judæos, qui ad Chaldæos transfugerant, ne traderetur in manus eorum, & illuderent ipsi: subjecit Jeremias, *Non tradent te, audi, quæso, vocem Domini*. Hic rursus prædicuntur res libere eventuræ, si hæc vel illa conditio poneretur; quæ tamen posita non fuit, Sedecia salutare sibi & toti populo consilium respuente. *Tertium* habemus *Ezech.* III. 6. ubi Deus dicit Prophetæ, *Non mitteris ad populos ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones; &, si ad illos mittereris, ipsi audirent te*. Cui affine est *quartum*, *Matth.* XI. 21. ubi Dominus Jesus dicit; *Væ tibi Corazin, Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. In quibus etiam agitur de rebus, quæ non contigerunt, sed revera contigissent, positis conditionibus, sub quibus prædicuntur. Ratio etiam suadet, ut ejusmodi scientia conditionata seu Media Deo tribuatur. Nam si postquam Deus decrevit hominem in hoc vel illo statu, cum his vel illis circumstantiis ponere, præscit quid homo, pro sibi concessa libertate facturus vel non facturus sit, quid ni etiam idem conditionate ante suum decretum sciret, cum una eademque utriusque scientiæ sit ratio, & ejusmodi decretum hominis libertatem non tollat, sed eam potius ut executioni mandari possit requirat? v. gr. si Deus novit fore ut Petrus tentatione, quam decrevit, objecta, Dominum Jesum abneget; similiter etiam præscivit, ante decretum tale factum, id eventurum, si Petrus in isto statu & periculo collocaretur.

III. Unum tantum est quod cum aliqua veri specie huic sententiæ objiciatur, nimirum; Si Deus futura contingentia præscit conditionate, ante ullum decretum de ipsorum futuritione factum, idque quia illa ab æterno in se certa seu determinate vera sunt, dabitur fatum Stoicum, cui Deus ipse erit alligatus. Id vero non tantum est impium, sed & illorum, qui talem scientiam Deo tribuunt, menti directe contrarium. Sed jam ante huic objectioni ivimus obviam, cum docuimus futura contingentia non esse in se certa, aut determinate vera; sed tantum certa Deo ob scientiæ suæ infinitatem, qua novit illa quæ in utramque partem sunt vertibilia, huc potius quam illuc inclinatura. Objicitur etiam nihil omnino posse fieri, nisi ad quod Deus immediate concurrat; alioqui illud esset à Deo independens. Absurdum ergo & contradictorium esse, existimare ipsum actionem aliquam conditionate præscire, ad quam concurrere non decreverit. Sed talem Dei concursum non putamus esse necessarium ut aliquid fiat vel existat, & sufficere ut creaturis facultates ad agendum necessarias largiatur & conservet, quemadmodum in tractatu de ejus Providentia pluribus ostensuri sumus.

IV. Si cui ea, quæ huc usque à nobis, in re sane perardua, disputata sunt, necdum ita in omnibus probantur, ut sententiæ nostræ calculum suum adjicere audeat; is apud animum suum perpendat oportet, quænam ex superioribus à nobis rejectis, supremi Numinis gloriæ minus deroget. Non dubitabo hic asserere, minus illum in Deum esse injurium, qui futurorum contingentium Præscientiam ipsi prorsus adimit; quam qui statuit Deum, ut illa certo præscire possit, in alterutram partem decreto suo prius determinare. Is enim qui idcirco futurorum contingentium Præscientiam Deo detrahit, quia id contradictionem involvere putat, etiamsi forte in judicio erret, existimans illa esse contradictoria, quæ revera non sunt; non tamen adeo graviter in Deum peccat atque ille, qui, ut Deus omnia scelera præscire infallibiliter possit, ipsum autorem eorum facit. Præstaret enim, mea quidem sententia, si alterutrum incommodum evitari nequiret, aliquid scientiæ divinæ detrahere, quod ei competit, quam eum pravum & mali causam facere. Sed præterea nihil omnino hac opinione perfectioni scientiæ divinæ detraheretur, si constaret futura contingentia, ut utrique statuunt, non esse scibilia. Quemadmodum enim Omnipotentiæ divinæ nulla fit injuria, si dicatur, eam ad contradictoria usque non extendi; ita neque Omniscientiæ, removendo ab illa, quæ certo sciri propter incertitudinem suam nequeunt. Adde, quod ad Deum colendum, & ei toto corde fidendum, nihil adjuvet credere, ipsum futura contingentia, quæ nihil adhuc sunt, certo & infallibiliter præscire; sufficiatque ei scientiam rerum supra *capite* VI. memoratarum tribuere, de quibus nulla est inter Christianos controversia.

CAPUT VIII.

De Modo Scientiæ divinæ, & Dei Sapientia.

I. *Quo ordine Deus objecta scientiæ simplicis intelligentiæ cognoscat.* II. *Item objecta scientiæ visionis, & mediæ.* III. *Scientiæ divinæ rationem esse incomprehensibilem.* IV. *Scientiam divinam nequaquam rerum causam esse.* V. *Tribui Deo Sapientiam in Scripturis, & opera ejus de eo testari.* VI. *Varii usus doctrinæ superioris.*

I. RES nunc postulat, ut de Scientiæ divinæ *Modo* agamus; is duo comprehendit: primo *Ordinem* quo Deus res o-

mnes novit, deinde *Rationem* qua eas novit. *Ordo* quo Deus res novit, considerandus est distincte secundum tres ante expositas scientiæ species, nempe simplicis intelligentiæ, visionis, & conditionatam. Quod ad scientiam simplicis intelligentiæ, objecta ejus aut aliquam habent inter se naturalem & necessariam connexionem, per quam alia ab aliis pendere debent, aut non habent. Quæ primi sunt generis, Deus hoc ordine cognoscit, ut prius illud mente apprehendat, à quo alterum pendet, posterius vero id quod sic ab altero pendet. Nam omnis vera scientia, rebus quæ sciuntur debet esse accommodata. Ita Deus prius cognoscit causam quam effectum; patrem quam filium; subjectum quam accidens, quod ipsi inhæret; objectum, quam actionem quæ circa ipsum versatur; legem, quam obedientiam quæ ipsi exhibetur, aut contumaciam qua violatur. Et sic de cæteris. Secundi generis objecta cum nullum inter se habeant ordinem, neque etiam Deus unum prius aut posterius altero concipere videtur. Talia sunt vel substantiæ, ut lignum, lapis, aurum, equus, bos, homo: vel earum adjuncta, seu actiones & passiones; ut quæ multi homines, nullam inter se conjunctionem aut dependentiam habentes, eodem tempore faciunt vel patiuntur. Nulla enim fingi potest ratio cur Deus unum istorum prius aut posterius altero cognoscere deberet.

II. Objecta vero scientiæ, quæ visionis dicitur, Deus isto ordine cognoscit, quo secundum suam liberrimam voluntatem decrevit ea facere, vel permittere ut fiant. Itaque illic non attendit ad connexionem & dependentiam naturalem quam res inter se habent; sed tantum ad eam quam ex libera sua voluntate habebunt, qua potest constituere ut rerum toto genere diversarum una ab altera pendeat, v. gr. à fide in Christum, vita æterna; ab incredulitate, mors. Objecta denique scientiæ conditionatæ eodem ordine cognoscit Deus, quo duarum præcedentium specierum inter quæ est media; ita ut quod de illis dictum est, his quoque applicari possit.

III. De *Ratione* Scientiæ divinæ multa disputantur. Sed non putamus in iis nobis esse immorandum. Nam est incomprehensibilis; & hic, si uspiam alibi, meminisse oportet admonitionis Apostolicæ, *ut sapiamus ad sobrietatem*, *Rom.* XII. 3. Ad quam illi non videntur attendere, qui non capientes quomodo Deus futura contingentia præscire possit, aut scientiam istam ei detrahunt, aut (quod eodem redit) contingentiam è rebus humanis tollunt, dicentes Deum ut omnia infallibiliter præscire possit, decreto suo illa determinasse. Sufficit à Scientia Dei omnem illam imperfectionem removere, quæ in creaturarum scientia invenitur. Quare nec labore nec temporis mora opus ipsi est ad rerum indagationem; imo neque operosa ulla ratiocinatione, qua ex notis ignota colligat. Non tamen videtur Deus omnia simul & semel unico actu cognoscere; quia alias non sequeretur illum ordinem, quem ostendimus, rerum naturam exigere.

IV. Sed quicunque tandem scientiæ divinæ modus statuatur, cavendum est ne eam rerum causam faciamus. Nam cum Deus non tantum bona, sed etiam mala cognoscat, utrorumque esset æque auctor, si scientia ejus esset effectiva. Potest tamen vocari causa exemplaris rerum quas ipse facit, quatenus ad ideam mente sua conceptam eas efformat. Sed quod ad alias omnes attinet, visionis est instar, quæ objectum circa quod versetur necessario præsupponit. Itaque res non ideo sunt aut fiunt quia Deus eas cognoscit: Sed contra Deus eas cognoscit, quia sunt, aut futuræ sunt; non cogniturus, si nunquam exstituræ essent, cum non ens scientiæ objectum esse nequeat.

V. Et hæc de intellectu Dei theoretico seu Scientia; sequitur practicus, qui vulgo *Sapientia* vocatur. Ea est qua Deus quid sibi faciendum aut omittendum sit novit, item quales creaturas facere & quomodo erga illas se gerere ipsum deceat. Talem Deo sapientiam competere ratio evidens docet. Participes enim ejus fecit nobiliores ex suis creaturis, ut Angelos & homines. Nemo autem alteri dare potest, id quod ipse non habet. Scriptura quoque diversis in locis suffragatur, ubi Deus non solum vocatur Sapiens, sed etiam *solus sapiens*, ut *Rom.* XVI. 26. 1 *Tim.* I. 17. *Jud. versu ultimo.* non quod alii non sint etiam aliquo modo sapientes; sed quia ipse solus à se est sapiens, & omnis sapientiæ quæ in creaturis reperitur fons & largitor. Quod ostendit exemplum Salomonis, cui Deus dedit cor sapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante ipsum similis ei fuerit, nec post surrexerit, aut surrecturus sit, 1 *Reg.* III. Eoque respexit Daniel cum dixit, *Dei esse sapientiam, & eum dare sapientiam sapientibus*, *Dan.* II. 20, 21. qui ipse etiam mire sapiens fuit, *Ezech.* XXVIII. 3. Hujus sapientiæ divinæ eximium habemus encomium *Prov.* VIII. & IX. totis: ubi per prosopopœiam varia ejus effecta enumerantur. *Per me*, inquit ipsa, *reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Dominus possedit me in initio viarum suarum, &c.* Et revera ea cernitur in omnibus Dei operibus, tum creationis, tum providentiæ, quæ nemo considerat cum judicio, quin totus in admirationem eorum rapiatur. Quo spectat illud, *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, *Sapient.* XI. 21. Deus enim per Sapientiam suam constituit quot & quam diversas creaturas condere, quibus facultatibus singulas earum species donare, & quomodo gubernare vellet. Quod speciatim in homine apparet, cujus corpus affabre elaboravit, animam ratione & libero arbitrio donavit, ut esset tam virtutis & obedientiæ, quam vitii & inobedientiæ capax. Sed præcipue in varia Gratiæ Euangelicæ distributione; in qua *multiformis illa Dei sapientia* elucet, de qua Paulus loquitur *Ephes.* III. 10. & propter quam in hanc exclamationem erumpit; *O altitudo divitiarum sapien-*

pientia & scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus, &c. Rom. XI. 33.

VI. Usus doctrinæ de Scientia & Sapientia Dei sunt multiplices. 1. Ut cum timore & tremore coram Deo ambulemus, ut quem nihil eorum lateat, quæ facimus, aut dicimus, aut etiam cogitamus. 2. Ut admirabilem ejus sapientiam, quam passim spectandam exhibet, corde agnoscamus, & ore celebremus. 3. Ut legibus quas Deus ex sapientia sua tulit nos libenter subjiciamus. 4. Ut judicia Dei cum humilitate adoremus. 5. Ut nunquam adversus gubernationem Dei, quasi minus æqua aut sapiens esset, murmuremus.

CAPUT IX.

De Voluntate Dei.

I. *Deo Voluntatem competere: Et quid ea sit.* II. *Objectum ejus esse verum bonum, nunquam malum.* III. *Eam esse liberrimam.* IV. *Dei decreta, Dei essentiam non esse.* V. *Deum illis quæ vult delectari.* VI. *Voluntatem Dei dividi in antecedentem & consequentem.* VII. *Et in voluntatem signi & beneplaciti.* VIII. *In Deo non sunt contraria voluntates.* IX. *Mandata Dei voluntatem ejus proprie continere.* X. *Usus præcedentis doctrinæ.*

I. INtellectum Dei sequitur ejusdem *Voluntas*, quæ alterum est vitæ divinæ, prout illas concipimus, attributum: nam si rem ipsam spectes, voluntas non differt ab intellectu, ne quidem in homine; recte enim Jul. Cæsar Scaliger, *exerc.* 307. *voluntas est intellectus extensus, ad habendum vel faciendum quod cognoscit*; adde, *& ad aversandum, atque fugiendum id, quod ut malum apprehendit*: multo igitur magis in Deo, cujus omnia attributa nihil aliud esse videntur, nisi unica perfectio, secundum objecta circa quæ versatur, distincta. Voluntas autem Dei tribus modis considerari potest & solet. 1. enim significat volendi facultatem. 2. volendi actum. 3. res (ut ita dicam) volitas. Primæ significationis exemplum non memini me legisse in Scriptura: quin tamen Deo competat, non est dubium: cum actus absque facultate, unde proficiscatur, esse nequeat. *Secunda* passim occurrunt, ut, *Dignus es Domine qui accipias gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter Voluntatem tuam sunt, & creata sunt, Apoc.* IV. 11. *Tertia* est omnium frequentissima: ut cum Christus dicit, *Descendi de cælo, non ut faciam Voluntatem meam, sed ejus qui misit me, &c. Joh.* VI. 38, 39, 40. Sed de ista in genere solum hic est agendum, specialis enim tractatio pertinet ad loca de operibus & mandatis divinis.

II. Voluntatis Dei considerandum est primo Objectum, deinde Modus, denique variæ species seu distinctiones. *Objectum* voluntatis Dei, est bonum solummodo. Bonum enim est quod omnia appetunt, ut docet Aristoteles initio Ethices ad Nicomachum. In malo autem nihil est appetibile, adeo ut creaturæ, licet corruptissimæ, malum, quatenus est malum, nunquam appetant. Sed cum bonum vulgo distinguatur in verum seu proprie dictum, & apparens, quod externa boni specie fallit: illud est voluntatis Dei objectum, non hoc: Cum ipsi nihil apparere possit bonum, nisi quod revera est tale. Malum itaque Deus neque vult neque velle potest; intellige etiam verum malum, quod est culpæ, non improprie ita vocatum, seu pœnæ aut afflictionis; quod cum bonum esse possit, si juste infligatur, nihil prohibet, quin Deus id aliquando velle possit. De primo testatur David, *Non Deus volens iniquitatem tu es, Psalm.* v. 5. De secundo Amos, *Non est malum in civitate quod Dominus non fecerit, cap.* III. 6. Cum autem dicimus bonum esse objectum voluntatis Dei, ita accipiendum est, Deum solummodo id velle & persequi quod est bonum, atque ex opposito id nolle & aversari quod est malum; Quod tamen ad eandem volendi facultatem pertinet, quæ circa contraria versatur, licet à digniori fiat denominatio. Noluntas enim (ut ita dicam) est etiam voluntas; quia nolle aliquid, est idem atque velle ut non eveniat.

III. *Modus* divinæ voluntatis est quod sit liberrima: aliter concipi nequit voluntas, ne quidem in creaturis, quæ si non sit libera, voluntas esse desinit, & coactio aut necessitas vocari debet. Magnum tamen est discrimen inter libertatem voluntatis divinæ & humanæ: nam voluntas humana ideo dicitur libera, quod tam ad bonum quam ad malum natura sua sit indifferens: prout status ejus requirit, quamdiu legi, promissis & minis sancitæ, est subjecta. Divinæ vero voluntatis libertas semper intra boni sphæram continetur; & in eo consistit, quod ex diversi generis bonis unum possit eligere, aliud vero repudiare. Deo talem libertatem competere id evincit, quod est sapientissimus. Sapientis enim est, sibi finem optimum proponere, & inter media quæ ad eum ducunt, aptissima amplecti, quod absque voluntatis libertate fieri nequit. Cui adde, quod Deus non modo sponte agit quicquid agit, utpote ab alio superiore independens; sed etiam liberrimam habet extra se agendi aut non agendi, seu hoc potius quam illud agendi, potestatem. Id perfectio naturæ ejus requirit; qua privari nequit quin infra Angelos & homines abjiciatur.

IV. Erravit ergo graviter Aristoteles, qui Deum omnia ex naturæ necessitate facere existimavit. Cum quo consentiunt omnes illi qui, volitiones Dei seu decreta ipsam Dei essentiam esse docent. Nam essentia Dei plane est necessaria, omnisque contingentiæ expers: Quod si talis quoque est ejus voluntas, frustra colimus ipsum & petimus ut bona nobis largiatur, mala avertat; imo nulla arbitrii libertate præditi sumus, qua virtutem sectemur, aut vitium fugiamus. Nam quod Deus

non

non habet, aliis dare nequivit. Unde patet voluntatem Dei non esse perinde immutabilem, ut est ejus essentia. Nam objectis, circa quæ voluntas Dei versatur, mutatis, ipsa quoque mutatur; & non tantum diversa, sed etiam contraria vult iis quæ ante volebat. Sic v. gr. Saulem & Salomonem pios Deus amavit, & ipsis bene fecit: sed cum à pietate defecerunt, Deus ipsos odit, & severe punivit: quod tamen constantiæ ejus nullatenus adversatur. Deus enim semel apud se constituit, ut quandocunque talis mutatio in creaturis eveniret, ipse quoque suum erga eas agendi modum mutaret; qua de re eximium habemus testimonium *Jerem.* XVIII. 7, 8, 9, 10. *Repente loquar adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Et subito loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam: pœnitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei.*

V. Ad Modum quoque divinæ voluntatis pertinet, quod Deus iis quæ vult, ut obedientia mandatorum suorum, delectatur; iis vero quæ non vult, ut contumacia, offenditur; sine ulla tamen perfectæ beatitudinis imminutione. Item quod ex iis quæ vult, quædam impensius velit quam alia. Ita *Deus vult* quidem *omnes homines salvari, & ad agnitionem veritatis venire*, 1 *Tim.* II. 4. sed id magis vult de illis ad quos Euangelii præcones mittit, quam quibus suum Euangelium non revelat. Item magis delectatur benefacere hominibus, quam eos affligere & punire.

VI. Voluntas Dei in varias species distingui solet, ut *Absolutam* & *Conditionatam*; *Antecedentem* & *Consequentem*; *Signi* & *Beneplaciti*, &c. Sed nos, prima, in disputationem de decretis, ubi magis quadrat, rejecta, de duabus posterioribus tantum nunc agemus. *Voluntas Antecedens* dicitur, qua Deus vult aliquid creaturæ rationali, ut homini, ante omnem, aut saltem quempiam peculiarem ejus actum, proinde ad quod volendum nulla re quæ sit extra se movetur. *Consequens* vero illa est, qua Deus vult aliquid homini, post aliquem illius actum aut multos, unde volendi occasionem sumit. Ita Deus voluntate antecedente volebat sacerdotium in familia Heli & regnum in familia Saulis conservare in sæculum; voluntate vero consequente eorum contumaciam, voluit illum à sacerdotio, hunc à regno removere, 1 *Sam.* II. v. 30. & XIII. 13, 14. Similiter Christus voluntate antecedente Judæos voluit congregare ut gallina pullos sub alas; consequente vero, voluit illos per omnes terrarum orbis regiones dispergere, *Matth.* XXIII. 37, 38. Item *Deus vult* voluntate antecedente *omnes homines salvari, &c.* 1 *ad Tim.* II. 4. Consequente vero solos fideles vult salvare, infideles contra in æternam perditionem abjicere, secundum B. Joannis dictum, *qui credit in Filium habet vitam æternam; qui vero rebellis est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet supra ipsum*, *Joan.* III. 36. Ubi tamen in priore loco 1 *ad Tim.* II. quidam per istud *velle*, quod Paulus Deo tribuit, intelligi malunt affectum, seu desiderium quod *velleitatem* vocant, quam voluntatis propositum: Quibus nolim admodum refragari; licet actiones, quibus Deus omnium hominum salutem promovet, Euangelii præcones ad eos mittendo, & alia ejusmodi conversionis media subministrando, significant aliquid amplius, quam nudam velleitatem, quæ intra animum solum consistit. Sed præterea hæc voluntatis distinctio, in Dei natura fundamentum habet. Nam cum Deus sit optimus, non potest quin voluntate antecedente omnibus hominibus benefacere velit, & eos salutis æternæ reddere participes, quatenus considerat ut suas creaturas, ad imaginem suam factas: Sed quia justus est & peccatum odit, inde fit ut voluntate consequente, incredulos damnare velit, quos nón amplius considerat ut simpliciter suas creaturas, sed ut contumaces & ira dignos.

VII. *Voluntas Signi* dicitur, cum Deus verbo suo significat quid velit aut nolit ab hominibus fieri, & mandatis ejus continetur; *Beneplaciti* vero, qua Deus apud se premit & occultat id quod vult facere: qualis est v. gr. de extremi judicii die, *Matth.* XXIV. 36. Utriusque simul meminit Moses, dicens: *Abscondita Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis & filiis nostris in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus*, *Deut.* XXIX. 29. Isto sensu distinctionem hanc usurpare nihil vetat: licet fatendum sit, *voluntatem Dei arcanam* valde improprie *Beneplaciti voluntatem* appellari, quasi semper versetur circa res magis placentes Deo, quam ea quæ Signi dicitur. Non minus enim accepta sunt ipsi quæ in verbo suo mandat aut promittit, quam quæ in arcano pectoris (ut ita dicam) clausa servat: adeo ut Paulus voluntatem illam quæ præceptis comprehenditur, vocet *Dei bonam voluntatem, & beneplacentem & perfectam*, *Rom.* XII. 2. Et id *quod beneplacitum est Deo*, *Ephes.* V. 10. Quod de voluntate arcana usurpatum vix usquam reperietur: etsi quin ea quoque Deo placeat nullum sit dubium.

VIII. Sed ista ἀκυρολογία est tolerabilis, præ illorum opinione, qui docent Deum *voluntate Signi* interdum id velle, quod *voluntate Beneplaciti* non vult, aut contra: v. gr. Deum voluntate Signi velle omnes homines salvari, sed Beneplaciti maximam illorum partem reprobari. Item Deum velle voluntate Signi, ut omnes quibus proponuntur sua mandata, illis pareant: sed Beneplaciti, ut plures sint contumaces. Sic enim contrariæ ipsi tribuuntur voluntates, & quæ se mutuo evertunt: ne jam dicam signum istud esse fallax, quod non tantum aliud, sed etiam plane contrarium ei quod in corde latet significat; & Deum tali assertione mendacii & hypocriseos argui, qui simulet se velle bonum, cum tamen potius malum velit. Voluntas enim Signi, quæ circa bonum tantum versatur, raro impletur, sed voluntas Beneplaciti

placiti, quæ aliquando circa malum versatur, semper. Atqui, inquiunt, distinctionis hujus exempla aliquot habemus in Scriptura. Nam Deus voluntate Signi voluit ut Abrahamus ipsi filium suum Isaacum in holocaustum offerret, sed voluntate Beneplaciti id noluit, *Gen.* XXII. Item voluit voluntate Signi ut Pharao populum Israëliticum dimitteret: voluntate vero Beneplaciti id noluit, sed ut Pharao cor obduraret adversus mandatum suum & occasionem sibi daret ipsum variis plagis affectum tandem è medio tollendi, *Exod.* IV. 19. &c. & VII. 3, 4. Sed respondeo ad prius exemplum, Mosem id diserte vocare *Tentationem*; *Et accidit post hæc ut Deus tentaret Abrahamum.* Tentationis autem ea est natura, ut ad eliciendum id quod in alterius corde absconditum est, dissimulatione utatur, & petat aut præcipiat aliquid quod executioni mandari non cupit. Ut si ad explorandam amici fidem & benevolentiam petam, ut mutuo mihi det magnam pecuniæ summam, aut me in arduo & periculoso negotio adjuvet, etsi ejus ope aut pecunia non indigeam. Quamvis autem Deus apud se statuisset, Isaaci occisionem impedire, nihilominus ipsi placuit ut Abrahamus eousque in proposito filium immolandi progrederetur, ut isti oblationi nihil præter actum extremum deesset, & eatenus serio voluit id quod præceperat. Sed dissimilis plane est cæterorum mandatorum Dei ratio: nec ideo quod ab improbis non observentur, pro tentationibus tantum sunt habenda. Per Deum enim non stat quo minus id faciant, & nunquam, ut Abrahamum, eos ab opere retrahit, & summopere ei placeret si omnes obtemperarent: contra quam in Abrahami oblatione accidit, quam Deus ad exitum perduci noluit. Ad alterum exemplum dico, Deum vere & serio voluisse ut Pharao Israëlitas liberos abire sineret, prout etiam tandem fecit: & ipsi procul dubio valde gratum fuisset, si mandato suo statim paruisset: verum quia malitiam cordis ejus perspectam habebat, dixit se illum induraturum, adeo ut non nisi multis plagis adactus Israëlitas dimitteret: sed induratio ista non effecit ut Pharao parêre Deo non posset, nam ea etiam Pharaoni, tanquam à propria & voluntaria ejus malitia profecta tribuitur, *Exod.* VII. 13, 22. *&* VIII. 15, 19. & quibusdam Dei actionibus est facta, quæ emolliendo potius ejus cordi, quam indurando inservire potuissent, nisi desperate improbus fuisset. Occasionem enim sumebat ex levitate plagarum & brevi earum duratione, se magis ac magis adversus Dei jussum obfirmandi, *Exod.* VIII. 30, 31, 32. & IX. *v.* 34, 35. & X. 18, 19, 20. Et postea nulla nova Dei gratia adjutus, sed primogenitorum cæde territus, populum Israëliticum non tantum abire sivit, sed etiam expulit, *Exod.* XII. 30. *& seqq.*

IX. Falluntur itaque illi, qui existimant, vere & proprie dictam Dei voluntatem, præceptis ejus non contineri, sed tantum decretis, quæ rerum eventu patefiant. Nihil enim crebrius est in sacris literis, quam voluntatis Dei nomine mandata ejus intelligere: vide inter alia *Matth.* VII. 21. & XII. 50. *Joan.* VI. 38, 39, 40. & VII. 17. & IX. *v.* 31. *Act.* XIII. 22. *Rom.* II. 18. & XII. 2. 1 *Thess.* IV. 3. *Heb.* X. 36. 1 *Joan.* II. 17. Nec ideo sequitur hanc non esse veram Dei voluntatem, quia non semper impletur. Ea enim est omnium legum, quæ creaturis libero arbitrio præditis feruntur, natura, ut sæpe violentur. Nec aliter ea velle potest Deus, quæ cum præmii promisso jubet, aut pœnæ comminatione prohibet, quin aliquando contingat ut non fiant. Nam si absolute vellet fieri, non adhiberet promissa & minas, sed potentiam insuperabilem. Præterea admissa opinione ista, sequetur 1. Nos, quibus decreta Dei non sunt patefacta, nunquam de vera Dei voluntate certos esse posse, ut eam faciamus. 2. Eos qui Dei mandata transgrediuntur, contra veram Dei voluntatem non peccare. 3. Multos qui veram Dei voluntatem faciunt, cum sceleribus se polluunt, in æternum perituros: quæ palpabilia sunt absurda & omnem pietatem evertere nata.

X. Usus doctrinæ de voluntate Dei sunt varii. 1. Ut gratias ipsi agamus pro beneficiis quæ in nos ex libera sua voluntate contulit, licet ea minime simus meriti. 2. Ut in sapienti Dei voluntate, cum de ea nobis constat, semper acquiescamus, quamvis rationes quibus nititur comprehendere non possimus. 3. Ut mandatis Dei, quibus justissimam voluntatem suam declaravit, totis animi & corporis viribus pareamus, scientes unicam hanc esse viam, qua ad salutem æternam perveniamus. 4. Ut si Deo afflictionibus explorare nos libeat, patienter feramus, nec unquam adversus ipsum murmuremus, sed dicamus in omnibus, *Fiat Dei voluntas, Actor.* XXI. 14.

CAPUT X.

De Affectibus Dei in genere, & speciatim de ejus Amore.

I. *Quo sensu affectus Deo tribuantur.* II. *Quid sit Amor Dei, & quæ ejus objecta.* III. *Quæ sint illius species.*

I. ET hæc de voluntate Dei in genere. Nunc ut specialius illam consideremus, de duobus in ea attributorum generibus agendum est, quorum unum affine est humanis affectibus, ideoque iisdem nominibus in Scriptura solet designari; alterum est instar virtutum moralium, quæ affectibus præsunt, eosque moderantur. Quod ad primum attinet; cum Deo tribuuntur affectus humani, à duobus extremis est cavendum, tum ne Deum nobis similiorem quam revera est, tum ne dissimiliorem existimemus. Similiorem faciunt, qui Deo illa, quæ humanam imperfectionem sapiunt, adscribere non verentur; quales erant Ethnici, qui Deos suos instar hominum, amoris, iræ, odii affectibus corripi credebant. Dissimiliorem vero, qui ne in ejusmodi absurdum incidant, ita describunt affectus qui Deo tribuuntur, ut cum nostris nul-

lam plane habeant affinitatem, & ratio nequeat reddi cur communem inter se sortita sint appellationem. ex. gr. quare Deus dicat, *Conturbata sunt viscera mea super eum* (Ephraim) *Jer.* XXXI. 20. *Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea*, *Hos.* XI. 8. quæ Θεοπρεπῶς quidem sunt intelligenda; sed ita tamen, ut aliquid sit in Deo, quod talibus locutionibus vere respondeat. Mediam ergo viam, quæ tutissima est, quantum in nobis erit, insistemus, ne dum Charybdim evitare volumus, in Scyllam imprudentes incidamus.

II. Inter illa Attributa divina, quæ in S. litteris affectuum nomine veniunt, *Amor & Odium*, & quæ cum illis magnam affinitatem habent, *Gratia* & *Misericordia* ab una parte, & *Ira* ab altera, nullo repugnante, familiam ducunt. Ut ergo à Dei Amore incipiam, cum is duobus modis in S. Scriptura accipiatur, videlicet active, quatenus à Deo proficiscitur; & passive, quatenus in Deum tendit; in priori tantum significatu est hujus loci: in posteriore, ad alteram Theologiæ partem pertinet, quæ est de Dei cultu. Amor Dei active sumptus, est affectus complacentiæ qua bono delectatur, eique se unit & communicat. Ejus consideranda sunt objecta & species. Cum ergo Deus sit summe bonus, nullum est dubium, quin se impense amet, quod tamen nullibi, quod sciam, expresse in S. literis dicitur: Sed pro ejus signo aut effecto accipiendum videtur, quod omnia quæ facit ad gloriam suam referat, & permittere nequeat ut ea alteri communicetur. Communiter amor Dei accipitur pro affectu quo creaturas suas prosequitur. Illas autem in statu quo primum conditæ sunt consideratas, omnes diligit. Erant enim amabiles, utpote bonæ, quemadmodum Moses testatur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, *Genes.* I. 31. Hucque refertur quod Sapiens dicit, *Diligis (Domine) omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti*, *Sap.* XI. 20. Amoris istius indicium est cura, quam Deus gerit omnium suarum creaturarum à maximis ad minimas, nulla prorsus excepta; de qua vide *Psal.* CIV. & CXLVII. *Matth.* VI. 26. &c. Ea tamen adeo est inæqualis, ut Paulus non vereatur dicere, *Numquid de bobus cura est Deo?* 1 *Cor.* IX. 9. nempe si cum hominibus Dei ministris comparentur. Sed Deus speciatim præ cæteris diligit Filium suum unigenitum, Dominum Jesum, *Matth.* III. 17. & XVII. 5. deinde Angelos & homines, propter majorem quam cum ipso habent similitudinem, quæ cæteris creaturis amabiliores eos reddit. Indeque est quod Apostolus φιλανθρωπίαν Dei celebrat, *Tit.* III. 4. Et quod ipse ἀγάπη vocatur, 1 *Joan.* IV. 8. Suam autem charitatem Deus magis quodam respectu erga homines, quam erga Angelos exeruit: nam licet Angelos hominibus præstantiores creavisset, tamen cum Angeli quidam & omnes homines in ipsum peccassent, misertus est hominum, non vero Angelorum lapsorum, *Hebr.* II. 16. 2 *Petr.* II. 4. *Jud.* versu 6.

III. In Amore Dei erga homines quædam sunt veluti species aut gradus. *Primo* enim *Amor* Dei alius est *Antecedens*, alius *Consequens*. Amor antecedens est, quo Deus omnes homines absque exceptione prosequitur, quatenus ipsius creaturæ sunt; non solum antequam quicquam boni fecerint, quo se amore dignos reddiderint; sed etiam postquam peccarunt & ejus odium sunt meriti: unde Christus de ipso dicit; *Solem suum oriri facit supra bonos & malos, & pluit super justos & injustos*, *Matth.* V. 45. Et Joannes, *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum ut esset propitiatio pro peccatis nostris*, 1 *Joan.* IV. 10. item Paulus, *Postquam benignitas & amor erga homines Servatoris nostri Dei apparuit, non ex operibus nostris quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia, servavit nos, &c.* *Tit.* III. 4, 5. Vide etiam *Rom.* V. 8. 2 *Tim.* I. 9, 10. *Ephes.* II. 1. &c. Amor Dei consequens est, qui bonas hominum actiones consequitur, & ad illas respicit. Is proinde non est generalis erga omnes, sed specialis erga pios, qui se à peccatis convertunt, & mandata Dei observant: ut discimus ex his Christi verbis; *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, &c.* *Joan.* XIV. 21, 23. Sic etiam Dominus Jesus, *Vos amici mei eritis, si feceritis quæcunque ego præcipio vobis*, *Joan.* XV. 14. vide etiam *Psal.* LXXXIII. 1. *Thren.* III. 25. & aliis locis. *Secundo*, Amor Dei distinguitur in *Gratiam* & *Misericordiam*, quæ tamen sæpe in Scriptura confunduntur. Gratia Dei, Græce χάρις, & Hebraïce חן est ille affectus, quo Deus pronus est ad benefaciendum hominibus, etiamsi ejus favore indigni sint, & nihil minus quam ipsum promeruerint. Hinc Petrus eum vocat *Deum omnis gratiæ*, 1 *Petr.* V. 10. Et ubicunque in Scripturis gratiæ fit mentio, ea meritis nostris solet opponi, ut *Rom.* XI. 6. *Eph.* II. 8, 9. Differt à *Benignitate*, tanquam species à genere. Deus enim benignitate sua circa omnes creaturas occupatur, sed gratia tantum circa homines seu creaturas rationales, quæ favorem ejus agnoscere possunt. Unde gratiam suam præcipue in salute hominum procuranda exeruit: sicut docet Paulus, *Gratia Dei salutaris apparuit omnibus hominibus, &c.* *Tit.* II. v. 11. Gratia Dei etiam aliquando accipitur pro donis ex ejus favore profectis. Et hoc sensu dicitur; *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, *Ephes.* IV. 7. *Misericordia*, Græcis ἔλεος & οἰκτιρμός, & Hebræis רחמים vulgo definitur Ægritudo animi concepta ex alterius miseria. Et hoc sensu accepta in Deum non cadit, cujus perfecta beatitudo omnem ægritudinem excludit. Per misericordiam itaque Dei nihil aliud intelligitur, nisi alienam miseriam vere ipsi esse cordi: & potest definiri, Affectus subveniendi miseris. Hinc vocatur *Pater miserationum*, 2 *Cor.* I. 3. & *viscera miserationum* ei tribuuntur *Luc.* I. 78. Etsi vero plerumque ita usurpetur; tamen

men etiam non raro quamlibet Dei benignitatem aut favorem in genere significat, ut, *Dominus bonus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*, *Psalm.* CXLV. 9. Misericordia Dei erga peccatores est duum generum; una ordinaria, altera extraordinaria. Ubi attendendum est ad discrimen inter Vetus & Novum fœdus, de quo vide *Act.* XIII. 38, 39. Quæ enim olim erat extraordinaria Dei misericordia, jam est ordinaria, Christo jubente prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, *Luc.* XXIV. 47. *Act.* II. 38. Illa est quam Deus erga omnes resipiscentes secundum promissionem suam exerit: de qua vide *Deut.* IV. 30, 31. *Psal.* CIII. 8. *&c.* *Ezech.* XVIII. 21, 22. *Act.* II. v. 38. *&* III. 19. Hæc vero est quam Deus non promisit, & non semper exercet; sed pro libera sua potestate quando ipsi ita videtur. Talis est quam à tempore Euangelii maxime declaravit erga peccatores adhuc peccatis immersos, & de resipiscentia nullo modo cogitantes, in iis ad salutem vocandis; de qua vide *Ephes.* II. 4, 5. *Tit.* III. 3. *&c.* Item misericordia, qua probabile est Deum aliquando uti erga eos, qui sub vitæ finem, cum nullos amplius pœnitentiæ fructus edere possunt, peccata sua serio deflent, & gratiam ipsius implorant. Quia non ita promissis suis se alligavit, quin longe plura, quam pollicitus est, facere & condonare possit. Ejus tamen spe pœnitentiam differre, valde periculosum est, cum nulla ejus in Scripturis exempla indubia habeamus.

CAPUT XI.

De Odio & Ira Dei.

I. Malum culpæ primarium esse Odii divini objectum. II. Deum etiam odisse malum pœnæ creaturarum, III. & peccatores, propter peccata. IV. De Ira Dei, & illius objecto. V. Quibus peccatis ea particulariter accendatur; & quæ sint illius effecta.

I. AMori, & quæ ex amore proficiscuntur, Gratiæ & Misericordiæ, opponuntur Odium & Ira. Odium Dei est affectus displicentiæ quo malum aversatur & à se repellit: Sed non perinde ut Deus se ab æterno tanquam summum bonum amat, ita odium ejus ab æterno in summum aliquod malum fertur: Nullum enim summum malum ab æterno exstitit, contra quam putarunt olim Manichæi, qui duo summa rerum principia statuebant, unum bonum, alterum malum. Quare objectum odii divini est solummodo malum quod in tempore cœpit; idque duplex, nempe rei & personæ. Et cum malum rei sit vel culpæ, seu peccati, vel pœnæ, seu afflictionis, sciendum est malum culpæ esse primarium objectum & per se, circa quod odium Dei versatur. Id nos universa Scriptura S. docet; ita *Zachar.* VIII. 17. postquam Propheta mentionem fecisset juramentorum mendacium & injuriarum quibus Judæi proximos afficiebant, subjungit, *Omnia hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.* Et *Levit.* XVIII. 22. *& seqq.* nefandi quidam concubitus *Deo abominationi*, id est, summo odio esse dicuntur. Similiter *Deut.* XII. 31. quod Cananæi Diis suis offerebant filios & filias & comburebant igne. Et XVI. 21, 22. de lucis & arboribus juxta altare Dei plantatis, atque statuis, pronunciat Moses, *quæ odit Dominus Deus tuus.* Denique *Proverb.* VI. 16. &c. *Sex* esse dicuntur quæ *odit Dominus, & septimum* quod *detestatur anima ejus, nempe oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans iniquitates pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.*

II. Malum etiam pœnæ seu miseriæ creaturarum suarum odit Deus, quatenus ad illud inferendum non libenter accedit, sed earum pervicacia quodammodo adactus. Unde Jeremias *Lament.* III. 33. de ipso dicit; *Non affligit de corde suo nec dolore afficit filios hominum.* Et *Ezech.* XVIII. *&* XXXIII. protestatur se *nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Quod tamen non impedit, quin Deus, cum desperata est peccatorum conversio, eorum ruina delectetur: sic *Esa.* I. 24. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Et *Proverb.* I. 24. &c. *In interitu vestri ridebo, &c.* vide etiam *Deut.* XXVIII. 63. *Ezech.* V. 13. Malum etiam afflictionis, quo suorum fidem & constantiam explorat atque aliis in exemplum proponit, non aversatur Deus, sed vult quatenus boni rationem habet, 1 *Pet.* II. 20. licet oderit eos à quibus injuste affliguntur.

III. Odium mali culpæ in Deo, sequitur odium personæ quæ illius est rea. De quo etiam passim testantur Sacræ Literæ. Ita *Psal.* V. 7. David dicit, *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et *Psalm.* XI. 5. *diligentem iniquitatem odio habet anima ejus*, nempe Dei. vide etiam *Levit.* XXVI. 30. *Osea* IX. 15. Utriusque odii conjunctim, quo Deus tum peccatum tum peccatorem prosequitur, meminit auctor libri *Sapientiæ cap.* IV. 9. *Similiter odio sunt Deo; impius & impietas ejus.* Nullam aliam odii erga homines divini causam agnoscit Scriptura præter peccatum: Non enim quemadmodum alius amor Dei antecedit hominum amorem & obedientiam, alius sequitur; ita aliud odium ejus antecedit hominum odium & inobedientiam, aliud sequitur; sed omne odium Dei erga homines est consequens. Ex Dei autem adversus peccatores odio fit, ut omnia ipsorum opera, etiam non mala, abominetur; ut ceremonialia: Quo spectat illud Salomonis, *Victima impiorum abominabiles sunt Deo. Proverb.* XV. 8. Et, *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis, Proverb.* XXVIII. 29. vide etiam *Esa.* I. 11. *&c.* & LXVI. 3. Sed istud Dei odium respicit potissimum eos, qui in peccatis perseverant: nam erga resipiscentes est summe misericors, & condonat eis omnia peccata, non tantum levia & ex errore aut infirmitate profecta, sed etiam gravissima. De quo vide *Psalm.* CIII. 13, 14. *&* CXXX. 3, 4.

Esa. I. 16, 17, 18. *Ezech.* XVIII. 23, 27. *Luc.* VII. *v.* 47. 1 *Cor.* VI. 9, 10, 11. 1 *Joh.* I. 9. & alibi.

IV. Cum Dei Odio magnam affinitatem habet ejus Ira, cujus etiam Scriptura frequenter meminit. Graviter enim errarunt Stoici & Epicuræi, qui Deum nunquam irasci existimabant. Proprie tamen dicta ira, & qualis hominum esse solet, cum animi perturbatione conjuncta, Deo non est attribuenda: Sed quando Deus dicitur irasci, id θεοπρεπῶς intelligere oportet, ita ut nullam vitiosam commotionem aut imperfectionem connotet. Duobus autem præcipue modis accipitur Dei ira: Vel enim nudum puniendi affectum seu voluntatem significat: vel ipsam actualem punitionem; quæ proprie est iræ effectum: quod ex circumstantiis locorum, ubi illius mentio fit, facile agnosci potest. Sed quocunque ex istis modo accipiatur ira Dei, ejus Objectum est homo reus seu peccator, & unica, propter quam Deus irascitur, causa est peccatum. *Propter hæc* (nempe peccata) *venit ira Dei in filios contumaciæ*, *Ephes.* V. 5, 6. *Colos.* III. 5, 6. Itaque pessime de Deo sentiunt, qui docent hominem innocentem, seu nullius adhuc peccati reum, iræ divinæ objectum esse posse, aut etiam revera esse. In tali enim homine nihil est ira & punitione dignum. Nec contrarium probatur ex eo quod Paulus dicit, *Vasa iræ esse coagmentata ad interitum*, *Rom.* IX. 22. Per *vasa* enim *iræ* non intellexit homines in puris naturalibus, & quales à Deo sunt conditi consideratos; sed incredulos, gratiam in Euangelio sibi oblatam spernentes ac rejicientes: & per *coagmentationem* eorum, noluit significare primam hominum creationem; sed incredulorum & contumacium, qua talium, ad justum exitium destinationem: ut ex eo liquet, quod dicit, *Deum multa lenitate pertulisse vasa iræ*; quæ tolerantia in solis peccatoribus locum habet, & cum creatione ad interitum consistere nequit. Nec magis ad rem facit id quod dicit, *Ephes.* II. 3. *Eramus natura filii iræ ut & reliqui.* Vox enim *natura*, non significat à nativitate aut creatione prima, sed nihil aliud est quam *revera*: ut, *Serviebatis iis qui natura non sunt Dii*, *Gal.* IV. 8. id est, qui revera non sunt Dii: non autem qui à nativitate sua non sunt Dii. Erant autem revera filii iræ, tum Ephesii tum alii Gentiles, quando ipsis Euangelium gratiæ annunciatum est, quia *ambulabant in delictis & peccatis suis, versu* 1. id est, iis jam dudum ita erant assueti, ut quasi in naturam abiissent; cum assuetudo altera sit natura. An peccatum quod dicitur originis, tale sit ut Deus propter ipsum iram in homines effundat, & maximam eorum partem damnationi æternæ absque misericordia devoveat, alibi commodiore loco expendetur. Hic simpliciter id negare sufficiet.

V. Sed quia peccata alia aliis sunt graviora, de quibusdam peculiariter dicitur, illa Dei iram accendere. Talis præcipue est idololatria, ut videre est *Deut.* VI. 14, 15. & XXXII. 21. & alibi passim. Item peccata quæ vocantur clamantia, quale erat Caini, *Gen.* IV. 10. Sodomæorum & Gomorræorum, *Gen.* XVIII. 20. oppressiones viduarum & orphanorum, *Exod.* XXII. 22, 23, 24. & similia. Effecta autem iræ divinæ sunt omnia illa mala, quæ Deus propter peccata hominibus immittit: nimirum pœnæ, tum temporales, quarum catalogum prolixum habemus *Levit.* XXVI. & *Deut.* XXVIII. tum æternæ, quæ mortis secundæ, conjectionis in stagnum ignis & sulphuris, & aliis ejusmodi appellationibus designantur. Inter temporales autem graviores sunt spirituales, qualis est desertio divina & traditio in reprobam mentem, *Rom.* I. 24, 28. 2 *Thess.* II. 10, 11, 12. quia pœnitentiam, per quam solam mors & perditio æterna vitari potest, si non omnino impossibilem, saltem difficilem admodum reddunt.

CAPUT XII.

De Desiderio, Spe & Gaudio Dei, & iis oppositis affectibus, Metu, Tristitia & Pœnitentia.

I. *De Desiderio Dei.* II. *De Dei Spe.* III. *De Gaudio Dei, & ejus objectis.* IV. *Quod Metus divini objectum.* V. *Quid Tristitia divina, & quod ejus objectum.* VI. *Quo sensu Deo Pœnitentia tribuatur.* VII. *Usus varii doctrinæ de Affectibus Dei.*

I. SIcut omnes affectus humani ad duo summa genera reduci possunt, Amorem nempe, qui circa bonum, & Odium quod circa malum versatur, ita etiam divini. Sub *Amore* enim Dei comprehendere possumus ejus *Desiderium*, *Spem*, *Gaudium*. Sub *Odio* vero *Metum*, *Tristitiam*, *Pœnitentiam*. Ut igitur à *Desiderio* initium de illis dicendi faciamus, est affectus erga bonum absens. Et sic ab amore differt, quod amor neque præsentiæ, neque absentiæ rationem habeat: sed bonum in genere consideret. Deus autem bonum absens non expetit sibi, (cum sit bonorum omnium fons inexhaustus, neque quicquam aliunde accipiat aut mutuetur) sed in nobis & nobis. In nobis desiderat resipiscentiam & vitæ sanctimoniam. Nobis vero omnia tum præsentis, tum futuræ vitæ bona: quæ etiam nobis in Euangelio suo promisit, 1 *Tim.* IV. 8. Hujus desiderii divini tot habemus testimonia, quot in Sacris Literis *optationes Dei*, *preces*, *obtestationes*, *adhortationes & objurgationes* occurrunt. *Optationes* seu *vota*, ut *Deut.* V. 29. *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & custodiant universa mandata mea in omni tempore; ut bene sit eis & filiis eorum in sempiternum!* *Psal.* LXXXI. 14. *O si populus meus audisset me, si Israël in viis meis ambulasset, &c.* *Esa.* XLVIII. 18. *Utinam attendisses ad mandata mea, &c.* Quibus Dei optationibus accenseri etiam potest illa Christi, de Jerusalem, *O si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tuam faciunt, &c.* *Luc.* XIX. 42. Nec tantum Deus optat ut homines pietati studeant, sed etiam *precatur* eos ut id faciant. *Expandi manus meas tota die* (qui gestus est precantis) *ad populum incredulum, qui graditur*

in

in via non bona, post cogitationes suas, *Esa.* LXV. 2. Et Paulus; *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*, 2 *Cor.* v. 20. Imo sæpe Deus *obtestatur* homines, & conqueritur quod officium suum negligant miseriæque sibi ipsi sint causa. *Quare moriemini domus Israël? revertimini & vivite*, *Ezech.* XVIII. 31, 32. & XXXIII. 11. *Quid invenerunt patres vestri in me*, &c. *Jer.* II. 5. *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi*, *Mich.* VI. 3. *Adhortationes* autem & *objurgationes* Dei si vellem hic recensere, magna mihi Sacrorum librorum pars esset describenda. Huc etiam pertinent non solum ea quæ nomine Dei expresse proponuntur, sed etiam quas Prophetæ & Apostoli ex muneris sui vi fecerunt.

II. Cum desiderio Dei magnam habet affinitatem ejus *Spes*: quæ etiam est affectus tendens in bonum absens, sed ut acquisitu difficile. Bonum autem quod Deus sperat, non sperat sibi, cum nulla re indigeat, & sufficientiæ ejus nulla fieri possit accessio; sed à nobis, tanquam cultum sibi debitum. Talisque est obedientia mandatorum, gratitudo ob accepta beneficia, aliaque ejusmodi. Ea in Scriptura exprimi solet *expectandi* voce. Ita Deus dicit de vinea sua; *Quare expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* *Esa.* v. 4. *Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri*, *Esa.* XXX. 18. Item Petrus, *quando patientia Dei expectabat in diebus Noa*, 1 *Epist.* III. 20.

III. *Gaudium* est affectus quo Deus erga bonum præsens & possessum fertur, & alio nomine dicitur *delectatio*, *lætitia*. Ejus *primarium objectum* est Deus ipse. Nam cum Deus omnium bonorum cumulum in se possideat, iisque continuo & absque ullo impedimento fruatur, fieri nequit quin in seipso summopere delectetur. Indeque est quod *Beatus* appellatur, 1 *Tim.* I. 11. & VI. 15. *Deinde* cum omnia Dei opera sint valde bona, *Genes.* I. 31. magnam quoque ex illis delectationem ipsum percipere necesse est. *Tertio*, Deus gaudet cum homines boni aliquid agunt, ipsum honorant, peccato nuncium mittunt, & similia. Ita *odoratus est Dominus odorem suavitatis*, id est lætatus est, cum Noë post egressum suum ex arca altare ipsi exstruxit, & super eo holocausta eucharistica obtulit, *Gen.* VIII. 20. Et sæpe in lege sacrificia vocantur *suavis odor Domino*: ut *Levit.* I. 9, 13, 17. & alibi passim. Quod supra cæteras oblationi Christi convenit, *Ephes.* v. 2. Et ipse dicit, *majus gaudium in cœlo futurum super uno peccatore resipiscente, quam super nonaginta novem justis, quibus non est opus resipiscentia*, *Luc.* XV. 7. Nam illud, *in cœlo*, non tantum est exponendum de beatis Angelis, sed etiam de ipso Deo, quem Dominus Jesus in parabola confert cum pastore ovem, & muliere drachmam suam perditam quærente: quatenus nempe per Filium suum, quem ad peccatores misit, ipsos ab erroribus in rectam viam reducere sibi proposuit. *Quarto* denique gaudet Deus, cum hominibus officium facientibus benefacit. Sic Moses; *Tu ergo reverteris, & obedies voci Domini*, &c. & *revertetur Dominus, ut lætetur super te in bonum*, &c. *Deut.* XXX. 8, 9. Item, *sicut est gaudium sponso super sponsam, sic gaudebit super te Deus tuus*, *Esa.* LXII. 5. vide etiam *Esa.* LXV. 19. *Jer.* XXXII. v. 41. *Sophon.* III. 17. Imo aliquando Deus delectari dicitur, quando vindictam sumit de peccatoribus induratis: ut *Deut.* XXVIII. 63. *Prov.* I. 24. &c. *Esa.* I. 24. Sed pœna illa, alioqui mala, tunc boni naturam induit, quod delectationis est objectum. Licet certum sit Deum magis delectari peccatorum conversione & beatitudine, quam perditione, ut ipse testatur *Ezech.* XVIII. & XXXIII.

IV. Sicut autem Odium & Ira Dei sunt ejus Amori, Gratiæ & Misericordiæ opposita, ita *Metus* & *Desperatio* Spei: *Tristitia*, *Dolor* & *Pœnitentia* Gaudio: (de *Fuga mali*, desiderio boni contraria, nihil notatu dignum occurrit, quod sub his non comprehendatur) Moses in Cantico suo Deum metuentem inducit, *Dicerem, dispergam eos* (Israëlitas) *per angulos, cessare faciam ex hominibus memoriam eorum, nisi iram inimici metuerem, ne forte extraneè se gerant hostes eorum, ne forte dicant, Manus nostra excelsa, & non Dominus, operatus est ista omnia*, *Deut.* XXXII. 26, 27. Quod ἀνθρωποπαθῶς dictum esse nemo non videt; sed ita tamen, ut in Deo aliquid metui analogum fuisse significet. Objectum istius metus est malum aliquod, sive culpæ, quæ libere ab homine committi posset; sive pœnæ, quam culpæ occasione inflicturus esset Deus: licet alloquin pro amore quo ipsum prosequitur eam non infligere mallet. Prioris exemplum habemus *Exod.* XIII. v. 17. *Non deduxit eos Deus per viam Philistæorum, quamvis propinqua esset: dicebat enim Deus, ne forte pœniteat populum, cum viderint bellum, & revertantur in Ægyptum.* Quod absque gravi Dei offensione facere non poterat. Item *Exod.* XXXIV. 11. &c. & XXXIII. 32, 33. *Deut.* VII. 3, 4. In quibus locis Deus prohibet ne Israëlitæ cum Cananæis fœdus pangant, & connubia ineant, ne ipsis essent in laqueum. Posterioris vero *Exod.* XXXIII. 3. Ubi Deus dicit filiis Israël, *Non ascendam in medio tui; nam populus duræ cervicis es, ne forte consumam te in via.* Aliquando etiam tribuitur Deo metus rei, quæ neutro modo mala est, id est, neque culpa, neque pœna est: sed quam ideo solum pro mala habet, quia ejus voluntati adversatur: quale fuisset, si primus homo post violatum Dei mandatum arbore vitæ vesci potuisset. Unde dicit, *Nunc ergo* (supple, ejiciam ipsum ex horto Heden) *ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat vivatque in sæculum*, *Gen.* III. 22. *Desperationis* seu *desperandi* voces nusquam Deo, quod sciam, in Scriptura tribuuntur: Sed res tamen ipsa illic non semel occurrit, quoties nempe Deus declarat se frustra hominum resipiscentiam & conversionem expectasse; ut *Esa.* v. in parabola de vinea, *Cur expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Et LXV. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas*: vide etiam *Jerem.* VII. 24. & seqq.

& seqq. & XIII. 23. *Matth.* XXIII. 37, 38. *Luc.* XIII. *v.* 6, *&c.*

V. *Tristitia* etiam sive *dolor* aliquando Deo tribuitur in Scriptura, ut *Gen.* VI. *6.* doluit Dominus in corde suo quod fecisset hominem. Quod quin figurate sit accipiendum nemo dubitat. Proprie enim dicta tristitia & dolor perfectæ Dei felicitati adversantur, & cum ea nullatenus conciliari queunt. Istis ergo vocibus intelligitur solum aversatio mali & displicentia, qua tamen felicitas Dei nequaquam turbetur. Illud autem malum esse præcipue peccatum, & postea pœnam, quam ei inferre contra inclinationem suam naturalem quodammodo adigitur, ex locis omnibus, ubi talis aversationis seu displicentiæ mentio fit, perspicuum esse potest: inter alia vide *Psal.* LXXVIII. *v.* 40, 56. & CVI. 33. *Esa.* I. 14. & VII. 13. & XLIII. *v.* 24. & LIX. 15. & LXIII. 10. Eodemque sensu accipiendum Pauli monitum, *ne contristate Spiritum Dei sanctum*, *Ephes.* IV. 30. id est, Deum ipsum, qui Spiritum suum vobis dedit, ut vos de amore suo certiores redderet.

VI. Cum Dei dolore & tristitia magnam habet affinitatem *Pœnitentia*, quæ etiam simul in modo citato *Genes.* VI. loco conjunguntur. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra, & doluit in corde suo.* Refertur etiam ipsum dixisse Samueli, *Pœnitet me quod constitui Saul regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit*, 1 *Sam.* XV. 10. vide etiam affinia loca *Exod.* XXXII. *v.* 12, 14. *Psalm.* CVI. 45. *Jerem.* XVIII. 7, 8, 9, 10. *Amos* VII. 3, 6. *Jon.* III. 10. Pœnitentiam autem Deo proprie non convenire, res ipsa loquitur, quia imperfectionem aliquam sapit. Oritur enim vel ex ignorantia, vel ex impotentia, vel ex inconstantia, vel ex his omnibus causis simul. Adde quod Scriptura aliis in locis pœnitentiam diserte à Deo removet. *Fortitudo Israëlis non mentietur, nec pœnitudine ducetur; non enim homo est, ut pœniteat illum*, 1 *Sam.* XV. 29. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*, *Rom.* XI. 29. Idemque sibi volunt ea quæ docent Deum esse immutabilem: ut, *Ego Dominus, & non mutor, Malach.* III. 6. *Apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, Jacob.* I. 17. Quare cum in Scriptura divinitus inspirata, multo minus contradictiones admittere debeamus, quam Jurisconsulti in Jure Romano ἀντινομίας, videndum est qua ratione hæc ἐναντιοφάνεια conciliari queat. Omnes Theologi in eo consentiunt, pœnitentiam non tribui Deo nisi per ἀνθρωποπάθειαν, id est, Metaphoram ab eo quod hominibus accidit desumptam. Cum autem ipsos alicujus facti pœnitet, illud mutant. Ita Dei pœnitentia in eo consistit, quod aliquid quod fecerat, mutet aut destruat: nempe quia id à pristina sua natura degeneravit, non quod ipse consilium mutet. Nam isto se modo gerere ab initio proposuit, ut docet celebris ille locus *Jer.* XVIII. *Repente loquar adversus gentem & adversus regnum, ut eradicem & destruam & disperdam illud: Si vero pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Et subito loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantem illud. Si vero fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei.* Illud Dei propositum pœnitentiam agendi, quoties homines à malo in bonum, aut contra, mutantur, arguit nullam in eo veram mutationem locum habere; sed in solis hominibus: ipsum vero in consilio suo adeo esse constantem, ut si pœnitentia ista figurata non tangeretur, inconstans potius videri deberet.

VII. Usus doctrinæ de Affectibus Dei sunt plures. Servit enim 1. ad ἔλεγχον absoluti reprobationis decreti; nam cum Dei φιλανθρωπίᾳ adversa fronte pugnat æterna maximæ hominum partis reprobatio, sive ii ante lapsum Adami considerati fuerint, sive post lapsum: nam qui solum peccatum & peccatores odit, non potest eos odisse quos nullius adhuc vere peccati reos esse novit: nec ita eos statim à nativitate deserere, ut nullatenus æternam damnationem effugere possint. Præterea Dei desiderium & spes cum ejusmodi decreto consistere nequeunt: quomodo enim serio desideraret aut speraret conversionem & salutem peccatorum, quibus gratiam sufficientem eorsum necessariam nunquam largiri constituisset? 2. Hinc recte colligitur, non opus esse omnes affectus, tanquam natura sua malos, exuere, ut existimarunt Stoici: Nam si ita se res haberet, male Deo, etiam metaphorice & improprie dicti, tribuerentur & commendarentur. 3. Prodest ad institutionem, ut omnes affectus nostros divinis, quantum fieri poterit, conformemus; id tantum amantes quod amat, & aversantes quod odit, cum tota perfectio nostra in Dei imitatione consistat.

Caput XIII.

De Virtutibus Dei in genere, & speciatim de ejus Sanctitate, Justitia, Veritate, Fide & Sinceritate.

I. *Quibus in rebus divina & humana Virtus differant, & conveniant.* II. *Quid Dei Sanctitas.* III. *Justitiam à Sanctitate revera non differre.* IV. *Estque vel Universalis,* V. *Vel particularis.* VI. *Deum non semper hic justitiam suam retributivam exercere.* VII. *Deum ἀπροσωπολήπτως judicare.* VIII. *Quid Veritas divina.* IX. *Quid Fides Dei.* X. *Quid Dei Sinceritas, & qui eam non parum obscurant.* XI. *Utilitates doctrinæ superioris.*

I. Hactenus de affectibus diximus, sequitur ut agamus de altero illo attributorum genere, quæ in Voluntate Dei instar Virtutum affectus istos moderantum considerantur. Dico instar Virtutum, ad indicandum magnum esse inter Dei & hominum virtutes discrimen. Id autem in tribus præcipue consistit. 1. Quod hominis virtus sit habitus crebris

crebris actionibus, ac proinde cum aliqua difficultate comparatus: Dei vero Virtus ei fit naturalis. 2. Quod præstantissima hominis virtus sit parêre Dei mandatis: Deus autem neminem habeat se superiorem, cui oporteat ipsum obedire. 3. Differunt materia seu objecto. Quædam enim ex virtutibus humanis, ut sobrietas, castitas, & similes, in Deum non quadrant, imo neque beatorum statui in futuro seculo conveniunt. In eo tamen conveniunt divina virtus & humana, quod quemadmodum humana consistit in conformitate cum lege, ita divina in conformitate cum Dei Natura, quæ ipsi est instar Legis. *Deus* enim *seipsum abnegare non potest*, aut quicquam à Natura sua alienum facere, 2 *Tim.* II. 13.

II. Virtutes Dei duûm sunt generum; vel enim regunt omnes ejus affectus, vel speciatim iram. Virtus omnes Dei affectus & actiones inde promanantes gubernans, est *Sanctitas*, per quam intelligimus illam naturæ & voluntatis divinæ puritatem, qua fit ut omnes Dei actiones sint puræ & rectæ, & nihil in eo impurum aut pravum inveniatur: ac proinde Sanctitatem in creaturis suis amet, & impuritatem oderit. Hanc Deo Sacræ Litteræ frequenter tribuunt. Unde illud in *Levitico* aliquoties repetitum, *Sancti estote, quia ego sanctus sum, cap.* XI. 44, 45. & XIX. 2, 20, 25. & XXI. 8. Quo Petrus respiciens dicit, *Sicut is qui vocavit vos, sanctus est, ipsi quoque sancti estote in omni conversatione vestra: propterea quod scriptum est, Sancti estote, &c.* 1 *Pet.* I. 15, 16. Sed præterea Sanctitas Dei significat Deum esse augustum, gloriosum, venerandum, & longe ab omnibus creaturis secretum; ut in acclamationibus Seraphim *Esa.* VI. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, & plena omnis terra gloria ejus.* Cui similem vide *Apoc.* IV. 8. Sic & *Exod.* XV. 11. *Quis similis tui, magnificus in sanctitate?* Vide præterea *Psal.* XCIX. 3. & CXLV. 5. Ea ab Apostolo Joanne nomine *Lucis* appellatur: *Deus lux est, & nulla tenebræ in eo sunt, &c.* 1 *Epist.* I. 5, 6, 7. id est, Deus purus & immaculatus est, omnisque impuritas & turpitudo longe ab ipso abest.

III. A Sanctitate reipsa non differt Dei *Justitia & Rectitudo*, secundum quam quicquid facit est justum & æquum, atque iniquitatem odit. Inde à Davide dicitur: *Justus est Dominus in omnibus viis suis, Psalm.* CXLV. 17. id est, in omnibus suis actionibus & judiciis. Item *Rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo, Psalm.* XCII. 16. Et Moses, *Perfectum est Dei opus, omnes viæ ejus judicium. Deus veritas est, absque ulla iniquitate, justus & rectus, Deut.* XXXII. 4. Vide etiam *Ezech.* XVIII. 25. *Sophon.* III. 5. & sæpe alibi. Aliquando tamen Justitia Dei pro ejus Beneficentia & misericordia sumitur, & Deus dicitur Justus, quando hominibus benefacit, aut eis sua peccata condonat; ut 1 *Sam.* XII. 7. *Psalm.* XXXVI. 6, 7. & LI. 16. & CXII. 4. 1 *Joan.* I. 9.

IV. In priore significatu accepta Dei justitia, dirimitur in Universalem & Particularem. Justitia Dei universalis, est virtus quæ versatur circa id quod rectum est, & Deum decet. Illa autem existimantur recte ac decenter fieri, quæ naturæ & dignitati tum agentis seu subjecti, tum patientis seu objecti, consentaneè fiunt. Cum ergo Deus homines ad imaginem suam condiderit, & ratione donaverit, hæc Dei justitia requirit, ut quicquid eis præcipit rectæ rationi congruat, & ne ipsos eodem modo aut pejus quam bruta animantia tractet. Unde sequitur 1. Leges quas ipsis fert non debere vires eorum excedere, aut si excedant, saltem nemini gratiæ suæ auxilium ad iis parendum requisitum denegare, cum nemo ad impossibile obligetur. 2. Æquum esse ut liberi arbitrii, quod iis in creatione dedit, usum relinquat; cum frustra præscribantur Leges, præsertim promissione præmii & comminatione pœnæ sancitæ, ubi parendi aut transgrediendi regnat necessitas. 3. Deum non posse quemquam insontem ad æternos inferni cruciatus destinare.

V. Justitia particularis est, qua Deus unicuique quod suum est secundum opera bona aut mala, quæ fecit, retribuit. Illud autem suum vel debitum duobus modis accipi potest. 1. ex stricto Legis rigore. 2. ex ἐπιεικείᾳ seu æquitate quadam. Quod ad primum attinet, cum lex est sancita promissione præmii & comminatione pœnæ, præmium ex Legis rigore debetur eam observanti, & pœna transgredienti, secundum id quod scriptum est: *Qui fecerit illa homo, vivet in iis, Levit.* XVIII. 5. Et, *Maledictus qui non permanet in sermonibus Legis hujus, nec eos opere perficit, Deut.* XXVII. *v.* 26. Nam ut obedientes præmio ipsis promisso fraudari iniquum esset; ita justitia Dei requirit ut contumacibus pœnas, quas minatus est, infligat. Non quod Deus injuriam ipsis facturus esset, si pœna quam meruerunt non afficeret. Nihil minus; imo contra id pro insigni beneficio haberent (comminationibus enim nullum jus acquiritur leges divinas transgredientibus; sed Deo, aut potius id quod habet denunciatur.) Sed Deus ita se gerit, quia æquum non est ut lenitatem & patientiam suam ludibrio ab improbis haberi permittat. Quod ad alterum modum, debetur etiam aliquando præmium ex æquitate iis, quibus alioqui ex stricto Legis rigore non deberetur. Id manifestum est respectu vitæ æternæ, quæ tam eximia res est, ut eam nullis operibus quantumvis perfectis mereri possimus, quanto minus cum multorum gravium peccatorum rei sumus, quæ ex gratia oportet condonari, ut ad eam nobis ingressus pateat? Et tamen legimus Deum eam fidelibus ex justitia sua daturum. *Justum est apud Deum retribuere vobis qui tribulamini requiem in revelatione Domini Jesu, &c.* 2 *Thess.* I. 5, 6, 7. Item: *Dominus justus judex reddet coronam justitiæ iis, qui dilexerint adventum ejus,* 2 *Tim.* IV. 8. Et *Deus* dicitur *non esse injustus, ut obliviscatur operis & charitatis fidelium, Heb.* VI. 10. Quod nonnulli dictum putant ratione promissorum, quibus Deus se ad vitam æternam fidelibus dandam obligavit. Sed nihil obstat

obstat quin ulterius etiam extendatur, & significet cum æquitate Dei optime convenire, eamque quodammodo postulare, ut vitâ æternâ donet fideles sui cultores, quamvis ex juris rigore ipsis non esset debita. Quo sensu etiam dicuntur æternæ vitæ præmio digni, 2 *Thess.* I. 5. *Apoc.* III. 4.

VI. Etiamsi autem Deus non raro justitiam retributivam in hac vita exerceat, cum pios remuneratur, & impios ulciscitur; tamen id non semper facit, & eam præcipue in ultimo judicii universalis die patefaciet, quem propterea Paulus vocat *diem revelationis justi judicii Dei*, *Rom.* II. 5. *in quo Deus judicaturus est orbem in justitia*, *Act.* XVII. v. 31. nempe quia *unicuique redditurus est secundum opera sua*, *Matth.* XVI. 17. *Rom.* II. 16. *Apoc.* XX. 12, 13. Et *unusquisque portabit onus suum*, *Gal.* VI. 5. Et *referet prout se gesserit in corpore suo, sive bonum sive malum*, 2 *Cor.* V. 10. *& procedent qui bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerint, in resurrectionem judicii*, *Joan.* V. 28.

VII. Ad Dei justitiam pertinet quod ἀπροσωπολήπτως *judicat secundum uniuscujusque opus*, 1 *Pet.* I. 17. id est, sine acceptione personarum aut facierum, ut loquuntur Hebræi. Idque pluries inculcat Scriptura, ut *Act.* X. 34, 35. *Rom.* II. 11. *Ephes.* VI. 9. *Col.* III. 25. Et in judiciis, quæ Deus exercet in hoc seculo, deprehenditur, ubi potentissimi reges, quales erant Pharao, Sennacherib, Nebucadnezar, Antiochus, Herodes, ultrices ejus manus effugere non potuerunt.

VIII. Sub Justitia Dei particulari tres aliæ virtutes comprehenduntur, *Veritas*, *Fides*, *Sinceritas*. *Veritas* Dei est conformitas dictorum ipsius cum mente sua, & cum rebus ipsis. Quæ distinguitur in eo ab humana veritate, seu potius veracitate, quod semper enunciat res, prout se revera habent, non tantum ut animo de iis sentit. Hæc enim duo, quæ in hominibus diversa sunt, & non raro à se invicem separantur, semper in Deo conveniunt; qui ut propter summam Sapientiam nunquam decipitur, ita propter summam Sanctitatem nunquam decipit. Unde Paulus *Rom.* III. 4. *est Deus verax, omnis autem homo mendax*. Et *Tit.* I. 2. vocat eum ἀψευδῆ, id est mentiri nescium. Cum quo convenit id quod legimus *Heb.* VI. 18. *Impossibile esse mentiri Deum*. Imo *veritas ipsa* est, *Deut.* XXXII. 4. Quare in omnibus & absque exceptione Deo credere debemus, sive aliquid simpliciter enunciet, sive promittat, sive minetur, item sive loquatur de rebus præsentibus, sive de præteritis, sive de futuris. Qui enim ei non credunt, *eum mendacem facere* dicuntur, 1 *Joan.* I. 10. & V. 10. id est ipsum pro mendace habere. Sed quamvis Dei veritas in omnibus ejus dictis eluceat, solent tamen Sacræ Litteræ eam potissimum celebrare, quando de promissionum ejus impletione agitur. Qua de re vide *Psalm.* LXXXIX. 2, 3, 6, 9, 25, 34, 50. & aliis locis. Aliquando etiam accipitur latissime Dei veritas pro ejus rectitudine seu æquitate, ut cum David dicit, *Judicia Domini vera*, *Psalm.* XIX. 10. & *omnia mandata tua veritas*, *Psalm.* CXIX. 86.

IX. *Fides* Dei est proprie, qua id quod dixit, aut promisit, aut minatus est, constanter exsequitur. Præcipue tamen in ejus promissis spectatur. Unde illud Apostoli: *Fidelis est qui promisit*, *Heb.* X. 23. Nam fidelitas Dei magis laboraret, si non impleret promissa, quam si non exsequeretur minas; quia promissis acquiritur jus aliquod iis quibus promissum est, ut non possit absque injustitia denegari; minis vero non item. Sed generalius etiam usurpatur vox Fidelitatis pro Dei æquitate & benignitate: ut cum Paulus dicit, *Fidelis est Deus, qui non finet vos tentari supra vires*, 1 *Cor.* X. 13. quemadmodum enim fidelis amicus non deserit amicum in periculis; ita neque Deus in tentationibus pios. Quo referri etiam possunt ista; *Fidelis est qui vos vocavit, qui etiam efficiet*, 1 *Thess.* V. 24. Item, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra*, 1 *Joan.* I. 9. Quamquam nihil vetat hæc loca de fidelitate Dei in implendis promissis accipere.

X. *Sinceritas* Dei in eo consistit, quod nunquam contrarium ejus quod cogitat, neque dictis, neque factis ullis, ad homines decipiendum, testatur aut præ se fert. Ea diserte Deo in Scriptura (quod sciam) nusquam tributa legitur. Quin res tamen vere ipsi competat à nemine unquam est in controversiam vocatum. Justitia enim Dei cum simulatione, hypocrisi, dolo, quæ Sinceritati sunt opposita, consistere nequit. Sed ejus splendorem non parum obscurant illi, qui Deum docent sæpe præcipere ea quæ fieri nolit, & promittere aut minari quæ nunquam executioni mandare decreverit; nempe minas electis factas, & promissiones reprobis, quos etiam mandatis suis parere non cupiat.

XI. Usus doctrinæ de Sanctitate & Justitia Dei sunt multi. 1. Sicut is sanctus & justus est, ita oportet nos, si filii ejus esse velimus, sanctitati & justitiæ operam dare, & ab omni impuritate & injustitia, sive in factis sive in dictis, nobis cavere. 2. Servit ad timorem ejus in cordibus nostris excitandum. Nam qui justus est, is abhorret à peccato & iniquitate, eamque impunitam non relinquit. 3. Facit ad consolationem nostram, ut persuasi simus ipsum promissa fidelibus & piis facta impleturum, nec eos in angustiis aut persecutionibus deserturum. 4. Docet nos judiciis Dei acquiescere absque murmure, quia nihil iniquum facere unquam potest.

CAPUT XIV.

De Dei Clementia & Severitate.

I. *Qua in re divina Clementia consistat & quibus in rebus ea eluceat.* II. *De Patientia seu Longanimitate divina.* III. *Absoluta reprobationis patronos Deum his virtutibus pene exuere.* IV. *De Dei Severitate.* V. *Eam superiori-*

riori.

rioribus virtutibus non repugnare. VI. *Usus varii praecedentis doctrinae.*

I. VIrtutes Dei, quæ speciatim affectum iræ moderantur, sunt duæ, *Clementia* & *Severitas.* *Clementia* Dei, quæ etiam *Mansuetudo* vocatur, Græce χρηστότης, in eo consistit, quod non irascatur facile, aut vindictam de peccatoribus nonnisi summa cum miseratione sumat. Eaque in tribus potissimum elucet. *Primo*, Quod Deus est multo propensior ad ignoscendum iis, qui ipsum offenderunt, quam ad eos puniendum, ut ipse testatur apud *Ezechielem* XVIII. 23. & XXXIII. 11. Unde Moses cum celebrat, quod sit *misericors, & clemens, & patiens, & multa miserationis, Exod.* XXXIV. 6. Et David, quod *sit miserator, & misericors Dominus, patiens & multum misericors, Psal.* CXLV. 8. Adeo ut cum punit dicatur *facere opus suum alienum & peregrinum, Esa.* XXVIII. 21. id est, quod non consuevit, & ad quod non libenter accedit; ut docet etiam Jeremias *Lament.* III. 33. *Secundo*, Quod cum punit, id plerumque lenius facit, quam gravitas peccati meretur: Quo spectat illud Davidis, *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, Psal.* CIII. 10. Quod speciatim in hac vita contingit, & erga eos, quos Deus in ira sua, prout digni sunt, non exscindit, sed paterne castigare est contentus, ut ista lenitate eos ad meliorem mentem revocet. *Tertio*, Quod statim atque Deus aliqua pœnitentiæ indicia conspicit in peccatoribus, pronus sit ad ignoscendum. Unde David dicit, *Momentum in indignatione ejus, & vita in delectatione ejus, &c. Psalm.* XXX. 6. Item, *Non in perpetuum irascitur, nec in æternum servat iram suam, Psalm.* CIII. 9. Cujus rei egregium habemus exemplum in Achabo 1 *Reg.* XXI. 29. & in Ninivitis *Jonæ* III.

II. Ad Clementiam Dei quoque pertinet ejus *Patientia* seu *Longanimitas*, Græcis μακροθυμία & ἀνοχή, ratione cujus, phrasi Hebraïca, dicitur *longus narium, Exod.* XXXIV. 6. quod vulgo redditur, *tardus ad iram*; & in eo consistit, quod Deus diu exspectat peccatores ad pœnitentiam, antequam ira sua in ipsos effervescat, & pro meritis ulciscatur. Atque ita olim se erga primi mundi incolas gessit, *quando patientia Dei exspectabat in diebus Noæ*, 1 *Pet.* III. 20. & ipsis CXX annos ad resipiscendum indulsit, *Gen.* VI. 3. Et hodie etiam in dilatione ultimi judicii μακροθυμῶν εἰς ἡμᾶς, & *nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere*, 2 *Pet.* III. 9. Quod Dominus Jesus ostendit parabola ficus sterilis, cujus excisio ad preces agricolæ differtur, *Luc.* XIII. 6. *& seqq.*

III. Sed illi Deum Clementia, & Longanimitate pene eximunt, qui docent ipsum maximam humani generis partem absoluto & irrevocabili decreto ante mundum conditum reprobasse, & ad interminabiles inferni cruciatus destinasse. Sane in miseros istos reprobos, quos nullius adhuc proprii peccati reos ad perditionem destinat, nullo modo est clemens; & in eos nequaquam quadrat, quod Paulus dicit *Deum pertulisse* ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ *vasa iræ coagmentata ad interitum, Rom.* IX. *v.* 22. Imo neque erga absolute electos (si qui tales sint) Deus vere utitur patientia: nam cum ad conversionem ipsorum, ut asserunt, opus sit insuperabili Dei potentia, ea neque citius, neque tardius fieri potest, quam revera fit; ac proinde neque Deus exspectare ut se convertant, sed tantum ut ipse in illis operetur. Quod non est patientem esse.

IV. *Severitas* Dei voce ἀποτομίας, id est, *Rejectionis* significatur, *Rom.* XI. 22. Metaphora sumpta ab hortulanis, qui aridos & inutiles ramos ex arboribus resecant. Idemque sibi volunt tituli, qui ipsi attribuuntur, quod sit *Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios, &c.* in Decalogo *Exod.* XX. & *Deut.* V. Item, *Ignis consumens, Deut.* IV. 24. *Hebr.* XII. 29. & *Deus ultionum, Psal.* XCIV. 1. *Nahum* I. 2. Ea est duplicis generis; *Primum* cum Deus peccatores impœnitentes, & diu patientia sua abusos, tandem in ira sua punit, secundum id quod docet Paulus, *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in diem iræ, & revelationis justi judicii Dei, &c. Rom.* II. 4 *& seqq.* *Alterum* est, cum Deus non exspectata quorundam pœnitentia, eos subito in facinore aliquo deprehensos, è medio tollit. Cujus aliquot habemus exempla in sacris literis tam Veteris, quam Novi Testamenti. Uxor Lothi repente conversa est in statuam salis, eam solummodo ob causam, quod post se, contra interdictum Angeli, respexisset, *Genes.* XVIII. 26. Nadab & Abihu filii Aaronis igne divinitus misso exstinguuntur, quod igne alieno, id est, aliunde quam ex altari, ubi perpetuo ardere debebat, desumpto, usi essent in suffitu offerendo, *Levit.* X. 1. Vir ille, qui ligna die Sabbathi collegerat, jussu Dei statim lapidibus obruitur, *Num.* XV. 32. Quinquaginta mille & septuaginta Bethsemitæ pereunt, quod in arcam Domini ex curiositate inspexissent, 1 *Sam.* VI. 19. Imo Uza, qui bona intentione extenderat manum suam, ad arcam istam labantem sustentandum, subita morte temeritatem suam luit, 2 *Sam.* VI. 6, 7. Septuaginta millia peste pereunt inter Israëlitas, quia David populum numeraverat, 2 *Sam.* XXIV. Ananias & Sapphira ob unicum mendacium confestim ad Petri pedes mortui concidunt, *Act.* V. Herodem Angelus Domini percutit, & vermibus erodendum tradit, eo quod adulatorias populi eloquentiam suam laudantis acclamationes non repressisset, *Act.* XII. 23. Ne jam quicquam dicam de diluvio, quo primus mundus periit, de excidio Sodomæ, & Gomorræ, quæ igne cælitus delapso consumptæ fuerunt, & aliis similibus judiciis Dei, ubi parvuli innocentes iisdem pœnis cum nocentibus involuti sunt.

V. Quæres forte quomodo hæc cum supra laudata à nobis clementia & longanimitate Dei conveniant? Respondeo: Ex iis quæ de istarum virtutum natura diximus, apparet, eas non requirere ut Deus omnia peccata impunita dimittat, nec unquam impiis debitas sceleribus ipsorum pœnas retribuat; sed tantum ne sit propensior ad puniendum, quam ad condonandum. Possunt tamen ejusmodi esse peccati alicujus circumstantiæ, ut Deus nihil adversus istas virtutes faciat, etiamsi peccatorem in aliquo peccandi actu ex improviso opprimat; præsertim quando exemplo nociturus, & impunitas ejus alios ad peccandum audaciores reddituræ esset, & jam ante Dei patientia diu abusus fuit. Quod in exemplis modo allatis deprehendi facile posset, si singula ad examen revocarentur.

VI. Usus doctrinæ de Clementia, & Longanimitate, & Severitate Dei est, ut ipsum amemus, & colamus, qui tam benigne nos tractat; nec unquam patientia ejus abutamur; sed inde potius occasionem sumamus peccatum fugiendi: & ut in timore & tremore coram ipso ambulemus, ne tandem magno nostro malo experiamur, horrendum esse in manus Dei ultrices incidere.

CAPUT XV.

De Potentia Dei.

I. Dei Potentiam se ad omnia quæ fieri possunt extendere. II. *Objectum ejus esse omne possibile.* III. *Contradictionem esse vel à parte rei, vel à parte operantis.* IV. *Hanc Dei Omnipotentiam esse creditu necessariam.*

I. POst attributa, quæ in Dei Voluntate tam affectuum, quam Virtutum instar considerantur, sequitur ut agamus de ejus *Potentia*, Græcis *δυνάμει*, qua utitur ad voluntatis suæ decreta exsequendum; & de *Potestate*, Græcis *ἐξουσίᾳ*, secundum quam aliquid jure facere potest, aut non potest. Quamquam utræque voces, & Græcæ & Latinæ, interdum promiscue usurpantur. De Græcis vide *Marc.* III. 15. ubi Christus dicitur dedisse *ἐξουσίαν* Apostolis sanandi morbos; id est, *δύναμιν*. ubi Patri dicit, *πάντα δυνατά σοι*, id est, *ἔξεστι*; agit de mortis calice à se transferendo. Utraque, tam Potentia quam Potestas, significatur, cum idem dicit, *ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία*, *Matth.* XXVIII. 18. *Potentia* Dei est vis illa, qua ad efficaciter extra se agendum quicquid potest velle, est instructus. Ea quia ad omnia extenditur, quæ aliqua ratione fieri queunt, *Omnipotentia* vulgo dicitur, & ab ea Deus *παντοκράτωρ* vocatur, 2 *Cor.* VI. 18. *Apoc.* I. 8. & alibi. Quod passim Scriptura docet: Vide inter alia loca *Luc.* I. 37. ubi Angelus Gabriel virginem Mariam compellans dicit, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*; id est, nulla res erit impossibilis Deo. *Verbum* enim pro re hic ponitur, & *non omne*, idem est quod nullum, more Hebraïco. Similiter Dominus Jesus ait, *Apud Deum omnia sunt possibilia*, *Matth.* XIX. 26. & *Marc.* X. 27. De Omnipotentia Dei testantur aperte opera ipsius, imprimis creatio cæli & terræ, & eorum quæ illis continentur. Item miracula, quæ contra naturæ à se institutum ordinem plurima fecit per Mosen, Josuam, Eliam, Elizæum, Christum, Apostolos, aliosque.

II. Objectum Potentiæ divinæ est omne possibile, seu quicquid Deus velle potest. Male enim restringeretur ad ea, quæ actu, seu re ipsa vult, & facit, cum longe plura possit, quæ nunquam volet nec faciet. Ita Joannes Baptista dicebat, *Deum ex lapidibus posse suscitare liberos Abrahamo*, *Matth.* III. 9. & quin alios adhuc mundos, & alias creaturarum species, præter eas quas fecit, creare possit, non est dubitandum. Potentia enim Dei perfecta nec lassatur operando, nec unquam exhauritur. Cum autem dico Potentiæ Dei objectum esse omne possibile, per possibile intelligo illud quod non implicat contradictionem ut fiat. Nam quod contradictionem implicat, ne Deus quidem ipse potest; non per ullum Potentiæ suæ defectum, sed quia contradictoria se mutuo destruunt. Ita quod factum est, infectum reddi nequit, repugnante ipsa rei natura.

III. Sed observandum est contradictionem esse duplicem, 1. ex parte patientis seu rei quæ fit. 2. Ex parte agentis, seu ejus qui operatur. Ex parte patientis, seu rei quæ fit, aliquid contradictionem implicare dicitur vel expresse, vel implicite. Contradictio expressa est, quæ ex ipsis terminis patet statim atque proferuntur. Ut si quis dicat, posse fieri ut homo qui est natus non sit natus; & qui peccavit non peccaverit; ut homo non habeat animam rationalem, ignis sit frigidus, aqua vero sicca. Talia Deum non posse, sentiunt omnes Theologi æque ac Philosophi. Contradictio implicita est, quæ non statim apparet ex terminis, quibus effertur, sed per consequentiam ratiocinando elicitur. Qualis est, dicere, mundum ab æterno fuisse creatum; item unum corpus esse simul totum in multis, & à se invicem separatis locis; animam esse totam in toto corpore, & totam in qualibet corporis parte. Et de ea sæpe magna lis est, quia illi, quibus objicitur, negant se eam animadvertere. Caute igitur hic est agendum, nec statim pronunciandum illud implicare contradictionem, ac proinde à Deo fieri non posse, quod non capimus, qua ratione fieri queat. Multa enim captum nostrum superant, quæ tamen possibilia sunt, & à Deo fieri possunt. Sed oportet ut contradictio per tam claram & evidentem consequentiam deducatur, ut quilibet, quantumvis idiota & rudis, modo animum præjudicio fascinatum non habeat, eam statim possit deprehendere. Non ausim ergo dicere creationem ex nihilo, aut futurorum contingentium præscientiam contradictionem implicare, ut quidam audacter pronunciant. Ex parte agentis illud implicat contradictionem, quod naturæ ipsius repugnat. Hoc sensu implicat contradictionem, ut Deus moriatur, aut è regno suo deturbetur; item

item, ut mentiatur, vel sit causa peccati. Quanquam postrema hæc duo exempla, magis Dei Potestati, quam Potentiæ repugnant.

IV. Deum omnia præter ea, quæ contradictionem implicant, facere posse, necessarium est creditu. Est enim hoc perpetuum fiduciæ, quam in eo collocamus, fulcrum; quo ruente, nec bona, quæ cultoribus suis promisit, certo exspectare; nec mala, quæ minatur impiis valde metuere possemus. Et sic omnis nostra religio, quæ his duobus, tanquam columnis, sustentatur, pessum iret. Ideoque hujus attributi solius mentio fit in symbolo, quod Apostolicum vocant, utpote quod cætera omnia virtute comprehendat.

CAPUT XVI.

De Potestate Dei.

I. *Quid sit Potestas Dei.* II. *Deo summum jus in omnia competere.* III. *Quousque se extendat illa potestas respectu creaturarum.* IV. *Et præcipue respectu hominis ratione præditi.* V. *Hanc potestatem in creatione fundatam esse.* VI. *Quosdam nimis extendere, vel restringere Dei potestatem.* VII. *Potestatem divinam esse independentem, universalem & æternam.* VIII. *Usus doctrinæ superioris.*

I. DE *Potestate* seu *Jure* Dei jam quædam diximus, cum de ejus Justitia ageremus, quod vix propter istarum rerum affinitatem potuit vitari: differunt tamen inter se Justitia & Jus seu Potestas, quod Justitia semper præsupponat potestatem: sed non vice versa. Justitiam, ut recte exerceatur, potestatem præsupponere, id docet, quod aliquis juste judicans (si rem ipsam in se consideres) injuste facere censetur, si judicandi potestatem non habet, vel extra jurisdictionis suæ terminos judicat. Potestatem vero non semper præsupponere Justitiam ut intelligatur, animadvertendum est, justum duobus dici modis: primus est, cum aliquid omnino debet fieri, ut in justitiam non peccetur; sic justum est ut alteri solvam, quod ipsi debeo, & nisi solvam injustus sum futurus. Secundus est, cum aliquid sine justitiæ læsione potest fieri vel omitti: sic exigendo quod mihi ab altero debetur facio quidem quod justum est, sed si non exigam, non ero propterea injustus. Circa prius justi genus, quod affirmativum & proprie justum dicere possis, versatur Justitia; circa posterius, quod est velut negativum, id est non injustum sed tamen improprie justum, occupatur Jus seu Potestas.

II. Deo autem Potestatem, & quidem summam, in omnia competere, ut de iis, quicquid videtur statuere possit, multa docent: Primo enim ἐξουσία, quæ id expresse significat, aliquoties ipsi in S.Scriptura tribuitur, ut *Luc.* XII. 5. *Act.* I. 7. *Judæ versu* 25. *Secundo* nomina Dei idem ostendunt: alia quidem minus aperte, ut *El*, *Elohim*, Θεός, ὕψιστος: alia vero apertius, ut *Adonai*, Κύριος, δεσπότης, item titulus *Regis*, *Legis-latoris*, & similes. *Tertio*, validissime probatur Dei potestas ex rerum omnium creatione: naturali enim jure quilibet opifex est opificii sui dominus: imo etiam Deus antequam quicquam condidisset, summa & libera erat potestate instructus, quæ in his duobus consistebat: *primo*, quod Deus poterat pro arbitrio suo res creare & non creare: non enim obligabatur ex justitia illud esse dare creaturis, quod eis dedit; sed totum istud ex ipsius libera voluntate pependit: *Secundo*, quod tales creavit, quales voluit, adeo ut nulla earum conqueri possit, quod se talem potius quam aliam fecerit, ex. gr. homines, quod ipsos tam excellentes non fecerit, quam Angelos, aut tanto corporis robore atque agilitate non donarit, ut leones, tauros, cervos, aquilas. Ex quibus sequitur Deum etiam quicquid libet de creaturis suis facere posse, nempe esse illud, quod eis dedit, auferre, vel ipsas in aliam formam aut conditionem transferre: quod jus, etsi absque cujusque injuria liceat ei usurpare, certum est tamen nunquam eo, nisi ex æquitatis & sapientiæ suæ præscripto uti; adeo ut verendum non sit ne aliquando abutatur: hucque pertinet quod Dominus Jesus Deo tribuit in parabola patris-familias, *An non licet mihi quod volo facere in meis? Matth.* XX. 15. Et Paulus, *Numquid dicet figmentum ei qui se finxit, cur fecisti me sic? annon habet potestatem figulus, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Rom.* IX. 20, 21.

III. Sed ut melius intelligatur quousque hæc Dei potestas se extendat, ea nobis distincte respectu diversi generis creaturarum est consideranda. *Primo*, aliæ sunt, quæ esse solum habent: *Secundo*, aliæ præter esse habent etiam vivere: *Tertio*, aliæ præter esse & vivere habent quoque sentire: *Quarto*, denique aliæ præter esse, vivere & sentire, intelligendi adhuc facultate sunt donatæ. Circa primas, quales sunt terra, aqua, lapides, mineralia; item circa secundas, quales sunt plantæ, potestas Dei extenditur in infinitum, cum non sint injuriæ capaces; licet ergo ipsi quicquid vult aut velle potest, de eis statuere; videlicet, destruere, annihilare, augere, minuere, immutare, & ad quoscunque videtur usus eas adhibere. Circa tertias, quales sunt animantia, quæ Deus sensu voluptatis & doloris donavit, videtur potestas ejus non plane esse illimitata: eo enim ipso quod tales condidit, jus sibi ademit eas aliter, quam naturæ ipsarum convenit, tractandi: quatenus quidem eas voluptatis capaces fecit, potestas ejus nullos habet terminos: non solum enim jus habet illarum voluptatem, quousque vult augendi; sed etiam penitus auferendi, & insensibiles reddendi. Sed quatenus doloris sensum iis indidit, potestatem non videtur habere illas summo & æterno dolore, nisi meruerint, afficiendi: ita enim Dei beneficium, quod cæteris nobiliores ipsas fecit, in maleficium converteretur.

IV. Circa quartas, nempe ratione præditas,

qualis est homo, paulo diversa est à præcedentibus ratio divinæ potestatis; quatenus quidem homines sunt & vivunt, Deus habet jus, esse & vitam, quam iis dedit, quando videtur & quocunque libet modo, repetendi; & quatenus voluptatis & doloris sensu præditi sunt, idem quod de cæteris animantibus statuendi: sed Dei imago ad quam sunt conditi, cum anima rationali, requirit ut Deus, quod ad reliqua attinet, aliam erga ipsos agendi rationem ineat; & *primo* quidem potest Deus pro arbitrio suo iis leges ferre & non ferre; sed quando aliquas ferre libet, non potest alias, quam quæ cum sanctitate sua, & ratione, qua donavit eos, conveniant: *Secundo*, potest Deus leges suas qualibus vult præmiis & pœnis sancire, vel non sancire, dummodo pœnæ meritum peccati gravitate non exsuperent.

V. Quæritur jam, quodnam sit potestatis divinæ in creaturas fundamentum, utrum ὑπεροχὴ seu præstantia naturæ Dei, quæ infinitis parasangis distat ab omnibus rebus creatis; an vero creatio, qua illis esse quod habent communicavit. Nos posterius asserimus; nam cum ὑπεροχὴ seu præstantia sit ens relativum, necessario id præsupponit suum correlatum, nempe creaturas supra quas emineat & excellat Deus; oportet ergo ut Deus creaturis prius esse dederit, quam iis præstare queat: quo posito, sequitur creationem, sine qua Deo nulla supra creaturas eminentia competeret, supremum esse potestatis, quam in eas habet, fundamentum: nec aliunde illud sacræ literæ desumunt: *Verbo Domini cœli firmati sunt &c. timeat Deum omnis terra*, *Psalm.* XXXIII. 6,7,8. *Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores ejus sunt, quasi locustæ, qui extendit velut nihilum cœlos, & judices terræ velut inane fecit*, *Esa.* XL. 22. *&c. Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, &c. statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate*, *Act.* XVII. 24. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant omnia & creata sunt*, *Apoc.* IV. 11. Ad jus autem quod Deo competit ex creatione, accedit postea illud quod in fœdere cum hominibus & illorum peccato fundatum est.

VI. Errant igitur illi graviter, qui Deo potestatem tribuunt creaturas innocentes æternis inferni cruciatibus addicendi; sic enim malum quo eas afficeret, infinitis partibus beneficium ab ipso acceptum excederet; imo creatio in istum finem tendens, non esset beneficium, sed maleficium; nec ex amore, sed ex odio foret profecta; nec propter eam obligarentur miseræ istæ creaturæ ad Deum amandum & colendum, sed potius ab eo deberent abhorrere; quæ omnia cogitatu sunt horrenda, & in Deum contumeliosa. Sed non minus in altero extremo peccant ii, qui docent Deum ne minimum quidem peccatum illæsa justitia impunitum posse dimittere. Quæcunque enim Deus extra se operatur, liberrime pro voluntatis suæ beneplacito operatur, sive præmio eos, qui parent suis legibus, afficiat, sive pœnas in rebelles decernat: & per hanc opinionem Deus exuitur misericordia in condonandis gratuito peccatis, quam S. literæ toties & tam magnifice prædicant; & minus in hoc rerum genere vi potestatis conceditur, quam habeant homines, quibus laudi vertitur gratuito condonare aliis quæ in se peccarunt. Præcipue vero miror, quod aliqui tam procul à veritate abeant, ut utrumque istud extremum simul tueantur, potestatem Dei in malefaciendo creaturis in infinitum extendentes: in benefaciendo vero seu ignoscendo intra arctissimos limites contrahentes.

VII. Hujus potestatis Dei tres sunt præcipuæ proprietates: *Prima* est, quod sit plane independens, eam enim à nullo accepit, sed ex se habet tamquam creator universi omnipotens: qua in re differt à potestate, quam ipse Domino Jesu communicavit, *Matth.* XXVIII. 18. *Ephes.* I. 20,21,22. *Phil.* II. 9, 10, 11. *Altera* est, quod potestas Dei sit universalis, seu omnia absque exceptione ambitu suo complectatur; nihil enim est in hoc universo quod Dei imperio non sit subjectum: magna quidem est Angelorum bonorum potestas, qui Principatus & Potestates vocantur, *Rom.* VIII. 38. & Satanæ, qui Deus & Princeps hujus seculi dicitur, *Joh.* XIV. 30. & XVI. 11. 2 *Cor.* IV. 4. *Ephes.* II. 2. & VI. 12. Sed præterquam quod eam à Deo acceperunt, limitibus etiam à providentia ipsius positis est constricta. *Tertia* est, quod potestas Dei in æternum absque ullo fine sit duratura, Christi vero ad consummationem tantum hujus seculi durabit, & tunc Patri, à quo illam accepit, restituet, 1 *Cor.* XV. 24, &c.

VIII. Usus doctrinæ de Potestate Dei sunt multi. *Primo*, ut coram Deo nos demittamus, qui absolutum in nos habet imperium, & de nobis quicquid vult statuere potest. *Secundo*, ut quando affligit nos aut castigat, adversus ipsum non murmuremus, scientes eum potestate sua nunquam abuti; ita faciebat Heli 1 *Sam.* III. 18. David 2 *Sam.* XVI. 25, 26. Job *cap.* I. 21. *Tertio*, ut moderate utamur potestate quam in alios nobis inferiores accepimus, cogitantes nos omnes communem Dominum habere in cœlis, apud quem non est personarum acceptio, *Coloss.* IV. 1. *Quarto*, ut si quando mandata hominum, quorum imperio subjecti sumus, sint Dei mandatis contraria, meminerimus, potius obediendum esse Deo, qui omnium supremus est Dominus, quam hominibus, *Act.* V. 29.

CAPUT XVII.

De Perfectione, Beatitudine, & Gloria Dei.

I. *Perfectionem & quidem summam Deo competere.* II. *Quæ sit Dei Beatitudo, & quanta.* III. *Quid Dei Gloria intelligatur in S. literis.* IV. *Necesse esse superiora de Deo credere.*

I. ET hæc de Potentia & Potestate Dei; sequitur ut de ejus *Perfectione*, *Beatitudine*, & *Gloria* agamus. *Perfectio* videtur quibus-

busdam potius esse aliorum Dei attributorum commune adjunctum, quam speciale aliquod ex illis: Deus enim est perfecte sapiens, perfecte justus, perfecte potens, & sic de aliis: sed id tamen non obstat, quin specialiter inter reliqua Dei attributa consideretur. Perfectionem, & quidem summam, quæque omnem creaturarum perfectionem excedat, Deo tribuendam esse, evidenter ex iis colligitur quæ huc usque de ejus natura disseruimus. Spiritui enim æterno, immenso, sapientissimo, liberrimo, potentissimo & supremo omnium Domino nihil eorum deest, quæ ad perfectissimum ens constituendum sunt requisita: quod ipse significat, cum sibi nomen *El-Schaddai* tribuit, *Gen.* XVII. 1. *Exod.* VI. 3. id enim tantundem valet atque *αὐταρκὴς*, *sibi sufficiens*; Item cum dicit, *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, &c. si esuriero non dicam tibi; meus enim orbis terræ, & plenitudo, Psalm.* L. 9, 12. quibus concinunt ista Pauli, *Deum nullius rei esse egentem, cum ipse det omnibus vitam & halitum & omnia*, *Act.* XVII. 25. Opera quoque ejus idem testantur, quæ perfecta sunt, *Deut.* XXXII. 4. *Omne donum perfectum descendit à Patre luminum, Jac.* I. 17. Nemo autem perfectionem alteri dare potest quam ipse non habeat. Quantum autem Dei Perfectio omnium creaturarum perfectionem superet, ex his tribus indiciis colligi potest. 1. Ipse perfectionem suam aliunde non accepit, sed habet à se ipso, & quicquid in creaturis est perfectionis, id à Deo tanquam ex inexhausto fonte promanat. 2. Solus omnia possidet quæ ad aliquem perfectum reddendum sunt requisita; cum creaturæ quæ aliquo bonorum genere abundant, in aliis vulgo soleant deficere, ut homines respectu brutorum, à quibus superantur interdum visu, auditu, robore, agilitate, &c. 3. Deus non tantum omnia habet, sed etiam in summo gradu, adeo ut nihil ei possit accrescere, non magis quam decrescere: quæcunque vero in creaturis perfectio reperitur, solummodo inchoata est, & mutabilis, & in aliis major, in aliis minor, prout Deo similiores aut dissimiliores sunt.

II. Ex hac Dei perfectione resultat ejus *Beatitudo*, quæ est status excellentissimus, non solum ab omnibus malis immunis, sed etiam omnium bonorum aggregatione constans. Paulus *Deum beatum* diserte vocat, 1 *Tim.* I. 11. & VI. 15. in quo omnes qui aliquam inter Ethnicos Dei habuerunt notitiam, consentiunt; eaque fuit causa cur Epicurus Dei providentiam negarit: veritus nempe ne sollicita omnium cura beatitudinem ejus turbaret. Tanto autem solidior est Dei beatitudo, quod certus sit se nunquam ex ea excidere, aut deturbari posse, utpote natura immutabilis & corruptionis expers.

III. Superest *Gloria* Dei, per quam intelligimus illam excellentiam, qua supra omnes creaturas eminet, cum fulgorem suum extra se emittit. Illius sæpe in S. Scriptura fit mentio, & ad eam celebrandam David plurimos Psalmos composuit. Eam Chori Angelorum Christo nascente prædicarunt, dicentes: *Gloria in excelsis Deo*, *Luc.* II. & Seraphim coram ejus throno in cœlis assidue canunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus, Esa.* VI.

IV. Quam vero referat credere Deum perfecte omnibus bonis esse instructum, summeque beatum, & gloria, veluti vestimento, amictum, unusquisque facile animadvertere potest. Facit enim non tantum eo, ut cum plena animi fiducia bonorum cælestium abundantiam, beatitudinem & gloriam, quæ suis cultoribus promisit, expectare ab eo possimus. Quis enim speret se à paupere & indigno divitem, ab infelice & misero beatum, aut ab inglorio gloriosum iri redditum? Sed etiam ut ipsum in majore veneratione habeamus, & gloriam ejus ultimum omnium actionum nostrarum scopum, juxta Apostoli monitum, constituamus, *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*, 1 *Corinth.* X. 31.

CAPUT XVIII.

De Unitate Dei.

I. *Deum esse Unum, unitate numerica.* II. *S. Scripturam id expressis verbis testari* III. *Et rationes evidentes id evincere.* IV. *Quo sensu S. Scriptura dicat multos esse Deos.* V. *Gentilium πολυθεότης refellitur.* VI. *Et necesse esse Unum tantum summum Deum agnoscere.*

I. ULtimum inter Dei attributa locum reservavimus *Unitati*, ut pateat, illum cui omnia ista supradicta conveniunt, esse tantum *Unum*, non plures. Cum autem Unitas alia sit generica, ut inter homines, equos, boves, qui in genere animalis conveniunt; alia specifica, ut inter Petrum, Paulum, Jacobum, qui omnes sunt homines; alia denique numerica, singulorum individuorum seorsim consideratorum, ut hic homo, hic canis, hic psittacus; Nos postremo hoc Unitatis modo, qui est solus proprie dictus, Deum dicimus esse Unum, significantes ipsum talis esse naturæ, quæ non tantum una sit in se, sed etiam multiplicari aut in plura dividi nequeat.

II. Dei unitas probatur *primo* expressis S. Scripturæ testimoniis, quæ passim magno numero tam in Veteri quam in Novo Testamento occurrunt. *Audi Israël, Dominus noster, Dominus unus est, Deuter.* VI. 4. Qui locus repetitur *Marc.* XII. 24. Item, *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me, Deuter.* XXXII. 39. *Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, Ephes.* IV. 6. Idemque etiam legimus 2 *Sam.* VII. 22. 1 *Reg.* VIII. 60. *Esa.* XXXVII. 16. & XLIII. 10, 11, 12. & XLIV. 6. & XLV. 5, 6, 21, 22. & XLVI. 9. *Hos.* XIII. 4. 1 *Tim.* II. 5. 1 *Cor.* VIII. *v.* 4, 5, 6.

III. *Secundo*, rationes evidentes idipsum evincunt. Nam si plures uno essent Dii, singuli libera potestate prædititi, ut requiritur in supremis hujus Universi Dominis, contraria possent velle,

& unus alium in eo quod facere proposuisset impedire. Sic autem omnes non forent omnipotentes; deinde ordo rerum in mundo turbaretur. Præterea si ab uno Deo discedas, necessario tandem ad infinitum Deorum numerum erit veniendum. Nulla enim solida reddi potest ratio, cur oporteat credere duos aut tres esse Deos potius quam decem, aut decem quam centum, aut centum quam mille. Si enim unus omnibus administrandis non sufficit, forte neque decem, neque centum, imo neque mille, aut decies mille. Infinitas autem Deorum est absurda, ut sapientes inter Ethnicos semper agnoverunt, cum nihil nisi confusionem in regimine mundi parere sit nata; quam tamen admirandus qui in eo conspicitur ordo sufficienter refutat. In istud autem absurdum illi incidunt qui Deos in mares & fœminas dividunt, & generare ac generari putant. Nam cum omnes sint immortales, numerum eorum in infinitum augeri necesse erit. Sed neque duo activa rerum principia, unum bonum, alterum malum, cum Manichæis oportet statuere. Ex duobus enim principiis oppositis procedere non posset eximius iste ordo, de quo modo dicebamus, sed contra mera confusio, uno alterius opus impugnante & destruente. Adde quod Deum aliquem esse malum, communi omnium hominum sensui repugnat, qui Dei nomine optimum & præstantissimum aliquod ens intelligunt. Unde dicitur homo homini Deus esse, cum ipsi benefacit.

IV. Nec obstat quod Scriptura plurium Deorum meminit, tituloque Dei aliquando insignit Angelos bonos ac malos seu Dæmonas, item Reges & Principes; ut antea de nominibus Dei tractantes ostendimus. Hic enim agitur de summo Deo, qui *Deus Deorum* κατ' ἐξοχὴν vocatur, *Deuter.* x. 17. *Psalm.* cxxxvi. 2. & nonnisi unus esse potest. Qua de re illustris apud Apostolum Paulum exstat locus, *Scimus nullum alium esse Deum nisi unum. Nam etiamsi sint qui dicantur Dii, & in cœlo & in terra, (sicut sunt Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus est Deus, Pater ille à quo omnia, & nos in ipso; & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*, 1 *Corinth.* viii. 4, 5, 6. Ubi per *multos* istos *Deos*, non tantum intellexit Idola, quæ καταχρηστικῶς Dii appellantur; sed etiam eos quibus vere ex supremi Numinis concessione convenit, quales sunt Angeli & Magistratus. Quamvis enim prima verba, *etsi sint qui dicantur Dii*, non incommode de Idolis possent accipi; tamen reduplicatio addita, *sicut sunt Dii multi*; ejusmodi sensum plane respuit. Sed sacræ literæ ideo unum esse Deum asserunt, quia unus tantum est summus, qui proprie & ex se appellatione hac sit dignus; cæterique omnes quod habent imperium ab eo acceperint, ipsique subjecti sint.

V. Graviter itaque errarunt Gentiles, qui πολυθεότητι adhæserunt, imperiumque hujus Universi in tres summos Deos divisum esse dixerunt, *Jovem* nempe qui præesset cœlo & terræ, *Neptunum* qui imperium haberet maris, & *Plutonem* qui dominaretur inferis; quibus magna minorum Deorum turba subjecta esset. Erroris que hujus fœditatem non parum auxit, quod isti quos pro summis & independentibus Diis habebant, Dei nomine indigni plane essent, utpote homines mortui & qui impie vixerant, quemadmodum Lactantius, Augustinus, & alii veteres Christiani ex ipsorum Ethnicorum libris, nominatim ex Euhemeri Messenii Deorum historia docent. Præterea Dæmones, ad fovendam idololatriam, simulacra istorum numinum commentitiorum obsederunt, & in illis adorati fuerunt; ut discimus ex Paulo, dicente, *Quæ immolant Gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo*, 1 *Cor.* x. 20. Speciosius aliquantum errarunt, qui Sidera coluerunt pro Diis: præsertim Solem, quo nihil terræ & omnibus animantium generibus est utilius. Sed cum nulla in iis rationis indicia appareant, & nihil aliud nisi corpora ignea esse videantur, pro Diis haberi non debent: Judæi, qui putant Astra esse animantia ratione prædita, fundamentum idololatriæ imprudentes retinent, quæ stante ista opinione difficulter everti potest.

VI. Quam utile sit unum tantum summum Deum agnoscere, docet noxa contrariæ sententiæ, quæ impedit ne verus Deus à nobis prout oportet colatur. Vult enim *diligi ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus nostris*, *Deuter.* vi. 5. *Matth.* xxii. 37. At si dilectio ista in plures dividatur, minor ejus erga singulos erit fervor, nec uni totum quod petit cor dari poterit. Adde quod cum Deorum numerus πολυθεΐας assertoribus non sit exploratus, angi semper ipsos animo oportet, nescientes an aliquem forte cui debeatur cultus prætererierint. Cui incommodo mederi quidem voluerunt Athenienses erecto altari in honorem *ignoti Dei*, *Actor.* xvii. 23. vel *ignotorum Deorum*, ut refert Pausanias in Atticis. Sed frustra; cum fieri nequeat, ut eum debita cum fiducia in ejus bonitatem & potentiam colas, quem an existat compertum non habeas.

CAPUT XIX.

De Deitate Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

I. *Patri Deitatem in S. Scripturis attribui.* II. *Filio, & Spiritui S. etiam Deitatem adscribi.* III. *Speciatim S. Scripturam Filio,* 1. *Dei nomina,* IV. 2. *Proprietates,* V. 3. *Opera,* VI. 4. *Denique, cultum & honorem attribuere.* VII. *Et Spiritui S. Dei proprietates etiam,* VIII. *Et Opera adscribere.* IX. *Supremum tamen Deitatis apicem in Patre residere.* X. *Filium respectu Deitatis, Patri esse subordinatum.* XI. *Uti Spiritum S. Patri & Filio.* XII. *Tam arctum tamen esse inter eos vinculum, ut hi tres unum esse dicantur.*

I. CUm autem hactenus ostenderimus, quid sit Deus, seu quænam sint naturæ divinæ attributa & proprietates; restat jam ut videamus, quis sit ille cui ea conveniunt: Is nobis in Scriptura variis describitur titu-

titulis, & ab illis qui Dei non sunt secernitur. Modo enim dicitur esse *Deus, qui cœlum & terram creavit*, seu *qui cœli & terræ est Dominus*, ut *Genes.* I. 1. & XIV. 22. *Psalm.* CXLVI. 6. *Esa.* XLII. 5. & XLV. 18. *Jon.* I. 9. *Matth.* XI. 25. *Act.* IV. 24. & XIV. 14. *Apoc.* XIV. 7. Modo *Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi*, ut *Exod.* III. 6, 15. & IV. 5. 1 *Reg.* XVIII. 36. 1 *Chron.* XXIX. 18. Modo *Deus qui eduxit Israëlitas e terra Ægypti*, *Exod.* XX. 2. *Osea* XII. 9. & XIII. 4. *Amos* II. 10. *Mich.* VI. 4. Modo denique sub N. Fœdere, *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi*, ut 2 *Cor.* I. 3. *Ephes.* I. 3, 17. 1 *Pet.* I. 3. Hic est ille qui *solus verus Deus vocatur* à Jesu Christo, *Joh.* XVII. 3. & quem Joannes appellat *verum Deum*, cujusque Jesum Christum dicit esse filium, 1 *Joan.* V. 20. ubi *verus Deus* idem significat atque summus & independens: nam etiam aliquo sensu illi possent veri Dii vocari, quos Deus ipse Deorum titulo honoravit. Angelus Gabriël eum *Altissimum* nominat, cum dicit *Jesum e Virgine Maria nasciturum, filium Altissimi vocatum iri*, *Luc.* I. 32.

II. Sed præterea Jesu Christo, unigenito Dei Filio, Deitas à Patre fuit communicata, & naturæ divinæ proprietates ipsi, sicuti etiam Spiritui Sancto, attribuuntur. Atque hi tres Pater, Filius & Spiritus Sanctus aliquoties, ubi agitur de Deo, conjunguntur & simul nominantur; *Profecti*, inquit Dominus Jesus suis Apostolis, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, *Matth.* XXVIII. 19. & Paulus, *Gratia Jesu & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis*, 2 *Cor.* XIII. 13. Item, *Distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus, & distinctiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus, & distinctiones operationum sunt, sed idem est Deus*, 1 *Cor.* XII. 4, 5, 6. unde apparet Filium & Spiritum Sanctum ejusdem cum Patre naturæ divinæ esse consortes.

III. Filio autem ea, quæ Dei sunt propria, attribui ostendunt sequentia: *Primo nomina: Verbum*, quod idem est cum Dei Filio, *Deus* diserte vocatur, *Joan.* I. 1. *Christus est Deus super omnia benedictus in secula*, *Rom.* IX. 5. Thomas eum sic compellat, *Dominus meus, & Deus meus*, *Joan.* XX. 28. idemque significat appellatio illius *Domini unius per quem omnia*, 1 *Cor.* VIII. 6. item *Domini gloriæ*, 1 *Cor.* II. 8. *Regis regum & Domini dominantium*, *Apoc.* XVII. 14. & XIX. 16. & *Filii Dei*, non adoptitii, sicut sunt omnes fideles, sed *unigeniti*, *Joan.* I. v. 18. & III. 16. *proprii*, *Rom.* VIII. 32. & statim à nativitate sua, *Luc.* I. 35.

IV. *Secundo attributa Dei*; *Filius habuit gloriam apud Patrem antequam mundus esset, quam Pater ei dedit, quia ipsum dilexit ante constitutionem mundi*, *Joan.* XVII. 5, 24. *Ipse ante omnes est, & omnia in ipso consistunt*, *Col.* I. 17. *Primus est & Novissimus, vivens in secula seculorum*, *Apoc.* I. 17, 18. dicitur *splendor gloriæ & figura substantiæ Dei*, *Heb.* I. 3. *quem qui vidit*, id est cognovit, *vidit etiam Patrem*, *Joan.* XIV. 9. *est in medio fidelium qui congregati sunt in nomine ejus*, *Matth.* XVIII. 20. *est cum discipulis suis usque ad consummationem seculi*, *Matth.* XXVIII. v. 20. *Scit omnia*, *Joan.* XX. 17. *Nec opus erat ut quisquam ei testaretur de homine, quia ipse sciebat quid esset in homine*, *Joh.* II. 25. *sciebat ab initio qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum*, *Joan.* VI. v. 64. *scrutatur renes & corda*, *Apoc.* II. 23. *Potest sibi subjicere omnia*, *Philip.* III. 21.

V. *Tertio, Dei opera*; *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est; & mundus per ipsum factus est*, *Joh.* I. 3, 10. *Omnia per ipsum condita sunt in cœlo & in terra, tum visibilia tum invisibilia*, *Col.* I. 16. & *Quæcunque Pater facit, ea etiam Filius facit*, *Joan.* V. 19. *Portat omnia verbo virtutis suæ*, *Heb.* I. 3. miracula edidit innumera, quotiescunque voluit, virtute perpetuo in se residente, quam etiam discipulis suis communicavit, ut *in nomine suo miracula facerent, imo majora quoque quam ipse* in terra adhuc versans *fecisset*, *Matth.* X. 1. *Marc.* XVI. 17, 18. *Joan.* XIV. 12. *Habebat potestatem in terra dimittendi peccata*, *Marc.* II. v. 5. *&c.* jussitque Apostolos *prædicare in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes*, *Luc.* XXIV. 47. *Act.* XIII. 38. *Spiritum Sanctum largitur credentibus in se*, *Joh.* VII. 38, 39. *Act.* II. *toto.* *Fideles suscitabit in ultimo die, & dabit iis vitam æternam*, *Joan.* VI. 39, 40. *Judicabit vivos & mortuos, & unicuique reddet secundum opera sua*, *Joan.* V. 28, 29. 2 *Cor.* V. 10. *Apoc.* XXII. v. 12.

VI. *Quarto* denique *cultus & honor divinus* Christo debet exhiberi ab hominibus; *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium sicut honorant Patrem*, *Joan.* V. 22, 23. Et *omnes creaturæ dicunt sedenti in throno & Agno* (id est, Deo Patri & ejus Filio) *Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum*, *Apoc.* V. 13.

VII. Spiritus S. nusquam expresse Deus vocatur: sed tantum per consequentiam ex *Actor.* V. collatis inter se *versu* 3 & 4. Ordinarium ipsius nomen est *Spiritus Dei*. *Proprietates* vero & *Opera Dei* sæpe ei attribuuntur. *Primo Proprietates*; erat enim cum mundus inciperet creari, *movebatque se super aquas*, *Gen.* I. 2. Omnipræsens est; nam David dicit, *Quonam ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* *Psalm.* CXXXIX. 7. & Paulus, *An nescitis vos templum esse Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis?* 1 *Cor.* III. 16. & VI. 19. Omniscius est, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Ea quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*, 1 *Cor.* II. 10, 11. Omnipotens est; nam est *virtus Altissimi*, *Luc.* I. 35. *digitus Dei*, *Luc.* XI. 20.

VIII. *Secundo Opera*, qualis est rerum omnium creatio, *Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum*, *Psalm.* XXXIII. v. 6. item conservatio: *Emittes Spiritum tuum & creabuntur*, (vel potius recreabuntur) *& renovabis faciem terræ*, *Psalm.* CIV. 30. item *regeneratio hominis*, *Joan.* III. 6. *deductio in omnem veritatem*, *Joh.* XIV. 26. & XV. 26. & XVI. 13. *Cura* perpetua *Ecclesiæ & ministerii verbi* in ea instituti, *Act.* XIII. v. 2. & XV. 28. & XX. 28. & 1 *Cor.* XII. 3, &c. Denique

nique quanta sit ejus dignitas & excellentia inde patet, quod *blasphemia in Spiritum S. sit irremissibilis*, *Matth.* XII. 31, 32. & quod adjungatur Patri & Filio in baptismo, *Matth.* XXVIII. 19. quod Paulus fidelibus *communicationem Spiritus Sancti* optat, una *cum charitate Dei & gratia Jesu Christi*, 2 *Cor.* XIII. 13.

IX. Sed quamvis Filius & Spiritus S. longe supra omnes creaturas excellant, Patri tamen sunt subordinati, à quo existentiam & divinitatem suam acceperunt: in Patre enim solo reperitur istud summum Deitatis fastigium seu ἀξίωμα, quod ex se ipso sit Deus, seu naturam suam divinam à nullo acceperit, sed contra omnis Divinitatis sit fons; & quicunque ejus sint consortes, illi soli acceptam ferre debeant. Et propter hanc Patris supra Filium & Spiritum S. prærogativam, fit ut perpetuo in Sacris literis nomine Dei, simpliciter & absolute posito, Pater solus intelligatur; ut apparet præcipue ex illis locis ubi Deus Jesu Christo, aut Spiritui S. opponitur, ex. gr. quando Deus dicitur Jesum Christum misisse, suscitasse ex mortuis, exaltasse ad dextram suam, Spiritum suum effundere, & similia: item ex eo quod Pater non tantum vocatur *verus Deus*, sed & *solus verus Deus*, *Joan.* XVII. 3. quod improprie admodum fieret nisi magna esset Patris in Deitate ὑπεροχὴ seu præeminentia.

X. Sed istud specialius adhuc respectu tam Filii quam Spiritus S. plurimis evidentibus testimoniis ostendi potest. Primum quidem respectu Filii, ut vel sola hæc filii appellatio indicat. Omnis enim filius suum esse accipit à patre, & in eo ipsi est inferior; qua de causa Christus non veretur dicere, *Pater est major me*, *Joan.* XIV. 28. longe enim excellentius est à se ipso Deum esse, seu potius à nullo, quam ab alio deitatem suam habere: eodemque spectat quod ipse dicit, *Pater dedit Filio habere vitam in semetipso*, *Joan.* V. 26. Et *Ego vivo propter Patrem*, *Joan.* VI. 57. & *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, *Joan.* V. 19, 20, 30. Et quod admiranda & divina sua opera ad Patrem semper referat, tanquam auctorem, cujus virtute illa faciebat, *Pater in me manens ipse facit opera*; *Joan.* XIV. 10. vide etiam *Joan.* V. 36. & X. 25, 37, 38. item quod dicit, *se à seipso non venisse, sed à Patre suo missum esse*, *Joan.* VII. 28, 29. & VIII. 42. *Doctrinam quam annunciabat non esse suam, sed Patris qui miserat ipsum*, *Joan.* VII. 16, 17. & XII. 49, 50. & XIV. 10, 24. *se non venisse ut faceret voluntatem suam, sed Patris*, *Joan.* V. 30. & VI. 38. *se mandata à Patre accepisse*, eaque *servasse*, *obedivisse Deo, & ejus servum fuisse*, *Joan.* X. 18. & XII. 49. & XIV. 31. & XV. 10. *Phil.* II. 8. *Hebr.* V. 8. *Matth.* XII. 18. *se propriam gloriam non quærere, sed ejus qui miserat ipsum*, *Joan.* VII. 18. *suum non esse dare ut aliquis ad dextram suam aut sinistram in regno suo sedeat, sed* (id datum iri) *quibus esset paratum à Patre suo*, *Matth.* XX. 23. *Filium nescire diem judicii ultimi, sed Patrem solum*, *Marc.* XIII. 32. quod sæpius *Patrem oraverit*, & aliquando etiam in oratione pernoctaverit, *Luc.* VI. 12. speciatim cum miracula patrare volebat, *Joan.* XI. v. 41. cum mortem aditurus erat, *Joan.* XVII. *toto. Heb.* V. 7. *Matth.* XXVI. 39, 42, 44. & pendens in cruce, *Matth.* XXVII. 46. *Luc.* XXIII. 46. quod Christus *se ipsum non glorificarit, ut Pontifex fieret, sed is qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, *Hebr.* V. 5. quod *qui in Christum credit, in ipsum non credat, sed in eum à quo missus est*, *Joan.* XII. 44. quod *per Christum credamus in Deum, qui suscitavit eum a mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides & spes nostra sit in Deo*, 1 *Pet.* I. 21. quod Pater vocatur *Deus Christi*, *Matth.* XXVII. 46. *Joan.* XX. 17. *Ephes.* I. 17. *Apoc.* III. 12. imo quod Filius talis sit Deus, qui Deum supra se habeat, *Propterea unxit te ὁ Deus* (Fili) *Deus tuus* (Pater) *oleo exultationis præ participibus tuis*, *Hebr.* I. 9. quod *Deus* (nempe Pater) *est caput Christi*, 1 *Cor.* XI. 3. quod *Christus est Dei* (seu Dei est possessio) *sicut nos sumus Christi*, 1 *Cor.* III. 23. denique (ne omnia quæ huc pertinent minutatim persequar) quod *Filius in fine mundi tradet regnum Deo & Patri, eique subjectus erit, ut Deus sit omnia in omnibus*, 1 *Cor.* XV. 24. quæ omnia magnam Patris supra Filium prærogativam, seu Filium in omnibus longe subordinatum esse ostendunt. Ad quod non attendunt illi qui Christum dicunt esse αὐτόθεον, seu ἀφ' ἑαυτοῦ Θεόν. Negant enim imprudenter ipsum esse Dei Filium. Distinguunt quidem inter Filium & Deum, dicentes Christum quatenus est Dei Filius esse à Patre, sed quatenus est Deus ipsum esse à seipso. Sed distinctio ista est contradictoria & seipsam evertit, cum Christus non aliam ob causam sit Deus, quam quia est Dei Filius. Quod cum agnoscant aliqui, argutantur in voce αὐτόθεος, & dicunt eam non significare *Deus à se*, sed *vere Deus*. Sed longe præstaret ab ea prorsus abstinere, cum sacri Scriptores non usurpent, quam pertinaciter retinendo, se & alios in magni erroris periculum conjicere.

XI. Idem de Spiritu S. probatur ex locis, ubi Scriptura dicit, Spiritum S. esse *virtutem Dei*, *Luc.* I. 35. & XXIV. 49. quod *à Patre procedat*, *Joan.* XV. 26. quod sit *ex Deo*, 1 *Cor.* II. 10, 11, 12. quod *non loquatur à se ipso, sed quæcunque audiverit loquatur*, *Joan.* XVI. 13. quod *accipiat de iis quæ Christi sunt, ut aliis annunciet*, *Joan.* XVI. 14. denique quod *mittatur*, *donetur*, & *effundatur à Deo*, *Luc.* XI. 13. *Joan.* XIV. 26. *Act.* II. 17. & V. 32. & XI. 17. & XV. 8. *Rom.* V. 5. *Gal.* IV. 6. quæ omnia Spiritum S. non solum Patri, sed quodammodo etiam Filio subordinatum esse evincunt.

XII. Nihilominus tam arcta est connexio inter Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, ut *hi tres unum esse* dicantur, 1 *Joan.* V. 7. Licet enim locus hic sit suspectus, utpote qui desideretur in multis veteribus codicibus Græcis & Latinis, ut & in versione Syriaca, Arabica, & Æthiopica, nec agnoscatur à multis Patribus, & desit in quibusdam vetustis impressionibus; tamen cum Christus aperte testetur, quod *ipse & Pater sint unum*, *Joan.* X. 30. nihil est periculi idem asserere de Spiritu

ritu

ritu S. qui Patri & Filio in baptismi institutione conjungitur. Quomodo vero hi tres sint unum, an solum voluntate, potentia & operibus, an vero etiam essentia, non est necesse definire: id tum demum plene cognoscemus, cum ad eorum consortium in futuro sæculo admittemur.

CAPUT XX.

Quod in Christianorum de S. Trinitate dissidiis præstet ἐπέχειν, quam quicquam temere pronunciare.

I. *Præstare in Controversiis de S. Trinitate dicere*, Non liquet, *quam quicquam temere pronunciare.* II. *Quod conceptæ sint vocibus S. Scripturæ ignotis*, III. *Et propter ambiguitatem suam variis litibus obnoxiis, ut* πρόσωπον, *sive persona*, IV. ὑπόστασις, V. *Et* ὁμοούσιος. VI. *Et quod sint de verbis potius, quam de re ipsa; aut de rebus captum humanum superantibus; quod ex controversiis Arii, Nestorii, &c. probatur.*

I. ET in his quæ hactenus dixi, existimo Christianos utcunque convenire, aut saltem nullam satis justam contradicendi causam habere. Sed disputatur præterea, An in una numero Dei essentia, tres sint personæ coëssentiales & prorsus inter se æquales: An secunda Trinitatis persona se hominem fecerit: Et an Spiritus S. procedat conjunctim à Patre & à Filio, tanquam ab uno principio; aliaque ejusmodi in quibus Christiani hodie in diversas partes abeunt, nonnullis affirmativam, aliis negativam defendentibus. Sed non putamus opus esse, ut nos alterutris adjungamus, & à nobis dissentientes damnemus; longeque præstare dicere *Non liquet*, quam de rebus captum nostrum superantibus temere quicquam pronuntiare. Quas autem ἐποχῆς nostræ rationes habeamus (gravissimas enim nos habere putamus) hic breviter proponemus.

II. *Prima est*, Quia Scriptura S. quæ continet omnia creditu ad salutem necessaria, & ita clare illa explicat, ut ejus mens à quolibet, qui ipsam attente & reverenter legit, facile possit percipi, nusquam ejusmodi vocibus aut phrasibus utitur. Præsupposita enim hac Scripturæ perfectione (de qua inter omnes Protestantes convenit & à nobis supra pluribus est demonstrata) sequitur, sicut dogmata extra illam nefas est fingere, ita nec voces, quæ ibi non inveniantur, opus esse in doctrina fidei tradenda, usurpare: multoque minus licere illas cuiquam tanquam necessarias sub amittendæ salutis periculo obtrudere. Nam quod objiciunt, absque illarum usu non posse detegi hæreticos, qui sub verbis Scripturæ venenum suum occultant; nullius est momenti. Nemo enim pro hæretico à nobis debet haberi, qui religiose illa, quæ claris verbis in Scriptura docentur, se amplecti profitetur, etiamsi in obscurorum aliquot locorum interpretatione à nobis dissentiat: nam eo ipso quod omnia quæ perspicue sunt scripta amplectitur, jam in via salutis est, ac proinde non est hæreticus; nec error circa obscura damnare eum potest.

III. *Secunda est*, Quia istæ voces & loquendi formulæ, quæ ad explicandum Trinitatis dogma sunt inventæ, longe incommodiores sunt iis, quas in Scriptura habemus, utpote ambiguæ, & de quarum genuino significatu non consentiunt inter se Doctores. Talis est ex. gr. vox πρόσωπον, *personæ*, quæ in Scriptura vulgo pro facie seu apparentia exteriore accipitur; ubi nusquam plurium in Deo personarum mentio fit. Ea à Boëthio definitur, *rationalis naturæ individua substantia*, seu, ut Scholastici loqui amant, *suppositum intellectuale*. Nec male, si de creaturis tantum id intelligatur, sed periculose admodum, si ad Deum definitionem istam traxeris; nam qui dicit in Deo esse tria ejusmodi supposita intellectualia, qualia sunt tres homines, aut tres Angeli, tres Deos videtur statuere. Et cum in Christo credantur esse duæ rationales naturæ, una divina, altera humana, duas etiam in eo personas agnoscere oportebit; quod tamen omnes tanquam absurdum & S. Literis contrarium repudiant. Quare alii malunt dicere, personam divinam esse τρόπον ὑπάρξεως, id est, *modum existendi*; secundum Justinum Martyrem, in Expositione fidei. Sed hic libellus non est Justini, ut ostendit Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Rivetus in Critico Sacro. Et quamvis illius esset, id non sufficeret ad auctoritatem conciliandum definitioni absurdæ: nam cum modus entis, secundum Metaphysicos, medium quiddam sit inter accidens & purum nihil; si persona divina talis sit modus, minus entitatis habebit quam accidens, & erit propemodum nihil. Quod non procul abest ab opinione Sabellii, qui personas divinas putabat esse nuda nomina, seu unum eundemque numero esse eos, qui in Scriptura Patris & Filii & Spiritus S. nominibus appellantur. Cui si addas, essentiam in divinis nec generare nec generari, sed id tantum personæ esse proprium, ut nostri Scholastici volunt, tum & Pater qui genuit Filium, & Filius qui à Patre genitus est, qua tales, minus quid erunt quam exile accidens. Quod an de tam sublimi Majestate sentire fas sit, intelligentibus considerandum relinquo. Verbum tamen & Spiritus S. forte non incommode modi quidam à Deo Patre procedentes dici possent, ut postea ostendemus. Sed tunc modus aliter esset definiendus quam vulgo fit à Metaphysicis.

IV. Nec aptior est vox ὑπόστασις, qua etiam Græci præter πρόσωπον ad significandum personam Deitatis utuntur. Quamvis enim *Hebr.* 1. 3. de Deo usurpetur, nullibi tamen in universa Scriptura tres in Deo *hypostases* esse dicuntur. Unde Hieronymus in Epistola ad Damasum conqueritur, quod Campenses se voluissent adigere, ut *tres in Deo hypostases* agnosceret, & contra eos ita disputat: Tota sæcularium literarum Schola nihil aliud ὑπόστασιν quam οὐσίαν novit; Et quis rogo ore sacrilego tres substantias prædicabit? &c. Existimavit ergo idem esse tres hypostases in Deo confiteri, atque tres essentias; Et cum tres sub-

stantias in Deo statuere, videretur ipsi esse tres Deos dicere (quod vulgo imputabatur Arianis) putavit etiam eos, qui ab ipso trium hypostaseωn confessionem exigebant, voluisse ut tres Deos cum Arianis confiteretur. Et petit à Papa Damaso consilium, quomodo se in hac re gerere deberet. Ne quis autem arbitretur hanc Hieronymi & Latinorum dissensionem à Græcis circa usum vocis ὑποστάσεως ex Græcæ linguæ imperitia profectam esse, observandum est ne Græcos quidem de eo inter se consensisse; ut apparet ex Epistola Synodi Sardicensis anno Christi 347, ubi asseritur, unam tantum esse Patris & Filii & Spiritus Sancti hypostasin. *Theodoret. Histor. Eccles. lib.* II. *cap.* 8. Qui autem eam scripserunt Episcopi erant Catholici, & Arianorum hostes acerrimi. Hic etiam observandum est, eos qui personas sive hypostases Deitatis dixerunt esse ἰδιότητας, id est, *proprietates*, quales plurimi sunt Veterum, longe à vulgari vocis personæ acceptione discrepasse. Nemo enim unquam dixerit tres homines, esse tres essentiæ humanæ proprietates.

V. Idem statuendum de voce ὁμοούσιος, Latine *consubstantialis*, vel *coëssentialis*, quæ usurpata fuit in Concilio Nicæno ad os Arianis obturandum: Non constat enim inter Theologos de genuino ejus sensu. Scriptores profani nunquam aliter usurpant, quam de unitate specifica. Sic Auctor Anonymus celebrium de anima opinionum, una cum Origenis Philocalia editus, citat locum ex Aristotele, ubi dicit ὁμοούσια γὰρ πάντα τὰ ἄστρα, id est, *omnia astra sunt ejusdem essentiæ* seu naturæ. Et Agapius apud Photium in Bibliotheca, ἥλιον καὶ σελήνην ὁμοουσίας κηρύττει Θεῷ, id est, *Solem & Lunam prædicat esse ejusdem cum Deo essentiæ.* Item Porphyrius de abstinentia ab esu animalium *lib.* I. §. 19. εἴγε ὁμοούσιοι αἱ τῶν ζώων ψυχαὶ ἡμετέραις, id est, *siquidem animæ animalium sunt ejusdem cum nostris essentiæ.* Et eodem quoque significatu acceperunt Veteres in suis adversus Arianos disputationibus, ut clarum est ex Symbolo Concilii Chalcedonensis, ubi dicitur, Filium esse ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ κατὰ τὴν Θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, id est, *consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Quod ostendit Patres, à quibus fuit conditum, credidisse Filium eodem modo Patri suo esse consubstantialem, quo omnes homines propter eandem specie naturam humanam, cujus sunt participes, inter se sunt consubstantiales. Sed hodierni Theologi rejecta hac sententia Veterum, docent Filium ideo dici consubstantialem Patri, quia eandem numero cum ipso essentiam habeat. Et inde factum est ut Valentinus Gentilis, qui docebat *tres esse distinctos Spiritus* (in Deo) *essentiali numero differentes*, tanquam Tritheïta à Genevensibus primo fuerit damnatus, deinde à Bernensibus, qui A. C. 1566. ipsum capite truncarunt; ut refert Bened. Aretius in historia de illius supplicio: quamquam prorsus immerito, cum esset in eadem cum veteribus Patribus sententia, & cum Symbolo Nicæno, quod Christum dicit esse Deum de Deo, lumen de lumine. Sed hic fuit effectus præposteri zeli & ignorantiæ Theologorum, qui illud Magistratibus suis Genevæ & Bernæ suaserunt. Prudentes isto exemplo discant, quam periculosum sit alieno suggestu de rebus incognitis & captum suum superantibus velle judicare.

VI. *Tertia ratio*, quæ me movet ne affirmativæ subscribam & dissentientes damnem, est, quod videam litigari potius de verbis quam de reipsa, aut si controversia est aliquando de rebus, eas adeo captum humanum superare, ut longe præstet ἐπέχειν, ubi præeuntem non habemus revelationem divinam, quam temere quicquam extra eam definire. Id quod breviter ostendam allatis exemplis disputationum inter Orthodoxos & Arianos, & Nestorianos, & Græcos, & Socinianos: quæ sunt præcipuæ earum, quibus olim Ecclesia Christiana scissa fuit in partes, aut etiamnum hodie scinditur. Unde quid de cæteris sentiendum sit, in promptu erit judicare.

CAPUT XXI.

De Controversia Ariana & Nestoriana, nec non de Græcorum dissidio, & Socinianorum opinionibus.

I. *Controversiam Arianam esse, vel de æternitate Filii Dei, & parum discrepasse ab aliis;* II. *Vel de modo productionis Filii à Patre; Et potius in vocibus creandi & generandi, quam in reipsa constitisse.* III. *Nestorio litem fuisse motam, vel nomine* Θεοτόκου, *sive Deipara,* IV. *Et injuste eapropter fuisse damnatum:* V. *Vel de modo unionis naturarum in Christo.* VI. *Et quo pacto hæc lis commode componi possit.* VII. *Græcorum dissidium à Latinis de processione Spiritus S.* VIII. *Facili negotio hanc controversiam & Macedonianorum etiam posse componi.* IX. *Præstare (Scriptura non præeunte) processionis istius modum non definire.* X. *Socinianorum opinio de indivulse habitante Spiritu S. in Christo homine.* XI. *Illum Spiritum parum differre à Natura divina quæ ipsi vulgo tribuitur.* XII. *Eos ob phrasim non esse censendos hæreticos.* XIII. *Ostenditur via, qua controversia de Spiritu S. sitne persona, nec ne, facile sopiri possit.* XIV. *Priscos Christianos, pro Christianis habuisse, qui Christum nudum hominem ex hominibus profitebantur.*

I. QUod ad *Arianos* attinet, ii non assentiebantur Orthodoxis dicentibus, Filium Dei ab æterno ex Patris essentia fuisse genitum; sed contra asserebant *esse factum* ἐξ οὐκ ὄντων, id est, *ex iis quæ non erant*, seu ex nihilo, & quod ἦν ὅτε οὐκ ἦν, id est, *erat, quando non erat.* Controversia itaque erat gemina: altera de æternitate Filii Dei; altera vero de modo, quo erat à Patre productus. Et circa primam, etsi Ariani negarent Filium Dei esse absolute æternum, quia non poterant capere quomodo is qui vere erat genitus, semper fuisset; tamen concedebant nullum designari aut mente concipi posse tempus tam antiquum, quo Christus non extitisset: dummodo solum non cogerentur fateri ipsum

ipsum æque æternum esse ac Pater, à quo suum esse acceperat. Quod etiam Hilarius Pictaviensis, summus ipsorum adversarius, agnovit, dicens, *æternitas in Patre, species in imagine, Jesus in munere:* citante Augustino *de Trinit. lib.* VI. *cap.* 10. Eandemque vim habet quod docet Filium ex consilio & voluntate Patris fuisse genitum, *lib. de Synodis. Nativitatis*, inquit, *in eo à Deo perfecta natura est, ut qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio ejus ac voluntate nascatur.* In quo assentientes habuit sibi non solum omnes eos qui ante exortam controversiam Arianam scripserunt; sed etiam multos ex iis qui Arium impugnarunt. Sic Marius Victorinus *lib.* I. *contra Arium: Est autem lumini & Spiritui imago non à necessitate naturæ, sed voluntate magnitudinis Patris*, &c. In quo absolutam æternitatem Filio detrahebant. Quod enim ex libero Dei decreto ortum habet, non potest omnino æternum esse. Supererat ergo solum controversia subtilis, qualis est de momentis, quæ in æternitate dari Theologi nunc vulgo docent, secundum quæ inter ea quæ æterna sunt, alia aliis priora esse statuuntur: verbi gratia, decretum de creando homine, & permittendo ejus lapsu, prius est decreto de Christo in mundum mittendo ad destruendum opera diaboli. Nec est quod excipias, Arianos initium temporis Christo tribuisse; Orthodoxos vero nihil aliud quam ordinem in momentis, per quæ distinguunt æternitatem, considerare. Hæc enim duo non tam reipsa quam ratione à se invicem differunt. Et multi sunt fueruntque semper celeberrimi Theologi & Philosophi, ut hodie Cartesiani, qui tempus cum mundo incepisse, & omnia quæ ejus creationem antecesserunt, æterna esse voluerunt: quibus accenseri debent novi Bibliorum interpretes Belgici, in *Joan. cap.* 1. *annotat.* Secundum quorum sententiam Ariani erunt plane Orthodoxi, qui mundum per Christum fuisse conditum docebant.

II. In altera controversia, de modo productionis Filii, oportebat Orthodoxos, vel proprietatem vocum *generandi* & *substantiæ* urgere, vel confiteri, se de rebus quas non intelligerent disputare. Atqui non debebant vocum istarum proprietati insistere, quia inde gravia absurda contra ipsorum mentem secuta fuissent: ut Filium Dei non esse æternum seu absque temporis initio, sed fuisse tempus quando non erat; nam cum omnis generatio proprie dicta sit modus à non esse ad esse, sequitur, eum qui vere & proprie genitus est aliquando non fuisse. Deinde oporteret Patrem, quemadmodum inter homines usu venit, generavisse Filium per decisionem particulæ alicujus ex sua essentia, ac proinde Dei essentiam esse divisibilem & corruptibilem. Neque etiam decebat eos contendere, præsertim tanta cum vehementia, ut fecerunt, de re captum humanum exsuperante; qualis erat ista, quodnam apud Deum discrimen sit inter generare & creare seu facere. Nam quod respondent Deum generare, cum Filium ex sua substantia producit; creare vero quoties aliquid, sive ex nihilo, sive ex præexistente materia efficit; nullius est momenti: cum jam ostenderimus talem generationem, quæ fiat per decisionem substantiæ, in Deum non quadrare; nec usquam legamus in S. Literis Deum ex substantia sua Filium genuisse; sed contra certum sit ipsum longe alio modo sibi filios procreare solere. Cui adde, quod gignendi & creandi voces aliquando in divinis tanquam æquipollentes inter se permutantur, ut *Jacob.* I. 18. *voluntarie genuit nos* (Deus) *ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Et nihil impedire videtur, quo minus etiam de Christo eodem loquamur modo, ipsum à Deo simul genitum & creatum seu factum fuisse: sicut etiam Paulus dicit, *Filium Dei factum fuisse ex muliere*, *Gal.* IV. 4. non genitum, sed *γενόμενον* pro *γεννώμενον*. Sane Dionysius Patriarcha Alexandrinus, Scriptor Orthodoxus, qui annis circiter quinquaginta ante exortam Arii hæresin obiit, non veritus est dicere in Epistola ad Ammonium, *ποίημα καὶ γενητὸν εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ*, id est, *Filium Dei esse opus & rem factam.* Quod Athanasius excusavit, quantumvis displiceret, potuissetque similiter in Ario excusare, nisi Concilium Nicænum, in cujus verba juraverat, definivisset ut diceretur, *γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα*. Denique ut appareat quam prope Ariani accesserint ad Catholicos, attendendum est solum ad hæc verba Symboli Sirmiensis ab Arianis conscripti, *τοὺς δὲ λέγοντας ἐξ οὐκ ὄντων τὸν υἱόν, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, καὶ μὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὅτι ἦν χρόνος ἢ αἰὼν ὅτε οὐκ ἦν, ἀλλοτρίους οἶδεν ἡ ἁγία καὶ καθολικὴ ἐκκλησία.* Quæ Hilarius omnino approbat, & sic Latine reddit; *Eos autem qui dicunt de nullis extantibus esse filius, vel de altera substantia, & non ex Deo, & quod erat tempus vel seculum quando non erat, alienos scit Sancta & Catholica Ecclesia.* Quid ergo impediebat quominus inter se convenirent, nisi rixandi libido, & animus à pace alienus?

III. *Nestorio* litem movit Cyrillus Alexandrinus, quod nollet vocare B. Virginem Mariam *Θεοτόκον*, id est, *Deiparam.* Inde colligens ipsum male sentire de unione naturæ divinæ & humanæ in Christo, & duas in eo personas facere; atque ita rem ursit, ut tandem Nestorius in Synodo Ephesina Anno Christi 431. tanquam hæreticus fuerit damnatus. Sed ilico post Joannes Antiochenus Ephesum adveniens cum Orientalibus Episcopis, ibi aliam Synodum congregavit, in qua Cyrillum anathemate percussit; unde grave dissidium inter ipsos exortum est, quod aliquot annos duravit, & tandem ita compositum fuit, ut Joannes quidem consentiret in damnationem Nestorii, sed tamen opinioni Cyrilli non subscriberet, quæ naturarum in Christo confusionem videbatur ipsi introducere, qualis in Eutyche, summo Nestorii adversario, viginti annis post Chalcedone damnata est; cum è contrario Nestorius deinceps ad hoc usque tempus plurimos habuerit sectatores, Ecclesiæque quæ ipsius dogma in Oriente & Meridie amplectuntur, reliquas omnes totius orbis numero longe exsuperent, ut

videre est ex *Pauli Gestini Geographia Sacra*, & *Edmundi Brerewodii* tractatu *de diversitate Linguarum & Religionum*, aliisque Scriptoribus.

IV. Sed quomodocunque hæc historica se habeant, quæ à quibusdam mire involvuntur, ne veritas pateat, certum est Nestorium injuste in eo fuisse damnatum, quod virginem Mariam Θεοτόκον dicere recusaret. Quod etiam agnoscit *Joannes Maius* Minister Middelburgensis, *in explicationibus aliquot difficilium N. Testamenti locorum* Anno Christi 1654 excusis, *Quæst.* 2. *super Rom.* 1. 4. ubi inter alia hæc habet, *Concedimus quidem hanc loquendi formulam aliquomodo in bonum sensum accipi posse, quatenus* ex Maria originem sumsit humana illa natura, in qua Deus *se manifestavit, imo in qua omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitat*, 1 *Tim.* 1. 3. *Coloss.* 11. *Nihilominus judicamus hanc Dei matris appellationem non esse laudabilem, & ad Ecclesiæ Dei ædificationem non conducere. Primo quia nusquam invenitur in Dei verbo, quod diserte & cum particulari limitatione dicit, Rom.* 1. 4. *quod Christus secundum Spiritum sanctificationis, sive respectu naturæ suæ divinæ, non sit ex semine Davidis. Secundo, quia proprie loquendo Maria nullo modo est mater Dei, utpote quæ neque sit causa divinæ Christi naturæ, neque unionis ipsius cum humana. Tertio, quia istiusmodi appellatio offendiculum parit, præsertim inter Pontificios, quos in superstitione sua confirmat, &c.* Tantoque iniquius cum Nestorio actum est, quod cum ostenderet sufficere Mariam Χριστοτόκον, id est, *Christiparam* vocare, qua voce persona Christi ex duabus naturis constans designatur; adversarii ipsius in eo non acquieverunt, sed ex mera contendendi libidine nomen Θεοτόκου, quasi esset ad salutem necessarium, S. virgini Mariæ tribui voluerunt.

V. Quod vero ad alteram quæstionem, quæ modum unionis duarum in Christo naturarum spectat, illa est adeo ardua, ut si usquam alibi, hic certe oporteat sapere ad sobrietatem, & abstinere à definiendo, id quod nullibi clare & expresse in Scripturis est definitum. Verum quidem est, Nestorium non probasse ut diceretur, quod Filius Dei se hominem fecisset, quia hac locutione putabat significari naturam divinam in humanam fuisse conversam. Sed quis cogebat Ephesinos istos Patres ita loqui? An id quod legimus *Joan.* 1. 14. καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο? Atqui istud verti potest, non tantum, *verbum caro factum est*; sed etiam, *verbum caro fuit*, ut agnoscunt Græcæ linguæ periti. Et posterior hæc interpretatio feliciter evitat scopulos, in quos prior impingit. Cur ergo non judicaretur saltem tolerabilis? præsertim cum nullibi legamus quod Deus se fecerit hominem, & id tam durum sit auditu, ut nihil magis: longeque mollius & pluribus Scripturæ locis magis consentaneè dicatur, Deum se adjunxisse Christo homini, & in eo habitare voluisse. Sed, inquiunt, ita sequetur duas in Christo esse personas, quod est toti Scripturæ adversum, quæ unicum tantum Christum agnoscit. Cur vero? certe id non magis ex Nestorii sententia sequitur, quam ex Cyrilli & Patrum Ephesinorum, nisi plane in Eutychis opinionem concedant, dicentes, duas quidem in Christo fuisse naturas cum unirentur inter se, sed post unionem, per quam illæ coaluerunt, non nisi unam ex divina & humana conflatam superesse. Quamdiu vero duas in Christo confitebuntur naturas, quæ singulæ intellectu & voluntate sint præditæ, quantumcunque verbis à Nestorio discrepare contendant, re tamen ipsa cum eo convenire deprehendentur; & si ille duas in Christo naturas ponat, ipsi quoque ponent, nullusque erit hodie in universo orbe Christianus duas in Christo naturas confitens, qui duas quoque personas non cogatur agnoscere. Nam quod vulgo dicunt, *Filium Dei univisse sibi humanam naturam deposita personalitate*, sunt tantum verba, præterea nihil: nisi enim Christus homo caruerit intellectu & voluntate, id est anima rationali, ut putabant olim Apollinaristæ, dicentes, divinitatem in Christo fuisse loco animæ, erunt in ipso duæ personæ: quantumvis humana natura ita arcte conjuncta sit cum divina, ut unam cum illa, si id fieri possit, subsistentiam habeat.

VI. Quid ergo? nonne est absurdum duas in Christo personas statuere? Omnino: & absit ut id velim. Sed existimo Theologos, qui Nestorio se opposuerunt, parum commode hactenus nodum istum solvisse. Dicam itaque, salvo aliorum melius sentientium judicio, quomodo putem esse dissolvendum. Ut una tantum Christi sit persona, oportet ut omnes ejus actiones ab una natura denominentur: si enim dicatur quædam egisse ut Deus, quædam vero ut homo, vitari nequit quin duæ personæ ei tribuantur, etiamsi id verbis diserte negetur; actiones enim sunt suppositorum; suppositum autem rationale est persona. Et eo puto respexisse Cyrum Phasidis & Sergium Constantinopolitanum, auctores sententiæ de una in Christo voluntate, ideoque dicti *Monothelitæ*, nempe quia verebantur, ne si duas in Christo voluntates admitterent, duas pariter personas admittere cogerentur. Sed mea sententia ita possunt duæ voluntates agnosci in Christo, ut tamen Monothelitis non accedamus: nempe si ab una tantum ex illis duabus voluntatibus actiones Christi denominentur: quænam autem illa sit, divina-ne an vero humana, nunc est dispiciendum. A divina non esse denominandas videtur sufficienter ostendere historia Euangelica, quæ nobis Christum ut verum hominem describit, narrans ejus nativitatem, educationem, conversationem cum hominibus, exercitium Prophetici muneris, passionem, mortem, sepulturam, resurrectionem, ascensionem in cœlos, & alia ejusmodi, quæ hominis sunt propria. Sed tamen divina natura non fuit otiosa in Christo: semper enim adstitit ipsi, movit, corroboravit, virtutem miracula faciendi contulit, pretium addidit ejus passionibus & morti ad expiationem peccatorum nostrorum: ita

ita ut Christus pauca absque illa egerit: nam quædam egisse aut potius passum esse fatentur omnes, ut quæ infirmitatis sunt humanæ, esurire, sitire, fatigari, dormire, angi animo, dolores & mortem perpeti; nec etiam natura divina revelavit humanæ diem judicii ultimi, & per dispensationem quandam ita in passione sibi eam ad breve tempus reliquit, ut confortatione Angelica indigeret, & in cruce exclamaret, *Deus meus, Deus meus, cur dereliquisti me? Matth.* XXVII. 46. Hoc sensu recte dicetur unio duarum naturarum in Christo facta esse καθ' ὑπόστασιν, seu ita ut simul conjunctæ subsistant, & quidem ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, id est, inconfuse, inconvertibiliter, indivulse & inseparabiliter, ut habet Symbolum Concilii Chalcedonensis apud *Evagr. lib.* 2. *cap.* 4. Quam simplicem fidem sufficere existimamus, etiamsi ex omnibus subtilitatum tricis, quas Scholastici nectunt, nos ita facile expedire nequeamus: Nam si neque unionem animæ nostræ cum corpore, neque quomodo Spiritus S. in Prophetis & fidelibus habitet, eosque moveat, capiamus, mirum videri non debet, si in arcanum hujus unionis Dei cum homine Christo, quamdiu mortali carne adhuc induti sumus, non penetremus.

VII. *Dissidium Græcorum* ab Ecclesia Romana & Protestantibus, de Spiritu Sancto, utrum à solo Patre procedat, ut putant Græci, an vero à Patre & à Filio conjunctim, tanquam ab uno principio, ut vult Ecclesia Latina, & qui eam sequuntur, non videtur nobis esse tanti, ut propterea istæ Ecclesiæ debuerint fraternæ suæ communioni renunciare, & sibi invicem Anathema dicere. Consensus enim qui inter ipsas est in summa doctrinæ de Spiritu S. sufficit ad vinculum unionis retinendum, etiamsi in quibusdam minutiis in diversa abeant. Et, si ad originem ejus attendatur, major procul dubio Latinorum est culpa quam Græcorum, in eo quod ad commune Symbolum fidei, Nicææ primo cusum, deinde Constantinopoli auctum, privato arbitrio addiderint Spiritum S. à Filio procedere. Nam cum in Symbolo Constantinopolitano legatur, εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον; Ecclesia Romana, post verba τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς, inseruit, καὶ τοῦ υἱοῦ, Græca inconsulta; quod eam summopere offendit; primo, quod ex opinione privata, & quæ antea pro necessaria creditu non fuerat habita, caput fidei fundamentale faceret: deinde, quia id ausa esset absque suo consensu, cujus non minus quam Latinorum intererat. Alias Græci opinionem istam, quamvis iis displiceret, videntur fuisse toleraturi in Latinis, nec propterea ab iis se segregaturi; sed ferre nequiverunt, ut alii jugum istud conscientiis suis imponerent.

VIII. Penes quos steterit veritas, non libet mihi nunc accuratius examinare. Dicam tantum obiter, utrosque pro se attulisse hæc Christi verba; *cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre (Spiritus veritatis, qui a Patre procedit) ille testimonium perhibebit de me, Joan.* XV. 26. Sed si quis propius ea inspiciat, deprehendet facile, ibi non fieri mentionem Spiritus, prout est persona, & ut in Deo residet: sed ut est donum & res creata; ac proinde nihil fecisse ad rem de qua inter ipsos disputabatur. Quod etiam notandum est in controversia, quæ fuit olim inter Orthodoxos & *Macedonianos*, qui damnati sunt in Concilio Constantinopolitano A. C. 380. Utrique enim videntur facillime inter se conciliari potuisse, adhibita parva & ab omnibus nunc agnita distinctione. Orthodoxi qui contendebant Spiritum Sanctum esse Deum, bene sentiebant, si istud intelligatur de Spiritu, qui in Deo est ab æterno, & *Virtus ejus* vocatur *Luc.* 1. 35. per quem fecit mundum, *Gen.* 1. 2. *Psalm.* XXXIII. 6. & scit omnia quæ Dei sunt, sicut spiritus hominis qui in eo est, ea quæ sunt hominis, 1 *ad Cor.* II. 11. Et oportet Macedonianos valde cæcos fuisse, si istud non animadverterent. Sed ab altera parte illi non errabant, quando dicebant donum illud Spiritus, quod Christus promisit Apostolis, & effudit in eos die Pentecostes, fuisse creaturam: Deus enim non effunditur, nec in partes distribuitur; imo neque persona aliqua creata, multo minus divina. Ideoque non debuerunt damnari, quod Spiritum istum recusarent habere pro Deo. Erraverunt quidem in eo, quod ipsum putarint esse personam divinam, minorem Patre & Filio, occasione sumta ex his locis ubi dicitur, *Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audierit loquetur, & accipiet de iis, quæ sunt Christi, Joan.* XVI, 13, 14. non animadvertentes hæc per prosopopœiam de dono Spiritus Apostolis promisso enunciata fuisse. Sed ex Deo non fecerunt creaturam, ut sub hoc prætextu blasphemiæ accusari debuerint: verum quæ de una creatura dicta sunt, de alia diversi generis acceperunt; qui non est tantus, aut tam perniciosus error, ut vulgo existimatur.

IX. Præterea etiamsi in verbis Christi, Spiritum S. Apostolis promittentis, ageretur de Spiritu in Deo residente, non probaretur tamen id, quod in quæstione versatur inter Græcos & Latinos: & præstaret simpliciter credere Spiritum S. procedere à Patre & mitti à Filio, ut Christus diserte dicit, & Græci agnoscunt, quam processionis modum ab ipso non indicatum curiose velle definire. Imo Latinorum causa deterior erit, ut quæ non obscure ἐξοχὴν Patris in divinitate tollat, & quod solus principium sit neget, dum Filium ipsi in Spiritu producendo collateralem facit. Nec video quomodo soluturi sint nodum, quem ipsis nectit Photius, dicens: *Si è Patre generatur Filius; si Spiritus è Patre procedit & Filio; quænam evenit nova innovatio, quo minus ab ipso* (nempe Spiritu) *alius procedat.* Ita constituentur non tres hypostases solæ, sed quatuor, si non potius infinitæ, ut quarta aliam emittat, illa itidem aliam, usque dum in multiplicatam Paganorum divinita-

nitatem deveniatur, *Epist.* 2. *Encyclica ad Orientis Archiepiscopos.*

X. *Socinianorum opinio* (quam nonnulli fervidiores tam ex Protestantium quam Pontificiorum numero Theologi, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, non putant absque Christianæ religionis πανολεθρία posse tolerari, & Judaïsmo impietate parem, Mahumetismo vero deteriorem esse clamant) facilior adhuc est conciliatu cum doctrina Orthodoxa, si æquitas, quæ debet, afferatur. Accusantur quod æternam Christi Deitatem negent, & ipsum pro nudo homine habeant; quæ sit magna impietas. Sed respondent sibi fieri injuriam; credere se Jesum Christum ex æterno Dei Spiritu in B. Virginis utero esse conceptum, qui in ipso exinde à conceptione perpetuo habitaret; licet majore donorum ejus copia sit perfusus post Baptismum, cum se ad Mediatorium munus exercendum accinxit, quam fuerat in infantia, & privatam adhuc vitam agens. Per istum Spiritum in dictis & factis suis fuisse motum, & miracula quotiescunque voluit edidisse. Præterea suscitatum à mortuis & exaltatum ad dextram Dei, omnem tam in cælo quam in terra potestatem obtinuisse, ideoque in nomine Jesu omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum flectere se debere. Quæ confessio, si rem ipsam potius quam verba & phrases spectes, parum ab Orthodoxorum sententia differre videtur. Nam Spiritus ille Dei, quem in Christo indivulse habitasse confitentur Sociniani, nihil aliud est nisi natura divina, quam ei vulgo tribuunt Christiani, & nomine Spiritus aliquando designatur, ut *Marc.* II. 8. *Hebr.* IX. 14. 1 *Pet.* III. 18. & aliquot aliis locis; ut de veteribus Ecclesiæ Doctoribus nunc taceam, qui Christum naturæ divinæ respectu Spiritum creberrime vocant.

XI. Nec refert, quod Sociniani non semper ita locuti fuerint aut etiam senserint, de perpetua Spiritus divini in Christo habitatione. Sufficit quod in Confessione, communi omnium nomine A. C. 1642. primum edita & decennio post recognita & aucta, aliisque scriptis, tam aperte mentem suam expresserint, ut de ea dubitare nullus jam merito queat. Et sane si propius attendas, res difficultate caret. Jesum enim Christum semper habuisse Spiritum Sanctum in se residentem ab eo tempore, quo super ipsum corporali specie descendit in Baptismo, omnes consentiunt. De infantia vero, quod nonnulli verentur admittere, Lucas *cap.* II. 40. testimonium præbet: *Puer autem* (Jesus) *crescebat & confortabatur Spiritu implebaturque sapientia, & gratia Dei erat in illo.* Ubi etsi non satis constet, an Spiritus quo Jesus confortabatur, sit Sanctus Dei Spiritus, & de spiritu ejus humano accipi possit; Certum est tamen designari vim Spiritus Sancti in ipso habitantis, per quem confortabatur in animo suo & implebatur sapientia; cum divinos istos effectus ad aliam causam referre, absurdum sit. Nec minus faciunt sequentia ad istud confirmandum, ubi Euangelista narrat, *Jesum duodecennem inventum esse à parentibus in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem eos, & eos interrogantem, & omnes qui eum audiebant obstupuisse super intelligentia & responsis ejus, vers.* 46, 47, 48. Nemo enim negabit, quin extraordinaria ista sapientia, quæ se in Jesu responsis & interrogationibus longe supra ætatem prodebat, à Spiritu S. sit profecta. Quare jam ab infantia plenus erat Spiritu S. licet dona ejus tanta copia non se exererent in eo, ut postea, sed tantum pro modulo illius ætatis. Adde quod cum Christus speciali Dei cura indiguerit, quamdiu eum sancta Virgo utero suo gestavit, ne qua labes temperamentum ejus inficeret: & postea in pueritia sua, ut eam digne Filio Dei unigenito traduceret; istud alia ratione fieri non conveniebat, quam per Spiritum illum divinum ex quo conceptus est: cujus munus est sanctitatem in hominibus promovere, & eos ab omni inquinamento carnis & spiritus immunes præstare. Jesum autem Christum Spiritus Sancti virtute miracula patrasse indubium est. Ipse enim id professus est, cum dixit se *digito Dei ejicere Dæmonia, Luc.* XI. 20. Digitus enim Dei est ejus virtus, & Spiritus Sanctus est *Virtus Altissimi, Luc.* I. 35. Quæ autem est hujus generis miraculorum ratio, eadem quoque est reliquorum & omnium ejus divinorum operum.

XII. Quod si iisdem phrasibus Sociniani non utantur in exprimenda divinæ & humanæ naturæ in Christo conjunctione, cum reliquis Christianis, id non est tanti ut propterea pestiferæ hæresis rei censendi sint. Verba enim Scripturæ quibus inhærere malunt, non minus apta sunt ad mysterium istud explicandum, quam ea quæ à Patribus & Conciliis fuerunt inventa. Et sufficere videtur, si Petrum sequentes dicant, *Deus erat cum illo, Act.* X. 38. non solum quemadmodum in aliis Sanctis, sed ita ut *in eo maneret, Joan.* XIV. 10. & *Deus non dederit ei Spiritum ad mensuram, Joan.* III. 34. sed tanta copia ut *omnes de plenitudine ejus accipiant, Joan.* I. 16. quia *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, Coloss.* II. 9. quamvis unionis hypostaticæ (de cujus ratione tot fuerunt olim & adhuc sunt lites in Ecclesia) non meminerint.

XIII. De Spiritu S. unica est controversia Socinianis cum Catholicis, utrum sit persona nec ne. Nam alias agnoscunt in Deo esse Spiritum æternum, omnipotentem, omniscium, per quem mundum condidit, Prophetas afflavit, regenerationem nostram perficit, &c. Solummodo verentur eum personam distinctam à Deo Patre dicere, ne plures Deos introducere videantur. Sed forte non admodum repugnaturi essent, si personæ voce non intelligeretur, ut vulgo fit, suppositum rationale, sed tantum proprietas, ut multi veterum locuti sunt, aut modus subsistendi in Deo, quemadmodum nunc multis placet, & quidem talis qui virtute Dei non foret indignus: non exilis ille Metaphysicorum, quem ad nihilum accedere docent, & in Deum nequaquam

qua-

quadrat. Quanquam longe prudentius, judicio meo, faciunt qui ab omnibus illis vocibus abstinent, ex quarum ambiguitate lites oriri possunt, & cum Scriptura Sacra non solum sentire, sed etiam loqui malunt.

XIV. Quod si Veteres Christiani tempore Justini Martyris, id est, circa A. C. 150. nullos habebant à se alienos, qui Jesum esse Messiam confiterentur, etiamsi eum hominem ex hominibus genitum affirmarent, quanto æquius est Socinianos, qui longe sublimius de illo sentiunt, in fraternitatem admittere? Id autem, quod dico, liquet ex disputatione eximii istius Doctoris cum Tryphone Judæo, ubi legimus. *Verum enimvero Trypho, non perierit illud, Christum hunc esse Dei, si demonstrasse nequeam eum præextitisse Filium conditoris hujus universitatis, esseque Deum, & genitum esse hominem ex Virgine; præterquam ex eo omni quo probatur hunc esse Christum illum Dei, quod talem eum fore præostensum sit. At si non demonstravero, inquam, eum & prius extitisse, & nasci hominem sustinuisse, iisdem nobiscum perpessionibus obnoxium carnem habentem, secundum Patris consilium & voluntatem; in eo ipso tantum æquum fuerit errore me lapsum dicere, non autem negare hunc esse Christum illum, etiamsi tanquam homo ex hominibus genitus videatur, & electione factus esse Christus asseratur. Sunt enim nonnulli, ô amici, ex genere nostro, profitentes ipsum Christum esse, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant: quibus non assentior, neque id sane multi qui in eadem mecum sunt sententia dixerint.*

CAPUT XXII.

Veteres Ecclesiæ Doctores, in controversiis de S. Trinitate, non idem sentire cum recentioribus.

I. *Patres trium priorum sæculorum non longe abiisse ab Arii sententia; idque evinci ex Scriptis* II. *Justini Martyris*, III. *Irenæi*, IV. *Clementis Alexandrini*, V. *Origenis*, VI. *Tertulliani*, VII. *Novatiani*, VIII. *& Lactantii.* IX. *Patres qui post Concilium Nicænum floruere, vocem ὁμοούσιος de identitate specifica accepisse, idque evinci ex testimoniis* X. *Athanasii vel Maximi Martyris*, XI. *Gregorii Nysseni*, XII. *Augustini*. XIII. *Cyrilli Alexandrini*, XIV. *& Anastasii.* XV. *Præclarum Salviani testimonium, quanta cum moderatione dissentientes tractari debeant.*

I. QUarta ratio quæ suadet ne nos vulgatis phrasibus alligari sinamus in controversiis de Trinitate, est, quod Veteres omnes Doctores usque ad tempora Scholasticorum, qui circa A. C. 1150. in Ecclesia Latina exorti sunt, diversum senserunt à recentioribus. Quod probatur primum de iis qui usque ad Concilium Nicænum, id est, A. C. 325. scripserunt: deinde de iis, qui à tempore illius Concilii aliquot sæculis floruerunt. Sed quia res prolixior foret, quam instituti nostri ratio & modus permittunt, contentus ero pauca quædam loca speciminis instar afferre.

II. In lucubrationibus omnium Patrum, nemine prorsus, quod sciam, excepto, qui tribus primis Christianismi sæculis aliquid scriptis mandarunt, reperiuntur varia quæ Arii sententiæ favent. Quod ex modo citato Justino Martyre, qui A. C. 163. martyrium fecit, & antiquissimus est eorum quorum genuina scripta supersunt, liquet. Is in colloquio cum Tryphone Judæo, *pag.* 283. editionis Parisiensis anni 1636. *Angelum qui Mosi dixit, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, non esse universi conditorem,* ἀλλὰ τῇ τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων θελήσει ὑπηρετοῦντα, *sed quod conditoris universi voluntati ministravit. Nemo enim cui vel minimum mentis sit audebit dicere, autorem & parentem Universi omnia cælestia reliquisse, & in pusilla terræ parte se exhibuisse.*

III. Irenæus, qui martyrium adiit A. C. 197. contra hæreses *lib.* II. *cap.* 49. *Si quis exquirat causam propter quam in omnibus Pater communicans Filio solus scire & horam & diem* (ultimi judicii) *a Domino manifestatus est, neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alteram quam hanc inveniat in præsenti, quoniam cum solus verax magister est Dominus, ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem.*

IV. Clemens Alexandrinus circa A. C. 200. denatus, in *Admonitione ad Gentes pag.* 74. editionis Parisiensis, anni 1641. dicit, *Deum Verbum hymnis nobiscum celebrare eum qui ingenitus est, & ab interitu alienus,* καὶ μόνον ὄντως Θεὸν, *& qui solus est revera Deus, &c.* & in *Pædagogo lib.* I. *cap.* 2. *Pædagogus autem noster* (λόγος) *Deo Patri suo est similis, paternæ voluntati serviens.*

V. De Origene A. C. 256. mortuo, multa possem referre, quem Hieronymus epistola ad Pammachium, ex sæculi sui mente dicit, *Male sensisse de Filio, pejus de Spiritu S.* sed unus illustris locus sufficiet, ex quo apparet quæ fuerit non tam ipsius privata, quam totius Ecclesiæ sui temporis fides. *Esto non deesse quosdam, ut in tam numerosa credentium multitudine, qui discrepantes ab aliis temere affirment, quod Servator sit Deus ille universorum Dominus; nos certe hoc non facimus, qui credimus ipsi dicenti: Qui misit me, major me est. Adversus Celsum, lib* 8. *pag.* 398.

VI. Tertullianus, qui circa A. C. 215. decessit, *contra Hermogenem cap.* 3. *Quia & Pater Deus est, & judex Deus est, non tamen ideo & Pater & Judex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus cum & delictum & Filius non fuit, quod Judicem, & qui Patrem faceret. Sic & Dominus non ante ea quorum Dominus existeret, sed Dominus tantum futurus quandoque, sicut Pater per Filium, sicut Judex per delictum: ita & Dominus per ea quæ sibi servitura fecisset.*

VII. Novatianus circa A. C. 250. *lib. de Trinitate, cap.* 17. *Quamvis enim se* (Jesus) *ex Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri aut comparavit, aut contulit, memor se esse ex suo Patre, & hoc ipsum, quod est, habere se, quia Pater dedisset. Inde denique, & ante carnis assumtionem, sed & post assumtionem corporis, post ipsam præterea resurrectionem, omnem Patri in omnibus rebus obedientiam præsti-*

præstitit pariter ac præstat. Ex quo probatur, nunquam arbitratum illum esse rapinam quandam divinitatem, ut æquaret se Patri Deo: quin imo contra omni ipsius imperio & voluntati obediens atque subjectus, etiam ut formam servi susciperet, contentus fuit.

VIII. Lactantius denique circa A. C. 320. mortuus, ne plures nunc afferam, *Instit. lib.* 4. *cap.* 6. Deus machinator constitutorque rerum, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur, sanctum & incorruptibilem Spiritum genuit, quem Filium nuncuparet. Et quamvis alios postea innumerabiles per ipsum creavisset, quos Angelos dicimus, hunc tamen solum primogenitum divini nominis appellatione dignatus est, patria videlicet virtute, ac majestate pollentem. Et *cap.* 8. explicat discrimen quod est inter generationem Filii & Angelorum, quod ille ex ore Dei tanquam sermo exierit, hi vero tanquam spiritus taciti ex ejus naribus processerint, & *cap.* 14. Ille vero (Filius Dei) exhibuit Deo fidem. Docuit enim quod Deus unus sit, eumque solum coli oportere; nec unquam se ipsum Deum dixit: quia non servasset fidem, si missus ut Deos tolleret, & unum assereret, induceret alium præter unum. Hoc erat non de uno Deo facere præconium, nec ejus qui miserat, sed suum proprium negotium gerere, ac se ab eo quem illustratum venerat, separare. Propterea quia tam fidelis extitit, quia sibi nihil prorsus assumpsit, ut mandata mittentis impleret, & Sacerdotis perpetui dignitatem, & Regis summi honorem, & Judicis Potestatem & Dei nomen accepit.

IX. Quod ad Doctores qui à tempore Concilii Nicæni scripserunt, illi differunt potissimum à Scholasticis & recentioribus in eo, quod ut supra attigimus, vocem ὁμοούσιος seu coëssentialis, in negotio Trinitatis acceperunt de identitate speciei, non de identitate numeri. Quod maximi esse momenti, nullus est qui non facile agnoscat. Rem autem ita se habere, pauca hæc testimonia ex innumeris aliis selecta clare ostendunt.

X. Athanasius A. C. 371. denatus, (vel ut alii malunt, Maximus Martyr aliquanto Athanasio recentior) *Dial.* 1. *de Trinit.* non procul ab initio, introducit Anomæum, id est Arianum, quærentem ex Orthodoxo. Cujusmodi se habent tres hypostases in Trinitate? Et Orthodoxus respondet. Ut sunt Petri & Pauli & Timothei tres hypostases & una humanitas. Anom. Ergo sunt tres Dii. Orthod. Absit ut hoc dicam. Anom. Si ita sunt hypostases ut Petri & Pauli & Timothei, tres sunt Dii, quandoquidem Petrus, Paulus & Timotheus tres sunt homines. Orthod. Ne hi quidem sunt tres. Anom. An non igitur tres sunt Petrus, Paulus & Timotheus? Orthod. Tres quidem sunt; at non tres homines; quia tunc tres sunt homines, cum dissimile cor habuerint, ut Græcus, (id est Gentilis) & Judæus, & Christianus. Sin vero idem senserint, nec sint inter eos dissidia, tres quidem sunt hypostases, sed unus in Domino, quod unum animum & unum cor habeant; & tres quidem sunt numero, at non quod diversam inter se naturam, vel diversum cor habeant. Anom. Ego eos qui tres sunt, tres esse dico. Orthod. At ego tres esse dico si inter se dissenserint: quod si ex Dei verbo fuerint eadem mente & sententia compacti, unum novum hominem esse dico, manentibus tamen hypostasibus. Anom. Sed hæc de hominibus dicuntur, in Deo vero aliter se res habet. Orthod. Si in iis quæ corporaliter separata sunt, modo animi sententia non dissideant, habet Scriptura Unus & Unum, multo magis id dicendum est in iis, quæ sunt materiæ & corporis expertia. Aut igitur in istis ponito esse dissidia, ut tres Deos dicamus, quoniam unus istud, alius illud velit; aut si nulla est in iis dissensio, unus sit Deus Pater & Filius & Spiritus S. quemadmodum qui in Christo sunt compacti, unus homo sunt, sicut scriptum est. Et sub ejusdem Dialogi finem rursus Orthodoxum ita loquentem facit: Qui coëssentialitatem dicit, Christianus est, qui vero existimat eum non esse Christianum qui coëssentialitatem dicit, & tamen ipsemet hoc dicit, comperitur se ipsum condemnare, ut servus ille malus ex suo ipsius ore damnatus. Et Anomæus respondet. Quomodo vero sum compertus id dicere? Orthod. Nos (dixisti) sentimus Patrem, Filium, & Spiritum S. esse instar Episcopi, Presbyteri, & Diaconi. Anom. Fateor me dixisse instar Episcopi, Presbyteri & Diaconi. Orthod. Atqui Episcopus, Presbyter & Diaconus sunt ὁμοούσιοι, coëssentiales. Fassus es igitur ὁμοούσιον, coëssentialem esse Patrem, Filium & Spiritum S. Ex quibus Athanasii locis Sole clarius apparet, ipsum ideo tantum Patrem, Filium & Spiritum S. dicere esse consubstantiales, quia in eadem specie, Deitate conveniant, & summa inter eos sit voluntatis consensio.

XI. Gregorius Nyssenus circa A. C. 396. denatus, in tractatu, De eo quod non putandum sit tres Deos dici oportere, ad Ablavium. Porro quod à te dicitur tale est: Petrus & Jacobus & Joannes cum in una sint humana natura, tres homines dicuntur. Ac nullo modo absurdum est natura conjunctos, si plures sint, ex nomine naturæ pluraliter numerari. Si igitur illic hoc consuetudo concedit, ac nemo vetat duos dicere, qui duo sunt, & tres eos, qui supra duos sunt; quo pacto in mysticis decretis tres hypostases confitentes & nullam in iis circa naturam differentiam agnoscentes, adversamur quodammodo confessioni, unam quidem Deitatem Patris & Filii & Spiritus Sancti dicentes, tres autem Deos dicere vetantes, &c. Resp. Dicimus primum abusum quendam esse consuetudinis, ut eos qui natura divisi non sunt, per ipsum naturæ nomen pluraliter nominemus, ac dicamus multi homines; cui simile est, si quis dicat, multæ naturæ humanæ, &c. At quemadmodum plebs, populus, exercitus, concio, singulariter omnia dicuntur, unumquodque autem horum in multitudine esse intelligitur; eodem modo secundum exactiorem & exquisitiorem rationem, homo quoque unus proprie dici posset, etiamsi hi qui in eadem natura demonstrantur multitudo sint, ut multo rectius fuerit lapsam in nobis corrigere consuetudinem & non amplius naturæ nomen ad multitudinem extendere, quam consuetudini servientes errorem, qui hic latet, etiam ad divinum dogma transferre, &c. Idem in libro de Fide ad Simplicium. Sicut in Adamo & Abele una est humanitas, seu natura humana, eodem modo in Patre,

Patre, & Filio, est una Deitas, seu divina natura.

XII. Augustinus, qui A. C. 430 obiit, *lib.* 1. contra Maximinum: *Quare verus Deus?* (Christus) *Quia verus Dei Filius. Si enim animalibus dedit ut non generent nisi quod sunt, homo hominem generat, canis canem, & Deus Deum generat. Si ergo ejusdem substantiæ est, quare dicis minorem?* Et in responsione ad Sermonem Arianorum: *Ariani quippe & Eunominiani, non alii hæretici, nos vocitant Homousianos, quia contra eorum errorem Græco vocabulo ὁμοούσιον defendimus Patrem & Filium & Spiritum S. id est, unius ejusdemque substantiæ (vel, ut expressius dicatur) essentiæ, quæ οὐσία Græce appellatur; quod planius dicitur, unius ejusdemque naturæ. Et tamen si quis istorum, qui nos Homousianos vocant, filium suum, non cujus ipse esset, sed diversæ diceret esse naturæ, exhæredari se mallet filius, quam hoc putari. Quanta itaque impietate isti cæcantur, qui cum confiteantur unigenitum Dei Filium, nolunt ejusdem naturæ cujus Pater est confiteri, sed diversæ atque imparis, & multis modis rebusque dissimilis, tanquam non de Deo natus, sed ab illo de nihilo sit creatus, ac per hoc & ipse creatura sit, gratia Filius, non natura.*

XIII. Cyrillus Alexandrinus, qui A. C. 444 decessit, *Dial.* 1. *de Trinitate. Magnum discrimen est inter essentiam & hypostasin, quandoquidem essentia singularia continet. Itaque essentiæ declaratio videtur, sicut commune & universale quoddam esse: nomina vero hypostaseon sub illo universali contineri. Ver. gr. definimus hominem, esse animal rationale mortale, & hanc dicimus esse definitionem ejus, quæ convenit omnibus particularibus sub eo existentibus. Unde sub hoc communi, hoc est, sub homine, aut hominis definitione, ponitur & Thomas & Marcus, vel (si dicere placet) & Petrus & Paulus. Et hoc modo essentiam quis designarit; eorum autem quæ singularia intelliguntur nondum manifestam & evidentem fecerit declarationem. Non enim si quid est homo id mox est Petrus & Paulus, &, si quis dixerit Thomas aut Marcus, non mox essentiæ definitionem enunciarit. Igitur nomen essentiæ se habet ut homo, & gerit in se nomen universale: è contra hypostasis intelligitur convenientius ut singulare.*

XIV. Anastasius & Cyrillus in Compendiaria Fidei Orthodoxæ Explicatione. *Quot hypostases agnoscis in Deitate? Tres, Patrem, & Filium, & Spiritum S. Quid est hypostasis? Essentia cum suis quibusdam proprietatibus, ab iis quæ ejusdem sunt speciei numero differens, id est, persona coëssentialis.*

XV. Coronidis loco afferam testimonium Salviani Massiliensis, qui circa A. C. 460 floruit, ex opere de *Gubernat. Dei, lib.* 5. quo ostenditur quanta cum moderatione hæretici tractari debeant: *Itaque hæretici sunt* (Ariani Gothi) *sed non scientes; denique apud nos sunt hæretici, apud se non sunt: nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ appellationis infament: quod ergo illi nobis sunt, & hoc nos illis. Nos eos injuriam divinæ generationi facere certi sumus, quod minorem Patre Filium dicant; illi nos injuriosos Patri existimant, quia æquales esse credamus. Veritas apud nos est, sed illi apud se esse præsumunt. Honor Dei apud nos est, sed illi hoc arbitrantur honorem Divinitatis esse, quod credunt. Inofficiosi sunt, sed illis hoc est summum Religionis officium. Impii sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei. Honorare se Dominum atque amare credentes, quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æstimant charitatem. Qualiter pro hoc ipso falsæ opinionis errore in die judicii puniendi sint, nullus potest scire nisi Judex. Interim idcirco illis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etsi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare; maxime cum sciat, eos ea facere quæ nesciunt, nostros autem negligere quod credunt, &c.*

RELIGIONIS CHRISTIANÆ INSTITUTIO.

LIBER III.

CAPUT I.

De Decretis Dei, & ſpeciatim dari decreta conditionata.

I. *Quibus vocibus Dei decreta in S. literis efferantur.* II. *Quæ in decretis conſideranda; Et quid Decretum.* III. *Decreta Dei, 1. vel circa ipſius actiones, vel circa alienas verſari.* IV. *2. Ea eſſe vel generalia, vel ſingularia;* V. *3. vel abſoluta, vel conditionata.* VI. *Dari conditionata decreta, patet ex promiſſionibus & minis Dei.* VII. *Hæ idem ſunt cum ejus decreto.* VIII. *Cum abſoluto decreto conſiſtere nequeunt.* IX. *Quomodo una eademque res diverſo reſpectu ſimul & conditio & medium eſſe poſſit.* X. *Deum abſolute non decreviſſe Noachum ſervare,* XI. *Iſraëlitis Cananæam poſſidendam dare,* XII. *Aut Davidem Regem conſtituere.* XIII. *Nec Meſſiam neceſſario ex Davide Rege debuiſſe naſci.* XIV. *Decreta conditionata non pugnare cum Dei Omnipotentia,* XV. *Præſcientia,* XVI. *Immutabilitate,* XVII. *& Providentia.* XVIII. *Quibuſdam tamen obſervatis, commode, pacis gratia, dici poſſe, omnia Dei decreta eſſe abſoluta.*

I. QUid ſit Deus & quis, vidimus; ſequitur ut ipſum in ſuis *Operibus* contemplemur. Ea ſunt duo præcipua, nimirum *Creatio* & *Providentia*, ſub quibus reliqua omnia comprehenduntur. Sed quia Deus nihil facit, niſi prius apud ſe id decreverit facere, antequam ad iſtorum operum conſiderationem accedamus, aliquid de ejus *Decretis* delibandum nobis eſt. Decreti quidem vox plerumque de mandatis divinis uſurpatur, quæ Hebræis חקים dicuntur, *Deut.* IV. 5, 40. 1 *Reg.* VIII. 61. & *Pſalm.* CXIX. ſæpe: & *δόγματα* ſeu *decreta* peculiariter vocantur à Paulo præcepta ceremonialia & poſitiva, *Epheſ.* II. 15. *Coloſſ.* II. 14. verbum tamen *decernendi*, ubi de Deo eſt ſermo, ſignificat id quod Deus facere conſtituit, ut *Eſa.* XIV. 27. *Act.* IV. 28. vox etiam πρόθεσις, id eſt, *propoſitum*, eodem ſenſu accipitur, *Rom.* VIII. 28. *Epheſ.* I. 11. & III. 11. 2 *Tim.* I. 9. item *πρόγνωσις præcognitio*, à *προγινώσκω præcognoſco*, *Act.* II. 23. 1 *Petr.* I. 2. *Rom.* VIII. 29, 30. *Epheſ.* I. 5, 11. Et *προορίζω prædeſtino*, *Act.* IV. 28. *Rom.* VIII. 29, 30. nec non עצה & βουλὴ ſeu *conſilium*, *Pſalm.* XXXIII. 11. *Eſa.* XLVI. 10. *Luc.* VII. 30. *Act.* II. 23. & IV. 28. *Epheſ.* I. 11. ſed nullæ voces frequentius adhibentur ad decreta Dei ſignificandum, quam voces *Voluntatis* & *Volendi*, חפץ & θέλημα, ut *Pſal.* CXV. 3. *Eſa.* XLVI. 10. *Joan.* VI. 40. *Act.* XXI. 14. *Epheſ.* I. 5, 9, 11. 1 *Cor.* IV. 19. *Jac.* IV. 15. & ſæpe alibi.

II. Quod ad rem ipſam attinet, decreta Dei hic tantum in genere conſiderabimus (alibi ſpeciatim de Prædeſtinatione acturi) & quænam ſit eorum natura, diviſiones, ordo & proprietates, dicemus. Decretum Dei eſt actus liberæ voluntatis ipſius de rebus futuris: & locum habet in iis quæ Dei poteſtati ſubjecta ſunt, ut, prout ipſi videtur, aut eveniant aut non eveniant: quod etiam vox conſilii ſatis indicat, quæ nunquam de rebus naturalibus & prorſus neceſſariis uſurpatur, ſed tantum de iis quæ libera voluntate fiunt: quamvis ea θεοπρεπῶς ſit intelligenda, & anxias illas & longas deliberationes, quæ in conſiliis hominum, propter ipſorum ignorantiam & mentis imbecillitatem, adhibentur, prorſus excludat atque momento peragatur.

III. *Prima decretorum Dei diviſio eſt*, quod alia verſantur circa *ipſius actiones*, alia circa *alienas* ſeu creaturarum. Prioris generis ſunt, quibus Deus ſtatuit ipſe aliquid facere, ut mundum creare, fideles ſalvare: aut non facere, ut rebelles Iſraëlitas in terram Canaan non introducere. Poſterioris vero, quibus aliquid ab hominibus vult fieri vel omitti: & mandatis ejus continentur; quorum obſervationem relinquit quidem libero hominum arbitrio, nulla parendi aut non parendi neceſſitate aut coactione impoſita; ſed ita ut contumaciam ipſorum inultam abire nolit.

IV. *Secunda eſt*, Quod decreta Dei alia ſint *generalia*, alia *ſingularia*. Generalia ſunt, quibus Deus leges de regimine mundi, ad omnes vel ſaltem ad multos pertinentes, conſtituit; ut cum præmia bonis, pœnas ſceleratis decernit, & alia ejuſmodi. Singularia ſunt, quibus aliquid in individuo de hoc aut illo homine conſtituit, ut cum Saulem vult regno deturbare, Davidem vero in eo ſtabilire. Ea in generalibus potentia continentur, ſed ita ut peculiares voluntatis divinæ actus, quibus generalia applicentur ſingularibus, requirant. Sic quia Deus decrevit credentes Euangelio beare & incredulos damnare, oportet quidem ut Petrus ſit beatus & Judas damnatus: ſed id tamen abſque peculiari decreto non eveniet, quo ille vitæ, hic vero morti æternæ adjudicetur: & ita de aliis.

V. *Tertia eſt*, quod decreta Dei alia ſint *abſoluta*, alia *conditionata*. Decreta abſoluta dicuntur illa, in quibus nulla incluſa eſt conditio, à cujus impletione ipſorum exſecutio ſuſpendatur: quale fuit ex. gr. decretum, quo Deus ſtatuit mundum,

& quæ

& quæ in illo continentur diversa creaturarum genera condere; ac eundem Providentia sua regere & conservare. Decreta conditionata sunt illa, quibus apposita est aliqua conditio, à cujus impletione aut omissione ipsorum exsecutio suspenditur: qualia magnam partem sunt illa, quibus Deus hominibus bonum aut malum aliquod immittere constituit, si modo hoc aut illud fecerint aut omiserint. Talia an Deus faciat controvertitur. Sunt enim qui id præfracte negant, & omnia Dei decreta absoluta esse contendunt: adeo ut sententiam de conditionatis decretis abominandam vocent, & inter Christianos dicant non esse tolerabilem; licet eam approbent Musculus, Zanchius, Aretius, Polanus, & aliquot alii celebres inter Reformatos Doctores.

VI. Hanc uno tantum, sed valido, defendam argumento: videlicet, Deum fere ubique in Scriptura conditiones aliquas voluntatis suæ declarationibus apponere. Ex magno locorum numero, unde id liquet, pauca speciminis instar afferam. Deus Caino indignanti quod oblatio sua non adeo accepta esset atque fratris Abelis, dicit, *Nonne si bene feceris, erit acceptatio? quod si non bene feceris, in foribus cubat peccatum*, Gen. IV. 7. id est, pœna peccati. Et omnibus Israëlitis, *Si obedieritis voci meæ & custodiveritis pactum meum, eritis mihi peculium præ omnibus populis*, Exod. XIX. 5. Alibi Deus jurat neminem contumacium & murmuratorum illorum, qui adversus se & Mosen servum suum insurgebant, visurum terram Canaan: de qua juraverat patribus eorum se posteris illam daturum, Num. XIV. 21, 22, 23. ubi oportet necessario, nisi Deum mendacem facere velimus, ut prius illud juramentum, ac proinde & decretum, secundum quod est factum, conditionale fuerit. Eadem est ratio ejus quod legimus, Deum dixisse Heli, qui nimis indulgenter filios suos sceleratos habebat: *Dicendo dixeram quod domus tua & domus patris tui ambularent coram me usque in seculum. Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me, quia honorantes me honorabo, contemnentes autem me contemnentur*, 1 Sam. II. 30. ubi etiam prius illud propositum debuit esse conditionale. Similiter Samuel dicit Sauli, qui expressum Dei mandatum sacrificando transgressus fuerat: *Stulte egisti, quia nunc Dominus stabilierat regnum tuum super Israëlem usque in seculum*: (nempe decreto aliquo ea de re facto) *nunc autem regnum tuum non stabit, &c.* 1 Sam. XIII. 13, 14. ubi quoque apparet ex eventu, prius decretum fuisse conditionale. Propheta Azaria Dei nomine significat Regi Asæ & Judæis, *Dominus est vobiscum quando eritis cum eo; &, si quæsieritis eum, invenietur à vobis; si vero dereliqueritis eum, derelinquet vos*, 2 Chron. XV. 2. *Si volueritis & audieritis me*, (dicit Deus Judæis) *bona terræ comedetis: quod si nolueritis & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos: quia os Domini locutum est*, Esa. I. 19, 20. Deus etiam declarat apud Jeremiam, *cum loquutus fuerit adversus gentem aut regnum aliquod, de ipso destruendo; se id non facturum si gens aut regnum illud à peccatis suis convertatur: & contra, cum loquutus fuerit de gente aut regno aliquo ædificando, se id exsecutioni non daturum, si gens aut regnum illud non obedierit voci suæ, & malum fecerit in oculis suis*, Jer. XVIII. 7, 8, 9, 10. Item, *Si impius se converterit à peccatis suis quæ fecit, omnes defectiones ejus quas commisit non commemorabuntur, sed in justitia sua vivet*. Et contra, *si averterit se justus à justitia sua, omnia justè facta ejus non commemorabuntur, sed propter peccata sua morietur*, Ezech. XVIII. 21. & seq. Et in Novo Fœdere similiter, ubi Christus discipulis dicit; *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: Sicut & ego Patris mei præcepta conservavi, & maneo in ejus dilectione*: Item, *Vos amici mei eritis, si feceritis quæcunque præcipio vobis*, Joan. XV. 10, 14. Et Paulus, *si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, Rom. VIII. 13. Et, *si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus eum suscitaverit à mortuis, salvus eris*, Rom. X. 9. Item, *Si mortui fuerimus cum Christo & convivemus: si sustinuerimus & conregnabimus: si negaverimus, & ille negabit nos*, 2 Tim. II. 11, 12. Et plura adhuc similia, præsertim in Epistola ad Hebræos, & in Apocalypsi.

VII. Qui in contraria sunt opinione, excipiunt non agi istis in locis de Dei decretis; Ea enim nihil aliud continere nisi promissa & minas, quas plerumque esse conditionales ultro agnoscant; Et illis ostendi tantum quis sit inter mandatorum Dei obedientiam & præmium, contumaciam & pœnam nexus; non vero Deum aliquid sub conditione decernere. Ad quod respondeo 1. Perinde est sive testimonia de decretis Dei, sive tantum promissiones & minæ afferantur. Nullam enim fere nos decretorum Dei notitiam habere possumus, nisi ex promissionibus & minis ejus; inter quæ solum istud est discrimen, quod decreta maximam partem sunt occulta, promissiones vero & minæ omnibus innotescant ad quos verbum divinum dirigitur. Promissio enim nihil aliud est nisi patefactio voluntatis conferendi aliquod beneficium; Et comminatio est patefactio voluntatis infligendi malum. Voluntas autem & decretum unum idemque sunt in Deo. Cum ergo Deus per promissa & minas nobis soleat revelare decreta sua, si inde quæ decretorum Dei sit natura certo colligi nequeat, nulla nobis supererit via, qua ad illorum cognitionem veniamus. *Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Rom. XI. 34. Ita qui cum semi-Judæo disputaret, dicente Messiam olim promissum nec venisse nec unquam venturum esse; quia decretum de illo mittendo esset conditionatum, & Judæi requisitam à se conditionem non impleverint; nulla eum commodiore via convincere posset, quam si ostenderet omnes promissiones de illo factas esse absolutas, & nullibi conditionem iis appositam inveniri, aut dici Deum Messiam esse missurum si Judæi se à

peccatis convertant. Quod si Epicureus aliquis inter Christianos inveniretur, qui Deum nulla de mundi regimine decreta fecisse contenderet, convinci nequiret, ista de omnibus decretis absolutis opinione supposita. Nam si promissionum & comminationum aut etiam mandatorum proferrentur exempla, paratum haberet effugium; ista ad rem nihil facere, & quæstionem quam moveret de decretis non tangere. 2. Promissiones & minæ conditionales una cum decreto absoluto non possunt consistere. Si enim ex. gr. Deus salutem promitteret sub conditione iis quos absolute ab ea reprobavit, aut mortem minaretur iis quos absolute vita æterna donare decrevit, utrosque irrideret; nemoque tuto & absque deceptionis periculo Dei promissis confidere posset; nec causa quoque esset cur admodum quis metuere deberet ejus minas. Afferunt quidem reprobos per fidem in Christum salvari posse, & electos nisi in ea perseverent damnatum iri, quia indissolubilis sit inter fidem & salutem, incredulitatem & damnationem nexus. Sed id nullius est momenti; fac enim ita se rem habere, frustra tamen allegatur, quia nec reprobi credere, nec electi unquam à fide, secundum ipsorum hypothesin, deficere possunt. Deinde fac reprobum aliquem credere, ille non poterit salvus esse per fidem, nisi Deus decretum de ejus reprobatione rescindat. Similiter si electus à fide deficiat, non poterit per suam incredulitatem damnari, nisi Deus decretum de ejus electione abroget. Id autem Doctores isti summe absurdum esse existimant. Recte ergo, id est, principiis suis consentanee scripsit Marloratus, *Eum quem Deus ante conditum mundum rejecerit non posse salvari, etiamsi omnia sanctorum opera fecerit*, *in Expositione Ecclesiastica in Joan.* xv. 2. Tantum debuisset addere ex opposito, *eum quem Deus ante conditum orbem elegerit non posse damnari, etiamsi omnia impiorum opera fecerit.*

VIII. Sed ut clarius adhuc appareat promissionum & minarum conditionalium, cum decretis absolutis incompatibilitas, duo exempla afferam quæ id ob oculos proponunt. Propheta Jeremias nomine Dei dicit Regi Zedeciæ; *Si exeundo exieris ad Principes Regis Babel, vivet anima tua, & civitas hæc non succendetur igni, & vives tu & familia tua. Si autem non exieris ad Principes Regis Babel, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igni, neque effugies de manu eorum*, *Jer.* xxxviii. 17, 18. Si Deus absoluto, ut isti volunt, decreto statuisset ut Hierosolyma solo æquaretur, Zedecias & ejus liberi crudeliter à Chaldæis tractarentur & occiderentur, quomodo promissum istud verum esse poterat? Stetissetne Hierosolyma, & Sedecias cum liberis incolumis mansisset, si Prophetæ consilio morem gessisset? Nonne ergo præstat dicere Deum ista de re decretum conditionatum fecisse, quam absolutum, una cum promissione fallaci, quæ impleri non posset nisi decretum absolutum abrogaretur? Rursus Jonas ex mandato Dei expresso concionatur Ninivitis; *Adhuc quadraginta dies; & Ninive subvertetur*, *Jon.* iii. 4. In quo decreto, seu mavis comminatione, tacita conditio, ut patuit ex eventu, subintelligebatur: Nimirum nisi à malis suis viis resipiscerent; quamvis id tanquam absolutum propositum fuisset. Hic quæro, utrum Deus absolute decrevisset civitati Ninive parcere, aut non? posterius non dicent, quia eventus contrarium docuit. Oportet ergo ut prius asserant. Quare Deus illi parciturus erat, quamvis incolæ ipsius à peccatis non resipuissent, ut requirit decreti absoluti natura, quod à nulla conditione suspensum est: cum tamen diserte dicatur, *Deum vidisse opera eorum, quod conversi essent à via sua mala, & ideo pœnituisse eum mali quod locutus fuerat se facturum illis, & non fecisse*, *Jon.* iii. 10. Nec ad absurda ista effugienda quicquam prodest afferre, Deum Ninivitarum pœnitentiam prævidisse, & pariter Sedeciæ pertinaciam in repudiando salutari Jeremiæ consilio. Præscientia enim Dei impedire nequit, quo minus promissiones ejus & minæ essent simulatæ, cum neutras absque decreti sui absoluti rescissione executioni mandare posset.

IX. Excipiunt etiam, illos qui Deo decreta conditionalia tribuunt, medium & conditionem inter se confundere: Deum quidem decreta sua exsequi per media quædam, sed ea nunquam facere sub conditione, cujus impletio ab alieno arbitrio pendeat. Ita, verbi gratia, absolute ipsum decrevisse, Noachum una cum familia à diluvio quod terris immissurus erat conservare, eoque fine Noacho ut arcam sibi exstrueret præcepisse. Item regionem Cananæam Israëlitis possidendam dare, sed in quam per multos labores & prælia ingrederentur. Et Davidem ad Regnum variis intervenientibus periculis, in quibus fortiter se gereret, evehere. In istis, inquiunt, Deus ad decreta sua exsequenda usus est quidem tanquam mediis, Noachi obedientia in arca exstruenda, Israëlitarum laboribus & Davidis fortitudine: sed tamen decreta illa sub conditione non fecit. Ad quæ respondeo, Nolle me negare quin inter conditionem & medium aliquod sit discrimen. *Conditio* enim, secundum Jurisconsultos, *est lex negotio apposita, quæ suspensum illud tenet, donec ejus impletione confirmetur.* Medium vero est via, quam aliquis insistit ut ad finem sibi propositum perveniat. Illa exigitur ab alio, & decretis conditionalibus proprie convenit; hoc vero absolutis, & præstatur ab eo qui finem intendit. Nonnunquam tamen una eademque res in aliquo negotio simul & conditio & medium esse potest; quamvis diverso respectu. Ita quando Saul filiam suam Davidi in matrimonium dare pollicebatur, dummodo David ei centum Philistæorum præputia afferret; hæc centum præputia respectu Saulis conditio erant ejus decreto apposita, qua suspensum tenebatur, donec à Davide impleta esset. Sed quia David absolute Saulis filiam uxorem habere cupiebat, ista centum præputia erant ei medium quo

ad

ad optatum conjugium perveniret. Eodem modo fides in Christum respectu Dei est conditio sub qua salutem æternam nobis pollicetur & dare constituit; sed nostri respectu, qui absolute salutem æternam cupimus, fides est medium illam obtinendi. Si tamen is qui alteri conditionem præscripsit, eam ipse impleat, tunc proprie loquendo non est amplius conditio, sed medium; ut si Saul omnes regni sui vires adhibuisset, ad centum illa Philistæorum præputia, quæ à Davide petebat, consequendum. Quare si Deus insuperabili potentia in quibusdam electis produceret fidem, ea salutis conditio esse desineret. Quod est contra Scripturam, quæ ubique de fide, tanquam salutis obtinendæ conditione loquitur. *Qui crediderit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur:* nusquam autem hac aut simili loquendi formula utitur; *Deus illi quem salvare decreverit, fidem dabit*; prout oporteret, si fides esset medium per quod nos Deus adducere vellet ad salutem. Fides etiam, quod ad reprobos, quos dicunt in Christum credere non posse, salutis conditio non foret. Promissum enim sub conditione impossibili factum, absolutæ denegationi æquipollet. Ut si quis alteri filiam in matrimonium polliceretur, si modo Lunam digito attingeret, idem foret atque ei rotundo ore dicere, Nolo illam tibi dare.

X. Et quod ad exempla modo allata spectat, ea contrarium non probant. Deus enim Noachum absolute à diluvio servare non decreverat, id est, nulla pietatis & obedientiæ ipsius tanquam conditionis prærequisitæ habita ratione. Scriptura contrarium testatur *Gen.* VI. 8. sed præcipue VII. 1, 2. ubi Deus ei dicit, *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam. Te enim vidi justum coram me in generatione hac.* Nec dubium est, quin si ab eo tempore, quo Deus ei jussit arcam extruere, pristinam suam justitiam deseruisset, & in eandem cum cæteris viam abiisset, cum illo impiorum mundo periturus fuisset. *Deus* enim *non est acceptor personarum, sed juste secundum uniuscujusque opus judicat*, 1 *Petr.* I. 17. Dices id fuisse impossibile, quia Deus humanum genus per Noachum reparare proposuerat. Sed nego absolute id adhuc fuisse decretum. *Deus qui ex lapidibus suscitare potest filios Abrahamo*, *Matth.* III. 9. invenisset alia media, si Noachus gratia sua indignum se reddidisset. Imo decretum de mundo perdendo nondum erat absolutum cum Deus Noacho mandatum illud de arca dedit; sed conditionem hanc tacite inclusam habebat; Nisi homines ab impietate desisterent; quod non minus facere poterant, quam aliquot sæculis post Ninivitæ. Et ut facerent, ad eos Noachum justitiæ præconem ablegaverat, 2 *Petr.* II. 5. & centum ac viginti annos ad resipiscendum indulserat, *Genes.* VI. 3. Quod frustra fecisset, si decretum illos perdendi absolutum & irrevocabile fuisset.

XI. Neque etiam Deus absolute decreverat Cananæam Israëlitis possidendam dare, ita ut quocunque se modo gererent, in eam ingrederentur. Contrarium ex eo patet, quod Mosi dicit, cum se idololatria circa vitulum aureum polluissent, *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam*, *Exod.* XXXII. 10. Si absolute & absque ulla conditione Israëlitas in regionem istam introducere statuerat, quomodo nunc de iis in deserto perdendis loquitur? An ergo severa hæc comminatio pro inani tantum terriculamento habenda est, qualis erat matris illius apud Æsopum, quæ filiolum flentem comedendum lupo se objecturam dicebat? Moses sane pro tali non habuit, qui adeo illa commotus fuit, ut veluti extra se raptus in has preces eruperit, *Aut dimitte iis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti*, v. 32. Nec alias cum populus iste Deum murmuribus suis exacerbaverat, tantum in avertenda ejus ira laborasset; veluti videmus ipsum fecisse cum Deus dicebat, *Feriam eos pestilentia atque consumam; te autem faciam principem super gentem magnam & fortiorem quam hæc est*, *Numer.* XIV. 12. &c. Moses enim scivisset istud non esse timendum, si decretum, quo Deus Cananæam Israëlitis dare proposuerat, esset absolutum. Sed quemadmodum Deus juravit in ira sua impios illos, à quibus toties fuerat irritatus, non ingressuros in terram, quam ipsis promiserat; procul dubio ita neque ipsorum liberi in eam ingressi fuissent, nisi parentum territi pœnis resipuissent, & Deus in aliud tempus promissi, quo se Abrahamo obligaverat, exsecutionem, ut jam ante fecerat, distulisset. Statim enim ab exitu Israëlitarum ex Ægypto id exsequi paratus erat, ut videre est *Exod.* VI. 1. & *seqq.* nisi rebellio ipsorum, de quo *Numer.* XIV. obstitisset.

XII. Denique quod ad Davidem attinet, cum Deus antecessorem ejus Saulem propter inobedientiam rejecisset, ne regnaret in perpetuum super Israëlem, (quod alioqui contigisset, ut locus 1 *Sam.* XIII. 13. *Stabilivisset regnum in sempiternum, &c.* supra adductus, manifeste arguit) non est credendum Davidi ad regnum electionem adeo absolutam & immobilem fuisse, ut ex ea nullo scelere excidere posset. Sed Deus amoto Saule dicit, *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, *Act.* XIII. 22. ex *Psalm.* LXXXIX. 21. Decretum ergo quo regnum in Israëlem ei destinatum fuit, cum hac restrictione intelligi debet, Nisi indignum se eo, quemadmodum Saul, peccatis redderet. Eaque in re par fuit ipsius conditio cum Salomone filio, cui Deus dicit; *Si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis & in æquitate, & feceris omnia quæ præcepi tibi, & legitima mea & judicia mea servaveris, ponam thronum regni tui super Israël in sempiternum, &c. Si autem aversione aversi fueritis vos & filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & ceremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis Deos alienos, & adoraveritis eos, auferam Israël de superficie terræ, quam dedi eis, & templum quod sancti-*

ificavi nomini meo projiciam à conspectu meo, &c. 1 *Reg.* IX. 4 *&c.*

XIII. Sed dicunt; Neque regnum in Saulis familia potuisse confirmari, neque à Davidica auferri, aut decreta conditionalia de utraque ista re fieri, quia Deus ante Saulis nativitatem constituerat, ut Messias ex regia Davidis prosapia oriretur; quod impletum non fuisset, si regnum Saulis in perpetuum stabilitum, aut à Davide ablatum esset. *Respondeo*, Quis eis revelavit Deum ante quam Saul nasceretur decrevisse ut Messias ex stirpe regia Davidis ortum duceret? E quo Scripturæ loco hauserunt istud? Indicent nobis si possunt. Jacob quidem prophetavit, *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat Schilo*, *Genes.* XLIX. 10. Et inde discimus Messiam, qui per nomen Schilo intelligitur, ex tribu Juda, durante adhuc imperio quod aliquando habitura esset, nasci debuisse. Sed Messias Davidis familiæ promissus non fuit nisi post Saulis obitum, ut liquet ex 2 *Sam.* VII. 12. *&c.* Instant, Messiam ante constitutionem mundi præcognitum fuisse, 1 *Petr.* I. 20. Ita est, sed inde non sequitur Deum jam ab illo tempore decreta fecisse, præsertim absoluta, de omnibus missionis ejus circumstantiis; veluti de tempore & loco nativitatis, & de stirpe unde esset proditurus: multoque verisimilius est Deum exspectavisse id constituere, prout suaderent occasiones quæ postea offerrentur. Etiamsi ergo regnum Saulis & domus ejus per aliquot sæcula durasset, id non impedivisset quominus familia illa extincta (quod variis modis contingere potuisse rerum humanarum vicissitudo docet) Deus tandem aliquem ex tribu Juda oriundum in solio collocaret, & ex ejus posteris Messiam suscitaret, ut decretum suum per Jacobum revelatum exsecutioni mandaretur. Ad quam rem opus non erat, ut sceptrum in domo Davidis usque ad Messiæ adventum perseveraret (non enim perseverasse eventus docuit) sed tantum, ne à Juda seu populo Judaico ante illud tempus auferretur: quod neque factum est, cum Messias stante adhuc politia Judaica venerit.

XIV. Nunc quid afferatur adversus decreta conditionalia audiamus, & paucis expendamus. Ea, inquiunt, cum Dei Omnipotentia, Præscientia, & Immutabilitate pugnant. Nam homines qui aliquid sub conditione ab alio libere implenda decernunt, id faciunt, aut quia vires ad illud exsequendum sufficientes non habent; aut quia ignorant quid sit futurum; aut quia mutabiles sunt, & conditione impleta incipiunt velle, quod antea nolebant. Atqui hæc omnia imperfectionem sapiunt, & longe à Deo sunt removenda; Ergo nulla facit decreta conditionalia. *Respondeo*, Gravis est hæc accusatio, sed admodum injusta. Nam quod attinet ad *primum membrum* de potentia: non est semper verum, homines qui aliquid decernunt sub conditione, id propter virium defectum facere. Sane Rex qui proponit præmium dare Wilhelmo aut Henrico, si in ludicro certamine specimen agilitatis vel dexteritatis suæ ediderint, non id facit quod his rebus indigeat, quas ipse præstare non possit. Nihil minus. Sed quia præclaris facinoribus delectatur, & ea liberaliter in aliis remunerari gloriosum sibi putat. Imo fieri potest, ut in iis rebus, quibus præmium constituit, ipse alios antecellat. Eodem modo, cum Deus proposuit bona terræ Israëlitis fruenda dare, si mandatis suis paruerint, & contra eos hostili gladio trucidandos exponere si contumaces fuerint, *Esa.* I. 19, 20. in eo ne minima quidem species impotentiæ apparet: Deus enim obedientiam liberam à suo populo requirebat; quam non habuisset, si per omnipotentiam suam eam efficere voluisset.

XV. Quod ad *secundum*, de futuri ignorantia, ea neque est semper causa cur homines aliquid conditionaliter decernant. Ita Princeps potest præstanti Musico donarium decernere sub hac conditione, si coram se ex arte cantet; quod tamen non ignorat eum libentissime facturum. Sed quamvis decreta conditionalia in hominibus futuri ignorantiam semper arguerent, non perinde tamen se res habet in Deo; de quo Joannes, *Deus est major corde nostro, & novit omnia*, 1 *Joan.* III. 20. Quod verum est, etiamsi modum quo novit omnia non capiamus. Tantum oportet notare, Deum res omnes certo quodam ordine cognoscere, non confuse. Hic ordo est quem illæ inter se habent, & quo aliæ prius, aliæ posterius contingunt, præsertim si aliæ aliis existendi sunt causa. Ita v. gr. Deus novit Abrahamum ante Isaacum, & Isaacum ante Jacobum, & sic consequenter. Neque potest etiam scire Abrahamum ex Sara habiturum filium, nisi eam uxorem ipsi adjungere, & ex sterili fœcundam reddere constituerit. Si ergo Deus nondum fecerit decreta quæ ad aliquarum rerum existentiam sunt necessaria, sequitur ipsum res illas determinate non cognoscere; non quia non possit, sed quia non vult, & oculos (ut ita dicam) ab iis avertit. Mox autem ostendemus Deum quotidie nova decreta facere posse. Fieri igitur potest, ut quando Deus aliquid decernit conditionaliter, ex. gr. Indos Occidentales salvare, si in Christum credant, nondum constituerit ad eos mittere ministros, qui Euangelium ipsis annuncient: quia hanc eis largiri gratiam non vult, nisi bene utendo naturali lumine illa se quodammodo dignos reddiderint, ad quod ipsos nondum propensos animadvertit. Hoc posito, nihil esset incommodi, dicere, Deum quando istud decretum fecit, nondum scivisse an Indi Euangelio credituri essent, nec ne; non quidem ex defectu scientiæ, sed quia ita requirit rerum ordo, & contradictionem implicat credere Euangelio, antequam quicquam de Euangelio audiveris. Quod ii concedere nobis debent, qui nullum aliud præscientiæ futurorum fundamentum præter Dei decretum agnoscunt. Nam quamvis id non sit universaliter verum; tamen cum nulla res possit fieri, quin aliquod

quod Dei decretum ſeu effectivum ſeu permiſſivum interveniat, neceſſario etiam tale decretum determinatam futuri præſcientiam antecedere oportet.

XVI. Quod ad *Tertium*; Decreta conditionalia mutabilitatis & inconſtantiæ eſſe indicia, illud eſt falſiſſimum, etiam inter homines. Contra potius oſtendunt, eos qui ita aliquid decernunt in propoſito conſtantes eſſe velle. Cum enim ignorantiæ & imbecillitatis ſuæ ſibi ſint conſcii, & conjiciant multa intervenire poſſe, quæ ipſos à propoſito exſequendo dimovere queant, malunt in rebus dubiis aliquid ſub conditione, quam abſolute decernere. Sic enim fit, ut quocunque res cadat, nihil aliud obligentur facere, quam quod ante propoſuerint. Ita dominus decernit ſervo amplam remunerationem, ſupra mercedem ordinariam, ſi gnavum & fidelem ſe in aliquo negotio præſtiterit; contra ſe nihil ei donaturum, ſi ignavus aut minus fidelis fuerit. Quicquid faciat ſervus, nulla erit in domino mutatio, ſi alterutrum eorum, quæ propoſuerat exſequatur. Non eadem quidem eſt Dei in conſiliorum ſuorum motivis, quæ hominum ratio; ſed tamen quando propoſuit conditionaliter Petrum, ſi in fide perſeveraverit, ſalvum facere, Paulum vero, ſi in infidelitate permanſerit, damnare; non erit mutabilis, quamvis Petrum qui defecit à fide damnet, & Paulum qui converſus eſt ab infidelitate ſua ſalvum faciat.

XVII. Objicitur etiam decreta conditionalia pugnare adverſus Dei providentiam, qua homines, prout ipſi videtur, gubernat: & eum ſuſpenſum relinquere, exſpectantem quid homo facturus ſit, antequam aliquid firmum & irrevocabile apud ſe ſtatuat: quod ſit Deo indignum, & ipſum ſimilem nobis reddat. Sed reſpondeo, *ad prius*, Providentiam Dei in eo non eſſe ſitam, ut decreta abſoluta de omnium rerum eventibus faciat; quod conſiſtere nequit cum liberi arbitrii uſu, ſine quo nulla eſt proprie dicta obedientia & inobedientia. Aut igitur negandum eſt homines accepiſſe facultatem Deo parendi & non parendi, aut concedendum eſt Deum decreto abſoluto quicquid faciunt non determinaſſe. Unde tamen non ſequitur, Deum res humanas non regere, ſed fortunæ arbitrio illas relinquere. Nihil enim abſque ipſius permiſſu aut directione evenit; auxilium ad bona facienda, & mala vitanda præſtat; utrorumque occaſiones offert, illa remuneratur, hæc punit. Quicunque hæc omnia facit, non ſinit res cæco & temerario impetu ferri; etiamſi decreta conditionalia faciat de iis quæ in hominis libero arbitrio reliquit. *Ad poſterius* dico, Deum cum fert hominibus leges promiſſione præmii & comminatione pœnæ ſancitas, ſe ipſum ita ſuſpenſum conſtituere. Declarat enim ſe tum demum nobis abſolute bonum aut malum quod denunciavit velle decernere, cum illas impleverimus aut tranſgreſſi fuerimus. Idque natura legiſlationis, & liberi hominis arbitrii omnino poſtulat. Quare Deus non veretur ſe ita ſuſpenſum; & an ſuis mandatis pariturі ſimus necne, exſpectantem, in Scriptura deſcribere. *Quis dat talem eos habere mentem, ut timeant me, & cuſtodiant univerſa mandata mea in omni tempore, ut bene ſit eis & filiis eorum in ſempiternum! Deut.* V. 29. *Cur exſpectavi ut vinea mea faceret uvas, & fecit labruſcas*; *Eſa.* V.

XVIII. Quod ſi qui tamen non obſtantibus his rationibus, putant Deo non ſatis eſſe dignum decreta conditionalia facere, nos relinquemus eos ſuo ſenſu abundare, modo viciſſim nobis concedant rem iſto qui ſequitur modo explicare. 1. Omnia decreta Dei generalia abſoluta ſunt, etiamſi conditionem incluſam habeant. Nam cum conſtituit, ut omnes fideles ſalventur & infideles damnentur, illud à nulla conditione eſt ſuſpenſum, ſed abſolute & irrevocabiliter debet exſecutioni mandari. 2. Omnia decreta ſingularia, quæ poſt impletam conditionem fiunt, ſunt etiam abſoluta: ut quando Deus decernit ut Petrus qui in fide uſque ad finem vitæ perſeveravit, ſalvus fiat, & Judas qui in peccatis mortuus eſt damnetur. Ea enim revocationi non ſunt amplius obnoxia. 3. Promiſſiones & comminationes, quæ ad aliquos privatim diriguntur, ut proficiſci nequeunt ex decreto abſoluto, ita non eſt neceſſe dicere eas pendere à conditionali: ſed ex illis non minus veriſimiliter poteſt colligi, Deum nullum adhuc particulare decretum, neque abſolutum, neque conditionatum de earum exſecutione feciſſe. In qua explicatione ſi acquieſcant adverſarii, pax inter nos erit.

CAPUT II.

Deo libertatem competere, nova ſubinde, decreta poſt mundum conditum, & ad ejus finem uſque faciendi.

I. 4. *Dei decreta vel ante mundum conditum fuiſſe facta*, II. *Vel deinceps atque etiamnum eſſe facienda.* III. *Deo hanc libertatem competere.* IV. *Scripturam id teſtari, cum dicit, Deum ob non impletam prioris decreti conditionem, novum & contrarium de novo decernere.* V. *Occurritur reſponſioni, quod nempe prius decretum non ſit revera decretum; ſed tantum promiſſiones aut mina.* VI. *Reſpondetur objectionibus ex locis ubi dicitur Deo nota eſſe ab ævo omnia opera ſua*, VII. *Aut Chriſtum præcognitum; aut nos in Chriſto electos fuiſſe ante jacta mundi fundamenta.* VIII. *Nec poſteriora hæc decreta ſapientia divina eſſe indigna.*

I. QUarta decretorum diviſio eſt, quod *alia ante mundum conditum ſint facta, alia poſt*, imo uſque ad ejus finem ſunt facienda. Decreta ante mundum conditum facta, ſunt ea omnia, quæ ſupra generalia vocavimus; ut quibus Deus conſtituit ordinem, quem in mundi regimine ſecuturus eſſet, quas leges hominibus præſcriberet, quibuſque præmiis & pœnis illas ſanciret, & ſimilia. Quibus adjungendum eſt unum ſingulare de Chriſto, *qui fuit præcognitus*, ſeu deſtinatus generis humani ſervator *ante jacta mundi*

mundi fundamenta, 1 *Pet*. I. 20. *quem Pater dilexit ante constitutionem mundi*, *Joan*. XVII. 24. Nimirum cum ad eximium istud munus ipsum destinavit, & si fideliter eo defungeretur, gloria & honore divino coronare decrevit. Similiter Paulus docet *Deum nos in Christo elegisse ante jacta mundi fundamenta*, *Ephes*. I. 4. id est, decretum generale fecisse de vocandis ad salutem per Christum, tam Judæis, quam Gentilibus: nam id de actuali electione intelligere foret absurdum, cum nondum existentes actu eligi, seu ab aliis, qui non eliguntur, reipsa secerni non possint. Eodem sensu quo dicitur *gratiam nobis datam esse in Christo ante tempora seculorum*, 2 *Tim*. I. 9. Et *Deum promisisse nobis vitam æternam ante tempora seculorum*, *Tit*. I. 2. Quod utrumque non aliter quam in decreto factum esse, res ipsa docet: vide etiam 1 *Cor*. II. 7. *Ephes*. III. 2. *Apocal*. XIII. 8. ubi de decretis ante secula factis agitur.

II. Decreta post mundi creationem facta, & deinceps etiam facienda, sunt illa, quæ applicationem decretorum generalium ad singularia facta & personas continent: ut de Petro fideli salvando, Juda infideli damnando, secundum generale decretum, de omnibus fidelibus salvandis, & infidelibus damnandis. Ubi applicatio generalium ad singularia, quæ inde necessario sequitur, est manifesta: sed in quibusdam aliis non ita, quia Deus pro arbitrio suo eam facit vel omittit; ut cum Davidem, qui pius erat, & fortis, in regem supra Israëlitas constituit: neque enim omnes qui tales sunt ad solium regium evehit: &, cum Pharaonem & Herodem, impios & Ecclesiæ persequutores exemplariter in hoc seculo punivit: quod non semper etiam facit.

III. Ejusmodi decreta à Deo, post mundum conditum, ulla fieri, etsi aliqui negent, multis tamen & validis argumentis probatur. *Primò*, Si Deus de omnibus in specie rebus, sine exceptione, ab æterno decreta fecit, nullam nunc ille amplius habet libertatem aliquid de novo constituendi: sed omnia agit ex necessitate, & velut Jupiter Poëtarum, nihil aliud, quam id quod in fatis est, facere potest: qua de re vide Luciani *Jovem confutatum*. Atqui hoc absurdum est, & Deo indignum, utpote quem omni privet libera potestate, sine qua tamen ad universi hujus regimen non foret idoneus: unde omnis Religionis eversio. Quis enim Deum illum metuet, aut pietatis operibus gratiam ejus ambiet, qui persuasus sit eum nunc nihil libere agere posse, nec plus, aut minus tam boni quam mali ab eo expectare debere se, quam ante secula irrevocabili decreto constituerit? *Secundo*, si Deus omnia sua decreta, non minus singularia quam generalia, ante mundi creationem facit, & nulla prorsus de quoquam singulari homine aut negotio facit, inutile est ipsum orare: nam omnibus nostris precibus nihil obtinebimus, nisi id ante conditum orbem, nullo ad eas respectu, absolute nobis dare decreverit: &, si tunc preces nostras repellere statuerit, quantumvis totos indesinenter annos oraremus, id nihil nos juvabit; & obsequi præstaret Poëtæ monenti,

Desine fata Deûm flecti sperare precando.

Sed David non fuit in ea sententiâ, qui videns puerulum sibi ex Bethsabea natum in mortis agone versari, se cum precibus & jejunio coram Deo demittebat, apud semet ipsum dicens; *Quis scit si forte eum mihi donet Dominus, & vivat infans?* 2 *Sam*. XII. 22. quamvis enim non obtinuerit, quod petebat, speravit tamen se Deum flectere posse ad sibi dandum; quod non sperasset, si immotum de vita aut morte istius infantuli decretum ab æterno factum esse credidisset. Alii vero obtinuerunt, ut Ezechias, cui postquam Deus denuntiasset per suum Prophetam, *Dispone domui tuæ, quia tu morieris & non vives*: tamen postea precibus & lachrymis suis impetravit, ut ad dies, quas vixerat, quindecim anni adjicerentur, *Esa*. XXXVIII. 2 *Reg*. XX.

IV. *Tertio*, Omnia illa loca pro nobis faciunt, in quibus Scriptura dicit, Deum ob non impletam decreto suo conditionem, aliquid de novo decernere; non solum diversum, sed etiam contrarium ei quod ante proposuerat. Qualia capite præcedente §. VI. aliquot attulimus; ut cum Deus jurat neminem Israëlitarum illorum rebellium, qui mandatis suis per Mosem propositis parere detrectabant, visurum terram Canaan, de qua Patribus eorum juraverat se illam posteris in possessionem perpetuam daturum, *Numer*. XIV. v. 21, 22, 23. Duo enim ista contraria juramenta, duo itidem contraria decreta præsupponunt, quæ Deum eodem temporis momento simul fecisse, aut simul facere potuisse, quis credat, cum se invicem evertant, & utrique simul locus esse nequiverit? Sed si diversis temporibus & occasionibus ea facta esse statuantur, nulla ibi amplius absurditatis species erit. Item cum narratur Deum dixisse Heli, qui ad filiorum suorum scelera connivebat, *Dicendo dixeram quod domus tua & domus Patris tui ambularent coram me usque in seculum. Nunc autem dicit Dominus, absit hoc a me: quia honorantes me honorabo, contemnentes autem me contemnentur*, 1 *Sam*. II. 30. Ecce hic iterum duo contraria decreta, quorum prius evertitur per posterius, ac proinde diverso tempore, & diversas ob causas facta fuisse, ostenduntur. Rursus cum Samuel exprobrat Sauli, qui se immorigerum erga Deum præbuerat; *Stulte egisti, quia nunc stabiliverat Dominus regnum tuum super Israëlem usque in seculum: nunc autem tuum regnum non stabit, &c.* 1 *Sam*. XIII. 13, 14. Hic etiam duo sunt contraria decreta, quæ uno eodemque temporis momento facta esse à Deo, nullus rerum intelligens sibi unquam persuadebit. Vide quoque *Jerem*. XVIII. 7, 8, 9, 10.

V. Responderi quidem posset, fateor, ad hæc loca, ex contrariis decretis eadem de re factis, priora fuisse conditionata, posteriora vero absoluta. Sed sic difficultatis nodus non est adhuc recte solutus. Non satis enim ex decoro esset, nec statim

Deus videretur serio agere, si eo ipso momento, quo facit decretum conditionale, non expectato conditionis implendæ vel negligendæ tempore, statim eadem de re faceret decretum absolutum: cui enim bono ejusmodi properatum decretum, cum ex æquitate sua tempus sufficiens ad impletionem conditionis à se requisitæ indulgeat? Deinde ii, cum quibus nobis maxime res est, nulla in Deo decreta conditionalia agnoscunt, ideoque hac responsione non sunt usuri. Generalem afferunt ergo exceptionem, quæ omnibus his, similibusque locis aptari potest: Nimirum Deum contraria eadem de re decreta nunquam facere: sed illud tantum, quod executioni mandatur, pro ejus decreto habendum esse; alterum vero, promissionem aut comminationem nudam esse. Ad quod respondeo, me hanc exceptionem non improbaturum, dummodo mihi simul concedatur, Deum eo tempore, quo promissiones aut comminationes conditionatas adhibet, nondum ullum eadem de re decretum absolutum fecisse; quia, ut supra ostendi, decreta absoluta una cum promissionibus & comminationibus conditionatis subsistere nequeunt: sic enim obtinebo id quod volo, Deum omnia sua decreta ante mundum conditum non fecisse, sed quædam post, imo adhuc hodie, & imposterum usque ad ejus finem facturum. Hoc autem postremum dico, quia si quis concederet Deum statim post creationem mundi decreta aliqua fecisse, nullam caussam haberet negandi ipsum centum annis post, aut mille, & sic deinceps facere posse.

VI. Sed objicitur adversus nostram sententiam, Jacobum Apostolum dicere, *Deo nota esse ab ævo omnia opera sua*, *Act.* xv. 18. ubi Beza in versione sua vocem *omni* interjicit, dicens ab *omni ævo*; & Belgici interpretes sic annotant: *Quicquid Deus in tempore facit, illud ab æterno ita facere decrevit.* Sed male. Αἰὼν enim, uti notum est, non significat *æternitatem*, præsertim absolutam, & principio carentem, qualis est Dei: sed *ævum*, aut *seculum*. Nec necesse est ex vi hujus vocis antiquius decretum hic imaginari temporibus Amosi, ex cujus verbis Apostolus colligit Deum de Gentium vocatione tunc novum non capere consilium: sed id exsequi, quod olim ante octo circiter secula per suum Prophetam promulgaverat. Cui adde, hunc locum aliter in Complutensi editione legi, quam in vulgatis codicibus Græcis Novi Testamenti, nempe sic, λέγει Κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα πάντα, ἃ ἐστι γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος αὐτῷ, ubi nota universalitatis mentioni operum Dei non est adjuncta: sed verba hæc ad opus vocationis Gentium, de quo tunc disputabatur inter Christianos, restringuntur. Adeo ut si hæc lectio obtineat, colligi ex hoc loco non possit, Deum ab æterno decrevisse facere, quicquid in tempore facit, ut volunt Belgici annotatores: sed istud unum tantum, Deum ab ævo, seu jam olim decrevisse Gentiles ad Filii sui cognitionem vocare. Denique hic notandum est, in loco isto de solis Dei operibus mentionem fieri, non de hominum operibus, præsertim de peccatis, quæ nonnulli perperam inde conantur colligere, Deum ab æterno statuisse ut contingerent.

VII. Urgetur etiam exemplum Christi, supra allatum, quem Petrus dicit, *præcognitum fuisse ante constitutionem mundi*, 1 *Petr.* 1. 20. & populorum, quos Paulus scribit *in Christo electos etiam fuisse ante tempora seculorum*, *Ephes.* 1. 4. unde putant sequi eandem esse reliquorum omnium Dei decretorum rationem. Sed consequentia hæc est infirma: sic enim decretorum istorum speciatim commemoratorum tolleretur prærogativa, quam Scriptura per tam nobile principium indicare voluit, & reliquis de rebus minoris momenti factis penitus exæquarentur: Nec ad Christi, & muneris ipsius excellentiam quicquam faceret, quod ante constitutionem mundi præcognitus fuit, si cæterorum hominum in specie non tantum nativitas, aut salus, sed etiam vilissimæ actiones pariter ante secula essent ordinatæ. Sic etiam observatur de eximiis quibusdam viris, ut de Jeremia, *Jerem.* 1. 5. Paulo, *Gal.* 1. 15. ipsos ab utero matris sanctificatos & segregatos fuisse ad munus suum. Quod nihil singulare habuisset, si reliqui omnes homines in individuo destinati sunt ad professionem aut opificium quod debent exercere; hic ut sit sutor, ille ut sit sartor, &c. Adde quod illud non dicatur ab æterno factum, quod longe excellentius fuisset; sed brevis tantum temporis mentio fiat. Et quod Scriptura docet *nos*, id est, omnes fideles promiscue *in Christo ante mundi constitutionem fuisse electos*; decretum particulare de singulis hominibus in individuo, puta Petro, Jacobo, Joanne, intelligendum esse non puto, sed generale: & locorum, in quibus ejusmodi decretorum mentio fit, circumstantiæ expositioni meæ favent: non enim agunt de singulorum fidelium electione ad salutem; sed de integrorum populorum vocatione per Euangelium ad fidem, quæ etiam electionis nomine interdum venit: utpote quod Deus Gentiles, quibus misit Euangelii præcones, ad singularem gratiam elegit præ ceteris, qui antea vixerunt, quos in viis suis ambulare permisit. Non potuit autem Christus esse destinatus in servatorem mundi, quin simul Deus decerneret, ut gratia, quam allaturus esset, omnibus Gentibus offerretur, & fideles, qui eam reciperent, salvarentur, infideles vero damnarentur: ac proinde eodem tempore, ut conveniebat, de utroque pro libero voluntatis beneplacito simul decreta fecit.

VIII. Affertur denique, Dei sapientia, qui omnia ante secula novit, indignum esse, ut quoties aliquid novi occurrit, velut gladiator in arena, novum consilium capiat. Sed respondeo: istud non esse novum consilium: sed tantum antiqui consilii seu decreti, quod ante secula fecit, ad id, quod recenter contingit, applicationem. Cum enim Deus antequam mundum crearet, pios & mandatis suis morigeros, favore prosequi, & contra impios atque immorigeros aversari con-

M stituis-

ſtituiſſet; tali decreto convenienter Petrum & Paulum pios diligit, Judam vero & Herodem impios odit. Imo certum eſt ipſum, cum ejuſmodi decreta generalia fecit, noluiſſe privare ſe libertate diverſum aliquid in occaſionibus particularibus illic expreſſe non comprehenſis, prout ſapientiæ ſuæ conſultum videretur, ſtatuendi, aut etiam ab ordine ſemel inſtituto graves ob cauſas diſcedendi.

CAPUT III.

De Decretorum divinorum Proprietatibus & ordine, & ſpeciatim quod Dei decreta non ſunt ipſe Deus.

I. 5. *Decreta divina vel occulta eſſe, vel revelata.* II. *Qua de cauſa Deus ſua decreta celare voluerit.* III. *Qua ratione ea aperire ſoleat.* IV. *Ea eſſe ſapientiſſima & immutabilia.* V. *Non eſſe tamen ipſum Deum.* VI. *Non eſſe abſurdum dicere decreta eſſe accidentia in Deo.* VII. *Dei decreta non eſſe abſolute æterna.* VIII. *Nec quicquid ante mundum conditum fuit, id eſſe abſolute abſque principio.* IX. *De veriſimili ordine Dei decretorum circa Angelos,* X. *Et homines.*

I. QUinta *decretorum Dei diviſio eſt* in *Occulta & Revelata*; cujus ſenſum ipſæ voces ſatis indicant. Occulta enim decreta ſunt, quæ Deus celat, ſive in perpetuum, ſive ad tempus. Revelata vero, quæ jam patefecit, etiamſi ante occulta fuerint. Ea ſic diſtinguere diſcimus ex Moyſe, qui dicit: *Abſcondita Domino Deo noſtro; quæ manifeſta ſunt, nobis & filiis noſtris in ſempiternum, ut faciamus univerſa verba Legis hujus*, *Deut.* XXIX. 29. Occulta autem ſunt quædam Dei decreta, non tantum hominibus, ſed etiam Angelis ipſis, quantumvis faciem Dei in cœlo ſemper videant, *Matth.* XVIII. 10. aut ſaltem ipſis olim ante Chriſti adventum occulta fuerunt. Quod ſignificat Paulus, dicens, *hanc ſibi datam eſſe gratiam in lucem proferendi myſterium abſconditum à ſeculis in Deo; ut nota fieret per Eccleſiam imperiis ac poteſtatibus quæ in cælis ſunt* (id eſt beatis Angelis) *multiformis ſapientia Dei, &c. Epheſ.* III. 8, 9, 10. Quædam autem myſteria per Eccleſiam imperiis & poteſtatibus cæleſtibus innotuiſſe dicuntur, quoniam ex iis, quæ Deus circa Eccleſiam gerebat, cognoverunt quid antea facere decreviſſet. Eodem ſpectant verba Petri, *Angelos intueri cupere in ea, quæ per Spiritum S. de cœlo miſſum hominibus erant annunciata*, 1 *Epiſt.* I. *v.*12. Item iſta, *Apparuit Angelis*, 1 *Tim.* III. 16. quæ in quibuſdam veteribus codicibus; & in verſione Syriaca, Vulgataque Latina, ad myſterium pietatis referuntur; ὃ ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, &c. pro quo vulgo legitur Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Exigui enim momenti res fuiſſet, dicere Chriſtum conſpectum eſſe ab Angelis, quem omnis generis homines, probi & improbi, in terris verſantem viderant.

II. Cauſa autem cur Deus decreta quædam ſua diu Angelos & homines celare voluerit, (ut de vocatione Gentium ad ſalutem, de qua in locis modo allegatis mentio fit) triplex eſſe videtur. 1. Ne impii illorum exſecutioni ſe opponerent. Unde etiam factum eſt, ut, quoties Deus quædam ex iis patefacere voluit, figuratæ & obſcuræ orationis involucris uſus fuerit: ut videre eſt in libris Eſaiæ, Ezechielis, Danielis, Apocalypſis, &c. 2. Ut tanto majori admirationi eſſent, cum Deus illa manifeſtaret, & illuſtrius in illis bonitatis, ſapientiæ & potentiæ divinæ gloria eluceret. Quo refertur illud Salomonis: *Gloria Dei eſt celare verbum, Prov.* XXV. 2. Unde Paulus in fine Epiſtolæ ad Rom. occaſionem arripit glorificandi Deum ob patefactionem Euangelii Jeſu Chriſti, quod *myſterium* vocat *temporibus ſeculorum tacitum.* 3. Denique ut ex occultorum patefactione appareret quanti Deus eos faciat, quibus ea revelare dignatur, utpote quos non amplius ſervorum, ſed filiorum & amicorum loco habeat, *Joan.* XV. 15.

III. Deus autem diverſimode decreta ſua patefacit. Aliquando tantum per ipſorum exſecutionem. Cum enim Deum quippiam facere animadvertimus, in promtu eſt colligere, ipſum ante id decreviſſe, quia nempe ſapientia ejus non permittit, ut quicquam, de quo præmature (ut ita dicam) non deliberarit, aggrediatur. Sed non ſtatim atque aliquid evenit concludere oportet Deum conſtituiſſe ut ita fieret, niſi id ſit dignum quod ad Deum auctorem referatur. Si enim eſt malum, cavendum eſt ne ipſi tanquam cauſæ tribuamus; cum perfecte bonus & ſanctus ſit, & in nullius mali participationem venire queat. In quo nonnulli fœde errant, qui omnia eventa promiſcue, ſive bona, ſive mala, ad determinantem & neceſſitantem Dei providentiam referunt. Sed magis proprie dicitur Deus decreta ſua patefacere, cum id quod facere propoſuit, ſervis ſuis aperit. Qua de re ſic loquitur Propheta, *Non faciet Dominus Deus verbum* (ſeu rem ullam) *niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas*, *Amos* III. 7. Quod tamen non ita univerſaliter eſt accipiendum, quaſi Deus nihil unquam faciat, quin prius ea de re homines monuerit. Nam 1. loquitur ſolum de pœnis, quibus Deus populi ſui peccata caſtigat, ut contextus ſeries docet; nempe Deum illas ex improviſo immittere nolle; ſed moniturum prius quam feriat, & pro bonitate ſua tempus reſipiſcentiæ conceſſurum. 2. Id reſtringendum eſt ad tempora Veteris Teſtamenti, *in quibus multis vicibus multiſque modis Deus locutus eſt Patribus per Prophetas*, *Hebr.* I. 1. Novi Fœderis alia eſt ratio, ſub quo poſtquam Deus per Filium ſuum unigenitum omne voluntatis ſuæ, quod ad ſalutem æternam attinet, conſilium nobis patefecit & ſcripto per Apoſtolos & Euangeliſtas conſignari curavit; aliæ ampliores voluntatis ipſius revelationes in poſterum non ſunt exſpectandæ. Præſertim ſi præceptis & promiſſis divinis, quæ in Euangelio habemus, adjungantur futura, quæ Dominus Jeſus Apoſtolis ſuis, Petro, Joanni, Paulo, ſpeciatimque in libro Apocalypſeos revelavit. De quo Joannes illius ſcriptor dicit, *Leonem de tribu Juda, radicem David* (id eſt Jeſum Chriſtum)

ftum) *viciſſe ut aperiret librum illum ſeptem ſigillis obſignatum, quem nemo neque in cœlo, neque in terra, neque infra terram poterat aperire, neque reſpicere, & ut ſolveret ſigilla ejus*, *cap.* v. Hic enim liber videtur fuiſſe decretorum Dei liber, de rebus Eccleſiæ Chriſtianæ ab aſcenſione Chriſti in cælum uſque ad mundi conſummationem eventuris.

IV. Sequuntur decretorum Dei *Proprietates*; inter quas prima eſt, quod ſint *Sapientiſſima*: ab eo enim qui omnis ſapientiæ eſt fons, nihil poteſt niſi perfecte ſapiens proficiſci. Hinc eſt quod Paulus exclamat, *O profundas divitias tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei! quam inſcrutabilia ſunt ejus judicia, & ejus viæ impervestigabiles! Rom.* xi. 33. loquitur enim hic de decretis ſalutem & damnationem æternam hominum concernentibus. Vide etiam *Epheſ.* iii. 10. Altera proprietas, ex hac fluens, eſt quod decreta Dei ſint *immutabilia*. Ea de re ſic loquitur ipſe Deus, *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*, *Eſaiæ* xlvi. 10. Item, *Ego Dominus & non mutor*, *Malach.* iii. 6. Quod nonnulli quidem ad Dei eſſentiam referunt, quam conſtat nulli mutationi eſſe obnoxiam, ſed melius, ſi ad loci circumſtantias reſpicias, de ejus voluntate exponitur. Sic etiam Apoſtolus, *Apud quem* (Deum) *non eſt tranſmutatio, aut converſionis obumbratio*, *Jacob.* i. 17. Scriptura quidem aliquoties Deo tribuit Pœnitentiam, ut *Gen.* vi. 6. & 1 *Sam.* xv. 11. & alibi. Sed nemo jam inter Chriſtianos ignorat iſtud figurate eſſe dictum, proprie vero loquendo Deum eorum, quæ ſemel propoſuit, nunquam pœnitere: ut docet Propheta, *fortitudo Iſraël non mentietur, & non pœnitebit, quia non eſt homo ipſe, ut pœniteat*, 1 *Sam.* xv. 29. Infallibiliter igitur executioni mandantur omnia Dei decreta. Nam cum duo ſolum ſint, quæ homines impediunt ne exequantur quod propoſuerunt, nimirum mutatio conſilii, & defectus virium; ſicut primum in Deo locum habere nequit, ut modo oſtendimus, ita neque ſecundum, cum ſit omnipotens, & quicquid vult abſque ullo impedimento faciat.

V. Decreta Dei tamen non ſunt ipſe Deus, ut quidam volunt, docentes decreta Dei nihil aliud eſſe niſi Deum decernentem, ſicut Dei bonitas & juſtitia ſunt ipſe Deus bonus & juſtus. Alia enim eſt decretorum Dei quam iſtorum attributorum ratio. Hæc enim attributa ſunt Deo naturalia, & ab eo abeſſe nequeunt, quin Deus ipſe deſinat. Decreta vero non item. Sed ut tanto clarius error iſte pateat, attendendum eſt ad ſequentes rationes. 1. Decreta Dei ſunt actiones liberæ voluntatis divinæ, quas pro beneplacito ſuo edere vel non edere poteſt. Quamvis enim Deus non poſſit, quin aliquid velit ſeu decernat, ſicut neque homo ratione præditus; prorſus tamen libere hoc potius quam illud decernit. Sed ipſe eſt ens ſumme neceſſarium, de quo vel ſolum cogitare ipſum non eſſe, blaſphemare eſt. Adde quod decreta ſint voluntatis divinæ effecta: Deus autem non eſt ſuæ voluntatis effectum, nec exiſtit quia voluit exiſtere: Sic enim fuiſſet antequam eſſet, ſive ſe ipſo foret prior & poſterior. Ergo Deus & ejus decreta non ſunt unum & idem. 2. Decreta poſtquam executioni ſunt mandata, deſinunt eſſe decreta. Sic olim fuit decretum de mundo creando, de Chriſto mittendo: nunc vero nullum amplius eſt tale decretum. Deus autem nunquam eſſe deſinit, nullique eſſentiæ mutationi eſt obnoxius, ſed ab æterno in æternum idem manet. 3. Decreta Dei ſunt multiplicia & inter ſe diverſiſſima; imo quædam ſibi invicem contraria: ut decretum de mundo creando, & decretum de eodem deſtruendo. Nulla etiam eſt conformitas inter propoſitum prorogandi vitam Methuſalem ad 969 annos, confundendi ſermonem eorum qui exſtruebant turrim Babel, & vetandi ne Iſraëlitæ veſcerentur carne ſuilla, innumeraque alia, ut nonniſi unum ſimplex decretum eſſe dicantur. Deus autem eſt unus unitate ſimpliciſſima, & nulla in eo multiplicitas, multoque minus contrarietas locum habet.

VI. Objicitur: Si Decreta ſint in Deo, & non ſint Deus ipſe, erunt accidentia in Deo. Atqui hoc eſt abſurdum. Ergo, &c. Reſpondeo 1. Abſurdum iſtud (ſi quod ſit) non eſſe adeo metuendum, ut illa quæ modo ex contraria opinione fluere oſtendi. 2. Nihil abſurdi eſt accidens aliquod Deo tribuere; modo non ſit tale, cujus præſentia perfectioni ipſius quippiam addat, & abſentia demat; ſed ſolum quod perfectionem ejus demonſtret, ut alibi diximus. Adde quod illi Deo tribuant accidentia, qui modos in eo fingunt; definientes perſonas Deitatis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, exiſtendi modos. Modus enim & accidens unum idemque ſunt; licet alii putent modum eſſe aliquid accidente exilius, quod à nihilo non multum abſit.

VII. Neque decreta Dei, ſive omnia, ſive quædam, ſunt abſolute æterna, id eſt, abſque omni principio, ſicut Deus, ut duæ iſtæ rationes docent. 1. Omnis effectus liber tempore poſterior eſt cauſa ſua. Liber inquam; non autem qui per naturalem & neceſſariam emanationem à ſua cauſa procedit, ut lux à ſole, calor ab igne, & ſimilia, quæ etſi natura cauſis ſuis poſteriora, tempore tamen illis coëxiſtunt. Decreta autem, libera ſunt Dei effecta, quæ Deus pro arbitrio ſuo facere & non facere, & hoc potius, quam illo modo facere poteſt, ut modo probavimus. 2. Quod eſt æternum, illud etiam eſt abſolute neceſſarium, ut patet in Deo, cujus eſſentia ſumme eſt neceſſaria. Nam ſi contingenter exiſteret, potuiſſet non exiſtere, quod eſt abſurdorum omnium abſurdiſſimum. Decreta autem Dei non ſunt abſolute neceſſaria, ſed tantum ex hypotheſi liberæ ipſius voluntatis, cujus ſunt effectus. Cui adde argumenta, quibus capite præcedente §. iii. & iv. demonſtravimus opinionem, quæ omnia Dei decreta ante mundi creationem facta eſſe ſtatuit, Deum privare libertate, & omnem

Religionem atque precum studium funditus evertere.

VIII. Objicitur etiam, Scripturam docere quædam decreta ante mundum conditum esse facta, ut illud quo Christus præcognitus est in generis humani Servatorem, 1 *Pet.* 1. 20. & quo nos electi sumus in ipso, *Ephes.* 1. 4. & similia. Ad quod respondeo, non quicquid fuit ante mundum conditum, esse absolute æternum, seu omni existentiæ principio carere. Multi enim doctissimi viri sentiunt, Angelos diu ante mundum hunc visibilem exstitisse, quos tamen æternos esse negant, & in creaturarum censum referunt. Eadem est decretorum prædictorum ratio, quæ si facta sunt, & quidem libere, ut supra docuimus, initium etiam habuerunt, & proinde non sunt absolute æterna; cum id quod absolute æternum est omni principio & fine carere debeat.

IX. Restat ut de decretorum divinorum ordine aliquid dicamus. Et cum eorum alia versentur circa Angelos & mundum invisibilem, alia vero circa homines, & hunc mundum visibilem, quorum inter se connexionem difficilius est capere, utraque seorsim considerabimus; monentes primum nos conjecturas tantum afferre, quibus nemo sit alligatus. Nam cum nihil magis arduum sit cognitu divinæ voluntatis proposito, nisi id nobis ab ipso Deo reveletur, Scriptura autem Dei decreta ordine non digerat, & enarret, suspenso admodum pede, si errare nolimus, hic est ambulandum. *Primum* igitur Dei circa Angelos & mundum invisibilem, quem incolunt, decretum est, de illis condendis. *Secundum*, de conservandis & gubernandis, legeque Angelis danda. *Tertium*, de permissione lapsus Angelorum. *Quartum*, de puniendis iis, qui lapsi essent, obedientibus vero favore suo prosequendis.

X. Alterius generis *primum decretum* est, de creatione hujus mundi, & præcipue hominis, tanquam reliquarum, quæ in eo sunt, creaturarum capitis & domini. *Secundum*, de conservatione & gubernatione mundi, ac speciatim hominis: quo pertinet præscriptio legis, ad quam vitam & actiones esset compositurus, si in gratia Dei vellet permanere, & pœnam lege denunciatam effugere. *Tertium*, de permittendo lapsu hominis, seu eum omnipotentia sua non impediendo. *Quartum* est, de Christo in mundum mittendo, si contingeret, ut vel primi homines, vel aliqui ex ipsorum posteris, leges sibi à Deo præscriptas transgrederentur. *Quintum*, de gratia sua, interim dum Christus exspectaretur, varie dispensanda, primo ab Adamo ad Moysem, deinde à Moyse ad Christum. *Sextum*, de hominibus per Christum & ejus Apostolos, aliosque Euangelii præcones, ad salutem per fidei obedientiam vocandis, & vocationem illam tali gratiæ auxilio comitandi, ut per homines tantum staret, quominus ei parerent & Euangelio crederent. *Septimum*, de fidelibus eligendis, justificandis, & adoptandis, tandemque si in fidei obedientia ad extremum usque vitæ perseverarent glorificandis, seu vita æterna donandis. Cui ex opposito respondet aliud, de infidelibus reprobandis, atque in sua cæcitate & duritie relinquendis, & tandem, nisi resipiscant, perdendis, seu in ignem æternum abjiciendis. Quod ad decreta singularia huic septimo generali subordinata, & virtute in illo comprehensa, supra ostendi nihil esse quod nos cogat credere ea ante conditum orbem esse facta, longeque verisimilius esse, Deum differre irrevocabilia decreta de singulorum hominum salute aut damnatione facere, donec vitæ suæ curriculum in fide aut infidelitate absolverunt. Nam cum iis tempus & gratiam ad resipiscendum necessariam concedat, ostendit se velle exspectare quid facturi sint, antequam peremptorium de ipsis judicium ferat. Hic est, ut putamus, decretorum divinorum ordo; quo tamen si quis commodiorem alium invenerit, nos repugnantes non habebit. Sed illi nobis omnia invertere videntur, qui docent Deum prius quosdam homines saluti, quosdam vero damnationi æternæ adjudicasse, quam eos creare constituisset, ut alibi pluribus ostendetur.

CAPUT IV.

De Mundi invisibilis, sive supremi Cæli, & Angelorum Creatione.

I. *Deum hoc universum creasse, una sui parte invisibili, altera visibili constans.* II. *Illam invisibilem partem, tertium cælum, & μεγαλωσύνην vocari.* III. *Istud esse Dei solium & habitaculum, sed ei tamen non coæternum.* IV. *Deum etiam supremi illius cæli incolas, Angelos nempe, creasse, & quid de illis Sadducæi senserint.* V. *Angelorum creationem ex Scripturis colligi.* VI. *Mundi invisibilis & Angelorum, hujus visibilis creationem videri multis sæculis præcessisse.* VII. *Angelos esse spiritus,* VIII. *Immortales,* IX. *Intellectu præditos.* X. *Qualis ipsis vulgo cognitio tribuatur.* XI. *Non esse cordium inspectores,* XII. *Nec futurorum omnium cognitione præditos.* XIII. *Voluntate libera à Creatore esse donatos.* XIV. *Qua lingua cum hominibus & inter se utantur.* XV. *Eorum Potentia,* XVI. *Agilitas,* XVII. *Et numerus.*

I. EGimus de Dei decretis; sequitur ut ad Operum ejus considerationem accedamus; inter quæ primum est *Universi Creatio*. Eam autem esse factam non tantum secundum decretum, sed etiam secundum ideam seu exemplar, quod Deus mente ante conceperat, extra controversiam est; cum id tum Opificis sapientia, tum Opificii excellentia omnino postulent. Quare in eo ostendendo immorari necesse non est. Universum duabus partibus constat, una invisibili, & nobis inaccessibili, quæ est supremum cælum, una cum Angelis, qui in ipso habitant; altera visibili, comprehendente cælos visibiles, & astra in iis lucentia, una cum terra, quam incolimus. Quin utramque Deus creaverit, nullum esse debet dubium. Etsi enim posterioris tantum creatio à Mose particulariter describa-

scribatur, de priore tamen commode accipi possunt verba quibus Genesin inchoat: *In principio creavit Deus cælum & terram.* Ita ut hic per *cælum* significetur cælum supremum, quod est Dei & Angelorum domicilium; *Terræ* autem voce materiam, ex qua mundus hic visibilis postmodum est fabricatus, quam vulgo chaos appellant: quod tamen non est necesse dicere simul eodemque tempore cum cælo fuisse creatum, licet utrumque initio, respectu mundi visibilis, factum sit. Ab illa autem creatione ad hanc magnum temporis spatium intercessisse, innuunt verba sequentia; *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Quæ non fuissent à divino illo vate addita, si terræ, aut materiæ creationem è vestigio excepisset illius exornatio, sive plantarum, animalium, aliorumque, quæ ea continentur, productio. Præterea cum firmamentum, seu cælum, nempe hoc nostrum, in quo astra micant, postea dicatur secundo hexameri die fuisse conditum, apparet aliud esse ab eo quod in principio una cum terra conditum fuit. Alii tamen putant hæc verba, *In principio creavit Deus cælum & terram*, continere propositionem summariam eorum, quæ in duobus primis capitibus sigillatim enarrantur; & nihil aliud iis significatum voluisse Mosem, nisi Deum creasse totum mundum, qui à duabus præcipuis partibus, cælo & terra denominatur. Quibus nolim admodum repugnare; modo mihi vicissim concedant, Deum etiam invisibilia, quorum Moses nullam mentionem facit, condidisse, & materiam ex qua mundus visibilis est factus, quam aliter constare non potest à Deo esse conditam ex verbis Mosis, nisi ea prout fecimus interpretando. Nam quæ statim sequuntur, *Terra autem erat inanis & vacua, &c.* tunc eam non fuisse factam innuunt.

II. Deus igitur cum ad operandum sese accinxit, *cælum supremum* primo creavit: quod Paulus *tertium* vocat, 2 *Cor.* XII. 2. nempe in ordine ad aërem, ubi aves volant, & meteora gignuntur, quod nobis est primum; & regionem æthercam, ubi sunt astra, quod nobis est secundum cælum. Ibidem nomine *Paradisi* ipsum insignit, quo etiam utitur Dominus Jesus *Luc.* XXIII. 43. & *Apoc.* II. *v.* 7. appellatione desumpta ab horto Heden, in quo Deus primos parentes collocavit, quem LXX interpretes παράδεισον vocant. De eo accipienda sunt omnia Scripturæ loca, quæ dicunt Deum *in cælis habitare*, aut *cælum pro solio habere*, ut *Psalm.* II. 4. & CXV. 3. *Esa.* LXVI. 1. Cui consonum est, quod Christus docet nos orare *Patrem nostrum, qui est in cælis*; & quod istud cælum vocat *domum Patris sui*, *Joan.* XIV. 2. Eoque etiam referri potest quod legimus 1 *Tim.* VI. 16. *Deum habitare lucem inaccessam:* quanquam alii id potius de gloria & majestate Dei, quam de loco habitationis ipsius accipere malunt.

III. Istud cælum nonnulli hodie, contra vulgarem & receptam inter Christianos sententiam, æternum & increatum esse volunt: quod tum ratione, tum Scripturæ auctoritate probare contendunt; sed, ut mihi videtur, parum solide. Nullius enim est momenti ratio quam afferunt, Deo æterno locum coæternum esse tribuendum; quia id quod nusquam est, ne est quidem. Nam à loco in genere ita dicto, non valet consequentia ad talem locum, quale est magnificum illud palatium cæleste, de quo disputamus. Quando ab æterno præter Deum nihil erat, Deus ipse sibi locus fuit. Non opus est alium ipsi assignare. Nec felicius pugnant Scripturæ armis; Apostolum dicere, *majus & perfectius illud tabernaculum, in quod Christus*, postquam resurrexisset à mortuis, *ingressus est, non esse manu factum, hoc est, non hujus creationis, Hebr.* IX. 11. Sed respondeo, cælum vocari *tabernaculum non manu factum*, ad differentiam illius, quod Moses exstruxerat in deserto, & manibus hominum elaboratum fuerat. A Deo autem cæleste istud tabernaculum factum fuisse, idem divinus scriptor diserte docet. *Christus*, inquit, *est sanctuarii minister, ac veri illius tabernaculi, quod fixit Deus, ac non homo, Hebr.* VIII. 2. ubi per vocem ἔπηξεν, *compegit*, licet metaphoricam, & ab erectione terrestris tabernaculi desumptam, manifestum est creationem divinam intelligi: Et cum dicit, *Abrahamum expectasse civitatem habentem fundamenta, cujus opifex & architectus est Deus, Hebr.* XI. 10. civitas enim, ad quam anhelant fideles in terra peregrini, istud est cælum, de quo loquimur. Ex quibus duobus locis apparet, Apostolum in altero ex *capite* IX. objecto, noluisse negare tabernaculum cæleste, in quod Christus ingressus est, à Deo conditum fuisse. Sic enim sibi manifeste contradixisset.

IV. Creato supremo cælo Deus *Angelos*, qui ejus essent incolæ, condidit. De iis primo quæritur, an sint. Quod olim negarunt Sadducæi, dicentes *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum, Act.* XXIII. 8. Quomodo autem in ea opinione esse potuerint, & simul Mosis scriptis fidem adhibere, ubi tam sæpe Angelorum, & apparitionum angelicarum fit mentio, non est facile explicatu. Quidam dicunt ipsos habuisse Angelos tantum pro humanis affectibus, quales sunt amor, odium & similes. Sed an ita delirassent, ut affectus in specie humana apparere, cum aliis colloqui, hospitio excipi, edere & bibere, &c. crederent? Propius scopum tangere mihi videntur, qui putant Sadducæos existimasse Angelos esse Dei virtutes, inseparabiles quidem, sed quas cum lubet prosilire ex se faciat, rursusque absoluto opere propter quod eas emisit, ad se ipsum retrahat; adeo ut stabilem extra Deum subsistentiam non habeant. Hanc enim opinionem à quibusdam Judæis olim defensam fuisse, docet Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone Judæo. Sed quamvis non sit tam absurda ut præcedens, eam tamen vel sola quorundam Angelorum apostasia falsi arguit. Essentialis enim & inseparabilis Dei virtus peccare non potest, aut à

Deo deficere, multoque minus ignis æterni cruciatibus addici.

V. De creatione Angelorum Scriptura non loquitur aperte. Nam verba illa Mosis, *Perfecti sunt cæli & terra, & omnis exercitus eorum*, *Genes.* II. 1. quæ aliqui eo trahunt, sunt paulo obscuriora, quam ut ad tantæ rei probationem sufficiant. Quamvis enim per *exercitus cælestes Luc.* II. 13. intelligantur Angeli, non sequitur in omnibus aliis locis has voces ita debere accipi. Nam frequenter per *exercitus cælestes*, seu *militiam cæli*, ut habet Vulgata versio, significantur astra, ut 2 *Reg.* XVII. 16. & XXI. 3, 5. & XXIII. 4, 5. *Esa.* XXIV. 21. & XXXIV. 4. *Jerem.* VIII. 2. & XIX. 13. & ita accepisse Mosem probabilius est, quam pro Angelis, quorum nullam adhuc fecerat mentionem. Ne jam dicam, ipsum speciatim exercitus cæli non nominasse, sed conjunctim exercitus cæli, & terræ. Angelos autem nullus, ut opinor, exercitus terræ vocaverit. Multo firmius colligitur Angelorum creatio ex *Psalm.* CXLVIII. ubi cum Propheta dixisset, *Laudate Dominum omnes Angeli ejus, item sol, luna, cæli, &c.* tandem rationis loco addit; *quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Ista enim verba non minus ad Angelos, quam ad solem, lunam & reliquas creaturas referuntur. Idem significatur *filiorum Dei* titulo, qui Angelis tribuitur, *Job.* I. 6. & II. 1. & XXXVIII. 7. Nec enim alia de causa ita vocari videntur, nisi quia Deus eos ad imaginem suam condidit. Adhæc *ministri Dei*, & *mandata ejus exequi* dicuntur, *Hebr.* I. 14. *Psalm.* CIII. 20. Non autem Deo parere tenerentur, nisi ab illo esse suum accepissent.

VI. Quando autem creati sint Angeli, non satis liquet. Plerique putant id factum esse primo creationis die, quia *omnes filii Dei* (id est Angeli) *jubilarunt, cum Deus fundaret terram*, *Job.* XXXVIII. 7. oportet ergo eos jam extitisse tertia die, qua terra creata est, vel cœpit apparere, congregatis in unum locum aquis, quæ antea totam ejus superficiem operiebant. Sed quamvis ex eo recte colligatur, creationem Angelorum antecessisse istam aquarum à terra separationem; incertum tamen adhuc remanet, an ad primum creationis visibilium diem referenda sit; an vero sit antiquior, & cælo supremo æquæva; quod verisimilius existimamus. Nam cum Angeli omnia visibilia dignitate superent, conveniens etiam fuit, ut ea tempore antecesserint. Sed Angelorum ante mundum conditum existentiam istud validius adhuc confirmat, quod statim ab ejus initio, aut etiam antequam esset conditus, Diabolus una cum suis Angelis à Deo defecisse videatur. Inde enim est, quod serpens ab eo obsessus Adamo & Evæ recens natis præsto est, ad eos seducendum. Nec verisimilitudine caret, quod Scriptura dicit, *Deum ante tempora seculorum* non solum *nos elegisse in Christo*, *Ephes.* I. 4. sed etiam *nobis promisisse vitam æternam*, *Tit.* I. 2. Quomodo enim promittere eam potuit aliter, nisi Angelis voluntatis suæ propositum revelando? Et sunt, qui putant Angelos malos inde adversus Deum rebellandi occasionem sumpsisse, quod ex hoc decreto cognoscerent se aliquando Christo homini subjiciendos; à quo pro superbia sua abhorrebant. Sed quod me magis adhuc movet, ut huic sententiæ, quæ veterum etiam multorum fuit, accedam, est quod vix credibile videatur, Deum, qui æternus est, à sex aut circiter annorum millibus tantum incepisse bonitatem suam aliis communicare, & nullos antea ministros habuisse, qui jussa sua exsequerentur, & laudes celebrarent. Difficile etiam aliter responderi potest iis, qui historiam creationis ideo rejiciunt, quod ex ea sequi putent, Deum per infinita secula fuisse otiosum, nisi dicendo ipsum longe ante hunc mundum conditum multas Angelorum myriades creasse, qui ante thronum suum continuo assisterent. Simul quoque tolletur occasio homines Præadamitas contra Scripturam comminiscendi. Objicitur Angelos fore æternos, & increatos, si ante mundum hunc visibilem extiterint; quia ante creatum solem & lunam non fuit tempus, sed æternitas sola. Sed facilis est responsio; ante mundum hunc conditum etsi non fuit tempus illud externum, quod solis & lunæ motu mensuratur, fuit tamen internum, quod est rerum duratio; seu in suo esse permansio. Angelorum autem duratio non est æterna, quia creati sunt, & existendi principium habuerunt.

VII. Quid sint Angeli porro est videndum. Describi utcunque possunt, quod sint spiritus creati, intellectu & voluntate, magnaque potentia, & agilitate prædití. Spiritus esse diserte testatur Scriptura *Heb.* I. 14. *Matth.* X. 1. *Luc.* X. *v.* 20. & alibi. Quales autem spiritus sint, non est facile dictu, cum quæ spiritus sit natura, non bene constet, ut ante observavimus de spiritualitate Dei agentes. Omnes, ut puto, in eo consentiunt, Angelos non esse spiritus adeo puros, ut Deus est: sed de eo disputatur, an omnis corporeitatis plane sint expertes: mihi non videtur; sed potius credo hoc omnis creaturæ esse proprium, & ab ea inseparabile, ut corporea sit, & materialis; licet corporeitatis varii sint gradus, & materia una longe sit purior, quam altera. Dominus Jesus dicebat *spiritum non habere carnem & ossa*, *Luc.* XXIV. *v.* 39. puto addi quoque posse, non esse aëriæ, aut igneæ substantiæ, sed multo subtilioris; quamvis non plane, ut Deus, incorporeæ. Quod si admittatur, & præterea Angelis tribuatur figura, humanæ non omnino absimilis, facilius capi poterit quomodo in hominum specie sæpe apparuerint. Nempe ea esse videtur corporis spiritualis natura, quale post resurrectionem habituri sumus, 1 *Cor.* XV. 44. &c. ut pro arbitrio in instanti se contrahat, vel dilatet; videndum præbeat, vel occultet; & ubi esse vult, statim sit. Nam quod vulgo putant, Deum Angelis, cum eos ad aliquod ministerium ablegavit, corpora subito formasse, vel ipsos veris hominum usos corporibus, quorum

rum sensus interea essent ligati, ut nescirent quid iis Angelus faceret; ejus nec vola nec vestigium occurrit in sacris Literis; longeque est improbabilius, quam id quod de corporum spiritualium natura modo dicebam. Præterea istud faciet ad explicandum quomodo Diabolus & ejus angeli igne infernali, qui corporeus est, cruciari possint, *Matth.* xxv. 41. Periculosa enim admodum mihi videtur expositio, quæ ignem metaphoricum hic fingit, & gradum sternere ad existimandum pœnam, ad quam infideles homines cum impuris spiritibus damnabuntur, metaphoricam quoque fore. Tantummodo hic cavendum est, ne Angelis tribuamus corpus, quod locum repleat, & in eodem cum humano corpore spatio una esse nequeat. Sic enim falsi argueretur Scriptura, quæ in unius miseri hominis corpore dæmonum legionem tradit habitasse, *Marc.* v. 9. id est, magnam admodum multitudinem.

VIII. Angelorum spiritualitatem comitatur Immortalitas; quam etiam iis non obscure tribuit Dominus Jesus, *Luc.* xx. 36. ubi cum dixisset, *fideles ex mortuis suscitatos non posse amplius mori*, rationis loco addit, ἰσάγγελοι γάρ εἰσι, id est, *pares Angelis sunt.* Quod si quis dicat piorum ἰσαγγελίαν in eo à Christo esse collocatam, quod *neque ducent uxores, neque nuptum collocabuntur*; respondebo, non esse à se invicem divellenda, quæ Christus conjunxit, & posterius ex priore sequi. Cum enim matrimonium inter homines à Deo in istum finem institutum sit, ut pereuntibus individuis conservetur species; ideo inter Angelos nullus est conjugii usus, quia mori non possunt. Cæterum Angelorum immortalitas à Dei immortalitate toto genere differt. Deus enim dicitur immortalis, quia immunis est non tantum ab actu, sed etiam à potentia moriendi. Angeli vero ideo solum vocantur immortales, quia Dei beneficio immunes sunt à moriendi actu, etsi non à potentia. Non enim est dubium, quin Deus, qui ipsis esse dedit, id quoque si velit auferre queat; cum hoc unius Deitatis sit privilegium, ut necessario existat & absolute sit immortalis, 1 *Tim.* vi. 16. Collati tamen cum hominibus recte dicuntur Angeli immortales, quia neque ut illi internum habent in se corruptionis principium, neque vita ipsis extrinsecus ab ulla re creata eripi potest, cum vilissima animalia & insecta hominibus interdum causa mortis sint.

IX. Angelos *Intellectu* esse præditos, docet *filiorum Dei* epitheton, quo alioqui indigni essent, & ministeria, quibus à Deo adhibentur, quæ sine ratione exequi non possent. Qualia sunt, quod Deus olim per Angelos legem dedit Israëlitis, *Act.* vii. 38, 53. *Gal.* iii. 19. & quod per eos multa arcana revelavit servis suis Prophetis, ut docent Danielis posteriora sex capita, & totus Apocalypseos liber. Jam quanta sit Angelorum *Cognitio* inquirendum, ac primo certum est eam, quantumvis eximia sit, longe Dei cognitione esse inferiorem, non solum quia illam à se non habent, sed à Deo: sed etiam quia ad tam multa objecta, atque divina, se non extendit, non enim noverunt ultimi judicii tempus, *Marc.* xiii. v. 32. Et cognitio ipsorum in dies nova capit incrementa, secus quam divina, adeo ut ab eo tempore, quo Euangelium prædicatum est in mundo, multa didicerint, quæ antea ignorabant; *Innotuit enim principatibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis Dei sapientia, Ephes.* iii. 10. Et, Angeli desiderant prospicere in ea, quæ Euangelio continentur, 1 *Pet.* i. 12.

X. Triplex autem ipsis vulgo tribuitur *cognitio*, videlicet *naturalis, revelata, & experimentalis.* Naturalis Angelorum cognitio dicitur illa, quæ ipsis à Deo in creatione fuit indita; de qua nihil aliud dicere habemus, nisi tantam fuisse, ut ad ea quæ muneris sui erant, obeunda sufficeret. Revelata est, qua Deus ipsis postea patefecit, quæ ipsos scire, ut fidelium servorum officio perfectius defungerentur, opus esse judicavit. Experimentalis denique cognitio est ea, quam sibi Angeli, sicut nos, longo rerum usu compararunt, ex iis quæ vident quotidie, aut quibus intersunt. Qualis est v. gr. peccatoris resipiscentia, de qua gaudent, *Luc.* xv. 10. Itaque Angelorum scientia, eam quæ in omnibus hominibus, etiam sapientissimis invenitur, longe superat; cum non tantum majore, quam ipsi, polleant ingenii acumine; sed etiam plurima per immediatam Dei revelationem, & diuturna multorum sæculorum experientia addiscere potuerint, quæ nobis impervia.

XI. Sed quæritur hic 1. an Angeli arcanas hominum cogitationes norint? Ad quod respondeo, Deum hoc sibi tanquam proprium vindicare, quod sit καρδιογνώστης, 1 *Reg.* viii. 39. *Jer.* xvii. 9, 10. itaque si quando contigit ut Angeli, quid homines in corde suo agitarent, exploratum haberent, certum est id non à se ipsis, sed ex Dei patefactione didicisse. Interim quin Angeli ἀγχινοίᾳ sua, seu ingenii solertia, multa quæ homines in corde premere student, ex quibusdam indiciis externis animadvertant, non est dubium; cum etiam aliquando factum sit, ut ingeniosi aliqui Philosophi & periti Medici, amoris aut odii affectus in corde adhuc latentes, ex pulsu aut aliis ejusmodi signis deprehenderint.

XII. Quæritur 2. an Angeli futura prædicere possint. Ad quod respondeo, per distinctionem; Futura enim alia sunt necessaria, quæ ex immutabili naturæ lege eodem semper modo eveniunt; alia vero contingentia, quæ tam possunt non fieri, quam fieri. Et hæc rursus duorum sunt generum; vel enim causas habent à quibus plerumque, licet non semper, produci consueverunt; vel à libero hominis arbitrio pendent, quod singulis temporum momentis mutabile est. Quod ad futura necessaria, Angeli ea certo & infallibiliter cognoscunt; alioqui inferiores essent hominibus doctis, qui illa prædicunt, ut eclipsin solis & lunæ, ortus & occasus siderum, & similia.

ſimilia. Contingentia etiam primi generis non difficilia ipſis ſunt cognitu, quando cauſæ, à quibus efficiuntur, jam ſunt præſentes, licet nobis occultæ; quales ſunt quæ ſerenitatem, pluviam, ventos, calorem, frigus, fertilitatem vel ſterilitatem terræ, ſalubritatem vel inſalubritatem aëris efficiunt: item, conſilia quæ hic vel illic agitantur, & præparationes ad hoc vel illud opus; quorum eventus jam quodammodo ſunt in fieri: ſed ea quæ à libera hominum voluntate pendent, prædicere certo nequeunt, quia corda non intuentur. Attamen ex cognita hominum indole, & rebus, quibus affici ſolent, facile eſt ipſis conjicere, quo ſint inclinaturi; ut avarum in id, unde lucrum ſperat, iracundum ad vindictam, libidinoſum ad explendam, ſi detur occaſio, cupiditatem: etſi, quia in his rebus cauſæ mutationum ſubitæ & improviſæ incidere poſſunt, conjectura non ſit ita certa, quin aliquando fallat; unde Dæmones, qui famam veracitatis affectabant in ſuis oraculis, quia incerti erant de rerum ſuper quas conſulebantur eventu, reſponſa ſua verbis ambiguis dare ſolebant, ut quicquid tandem contingeret, id à Dæmone prædictum crederetur; & quando res aliter quam exſpectabatur eveniret, non in Dæmonem, ſed in eos qui bene ipſius mentem non percepiſſent, tota culpa conjiceretur.

XIII. Intellectum Angelorum comitatur *Voluntas*, & quidem libera. Fruſtra enim eſſet omnis eorum, quantumvis eximia cognitio, niſi pro arbitrio ſe tam ad bonum proſequendum, quam ad malum fugiendum extendere poſſent. Idemque arguit lex, quæ ipſis lata, & præmii promiſſione ac pœnæ comminatione ſancita eſt. Omnis enim ejuſmodi lex liberum ſupponit arbitrium in eo cui præſcribitur; alioqui eſt injuſta & ridicula. Nam in actionibus, ubi dominatur invicta neceſſitas, nec virtus obedientiæ, nec culpa inobedientiæ locum habere poteſt: ac proinde qui eas edit, nec præmio nec pœna eſt dignus.

XIV. Quia Angeli intellectu & voluntate ſunt præditi, oportet etiam ut mentem ſuam aliquo ſermonis genere aperire ſibi invicem, & hominibus ad quos mittuntur, poſſint. Ac de poſteriore hoc ſermone parum eſt difficultatis, ſemper enim ad eos quos alloquuntur ſe accommodant, & Hebræis Hebraïce, Græcis Græce verba faciunt: niſi quod hoc prorſus eſt admirabile, & quantum homines ingenio excellant oſtendit, quod omnes eorum linguas, ſtatim atque opus eſt, loqui norunt. Sed quæritur de priore, de quo Apoſtolus dicit, *ſi linguis Angelorum loquar*, 1 *Cor.* XIII. 1. Quidam putant ſolam voluntatem aperiendi ſuam mentem eis ſufficere. Sed id incertum eſt. Relinquamus igitur inter arcana quæ in futuro ſæculo diſcemus.

XV. Sequitur Angelorum *Potentia*; quæ magna eſt, & omnium hominum vires, etiam conjunctas, longiſſime exſuperat. De ea teſtatur David, vocans eos *potentes virtute*, *Pſalm.* CIII. 10. & Paulus cum *Angelos virtutes Dei* appellat, 2 *Theſſ.* I. 7. Hæc potentia ſæpe in ſtupendis eorum operibus conſpiciendam ſe præbuit: ut cum Angelus deſtructor una nocte interemit omnia primogenita per totam Ægyptum, *Exod.* XII. 29, 30. & centum octuaginta quinque millia in caſtris Aſſyriorum, 2 *Reg.* XIX. 35. Nec refert quod in priore loco cædes iſta tribuatur Jehovæ. Id enim fit, quia Deus in Angelo illo nomen ſuum poſuerat, *Exod.* XXIII. 20, &c. per eundem enim Angelum quem conſtituerat ducem Iſraëlitis, percuſſit Ægyptum diverſis plagis, fecitque mirabilia in mari rubro, ut patet ex *Exod.* XIV. 19. &c. Adde quod opus cauſæ inſtrumentalis recte tribuatur principali quæ ipſa utitur. Angelorum tamen potentia non eſt infinita, ſed limitibus providentiæ divinæ circumſcripta: Unde Angelus, qui ad educendum Sodoma Lothum erat miſſus, ei dicebat: *Feſtina, & ſervare in Soar; quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc*, *Geneſ.* XIX. 22. proinde neque vera & proprie dicta miracula, ſeu opera omnes naturæ vires ſuperantia, propria virtute facere poſſunt. Hoc enim ſibi proprium Deus reſervavit, ut Propheta docet: *Benedictus Dominus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus*, *Pſalm.* LXXII. 18. nempe ex ſe & virtute propria. Alias certum eſt Deum eam ſæpe communicaſſe, non tantum Angelis, ſed etiam hominibus.

XVI. Cum potentia Angelorum conjuncta eſt maxima agilitas, qua ex uno loco in alium, ut è cælo in terram, in inſtanti tranſeunt: quod exempla modo allata ſufficienter teſtantur. Iſta de cauſa vocantur Cherubim, id eſt, homines alati, inſtar volucrum; alias non forent apti ad mandata Dei tanta ut oportet cum celeritate exſequendum.

XVII. Numerus Angelorum eſt maximus; Nam *millia millium miniſtrant Deo, & decies millies centena millia aſſiſtunt ei*, *Dan.* VII. 10. Et Apoſtolus *multorum millium Angelorum frequentiam* memorat, *Heb.* XII. 22. Et in Apocalypſi numerus Angelorum & ſeniorum, qui erant in circuitu throni Dei, dicitur fuiſſe *millia millium*, *Apoc.* V. v. 11. quo reſpiciens Chriſtus, dicebat, *ſe poſſe rogare Patrem, ut ſibi mitteret duodecim Angelorum legiones*, *Matth.* XXVI. 53.

CAPUT V.

De Providentia Dei circa Angelos bonos & malos.

I. *Deum Providentia ſua Angelos conſervare*, II. *Et legibus gubernare.* III. *De peccatis Diaboli & angelorum ejus.* IV. *Eos idcirco æterno exitio eſſe adjudicatos.* V. *An eorum voluntas ſit abſolute ad malum determinata.* VI. *De Angelis electis.* VII. *An non poſſint à ſanctitate deficere; & cur.* VIII. *Angelos & Dæmones in certos ordines eſſe diſtributos, & quis ſupremus inter eos princeps.* IX. *De cœleſtibus hierarchiis ſuppoſititii Dionyſii Areopagitæ*, X. *Et de tribus fabuloſis Angelorum ordinibus,*

bus Judæorum. XI. *Absurdum esse putare unicuique homini à prima nativitate bonum & malum genium esse assignatos.* XII. *Num unicuique saltem bonus Angelus sit datus.* XIII. *Eorum ministeria varia.* XVI. *Nihil posse malos angelos absque Dei permissu, neque in animam,* XV. *Neque in corpus hominum.* XVI. *Num Dæmoniaci hodie reperiantur.* XVII. *De justo Dei judicio in Diabolum & angelos ejus exercendo.*

I. ET hæc de Angelorum natura: nunc *de Dei circa ipsos Providentia* est agendum. Ea duobus actibus constat; nempe *Conservatione & Gubernatione.* Per conservationem Angelorum nihil aliud intelligimus, nisi Deum nolle eos essentia & viribus, quas in creatione dedit, privare. Alia enim conservatione non videntur indigere, cum neque internum corruptionis principium in se habeant, neque ab ulla creatura, qualiscunque ea sit, lædi queant.

II. Gubernatio Angelorum in eo consistit, quòd Deus ipsis leges præscribit quas observent, & iis tanquam ministris ad certa quædam munia exsequendum utitur: Unde dicuntur *facere verbum illius, & audire vocem sermonum ejus, Psalm.* CIII. 20. & vocantur *ministratorii spiritus, Heb.* I. *v.* 14. Legis ipsis latæ nulla quidem mentio fit in Scriptura: sed quia de quorundam peccato illic agitur, sub eo lex quoque comprehensa intelligi debet, cum *peccatum sit legis transgessio,* I *Joan.* III. *v.* 4. & *ubi non est lex, ibi non fit peccatum, Rom.* IV. 15. & V. 13.

III. Peccatum quod Diabolus & aliquot cum eo Angeli commiserunt, memoratur tantum obiter & in genere, cum dicitur, *Diabolus erat homicida ab initio & in veritate non stetit; quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus,* id est, auctor est mendacii, *Joan.* VIII. 44. item *Diabolus ab initio peccat,* I *Joan.* III. 8. tribuitur quoque Angelis quod *peccarint, & non servaverint principatum suum, sed dereliquerint domicilium suum,* 2 *Pet.* II. *v.* 4. *Jud. v.* 6. Quale autem Angelorum istorum peccatum fuerit, nullibi in specie Scriptura declarat; ideoque frustra quæritur. Superbiam vulgo fuisse putant, qua se Deo æquare voluerint, & quæ se externo aliquo rebellionis adversus Deum actu prodiderit. Idque inde conjiciunt, quod hominem ad mandatum Dei transgrediendum impulerit hac spe, quod *futuri essent sicut Dii cognoscentes bonum & malum, Genes.* III. 5. Maximum tamen fuisse istud peccatum inde apparet, quod propter illud [illegible] & absque omni gratiæ spe à Deo fuerint rejecti, & judicio æterni ignis asservati; Deus enim, qui summe est misericors, leviorem aliquam offensam adeo severe non esset puniturus. Nonnulli ergo existimant, non fuisse unum aliquem singularem peccati actum; sed continuatam diu rebellionem, quæ obstinatam animi malitiam prodiderit; idque à Petro & Joanne locis modo citatis voce *peccandi* innui, quæ in sacris Literis plerumque habitum malum significet. Quicquid sit, multi fuerunt istius adversus Deum rebellionis rei, & apostasia, quæ ab uno inceperat, qui Diabolus vocatur, in plurimos alios exemplo pervasisse videtur: unde Dominus Jesus mentionem facit *Diaboli & angelorum ejus, Matth.* XXV. 4. Imo legio integra impurorum spirituum, id est, si vocis proprietas urgeatur, milleni aliquot, unius miseri dæmoniaci corpus obsederant, *Marc.* V. 9. longe autem plures alibi fuisse oportet, cum dicatur Diabolus *tanquam leo rugiens obambulare, quærens quem devoret,* 1 *Pet.* V. *v.* 8. id enim aliter facere nequit, quam adhibita ministrorum suorum opera: Unde Paulus dicit, *nobis esse luctam* non cum uno tantum adversario, sed in plurali *adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum seculi hujus, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, Ephes.* VI. 12.

IV. Deum autem irrevocabiliter malos angelos perditioni æternæ adjudicasse, docent aliquot Scripturæ loca; ut primo, cum Christus dicit, *ignem æternum paratum esse Diabolo & angelis ejus, Matth.* XXV. 41. & Petrus, *Deum Angelis qui peccaverunt non pepercisse; sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidisse damnationi servatos,* 2 *Petr.* II. 4, 5. Quem secutus Judas scribit, Deum eos judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservasse, *Jud. versu* 6. Deus enim propter atrox Angelorum apostatarum scelus, noluit pari misericordia erga ipsos, atque erga homines uti; ad quos ex perditione liberandum, Filium suum unigenitum in mundum misit. Unde Apostolus de Domino Jesu dicit, *non utique Angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit, Hebr.* II. 16. ubi verbum assumit, Græce ἐπιλαμβάνεται, idem est atque manu eum, qui lapsus erat, ad erigendum arripit; quod sequenti *versu* 18. voce βοηθῆσαι, id est, *auxiliandi* seu *opitulandi* exprimitur. Ergo Deus istos Angelos non addixit æternæ perditioni, ut quidam existimant, ex decreto absoluto, sed propter peccati, quod libere commiserunt, meritum; ut liquet ex eo, quod ubicunque in Scriptura fit mentio supplicii ad quod destinati sunt, simul etiam ipsorum peccatum commemoretur, ex quo ejus justitia pateat.

V. Quæritur autem hic, an malorum angelorum voluntas ita ad malum determinata sit, ut ipsis absolute sit impossibile ullum bonum velle aut facere. Ad quod non est facile respondere, quia Scripturam præeuntem non habemus. Ea quidem passim de summa illorum malitia testimonium perhibet, sed utrum ab illa desistere possint, necne, non docet. Quod si incorrigibilis in malis Angelis sit pravitas & ad omne bonum impotentia, id inde fit, vel quod Deus illam in pœnam rebellionis ipsis imposuerit, vel quod male agendo eam contraxerint. Sed neutrum vere dici posse videtur. Non *primum,* quia si Deus malos angelos impotentes ad omne bonum reddidit, omnium quæ istam pœnam secuta sunt peccatorum erit auctor, quod à perfecta ejus sanctitate plane abhorret. Fac tamen non pugnare, saltem ejus justitia non permitteret, ut ipsos pro-

pter peccata inevitabiliter istam pœnam secuta puniret: Sic enim puniret ideo quia jam punivit; & pœna ejus aliam post se pœnam traheret in infinitum; quod ab omni ratione est alienum. Non etiam *secundum*, nemo enim male agendo omnem boni in posterum faciendi potentiam amittit: saltem unus actus, in quo malorum angelorum peccatum constitisse vulgo putant, tantam vim non habet; imo neque habitus peccati inveteratus: nam etiamsi magnam ad bonum faciendum difficultatem eum afferre constet; potentiam tamen plane extinguere, rationi adversatur. Nullus enim habitus est indelebilis; sed sicut crebris actionibus acquiritur, ita earum intermissione, aut contrariarum exercitio, tandem exuitur. Quod ergo mali angeli vitam suam non emendant, id tali impotentiæ, sive primi sive secundi generis, non est tribuendum; (quod multum de gravitate peccatorum, quæ jam committunt, minueret, & eos coram Deo quadantenus excusabiles redderet) sed inde fit, quod sciant damnationis suæ decretum esse irrevocabile, & de venia apud Deum obtinenda desperent. Nullus enim improbus, dempta veniæ spe, de peccatis suis deserendis unquam serio cogitabit. Desperatio ergo sola, indurationis malorum angelorum causa esse videtur, non ulla Dei pœna, aut diuturni habitus ineluctabilis necessitas. Et male docetur à quibusdam, ipsos necessario simul & libere peccare; cum hæc se invicem evertant.

VI. *Angeli*, qui fideles in suo erga Deum obsequio perseverarunt, *Electi* vocantur à Paulo, 1 *Tim.* V. 21. non quod Deus absoluto & irrevocabili decreto ipsos ad æternam salutem, absque ullo obedientiæ intuitu, prædestinaverit. Hæc enim vox talem vim non habet; sed secundum Scripturæ phrasin, electi iidem sunt, qui fideles; fideles autem possunt *fidei naufragium facere*, 1 *Tim.* I. 19. *se subtrahere*, *Heb.* X. 38. & *avertere se à sancto mandato sibi tradito*, 2 *Petr.* II. 20, &c. Eorum longe major est numerus quam rebellium, ut docent loci capite præcedente §. XVII. citati, qui de bonis Angelis tantum agunt.

VII. Quæritur autem, an boni Angeli in gratia Dei & sanctitate ita sint confirmati, ut ab ea deficere amplius nequeant. Ad quod respondeo, Scripturam id nullibi expresse asserere: sed ratiocinio, quid veritati magis affine sit, concludendum. Dico igitur, ipsos aut adhuc subesse legi, promissis & minis sancitæ, ut conceditur fuisse ab initio; aut non amplius subesse. Si prius allubescat, oportet simul fateamur, non esse prorsus impossibile ut adversus Deum peccent, alioqui frustra talem legem haberent. Crediderim tamen partim exemplum angelorum apostatarum, qui à Dei conspectu sunt expulsi, & æterno igni asservati, partim diuturnum divini erga se amoris sensum, tantum in ipsis peccati & rebellionis odium excitasse, ut nullum sit periculum, ne in eam prolabantur. Sed hoc absolutam peccandi impossibilitatem non arguit. Si vero malimus posterius, nimirum Angelos bonos legi, promissis & minis sancitæ, non amplius subesse, sed jam obedientiæ suæ præmium accepisse, & in statu gloriæ versari; libenter fatebor illos necessario Deo obedire, quia clara summi boni cognitio ita voluntatem eorum determinat, ut non possint illud non amplecti. Et hæc sententia, quam etiam Theologi vulgo amplectuntur, mihi maxime arridet. Quomodo enim fieri posset, ut qui *Dei faciem in cælis perpetuo vident*, *Matth.* XVIII. 10. qui adeo insignem ejus erga se benevolentiam à tam longo tempore experiuntur, & qui norunt quam potens sit ad rebelles & immorigeros puniendum, in animum inducerent aliquid facere quod ipsi displiceret? Obediunt ergo Angeli Deo; sed non metu pœnæ, nec spe præmii, quod jam possident; sed naturali quodam impetu, & tanta cum alacritate, ut de rebellando ne quidem cogitare possint. Et sic non sunt libere boni; adeo ut male quidam ex Angelorum exemplo colligant, fideles in hac vita necessario simul & libere credere in Christum, & Euangelio obedire.

VIII. Ad gubernationem Angelorum pertinet quoque eorum in certos ordines distinctio. Nisi quis eam ad creationem referre malit, & dicere Angelos à se invicem discriminatos secundum gradus cognitionis & virium, quas Deus unicuique, cum ipsos conderet, impertitus est. Quicquid sit de hac re, certum est inter Angelos ordines & gradus quosdam esse. Nam 1. ratio docet ordinem esse rem præstantissimam, & sine qua nulla societas subsistere potest; præsertim si magna sit, & ex multis millenis constet. 2. Mentio fit *Michaëlis Archangeli*, *Jud. versu* 9. & Dominus Jesus ultimo die *de cælo descensurus est in voce Archangeli*, 1 *Thess.* IV. 6. nempe Michaëlis, quia nullus præter ipsum ita appellatur. Unde etiam apud Danielem, *cap.* X. 13. Michaël vocatur *unus de principibus primis*. & *Apoc.* XII. 7. narratur *fuisse prælium magnum in cælo inter Michaëlem & Angelos ejus* ab una parte, *& Draconem cum angelis ipsius* ab altera. 3. A Paulo *Col.* I. 16. commemorantur *Throni*, *Dominationes*, *Principatus*, *& Potestates in cælo à Jesu Christo conditi*: quod vulgo interpretes de Angelorum ordinibus exponunt: vide etiam *Rom.* VIII. 38. ubi nominantur conjunctim, *Angeli*, *Principatus*, & *Virtutes*. 4. Talis quoque remansit distinctio inter angelos apostatas, quorum princeps vocatur *Diabolus*, *Matth.* XXV. 41. & appellatione *Draconis* designatur in loco modo allegato, *Apoc.* XII. 7. & XX. 2. Videtur etiam is esse qui *Satan* vocatur, cui Deus permisit vexare Jobum, & qui incitavit Davidem ut numeraret Israëlem, 1 *Paral.* XXI. 1. Cujus angelus erat is qui datus est Paulo ut colaphizaret eum, 2 *Cor.* XII. 7. Huc quoque pertinet quod idem dicit, *nobis non esse luctam adversus carnem & sanguinem*, *sed adversus principes & potestates*, *&c.* *Ephes.* VI. 11, 12. & Christum *expoliasse principatus & potestates*, *deque illis triumphasse*, *Col.* II. 15.

Utrum

Utrum autem Diabolus sive Satan omnium Angelorum ante lapsum fuerit princeps, in cujus locum Michaël postea sit suffectus, incertum est: Nec probatur ex istis verbis, *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* *Esa.* XIV. 12. Apparet enim ex serie contextus, ea de rege Babylonis esse accipienda, qui propter splendorem & magnificentiam Lucifer metaphorice appellatur.

IX. Curiosum etiam est speciatim scrutari velle, quinam sint isti Angelorum, sive bonorum, sive malorum ordines. Dionysius vulgo dictus Areopagita, in libro *de cælesti hierarchia*, præfidenter, quasi in tertium cælum una cum Paulo fuisset raptus, novem Angelorum ordines facit, eosque in tres trinas hierarchias dispescit. Prima hierarchia, ut statuit, Deo proxime & immediate adhæret, continetque tres ordines, quorum summus sunt Seraphim, medius Cherubim, ultimus Throni. Secunda hierarchia primæ subest, & tribus constat ordinibus, quorum primus sunt Dominationes, secundus Virtutes, tertius Potestates. Tertia denique hierarchia à secunda pendet, & tres etiam continet ordines, nempe Principatus, Archangelos, & Angelos. Sed hic Dionysius non est Areopagita ille, quem Paulus ad Christi fidem convertit, de quo fit mentio *Act.* XVII. 34. ut doctiores Critici agnoscunt, inter alios Erasmus in hunc locum. Nec habet ista ex Paulo, qui Angelos ita non distinguit, & ea quæ in tertio cælo audivit ἄῤῥητα esse dicit, *quæ homini fas non sit efferre*, 2 *Cor.* XII. 4.

X. Nec multo firmiore nituntur fundamento, quæ Judæi etiam de tribus Angelorum ordinibus tradunt, quorum primus comprehendat Intelligentias plane immateriales, quæ semper thronum Dei circumsistunt; secundus Angelos ministerii, qui mundo regendo destinati sunt, & piis in necessitatibus eorum opitulantur; tertius Spiritus sublunares, qui judicia Dei in impios exequantur, & Angeli mortis appellentur; qui instar hominum moriantur, cibo & potu indigeant, *Tob.* XII. 19. generent & generentur, & sint vel callidi & astuti, vel simplices & ignari. Hæc enim non satis bene cum sacris Literis conveniunt, quæ docent Deum iisdem Angelis uti, tam ad protegendum pios, quam ad puniendum impios, *Exod.* XIV. 19, &c. & saltem sunt dubia & incerta, si non penitus falsa.

XI. Quod ad munera Angelorum, quæritur an unicuique homini statim à nativitate duo Angeli assistant, unus bonus qui ad virtutem, alter malus qui eum ad peccatum sollicitet, ut voluerunt olim Platonici, & quidam Christiani: vel saltem, an singulis hominibus bonus aliquis Angelus ad eos protegendum à Deo assignatus sit, qui ipsis perpetuo assistat, & quem proinde in necessitatibus confidenter invocare queant. Respondeo 1. Platonicorum opinionem de malo angelo unicuique à Deo adjuncto esse absurdam. Quamvis enim permittat aliquando homines tentari à Diabolo, ut initio mundi Evam, & postea pium Jobum, & impium Achabum, 1 *Reg.* XXII. tamen neminem ad peccandum sollicitari curat, cum sit osor peccati. Et ut infantibus recens natis malignos admoveat spiritus qui ipsis perpetuo insidientur, ab ejus bonitate alienum est. 2. Probabiliorem quidem esse sententiam de Angelo bono custode unicuique dato, sed tamen incertam. Scriptura enim nusquam testatur Deum omnes homines semper ita custodire, sed tantum pios, & in necessitatis casu. Deinde modo unum Angelum multis præficit, ut Israëlitis in egressu ex Ægypto & in deserto, *Exod.* XXIII. 20, &c. modo plures ad unum protegendum adhibet, ut Elizæum 2 *Reg.* VI. vide etiam *Psalm.* XXXIV. 8. & XCI. 10, 11.

XII. Objicitur Dominum Jesum dicere, *Angelos parvulorum in cælis semper videre faciem Patris sui, qui in cælis est*, *Matth.* XVIII. 10. Sed per parvulos non intelligit infantes, ut apparet ex *versu* 6. ubi dehortatur à ponendo scandalo alicui ex parvulis qui in se credunt, quod in infantes non cadit. Affertur etiam quod Petro è carcere liberato, & pulsante ad fores Mariæ, Marci matris, fideles ibi congregati dicant, *Angelum ejus esse*, *Act.* XII. 15. nempe ex præsuppositione ista, unicuique homini, vel saltem fideli, semper aliquem Angelum adesse. Sed respondeo, vocem Ἄγγελος eo loco non significare spiritum celestem, sed nuncium à Petro missum, prout vulgo à scriptoribus profanis usurpatur, & ab ipso etiam Luca, *histor. Euangel.* VII. 24. ubi nuncios, quos Joannes Baptista ad Christum miserat, ἀγγέλους vocat. Nec est cur existimemus hic aliter accipi ab istis fidelibus; cum Angelos cælestes nunquam audissent pulsare ostium, ut aliquo ingrederentur; & scirent id non convenire spiritibus, qui subtilitate sua solidissima quæque corpora penetrare possunt. Quare preces quas Pontificii, hypothesi hac freti, ad Angelum custodem dirigunt, ex certa fide non proficiscuntur; cum fieri possit, imo soleat, ut quo tempore eas fundunt, nullus Angelus adsit qui exaudiat.

XIII. Ministeria quæ Angeli præstant hominibus varia sunt. *Primo* enim annunciant ipsis Dei voluntatem, ut multa exempla docent, non tantum piorum, ut Abrahami, *Gen.* XVIII. Lothi, *Gen.* XIX. Danielis, *cap.* VII. *&* *seqq.* Zachariæ patris Joannis Bapt. *Luc.* I. Mariæ Virginis, *ibid.* Josephi ejus viri, *Matth.* I. & II. Joannis Apostoli, *Apoc.* I. *&* *seqq.* sed etiam impiorum, ut Bileami, *Numer.* XXII. Neque id intelligendum tantum videtur ubi Angelorum expressa fit mentio, sed etiam ubi Deus nominatur; cum Dei nomen sæpe tribuatur Angelis; & id quod causa instrumentalis facit, ad principalem referri soleat. Imo sunt qui existimant Deum nunquam immediate homines allocutum esse, aut iis apparuisse, sed tantum per Angelorum interventum; quod istud majestatem ejus magis deceat. Consolantur etiam homines in afflictionibus, ut Agarem,

Gen. XVI. 7. &c. Eliam, 1 *Reg.* XIX. 5. Paulum, *Act.* XXVII. 23, 24. Christum ipsum, *Luc.* XXII. 43. cui alias quoque inservierunt, *Matth.* IV. 11. *Joan.* I. 51. Non tamen placuit Deo Angelis uti tanquam ministris ordinariis ad mandata sua nobis deferenda. Nam 1. non possemus eorum splendorem ferre, si cum gloria cælesti apparerent; ut docent exempla Israëlitarum, *Exod.* XX. parentum Simsonis, *Judic.* XIII. Danielis, *cap.* X. & aliorum, quibus visiones ejusmodi contigerunt. 2. Quia fides, per quam Deus nos salvare vult, vix cum gloriosis Angelorum apparitionibus consistere posset. Nullus enim tam obstinate incredulus foret, qui illis non moveretur, atque ita probi ab improbis per fidem non discriminarentur. *Secundo*, Deus Angelis utitur ad fideles suos à periculis imminentibus liberandum; secundum id quod dicit David, *Castrametatur Angelus Domini circum eum timentes, & eripit eos*, *Psalm.* XXXIV. 8. Item, *Quoniam Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te in viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte impingat ad lapidem pes tuus*, *Psalm.* XCI. 10, 11. Cujus multa habemus exempla, ut in Lotho, *Gen.* XIX. Jacobo, *Gen.* XXXII. Elia, 1 *Reg.* XIX. 5, &c. Elizæo, 2 *Reg.* VI. 16, &c. Ezechia, & urbe Hierusalem, 2 *Reg.* XIX. 34, 35. tribus Danielis sociis, *Dan.* III. Daniele, *cap.* VI. Petro Apostolo, *Act.* XII. Interdum quoque adhibet ad eos castigandum, ut Zachariam ob incredulitatem, *Luc.* I. *Tertio*, Angeli inserviunt Deo ad exercenda judicia in impios; ut videre est in Sodomitis igne cælesti consumtis, *Gen.* XIX. primogenitis Ægyptiorum occisis, *Exod.* XII. 29. &c. percussis 185 millibus in castris Senacheribi, 2 *Reg.* XIX. Herode, qui opera Angeli corrosus est à vermibus, *Act.* XII. 5. septuaginta mille Israëlitis peste extinctis, 2 *Sam.* XXIV. Ubi tamen multi pii eodem judicio cum impiis involuti esse videntur. Huc quoque pertinet, quod Angeli coërcent improbos ne fidelibus noceant, ut Labanem, qui ira fervens Jacobum generum persequebatur, *Gen.* XXXI. 29. *Quarto* denique, Angeli transferunt fidelium morientium animas in locum quietis; ut Lazari, *Luc.* XVI. & ultimo die congregabunt omnes homines è singulis orbis terrarum partibus ad judicium, *Matth.* XXIV. 31. 1 *Thess.* IV. 16.

XIV. Dei circa angelos malos Providentia in eo præcipue occupatur, ut impediat, ne malum ad quod propensi sunt semper exequi possint. Nam cum sint infensissimi hominum hostes, & magna potentia valeant, perderent omnes procul dubio, si Deus ipsis permitteret. Interdum tamen laxat aliquantulum frænum quo constricti sunt, & sinit tentare homines atque affligere; præsertim improbos, qui id peccatis suis meriti sunt; sed ita ut limites sibi præscriptos non excedant; ut illud ostendit, quod ne in porcos quidem ingredi potuerint, nisi Dominus Jesus ipsis permisisset, *Matth.* VIII. 30. Invadunt autem mali isti spiritus tum corpus tum animam hominum, ut eos perdant, & temporali atque æterna salute privent. Cujus rei multa habemus in Scripturis exempla & testimonia. Primum & tristissimum est in communi nostra parente Eva, quam Diabolus ad transgrediendum Dei mandatum astutia sua induxit, & per eam Adamum, *Genes.* III. & Paulus vereri se dicit, ne idem Corinthiis contingat, *neque enim se ignorare Satanæ machinationes*, 2 *Cor.* XI. 3. & II. 10, 11. Is est, *qui excæcat mentes infidelium, ne lumen Euangelii gloriæ eos irradiet*, 2 *Cor.* IV. 4. & *operatur in filiis contumaciæ*, *Ephes.* II. 2. ut in Achabo, ad quem decipiendum spiritus malus operam suam Deo obtulit, & responsum hoc accepit, *Egredere, & fac ita*, 1 *Reg.* XXII. quæ tamen non sunt verba præcipientis, sed solum permittentis; sicut etiam ista Domini Jesu ad Judam, *Quod facis, fac cito*, *Joan.* XIII. 27. Gravissimus fuit ille insultus quo Satan pium Job impetivit, facultates omnes eripiens, liberos occidens, & ulcere malo à capite ad calcem ipsum percutiens: sed irrito conatu, quia fortis erat in fide. Sic *resistendum est Diabolo, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*, 1 *Petr.* V. 8. *Induite*, inquit Paulus, *omnem armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli, &c.* *Ephes.* VI. 11. &c. Fidelis autem est Deus, qui non sinit suos tentari supra id quod possunt, sed præstat cum tentatione evasionem, ut possint sufficere, 1 *Cor.* X. 13.

XV. Horrendum est illud, quod aliquando Dæmones corpora hominum ingrediantur, & eos misere vexent, ut docent multa exempla quæ habemus in Euangelio. Sed etiamsi Deus hanc dæmonibus potestatem concedat in homines, ad eos castigandum vel probandum: tamen cum omnis spirituum malorum potentia sit naturalis, nequeunt etiam aliter quam mediis naturalibus cuiquam nocere. Itaque si de epilepsia, mania, aut aliis ejusmodi morbis, quibus dæmoniaci affligi interdum solent, in aliquo excitandis agatur, oportet eos vel venena quæ hanc vim habent propinare (quod per magos, sive maleficos, aliquando factum multæ testantur historiæ) vel humores ad id dispositos in corporibus hominum invenire, qui levi motu conturbari possint. Ita in duobus illis maniacis, & in lunatico, de quibus agitur *Matth.* VIII. & XVII. videntur dæmones cerebrum male dispositum invenisse, & paratum ad facile ejusmodi affectum suscipiendum; in surdo μογιλάλῳ, de quo *Marc.* VII. vitium aliquod aurium & linguæ; in fœmina illa de qua *Luc.* XIII. quæ ab octodecim annis spiritum infirmitatis habebat, qui eam curvatam tenebat, vitium aliquod lumborum, vel spinæ dorsi. Et ita in aliis. Idem quoque passus videtur Saul, de quo scribitur 1 *Sam.* XVI. *malum spiritum à Domino ipsum exagitasse*. Spiritus enim iste malus nihil aliud erat quam mania, ipsi à Deo immissa per aliquem Angelum bonum, vel potius opera angeli mali, quo tanquam tortore ad puniendum impium istum regem usus est.

XVI. Quæritur, an adhuc hodie ejusmodi dæmoniaci reperiantur, & quibus indiciis certo deprehendi possit eos à dæmone aliquo vexari. Respondeo ad *primum*, me existimare paucos dæmoniacos inveniri inter Christianos: plerique enim eorum, qui tales crediti sunt, postea impostores esse, aut scenæ alienæ inserviisse, deprehensi sunt. Sed historiæ narrant apud Indos & alios populos, qui verum Deum & Christum ignorant, non paucos esse. Ita ut Euangelio Christi debeamus, quod vires dæmonum inter nos tantopere sint repressæ. Quo referri possunt illa Christi, *Aspiciebam Satanam sicut fulgur è cælo cadentem*, *Luc.* x. 18. nempe ad prædicationem Apostolicam. Vide etiam *Rom.* XVI. 20. & 1 *Joan.* III. 8. Ad *secundum* quidam respondent, notas veri dæmoniaci esse, si loquatur linguis novis, & quas antea non didicerit; &, si futura prædicat, vel occulta revelet. Sed nihil tale refertur de iis quos Dominus Jesus sanavit. Sufficit, ut puto, si quædam in vulgaribus morbis insuitata periti medici in iis animadvertant. Quod tamen cum fallere possit, præstat tardum esse ad aliquid ista de re pronunciandum; & interim ad Deum confugere, qui morbos, sive à Dæmone immissos, sive ab alia causa ortos, solo nutu sanare potest; secundum Christi consilium, dicentis, *hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem & jejunium*, *Matth.* XVII. 21.

XVII. Ultimus Providentiæ Dei circa Diabolum & ejus angelos actus, est executio pœnæ, cui ante sæcula, cum peccassent, fuerunt adjudicati. Ejus initium consistit in ejectione è cælo, ubi antea coram Deo comparebant, & missione in abyssum. De quo Petrus dicit, *Deum Angelis qui peccarunt non pepercisse, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidisse in judicium servatos*, 2 *Petr.* II. 4. Et post eum Judas, *versu* 6. *Angelos qui non servarunt suam originem, sed domicilium suum dereliquerunt, judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservasse.* Tartarus autem, cujus Petrus meminit, videtur idem esse quod abyssus, in quam rogant dæmones Dominum Jesum ne mittantur, *Luc.* VIII. 31. & significare deserta & tenebrosa loca, præsertim cum cælo unde ejecti sunt collata. Forte tamen Deus concedit aliquando Diabolo, ut in conspectum suum veniat, ut historia Jobi docet, 1. 6. & 11. 1. Interim ordinarie versantur in aëre & locis inferioribus mundi; unde Diabolus vocatur *Princeps potestatis aëris*, *Eph.* II. *v.* 2. id est, qui potestatem in aërem, Deo concedente, habet, ubi excitat ventos & tonitrua, *Job.* 1. 16, 19. Supplicium cui destinati sunt dæmones, vocatur *stagnum ignis & sulphuris*, *Apoc.* XX. 11. *ignis æternus*, *Matth.* XXV. 41. & idem esse videtur cum igne quo mundus aliquando conflagrabit; quia Petrus dicit, *cælos qui nunc sunt, & terram, igni reservari in diem judicii & perditionis impiorum hominum*, 2 *Petr.* III. 7. In eundem autem ignem æternum, qui Diabolo & angelis ejus paratus est, impios homines conjectum iri discimus ex *Matth.* XXV. 41. Sed de his sobrie admodum sentiendum & loquendum est, nos semper intra metas revelationis, in Scripturis factæ, continendo.

CAPUT VI.

De Mundi hujus visibilis Creatione.

I. *Deum esse causam liberam, non vero emanativam hujus mundi.* II. *De Anno*, III. *& anni tempestate qua mundus sit conditus.* IV. *Ex nihilo videri creatum.* V. *Refelluntur qui materiam Deo coæternam statuunt.* VI. *Mundum non in instanti, sed sex dierum spatio fuisse conditum.* VII. *Sed non videri totos dies singulis operibus fuisse impensos.* VIII. *Deum lucem principium operum suorum fecisse.* IX. X. *Duabus Simplicii objectionibus respondetur.* XI. *An lux hæc substantia fuerit, an vero accidens.* XII. *Deum secundo die expansum fecisse.* XIII. *Respondetur cavillo Simplicii.* XIV. *Tertio die Deum terram produxisse.* XV. XVI. *Duabus Simplicii objectionibus satisfit.* XVII. *Deum quarto die creasse solem & lunam & astra.* XVIII. XIX. *Respondetur duabus Simplicii objectionibus.* XX. *Quinto die Deum creasse pisces & aves; Et Philosophum hic etiam Mosem male reprehendere.* XXI. *Sexto die Deum creasse animantia terrestria & hominem; Et Simplicium rursus carpere quod non intellexit.* XXII. *Cur Deo animantia in sexum masculinum & fœmininum distinguere placuerit.*

I. HActenus de mundo invisibili, & de Angelis ejus incolis: sequitur ut de visibili agamus: Eum à Deo fuisse conditum, ac proinde æternum non esse, supra *Lib.* I. *cap.* 2. ostendimus. Illis dictis nunc addo, mundum ab æterno creari non potuisse; non quod Deus non fuerit ab omni æternitate instructus ea potentia, quam postea in eo creando exeruit (nullum enim ista de re est dubium) sed quia hæc duo, æternum esse, & factum esse, se mutuo destruunt. Quod enim factum est, initium habuit: æternum vero caret initio. Aristoteles & ejus sectatores putant mundum ab æterno extitisse, quia Deus illius sit causa emanativa: causæ autem emanativæ hoc est proprium, ut existentia sua effectum producat; ac proinde si sit æterna, effectus ejus quoque æternus sit; quemadmodum posito solem esse æternum, lux, cujus est causa emanativa, etiam erit æterna. Sed Deus non est talis operum suorum causa. Sic enim omnia necessario ageret, nihil libere & ex consilio. Absurdum autem est putare ens perfectissimum, intellectuque & voluntate præditum, sic operari: ne jam dicam quod ista opinio religionem omnem evertat, & ad Epicureismum ducat.

II. Quando autem mundus à Deo fuerit conditus, ex sacris Literis potest quidem aliquo modo colligi; sed non ita precise ut non sit aliquod opinionum inter Chronologos discrimen: nam ut prætercam LXX Interpretes, secundum quos à creatione mundi ad natum Christum elapsi sunt anni 5500. non conveniunt etiam omnino ii, qui Hebraïcum textum sequuntur: secundum enim Judæos, usque ad Christum, sunt anni 3760. ita ut annus mundi 3761. cum 1 nati Christi anno con-

concurrat. Sed secundum Scaligerum sunt anni 3949. secundum Capellum vero 4006. à quo non multum distat Tirinus, qui existimat mundum usque ad nativitatem Christi substitisse 4000, vel 4001, vel 4002, vel 4003 annis: deinde cum hucusque à Christo nato, secundum æram Dionysianam, numerentur anni 1656. sunt qui putant duos annos esse omissos, & numerandum 1658. sed discrepantia ista exigui est momenti.

III. De anni tempestate qua mundus est creatus duæ præcipue Chronologorum sunt sententiæ: alii enim existimant id factum esse æquinoctio verno, alii vero autumnali: nempe respectu eorum, qui cis æquatorem in parte mundi septentrionali habitant, ubi erat Paradisus terrestris, in quo Adamus & Eva collocati sunt. Primæ sententiæ adhæret maxima Chronologorum pars, nitentes hoc fundamento, quod eadem tempestas nascenti mundo, quæ frugibus è terra germinantibus assignanda esse videatur: Deinde quod Deus in institutione Paschæ Israëlitis dixerit, *Mensis iste* (nempe Nisan, qui in æquinoctium vernum incidit) *vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni*, *Exod.* XII. 2. idque indicium esse mundum isto tempore conditum fuisse. Secundum amplectitur Scaliger, & qui eum sequuntur Calvisius, & Helvicus, asserentes convenientius fuisse homines & cætera animalia introducere autumno ineunte in mundum, quo terra omnis generis frugibus ad eorum alimentum necessariis referta est, quam primo vere, quo est instar domus vacuæ. Præterea sacras Literas anno Israëlitarum civili hoc initium assignare, *Custodies solemnitatem* (nempe tabernaculorum) *in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro*, *Exod.* XXIII. 16. id quod fit sub æquinoctium autumnale. Si autem tunc finiebat annus, ergo statim incipiebat novus: ideoque vocatur *rediens anni tempus*, *Exod.* XXXIV. 22. Israëlitas itaque ab antiquis temporibus, absque interruptione, hoc anni principium observasse: licet postea ad memoriam liberationis ex Ægypto conservandam Deus constituerit, ut annus sacer à mense Nisan, seu æquinoctio verno, initium sumeret.

IV. Qua ratione mundus sit conditus, docet nos Moses in principio libri Geneseως: unde solum authentica hujus rei veritas peti debet; nam quæ cæteri narrant, aut meræ sunt fabulæ, aut rivuli ex hoc fonte deducti. Non dicit autem expresse hic sacer Scriptor, an Deus mundum creaverit ex nihilo, an vero ex præexistente aliqua materia; & propius ad hanc secundam sententiam accedere videtur, ut ex terra, quæ erat inanis & vacua, omnia hæc visibilia condita sint. Sed terram tamen oportuit ex nihilo esse productam: unde mater septem martyrum Machabæorum dicebat, *Deum fecisse cælum & terram, una cum omnibus, quæ in ea sunt, ex nihilo*, ut legitur in Vulgata versione, vel οὐκ ἐξ ὄντων, *ex non entibus*, ut habet textus Græcus, 2 *Machab.* VII. 21. licet verba ista, *ex non entibus*, ita accipi possint, ut non significent præcise ipsum nihilum; sed tantum ea, quæ facta sunt, antea non extitisse; quia additur immediate, *& hominum genus*; quod scimus ex nihilo non fuisse factum.

V. Quicquid sit, nulla ratio apparet cur Deo, cujus omnipotentia in Scripturis tantopere celebratur, primæ rerum materiæ creatio adimatur: nam quod nonnulli putant contradictionem implicare, ut aliquid ex nihilo fiat, non est certum. Naturæ quidem vires superat, aliquid sine præexistente materia facere: sed Dei potentiam nostro velle metiri modulo nimis audax & temerarium est. Atqui, inquiunt, omni potentiæ activæ respondere debet passiva in quam agat. Ita est, fateor, in agentibus naturalibus, & virtutis finitæ: sed qui potentia infinita est præditus, ipse sibi objectum præparare potest. Et hæc dicitur à Philosophis potentia obedientialis, seu non repugnantia ad existendum; quæ per certam loquendi figuram tribuitur nihilo, quatenus non repugnat, ut per virtutem infinitam id quod non erat, producatur. Quod si non possimus capere quomodo Deus aliquid ex nihilo faciat, neque etiam facile est captu, quomodo materia ex se ipsa absque causa efficiente existere potuerit. Cum ergo utrobique par sit difficultas, in eam partem, quæ Deo gloriosior sit, inclinare præstat. Nam si materia prima Deo sit coæterna, non aliter ipsius imperio foret subjecta, quam ut res domino carens primi est occupantis; & de illa non posset pro arbitrio disponere; sane non destruere, aut in nihilum redigere, quia esset immutabilis. Alii in speciem materiæ creationem Deo tribuentes, reipsa tamen adimunt, eo, quod infinitam esse existiment. Omne enim creatum est finitum, cum creando finiatur seu determinetur: infinitum vero creari non potest: sed necessario, si quod sit, est æternum.

VI. Mundus sex dierum spatio conditus est à Deo, ut narrat Moses, cui tutius est credere, quam Philoni Judæo, Augustino, & aliis, qui putant in instanti factum, & rusticanæ simplicitatis esse aliter sentire; Mosem vero docendo mundi ædificium sex diebus absolutum fuisse, ad captum mentis humanæ voluisse se accommodare; quia quæ facta erant momento, non poterant in momento explicari. Pro ista sententia affertur locus ubi dicitur, *qui vivit in æternum, creavit omnia simul*, *Eccles.* XVIII. 1. Sed iste liber est Apocryphus, & Mosi θεοπνεύστῳ opponi aut æquiparari non debet: præterea aliter habetur in Græco exemplari: nempe ὁ ζῶν εἰς τὸν αἰῶνα ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ: id est, *communiter*, sive *pariter*, non vero *simul*. Et sensus est, Deum omnia, quæ in orbe sunt, nulla prorsus re excepta, creasse, non minus parva & vilia, quam magna & excellentia: ita ut imperite istud ad spatium temporis, quo creata sunt, trahatur.

VII. Prætexitur etiam Deum omnipotentem tempore non indigere ad opera sua perficienda, ut causæ secundæ; sed omnia in instanti & solu

nutu

nutu facere. Sed etiamsi Deus non indigeat tempore ad opera sua conficienda: tamen nihil impedit, quia liberum est agens, quo minus distinctis temporum momentis illa, si velit, perficiat. Sic autem voluisse Sacra testatur Historia; cui si ejusmodi ratiunculas liceat opponere, nihil in ea certi & cavillo non obnoxium remanebit. Sed quamvis Deus sex dierum spatio, ut narrat Moses, mundi hujus opificium absolverit, credibile tamen est ipsum singula creaturarum genera, seorsim sumpta, momento condidisse, nec totos illos dies à mane ad vesperam, seu integrum diem naturalem 24 horarum in iis faciendis fuisse occupatum. Id enim textus sacer non dicit; nisi forte, ut aliqui sentiunt, Angelorum opera hic usus fuerit, qui finitæ sunt potentiæ, & tempore indigent ad opera sua peragenda. Id autem inde colligi posse videtur, quod Deum omnia jussu creasse, dicendo *fiat*, Moses narret. Cui enim mandasset istud nisi Angelis? & ad quid tantus ministrorum numerus, nisi illos in operibus suis adhibeat?

VIII. Nunc de iis, quæ Deus unoquoque die condidit, sigillatim nobis aliquid est dicendum. Initium fecit à *Luce*, quæ omnium creaturarum est præstantissima, utilissima, & jucundissima, sine qua reliquarum pulchritudo agnosci non posset, imo quæ, si in re tam ardua conjecturis uti licet, proxime ad ipsius naturam accedit, utpote *qui habitet lucem inaccessam*, 1 *Tim*. VI. 16. & mera *lux* sit, *in qua nulla sunt tenebræ*, 1 *Joan*. I. 5. Lux autem hæc non fuit sol, nec ulla ex stellis, ut inde liquet, quod astra quarto demum die creata sunt.

IX. Hic duo objiciuntur à Simplicio Aristotelis commentatore: *Primo*, male dici à Mose tenebras ante creationem lucis fuisse super faciem abyssi, cum tenebræ sint privatio lucis; privatio autem non præcedat habitum, sed sequatur, ut mors vitam, cæcitas visum, surditas auditum. Ad quod respondeo 1. Mosen non esse magis reprehensione dignum Aristotele, quem tanti facit. Is enim privationem, quam inter rerum naturalium principia collocat, forma priorem esse contendit. 2. Tenebræ, quæ initio tegebant faciem abyssi, non fuerunt proprie loquendo privatio lucis, quæ postmodum producta est, sed illius negatio: ut autem non ens, præcedat ens, ordo naturæ requirit. Nec sequitur, si tenebræ, quæ nunc succedunt occasui solis, sint privatio, idem dicendum esse de iis, quæ creationem ejus antecesserunt: non magis sane, quam catulum recens natum esse cæcum, quia si post nonum diem non videat recte cæcus dicatur.

X. *Secundo*. Absurdum esse quod Moses dicit, tres dies antecessisse creationem solis, cum tamen sol sit diei causa, & effectum causa sua prius esse nequeat. Ad quod dico 1. male consequentias necti, ab eo quod nunc secundum ordinarium naturæ cursum fieri videmus, ad modum ortus rerum, cum hæc à se invicem discrepare debeant: quod ostendit nobilis illa quæstio, quæ olim Ethnicorum ingenia adeo torsit, utrum prius fuerit, ovumne, an gallina: Vide Macrobium *Saturnal. cap. ult.* Si enim dixeris ovum fuisse prius, respondebitur nullum ovum reperiri, quod non gallina peperit: si vero asserueris gallinam fuisse priorem, objicietur, nullam esse gallinam nisi ex ovo prognatam. Idemque de aliorum animalium & plantarum generatione dici potest, ut de glande & quercu, de juglande & nuce. Itaque si admittatur aliquod fuisse rerum principium, necessario quoque fatendum est aliter tunc res esse productas, quam nunc producantur. 2. Sol quidem ex quo creatus est unica fuit diei causa. Sed id non obstat, quominus Deus ante ejus creationem aliter terram illuminare potuerit. Si Moses dixisset sine luce abiisse tres dies, merito videretur narratio ejus absurda: sed cum adeo diserte meminerit lucis à Deo creatæ, nullum reprehensioni locum reliquit. Cur autem Deus statim ab initio noluerit creare solem, ut poterat: sed aliud corpus lucidum, causas procul dubio habuit graves; &, si conjecturæ indulgere liceat, putarim id factum, ne sol, quia est pulcherrimus & utilissimus eorum omnium quæ toto orbe conspiciuntur, pro prima rerum causa haberetur, & tanquam Deus coleretur, ut postea factum est, cum memoria creationis inter homines amissa fuit.

XI. Utrum lux primo die creata, substantia fuerit, an vero accidens, parum ad religionem refert scire. Si accidens fuisse cum vulgo statuamus, quærendum erit subjectum cui inhæserit; quod existimant fuisse aquam, quæ informem terræ massam undique operiebat. Atqui lux non potuit diem à nocte discernere, si toti illi aquæ inhæsit; oportebat ergo unam tantum ejus partem illuminari, quæ motu suo lucis & tenebrarum vicissitudinem induceret. Sed verisimilius mihi videtur, lucem illam primo creatam fuisse materiam, ex qua postmodum sol, & reliqua astra sunt facta, sed quæ in tam concinnam figuram nondum esset redacta. Nulla enim causa apparet, cur Deus luce ista primo condita, aliam deinde diversi generis facere voluisset. nec satis magnifice sentire videntur de creatione mundi, qui putant eam initium sumsisse ab aliquo accidente; quod etiam solum & absque inhærentiæ subjecto creari nequit. Deinde lux qua hodie fruimur, sive consideretur in sole tanquam in fonte, & origine unde procedit, sive in radiis, qui ab eo effluunt, non est accidens, sed substantia. De corpore solis res clara est, lux enim illius non est accidens, neque commune, neque proprium. Non commune, quia inde posset abesse absque ejus interitu; neque etiam proprium, quia ab eo saltem cogitatione separari posset, id est, sol concipi absque luce; quod est absurdum. Lux ergo soli est essentialis, sive sol est substantia tota lucida. Radii etiam, qui à sole effluunt, non sunt accidens; nam si essent accidens, haberent aliquod subjectum in quo inhærerent; istud autem non aliud esse posset quam aër: sed si radii solis essent in aëre tanquam in subjecto, eo moto moverentur: illi autem

tem in quolibet aëris motu immoti manent. Idem ergo convenit primæ luci, ut esset substantia, non accidens: sed ista Philosophica potius, quam Theologica, pluribus persequi non est hujus loci.

XII. *Secundo die Deus fecit expansum*: ita enim vertenda est vox Hebræa רקיע à רקע extendit, expandit. Septuaginta Interpretes pro ea vocem στερέωμα usurparunt; quos Latinus imitatus, *Firmamentum* reddidit. Unde nonnulli sumpserunt occasionem existimandi cælos, per expansum à Mose intellectos, solidæ esse substantiæ instar æris, adeoque astra in iis non moveri proprio motu, quemadmodum aves in aëre, & pisces in aqua moventur: sed iis, velut clavos rotæ, esse infixa, & ad cælorum motum duntaxat moveri. Quam opinionem hodie rejiciunt omnes doctiores Astronomi, eo quod non consentiat cum φαινομένοις, sive apparentiis cælestibus. Ex. gr. quod observetur planetas quosdam, ut Martem, uno tempore supra solem esse, altero infra, quod fieri non posset, si singuli propriis & distinctis sphæris essent infixi. Sic enim illas se mutuo penetrare oporteret. Hoc etiam die *Deus divisit aquas quæ sunt supra expansum, ab iis quæ sunt infra expansum*. Ad cujus intelligentiam observandum est, per expansum non significari solum partem illam mundi in qua astra micant, sed etiam totum illud spatium terræ vicinum, quod vocamus aërem: in aëre autem sunt nubes, quæ continent aquam. Nubes igitur sunt aquæ supra expansum à Deo collocatæ; non ullæ aliæ omnibus planetis & stellis fixis altiores. Aquæ vero infra expansum sunt mare, lacus, & flumina: quæ ita distinguuntur loco ab aquis supra expansum, ut tamen materia sint earum; cum nubes formentur ex vaporibus qui ex aquis ascendunt, & in superiore aëris parte condensati aliquandiu detinentur, donec in pluvias resolvantur; ita ut perpetua quasi circulatio fiat inter aquas superiores & inferiores.

XIII. Simplicius objicit, Mosem sibi contradicere, qui cum docuerit Deum primo die creasse cælum & terram, dicat postea expansum secundo die factum; impossibile autem esse, ut una eademque res, tota primo die, & tota secundo fuerit creata. Sed quomodo ad hoc cavillum respondendum sit, liquet ex iis quæ ad libri hujus III. cap. IV. §. I. diximus; Nempe cum Moses dicit, *Gen.* I. I. *Deum ab initio creasse cælum*, intelligi id debere de cælo supremo, quod est ipsius & Angelorum domicilium; vel illis verbis contineri propositionem generalem sive summam eorum, quæ in sequentibus particulatim explicantur. Firmamentum vero, seu potius expansum, quod Deus die secundo fecit, est cælum hoc aspectabile, in quo astra micant. Adeo ut hic omnia inter se optime cohæreant, nec ulla vel minima contradictionis-species sit, quasi unum idemque opus duobus diebus totum tribuatur.

XIV. *Tertio creationis die, Deus aquas, quæ infra expansum sunt, in unum locum congregavit, ut appareret arida*, id est, terra; quæ etiam per loca arida intelligitur, *Matth.* XII. 43. Id autem fieri oportebat, ut terra esset domicilium animantium quæ in aquis vivere nequeunt, & iis alimentum suppeditaret. Eodem etiam die, statim atque terra emersit ab aquis, Deus jussit illam omnis generis plantas producere; videlicet herbas, frutices, & arbores. Mineralium & metallorum, quæ in terræ visceribus occultantur, nulla fit mentio; sed videntur tamen hoc die una cum plantis esse producta.

XV. Simplicius hic duo objicit. *Primum*, quomodo Deus jubere potuerit, ut aquæ, quibus tota terra erat cooperta, in unum confluerent locum; cum si terra tota aquis esset tecta, nullus in ea remansurus fuisset locus, in quem aquæ se reciperent. Sed miror Philosophum subtilem hic impeditum hæsisse, ut non videret quid sibi responderi posset. Etiamsi tota terra aquis esset tecta, non difficile tamen fuit Deo, locum in ea peculiarem assignare aquis, & efficere ut arida extaret; nempe fossas in ea excavando, in quas se reciperent aquæ, quemadmodum hic fit ab iis qui paludes exsiccant, & terram ex fossis eductam in montes attollendo. Vel forte putavit elementa in decupla esse proportione, ita ut decies plus sit aquæ quam terræ, aëris quam aquæ, & ignis quam aëris. Et tunc nullus, fateor, potuisset in terra reperiri sufficiens aquæ continendæ locus. Sed falsum est id quod pro fundamento assumitur. Contra videtur terra non multo minus decuplo aquam mole superare.

XVI. *Secundum*, Plantas ortum suum debere soli; itaque non potuisse tertio die produci, quo nondum erat sol. Sed responsio in promptu hæc est; Plantas quidem nunc ortum suum, incrementum & fertilitatem habere à sole, tanquam à causa secunda, qua Deus utitur ad tales effectus producendum: sed visum ipsi esse alium ordinem ab initio sequi, ut appareret Deum à causis secundis non pendere, sed absque illis, quando libet, operari posse.

XVII. *Quarto die Deus creavit solem & lunam & reliqua astra*; non tantum *ad distinguendum diem à nocte*; sed etiam *ut essent in signa, & tempora, & dies, & annos*; id est, ut essent signa quæ metirentur tempora, seu dies & annos. Cum enim in sole astrorum principe animadvertatur duplex motus; unus diurnus, quem absolvit viginti quatuor horarum spatio; alter periodicus, qui fit 365 diebus; primo metitur dies, secundo annos & eorum tempestates, ver, æstatem, autumnum & hyemem. Cui luna subservit ad dimetiendos menses. Quæ præterea de eorum influentiis quidam dicunt, præsertim quæ hominum mores & actiones regant, ea non solum incerta sunt, sed etiam impia & profana; utpote providentiæ divinæ, & religioni liberæ contraria.

XVIII. Hic Simplicius objicit; Absurdum esse dicere, solem & lunam cum reliquis astris, quæ sunt partes densiores suorum orbium, post cælum fuisse factos, cum totum sine partibus suis non

non possit fieri. Ad quod respondeo, Astra densiores orbium suorum esse partes, privatam esse Aristotelis sententiam ab omnibus nunc doctioribus Astronomis improbatam, qui existimant cælum esse naturæ liquidæ, ad aërem nostrum accedentis: Solem vero & astra quæ lucent in firmamento esse naturæ igneæ, id est, toto genere à cælo diversæ. (De planetis reliquis, præter solem, cujus naturæ sint, nondum satis constat, & à terrea substantia non multum distare videntur.) Quare astra non sunt magis dicenda partes cæli, quam aves sint aëris; quem nemo tam ineptus erit ut putet eum sine avibus produci non potuisse. Præterea demus astra esse partes suorum orbium; non forent tamen partes essentiales, quæ necessario ad totius constitutionem requirantur; sed tantum accessoriæ, quas nihil vetaret opere principali absoluto ornamenti instar esse additas, veluti lampades laquearibus.

XIX. Objicit etiam, solem & lunam male vocari luminaria magna; cum tamen Astronomi validis rationibus demonstrent quasdam stellas multo majores esse luna, ut sunt illæ quæ primæ magnitudinis dicuntur. Respondeo, Etiamsi multæ stellæ luna sint majores, meliori tamen jure hanc luminare magnum à Mose dictam, quam illas; quia majus nobis lumen præbeat. Hic enim non habetur ratio molis corporum istorum in se spectatorum, quatenus alia aliis majora aut minora sunt; sed considerantur, respectu nostri, quatenus nos multum aut parum illuminant. Nullus autem nisi cæcus negaverit lunam nobis majus lumen præbere, quam maximam stellarum, ex. gr. Sirium; sed etiam quam omnes stellas simul junctas.

XX. *Quinto die, Deus creavit pisces & aves.* Ubi observandum, Mosem non dicere aves ex aqua esse factas, quemadmodum Vulgata versio Latina videtur innuere, quæ habet; *Dixit Deus, Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cæli, Gen.* 1. 20. Nam post volatile suppleri debet verbum *volet*; Sic, *& volatile volet super terram, &c.* ita ut hæc verba non pendeant à præcedentibus, *producant aquæ reptile, &c.* Quare Simplicius reprehendit quod non bene intellexit, objiciens absurdum esse, avibus quæ in aëre vivunt aqueam originem assignare. Quanquam, si Moses id dixisset, defendi etiam non incommode posset, ex sententia eorum qui putant, aërem nihil aliud esse nisi aquam attenuatam. Sic enim aves, in quibus aër prædominatur reliquis elementis, originem suam, licet remotiorem, ab aqua haberent. Nec meliori jure carpit, quod pisces dicuntur producti ex aquis, cum omnia corpora mixta composita sint ex quatuor elementis. Merito enim Moses potuit dicere pisces ex aquis esse eductos, quia magnam partem naturæ sunt aqueæ, seu aqua est elementum in iis prædominans: Quo tamen non intendit negare, in iis aliquam esse terræ portionem, & ignis seu caloris; sicut etiam in avibus, præter aërem, est aliquid aquæ & terræ & ignis.

XXI. *Sexto die, Deus creavit animantia terrestria*; interque ea hominem omnium ultimum; de quo in sequentibus seorsim pluribus agemus. Eorum autem materiam Moses facit terram, propter eam quam modo attulimus rationem; nempe quia terra in animantibus terrestribus supra elementa reliqua prædominatur; ita ut istud etiam frustra carpat Simplicius. Cum enim Moses non sibi proposuisset tradere Physicam, sed de ortu rerum ad captum popularem loqui, visum est ipsi sufficere, si materiæ in singulis animantium speciebus prædominantis faceret mentionem. Sed non negavit quod omnibus evidens est, materiæ siccæ, ex qua animantium terrestrium corpora sunt facta, admixtam esse humidam, sine qua partes eorum non possent inter se cohærere. Item esse in illis ignem seu calorem, cum vita omnium animantium in calore consistat. Quod ad numerum autem quaternarium elementorum, nempe ignem, aërem, aquam, & terram, ex quibus Aristoteles & Philosophorum vulgus omnia constare putant, res non est adeo certa, ut tanquam principium immobile debeat Mosi opponi, quo falsi redarguatur ejus narratio, si cum hac opinione conciliari non posset. Sunt enim multi Philosophi, non minus docti, qui alia rerum principia statuunt. Nec ista quatuor sunt simplicissima, sed ex aliis simplicioribus constant, ut Chymici ad oculum ostendunt, qui omnia composita esse volunt ex Sale, Sulphure, & Mercurio. Quæ tamen incertum est etiam, an sint prima omnium principia, cum nequeant corpora integra in illa resolvere, sed aliquid semper ex eorum resolutionibus residuum sit, quod vocant caput mortuum.

XXII. Placuit autem Deo animantia in sexum masculinum & fœmininum distinguere, non quod id omnino necesse foret ad conservandam eorum speciem: (quid ni enim potuisset singulis virtutem communicare producendi sibi simile, absque alterius ope, sicut fecit plantis?) Sed, ut videtur, ad ea quæ sunt ejusdem generis inter se mutuo amore vinciendum, ut præcipue apparet in homine, quem animal sociale Philosophi vocant.

CAPUT VII.

De hominis creatione.

I. *Quid sit quod Deus veluti consultans dixerit, Faciamus hominem.* II. *Hominis corpus ex terra esse desumptum, & quam affabre sit factum.* III. *Cur Deus homines sexu distinxit; & de formatione primæ mulieris.* IV. V. VI. *Historia creationis hominis defenditur adversus Simplicium,* VII. *Hominis animam esse originis divinæ, per inspirationem.* VIII. *Eamque esse spiritualis substantiæ,* IX. *Et immortalem; hoc tamen inde non probari, quod sit actus cogitans,* X. *Sed ex Dei justitia, & revelatione divina.*

I. DEus, post creata à se omnis generis animalia, die quinto & sexto, tandem hominem omnium ultimum fecit, qui reli-

reliquis dominaretur. In ejus creatione ad duo est attendendum, nempe ad præparationem & ad executionem. Præparationem voco, quod Deus, antequam operi isti manum admoveret, quasi consultans dixit, *Faciamus hominem, &c.* quod in aliis operibus non fecerat. Non quod ad hominem producendum majori molimine indiguerit, sed ad ejus præstantiam supra cætera indicandum. Cur autem Deus numero plurali sit usus, disputatur. Quidam putant id factum ad mysterium S. Trinitatis, quod sub Novo Fœdere clarius relaturus erat, innuendum: sed hæc conjectura nihil habet solidi; nec ex plurali isto numero magis colligi potest ternarius, quam quaternarius aut denarius. Alii vero Deum sermonem ad Angelos direxisse volunt, quibus, tanquam ministris, in hoc opere uti proposuerat. Sed quamvis à vero absimile non sit, Deum Angelos ad hominis corpus formandum adhibuisse, tamen non videtur mihi tam longe locutionis istius ratio esse arcessenda, cum alia melior in promtu sit: Nimirum familiare est iis qui authoritate pollent de se in plurali numero loqui, ut plurimis testimoniis probari potest, è quibus duo aut tria illustriora adducemus. Bildad unus ex Jobi amicis, de se solo dicit, *Instruite & postea loquemur; quare reputamur ut jumentum, quare sordemus in oculis vestris*, *Job.* XVIII. 1, 3. Et sponsa de se una dicit sponso, *Trahe me post te, & curremus*, *Cant.* I. 4. Sic Christus Jesus, *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*, *Joan.* III. 11. Item, *Cui assimilabimus regnum Dei, aut cui parabolæ comparabimus illud? Marc.* IV. 30. plura vide apud Buxtorfium *Thesaur. Gram. lib.* II. *cap.* 10.

II. Executio propositi in eo consistit, quod *Deus creavit hominem*, & quidem *marem & fœminam, ad imaginem suam. Corpus viri fecit è terra*, *Gen.* II. 7. ut originis suæ memor, modeste de se sentiret. Sive autem una & communis sit rerum creatarum materia, sive duplex, nempe arida & humida, recte ex terra, tanquam prædominante, dixit Moses hominis corpus formatum esse; non ad excludendum humorem aqueum, qui necessarius erat ad ariditatem terræ conglutinandum ne difflueret. Quin vero duo ista elementa conveniente magnitudine, figura, numero partium, situ, usurpata suffecerint, ad tam affabre elaboratum hominis corpus absolvendum, nemo dubitare potest, qui consideraverit XXIV literas infinitis fere modis in singulis linguis variari posse, ad omnes voces componendas, quibus homines per totum terrarum orbem animi sensus exprimunt. Ex quot autem & quam diversis partibus constet istud corpus, Physici & Anatomici est explicare, non Theologi. Quamquam & hic non exiguam inde utilitatem percipere possit, & ad celebrandam Dei potentiam & sapientiam incitari: inspiciatur inter alia fabrica oculi, auris, manus; & quam convenienter ibi singula ad usum cui inservire debebant sint disposita, & id apparebit. Adeo ut prorsus crassa sit Epicureorum stupiditas, qui ista ad fortuitum atomorum concursum, quam ad Deum referre malunt.

III. Ut autem Deus in omni animantium specie duos sexus esse voluit, masculinum & fœmininum, ita etiam in hominibus. Potuisset quidem, ut plerisque plantarum, dare singulis virtutem, sibi simile in se producendi. Sed consultius judicavit ad mutuum amorem fovendum, cujus singula animalia, & præcipue hominem, capacem fecit, & quo teneri infantes facilius à duobus, quam ab uno educarentur, ut neque mas absque fœmina, neque fœmina absque mari, sobolem procreare posset. Itaque creato homine, Deus de adjungenda ei fœmina vitæ socia & adjutrice cogitavit. Et immisso in eum profundo sopore, detraxit ipsi costam ex qua mulierem formavit, *Gen.* II. 21. &c. Cur autem corporis fœminei materiam Deus ex latere potius quam ex alia parte, ut capite vel pedibus desumere voluerit, hæc probabilis redditur ratio, quia sociam ei destinabat, non dominam; ut videri potuisset, si ex capite originem habuisset; nec ancillam, qualem forte opinatus esset, si ex pedibus processisset.

IV. Simplicius objicit tria adversus historiam creationis hominis. *Primo*, Male dici corpus hominis ex terra esse factum, cum ex quatuor elementis, ut omnia reliqua animalia, plantæ & mineralia, constet. Ad quod jam præcedenti capite respondi, Nondum constare inter Philosophos, an omnia ex quatuor elementis sint composita. Sunt enim qui tria elementa tantum agnoscant, terram, aquam & aërem; sunt qui duo, terram & aquam: sunt etiam qui unum, nempe aquam. Sed dato omnia corpora sublunaria ex quatuor vulgaribus elementis esse composita, id adversus Mosis narrationem nihil faciet. Non enim dicit corpus hominis ex sola terra fuisse compositum: sed simpliciter, è terra, ut ostenderet terram fuisse elementum in eo prædominans. Aquam non negat fuisse adhibitam, quæ requirebatur ad terræ natura sua aridæ, partes inter se connectendum. Eaque manifeste apparet in sanguine & humoribus corporis humani. Neque abnuit, ibi quoque fuisse ignem, seu calidum illud & humidum innatum in quo Medici vitam consistere docent.

V. *Secundo* objicit, formationem mulieris ex costa viri esse ridiculam. Totum enim illius corpus inde non potuisse confici, sed tantum exiguam partem. Deinde aut costam illam in corpore viri fuisse superfluam, & sic non fuisse opus sapienter conformatum, sed monstrosum: aut pertinuisse ad integritatem corporis viri, ideoque post illam exemtam mansisse mutilum & imperfectum. Respondeo, Philosopho arcanorum naturæ perito, non magis miram videri debere, mulieris ex viri costa formationem, quam quotidianam plantarum & animalium ex seminibus exiguis generationem. Sicut enim ex parva glande magna quercus oritur, quæ illic potentia contine-

tinebatur, & ex solo ovi germine pullus: ita corpus fœminæ in viri costa virtute inclusum erat, unde est eductum. Istud tantum fuit discriminis, quod appositio alimenti ad semen, quæ aliqua temporis mora indiget in generatione naturali, hic in momento, potentia Dei supernaturali, peracta est. Nec multum refert, sive dicatur costa illa in corpore viri primo superflua fuisse, sive postquam exemta est, defuisse. Si enim primum allubescat, etsi costa illa superflua fuerit respectu corporis viri, quod ea non indigebat, non tamen superflua fuit respectu usus ad quem destinata erat: non magis quam semen animalis, quod etsi non sit necessarium ad integritatem individui, requiritur tamen ad conservationem speciei. Si secundum malis, quod est magis verisimile, ideo corpus viri, exemta illa costa, non fuit mutilum, quia Deus, ut notat Moses, replevit carnem pro ea; cui talem firmitatem dare potuit, ut costæ usum facile suppleret, & ita viri corpus non minus quam antea perfectum esset.

VI. *Tertio* objicit, si fœmina ex viri substantia fuerit formata, non debuisse ejus esse uxorem: Nam cum nemini fas sit naturaliter ex se genitam in uxorem assumere, ex lege *Lev.* XVIII. ita neque eam quæ ex se supernaturaliter sit producta; cum eadem utrobique militet ratio. Respondeo, tam diversam fuisse istius supernaturalis productionis à generatione naturali rationem, ut nullo modo ab hac ad illam, quod ad matrimonii impedimentum, consequentia trahi possit. Materia quidem in utraque est eadem; sed efficiens & efficiendi modus plane diversus. Adam enim ad Evæ productionem nihil contulit nisi suam costam, quæ ipsi inscio exemta est: Efficientis nullam actionem edidit, nequidem instrumentalem: fuitque in hoc Dei opere subjectum mere passivum. Materiam autem communem solam non sufficere ad conjugium impediendum, inde apparet, quod alioqui nulla liceret hominibus inter se contrahere, utpote *omnibus ex eodem sanguine prognatis*, *Act.* XVII. 26. Cui addi potest, non eandem fuisse nascentis mundi atque adulti conditionem. In illis primordiis quædam fieri debuerunt, quæ multiplicato genere humano honesta non esse omnibus constitit, ut conjugia inter fratres & sorores, quæ initio necessitas excusabat: & licet inter parentes & liberos, ea semper nefaria fuerint; nihil tamen hoc facit ad Adamum & Evam, qui propter causas modo dictas, in patris & filiæ ordine censeri nec possunt nec debent.

VII. Quod ad animam attinet, Moses dicit, Deum formato homine de limo terræ, *inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ, & factum esse hominem in animam viventem*, *Genes.* II. 7. Qua ratione vero Deus fœminæ corpus animaverit, non narrat. Putant vulgo, inspirasse pariter ei in faciem spiraculum vitæ, quemadmodum viro. Sed hoc incertum est, sicut Deus corpus Evæ ex Adami corpore desumsit, ita & animam ex illa quam Adamo inspiraverat, accendere ei potuit. Utcunque hæc res se habeat, anima hominis est originis divinæ, secus quam brutorum. Unde à quibusdam dicitur, *particula auræ divinæ*, *Horat.* 2. *Sat.* 2. Quod non reprehendo, modo bene intelligatur, non quasi à Dei essentia, tanquam ejus pars, avulsa fuisset: sed quod ineffabili quodam modo profluere eam ex se fecerit.

VIII. Anima hominis est spiritus, sicut sunt Angeli; sed non ita purus, nec prorsus incorporeus: nihil enim creatum esse potest plane incorporeum; & omnia quæ nomine spiritus designantur, naturæ sunt corporeæ, ut ventus & spiritus animalis. Materiam tamen animæ subtiliorem esse agnoscimus aëre & igne, cæterisque spiritibus in sensus incurrentibus.

IX. Animam esse incorruptibilem & immortalem, consentiens est fere omnium hominum sententia. An vero id ratione naturali absque revelatione divina probari solide possit, valde dubito. Natura solum hoc docet, non esse necesse ut corpore dissoluto & pereunte anima quoque pereat: Illa enim non est in corpore ut accidens in subjecto, sed tanquam contentum in continente: & loco habitationis suæ destructo, potest in alium migrare. Quod etiam optabat Paulus, dicens, cupiditatem habeo εἰς τὸ ἀναλῦσαι, *ad migrandum, & cum Christo esse*, *Philipp.* I. 23. Nam quod quidam dicunt animam esse actum cogitantem, plane immaterialem, ac proinde dissolutioni non obnoxiam, non videtur mihi sufficere. Non enim constat eam esse plane immaterialem: Nec id sequitur inde quod apprehendimus illam ut actum cogitantem, non ut aliquid extensum, qualis est omnis materia; illud enim fit, quia cogitandi actus est id, quod animam distinguit à reliquis corporibus, tanquam ejus forma; quod tamen non impedit quominus in ea sit aliquid instar materiæ, ac proinde extensum. Sed, absurdum est, inquiunt, vim cogitandi tribuere rei extensæ. Ita quidem, si dicatur ei competere quatenus extensa est. Sic enim nullum corpus ejus esset expers. Sed tamen cogitandi vis potest esse in extenso. Adde quod anima concipitur à nobis non tantum ut res cogitans, sed etiam ut principium & causa quæ motum corpori dat; ad quod extensio aliqua requiritur, cum nervorum capita quæ in cerebro sunt tangere debeat ut moveri possint. Quod si anima nihil aliud est nisi cogitandi actus, desinit esse cum desinit cogitare, ut quando dormimus profunde & nihil somniamus. Dicunt quidem illam etiam tunc cogitare; sed nihil aliud afferunt ad id probandum, quam quod anima sit actus cogitans, quod est principium petere. Præterea cum docent cogitantem hunc actum indigere tali Dei conservatione, quæ sit continua creatio, non possunt esse certi de ejus immortalitate, nisi sciant Deum ita illam conservare velle. Dei autem voluntas à nobis infallibiliter cognosci nequit, nisi eam ipse revelet. Vellem etiam mihi explicarent, quomodo Deus istum actum cogitantem perpetuo creet; & non sit tamen unica omnium ejus actionum, tam malarum quam bonarum, causa: Id

enim inde omnino ſequi videtur. Denique ſi anima eſſet plane immaterialis, & nihil aliud niſi actus cogitans, non poſſet affici à rebus materialibus, & objecta ſenſuum nullam in eam impreſſionem facerent. Ex. gr. cum res viſibilis offert ſe oculo, ſonus auri, id non foret cauſa ut anima judicaret ſe videre, aut ſe audire aliquid, & ſic de aliis. Unde autem iſtud fiat, fatentur ſe ignorare immaterialitatis animæ aſſertores. Cum ergo in ipſorum ſententia aliquid ſit explicatu impoſſibile, in fumum abeunt ea quæ de ſuis demonſtrationibus jactant: aliudque præter immaterialitatem quærendum eſt immortalitatis animæ fundamentum.

X. Solidior longe eſt ratio, non phyſica quidem & intrinſeca, ſed moralis, à juſtitia Dei deſumta; nempe ideo animas oportere corporibus eſſe ſuperſtites, ut Deus poſſit iis ſecundum opera, ſive bonum, ſive malum retribuere; quod in hoc ſæculo non facit, ubi ſæpe probi ab improbis opprimuntur. Præſertim ſi addantur illi expreſſa Scripturæ teſtimonia: ut, *Pulvis revertitur in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redit ad Deum, qui dedit illum*, *Eccleſ.* XII. 7. Item, *Homines occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*, *Matth.* X. 28. Et id requirit reſurrectio mortuorum, cujus fides vacillaret, niſi animæ corporibus eſſent ſuperſtites. Unde Dominus Jeſus eodem teſtimonio utrumque probat adverſus Sadducæos, qui animarum immortalitatem & reſurrectionem mortuorum pariter negabant. Nempe, Deus Moſi è rubo dicit, *Ego ſum Deus Abrahami, Deus Iſaaci & Deus Jacobi. Non eſt autem Deus mortuorum, ſed vivorum. Ergo illi vivunt Deo, & aliquando reſurgent*, *Exod.* III. 6. *Matth.* XXII. 32. *Luc.* XX. 37, 38.

CAPUT VIII.

De Imagine Dei, ad quam homo eſt creatus.

I. Homini competere intellectum, voluntatem, memoriam, & affectus. II. *Sed præcipue à Moſe eſſe obſervatum, quod homo ſit ad Dei imaginem creatus.* III. *Hanc præcipue conſiſtere in dominio in cætera omnia creata.* IV. V. *Ratione & corpore hominem cætera animantia ſuperare, & illis dominium ſuum in ea exercere.* VI. *Non conſtitiſſe illam Dei imaginem in juſtitia originali.* VII. *Nec ſatis conſtare quid illa juſtitia fuerit.* VIII. *Quis ſit Paulo, novus homo ſecundum Deum creatus in juſtitia.* IX. *Nec ex eo, quod Deus ſit juſtus, ſequi, imaginem, ad quam homo conditus eſt, talem eſſe debuiſſe.* X. *Nec ex eo etiam, quod omnia quæ Deus fecit fuerint valde bona.* XI. *Aut quod Salomon dicat, Deum hominem rectum feciſſe.* XII. *Nec illam Dei imaginem in homine in immortalitate conſtitiſſe.* XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. *Septem rationibus probatur hominem non fuiſſe immortalem creatum.* XX. *Ex mortis comminatione neutiquam evinci, hominem ante lapſum fuiſſe immortalem.* XXI. *Aut ex verbis Apoſtoli, Rom.* V. 12. *&* VI. 23.

I. EX eo, quod homo cum anima rationali eſt creatus, duæ principes facultates ei competunt; videlicet *Intellectus* & *Voluntas*. Quæ vulgo quidem animæ tribuuntur, quia immediatum illarum eſt ſubjectum: ſed melius de toto homine, qui anima & corpore conſtat, dicuntur. Anima enim intelligendi & volendi actus naturaliter non exercet, niſi per organa corporea, quale eſt cerebrum & ſpiritus qui in eo continentur, & inde ſe per totum corpus diffundunt: ut illud oſtendit, quod cerebro læſo iſtæ quoque facultates læduntur, aut minus commode exercentur. *Intellectus* eſt princeps hominis facultas, qua percipit res ſibi à ſenſibus objectas, vel ex iis occaſionem ſumit de aliis quæ ſub ſenſus non cadunt cogitandi, & utrum ſint veræ aut falſæ, bonæ aut malæ dijudicat. *Voluntas* eſt altera princeps facultas, qua homo res perceptas & dijudicatas libere eligit aut repudiat. Sed quia hæ duæ facultates non ſufficerent homini ad vivendum ſecundum rationem, niſi poſſet conſervare ea, quæ aliquando cogitavit, addidit Deus tertiam, ut id præſtaret, quæ vocatur *Memoria*. Cum qua cognationem habet *Reminiſcentia*, cujus ope ea, quæ è memoria videbantur deleta eſſe, revocantur. Sunt præterea in homine *Affectus*, id eſt, animæ & corporis motus, ab objecto bono ad illud conſequendum, vel à malo ad illud effugiendum, excitati: quales ſunt Amor, Odium, & multi ſimiles.

II. Sed de his omnibus nulla fit mentio in hiſtoria creationis. Moſes enim, qui nolebat Phyſicum agere, ea ut vulgo nota præteriit: ſolum obſervans id quod non erat obvium; *hominem factum fuiſſe in imagine & ad ſimilitudinem Dei.* Ubi non puto curioſe indagandum eſſe diſcrimen, quod eſt inter *Imaginem*, Hebr. צלם & *Similitudinem*, Hebr. דמות. Sunt enim voces iſtæ cognatæ admodum ſignificationis, & pro æquipollentibus hic videntur accipi, atque indicare hominem reſpectu eximiæ alicujus proprietatis Deo ſimilem fuiſſe. Corpoream vero imaginem ſeu ſimilitudinem hic non deſignari, conſtare poteſt ex iis, quæ ſupra de Dei ſpiritualitate ſeu incorporeitate diximus. Ergo oportet ut fuerit alterius naturæ: de qua tamen non convenit inter Theologos.

III. Nos exiſtimamus eam poſitam eſſe in dominio, quod Deus homini dedit in omnia illa, quæ orbe terrarum continentur. Idque inde colligimus, quod Deus hominem conditurus dixit; *Faciamus hominem in imagine noſtra, ad ſimilitudinem noſtram. Et dominetur piſcibus maris, & volucribus cæli, atque jumentis, & toti terræ, omnique reptili reptanti ſuper terram.* Poſtrema enim hæc verba, *& dominetur, &c.* exegeſeos cauſa Deus videtur præcedentibus addidiſſe, ad ſignificandum qua in re conſtitura eſſet imago & ſimilitudo illa ſui ad quam hominem condere decreverat. Ideo ſtatim atque creatus fuit Adam, reliqua animalia, Deo ita dirigente, ad eum tanquam dominum acceſſerunt, ut ſua ab eo nomina acciperent, & illis dominari hoc actu inciperet, *Geneſ.* II. 19. Nec parum ad iſtam rem confirmandam facit, quod Paulus de viri in uxorem imperio agens dicit; *Vir eſt*

est imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri, 1 *Cor*. XI. 7. Sicut enim vir & fœmina simul respectu dominii, quod habent in reliquas animantes, recte ad imaginem Dei facti esse dicuntur; ita vir ratione dominii & auctoritatis, quam Deus ipsi ut præstantiori concessit in uxorem, peculiariter vocatur imago Dei: licet aliquando fœminæ variis tam animi quam corporis dotibus viros antecellant.

IV. Quia autem beneficio præcipue rationis homo ad dominium istud exercendum aptus est, ideo etiam ratio ad imaginis divinæ, secundum quam factus est, constitutionem pertinet; imo illius est fundamentum. Etsi enim homo viribus & agilitate multis animantium speciebus sit impar, nullum est tamen quod rationis ope sibi subjicere non possit. Tauris, equis, leonibus, elephantibus, cetis, robur; volucribus alarum pernicitas; piscibus aquarum profunditas, nihil prosunt ad se hominis dominio subducendum. Arte & industria facile omnes superat. Nec tantum istud; sed etiam solem & lunam, longe supra se positos, usibus suis servire cogit, lumen eorum, prout libet, modo recipiendo, modo excludendo, & id tum ad juvandum, tum ad nocendum, varie adhibendo. Quod Dei erga hominem beneficium regius Psaltes celebrat *Psalmo* VIII.

V. Corporis quoque forma externa, ut vultus ad cælum erectus, & manus tot egregiorum operum organon; sed præcipue loquendi facultas, qua ab aliis instituitur, & ipsos vicissim instituit, non parum hominem in imperio super reliqua animantia adjuvat: ita ut corpus accessorium quoddam imaginis divinæ, ad quam conditus est, dici queat, quatenus animæ ad actiones suas obeundas est instrumentum.

VI. Alii vero, licet hæc concedant, nolunt tamen in iis imaginem Dei præcipue consistere; sed in sapientia, justitia & sanctitate originaria, qua homo præditus erat ante lapsum; & in immortalitate, quæ justitiæ & sanctitatis individua comes futura erat, si in ea perstitisset. Sed imaginem divinam non consistere in justitia & sanctitate originali inde evincitur, quod postquam homo illas amisit, ad imaginem tamen Dei conditus fuisse dicatur. *Quicunque* (inquit Deus ad Noachum) *effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo*, *Genes*. IX. 6. *Lingua benedicimus Deum & Patrem, & lingua maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt*, *Jac*. III. 9.

VII. Deinde quid illa originalis justitia fuerit, non satis constat. Collocatur quidem vulgo in clara divinarum rerum cognitione, & in perfecta voluntatis & affectuum sanctitate. Sed istud non convenit cum eo, quod statim atque homo tentatus est à Diabolo in peccatum incidit. Nam ejusmodi justitia, si illa præditus fuisset, peccatum impedivisset; quod aut ab ignorantia intellectus, aut à perversitate voluntatis & affectuum, aut ab utroque proficisci oportuit. Ex qua difficultate ut se expediant nonnulli, dicunt, Deum eo momento quo Satan hominem ad peccandum tentavit, hæc dona ab eo subtraxisse, eumque sibi ipsi reliquisse, ut labendo agnosceret quam infirmus esset. Sed cum hoc modo Deus peccati auctor constituatur, nisi dicatur Deus sufficientia dona reliquisse homini ad sibi temperandum à peccato, id nodum non solvit, sed potius adstringit.

VIII. Objiciunt 1. Paulum docere, imaginem Dei, ad quam homo conditus est, in justitia & cognitione veritatis constitisse. Adhortatur enim Christianos, *ut induant novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*, *Ephes*. IV. 24. Et *ut induant novum hominem, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum*, *Coloss*. III. 10. Respondeo, duplicis in Scriptura creationis mentionem fieri, veteris & novæ. De illa videre est passim: de hac agitur 2 *Cor*. V. 17. *Ephes*. II. 10. & III. 9. *Jac*. I. 18. similiter in locis allegatis ex *Ephes*. IV. & *Coloss*. III. ut apparet ex eo, quod Apostolus vult nos *induere novum hominem*. Per novum autem hominem nusquam in Novo Testamento intelligitur Adam; sed nova vivendi ratio, *Ephes*. II. 15. ut hic videtur accipiendum, propter oppositionem, quæ est inter novum hominem & veterem, id est, inveteratam peccandi consuetudinem. Quod si per *veterem hominem* cum nonnullis intelligere malimus Adamum, oportet nos illum exuere, ut postea novum hominem, Christum, induamus. Nullibi enim Adamum induere jubemur, sed solum Jesum Christum, *Rom*. XIII. 14. Novus autem iste homo, seu reformatus, & regeneratus, à Deo per Christum creatur verbo Euangelii, quod est *semen incorruptibile, per quod regeneramur*, 1 *Pet*. I. 23.

IX. Afferunt 2. Deum esse justum & sanctum: ergo hominem, ad imaginem ejus conditum, talem quoque esse debuisse. Respondeo, ex eo quod homo ad imaginem Dei factus est, id nullo modo sequi. Alioqui oportuisset ipsum omnium Dei proprietatum, ut omnipotentiæ, omniscientiæ, & similium, esse participem; non solum justitiæ & sanctitatis, atque immortalitatis. Sufficit si particeps fuerit alicujus eximiæ, quale ostendimus fuisse dominium in reliquas creaturas. Sane non ita justus & sanctus fuit, ut peccare non posset, sicut Deus; neque ita immortalis, ut mori non posset, sicut Deus.

X. Objiciunt 3. *Omnia quæ fecit Deus fuisse valde bona*, *Gen*. I. 31. Hominem autem bonum non futurum, nisi justitia & sanctitate præditus fuisset. Respondeo, Bonitas quæ in omnibus Dei operibus conspiciendam se præbuit, non fuit omnimoda perfectio; sed talis tantum, qualem Deus judicabat aptam ad finem propter quem omnia creabat consequendum. Ut in plantis non est perfectio brutorum, nec in brutis animantibus perfectio hominis; ita neque requirebatur ut in homine esset perfectio angelica, nedum divina: imo neque brutorum, quorum aliqua hominibus robore, agili-

agilitate, & sensuum acrimonia antecellunt. Quod si ratio ista valeret aliquid, non homo tantum, sed etiam reliquæ omnes creaturæ, quæ, nulla excepta, bonæ fuisse dicuntur, justitia & sanctitate essent donatæ: id autem absurdum esse nemo est qui non agnoscat.

XI. Afferunt 4. Salomonem dicere; *Hoc inveni, quod Deus fecit hominem rectum, & ipsi invenerunt multas cogitationes*, *Eccles.* VII. 30. Respondeo, rectitudo illa cum qua Salomon hominem conditum esse docet, fuit perfectio naturalis, non moralis; & significat tantum, nihil defuisse ipsi quod ad Deum colendum, & beatitudinem status sui conservandam, majoremque adhuc obtinendam requireretur; non vero omnium virtutum habitus homini fuisse infusos. Illos enim recte secundum Dei voluntatem vivendo comparare sibi debebat; frustraque Deus, ut mandatis suis obediret sub mortis pœna præcepisset, si obedientiæ virtutem ita ipsi infudisset.

XII. Neque etiam imago Dei, ad quam homo conditus est, in *Immortalitate* consistit. Eam enim ante lapsum Adamus non habuit. Anima quidem ipsius non fuit morti obnoxia, ut antea diximus; sed propterea homo non fuit immortalis. Mors enim est compositi dissolutio; non partium omnium ex quibus constat corruptio. Ut patet ex eo, quod partes quædam solidiores mortui corporis, qualia sunt ossa, diutissime manent incorruptæ. Fateor etiam, hominem non fuisse moriturum, si non peccasset. Necessitas enim moriendi, solum est introducta per peccatum, *Genes.* II. 17. *Rom.* V. 12. Et arboris vitæ usus serviisset ad eum à morte immunem præstandum, quamdiu Deo visum esset ipsum supra terram relinquere. Nam hæc arbor videtur habuisse vim à morbis præservandi, & calidum innatum, quod perpetuo dissipatur, restaurandi. Quod ad casus vero externos, qui vitam homini eripere possunt, præterquam quod ipse prudentia sibi cavere debuisset, Deus in impræviſis providentia eum sua conservasset.

XIII. Sed tamen homo revera fuit mortalis, ut sequentibus argumentis probatur. 1. Quia si in homine non fuisset potentia passiva ad moriendum, mori non potuisset, etiam post peccatum, nisi natura ejus à Deo mutata esset. At mutata non fuit; sed tantum sibi ipsi relicta, ut apparet ex eo, quod Deus ipsi dixit; *pulvis es, & in pulverem reverteris*, *Gen.* III. 19.

XIV. 2. Corpus hominis ex terra, in carnem & sanguinem conversa, factum fuit. At terrena omnia morti sunt obnoxia: & caro & sanguis adeo sunt corruptibilia, ut his vocibus fragilitas humana in sacris Literis designari soleat, *Deut.* V. 26. *Esa.* XL. 6. *Matth.* XVI. 17. *Gal.* I. 17. 1 *Cor.* XV. 50. Unde Paulus statum hujus mortalis vitæ opponens glorioso, qui resurrectionem secuturus est, dicit; *Quemadmodum portavimus imaginem primi hominis terreni, ita & portabimus secundi, qui est cælestis*, 1 *Cor.* XV. 49. Innuens à primo, qualis creatus est, provenire mortem, à secundo vero immortalitatem.

XV. 3. Corpus animale est morti obnoxium. At primus homo in creatione accepit corpus animale, ut Paulus docet; *Factus est primus homo Adam in animam viventem*, 1 *Cor.* XV. 45. id est, accepit corpus animale; ut liquet ex verbis antecedentibus; *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale*: & ex sequentibus, *Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, &c.* Animale autem corpus morti esse obnoxium ostendunt quæ ei tribuuntur, videlicet, *Seminatur in corruptione, in ignobilitate, in infirmitate.* ubi illud quidem verbum *seminatur*, refertur ad corporum nostrorum ortum per generationem carnalem: sed tamen ex lege naturæ perpetua, quæ ante peccati ingressum in mundum locum habuit; ut ostendunt verba modo citata; *Factus est primus homo in animam viventem, &c.* nempe cum à Deo crearetur. Adamum autem in animam viventem esse factum, nihil aliud est, nisi ipsum esse factum animal vivens, in quo anima à Deo infusa perpetuo habitare non poterat, & alimentis quotidie, veluti lampas oleo, indigebat. Cum ex opposito, ut Paulus illic addit, *Christus novissimus Adam* (cui nos olim similes erimus) *factus sit in spiritum vivificantem*, id est, substantia sit spiritualis, vitæ æternum duraturæ fontem in seipsa, absque ullius externæ rei auxilio habens.

XVI. 4. Adam ante lapsum opus habebat cibo & potu ad vitam sustentandam, *Gen.* I. 29, 31. & II. 15, 16. Immortales vero illis non indigent; *Nam esca ventri, & venter escis*, (supple destinatus est) *Deus autem & hunc & has destruet*, 1 *Cor.* VI. v. 13. nempe in morte, & quidem in perpetuum. Postquam enim resurrexerimus ex mortuis, & corpore spirituali, quod non constabit carne & sanguine, donati fuerimus, nullus erit amplius cibi & potus usus.

XVII. 5. Corpus hominis recens creati erat vulnerabile, poteratque igne comburi, aqua suffocari, ruina ædificii opprimi, & aliis multis modis occidi, ut quotidie fieri videmus. Etsi enim Deus paterna sua cura ipsum ab ejusmodi casibus immunem præstiturus esset, si in integritate perseverasset; id tamen non impedit, quin natura illis obnoxius esset.

XVIII. 6. Id ipsum quoque ostendit sobolis procreatio, quæ in statu innocentiæ locum habitura erat. Recens enim creatis Adamo & Evæ Deus dixit, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, *Gen.* I. 28. Procreatio autem sobolis idcirco à Deo est instituta, ut individuis pereuntibus, species, quamdiu sæculum hoc durabit, conservarentur. Et istam ob causam, *qui futuri sæculi & resurrectionis ex mortuis erunt participes, neque nubent, neque ducent uxores, quia non poterunt amplius mori, & Angelis æquales erunt*, ut docet Servator *Luc.* XX. 35, 36.

XIX. 7. Denique, si mortalitas hominis esset à peccato, quod Diaboli suggestione ingressum est in mundum *Filius Dei, qui apparuit ut destrueret opera Diaboli*, 1 *Joan.* III. 8. eam abolevisset;

ſet; Sed id non fecit. Fideles enim & qui beatæ immortalitatis olim erunt participes, moriuntur quoque ut cæteri homines: quod argumento eſt, mortalitatem non à peccato, ſed à natura procedere: etſi libenter fatear, mortem in illum qui peccati omnino foret expers (ſi quis talis in hoc ſæculo inveniretur) nullum imperium habituram.

XX. Objicitur 1. Deum dixiſſe Adamo, *in quocunque die comederis ex ligno ſcientiæ boni & mali, morte morieris*, *Geneſ.* II. 17. Ergo ipſum natura mortalem non fuiſſe. Reſpondeo, iſtud non ſequi, ut inde apparet, quod leges hodie facinorofis mortem minitentur, qui non ſolum mortales ſunt, ſed etiam morti neceſſariæ obnoxii. Neque enim ſimpliciter Deus Adamo mortalitatem comminatur, ſed mortem violentam, & ante tempus, nempe ea iſta die qua mandatum quod ipſi dabat tranſgrederetur. Cui non obſtat, quod centenos aliquot annos vixerit adhuc poſt peccatum; Id enim factum eſt ex ſingulari Dei miſericordia, de legis ſuæ rigore relaxantis, aut propter Adami pœnitentiam, (de qua tamen, licet pie credatur, nihil ſcriptum extat) aut potius in gratiam generis humani, quod ex ipſo propagari volebat.

XXI. Objicitur 2. Apoſtolum dicere, *per unum hominem peccatum ingreſſum eſſe in mundum, & per peccatum mortem, & ſic mortem in omnes pervaſiſſe, eo quod omnes peccaverunt*, *Rom.* V. 12. item, *mortem eſſe peccati ſtipendium, Rom.* VI. 23. Reſpondeo, non idem eſſe mortem & mortalitatem, nec ex hac illam neceſſario ſequi: Deus enim illum qui natura eſt talis, per gratiam à morte immunem præſtare poteſt: Quod etiam facturus fuiſſe exiſtimatur, niſi homo inobedientia ſe hoc Dei beneficio indignum reddidiſſet. In locis autem allegatis non agitur de mortalitate, ſed de morte neceſſaria & inevitabili, quam à peccato ortam eſſe conſtat.

CAPUT IX.

De Providentia Dei in genere, & ſpeciatim circa creaturas ratione deſtitutas.

I. *Providentiam hic conſiderari non ut decretum, ſed ut actus.* II. *Creatione poſita, Providentiam etiam neceſſario poni.* III. *Eam ſe ad individua extendere.* IV. *Epicureos Providentiam negantes, Deum etiam negare.* V. *Scripturas amplum teſtimonium Providentiæ reddere.* VI. *Cælum & aſtra eſſe Providentiæ objecta*, VII. *Nec non aërem*, VIII. *Terram & aquas, una cum creaturis quæ in illis ſunt.* IX. *Deum omnia Providentia ſua conſervare.* X. *Conſervationem eſſe actum negativum*, XI. *Non vero poſitivum, quo Deus ad ſingula momenta in creaturas influat.* XII. *Deum omnia Providentia ſua gubernare, tam inanimata*, XIII. *quam animata.* XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. *Modi quinque quibus Providentia exercetur; Deo ſoli competere potentiam miracula per ſe faciendi; Eam tamen creaturis quandoque communicari.*

I. CReationem Univerſi excipit *Providentia*, alterum nobiliſſimum Dei opus, quo rerum omnium à ſe conditarum curam gerit. Ea duobus modis conſiderari ſolet, nempe tum qua decretum eſt, tum qua actus. Sed quia in Providentiæ divinæ decreto nihil occurrit ſpeciale præter ea quæ de Dei decretis antea in genere dicta ſunt, nobis poſteriore hoc modo præcipue de illa agere, ſicut & Scriptura facit, viſum fuit.

II. De ea duo quæruntur, *An ſit*, & *quid ſit*. Providentiam divinam eſſe evincitur manifeſte ex creatione. Ideoque nullus unquam inventus eſt qui mundum à Deo conditum fuiſſe agnoſceret, & de Providentia, qua gubernat eum, dubitaret. Cum ergo ſupra irrefragabilibus argumentis antecedens demonſtraverimus, conſequens firmum maneat oportet. Ratio conſequentiæ hæc eſt. Quia omnes opifices opera ſua diligunt, & de iis conſervandis ſolliciti eſſe ſolent. Nullum animal perfectum, ſive ex avium, ſive ex quadrupedum genere (ne jam de hominibus loquar) conſpicitur in hoc Univerſo, quod ſuorum fœtuum curam non habeat, adeo ut non tantum iis de victu neceſſario proſpiciant, ſed etiam ad eos conſervandum ſe in mortis periculum conjiciant. Et quo major eſt animantium cognitio, eo perfectius ſuis cavere ſolent. Unde vero tanta ſollicitudo, niſi quod ab Auctore naturæ ipſis fuit indita? Quomodo ergo illa carere ipſe poſſet?

III. Idem quoque colligitur ex divinæ naturæ proprietatibus, quales ſunt imprimis omniſcientia, omnipotentia, bonitas, juſtitia: quas nullus ex animo agnoſcere poteſt, quin ſimul providentiam Dei confiteatur. Iſtud videre eſt in Ariſtotele & Peripateticis, qui etſi mundi creationem negarint, tamen Deo omnem circa illum curam adimere non ſunt auſi, quod eam cum iſtis proprietatibus indivulſo nexu conjunctam eſſe animadverterent. Verum quidem eſt ipſos admodum imperfectam Deo providentiam tribuiſſe, nempe quæ ad ſublunaria, niſi quod ad ſpecies, ſe non extenderet. Sed iſtud inde manavit, quod etiam admodum exiguam & mancam illarum Dei proprietatum cognitionem haberent. Quam turpiter autem hallucinati ſint, inde patet, quod cum ſpecies nullæ ſint, ac proinde nec cognoſci, nec curari poſſint, extra individua, Deo individuorum cognitio & cura adimi nequeat, quin ſpecierum ipſi quoque adimatur. Sed individua, inquiunt, infinita ſunt, infiniti autem nulla datur cognitio. Reſpondeo, falſum eſt individua eſſe infinita. Nobis quidem ita videtur, & populari quadam loquendi ratione dici poteſt, ſed revera non ſunt. Ita quamvis numerus arenæ maris videatur infinitus eſſe, non eſt tamen; ut apparet ex eo, quod locus, ubi continetur, finitus ſit: finitum autem, infinitum non poteſt capere. Dicere ergo ſingularia propter ejuſmodi improprie dictam infinitatem non poſſe à Deo comprehendi, eſt ejus intellectum noſtri modulo metiri. Quod non minus eſt abſurdum, quam ſi quis ita argumentaretur: Formicæ ignorant rationem conſtruendi palatia regalia, ergo etiam periti architecti. Nec etiamſi mundus fuiſſet

ſet ab æterno (quod tamen nequaquam eſt concedendum) idcirco corruptibilium ſpecierum individua uno tempore forent infinita, & incomprehenſibilia, præſertim Deo ipſorum auctori à quo in ſuo eſſe dependent: imo neque illa quæ ab æterno extitiſſent, numero infinita eſſent; nullus enim numerus actu eſt infinitus, cum ſemper augeri poſſit, quod ab infiniti natura abhorret. Omniſcientia ergo & omnipotentia non poteſt Deo ab æterno tribui, quin ſimul ejus providentia circa omnia, præſertim hominum individua, agnoſcatur. Et Deus iſtis proprietatibus exui nequit quin Deus eſſe deſinat.

IV. Quare Epicurei, qui nullam providentiam agnoſcunt, Deum etiam ex mundo tollere cenſendi ſunt. Nam Deum fingere otioſum, idem plane eſt, atque ipſum abnegare, aut ſaltem univerſi dominium ipſi adimere. Et cum ſenſibus noſtris, à quibus eſt remotus, imperceptibilis ſit, niſi ex effectis colligamus ipſum eſſe, nulla nobis ſupereſt ratio aut via, qua ad ejus cognitionem perveniamus. Quod igitur iſti homines verbis Deos eſſe conceſſerunt, id videntur potius feciſſe ad nominis Atheorum infamiam vitandum, quam quod revera & ex animo ita ſentirent. Saltem nullam habuerunt alicujus momenti cauſam, cur eos exiſtere crederent. Prætexuerunt providentiam non poſſe conſiſtere cum Dei beatitudine, eamque tot rerum quæ in mundo ſunt & quolibet momento fiunt cura turbatum iri. Ita eſt, ſi Deus homines mortales ſapientia & potentia non longe antecelleret. Sed quam indignum ſit ipſum nobis ſimilem fingere, ii facile vident, qui non plane deſipiunt. Deus enim non foret ens perfectiſſimum, & omnis defectus expers, ſi fatigari poſſet; cum fatigari ſit corrumpi, aut ad corruptionem tendere, quod in immortalem non cadit.

V. Longe plura divinæ providentiæ argumenta Scriptura S. nobis ſuppeditat, quæ in ejus explicatione, ad quam nunc accedimus, ſe prodent. Ea definiri poteſt, *Continua & potens Dei inſpectio, qua univerſum mundum, & ſingula quæ in eo ſunt, præſertim homines, ſapientia ſua decenter, & uniuſcujuſque naturæ atque ſtatui convenienter, curat & regit, ad ipſorum bonum, & nominis ſui gloriam.* Sed ad melius naturam ejus intelligendam, ad tria attendere oportet, nempe, *Objecta* circa quæ verſatur, *Actiones* in quibus occupatur, & *Modos* ſecundum quos exercetur. De quibus tantum generatim hic agemus; ſpecialem tractationem ſecundum diverſos hominis ſtatus ſequentibus capitibus reſervantes.

VI. *Objecta* circa quæ providentia Dei verſatur ſunt Univerſum, & omnia illo comprehenſa, à maximis ad minima, nullo plane excepto. De Angelis omnium Dei creaturarum præſtantiſſimis jam ante diximus. De corporibus cæleſtibus, ſole, luna, & aliis, teſtatur ordinatiſſimus eorum curſus, ab initio mundi ad hæc uſque tempora nunquam interruptus, niſi cum Deus ad Joſuæ preces illum uno die remoratus eſt, & ad preces Ezechiæ ſolem decem gradibus retrocedere juſſit. Quod etiam iſti de quo agimus Dei regimini fidem facit, cum non temere, ſed graves ob cauſas id Deus fieri voluerit. Neque exiguum eſt providentiæ Dei ſignum quod ſol & luna cæterique planetæ recto curſu in Æquinoctiali non ferantur, ſed obliquo per Zodiacum, quod neceſſe erat ut ſuæ lucis & caloris omnes terræ incolas per vices facere participes poſſent, & annos in varias tempeſtates veris, æſtatis, autumni & hyemis diſtinguere. Cum enim ſponte, aut proprii commodi cauſa, hunc curſum non ſervent, apparet à ſapientiſſimo aliquo gubernatore in terræ, plantarum & animantium bonum dirigi. Quare Propheta regius non immerito dicit *Pſal.* XIX. *Cæli enarrant gloriam Dei, &c.* & CIV. qui totus nihil aliud eſt niſi providentiæ Dei encomium, *fecit lunam in tempora: ſol agnovit occaſum ſuum, verſu* 19. & CXXXVI. 7, 8, 9. hortatur ad celebrandum Deum propter cælum, ſolem, lunam, & ſtellas. Cui ſuccinit Dominus Jeſus dicens, *Deum facere ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, Matth.* V. v. 45.

VII. Quod ſi à cælo in aërem & terram deſcendamus, Deus celebratur *Pſalm.* CXLVII. 8. *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam*, & LXV. 10. *Ipſe viſitat terram, & inebriat eam*, id eſt, pluviis irrigat. Unde Deus dicitur aperire cælum, cum pluvias immittit, & claudere, cum eas retinet. Cujus rei exemplum inſigne præbent Eliæ tempora, 1 *Reg.* XVII. & XVIII. Et in lege promittit Iſraëlitis, ſi mandatis ſuis obedierint, *ſe terræ pluviam temporaneam & ſerotinam daturum, Deut.* XI. 13, *&c.* & apud *Hoſeam* II. 21, 22. *Et erit in die illa, exaudiam cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum & vinum & oleum, & hæc exaudient Jeſrahel.* Item, *Deus dat nivem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit, &c. Pſalm* CXLVII. 16. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, faciunt verbum ejus, Pſalm.* CXLVIII. v. 8. Denique Chriſtus aſſerit, *Deum pluere ſuper juſtos & injuſtos, Matth.* V. 45.

VIII. In terra & aquis nihil eſt adeo vile & contemptum quod Dei curam fugiat. Nam *lilia & fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, adeo ſplendide veſtit, ut Salomon cum omni gloria ſua non fuerit coopertus, ſicut unum ex illis, Matth.* VI. 28. *&c.* Quid dicam de animantibus? Nullum eſt eorum, cui Deus de neceſſariis abunde non proſpiciat. *Volatilia cæli non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater noſter cæleſtis paſcit illa, Matth.* VI. 26. *Pullis corvorum invocantibus ipſum dat eſcam, Pſalm.* CXLVII. 9. *Paſſer non cadit in terram abſque ejus voluntate, Matth.* X. 29. Denique quam curam Deus gerat de jumentis & cæteris animalibus quibuſcunque, oſtendit *Pſalm.* CIV. & CXLVII. & XXXVI. 7. ubi Deus dicitur *ſervare homines & jumenta.* Sed ante omnia audiatur Deus ipſe providentiam ſuam erga univerſum mundum & ſingula, quæ in eo ſunt, animan-

nimantia magnifice prædicans apud *Jobum capp.* XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. Item Elihu, ejusdem libri *cap.* XXXVI. XXXVII. Cum autem Deus cæteris omnibus, tum viventibus, tum vitæ expertibus, in gratiam hominis prospiciat, apparet, quanto majori curæ ei homo sit. Quod ex infra dicendis clarius adhuc elucescet, adeo ut superfluum esset jam in eo immorari.

IX. Duæ providentiæ Dei sunt *Actiones* generales, nempe *Conservatio* & *Gubernatio*, quibus circa omnes creaturas versatur: licet gubernatio ad eas quæ intelligendi facultate sunt præditæ magis proprie quam ad alias respiciat. Conservatio est, qua Deus essentiam & vires, quam singulis creaturis in earum productione dedit, in suo statu per spatium temporis quod ipsi libet tuetur. Ea est vel individuorum, vel specierum. Conservatio individuorum est, qua Deus facit ut quædam individua, exempli gratia, astra, mare, terra, in suo esse ab initio mundi usque ad finem permaneant: quædam ad exiguum tantum tempus, sive longius, sive brevius, ut animalia & plantas. Conservatio specierum est, qua Deus efficit, ut pereuntibus individuis animalium & plantarum, alia similia succedant, ne unquam intereant species.

X. De utraque disputatur, an sit actus negativus, an positivus. Per actum vero negativum non debet hic intelligi mera ab omni actione cessatio. Sic enim omnia, quæ creaturæ alicui suum esse non eripiunt, eam conservare dici possent. Quod isto sensu Deo tribuere, nemo unquam somniavit. Sed tria præterea eorsum requiruntur: 1. Voluntas alteri suum esse non adimendi. 2. Cura ne ab alio quocunque adimatur. 3. Suppeditatio mediorum, sine quibus subsistere nequit. Et nihil hic aliud excluditur, nisi talis conservatio, quæ sit continuata creatio. Qui enim in ista sunt sententia, putant Deo non esse satis honorificum, si talia opera condiderit, quæ ne ad momentum quidem, nisi ea omnipotente sua vi sustentet, perdurare queant: cum videamus architectos extruere domos, quæ sine ulla ipsorum cura, & postquam obierunt per aliquot sæcula durent. Præterea dicunt conservationem non posse unam eandemque actionem esse cum creatione; cum creatio consistat in producendo id quod nondum est; conservatio vero in efficiendo ut id, quod jam est, in suo statu perduret. Nec possunt capere quomodo istud conservationis genus locum habeat in iis, qui paulatim ex diuturnis morbis ad mortem vergunt. Nam si Deus eos conservat, quomodo vergunt ad mortem? si non conservat, quomodo adhuc subsistunt? Dicentne igitur Deum ipsum partim conservare, partim non conservare?

XI. Alii contra existimant ad Dei gloriam pertinere, ut omnes creaturæ ita à Deo dependeant, ut nisi continuo illas omnipotente sui Spiritus influxu sustentet, statim in nihilum sint abituræ: aliter fore ut non totæ quantæ sunt à suo creatore penderent. Ad quod primi respondent, quod creaturæ non ideo minus à creatore suo dependebunt, etiamsi in eas continuo & ad singula momenta non influat; quia totum id, quod sunt & habent, à Deo acceperunt, qui quandocunque vult auferre potest; adeo ut absque benigna ipsius concessione vel ad horæ minutum suum esse retinere nequeant. Objiciunt, Prophetam dicere: *Emittes spiritum tuum & creabuntur*, *Psalm.* CIV. 30. ibi autem agi de rebus quæ jam sunt, ideoque per creationem non posse intelligi primam productionem, sed tantum earum conservationem, quæ continua sit creatio, & per spiritum seu virtutem quandam omnipotentem à Deo assidue promanantem fiat. Respondeo, fateri me *creandi* vocem hoc loco de conservatione esse exponendam, & secundum morem linguæ Hebraicæ, in qua nulla sunt composita, *creabuntur* usurpatum esse pro *recreabuntur*, seu *renovabuntur*, ut sequentia innuunt: *Et renovabis faciem terræ.* Sed significatur illud conservationis genus, quod fit per alimenti convenientis singulis animalium speciebus præbitionem, ut omnes circumstantiæ docent: præsertim hæc verba immediate antecedentia: *Omnia à te exspectant ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur.*

XII. Gubernatio vero in eo consistit, quod Deus, ad magni nominis sui gloriam, creaturis suis omnibus, nullis exceptis, quandocunque ipsi visum est utatur. Loquitur, & inanimata atque insensibilia non minus ejus voci aurem præbent, quam quæ vita & sensibus sunt prædita: imperat, & præsto sunt, ut creatoris sui jussis obediant, & mandata ejus celeriter & potenter exequantur: *Facit enim angelos suos ventos, & ministros suos ignem urentem*, *Psalm.* CIV. 4. *Præcipit nivi ut descendat in terram, & hyemis pluviis, & imbri fortitudinis suæ. Quo flante concrescit gelu, & rursum latissime funduntur aquæ. Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum. Quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas Gubernatoris duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum*, ut Eliu loquitur *Job.* XXXVII. 6, 10, 11. Armavit quondam in populi sui gratiam adversum reges Amorrhæorum meteora, & *misit super eos lapides magnos de cælo usque ad Azéca; & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israël:* & ad ducis ipsorum preces *stetit sol in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei, non fuit antea & postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Israële*; *Jos.* XII. & *seqq.* Regis Ezechiæ temporibus, illud mundi lumen cursum suum in ortum flectere jussit, *Esa.* XXXVIII. 8. Et Servatore Christo patiente, ardentes ejus radios atra caligine condidit, *Matth.* XXVII. 45. Condensavit potenti sua manu aëra, & tenebris atque horrore universam terram Ægypti replevit, dum filios Israëlis in omnibus

mnibus habitationis ipsorum locis, lumine suo recreat, *Exod.* X. 22, 23. Sterilitas & abundantia sunt opera irati aut miserantis Dei; *Propter hoc*, peccatum scilicet, *super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum: & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcunque profert humus, &c. Agg.* I. 10, 11. Sed cum in gratiam cum populo suo redit, ita illum affatum fuisse testatur divinus vates, *Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Israël, Ose.* II. 21, 22. Igni & flammæ pro libitu imperat. Sodomorum & Gomorrhæorum civitates igne & sulphure de cælo in cineres redegit, *Gen.* XIX. *v.* 25. 2 *Petr.* II. 6. & iisdem cælestibus flammis Ochosiæ satellites eorumque ductores consumpsit, qui Eliam Thesbitem comprehensum venerant, 2 *Reg.* I. 10, 12. At rubum in quo Mosi apparuit igne accendit ut arderet, sed flammæ vim compescuit, ne combureretur, *Exod.* III. 2. Flamma, Deo sic jubente, tribus viris, qui tyranni mandato in succensam fornacem conjecti fuerant, pepercit; sed crudelis imperii ministros igneus fornacis vapor enecavit, *Dan.* III. 22, 23. Aquæ cæli & abyssi præbent pariter aurem ejus jussis. Rupit quondam omnes fontes abyssi magnæ, & cataractas cæli aperuit ut mundum impiorum diluvii aquis submergeret, *Gen.* VII. 11. & idem *terminum posuit aquis, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram, Psalm.* CIV. 9. Divisit aquas maris rubri; & versus fontes suos retrogredi fecit aquas Jordanis, ut transitum populo suo præberent; & dum idem iter tentant Ægyptii, revertitur mare ad priorem locum, fugientique Pharaoni cum curribus & equitibus suis, occurrunt aquæ, & *involvit eos Deus in mediis fluctibus, Exod.* XIV. 26, *&c. Jos.* III. 15, 16. *Increpat mare, & exsiccat illud, & omnia flumina in desertum deducit, Nahum* I. 4. At deficiente potu populo suo, *Interrumpit petram in eremo, & adaquavit eos velut in abysso multa. Eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas, Psalm.* LXXVIII. 15, 16.

XIII. Nullum est animantium genus quod non ducat quo ipsi libuerit, & quo non utatur ad quodcunque ipsi visum fuerit: *Congregat*, inquit Propheta, *volatilia cæli & pisces maris, ut ruina impiorum sint, Sophon.* I. 3. Huc spectat historia Jonæ, à grandi pisce deglutiti, & postea sicco redditi; *Præparaverat enim*, inquit sacer textus, *Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam*: & rursus, *Dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam, Jon.* II. 1, & 11. Et piscationes miraculosæ Petri & aliorum discipulorum, *Matth.* XVII. 27. *Luc.* V. *v.* 5. *Joan.* XXI. 5. Subjugali & muto animali humana voce loqui dedit, ut avari & insipientis Prophetæ vesaniam corriperet, *Numer.* XXII. 23. & 2 *Petr.* II. 15, 16. *Præcepi corvis*, inquit Dominus Eliæ, *ut pascant te*, & textus subjungit, *Corvi deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi*, 1 *Reg.* XVII. 4, 5, 6. Immisit è sylva duos ursos in infantes qui Prophetæ Elizæo calvitiem exprobraverant, 2 *Reg.* II. 24. Et immorigerum Prophetam occursare facit leoni qui ipsum dilaniavit, 1 *Reg.* XIV. 25. At famelica leonum ora obturavit ne Danieli nocerent, *Dan.* VI. 22. Et ut omnia uno verbo comprehendam, vilissima quæque insecta, ranas, locustas, pediculos, muscas, erucas, bruchos, & omnis generis vermes exercitus suos facit ut rebelles & impios debellet, *Exod. capp.* VIII. IX. X. *Joël.* I. 4. *Actor.* XII. 23.

XIV. *Modos* providentiæ divinæ quod attinet, sunt, *primo*, Quod majorem aut minorem creaturarum curam gerat prout vel magis vel minus de ejus excellentia participant: Sic majorem curam gerit hominum quam boum, aut volucrium, aut liliorum agri, 1 *Cor.* IX. 9. *Matth.* VI. *v.* 26. Et cum inter ea quæ ratione destituuntur animata inanimatis, & sensu prædita cæteris præstent; videtur non absurde dici posse, Deum majorem jumentorum rationem habere quam herbæ, cum in eorum etiam gratiam eam creaverit, *producens fœnum jumentis, Psalm.* CIV. 14. & in eorum etiam commodum, ut apud Mosem videre est, leges quasdam ipse tulerit, *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas, Deut.* XXV. 4. Et inter causas cur magnæ civitati Ninivæ parcere voluerit, *jumenta multa quæ in ea erant*, Jonæ versu ultimo commemorantur. Ut jam non dicam, *Justum* eo nomine à sapientissimo Rege laudari, quod *jumentorum suorum animas noverit, viscera autem impiorum sint crudelia, Proverb.* XII. 20.

XV. *Secundo*, Quod pro libera sua voluntate, modo his, modo illis; nunc hoc, nunc alio modo utatur, ut in superius allatis exemplis abunde videre est. Nec enim gloriam suam mortalibus minus conspiciendam præbet, cum volucrum ministerio Prophetas suos cibat, quam cum id officii domus Achabi dispensatori Abdiæ demandat, 1 *Reg.* XVIII. 13. Aut minus potentem se ostendit, cum minima ac vilissima terræ insecta, culices aut vermes in impios armat, quam cum draconum virus & leonum ungues acuit, aut ex cælesti armamentario suo fulmina & tonitrua depromit, ut imperiorum suorum contemptum vindicet.

XVI. Ad modum providentiæ & hoc *tertio* loco referendum est, quod etiamsi Deus statutas semel in creatione naturæ leges non temere immutet, sed ratas & trabali veluti clavo fixas esse velit, & in ordinario universi regimine ordinem à se ab initio institutum observet, & omnia convenienter naturæ quam singulis indidit gubernet: quo refertur id, quod ipse apud Jeremiam vocat *ordinem solis & legem lunæ & stellarum, cap.* XXXI. *v.* 35, 36. & *Pactum suum cum die, & pactum suum cum nocte, cap.* XXXIII. 20, 25. graves tamen interdum ob causas, hunc ordinem à se institutum non

non servat, ut ostendat se ita legibus istis non esse adstrictum, quin eas in hostium suorum perniciem, & servorum suorum bonum, transilire possit; ut modo à nobis pluribus exemplis demonstratum est: sic effœtas & steriles fœcundas reddidit; aridam Aaronis virgam virescere fecit; sic pluit manna in deserto ad nutriendos Israëlitas: Et multa ejusmodi alia quæ miracula vocari solent, & sunt opera præter & contra naturæ ordinem.

XVII. *Quarto*, Quamvis nullus præter creatorem potentiam miracula faciendi ex se habeat, unde David dicit, *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus*, *Psalm.* LXXII. 18. quo pertinent ea quæ leguntur *Psal.* LXXXV. 10. & CXXXVI. *v.* 4. nullum tamen est dubium quin eam communicare possit aliis, ac præsertim Filio suo dilecto, *Amen dico vobis, non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & majora his demonstrabit ei opera*, (sanaverat autem hominem, qui triginta & octo annis infirmitate laboraverat) *ut vos miremini*, *Joan.* V. *v.* 19, 20. Vis scire ut operetur Pater, audi Prophetam, *& misit ventum magnum in mare, & tempestatem magnam in eo excitavit, ut navis periclitaretur conteri*, in qua fugitivus servus se absconderat à facie Domini sui; sed statim atque nautæ Jonam in mare demisissent, reddidit aquis pristinam tranquillitatem; *stetit enim mare à fervore suo, & timuerunt viri timore magno Dominum*, *Jon.* I. 3, 4, 15. Vis scire quomodo Filius eadem operetur, præbe aurem Euangelistæ; *Increpavit*, inquit Lucas, *ventum & tempestatem aquæ, & cessavit, & facta est tranquillitas magna*; *At illi* (qui cum Christo erant in navi) *timentes mirati sunt, ad invicem dicentes, Quis putas hic est, qui & ventis & mari imperat, & obediunt ei*, *Luc.* VIII. 24, 25. Nec supremo solum cæli & terræ Domino, & Filio ejus unigenito, quem omnium hæredem constituit, obsequi tenentur omnia creata, sed etiam quibuscunque hanc potentiam communicare voluerint. *Si haberetis fidem* (inquit Dominus Jesus Apostolis, fidei augmentum ab eo postulantibus) *sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro, eradicare, & obediret vobis*, *Luc.* XVII. 6. Nec id modo, sed *diceretis* etiam *monti huic, transi hinc illuc, & nihil impossibile erit vobis*, *Matth.* XVII. 20. Cum autem à Prophetis & Apostolis facta esse dicuntur miracula, intelligendum est ipsos tantum causas eorum fuisse morales, quatenus suis precibus impetrarunt à Deo ut ea faceret; vel Deus ipsorum opera usus est in prædicendis iis, & quibusdam eorum concomitantibus efficiendis; sed proprie non fecerunt. *Elias*, inquit Jacobus, *homo erat similis nobis passibilis; & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum*, *Jacob.* V. 17, 18. Unde Petrus sanato claudo, dicebat populo, *Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate hunc fecerimus ambulare*, *&c. Actor.* IV. 12, 13, 16. Et cum, eo loquente & Ananiæ atque Sapphiræ hypocrisin redarguente, ipsi ad ejus pedes mortui ceciderunt, Deus est, non Petrus, qui virtute sua illos interemit, *Actor.* V.

XVIII. *Quinto* & ultimo, Etiamsi Deus, cum miraculosa opera patrat, dici possit immediate sua providentia in creaturas agere, ex. gr. cum solem & lunam, ut supra à nobis dictum est, stare fecit in suo cursu ad preces Josuæ, aut flammæ vim urendi ademit: ordinarie tamen ita non videtur se gerere, sed in regimine mundi media & instrumenta adhibet, per quæ id quod proposuit efficit. Absurda enim est quorundam opinio, qui putant causas naturales nihil operari, sed Deum solum ad illarum præsentiam: sic ignem non urere, aut aquam non frigefacere; sed Deum iis præsentibus. Frustra enim indidisset vires rebus, si otiosæ manerent, & nihil efficerent.

CAPUT X.

De providentia Dei circa homines; & speciatim de origine Animæ; & hominum numero.

I. Hominem esse primarium providentiæ divinæ objectum. II. Deum providentia sua homines conservare. III. Sitne anima ex traduce, nec ne. IV. V. VI. VII. VIII. Quinque argumentis probatur eam à parentibus derivari. IX. X. XI. XII. XIII. Et totidem respondetur, quibus vulgo adstruere conantur, eam immediate à Deo creari, & infantium corporibus infundi. XIV. Numerum hominum natorum, & qui deinceps nascentur, absoluto Dei decreto non esse determinatum. XV. Duo hinc eliciuntur consectaria.

I. QUæ in genere de providentia Dei circa creaturas inanimatas & irrationales, superiore capite diximus, applicare oportet in specie homini. Est enim primum ac præcipuum divinæ providentiæ in hoc visibili mundo objectum; ita ut Deus cæteras creaturas nec conservare nec gubernare videatur, nisi certo quodam respectu ad homines in quorum gratiam sunt creatæ, & quorum etiam usibus ex creatoris instituto inservire tenentur; ita ut regius vates hanc specialem Dei curam circa homines secum admirabundus reputans, exclamet, *Quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, &c. *Psalm.* VIII. 5, &c. De providentia Dei igitur circa homines hic dicturi, actiones conservationis & gubernationis primum considerabimus in quibus ea occupatur; deinde de modis dicemus secundum quos exercetur.

II. Et ut à conservatione initium faciamus, ad eam pertinet id quod dicit Paulus, *Ipse*, Deus, *dedit omnibus vitam, & respirationem & omnia.* &

rursus, *In ipso vivimus, movemur & sumus*, *Actor.* XVII. 25, 28. ubi phrasis illa, *in ipso*, per Hebraïsmum nihil aliud significat, nisi *per ipsum*, ut cum Pharisæi Christo objiciunt, illum *in principe dæmoniorum ejicere dæmonia*, *Matth.* IX. 34. & XII. *v.* 24. id est, *per principem*. & in hoc ipso *Actor.* XVII. *capite versu* 31. *Deus statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro*, id est per virum, *quem definivit*; nempe per Dominum nostrum Jesum Christum. Etiamsi autem Deus non conservet homines per continuatam creationem, non tamen actu pure negativo eos conservat, seu nolendo solum eos destruere cum facile possit; sed etiam quadantenus positivo, cum Satanam & malignos spiritus coërcet, ne opus suum destruant, cum eripit homines è variis periculis, ut Mosem ex aquis, Danielem è fovea leonum, &c. & cum restaurat ea, quæ lapsu temporis in corpore illorum ad corruptionem vergunt, ut facultatem generandi in Abrahamo centenario, & concipiendi Saræ jam dudum effœtæ & nonagenariæ; & vires prostratas morbo lethali in Ezechia, & similia. Præcipue in quotidiano victu & amictu, aliisque ad vitam animalem necessariis, de quibus abunde ipsis prospicit, *Matth.* VI. 25, &c.

III. Hic breviter discutiendæ sunt tres de hominis conservatione quæstiones; ex quibus duæ priores ad conservationem speciei pertinent; postrema vero, cui sequens caput destinavimus individuorum conservationem spectat. Primo nimirum quæritur quæ sit animæ nostræ origo, de qua magna & difficilis est tam inter Theologos, quam inter Philosophos disputatio: aliis eam immediate à Deo creari, & infantium corporibus in utero materno infundi, aliis vero eam à parentibus derivari existimantibus. Posterior sententia quæ nobis verisimilior videtur sequentibus probatur argumentis.

IV. Deus, Adamo & Eva creato, ipsis benedictionem suam impartitus est ad humani generis propagationem, dicens, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, *Genes.* I. 28. & IX. 1. Ergo dedit eis facultatem alios homines sibi similes, qui corpore & anima constarent, producendi; quemadmodum & cæteris animantibus, quibus benedixit, talem communicavit. Ista autem benedictio non haberet tantam vim in hominibus, si parentes sola liberorum suorum corpora gignerent, nihil vero ad productionem animarum conferrent; quam in brutis, quæ integram suam speciem corpore & anima constantem propagant. Id autem absurdum esse quilibet facile videt. Nec vere dixisset Moses, *Adamum genuisse filium* Seth, *ad imaginem & similitudinem suam*, *Genes.* V. 3. nempe ut ipse ad imaginem Dei factus erat. Ista enim Dei imago præcipue in anima consistit, & ut eam Adamus liberis communicaret, necesse fuit ut ipsorum animæ ab ejus anima propagarentur. Et rursus dicit Moses, *Cuncta anima quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex*, &c. *Genes.* XLVI. 25, &c. Ergo non solum corpora; sed etiam animæ liberorum & nepotum Jacobi ab eo prognatæ sunt. Est quidem ibi locutio synecdochica, & pars pro toto usurpatur; sed ita ut pars à qua fit denominatio non excludatur, cum id sit plane inusitatum.

V. 2. Si contraria opinio admittatur, dicendum erit à mortuis parentibus aliquando liberos gigni. Nam cum generatio tum demum sit perfecta, quando fœtus est animatus; maribus autem quadragesimo, fœminis vero octuagesimo à conceptione die existimetur anima à Deo infundi, cum corpus idoneis organis ad eam recipiendam est instructum; fieri poterit, quod innumera exempla etiam factum esse probant, ut tum pater jam obierit.

VI. 3. Deus absoluta sex diebus creatione mundi, dicitur *quievisse ab omni opere suo*, *Genes.* II. 2. Non autem vere à creando quievisset, si nunc singulis momentis ipse multas animas immediate produceret. Ut nunc non dicam, indignum prorsus Deo videri, ut sit minister generationum fœdarum & incestuosarum quas ipse abominatur, & severe in lege prohibuit; ita ut simulatque libuit hominibus impuris corpora sua miscere, oporteat illum adesse, qui fœtui, quantumvis illegitime concepto, animam infundat. Talem autem Deum revera faciunt, qui docent ipsum animas quotidie immediate creare.

VII. 4. Sæpe conspicitur liberos animabus parentes referre, & ab ingeniosis ingeniosos, à stupidis stupidos generari; præsertim observatur amentes stultitiam suam per aliquot generationes posteris communicare. Quod aliunde oriri non potest, nisi quia liberi animas à parentibus trahunt. Nam sicut ex faciei lineamentis arguitur quispiam genuina illius esse proles, cui similis est; ita cum liberi parentes referunt animabus, evidens est indicium ipsorum animas à parentibus traductas esse.

VIII. 5. Proclivitas ad malum, cum qua infantes nascuntur, huic etiam opinioni favet. Nam ea à Deo non est, ut omnes fatentur, neque etiam à corpore, quod non est vitii moralis capax. Ergo oportet ut proficiscatur ab anima, quam corruptam liberi à parentibus peccato infectis trahunt.

IX. Pro altera tamen sententia de immediata animarum à Deo creatione, afferuntur non exigui momenti rationes, quas paucis expendemus, 1. Sunt quædam Scripturæ loca, quæ id asserere videntur: ut, *spiraculum Omnipotentis vitam indidit mihi*, *Job.* XXXIII. 4. *Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum*, *Eccl.* XII. 9. *Dominus format spiritum hominis in medio ejus*, *Zachar.* XII. 1. Sed respondeo, ex eo quod Jobus ait, spiraculum Omnipotentis vitam sibi indidisse, non magis sequi id factum esse immediate à Deo, quam ex eo quod idem dicit, *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti, pelle & carnibus vestivisti me, ossibus & nervis compegisti me*, *Job.* X. 8, &c. quibus similia habe-

habemus *Psalm.* CXXX. 15. & XXII. 10. & LXXI.6. colligi legitime potest corpora nostra à parentibus non gigni, sed immediate à Deo ipso formari. Sciendum enim est id quod fit secundum naturæ ordinem, quem Deus instituit, ad Deum auctorem solere referri. Nec obstat quod Jobus profiteatur se habere vitam ex spiraculo Omnipotentis. Ita enim loquitur, quia anima sua per traducem propagata erat ex illa quam Deus olim Adamo inspiravit. In altero loco *Eccl.* XII. ubi dicitur spiritum redire ad Deum qui dedit illum, apparet illud eodem modo esse intelligendum, quemadmodum ibidem *pulvis* (id est, corpus nostrum pulvereum) *in terram, unde factum fuit, redire* asseritur: quod primæ tantum Adami creationi convenire, nemo est qui ignoret. Similiter *Zachar.* XII. Propheta respicit ad primam rerum originem, ut apparet ex eo, quod meminit *extensionis cælorum, & fundationis terræ:* nam sicut Deus non amplius nunc extendit cælos & fundat terram, (quod fecit tantum semel in creatione mundi) ita neque immediate format spiritum hominis in medio ejus, ut Adamo factum est; sed ad istud utitur parentum nostrorum opera, qui primævæ benedictionis vi nos ex anima & corpore constantes gignunt.

X. 2. Eadem Scriptura tribuit Deo titulum, *Dei & Patris spirituum*, *Numer.* XVI. 22. & XXVII. *v.* 16. *Hebr.* XII. 9. non vero corporum. Nulla autem esset ratio cur ita loqueretur, si non minus animas, quam corpora à parentibus haberemus. His ita respondeo, *primo*, in locis ex libro Numerorum desumtis Deum vocari Deum spirituum universæ carnis, quia omnibus animantibus, etiam brutis, vitam largiatur. Non creat autem immediate brutorum animas, ut omnes confitentur. Deinde hæc verba per ellipsin conjunctionis copulativæ *&* possunt exponi, ac si legeretur, *Deus spirituum, & universæ carnis:* vel quod eodem redit, repetendo vocem, *Deus*, hoc modo, *Deus spirituum*, *Deus universæ carnis*; quemadmodum Junius & Tremellius reddiderunt. Utrovis autem modo exponas, nullum erit hic speciale animarum privilegium, quod carni seu corporibus non etiam competat. *Secundo*, *Hebr.* XII. Deus quidem vocatur pater spirituum, opposite ad patres carnis. Sed non ideo parentes nostri ita appellantur, quod ab iis carnem tantum, & non etiam spiritum trahamus. Existimarim potius eos ita dici, quia nos ad hanc carnalem vitam generarunt, & potestatem solum habent in corpus: Deum vero patrem spirituum vocari, quia nos per verbum & spiritum suum ad vitam spiritualem regenerat, & peculiari ratione spiritibus nostris dominatur, & imperat. Et pater spirituum per Hebraïsmum, in Novo Testamento etiam familiarem, idem valere potest, atque pater spiritualis.

XI. 3. Qualis fuit origo animæ Adami, talis quoque fuit omnium ejus posterorum: atqui ille immediate animam habet à Deo: ergo & nos. Respondeo: Hæc consequentia non magis valet, quam si quis diceret, Deus Adami corpus fecit ex humo, ergo & reliquorum hominum: vel, Evam formavit ex costa viri; ergo etiam omnes fœminas. Imo qui istud afferunt, non existimant Deum eodem modo reliquis hominibus atque Adamo animam infundere. Nam corpore Adami omnibus suis partibus absoluto, Deus ei demum spiraculum vitæ afflavit. Sed ipsi volunt embryoni in utero quadragesimo aut saltem octuagesimo à conceptione die animam infundi; quia tunc incipit moveri, & vitæ indicia prodere, licet multum absit à sua perfectione.

XII. 4. Si anima hominis est genita, corruptioni quoque erit obnoxia. Nihil enim quod genitum sit, à servitute corruptionis immune est. Respondeo, generationem non esse magis principium corruptionis, quam creationem. Sed istud omnibus tam creatis, quam genitis est commune, ut quemadmodum existendi initium habuerunt, ita etiam finem habere possint: & vicissim, ut si Deo placeat illa conservare, permaneant in æternum. Propagatio ergo animæ à parentibus non erit illi necessariæ mortis causa, posito quod Deo libeat eam conservare, ut supra ei libere ostendimus.

XIII. 5. Si anima per generationem propagatur, aut ab utroque parente conjunctim, aut ab altero tantum, videlicet patre, propagatur. Item, vel tota, vel solum pars ab illis derivatur. Sed nihil horum absque absurditate dici potest. Nam si anima à patre & à matre propagetur, composita erit ex anima utriusque, & per consequens dissolutioni obnoxia. Si vero à patre tantum, Christus, qui nullum habuit patrem in terris, anima humana caruit, & verus homo non fuit. Deinde si tota anima traduceretur, necesse foret parentes generando exanimari: Si vero pars solum, anima esset divisibilis, ac proinde mortalis. Respondeo, Anima quidem prolis ab utroque parente originem habet, sed istud talem compositionem, quæ necessario post se trahat interitum, non inducit. Interitus enim non tam ex compositione, quam ex infirmo partium compositarum nexu oritur. Nec dubitandum est, quin Deus composita facere queat, imo etiam revera fecerit, quæ cum simplicibus duratione certent: qualia sunt sol, luna, & reliqua astra, quæ ex partibus tum essentialibus, videlicet materia & forma: tum integralibus & quantitativis composita sunt. Sed si putetur in eo esse aliquod incommodum; fac animam à patre solo ordinarie propagari, quemadmodum nemo ordinarie nisi ex maris & fœminæ conjunctione nascitur; id tamen Dominum Jesum non tangeret, in cujus generatione Spiritus Sanctus virtute sua supplevit id, quod naturæ defuit. Quidni enim ut virginis semen per se sterile fœcundavit, etiam ex ejus anima, alioqui sola non sufficiente, animam fœtus præter naturæ ordinem educere potuit? Quod vero de totius animæ aut partis tantum communicatione adfertur, ni-

hil, propter ignoratum communicationis modum, ad rem facit. Idem enim hic contingere videtur, quod in alicujus candelæ ex alia accensione. Ut candela accendens totum suum lumen accensæ sine ulla, aut saltem sensibili, diminutione sui communicat; ita absque sensibili animæ parentum diminutione anima prolis accenditur. Exigua autem illa diminutio id morti obnoxium reddere non potest, quod Deus omnipotente sua vi conservare proposuit. Sicut pusilla in sole, propter continuò ab illo effluentes lucis radios, diminutio, non impediet quominus mundum usque ad consummationem sæculorum illuminet, & vivifico calore suo foveat. Et hæc de ista quæstione obscura, & Philosophica potius, quam Theologica, salvo aliorum meliore judicio à nobis dicta sunto.

XIV. Secunda quæstio pertinet etiam ad conservationem speciei, nostræ nempe; an numerus hominum, qui nati sunt ab initio mundi, & deinceps usque ad finem nascentur, decreto Dei absoluto sit ab æterno determinatus, ac ita in tempore providentia ejus res ista administretur, ut fieri nequeat ut plures vel pauciores homines existant, quam jam re ipsa extiterunt, aut in posterum extabunt. Ad quam respondeo, 1. Indubium esse, quin vis generandi, quæ est in hominibus, proficiscatur à prima illa Dei benedictione; *Crescite & multiplicamini*, &c. quam in hunc usque diem speciali sua cura conservat; imo etiam cum depravata est, miraculose aliquando restituit, fœcundos reddendo eos, qui per aliquem naturæ defectum ad suscipiendam prolem inepti erant, ut Saram, Annam, Elizabetham; secundum id quod dicit Propheta; *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem, Psal.* CXIII. *v.* 9. Quam benedictionem etiam interdum in pœnam peccati suspendit; ut in familia Abimelechi, ubi propter Saræ raptum Deus uxoris & ancillarum uterum clausit, ne parere possent, donec Abrahami precibus placatus fuisset, *Gen.* XX. 2. Non potest dici Deum decreto absoluto determinasse quot homines ab initio mundi usque ad finem nasciturі essent, quin etiam asseratur ipsum omnes illas conjunctiones, ex quibus homines nascuntur, absolute determinare. Nam decretum absolutum mediis etiam absolutis & necessariis, ne irritum sit, executioni mandari oportet. At absurdum est existimare Deum omnes ejusmodi conjunctiones decrevisse. Cum justitia enim & sanctitate ipsius non convenit, ut illa conjugia aut conjunctiones quas in lege prohibuit, & se abominari testatur, absolute fieri decernat. ver. gr. scortationes, adulteria, incestus, & matrimonia eorum, qui nomen suum profitentur cum infidelibus & idololatris: ex quibus tamen experientia docet multos homines quotidie proseminari. Permittit quidem illa Deus, id est, non vult ad impedienda potentiam suam exserere. Sed permissio hæc toto genere à decreto absoluto differt: ita ut inde nullo modo concludi queat, Deum res, quas permisit, ut inevitabiliter fierent statuisse. 3. Cum Deus reliquerit in uniuscujusque arbitrio, præsertim post Euangelium promulgatum, vel matrimonium contrahere, vel cælibem vitam ducere, non potuit simul absoluto decreto constituere, quot homines ex singulis viris & mulieribus secundum illum primævum benedictionis ordinem nascituri essent. Hæc enim inter se pugnant & una subsistere nequeunt.

XV. Unde hæc duo consectaria elicio. 1. Id quod vulgo de conjugiorum fatalitate creditur, nihil aliud esse, quam anilem fabulam. Deus quidem est conjugii institutor, ut videre est *Genes.* II. 24. & quin sua providentia conjugiis, sicut & aliis actionibus humanis, præsideat, nullatenus est dubitandum. Hincque est, quod probis commodas uxores, improbis vero incommodas adjungat; nihilque aliud sibi voluit Salomon cum dixit, *Domus & divitiæ hæreditariæ contingunt à parentibus; à Domino vero uxor prudens, Proverb.* XIX. *v.* 14. notumque est omnibus quantum in matrimoniis contrahendis prudentia juvet, & imprudentia noceat. 2. Si numerus eorum, qui nascituri sunt, non est ab æterno absolute determinatus, multo minus uniuscujusque hominis in singulari salus aut damnatio æterna. Objectum enim prius esse debet, quam ullus circa ipsum distincta & particulari actione versari possit.

CAPUT XI.

De providentia Dei in conservatione individuorum: & speciatim, sitne uniuscujusque vitæ terminus fatalis an mobilis.

I. *Non videri Deum absolutò decreto unicuique certum vitæ terminum assignasse.* II. *Idque* 1. *experientia eorum qui sanis parentibus prognati sunt; aut peritis utuntur medicis, probari.* III. *Prudentiam & temperantiam hic etiam multum valere.* IV. *Respondetur illis, qui hæc media esse dicunt, non minus determinata quam vitæ ipsius terminum.* V. 2. *Ex promissionibus longævitatis.* VI. *Nec Deum, ut quidam excipiunt, in promissionibus balbutire.* VII. 3. *Ex minis de abscindendo vitæ filo.* VIII. 4. *Ex exemplis impiorum qui florentes annis & viribus occubuerunt.* IX. 5. *Vel piorum, quorum mortem Deus distulit.* X. *Explicatur locus Jobi* XIV. 5.

I. TErtia quæstio spectat conservationem individuorum, utrum Deus absoluto decreto unicuique homini certum vitæ terminum assignarit, quem nemo ulla ratione aut contrahere aut producere possit. Nos non putamus; sed contra, dicimus eos plerumque esse longæviores aliis, qui temperamentum firmius à natura sortiti sunt, quam qui debilius; eos qui in morbis peritos medicos nancifcuntur, quam qui nullos aut imperitos; eos qui prudentia utuntur in vitandis periculis, quam qui se in illa temere conjiciunt; eos qui abstinent à crapula & libidine, quam qui illis indulgent; eos qui Deum timent, quam improbos, qui sceleribus sibi exitium ante tempus, ad quod pervenire potuissent,

tuissent, accersunt: licet Deus, qui supremus est vitæ & mortis arbiter, interdum aliter gravibus de causis statuat.

II. Sententiam nostram confirmat *primo*, Experientia. Nam videmus illos, qui sanis parentibus prognati sunt, & recte valens corpus ab ortu obtinuerunt, modo cætera sint paria, minus tentari morbis, & ad majorem senectam pervenire iis, qui tam feliciter non sunt nati. Et qui in morbis peritorum medicorum utuntur opera, facilius convalescunt & mortem evadunt, quam qui incidunt in ignaros aut improbos, qui pro remediis venena propinant; aut nullos omnino adhibent. Alioqui inutilis esset omnis Medicorum ars, & frustra Deus plantis & mineralibus indidisset vires, ad morbos sanandum idoneas.

III. Prudentiam quoque in vitandis periculis multum valere ad producendam eo usque vitam, quo nativa temperamenti sive firma sive infirma constitutio permittit, nullus rerum intelligens facile negaverit. Quotidie enim contingit, ut qui in pericula temere se conjiciunt, illis opprimantur. Multi pereunt in bello, in mari, in glacie, &c. qui si domi se continuissent, non tam cito è vita erepti forent. Quantum etiam hac in re temperantia valeat, omnibus est notum; cum illi, qui accuratam diætæ rationem habent, non tantum meliore frui soleant valetudine, sed etiam diutius vivere iis qui gulæ & veneri serviunt.

IV Quidam excipiunt, omnia ista modo recensita media, non minus à decreto Dei absoluto pendere, quam ipsum vitæ terminum. Simul enim cum vitæ longitudine cuipiam assignata, constitutum esse, ut cum ægrotabit incidat in peritum & fidelem medicum, ut prudens sit in vitandis periculis, & sobrie casteque vitam instituat; & contraria omnia destinata illi esse, qui breviorem debet habere vitæ periodum. Sed hoc esset non tantum omnem officii curam & sollicitudinem in hominibus extinguere; verum etiam Deum suæ imprudentiæ, intemperantiæ, imo aliorum quoque scelerum auctorem facere. Instant, Paulum *Act.* XXVII. 30, 31. docere nos suo exemplo, mediorum usum optime cum absoluto decreto de fine consistere posse. Quamvis enim ipsi divinitus revelatum esset ab Angelo, omnes qui secum navigabant ex horrenda qua jactabantur tempestate incolumes evasuros; tamen cum videret nautas velle navem deserere, & se ad fugiendum in scapha parare, non dubitavit dicere centurioni & militibus; *nisi isti in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* Respondeo, Imo ex his verbis liquet Apostolum, qui optime mentem divini promissi intelligebat, non credidisse Deum absolute velle salvare eos omnes qui in navi erant; sed tantum sub hac conditione, si nihil eorum omitterent, quæ ad suam incolumitatem facere poterant. Nam si promissio ipsi facta ab absoluto Dei decreto proficiscebatur, & pro tali illum habebat, mentitus fuisset dicens *Nisi isti in navi manserint*, &c. quod absit ut de ipso cogitemus. Sed conditionem in promisso quod acceperat inclusam fuisse, non obscure liquet ex verbis quibus conceptum fuit, *Ecce Deus κεχάρισταί σοι omnes qui tecum navigant*; id est, largitus est tibi hanc gratiam, ut eos omnes tuo consilio à morte liberes, si illi obtemperarint: alioqui de iis actum erit, & ipsi culpa sua peribunt.

V. *Secunda* nostra ratio hæc est, si absoluto Dei decreto immobilis vitæ terminus unicuique homini esset constitutus, promissiones longævitatis iis factæ, qui Deum timent & mandata ejus custodiunt, vanæ atque irritæ essent. Qualis est illa decalogi, pueris etiam nota; *Honora patrem & matrem tuam, ut prolongentur dies tui super terram, quam Dominus tuus dat tibi.* Cui consentaneæ sunt multæ aliæ: ut, *Servietis Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua, numerum dierum tuorum implebo*, *Exod.* XXIII. 25, 26. Item, *Custodi præcepta & mandata quæ ego præcipio tibi & filiis tuis post te, & permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus daturus est tibi*, *Deut.* IV. 20. Et de iis qui in Deum sperant dicitur, *Longitudine dierum replebo eum*, *Psalm.* XCI. 16. Peculiariter vero Salomoni, *Si ambulaveris in viis meis, & custodieris præcepta mea & mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos*, I *Reg.* III. 14. Denique, ne omnia huc pertinentia loca congeram, nihil clarius afferri potest Salomonis testimonio; *Timor Domini apponit dies, anni vero impiorum abbreviabuntur*, *Proverb.* X. 27.

VI. Excipiunt, Deum quando liberis qui parentes honorant, aut omnibus mandata sua custodientibus, prolongationem vitæ promittit, cum iis veluti balbutire, ut solent matres cum infantibus, & se ad eorum captum accommodare: sed proprie loquendo terminum vitæ, quem absolute constituit, nec contrahi, nec protrahi posse: idque inde patere, quod interdum liberi parentibus suis maxime morigeri, aliique pii & Deum timentes, immatura morte abripiantur. Sed respondeo, 1. Concedere me, Deum quando sui cultoribus longævitatem promisit, legem sibi non fixisse quam transgredi nunquam liceat. Quamvis existimem ipsum sub Veteri Testamento, cujus promissiones maximam partem corporales erant & rerum ad hanc vitam pertinentium, raro ab isto ordine discessisse. Si quando vero id faceret, ipsum piis terrenæ vitæ loco cælestem rependisse; adeo ut spem suam frustratam fuisse conqueri non possent. 2. Inde tamen non sequitur, Deum in promisso longioris vitæ quod piis fecit ita balbutiisse, ut nullam pietatis eorum rationem haberet, quando ipsis vitæ terminum præfixit, sed tantem absoluti & inconditionati sui decreti. Talem enim Deo balbutiem tribuere, nihil aliud est, quam eum occulte mendacii insimulare, & omnem promissionibus ejus vim ad pietatem excitandi adimere. Quis enim illis movebitur, qui persuasione ista fuerit imbutus, se omni

mni suæ obedientia nihil aliud apud Deum consequi posse, quam id quod absque ejus consideratione sibi jam ante sæcula immobili decreto fuerit destinatum? Si quando igitur Deus cum hominibus balbutire videtur, v. gr. dicendo Israëlitis terram Canaan, quam promittebat ipsis, lacte & melle manare; in verbis quidem & phrasibus aliqua subest figura: sed non in rerum ipsarum substantia; quasi figurate etiam debeant accipi, & pro terra quæ lacte & melle manaret aliquid à terra plane diversum intelligi, vel terra in qua nullum lac & mel esset. Eademque est longævitatis ratio: ita ut absurdum sit dicere, Deum quidem promittentis speciem præ se tulisse, cum spem longioris vitæ piis fecit, sed revera nihil iis promisisse. Quod si tam enormis figura admittatur, cur non etiam licebit dicere, Deum balbutire cum vitam æternam nobis promittit in Euangelio sub conditione fidei & resipiscentiæ, & falli eos qui ista ad literam intelligunt?

VII. *Tertio* dicimus, multas comminationes haberi in Scriptura, de abscindendo improbis vitæ filo: quæ nihil aliud forent nisi inania terriculamenta, si Deus, in constituendo unicuique vitæ termino, nec ad pietatem nec ad impietatem respexisset. Talis est ista, *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*, *Psalm.* LV. *versu ultimo.* vide etiam *Deuter.* XXVIII. 59, &c. ubi Deus minatur se Israëlitas variis plagis percussurum, & de medio sublaturum, nisi legem suam custodierint. Excipiunt de sanguinariis & fraudulentis dici, eos dies suos non dimidiaturos, quia raro ad ætatem 70 & 80 annorum perveniunt; utpote qui vel in acie cadant, vel carnificis manu interficiantur, vel aliqua alia morte violenta rapiantur: ita ut licet ad sibi constitutum vitæ terminum perveniant, tamen justum & maturum non attingant. Sed istud nihil ad rem facit, nisi dicatur, causam cur improbi isti ad senectutem non perveniant, esse quod Deus ipsorum vitam ob scelera contrahat. Quod est in nostram sententiam recidere. Deinde David non dixisset, sceleratos dies suos non dimidiaturos, ideo quod longævi non essent futuri; quia id etiam multis piis accidit, qui violentis mortibus & ante tempus decedunt. Apparet autem ipsum peculiarem quandam maledictionem quæ improbis ob malefacta impendeat significare voluisse. Alii putant ideo dici sanguinarios non dimidiaturos dies suos, quia cum sibi longam polliceantur vitam, eam tamen non attingunt. Sed hæc exceptio præcedente non est magis apposita. Nam & multi pii longioris vitæ spe aliquando sibi imponunt; & contra multi impii, rerum humanarum incertitudinem considerantes, non credunt se diu victuros; ita ut hac in parte æqualis esset futura utrorumque conditio: quod longe à Davidis mente abest. Imo quamvis verba Psalmi hunc sensum aliquo modo ferre possent, tamen non conveniret cum loco ante citato *Proverb.* X. *Anni impiorum abbreviabuntur*; & quidem opposite ad timorem Domini qui apponat dies. Quis enim dicat, abbreviari dies illius, qui moritur citius quam speraverat, si nulla ei vis fuerit illata?

VIII. *Quarto*, Exempla quoque plurima sententiæ nostræ veritatem confirmant. Insigne præ cæteris est Absalomi, qui si adversus patrem suum Davidem non insurrexisset, sed eum prout lege præcipitur honorasset, in conspiratione sua, florens annis & viribus, non occubuisset, 2 *Sam.* XVIII. Huic accedunt Her & Onan, filii Judæ, qui in juvenili ætate ob improbitatem suam à Deo interemti fuerunt, *Gen.* XXXVIII. 7, 10. Ita si primi mundi incolæ, quibus Deus CXX annos concesserat ad resipiscendum, sceleribus suis renunciassent, non fuissent omnes diluvio absumpti. Similiter Sodomæi igne cælitus demisso non periissent, si Lothi hortationes ad pœnitentiam non aspernati essent. Et quotidie latrones, homicidæ, & alii ejusmodi scelerati, manus carnificis patiuntur, qui in multos adhuc annos vitam producere poterant, si à criminibus propter quæ morte afficiuntur abstinuissent. Quin etiam reperiuntur aliquando αὐτόχειρες, qui violentas sibi manus inferunt, & longe citius quam alioqui accidisset è vita discedunt. Hisne omnibus ille vitæ terminus, quo è medio sublati sunt, decreto Dei absoluto constitutus erat? Et quomodo id, nisi simul ad scelera, quæ ipsis mortis causa fuerunt, Deus eos destinasset? Sunt qui dicunt, illos qui morte propter crimina plectuntur, eo ipso tempore mori debuisse, etiamsi innocentes fuissent, sed alio mortis genere. Sed istud est absurdum; utpote quod effectum ponat absque causa; & ab aliis improbatur, qui non tantum mortis horam, sed etiam genus, locum, auctores, & omnes alias circumstantias, decreto absoluto definita esse existimant. Et certe ista tam arcte inter se connexa esse videntur, ut separari non possint. Quare si Deus præcise aliquem ad moriendum hoc momento, carnificis manu, propter scelera destinet, oportet ut etiam ad scelera, propter quæ interficiendus est, ipsum destinarit: alioqui ab iis sibi temperare posset, & decretum Dei irritum reddi.

IX. *Quinto*, Denique exempla dilatæ mortis ostendunt, tempus ejus non esse irrevocabili Dei decreto constitutum. Deus jubet denunciare Ninivitis per Jonam suum Prophetam, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive exscindetur.* Hic erat terminus vitæ ipsorum præfixus, nisi obtinuissent à Deo pœnitentia sua ut protraheretur. Moriendum quoque fuisset Ezechiæ regi, qui morbo lethali laborabat, nisi precibus suis Deum movisset, ut sibi vitam in quindecim annos prorogaret, 2 *Reg.* XX. *Esa.* XXXVIII. Excipiunt, Deum non pepercisse Ninivitis propter ipsorum pœnitentiam, nec Ezechiæ vitam prolongasse propter ipsius preces; sed quia ita absolute decreverat: licet voluerit & Ninivitarum pœnitentiam & Ezechiæ preces intervenire, antequam decretum suum exequeretur. Sed istud est Scripturæ manifeste con-

contradicere, quæ refert: *Et vidit Deus opera eorum* (Ninivitarum) *quia conversi sunt de via sua mala; & misertus est Deus super malo quod locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit*, *Jon.* III. 10. & Deum Ezechiæ dixisse, *Audivi orationem tuam & vidi lacrymas tuas; ecce, ego adjiciam super dies tuos quindecim annos*, *Esa.* XXXVIII. 5.

X. His omnibus rationibus nihil objicitur quod aliquam speciem habeat, præter unum Jobi locum: *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*, *Job.* XIV. 5. Non respondebo, quod tamen jure possem, non omnes Jobi & amicorum ejus sermones, qui in hoc libro recensentur, pro divinis promiscue esse recipiendos. Etsi enim Job rectius amicis suis locutus fuerit, ut Deus ipse testatur, *Job.* XLII. 7. nihilominus is quoque à Deo reprehenditur, & ipse agnoscit se imprudenter de actionibus Dei locutum esse, *Job.* XXXVIII. 1,2. & XXXIX. 34, &c. & XLII. 1. &c. Sed dicam tantum, hunc locum non dirimere controversiam. Non enim quæritur, an Deus aliquem vitæ humanæ terminum præfixerit quem præterire non possit; (hoc enim utrimque in confesso est) sed an constituerit decreto absoluto, nullo ad pietatem & impietatem, vel alias causas quæ vitam contrahendi aut protrahendi vim habeant, respectu. Id vero non dicit Jobus, sed verba ejus commode ita accipi possunt, ut nihil aliud iis significetur, nisi humanæ vitæ brevitas, quæ à Deo paucorum aliquot dierum & mensium circulo sit inclusa, veluti LXX *aut* LXXX *annorum pro robustioribus*, prout Moses dicit, *Psalm.* XC. 10. Ita etiam David, *Ecce ut palmi mensuram posuisti dies meos, & tempus meum tanquam nihil coram te*, *Psalm.* XXXIX. 6. Item, *hominis dies sunt sicut herba: sicut flos agri sic florebit; quoniam ventus transibit super eum, & non erit*, *Psalm.* CIII. 15. Sed tamen homines breve istud vitæ spatium sibi assignatum, sceleribus, propter quæ, sive à Deo, sive à Magistratu tolluntur è medio, item imprudentia vel intemperantia brevius adhuc reddere possunt, & ita ad terminum illum maturæ ætatis non pervenire, quem alioqui vitam melius instituendo attigissent.

CAPUT XII.

De providentia Dei in gubernatione hominum: & de modis secundum quos eam exercet.

I. *Deum homines gubernare non modo legibus*, II. *Promissionibus & comminationibus sancitis*; III. *Sed etiam suggestionibus, hortationibus, &c.* IV. *Permittere tamen malum.* V. *Sed ita ut limites ei figat.* VI. *Occasiones interdum peccandi præbere.* VII. *Impiorum actiones ipsis inscitis quo vult dirigere.* VIII. *Et ad bonum interdum finem contra perpetrantium intentionem inservire facere.* IX. *Ad modos providentiæ pertinere ejus quantitatem,* X. *Et qualitatem.* XI. XII. *Opinio de concursu Dei immediato ad singulas hominum actiones refellitur.* XIII. *Deum admirabilem se ostendere cum vilia instrumenta ad magna opera adhibet.* XIV. *Eum nihil agere nisi se decenter.* XV. *An naturalis honestas & turpitudo à voluntate Dei aut natura ejus pendeant.* XVI. *Nihil enim etiam agere nisi convenienter natura hominum quos gubernat: Et idcirco non tollere usum libertatis, qua homines ab initio donavit.*

I. ALter providentiæ divinæ actus est *Gubernatio*, quæ versatur quidem circa omnes creaturas, sed præcipue circa ratione præditas, quales sunt homines. Ea variis se actibus prodit. Primus est legislatio, seu revelatio qua Deus, declarat, quid sibi gratum acceptumque sit, aut contra ingratum & odiosum. Lex autem divina est duplex, una hominum cordibus inscripta, ratio dicta, qua naturaliter omnes sana mente præditi, inter bonum & malum, seu honestum & turpe discernunt; altera, isti sive viva voce tantum, sive scripto etiam superaddita; qualis est lex Mosaïca & Euangelium Jesu Christi. Sed prior magis ad creationem pertinere videtur; posterior hujus proprie est loci.

II. Deo autem visum est hominibus voluntatem suam de faciendis bonis & fugiendis malis non tantum simpliciter declarare; sed ad testandum quantopere res istæ sibi cordi essent, voluit etiam leges suas præmiorum promissione, & pœnarum comminatione sancire; ut ab una parte spes præmii homines ad obedientiam alliceret, & ab altera metus pœnæ ab inobedientia deterreret; ut videre est *Levit.* XXVI. & *Deut.* XXVIII. totis. & sæpe in scriptis novi fœderis. Omnipotentiam non adhibet, quia obedientiam liberam cupit; eam autem non haberet, si id quod præcipit, ipse potentia sua insuperabili efficeret, aut quod vetat, pari modo impediret.

III. Nec ita solum Deus promovet bonum, & impedit malum, sed variis etiam aliis mediis, ejusdem tamen naturæ, id est, quibus nullam vim infert libertati voluntatis, qua hominem donavit; quales sunt suggestiones internæ per spiritum suum; oblationes occasionum quibus nos ad bonum incitet, vel à malo abducat; item hortationes & dehortationes per alios homines, præcipue Prophetas & verbi sui ministros factæ; educatio honesta, conversatio cum bonis, exempla judiciorum in sceleratos, aliaque ejusmodi plura.

IV. Sed tamen Deus permittit malum, non ut cuiquam liceat illud impune perpetrare, (sic enim abrogaret legem suam naturalem, quam perpetuo durare & hominibus pro actionum norma esse vult) sed, ut dixi, non adhibendo omnipotentem suam vim ad illud impediendum. Permittit autem scienter & voluntarie ut homines peccent: Scienter quidem, quia nihil ignorat eorum quæ cogitant aut moliuntur: voluntarie vero, quia si omnino nollet ut fieret, satis potens est ad illud impediendum. Nec à vocibus *permissionis* aut *permittendi* abstinere oportet, quasi illæ, ut aliqui putant, providentiæ divinæ quicquam derogarent. Otiosa quidem permissio multum derogaret, si Deus nullam humanarum actionum curam gereret; sed non ejusmodi qualem statuimus, cum scientia & voluntate conjuncta. Scri-

ptura sane ab iis aut æquipollentibus in hac materia non abhorret. Ita Deus dicit de Israëlitis, qui vocem suam audire renuerant, *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*, *Psalm.* LXXXI. 13. & Paulus, *In præteritis generationibus* (Deus) *permisit omnes gentes ingredi vias suas*, *Act.* XIV. 16. Deus autem ideo permittit malum, quia id novit admirabili sua sapientia in bonum convertere.

V. Quando autem Deus sceleratos in peccatum ruere sinit, non tamen iis ita fræna laxat, ut omne quod animo conceperunt malum exsecutioni mandare permittat. Providentia enim sua limites ipsis figit quos transgredi nequeunt. Ita permisit quidem fratribus Josephi, ut eum in miseram servitutem abducendum venderent, sed non ut occiderent, ut initio cogitarant. Permisit quoque Satanæ ut Jobum opibus & liberis privaret, & in corpore graviter affligeret, sed non ut vitam ipsi eriperet. Item, ut Judæi Christum crucifigerent, sed non ut os aliquod ex ipsius corpore frangerent.

VI. Occasiones etiam peccandi Deus interdum hominibus facit occurrere, quibus alii pro malitia sua abutuntur, etiamsi malæ non sint; alii vero non, sed contra ipsis ad virtutis exercitium prosunt; ut videre est in Davide & Josepho, quorum ille solo pulchritudinis Bethsabeæ aspectu ad committendum adulterium tentatus est: hic ne continuis quidem heræ sollicitationibus permoveri potuit ut in tale scelus consentiret. Ita Christus Judæ avaro & furi marsupium custodiendum dedit; quod Petri aut Joannis fidelitatem non sollicitasset.

VII. Istud etiam ad providentiam gubernantem pertinet, quod Deus interdum peccatores inscios & præter mentem suam ad objectum aliquod contra quod peccent, potius quam ad aliud dirigit; vel ad hoc potius peccatum, quam ad aliud, quod animo ante conceperant, eos ferri sinit. Ita cum fratres Josephi in animo haberent, ipsum occidere, mercatorum Ismaëlitarum occursu & oratione Judæ fecit ut consilium mutarent, & in servitutem ipsum vendere satius putarent, *Genes.* XXXVII. 25. Et cum rex Babylonis ambitione sua incitatus bellum gerere constituisset, & penderet adhuc animo, nesciens utrum Judæos an vero Ammonitas impetere deberet, Deus ita direxit sortes, quas consulebat, ut in Judæos, quorum peccata ultionem suam magis provocaverant, expeditionem illam militarem susciperet, *Ezech.* XXI. 29, &c.

VIII. Denique providentia divina circa peccatum jam commissum se exerit, non tantum puniendo ipsum ex severitate, aut condonando ex misericordia; sed etiam ad bonum aliquem finem inservire faciendo, contra perpetrantis intentionem. Ita Deus usus est venditione Josephi, ad conservandum familiam patris & regnum Ægypti, ne fame perirent; & scelere Judæorum Jesum morti tradentium, ad generis humani redemtionem.

IX. *Modi* secundum quos Deus providentiam exercet, sunt ejus, ut ita dicam, tum quantitas tum qualitas. Et quod ad quantitatem attinet, illa in eo consistit. 1. Quod Deus majorem curam gerat hominum quam boum, aut volucrium aut liliorum agri, 1 *ad Cor.* IX. 9. *Matth.* VI. 26, &c. 2. Quod pro libero voluntatis suæ beneplacito, non omnibus æqualiter voluntatem suam manifestat, sed aliis tantum per opera sua, aliis insuper verbo; secundum id quod dicit Propheta, *Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israel. Non fecit ita omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*, *Psalm.* CXLVII. 19, 20. Eoque etiam referri potest illud in parabola dictum; *An non licet mihi, quod volo, facere in meis? Matth.* XX. *v.* 15. quod de gratiis spiritualibus & vocatione ad salutem intelligi debere circumstantiæ docent. 3. Quod Deus magis diligat justitiam & oderit peccatum, quam homines nude in se spectatos; ut significat Petrus, dicens, *Deum absque acceptione personarum judicare secundum uniuscujusque opus*, 1 *Petr.* I. 17. vide etiam verba ejus ad Cornelium, *Actor.* X. 34, 35. Attamen ubi agitur de operibus ceremonialibus, Deus illa solum accepta habet cum à fideli corde proficiscuntur, & rejicit, quæ ab infideli. Inde Moses, *Dominus respexit ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain autem & ad munera illius non respexit*, *Genes.* IV. 4, 5. quia agebatur de cultu ceremoniali à duobus istis fratribus Deo exhibito. 4. Quod Deus peculiari studio prosequatur fideles & justos supra cæteros homines. Unde dicitur à Paulo *Salvator omnium hominum, maxime vero fidelium*, 1 *Tim.* IV. 10. vide etiam *Psalm.* XXXIV. 16, &c. CV. 15. Indeque fit ut plura & majora gratiæ suæ dona iis largiatur, quam aliis, *Psalm.* XVIII. 20, &c. *Matth.* XIII. 12. & XXV. 29. & magis in tentationibus ipsis assistat, ne succumbant, 1 *ad Cor.* X. 13. *Apoc.* XIII. 10.

X. Qualitas providentiæ in duobus præcipue spectatur. 1. Quod alia sit ordinaria, alia vero extraordinaria. 2. Quod alia sit immediata, alia vero mediata. Providentia ordinaria est, qua Deus in hominum regimine ordinem à se ab initio institutum observat, & omnia convenienter naturæ, quam ipsis indidit, gubernat. Sic ordinarie regit Principatus & regna per magistratus & reges, & Ecclesiam per pastores & seniores quos ei præfecit; ita tamen ut consiliis ipsorum præsideat, nec semper sinat exequi id quod proposuerunt, sed flectat eos quocunque libet. Unde Salomon, *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam*, *Proverb.* XVI. 1. Item, *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud*, XXI. 1. Vide & *Jerem.* X. 23. *Scio Domine, non esse penes hominem viam illius, nec penes virum ambulantem dirigere gressus suos.* Providentia extraordinaria est, qua Deus in regimine universi ordinem à se institutum non servat. Ut cum muti animalis os aperuit, & jumentum hominis voce loqui fecit, ut Balaami vesaniam corriperet, *Numer.* XXII. 23. 2 *Pet.* II. 16. & corvis

vis præcepit ut Eliam cibarent, 1 *Reg.* XVII. 4, 5, 6. Hæc enim & plura alia, quæ passim in S. literis occurrunt, & miracula vocari solent, sunt opera præter & contra naturæ ordinem, ut superius à nobis dictum est.

XI. Providentia Dei immediata est, qua ipse solus & absque ullis instrumentis aliquid in regimine mundi efficit. Ea præcipue versatur circa Angelos, quibus immediate se patefacit, & voluntatem suam declarat; licet etiam videatur ordines inter ipsos ideo constituisse, ut superiorum opera & interventu inferiores gubernaret. Providentia Dei mediata est, cum in regimine mundi media & instrumenta adhibet, per quæ id quod proposuit efficiat. Et ita ordinarie videtur se gerere, paucaque ipse immediate administrare. Nam quæ *de Concursu Dei* immediato ad singulas creaturarum & hominum actiones, non solum bonas, sed etiam malas, à quibusdam disputantur, si non falsa penitus, saltem incerta sunt & nullo solido fundamento nixa. Fateor quidem, Deum providentia sua non solum hominum vitam, sed etiam agendi vires & facultates, quas initio concessit, conservare, & absque Dei permissu neminem iis uti posse; sicque Deum omnium quæ faciunt homines principium, saltem remotum & per accidens esse. Quod si aliquis nomine *Concursus* intelligere velit, non admodum repugnabo. Sed quod ulterius addunt, unamquamque hominis actionem totam pendere à Deo, & totam ab homine, mera sunt verba sensu intelligibili destituta, aut potius insignis contradictio; quasi aliquis diceret, cum duo equi uni currui sunt alligati, eum totum ab uno, & totum ab altero trahi. Nec etiam verum est quod supponunt, Deum omnis entis auctorem per se & proximum esse. Nam actionum quas vetuit, non est auctor: frustraque inter eorum essentiam & modum distinguitur, cum ista distinctio in praxi locum non habeat, & malitia ab actu separari in plerisque nequeat. Deinde talis concursus Dei immediatus ad omnes hominis actiones vix potest admitti, quin Deus peccati auctor statuatur, præsertim cum ejus defensores dicant, concursu isto posito fieri non posse quin homines agant, & quidem eo agant modo quo agunt; quia modus actionis est aliquid positivum, quod concursum Dei non minus quam ipsa actionis essentia requirat. Ita ex. gr. Deo concurrente ad furis actionem non posse quin is bona aliena rapiat, ad actionem homicidæ quin alium occidat, ad actionem adulteri, quin is proximi thorum violet. In quod tamen absurdum illi non incidunt, qui docent Dei concursum non determinare hominis actiones, sed contra, hominem determinare Dei concursum; eoque posse pro arbitrio uti tam ad agendum, quam ad non agendum; & tam ad hoc quam ad illud agendum; quia prima causa sit ex se indifferens. Sed non videntur mihi satis commode mentem suam exprimere.

XII. Atqui, inquiunt alii, nisi ejusmodi concursus immediatus & determinatus admittatur, hominis actiones non pendebunt à Deo in fieri, & homo instar Dei alicujus, ens erit independens. Respondeo: miram hanc esse consequentiam, quasi illæ actiones non satis pendeant à Deo, quæ nec mente concipi, nec opere perfici, nisi Deo sciente & permittente, facultatemque agendi, quam dedit, conservante, possunt; & quas, cum vult, solo nutu impedire, aut alio quam homo cogitet convertere, tandemque, si displiceant, severe ulcisci potest.

XIII. Providentia Dei mediata utitur instrumentis vel passivis tantum, qualia sunt inanimata, ut ignis, grando, &c. & bruta quoque, ut ranæ, locustæ, &c. vel activis, ut sunt homines. Et admirabilem se ostendit quando ad magna opera efficienda adhibet instrumenta vilia, ut insecta, ad puniendum Pharaonem, Herodem, &c. & vilibus piscatoribus nulla humana scientia aut potestate instructis ad statum totius orbis mutandum, & paganismum abolendum. Secundum id quod dicit Apostolus, *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus,* 1 *ad Cor.* I. 26, &c.

XIV. Ad modum etiam providentiæ pertinet, quod Deus nihil agit, nisi se decenter, & naturæ eorum quos gubernat, aut tanquam instrumentis utitur, convenienter. Quod ad primum, certum est, Deum nihil unquam agere nisi decenter se, quia omnes ejus actiones consentaneæ sunt bonitati, justitiæ, similibusque proprietatibus divinis. Itaque nihil præcipit quod natura sua malum aut turpe sit, nec quod eorum, quibus mandatur, vires superet, nec punit eos, qui non peccaverunt. Hac occasione quæritur, an Deus aliquid præcipiat hominibus quia bonum est, & vetet, quia malum est; an contra id, quod Deus præcipit, idcirco sit bonum, quia ab eo mandatum est, & quod vetat, idcirco solum sit malum, quia ab ipso prohibitum est. Ad quod respondeo per distinctionem legis divinæ in naturalem & positivam. Lex naturalis est non illa tantum, quam modo diximus hominum cordibus à nativitate fuisse inscriptam; sed etiam quæ ad eam ab oblivione vindicandam, aut illustrandam, postea addita est. Quo sensu legem Decalogo comprehensam vocamus naturalem, quia omnia ejus præcepta (excepto quarto de observatione Sabbathi, in quo aliquid ceremoniale est) legi cordibus inscriptæ consentanea sunt, & quasi rivuli sunt ex isto fonte deducti. Positiva lex est illa, quæ à naturali longius recedit, & inde non est evidenter deducta, sed à mero Dei arbitrio pendere videtur; qualis erat prohibitio Adamo & Evæ facta, ne arbore scientiæ boni & mali vescerentur; circumcisio, & ritus illi à Mose traditi. Hoc discrimine observato, dicimus illa quæ lege naturali præscribuntur bonitatem suam non accipere

re à mandato, vel quæ vetantur pravitatem ab interdicto; ſed contra, Deum illa præcipere quia honeſta, aut prohibere quia turpia ſunt. Alia vero poſitivæ legis eſt ratio; quæ enim præcipit, ideo tantum honeſta ſunt, quia præcepta, & quæ prohibet, ideo tantum ſunt turpia, quia prohibita: niſi forte poſitivum jus aliquando cum naturali ſit junctum, aut aliquam cum eo affinitatem habeat.

XV. Sed forte quæres ulterius, an non etiam illa naturalis honeſtas & turpitudo à voluntate Dei pendeat; cum abſurdum ſit aliquid voluntate Dei prius ſtatuere, quod ejus ſit norma. Reſpondeo, in eo quidem naturalem actionum humanarum honeſtatem & turpitudinem à Dei voluntate pendere, quia ex ea pependit, ut hominem potius, quam bruta, ratione donaret. Sed poſita ratione, qua homines inter ea, quæ naturaliter honeſta aut turpia ſunt, diſcrimen faciunt, à mera Dei voluntate non pependit ut honeſta præciperet & turpia vetaret, ſed à ſua ipſius & rerum natura; adeo ut non potuerit illis convenienter contrarium facere. Nam, ut inquit Paulus, *ſe ipſum abnegare non poteſt*, 2 *ad Tim.* II. 13. Abſurdum autem non eſt, voluntate Dei, quatenus non pro facultate, ſed pro libero volendi actu accipitur, naturam Dei priorem ſtatuere, quæ neceſſaria eſt & cui voluntas, ut juſta ſit, conformis eſſe debet. Itaque Deus non poteſt præcipere, ut nomen ſuum blaſphemetur, odio habeatur; aut vetare ne colatur, ametur, & ſimilia quæ Decalogo continentur.

XVI. Quod ad alterum, Deum nempe nihil agere niſi naturæ eorum quos gubernat aut tanquam inſtrumentis utitur convenienter; id etiam certum eſt, quia providentia eſt creationi ſuccenturiata; quod autem Deus dedit alicui cum ipſum condidit, non tollit per ſuum regimen, niſi forte extraordinarie & ad breve tempus. Cum ergo initio donaverit hominem libertate arbitrii, non tollit ejus uſum determinando omnes illius actiones decretis ſuis abſolutis, ita ut nihil aliud facere aut omittere queat, ſive boni, ſive mali, quam ad quod reipſa faciendum aut omittendum à Deo determinatus eſt. Sic enim eſſet peccati auctor, & nullum relinqueret virtuti & vitio nec præmio & pœnæ locum. Graviter itaque errare cenſendi ſunt, qui duplicem neceſſitatem rebus tribuunt ex providentia divina, unam *immutabilitatis*; quia cum Deus non mutet decretum, ſicut dicitur *Pſalm.* XXXIII. 11. *Malach.* III. 6. quicquid omnino decrevit, certiſſime evenit: alteram *infallibilitatis*; quia cum falli non poſſit præſcientia ipſius, utpote immutabili decreto innixa, quicquid etiam præſcit, neceſſario tandem fit, ſive exiſtit, *Actor.* XV. 18. Addunt quidem, neutram abolere contingentiam, libertatem, aut caſum in cauſis ſecundis, &c. Sed aperte ſibi contradicunt, quia cum duplici ejuſmodi neceſſitate, nulla prorſus contingentia locum habere poteſt.

Caput XIII.

De providentia Dei circa primos homines, & de illorum ſtatu ante lapſum.

I. Deum primos homines in horto Heden collocaſſe. II. Ibique fuiſſe arborem vitæ, III. Et ſcientiæ boni & mali. IV. Deum graves ob cauſas eſum ejus fructus illis interdixiſſe, V. Et legem ſuam mortis comminatione ſanxiſſe. VI. Adamo nullam factam fuiſſe promiſſionem vitæ æternæ. VII. Refellitur Judæus Menaſſe. VIII. Reſpondetur argumentis, quibus promiſſionem æternæ vitæ Adamo eſſe factam quidam probare conantur. IX. Inepte ſtatui primos mortales ipſa creationis die fuiſſe lapſos. X. Quam infirmo fundamento hæc opinio ſuperſtructa ſit; Et plurima ὕστερα πρότερα in S. literis occurrere.

I. EGimus de providentia Dei circa omnes homines in genere, ſequitur ut conſideremus illam ſpeciatim circa primos homines. Ea diſtingui poteſt ſecundum tria temporis intervalla, nempe ante lapſum, in lapſu, & poſt lapſum. Providentia Dei circa hominem ante lapſum in eo primo conſiſtit, quod creatum ſtatim *collocavit in horto, ſeu Paradiſo Heden, Gen.* II. *v.* 15. quæ erat regio amœna & fertilis ſupra reliquas omnes. Magnum eam comprehendiſſe terræ ſpatium, apparet inde, quod quatuor allueretur fluviis alicubi ſatis à ſe invicem diſſitis: qui ſunt, *Phiſon, Gihon, Tigris & Euphrates.* Eorum duos poſteriores Babyloniam trajicere notum eſt geographiæ peritis: Priores etiam inde videntur non procul abeſſe; licet quinam ſint certo dici nequeat. Deus autem poſuit hominem in iſto horto ut operaretur & cuſtodiret illum, *Gen.* II. 15. Non enim debebat ibi vitam in otio tranſigere: ſed terram colendo fructibus veſci, quos proferret, licet labor iſte non adeo moleſtus eſſet futurus ut poſt lapſum, maledicta à Deo terra, redditus eſt.

II. Deus hortum iſtum multis arborum generibus in uſum hominis repleverat. Inter quas duæ erant inſigniores, nempe *arbor vitæ, & arbor ſcientiæ boni & mali, Gen.* II. 9. Arbor vitæ ita fuit appellata, quod vim haberet vitam conſervandi, non quidem in omnem æternitatem, (quod ſolius omnipotentiæ divinæ eſt opus) ſed in longiſſimum tempus. Unde poſt peccatum, cum Deus hominem neceſſariæ morti addixiſſet, ipſum etiam ab iſta arbore arcuit, *Gen.* III. 22, 23, 24. Non fuit ergo nuda vitæ æternæ figura, omni virtute deſtituta, ut quidam exiſtimant: ſed facultatem habuit à morbis præſervandi, & calidum atque humidum illud radicale, in quo vita conſiſtit, reparandi, atque vitam quouſque naturæ vires ferrent producendi: donec placeret Deo hominem, abſoluto obedientiæ curſu, in cælos aſſumere, & immortalitate donare.

III. Sed quod ad arborem ſcientiæ boni & mali, Deus ejus eſum homini interdixit, addita ſevera comminatione, *In quocunque die comederis ex ea, morte morieris, Geneſ.* II. 16, 17. Quænam autem illa fuerit fruſtra quæritur, cum id Scriptura non

non revelarit. Sunt qui putent ironice ita dictam fuisse, quia comesta tenebras ignorantiæ menti hominis offusura esset. Sed nullam video rationem, quæ nos tam longe à propria verborum significatione discedere cogat. Existimarim ergo potius istud nomen sortitam esse, quod revera aliquam boni & mali cognitionem afferre apta foret; non tamen honesti & turpis, de eo enim sana ratio, qua homo prædiditus erat, sufficienter edocere poterat: ut præteream, absurdum esse putare Deum homini talis boni & mali scientiam, sine qua potius brutum fuisset quam homo, & ad ipsum colendum ineptus, invidisse. Sed bonum & malum cujus cognitionem afferebat ista arbor, erat decorum & indecorum; nempe decorum esse homini nuditatem suam tegere; indecorum contra nudum incedere, quod Adamus & Eva infantibus similes ignorabant. Talem enim scientiam eos arboris istius esu adeptos fuisse historia docet. Nam statim *ipsos nuditatis suæ puduit, & consuerunt folia ficus unde fecerunt sibi perizomata*, Genes. III. 7. Itaque id, quod ibi dicitur, apertos fuisse ipsorum oculos, non debet ironice, sed proprie & absque figura accipi.

IV. Cur autem Deus istiusmodi interdictum homini fecerit, nos latet: sed quin graves habuerit causas, sapientia ipsius, ex cujus præcepto omnia agit, nos dubitare non permittit. Istud tantum probabiliter dicere possumus, Deum obedientiæ Adami & Evæ experimentum sumere voluisse. Id autem fieri non poterat in legis naturæ præceptis, qualia in Decalogo continentur. Ea enim violandi nulla se adhuc offerebat occasio, nec fieri poterat ut in idololatriam πολυθεϊσμοῦ inciderent, cum Deus se illis clare manifestasset; nec ut se homicidio, adulterio, furto aut alio ejusmodi scelere contaminarent, quamdiu soli erant in terra. Frustra autem illud prohibitum esset, quod ne fieri quidem potuisset; cum ea demum sit vera & sincera virtus, abstinere à malo quando id perpetrandi irritamenta adsunt. Eo igitur fine lex ceremonialis aut positiva homini præscribenda fuit; qualis erat illa de abstinendo ab esu fructus pulchri oculis & appetitum irritantis, atque desiderabilis ad boni & mali scientiam, qua omnes naturaliter tenentur, acquirendum. Interdicto autem isti, ut appareret quam æquum esset, & observatu facile, Deus addiderat concessionem, dicens, *ex omni ligno Paradisi comede*, &c. sic innuens homini nihil defuturum, quod ad vitæ necessitatem aut honestam voluptatem desiderare posset, quamvis ab arbore scientiæ boni & mali arceretur.

V. Præterea Deus legem istam firmaverat sanctione, *fore ut quacunque die homo comederet de arbore scientiæ boni & mali, morte moreretur*, id est, certo moriturus, seu nullo pacto mortem evasurus esset. Sic enim phrasin hanc intelligendam esse ostendunt alia Scripturæ loca in quibus occurrit. Vide ex. gr. Gen. XXVI. 11. ubi Moses narrat Abimelechum toti populo suo edictum proposuisse de Isaaco, *quicunque tetigerit hunc hominem, aut ejus uxorem, morte morietur*; & 1 Sam. XIV. 39. ubi Saul dicit: *Dominus vivit, qui est Salvator Israëlis, etiamsi id à filio meo Jonathane factum esset, morte morietur*. Quod recte Vulgata Latina paraphrastice reddidit, *absque retractatione morietur*. Itaque errant, qui Deum ignis æterni supplicium, post corporis mortem subeundum, Adamo interminatum esse putant. Præsertim cum ipse alibi mentem suam ita clare aperiat, ut non possit magis. Nam hominem peccati redarguens, dicit ei, *quia es pulvis in pulverem etiam reverteris*, Gen. III. 19. quod nihil aliud nisi mortem corporalem significare evidens est. Nec ex eo quod Euangelii contemptores in ignem æternum & inextinguibilem olim conjicientur, sequitur hanc pœnam in comminatione Adamo facta comprehensam quoque fuisse. In libera enim Dei potestate est situm, quales ipsi videtur peccatoribus pœnas decernere, aliis graviores, aliis leviores, pro criminum diversitate. Majorem autem ibi esse culpam, acerbiorique supplicio dignam, ubi major est gratia, qualis nobis contingit sub Euangelio, omnes norunt. Nec etiam objici jure potest, si Deus mortem tantum corpoream homini comminatus fuisset, animam ergo ipsius instar animæ brutorum perituram. Nihil enim obstat, quominus anima peccatoris post separationem à corpore in æternum vivat, & tamen nulla sensus pœna crucietur, sed tantum à beatitudine cælesti excludatur.

VI. Quæritur hic, Utrum Adamo facta fuerit vitæ cælestis & æternæ promissio. Ad quod respondeo, nulla nos in sacris Literis promissionis ullius ipsi factæ vestigia invenire; ac proinde non posse nos illud absque temeritate affirmare. Non quod diffitear, tacitum aliquod inter Deum & Adamum fuisse pactum, quo Deus se obligabat, ad ipsum in felici illo statu, in quo posuerat, conservandum, quamdiu is se tali favore indignum contumacia sua non redderet. Sed ista felicitas erat tantum animalis & terrestris, aliam aperte promisisse non video. Nisi quis figurate promissum vocare velit, quod Deus illam vitam ei dare apud se decreverat, quamvis suum ipsi decretum non patefecisset; eodem sensu quo Paulus dicit, *Deum nobis vitam æternam ante secula promisisse*, Tit. I. 2. quod forte ideo fecit, ut tanto melius appareret omne bonum, quod postea ipsi largiturus esset, nullo modo esse debitum, sed à mera sua gratia proficisci.

VII. Menasse Ben-Israël ex istis Dei verbis, *pulvis es & in pulverem reverteris*, Gen. III. 19. colligit Adamum ex mortuis resurrecturum, quia Deus non dicit, *pulvis es, & in pulverem ibis*, sed *redibis*. Cum enim Adamus pulvis jam esset, non poterat utique in pulverem converti; atque idcirco non concinne dictum fuisset in textu *pulvis es, & in pulverem converteris*, aut *reverteris*: sed dicendum fuerat, *in pulverem ibis*. Verum hoc loco resurrectio mortuorum indicatur. Tantundem enim est, ac si legeretur dictum, pulvis nunc es, ô Adam, illoque pulvere iterum indueris, tempo-

re resurrectionis mortuorum; quod necessarium non fuisset si Adamus non peccasset, quia tunc aut non fuisset moriturus, aut cum corpore simul atque anima transferendus, ut Hanoch, & Elias, *lib.* I. *de Resurrect. mortuor. cap.* I. Sed tam ineptum est Rabbini istius commentum, ut non putem quenquam Christianum ei assentiri velle. Nam I. comminationem pœnæ, in beneficii promissionem præpostere transformat. 2. Adam à Deo pulvis vocatur respectu suæ originis, non quod tunc cum istud diceret, pulvis adhuc esset. Pulvis enim ille, qui prima erat corporis Adami materia, in carnem, sanguinem & ossa conversus fuerat. Itaque istis verbis, *in pulverem reverteris*, non significatur, iterum ex pulvere fies, sed, in pulverem dissolveris, unde ab initio corpus tuum formatum est. Ut jam non addam, corpora nostra in resurrectione non fore pulverea & terrena, sed cælestia; ut docet Paulus I *Cor.* XV. 35, &c. quod arcanum Judæus iste ignoravit.

VIII. Quidam Christiani doctores objiciunt I. Christum eo fine esse mortuum, ut per ipsum recuperemus, id quod in Adamo amisimus. Cum ergo per Christum vitam æternam obtineamus, nos eam in Adamo amisisse. Et per consequens, Adamum eam fuisse obtenturum, si in integritate sua perseverasset. Sed respondeo, Scripturam nullibi dicere, Christum idcirco solum esse mortuum, ut per eum recuperemus id quod in Adamo amisimus. Istud est nimium tenuiter de ipsius beneficiis sentire, & non parum de nostra erga eum obligatione minuere; præsertim si credatur, ut vulgo fit, omnia quæ nos premunt mala, tam culpæ, quam pœnæ, ex Adami peccato inevitabiliter fluere. *In hoc* quidem *apparuit filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli*, I *Joan.* III. 8. opera autem Diaboli sunt peccatum & moriendi necessitas. Sed etsi homo ante lapsum morti non erat obnoxius, non sequitur tamen Deum ipsi vitam æternam promisisse. Afferunt 2. arborem vitæ fuisse sacramentum obsignans promissionem vitæ æternæ, idque inde patere, quod per istam arborem vita æterna nobis in cælis promissa significetur in Novo Testamento, ut *Apocal.* II. 7. & XXII. 2. Respondeo, consequentiam istam esse vitiosam; nihil enim prohibet, quominus arboris vitæ nomen in Novo Fœdere, pro vitæ æternæ figura usurpetur, quemadmodum temporalia & terrena æternarum atque cælestium typus esse solent: etsi ejus promissionem Adamo non obsignarit. Dicunt 3. Deum in Enocho & Elia, qui vivi rapti sunt in cælum, ostendisse idem tandem Adamo eventurum, si non peccasset. Respondeo, nolle me id negare, imo contra agnoscere, valde esse probabile: sed tamen inde non probari quod in quæstione versatur, quia Adamus nullam habuit ante lapsum cognitionem eorum quæ istis viris multis post sæculis acciderunt, ac proinde non fuerunt ei exemplo, unde disceret quænam Dei erga se voluntas esset. An vero & quatenus pios qui postea vixerunt certos reddere potuerint se æterna in cælis vita donatum iri, alio loco disquiretur.

IX. Quamdiu primi homines in statu innocentiæ perseverarint, est incertum. Verisimile est non admodum longo tempore, quia Moses nihil commemorat, quod interea fecerint. Sed quod quidam definire audent, eos in peccatum lapsos esse ea ipsa die, qua creati fuerunt, non tantum temerarie dicitur, sed etiam mihi ridiculum esse videtur. Nec enim convenit cum justitia illa originali, quam tantopere extollunt, atque in illuminatione intellectus & sanctificatione voluntatis ac omnium affectuum collocant. Nam exiguarum admodum virium fuisse oportet, si hominem unum diem, aut paucas aliquot horas, in officio continere nequivit.

X. Fundamentum quo nituntur est, quod Moses lapsum hominis *Genes.* III. describat, & postea *cap.* IV. dicat, *Adam cognovit uxorem suam Evam, quæ concepit & peperit.* Id autem contigisse videtur nocte creationis suæ diem immediate sequente. Nam statim atque Eva creata fuit, data est ei in uxorem, & dictum est illis, *Crescite & multiplicamini.* Respondeo, Nemo in lectione historiæ sacræ aliquantulum versatus ignorat ὑστερόπροτερα in illa frequenter occurrere: ne longe hinc abeam, illud omnino per ὑστερολογίαν dictum esse puto quod *cap.* II. 9. legimus; *formatis de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cæli, Dominus Deus adduxit ea ad Adam, ut videret quomodo vocaret ea*, &c. quod quamvis ante fœminæ creationem recenseatur, verisimile tamen est posterius accidisse. Nec enim existimo verbum istud *adduxit*, ita accipiendum esse, quasi Deus omnia animantia simul & semel congregaverit & coram Adamo stiterit, ut eis nomina imponeret. Probabilius est multo, Deum providentia sua effecisse, ut singula seorsim, & diversis temporibus homini occurrerent, ut facile ea agnosceret & per otium consideraret, & quo liberet nomine unumquodque appellaret. Et in hac nominum impositione Adam sociam aut saltem consciam habuisse conjugem suam Evam. Quicquid sit, cum Adam ultimus post omnes reliquas animantes creatus, & aliquamdiu solus relictus fuerit, ut ostendunt illa Mosis verba, *Adamo non inveniebatur adjutor similis ei*, *Genes.* II. 20. & postea Deus immiserit soporem in eum, abstuleritque ipsi costam ex qua Evam formaret; si præterea ad eum adduxerit omnia cæli & terræ animantia, quarum tam multæ sunt species, ut singulis nomina idonea imponeret: parum sane temporis relictum Satanæ fuerit ad hominem tentandum & in peccatum illa ipsa, ut volunt, die pelliciendum. Adde quod ex tentationis ejus historia appareat, seductorem illum observasse tempus quo Eva erat sola, & seorsim illam aggressum esse: quod speraret se ita facilius eam in suos casses pertracturum, quam si viro comitata fuisset. Non est autem credibile, Evam ea ipsa die, aut hora, qua creata fuit, tam procul ab Adamo discessisse, ut clam illo Satan eam

eam ad peccandum sollicitare potuerit. Imo nec videtur Satan tam cito post creationem hominis de ipso ad rebellionem in Deum incitando cogitasse: sed considerata per aliquod temporis spatium ejus felicitate, invidia fuisse accensum, & qua ratione eum inde deturbaret quærere cœpisse.

CAPUT XIV.

De primo Adami & Evæ peccato.

I. Causam primi peccati impulsivam fuisse Diabolum, serpentis larva indutum. II. *Respondetur Simplicio, qui hanc historiam,* III. *& arboris scientia boni & mali, ad fabulas Poetarum amandat.* IV. *Male Philonem & Origenem has historias in allegorias transmutasse.* V. *Serpentis dolum Evam minime excusare.* VI. *Diabolum causam moralem tantum, non physicam peccati fuisse.* VII. *Deum vero nullo modo homini peccandi necessitatem imposuisse.* VIII. *Non præscientia.* IX. *Non decreto ullo effectivo, aut permissivo.* X. *Non concursu immediato ad actum peccati.* XI. *Non denique necessitate consequentia.* XII. *Qua in re peccatum istud constiterit; & quam grave fuerit.*

I. INstitutæ disquisitionis ordo nunc postulat, ut de primo hominis peccato agamus. Occasio ejus & causa impulsiva fuit Diabolus, qui in corpore serpentis latens Evam adortus est, & ipsam ad transgrediendum Dei mandatum sollicitavit. Quid autem ipsum moverit ad istam tentationem, aliud concipi non potest, nisi quod felicitas, qua primos nostros parentes frui animadvertebat, quamque verisimiliter alia major secutura erat, si in obedientia Dei perstitissent, invidiam ejus accendit. Unde author *libri Sapientiæ* dicit, *Invidia Diaboli mortem introiisse in mundum, cap.* II. 24. Introivit autem mors in mundum, cum peccatum introivit, cujus illa est pœna, *Rom.* V. 12. Hucque etiam respexit Dominus Jesus dicens, *Diabolum esse homicidam ab initio, Joan.* VIII. 44. nempe quia statim ab initio mundi pellexit Evam in peccatum, unde orta est mors. Et quia Satan ad istud facinus corpore serpentis abusus est, ideo vocatur *draco & serpens antiquus, qui seducit universum orbem, Apoc.* XII. 9, & XX. 2. Idemque est verborum Pauli sensus, cum tribuit serpenti *quod Evam seduxerit astutia sua,* 2 *Cor.* XI. 3.

II. Sed cum absurdum videatur serpentem fuisse locutum, inde Ethnici ansam arripiunt historiam sacram suggillandi; alii vero tam ex Judæis quam ex Christianis, quasi aliter defendi nequiret, eam in allegoriam converterunt. Inter illos agmen ducit Simplicius, dicens narrationem Mosis de primo peccato resipere fabulas Poëtarum, utpote in qua loquelam tribuit serpenti, & Evam tam simplicem facit ut ab eo se decipi siverit. Item in eo, quod fingit aliquam arborem fuisse, quæ cognitionem daret boni & mali, aliam vero quæ vitam in æternum produceret; prout Poëtæ dicunt de nectare & ambrosia, quod vel semel gustata immortalitatem afferret. Ad quæ respondemus, naturaliter quidem fieri non posse ut serpens loquatur: sed ut potens aliquis spiritus, qualis est Diabolus, moveat bruti linguam, & per eam vocem articulatam formet, incredibile non debet videri: præsertim Philosophis Platonicis, qui confitentur dari ejusmodi spiritus, à corporea concretione alienos, qui aliquando statuas insederint & per eas locuti fuerint, ut historiæ gentium passim tradunt. At quomodo Eva tam simplex & improvida fuit ut dolum latentem non subolfecerit, & se ita à stupido serpente decipi permiserit? Istius sane nodi solutio perdifficilis est iis, qui Adamum ab initio tanta rerum naturalium cognitione donatum fuisse putant, ut nullus posterorum ad eam unquam attigerit: si enim ita se res habeat, fieri nequit, quin saltem aliquis radius tam excellentis scientiæ mentem Evæ irradiarit: alioquin ejusdem cum Adamo speciei non fuisset. Quid ergo, inquies, hic statuendum est? Respondeo, Adamum quidem & Evam in creatione fuisse præstanti ingenio donatos, (quamquam vir hac in parte aliquam supra mulierem prærogativam habuerit) sed tamen rerum omnium valde ignaros, quarum notitiam non nisi longo usu adipisci poterant: adeo ut mirum non fuerit, si ab initio nescierint, utrum ulla præter se animantium species, rationis & loquelæ particeps foret.

III. Nec incredibile videri debet, arborem quandam habuisse vim, cognitionem boni & mali afferendi; aliam vero adversus mortem præservandi: cum etiamnum hodie reperiantur medici, qui non dubitent artis suæ beneficio simile quid polliceri: Subinde enim illos jactantes audias, se remedia ad ingenium & memoriam acuendam, & ad morbos mortemque adeo ipsam procul arcendam, efficacissima habere: quod licet omnino certum non sit, probabilitate tamen non caret. Quomodo vero intelligendum sit duas istas arbores tali facultate fuisse præditas, supra explicavimus.

IV. Causam igitur non habuerunt Philo Judæus, Origenes & alii, cur eos sensus istius puderet, & historiam peccati primi in allegorias transformarent, dicentes, *Appetitum sensitivum*, quo Eva sollicitata fuit ad comedendum de fructu vetito, sub figura serpentis à Mose fuisse designatum. Etiamsi enim præsupposita sensus literalis veritate, hæc historia ἀλληγορικῶς quoque ad morum informationem non ineleganter ita applicari queat, tamen absurdum foret totam figurate exponere. Nam quæ de pœna serpenti propter Evæ seductionem inflicta hic narrantur, in appetitum sensitivum nullo modo quadrant. Idcirco illæ allegoriæ sunt prorsus repudiandæ, quæ sensum literalem evertunt. Periculosi enim sunt ingeniorum lusus, qui nihil certi cui fides tuto innitatur in S. Scriptura relinquunt.

V. Sic Diabolus serpentis larva occultatus, primus fuit παραβάσεως Evæ, & quæ illam mox secuta est, Adami, auctor. Quod tamen ad eos excusandos nihil facit. Etiamsi enim Eva pro simpli-

simplicitate sua, versipellis istius dolos non animadverterit, qui ipsam sub benevolentiæ specie ad peccandum sollicitabat, inexcusabilis tamen fuit, quod alii contra Dei & creatoris sui interdictum aures præbuerit. Deus dixerat, *Quacunque die comederis ex ista arbore, morte morieris.* Serpens contra, *Non moriemini etiamsi comedatis: sed eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* Cui amborum potius credere debebat? Nec etiamsi fructus ejus desiderabilis esset oculis, & aptus ad scientiam boni & mali adipiscendum, ideo fas ipsi fuit ab officio erga Deum discedere; sed potius oportebat ut scientiam illam contemneret, quam absque Dei offensione acquirere non poterat. Adamo rationes istæ propositæ non sunt, aut saltem iis ad peccandum inductus non fuit. Apostolus enim diserte dicit, *Adam non est seductus; sed mulier seducta in transgressione fuit*, 1 *ad Tim.* II. 14. Quare videtur Adam nimio placendi uxori suæ studio peccasse, adeo ut mori præoptaret, quam illi morienti superstes esse.

VI. Diabolus ergo fuit tantum causa moralis peccati, quatenus technis suis Evam seduxit, & per ipsam Adamum. Sed nullo modo coëgit eos mandatum Dei violare: quod si fecisset, immunes à culpa forent. Ipsi libere se permoveri passi sunt, quamvis sufficientibus armati essent viribus ad ei resistendum.

VII. Multo minus credendum est, Deum ullam homini necessitatem peccandi imposuisse. Id enim consistere non potest cum odio quo peccatum prosequitur, nec cum severo isto interdicto quod Adamo fecit, nec cum pœna qua id vindicavit. Falluntur ergo qui dicunt, hominem quidem respectu sui libere & contingenter lapsum esse, sed necessario & inevitabiliter respectu præscientiæ & decreti atque concursus Dei. Hæc enim contradictoria sunt, quæ nullis respectibus diversis conciliari queunt. Si Adamus libere & contingenter peccavit, potuit à peccato abstinere: si necessario & inevitabiliter, non potuit abstinere.

VIII. Et quod ad præscientiam Dei attinet, ea quantumvis certa, nullam cuiquam rei necessitatem afferre potest. Nihil enim extra se operatur, sed res quemadmodum suo tempore futuræ sunt, inspicit: si necessario eventuræ, ut necessario eventuras, si contingenter eventuræ, ut contingenter eventuras. Sicut autem impossibile est ut necessario futuræ non eveniant, ita contingenter futuræ tam non evenire quam evenire possunt. Præscientia Dei hic nihil mutat, sed unamquamque rem naturæ suæ relinquit, perinde ac si Deus eam non prævideret.

IX. Nec etiam ex decreto Dei factum est, ut Adam necessario peccaret. Non ex effectivo, quia sic esset peccati auctor, quod de Deo sanctissimo cogitare nefas. Nec etiam ex permissivo. Nam quod Deus decrevit lapsum hominis omnipotentia sua non impedire, id nullam ei peccandi necessitatem attulit, sed hac permissione posita fieri adhuc poterat ut firmus staret: Nisi Deus præterea, ut quidam volunt, auxilium, ad lapsum vitandum requisitum, ei subtraxerit: quod foret hominem à culpa absolvere, totamque in Deum conjicere. Quod si decretum Dei, ut prætexunt, contingentiam eventuum non tollit, non erit idoneum infallibilis ejus præscientiæ fulcrum. Existimant enim futura contingentia non esse scibilia, Deumque ut illa præscire possit, ad unum determinare. Quare fateri debent, aut Deum hominis lapsum infallibiliter non prævidisse, aut si prævidit, necessario tantum & non simul contingenter evenisse.

X. Nec denique concursus Dei ad esum ex arbore scientiæ boni & mali, causa fuit ut homo necessario ex ea ederet: nullus enim talis concursus Deo tribui potest, quin peccati auctor constituatur. Dicunt quidem concurrisse ad istum esum, non quatenus erat peccatum, sed tantum quatenus erat actus. Sed hæc mera sunt verba: nam post Dei interdictum ille esus non poterat amplius considerari ut simplex actus, sed ut actus vitiosus. Quare si Deus ita concurrit ad actum, qui à peccato separari nequibat, ut ipso concurrente, homo ageret necessario, simul & peccati & actus causa fuit. Illi augent absurditatem, qui dicunt necessarium fuisse, ut homo ex arbore vetita ederet, quia Deus hoc ipsius facto uti proposuerat, ad suam misericordiam & justitiam illustrandam. Eam enim non poterat illustrare per esum arboris scientiæ boni & mali, quatenus erat actus, sed quatenus erat peccatum. Nam peccatum qua peccatum aut remittitur per misericordiam, aut punitur per justitiam, non qua est nudus actus.

XI. Quidam existimant se felicius absurda ista vitare posse, dicendo peccatum Adami necessarium fuisse necessitate solum consequentiæ, non consequentis: hanc vero tantum, non autem illam contingentiam tollere. Necessarium autem hoc genere necessitatis fuisse probant inde, quod Deus illud præsciverit; & præscivisse inde, quod remedium ei paraverit in Christo ante mundi constitutionem, 1 *Pet.* 1. 20. *Ephes.* 1. 4. Respondeo 1. Non repugnarem, si Deum contingentia futura præscire faterentur: sed cum negent, ipsum aliter ea quam in decreto suo prævidere, decretum autem quod necessario executioni mandari debet, contingentiam tollat, in luto adhuc implicati hærent. 2. Mallem ego dicere, Deum non absolute præordinasse Christum in generis humani redemtorem, sed sub hac conditione, si homines in peccatum laberentur, & eo indigerent.

XII. Quæritur in quo proprie constiterit Evæ & Adami peccatum, num in superbia, qua Deo similes esse, sciendo bonum & malum, affectarint; an vero in gula seu appetitu fructus pulchritudine irritato? Respondeo, videri fuisse mixtum ex utroque: licet loco superbiæ malim dicere curiositatem, in quam fœminæ & rerum ignari

ri maximè sunt proclives. Quin grave autem admodum fuerit, non est dubium. Erat enim expressi mandati Dei transgressio, cui excusandæ, nec ignorantia, nec infirmitas, prætexi poterat. Modum tamen illos puto excedere, qui gravissimum eorum fuisse dicunt, quæ unquam ab homine commissa fuerunt, utpote cum odio Dei conjunctum, quem mendacii accusarint, quando Satanæ magis quam ipsi credebant, adeoque fuisse idololatras, blasphemos, homicidas, & ut uno verbo dicam, omnia sigillatim decalogi præcepta violasse. Quamvis enim non absque aliqua specie ejusmodi consequentias eliciant; & verum sit quod πρωτόπλαστοι Deum eo sensu oderint, quo Scriptura, de omnibus qui mandata ipsius transgrediuntur, id affirmat; non est tamen probabile, eos in instanti à rectitudine, in qua creati fuerunt, adeo discessisse, ut expresse Deum odissent (quod vix in sceleratissimos cadit, & dæmonum proprium esse videtur) aut aliorum quæ recensui criminum participes essent. Sed simplicitas & incogitantia in Eva, in Adamo vero immoderatus uxoris amor effecerunt, ut quanto se obstringerent crimine non satis attenderent.

CAPUT XV.

De primi peccati pœna & effectis.

I. De serpentis pœna, & cur punitus fuerit. II. *Serpentem ante pœnam inflictam erecto corpore non incessisse.* III. *De pœna Diaboli; & inimicitia quam Deus inter semen serpentis & mulieris posuit.* IV. *De duplici mulieris pœna.* V. *De pœna viri.* VI. *De pœna mortis utrisque communi.* VII. *Mortis nomine, liberi arbitrii & potentia obediendi Dei mandatis amissionem, nunquam in S. literis designari.* VIII. *Nec Adamum post degustatum fructum hæc amisisse.* IX. *Præsertim cum Deus obedientiam ab eo postea postulaverit.* X. *Quid mali ex primorum parentum peccato ad posteros redundaverit.* XI. *Originis, quod dicitur, peccatum, merum esse commentum.*

I. SEquitur primi istius peccati pœna, quæ consideranda est 1. in causa ejus impulsiva, serpente & Diabolo, 2. in muliere, 3. in viro, 4. in utroque simul, 5. in ipsorum posteris. Quod ad serpentem, Deus dicit ei, *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ; super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius; ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*, Genes. III. 14, 15. Ubi *primum* quæritur, an non à ratione alienum fuerit, serpentem, qui brutum est animal, puniri ideo quod Diabolus ipso abusus sit ad seducendum Evam. Respondeo, id facere ad majorem peccati detestationem, si non tantum auctor ejus principalis, sed etiam instrumentum pœnæ subjiciatur, & quandoque bruta ipsa. Ideo lex jussit bovem cornupetam occidi, Exod. XXI. 28, &c. ut inde discerent Israëlitæ, quanto graviori pœna dignus esset homo qui alterum interemisset. Præcepit quoque ut pecus, cum quo homo nefaria se libidine miscuisset, morte afficeretur, *Levit.* XX. 15, 16. nimirum ut tam abominandi sceleris ne minimum quidem vestigium superesset.

II. *Secundo* quæritur, an serpens ante peccatum erecto corpore incederet, cum ipsi in pœnam sit impositum, ut super pectus suum gradiatur. Respondeo, nullam videri aliam mutationem factam in serpente, nisi in eo, quod cum antea agili motu se vibraret, postea gravior & difficilior incessus ei sit redditus. Unde etiam factum est, ut alimentum quærere debeat in pulvere terræ, cum antea facile se posset attollere ad gramine & aliis terræ fructibus vescendum. Pedes ergo & crura non sunt ei ademta, ut quidam putarunt; sed quod erat naturæ, conversum est in pœnam, sicuti etiam homini contigisse mox videbimus.

III. *Tertio* quæritur, quænam fuerit pœna Diaboli. Respondeo, Sicut corpore serpentis opertus peccavit, ita sub illius pœna, hujus quoque comprehenditur. Evidens est secundum literalem sensum, tantas inter hominum & serpentum genus obortas esse inimicitias, ut ubicunque sibi occurrunt, alterum alteri perniciem & interitum moliatur. Sed sensu mystico, qui nobis est revelatus in Novo Fœdere, per *semen mulieris* intelligitur Jesus Christus Dei Filius, qui *in hoc apparuit, ut dissolvat opera Diaboli*, 1 *Joan.* III. 8. & dedit fidelibus potestatem de illo triumphandi; secundum id quod dicit Paulus, *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter*, *Rom.* XVI. 20. vide etiam *Apoc.* XII. & XX.

IV. Pœna mulieri imposita fuit duplex. 1. quod cum dolore liberos esset paritura; cui connexæ sunt molestiæ gestationis in utero & educationis: Quamvis enim corporis muliebris talis sit constitutio, ut absque dolore & molestia non videatur naturaliter posse liberos utero gestare, parere & lactare, immunis tamen ab illis fuisset si in integritate sua perseverasset, Deo singulari gratia infirmitati ejus succurrente. 2. Quod sub dominio & potestate viri esset futura: nam licet vir naturaliter caput sit mulieris, utpote primo creatus, 1 *Tim.* II. 13. ideoque mulier subjecta esse viro ante peccatum debuisset; subjectio tamen illa non fuisset molesta in statu integritatis, sed æqua viri imperia mulier ultronea obedientia implevisset. Nunc aliter se res habet, cum sæpe contingat ut mulieres etiam probæ & honestæ δυσκόλοις seu difficilibus & morosis maritis sint subjectæ, ut Abigail Nabali.

V. Viri pœna fuit, (cujus tamen etiam quandoque particeps est fœmina) quod in sudore vultus deberet pane suo vesci, & in omni vita graves labores sustinere, terra propter ipsum maledicta. Nisi enim peccasset, terra facili cultu omnia ad alimentum hominis necessaria productura erat, & multa quoque sponte; quemadmodum etiam hodie in quibusdam rebus contingit.

VI. Communis utrique pœna fuit, ejectio è Paradiso, & via ad arborem vitæ præclusa, o-

pe Cherubim eam cum gladio flammeo obsidente. Unde secuta est moriendi necessitas, secundum hanc à Deo ipso pronunciatam sententiam, *pulvis es & in pulverem reverteris*, *Gen.* III. 19. Sub quibus verbis comprehendi quoque debere morbos & alios casus qui ad mortem ducunt, nemo, ut puto, negabit.

VII. Sed controvertitur, an quicquid Scriptura mortis nomine aliquando significat, ad hanc pœnam pertineat; quod nonnulli putant, quia in comminatione dictum fuit homini; *Morte morieris*, seu *moriendo morieris*, *Genes.* II. 17. Verum ostendi supra *cap.* XIII. §. V. quantopere errent. Unde sequitur, id quod dicunt de impotentia obediendi Dei mandatis, per istud unicum peccatum contracta, seu amissione liberi arbitrii, merum esse commentum. Cui adde, incertum esse, si non penitus falsum, illam mortis nomine in Scriptura designari solere. Quod apparebit, si propius considerentur loca ex quibus id probatur. Ut, cum Christus dicit, *Sine mortuos sepelire mortuos suos*, *Matth.* VIII. 22. &, *nomen habes quod vivas, & mortuus es*, *Apoc.* III. 1. Item Paulus de Ethnicis, *cum essetis mortui in delictis & peccatis vestris*, *Ephes.* II. 1. *Coloss.* II. 13. & de vidua quæ est in deliciis, *vivens mortua est*, 1 *Tim.* V. v. 6. Nam plane aliud sibi volunt; nempe eos de quibus agitur, quasi essent mortui, de rebus cælestibus, & ad regnum Dei pertinentibus, non cogitasse; non autem omni cogitandi facultate destitutos fuisse: alioqui non reprehenderentur ista de causa, & ad contraria studia incitarentur, ut fit à Paulo, dicente, *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, *Eph.* V. 14. vel etiam innuunt eos propter peccata mortem fuisse commeritos: qui videtur esse sensus locorum ex Epistolis ad Ephesios & ad Colossenses citatorum, ubi morti in peccatis opponitur remissio peccatorum. Nec is alienus est ab usu Scripturæ. Sic enim Deus loquitur Abimelecho, qui Saram Abrahami uxorem sibi sumpserat; *Ecce mortuus es propter mulierem quam accepisti*, *Gen.* XX. v. 3. id est, morte dignus. Eodem sensu quo David, audita Nathanis narratione de divite qui unicam pauperis ovem rapuerat, dixit, *filius est mortis qui fecit istud*, 2 *Sam.* XII. 5.

VIII. Unde videre est, quam inepte ex hac phrasi, *morte morieris*, colligatur Adamum post degustatum arboris vitæ fructum omnem boni agendi facultatem amisisse, perinde ac si mortuus fuisset. Nemo enim est qui ignoret, metaphoricas locutiones non ita urgendas esse quasi propriæ forent, & in omnibus ad amussim cum illis convenirent; alioqui nihil tam absurdi fingi poterit, quod ex Scriptura non eliciatur. Si enim eadem plane sit ratio mortis spiritualis & temporeæ, sequitur inde, ut quemadmodum corpore mortuis Euangelium non prædicatur, ita non debeat annunciari iis qui spiritu mortui sunt; contra id quod legimus 1 *Petr.* IV. 6. *Mortuis euangelizatum est*, &c.

IX. Non negaverim quidem, Adamum multis aliis peccatis post primum illud perpetratis, habitum sibi malum comparare potuisse, quem difficile ei fuisset suis viribus exuere, præsertim si Deus in gratiam ipsum recipere noluisset. Nam desperatio de venia obtinenda indurasset illum in malo, & inimicum Dei reddidisset. Sed cum Deus postea etiam obsequium ab eo postulaverit, credibile non est, ipsum ei vires ademisse sine quibus exhibere illud non poterat. Nec etiam est verum quod alii afferunt, Adamum peccando viribus se privasse aliquid boni in posterum agendi. Nam si illud Adamo evenit, idem quoque nunc contingeret omnibus qui peccant, ut post peccatum aliquod perpetratum amitterent vires bonum faciendi. Quod tamen experientia falsum esse docet.

X. Tandem dispiciamus, quid mali ex illo primo peccato in reliquos homines, Adami posteros, redundarit. Ubi primum rejicimus opinionem illam quæ vulgo tribuitur Pelagio, nempe Adamum peccando sibi soli nocuisse. Si enim ista fuit genuina ejus mens, procul dubio turpiter à vero aberravit. Nam videmus universum genus humanum iisdem malis esse obnoxium, quibus Deus primam illam inobedientiam tam in viro quam in muliere vindicavit. Ab ipsis mundi primordiis ad hæc usque tempora mulieres cum magno dolore pariunt liberos, & cum molestia gestant utero & lactant, licet aliæ magis, aliæ minus, & singulæ sunt viro suo tanquam capiti subjectæ, eique parêre debent. Viros etiam cum ingenti labore & cura (à qua mulieres non sunt plane immunes) oportet familiæ prospicere de iis quibus ad victum & amictum indiget; adeo ut divitibus, quibus magnæ opes hæreditario sunt relictæ, vix absque anxia sollicitudine iis frui liceat. Omnes denique tum viri, tum mulieres, cujuscunque conditionis sint, morbis atque morti obnoxii sunt, & è Paradiso exclusi, & ab esu arboris vitæ, cujus ope valetudinem integram conservare queant. Non quod Adami peccatum ipsis proprie imputetur; sed quia ita fert natura rerum, ut liberi non minus malorum quam bonorum paternorum sint hæredes. Indeque est quod dicit Apostolus, *omnes in Adamo mori*, 1 *Cor.* XV. 22. id est, per Adamum, seu quia ex Adamo progeniti sunt, ejusdemque cum ipso mortalis naturæ participes.

XI. Quod vero vulgo creditur, ex hoc primo Adami peccato profluxisse, & in universum genus humanum pervasisse aliud quoddam vere & proprie dictum peccatum, quod *originis* & *hæreditarium* vocant, id merum figmentum est; cum ejus nec in comminatione Adamo facta, *Genes.* II. nec in executione comminationis, *Genes.* III. ulla prorsus mentio fiat. Si enim tale daretur peccatum, istud procul dubio in his locis significatum fuisset, nec opus foret ex aliis, quæ diversam materiam tractant, id per operosas & subtiles consequentias elicere.

CAPUT XVI.

De peccato originis; & speciatim de ejus imputatione.

I. *Variæ opiniones de natura peccati originis.* II. *Admitti posse esse carentiam justitiæ.* III. *Sed Adami peccatum ejus posteris non ita à Deo imputari, ut eos eapropter ut revera peccati reos oderit, & morte æterna puniat,* 1. *quod Deus istud peccatum primis parentibus condonarit.* IV. 2. *Quod ipse testetur, filium non portaturum iniquitatem patris.* V. *Quo sensu Deus visitet peccata patrum in filios.* VI. *Hanc visitationem nihil commune habere cum imputatione peccati Adami.* VII. *Deum nobiscum non agere ut tyrannis in crimine Majestatis.* VIII. 3. *Abrahamum id non credidisse.* IX. 4. *Nec Mosem & Aaronem.* X. 5. *Deum unumquemque olim judicaturum secundum opera propria, non aliena.* XI. *Exceptionem de peccatis actualibus non quadrare in infantes.* XII. 6. *Non bene convenire huic imputationi cum absoluto decreto electionis.* XIII. *Respondetur argumento ex cap.* v. *ad Rom. desumpto. Et verba Apostoli male verti, in quo omnes peccarunt.* XIV. *Duæ interpretationes integri loci.* XV. *Ambas interpretari ἐφ' ᾧ per* quatenus, vel eo quod. XVI. *Verba, peccatum fuisse in mundo usque ad Mosem, ostendere hic non agi de peccato originis.* XVII. *Qua in re consistat similitudo inter Adamum & Christum.* XVIII. *Per eos qui non peccarunt ad similitudinem, &c. infantes nullo modo posse intelligi.* XIX. *Paulum ipsum vocem omnes, de multis interpretari.* XX. *Et peccatorem constitui, pro puniri sæpe in S. literis sumi.* XXI. *Quomodo Adamus peccans personam totius generis humani repræsentaverit.*

I. SEd de *peccato originis* accuratius adhuc nobis est agendum, & quæ cum de ejus *natura*, tum de *pœna* dicuntur, expendenda. Quod ad primum attinet, peccatum originis varie admodum definitur à Theologis; ita ut quid per ipsum proprie intelligant, vix sciri possit. Scholastici dicunt esse carentiam justitiæ originalis debitæ inesse. Sed Protestantes non acquiescunt in hac definitione, nec inter se etiam satis consentiunt. Alii enim existimant, peccatum originis nihil aliud esse nisi primum Adami & Evæ peccatum, quod Deus omnibus eorum posteris imputet, quasi ipsi commisissent, consequenterque eos justitia originali, qua donaverat primos parentes, exuat. Alii vero putant esse totalem depravationem intellectus, voluntatis, & omnium animæ facultatum, quæ homines pronos ad malum & inutiles ad bonum reddat. Quam corruptionem Flaccus Illyricus ita exaggeravit, ut ipsam hominis substantiam esse diceret. Sed præter istos sunt alii, qui duas postremas definitiones in unam conjungentes, peccatum originis consistere volunt partim in primi peccati imputatione, partim in naturæ nostræ corruptione. Quæ videtur esse magis hodie recepta inter Protestantes sententia.

II. Nunc quid in istis opinionibus desideremus, paucis indicandum est. Quod Scholastici docent, peccatum originis esse carentiam justitiæ originalis, videtur à veritate non esse valde alienum; si modo constaret quid per istam justitiam intelligi debeat. Certum enim est, omnes homines nunc nasci destitutos illa justitia & sanctitate, quam Deus à nobis requirit in Euangelio ut vitæ æternæ hæredes simus: præterea eos ad peccandum esse valde proclives. Sed quod addunt, istam justitiam debere hominibus inesse, ambiguum est. Vel enim debet inesse ut res quæ perfectiores eos redderet si haberent: quod libenter admittimus. Vel ita debet inesse, ut absentia ejus homines Deo exosos vere reddat: quod falsum esse dicimus. Nemo enim est obligatus ad habendum donum, quod non placuit Deo ipsi communicare. Adam peccavit quidem graviter justitiam illam abjiciendo: sed posteri ejus non peccant proprie quod illa destituti nascantur, & ad summum, id aliud non est quam miseria.

III. *Imputationem* aliam peccati Adami non agnoscimus, præter istam, quod ejus occasione omnes ab eo prognati, morti, & diversis in hac vita miseriis sunt obnoxii. Sed non credimus, quod Deus nos hujus peccati revera reos existimet, quasi illud ipsi perpetravissemus; & propterea nos oderit, aut ulli proprie dictæ pœnæ subjectos velit. Quod falsum & injustum esse sequentibus argumentis probo. *Primum* hoc est: Deus peccatum istud primum Adamo & Evæ, qui scientes & volentes, contra expressum ejus interdictum id commiserant, benigne condonavit, ut omnes tam Judæi, quam Christiani vulgo credunt; & colligitur primum ex eo, quod Deus in sententia contra serpentem dicit de semine mulieris, caput serpentis contrituro, *Gen.* III. 15. Nam per istud semen mulieris Christus intelligitur, *qui*, ut docet Joannes 1 *Epist.* III. 8. *in hoc apparuit ut dissolvat opera Diaboli; qui est draco & serpens ille antiquus, seducens universum orbem*, *Apoc.* XII. 9. & XX. 2, 3, *quem Deus conterit sub fidelium pedibus*, *Rom.* XVI. 20. *Secundo* inde, quod licet primi parentes propter suum peccatum morti subjecti fuerint, tamen Deus ipsos extemplo, ea die qua peccaverant, morte non puniverit, secundum comminationis rigorem, *Gen.* II. 17. sed magna utendo patientia, Adami mortem usque ad 930 ætatis ejus annum distulerit. Quod etiam confitetur auctor libri Sapientiæ, dicens, *sapientiam custodivisse illum qui primus formatus est, & eduxisse eum è delicto suo*, *Sap.* X. 1, 2. nempe quia per pœnitentiam obtinuit ejus remissionem: quanquam Deus etiam propter posteros, quos ab iis oriri volebat, peccatum ipsis condonarit. Si igitur Deus erga illos, qui vere & proprie rei erant, adeo misericordem se exhibuit, ut peccatum eis remitteret; ab omni verisimilitudine abest, ut id posteris eorum, plane innocentibus, utpote nondum cum peccarunt natis, imputare velit. Hoc enim esset omnem justitiæ ordinem invertere, reos pro innocentibus, innocentes vero pro reis habendo & tractando. In historiis quidem legimus, aliquos immanes tyrannos simul cum parentibus, à quibus offensi fuerant, omnem eorum progeniem delevisse, & infantibus in cunis vagientibus non pepercisse, nimirum

quia verebantur, ne aliquando mortem patribus suis illatam ulcisci vellent. Sed nullus adhuc inventus est, qui patre reo in gratiam recepto, in liberos ejus innocentes sævierit. Adeo ut opinionis istius defensores Deum inhumanissimis tyrannis crudeliorem, cum summa bonitatis & justitiæ ejus ignominia, nobis depingant.

IV. *Secundum.* Deus ipse in Scriptura S. docet, se liberis parentum peccata ad pœnam imputare nolle. *Anima quæ peccaverit morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Justitia justi super ipsum erit, & impietas impii super ipsum erit*, Ezech. XVIII. 20. Verum quidem est, hic non agi in specie de Adami peccato; sed de peccatis quæ commiserant patres illorum Judæorum, qui in captivitatem Babylonicam abducti fuerunt. Sed quia Deus sui semper similis est, credi non debet ipsum in universum genus humanum statuere voluisse, quod in unius populi causa iniquum esse judicavit.

V. Atqui, excipiunt nonnulli, Deus ipse pronunciat expresse in Decalogo, *se iniquitatem parentum visitare in liberos, usque in tertiam & quartam generationem eorum qui ipsum oderunt.* Ita est: sed inde non probatur Deum punire liberos insontes propter parentum peccata, quorum participes non fuerunt. Infantes quidem teneros aliquando iisdem cum parentibus suis involvit calamitatibus, & morte violenta abripit: sed non punit eos. Parentes impii sunt illi proprie quos pœna tangit, quando Deus ipsos in charissima & maxime sensibili sui parte, id est, in liberis, quos aliqui magis amant quam se ipsos, percutit. Ideo in lege mentio fit tertiæ & quartæ generationis, quam ii, qui paulo longæviores sunt, videre solent. Deus enim sic ipsorum aggravare vult supplicium, cum spectatores eos reddit calamitatum, quæ proli suæ accidunt. Eoque spectavit Nebucadnetzar, cum Sedeciæ filios in conspectu ejus, & antequam oculos ipsi erueret, jugulari jussit, *Jerem.* LII. Quod ad parvos infantes attinet, qui talia patiuntur, ii creaturæ sunt Dei, in quas summum habet imperium, ut de illis pro arbitrio statuere possit. Nec mirum videri debet, quod cum ipsos mortales creaverit, vitam ab iis hoc tempore & modo potius quam alio repetat.

VI. Istam autem procedendi rationem nihil habere affine cum imputatione peccati Adami, ex tribus discriminibus doceo. 1. Quando parvuli infantes comprehenduntur una cum adultis in judiciis, quæ Deus in impios exercet, ut factum est in diluvio, in conflagratione Sodomæ & Gomorræ, aliisque ejusmodi, nihil aliud acerbi patiuntur, nisi quod morte corporea obeant, cui jam obnoxii erant ob nativitatis suæ sortem, & quæ iis, qui morbo extinguuntur, aliquando non minus crudelis est, quam si gladio aut igne perirent. Sed volunt Deum imputare Adami peccatum maximæ posterorum ejus parti ad æternæ mortis cruciatus. 2. Deus non visitat iniquitatem parentum in filios, nisi quando filii vestigia ipsorum premunt. Cum enim sunt probi & justitiam sectantur, nullum ex patrum peccatis damnum percipiunt, ut totum caput XVIII. *Ezechielis* docet. Istud solum in hac punitione peculiare est, quod Deus occasionem sumat ex patrum delictis, quibus jamdudum irritatus fuit, ut citius liberos plectat, quam alioqui facturus esset. Sed docent, Deum imputare Adami peccatum omnibus ejus posteris cum adhuc in utero materno sunt, antequam ipsius imitatores esse queant, aut Dei iram propriis peccatis provocaverint. 3. Comminatio legis mentionem solum facit tertiæ & quartæ generationis. Sed existimant imputationem peccati Adami ad tot generationes extendi, quod à mundi exordio usque ad ejus finem futuræ sunt. Id quod nullum promissioni Dei, de misericordia erga piorum liberos exercenda, nedum in mille generationes, locum relinquit.

VII. Alii afferunt adhuc, solere liberos in criminibus læsæ Majestatis una cum parentibus interimi: Adami autem peccatum fuisse læsæ Majestatis divinæ crimen. Sed istud nullius est momenti. Male enim ex aliquot immanium tyrannorum praxi aut legibus colligitur, quomodo se clementissimus Deus erga homines gerat, præsertim cum lex ejus directe contrarium statuat, cujus hæc sunt expressa verba; *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur*, *Deut.* XXIV. 16. Laudaturque Amazias rex Juda, quod hanc legem religiose observarit, supplicio quidem merito afficiendo eos, qui regem suum patrem interemerant; sed liberos eorum morti non tradendo, 2 *Reg.* XIV. 5, 6. Multo potiori jure pro nobis adducere possumus consuetudinem jam olim observatam inter populos æqui amantiores, ut mulieris gravidæ, quæ mortem merita est, supplicium differatur donec enixa sit; nimirum ne fœtus innoxius in matris pœna injuste comprehendatur. Qua de re Ulpianus, *Pregnantis mulieris consumenda damnatæ pœna differtur quoad pariat, Dig.* XLVIII. *tit.* 19. *de pœnis.*

VIII. *Tertium argumentum.* Nec Abrahamus credentium pater existimavit Deum Adami peccatum toti humano generi imputare. Cum enim animadverteret Deum se ad Sodomæ destructionem accingere, ubi paucos adhuc bonos (id est, qui nullo se ex iis sceleribus, quæ leges humanæ morte puniunt, commacularant) superesse putabat, tanta severitate perculsus sic ipsum affatur; *Absit à te ut hanc rem facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius; absit, inquam, à te. Numquid judex universæ terræ non faciet judicium? Gen.* XVIII. 25. Tantopere autem ob hoc judicium non fuisset commotus, si jam persuasus in animo fuisset de peccati Adami imputatione, & Deum ob illud solum maximam hominum partem æternis inferni cruciatibus adjudicasse. Pœna enim quam Deus in Sodomæos & Gomorræos exercere parabat, mera, respectu tam horrendi decreti, erat lenitas.

IX. *Quartum.* Moses quoque & Aaron ista opi-

opinione imbuti non fuerunt, qui videntes Deum minitantem se in instanti omnes Israëlitas deleturum ob peccatum Core, exclamant, & dicunt, *Deus fortis, Deus spirituum omnis carnis, unusne homo peccaverit, & adeo graviter in universum cœtum irasceris?* *Num.* XVI. 20, 21, 22. Ille tamen cœtus, quem Deus delere se velle significabat, non erat innocens, sed multorum enormium peccatorum & murmurum adversus Deum reus, propter quæ exterminari meritus erat. Quod si factum esset, nullo tamen modo ista pœna ad severitatem, quæ est in imputatione peccati Adami, accessisset, adeo ut ad ejus denunciationem obstupescere deberent, qui talem imputationem fide amplectebantur.

X. *Quintum.* Imputatio peccati Adami non potest consistere cum eo quod in Scriptura S. passim legimus, *Deum unicuique redditurum secundum ejus opera*, *Matth.* XVI. 27. *Rom.* II. 6. & alibi. *Unumquemque proprium onus portaturum*, *Gal.* VI. 5. *oportere ut unusquisque referat propria corporis, secundum id quod fecerit, sive bonum, sive malum*, 2 *Cor.* V. v. 10. Si enim hæc opinio admittatur, invertenda erit Scriptura, & dicendum, Deum in ultimo judicio unicuique reproborum secundum Adami opera redditurum, unumquemque eorum Adami onus portaturum, vel id quod Adamus, non vero ipse in corpore suo fecit. Nec dies judicii ultimi esset ἡμέρα ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ, ut Paulus vocat *Rom.* II. 5. si tunc aliqui propter Adami peccatum sibi imputatum punirentur. Nullus enim judicii istius æquitatem agnoscere posset. Quia ratio unumquemque docet, unius peccatum non posse alterius esse peccatum; præsertim nondum nati, qui ejus nec conscius, nec particeps ullo modo fuit. Et tamen certum est, fore ut omne os obstruatur coram Deo, cum judicabit mundum, *Rom.* III. 19.

XI. Aliqui hic excipiunt, reprobos in ultimo die punitum iri non tantum propter Adami peccatum sibi imputatum, sed etiam ob propria. Sed respondeo 1. istud in infantes reprobos non quadrare, qui nulla peccata actualia perpetrarunt, cum ex hac vita rapiuntur. 2. Quod adultos spectat, cum credant, omnia quæ perpetrant peccata ex illo primo Adami necessario fluere, & prorsus inevitabilia esse irregenitis, eodem res redit, ac si dicerent eos propter solum Adami peccatum pœnam æternæ mortis subituros.

XII. *Sextum*, atque ultimum nostrum argumentum est, quod non bene conveniat huic opinioni de imputatione peccati Adami omnibus ejus posteris absque exceptione, cum dogmate æternæ & absolutæ quorundam nominatim electionis ad salutem. Deus enim iis, quos ab æterno ita elegit, non vult Adami peccatum imputare. Nam si imputaret, ipsos propterea puniret, ac proinde non pertinerent ad numerum electorum, sed reproborum. Peccatum enim alicui imputare, est eum propter illud punire velle, & actu punire; ut patet ex locis Scripturæ, ubi hæc phrasis imputandi peccatum, aut ei contraria non imputandi, occurrit. Vide inter alia *Rom.* IV. 8. & v. 13. 2 *Cor.* V. 19. & 2 *Tim.* IV. 16. Nec contradictionem vitant dicendo, remissionem peccati, quæ electionem comitatur, ordine posteriorem esse illius imputatione. Fieri enim nequit ut Deus serio imputet peccatum aliquod, id est, punire statuat, cum illo ipso momento id remittere decernit; præsertim si absque fidei, aut pœnitentiæ, imo propitiationis per Christi mortem intuitu proposuerit eligere aliquos, seu peccatum iis non imputare. Quod si dicant peccatum Adami imputari tantum reprobis; non autem electis, inde sequetur in electis nullam esse corruptionem originariam: siquidem illa vulgo ex imputatione derivatur; ac proinde electos immunes esse ab omnibus illis defectibus, qui corruptionem originariam sequi existimantur, ex. gr. pronitate ad malum, & imperfectione perpetua, quæ impediat, ne unquam Dei mandata adimpleant.

XIII. Pro imputatione peccati Adami affertur *primo*, Paulum dicere *omnes in Adamo peccasse*, *Rom.* V. 12. id autem aliter quam de imputatione intelligi non debere, quia nondum nati eramus cum Adamus Dei mandatum transgressus est, ut actu & reipsa peccatis ipsius participes esse possemus. Sed respondeo, Apostolum id non dixisse quod ipsi tribuitur. Verborum enim istorum, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, quibus utitur, constructio non permittit ad Adamum referri; nec debent verti, *in quo omnes peccaverunt.* quod ut appareat, totus locus hic est repræsentandus. Ita ergo legitur, *Propterea sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transiit, in quo*, vel, *quoniam omnes peccaverunt.* Ubi postrema verba referre ad unum illum hominem, cujus fit mentio in prima versus parte, nimis contortum est: id enim non sinunt ea quæ interjecta sunt. Nec refert, quod forte alicubi unum aut alterum exemplum hujusmodi ὑπερβάτου seu trajectionis in Scriptura inveniatur, ut ex. gr. *Luc.* II. 34, 35. & *Act.* IV. 27, 28. Tunc enim solum eo confugere licet, cum ex regulari constructione absurdus aliquis sensus, & reliquis Scripturis contrarius oritur, qui vitandus est: hic vero plane contrarium fit, ubi plana & difficultate carentia Apostoli verba ideo per trajectionem explicantur, ut inde eliciatur paradoxum omnem fidem superans, videlicet eos qui nondum nati erant cum Adamus peccavit, & proinde in sua propria persona peccare non poterant, in ipsius persona peccavisse, & sic damnationem æternam sibi accersivisse.

XIV. Sunt quidem interpretes, qui hic statuant ἀνανταπόδοτον, id est, similitudinem imperfectam, cujus prima tantum pars seu πρότασις expressa sit: posterior vero seu ἀπόδοσις supplenda restet, hoc vel simili modo; *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, &c. ita per unum hominem, nempe Jesum Christum, justitia intravit in mundum, & per justitiam vita,*

vita, *atque ita vita in omnes homines ex eo spiritualiter per fidem natos transiit, quoniam omnes post suam conversionem Dei mandata servarunt.* Nec potest negari quin sensus hic valde sit egregius, & iis quæ Paulus postea dicit apprime conveniens. Sed tamen non est opus eum supplere, quia defectum præsupponit in sermone Apostoli, quo non laborat. Sic enim videtur mihi locus iste reddi posse, *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, ac per peccatum mors; ita etiam in omnes homines mors transiit, quoniam omnes peccaverunt.* Hoc pacto in verbis Pauli invenitur sensus perfectus, & qui nullo indiget supplemento: tantummodo oportet transponere unam voculam, & cum scriptum sit in medio versus, καὶ οὕτως, ita vertendum quasi legeretur, οὕτως καί, quemadmodum occurrit *Luc.* XVII. 24, 26. *Jacob.* II. 26. 1 *Thess.* IV. 14. Ita apparebit ultimam versus partem, in qua προτάσεως præcedentis continetur ἀπόδοσις, *ita etiam in omnes homines mors transiit*, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, nullo modo ad Adamum posse referri; nec voculas ἐφ' ᾧ ulla cum probabilitate verti, *in quo*, sed necessario per *quatenus*, vel, *eo quod*, aut, *quoniam*, esse exponendas.

XV. Et ita acceperunt doctissimi quique metaphrastæ & commentatores, ut Photius inter Græcos, interpres Syrus, Erasmus, Calvinus, Genevenses in versione Gallica, Piscator, aliique: recentes etiam Belgici interpretes fatentur in notis suis ita verti posse, licet in textu aliter vertere maluerint: & sic plerique ex iis qui in Novum Testamentum scripserunt, particulas ἐφ' ᾧ in his duobus locis, 2 *Cor.* V. 4. *Phil.* III. 12. verterunt per *quatenus*, aut *eo quod*, vel aliquid simile: imo quoque istas ἐν ᾧ *Rom.* VIII. 3. *Hebr.* II. 18. quamvis indubium sit eas proprie & plerumque *in quo* significare. Proinde si Paulus voluisset indicare omnes homines in Adamo peccavisse, non usus fuisset vocibus quæ alium sensum ordinarie habent, sed potius dixisset ἐν ᾧ, quemadmodum 1 *Cor.* XV. 22. in sententia huic affini, ubi dicit: ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν. *In Adamo omnes moriuntur*: non ἐπὶ τῷ Ἀδάμ.

XVI. Series etiam orationis Pauli clare ostendit peccatum, quod per unum hominem intravisse in mundum dicit, non esse originale, sed actuale; quod tunc initium sumpsit, cum Adamus de fructu sibi à Deo prohibito edit. Nam si de peccato originis voluisset loqui, non dixisset: *Peccatum erat in mundo usque ad legem*, *versu* 13. & *mortem* (quæ illius est pœna) *regnavisse ab Adamo usque ad Moysen*, *versu* 14. cum vulgo credatur hoc peccatum, & ejus pœnam, ab initio mundi ad finem usque durare, & in omnes qui ex Adamo naturali via propagantur, absque ulla exceptione pertransire. Quid ergo sibi vult hæc restrictio, *ab Adamo usque ad Moysen, vel usque ad legem?* aliquisne ex adultis, qui post Moysis tempora, & sub lege vixerunt, inventus est à peccato immunis, & qui non sit mortuus? Respondeo, nemo: sed Apostolus ita locutus est, ut collationem instituere posset inter primum Adamum, qui mortis est causa omnibus suis posteris, & secundum, qui suis est auctor vitæ; quemadmodum id significat *versu* 14. dicens: *Adamum esse figuram venturi*, id est, Jesu Christi.

XVII. Similitudo autem, quæ est inter utrumque, in duobus istis summatim consistit. 1. Sicut peccatum introivit in mundum per unum hominem, videlicet Adamum, qui primus Dei mandatum transgressus est, & per peccatum mors, quam Deus voluit esse peccati stipendium: ita justitia in mundum intravit per unum hominem, nempe Jesum Christum, qui primus Deo perfecte obediit, & per justitiam vita æterna, quam Deus ex mera gratia justitiæ mercedem esse constituit. 2. Quemadmodum mors regnavit in eos omnes qui vixerunt ab Adamo usque ad Moysen, eo quod ex Adamo prognati erant, qui propter peccatum morti obnoxius factus erat, etiamsi tanti criminis non essent rei atque ille, qui contra expressum Dei mandatum, & mortis comminatione sancitum, peccaverat; aut illi qui vixerunt à tempore Moysis, per quem Deus Israëlitis legem dedit; adeo ut homines qui primis istis mundi seculis vixerunt, potius ob Adami transgressionem, quam ob suas proprias morti videantur esse mancipati, quia *ubi non est lex, ibi nec transgressio est*, *Rom.* IV. 15. Et *peccatum non imputatur, cum lex non est*, *Rom.* V. 13. Sic ex opposito: Omnes qui ex Jesu Christo secundum spiritum sunt nati, hæredes erunt vitæ æternæ, etiamsi tam perfectam atque ipse obedientiam Deo non exhibuerint, sed ante conversionem suam magni fuerint peccatores, & post eam sæpe adhuc ex infirmitate labantur; atque ita potius ob Christi justitiam & obedientiam censebuntur justi, quam ob suam propriam, quæ rigide secundum legem examinata, hoc nomine indigna est.

XVIII. Quod autem Apostolus illic interjicit, *mortem etiam regnavisse in eos, qui non peccaverant in similitudinem transgressionis Adami*, non debet intelligi, nec de peccato originali infantum, nec de morte, cui sunt obnoxii. Cum enim antea non sit actum de isto peccato, res ipsa docet nec hic quoque agi. Deinde istud infantibus recens natis non convenit: illi enim nullo queunt modo peccare; nec in similitudinem transgressionis Adami adversus legem diserte sibi traditam, & comminatione mortis sancitam; nec adversus naturæ legem, cum nondum rationis usum habeant. Adde quod si Paulus de iis loqui intendisset, non usus esset his verbis, *Mortem in eos regnavisse ab Adamo usque ad Moysen*, sed potius à mundi initio usque ad sua tempora, & porro ad finem usque regnaturam.

XIX. Nec imputatio ista firmius habet præsidium in sequentibus *versibus* 15, 16, 17, 18, 19. ubi sæpe mentio fit *unius offensæ & unius hominis inobedientiæ, quæ mortem omnibus attulerit.* Nam vox *omnes* eodem sensu hic accipi debet, quo in *versu* 12. Non de omnibus hominibus absque exceptione, sed tantummodo de iis, qui ab Adamo

mo usque ad Moysem vixerunt. Nulla enim est ratio, cur hic longius quam illic extendatur, cum eadem sit rationis series, & sequentia ad præcedentium illustrationem faciant. Quod etiam non obscure significavit Apostolus, quando loco vocis *omnes*, usus est voce *multi*, in *versibus* 14. & 19. Id enim procul dubio non fecisset, si de omnibus hominibus egisset, qui ab initio mundi fuerunt, & usque ad ejusdem finem futuri sunt; sed optime convenit continuationi illius comparationis, quam instituit inter primum Adamum ejusque posteros usque ad Mosem; & secundum Adamum Dominum Jesum, ejusque semen spirituale, qui sunt fideles. Nam quod quidam afferunt omnes homines revera esse multos, ideoque voce *multi* non incommode designari potuisse; id recte loquentium usui repugnat, (sic nemo dixerit multos homines esse peccatores, multos esse morti obnoxios, quia id omnibus competit,) & absque necessitate κατάχρησιν, quæ lapsus causa esse potest, in verbis Pauli fingit.

XX. Et quod ad ista *versus* 19. verba, *multos per unius hominis inobedientiam peccatores esse constitutos*, in quibus majus esse robur putant, iis non significatur, illos qui nihil ad peccatum Adami contulerunt, & nequidem conscii esse potuerunt, vere per ipsius peccatum redditos aut constitutos esse peccatores, Deoque per consequens exosos: id fieri nequit. Nullus constituitur peccator nisi propria voluntate; aliena hic in considerationem non venit, præsertim quæ illius, qui peccator constitutus esse dicitur, nativitatem antecesserit. Sed sensus eorum duplex esse potest. 1. Adamum malo exemplo, quod posteris suis præbuit, mandatum Dei transgrediendo, & ipsi imitati sunt contra rectæ rationis instinctum peccantes, causam fuisse ut vere & proprie peccatores constituerentur; sicut etiam Christi obedientia nostræ causa exemplaris est, *Joan.* XIII. 15. 1 *Pet.* II. 21. 2. Homines qui ab Adamo usque ad Moysem vixerunt, quamvis non adeo graviter atque Adamus peccavissent, utpote non tantam voluntatis divinæ cognitionem habentes, proindeque venia digni videri potuissent; attamen quia ex illo oriundi erant qui mortem transgressione sua commeritus erat, eidem etiam obnoxios esse factos. In lingua enim Hebraïca, cujus phrases Apostoli Græce scribendo sæpe imitantur, *peccatorum* nomen iis tribuitur, qui tanquam peccatores tractantur, seu eadem cum ipsis calamitate implicantur, etiamsi proprie loquendo non sint peccatores. Hoc sensu Juda dicebat Patri Jacobo, qui Benjaminem in Ægyptum mittere verebatur; *nisi reduxero eum ad te, & statuero eum ante te, peccator ero tibi omnibus diebus, Gen.* XLIII. 9. & XLIV. 32. id est, pœnæ obnoxius ero ut peccator esse solet: & cum exactores, Israëlitis præfecti in Ægypto, eos ad opus urgerent, sic conqueruntur apud Pharaonem, *Palea non datur servis tuis, & dicunt nobis: Lateres facite, & ecce servi tui caeduntur, & peccat populus tuus, Exod.* V. 16. ubi *peccat* sumitur pro vapulat perinde ac si peccavisset. Similiter Bethsabea Davidi dicebat, *futurum est cum dormierit Dominus meus rex cum patribus suis, ut & ego, & filius meus Salomon, simus peccatores*, 1 *Reg.* I. 21. id est, tractemur ab Adonia tanquam peccatores, si ille loco tuo regnet. Isto sensu in hoc Pauli loco, homines, qui ante legem vixerunt, & nullam generalem vitæ normam habebant aliam, præter rectam rationem, dicti fuerint peccatores per Adami inobedientiam constituti, quia ejus peccatum ipsis occasio mortis fuit.

XXI. Objicitur *secundo*, Adamum repræsentasse personam totius generis humani quod ex ejus lumbis ortum est, ideoque cum peccavit, perinde fuisse ac si omnes homines simul cum ipso peccavissent; quod illustratur exemplo Levi, de quo Apostolus scribit *Heb.* VII. 9. eum decimatum fuisse in Abrahamo proavo, cum Abrahamus Melchisedecho decimas prædæ ex hostibus reportatæ persolvit, propterea quia erat adhuc in lumbis patris sui, quando ipsi obviam factus est Melchisedech. Respondeo 1. Adamum non alio modo repræsentavisse totius generis humani personam, quam alicujus stirpis caput repræsentat personam eorum, qui ex eo descendunt. ex. gr. Jacob Israëlitarum, Esau Edomitarum. Si ergo Jacobi peccata omnibus Israëlitis, aut Esavi omnibus Edomitis imputata non fuerint propter ejusmodi repræsentationem, neque etiam de peccato Adami id comminisci licet. 2. Totum genus humanum erat etiam in lumbis Adami, cum Deus ei veniam peccati sui pollicitus est in semine mulieris, quod serpentis caput esset contriturum. Nolunt autem resipiscentiam ejus, per quam remissionem obtinuit, posteris imputari; cum tamen nulla sit ratio, cur imputatio in uno potius quam in altero locum habere debeat; & cur potius in rebus odiosis, quam in gratiosis; cum favores ad eos qui digni non sunt extendi possint absque injustitia, pœnæ vero non ita. 3. Verum quidem est, unum alterius personam aliquando repræsentare posse, ut tutorem pupilli, procuratorem mandatoris à quo procurationem accepit; & tunc actiones repræsentantis imputari repræsentato: sed tamen pupillus non tenetur tutoris sui actionibus, quando aliquid in præjudicium ipsius egit, nec mandator procuratoris, si is limites sibi præscriptos excesserit. Nullus autem Adami posterorum hoc ei in mandatis dedit, ut quicquam pro se, sive bene sive male ageret; proinde neque quisquam eorum tenetur ipsius facto, ut propterea damnum aliquod subire debeat. Sicut etiam liberi, qui debitis paternis tenentur cum bonorum sunt hæredes, non possunt adigi ad ea solvendum, si hæreditati paternæ renunciaverint, quia iniquum est ut ad eum, qui lucri alicui rei adhærentis non fuit particeps, damnum ex eadem perveniat. 4. Denique quod Levi in Abrahamo decimatus fuisse dicitur, figurata & impropria est locutio, ut Apostolus ipse innuit præmollitione sua, ὡς ἔπος

εἰπεῖν,

εἰπεῖν, id est, *ut ita loquar*. Ideoque ex ea inepte colligitur quempiam in majoribus suis aut in Adamo peccare posse; ut prætercam, quod alia est plane decimationis quam peccati ratio. In decimatione enim passiva, non est necesse ut voluntas ejus, qui decimatur, interveniat; sufficit si decima sumatur ex bonis quæ aliquando ad ipsum hæreditatis jure reditura sunt: sed peccatum absque propria ejus cui tribuitur voluntate, aut saltem cognitione, nequidem concipi potest, & nunquam in mera passione, quæ nihil actionis admixtum habeat, consistit. Urgeat igitur quispiam, quantum volet, ista Apostoli verba, nihil ad summum aliud inde eliciet, quam per tropum dici posse nos in Adamo peccavisse, sicut Levi tropice in Abrahamo fuit decimatus. Tropicum autem peccatum pœnam proprie dictam non meretur; omnis enim pœna peccato ἀνάλογος seu proportionalis esse debet. Nulla autem est ἀναλογία seu proportio inter pœnam proprie dictam, quam aliquis in corpore suo sentit, & peccatum improprie appellatum, atque in aliena persona commissum; sed ut justa inter hæc proportio reperiatur, oporteret, ut quemadmodum peccatum est figurate dictum, & in alio perpetratum, ita figurate tantum & in alieno corpore puniretur.

CAPUT XVII.

De corruptione naturali, quam ex peccato originis derivari putant.

I. *Nobis inesse semina quadam vitiorum, & inclinationis ad peccatum, cum nascimur; sed hanc corruptionem non esse proprie dictum peccatum, & æterna morte dignum.* II. *Primo, quia Deus hanc corruptionem nullibi prohibuit.* III. *Nec in Adamo ejus posteris prohibere potuit.* IV. 2. *Quod non sit voluntaria.* V. *Et esse de veri peccati essentia, ut sit voluntarium.* VI. *Nec peccata incogitantia esse plane involuntaria.* VII. *Nec id probari ex verbis Rom.* VII. *Non facio bonum quod volo, &c.* VIII. *Absurdum esse dicere Adamum voluntarie pro suis posteris peccasse.* IX. *Nec proclivitatem infantium ad malum ostendere illam corruptionem esse voluntariam.* X. 3. *Quod Scriptura testetur nullum in infantibus esse peccatum.* XI. 4. *Nec capi possit quomodo peccatum naturali generatione propagetur.* XII. *Scriptura loca elucidantur quæ pro Corruptione naturali afferri solent, ut Genes.* VI. 5. XIII. *Genes.* VIII. 21. XIV. *Psalm.* LI. 7. XV. *Job.* XIV. 4. XVI. *Joan.* III. 6. XVII. *Rom.* V. 12. XVIII. *Rom.* VII. *De peccato inhabitante.* XIX. *Ephes.* II. 3. XX. *Respondetur rationibus desumptis, primo ex circumcisione.* XXI. *& ex sacrificiis pro puerperarum peccato.* XXI. *Nec non ex actuali infantium malitia.* XXIII. *Et eorum morte; Et quid sit Rom.* VI. *Mortem esse stipendium peccati.*

I. HÆc de imputatione primi peccati, nunc agamus de *corruptione*, quam ex eo derivari putant, & alteram peccati originalis partem faciunt. Nolim quidem diffiteri, in nobis esse, cum nascimur, semina quædam vitiorum, aut inclinationes ad peccandum. Sed dico eas non tam oriri ex primo Adami peccato, quam ex propioribus nostris parentibus, ex quorum sanguine formati sumus. Nam homines, qui peccatis indulgendo naturam suam corruperunt, corruptionis istius semina in alios ex posteris non transmittunt, quam sibi proximos, & non semper aut necessario. Ita ut ea male referatur ad unum Adamum parentem remotissimum, & ad unicum illius peccatum, unde in universum genus humanum, semper, & absque ulla exceptione, necessarioque derivetur. Nam si corruptio ista, seu propensio ad peccandum, ab unico Adami peccato proveniret, æqualis esset in omnibus; cum tamen experientia doceat, eam pro temperamentorum diversitate in his quam in illis vehementiorem, aut minus vehementem esse. 2. Inclinationes ad malum in infantibus, & in adultis, qui iis non obtemperant, non sunt vera peccata, quæ odiosos Deo ipsos reddant; sed tantum naturæ infirmitas seu defectus. Quæ duo quantum à se invicem distent, inde manifestum est, quod vera & proprie dicta peccata liberum voluntatis assensum requirant; Morbi autem & infirmitates nobis etiam invitis inesse queant, ut pluribus postea demonstrabimus. Summatim nullum est in nobis cum nascimur verum & proprie dictum peccatum, cui Deus irascatur, aut pœnam aliquam infligere constituerit. Id quod sequentibus argumentis probo.

II. *Primum* hoc est: Deus corruptionem istam originalem nusquam prohibuit, imo nec prohibere potuit. Eam igitur pro vero & pœna digno peccato non reputat. Consequentia patet. *Peccatum enim est ἀνομία, seu legis transgressio,* 1 *Joan.* III. 4. Et, *ubi non est lex, ibi quoque non est transgressio, Rom.* IV. 15. *Et peccatum non imputatur non existente lege, Rom.* V. 13. Antecedens vero puto esse extra omnem controversiam. Nempe 1. Deum peccatum originis non prohibuisse. Nullum enim ejusmodi prohibitionis vestigium occurrit in universo Bibliorum codice. Nec etiam lex naturæ, cordibus hominum inscripta, id damnat; ut cædes, adulteria, rapinas, & alia id genus, quæ turpia esse docet. Neque ullum esse credo qui morsum conscientiæ sentiat, quod in Adamo olim peccaverit, aut ab eo labem originariam contraxerit. 2. Nulla istud lege prohiberi potuisse. Cui enim proposita fuisset? Num embryoni, qui primum in utero materno formari incipit? At istud ridiculum est. Tunc enim nullius legis est adhuc capax.

III. Quidam dicunt Deum id nobis in Adamo prohibuisse. Ubi, quæso? Ostendant nobis locum. Imo fac talem extare prohibitionem. Ea hominibus, antequam nascerentur, notificanda fuisset, ut sibi caverent. Nimis enim serum est eam notificare postquam in corruptione concepti, & nati jam sunt. At istud fieri non potuit. Alii excipiunt, etiamsi lex Dei non vetet expresse peccatum originis, eam tamen damnare ipsum, & supponere nos ab illo debere esse immunes, contraque justitia originali, cum qua Adamus conditus est, indutos. Sed istud nihil est, nisi ineptum effugium. Nusquam enim lex divina corruptio-

ruptionem originalem damnat, aut prohibet; sed illam tantum quam homines scientes & volentes sibi accersunt. Et Deus non præsupponit nos sanctiores, aut perfectiores nasci debere, quam ipse nos secundum naturæ ordinem nasci procuret. Nec à nobis exigit illam justitiam originalem, qua nunquam nos ornavit. Adde quod simplex præsuppositio non habeat vim legis, ut quemquam vel minimæ pœnæ obnoxium reddere possit. Perinde enim id foret, ac si rex præsupponeret me centum aureorum millia possidere, quia olim avo, aut alicui ex majoribus meis ea donasset, & propterea juberet me propriis sumptibus turmam equitum in ipsius servitium instruere, nisique facerem, mortem minitaretur; quamvis novisset bona illa ante meam nativitatem consumpta fuisse, & me nunquam ex iis vel teruncium habuisse. Quod mandatum foret prorsus iniquum, & bono principe indignum.

IV. *Secundum.* Omne verum & proprie dictum peccatum, quod gravem pœnam mereri censetur, debet esse voluntarium, seu à sciente & volente committi. Sed corruptio originaria non est talis. Ergo ea non est verum & proprie dictum peccatum, cui gravis pœna sit à Deo constituta. Major hujus syllogismi propositio adeo manifestæ est veritatis, ut communi omnium populorum consensu sit approbata. Nemo se unquam vel ullum alium peccati reum censuit, nisi ob voluntariam actionem, aut officii omissionem. Ubi voluntas omnino absuit, ibi etiam vera culpa abesse creditur. Indeque est, quod philosophi inter actionum humanarum principia, ex quibus boni & mali moralis discrimen pendet, voluntatem recenseant; & ea, quæ per vim, aut ignorantiam invincibilem facta sunt, neque præmio aut laude, neque pœna aut vituperio digna existiment; nimirum quia in illis nullus est voluntatis consensus. Cum iis etiam faciunt legumlatores, qui nullas pœnas adversus invitas actiones statuunt, & infantes atque amentes, quamvis cædem patrassent, supplicio eximunt; quia ubi rationis nullus est usus, ibi neque voluntas esse potest. A qua naturali æquitate non discedit lex divina. Cum enim Deus adeo severe prohibuisset homicidia, ut etiam ab altari suo vellet avelli, & ad supplicium trahi eum, qui data opera aliquem interemerat, *Exod.* XXI. 12, 14. tamen asyla constituit, in quæ confugere possent, & secure habitare, qui per imprudentiam absque ullo voluntatis proposito, sanguine proximi se commaculassent, *Num.* XXXV. 10. *& seqq.* Idemque significat Christus, dicens de Judæis, qui in ipsum non credebant; *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent,* &c. *Joan.* XV. 22, 23, 24. nempe istud incredulitatis, quod eis exprobrat. Minor quoque propositio est evidens, & probatione non indiget. Embryo enim in matris utero adhuc existens (inde originariæ corruptionis initium arcessunt) voluntate omni, sicut & cognitione destituitur.

V. His tamen non acquiescunt peccati originalis defensores; sed multa ad argumenti nostri tum majorem tum minorem reponunt. Quidam enim dicunt, majorem non esse universaliter veram, quia peccatum non sit æstimandum ex hominis voluntate, sed ex Dei lege, cui quicquid repugnat, est ἀνομία, seu peccatum, 1 *Joan.* III. 4. sive id voluntarium sit, sive non sit. Sed ex modo dictis patet quid ad hanc exceptionem respondere oporteat, nimirum esse omnino de veri peccati, & pœna digni, essentia, ut sit voluntarium; cum id tum lex naturæ, omnium cordibus impressa, tum divina, aperte doceat. Nec ulla cum specie dicitur, corruptionem istam originalem esse ἀνομίαν, seu transgressionem legis, cum (ut supra ostendi) nulla in Scripturis extet lex ubi prohibeatur, imo nequidem prohiberi possit. Fac enim quamlibet ἀνομίαν, seu transgressionem legis, etiam plane involuntariam, esse peccatum; tamen ubi nulla est lex, neque esse potest, ἀνομία quoque locum non habet.

VI. Afferunt etiam peccata incogitantiæ, cum quis ad vias suas non attendens, aut facit id quod prohibitum est, aut omittit quod præceptum est, non esse voluntaria: Ergo de essentia peccati non esse, ut id voluntarie committatur. Respondeo 1. Peccata incogitantiæ non committi absque cognitione; ergo neque absque omni voluntate. Ubicunque enim est cognitio, aliquam etiam voluntatem adesse oportet. Non enim tantum ea dicitur voluntas, cum expresse aliquid decernimus agere aut omittere; sed etiam quando agimus aut omittimus quippiam absque illa quam debemus & possumus afferre attentione. 2. Peccata incogitantiæ non posse dici invita, qualia sunt quæ per coactionem aut ignorantiam invincibilem committuntur; quæ nullus unquam inter vera & proprie dicta peccata recensuit. Talis autem est corruptio originalis, quæ nobis per ignorantiam invincibilem, & per coactionem cui resistere nequivimus, inest.

VII. Conantur præterea probare, voluntarium non esse de ratione peccati, testimonio Pauli dicentis, *Non facio bonum, quod volo; sed malum, quod nolo, hoc ago, Rom.* VII. 19. Sed respondeo 1. Saltem hinc apparere cognitionem esse de peccati essentia. Quod enim aliquis vult, aut positive non vult, seu à quo abhorret, necesse est, ut id cognoscat. Nam sicut ignoti nulla est cupido, ita neque fuga. Infantes autem nondum nati, omni cognitione destituti sunt: & de iis dici nequit, ipsos non facere bonum quod volunt; sed malum quod nolunt agere. 2. Paulus non dicit hic se involuntarie peccare; sed tantum ostendit, quænam in iis, qui legem Dei norunt, & approbant, lucta sit inter mentem & affectus. Cum enim sedato animo perpendunt, quid Deus in lege sua jubeat, vel prohibeat, est in iis aliqua voluntas, se ad eam componendi, seu bonum, quod præcipit faciendi, & malum, quod vetat, fugiendi. Sed postea cum tentatio urget, & occasio cupiditatem explendi se

 offert,

offert, præcedentis voluntatis obliti novam induunt, & id, quod suadet præsens affectus, exsequuntur. Mens ergo Apostoli dicentis, *non facio bonum, quod volo*, &c. hæc est; etiamsi cum inspicio ad Dei legem, & eam tanquam bonam approbo, cupiam ei parere; tamen postea peccati illecebris inescatus, bonum, quod facere proposueram, non ago; sed contra in malum, à quo abhorrebam, mutata voluntate feror. Sic nihil aliud, nisi voluntatis suæ in bono inconstantiam significat; quod cum statuisset bonum facere, & malum fugere, postea mutata sententia contrarium agat. Sed non dicit, se agere contra voluntatem, quam tunc habebat, cum se ad agendum accingeret. Id enim fieri non poterat, cum voluntas sit principium proximum omnium nostrarum actionum, nisi forte aliqua vis externa nos cogat: quo casu non agimus proprie, sed patimur.

VIII. Alii minorem negant, & dicunt labem istam originalem esse voluntariam, idque duplici nomine: 1. Respectu stirpis, seu Adami, qui non solum suam, sed etiam posterorum personam sustinens, tam pro illis, quam pro se voluntarie peccavit. 2. Respectu subjecti proprii, hoc est voluntatis, cui inhæret, quæ ad peccandum proclivis est, etiam in infantibus. Sed quod ad primum attinet; jam antea dixi, quomodo Adamus nostram personam sustinuerit, aut non sustinuerit; & ostendi inde non sequi, nos peccati, quod admisit, esse participes; saltem non magis quam resipiscentiæ, qua postea illud deflevit, & quantum in se erat, emendavit. Absurde etiam dicitur ipsum voluntarie pro suis posteris peccasse. Voluntas enim Adami non fuit posterorum ejus voluntas, qui in peccatum, quod commisit cum nondum essent, consentire non potuerunt. Nihil quoque minus cogitavit, quam ipsos peccato, quod admittebat, inficere. Imo si id in animo habuisset, non tamen deberet ipsis, qui non consenserunt, imputari, cum in eorum injuriam cedat. Quin etiam Adamus se ipsum non ita corrupit, ut postea tantum ad malum pronus, & ad omne bonum inutilis sit redditus, (in quo originariæ labis naturam consistere volunt:) Sicut enim una hirundo non facit ver, ita neque una actio habitum parit, præsertim tam profunde radicatum, ut nulla ratione exui possit, & omnem contrarium agendi potestatem tollat. Nulli habitus, quantumvis inveterati, talem vim habent. Difficile quidem est contrarium ejus, ad quod habitus impellit, facere; sed non omnino impossibile; alioqui habitus semel acquisitus indelebilis esset; quod ratio & experientia falsum esse arguunt. Nam quemadmodum vitiosi habitus sensim male agendo acquiruntur; ita quoque sensim, abstinendo à malo, & bene agendo deponuntur; modo quis iis obniti, & sibi vim facere velit. Sic non raro accidere videmus, ut vitiis immersi, nuncium illis mittant, & ad meliorem frugem convertantur.

IX. Ad alterum respondeo; proclivitatem ad peccandum, quæ est in hominibus ab infantia, non arguere peccatum, quod dicitur originis, esse voluntarium. Nam illa ordinarie procedit ex corrupto temperamento. Unde fit ut biliosi ad iram, & sanguinei ad libidinem sint propensi; & absque vera peccandi voluntate esse potest. Nec Deum offendit ejusmodi propensio, quamdiu ad eam consensus non accedit; imo virtutem illustriorem reddit, si ei generose resistatur. Majoris enim est virtutis tentationi peccati non cedere, quam se, nulla tentatione urgente, purum ab eo conservare. Ab ista etiam pronitate non fuerunt plane immunes protoplasti ante lapsum, alioqui non potuissent ad peccandum sollicitari. Præterea sciendum est eas, quæ in infantibus ante rationis usum animadvertuntur propensiones, non esse ad peccatum proprie & formaliter ita dictum; sed tantum ad consequendas res carni jucundas, aut repellendas injucundas. In iis autem non est peccatum, nisi quando exorbitant; nec antequam ratio aut lex divina dictet illis esse resistendum; ut apparet inde, quod eædem inclinationes reperiantur in brutis, & tamen pro peccatis non habeantur; nempe quia ratione sunt destituta, & lex illis non est posita. In hoc vero tenelli infantes pari sunt cum brutis conditione; imo etiam ad tempus disciplinæ incapaciores, quam brutorum nonnulla.

X. *Tertium*. Scriptura passim indicat nullam in infantibus esse corruptionem, quæ peccati rationem habeat, & ipsos Deo exosos reddat. ex. gr. cum dicit parvulos Israëlitarum *ignorasse, quid esset discriminis inter bonum & malum*, *Deut.* I. 39. *Sanguinem ipsorum esse innocentem*, *Psalm.* CVI. 38. *Jacobum & Esavum, cum essent in utero materno, nihil adhuc boni, aut mali egisse*, *Rom.* IX. 11. Nec valet exceptio, hæc loca de peccatis actualibus esse intelligenda, non vero de originali. Prius enim constare deberet dari aliqua vera peccata, quæ non sint actualia, quam hæc exceptio in considerationem veniat.

XI. *Quartum*, & ultimum nostrum argumentum ejusmodi est: Dogma istud falsitatis suspectum reddit, quod capi nequeat, quomodo peccatum à parentibus transeat in sobolem. Quicquid enim statuas de ratione qua propagatur, oportet ut inextricabilibus difficultatibus te implices. Id enim non fit per animam, quæ immediate à Deo creari, ac proinde pura ab omni peccati labe esse vulgo creditur. Nonnulli quidem dicunt, eam justitia originali destitutam creari, quia Adamus illam sibi & posteris per peccatum suum amiserit. Sed istud non arguit, animam recens nati infantis, aut in utero materno adhuc existentis, esse peccatricem. Non enim est peccatum, carere aliquo dono, quod nullus præter Deum conferre potest: aut si in eo peccatum est, Deus solus erit illius auctor. Si vero dicere malis, animam infantum traduci ex parentum animabus (ut nobis verisimilius esse videtur), redeunt

eædem

eædem difficultates, quas argumento primo & secundo proposuimus; nempe quod peccatum originis non sit prohibitum à Deo, nec prohiberi potuerit: & quod non sit voluntarium, ut omne verum peccatum esse debet. Neque etiam ista corruptio originaria à parentibus in liberos per corpus transmittitur. Nam corpus anima destitutum nihil aliud est, nisi truncus iners, & non magis peccati capax, quam lignum, aut lapis. Unde sequitur etiam, animam, si Deus eam creaverit puram, non infici à corpore impuro, cum corpus infectionem, quam non habet, alteri communicare nequeat. Præterea anima inficeretur à corpore, aut volens, aut nolens. Sed neutrum possibile est. Nam si volens, explicetur, quomodo embryo, qui nihil adhuc intelligit, voluntatis, vel minimæ, capax esse possit? Si vero nolens & invita, quomodo id esset vere peccatum? cum peccatum non sit in mera passione, sed ad ipsum constituendum actio aliqua voluntatis requiratur. Quare ineptum est, quod vulgo dictitant; quemadmodum leprosi leprosos liberos procreant, ita etiam peccato inquinati, peccatores gignunt. Non enim eadem est peccatorum, quæ morborum corporis ratio; cum in istos non tantum inscii, sed etiam plane inviti, homines aliquando incidant: quod de peccatis dicere absurdissimum foret. Nihil igitur superest aliud, nisi ut Deus statuatur corruptionis istius originalis auctor, qui Adami peccatum hominibus imputet ad hunc effectum, ut pravi omnes nascantur. Quod etiam nonnulli apertis verbis profiteri non metuunt: sed cum omnium Dei timentium horrore.

XII. Nunc videamus quid adferatur ad probandum inclinationem ad malum, cum qua omnes homines nascuntur, esse verum & proprie dictum peccatum. *Primo*, Deus dicitur vidisse, *quod cuncta cogitatio cordis hominum esset intenta ad malum omni tempore*, *Gen.* VI. 5. Respondeo, non agi hic de peccato quod toti humano generi, absque ulla exceptione, commune sit. Noachus enim inde excipitur, cui testimonium perhibet Dei Spiritus, *eum fuisse hominem justum atque perfectum, & cum Deo ambulasse*, *versu* 9. Ideoque cum Deus universum genus humanum propter enormem ipsius malitiam è facie terræ diluvio delere constituisset, *Noachus invenit gratiam coram Domino*, *versu* 8. Ista ergo verba intelligi debent solum de atrocibus delictis, quibus se tunc homines polluerant; propter quæ Moses dicit, *Terram fuisse corruptam coram Deo, & repletam iniquitate, & omnem carnem corrupisse viam suam super terram*, *versibus* 11, 12. Ista autem corruptio generalis initium sumpserat, cum filii Dei in uxores filias hominum duxerant, & ex illis conjugiis procreati erant homines improbi, qui injurias aliis inferebant, & eos sibi per vim subjiciebant. Antea soli Caini posteri ita depravati erant; sed nomen Domini in Sethi familia invocabatur, *Genes.* IV. 26. è qua oriundus fuit Enoch, qui ambulavit cum Deo, & adeo propter fidem & pietatem acceptus ei fuit, ut ipsum transtulerit, ne videret mortem, *Gen.* V. v. 24. *Hebr.* XI. 5. Locum autem citatum de extraordinaria malitia intelligendum esse, inde apparet; quod ea de causa Deus universam terram cum incolis diluvii aquis absorbere statuisset. Vitium enim naturale & inevitabile, quale esse putatur peccatum originis, non ita Dei iram accendisset; nec ejus benignitati & misericordiæ immensæ tam horrendam de illo vindictam sumere convenisset. Frustra quoque servum suum Noachum misisset, qui istos homines ad pœnitentiam invitaret, 2 *Petr.* II. 8. frustra ipsis CXX annos concessisset, ut se à nativa corruptione averterent, *Gen.* VI. 3. quam non magis quam sexum mutare poterant, etiamsi mille annis in eo laborassent. Frustra denique expectasset, ut id præstarent, quod à sola omnipotente ejus operatione proficisci debebat. Verba itaque loci objecti, sæcula diluvium præcedentia proprie respiciunt; etsi nolim negare, malitiam generis humani in ultimis istis temporibus forte æque esse magnam. Sed quod dicitur de *omni tempore*, nempe vitæ hominis, ad tempus cognitionis necessario restringi debet, quo homines illorum scelerum capaces sunt, *propter quæ* Scriptura docet *iram Dei venire in filios contumaciæ*, *Ephes.* V. 5, 6. *Col.* III. 5, 6.

XIII. *Secundo*, Pugnant his verbis; *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, *Genes.* VIII. 21. Sed non magis faciunt ad rem, quam ea quæ modo expendimus. Non enim agunt de corruptione naturali, sed de voluntaria, & illi simili propter quam Deus ad universam terram diluvio perdendam impulsus fuerat. Et ita secundum Hebraïcam veritatem totus locus verti debet; *Non addam maledicere ultra terræ propter hominem, quia cogitatio cordis hominis mala est à pueritia sua*; vel potius, *etiamsi cogitatio cordis hominis mala esset à pueritia sua*. Nam si hic sequamur vulgatum interpretem, *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines; sensus enim & cogitatio humani cordis*, &c. inde absurdum istud sequetur; eandem causam quæ antea moverat Deum ut diluvio mundum vellet perdere, nempe malitiam hominis, effecturam ut postea ei parceret. Omnia vero optime inter se cohærent, si statuatur Deum ista exemplari pœna, quam semel toti mundo inflixerat, contentum, & Noachi sacrificio, quod post diluvium obtulit, placatum, dixisse se nolle amplius diluvio terram perdere, quamvis contingeret ut homines, sicut antea, à juventute depravati, & non minus ira sua digni essent iis, quos diluvium absorpsit. Quibus adde, voces istas, cogitationem cordis humani esse malam *à pueritia*, vel *ab adolescentia*, ostendere eas quæ in præcedente loco habentur, *omni tempore*, non ita late accipiendas, quasi infantilem quoque ætatem includerent, de qua Scriptura testatur, illam omne boni & mali discrimen ignorare.

XIV. *Tertio*, David dicit; *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato calefecit me mater mea*,

Psal. LI. 7. Eadem est ergo omnium conditio. Respondeo 1. Ipsum non dicere se ab Adamo traxisse iniquitatem in qua formatus erat: Matris tantum meminit, tanquam proximæ causæ illius ad malum propensionis, quam in se experiebatur. Sicut ergo cum dicimus, aliquem natum esse in adulterio, non ipsum, sed ejus parentes, accusamus: ita quando David se in iniquitate formatum, & matrem suam se calefecisse in peccato fatetur, non aliud quam patris & matris peccatum intellexit. Nec usquequaque verum est, id quod David sibi tribuit, in alios omnes quadrare. Quamvis enim negare nolim, omnes qui nunc nascuntur homines aliquomodo ad malum statim ab ortu suo proclives esse; proclivitas tamen ista non est æqualis in omnibus, sed pro diversitate temperamenti, in aliis major, in aliis vero minor animadvertitur. Hoc igitur solum voluit indicare, non esse mirum, si aliquam à matre ad peccatum, quod deflet, propensionem hauserit; cum ipsa tempore conceptionis suæ, & gestationis utero, fuerit peccato inquinata. Tunc enim matres, cum vel sola imaginatione notas aliquas teneris fœtuum suorum corporibus non raro imprimant, quidni etiam animas eorum afficere possent? Sed David non affirmat ejusmodi labem esse verum & proprie dictum peccatum, quod hominem inferni cruciatibus obnoxium, & toto vitæ tempore ad bonum inutilem reddat. Id ne fidiculis quidem ex ejus verbis elicueris. Hyperbolica est loquendi formula, apud Hebræos non infrequens, qua magnam aliquam ad peccandum proclivitatem designare solent. Ita alibi idem David dicit, *abalienati sunt peccatores à vulva; erraverunt ab utero, locuti sunt falsa*, *Psalm.* LVIII. 4. Et Deus Israëlitas alloquens; *Scio quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex utero vocavi te*, *Es.* XLVIII. *v.* 8. Item Pharisæi cæcum illum natum, cui Dominus Jesus visum restituerat, objurgantes, *in peccatis natus es totus, & doces nos? Joan.* IX. 34. In quibus locis facile est videre, non agi de peccato toti humano generi communi, quod ab Adamo in omnes ejus posteros æqualiter propagatum foret. Sic enim David & Esaias nihil impiis exprobrassent, quod in sanctissimos quosque non quadraret: Et Pharisæi cæco isti objecissent vitium, cujus non minus quam ille participes erant. Quod ridiculum est dictu. Contra de aliis asseritur, ipsos ab utero fuisse misericordes & in Deo fiduciam suam collocasse. *Pupillus ab adolescentia mea crevit mecum tanquam cum patre, & viduam ab utero matris meæ deduxi*, inquit Jobus, *cap.* XXXI. *v.* 18. Et David, *tu confidere me fecisti ab uberibus matris meæ: super te recubui ab utero*, *Psal.* XXII. 10, 11. item, *tibi innixus sum ab utero*, *Psal.* LXXI. 6. In quibus locis adeo manifesta est hyperbole, ut vel cæci eam animadvertere possent. Imo si quis eos urgere vellet, non minori cum specie inde colligeretur, Jobum & Davidem, atque adeo universum genus humanum, cum justitia originali natum esse; quam ex unico loco *Psalmi* LI, non solum Davidem, sed etiam reliquos omnes homines in peccato originali conceptos & formatos fuisse.

XV. *Quarto*, Producuntur hæc Jobi verba, *quis dabit mundum ex immundo? nec unus*, *Job.* XIV. 4. Sed ea sunt obscura, & interpretes non consentiunt inter se de qua munditie & immunditie ibi agatur; ideoque non admodum solidam controversi dogmatis probationem suppeditare possunt. Quidam existimant, Jobum respicere ad impuritatem materiæ ex qua hominis corpus initio formatum est, vel etiam hodie in utero materno formatur. Hæc autem impuritas est mere physica, nec propter eam Deus naturæ auctor justam hominibus irascendi causam haberet. Alii volunt ipsum locutum esse de vilitate hominum cum Deo comparatorum. Quo sensu Eliphas dicebat; *Ecce* (Deus) *in Sanctis suis* (Angelis) *non credet, & cæli* (seu cæli incolæ) *non sunt mundi in oculis ejus*, *Job.* XV. 15. ubi mens ejus non est, peccati accusare Angelos, sed tantum indicare ipsos, licet præstantissimas creaturas, longe Deo puritate inferiores esse: multoque magis homines *qui domos luteas habitant*, ut idem Eliphas loquitur, *Job.* IV. 19. Alii quidem hanc immunditiem ad hominum actiones referunt: quasi Jobus significare voluisset, nihil aliud ab homine peccatis inquinato communiter expectandum esse, nisi quod naturæ ejus corruptionem resipiat. Sed talis corruptio ex prava consuetudine nascitur, nec est prorsus immedicabilis, ut de peccato originali sentiunt. Similis est illi Pharisæorum, quibus Dominus Jesus dicebat, *quomodo potestis bene loqui, cum sitis mali? Nam ex abundantia cordis os loquitur*, *Matth.* XII. 34. Illi autem Dei ope malitiam cordis sui excutere poterant, & tunc meliora loqui. Sed fac Jobum de impuritate hominum nativa egisse; inde non sequeretur eam aliud fuisse quam naturæ morbum, seu defectum, præsertim quamdiu illi per ætatis, usu rationis destitutæ, infirmitatem, non sunt veri & proprie dicti peccati, quod vetari, proindeque puniri juste possit, capaces.

XVI. *Quinto*, Utuntur his Christi verbis ad Nicodemum; *quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est*, *Joan.* III. 6. Sed non video quid ea faciant ad corruptionem originalem, de qua disputatur, adstruendam. Quamvis enim aliquando in Scriptura carnis voce pravæ hominum cupiditates, & inde profectæ actiones designentur, non sequitur id hic fieri, ubi circumstantiæ nihil tale suadent. Jesus enim respondet crassæ isti Nicodemi objectioni; *quomodo potest homo nasci cum est senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iterum introire & nasci?* Et ostendit se non agere de nativitate carnali; eam enim nullius esse pretii aut efficaciæ ad introeundum in cæleste Dei regnum; quia quod nascitur ex carne, terrenum, mortale, & caducum est, prout & ipsa caro, unde illud originem trahit: verba igitur sua intelligenda esse de nativitate spirituali, per quam naturæ divinæ consortes, & idonei ad possi-

possidendum regnum cælorum reddimur. Atqui, instabit aliquis, necessitas ista regenerationis spiritualis, arguit generationem nostram carnalem peccato esse infectam. Respondeo, minime gentium. Ostendit tantum neminem mortalium, qui ad ætatem adultam pervenerunt, & quibus solis præcipitur ut regenerentur, à peccato esse immunem. Ejus autem rei causa nativitati carnali non est imputanda, sed potius assuetudini pravæ, quæ ita naturam infecit, ut totali renovatione indigeat. Præterea per ista Christi verba, *quod natum est ex carne, caro est*; non intelligi talem corruptionem, per quam homines tantum ad malum proni sint, & ad bonum prorsus inutiles, vel ex eo solo liquere potest, quod illi qui ex spiritu nati sunt, de quibus postea loquitur, non ita à peccato in hac vita sint immunes, quin subinde in illud relabantur. Nam si ejusmodi corruptio ex nativitate carnali necessario procederet, oporteret etiam ut talis puritas nativitatem spiritualem semper comitaretur; alioqui non esset vera inter utramque contrarietas, ut Christus innuit. Id vero tantum abest ut concedant illi quibuscum nobis præcipue res est, ut contra perpetuam regenitorum in hac vita imperfectionem pro fidei Christianæ articulo habeant.

XVII. *Sexto*, Objiciunt celebrem illum locum, *Rom.* v. 12. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, &c. Sed eum jam ante adversariis nostris eripuimus. Ostendendo enim inde probari non posse primum Adami peccatum omnibus ejus posteris imputari; eadem opera evicimus, inepte ipsum ad labem originariam trahi: contraque de solis peccatis quæ homines scientes committunt intelligi debere.

XVIII. *Septimo*, Affertur, Paulum dicere esse quoddam *peccatum quod in se habitet*, *Rom.* VII. *toto*, & præcipue *versibus* 17, 21. Illud autem de alio accipi non posse quam de peccato originis. Sed respondeo: Imo contra, id longe melius refertur ad peccati habitum crebris actionibus acquisitum. Quod enim ibi peccato tribuit, *ipsum occasione arrepta per mandatum in se operatum esse omnem concupiscentiam*, &c. *versu* 8. *& seqq.* nullo modo in labem originariam quadrat, quæ ut lege non potest prohiberi, ita neque irritari.

XIX. *Octavo*, Magna vis esse putatur in his Apostoli verbis; *Eramus natura filii iræ, sicut & ceteri*, *Ephes.* II. 3. Sed primo observandum est, crimen falsi in loci hujus citatione committi vulgo solere; quasi scriptum esset, *sumus* natura filii iræ; cum Paulus voce ἦμεν, quæ est præteriti imperfecti, usus fuerit. Plurimum enim in eo situm est, ut intelligentes facile vident. Sic enim innuit se loqui de præterito statu, & qui in meliorem mutatus erat cum hanc epistolam scriberet: quod ex sequentibus clarius adhuc apparet, ubi dicit eos qui natura erant filii iræ, & mortui in peccatis, vivificatos & servatos misericordia Dei in Christo fuisse. Illud autem in peccatum originis non quadrat, quod volunt toto vitæ tempore hominibus inhærere, etiam fidelibus, licet ipsis non imputetur. Adeo ut graviter impingant, cum ea quæ præteritum ignorantiæ tempus respiciunt, ad perpetuum statum Christianorum, qui à teneris in pietate instituti sunt, trahunt. Inde etiam apparet, verba Pauli de peccatis actualibus exponenda esse, quod homines, quos alloquitur, in peccatis ambulasse dicuntur; quod peccato originis non convenit, sed peccandi consuetudinem significat. Nec contrarium probat appellatio *filiorum iræ*, aut vox *natura*, quas hic Paulus usurpat. Filii enim iræ vocantur peccatores, quia iræ divinæ, quamdiu in misero illo peccati statu versantur, obnoxii sunt. Eodem sensu quo alibi Scriptura quosdam appellat filios mortis, aut gehennæ. Vide 1 *Sam.* XV. 20. & XXVI. 16. & 2 *Sam.* XII. 5. *Matth.* XXIII. 15. Et vox *natura*, quæ appellationi filiorum iræ adjungitur, non significat homines statim à nativitate Dei iræ esse obnoxios. Ea enim quæ naturalia sunt, non mutantur. Modo autem vidimus, eos qui natura erant filii iræ, antequam Euangelium ipsis annunciatum esset, non amplius fuisse tales, cum in Christum crediderunt. Adde quod absque injuria in Deum, qui verus est naturæ nostræ auctor, potius quam parentes, dici non potest nos ab ortu dignos ira ipsius esse. Omnis enim tam pravi operis culpa necessario in ipsum auctorem recideret, ut Manichæi aperte profiteri non verebantur. Natura ergo filium iræ esse, significat, vel talem vere esse; ut cum Paulus dicit, *Quando non cognoscebatis Deum, serviebatis iis qui natura dii non sunt*, *Gal.* IV. 1. id est, idolis gentilium, quæ vere dii non sunt, etsi pro talibus ab idololatris habeantur. Vel, ita assuevisse peccato, quod iram Dei meretur, ut in naturam conversum esse videatur; secundum id quod vulgo dicitur, consuetudinem esse alteram naturam. Quo sensu interdum aliquem vocamus natura furem, aut mendacem, ut innuamus ipsum ad furtum, aut mendacium valde esse proclivem, & à longo tempore illis assuevisse; non quod putemus ipsum talem pravum habitum ab utero matris traxisse, quem proinde exuere nullo queat modo. Id enim non ad peccatum ejus aggravandum, sed potius ad excusandum & minuendum faceret.

XX. Præter hæc Scripturæ loca, afferuntur etiam quædam rationes, ad probandum naturam hominis statim ab ortu ejusmodi peccato esse inquinatam. *Prima* est, quod circumcisio à Deo instituta fuerit, ut corruptionis originalis signum simul & remedium esset. Respondeo, eos divinare qui istud asserunt. Scriptura enim nusquam id docet. Legatur *Geneseos caput* XVII. ubi Moses narrat quomodo Deus Abrahamo præceperit, ut se suosque omnes masculini sexus, tam servos, quam filios, circumcideret: ibi nec vola, nec vestigium talis usus occurrit. Nec alio fine Deum circumcisionem instituisse apparet, quam ad Abrahami posteros, cum quibus pepigerat fœdus, & unde aliquando Messiam suscitare decreverat, discer-

nendum ab aliis profanis gentibus. Imo, inquies, Deus sibi aliud præterea in isto ritu proposuit, ut ex his Mosis verbis discimus, *Circumcidite præputium cordis vestri*, *Deut.* x. 16. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui*, *Deut.* xxx. 6. Cui affinia sunt, quæ leguntur *Jerem.* IV. 4. *Rom.* II. 29. *Coloss.* II. 11. Respondeo, in his quidem locis circumcisionis vocem figurate accipi de vitiorum amputatione: sed inde non sequi, eam propter hunc finem institutam fuisse ut hominum nativam corruptionem significaret, multoque minus ut ad reprimendum illius vim inserviret. Alioqui, cur mares tantum fuerunt circumcisi, non etiam fœminæ? an quod hæ magis, quam illi à labe originaria sint puræ? Cur dilata fuit circumcisio usque ad octavum diem? Et quid contigit infantibus, qui ante illum diem obierunt? An propter istius remedii carentiam omnes damnati sunt? Nihil respondeo ad argumentum, quod à Baptismo infantium inter Christianos observato petitur; ut enim alicujus roboris sit, oporteret praxin istam expresso aliquo Domini Jesu mandato niti, & ipsum in Baptismo instituendo corruptionem originariam adumbrare & sanare voluisse. Quod nemo unquam probabit.

XXI. *Altera* est, Quod præcipiatur in lege Mosis, *ut mulier puerpera sacrificium pro peccato offerat, & purificetur*, *Levit.* XII. aliud autem peccatum non possit intelligi, quam originale, in quo ejus proles fuit concepta. Respondeo, ibi tantum agi de purificatione matris, non vero infantis, quem pepererat. Si autem circumcisio remedium erat adversus peccatum originis, cur postquam infans octavo die circumcisus erat, mater adhuc totos triginta tres dies impura manebat? Et cur octoginta diebus erat impura cum puellam pepererat? An eo significabatur puellas duplo plus, quam mares, peccato originis inquinatas esse, & difficilius ab illo expurgari? Nugæ. Hæc non fuit impuritas moralis; sed ceremonialis tantum, huic naturali rationi innixa, quod mulieres, quæ puellas pepererunt, duplo longiori tempore profluvium patiantur illis quæ pueros. Cur ergo, inquies, oportuit puerperam sacrificium offerre pro peccato, si in conceptione & partu nullum est nec matris, nec prolis ejus peccatum? Respondeo, Immunditles illa physica vocatur figurate peccatum, quia mulier puerpera ab illa purificare se tenebatur, antequam in templum ingrederetur, & peccati rea erat, si id facere negligeret. Cæterum labes mere corporea, animam peccato non inficiebat; certe non magis, quam caput consecrationis Nazaræi polluebatur, si aliquis coram ipso subito moreretur; quamvis sacrificium *pro peccato offerre debebat, quia peccaverat super mortuo*, *Numer.* VI. id est, ita pollutus fuerat mortui contactu, ut ad se purificandum obligaretur, alias peccati reus coram Deo futurus. Cui adde, Virginem Mariam, quæ Dominum Jesum absque peccato concepit & peperit, sacrificium etiam Deo, sicut aliæ puerperæ, pro sui purificatione obtulisse, *Luc.* II. 24.

XXII. *Tertia* est, quod in infantibus statim ab ipso ortu se prodant indicia, non tantum pronitatis ad malum, sed etiam malitiæ actualis, cum alios mordent, aut unguibus lacerant, vel simile quid faciunt. Respondeo, neque hinc probari tale peccatum originis, quale vulgo esse creditur. Oporteret enim ante de duobus istis constare; 1. Pronitatem ejusmodi ad malum, & quæ illam comitantur effecta, à primo solum Adami peccato proficisci: Nihil enim promovetur, quandiu illud incertum manet. Multo autem majorem habemus rationem credendi eam aliunde quoque oriri: Nam si pronitas ista ab Adamo solo promanaret, in omnibus æqualis foret: quod experientia falsum esse ostendit. Sunt enim quidam infantes longe melioris & mitioris indolis quam alii. Præstat ergo ad propiores parentes, è quorum sanguine formati sumus, illam referre. Quisque enim corruptum suum temperamentum ad posteros propagat. 2. Eam à Deo pro vere & proprie dicto peccato, cui infensus sit, censeri: sed contrarium supra evicimus. Cum enim duo in peccato consideranda veniant, videlicet materiale, & formale, illud quidem reperitur aliquando in infantibus, sed hoc nunquam. Materiale voco ipsas actiones quæ aliis damnum afferunt: formale vero, quod à scientibus & volentibus admittatur. Materiale autem peccati, non sufficere ad verum & proprie dictum peccatum constituendum, inde liquet, quod in bruta sæpe cadit, quæ tamen nemo propterea peccati accusat. Licet quidem illa interficere, quando nobis aliquid detrimenti afferunt: sed hæc non est pœna proprie dicta. Et merito crudelitatis argueretur, qui ideo lentis & in aliquod dies protractis tormentis ea conficeret. Quanto minus igitur Deus summe clemens & misericors, infantes, propter solam originariam labem, æternis cruciatibus addiceret? Ut ergo actio aliqua sit vere & proprie dictum peccatum, quod pœnam mereatur, oportet ut accedat formale, id est, scientia & libera perpetrantis voluntas: quas non magis in recens natos infantes, quam in bruta cadere per se manifestum est.

XXIII. *Quarta* est: Infantes moriuntur: Ergo aliquo vero peccato infecti sunt: quia *mors est peccati stipendium*, *Rom.* VI. 23. Respondeo: Consequentia ista est infirma: nam bruta etiam moriuntur, in quibus nullum est peccatum. Nec probatur allato Pauli testimonio. In eo enim non agitur de morte naturali, cui homo ob materiæ, unde corpus ejus formatum est, fragilitatem, obnoxius erat ante peccatum, ut supra ostendi: sed de pœnali necessitate moriendi, quæ à peccato originem habet. Ut apparet ex oppositione, quæ ibi fit inter mortem & vitam æternam. *Stipendium peccati*, inquit Apostolus, *est mors*: *donum autem Dei est vita æterna per Dominum nostrum Jesum Christum*. Mors enim temporalis non est opposita vitæ

tæ æternæ. Nullum enim ei affert impedimentum, sed contra est instar ostii per quod in illam ingredimur. Sit ita, inquies: at Paulus supra dixit, *peccatum per unum hominem ingressum esse in mundum, & per peccatum mortem*, *Rom.* v. 12. Item *per hominem mors, & in Adamo omnes moriuntur*, 1 *Cor.* xv. 21, 22. Respondeo, omissa disquisitione, an utriusque loci idem sit sensus, & in posteriore agatur potius de morte naturali, quam ex Adamo posteri trahunt, quia, ut ille, ex carne & sanguine constant, & è terra primam originem habent, quam de ea, cui propter peccatum obnoxii sumus: Dico liquere ex iis, quæ supra dicta sunt, neutrum esse idoneum, nec ad imputationem peccati Adami, nec ad corruptionem inde ortam fulciendum; ita ut non opus sit diutius hic immorari. Adamo quidem propter peccatum necessariæ morti obnoxio facto, omnes pariter homines ex illo prognati eidem moriendi necessitati fuerunt obnoxii: sed id fit, quia omnes in Adamo mortales creati sunt, & à morte eximi nequeunt nisi per specialem Dei gratiam. Ea autem, postquam Adamus se peccato contaminavit, non visum est Deo erga ipsius posteros uti: sed illos in conditione mortali relinquere, naturam sinendo cursum suum ordinarium tenere, qui requirit ut mortales ex mortalibus proseminentur.

CAPUT XVIII.

De pœna peccati originis.

I. *Duplicem peccati originalis pœnam statui; vel damni vel sensus; Et primam admitti posse.* II. *Secundam vero nequaquam; primo, cum Adamus ipse æternis inferni cruciatibus non fuerit subjectus.* III. 2. *Quod Adami offensa majores vires haberet, quam Christi gratia.* IV. 3. *Quod Deus multo rigidius ageret cum hominibus quam cum dæmonibus.* V. 4. *Quod infantes vermis non morituri morsum sentire non possunt.* VI. 5. *Quod cruciatus æternus non sit pœna proportionata peccato originis.* VII. *Exponuntur loca quæ pro contraria opinione afferuntur, Ephes.* II. 3. VIII. *Matth.* III. 10. IX. *Matth.* III. 12. X. *Matth.* XIII. 40. XI. *Matth.* XXV. 31. XII. *Apoc.* XX. 15. XIII. *Necessitatem quidem nullam peccandi nobis naturaliter esse impositam, sed corruptionem tamen, ex prava educatione, &c. temporis progressu mirum in modum auctam fuisse demonstratur.*

I. SEd fac aliqua ratione verum esse primam Adami transgressionem omnibus ejus posteris imputari, & neminem eorum ab omni peccati labe immunem nasci; superest videndum quænam propterea ipsos pœna, secundum Dei justitiam, manere queat. Et hæc est altera pars disputationis à nobis institutæ, ad quam nunc est transeundum. Duæ præcipuæ sunt opiniones de pœna peccati originis in altero sæculo (hic enim non agitur amplius de morte corporea, & morbis, aliisque casibus, qui ad eam ducunt). Quidam censent id tantum puniri pœna damni; alii vero insuper pœna sensus. Pœnam damni vocant privationem beatitudinis æternæ & cælestis, quam Deus fidelibus promisit. Pœnam vero sensus, inflictionem gravissimorum cruciatuum in igne æterno inferni. Qua de re ut melius judicetur, utraque hæc pœna debet considerari in iis, qui nullo alio quam originali peccato sunt inquinati, quales sunt infantes in infantia sua morientes. Nam quod ad adultos attinet, qui alia peccata commiserunt, non potest ex eorum supplicio animadverti quid originale mereatur. Priori opinioni, de pœna damni, adhæret maxima Pontificiorum pars. Nec damnare eam ausim. Nam recte intellecta nihil in se absurdi continet; nam cum Deus neminem beatitudinis æternæ participem reddere obligatus sit, non facit injuriam iis, quos ea non donat: imo posset quoque fideles inde excludere, nisi debitorem se promisso constituisset. Illud tantum in hac opinione desideraverit aliquis, quod pœnam vocet id quod vere pœna non est, cum ob proprium peccatum non infligatur: sed nolim propterea cum ullo contentionis funem trahere. Per me etiam licet, ut dicatur Deum omnes infantes infidelium paradiso arcere, ideo quia ex Adamo peccatore & mortis reo originem trahunt, & extra fœdus Dei nati sunt: quanquam longe tutius existimem hic *ἐπέχειν*, cum Dei verbum de eo nil aperte definiat.

II. Posteriorem opinionem, de pœna sensus, amplectuntur vulgo Protestantes, & dicunt infantes, qui non fuerint ex electorum numero, propter originis peccatum æternis inferni cruciatibus addictum iri. Quod falsum esse sequentibus argumentis probo. *Primum* argumentum nostrum, hoc est: Adamus isti pœnæ non fuit à Deo subjectus, sed tantum morti corporeæ, seu æternæ separationi animæ à corpore, ut supra vidimus. Adversum autem æquitati foret, eos qui nullam peccati ab ipso commissi notitiam habuerunt, & in illud consentire nequiverunt, durius illo tractari qui sciens & volens expressum Dei mandatum transgressus est. Cui adde id, quod jam ante observatum fuit, Christianos omnes vulgo sentire Adamum & Evam peccati sui veniam obtinuisse. Credibile ergo non est Deum pœnam illius ab innoxiis eorum posteris repetere velle. Dices, eos veniam propter pœnitentiam esse consecutos. Sed respondebo, Deum igitur æquissimum non denegaturum fuisse pœnitentiæ tempus misellis infantibus reprobis qui immatura morte abripiuntur, quod illis, qui soli vere rei erant, gratiose concessit.

III. *Secundum*: Si Deus maximam humani generis partem, ob solam Adami transgressionem igni æterno addiceret, ista offensa majorem haberet vim ad damnandum, quam Christi gratia ad salvandum. Contrarium autem docet Paulus, dicens; *Sed non sicut delictum ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi, in plures abundavit*, *ad Rom.* v. 15. *& seqq.* Excipiunt gratiam Christi superaturam nihilominus offensam Adami, etiamsi pauciores per illam salventur, quam per hanc damnentur; quia longe excellen-

cellentius sit salvare, seu à morte eripere; quod divinam vim requirit; quam perdere, quod vel minimi homunciones aliquando faciunt. Sed respondeo, in hac comparatione, quam Apostolus instituit inter Adamum & Christum, non tantum haberi rationem excellentiæ effectorum ab utroque proficiscentium, sed etiam numeri eorum & qui pereunt, & qui salvantur; imo istius præcipue: ut oppositio inter *unum* & *multos* vel *omnes*, toties iterata, ostendit.

IV. *Tertium:* Ex hac doctrina sequitur, Deum multo rigidius agere cum hominibus, quam cum Angelis apostatis; contra quam docet Scriptura, quæ φιλανθρωπίαν Dei passim prædicat, ut *Tit.* III. 4. *Joan.* III. 16. & alibi. & testatur *Deum Angelos non assumere*, (nempe ad eos salvandum) *sed semen Abrahæ*, *ad Hebr.* II. 16. Angeli enim isti ob proprium tantum peccatum, quod scientes & volentes commiserunt, igni æterno adjudicati sunt; homines vero reprobi ob alienum, antequam nati essent patratum: proinde cujus nec conscii, nec participes ulla ratione fuerunt.

V. *Quartum:* Inter inferorum cruciatus est *vermis, qui non moritur*, *Marc.* IX. 43. & *seqq.* per quem conscientiæ morsus ob admissa peccata vulgo solet intelligi. Sed is locum habere non posset in iis, qui nullius proprii & evitabilis peccati sibi forent conscii, & se ob alienum primi sui parentis peccatum plecti novissent.

VI. *Quintum:* Si qua isti peccato pœna debeatur, illa saltem naturæ ejus proportionata esse debebit, & ipsum gravitate sua non excedere. Illud autem in sola justitiæ originalis carentia consistit, ut plerique Theologi sentiunt, & ab aliis quantumvis invitis extorquebitur, nisi id per blasphemiam Deo auctori adscribere malint. Et quod jam justitia illa destituti nascimur, non est factum culpa nostra, sed aliena. Ergo peccatum originis alia pœna juste puniri nequit, quam pœna privativa, quam damni vocant, seu exclusione à regno cælesti. Quod si Deo libeat facere, nemo justam conquerendi materiam habebit, cum beatitudinis istius nemini sit debitor. Præterea peccato figurate & improprie dicto, nulla alia secundum justitiæ normam pœna convenit quam figurata & improprie dicta. Et sicut Adami posteri id in aliena persona commisisse feruntur; ita si qua illi debeatur pœna, oportebit ipsos eam subire in illius in quo peccarunt persona, non in propria. Alioqui non esset debita inter istud peccatum & ejus pœnam proportio, prout justitia divina omnino requirit.

VII. Nunc videamus quomodo adversarii opinionem suam defendant. Objiciunt *primo*, Paulum dicere, *Eramus natura filii iræ, ut etiam reliqui*, *ad Ephes.* II. 3. Ex ira autem Dei necessario pœnam sequi, ut docet idem Apostolus, dicens, *Iram Dei venire in filios contumaciæ*, *ad Ephes.* V. 6. *ad Coloss.* III. 6. Ad quod respondeo, me supra ostendisse, non agi in isto loco de peccato originis. Cui adde, non omnes iræ filios, id est, ira dignos, necessario à Deo puniri. Ethnici illi ad quos scribit Apostolus exemplo nobis sunt, qui veniam peccatorum, in quibus ambulaverant, facientes voluntatem carnis, obtinuerunt. Quidni ergo infantes etiam, nullius adhuc proprii peccati rei? Quam autem ineptum est iis applicare quod de filiis contumaciæ dicitur, *ad Ephes.* V. & *ad Coloss.* III. cum tales ibidem perhibeantur esse solum fornicatores, avari & similes? Infantesne ergo ab uberibus matrum pendentes sunt fornicatores & avari? Suntne etiam contumaces, quamdiu ipsis nihil adhuc non magis quam brutis, propter rationis defectum præcipi potest?

VIII. *Secundo: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur*, *Matth.* III. 10. *Luc.* III. 4. At infantes peccato originis inquinati, sunt arbores quæ non faciunt bonum fructum. Ergo exscindentur, & in ignem æternum mittentur. Respondeo, nullum agricolam esse adeo fatuum, ut arborem exscindat, & in ignem conjiciat, quia primo quo illam plantarit anno fructum non profert. Expectat tempus à natura constitutum, ut de fertilitate aut sterilitate arboris alicujus judicet, vel eam extirpandam decernat. Non potest ergo absque Dei ignominia dici, ipsum durius cum infantibus agere, ita ut eos exscindat, & in ignem æternum abjiciat, si statim atque nati sunt, aut etiam ante, bona opera non edant. Imo neque adultos tam rigide tractat, quorum sæpe per multos annos expectat pœnitentiam, antequam eos exterminet, ut Dominus Jesus egregie docet in parabola *Luc.* XIII. 6. & *seqq.* Adde quod si istud pronunciatum ad infantes extendatur, & secundum id omnes judicentur, nullus eorum salvandus sit, cum bonorum operum fructus nondum edant. Ergo adultos tantum respicit, qui ad baptismum quidem Joannis veniebant, & peccata confitebantur, sed ab iis non desistebant.

IX. *Tertio: Palea comburentur igne inextinguibili*, *Matth.* III. 12. *Luc.* III. 17. Infecti autem peccato originis sunt paleæ. Ergo, &c. Minor probatur, quia necesse est eos aut triticum esse aut paleas. Non sunt autem triticum, quia non coguntur in horreum, ut bonæ fruges solent. Ergo sunt paleæ. Respondeo, falsum esse eos, qui solo originali peccato infecti sunt, ut recens nati infantes, necessario aut triticum aut paleas esse. Datur enim aliquod medium, cui neque tritici, neque paleæ appellatio convenit, qualis est, verbi gratia, herba ex grano tritici in terram conjecto germinare incipiens. Sed ut melius adhuc sophismatis hujus ineptia appareat, voces & phrases tropicas in proprias convertere oportet. Per triticum ergo significantur fideles, & per paleas infideles. Inter utrosque autem medii sunt infantes, qui nondum sciunt, quid differat bonum à malo, ac proinde neque boni, neque mali moraliter esse possunt. Imo in adultis quoque dantur medii inter fideles & infideles, nempe quibus Euangelium non est annunciatum, ideoque in Jesum Chri-

Christum non credunt. Quamvis enim negative dici queant infideles, non sunt tamen positive, & culpabiliter, sicut illi, qui in ipsum credere detrectant, ut videre est *Joan.* XV. 24, &c.

X. *Quarto: Sicut colliguntur zizania & igni exuruntur, ita erit in consummatione sæculi hujus. Mittet filius hominis Angelos suos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula, & eos qui faciunt iniquitatem, projicientque eos in fornacem ignis, illic erit fletus & stridor dentium*, *Matth.* XIII. 40, &c. Peccati autem originalis rei sunt zizania. Ergo &c. Respondeo, hic fieri verba de solis adultis. Nulla enim cum specie infantibus recens natis, qui nesciunt quid sit iniquitas aut offendiculum, tribui potest quod iniquitatem faciant, aut cuiquam offendiculum ponant, seu lapsus & perditionis æternæ causa sint. Solos autem istos conjicient Angeli in fornacem ignis.

XI. *Quinto: Quando filius hominis veniet judicaturus universum orbem, alios ad dextram suam collocabit, qui salvabuntur, alios vero ad sinistram, qui damnabuntur æternum*, *Matth.* XXV. 31, &c. Ergo in alterutro ordine necesse est contineri homines solo peccato originali fœdatos. At non erunt ad dextram cum ovibus quæ vitam æternam possidebunt. Quare ad sinistram erunt cum hœdis, qui in ignem æternum mittentur. Respondeo, non esse necesse, ut ii qui solius peccati originalis rei sunt, in alterutra istarum partium contineantur, in quas omnes gentes in die ultimi judicii separabuntur. Nam judicium istud exercebitur secundum opera vel bona vel mala, quæ singuli fecerint. Christus dicet illis qui ad suam dextram erunt, *quod se esurientem & sitientem paverint, nudum vestiverint, ægrotum & captivum visitarint*: iis vero qui erunt ad sinistram, exprobrabit *quod hæc charitatis officia neglexerint.* Sicut autem solorum adultorum est illud facere; ita & hoc omittere. Unde sequitur infantes, qui nihil adhuc boni vel mali egerunt, isto judicio non comprehendi.

XII. *Sexto: Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*, *Apoc.* XX. 15. Non autem omnes infantes sunt scripti in libro vitæ, sed tantum electi. Ergo reliqui omnes pœna sensus æterna afficientur. Respondeo: Istud est quod in quæstione versatur, utrum talis electio & reprobatio in infantibus locum habeant. Nullus est vel minimus in tota Scriptura apex, qui id doceat. Et hoc ipso Apocalypseos loco, dicuntur *mortui fuisse judicati ex iis, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum*, *versu* 12. Quomodo autem opera infantium, videlicet bona aut mala, scripta esse possunt in libris, ut secundum illa judicentur, cum nulla adhuc ejusmodi ediderint? Quid ergo, inquies, de iis fiet? Respondeo: Deus novit, & non opus est ut quicquam de eo in alterutram partem decidamus. Sufficit tenere ad nostri consolationem, Deum, qui summe bonus & justus est, non posse quicquam bonitati & æquitati suæ repugnans facere. Non promisit quidem vitam æternam infantibus fidei & charitatis adhuc expertibus, sed nihil obstat quominus illam iis donet, imo id immensæ ejus benignitati valde consentaneum est. Non minatus est æternas inferni pœnas tenellis istis animabus, quæ nullam adhuc inter bonum & malum discrimen ponere queunt: nec ipsius æquitas & misericordia permittunt ut eas illis infligat. Ergo metuere non debemus ut id unquam faciat, aut eas ulla sensus pœna torqueat.

XIII. Cæterum, etsi necessitas perpetuo in omnibus actionibus peccandi non profluxerit ex primo Adami peccato, sed (si qua talis sit) ex prava educatione, malis exemplis, & libera male agendi assuetudine; indubium tamen est, peccati vim temporis progressu mirum in modum postea auctam fuisse, ut historia sacra passim docet. *Primo* enim inde factum est, ut Cain diabolica invidia in fratrem Abelem accensus, ipsum interimere non exhorruerit. *Secundo*, cum multiplicati essent homines super terram, omnis caro adeo corrupit viam suam, ut Deus universum genus humanum diluvio perdere decreverit, excepto solo Noacho, qui gratiam apud Deum propter justitiam suam invenit. *Tertio*, post diluvium tantum abest ut homines severo isto judicio territi, vitam sanctius instituerint, ut contra idololatria, cujus in primo mundo nulla vestigia apparent, ubique terrarum grassari cœperit, & tam perditis homines fuerint moribus, ut in Sodoma & Gomorrha, ne decem quidem homines justi, id est, à sceleribus immunes, inveniri potuerint, in quorum gratiam Deus civitatibus illis parceret. *Quarto*, cum Deus ex medio idololatrarum Abrahamum evocasset, cum quo fœdus iniret, nec propiores quidem ejus posteri multo sanctiores cæteris mortalibus fuerunt; ut videre est in Esavo, qui fratrem Jacobum interimere voluit, & in patriarchis Jacobi filiis, quorum primogenitus Ruben thalamum patris sui incestu violavit; Simeon & Levi Sichemitas sub specie sancti fœderis deceptos crudeliter occiderunt; posteaque omnes simul in optimum fratrem Josephum conspirarunt, & in servitutem abducendum vendiderunt. *Quinto*, cum Deus Israëlitas singulari beneficio ex dura Ægypti servitute liberasset, & in terram Canaan, quam patribus ipsorum promiserat, introducere paratus esset, adeo eum incredulitate, idololatria & continuis murmuribus exacerbarunt, ut omnem istam progeniem variis plagis in deserto consumpserit. Nec sancta illa lex, quam è monte Sinai adversus transgressiones tulerat, eas reprimere valuit, sed contra irritavit. *Peccatum enim per legem occasione accepta operatum est omnem concupiscentiam*, *ad Rom.* VII. 7. *& seqq.* Unde recte Salomon, *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet*, 1 *Reg.* VIII. 46. *Eccles.* VII. 21. Et Paulus, *Non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinarunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, *ad Rom.* III. 12. *& seqq.* Quamvis enim legamus

de quibusdam, eos fuisse justos & perfectos, ut de Noacho, Jobo, Davide, Asa, Josia, Zacharia & Elizabetha, id tamen absolute & de toto vitæ tempore non debet accipi; ut inde apparet, quod Scriptura, quæ eis tam eximium perhibet testimonium, mentionem faciat non tantum infirmitatum quarundam, sed etiam graviorum lapsuum in quos inciderunt; exempli gratia, quod David se adulterio & homicidio commacularit, Asa populum oppresserit, fiduciamque suam magis in Medicis quam in Deo collocarit, & similia. Unde sequitur neminem adeo esse justum, ut operibus suis, id est, perpetua & nullo peccato interrupta totius vitæ obedientia, coram Deo justificetur, sed omnes peccatorum remissione, quæ nobis gratuito in Christo contingit, indigeant. Sed tanta peccati efficacia non est tribuenda ineluctabili necessitati, ex unica Adami transgressione secundum Dei decretum profluenti. Nam id gratiæ Dei in peccatis condonandis laudem plane obscuraret, imo etiam illam in crudele schema transformaret, si Deus omnes homines sub peccatum inevitabiliter concludens, minimæ tantum eorum partis misereri vellet.

RELIGIONIS CHRISTIANÆ INSTITUTIO.

LIBER IV.

CAPUT I.

De actionibus moralibus, & earum causis.

I. *Actiones morales esse objectum materiale cultus Dei. Quid sint, & qua in re differant à naturalibus & artificialibus.* II. *Causas illarum esse vel in, vel extra hominem; in homine esse naturam,* III. *Intellectum,* IV. *Voluntatem.* V. *Voluntati libertatem exercitii & specificationis competere.* VI. *Ridicule dici hominem illa libertate Dei imperio exemptum iri.* VII. *Et absque probatione asseri, Adami posteros illam per ipsius lapsum amisisse.* VIII. *Causas extra hominem, vel esse præparantes, educationem nimirum, institutionem, & exempla.* IX. *Vel impellentes, suasionem nimirum, hortationem, præceptionem, &c. & his contrarias dissuasionem, &c.* X. *Nec non consultationem & deliberationem.* XI. *Deum etiam esse causam actionum moralium, sed remotam.*

I. HUc usque egimus de prima religionis parte, quæ versatur in cognitione Dei, & operum ejus. Accedendum nunc est ad alteram, quæ de cultu Dei tractat, qui etiam solus nomen religionis aliquando sortitur, ut supra *lib.* II. *cap.* I. §. I. monui. Cultus Dei seu religio considerari debet in genere & in specie. Ad cultum Dei in genere pertinet objectum illius materiale & norma. Objectum materiale cultus divini sunt primo *actiones* hominis *morales*, & *habitus* ex iis proficiscentes: deinde *affectus* seu animi perturbationes. *Actiones morales* sunt hominis motus circa bonum vel malum morale occupati. Vocantur morales, ad distinctionem, tum naturalium, quales sunt edere, bibere, dormire, loqui, currere & similes; tum artificialium, quales sunt scribere, ædificare, vestes conficere, cibos parare, & aliæ ejusmodi, in quibus opifices suam exercent industriam. Utræque autem hæ actiones in eo potissimum discriminantur à moralibus, 1. quod per se neque honestæ, neque turpes sint: sed indifferentes. 2. quod homines à solis actionibus moralibus boni aut mali censeantur. Actiones morales in eos tantum cadunt, qui rationis usum habent, qua possunt honestum à turpi discernere. Proinde amentes, durante amentiæ suæ paroxysmo, illarum capaces non sunt, non magis quam bruta animantia, neque etiam infantes ante rationis usum. Sed quemadmodum ratio in iis cum ætate paulatim sese exerit, ita etiam eorum actiones sensim in moralium ordinem transeunt; tempus autem certum, quo id fiat, definiri præcise à nobis nequit. Vulgo infantes ante septimum ætatis annum non censentur vere rationis capaces esse, sed ejus initia tantum habere. Alii terminum istum usque ad annum decimum quartum extendunt, ante quem non putant eos criminis alicujus reos esse, aut pœnam capitalem mereri. Sed quomodocunque homines ista de re sentiant, certum est Deum, cum quo potissimum nobis res est, optime discernere utrum aliquis ex mera malitia, an vero etiam ex rationis infirmitate peccet, & ipsum neminem unquam supra peccati meritum punire.

II. In actionibus hominis moralibus spectare oportet causas & species. Causæ aliæ sunt in homine, qui eas edit, aliæ extra. In homine sunt tres, videlicet *natura*, *intellectus*, & *voluntas*. Per *naturam* hic significatur naturalis propensio ad bonum vel malum morale agendum ex temperamento orta. Ex diversitate enim temperamenti accidit, quod alii sunt mansueti, alii vero ad iram proni; quod alii sunt casti, alii contra libidinosi; quod alii sunt audaces, alii meticulosi; & ita in multis ejusmodi. Idque docet Galenus peculiari libello, cujus titulus est, *Quod animi mores corporis temperamentum sequantur.* Sed tantæ tamen non sunt temperamenti vires, quin rationis ope, si eam in auxilium advocemus, ipsum compescere queamus: inclinat enim solum ad agendum, non cogit; quod etiam astrorum influentiis (si quæ sint præter eas, quas à sole & luna proficisci omnes agnoscunt) applicandum est. Unde vulgatum illud, *Sapiens dominabitur astris.*

III. *Intellectus* est causa actionum hominis, quatenus bonum & malum morale cognoscit, & de cognito judicat. Est enim instar lucernæ, quæ hominem dirigit in agendo, ne alicubi cespitet, aut impingat. Nam cum appetitus sensitivus, qui cæcus est, sæpe nos ad turpia incitet, intellectus lumine opus est, qui ostendat quid honestum, & proinde sequendum sit, quid contra turpe & fugiendum. Qualis igitur & quanta est boni & ejus excellentiæ notitia, talis & tanta ordinarie est ejusdem approbatio, volitio & persequutio. Item, qualis & quanta est mali & ejus fœditatis notitia, talis & tanta etiam est ejusdem improbatio, nolitio & fuga. Indeque ortum habet vulgatum il-

lud, *Ignoti nulla cupido*. Et *Error in intellectu parit vitium in voluntate*. Lux autem ista intellectus est duplex, altera quidem naturalis, altera vero supernaturalis. Lux naturalis est, quam intellectus ex se ipso habet, seu ex naturæ principiis ratiocinando elicere potest, ad bonum à malo discernendum. Lux supernaturalis est, quam intellectus ex revelatione divina adipiscitur; qualem hodie in sacris Literis tantum habemus, postquam Jesus Christus totum voluntatis divinæ arcanum nobis annunciavit, & scriptis mandandum per Apostolos curavit, Deusque hominibus apparere & viva voce loqui desiit.

IV. *Voluntas* est causa actionum moralium, quatenus est facultas libera, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere aut non agere, vel hoc potius quam illud agere; & *liberum arbitrium* vulgo appellatur. Scholastici libertatem in duas species dirimere solent, alteram *contradictionis*, seu *exercitii*, alteram vero *contrarietatis*, seu *specificationis actus*. Illa est, per quam homo potest agere vel non agere, & locum habet ubi de una tantum re eligenda agitur: ut si mihi offeratur dignitas aliqua eximia, possem eam per libertatem contradictionis vel amplecti, vel repudiare. Hæc vero est, per quam homo unum potius, quam aliud potest agere, & locum habet cum optio ei inter plura datur; ut si mihi proponatur, utrum opes an honores malim, possum per libertatem contrarietatis præferre opes honoribus, aut contra.

V. Utraque hæc libertas homini indita est à Deo cum ipsum creavit, & radicem habet in anima rationali, qua supra cætera omnia animantia eminet. Id quod probatur sequentibus argumentis. 1. Absque libertate voluntatis homo virtutis obedientiæ & vitii inobedientæ capax esse non potuisset, ut Deus in eo creando sibi proposuerat. 2. Omnes leges tam divinæ quam humanæ, quibus aliquid præcipitur, aut vetatur, ridiculæ & injustæ erunt, si ii, quibus feruntur, ista libertate sunt destituti. 3. Promissiones & comminationes erunt vanæ & inutiles. Frustra enim usurpabuntur apud illos, qui ineluctabili necessitate feruntur ad ea facienda, quæ faciunt, & omittenda, quæ omittunt. 4. Præmia sine ratione dabuntur obedientibus, & pœnæ nonnisi injuste ab inobedientibus exigentur. 5. Consultationes & deliberationes omnes, quæ de rebus agendis instituuntur, supervacaneæ forent, nisi qui consultant & deliberant, possent libere tam in hanc quam in illam partem sese flectere. 6. Omnes homines, si paucos aliquot Sophistas exceperis, in hac sententia defendenda consentiunt, quam etiam nemo oppugnare potest, quin manifestis se absurdis & contradictionibus implicet.

VI. Nec ad tollendum homini liberum arbitrium ullius est momenti, quod nonnulli objiciunt; ipsum divinis legibus obedire teneri; libertatem autem nihil aliud esse, nisi facultatem vivendi ut velis. Qui enim sic loquuntur, ignorant, quid per liberum arbitrium intelligatur, quasi in eo consistat ut homo summo Dei imperio exemptus sit: quod ridiculum est. Hic solum agitur de voluntatis libertate interna in iis, quæ Deus præcepit, eligendis aut rejiciendis; non de exequutione externa eorum, quæ forte homo facere proposuit; quam Deus semper, si libuerit, impedire potest. Nec enim quando hominem donavit libero arbitrio, privavit se jure, quod in omnes ejus actiones habet, sed contra id expresse retinuit. Cui adde, quod cum Deus permittit alicui adversus legem suam peccare, id ipsi non vult esse impune, sed postquam libere peccavit, quantumvis invitum & repugnantem pœnæ subjicit.

VII. Assertur etiam, hominem quidem ab initio, cum ad imaginem Dei est conditus, libertate arbitrii fuisse præditum: sed eam postea per Adami lapsum amisisse; sive quod ita tulerit istius peccati natura, sive quod à Deo propter abusum fuerit erepta. Verum hæc mera sunt commenta, quorum nullum vestigium occurrit in Scriptura, nec cum peccati istius facit mentionem, nec usquam alibi. Cum justitia etiam Dei non convenit, ut hominem tali pœna affecerit, quæ ipsum ad obedientiam, quam ab eo requirere proposuerat, ineptum redderet.

VIII. Causæ actionum moralium extra hominem sunt duplices, aliæ præparantes, aliæ impellentes. Ad præparantes pertinet *educatio*, *disciplina*, seu *institutio*, & *exempla*; quæ omnia, si bona sint, multum valent ad amorem virtutis ingenerandum; si vero mala, ad effectum contrarium producendum. *Educatio* est animi & actionum puerilium domestica statim à teneris ad honestum directio, & à turpi aversio. *Disciplina* seu *institutio*, est accuratior animi & morum juvenilium à præceptoribus, quorum curæ pueri sunt commissi, facta informatio. *Exempla* sunt actiones probæ, vel improbæ, eorum cum quibus versamur; quæ profundius in animos penetrare solent, quam nuda præcepta; ideoque majorem vim ad mores emendandos, aut contra corrumpendos habent.

IX. Ad causas impellentes spectant *suasio* & *dissuasio*; *hortatio* & *dehortatio*; *præceptio* & *prohibitio*; *promissio* & *comminatio*; *laudatio* & *vituperatio*; *præmia* & *pœnæ*, & denique *consultatio*, quæ istorum pleraque comitari solet. *Suasio* est oratio, qua alterum movere studemus, ad aliquid agendum quod nondum cœpit agere. *Dissuasio* est, qua ipsum movere conamur ad omittendum aliquod quod nondum aggressus est. *Hortatio* est oratio, qua alterum incitamus ad pergendum in eo, quod jam agere cœpit. *Dehortatio* est, qua ipsum retrahimus ab eo, quod jam aggressus est. Aliquando tamen suasionis & hortationis, dissuasionis & dehortationis voces inter se confunduntur. *Præceptio* est oratio, qua alteri, in quem habemus jus, mandamus ut bonum aliquod faciat. *Prohibitio* est, qua vetamus ne malum faciat. *Promissio* est

est oratio, qua alteri præmium pollicemur si bonum aliquod egerit. *Comminatio* est, qua ipsi pœnam intentamus si malum perpetrarit. *Laudatio* est oratio, qua alterius facta eo fine commendamus, ut vel ipse alacrius in iis pergat, vel alios ad ipsum imitandum exstimulemus. *Vituperatio* est, qua alicujus facta reprehendimus, ut ea vel ipse, vel alii improbent & fugiant. *Præmium* est boni operis remuneratio, eo tendens, ut tum qui fecit alacrius postea in bene agendo pergat, tum alii similis remunerationis spe accensi virtutem sectentur. *Pœna* est mali operis ultio, eo collimans, ut tum qui peccavit in posterum à malo abstineat, tum etiam alii similis ultionis metu deterriti vitium fugiant.

X. *Consultatio* est deliberatio, quam homines aliquando cum aliis, & aliquando apud se solos, de rebus agendis vel omittendis instituunt. In qua duo sunt consideranda; primo objectum, seu res de qua consultari potest aut debet; deinde modus quo consultationem instituere oportet. Objectum consultationis non sunt res omnes: sed illæ solum, quæ ad nos aliqua ratione spectant, & in nostra potestate est ut fiant vel non fiant, nobisque ignotæ sunt vel dubiæ. Itaque nunquam oportet deliberare utrum Dei mandatis obtemperaturi simus, nec ne: vel an id, quod recta ratio suadet, facturi, & quod dissuadet, vitaturi simus. Ista enim apud viros bonos in dubium revocari nequeunt. Modus consultationis in tribus rebus potissimum consistit: primo in finis recti constitutione: deinde in mediorum idoneorum, quæ ad istum finem ducant, inquisitione: denique in mediorum inventorum usu & recta applicatione: sed nullum proponere nobis debemus finem de quo non constet prius esse honestum: neque ulla media ad ipsum obtinendum idonea judicare, aut adhibere, quin ea etiam omni turpitudine vacare certi simus; alioquin consultatio nostra erit illegitima & vitiosa.

XI. Deus etiam est causa actionum moralium, sed remotior: quatenus homines nihil agere possunt, nisi per acceptas ab eo vires. Sed hic diligenter est distinguendum inter actiones bonas & malas, & cavendum, ne utraque eodem modo ad Deum referantur. Quin Deus omnium bonarum prima sit causa, nullum est dubium. Eas enim non tantum præcipit & remuneratur, sed etiam multiplicibus gratiæ suæ auxiliis promovet; quamvis in libera hominis electione relinquat eas edere vel non edere, seu nemini bene agendi atque à malo sibi temperandi necessitatem imponat. Quod ad malas actiones attinet, Deus illarum non est causa vel auctor; sed contra eas prohibet expresse & punit severe. Repugnant enim ejus sanctitati & justitiæ; proindeque homines ad eas impellere nequiret, quin seipsum abnegaret. *Quoniam Deus est lux, & tenebræ in eo sunt nullæ*, 1 *Joan.* I. 5. Fiunt quidem sicut & bonæ, viribus quas Deus dedit & conservat, sed quibus homo contra largitoris intentionem abutitur.

CAPUT II.

De causa malarum hominum actionum: & speciatim, Deum nullo modo esse auctorem peccati.

I. *Non diabolum, sed liberam hominis voluntatem esse proximam peccati causam.* II. *Aliquem esse finem peccati, nempe bonum jucundum aut utile; non vero Dei gloriam.* III. *Deum neque creatione, neque concursu esse auctorem peccati.* IV. *Quod variis argumentis confirmatur.* V. *Quosdam multis modis Deum indirecte peccati auctorem facere.* VI. *Nec purgare se distinguendo inter actum, & actus vitiositatem; aut providentiæ divinæ tribuendo quod peccata peccatis puniat.* VII. *Istam efficacem Dei providentiam circa peccatum non evinci ex historia Josephi,* VIII. *Filiorum Heli*, IX. *Davidis*, X. *Simei maledicentia*, XI. *Achabi deceptione*; XII. *Aut cum Job Deo illa mala tribuit quæ Chaldæi ei intulerant*, XIII. *Aut cum Israëlitæ Deo suos errores adscribunt*, XIV. *Aut cum ipse sibi Pharaonis indurationem tribuit*, XV. *Aut Esaiæ præcipit ut excæcet cor populi.* XVI. *Quis sensus verborum*, Ne forte videat oculis. XVII. *Nec id probari traditione gentium in desideria cordis eorum.* XVIII. *Aut immissione efficaciæ erroris.* XIX. *Aut quod Herodes & Pontius Pilatus convenisse dicantur, ut facerent quæ manus & consilium Dei decreverant fieri.* XX. *Quomodo impii Dei consilium de morte Christi executi fuerunt.* XXI. *Verba Actor.* IV. 27, 28. *trajectione eleganti nec inusitata, alio ordine posse legi, quam vulgo fit ab interpretibus.*

I. QUæritur ergo, quæ sit causa & origo malarum actionum, seu peccati, quod ab hominibus committitur. Ad quod respondeo, proximam & immediatam aliam non esse, præter liberam eorum voluntatem. Deus enim cum creavit hominem, donavit ipsum libero arbitrio, ut locus esse posset virtuti & vitio, seu obedientiæ & inobedientiæ, consequenterque præmio & pœnæ; immutabilem autem esse in bono, solius Dei est proprium, nulli creaturæ communicabile. Diabolus quidem incitavit primos nostros parentes ad peccandum: sed nullam vim ad ipsos cogendum adhibuit, & nisi libera voluntate assensissent ei, irriti fuissent omnes ejus conatus. *Vidit mulier quod arbor scientiæ boni & mali, quam Deus prohibuerat, bona esset ad vescendum, & desiderabilis oculis, & concupiscibilis ad intelligendum; & tulit de fructu illius & comedit, & dedit etiam viro suo secum, qui comedit*, *Gen.* III. Ita peccatum primo intravit in mundum. Eadem autem est propemodum cæterorum peccatorum, in quæ homines labuntur, quæ primi istius ratio, nisi quod corrupta assuetudine peccandi natura ad ea sunt proniores. *Diabolus obambulat terram, ut insidietur hominibus, & eos ad Deum offendendum pelliceat*, *Job.* I. 7. *Circuit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret*, 1 *Petr.* V. 8. Ille in cor Judæ misit ut proderet Dominum Jesum, *Joan.* XIII. 2. Unde Paulus *metuebat, ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita fidelium sensus corrumperentur, & à simplicitate quæ est in Christo exciderent*, 2 *Cor.* XI. 3. Et hortatur nos ad *induendam armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias Diaboli*,

li, &c. Ephes. VI. Sed quemadmodum ubi non est lignum, aut alia materia combustibilis, illic non potest accendi ignis;ita etiam frustra Diabolus nos sollicitaret ad peccatum, nisi à cupiditatibus nostris adjuvaretur, quæ veluti proditrices ei cordis nostri ostium aperiunt, & partes ejus sequuntur. *Nam unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, &c. Jacob.* I. 14. Futilis ergo subtilitas est, quod quidam dicunt, peccatum nullam habere causam efficientem à qua producatur, sed tantum deficientem. Simul enim est & causa efficiens peccati, quæ vi sua parit ipsum, ut voluntas nostra corrupta; & deficiens, quia illud patrando à norma recti deficit, & aberrat. Atqui, inquiunt, peccatum non est ens. Fateor, si ens in primaria sua significatione accipiatur, pro substantia: sed si actiones etiam sub nomine entis comprehendantur, ut vulgo fit à Philosophis, peccata quæ sunt actiones, licet vitiosæ & à Deo prohibitæ, entia erunt.

II. Quæritur etiam quis peccati sit finis: Et nonnulli respondent nullum esse, quia finis & bonum inter se reciprocantur; certum autem sit peccatum, quod est res mala, ad bonum non tendere. Sed ista responsio non satisfacit. Quamvis enim peccatum pro fine non habeat verum aliquod bonum, quale est solum honestum; nihil tamen impedit, quin ad bonum apparens collineet; imo illud omnino statuendum est. Nullam enim actionem moralem, qualis est peccatum, edunt homines absque alicujus finis intuitu; nempe jucunditatis, aut utilitatis carnalis, quæ illi est annexa. Cur enim homines furantur, scortantur, vindictæ cupiditati indulgent, & alia ejusmodi peccata patrant, nisi quia id sibi utile aut jucundum censent? Falluntur quidem: nam id non est vere utile, quod summo bono, videlicet salute æterna, privat; nec id est vere jucundum, quod æterni ignis pœna secutura est. Interim negari non debet, quin peccatum saltem brevem aliquam utilitatem aut voluptatem pariat;quæ ejus fines sunt. Imo peccatum aliquando ad finem honestum tendere videtur: quale est eorum, qui discipulos Christi interficiendo, putant se cultum præstare Deo, *Joan.* XVI. 2. Sed istud ex mentis errore proficiscitur, qui impedit ne illorum peccatum vere honestum finem habere dici queat. Quod quidam vero afferunt, peccato etiam illustrari gloriam Dei, & magnam aliis hominibus utilitatem afferri, ut apparet in venditione Joseph, & occisione Christi; non probat peccatum ad finem honestum tendere. Deus quidem, pro sua ineffabili sapientia, occasionem interdum sumit ex hominum peccatis gloriam suam illustrandi, & bonum aliquod insigne aliis procurandi. Sed illud nullo modo peccato aut peccatoribus, tanquam causa per se, tribuendum est, quod contrarium plane effectum producere natum est, ut allata exempla docent. Nam venditio Josephi, quatenus erat actio fratrum ipsius, alio natura sua non tendebat, quam ad reddendum vitam ejus calamitosam, & impediendum ne aliquando fratribus dominaretur, ut somnia ejus portendebant: Sed Deus malitia ista plane contra ipsorum intentionem abusus est, ut ita dicam, ad Josephum in summam auctoritatem extollendum, per quam fratribus suis & toti paternæ familiæ tempore asperrimæ famis opitulari posset, & universam Ægyptum à ruina & perditione imminenti conservare. Eodemque se modo res habet in Domino Jesu, quem Judæi de medio tollendo nihil aliud nisi odium suum explere cogitabant; sed Deus ex morte ejus, contra quam propositum ipsis erat, occasionem sumpsit ad ipsum in gloriam cælestem introducendum, & salutis ostium toti humano generi aperiendum.

III. Deus ergo non est peccati auctor aut causa, nec eo, ut quidam putant, ad gloriæ suæ illustrationem ullatenus indiget. Nam quamvis Deo ignorante, aut prorsus nolente, non committatur ab hominibus: nullam tamen partem aut communionem in eo habet. Sed, inquies, Deus est omnium entium auctor, actiones malæ sunt entia; ergo Deus illarum causa est & auctor. Respondeo ad majorem, entia alia esse primario ita dicta, quales sunt substantiæ, una cum proprietatibus earum essentialibus & inseparabilibus; alia vero secundario dicta, quales sunt actiones, quæ modi entium sunt potius quam entia. Illorum omnium absque exceptione Deus est causa, tum quatenus ea primo creavit, tum quatenus ea etiamnum conservat providentia sua, & curat ut propagentur secundum ordinem à se institutum. Sed horum non alio modo Deus est causa, quam quia viribus, quas largitus est, eduntur; alias frustra vires agendi singulis pro ratione naturæ suæ indidisset, si nihil nisi ipso determinante agere possent. Instabis, Deus concurrit cum omnibus hominum actionibus, & eo concurrente non potest fieri quin agant; ergo omnium quas faciunt actionum est causa. Respondeo, nos nullum alium concursum agnoscere, quam eum qui est per modum principii actiones præcedentis, & nullam eis necessitatem imponentis. Qui alium statuunt, videant an non Deum peccati auctorem faciant. Instabis iterum: Sicut res pendent à Deo in suo esse, ita etiam in operando; atqui ita pendent à Deo in suo esse, ut Deo agente sint necessario: Ergo etiam oportet, ut quando Deus in illis operatur, necessario agant. Respondeo: Dissimilia hæc sunt. Res optime dici possunt à Deo pendere in operando, 1. si nihil possint agere nisi viribus à Deo acceptis. 2. Si in Dei potestate sit eas impedire ne agant quandocunque ipsi libet. Itaque non requiritur ad hanc dependentiam, ut Deus actione & concursu suo eis agendi necessitatem imponat. Perges: Nonne Deus potest esse causa peccati quatenus est ens, & tamen non esse causa vitii quod illi adhæret? Respondeo, duplicis generis esse peccata, alia in quibus actio ipsa prohibetur, alia in quibus modus tantum

tum aliquis actionis, ab ea separabilis, vetatur. Ad primum genus pertinent blasphemia nominis Dei, homicidium, furtum & similia, quæ, quanta quanta sunt, mala sunt; non enim fieri potest ut quis absque peccato Deum blasphemet, innocentem occidat, bona aliena rapiat: talisque etiam erat esus arboris scientiæ boni & mali, Adamo & Evæ interdictus: licet enim in se esset indifferens, tamen posita Dei prohibitione non poterant sine scelere illam attingere. Ad alterum genus pertinent actiones per se bonæ aut indifferentes, quibus vitium aliquod ab iis separabile adhæret; ut precari vel eleëmosynam dare, ut lauderis ab hominibus; carnem edere cum infirmi fratris scandalo, aliaque ejusmodi. Nihil impedit quominus Deum harum actionum causam esse dicamus, à quibus malum, si homo sibi caveat, abesse potest. Sed illæ ipsi tribui nequeunt, quin peccati auctor constituatur; præsertim si, ut volunt hujus sententiæ auctores, Deo agente & concurrente, non possit fieri quin homines agant, & quidem eo modo quo agunt, id est, vitiose. Sic enim per Dei concursum male agendi necessitas ipsis imponitur. Atqui, inquies, id fit quia sunt mali, non quia Dei concursus eos tales reddat, veluti cum agaso armentum equorum aut asinorum claudorum agitat, causa quidem est incessus illorum, sed vitium ipsis adhærens est causa cur claudicent. Respondeo istam similitudinem claudicare, nec posse applicari primo hominis peccato, à quo cætera omnia inevitabiliter fluere existimant. Nullus enim tunc in eo erat defectus, qui efficeret ut Deo ad agendum impellente male ageret. Proinde peccatum istud, quatenus est actio, Deo adscribi non debet: si istud non debet, neque ulla alia: omnium enim una eademque est ratio. Cui adde, illos, qui dicunt Deum decrevisse ut primus homo inevitabiliter laberetur, & simul cum eo omnes ejus posteri, eo fine ut posset misericordiam suam demonstrare in remittendo quibusdam peccato, & justitiam in aliis in puniendo, effugium istud sibi præcludere. Non enim remittitur aut punitur peccatum quatenus est actio, sed quatenus est vitiosa actio. Quare si Deus præcise finem istum obtinere voluerit, oportet ut peccatum, quatenus est peccatum, decreverit, & sic verus, proprius & solus sit peccati auctor, cum in hominis potestate non fuerit ut ipsum, ne exequeretur suum decretum, impediret. Quæ hæresis adeo nobis videtur abominanda, ut ad omnem ejus speciem seu apparentiam jure meritoque exhorrescere debeamus, si quis divinæ gloriæ zelus in nobis sit.

IV. Deum autem nullo modo peccati, quod homines committunt, auctorem aut causam esse, vel ullam partem aut communionem in eo habere, confirmatur, 1. multis expressis Scripturæ testimoniis. Inter quæ insigne est istud: *Non Deus volens iniquitatem tu es*, *Psalm.* v. 5. Nullius enim pretii est exceptio eorum, qui dicunt hic non haberi verbum אבה quod proprie significat *voluit*: sed חפץ, id est, *delectatus est*. Nam celeberrimi quique interpretes, tum Græci tum Latini, reddunt *chaphets* per θέλειν, *velle*. Et unum ex altero aperte sequitur. Si enim Deus peccato non delectatur, neque etiam illud vult. Nisi dicas ipsum necessitate aliqua adigi ad id volendum, quo minime delectatur; quemadmodum æger ad medicinam aliquam amaram sumendum, & mercator ad opes suas in mare urgente tempestate projiciendum. Id enim foret absurdissimum, & summæ ejus perfectioni plane repugnans. Huic adde alterum locum ex Propheta: *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*, *Hab.* I. 13. Sed non est omittendus iste Jacobi, *Nemo cum tentatur*, (id est, ad peccandum sollicitatur, ut ex seqq. liquet) *dicat quoniam à Deo tentatur. Nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam tentat*, *&c. cap.* I. 13. 2. Deus ubique in verbo suo, tam Veteris quam Novi Testamenti, severissime prohibet peccatum, tanquam rem quam abominatur. Ergo non est illius auctor, nec in id occulta aliqua ratione homines impellit, aut committendi necessitatem imponit. 3. Deus gravissimas adversus peccatum pœnas decernit, non solum temporales, quales legis transgressoribus multæ denunciantur, *Levit.* XXVI. & *Deut.* XXVIII. sed etiam æternas, ut passim legere est in Euangelio, exempli gratia, *Matth.* XXV. v. 41. 2 *Thess.* I. 8. Unde Paulus, commemoratis aliquot peccatorum speciebus, ita sermonem suum concludit, *Nemo seducat vos inanibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei in filios rebellionis*, *Ephes.* v. 6. *Col.* III. 6. Cui simile est illud Prophetæ, *Omnia sunt hæc quæ odi, dicit Dominus*, *Zach.* VIII. 13. nempe supra memoratæ pravæ machinationes adversus proximum, & juramenta, mendacia. Ergo peccati, quod ita aversatur, & tam severe punit, causa esse nequit. 4. Deus est sanctissimus. Sanctitati autem directe adversatur peccatum: quod significat Apostolus cum dicit, *Deus est lux, & tenebræ in eo sunt nullæ*, 1 *Joan.* I. 5. Peccati igitur particeps esse non posset quin seipsum abnegaret, 2 *Tim.* II. 13. quod est impossibile. 5. Si Deus esset peccati auctor, nulla foret Religio. Nam cum ea maximam partem versetur in fugiendo peccato, frustra id conarentur homines, nec quicquam promoverent, posito quod Deus velit & procuret ut eveniat. Unde apparet quod pestifera hæc sit opinio, utpote quæ non uni tantum aut alteri religionis capiti adversatur, ut reliquæ hæreses fere faciunt, sed eam universam penitus evertit & pessundat. Quare ausim dicere, inter eas, quas à temporibus Apostolorum hucusque in Ecclesia ortas fuisse legimus, istam esse deterrimam & Manichaica pejorem, quæ duo rerum principia statuendo, saltem principium bonum à peccati labe immune esse docebat.

V. Itaque qui toto corde ab hac hæresi abhorrent, cavere debent, non solum ne aperte & directe Deum peccati auctorem faciant, sed etiam ne quid tale doceant, unde id indirecte conclu-

di

di possit. Quales esse mihi videntur, qui dicunt 1. duplici necessitate omnia evenire ex providentia divina, una immutabilitatis, quia cum Deus non mutet decretum, quicquid omnino decrevit certissime evenit; altera infallibilitatis, quia cum falli non possit præscientia ipsius, utpote decreto immutabili innixa, quicquid etiam præscit, necessario tandem fit sive existit. Verum quidem est, eos negare omnia coactionis necessitate evenire. Sed tantum abest ut istud absurditatem tollat, ut contra augeat. Non tollit, quia necessitas quam statuunt, peccatum non reddit minus inevitabile quam coactio. Auget vero, quia in coactione externa nullum est peccatum; in necessitate vero interna, quæ voluntatem in assensum trahit, grave esse putant. 2. Deum concursu suo antecedente voluntatem hominum movere efficaciter, & inevitabiliter, non tantum ad agendum aliquid in genere, sed etiam ad bene vel male agendum in specie: ita ut quando Deus ipsam determinat ad bonum, necessario bene agat, quando vero ad malum, necessario peccet. 3. Deum permittere peccatum ejusmodi permissione, qua posita non possit fieri, quin eveniat, nempe aut denegando auxilium ad vitandum peccatum prorsus requisitum, aut antea datum auferendo. 4. Deum propter primum Adami peccatum, in quod inevitabiliter ex præordinatione divina incidit, omnes ejus posteros tali corruptione originali punire, ut nihil nisi malum ex sua natura velle & agere possint. 5. Ultimum omnium Dei actionum finem esse illustrationem misericordiæ ipsius in remittendo peccato, & justitiæ in puniendo, & ne eo excideret, ita direxisse rem, ut homo necessario in peccatum laberetur. Quicunque tantum vel unum horum quinque capitum, multoque magis qui plura vel omnia tuentur, non possunt effugere, quin Deum aliqua peccati labe aspergant.

VI. Sed ad purgandum se ab ista blasphemia, quam conqueruntur sibi calumniose impingi, quædam prætexere solent, quæ nobis breviter sunt expendenda. Utuntur 1. distinctione inter peccatum, quatenus est defectus, & quatenus est actus, & dicunt Deum peccati priore modo considerati nunquam esse auctorem, sed tantum posteriore; omnem autem actum esse aliquid bonum, quia sit ens, ens vero & bonum inter se convertantur. Sed jam respondimus, paragrapho superiori tertio, in omni peccato non esse actum bonum à defectu seu vitiositate distinctum atque separabilem; deinde distinctionem istam non posse usurpari ab iis, qui dicunt Deum peccatum velle & procurare quatenus est medium illustrandæ suæ misericordiæ & justitiæ. Dicunt 2. se eo tantum spectare, ut efficacem simul & justam Dei providentiam asserant, cum tanquam justus judex peccata hominum præcedentia aliis peccatis consequentibus punit; sive id faciat ita excæcando, ut turpitudinem peccati non agnoscant, aut inter honestum & inhonestum discernere amplius nesciant: sive gratiam suam ad evitandum peccatum necessariam ab iis, quia abusi sunt, subtrahendo, sicut pater filio candelam exsufflat aut eripit, qua ad pernoctem aleam abutitur. Sed respondeo 1. istam providentiæ Dei rationem nullum circa primum Adami peccatum locum habuisse. Cum enim homo adhuc esset integer, non meruerat ut à Deo desereretur, multoque minus ut excæcaretur aut induraretur. 2. Phrasis ista, Deum peccata peccatis punire, nusquam in Scriptura legitur. Nam quod quidam huc trahunt, quod Deus adulterium Davidis per Absolomi incestum punivit, nihil ad rem facit, cum in diversis hominibus contigerit, ut qui peccaverat, alieno, non suo peccato punitus fuerit. Deinde ea valde est periculosa & absurda. Periculosa quidem, quia Deum optimum & sanctissimum peccati causam facit. Cum enim Deus ut justus judex pœnæ sit causa, si ista pœna sit peccatum, etiam peccati causa erit. Nullius enim est momenti quod afferunt, Deum esse causam peccati, quatenus est pœna, non quatenus est peccatum. Nam si pœna ista à peccato separari nequeat actu, sed tantum abstractione mentali, Deus pœnæ causa esse non potest, quin pariter sit peccati. Absurda vero, quia actionem cum passione confundit, dicens pœnam, quam homo patitur, esse peccatum, cum tamen peccatum agendo, non autem patiendo committatur. Verum quidem est sæpe accidere, ut pœna, quam Deus inflixit peccatori, occasio sit ipsi amplius peccandi, ut cum morbo vel bonorum jactura visitatus in Deum murmurat, aut liberationem morbi à magis petit, & opum amissionem furto & rapinis resarcire tentat. Sed istud est per accidens respectu pœnæ, nec ex ea per se & necessario sequitur; ut videre est in piis, qui morbis aut paupertate probati, non propterea ad malas artes confugiunt, sed potius Dei nomen benedicunt, quales fuerunt Job, David, aliique. Sed, inquiunt, peccatum ab excæcatione & induratione, aliisque ejusmodi spiritualibus pœnis, separari non potest. Respondeo: Absit. Nam sic qui eas infligeret verus & solus peccati auctor esset. Istæ pœnæ faciunt quidem ut difficilius sit quam antea à peccato sibi temperare, sed non ut plane sit impossibile: alioqui Deus non hortaretur ad pœnitentiam eos, quos excæcavit & induravit, nec iis graviorem pœnam intentaret, nisi reipsa resipiscerent, ut mox ipsum facere videbimus, & pluribus declarabimus.

VII. Afferunt etiam quædam Scripturæ loca, quibus efficacem istam Dei circa peccatum providentiam probari putant. Qualia sunt sequentia. 1. Joseph compellans fratres qui ipsum abducendum in Ægyptum vendiderant, dicit, *Et nunc non vos misistis me huc, sed Deus, &c. Gen.* XLV. 8. Item, *Vos cogitastis adversus me malum; Deus vero illud cogitavit in bonum, ut faceret secundum diem hanc, ad vivificandum populum magnum, Gen.* L. 20. Sed difficile non est nodum hunc dissolvere. Duo enim hic consideranda veniunt, nempe venditio Josephi; & ejus exaltatio, ut effectus inde

per

per accidens resultans. Primum in quo peccatum consistebat à solis fratribus Josephi profectum est. Deus enim ad malevolorum eorum animum nihil contulit; licet permiserit ut ei morem gererent, & totum negotium ita direxerit, ut mallent fratrem vendere in servitutem, quam interimere, ut primo cogitaverant. Alterum, quod erat optimum, à Deo solo factum est. Ipse enim & nullus alius, Josephum ad auctoritatem illam extulit, per quam Jacobi patris domum, & totam Ægyptum ab interitu asperrimo famis tempore conservavit. Istud est solum, quod Josephus in verbis allegatis Deo tribuit, & merito: fratres enim ipsius nihil minus quam de eo cogitaverant: sed contra, vendendo Josephum, volebant impedire ne unquam ad tantam dignitatem perveniret, ut ipsis dominaretur, sicut somniis ejus portendi agnoscebant. Ideoque ad istud scelus se accingentes dicunt, *Videbimus quid erunt somnia ejus*, *Genes.* XXXVII. 8.

VIII. 2. De filiis Heli summi sacerdotis dicitur: *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos*, 1 *Sam.* II. 25. quasi illorum rebellio inde orta sit, quod Deus statuerat eos occidere, & ad istius decreti executionem necesse fuisset, ut se gravis alicujus criminis morte digni reos redderent. Ad quod respondeo, scriptorem sacrum non tribuere Deo contumaciam filiorum Heli; absit. Nam verba citata aliter reddi possunt quam vulgo fit, nimirum ita, *Et non audierunt vocem patris sui; ideo voluit Dominus occidere eos.* particulam Hebraïcam כי non reddendo *quia*, sed *ideo*, aut *idcirco*, quemadmodum sæpe alibi. Sic *Genes.* XXII. 17. ubi Deus Abrahamo, qui non dubitaverat ipsi offerre unigenitum suum Isaacum, dicit, *Ideo benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo semen tuum*, &c. ubi כי non bene verteretur *quia*. Item *Psalm.* CXVI. 10, *Credidi, ideo locutus sum.* ubi versionem istam non solum postulat sensus, sed etiam Paulus auctoritate sua confirmat, dicens: ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα, 2 *Cor.* IV. 13. Et ita apud Samuelem verti debere id evincit, quod verba versionis Vulgatæ, in propria significatione sumpta, sensum manifeste falsum & universæ Scripturæ S. contrarium contineant, nempe contumaciam filiorum Heli adversus patrem inde ortam fuisse, quod Deus statuisset eos occidere; cum è contrario Deus idcirco illos occidere voluerit, quod salutaria patris monita contempsissent, secundum quod docet Paulus: *Propter hæc* (nimirum ante enumerata scelera) *venit ira Dei in filios contumaciæ*, *Eph.* V. 6. *Col.* III. 6. Quod si quis Vulgatam versionem mordicus retinendam putet, ea etiam tolerabilem sensum admittere potest; videlicet filios Heli adeo graviter Deum præcedentibus suis peccatis irritasse, ut eos, nisi confestim vitam emendarent, interficere decrevisset: & istud iræ Dei manifestum fuisse indicium, quod eos cupiditatibus suis tradidisset, & permitteret ut patris monita omni efficacia apud eos carerent; non quod illa ad animam revocare nequirent, sed quod ita perditi essent, ut plane nollent.

IX. 3. Cum David gravissime adversus Uriam peccasset, Deus mittit ad eum Nathanem Prophetam, qui suo nomine denunciet: *Tu fecisti hoc in occulto; ego vero faciam verbum istud* (nempe quod gladius non recedet de domo tua, & quod uxores tuas proximo tuo tradam) *in conspectu totius Israëlis, & in conspectu solis hujus*, 2 *Sam.* XII. 12. Ad quod respondeo, cum sanctitas Dei non permittat ut quenquam ad nefanda ejusmodi scelera impellat, aut necessitatem committendi imponat, ita locum istum exponi debere, ut Deum à culpa immunem fuisse appareat, & tota in homines qui patrarunt redundet. Huic fini observandum est linguæ Hebreæ idioma, quæ verbis actionem significantibus sæpe nihil aliud nisi permissionem indicat. Ita legimus obstetrices Ægyptias, quibus Pharao præceperat ut omnes Israëlitarum mares occiderent, *illos vivificasse*, id est, non occidisse, *Exod.* II. 17. Eadem phrasi qua vulgo dicimus aliquem inimico *vitam dedisse*, cum eam, licet facile posset, non eripuit. Sic igitur in isto, de quo nunc agitur, loco verbum *faciam* accipitur pro *facere sinam.* Non quod Deus otiosus tantum criminum Absolomi, qui hic designatur, spectator fuerit: absit, ut id dicamus. Occasiones enim, quibus ad ea perpetranda fuit inductus, sapienti sua gubernatione direxit. Nam rependere volens Davidi quod adversus Uriam peccaverat, permisit ut idem in domo ipsius contingeret, & ita rem administravit, ut homines perditi, & ad quæcunque scelera perpetrandum proni, opportunitates, quæ se offerebant, animadvertentes, illa exequi auderent. Sic factum est primo, ut Amnon jussu Absolomi, cujus sororem Thamar violaverat, interficeretur, 2 *Sam.* XIII. Postea Deus procuravit, ut David Hierosolymis à facie Absolomi fugiens ibi concubinas suas relinqueret, ut scelerati illius filii libidini expositæ essent, permisitque ut Achitophel diabolicum istud consilium ei suggereret, publice in conspectu totius Israëlis incestu illas polluendi. Occasionum autem ejusmodi dispensatio non magis effecit ut Deus scelerum istorum esset particeps, quam herus est furti à servo commissi, eo quod ad explorandum ipsius fidelitatem, cistam in qua pecuniam recondere solet apertam reliquerit. Sed quia absque tali permissione & directione, quæ in solius Dei manu erant, committi ista crimina non potuissent; & quia Deus illa in Davidis pœnam cedere volebat, ideo non veretur dicere *faciam*, etiamsi nullam plane in iis communionem habuerit.

X. 4. Cum idem David coram filio Absolomo fugeret, & Semei maledictis ipsum incesseret, David istud factum ad Deum tanquam authorem refert; *Dominus præcepit ei, ut malediceret Davidi, & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* 2 *Sam.* XVI. 10. Sed istud ita crude non esse accipiendum, omnes quibus mens non est læva fateri debent. Deus enim per aliquod speciale manda-

tum non excepit Semei à generali omnibus Israëlitis dato, *Principi populi tui non maledices*, *Exod.* XXII. 23. nec eum Deus arcana vi spiritus sui ad illud transgrediendum impulit. Et Davidem aliud non credidisse apparet ex eo, quod moriturus Salomoni filio præcepit, ne tantum scelus inultum sinat, 1 *Reg.* II. 8, 9. alioquin adversus Deum ipsum, cujus mandatum Semei executus erat, insurrexisset. Quæ ergo, inquies, verborum Davidis est mens, cum ita loquitur, *Dominus ei præcepit, maledic Davidi*? Respondeo, ipsum maledicta ista tanquam criminum suorum pœnam considerasse, quam juste commeritus esset, nec absque providentiæ divinæ directione contigisse, ut iis impeteretur. Deus autem istud quod sequitur in Semei facto operatus erat. Permiserat ut David ex regno suo ab Absolomo pelleretur & male comitatus fugeret, Semeique in via occurreret. Ita enim Semei quasi os aperuisse videbatur, ut Regi suo maledicere non metueret. Nam Semei erat Benjamita, ex Saulis familia, Davidemque oderat, quod putaret ipsum Abnerum, Isbosethum, & alios ex ista domo interemisse, ut regnum facilius occuparet & in manibus suis confirmaret. Sed odium suum propter Davidis auctoritatem occultum corde premebat, donec oportunitatem ex ejus afflictione nactus est, qua se illi impune maledicere posse putabat, quem antea ne limis quidem oculis intueri ausus fuisset.

XI. 5. Deus spiritui maligno, qui operam suam offerebat ad Prophetas Achabi seducendum, respondet; *Decipies & prævalebis: egredere & fac ita*, 1 *Reg.* XXII. 22. Sed respondeo, mandatum istud de seducendis impii regis prophetis Satanæ datum, revera nihil aliud fuisse nisi meram permissionem; illi similem quæ in Domini Jesu verbis occurrit, cum Judæ ipsum in manus inimicorum tradere molienti dicebat, *Quod facis, fac cito*, *Joan.* XIII. 27. quasi dixisset, Age, exequere quod animo concepisti scelus; non impedio te, ut facile possem, si liberet; imo quo citius facies, eo mihi gratius erit; quia propterea veni in mundum, ut Dei voluntati in omnibus me subjicerem: Hæc autem hora est potestatis tenebrarum, qua me vult mortem manibus improborum oppetere. Ita aliquando pater dicet filio dissoluto, quem frustra à vitiis abducere conatus erat; Age, morem gere animo tuo, & quandoquidem monita mea spernis, abi, & gulæ ac libidini tuæ frænum laxa. Nisi ita verba Dei accipiantur, verus seductionis Achabi fuerit auctor; quod etiam illi, qui locum hunc nobis objiciunt, aperte profiteri verentur. Sed aiunt, seductionem istam duobus modis considerari debere, nempe tum quatenus erat pœna impii regis sceleribus suis eam commeriti, tum quatenus erat peccatum: primo autem modo spectatam Dei fuisse opus, altero Satanæ & pseudo-prophetarum. Fateor; dummodo cum pœna non dicatur inevitabiliter conjuncta fuisse, aut ex ea fluxisse culpa. Isto enim casu, qui pœnæ est auctor culpæ quoque esset. Atqui, instant illi, apparet ex historia hunc fuisse scopum Dei: dicit enim, *Quis decipiet Achab, ut ascendat & cadat in Ramoth Galaad*? Respondeo, per deceptionem istam nihil aliud hic intelligi, quam confirmationem Achabi in proposito, quod habebat, civitatem Ramoth Galaad ex manibus Benhadadi Syriæ regis recuperandi. Illud autem per se non erat injustum: nam ista civitas pertinebat ad regnum Israëliticum, cui contra pacta per vim à Benhadado detinebatur. Ejusmodi autem consilium deceptionis nomine appellatur, quia etiamsi nihil in se pravi haberet, tamen infeliciter Achabo cessurum erat, ex justo Dei judicio, qui volebat ut is propter scelera ante commissa in bello isto occumberet. Quod vero deceptus est per mendacium pseudo-Prophetarum à Satana inspiratorum, illud accidentale hic est; cum Deus alio modo quod intendebat exsequi posset, nempe per Achabi consiliarios; quamvis oblatam à Satana operam non repudiaverit, & regem impium, id sceleribus suis commeritum, ipsi seducendum jure permiserit.

XII. 6. Cum Satana incitante Chaldæi pecora & servos Jobi abduxissent, pius iste vir hoc facinus Deo tanquam causæ tribuit, inquiens, *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum*, *Job.* 1. Sed hic locus nihil habet difficultatis. Quia Job sciebat, nec Chaldæos, nec Satanam ipsum, sibi quicquam nocere potuisse, nisi Deus id permisisset, & sapienti suo consilio malitiam eorum in se potius quam in alium quempiam direxisset, exequendique facultatem dedisset; ideo non veretur dicere Deum, quæ illi abstulerant, sibi abstulisse. Non ad significandum Deum hanc mentem illis injecisse, nihil minus; sed tantum ut innueret, frustra id fuisse tentaturos, nisi Deus malitiæ ipsorum habenas laxasset, & exsequi quod proposuerant ex animi sententia concessisset: veluti venator leporem cepisse dicitur, cum canes cupidos in eum direxit, & irruere permisit.

XIII. 7. Israëlitæ conqueruntur de Deo, quod ipsis causa lapsus fuerit, dicentes, *Quare errare fecisti nos Domine de viis tuis? indurasti cor nostrum ne timeremus te*, *Esa.* LXIII. 17. Ad quod posset forte responderi, non sequi ex eo quod rebellis iste populus talia Deo tribueret, rem ita se vere habuisse: nemo enim ignorat, impios ad se excusandum aliquando in Deum ipsum scelerum suorum causas rejicere. Verum quia Israëlitæ hic Deum orant, & peccata sua confitentur, nolo ipsos tantæ impietatis accusare. Cum ergo dicunt, Deum errare se fecisse à viis suis, putarim mentem ipsorum aliam non fuisse, nisi significare, Deum tradendo se propter peccata in potestatem gentium idololatrarum, apud quas omnis generis scelera regnabant, occasionem sibi dedisse ad illarum mores se componendi, & ita à Dei lege deficiendi; quia exemplum eorum inter quos vivebant, & quorum imperiis parere cogebantur, magnam ad ipsos in errorem inducendum, & in eo quoque indu-

inducendum, & in eo quoque indurandum, efficaciam habebat. Rogant igitur Deum ut se in patriam reducere velit, ubi ipsum libere colere queant, & non amplius talia peccandi, & à lege divina deficiendi irritamenta habeant. Quod sequentia verba, *Convertere propter servos tuos, tribus hereditatis tuæ*, &c. ita manifeste indicant, ut nemo istud aliter accipere possit, nisi qui ad meridianam lucem cæcutiat.

XIV. 8. Deus ipse tribuit sibi diserte indurationem Pharaonis: *Ego indurabo cor ejus, & non dimittet populum*, *Exod.* IV. 21. Item, *Ego induravi cor ejus & servorum illius, Exod.* X. 1. Similiter Paulus, cum de Pharaone agens dicit, *quem vult, indurat*, *Rom.* IX. 18. Sunt autem nonnulli ex Reformatis, qui ne videantur Deum aperte auctorem peccati facere, dicunt ipsum nunquam ullum nisi ob antecedentia peccata indurare. Quod verum quidem est; sed non possunt consentanee suis hypothesibus ita loqui. Nam cum doceant omnes homines per originis peccatum plane impotentes ad verum bonum reddi, nihil impotentiæ isti superaddi potest; sunt enim adeo duri, & obfirmati in malo, ut duriores postea effici nequeant; quemadmodum qui plane cæcus aut surdus est, cæcior aut surdior reddi non potest, & qui semel est vere mortuus, denuo mori nequit. Jam quod ad Pharaonem attinet, si consideremus id quod Scriptura dicit de ratione, qua induratus est, apparebit quæcunque Deus circa illum egit, causas tantum fuisse per accidens, & quibus positis, si voluisset, poterat non indurari. Ideoque aliquando induratio ista Pharaoni ipsi, tanquam veræ ejus causæ, tribuitur, ut videre est *Exod.* VIII. *v.* 15, 32. & IX. 34, 35. & XIII. 15. Primo enim videns magos suos admiranda quædam, Mosis miraculis similia, facere, inde occasionem se indurandi arripit, & credendi Mosen non fuisse à Deo missum, *Exod.* VII. 13, 22. Quamvis postea coactus fuerit digitum seu potentiam Dei agnoscere, cum magi ciniphes aut pediculos sicut Moses non potuerunt producere, *Exod.* VIII. 18, 19. Deinde considerans plagas, quibus à Deo percutiebatur, tantas non esse, quantum emolumentum, quod ex Israëlitarum detentione percipiebat: denique illas non esse diuturnas, sed se iis ad Mosis intercessionem statim liberari; inde occasionem arripiebat se magis ac magis indurandi, *Exod.* VIII. 15. & IX. 34, 35. Cum potius Dei bonitas & patientia, quam in isto procedendi modo animadvertere poterat, eum, nisi desperate improbus fuisset, ad pœnitentiam compellere deberet. Tandem vero nulla nova Dei gratia accedente, sed primogenitorum totius Ægypti cæde territus, non tantum Israëlitas abire permisit, sed etiam coëgit. Unde colligere est, eum sine mora Deo pariturum, si primæ plagæ æque graves fuissent; ac proinde sola Dei bonitate & patientia, non vero aliqua efficaci illius operatione induratum esse.

XV. 9. Deus Prophetæ suo Esaiæ præcipit, *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde intelligat, & convertatur, & sanem eum*, *Esa.* VI. 10. Quod etiam applicatur Judæis, qui temporibus Christi & Apostolorum vixerunt, *Matth.* XIII. 14, 15. *Joan.* XII. 40. *Act.* XXVIII. 27. Sed locum istum nullius ad controversiam, quam tractamus, esse momenti, vel inde solum liquere potest, quod in eo non de Dei actione, sed Prophetæ ipsius mentio fiat, cui Deus dicit, *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude.* Non poterat autem Esaias istud aliter facere, quam per verbi divini annunciationem; quam certum est omnipotente excæcandi aut indurandi vi non fuisse præditam; ut illi debent agnoscere, qui verbum Dei ne quidem sufficientes vires ad hominis conversionem habere contendunt, sed necesse esse existimant, ut præterea Deus in cor ejus immediate operetur. Quis ergo, inquies, est istorum Dei verborum sensus? Respondeo: Simplicissimus mihi videtur esse, ut pro eventus ex Prophetæ ministerio secuturi prædictione accipiantur; quasi diceret, novi perversum populi hujus ingenium, & eum tua ad pœnitentiam exhortatione motum non iri; sed inde potius capturum occasionem se in malitia obfirmandi & indurandi. Quamvis autem id accideret, & verbo meo, quod eis annunciabis, cæciores, surdiores, & deteriores redderentur, ne desine propterea munere tibi demandato fungi, & eos officii sui serio admonere, ut si nihil propter obstinatam illorum malitiam promoveas, istud saltem ad convincendos inserviat.

XVI. Sed instabis; Hic fuit Dei scopus, ut Judæi per Esaiæ prædicationem cæci, surdi, & corde duri redderentur. Dicit enim, *ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde intelligat, & sanem eos.* Respondeo, particulam Hebraïcam פן & μήποτε atque ἵνα, quibus illam reddunt sacri scriptores in Novo Testamento, non semper significare finem, sed aliquando eventum; ut 2 *Tim.* II. 25. *Rom.* XI. 11. & alibi videre est. Et sane contrariæ sententiæ falsitas statim prima fronte se prodit. Nihil enim absurdius, aut cum Dei sinceritate minus conveniens fingi potest, quam ut aliquem ad pœnitentiam eo fine adhortetur, ut non resipiscat; imo ne resipiscere quidem queat. Verumtamen dicet quispiam, rem ita se habere liquet ex Joannis Apostoli verbis, *cap.* XII. 39. *Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias, &c.* Ad quod respondeo, sensum non esse, ea quæ olim Esaias dixit, causam fuisse, cur Judæi, qui temporibus Christi & Apostolorum vivebant, credere non possent Euangelio. Non enim continent prædictionem, quæ necessario impleri deberet. Sed quia veteres, & novi Judæi, malitia similes erant, ideo quæ Esaias de συγχρόνοις suis dixit, recte applicantur coætaneis Christi & Apostolorum. Quod autem Joannes scribit, eos non potuisse credere, animadvertendum est hanc locutionem *non posse*, non sem-

ſemper veram & proprie dictam ἀδυναμίαν deſignare, ſed interdum pro vehementi ab aliqua re animi averſione accipi; ut cum Petrus & Joannes dicunt; *non poſſumus quin dicamus ea, quæ vidimus & audivimus*, *Act.* IV. 20. Et Joannes; *quicunque ex Deo eſt natus, non poteſt peccare*, 1 *Joan.* III. 9. Item ubi Dominus Jeſus hoc teſtimonium perhibet Angelo Eccleſiæ Epheſinæ, quod *non poſſet ferre malos*, *Apoc.* II. 2. Non quod omnes iſti nullatenus ea poſſent facere, de quibus illis in locis agitur; ſed quia valde ab iis abhorrebant. Quæ etiam cauſa fuit, cur Judæi doctrinæ Chriſti credere non poſſent. Videntes enim eam carnalibus ſuis cupiditatibus repugnare, tam alieno ab ea erant animo, ut admittere nollent, etiamſi facile poſſent, ſi modo libuiſſet. Quod etiam aperte ipſis exprobrat, dicens; *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? Joan.* V. 44. Quod vero de illorum excæcatione & induratione additur, facile intelligi poteſt ex iis quæ modo de Pharaonis induratione diximus.

XVII. 10. Paulus dicit de gentibus idololatris, *Deum tradidiſſe eas in deſideria cordis eorum, & in immunditiam; in paſſiones ignominiæ; in reprobum ſenſum*, *Rom.* I. 24, 26, 28. Sed per iſtam traditionem non intelligitur talis Dei actio, qua poſita fieri nequiverit, ut pravis ſuis deſideriis non obſequerentur. Hortatur enim illos Apoſtolus, ut ſe ex cupiditatum ſuarum laqueis exſolvant. Quod etiam impoſſibile non fuiſſe oſtendit alibi in Corinthiis. Cum enim dixiſſet, *neque ſcortatores, neque idololatras, neque adulteros, neque molles, neque ἀρσενοκοίτας, & ſimiles*, (quos Deus propter enormia ſcelera deſerere ſolet) *regnum Dei poſſeſſuros*; continuo addit; *& hæc quidem fuiſtis nonnulli; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini Jeſu & Dei*, 1 *Cor.* VI. 9, 10, 11. Nihil autem obſtabat, cum oſtium gratiæ per Euangelium gentibus apertum eſſet, quin omnes reliqui ſe pariter converterent. Eos vero Deus ante deſideriis ſuis tradiderat, cum nulla iis repagula opponeret, ſed in ſcelerum, quæ contra naturæ lumen perpetrabant, pœnam, ſinebat ut in viis ſuis ambularent; prout de omnibus gentibus indiſcriminatim dicitur *Act.* XIV. 15. quamvis interea, ut ibidem adjicitur, *inexpertem teſtimonii ſe non reliquiſſet*. Licet igitur per iſtam traditionem Deus eis fræna laxaret, ut cupiditatibus ſuis indulgere poſſent, non tamen illos omni gratia deſtituebat, per quam ad reſipiſcentiam tenderent. Id quod ex Judæorum exemplo animadvertere licet; quos Paulus docet *induratos fuiſſe, ut Euangelio non crederent*, *Rom.* XI. Et tamen conatur aliquos ex illis ſalvos facere, *verſu* 14. & dicit *Deum poſſe eos iterum in oleam, unde exciſi erant, inſerere, ſi non permanerent in incredulitate*, *verſu* 23. Unde colligitur, Deum deſertis, aut induratis, quamdiu iis vitam conſervat, & ad reſipiſcentiam vocat, facultatem omnem non adimere, in gratiam cum ipſo redeundi.

XVIII. 11. *Deus mittit iis qui pereunt efficaciam erroris, ut credant mendacio*, 2 *Theſſ.* II. 11. Sed iſte locus non eſt magis appoſitus præcedentibus. Nam per *efficaciam erroris* Apoſtolus non intelligit aliquam vim, quæ ſemper actu & inevitabiliter in errorem inducat; ſed tantùm quæ valde apta ſit ad talem effectum producendum. Quemadmodum medicamenta efficacia vocare ſolemus, non ea quæ ſemper omnes morbo aliquo laborantes actu ſanant; (talia enim nulla reperiuntur) ſed quæ magnam vim ad depellendos morbos habent, & multis profuerunt. Ita ergo ſigna & prodigia non parum ad decipiendum valere videmus. Admiratio enim, quam pariunt, facit ut fides adhibeatur iis, à quibus patrantur. Inde Dominus Jeſus prædixit exorituros pſeudo-Chriſtos, *qui ederent magna ſigna & miracula, etiam ad ſeducendum electos, ſi fieri poſſet*, *Matth.* XXIV. 24. Deus igitur dicitur efficaciam erroris immiſſurus, cum permittet, ut filius perditionis, ſeu Anti-Chriſtus, edat ſigna & prodigia mendacii, quia id magnam vim habebit ad ſeducendum eos, *qui dilectionem veritatis non receperunt*. Verba autem actionem ſignificantia, ſæpe in Scripturis permiſſionem tantum denotare, paulo ante monuimus. Et quod additur, *ut credant mendacio*, eventum, non finem, ſignificare, res ipſa loquitur; cum Deus ejuſmodi finem, adeo ſanctitati ſuæ contrarium, proponere ſibi nequeat.

XIX. 12. Apoſtoli in precatione ſua dicunt, *Congregati ſunt in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus & populo Iſraël, facere quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri*, *Act.* IV. 27, 28. Hic locus eſt illuſtris, & magna in eo vis foret ſita ad efficacem Dei circa peccatum providentiam aſſerendum, ſi Herodes & Pontius Pilatus, una cum Judæis, qui Chriſtum interemerunt, nihil aliud fecerint niſi id quod Deus decreverat ab iis fieri. Sed reſpondeo 1. Id non ſatis certum eſſe quod præſupponitur, verba hæc referri debere ad Jeſu Chriſti interfectionem, per Judæos ſimul & Romanos procuratam. Tunc enim Herodes & Pontius Pilatus non convenerunt una ad deliberandum, quo pacto Jeſum è medio tollerent. Sed cum Pilatus, cui à ſenatu Judæorum traditus erat, audiviſſet ipſum è Galilæa oriundum eſſe, quæ ad Herodis juriſdictionem pertinebat, judicandum ad Herodem remiſit, cum, ut veriſimile eſt, ad iſtius facti invidiam à ſe amoliendam, tum ad Herodis, qui ante inimicus erat, gratiam ſibi conciliandum, *Luc.* XXIII. 7. *& ſeqq.* Commodius ergo de aliquo alio conventu intelliguntur, in quo actum ſit de ratione doctrinam Euangelii opprimendi. Jam enim videntur aliquot anni à paſſione Jeſu Chriſti elapſi fuiſſe, cum ita orabant Apoſtoli, & ad ea quæ ſibi recenter contigerant, reſpexiſſe. Nec obſtat, quod dicunt iſtos homines *congregatos fuiſſe adverſus ſanctum Dei puerum Jeſum*. Perſecutiones enim illorum qui Domini Jeſu nomen invocabant, ipſum pete-

petebant, ut significat, cum Saulo Damascum proficiscenti, ut discipulos Christi vinctos adduceret Jerosolymam, dicit, *Saule, Saule, cur me persequeris? Act.* IX. 4. Ita hujus loci sensus foret, persecutionem quam Apostoli & discipuli Jesu Christi, ab Herode, Pontio Pilato, & populo Israëlitico patiebantur, ipsis absque Dei providentia non evenire, qui illorum constantia veritatem suam confirmare, & filii sui Jesu nomen illustrare constituerat. Non quod in ipsos immitteret persecutores, multoque minus quod persequendi necessitatem eis imponeret, ut ab ea sibi temperare nequirent; sed quod eos satis illuc pronos, obsequi animo suo permitteret, & discipulos Christi vexare; quod alioqui Deo volente impedire, nequicquam moliti essent.

XX. 2. Posito istud de morte Christi, ut plerique interpretes putant, accipiendum esse, nihil aliud ad summum inde colligi poterit, nisi à Deo fuisse constitutum, ut pro humani generis salute per manus iniquorum eam pateretur. Deus enim noverat, nunquam defuturos veritatis osores, qui proni essent ad persequendum eos, à quibus impietatis redarguerentur. Non quod hosce nominatim ad filium suum crucifigendum destinasset, & scelus istud perpetrandi necessitatem eis imposuisset. Sic enim non peccassent, divinæ voluntatis consilium exequendo. Sed cum eos invenisset cujuslibet criminis, etiam atrocissimi, perpetrandi capaces, odioque acerrimo in Dominum Jesum accensos, & jam dudum occasionem ipsum trucidandi captantes, eum voluntati illorum permisit; quam tamen providentia sua ita direxit, ut nihil aliud Christo eveniret, quam id, quod Deus decreverat ut pateretur.

XXI. 3. Observandum est, postrema hujus loci verba, *facere quæ manus tua & consilium tuum fieri decreverunt*, commode jungi posse cum illis, *quem unxisti*; hac ratione; *convenerunt vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti, facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel.* Qui egregius omnino est sensus, & optime cum serie contextus conveniens. Sic enim Apostoli suam in Deum fiduciam ostendere voluerint, aperte profitendo, omnes inimicorum Christi conatus ad Euangelii propagationem disturbandum esse irritos, & impedire non posse, quominus id, quod Deus per Christum & ejus servos pro mundi salute decreverat fieri, exsecutioni mandetur. Nec ista verborum trajectio quemquam offendere, aut insolens videri debet, cum similia multa exempla in Scripturis occurrant. Duo aut tria in specimen afferre sufficiet. *Apoc.* XIII. 8. legimus; *& adoraverunt bestiam omnes, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi.* Ubi ultima verba, *ab origine mundi*, non debent connecti cum immediate præcedentibus, *occisus est*, sed cum remotioribus, hac ratione; quorum nomina non sunt scripta ab origine mundi in libro vitæ agni qui occisus est. Vide etiam *Luc.* II. 34, 35. ubi durior adhuc reperitur trajectio. Verba enim ultima; *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*, connecti debent cum illis; *& in signum cui contradicetur*, licet in medio interjecta sunt ista; *& tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Et ejusdem libri *cap.* IV. 5. ubi legendum est, *cum subduxisset Jesum Diabolus in montem sublimem in puncto temporis, ostendit ei omnia regna orbis terrarum:* non, ut vulgo fit, *ostendit ei omnia regna orbis terrarum in puncto temporis*: id enim fieri non poterat, & Diaboli consilio adversabatur, quod erat Dominum Jesum in contemplatione gloriæ & splendoris regnorum istorum, aliquantulum saltem, ad concupiscentiam ejus irritandum, detinere, non in momento ut fulgur aliquod ostendere. Denique ubicunque parentheseos notæ textui sacro inseruntur, ejusmodi trajectiones locum habent. Quod adeo frequens est in Epistolis Paulinis, ut in septem primis commatibus Epistolæ ad Romanos, tres aut quatuor inveniantur. Qua de re consuli possunt interpretes, & inter eos Beza & Piscator, in indicibus, sub voce, *Trajectio.*

CAPUT III.

De fine actionum moralium, & de variis earum speciebus.

I. *Actiones morales tendere in bonum, vel verum vel apparens: Et finem vel per se appeti vel per accidens.* II. *Malum finem, actionem semper malam reddere; sed bonum finem non facere ut mala actio fiat bona.* III. *Actiones esse primo vel spontaneas: & quid ad spontaneitatem requiratur.* IV. *Actiones spontaneas male cum liberis confundi.* V. *Vel invitas, per violentiam aut per ignorantiam.* VI. *Vel illicitas: & an laudem aut vituperium mereantur. item quænam iis sint accensenda.* VII. *Secundo, actiones morales esse vel honestas sive bonas; & quid actionem bonam reddat.* VIII. *Eas bifariam dividi.* IX. *Vel turpes & malas; & quid illæ cum bonis commune habeant.* X. *De requisitis in malis actionibus.* XI. *Eas bifariam dividi.* XII. *Vel esse adiaphoras sive indifferentes.* XIII. *Dari actiones vere indifferentes.* XIV. *Quamvis homo recta rationi consentanee vivat.* XV. *Tertio, actiones morales dividi in internas & externas.*

I. QUia omnis efficiens agit propter finem, videndum jam est quis sit ille finis, ad quem homo in actionibus suis tendit. Et dici in genere potest, esse boni alicujus assecutionem, & mali declinationem. Sed quia bonum aliud est verum, aliud apparens, & sæpe fit ut ex errore aut affectu aliquo apparens vero magis arrideat, tunc non bonum sed malum specie boni velatum appetimus. Nam bonum apparens est reipsa quippiam mali, ut voluptas quæ percipitur ex peccato. Finis autem actionum moralium alius per se est, alius per accidens. *Finis per se* est ad quem illæ natura sua, vel ex agentis intentione referuntur. Sic finis per se ad quem cibus & potus natura sua tendunt, est nutritio, seu virium collapsarum restauratio; & aliquando etiam ex intentione sumentis, delectatio. Hic finis vel ultimus est vel intermedius. Finis ulti-

mus est ad quem omnes humanæ actiones ultimo, natura sua, & ex Dei ordinatione tendere debent, estque *Dei Gloria*, 1 *ad Cor.* x. 31. *ad Rom.* xi. 36. Finis intermedius est, qui ad ultimum refertur. Sic finis liberalitatis intermedius est pauperis indigentiæ subvenire: ista autem subventione gloria Dei illustratur. Sed quæritur; an semper & expresse de gloria Dei cogitare oporteat, cum aliquid agimus? Respondeo, non videtur. Sufficit intentio generalis omnes nostras actiones ad Dei gloriam referendi, & ut quæ agimus talia sint, ut iis Dei gloria illustrari possit; etiamsi singulis momentis quibus aliquid molimur de illa speciatim non cogitemus; quod impossibile nobis foret. *Finis per accidens* actionum moralium est, ad quem illæ præter naturam suam & agentium intentionem referuntur, & magis apte *eventus* appellatur. Sic illustratio gloriæ Dei, est finis per accidens, seu potius eventus, peccatorum quæ homines perpetrant. Ea enim gloriam Dei natura sua non illustrant, & peccatores nihil minus quam de ea cogitant. Sed tanta est Dei sapientia, ut sicut lucem è tenebris primo eduxit, ita peccata, quibus gloria sua obscuratur, ad ejus illustrationem inservire faciat.

II. Disputatur hic; an actiones humanæ ita ex fine à se invicem discriminentur, ut omnes illæ censeri debeant bonæ, quæ propter bonum finem fiunt, & malæ, quæ propter malum? Respondeo; Nullum esse dubium, quin omnes illæ actiones sint culpandæ, quæ propter malum finem suscipiuntur, etiamsi alias natura sua bonæ forent. Talisque erat actio istorum pseudo-Apostolorum, *qui per invidiam & contentionem Christum annunciabant, ut afflictionem Pauli vinculis adderent*, *ad Philipp.* I. 15. Sed solus finis bonus actionem, quæ natura sua mala est, bonam reddere non potest; ut si quis furaretur ad dandum eleëmosynam: *Non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona*, *ad Rom.* III. 8. Sic bonus quidem erat finis illorum, qui discipulos Christi interficiendo, *putabant se obsequium præstare Deo*, *Joan.* XVI. 2. In quorum numero erat Paulus cum persequebatur Ecclesiam Dei, *ad Philipp.* III. 6. sed nihilominus gravissime peccabant, ut Paulus ipse confitetur, cum se *primum peccatorum vocat*, 1 *ad Tim.* I. 15. Ut actio ergo aliqua bona sit, non sufficit bonum finem sibi habere propositum, sed ad eum etiam per honesta media contendendum est.

III. Sequuntur actionum moralium species, quæ variæ sunt. Nam primo aliæ sunt *spontaneæ*, aliæ *invitæ*, aliæ ex utrisque *mixtæ*. *Actio spontanea* est, quæ fit ab homine ad agendum propenso, & singulas actionis suæ circumstantias cognoscente. Duo itaque in ea requiruntur: unum, ut illius principium sit in agente; quod fit, cum à voluntate sua ad agendum movetur, quamvis forte ab alio rationibus persuasus, aut emolumenti spe inductus fuerit. Alterum, ut agens, singulas actionis suæ circumstantias norit; quæ septem sunt, ut vulgatus habet versus,

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Sed accuratius decem statuuntur; nempe, *agens, quod agitur, objectum in quod agitur, quo instrumento, quomodo, cujus gratia, quando, quamdiu, ubi, & coram quo. Primo* itaque attenditur ad personam agentem, quæ aliquando facit, ut ea quæ similia esse videntur, multum inter se discrepent; secundum vulgatum illud,

Duo cum faciunt idem, non tamen est idem.

Ideo beneficium ab inimico acceptum, majus censetur, quam si amicus contulisset. Contra, injuria ab amico illata gravior est quam ab inimico. *Secundo* in considerationem venit id, quod agitur, seu quæ bona aut mala actionem comitentur, & eam meliorem aut pejorem reddant. Idcirco præstantius est facinus vitam servare viro Reipublicæ aut Ecclesiæ valde utili, quam alicui è vulgi fæce. Et majus peccatum est eripere pauperi id exiguum, quod habet, quam divitem particula opum fraudare. *Tertio*, id, in quod agitur, seu, actionis objectum. Propterea major est virtus benefacere pauperi, à quo nullam remunerationem expectas, quam diviti, qui duplum & amplius retribuere potest. Et majus est peccatum patrem aut Magistratum percutere, quam alium hominem. *Quarto*, Quo instrumento, seu quibus mediis vel auxiliis. Hinc fit ut majori laude dignus sit, qui publico sumptibus suis inservit, ut Paulus, quam qui lauta ab eo beneficia accipit, ut Ecclesiæ Romanæ Præsules. Et pejus facit, qui servo alterius ad proprio domino nocendum abutitur, quam si alium adhiberet. *Quinto*, Quomodo, id est, quam alacri animo, vel contra ægre. Sic præstantior est eleëmosyna hilari corde facta, quam ægre, & quasi per vim extorta. Sed minus est scelus, quod aliquis ægre perpetrat, quam si ad illud toto impetu ferretur. *Sexto*, Cujus gratia, seu, cur, aut quo fine. Ita majorem meritus est laudem Aristoteles instituendo Alexandrum ad bene regnandum, quam si privatæ ejus vitæ tantum rationem habuisset. Et majori vituperio digna fuit Alboïni uxor, quæ adulterium cum Peredeo commisit, ut eum ad mariti cædem impelleret, quam si libidinis solius causa id fecisset. *Septimo*, Quando, ideo majus est beneficium, quod amico præstatur in summa necessitate, quam alio tempore: ut Henrici VIII. Anglorum regis, erga Franciscum I. Galliæ regem, cum à Carolo V. captivus detinebatur. Et major fuit perfidia Capuanorum, quod à Romanis post Cannensem cladem defecerunt, quam si alias istud fecissent. *Octavo*, Quamdiu, sic præstantior est charitas, si quis pauperem continuis aliquot annis sustentarit, quam si semel atque iterum modicam illi eleëmosynam largitus esset. Et majus est vitium intemperantiæ indulsisse per totam vitam, quam in eam subinde tantum labi. *Nono*, Ubi, seu, quo in loco. Idcirco Lothi virtus erat eminentior, quod in medio populi corruptissimi degens, se ab illius sceleribus purum conserva-

serva-

servavit. Et cædes aut furtum in Ecclesia commissa atrociora habentur, quam alibi. *Decimo*, Coram quo. Ita insignius est amicitiæ testimonium, laudare amicum apud regem qui potest ejus præclare facta remunerari, quam coram homine plebeio. Et majus est scelus calumniari servum apud dominum, quam in alicujus alterius præsentia.

IV. Actiones spontaneæ differunt à liberis, cum quibus nonnulli eas confundunt. Nam omnes quidem actiones liberæ sunt etiam spontaneæ, sed non vice versa. Id apparet in summi boni appetitione, quam spontaneam esse constat. Nihilominus non est libera, sed necessaria. Fieri enim nequit, quin beati esse cupiamus. Sic etiam bruta famelica sponte simul & necessario feruntur ad pabulum. Nam in potestate ipsorum non est, appetitum suum compescere. Spontaneum itaque latius patet libero, utpote illius genus. Liberæ autem actiones bifariam dividuntur. Nam 1. aliæ sunt, quæ à sola voluntate sine ullius facultatis alterius adminiculo producuntur, ut amare, odisse, eligere, repudiare, quæ elicitæ dicuntur: aliæ vero à voluntate sola non producuntur, sed aliarum facultatum adminiculo egent, ut benefacere illi quem amas, malefacere illi quem odisti; quæ imperatæ vocantur, & executioni per organa corporis mandari solent. Illæ adeo sunt liberæ, ut nulla vi impediri queant. Hæ vero frequenter impediuntur. 2. Quædam actiones sunt immediate, seu in se ipsis liberæ: quædam sunt tantum liberæ in suis causis. Actiones immediate liberæ sunt, quæ eo ipso tempore, quo à nobis fiunt, possent non fieri; ut si pauperi mihi occurrenti dem eleëmosynam, quam in me est si velim non dare. Actiones in causis suis liberæ, sunt, quæ procedunt ab aliqua causa, quam liberum nobis fuit habere aut non habere, etiamsi ab ea deinde manent actiones, quæ eo quo fiunt momento non sunt prorsus liberæ; quales sunt ebriorum, qui non attendentes quid faciant, aliquem pulsant aut occidunt. Similiter actiones quæ fiunt ex malo quopiam habitu, liberæ sunt in sua causa, quia liberum fuit habitum istum non contrahere, etiamsi post eum contractum difficile admodum sit ab iis sibi temperare.

V. *Actio invita* est, quam aliquis prorsus illibenter seu contra animi sui sententiam edit. Estque duplicis generis. Vel enim fit per vim, ideoque violenta dicitur; vel per ignorantiam, & imprudens appellatur. Violenta actio est, quæ à principio externo, contra agentis voluntatem, manat; ut si quis à lictoribus in carcerem trahatur, aut aliquis mea manu ad alterum percutiendum abutatur; quanquam, si proprie loqui velimus, hæ passiones potius, quam actiones sint dicendæ. Imprudens actio est, quæ fit per ignorantiam circumstantiæ alicujus; quam si agens cognovisset, ab ea abstinuisset; ut cum Adrastus in venatione Crœsi filium pro fera interfecit, deinde errore cognito vehementer contristatus est. Ignorantia autem unde actio aliqua potest oriri est duplex, altera culpabilis, altera vero inculpabilis. Ignorantia culpabilis est, cum aliquis ignorat, id quod nosse poterat & debebat, ita ut ejus negligentia vel improbitate factum sit, quod nescivérit, vulgoque dicitur, ignorantia affectata. Distinguitur in ignorantiam juris & ignorantiam facti. Ignorantia juris iterum est duplex, vel juris universalis, ut si quis ignoraret Deum esse colendum, ab homicidio, furto, adulterio abstinendum; vel particularis, ut cum aliquis ignorat leges loci in quo degit, quamvis eas cognoscendi facultatem habuerit. Ignorantia facti est, cum quis specialem aliquam actionis suæ circumstantiam ignorat, quam non debebat ignorare. Ut si quis per fenestram lapides in plateam projiciens alium vulneret, & ad se excusandum dicat, nescivisse se quenquam illac præteriturum. Ignorantia inculpabilis est potissimum illa quæ est invincibilis, ut cum aliquis ignorat id quod fieri non potuit ut sciret. Qualis est eorum, qui non credunt in Christum, de quo nihil audiverunt: quam ipse excusabilem esse ostendit, cum de Judæis incredulis dicit, *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, &c. Joan.* xv. v. 12. Inculpabilis est etiam aliquando, quædam juris & facti ignorantia. Juris quidem, ut si peregrinus civitatem aliquam primum ingrediens, in leges ejus particulares peccet; exempli gratia, arma gestet, aut noctu per plateas ambulet, quod prohibitum esse nescivit. Facti vero, ut si quis in bello, volens hostem ferire, telum in amicum, armis hostilibus indutum, conjiciat. Nec tamen invitum censetur omne factum, ex ejusmodi ignorantia manans, sed tum demum, si errore cognito dolor sequatur, ut in Adrasto videre est.

VI. *Actio mixta* est, quæ partim sponte, partim invite fit. Qualis est illius, qui brachium gangræna correptum chirurgo amputandum tradit, quia videt se non aliter totum corpus ab imminenti morte præservare posse. Item mercatoris, qui urgente gravi tempestate merces suas in mare projicit, malens illas amittere quam vitam & navem. Quæritur autem de ejusmodi actionibus, utrum spontaneis an invitis accenseri debeant. Respondeo, spontaneis. Nam etsi videantur esse invitæ, quia gravate eas suscipimus, & omittere mallemus, si plane liberum nobis esset; tamen sponte, majus malum vitare volentes, nos ad eas edendas movemus. Iterum quæritur; Utrum laudem & præmium, an contra vituperium & pœnam mereantur. Respondeo; Quandoque laudem merentur, ut si quis ex Dei & veritatis amore morti se objiciat, ut multi Martyres fecerunt. Quandoque merentur vituperium; ut si quis levioris damni vitandi causa, ignominiæ se exponat: sicut ille, qui publice virgis cædi malebat, quam centenorum aliquot florenorum mulctam pendere. Quandoque etiam pœnam merentur, ut si quis propter metum persecutionis Christum abneget. Denique aliquando commisera-

ſerationem merentur, ut ſi quis ad vitam ſervandam aliquid minus decorum faciat, ex. gr. ſtultitiam fingat, ut fecit David; aut ſe hoſti in ſervitutem addicat. Quæritur ultimo, an actiones, quæ ex vehementi aliqua animi perturbatione fiunt, ut ſunt, amor, ira, &c. ſpontaneæ ſint, vel invitæ? Reſpondeo, eſſe ſpontaneas: tum, quia ab interno principio proficiſcuntur, & nec circumſtantiarum ignorantiam, nec coactionem prætendere poſſunt; tum quia in poteſtate hominis eſt affectus ſuos, quantumvis vehementes, frænare, ne extra honeſti limites exorbitent; Deuſque nemini gratiæ ſuæ auxilium, ad ejuſmodi tentationes ſuperandas ſerio imploranti, unquam denegat; ita ut ſi illis ſuccumbat, ſuæ ſoli ſocordiæ id imputare debeat.

VII. *Secundo:* Actiones morales ſunt vel *bonæ* ſeu *honeſtæ*, vel *malæ* ſeu *turpes*, vel *adiaphoræ*, ſeu *indifferentes*. *Actiones bonæ* ſunt, quæ cum boni moralis norma, quæ eſt tum recta ratio, tum lex divina, humanæque illi ſubordinatæ, congruunt. In iis requiritur 1. Ut non tantum ſint ſpontaneæ, ſed etiam vere & proprie liberæ. Unde ſequitur, appetitionem ſummi boni non eſſe in numero bonarum actionum, quæ laudem aut præmium mereantur, reponendam. Nam etſi maxime ſpontanea ſit, tamen non eſt libera, cum fieri nequeat, ut homo non deſideret eſſe beatus. 2. Ut ad bonum finem colliment, qui non tantum in ſe talis ſit, ſed etiam ab agente ſub ratione boni intendatur. Itaque is bonam actionem non faceret, qui convitiandi animo improbum peccati redargueret, nec qui erga egenum liberalitatem exerceret, ut eum in ſcelere aliquo adjutorem habere poſſet. 3. Ut ſint aliquid poſitivum, non nuda ab agendo malo ceſſatio: alias qui dormiret bonam actionem ederet, quod eſt abſurdum. Quare jejunare, aut abſtinere à conjugio, non ſunt bonæ actiones per ſe. Duobus tamen modis accidere poteſt, ut ceſſatio ab agendo ſit res bona. 1. Si conſideretur ut medium ad facilius virtutis actiones edendum: ut cum quis jejunat aut vitam cœlibem ducit, ut ſe totum orationi & rerum divinarum meditationi conſecret. 2. Si ideo quiſpiam ceſſet ab agendo, ne in peccatum labatur quod actioni alicui adhæret, aut alioqui difficulter vitaret. Sic etiam abſtinentia ab homicidio, furto aliiſque rebus malis, eſt bona; non quatenus eſt ſimplex à malo ceſſatio: ſed quia conjuncta eſt cum propoſito nihil committendi, quod rectæ rationi & Dei mandatis repugnet.

VIII. Actiones bonæ bifariam dividi poſſunt; nam 1. aliæ conſiſtunt in ſerio propoſito bene agendi: aliæ propoſito adjunctam etiam habent executionem. Prioris generis actiones ſunt quidem vere bonæ, modo per nos non ſtet, quominus propoſitum exſequamur. Sic bona eſt actio ſi proponam apud me pauperi dare eleëmoſynam, etiamſi contingat ut non dem, quia furto mihi ſublata eſt pecunia, quam ei deſtinaveram. Poſterioris vero generis ſolæ perfectam habent bonitatem: utpote quæ ad Dei gloriam & proximorum ædificationem utilitatemque ſerviunt; quod in priores non quadrat. 2. Actiones bonæ aliæ neceſſariam perpetuamque habent bonitatem: ut Deum ſupra omnia amare, peccatoris converſionem procurare. Aliæ talem quæ mutationi ſit obnoxia: ut cum quis liberalem ſe oſtendit erga prodigum, qui pecuniam acceptam ſtatim abligurit, aut vitam latroni ſervat, qui paulo poſt alium interficit. Quamquam per accidens eſt, quod ex ejuſmodi actionibus mali aliquid ſequatur, & malus iſte eventus, niſi prævideri certò potuerit, bonitatis laudem iis non detrahat. Præſtantia tamen cedunt iis quibus nemo abuti poteſt.

IX. *Actiones malæ* ſunt, quæ cum boni moralis norma non conveniunt, ut calumnia, furtum. Et requiſita quædam habent communia cum bonis actionibus, quædam diverſa. Communia ſunt hæc duo. 1. Ut non tantum ſint ſpontaneæ, ſed etiam vere & proprie liberæ. Itaque ea quæ aliquis facit, aut per ignorantiam invincibilem, aut per coactionem, quæ duo actiones reddunt invitas, etſi materialiter ſint malæ, non tamen ſunt formaliter, ideoque nec vituperium nec pœnam merentur. 2. Ut ſint aliquid poſitivum, quale eſt homicidium, furtum & ſimiles. Actionum tamen præceptarum omiſſiones eo etiam reducuntur, vel quatenus procedunt ex propoſito id omittendi quod juſſum eſt, vel quatenus oriuntur ex incuria & negligentia, quæ faciat ut ignoremus quæ ſunt officii noſtri, aut ad ea non attendamus: ut ſi quis coram ſe peccantem non admoneat, quia ignorat ſe id facere obligatum eſſe: aut luſui vel profanæ occupationi intentus non cogitet tempus eſſe in ſacram concionem eundi. Tales omiſſiones revera ſunt malæ, & ſevere à Deo puniuntur, ut videre eſt in neglectu operum charitatis, cibandi famelicos, veſtiendi nudos, & ſimilibus, de quibus *Matth.* XXV. 41. *& ſeqq.* Ideo Apoſtolus jubet nos *attendere iis quæ audivimus ne quando perfluamus*, *Heb.* II. 1. Negligentiam enim non eſſe leve peccatum, ut vulgo putant, id ſatis oſtendit, quod per eam interdum incendantur domus, cum ab igne non bene cavetur, & pereunt naves cum ſentina non exhauritur.

X. Requiſita in actionibus malis, diverſa à bonis, ſunt etiam duo. 1. Non eſt neceſſe ut quis actionem malam, quatenus eſt mala, facere intendat (quod non accidit, niſi pauciſſimis deſperate malis, qui Diaboli ingenium referunt): ſed ſufficit ut ſit revera mala, quale eſt furtum, aut ſcortatio, licet peccator eam ut ſibi utilem aut jucundam conſideret. 2. Neque eſt neceſſe ut quemadmodum bonæ actiones debent ad bonum finem tendere, ita etiam malæ tendant ad malum: quæ enim natura ſua ſunt mala, ut cædes, adulterium, non redderentur bonæ, quamvis propter bonum finem, qualis eſt reipublicæ ſalus, ſuſciperentur. Summatim, ut actio aliqua cenſeatur mala, ſufficit vel una ejus circumſtantia ſic mala

sed ut bona revera sit, omnia in ea debent esse bona.

XI. Actiones malæ bifariam dividi possunt. 1. Aliæ sunt malæ per se, aliæ per accidens. Actiones per se malæ sunt illæ, quarum essentia tota, quantacunque sit, mala est, ut blasphemia, adulterium. Per accidens malæ sunt illæ, quibus, cum natura sua bonæ sint, vitium aliquod advenit quod eas corrumpit, ut orare aut eleëmosynam dare ut lauderis ab hominibus. 2. Actiones malæ vel in proposito solo consistunt vel etiam in propositi exsecutione. Priores illæ rursus duplicis sunt generis. Nam qui statuit apud se mali aliquid perpetrare, aut sponte à proposito suo desistit, aut majore aliqua vi impeditur ne ad effectum perducat, ille, etiamsi peccarit in tali decreto, tamen excusandus est, quod in eo non perstiterit. Hic vero coram Deo cordium inspectore eodem loco habetur, ac si malum reipsa perpetrasset, secundum Christi dictum, *omnis qui vidit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo, Matth.* v. 29. Posteriores tamen actiones sunt longe deteriores, propter damnum quod aliis afferunt. Nam ex. gr. qui homicidium statuit committere, & non perfecit, sibi tantum nocuit; sed qui id complet opere, nocet proximo, neque uni tantum, sed aliquando etiam multis, ut occisi uxori & liberis. Sed de malis actionibus plura sequenti capite, ubi earum species enumerabimus, à nobis dicentur.

XII. *Actiones adiaphoræ* seu *indifferentes* sunt, quæ naturam inter bonas & malas mediam habent, seu quæ cum boni moralis regula nec congruunt, nec discrepant; ut ambulare, loqui, & similes: quod tum potissimum accidit, cum istæ actiones in abstracto secundum naturam suam, & semotis circumstantiis considerantur. Nam ut plurimum circumstantiarum adjectione naturam suam indifferentem amittunt, & bonæ aut malæ redduntur. Sic ambulare est bonum, cum id facis ut eas in templum, & sacris devote intersis, vel ad aliquem qui opera tua indiget invisendum: sed malum esset si id faceres cum bonæ alicui actioni domi vacare oporteret. Ita loqui bonum est, cum tempus & locus postulant, & verba ædificationis proferuntur: malum vero est loqui in templo cum sacra concio habetur, aut cum turpe aliquid dicitur, vel quod melius fuisset reticeri.

XIII. Sed quæritur hic an actiones quædam dentur, quæ vere sint indifferentes. Nonnulli enim sunt qui tales quidem in genere dari existimant, sed nullas in singulari spectatas. Sic concedunt quidem ambulare rem esse in genere suo indifferentem, sed in singulari putant id necessario bonum aut malum esse. Bonum quidem si bono fine fiat, & cæteris quas oportet circumstantiis observatis. Malum vero, si contra. Sed quod ad me attinet, contradictionem implicare mihi videtur, aliquid in genere consideratum vere esse indifferens, & tamen in singulari tale nunquam esse posse. Nam si ambulare aut loqui est in genere aliquid indifferens, id non necessario in singulari bonum aut malum fit propter circumstantias, cum eæ quoque naturæ mediæ esse queant. Ut si ambulem vel loquar relaxandi animi gratia, & tali loco ac tempore ubi nihil occurrat quod istarum actionum naturam mutet. Similiter non tantum indifferens est in genere vestem ex hoc vel illo panni genere conficere, & hanc vel illam formam seu modum sectari: sed etiam id mihi in specie est indifferens, dummodo nihil contra mei status aut vocationis decorum committam. Sic nihil mihi refert, quo cibi genere famelicum stomachum expleam, sive bubula, sive vitulina, sive piscibus, sive ovis, dummodo ab omni excessu mihi temperem. Et ita in plurimis aliis ejusmodi rebus. Quod si aliter se haberet, nunquam animo tranquillo esse possemus, sed quicquid etiam in maxima cordis simplicitate moliremur, semper metuere oporteret ne qua peccati labe id contaminatum foret. Neque ratio tantum, sed etiam Scriptura favet huic sententiæ. Ea enim docet *summam legis consistere in dilectione Dei & proximi, Matth.* XXII. 40. & Christianismi, ut *sobrie, juste & pie vivamus, Tit.* II. 12. Unde sequitur, id quod istam dilectionem seu temperantiam, justitiam & sobrietatem nec promovet nec impedit, naturæ esse indifferentis: quale v. gr. est conjugium, de quo Paulus dicit, *quod si uxorem duxeris, non peccasti; & virgo si nupserit, non peccat*, 1 *Cor.* VII. 28.

XIV. Sed objicitur: quotiescunque homo aliquid agit, debet agere ut homo, seu rectæ rationi consentanee: ergo nihil eorum quæ agit potest esse indifferens. Nam si id regulæ huic sit conforme, bonum erit; si ab ea discrepet, erit malum. Ad quod respondeo, Illum rationi satis consentanee se gerere, qui nihil illi adversum facit: rectitudinem enim moralem aliter non potest sequi in actionibus adiaphoris, de quibus recta ratio nihil statuit, & quæ perinde hoc atque illo modo bene fieri queunt: quales multas dari, exemplis allatis docuimus.

XV. *Tertio.* Actiones morales sunt vel internæ vel externæ: cum qua divisione coincidit vulgata Logicorum, in immanentes & transeuntes. Actiones internæ sunt quas homo intus in animo suo peragit, & in sensus externos non incurrunt, ut amare, credere: Hucque pertinent actus voluntatis eliciti, quos voluntas proxime, & per se ipsam edit, absque alterius sive internæ sive externæ facultatis ministerio, ut velle, eligere, consentire, &c. item illi actus imperati, quos ministerio alicujus internæ facultatis peragit, ut intelligere, recordari, &c. Externæ actiones sunt quas homo membris corporeis perficit, & in externos sensus cadunt, ut videre, loqui, edere, ambulare & similes. Hucque pertinent actus voluntatis imperati, qui corporis ministerio exsecutioni mandantur, ut loqui lingua, scribere manu, ambulare pedibus, & similes. Utræque actiones semper inter se debent consentire, atque adeo

in hominibus probis conveniunt, quorum animus cum factis consentit, nec aliud verbis aut gestibus præ se ferunt quam mente cogitant. Præcipue autem ab actionibus internis homines coram Deo cordium inspectore censentur boni aut mali; cum sint principium unde externæ procedunt & bonitatem aut malitiam suam omnem accipiunt.

CAPUT IV.

De variis peccati speciebus.

I. *Malas actiones* 1. *dividi in peccata commissionis & omissionis.* II. *Omissionis peccatum nequaquam leve esse censendum.* III. *De omissione ex oblivione.* IV. 2. *In peccata cordis, oris & operis.* V. *An primi motus sint peccata.* VI. 3. *In peccata in Deum & homines;* VII. *Et graviora esse quæ in Deum committuntur.* VIII. 4. *In peccatum ex ignorantia,* IX. *vel ex subita animi perturbatione & incogitantia.* X. *Quod nonnulli peccatum infirmitatis vocant.* XI. *Vel ex malitia.* XII. *Et quod sit discrimen inter peccatum ex animi perturbatione & ex malitia.* XIII. 5. *In peccatum contra conscientiam, vel non contra conscientiam.* XIV. *Et quædam peccata eam vastare, alia vero non vastare.* XV. 6. *In peccatum levius & gravius.* XVI. *Errasse Stoicos qui omnia peccata inter se æqualia esse docuerunt.* XVII. *Plures esse causas inæqualitatis peccatorum.* XVIII. 7. *In peccatum veniale & mortale. Et peccati meritum nec minui, nec hyperbolice nimis exaggerari debere.* XIX. *Male dici omnia electorum peccata esse venialia, reproborum autem mortalia; Et quid sit peccatum ad mortem.* XX. *Bono sensu distinctionem peccati in veniale & mortale posse admitti.* XXI. *Et multos periculose in præcedenti distinctione errare.* XXII. *Peccatum in Spiritum S. in alium locum rejicitur.*

I. LIbet nunc, occasione illorum, quæ superiori capite de malis actionibus in genere à nobis dicta sunt, varias peccati divisiones speciatim enumerare, ut ejus naturam melius perspectam habeamus. Petuntur autem vel à lege præcipiente vel vetante; vel à subjecto in quo peccatum inest; vel ab objecto in quod tendit; vel à causis ex quibus proficiscitur; vel ab effectis quæ producit. Secundum enim varios illos respectus aliam atque aliam naturam induit, & diversas etiam denominationes sortitur. Quia igitur peccatum est legis transgressio, & aliæ leges sunt affirmantes, quibus bonum aliquod præcipitur, aliæ vero negantes, quibus malum aliquod vetatur: hinc prima oritur divisio in peccatum *Commissionis* & *Omissionis*. Peccatum commissionis est, cum actus aliquis lege prohibitus, ut blasphemia, homicidium, furtum, perpetratur. Peccatum omissionis est, cum actus aliquis lege mandatus, ut Deum orare, pauperis misereri, negligitur. De quo accipi potest id, quod dicit Apostolus; *scienti facere bonum, & non facienti, peccatum est illi*, *Jacob.* IV. 17. quanquam nihil impedit quominus etiam de peccato commissionis exponatur; ita ut quicunque legi non paret, non facere bonum dicatur.

II. Peccatum Omissionis non est leve, ut vulgo sibi persuadent homines; præsertim si res mandata alicujus sit momenti. Quod duabus rationibus probo. *Prima* hæc est, Quia vix ulla actus præcepti omissio datur, quæ cum actus prohibiti commissione conjuncta non sit. Nam si omissio voluntaria est, ea actus est animi: si vero plane sit involuntaria, non est peccatum pœna dignum. Voluntas autem quæ omissionem comitatur, alia est directa, alia indirecta. Directa est, cum aliquis apud se id statuit omittere, quod mandatum esse novit. Indirecta est, cum aliquid facere vult, cum quo actus præcepti omissio necessario est conjuncta, etsi de ista omissione non cogitet, ex. gr. prodire deambulatum eo tempore, quo Scripturæ S. lectioni vel auditioni vacandum est, impendere in tabulas pictas, aut vasa porcellana pecuniam, qua pauperis inopiæ succurrendum foret. Prior voluntas est causa per se peccati omissionis, ac proinde culpabilior; posterior vero est causa per accidens, ac proinde non adeo culpabilis, licet non prorsus culpa vacet. Deinde commissionem una cum omissione fere semper esse conjunctam, id ostendit, quod Deus in variis Scripturæ locis simul jubet abstinere à malo, & bonum operari, *Diverte à malo & fac bonum*, *Psalm.* XXXIV. 15. *Quiescite agere perverse; discite bene facere*, *Esai.* I. 16. Istorum enim præceptorum una pars non potest observari, quin pariter observetur & altera; nec una contemni, quin altera quoque contemnatur. *Secunda*, Quia Dominus Jesus in ultimo die sententiam feret de hominibus, non tantum secundum mala, quæ commiserint; sed etiam secundum bona, quæ omiserint. Imo hæc sola pro damnationis æternæ causa afferuntur, *Matth.* XXV. *Esurivi, & non dedistis mihi manducare; nudus fui, & non operuistis me*, &c. Cui consentaneum est id, quod Joannes Baptista dicit, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, *Matth.* III. 10. quod tamen etiam accipi potest de illa, quæ malos fructus profert.

III. Sed quæres, quid de illa officii omissione statuendum sit, cujus mera & sola oblivio causa fuit, an ea quoque sit peccatum? Respondeo, eam non esse omnino à vitio immunem, si eam quam debuimus curam non adhibuerimus ad memoriam eorum, quæ facere tenebamur, refricandum. Idcirco vigilantia nobis sæpe commendatur, ut *Luc.* XXI. 36. 1 *Cor.* XVI. 13. *Apoc.* XVI. 15. & alibi: cujus munus est nostras cogitationes ad officium semper attentas retinere. Illum vero, qui vere comparatus est ad exsequendum quod præceptum esse novit, non ausim reum pronunciare, si forte aliquando ex sola memoriæ labilitate id prætermiserit.

IV. Secunda peccati divisio sumitur à subjectis, in quibus inhæret. Indeque peccatum aliud *Cordis*, aliud *Oris*, & aliud *Operis* esse dicitur: vel unum esse *Carnis*, alterum *Spiritus*: quod enim ore vel opere perpetratur, est peccatum carnis, quod corde, est spiritus. Peccatum Cordis est concupiscentia rei malæ. Et ex hoc impuro fonte fluunt

fluunt cætera omnia, quæ sive lingua, sive manibus & opere externo delinquimus. Unde Salvator noster dicit; *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta*, &c. *Matth.* XV. 19. Et Paulus vult ut *sanctificationem nostram perficiamus, repurgando nos ab omni inquinamento, non solum carnis, sed etiam spiritus*, 2 *Cor.* VII. 1. Quamvis aliqui sint, qui hic per inquinamentum carnis non intelligant promiscue omne peccatum, quod corpore committitur, ut homicidium, furtum; sed illud tantum, quod in delectatione carnis & sensuum consistit, ut ebrietas, gula, scortatio, quæ corpus sensibiliter contaminant, & aliquando etiam turpes morbos progignunt. Inquinamentum vero spiritus illis sit peccatum, quod immediate animo perpetratur; quale est odium, invidia, ambitio, avaritia, antequam se ullo opere externo prodant. Sed observandum est corpus & animum mutuas hic sibi præstare operas; ita ut nullum sit peccatum carnis, quod non etiam inficiat animum, qui in illud consentit, & exsequendi viam meditatur; nullumque sit peccatum spiritus, quod absque membrorum corporis adminiculo consummetur. Sed hic, ut multis aliis in rebus, denominatio fit à parte in aliquo peccato prædominante. Nonnunquam tamen omnis generis peccata, etiam quæ in animo proprie sedem habent, vocantur *opera carnis*, ut *dissensiones, inimicitiæ, hæreses, invidiæ*, *Gal.* V. 19. nempe quia cupiditatibus carnalibus explendis inserviunt, & in hominibus illis deditis reperiri solent. Peccatum Oris est quod in sermone committitur: de quo Jacobus, *In multis offendimus omnes. Si quis in sermone non offendit, hic perfectus est vir, ut qui possit fræno moderari totum etiam corpus*, *cap.* III. 2. Ejus plurimæ sunt species, quæ tamen ad tres præcipuas, mendacium, contentiones, & turpiloquium referri possunt. Peccatum Operis est, quod externa aliqua actione in sensus incurrente, secundum id quod mente decretum fuit, peragitur, ut homicidium, furtum, &c.

V. Quæritur autem, an omnis Cupiditas, quæ fertur ad malum, in peccatorum censum referri debeat, & à Deo pro vero peccato habeatur. Ad quod respondeo, nullum esse dubium quin Concupiscentia, in Decalogo prohibita, verum sit peccatum: nam est divini mandati transgressio, quam fingere, posse carere culpa, desipere est. Graviter itaque erravit Josephus, & illi Judæorum Rabbini, qui contrarium statuere audent. Quibus oppono Paulum dicentem, *Peccatum non novi nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*, *Rom.* VII: 7. Imo Dominus Jesus eousque in damnanda peccati concupiscentia progreditur, ut pronunciet, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, *Matth.* V. 29. Sed quæritur ulterius, an primi concupiscentiæ motus, quibus assensus non præbetur, sed contra fortiter repelluntur, sint peccata? Respondeo, Scripturam id nusquam definire; imo contrarium non obscure elici ex verbis Jacobi, cum dicit, *unusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*, *Jacob.* I. 14, 15. Non enim debuisset dicere concupiscentiam, ubi conceperit, parere peccatum, si omnis concupiscentia jam in primo ortu suo est peccatum. Adde quod in Domino Jesu Christo, quem constat ab omni peccato plane fuisse immunem, reperta fuerit ejusmodi cupiditas. Cupiebat enim *ut calix* amarus mortis *crucis à se transiret*: sed postea se recolligens, & cogitans illud desiderium voluntati Patris esse contrarium, reprimebat se, & dicebat, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*, *Matth.* XXVI. *Luc.* XXII. Deinde id non est consentaneum rectæ rationi, quæ docet omne peccatum vere & proprie dictum, debere esse evitabile. Certum enim est, primos istos concupiscentiæ motus non esse in nostra potestate. Nolim tamen negare eos, qui à peccandi assuetudine oriuntur, aliquid habere vitii, quod Deo displiceat, etiamsi ad assensum plenum non veniant, sed carnem solum titillent. Itaque nos illis omnibus viribus obviam ire debere.

VI. Tertia peccati divisio petitur ab objectis; unde quædam peccata *in Deum*, quædam *in Homines* committi dicuntur. Peccata in Deum sunt, quibus Dei honor directe & immediate læditur, ut idololatria, blasphemia, & alia quæ prima Decalogi tabula prohibentur. Peccata in Homines sunt, quibus ipsis aliquod damnum, sive in corpore, sive in bonis, sive in fama affertur; ut homicidium, adulterium, furtum, calumnia, & alia similia, quæ in secunda Decalogi tabula vetantur. Ubi tamen observare oportet, nullum unquam peccatum committi adversus homines, quin eo Deus quoque offendatur; nempe quia omne peccatum est legis transgressio, quæ absque Dei auctoris illius vilipendio fieri nequit. Hincque est, quod David adulterii & homicidii in Uriam reus, dicebat Deo; *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*, *Psal.* LI. & quod filius prodigus in parabola introducitur, sic patrem compellasse; *Pater, peccavi in cœlum & coram te*, *Luc.* XV. 21. ubi cœli voce intelligitur Deus, qui in cœlo, tanquam palatio, gloriose habitat; eodem loquendi genere, quo cœli dominari dicuntur, *Dan.* IV. 24. Quanquam certum est juvenem istum æque adversus terrestrem patrem, cujus bona dilapidaverat, quam adversus cœlestem, peccavisse; quem aliter non offendit, quam hoc ipsius mandatum, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, transgrediendo.

VII. Longe autem gravius esse peccatum in Deum quam in homines commissum, docet ejus sublimis & veneranda Majestas, & quod pluribus, arctioribusque vinculis ad ei quam ulli hominum parendum obstringamur. Unde Heli summus sacerdos filiis suis, profanati cultus divini reis, dicebat, *si peccavit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* 1 *Sam.* II. 25. Excipiuntur tamen peccata adversus cultum Dei cæremonialem admissa, quæ, mo-

do contemtus abesset, leviora censebantur iis, quibus charitas erga proximum violabatur; secundum id, quod Deus ipse declarat apud Prophetam, *Misericordiam volo & non sacrificium*, *Hosea* VI. 6. Unde Christus collegit præstare Sabbatho operari, quam sibi in necessitate deesse, *Matth.* XII. 17. Sed cum elata manu cæremoniæ legis violabantur, æquivalens, aut etiam gravius erat peccatum istud quolibet adversus homines admisso, & Deum magis ad iram provocabat; ut videre est in Nadab & Abihu, qui igne à facie Domini exeunte consumti sunt, quod suffitum ex igne alieno obtulissent, *Lev.* x. 1. & in illo qui ligna Sabbatho collegerat, quem Deus lapidari jussit, *Num.* xv. 32.

VIII. Quarta peccati divisio est à caussis, unde proficiscitur. Hinc aliud est peccatum ex *Ignorantia*, aliud ex subita *animi perturbatione*, aliud ex *Malitia*. Peccatum ex ignorantia, illud est cui ignorantia occasionem dedit, & quod aliquis non perpetravisset, nisi tenebræ intellectum ejus obnubilassent, adeo ut non animadverteret quam turpe esset id quod faciebat. Sed cum duplicis generis sit ignorantia; una vincibilis, quæ adhibita tali diligentia qualem virum prudentem decet, superari potest: altera invincibilis, qua fieri nequit ut aliquis industria humana se exsolvat: in priore tantum est peccatum pœna dignum, non in posteriore. Nam ea naturæ humanæ, etiam integræ, propria est, cui Deus rerum omnium scientiam non concessit. Ita qui in Christum non credunt de quo nihil audiverunt, rei non sunt, quia istud est eis impossibile, ut docet Paulus *Rom.* x. v. 14, 15. & Dominus Jesus testatur *Judæos peccatum* (nempe incredulitatis) *non habituros, nisi ipse venisset & locutus esset eis*, *Joan.* XV. 22, 24. Sed ignorantia vincibilis rursus distinguenda est: alia enim est affectata, cum aliquis non vult ea liberari & veritatem discere, quando occasio se offert, eo fine, ut conscientia non redarguente, securius peccato indulgere posset: hæc nullo modo excusat aut minuit peccatum. Alia ignorantia non est affectata sed simplex, cum aliquis eam quam potuisset curam non adhibuit ad veritatem cognoscendam, etsi illam data opera non contemserit. Hæc non excusat quidem peccatum, sed tamen nonnihil de gravitate ejus minuit, & facit ut facilius à Deo condonetur. Qualis fuisse videtur Judæorum Jesum Christum morti tradentium: pro quibus orabat ipse, *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quod faciunt*, *Luc.* XXIII. 34. & de quibus Petrus dicit, *scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*, *Act.* III. 17. quæ tamen non impediit quo minus malitia esset in eorum peccato. Alia fuit Pauli ratio, qui zelo, sed absque scientia, incitatus Christum & ejus ecclesiam persequebatur, *ideoque misericordiam à Deo consecutus est, quia ignorans fecerat in incredulitate*, 1 *ad Tim.* 1. 13.

IX. Peccatum ex subita animi perturbatione est, cum aliquis ira, metu, aut simili quopiam vehementi affectu, impulsus, qui rationi non concedit tempus se recolligendi, mali quid perpetrat. Tale fuit peccatum Davidis, qui gravi injuria à Nabale affectus, se ad ipsum cum universa familia acie gladii exterminandum accingebat, fecissetque etiam, nisi ab Abigaële Nabalis uxore placatus fuisset, 1 *Sam.* XXV. Talis fuit quoque offensa Pauli, qui cum Ananias summus pontifex ipsum in os immerito jussisset percuti, non potuit se retinere quin statim reponeret, *percutiet te Deus, paries dealbate*, &c. *Act.* XXIII. 2, 3. quamvis enim sint qui Paulum hic à peccato immunem fuisse putent, non ausim tamen id asserere, cum ipse veniam deprecatus fuerit, & dixerit, *nesciebam quia Princeps est sacerdotum, &c.* Nam illud *nesciebam*, idem esse videtur, quod *non cogitabam*; alias non ignorabat, quin etiam diserte agnoscit, cum quem compellabat unum esse ex judicibus populi, quibus lex vetat ne maledicatur, *Exod.* XXII. 28. Huc etiam referri potest peccatum Petri, qui metu mortis correptus, Dominum Jesum abnegavit: quamvis enim præcedentibus longe sit gravius, tamen ex tali processit animi perturbatione, ut non cogitaret quid faceret. In eoque fides non defecit in corde, sicut confessio in ore, quia brevis fuit paroxysmus & qui cito præteriit.

X. Nonnulli hæc *Infirmitatis peccata* vocant: occasione ut videtur sumta ex verbis Jesu Christi, discipulos hortantis *ad vigilandum & orandum ut non intrarent in tentationem, propterea quod spiritus quidem promtus esset, caro autem infirma*, *Matth.* XXVI. significans illos, & præ cæteris Petrum, animum quidem satis promtum ad secum patiendum ostendere: sed vereri se, ne cum periculum præsens ob oculos animadverterent, ex infirmitate carnis laberentur. vide etiam *Hebr.* IV. 15. ubi dicitur, *nos non habere Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*; id est lapsibus istis ad quos naturæ fragilitas nos proclives reddit. Talem infirmitatem Paulus exprimit hac phrasi, *præoccupari in aliquo delicto*, *Gal.* VI. 1. id est in illud subito incidere, antequam quid facias debite perpenderis. Eademque de causa peccatum dicitur *εὐπερίστατον*, *Hebr.* XII. 1. id est, *ad nos circumcingendos proclive*, quasi perpetuo circa nos esset in insidiis, ut incautos opprimeret. Ejusmodi peccata vocantur ignorantiæ, ut videre est *Hebr.* IX. 7. *Lev.* IV. & sæpe alibi in lege: sed alio sensu quam peccata de quibus antea loquebamur; nimirum quod ex aliqua inadvertentia procedant: etiamsi qui ea committunt satis norint, quid officii sui sit & quid faciant. pro iis fiebant olim expiationes per sacrificia, cum peccata per superbiam admissa mortis pœna absque misericordia plecterentur, *Num.* XV. 27, &c. *Hebr.* X. v. 28. sed cavendum est ne ad istud peccati ex infirmitate genus referamus ea, quæ oriuntur quidem ex vehementi animi perturbatione, verum quæ diu in corde fota est, antequam exsecutioni daretur; qualis conspicitur interdum in iis, quos amor aut odium ad scelus aliquod impellit, cum satis spatii habuerint ad pugnandum adversus istas passiones, nec prætexere possint se illis ex improviso fuisse præoccupatos.

XI. Peccatum ex Malitia dicitur, quod à volen-

lentibus & scientibus quid faciunt, perpetratur, absque ignorantia, aut subita animi perturbatione, quæ mentem obnubilet, & voluntati libertatis suæ usum eripiat. Quale fuit Judæ peccatum, qui sponte Principes sacerdotum adiit, & iis operam suam ad capiendum Jesum obtulit: *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Matth.* XXVI. v. 14, 15. Quamvis enim id avaritia excæcatus fecerit, & non cogitans quantum esset scelus, quod moliebatur; nullo tamen modo excusandus est, cum diu corde aluerit istam pecuniæ cupiditatem, adversus quam pugnare debuisset. Tale quoque fuit peccatum Davidis in Uriam, & alia ejusmodi: quæ nonnulli male sub humanæ infirmitatis prætextu excusant, quod viros alioqui pios & Deo acceptos in ea incidisse videant. Istud enim non impedit quominus ex malitia peccasse dici debeant, quando cupiditatibus carnis frænum laxaverunt. Nec requiritur in peccato ex malitia ut quis id perpetret sub ratione mali: vix enim illud in diabolum cadit, ut malo, quatenus est malum, delectetur: Cum malum per se non sit appetibile, nisi se offerat sub specie boni, jucundi, aut utilis, qua cupiditas afficiatur. Peccatum itaque ex malitia est, cum quispiam scienter, bonum honestum, quod sectari tenebatur, deserit, & jucunditate aut utilitate temporali allectus ad malum se applicat: ut videre est in peccatis quæ improbi ad gulæ, libidini, avaritiæ, ambitioni, vindictæ satisfaciendum, perpetrant. Neque etiam requiritur ut nulla ignorantia sit comitatum. Vix enim ullum tale datur: nempe ordinarie ignorant improbi, quam stulte peccando se gerant & quot quantaque damna in se accersant: non quod istud nosse non possint; (sic enim essent excusabiles) sed quia affectibus abrepti non cogitant, aut moniti credere recusant. Neque denique requiritur, ut aliquis ex malitia peccet, ut omni animi perturbatione prorsus sit vacuus: Improbi enim nunquam sunt in ejusmodi statu, ut nullus ipsis affectus dominetur, sufficit ut aliquando potestatem habuerint eos compescendi, antequam diuturna consuetudine ita invaluissent, ut rationis imperium non amplius audirent.

XII. Quomodo igitur, inquies, discerni poterit, an peccatum ex malitia, an vero ex animi perturbatione oriatur? Respondeo, ex mora brevi aut diuturna quam in corde facit; affectus enim qui diu ipsis inhæret, à malitia non est immunis, cum non eripiat plane judicium, sed potius eo tanquam consiliario abutatur, ut ad propositum finem perveniat. sed qui subito atque ex improviso nascitur, & cito præterit, potest esse absque malitia, & infirmitati tribui. Deinde ex ipsis peccatorum actionibus, quæ si minoris sint momenti, tribui possunt infirmitati, si gravioris, & aliquid atrocitatis habeant, nunquam malitia vacant. Quare falluntur qui peccata hæc à se invicem discriminari putant ex lucta aut luctæ carentia, quam in se experiuntur qui iis indulgent; quasi illa tantum proficiscantur ex malitia, quæ pleno voluntatis consensu, absque ulla mentis resistentia & improbatione committuntur: ubi vero lucta est inter mentem peccatum improbantem, & affectus ipsum suadentes, infirmitati tantum esse imputandum, si in ejusmodi lucta mens affectibus succumbat. Ad quod respondeo, non negare me, majorem ibi esse malitiam, ubi pleno impetu & absque ulla mentis lucta in peccatum ruitur, quam si aliter id fieret. Item magnam ibi esse infirmitatem, ubi mens in certamine adversus carnales affectus superatur. Sed non sequitur, si ibi supremus malitiæ non sit gradus, nullam prorsus esse. Imo fieri aliter nequit, ubi ratio, quæ discrimen facit inter honestum & turpe, non est prorsus abolita, quin supersit adhuc aliquis honesti amor, unde lucta mentis adversus appetitum, qui contrarium suadet, excitatur: ut multorum improborum exempla docent, interque alia vulgatum illud Medeæ dicentis,

Sed trahit in vitam nova vis; aliudque cupido,
Mens aliud suadet: video meliora proboque,
Deteriora sequor.

Quamvis etiam id mentis infirmitatem arguat, quod in certamine ab affectibus superetur: ejusmodi tamen infirmitas non excusat, quia ab ignavia & pusillanimitate procedit, viribus à Deo acceptis, quibus victoriam reportare posset, adversus passiones uti nolentis; quemadmodum miles qui superatus fuisset ab hoste non excusaretur, si arma abjicere & fugam capessere, quam pugnare maluisset.

XIII. Quinta peccati divisio est in id quod *contra conscientiam* est, & id quod *non est contra conscientiam*: quæ etsi valde præcedenti sit affinis, imo ab ea reipsa non differat, tamen quia respectus sub quo utraque consideratur aliquantum est diversus, inutile non erit de illa seorsim agere. Peccatum contra conscientiam est, cum ad conscientiæ, quæ actum aliquem faciendum aut omittendum esse præscribit, dictamen non attenditur sed vel illud quod dissuadet perpetratur, vel quod suadet negligitur. Estque id quod antea peccatum ex malitia vocabamus: nulla enim major malitia fingi potest, quam adversus suum ipsius judicium agere, seu id quod corde improbatur opere committere. In quo tamen duo sunt gradus. Supremus est, cum aliquis apud se statuit, nullam conscientiæ rationem habere, sed quicquid illa contra dictet, cupiditati suæ morem gerere. Inferior est, cum aliquis non ita quidem proterve omne conscientiæ frænum excutere decernit: sed tamen postquam ab illa aliquandiu in officio cohibitus est, tandem se ab affectibus abripi sinit. Nec refert quod conscientia evigilante, interdum facti statim eum pœniteat; pœnitentia enim ista non potest efficere, ut conscientia non fuerit antea graviter læsa: ut ostendit exemplum Judæ, qui pœnitens dicit, *peccavi, prodens sanguinem innoxium, Matth.* XXVII. 3, 4. Non diffiteor tamen, quin accedente vitæ in melius mutatione, id unicum sit remedium, quo ejusmodi labes in animo facta eluatur, & desperationi obviam eatur. Peccatum non contra conscientiam

est illud, quod ex ignorantia, aut ex subita aliqua & vehementi animi perturbatione admissum est. Ignorantia enim etiamsi non sit invincibilis, modo non fuerit affectata, impedit quo minus aliquis adversus conscientiam peccasse dici possit: quemadmodum etiam subita & vehemens ejusmodi passio, quæ spacium attendendi ad conscientiæ dictamen non concedit. Qui autem aliquid facit quod sibi illicitum esse credit, ex. gr. jurare, aut carnes die Veneris edere, non est immunis à peccato contra conscientiam, quamvis res istæ in se non sint revera malæ, sed tantum ex ejus opinione: unusquisque enim à propria conscientia judicatur. Imo qui facit de quo solum dubitat, licitum sit, necne, peccato se obstringit, *Rom.* XIV. 23.

XIV. Ex hac distinctione fit ut quædam peccata conscientiam vastare, quædam vero non vastare dicantur: nam quæ contra conscientiam commissa non sunt, eam vastare nequeunt: ut cum aliquis ignorat id quod facit esse peccatum, aut ita subito affectus sui impetu abripitur, ut vix examinare possit quid agat. sed quæ adversus conscientiæ dictamen perpetrantur, graviter eam lædunt, & ex bona malam, aut ex jam mala pejorem reddunt. Indeque existit in nonnullis quidem securitas carnalis, in aliis vero magnus terror, & tandem desperatio. Securitas carnalis conscientiæ, est stupor quidam spiritualis, unde fit ut quis nullum admissorum scelerum sensum habeat, nec de offenso Numine aut pœna quæ se maneat, cogitet, sicque peccata peccatis absque metu quotidie accumulet. Quam tribuit Paulus Gentibus ab Euangelii cognitione alienis; *qui postquam dedoluerunt* (id est omnem peccati in se dominantis sensum amiserunt) *semetipsos dederunt proterviæ ad certatim patrandum impuritatem omnem*, *Eph.* IV. 19. Conscientiæ terror, est anxietas illa quam animo affert gravitatis peccati sensus, & certa pœnæ, à Deo vel ab hominibus infligendæ, exspectatio. Nullum autem majus esse quam animi sibi male conscii tormentum, docent improborum exempla, qui post admissum aliquod enorme scelus nullam neque noctu neque interdiu sentiunt requiem. Quod Poëtæ significare voluerunt per furias infernales, quæ sceleratos cum facibus & serpentibus persequerentur. Furiæ enim istæ nihil aliud sunt nisi malæ conscientiæ morsus, quales sensit Caïn post occisum fratrem, Nero post interfectam matrem, aliique plurimi: unde tandem sequitur desperatio, quæ aliquos interdum tam graviter cruciavit, ut nullum nisi in morte solatium invenirent. Quod videre est in Achitophele, qui conjuratione facta adversus Davidem, suspendio scelus suum ultus est, 2 *Sam.* XVII. & in Juda, qui postquam Dominum Jesum prodidisset, simili modo vitæ sibi filum præscidit, *Matth.* XXVII. Nimirum quia jam sentiebant terribile Dei judicium, & ignis æmulationem, quæ consumtura est adversarios; atque quam *horrendum sit incidere in manus Dei viventis*, *Hebr.* X. 27, 31. idque voluntaria morte prævenire se posse sperabant.

XV. Sexta peccati divisio est, quod peccatum unum est *minus & levius*, alterum vero *majus & gravius*; ac proinde inæqualiter tum Deum tum homines offendit & ad vindictam provocat. Id tribus probatur rationibus. 1. Expresso Christi testimonio, dicentis Pilato, *qui me tradidit tibi, majus habet peccatum*, *Joan.* XIX. 11. id est, summus Judæorum Pontifex, qui me tibi tradidit morte damnandum, majus habet peccatum quam tu qui me damnas; nempe quia melius de innocentia mea edoctus esse potest, & ex officio tenetur. 2. Ex diversitate pœnarum quibus peccata in Dei judicio punientur; secundum istud Jesu Christi pronuntiatum, *Servus qui novit voluntatem domini sui, & non fecit secundum eam, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*, *Luc.* XII. 47, 48. 3. Id patet ex reipsa: minus enim peccat qui impingit alteri alapam, quam qui occidit eum: minus peccat qui jocosum tantum mendacium dicit, quam qui perniciosum; & ita in multis aliis, ubi manifesta est diversitas.

XVI. Errarunt ergo Stoïci, qui omnia peccata inter se æqualia esse docuerunt, & eum non minus delinquere qui gallum gallinaceum cum opus non fuerit, quam qui patrem suffocaverit, ut loquitur Cicero *pro Murena*: quod ab omni ratione alienum est. Sed, inquiunt, peccare est tanquam transire lineas; quod cum feceris, culpa commissa est, quam longe progrediare cum semel transieris, ad augendum transeundi culpam nihil pertinet. Ut gubernator æque peccat si palearum navem everterit, &, si auri: item æque peccat qui parentem, & qui servum injuria verberat, Cicero IV. *de Finibus*. Ad quod respondeo, contingere quidem aliquando ut æque grave in parva atque in magna re sit peccatum; ut cum fur alterius arcam effringit, & ibi invenit tantum decem aureos, quos aufert, non minus peccat quam si mille ibidem furatus esset; cum accesserit animo id omne quod inveniret surripiendi. Idque usu venit quotiescunque ex legislatoris aut legis contemtu peccatur. Qui enim in parva re istud facere non veretur, neque in majore, si occasio sese offerat, aut cupiditas suadeat, verebitur. Sed non est eadem omnium peccantium intentio. Erit quidem aliquis qui servum injuria volet percutere, sed vitam auferre nolet; item qui patri præcipienti ut diligenter studeat rebellis erit, sed ab illo percutiendo toto animo abhorrebit. Et quod ad similitudinem naucleri attinet, illa est aliena. Toto enim cælo distant artis & morum peccata; ut vel istud solum ostendit, quod in artibus per ignorantiam peccare turpius censetur, quam peccare voluntarie: in moribus vero contra. Imperitia quidem est eadem in gubernatore qui navem palea plenam, & qui auro onustam evertit; sed valde inæquale erit peccatum, si cum duo eandem occasionem nacti fuerunt divitis scrinia expilandi, unus

unus viginti mille ducatos inde auferat, alter contentus sit duos aut tres stuferos ad famem urgentem explendum sumere.

XVII. Causæ autem inæqualitatis peccatorum sunt plures, quarum nonnullas jam breviter attigimus. Nam 1. peccatum adversus Deum longe gravius est quam id quod adversus homines committitur, ut blasphemare nomen Dei, quam conviciari fratri. 2. Gravius est peccatum quod perpetratur ex malitia & contra conscientiam, quam id quod ex ignorantia, aut subita aliqua & vehementi animi perturbatione, vel infirmitate procedit. 3. Gravius est peccatum mortale quam veniale, ut ex mox dicendis patebit. 4. Circumstantiæ loci, temporis, & personarum, diversitatem graduum inter peccata non exiguam afferre solent. Sic ratione loci, furtum aut cædem in Ecclesia committere gravius est scelus, quam alibi. Ratione temporis, comessari & inebriare se, cum jejunium publicum à magistratu aut ab Ecclesia est indictum, fœdius est peccatum, quam alias. Ratione personarum, gravius peccat qui parentes aut magistratum, quam qui alium hominem percutit: item qui pauperi id exiguum quod habet ad vitam sustentandam eripit, quam qui diviti tantumdem ex ejus superfluis auferret; ut docet Nathan in parabola quam Davidi proponit, & David in responso suo, 2 *Sam.* XII. Huc pertinet diversitas status & muneris, quæ non exiguam aliquando in peccatis inæqualitatem parit. Sic gravius peccat minister verbi divini, qui luxui aut intemperantiæ indulget, quam alius privatus. Et adulterium quod inter conjugatos, atque incestus qui inter sanguine proxime junctos committitur, longe graviora sunt peccata quam simplex scortatio inter solutos.

XVIII. Septima peccati divisio est in *Veniale* & *Mortale*, de cujus sensu & veritate multum hodie inter Christianos disputatur: ideoque accuratiorem disquisitionem requirit. *Primo* itaque animadvertendum est, nullum fingi posse peccatum tam exiguum, quod Deus, si vellet cum hominibus summo jure agere, non posset exclusione è regno cælorum punire. Nam cum neminem, nisi promissionibus suis se obstrinxisset, in illud intromittere teneatur, nullaque adeo bona & præstantia dentur opera, quæ ipsum ex justitiæ rigore mereantur; nemini injuriam faceret, si illos qui vel minimi peccati rei essent inde excluderet. Nec inde sequeretur, ut quidam objiciunt, omnia peccata sic fore inter se ex Dei æstimatione paria. Posito enim Deum etiam ob minimum peccatum æternæ vitæ præmium aliquibus denegare, non deesset ei potestas graviores pœnas iis qui enormium peccatorum rei forent infligendi. Non tamen mihi probatur hyperbolica Bezæ exaggeratio, dicentis in suis *Annotationibus ad* 1 *Joan.* v. 16. *peccata omnia hactenus paria sunt, ut vel minima minimi peccati cogitatio millies mortem æternam mereatur: quod ita esse non modo ex innumerabilibus Scripturæ locis apparet, sed etiam tum divinæ naturæ, tum peccati consideratio aperte convincit*, &c. Nam ut de Scripturæ locis nihil dicam, quæ nulla citantur nec citari possunt, adeo ut isto sensu recte dicantur innumerabilia; ratio quam affert nullius est momenti; ideo omnia peccata pœnam infinitam mereri, quia adversus infinitam Dei majestatem committuntur. Nam 1. inde sequeretur, bona opera hominis in statu integritatis, quæ circa idem objectum versabantur, præmium infinitum meruisse: quod à vero alienum est, & gratiæ Dei unde omnia in nos promanant beneficia contrarium. 2. Peccatores non possent infinitum Dei iræ pondus perferre; sed sub ea fatiscerent, & ad nihilum redigerentur, & sic ulterioris pœnæ sensus incapaces forent. 3. Imo fieri nequiret ut Deus pœnam infinitam plus quam uni peccato infligeret. Nam si unicum etiam minimum eam mereatur, nihil superesset quo cætera quantumvis graviora ulcisceretur. Dices, Deum pœnæ extensione temporis infinitæ, aliam intensione graduum infinitam additurum. Sed istud nihil ad rem facit. Nam si ideo quia majestas Dei infinita est, peccato infinita pœna debetur, illam omnimodo infinitam esse oportebit; quia Deus non tantum extensione temporis, sed etiam graduum perfectionis intensione plane est immensus & infinitus.

XIX. *Secundo.* Non est probanda illorum explicatio, qui dicunt omnia electorum peccata esse venialia, quia nullum est quod Deus ipsis ex gratia non condonet; omnia contra reproborum esse mortalia, quia nullum est cujus pœnam Deus ab illis non ex severitate reposcat. Ista enim denominatio ab eventu, confundit omne discrimen inter gravitatem peccatorum, cui exprimendo venialis & mortalis voces adhibentur; proinde etiam huc non pertinet, quod dicit Joannes, *Si quis viderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet* (supple à Deo) *& dabit ei veniam; peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roges*, 1 *Epist.* v. 16. Hic enim peccatum non ad mortem dicitur illud, cujus ordinarie remissio per veram resipiscentiam, secundum Dei voluntatem in verbo patefactam, obtineri potest: qualia sunt quæ ante agnitam veritatem perpetrata sunt. De quo videre est *Act.* II. 38. & III. 19. & XIII. 38, 39. 1 *Cor.* VI. 9. *&c.* 1 *Joan.* II. 1. Si quis vero post agnitam veritatem relabatur in pristina vitia, à quibus ablutus fuerat, longe difficilior est obtentu remissio: ut discimus ex 2 *Petr.* II. *v.* 20, 21, 22. *Hebr.* X. 26, *&c.* Licet non sit temere pronunciandum ejusmodi hominem extra veniæ spem esse; cum Dominus Jesus in *Apocalypsi cap.* II. & III. illos qui primam suam charitatem reliquerunt, & aliis gravibus peccatis post susceptum Christianismum sese macularunt, ad pœnitentiam exhortetur. Quinam ergo, inquies, sunt Joanni qui peccant peccato ad mortem? Existimo esse qui opera carnis patrant, & quamvis sæpe fuerint moniti, secure in iis pergunt, & vitam emendare negligunt: de quibus dicit Paulus *Gal.* V. *v.* 21. *ipsos regnum Dei non possessuros*; nimirum quam-

quamdiu in isto statu sunt & nulla in iis resipiscentiæ indicia conspiciuntur. Quod vero Joannes addit; *non pro illo dico ut roges*, non est prohibitio, quasi peccaturus esset qui pro ejusmodi peccatoribus preces ad Deum funderet. Nequaquam. Sed tantum vult significare ipsum frustra fore, & nihil impetraturum: quod tamen respicit potius prolongationem vitæ illius, qui ita peccato indulget, quam gratiam ad resipiscendum necessariam, quam semper pium est rogare quamdiu peccator vivit; utpote consentaneum voluntati Dei, de qua testatur *Ezech.* XXXIII. 11. 2 *Petr.* III. 9.

XX. Rejectis explicationibus falsis aut minus idoneis peccati Venialis & Mortalis, jam videndum est quis bonus distinctionis istius sensus sit. Dico igitur, peccata Venialia, esse leviora illa ad quæ Deus in gratuito suo fœdere connivere decrevit, etiamsi in illa subinde per infirmitatem aut incogitantiam labamur, & eorum habitum non plane exuerimus: ut videre est *Jerem.* XXXI. 31. *Hebr.* VIII. 8, *&c.* Talibus enim peccatis fideles plerumque in hac vita obnoxios esse testatur Scriptura variis in locis; ut *Jac.* III. 2. 1 *Joan.* I. 8, 10. Quæ tamen iis salutis certitudinem non eripiunt, quia sciunt Deum illa rigide & absque misericordia examinare nolle, & *se habere Pontificem qui compati possit infirmitatibus suis*, seu iis qui ignorant & errant, *Hebr.* IV. 15, 16. & V. 2. *Matth.* XII. 20. Mortalia contra sunt graviora illa peccata, quæ certo mortem afferunt hominibus qui iis sunt dediti, & quorum proinde tam actus quam habitus omnino exuere nos oportet, & per veram pœnitentiam eluere, si damnationem æternam effugere velimus: secundum id quod docet Paulus; *si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, *Rom.* VIII. 13. Vide etiam 1 *Cor.* VI. 9. *Gal.* V. 19, 20, 21. *Eph.* V. v. 5, 6. *Apoc.* XXII. 15. & alibi sæpe. Hincque apparet quanta sit affinitas inter istas peccatorum species & aliquot præcedentes, speciatim qua distinximus ea in peccata ex ignorantia, aut ex infirmitate, aut ex malitia profecta. Venialia enim sunt quibus ignorantia aut infirmitas, quæ etiam in optimos Christianos cadunt, occasionem dederunt: mortalia contra, quæ ex malitia quocunque prætextu aut specie velata, promanarunt.

XXI. Cum autem res permagni ad salutem sit momenti alia ab aliis recte distinguere, cavendum est diligenter ne in alterutram partem à veritate aberremus, aut venialia esse existimantes peccata, quæ revera sunt mortalia; aut pronunciantes mortalia, quæ tantum venialia sunt. Ex illo enim errore potest & solet oriri securitas carnalis, ex hoc vero desperatio. Primi exempla occurrunt plurima inter Pontificios, in libris Casuistarum quos vocant; ubi videmus nulla fere tam gravia esse & enormia peccata, quæ sub aliquot prætextibus quæsitis in venialium censum non referant. Ita venialiter tantum illis peccat nobilis qui alium propter acceptam alapam interimit: nempe quia de ejus honore agitur, qui ipsi vita charior esse debet: item qui inimicum ad famam suam conservandam calumniatur: quamvis Scriptura omnibus homicidis & calumniatoribus damnationem æternam denunciet. Quibus applicare possumus illud Prophetæ; *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas*, *Ezech.* XIII. 18. Secundi generis exemplum suppeditant nobis quidam Protestantes, qui omnia peccata absque discrimine mortalia esse asserunt. Quamvis enim ex gloriæ Dei zelo & summo peccati odio id facere videantur, revera tamen in id quod se fugere profitentur recidunt; quia hac ratione peccatores in desperationem impellunt, unde postmodum quasi repagulis disjectis omnis generis scelera oriuntur. Et cum tam rigidi sunt adversus miseros reprobos, ut ne minimum quidem peccatum iis unquam à Deo condonari statuant: mirum est quam sint erga suos electos indulgentes, quorum saluti ne gravissima quidem peccata obesse censent, sufficereque ut animam jam jam exhalaturi pœnitentiam de illis agant. Ita discrimen facientes inter peccata, non ex illorum natura & meritis, ut oportebat, sed ex conditione hominum qui ea committunt, quorum alii Deo sunt dilecti, alii exosi; quamvis Scriptura testetur *Deum esse æquum judicem, qui absque personarum acceptione secundum uniuscujusque opus judicet*, 1 *Pet.* I. 17.

XXII. Restat inter peccati species *Blasphemia in Spiritum S.* Sed quia ea tantum cadit in eos quibus Religio Christiana est aliquomodo saltem cognita, & nondum de illa agimus, melius est tractationem istam in alium locum reservare.

CAPUT V.

De Habitibus moralibus.

I. *Quid sint habitus morales, & quomodo ab artificialibus distinguantur.* II. *Naturales, melius forte potentias dici posse.* III. *Causam habituum vel esse supernaturalem: nullos tamen virtutis habitus infusos dari,* IV. *vel natura vires non excedentem, eamque esse vel remotam vel propinquam.* V. *Habitus non esse actionibus perfectiores.* VI. *Unica actione habitum non comparari, sed crebris.* VII. *Primum tamen actum non esse otiosum.* VIII. *Actiones quibus habitus acquiruntur non longo à se intervallo distare debere.* IX. *Habitum augeri & perfici similibus continuatis actionibus.* X. *Habitus paulatim posse amitti.* XI. *Causas tam remissionis quam amissionis esse, vel negativas vel positivas.* XII. *Neque vitium una bona actione, neque virtutem una mala plane exui.* XIII. *Virtutem & vitium in gradu remissiore simul esse posse.* XIV. *Nec Fidei habitum uno graviore peccato omnino extingui.* XV. *Difficile quidem esse consuetudinem, præcipue malam & longo tempore acquisitam, deponere.* XVI. *Sed habitus tamen non adimere potentiam ad alias contrarias actiones edendum.* XVII. *Respondetur objectioni de bona & mala arbore, & earum fructibus* XVIII. *Nec verbis*, si mutare potest Æthiops, *&c.* & qui ex Deo natus est, non potest peccare, *omnimodam impossibilitatem significari.* XIX. *Omnes habitus esse spontaneos & liberos.* XX. *Actiones habitum præcedentes & sequentes à se invicem differre.* XXI. *Sed non esse tamen specie diversas.* XXII. *Quemlibet de statu*

suo

suo & progressu in virtute vel vitio facile judicare posse.

I. HAbitus Morales *sunt qualitates permanentes, crebris actionibus acquisitæ, quibus ad bene vel male agendum disponimur, & promti reddimur.* Distinguuntur ab Artificialibus duobus modis. 1. Quod à moralibus homines simpliciter denominantur boni aut mali, sed ab artificialibus limitate: sic v. gr. bonus pictor aut bonus medicus vocatur, qui est artis suæ peritus; malus vero, qui est imperitus. 2. Quod in moralibus peccent gravius, qui scientes & volentes aliquid mali faciunt, quam qui per ignorantiam aut coactionem; sed in artificialibus contra: Artifex enim qui sponte adversus artis suæ regulas peccat, non culpatur, si modo id in alterius detrimentum non faciat; sed si per ignorantiam peccaret, reprehenderetur ut artis, quam profitetur, imperitus: ita statuario licet sponte, & animi gratia malam statuam, & in qua debitæ proportiones observatæ non sint, formare.

II. Quæritur hic, an præter habitus morales, & artificiales, aliqui etiam sint naturales? Respondeo. Ita statuunt nonnulli, quibus ex. gr. bona valetudo dicitur habitus esse innatus. Nec repugno prorsus: sed tunc omittenda erit in definitione mentio causæ efficientis, quod sint crebris actionibus acquisiti: pauci tamen sunt ejusmodi habitus, & qui forte potentiæ naturales melius vocarentur.

III. Causa habituum est duplex pro ratione diversitatis eorum; seu, quod alii sint supernaturales, alii vero naturæ vires non excedant: Supernaturales enim, qui etiam dicuntur infusi, Deum solum habent autorem. Tale fuit donum linguarum, quod Apostoli per Spiritum Sanctum acceperunt in die Pentecostes. Sed habitus iste non erat moralis, sed intellectualis, & qui magis ad artificialium naturam accedebat. Sed quid dicemus de virtutibus Christianis, quales sunt imprimis fides, spes, charitas, an non etiam earum habitus à Deo infunduntur? Respondeo; illos quidem absque Dei singulari ope acquiri non posse: *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*, *Jacob.* 1. 17. Sed inde non sequitur immediate à Deo infundi, cum etiam alio modo eorum autor esse possit: Sicut dat nobis panem nostrum quotidianum, & alia vitæ necessaria, cum labori nostro, & industriæ in illis comparandis benedicit. Id patet, *primo* ex eo, Quod *Fides sit ex auditu verbi Dei, Rom.* x. proinde, qui negligeret ipsum audire, & attente meditari, fidem non obtineret. *Secundo*, Deus jubet, ut fide, spe, charitate præditi simus: itaque non vult eas nobis immediate infundere: superfluum enim foret mandatum, si talem vellet potentiam adhibere.

IV. Habituum naturæ vires non excedentium causa efficiens est vel remota, vel propinqua. Causa remota est potentia naturalis, & membra corporis, sine quibus actiones aliquæ exerceri, ac proinde earum habitus acquiri non potest: Sic oculi sunt necessarii ad legendum, manus ad scribendum: hinc fit, ut aliqui minus apti sint ad virtutes, & magis proni ad vitia propter naturæ corruptionem; quam tamen non est impossibile emendare, modo Dei auxilium precibus assiduis imploremus, & vim nobis facere velimus. Causa propinqua habitus sunt iteratæ actiones, quibus ad facile & promte agendum idonei reddimur: Sic, ut aliquis sibi bene legendi, & scribendi habitum comparet, opus est, ut frequenter lectioni & scriptioni vacet.

V. Objicitur, causam efficientem non esse effectu suo imperfectiorem; actiones autem habitu imperfectiores esse: 1. Quia non ita bene disponunt subjectum, à quo proficiscuntur, ut habitus. 2. Quia non sunt durabiles, ut habitus. Respondeo, 1. Id non esse de omni causa efficiente verum, quod æque sit perfecta atque effectus; sed tantum de causa principali; nam quod ad instrumentalem attinet, ea plerumque est deterior: Sic penna est aliquid scriptura vilius, & aratrum agricultura. 2. Habitus non esse simpliciter & absolute actionibus meliores, sed tantum in iis, quæ memorata sunt; alio vero respectu actiones habitibus præstant; nam eæ per se bonæ sunt & utilitatem afferunt, ut liberalitatis: habitus autem nonnisi actionibus intervenientibus. Deinde actiones solæ, & per se præcipiuntur; habitus non item, qui per accidens tantum sub præceptum cadunt, & quatenus ex actionibus mandatis originem trahunt.

VI. Quia autem diximus habitum ex iteratis actionibus gigni, jam videndum est, an etiam una actio aliquando ad id sufficiat? Dico igitur, me id non putare. 1. Quia habitus, ut docet Aristoteles, est qualitas μόνιμος, permanens; & δυσκίνητος, difficulter mobilis; cujus ope nos facile & promte agimus: Ejusmodi autem qualitas una actione non potest acquiri: Sicut enim una hirundo non facit ver, nec una aquæ gutta cavat lapidem; ita neque unus temperantiæ aut justistitiæ actus reddit aliquem temperantem aut justum, seu facit, ut temperantiæ, aut justitiæ habitum sibi comparavisse dici possit; sed multis, crebro repetitis, actibus opus est. 2. Quia habitus nihil aliud esse videtur, nisi consuetudo; unde sæpe tam apud bonos autores, quam in usu vulgi, hæ voces inter se confunduntur. Certum autem est neminem alicui rei assuetum dici, nisi plures ejus actiones ediderit: ita non dicemus illum inebriari consuevisse, cui forte semel aut iterum contigerit, ut ebrius esset; sed tantum cum pluries in ebrietatem incidit. 3. Quia sicut habitus, qui semel est acquisitus, & profundas egit radices, una actione contraria non corrumpitur, ita etiam neque una actione ingeneratur. Sic ille, ex. gr. qui intemperantiæ habitum sibi comparavit, non amittit illum, si semel temperanter se gesserit; ergo neque una intemperantiæ actione eum acquisivit. Attamen propter magnam ho-

minis ad vitia inclinationem, fit ut longe paucioribus actionibus opus sit ad vitii, quam ad virtutis habitum sibi comparandum. Unde patet errare illos, qui docent, Adamum & Evam semel edendo de arboris vetitæ fructu, talem rebellionis adversus Deum sibi habitum comparasse, ut postea & ipsis, & omnibus eorum posteris non tantum difficile fuerit, sed etiam plane impossibile Dei mandatis obtemperare: Nec Scriptura enim, nec ratio, isti paradoxo patrocinatur.

VII. Sed objicitur: Si habitus uno actu acquiri nequeat, ne pluribus quidem acquisitum iri; propterea, quod plures actus non concurrunt simul ad producendum habitum, ut fortiorem faciant impressionem, quam singuli seorsim; veluti cum plures homines, conjunctis operis & viribus, opus aliquod grave gestant, quod uni impossibile foret ex humo attollere: sed isti actus successive fiunt, & unus post alium: Quod si igitur primus actus habitum non efficiat, neque secundus illum effecturus est, cum primo non sit validior aut intensior; similiter neque tertius, quartus, quintus, & sequentes. Respondeo. Etsi unus actus solus habitum non producat, non est tamen otiosus, sed aliquid ad ejus productionem confert; secundus primo aliquid addit, tertius secundo, & ita consequenter, donec habitus sit productus. Sic quamvis unus securis ictus non prosternat arborem, aliquid tamen eo contribuit; secundus nonnihil adhuc addit, item tertius, quartus, & sequentes, donec ultimo arbor excisa humi cadat. Eodem modo cum plures aquæ guttæ ex alto cadentes lapidem cavant, singulæ aliquid ad istum effectum contribuunt, etiamsi id non nisi post diuturni temporis lapsum animadverti incipiat.

VIII. Requiritur præterea, ut actiones, per quas habitus producitur, non longo à se intervallo distent; alias, quod prima effectum erit, jam evanuerit cum ad secundam accedetur, & ita de cæteris. Ut si quis vellet canendi habitum sibi comparare, & unam horam tantum singulis mensibus caneret, non tam multum proficeret uno anno, ac si duodecim diebus continuis tantundem temporis isti exercitio impendisset.

IX. Sicut autem habitus multis actionibus producitur; ita, cum jam productus est, magis ac magis actionibus ejusmodi continuatis augetur, & perficitur: Non enim simul & semel perfectionem suam adipiscitur, sed paulatim. Quod duobus fit modis. 1. Intensive, cum habitus plures perfectionis gradus acquirit, quam antea habebat. 2. Extensive, cum plures ex se producit actiones, vel ad plura se extendit objecta quam ante. Prioris exemplum est; si quis patientiæ habitu acquisito, continuatis ejus actionibus eo usque proficiat, ut promte & alacriter injurias sibi illatas condonet. Posterioris vero; si non uni solum aut alteri homini, aut hoc vel illud injuriæ genus, sed omnibus indifferenter, & cujuscunque generis injurias, tam graves, quam leves remittat. Hic autem quæritur, an augmentum habitus intensivum fiat tantum per actiones similes seu ejusdem speciei; an vero etiam per dissimiles seu diversæ speciei. Item, utrum per æquales seu æque intensas solum, an vero etiam per inæquales seu inæqualiter intensas? Respondeo, Istud augmentum fieri debere per similes actiones: similitudinem vero actionum considerari, vel in earum essentia, vel in objectis, circa quæ versantur. Sic patientiæ habitus in ferendis injuriis, augebitur quidem actionibus similibus ferendi ejusdem generis injurias, ut contumelias verborum; sed non ita, si diversi generis forent injuriæ, aliæ quidem convicia, aliæ vero verbera, aliæ raptus bonorum: posset enim fieri, ut qui se patientem præbuisset in uno injuriæ genere ferendo, in alio tam patiens non esset. Sed necesse non est, ut isti actus semper sint æquales, seu æque intensi: nam etiam per inæquales, quorum alii sunt aliis minus excellentes, augmentum intensivum comparari potest; ut si quis modo alacriter tulerit convicium, modo ægrius, continuando multas ejusmodi actiones, modo excellentiores, modo minus, nihilominus augmentum istius habitus intensivum cum tempore acquiret.

X. Quemadmodum habitus acquiri possunt, ita etiam amitti. Non enim minus in moralibus, quam in naturalibus verum esse comperitur vulgare istud Philosophorum pronuntiatum: *Quicquid ortum est, interitui quoque obnoxium est.* Sic videmus aliquando eum, qui temperantiæ habitu præditus erat, intemperantem fieri, & contra. Sed antequam habitus omnino pereant, paulatim solent remitti seu diminui. Non enim transitur ab uno extremo ad aliud nisi per medium. Sic aqua ab intenso frigore transit ad fervorem per medium teporem; & aër à densis tenebris transit ad claram lucem, per lucem creperam seu dubiam. Ita dicunt vulgo, neminem repente fieri turpissimum. Sed cum vir probus corrumpitur, primo incipit aliquid de probitatis studio remittere; deinde levioribus quibusdam vitiis indulgere, quæ tamen ab infirmitate potius, quam à malitia profecta videri queant. Tandemque laxatis habenis in omne nequitiæ genus absque ullo pudore fertur.

XI. Causæ tam remissionis quam amissionis habituum plures sunt, sed quæ ad duo summa genera reduci queunt: nempe negativas & positivas. Negativæ sunt nimis longa intermissio actionum, habitibus consentanearum, & languor in eis edendis. Nam cum habitus non habeant aliam causam efficientem proximam præter actiones earumque iterationem & frequentationem: Hinc fit ut cum actiones istæ languidius peraguntur, habitus quoque ipsi minuantur; &, cum omnino interrumpuntur, habitus tandem plane exuantur. Sic in eo, qui præditus erat habitu devote & frequenter orandi Deum, si languidius id facere incipiat, aut longo tempore intermittat, habitus iste primum minuitur, & omnino postea

perit.

perit. Causæ positivæ corruptionis habituum sunt exercitia actionum contrariarum illis, per quas habitus sunt acquisiti. Duplicem enim simul effectum producunt, nempe habitum præsentem expellunt, & alterum oppositum in ejus locum introducunt: ita cum ille qui liberalitatis habitum sibi comparaverat, multa illiberaliter & sordide facit, paulatim amittit istum habitum: avaritiaque succedens ipsum tandem plane expellit.

XII. Sed mutatio ista nec per brevem aliquam actionum intermissionem, nec etiam per unam actionem contrariam fieri potest: itaque neque vitium una bona actione, neque virtus una mala plane exuitur: sed plures ad id requiruntur: quod istæ rationes ostendunt. 1. Quia eadem est ratio corruptionis habituum, quæ eorum generationis. Non possunt autem uno actu generari. Ergo neque uno actu contrario corrumpi. 2. Habitus est qualitas permanens, & difficulter mutabilis. Ergo unus actus contrarius non sufficit ad eum abolendum; ut accidit dispositionibus, quæ nullam adhuc firmitatem habent. 3. Promptitudo & facilitas operandi, quæ est effectum habitus, non amittitur per unum contrarium actum, ut experientia docet. Unde patet, opinionem illorum esse falsam, qui habitum justitiæ originalis Adamo & Evæ immediate à Deo infusum, uno inobedientiæ actu penitus amissum & deletum fuisse existimant. Nec etiam capi potest quomodo πρωτόπλασοι, si tali, ut vulgo docent, justitiæ habitu fuerint præditi, qui ipsorum mentem illuminarit, voluntatem in bono confirmarit, & omnes affectus sanctificaverit, rationisque imperio subjecerit, statim labi potuerint cum à Satana tentati fuerunt. Nam habitus humana solum industria acquisiti, non tam facile amittuntur.

XIII. Sed objicitur: Habitus contrarios, quales sunt virtus & vitium, simul eodem tempore in uno subjecto subsistere non posse, non magis, quam aër simul tenebrosus esse & lucidus, aut aqua simul esse calida & frigida. Istud tamen evenire debere nisi habitum uno actu contrario amitti posse concedatur: atque dicendum aliquem ex. gr. uno eodemque tempore esse sobrium, quia habet sobrietatis habitum, & ebriosum, quia in ebrietatem incidit; item avarum propter avaritiæ habitum, & liberalem, quia liberalitatem erga alium exercuit. Sed respondeo, non esse impossibile ut opposita simul eodem tempore in uno subjecto subsistant, dummodo non sint in gradu intenso, sed aliquantulum remisso; sic nihil repugnat aërem simul esse aliquomodo lucidum, & aliquomodo tenebrosum, & aquam partim esse calidam, partim frigidam. Quamvis ergo virtus & actio aliqua mala, item vitium & aliqua bona actio, inter se opposita sint; sæpe tamen accidit, ut simul in eodem subjecto reperiantur. Et tunc actio quidem mala habitum virtutis, & bona habitum vitii aliqua ratione debilitat, & infringit, sed non penitus abolet: licet ordinarie major in mala sit vis ad habitum bonum, quam in bona ad malum habitum expellendum.

XIV. Affertur etiam habitum fidei graviore aliquo peccato, ut adulterio, homicidio, semel tantum admisso, extingui. Sed id verum non est. Actiones enim peccati non sunt directe oppositæ habitui fidei, ut eum subito extinguere possint, sed tantum effectibus fidei, quæ sunt bona opera; proindeque non est impossibile, ut aliqui actus fidei edantur ab eo, qui in aliquod enorme scelus est lapsus, licet fatear id frustra fore, nisi sui sceleris veniam à Deo per veram pœnitentiam obtinuerit: quia fides, quæ non habet bona opera, est mortua, & per eam nemo salutem adipisci potest.

XV. Quamvis ergo difficile sit consuetudinem longo tempore & multis actionibus confirmatam exuere, id tamen non est omnino, si adnitaris, impossibile. Imo virtutis habitum fere absque ullo labore exui quotidiana docet experientia. Sed non ita facile pellitur habitus vitii ad quod caro propensos nos reddit: Licet etiam non desint exempla eorum, qui nulla alia, quam communi extra Ecclesiam, gratia Dei adjuti id fecerunt. Socrates enim Phædonem ex meritoria taberna, & Xenocrates Polemonem à dissoluta & intemperante vita, ad honesti amorem traduxerunt, *Origenes lib. 1. contra Celsum*; nec quicquam prohibuit, quominus alii multi idem facerent, quam voluntaria improbitas.

XVI. Habitus autem iis, quos possident, non omnem adimere potentiam ad contrarias actiones edendum sequentibus rationibus probatur. 1. Quia ut supra observatum est, qui alicujus virtutis aut vitii habitum per multas actiones sibi comparavit, eum postea exuere potest per actiones contrarias illis, quibus induerat. 2. Quia habitus non simpliciter impotentes reddit homines ad contrarias illi actiones exercendas, sed tantum secundum quid; nimirum ita ut istæ actiones ex habitu tanquam principio non oriantur; quamquam ex libera voluntate, quæ non raro contra habitus impulsum agit, proficisci queant. 3. Vana esset omnis disciplina atque institutio, qua alios à vitiis ad virtutem traducere studemus, si contrarias inolitæ consuetudini actiones edere nequirent. Sed vanam omnino non esse multa docent exempla, & nominatim duo illa illustria quæ modo attuli.

XVII. Objicitur contra: Sicut bona arbor non potest malos fructus proferre, nec mala bonos: ita eum, qui virtutis habitum acquisivit, & bona est arbor, actiones vitii edere non posse, similiterque eum, qui habitum vitii contraxit, & mala est arbor, actiones virtutis facere nequire. Respondeo, multum à se invicem differre arbores & homines in actionibus suis. Arbores enim ex naturæ suæ necessitate agunt, ita ut plane impossibile sit arborem bonam fructum malum edere, aut malam bonum. Sed homines ex libera voluntate operantur, & interdum ea faciunt, quæ naturali suæ propensioni repugnant. Deinde sicut bona arbor potest fieri mala, & tunc malos

fructus edere; & mala reddi bona, & tunc bonos fructus proferre: ita etiam homines exuendo virtutis habitum mali fiunt, & malos fructus edunt; & exuendo vitii habitum fiunt boni, & tunc bonos fructus naturæ atque indoli suæ præsenti consentaneos producunt. Sic Adam & Eva cum primum à Deo conditi fuerunt, arbores quidem erant bonæ, sed tamen malos rebellionis fructus tulerunt. Manasse vero Rex Juda mala erat arbor, cum in omne scelus rueret; sed conversus ad Deum fructus bonos & resipiscentia dignos edidit.

XVIII. Objicitur etiam, *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum*, Jerem. XIII. 23. Et, *Omnis qui ex Deo natus est peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*, 1 Joan. III. 9. Respondeo, similitudinem ab Æthiopis colore, & pardi maculis desumptam, ostendere quidem consuetudinem malam & inveteratam ægre admodum exui & deponi posse: & phrasim, non posse peccare, nos docere, id plane indoli genuinorum Dei filiorum repugnare, imo etiam moraliter fieri non posse, ut scientes & volentes carni & concupiscentiis ejus frænum laxent; sed neutrum tamen impotentiam physicam significare. Ratio hæc est; quia ubicunque naturalis ejusmodi impotentia est, ibi nec exhortationes, nec dehortationes, nec promissa, nec minæ locum habere possunt; quibus tamen Prophetæ & Apostoli crebro utuntur, cum resipiscentiam à malo, & perseverantiam in bono opere à regenitis & irregenitis, Dei nomine, postulant.

XIX. Quantamcunque autem habitus convenientiam habeant cum actionibus, non tamen perinde, ut actiones in spontaneas & invitas distinguuntur, ita habitus alii spontanei, alii inviti esse dicendi sunt: omnes enim spontanei, & liberi sunt, saltem in causis suis, id est, in actionibus, per quas acquiruntur, quas in hominis potestate est facere vel omittere. Immerito igitur conqueruntur nonnulli se invitos juramentis, lusui, ebrietati, scortationi & aliis ejusmodi vitiis esse deditos. Nulla enim coactio prætexi potest habitibus, sicut aliquando actionibus. Nam etiam supposito aliquem sæpissime fuisse coactum, tali tamen via non sibi compararet ullum habitum, id est, facilitatem & promptitudinem, multoque minus alacritatem ad agendum id, ad quod coactus fuisset. Sed tamen aliquis per ignorantiam acquirere potest habitum vitiosum, id est, quem vitiosum esse nesciat, ex. gr. mendacium jocosum; etiamsi probe noverit se eum ita sæpe mentiendo comparasse. Quod autem ad cæteros habitus attinet, quibus nulla prætexi potest ignorantia, ii omnes sunt voluntarii & liberi; non solum, quod liberis actionibus acquirantur; sed etiam quia semel acquisiti possunt deponi, licet cum aliqua difficultate.

XX. Ex his, quæ de habituum causis & proprietatibus dicta sunt, non difficile est colligere, quid sentiendum sit de actionibus habitum antecedentibus, & de iis, quæ ipsum sequuntur. Actiones habitum moralem antecedentes sunt illæ, quibus talis habitus acquiritur, sive ab iis, in quibus nullus est adhuc, sive ab iis, qui contrario imbuti sunt. Consequentes sunt, quibus habitus jam acquisitus exercetur & declaratur. Ita ut illæ causa sint efficiens habitus, hæ vero sint ejus effectum. Sed præter hanc differentiam sunt adhuc aliæ duæ præcipuæ. Prima est, quod actiones habitum virtutis antecedentes fiunt cum resistentia appetitus carnalis, qui ad vitia trahit; & actiones habitum vitii antecedentes fiunt cum resistentia rectæ rationis, quæ ad virtutem fertur. Consequentes vero peraguntur absque tali appetitus & rationis lucta, cum habitus virtutis aut vitii jam est perfecte acquisitus. Unde secunda differentia existit, quod actiones habitum antecedentes fiunt difficulter, moleste, & inconstanter; consequentes vero facile, jucunde & constanter.

XXI. Quod autem porro quæritur, an actiones habitum antecedentes & eum consequentes, specie an vero gradu à se invicem differant, non est magni momenti. Puto tamen melius dici discrimen inter eas solummodo esse graduum, quod illæ sint imperfectiores, hæ vero perfectiores. Vulgo autem Philosophi docent, gradus non variare speciem; ut diversi caloris gradus, alii intensiores, alii remissiores, non impediunt, quominus unus specie sit calor. Quod si actiones habitum virtutis antecedentes, & quæ eum consequuntur, differrent specie, oporteret ut vel diversas specie virtutes constituerent, vel ut illæ turpes forent, hæ vero honestæ. Neutrum autem dici potest. Non primum. Quomodo enim actiones circa idem objectum versantes, ad eandem normam compositæ diversas specie virtutes constituerent? Nec secundum. Nam si habitus est honestus, quomodo turpe esset facere actiones, quibus compararetur? Restat ergo ut solum gradibus perfectionis differant; & antecedentes quidem sint imperfectiores, consequentes vero perfectiores.

XXII. Hinc autem unusquisque facile de statu suo potest judicare, an virtute vel vitio sit præditus, aut quantum in virtute profecerit, aut contra ad vitium declinarit: videlicet inquirendo diligenter in actiones suas, & modum, quo eas edit: si enim difficulter faciat bonas actiones, & ægre, & non satis constanter, sed malas quoque non raro illis admisceat, indicium est ipsum non adhuc multum in virtute profecisse: Sed si facile eas faciat, & cum voluptate, & constanter in earum exercitio perseveret, ex eo potest animadvertere se virtutis habitum acquisivisse. Eodemque etiam modo in examine vitiorum procedendum tibi est, ut cum agnoveris, in quo pecces, id emendare studeas, & cum videris quousque profeceris, ulterius adhuc progredi contendas;

das; nec unquam desistas donec ex animo tuo omnes vitiorum fibras eradicaveris, & in eorum locum omnis generis virtutes plantaveris.

CAPUT VI.

De affectibus in genere.

I. *Affectus esse animæ motus, sed non opiniones.* II. *Nihil irrationale esse in homine præter sensus externos.* III. *Varias esse affectuum causas.* IV. *Quis affectuum finis.* V. *Disputatum olim fuisse an natura sua sint mali nec ne.* VI. *Pluribus evincitur non esse malos.* VII. *Occurritur quibusdam objectionibus, quod pervertant judicium, &c.* VIII. *Primos affectuum motus non esse in nostra potestate, sed tamen in ordinem cogi posse.* IX. *De voluptate affectuum adjuncto, & de requisitis ad voluptatem.* X. *Eam esse, vel animi vel corporis.* XI. *Vel honestam, vel inhonestam, vel indifferentem.* XII. *De dolore altero affectuum adjuncto; unde procedat; & alium esse honestum, alium inhonestum.*

I. EGimus de actionibus & habitibus moralibus, sequuntur jam *Affectus* seu *Passiones*, Græcis Πάθη dicti. *Affectus sunt animæ motus cum mutatione corporis extraordinaria, excitati à bono vel malo aliquo objecto, ad illud consequendum, hoc verò effugiendum.* Dico autem affectus esse motus animæ. Non sunt enim potentiæ naturales, ut intellectus, voluntas: nam abesse ab ea possunt. Neque sunt habitus crebris actionibus acquisiti: oriuntur enim subito & ex improviso, si adsit objectum quod illos excitet. Restat ergo ut affectus sint animæ motus, cum nulla alia classe comprehendi queant. Hi autem animæ motus efficiunt in corpore mutationes extraordinarias, quæ non conspici solent in iis qui nullis affectibus agitantur; ut compressionem vel dilatationem cordis, pallorem vel ruborem faciei, & similes. Stoïci existimarunt affectus esse opiniones: sed malè. Nam 1. opiniones sunt in cerebro, quo læso variè mutantur: affectus vero in corde, quod ab illis agitari quasi ad sensum deprehenditur. 2. Opiniones semper sunt languidæ, nullamque in corpore mutationem efficiunt, utpote quæ sine ullo prorsus cordis motu interdum concipiuntur; affectus vero sæpe admodum sunt vehementes, & totum corpus concutiunt. Metonymicè tamen opiniones dici possunt, quia ex intellectus opinionibus suam originem trahunt. Prout enim is res sibi oblatas, bonas vel malas esse judicat, ita quoque modo hic modo ille affectus movetur.

II. Quæritur autem valde anxie inter Philosophos, in qua parte animæ resideant affectus, utrum in rationali, an vero in irrationali. Sed nos hanc disputationem tanquam inutilem rejicimus. Nihil enim in homine irrationale est præter sensus externos, nempe visum, auditum, gustum, olfactum, tactum; & sensum famis, sitis, & similium. Quod vero in hunc censum etiam referunt phantasiam & appetitum, à veritate valde aberrant. Phantasia enim in homine non differt re ipsa ab intellectu, nec appetitus à voluntate; ut inde apparet, quod nec hic nec illa unquam sine aliqua ratiocinatione actiones suas edant.

III. Cæterum variæ sunt causæ, quæ ad affectuum generationem concurrunt. Nam 1. objectum sensibus se offert, & ab iis percipitur. 2. Istud objectum ab intellectu bonum aut malum esse judicatur. 3. Voluntas bonum objectum appetit cum voluptate, malum vero refugit cum dolore. 4. Hinc oritur affectus quo vel in bonum ferimur, vel malum à nobis removere contendimus. 5. Denique spiritus tam in corde, quam in cerebro agitantur, & per spiritus sanguis; unde totum hominis corpus commovetur & alteratur. Sed præterea humorum & spirituum temperies multum adjumenti affert ad affectuum concitationem. Hinc enim fit ut homines sanguinei sint hilares & ad amorem atque spem proclives, propter sanguinis & spirituum puritatem & luciditatem: biliosi vero ad iram sint proni propter sanguinis calorem & spirituum tenuitatem: melancholici autem ad tristitiam, metum & desperationem sint propensi, propter sanguinis crassitiem & spirituum impuritatem & obscuritatem: pituitosi denique affectibus minus sunt obnoxii propter sanguinis aquositatem, & spirituum frigiditatem & lentitudinem. Subjectum tamen proximum & immediatum affectuum, est cor, quod maxime ab iis affici & commoveri sentimus.

IV. Finis affectuum est conservatio vitæ animalis, & omnium illius actionum alacritas. Nam *sine iis langueret omnis actio, & vis ac vigor animi resolveretur, Senec. de ira lib. 1. cap. 8.* Concessi ergo à natura sunt affectus animantibus, ut bonum sibi conveniens persequantur, & malum sibi noxium fugiant. Hinc voluptas, quorundam affectuum proprium adjunctum, nobilioribus animalis functionibus, præsertimque iis quæ necessariæ sunt ad individui aut ad speciei propagationem, adjuncta est condimenti instar. Nam sublato ejus sensu animalia torperent, & neque ad pabulum, neque ad generationem, neque ad prolis educationem se accingerent. Imo dolor quoque qui nonnullos affectus comitatur, non parum est utilis; ejusque sensus nobis est inditus, ut sit velut stimulus quo excitemur ad vitæ consulendum. Nam si nullum dolorem sentiremus ex vulnere aut ambustione, non caveremus nobis ab illis, aut læsi remedium quæreremus, atque ita periremus.

V. Quod viam sternit ad dirimendum nobilem illam controversiam olim inter Stoïcos & Peripateticos agitatam, utrum omnes affectus sua natura mali sint, ideoque oporteat contendere sapientem ut sit ἀπαθὴς, id est, affectibus plane vacuus: vel an eorum excessus tantum damnandus sit, sufficiatque si sapiens sit μετριοπαθὴς, id est, mediocriter affectibus tangatur, & impediat ne in excessu aut defectu peccent. Quorum prius affirmabant Stoïci, posterius vero Peripatetici. Quanquam nonnulli putant ipsos de verbis potius quam de reipsa contendisse, & Stoïcos cum visi

sunt omnes affectus damnare, immoderatos tantum & à rectæ rationis tramite exorbitantes intellexisse, quos animi perturbationes vocamus. Peripateticos autem suis plus æquo circa affectus indulgentes occasionem dedisse Stoïcis ita adversus eos declamandi. Sed quomodocunque se hæc res habuerit, certum est affectus natura sua non esse malos. Idque sequentibus argumentis probatur.

VI. 1. Quod ita necessarium est homini ad conservationem vitæ, ut eo carere nullo possit modo, id malum non est censendum. At tales sunt affectus, ut modo ostendi de voluptate & dolore, qui perpetuo eos comitantur. Nec dignus esset qui inter homines viveret, qui nihil amaret aut odisset, nec desideraret aut fugeret, nec speraret aut metueret, & nunquam eorum, qui versarentur in aliqua calamitate, misereseceret. 2. Quod Deus ab initio naturæ hominis insevit, id non est vitiosum. At Deus multos affectus insevit, ab initio naturæ hominis, ut amorem mutuum conjugum, parentum & liberorum, aliosque affines. 3. Deo ipsi quidam affectus tanquam laudabiles motus tribuuntur, ut amor, odium, misericordia, spes, ira, &c. Quamvis enim id ἀνθρωποπαθῶς seu ad humanarum passionum similitudinem dictum sit, & θεοπρεπῶς, id est, Deo convenienter, remota omni imperfectione, accipi oporteat; inde tamen apparet affectus non esse natura sua & prorsus malos. 4. Jesus Christus, qui nobis à Deo propositus est imitandus ut omnis perfectionis exemplar, non fuit affectibus vacuus. Nam lætatus est ob felicem successum prædicationis Euangelii, *Luc.* X. 21. Misericordia commotus est super turbis, *Matth.* IX. 36. & XVII. 32. Flevit super Jerusalem, *Luc.* XIX. 41. Contristatus est super cæcitate cordis Judæorum, *Marc.* III. 5. & ob Lazari mortem, *Joan.* XI. 33, 35. & cum hora suæ passionis instaret, *Matth.* XXVI. 38. 5. Imo Christus præcipit nobis misericordiam, quæ est affectus, *Estote*, inquit, *misericordes, sicut & pater vester misericors est*, *Luc.* VI. 36. Quamvis enim hic potius intelligat beneficentiam actualem, quam nudum misericordiæ affectum, eum tamen simul inclusit, quia beneficentia commendari efficaciter nequit, fonte unde proficisci debet obturato, nempe commotione cordis ex alienæ miseriæ intuitu. 6. Si oporteret affectus tanquam malos penitus extirpare, virtutes, quæ in illis moderandis occupatæ sunt, simul perirent, & nullum amplius in hac vita usum haberent. Nam si tollas metum, nulla erit fortitudo; si cupiditatem, non erit temperantia: si iram, non erit mansuetudo: si appetitum honoris, non erit modestia, & ita de cæteris. At hoc est absurdum: Ergo etiam illud. 7. Ea quæ ad virtutem incitant, non sunt mala nec eradicanda. Tales autem sunt affectus. Amor virtutis & odium vitii faciunt ut illam majore studio sectemur, istud vero fugiamus, quam alioqui facturi essemus. Finge enim hominem affectibus vacuum, & qui nec amore nec odio, nec spe nec metu moveatur, frustra ab eo aliquid boni expectabis. Itaque qui præ virtutis amore omnes affectus exscindi volunt, similes sunt ei, qui vellet quidem pluviam, sed nollet cogi nubes; aut vellet navigare, sed nollet ventum aut remiges qui navem impellerent.

VII. At contra objicitur. 1. Affectus rationem & rectum de rebus judicium pervertere, hominesque ad omnis generis scelera incitare: ut experientia quotidiana docet in amore, odio, ira & cæteris ejusmodi violentioribus commotionibus: Ergo natura sua esse malos & penitus exstirpandos. Respondeo, antecedens esse falsum. Id tantum convenit immoderatis affectibus, qui limites à Deo præscriptos excedunt. Qui enim ex virtutis amore virtutem sectatur, aut ex vitii odio vitium fugit, tantum abest ut aliquid à recta ratione alienum faciat, ut contra nihil laudabilius facere possit. Attamen, inquies, homines affectibus longe frequentius ad malum incitantur, quam ad bonum. Ita est; sed id non fit culpa affectuum, sed rationis, quæ cum affectibus dominari deberet, se sub eorum servitutem redigi patitur. Quæ 2. de invidia & ἐπιχαιρεκακίᾳ afferuntur, res nimirum esse natura sua malas; & quas proinde ad mediocritatem reducere frustra contendas, cum potius penitus sint eradicandæ: ex infra dicendis, ubi de illis affectibus, sequento capite, speciatim agemus, lucem suam accipient.

VIII. Jam quæritur an affectus sint in hominis potestate. Respondeo, primos eorum motus aliquando tam subitos esse, ut omne rationis judicium & voluntatis assensum antevertant, ideoque nos impedire tunc non posse quominus ab iis commoveamur: Sed tamen, si allaboremus, non esse nobis impossibile eos in ordinem cogere ne exorbitent. Sic non possumus quidem prohibere ne aves caput nostrum prætervolent, sed facile est eas abigere ne ibi consistant & nidulentur. Quod si affectus plane non essent in nostra potestate, frustra forent omnes leges & præceptiones, quæ jubent ut eos coërceamus, nemoque jure posset culpari aut puniri, quod ipsis frænum laxavisset. At, inquies, affectus rectæ rationis imperium non audiunt: ergo non potest eos moderari. Respondeo, sensus quidem, unde primo oriuntur affectus, rationis non esse participes, & interdum commoveri antequam animadvertamus: sed tamen rationis ope posse compesci ne modum excedant. Sic, verbi gratia, cum aliquis vir probus ex improviso graviter vulneratus est, dolor, quem sentit, ipsum adversus lædentem incitat: Sed statim atque cogitat omnem vindictam sibi esse illicitam, ita se reprimit, ut ne verbum quidem iram resipiens ex ore suo exire patiatur. Eoque tendit tota hæc à nobis instituta tractatio de affectibus, quæ inutilis foret si nullum in eos imperium haberemus. Nam quorsum laborare de cognoscen-

gnoscendis morbis, si nulla arte sanari possent?

IX. Communia omnium affectuum adjuncta sunt *Voluptas & Dolor*. Voluptas est perfectio operationum facultatis cognoscentis, id est, sensus & rationis, quibus homines objecta percipiunt & dijudicant. Hæc autem perfectio duabus in rebus consistit, quarum una facultatem ipsam respicit, altera vero ejusdem objectum. Quod ad facultatem cognoscentem attinet, requiritur ut ea sit bene disposita, hoc est, secundum naturam, ejusque organum vitio careat, & ne in actione sua impediatur: alioquin inde non orietur voluptas, sed dolor. Ita qui ὀφθαλμίᾳ laborant, nullam ex visione delectationem percipiunt. Idemque accidit cum impedimentum aliquod objicitur, quod actionem imperfectam reddit; ut si quis ante oculos velum haberet lineum, per quod videret quidem, sed difficilius. Quod ad objectum vero cognoscendum, id bene affectum esse debet, & cum facultate cognoscente ejusque organo convenire. Ita fit ut nulla voluptas oriatur ex intuitu rei horrendæ vel nimis lucidæ, quæ oculos lædit. Voluptas igitur requirit convenientiam inter objectum & facultatem cognoscentem, qua turbata voluptas perit, & in ejus locum dolor succedit. Hæcque est causa cur voluptas non possit esse perpetua: lassitudo enim exhaustionem spirituum sequens, quæ voluptatis fruitioni annexa est, eam corrumpit.

X. Voluptatis diversæ sunt species. Nam 1. Voluptas alia est animi, alia corporis. Voluptas animi est, quæ sic ab animo percipitur, ut ad corpus nullo modo spectet, qualis est ea quæ oritur ex cognitione rerum divinarum & humanarum. Ea corpoream multum antecellit. 1. Propter facultatem in qua existit, quæ corpore præstantior est. 2. Propter excellentiam rerum à quibus oritur. 3. Quia constantior est & fastidium non parit. Voluptas corporis est quæ sensu, qui corporeus est, percipitur, & primo atque immediate corpus afficit, deinde per corpus animum. Ejus tot dantur differentiæ, quot sunt sensus. Alia enim est visus, alia auditus, alia odoratus, alia gustus, alia denique tactus. Priores tres sunt puriores, quia tactum corporeum rei, quæ voluptatem excitat, minus requirunt. Posteriores vero sunt impuriores, quia in contactu illo totæ consistunt. Adde quod voluptates gustus & tactus brutis etiam conveniunt: illæ vero quæ oculis, auribus & naribus sentiuntur, in bruta non cadunt nisi per accidens, quatenus imaginationem excitant voluptatum ad gustum & tactum pertinentium. Nec enim delectantur aspectu eximiæ alicujus picturæ, vel auditu concentus musici, vel olfactu aromatum. Quamvis autem voluptates corporis, præcipueque gustus & tactus, ignobiliores sint animi voluptatibus, tamen homines sunt proniores ad eas consectandum: idque tribus de causis. 1. Quia voluptates corporis nobis sunt notiores, utpote qui iis statim ab infantia assuefacti sumus; cum animi voluptates non nisi viri facti, percipiamus & postquam in cognitione rerum eximiarum aliquos progressus fecimus. 2. Quia voluptates corporis sunt obtentu faciles: ad animi autem voluptates non nisi magno labore pervenire possumus. 3. Quia voluptates gustus & tactus præcedit dolor, cui illæ remedium afferunt; in animi autem voluptatibus nihil tale occurrit.

XI. 2. Voluptas alia est honesta, alia turpis, alia indifferens. Honesta est, quæ ex rebus honestis capitur, exempli gratia, ex actione virtutis. Turpis est, quæ ex rebus turpibus sentitur, qualis ea est quam capiunt gulosi cum se cibo & potu ingurgitant. Indifferens vero est, quæ percipitur ex rebus quæ neque honestæ, neque turpes sunt, ut ex deambulatione. Sicut autem actiones suo genere indifferentes propter circumstantias honestæ aut turpes fieri possunt, ita etiam voluptates ex iis ortæ. Omnes itaque voluptates non sunt laudabiles, ut vulgo tribuitur Epicuro: nec omnes sunt vituperabiles, ut Plato & Stoïci censuerunt. Hinc quæritur, an omnes animi voluptates sint honestæ. Et respondeo affirmate; si animus bene sit dispositus. Nam qui talis est, honestis tantum solet delectari, ut bonarum rerum scientia. Sed animus male dispositus etiam ex turpibus voluptatem capit, ex. gr. ex artibus magicis.

XII. Dolor opponitur voluptati, qui est imperfectio operationum facultatis cognoscentis. Et procedit vel à læsa, vel ab impedita facultate, vel ab objecto ei non proportionato: ut intelligi potest ex iis, quæ de voluptate dicta sunt. Tot modis dividitur dolor, quot voluptas. Est ergo 1. alius animi, alius corporis. Dolor animi est, qui sic animo percipitur ut ad corpus nihil spectet: qualis est qui oritur ex cognitione peccati, aut sensu iræ Dei; quanquam magnus animi dolor progressu temporis ad corpus transit, & ipsum aliquando pessime afficit. Dolor corporis est qui sensu percipitur, & primo atque immediate corpus afficit, & per corpus animum. Estque vel visus, vel auditus, vel olfactus, vel gustus vel tactus. 2. Dolor alius est honestus, alius turpis, alius indifferens. Dolor honestus est, qui honestam habet causam: ut si quis doleat quod nomen Dei blasphemetur. Dolor turpis est, qui turpem habet causam: ut si quis doleat quod meditatum scelus exequi non potuerit. Dolor indifferens est, qui causam habet, quæ nec honesta, nec turpis est: qualis sæpe est corporeus.

CAPUT VII.

De Affectibus in specie.

I. *De numero & divisione affectuum juxta Stoïcos & Peripateticos.* II. *Quid amor, & qua in re differat ab amicitia & dilectione. Ejus species.* IV. *De Odio,* V. *Desiderio,* VI. *Fuga,* VII. *Gaudio,* VIII. *Tristitia,*

IX. *Spe;*

IX. *Spe*, X. *Deſperatione*. XI. *De earum affinitate cum deſiderio*. XII. *De Audacia*, XIII. *Timore*, XIV. *Ira*, XV. *& Favore*. XVI. *Affectus compoſitos eſſe numero novem*. XVII. *De Miſericordia*, XVIII. *Invidia; & eam potius eſſe cenſendam vitium quam affectum*. XIX. *De Æmulatione*, XX. *Verecundia*, XXI. *Impudentia*. XXII. *Nemeſi ſive Indignatione*. XXIII. *Malevolentia*, XXIV. *Pœnitentia*, XXV. *& Obſtupefactione*.

I. DE Affectuum numero variæ ſunt admodum Philoſophorum ſententiæ, aliis pauciores, aliis plures ſtatuentibus. Sed omnibus ſolemne eſt dividere eos in ſimplices & compoſitos. Secundum Stoïcos quatuor ſunt affectuum ſimplicium ſumma genera, nempe *deſiderium* & *fuga*, *gaudium* & *triſtitia*: quorum duo priora circa bonum & malum abſens, poſteriora vero circa præſens verſantur. Peripatetici vulgo undecim ſtatuunt, quos aſſignant partim concupiſcenti animæ facultati, partim iraſcenti. Facultas concupiſcens ipſis eſt quæ occupatur circa bonum vel malum, ſimpliciter, abſque ullo facilitatis, aut difficultatis, reſpectu conſideratum. Et in ea ſex affectus locant, qui ſunt *amor* & *odium*; *deſiderium* & *fuga*; *gaudium* & *triſtitia*. Facultas vero iraſcens, (quæ melius Animoſa vocaretur, quia ſæpe abſque ulla prorſus ira agit,) eſt quæ verſatur circa bonum vel malum arduum, id eſt, quatenus illud obtentu, hoc autem vitatu eſt difficile. Et in ea quinque ponunt, qui ſunt *ſpes* & *deſperatio*; *audacia* & *timor*, denique *ira*. Nos in hac diviſione acquieſcimus, quia inſtituto noſtro ſufficit, niſi quod iræ, *favorem* tanquam oppoſitum adjungendum eſſe putamus: ita ut affectus ſimplices in univerſum ſint duodecim, quibus ut navis ventis, ita animi hominum ad pleraſque actiones impellantur.

II. *Amor eſt affectus complacentiæ in bono, quatenus bonum eſt*; nulla habita ratione an præſens ſit vel abſens. Differt ab *Amicitia*, quæ eſt amor mutuus ab utraque parte cognitus, atque officiis reciprocis declaratus: item à *Dilectione*, quæ proprie eſt amor cum electione, ac proinde non eſt affectus à ſola natura aut ſenſu excitatus. Objectum amoris eſt bonum qualecumque, ſive id revera bonum ſit, ſive tantum nobis ita videatur. Boni enim apparentis ſæpe non eſt minor efficacia quam veri in amore excitando; utpote quod non moveat quatenus eſt in ſe, ſed quatenus à nobis cognitum aut apprehenſum.

III. Variæ ſunt amoris ſpecies. Nam 1. Amor alius eſt perſonæ, alius vero rei. Amor perſonæ eſt quo perſonam aliquam, ut Deum vel homines, complectimur. Sub eo comprehenduntur illa quæ perſonæ adhærent, & cauſa ſunt ut ametur, ut virtus, pulchritudo, ingenium, &c. Amor rei eſt, quo rem aliquam ſive inanimatam ſive animatam, quæ perſona non eſt, proſequimur, ut picturam, canem, &c. 2. Eſt amor benevolentiæ & amor concupiſcentiæ. Amor benevolentiæ, qui etiam dicitur amicitiæ, eſt quo aliquid propter ipſum amatur, non utilitatis aut voluptatis alicujus quæ ex ipſo ſperetur gratiâ. Sic nos amamus propter nos ipſos, & matres prolem ſuam recenter natam amant. Amor concupiſcentiæ eſt quo amatur aliquid propter utilitatem aut voluptatem, quæ inde expectatur. Sic amamus cibum & potum quatenus jucundi ſunt, & vitæ conſervandæ utiles: item bonum & induſtrium ſervum, aut bonum equum. Puellam utroque modo ſimul amare poteſt juvenis. 3. Amor alius eſt honeſtus, alius turpis. Honeſtus amor eſt quo amamus ea quæ amare oportet aut licet, & eo modo quo amare convenit. Turpis eſt quo amantur ea quæ non licet, vel non eo modo quo amare convenit; ut ſi quis amet uxorem alienam, quam non licet ei habere; vel ſororem amet amore concupiſcentiæ, quam debet tantum amare amore benevolentiæ.

IV. Amori opponitur *Odium*, qui *eſt affectus diſplicentiæ in malo, quatenus eſt malum*, ſine conſideratione an ſit præſens vel abſens; item an ſit verum malum quod diſplicere debeat; vel malum apparens, quod licet non oporteat odiſſe, tamen quia malum eſſe putatur, fieri nequit, quin ab eo abhorreatur. Odium autem aliud eſt perſonæ, ut Diaboli, vel hoſtis; aliud rei, ut doloris, infamiæ, paupertatis, &c. Item aliud eſt honeſtum, ut odium Diaboli & vitiorum, quod quanto intenſius eſt, eo eſt laudabilius: aliud vero turpe, ut proximorum, virtutis.

V. *Deſiderium eſt affectus erga bonum abſens, quod ut conveniens fuit apprehenſum*: vocatur etiam *concupiſcentia*, voce hac ſtrictius accepta; nam alias concupiſcentia omnes affectus generaliter ſignificat, præſertim eos qui ſunt in facultate concupiſcente. Differt ab amore duobus modis. 1. Quia amor verſatur circa rem amatam, tam præſentem quam abſentem; deſiderium vero tantum circa rem habendam, ideoque adhuc abſentem. 2. Quia amor eſt perſonæ, vel rei; Deſiderium vero rei tantum. Nam etſi aliquando dicatur perſona deſiderari, iſtud eſt impropria locutio, quæ nihil aliud ſignificat, niſi eam amari, aut ejus præſentiam expeti. Deſiderium aliud eſt honeſtum, ut virtutis, & rerum quibus in hac vita indigemus. Aliud turpe, ut vitii & rerum ſuperfluarum.

VI. Deſiderio opponitur *Fuga*, quæ *eſt affectus quo averſamur malum abſens, quod ut inconveniens apprehendimus*. Eſtque itidem vel honeſta, ut fuga vitii: vel turpis, ut laboris & moleſtiæ, quæ in virtutis tramite occurrunt.

VII. *Gaudium eſt affectus quo erga bonum præſens & poſſeſſum ferimur*. Vocatur etiam lætitia, item voluptas, ſed voluptatis voce anguſtius quam antea accepta. Differt duobus modis ab amore. 1. Quia gaudium reſpicit tantum præſens bonum, amor vero tam ad abſens quam ad præſens refertur. 2. Quia gaudium proprie circa rem verſatur, amor vero circa rem & circa perſonam. Eſt autem gaudium aliud honeſtum, aliud turpe. Honeſtum eſt, quod de re honeſta aut licita concipitur: turpe vero quod ex vitioſa cupidi-

piditate expleta, aut aliqua re mala procedit.

VIII. Gaudio opponitur *Tristitia*, quæ *est affectus, quo à malo præsente cum quadam inquietudine abhorremus*, sive malum jam reipsa sit præsens, sive tantum secundum nostram opinionem, quæ id animo præsens reddit. Vocatur etiam dolor, sed voce doloris strictius quàm antea accepta. Tristitia tamen in eo differt à dolore, quod dolor promiscue de animo & de corpore dicitur: tristitia vero ad solum animum refertur. Ita tristis sum de morte amici, doleo de eadem, & ob acceptum vulnus.

IX. *Spes est affectus qui tendit in bonum absens, ut acquisitu quidem difficile, sed tamen quod putamus adnitendo obtineri posse*; ut, nos de hoste, fortiter certando, victoriam reportaturos.

X. *Desperatio est affectus qui tendit in malum absens, evitatu non tantum difficile, sed etiam, ut existimatur, impossibile*: ut si quis desperet se vitii alicujus habitum, quantumcumque laboret, excutere posse.

XI. Spes & desperatio magnam habent cum desiderio affinitatem; istudque tantum inter illa est discriminis, quod spes sit desiderium animum exhilarans, & ad aggrediendúm impellens; desperatio vero sit desiderium animum crucians, & à suscipiendo planè deterrens. Recensentur autem inter affectus quatenus ex improviso oriuntur & deliberationem antevertunt. Nam postquam tempore & animi proposito sunt roboratæ, tunc ad virtutum aut vitiorum classem pertinent. Et generaliter omnes virtutes & vitia, quæ circa aliquos affectus occupantur, eorundem nominibus designari solent, quando nullum peculiare habent: veluti cum nomen alicujus de quo loqui volo ignorans, ipsum à vestibus quas gestat describo.

XII. *Audacia est affectus, qui tendit in malum seu periculum imminens, quod superatu quidem difficile esse videtur; sed tamen non omnino impossibile.* Vocatur à quibusdam *Fiducia* & *Confidentia*. Sed differunt hæ voces in duobus. 1. Quod fiducia in bonam partem, audacia vero in malam plerumque accipitur. 2. Quod fiducia primo & per se respicit bonum, audacia vero malum, quamvis eo fine malum respiciat, ut illo superato, tandem bonum obtineat.

XIII. *Timor seu metus, est affectus, qui refugit malum aut periculum imminens, quod videtur evitatu esse possibile.* Nam cum creditur impossibile esse vitatu, non metus proprie, sed desperatio potius inde oritur. Differt à tristitia, quia illa respicit malum præsens; timor verò circa futurum malum occupatur. *Consternatio* est summus timoris gradus, in malo vitatu pene impossibili.

XIV. *Ira est affectus puniendi, seu doloris illi, qui eo nos affecit, reponendi.* Differt ab *iracundia*, quod hæc sit assuetudo irascendi, illa vero unicus actus seu paroxysmus. Discrepat etiam ab odio multipliciter. 1. Quod odium possit esse absque ullo puniendi affectu, ut cum odimus Diabolum. 2. Quod odium ira sit gravius, utpote in quod ira cum diu perseveravit, tandem desinere solet. 3. Quod odium feratur etiam in eos à quibus nulla privatim affecti sumus injuria, ut in improbos quosvis: ira vero nascatur tantum ex opinione acceptæ injuriæ. 4. Quod odium feratur tam erga rem quam erga personam; ira vero erga personam tantum, aut id quod tanquam personæ simile consideratur, ut animal quod læsit. Nullus enim nisi insanus irasceretur trunco, aut lapidi in quem forte impegerit. Supremus iræ gradus vocatur *Excandescentia* & *Furor*.

XV. *Favor est affectus quo cupimus ut illi bene sit qui aliquid nobis gratum fecit.* Omittitur vulgo ab iis qui tractant de affectibus, quia lenior est, & nullum extraordinarium in corde motum ciere solet. Sed immerito: ira enim non minus quam cæteri affectus aliquem sibi oppositum habet. Cartesius plures alios recenset: sed quorum consideratio non est necessaria Theologo, quia nullam diversam ab istis duodecim quos explicavimus vim habent ad hominum mores in melius vel in deterius mutandos.

XVI. Affectus compositi sunt, qui ex duobus vel pluribus simplicibus constant; ut hi novem, *Misericordia*, *Invidia*, *Æmulatio*, *Verecundia*, *Impudentia*, *Nemesis*, *Ἐπιχαιρεκακία*, *Pœnitentia*, *& Obstupefactio*.

XVII. *Misericordia est tristitia de alieno malo, ut proprio existimato, cum succurrendi desiderio.* Tristitia autem ista concepta est ex malo in quod aliquem immerito incidisse existimamus. Eorum enim quos juste pati credimus, vix solemus misereri. Malum vero quod misericordiam excitat præcipue est pœnæ seu afflictionis, non vero culpæ, etiamsi ob illud quoque tristari conveniat. Ex consideratione autem mali cum quo aliquis conflictatur, desiderium ei subveniendi oriri solet, sine quo tristitia inanis est.

XVIII. *Invidia* (quæ aptius *Invidentia* vocatur, ad homonymiam vitandam, cum invidia tam eorum sit quibus invidetur, quam qui invident) *est tristitia de bono alieno quod ut malum proprium consideratur.* Hæc passio in genere considerata, nihil aliud est nisi tristitia, quæ naturæ est indifferentis: sed si secundum differentiam suam specificam spectetur, quatenus videlicet de alterius bono concipitur, est plane mala. At tunc vitium est, non affectus, licet propter affinitatem quam habet cum affectu, eodem cum eo nomine appelletur; quod etiam misericordiæ convenire supra observavi. Idem de ἐπιχαιρεκακία dicendum est, de qua postea. Ideoque potius studere debemus invidentiam eradicare, quam intra mediocritatis terminos continere. Nisi quod forte cuipiam videri possit, licitum esse invidere improbis illa bona, quibus tum ad suam tum ad aliorum perniciem abutuntur, ut divitias, poten-

tentiam, quæ iis ſunt inſtar gladii in manu furioſi.

XIX. *Æmulatio* (quæ etiam *Zelus* vocatur) *eſt triſtitia de bono alieno, quatenus illud nobis deeſt.* Ea aliquando ſtimulus eſt ad virtutem, cum præ boni, quod alios poſſidere conſpicimus, deſiderio, nos eo dignos reddere adnitimur. Differt à *Zelotypia*, quæ inter conjugatos aliquando oboritur, cum alter alterius pudicitiam, ſive merito ſive immerito, ſuſpectam habet.

XX. *Verecundia* ſeu *Pudor eſt mali ignominiam afferentis timor.* Oritur à re turpi, aut ſaltem quæ pro turpi habetur; eundem enim hic effectum opinio interdum producit quem veritas; eam comitari ſolet *Erubeſcentia.*

XXI. Pudori oppoſita eſt *Impudentia*, quæ ſi in ſimplici privatione conſiſteret, affectus non eſſet vocanda: ſed quatenus conjuncta eſt cum audacia patrandi turpia, merito inter affectus collocatur; & cum vitioſa ſit, non tantum eam in mediocritate continere, ſed etiam penitus eradicare oportet.

XXII. *Nemeſis* ſeu *Indignatio eſt triſtitia de alterius bono, quo judicamus ipſum eſſe indignum.* Bonum autem illud eſt de genere eorum, quæ vocantur bona fortunæ, ut divitiæ, honores, &c. Nam ob vera bona, qualis eſt virtus, nemo indignatione corripitur. Sumitur etiam pro dolore, quem capimus, videntes adverſa & calamitates bonis præter meritum evenire.

XXIII. Indignationi oppoſita eſt ἐπιχαιρεκακία, ſeu *malevolentia*, *quæ eſt gaudium de alieno malo*: ſed ea potius vitium eſt quam affectus naturalis; ut ſupra de invidia diximus. Nihil enim magis ab humanitate alienum eſt, quam ex aliorum malis ſeu infortuniis voluptatem capere: niſi forte excipias ea quæ eveniunt peſſimis & omnium bonorum odio dignis.

XXIV. *Pœnitentia* eſt affectus ex triſtitia & ſpe mixtus; & ex illa quidem, quatenus turpe aliquod aut noxium à nobis factum eſſe dolemus; ex hac vero, quatenus turpis veniam obtinere, aut ex damno, quod noxium affert, emergere poſſe confidimus; cum autem deſperatio pœnitentiæ accedit, res eſt periculoſiſſima: ut in Caïno & Juda videre eſt.

XXV. *Obſtupefactio* ex variis affectibus eſt mixta: nam præter inopinatum, quod novitate ſua animum percellit, in ea aliquando triſtitia, timor, imo etiam deſperatio conſpicitur, ſi procedat ex impræviſo aliquo malo quod nobis impendet, & neſcimus qua ratione id effugere queamus.

CAPUT VIII.

De Legibus in genere, & ſpeciatim de lege Naturali, & Divina Poſitiva.

I. *Quid Lex.* II. *Leges eſſe divinas vel humanas: divinam eſſe vel Naturalem vel Poſitivam: Naturalem aliud nihil eſſe præter Rationem.* III. *Eam verſari tantum circa generalia.* IV. *Eſſe actum permanentem.* V. *Decalogum à lege naturali eſſe deductum.* VI. *An Deus legem naturalem poſſit mutare, & quomodo.* VII. *Deum nihil ei contrarium præcepiſſe: nec Abrahamo, nec Iſraëlitis.* VIII. *Neceſſe fuiſſe ut præter naturalem legem aliæ etiam vel à Deo vel ab hominibus conſtituerentur.* IX. *Quid Lex divina poſitiva.*

I. POſt explicatum cultus divini objectum materiale, ſequitur ut de ejuſdem norma agamus. Hæc norma vulgo appellatur *Lex*, quæ *eſt præceptum ſuperioris æquum, ſubditos ad aliquid agendum vel omittendum obligans.* Primo autem dixi legem eſſe præceptum, potius quam normam, quia inſtitutioni animæ inſervit; normæ vero aut regulæ voces figuratæ ſunt, proindeque minus aptæ; propriè enim ſignificant inſtrumenta quædam materialia quibus artifices in ſuis operibus utuntur. Sed quia præcepta quædam ſunt iniqua, nomine legis indigna, ideo in definitione addidi vocem æquum. Non minima autem æquitatis pars in eo conſiſtit, ut qui legem fert, auctoritatem ferendi habeat; quod voce ſuperioris deſignavi; quicunque iſte ſuperior ſit, ſive Deus, ſive Princeps, ſive Reſpublica. Denique quia nulla poteſtas ſuperioris, excepta Dei ſolius & Jeſu Chriſti, in omnes homines extenditur, in definitione reſtrinxi illam ad ejus ſubditos. Quamvis enim leges, quas aliquis Princeps fert, æquiſſimæ ſint, alieni tamen ſubditi ad eas ſervandas obligati non ſunt, niſi forte legi naturæ conſentiant. Obligatio autem illa, ſub qua ſubditi ſuperioris ſui legibus parere tenentur, ſanctione pœnæ alicujus comprehenditur; ſive hæc pœna ſit expreſſa & definita, ſive judicis arbitrio relicta. Præmium non ſolet promitti, niſi in legibus divinis: humanæ pro ſufficiente remuneratione obedientiæ habent, quietam & ſecuram vitam in ſocietate civili poſſe degere.

II. Leges ergo duplicis ſunt generis; nempe *divinæ*, quæ Deum ipſum auctorem agnoſcunt; & *humanæ*, quæ ab hominibus latæ ſunt. Leges divinæ iterum dividuntur in *naturalem & poſitivam.* Lex naturalis eſt tam ea quam Deus menti hominis in creatione primo impreſſit, & hodie in nobis adhuc conſervat; tum ea quam inde deductam certis quibuſdam hominibus revelavit & præſcripſit. Prima nihil aliud eſt quam *Ratio*, per quam homo à brutis diſtinguitur, & quid ſit honeſtum & quid turpe judicat. Hæc enim lex in omnium hominum etiam maximè barbarorum cordibus naturaliter eſt inſcripta, & incipit ſe exerere ſtatim atque rationis uſum habent. De illa intelligendum eſt quod dicit Paulus, *Gentes quæ non habent legem*, (nempe ſibi à Deo ſive viva voce, ſive ſcripto traditam) *natura faciunt quæ ſunt legis*, *Rom.* II. 14. Atque ex hoc naturæ ſeu rectæ rationis fonte promanarunt tot eximiæ leges ab Ethnicis legumlatoribus promulgatæ. Quare valde errant illi qui nullam naturæ legem agnoſcunt, omneque honeſti & turpis diſcrimen poſi-

positivis legibus introductum fuisse putant. Quamvis enim negare nolim constitutiones humanas ista in re plurimum potuisse, nunquam tamen unanimi consensu recepta essent principia illa practica, in quibus omnes terrarum orbis gentes conveniunt, nisi in natura & recta ratione fundamentum suum haberent. Talia sunt, Deum esse colendum, parentes honorandos, ab homicidio, adulterio & rapinis abstinendum; alterique quod nobis fieri nolimus non faciendum.

III. Disquisitione autem est dignum quam late pateat naturæ lex, & utrum illa omnes virtutum actus præscribat, vitiorumque prohibeat. Ego existimarim eam magis circa generalia versari, cujusmodi sunt quæ modo, exempli gratia, attuli; particulares autem justitiæ & injustitiæ actiones, quæ pro circumstantiarum ratione multum variant, non ita aperte definire; quod tanta judiciorum circa illas diversitas probat. Deinde si lex naturæ adeo esset perfecta, non opus fuisset neque lege morali, quam Deus tulit, neque tot aliis legibus, quas variorum populorum rectores condiderunt, ad subditos in officio continendum. Specialia etiam Evangelii præcepta naturæ sunt ignota, ut inimicos diligendos, cupiditates opum, honorum, & voluptatum abnegandas.

IV. Sed quid est hæc naturæ lex, actusne aliquis, an verò habitus aut potentia? Respondeo, non esse actum transeuntem, sed potius aliquid permanens, id ostendit, quod etiam in dormientis anima instar habitus artis aut scientiæ alicujus infixa maneat. Nec tamen est habitus nobis statim ab ortu inhærens, cujus actiones tunc exercere queamus. Anima enim nostra cum nascimur, est veluti tabula rasa, in qua nihil adhuc inscriptum est, neque veri neque falsi, neque honesti neque turpis, ut in recens natis infantibus videre est, qui nullum planè istorum sensum habent. Restat ergo ut dicamus legem naturæ nihil aliud esse quam potentiam naturalem, in eo sitam quod intellectus ab objectis excitatus, principia ista veri & honesti propria facultate & absque præceptoris ope ex se eliciat. Cum enim apprehendamus ea statim atque incipimus ratione uti, apparet in anima naturaliter implantata esse; non quidem quod ad actum secundum seu exercitum; sed quod ad actum primum seu facultatem.

V. Lex naturalis, ex insita ab ortu animæ nostræ deducta, est *Decalogus*, quem Deus olim ex monte Sinaï & medio ignis coram universis Israëlitis pronunciavit, & in duabus tabulis lapideis descriptum Mosi dedit. Omnia enim ejus præcepta, quarto excepto de quiete Sabbathi, (in quo aliquid est positivi, nempe septimum diem potius quàm sextum aut octavum cultui divino impendendum, & diem illum septimum numerandum à tempore quo manna pluere cœpit) ad legem naturalem pertinent. Cætera vero moralia in quinque libris Mosis sparsim tradita, nihil aliud sunt, nisi quædam Decalogi paulo uberior expositio & extensio.

VI. De ista lege quæritur, an Deus à quo profecta est, illam mutare possit. Et respondeo, videri non posse, nisi hominem ratione, in qua fundamentum suum habet, simul privet, & ipsum brutis, quæ omne honesti & turpis discrimen ignorant, similem reddat. In tali enim casu homo non amplius ad naturæ legem servandam obligatus esset. Sed út melius istud intelligatur, dico tribus modis mutationem in lege aliqua fieri posse. 1. Addendo aliquid ipsi. 2. Detrahendo, & faciendo ut id quod antea hominem obligabat, postea ipsum non amplius obliget. 3. Contrarium præcipiendo, & faciendo ut quod erat virtus evadat peccatum, & quod erat peccatum fiat virtus. Primo modo mutatam esse naturæ legem non est dubium, cum Deus ei multas alias leges superaddiderit, tum sub veteri tum sub novo fœdere; imo etiam ante peccati ingressum in mundum; ut lex de non edendo de arbore scientiæ boni & mali fidem facit. Secundo modo mutari nequit lex naturæ, sed manet in æternum, quemadmodum Deus, & ratio qua ipsum referimus. Tertio modo multo minus mutari potest lex naturæ, quin Deus desinat esse Deus, & homo amplius non sit homo, sed bruto pejus quippiam. Quare graviter errant illi, qui dicunt Deum totum Decalogum, in quo lex naturæ expressa est, ita mutare posse, ut contraria omnia illi præcipiat: ex. gr. loco cultus unius veri Dei, cultum idolorum & Dæmonum; loco celebrandi Deum, blasphemare; loco amandi, odisse; item parricidium, adulterium, & similia. Nam illa mandando abnegaret seipsum, contra id quod docet Paulus 2 *Tim.* II. 13.

VII. Nec est cur aliquis existimet Deum naturæ legi aliquid contrarium fecisse, quando præcepit Abrahamo ut filium Isaacum sibi in holocaustum offerret; & Israëlitis ut sub commodati specie Ægyptios pretiosissimis suis vestibus & supellectili aurea atque argentea spoliarent. Exceptiones quidem fuerunt à lege, sed singulares & quas trahere non licebat in exemplum. Deinde etiamsi hæc mandata legi naturæ quadantenus forent contraria, non tamen erant ex omni parte. Nam in illo quod Abrahamo datum est, istud potest dici fuisse legi naturæ consentaneum, ut homo plus Deum diligat quam filium aut se ipsum. Et tamen Deus, ne ab ea resilire videretur, contentus experimentum sumpsisse promptitudinis Abrahami ad obediendum, impedivit ne filium occideret. Et quod ad alterum, nihil in eo fuit æquitati naturali contrarium. Quamvis enim Israëlitis non licuisset absque speciali Dei jussu Ægyptios opibus suis spoliare, nullum tamen est dubium quin Deus, quatenus supremus totius mundi est dominus, de bonis eo contentis pro arbitrio statuere possit; & quatenus judex, justam habebat causam, cur Ægyptiis adempta Israëlitis vellet donare, nempe ad

remunerandum eos pro duris laboribus, quos Ægyptii per meram tyrannidem ab illis extorserant.

VIII. Præter naturæ autem legem necesse fuit alias, sive à Deo ipso, sive ab hominibus constitui; idque multis de causis. 1. Quia lex naturæ generalia tantum æquitatis præcepta continet. Omnes autem homines non ita pollent ingenio, ut per se absque alterius docentis ope pervidere queant omnia particularia quæ generalium ambitu comprehenduntur. Ita fieri potest, ut qui ex naturæ instinctu furtum pro re turpi habet, illicitum non putet parentibus suis, in quorum bona succedere debet, aliquid furari. 2. Quia plurimi data opera ex nimio sui amore se ipsos decipiunt, dum notiones naturæ generales ad singulas suas actiones prout oportet non applicant, aut latius quam par est eas extendunt; ut si quis gravi lacessitus injuria existimet sibi licere eum qui læsit occidere; vel falsator mensuræ & ponderis id furtum non esse sibi persuadeat. 3. Quia tranquillitatis publicæ interest ut scelera coërceantur, sive mulctis pecuniariis, sive pœnis corporalibus; quod natura quidem æquum esse docet, sed non definit in specie; nec exsecutioni mandari potest nisi particularium legum interventu, & magistratibus constitutis, qui auctoritate & viribus sint armati.

IX. Lex Dei positiva est, quæ in ratione seu æquitate naturali non est fundata, sed à mero ferentis pendet arbitrio, qui si voluisset, non tantum diversam, sed etiam contrariam præscribere pari jure potuisset. Ad hoc genus pertinent leges ceremoniales, & politicæ, olim populo Israëlitico datæ; item Baptismus & Eucharistia sub novo fœdere.

CAPUT IX.

De Legibus humanis.

I. Quid Lex humana. II. Eam quatuor potissimum modis differre à divina. III. Utrasque esse vel affirmativas, vel negativas. IV. Leges humanas esse vel Politicas, V. vel Ecclesiasticas. VI. Munera legum quæ sint. VII. In omni lege positiva requiri septem conditiones. VIII. Leges omnes positivas esse mutabiles quatuor modis. IX. Quam vim leges humanæ habeant subditorum conscientias obligandi.

I. LEx humana est quæ ab uno homine aut pluribus id faciendi auctoritatem legitimam habentibus, ad commune societatis politicæ, cui præsunt, bonum lata est. Nemini autem competit istud jus, nisi à publico acceperit, aut saltem ejus consensu exerceat. Aliquando tamen ad privatum unius aut paucorum qui imperant emolumentum feruntur leges, sed quatenus Reipublicæ interest, ut illis speciali aliqua lege caveatur; alioqui injustæ sunt & tyrannicæ. Nam inter legitimum imperium & tyrannicum hoc præcipue est discriminis, quod illud ad subditorum bonum, hoc vero ad imperantium tantummodo respicit. Omnes autem leges humanæ sunt positivæ. Nam per humanas leges non intelligimus hic universaliter omnes eas quæ ab hominibus quacunque de re feruntur: (sic enim multæ earum sunt naturales, ut cum vetant blasphemias, cædes, adulteria, rapinas:) sed particulariter eas quæ ad politiam humanam spectant. Nam etiam cum aliquid præcipiunt, quod est legis naturæ, semper id limitant per aliquam circumstantiam, quæ illa non continetur; ut cum decernunt quo pœnæ genere crimina quorum modo meminimus sint coërcenda.

II. Leges humanæ quatuor potissimum modis differunt à divinis. 1. Quod lex divina conscientiis hominum imperat, & cupiditates in corde etiamnum latentes prohibet, ut apparet in ultimo Decalogi præcepto, *Non concupisces, &c.* & ex Domini Jesu verbis, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. Matt.* v. 28. At leges humanæ circa externa facta tantum versantur. 2. Quod omnes leges divinæ sunt justæ; humanæ vero multæ aliqua injustitiæ macula sunt aspersæ, quæ tamen obligandi vim non amittunt, dummodo iis absque peccato obediri possit. 3. Quod omnes homines absque exceptione divinis legibus parere tenentur, non minus Reges & Principes, quam eorum subditi. At leges humanæ interdum immunitates potentioribus, aliisque, certis de causis, concedunt. 4. Quod leges humanæ temporalia præmia & pœnas tantum constituunt, & sæpius pœnas, quam præmia: lex vero divina non magis terret comminatione pœnarum, quam allicit promissione præmiorum; & quæ non solum præsentem, sed etiam futuram vitam spectant.

III. Leges tam divinæ, quam humanæ, aliæ sunt affirmativæ, aliæ negativæ. Affirmativæ sunt, quibus bonum aliquod præcipitur, ut Deum colere, parentes honorare. Negativæ vero sunt, quibus malum aliquod prohibetur, ut idololatria, homicidium. Discrimen inter utrasque istud est, quod affirmativæ obligant quidem semper, sed non ad semper; id est, quamvis obligandi vim nunquam amittant, semper tamen observari nequeunt, sed tum demum cum se offert occasio. Negativæ autem non tantum semper obligant, sed etiam ad semper; id est, ita ut semper à malo, quod vetant, abstinere oporteat; sic non sum obligatus ad semper dandam pauperi eleëmosynam, quia forte mihi nullus occurrit, aut non habeo quod ei dem: sed semper debeo abstinere à furto.

IV. Leges humanæ duorum sunt generum, nempe politicæ & Ecclesiasticæ. Politicæ sunt quæ ad civile regimen spectant, quales sunt de contractibus & aliis hominum, qui una vivunt, negotiis: item de pœnis scelerum. Et ad eas referuntur etiam militares, de modo belli gerendi, & milites in officio continendi. Leges istæ politicæ iterum dividuntur in eas, quæ omnium gentium sunt communes, & quæ unius gentis

aut populi sunt propriæ; quarum illæ vulgo jus gentium, hæ jus civile vocantur. Jus gentium est, ad quod observandum, tanquam rectæ rationi consentaneum, omnes gentes, tacito quodam consensu, se obligant; eo pertinet dominiorum inter homines distinctio, Magistratuum constitutio, fœderum sanctio, contractuum, emptionis & venditionis, locationis & conductionis, matrimoniorum, & similium, ordinatio, servitutum introductio; item quod legati pro inviolabilibus sunt habiti, & bella, quæ non prius per feciales denunciata essent, instar latrociniorum damnata. Jus civile est, quod unius tantum gentis, seu populi est proprium, eumque solum obligat, non alios, nisi sponte id receperint: quale est jus Romanum, quod ab Imperatore Justiniano in unum redactum est corpus, continens Institutiones, Digesta, Codicem, & Novellas; item jus Gallicum & Hispanicum: imo etiam singularum civitatum, quæ aliquando peculiares habent leges & consuetudines à vicinis diversas.

V. Leges Ecclesiasticæ sunt, quæ pertinent ad Ecclesiæ regimen, quales sunt in jure Canonico, quod Decretum Gratiani, Decretales & Extravagantes Pontificum Romanorum complectitur. Jus tamen civile & canonicum non sunt ita à se invicem distincta & separata, quin in Codice & Novellis multæ sint leges, quæ regimen Ecclesiasticum spectant, quod Principes pro autoritate sua ordinare possunt & debent. Similiter in Decreto & Decretalibus, quæ politiæ secularis sunt statuuntur: sed usurpata à Pontificibus Romanis potestate quæ ipsis non competebat.

VI. Munera legum sunt quinque, jubere, vetare, permittere, remunerari, & punire. Jubent bonas actiones, vetant malas, permittunt indifferentes, & aliquando etiam malas, remunerantur obedientes, puniunt rebelles. Dixi autem leges permittere actiones indifferentes, vel malas, quia duplex est permissionis genus, unum quod versatur circa res indifferentes, ut cum lege Evangelica permittitur quolibet cibo promiscue vesci; alterum quo permittuntur res malæ, & quas legislator ipse improbat, ut cum *Moses Israëlitis permisit dimittere uxores propter duritiem cordis ipsorum, Matt.* XIX. 8.

VII. Septem conditiones requiruntur in omni positiva lege, sive divina sit, sive humana. *Prima* est, ut sit æqua & rationi consentanea: proinde debet esse observatu possibilis; nam, ut natura ipsa docet, nemo ad impossibile est obligatus: itaque male sentiunt de legis divinæ, præsertim quæ Evangelio continetur, æquitate, qui ipsam etiam cum gratiæ Dei auxilio observatu impossibilem esse docent. Attamen injusta quoque lex, quæ non superat vires eorum, quibus data est, obligat; si modo qui tulit legislatoriam habeat auctoritatem, quales sunt Principes & Magistratus in qualibet ditione. Intellige autem injustam præceptu, non autem observatu; nam quæ talis est, non obligat; imo propter conscientiam erga Deum, cujus mandatis repugnat, non licet ei parere. *Secunda* est, ut lex non uni tantum aut alteri personæ præscribatur, sed toti alicui communitati; alias lex non solet vocari, sed potius mandatum aut præceptum. Si tamen omnibus iis sit lata, qui in aliquo loco degunt, quamvis paucissimi sint, nihil obstat legem vocari. Imo interdictum Adamo & Evæ factum, de non edendo de arbore scientiæ boni & mali, cum adhuc soli essent in mundo, non minus erat lex, quam mandatum circumcisionis Abrahamo domesticisque & posteris ejus datum. *Tertia* est, ut lex condatur ab eo, qui communitati illi præest, cui fertur; ejusdem enim est leges ferre & regere; cum legumlatione magnam partem regatur civitas, nihilque præterea ad bonum regimen requiratur, quam exacta earundem executio. Regendi autem jus ille tantum habet, qui præest, sive sit Monarcha, sive Optimates, sive Comitia populi. Itaque si Rex Hispaniæ leges Gallis vellet præscribere, vel Galliæ Rex Hispanis, nec hi, nec illi obedire tenerentur. Et si privatus aliquis leges omnium æquissimas conscripsisset, neminem obligarent, quamdiu publica autoritate non essent stabilitæ. *Quarta* est, ut lex ad bonum commune tendat societatis, cui fertur, & tanquam medium sit ad finem istum obtinendum. Nam cum legum constitutio gubernationis civilis præcipua pars sit, quæ communem felicitatem pro scopo habet, eo quoque ipsæ collimare debent: proindeque lex, quæ publico nullam affert utilitatem, improprie lex vocatur. *Quinta* est, ut lex sit firma & stabilis, seu ut non ad unum tantum, aut alterum diem aut actum sit lata, sed aliquandiu vigeat: in eoque à simplici mandato differt, in quo istud non requiritur; verbi gratia, si Magistratus ediceret ut singuli cives tractandis armis idonei crastina die armati in forum convenirent. Hæc tamen legis stabilitas non impedit, quominus abrogari possit, quando id Reipub. expedire judicatur. Causa enim cessante propter quam aliqua lex est facta, æquum non est, ut diutius autoritatem suam retineat. Sic leges occasione belli factæ, tempore pacis non obligant. *Sexta* est, ut lex præmio & pœna, vel saltem alterutro eorum sancita sit: ubi enim ejusmodi sanctio deest, id quod mandatur est potius præceptum, aut consilium, quam vera lex: Non tamen opus est ut expresse singulis legibus adjiciatur. Sufficit si aliqua sit sanctio generalis, quæ in omnibus commode subintelligi queat. Raro autem præmium promittitur legum humanarum observatoribus: sed pœnæ tantum earum transgressoribus intentantur. Leges vero divinæ, ut notum est, utrumque complectuntur. *Septima* est, promulgatio: sine qua nulla lex positiva obligandi vim habet. Fieri enim nequit, ut aliquis legi sibi incognitæ obediat. Oportet ergo ut per externam innotescat promulgationem illis, à quibus obedientia exigitur.

Idque in omni Principatu & Republica sit eorum cura, qui ad clavum sedent. Observatumque fuit à Deo in Decalogi lege Israëlitis danda, quam coram toto populo è monte Sinaï pronunciavit; & à Mose in aliis legibus, quas à Deo acceptas isti populo præscripsit. Eundemque morem secutus est Jesus Christus in lege Euangelica, mittens Apostolos suos, qui eam per universum orbem promulgarent. Propterea illi ad quorum notitiam non pervenit, incredulitatis & contumaciæ adversus Euangelium damnari non possunt: sicut Christus ipse significat, cum dicit: *si non venissem & locutus essem eis*, (nempe Judæis incredulis) *peccatum non haberent, &c. Joan.* XV. 22. & Paulus dicens, *quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, *Rom.* II. 12. Quod enim de lege Mosaïca pronunciat, in Euangelicam quoque quadrat.

VIII. Omnium legum positivarum hoc est proprium, ut sint mutabiles. Idque inde patet, quod aliquando abrogentur & obligare desinant. Quamvis enim forte aliquæ sint quæ à primis mundi temporibus huc usque viguerunt; non ideo tamen sunt immutabiles; sed æque atque illæ, quæ minus duraverunt, mutari possunt, si idonea id causa suadeat. Mutatio autem per quam lex aliqua obligare desinit, quatuor fit modis, nempe *Interpretatione*, *Dispensatione*, *Abrogatione*, *& Irritatione*. Interpretatio est, qua lex verbis rigidior in sensum benigniorem à legislatoris mente non alienum trahitur; verbi gratia, lex est peregrinis interdicens sub capitis pœna vallum urbis conscendere: accidit autem ut hoste scalas muris admovente peregrinus eo accurrerit, & ipsum repulerit: secundum rigorem legis mortem esset meritus: sed æqua interpretatione adhibita dignus præmio potius judicabitur. Similiter lex Sabbathi, qua omne opus prohibetur, sic exposita est à senioribus Judæorum tempore Machabæorum, ut non adimeret potestatem pugnandi adversus hostes, qui istius diei occasionem captabant ad irruendum in eos; cum non esset verisimile Deum velle, ut legem in ipsorum bonum factam, cum totalis internecionis periculo observarent, I *Machab.* II. 32. *& seqq.* Dispensatio est exemtio ab obligatione legi parendi, concessa alicui à Principe aut Magistratu ob causam legitimam: qualis est qua dispensantur verbi Dei ministri, medici, aliique ejusmodi, qui publico inserviunt, ab excubiis agendis pro urbis custodia. Abrogatio est, quando lex, quæ secundum se totam obligabat, lege contraria ab ipso legislatore rescinditur: ut si Princeps, qui tempore pacis arma gestare subditis interdixit, postea bello ingruente id expresse permittat. Ita lex de Judæorum excidio, facta ab Assuero Hamanis impulsu, abrogata est per aliam legem rogatu Estheris latam, qua Judæis permittebatur ut se adversus inimicos defenderent, & de illis ultionem sumerent. Aliquando etiam longa consuetudine, quæ legis vim inter homines obtinet, abrogantur leges. Sed nulla consuetudo quantumvis vetusta potest adversus Dei legem præscribere, & ei vim obligandi adimere, nisi forte Deus consuetudinem istam diserte approbaverit. Ita etiamsi lex de inimicis diligendis, in desuetudinem apud plerosque Christianos abierit, ejus vinculo nequaquam soluti sumus. Differt autem *derogatio* à legis abrogatione, quod per abrogationem tota lex tollatur: sed per derogationem aliqua solum ejus pars: verbi gratia, si legi, quæ prohibet gestare arma, derogetur in eo, ut peregre proficiscentibus liceat ense accinctos esse; vel si pœna corporalis, qua aliqua lex sancita erat, in pecuniariam commutetur. Irritatio est, quando lex rescinditur antequam obligare incipiat, ut si lex de tributo aliquo post sex menses solvendo, revocetur antequam istud tempus advenerit. Ita edictum illud Assueri de Judæis exscindendis, paulo ante memoratum, est irritatum ante diem decimum-tertium mensis Adar, qui horrendæ isti lanienæ destinatus erat.

IX. Quæritur autem de legibus humanis, quam vim obligandi habeant, & an omnes, qui illas quocunque modo transgrediuntur, in Dei iram incurrant. Sunt qui ita putent, propter duas has rationes. 1. Quia Deus jubet nos obedire Magistratibus, ideoque non possint eorum mandata contemni, quin Deus ipse offendatur, secundum id, quod docet Paulus; *omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta sit, &c.* item *quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit, &c. Rom.* XIII. 2. Quia oportet nos subjici Magistratibus, *non solum propter iram*, (id est metu pœnæ, quam incurrunt, qui eorum leges violant) *sed etiam propter conscientiam*, ut ibidem dicitur. Sed huic opinioni assentiri non possum. Sententiam itaque meam super hac re paucis istis aphorismis explicabo. 1. Nullæ leges humanæ, quatenus tantum humanæ sunt, seu juris naturalis nihil admixtum habent, directe obligant conscientiam: quia illa solius Dei imperio est subjecta, & ab eo judicatur. 2. Eousque tamen obligant, ut nemo se iis possit opponere, aut earum exsequutionem vi impedire, quin graviter in Deum peccet, qui Politici ordinis est autor, & vult ut Magistratibus nostris pareamus. Idque tantum intendit significare Paulus in locis modo ex *Rom.* XIII. citatis, non vero quod nulla ratione queant Magistratus constitutiones, etiam per incuriam, violari, quin conscientia in Deum vulneretur; ut si quis statuto tempore plateam ante ædes suas purgare negligeret, aut sordes in fossam conjiceret. 3. Leges de rebus gravioribus, quas multum interest publici boni & tranquillitatis observari, eousque conscientiam devinciunt, ut quicunque illas data opera transgreditur, etiam apud Deum reus sit, & impune non sit laturus, quamvis pœnam à Magistratu constitutam, cujus fefellit cognitionem, effugiat. 4. Sed leges de rebus levioribus non ulterius obligant, quam ad mulctam, qua sancitæ sunt,

sunt, placide & absque resistentia pendendam: quales sunt, verbi gratia, de tempore funerum, aut quibusdam aliis eorum circumstantiis, in quarum transgressione ridiculum esset existimare bonam conscientiam lædi; nisi forte id fieret in Magistratus, quem Deus nos jussit honorare, vilipendium.

CAPUT X.

De Conscientia.

I. Quid Conscientia. II. Duos judicii actus Conscientiam constituere, quorum unus actiones præcedit, alter eas sequitur. III. Conscientiæ legem non esse supremam; & unde fiat ut judicia Conscientiæ sint interdum contraria. IV. Neminem posse Conscientiæ testimonium effugere. V. Et peccatum adversus Conscientiam esse gravissimum. VI. Conscientiam esse 1. vel rectam, vel erroneam, vel dubiam: 2. vel bonam, vel malam, vel scrupulosam. VII. Duo requiri ut rectam Conscientiam habeamus. VIII. Conscientiam erroneam bonam esse posse, & rectam malam. IX. Sive bene, sive male sit edocta, nos eam in omnibus sequi debere. Expositio loci Rom. XIV. 23.

I. EGimus de legibus, quæ vel omnes homines universaliter, vel saltem aliquam eorum societatem obligant. Nunc disserendum est de lege propria, quæ singulos tantum regit. Ea est uniuscujusque hominis judicium de rebus agendis aut omittendis, quod *Conscientiam* vulgo vocant, quasi diceres, cum alio scientiam. Non quod eam cum ullis aliis communem habeamus, sed quia unus idemque homo dupliciter actionum suarum respectu considerari solet, & ita à semetipso quodammodo distingui. Primo enim consideratur quatenus aliquid facit; deinde, quatenus de eo quod fecit judicium fert, illudque vel approbat vel improbat. Sunt qui putant conscientiam idem prorsus esse cum lege naturæ, & cum συντηρήσει, seu habitu principiorum practicorum. Sed ista à se invicem differunt in eo, quod lex naturæ & συντήρησις est regula generalis honesta jubens & turpia vetans, & facit tantum conscientiæ partem; conscientia vero est particulare actionum suarum ad hanc regulam examen. Et definiri potest, *Actus intellectus practici, judicantis aliquid hic & nunc agendum esse vel fuisse, tanquam bonum & honestum; vel fugiendum esse vel fuisse tanquam turpe & inhonestum: Et seipsum propterea absolventis vel damnantis.* Vel conscientia est, *Actus judicii practici, quo homines de se & suis actionibus sententiam vel absolutoriam vel damnatoriam ferunt.* Conscientia enim partim se extendit ad opera nostra præterita, ea vel accusando tanquam male facta; qui dicitur remorsus conscientiæ; vel in commendando tanquam recte facta; quod dicitur testimonium conscientiæ nostræ, 2 *Cor.* 1. Partim se extendit ad opera instantia & futura; dictando quæ agenda sint, tanquam honesta; quæ vero omittenda, tanquam turpia & inhonesta.

II. Duo autem judicii actus conscientiam constituunt; quorum unus actiones præcedit, alter eas sequitur. Prior ille vel perfectior est, vel imperfectior, pro ratione legis à qua dirigitur. Imperfectius enim est judicium, quod tantum fertur secundum legem naturæ, vel aliquas constitutiones humanas: perfectius vero est, quod fit ad amussim Euangelii Jesu Christi. Posterior actus nititur memoriæ testimonio, quæ dictat, quid boni aut mali à nobis factum sit, & sententiam vel absolutoriam, vel damnatoriam pronunciat. Ex utroque judicii actu, simul cum actionum recordatione juncto, fit ejusmodi syllogismus: Omnis homicida morte est dignus: Ego sum talis: Ergo, &c. Item quicunque vere credit in Christum, is habet vitam æternam: Ego vere in ipsum credo: Ergo, &c. Isto syllogismo integrum conscientiæ judicium comprehenditur. Aliquando tamen conscientiæ voce, unam tantum ejus propositionem sive majorem, sive minorem, sive conclusionem intelligimus. Indeque fit ut variæ ejus definitiones dentur, & variæ ei proprietates attribuantur, quæ omnes sunt veræ, sed diverso respectu. Et conscientia quidem ratione majoris propositionis est lex; ratione assumptionis est testis; ratione conclusionis est judex. Conscientiæ enim operationes sunt tres. 1. Obligare; cum judicat parendum esse æquæ legi, cui se subjecit. 2. Testificari; cum id quod fecit sibi in memoriam revocat. 3. Judicare; cum id quod fecit, tanquam legi conforme approbat, vel tanquam difforme damnat.

III. Hinc apparet conscientiæ legem non esse supremam, sed subalternam, & à superiore aliqua pendentem, cui nos subjectos agnoscamus. Cum autem leges conscientiam dirigentes perfectione (ut modo diximus) inter se differant; præterea que unus majorem illarum cognitionem habeat, aut actiones suas accuratius ad eas examinet, quam alius; inde fit, ut judicia conscientiæ diversorum hominum de una specie facti, non tantum diversa, sed etiam plane contraria aliquando sint. Qualecumque autem sit conscientiæ judicium, aliam non habemus propiorem actionum regulam, ad quam eas expendere possimus. Quod enim præcipiunt leges, sive divinæ sive humanæ, nullarum esset virium, nisi conscientia dictaret esse æquas, & illis esse parendum. Id ergo solummodo curandum est, ut conscientia nostra de rerum agendarum bonitate vel malitia semper recte sit informata, ne cæcum sequentes ducem, is nos in præcipitium trahat.

IV. Conscientiam in singulis hominibus esse, cujus vim nemo effugere queat, docet Paulus, dicens, *testimonium reddere gentilibus conscientiam, cogitationibus ipsorum sese mutuo accusantibus, aut etiam excusantibus, ad Rom. cap.* 11. 15. Cum neminem conscientiæ vim effugere posse dicimus, id de συντηρήσει, seu majore propositione syllogismi intelligi volumus; nam quod ad minorem & conclusionem attinet, id à nemine unquam fuit in controversiam vocatum. Apostolo etiam consentiunt

sentiunt plurimi scriptores profani; ut Menander, qui dicit,

Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις Θεός.

Hominibus cunctis conscientia est Deus.

Et Ovidius, *Fastorum primo*,

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro facto spemque metumque suo.

Quibus adde illud Ciceronis, *Oratione pro Milone*; *Magna est vis conscientiæ in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverint.* Experientiaque id ipsum ostendit, etiam in sceleratissimis, qui conscientiæ suæ accusationes effugere nequeunt. Ita Nero occisa matre, quamvis Senatus & populus Romanus atque milites ei applauderent, confessus est se materna specie exagitari. Nam quamvis conscientia impiorum interdum ita sopita videatur, quasi nullum amplius ejus sensum haberent, tandem tamen evigilat, & eos gravissime torquet. Quod Poëtæ voluerunt significare per Furias infernales, quibus improbos vexari finxerunt.

V. Quia conscientia, quatenus est actus judicii legem aliquam approbantis, actionum uniuscujusque proxima est regula, nemo adversus eam potest ire, quin graviter peccet. Quod significat Paulus, hortans Timotheum ut bonam conscientiam retineat, id est, nihil adversus proprium judicium faciat, & dicens, *nonnullos ea repulsa fidei naufragium fecisse*, 1 *ad Timotheum* I. 19. & pro summa improbitatis nota afferens *cauteriatam habere conscientiam*, id est, sensu destitutam, quemadmodum membra quæ ferro candenti ante inusta fuerunt. Cum quo consonat id quod alibi dicit de gentilibus induratis, qui *ἀπηλγηκότες*, id est, *sensu doloris amisso* (nempe de peccatis admissis) *semetipsos tradiderunt impudicitiæ, &c. ad Ephes.* IV. 19. ita *ut eorum inquinata sit mens & conscientia*, *ad Titum* I. 15. Quibus opponuntur, qui interno & spirituali baptismate abluti sunt à peccatis, quod Petrus vocat *interrogationem bonæ conscientiæ in Deum*, 1 *Epist.* III. 21. Significans eos, qui per baptisma spirituale, id est, regenerationem, vere à peccatis sunt abluti, bonam apud Deum conscientiam habere, quæ faciat, ut ausint ipsum interrogare, an non ipsis beatam illam immortalitatem, quam fidelibus in Euangelio promisit, daturus sit?

VI. Conscientia duobus modis dividitur; nempe, primo ratione normæ suæ; deinde ratione actionum de quibus judicat. Quod ad normam, conscientia est vel recta, vel erronea, vel dubia. Conscientia recta est, quæ secundum bonam legem judicat, qualis est naturæ & Christi. Erronea est, quæ secundum bonam legem non judicat, sed secundum aliquas constitutiones hominum vitiosas; vel secundum bonam legem male intellectam. Dubia est, quæ nullam legem in judicando de actionibus suis sequitur; & ambigit quid probare vel improbare debeat. Quod ad actiones de quibus conscientia judicat, ea est vel bona, vel mala, vel scrupulosa. Conscientia bona est, quæ id quod factum est, tanquam legi consentaneum approbat & defendit. Mala est, quæ id tanquam legi dissentaneum improbat & condemnat. Scrupulosa est, quæ anxia est, & nescit an id quod factum est, bonum sit vel malum; proindeque an approbare vel improbare debeat.

VII. Ut conscientiam rectam habeamus duo requiruntur. 1. Ut nullum vitium sit in lege, secundum quam eam dirigimus; id est, ut propositio major syllogismi illius practici, de quo ante diximus, indubiæ sit veritatis; quales sunt omnes leges divinæ; cum hominum constitutiones errori sint obnoxiæ. Itaque falleretur, qui sic colligeret; qui Missam quotidie frequentat, & tempore quadragesimæ abstinet à carnibus, ille meretur apud Deum: Ego hæc facio, ergo, &c. Vitiosam enim legem pro norma sequeretur. Quod etiam contingeret illi, qui legem abrogatam, ut circumcisionis, in usum reducere vellet. 2. Ut rectam legis applicationem ad actiones nostras faciamus, secundum omnes circumstantias, quæ illarum naturam variare queunt; id est, ut nullum sit vitium, aut error in minore syllogismi practici, quem facit conscientia: quemadmodum erat, cum Rex Abimelech sic apud se ratiocinabatur: Licet in uxorem accipere mulierem, quæ matrimonio cum alio viro non est copulata: Talis est Sara, de qua Abraham, cum quo habitat, mihi dixit, *soror mea est*; & ipsa, *frater meus est, Geneseos cap.* XX. Ergo, &c. Hujus syllogismi major propositio est quidem vera. Sed error erat in minore, inde ortus, quod nimis temere credidisset verbis Abrahami & Saræ, aut male interpretatus esset, in quorum veritatem & sensum accuratius inquirere debuerat.

VIII. Objicitur adversus primum requisitum, id quod Paulus de vita sua in Judaïsmo dicit; *Ego omni bona conscientia conversatus sum ante Deum, usque in hodiernum diem. Act.* XXIII. 1. Item *Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus meis in conscientia pura*, 2 *ad Tim.* I. 3. Quomodo enim potuit ad Christum conversus gloriari de bona conscientia, quam ignorantiæ suæ tempore habuisset; cum alibi confiteatur *se fuisse blasphemum, persecutorem, imo peccatorum primum?* 1 *ad Timoth.* I. 13, 16. & 1 *ad Cor.* XV. 9. Respondeo per distinctionem conscientiæ bonæ & rectæ. Conscientia potest esse bona, licet erronea sit; & mala, quamvis recta sit, seu bonam legem in judicando de factis suis sequatur. Ipsum idcirco ad bonam suam conscientiam provocare, quia fecerat id, quod conscientia errans faciendum esse dictabat, nimirum ut Christianos persequeretur, quos esse apostatas & defectores à Mosis lege sibi persuaserat. Non tamen erat innocens, quia cum idoneas habuisset occasiones conscientiam suam melius informandi, id neglexerat facere. Quare qui vult à peccato immunis esse, non minorem curam gerere debet, ut conscientiam suam

suam de voluntate Dei instituat, quam ut nihil adversus ejus dictamen faciat.

IX. Sed sive bene sive male conscientia sit edocta, nunquam adversus ejus dictamen eundum est, cum immediatus sit actionum nostrarum judex & norma. Quamvis ergo id quod conscientia damnat, in se bonum esset aut indifferens, fieret illi malum, qui tali judicio durante ab eo sibi non temperaret; exempli gratia, fac esse aliquem, qui credat nefas esse Christiano jurare, & nihilominus præ amittendæ pecuniæ metu id faciat, ille gravis peccati erit reus; cum tamen alius non peccaret, qui in contraria foret sententia. Similiter is, qui credit se teneri peccata pastori suo confiteri antequam Sacræ Eucharistiæ communicet, & id facere negligit, non est immunis à culpa, ut illi sunt, qui ideo ejusmodi confessionem non curant, quia sciunt, institutum esse humanum. Dices, sic inevitabile alicui reddi peccatum: nam peccabit sive conscientiam errantem sequatur, sive non sequatur. Respondeo: Error conscientiæ aut vincibilis est, & eum deponere tenetur; aut invincibilis, & tunc non est obligatus ad deponendum, nec peccat si faciat id quod suadet. Sic qui luce Euangelica non est illustratus, non peccat cum apud se ratiocinatur: Licet odisse inimicum, & vindictam sumere de eo à quo gravem injuriam acceperis: Titius est meus inimicus, & me gravi affecit injuria: Ergo licet mihi illum odisse & ulcisci. Solummodo videre debet, ne in vindicta modum excedat, & talione sit contentus, quam naturæ lex non improbat. Imo tantam oportet nos habere conscientiæ rationem, ut nunquam id faciamus, de quo an licitum sit nec ne dubitamus. Quo spectat illud Pauli monitum, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, *ad Rom.* XIV: 23. Quod nonnulli perperam accipiunt de fide in Jesum Christum, quasi, quicquid fit ab iis, qui Christum non norunt, malum foret: cum fides hoc loco nihil aliud significet nisi persuasionem id, quod facimus, non displicere Deo, & opponatur dubitationi, qua nonnulli anguntur, nescientes, an Deus id, quod agunt, probaturus vel improbaturus sit: quemadmodum ex circumstantiis loci apparet. Nam 1. Apostolus dicit illis, qui de ista fide gloriantes, cibos lege Mosis prohibitos, comedebant, unde fratres infirmi offendebantur, *Tu fidem habes? Penes temet ipsum habe coram Deo.* Quod enim eos fidem suam apud homines abscondere jubet, & solius Dei testimonio contentos esse, manifeste arguit ipsum non agere de fide salvifica, cujus confitendæ necessitatem urget *cap.* X. 10. dicens, *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* 2. Statim subjicit, *Qui vero ambigit, si ederit, condemnatus est, quoniam non edit ex fide.* Nimirum ex illa fide, de qua dixerat *versu* 14. *Novi & persuasum habeo in Domino Jesu, nihil esse impurum per se*, &c. Ubi evidens est fidem opponi dubitationi. Cum ergo dubitamus, utrum aliquid licitum sit nec ne, semper eligere oportet partem quæ tutior est & periculo vacat. Nihil autem periculi est, quantum ad conscientiam, in abstinendo ab aliquibus cibis, quorum nescimus an Deus nobis usum concesserit: magnum vero est in vescendo illis fluctuante animo; præsertim si id fiat, cum fratris infirmi offendiculo. Eodemque modo in aliis rebus procedendum est.

CAPUT XI.

De Religione quæ in mundo viguit ab Adami lapsu usque ad Abrahamum.

I. *Naturalem religionem ab Adamo ad Abrahamum, & ab Abrahamo ad Mosem usque in mundo viguisse.* II. *Deum ad diluvium usque nulla generalia, sed specialia tantum quædam præcepta certis hominibus dedisse.* III. *Incerta esse quæ Judæi tradunt de septem præceptis Adamo datis.* IV. *De Abelis & Caini oblationibus.* V. *Quid eos ad id moverit.* VI. *Et quis sacrificiorum istorum finis fuerit.* VII. *Deum delectari bonis operibus, & liberum homini arbitrii usum indulsisse.* VIII. *De invocatione nominis divini tempore Enosi.* IX. *De abstinentia ab esu sanguinis Noacho & ejus filiis mandata. Et videri Christianos etiam hodie obligare. Item de effusione sanguinis homicidæ.* X. *De distinctione animalium in munda & immunda tempore Noachi, & unde illa originem traxerit.* XI. *De remuneratione pietatis Enochi.* XII. *Et de pœnis quibus Deus Caini imputatem, & scelera primi mundi ultus est.*

I. HActenus de religione hominis peccatoris actum est in genere; nunc ad ejus species transire oportet, quæ tres sunt, videlicet *Naturalis*, *Mosaica* & *Christiana*. Sed naturalis in duas periodos dirimitur, quarum prima ab Adami lapsu usque ad Abrahamum; & altera ab Abrahamo usque ad Mosem duravit. Cum autem in omni religione attendi potissimum debeat ad præcepta, & ad promissiones atque minas, iisque annexa præmia & pœnas; nos etiam illa in prima religionis naturalis periodo considerabimus.

II. Quod ergo attinet ad præcepta, notandum est Deum toto illo temporis decursu quod diluvium antecessit, nulla dedisse generalia omnibus hominibus secundum quæ ipsum colerent, & omnes vitæ suæ actiones dirigerent; sed tantum specialia quædam certis hominibus peculiarium casuum occasione, reliqua vero permisisse ipsorum arbitrio, ut facerent quod recta ratio suaderet. Eaque de causa hæc religio naturalis vulgo vocatur, respectu maximæ sui partis; etiamsi revelationibus Dei supernaturalibus non fuerit omnino destituta.

III. Meminerunt quidem Judæorum magistri septem præceptorum, quæ dicunt Deum Adamo primum, deinde iterum Noacho post diluvium dedisse, ut ab omnibus eorum posteris observarentur. 1. Ut Deum unum colerent, & ab idololatria abstinerent. 2. Nomen Dei non blasphemarent. 3. Ab homicidiis sibi temperarent. 4. Furta & rapinas non exercerent. 5. Ne

postquam esset multiplicatum genus humanum incestuosa conjugia cum sanguine propinquis inirent. 6. Ut Judices constituerent, qui præceptorum istorum transgressores punirent. 7. Ne membrum vivo animali abscissum comederent. Licet postremum istud Noacho demum fuisse traditum fateantur. Sed hæc habent solum ex traditione, aut potius per subtiles consequentias ex Scriptura eliciunt. Præstat iis inhærere quæ diserte & aperte docet.

IV. Moses igitur recensita Caïni & Abelis nativitate dicit, *Factum esse post multos dies, ut Cain offerret de fructibus terræ munera Domino, & Abel quoque de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Dominum vero respexisse ad Abelem, & ad munera ejus: sed ad Caïnum & ad munera illius non respexisse*, *Gen.* IV. Cur autem sacrificia Abelis magis placuerint Deo quam ea quæ offerebat Caïn, docet Apostolus; *Fide*, inquit, *præstantiorem hostiam Abel obtulit Deo, quam Caïn, &c. ad Hebr.* XI. 4. Deum vero istud ostendisse putant consumendo igne de cælo misso sacrificia Abelis, sed non Caïni.

V. Quæruntur autem hic duo. *Primum*, quid moverit istos fratres, aliosque primævos mundi incolas ad sacrificia Deo offerendum; utrum mandatum divinum, ut quidam sibi persuadent; an vero solius naturæ & rectæ rationis instinctus? Respondeo: Cum Scriptura nullam prorsus mentionem faciat mandati, quod à Deo accepissent, non potest illud absque temeritate asseri; multoque minus, tanquam omnino certum, aliis credendum obtrudi. Deinde cum Deus neget se quicquam præcepisse Israëlitis in die qua eduxit eos de terra Ægypti de holocaustis & victimis, *Jerem.* VII. 22. non est verisimile istud potius initio mundi mandare voluisse. Denique cum primi homines nullam aliam haberent cultus moralis normam præter dictamen rectæ rationis, non fore adeo mirum si id quoque in cæremoniali usu venerit.

VI. *Alterum* quod quæritur est, quid propositum sibi habuerint veteres illi in oblationibus suis, Christine venturi sacrificium adumbrare, quo peccata sua expiatum iri sperarent, an aliud quippiam? Respondeo, non satis constare num aliquam Christi olim venturi notitiam habuerint, aut modi quo hominum peccata deleturus esset. Ista enim Dei verba ad serpentem, *semen mulieris contriturum ejus caput*, quibus mystice Christum significatum fuisse discimus ex Novi fœderis libris, obscuriora sunt, quam ut ex illis solis absque ampliori declaratione res tanta elici potuerit. Verisimile est ipsos aliud sacrificiis suis non intendisse, nisi Deum honorare ob beneficia ab eo accepta. Id quod ex munerum quæ obtulerunt genere non obscure colligitur. Abel erat ovium pastor, ideoque obtulit Deo de primogenitis gregis sui; ut profiteretur se fœcunditatem ejus Deo acceptam ferre. Caïn vero, qui erat agricola, obtulit ipsi terræ fructus, quasi ex benedictione Dei illos provenire agnoscens. Si quis præterea putet eos mactando pecudes peccata sua confessos esse, & se mortem commeritos, nisi Deus ex mera gratia ipsis remitteret, non admodum repugnabo id aliquando fecisse, quando Deum ob peccatum aliquod grave, cujus sibi conscii erant, placare volebant: licet evidens sit illud in oblationes quæ fiebant è frugibus non quadrare.

VII. Cum autem Deus Caïnum videret Abeli infensum, & vultum ejus tristem, quod oblatio sua perinde ac fratris Domino accepta non fuisset, dicit ei; *Nonne si bene feceris erit elevatio*, id est, remunerationem accipies; *sed si non bene feceris, ad ostium excubat peccatum*, id est, pœna peccati parata est. Ubi egregium habemus documentum, Deum bonis operibus delectari & ea remunerari velle; contra à malis abhorrere & impunita nolle finere. Quænam vero in specie fuerint ista bona opera quæ facere & mala quæ vitare debebat Caïn, non exprimitur. Id solum observandum est, debuisse ad legem naturæ seu rectæ rationis dictamen, præter quod nulla tunc erat alia actionum norma, conformatum esse. Sed quia ad bona opera faciendum, & mala vitandum requiritur ut homo libero sit præditus arbitrio, seu nulli ineluctabili necessitati bene aut male agendi subjectus; de hoc etiam Deus voluit Caïnum esse persuasum; ideoque his quæ modo recensuimus verbis, *ad ostium excubat peccatum*, immediate subjungit; *& in te erit appetitus ejus, & tu dominaberis ei*, id est, cupiditatem peccati refrænabis & compesces si velis anniti. Quæ male nonnulli referunt ad dominium quod Caïn tanquam primogenitus in Abelem natu minorem haberet. Nulla enim lex tantam tribuit potestatem primogenitis, ut minorum natu fratrum appetitus eis subjecti esse deberent. Deinde cum Abelis nulla prorsus à Deo facta fuerit mentio in sermone cum Caïno, quem Moses retulit, non potuit de illo istud intellexisse.

VIII. Pars etiam divini cultus fuit in unum convenire ad invocandum nomen Domini; quod cœptum esse fieri tempore Enosi filii Sethi testatur Moses *Gen.* IV. *versu ultimo*, *Tunc cœptum est invocari nomen Domini*. Istud non potest intelligi de privata invocatione, quæ jam in usu erat inter pios. Ergo de publica. Quod si dicas, tunc cœpisse vocari aliquos de nomine Dei, quia cultus divini magis erant studiosi, quam reliqui homines; res eodem redibit. Quamvis enim hic locus diversimode exponatur, tamen versio quam sequimur, linguæ Hebreæ peritissimos habet auctores. Et, si admittatur, nullus commodior erit sensus, quam eum de publicis cœtibus ad nomen Dei invocandum institutis accipere. Pios enim qui antea sacrificiis suis ipsum colebant, privatam ejus invocationem non neglexisse certum est. Significare ergo voluit Historicus sacer, tunc temporis cœpisse distinctionem inter sanctam Sethi & profanam Caïni progeniem: atque in illa publice celebratas fuisse Dei laudes, in hac vero minime. Unde nonnulli existimant *Gen.* VI. 2. per *filios Dei* intelligi

ligi

ligi debere Sethi posteros, & per *filios hominum* posteros Caïni.

IX. Post Diluvium Deus duo præcepta Noacho & ejus filiis dedit, nempe ne comederent carnem cum anima, quæ est sanguis ejus; Et ne homicidiis manus suas inquinarent, *Gen.* IX. 4, 5, 6. De primo autem (quod est exceptio à permissione vescendi carnibus, quam Deus tunc primum hominibus concedebat) duo quæruntur. *Unum*, An solum esus sanguinis illo prohibeatur, ut verba textus præ se ferunt, & Christiani interpretes vulgo exponunt; an vero etiam, ut Judæis placet, ne vivi animalis membrum comedatur. Et mihi quidem ille sensus longe planior videtur: sed tamen hic etiam tolerabilis est; quamvis enim expresse in textu non contineatur, inde saltem per consequentiam elici potest. Nam si non liceat comedere sanguinem animalis, quia anima ejus in ipso est; neque fas erit vivi animalis membro vesci, cum adhuc vita totius unde abscissum est videatur vivere. Cui adde id ferinum esse, & à quo humanitas abhorreat. *Alterum* est, an hoc præceptum de non comedendo sanguine etiam hodie Christianos obliget. Et respondeo mihi ita videri propter has duas rationes. 1. Quia non est ex numero illorum cæremonialium quæ specialiter populo Israëlitico sunt tradita & reliquas Gentes non devinxerunt. Sed datum est Noacho & posteris ejus omnibus, ad quos nos quoque pertinemus. 2. Quia Apostoli *Act.* 15. Gentilibus ad Christum conversis id præcipiunt, & inter necessaria observatu, una cum vitatione scortationis & esus idolothytorum collocant. Ideoque veteres Christiani hujus interdicti religione moti adeo stricte abstinebant à sanguine, ut Ethnici ipsos Christo nomen dedisse colligerent, quod botulos seu farcimina sanguine distenta attingere vererentur: ut testatur *Tertullianus in Apologetico cap.* IX. Qui mos ad hunc usque diem in omnibus Christianorum Ecclesiis, præterquam in Romana, inviolate observatur. In secundo præcepto nulla est difficultas; Deus enim diserte homicidia vetat, cum dicit; *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo*, *Genes* IX. 6. licet dubitetur an hæc verba, *fundetur sanguis illius*, contineant mandatum à Magistratu executioni dandum, an vero simplicem prædictionem ejus, quod justo Dei judicio & providentia eventurum esset. Nos vero utrumque sensum optime conjungi posse existimamus, ita ut Deus significarit, non tantum quod esset Magistratus officium, sed etiam illo cessante homicidam non impune laturum.

X. Distinctio animalium in ea quæ munda sunt & immunda, jam recepta erat tempore Noachi, cui Deus præcipit ut *ex omnibus animalibus mundis tam quadrupedibus quam volatilibus assumat septena secum in arcam, & ex immundis bina*, *Genes.* VII. 2. Hanc autem distinctionem propter sacrificia fuisse factam apparet ex eo, quod Noachus dicitur post diluvium *obtulisse holocausta Domino super altare ex cunctis pecoribus & volucribus mundis*, *cap.* VIII. 20. Esus in eo nulla fuit ratio habita. Nam Deus nullo animantium genere vesci Noacho prohibet, sed tantum ut abstineret à sanguine. Adde quod Deus non permiserat hominibus ab initio carnes comedere, *Gen.* I. 29. sed tantum post diluvium, *cap.* IX. 1. Quæritur autem unde ortum fuerit hoc discrimen inter munda & immunda animantia? Et nonnulli id imputant hominis peccato, quod universam rerum naturam corruperit. Nam *omnia quæ Deus fecit erant valde bona*, *Gen.* I. 31. ac proinde tunc nihil erat immundum. Sed responderi potest, per bonitatem, quæ omnibus creaturis tribuitur, nihil aliud intelligi, nisi eas valde fuisse aptas ad usum propter quem Deus condiderat: quod non impedit quominus inter se collocatæ aliæ puræ, aliæ vero impuræ censerentur. Absurdum est autem id peccato hominis tribuere, quod omnes quidem forte inquinare potuisset, sed non porcos magis quam oves. Sed quis has præ illis in sacrificiorum usu adhibere docuit? Deusne ipse, an homines sponte sua? Respondeo, Verisimile esse, ut quemadmodum sacrificandi ritus proprio motu, ut ante innui, à primævis illis hominibus usurpatus fuit ad suam erga Deum gratitudinem testandum; similiter distinctionem fecerint inter animalia; & judicarint hæc magis decere Deo offerre, quam illa, propterea quod mundiora essent, natura dictante nihil ipsi nisi optimum & excellentissimum esse consecrandum. Ideoque Deus quamvis ipse non præcepisset, quia ab animo pio proficisci videbat, illa approbavit.

XI. Supersunt in primæva ista religione observanda benefactorum præmia, & scelerum pœnæ. Et quod ad præmia attinet, unum tantum habemus exemplum, sed valde insigne, in Enocho, de quo Moses dicit, *ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*, *Gen.* V. 24. Quod clarius exponit Apostolus dicens, *Enochum translatum fuisse ne videret mortem, ad Hebr.* XI. 5. Idque ut putatur, secundum vulgo receptam in populo Judaïco traditionem, de qua Syracides, *Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*, vel potius secundum textum Græcum, *exemplum pœnitentiæ generationibus*, *Ecclesiast.* XLIV. 16. Hic duo quæruntur; *Primum* quid sit illud *Enochum ambulasse cum Deo*. Et Judæi quidem putant eum à peccato plane fuisse immunem. Sed Scriptura nullum nobis talem proponit præter unum Dominum Jesum Christum, *ad Hebr.* IV. 15. Cæteri omnes sub hoc universali pronunciato comprehenduntur, *Non est homo justus in terra qui faciat bonum, & non peccet*, I *Reg.* VIII. 46. *Eccles.* VII. 21. Nec contrarium probat phrasis *ambulare cum Deo*; Ea enim non tantum de Enocho, sed etiam de Noacho usurpata legitur, *Genes.* VI. 9. quem tamen nemo hactenus ab omni peccati labe purum fuisse credidit. Nec aliud significat quam ista vulgarior, *ambulare co-*

ram Deo, qua pietas multorum exprimitur, qui non fuerunt omni ex parte perfecti, ut Abrahami, *Gen.* XXIV. 4. Davidis, 2 *Chron.* VI. 16. & VII. 17. Ezechiæ, 2 *Reg.* XX. 3. & aliorum. *Secundum* est, utrum iste Enochi raptus pro vitæ æternæ & cælestis promisso habendus sit, unde fideles, qui tunc & postea vixerunt, colligere certo potuerint se illa aliquando potituros. Respondeo, non videtur: unicum enim exemplum extraordinarium non sufficit ad regulam universalem & perpetuam exstruendum; præsertim cum cæteri fideles viderent se non obstante sua fide & pietate, è medio tolli & in pulverem consumi. Interim fateor Deum ejusmodi exemplo piorum fidem fulcire voluisse, ex quo omnes animadverterent ipsum pietatis liberalissimum esse remuneratorem: idque donec Christus veniret, *qui illuminaret vitam & immortalitatem per Euangelium*, 2 *Tim.* 1. 9.

XII. Pœnarum quibus Deus hominum impietatem ultus est, aliquot exempla illo ævo occurrunt. Nam post primos nostros parentes, qui impune transgressionem suam non tulerunt, Caïnum habemus, cui Deus propter fratricidium maledixit, & quem à facie sua expulit, ut vagus esset & profugus super terram. Etiamsi enim pœna ista longe inferior peccati gravitate fuisse videatur, cum meritus esset ut sanguis suus effunderetur, sicut fratris effuderat; tamen iram divinam adeo sibi incumbentem sensit, ut diceret, *majorem suam esse pœnam, quam ut ferre posset*, *Gen.* IV. 13. Sed non opus est alia conquirere præter horrendum illud diluvii universalis, quo Deus totum genus humanum, exceptis tantum octo animabus, ex terra delevit; ut inde post-venturi discerent, quam severus scelerum sit vindex, & neminem, quantumvis potentem, ultrices ejus manus, quando ipsi in judicium intrare placuerit, effugere posse.

CAPUT XII.

De Fœdere Dei cum Abrahamo inito; Et speciatim de Mandatis quæ ei dedit.

I. *Abrahami religionem maxima parte fuisse naturalem: Et Deum Fœdus cum eo iniisse.* II. *In illo fœdere personas contrahentes primo esse considerandas, nempe Deum & Abrahamum.* III. *An Abrahamus Idololatra fuerit cum Deus eum vocavit.* IV. *Fœdus ipsum constare ex mandatis & promissis.* V. *Primum fuisse de relinquenda terra sua & cognatione sua.* VI. *Secundum de ambulando perfecte coram Deo.* VII. *Tertium de circumcisione; Et quem in finem Deus eam præcepit.* VIII. *Masculos octava die debuisse circumcidi.* IX. *Cur Deus voluerit ut omnes Abrahami domestici eam in se susciperent.* X. *Quid pœna excisionis, quam Deus ob circumcisionis neglectum minatur.* XI. *Quo sensu ea fœdus æternum vocatur.* XII. *Ejus necessitatem sublatam esse per Christum. Et quis sensus verborum, si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* XIII. *Quartum mandatum fuisse de filio Isaaco in holocaustum offerendo.* XIV. *Vocari Tentationem.* XV. *Quid Deum, cordium inspectorem, moverit ut Abrahamum tentaret.*

I. SEquitur altera religionis naturalis periodus, ab Abrahamo usque ad Mosem. Quam ita appellare non veremur, etiamsi Deus se Abrahamo & filiis ejus aliquoties patefecerit, & multa iis ad religionem pertinentia præscripserit ac promiserit: quia cultus quem observabant maxima adhuc sui parte naturalis erat, & nullam aliam normam præter rationis dictamen habebat. Patefactio Abrahamo facta nomine *fœderis* peculiariter in Scriptura S. designatur: Et primum est inter illa tria quæ Deus post ingressum peccati in mundum cum hominibus pepigisse legimus. Neque enim huc pertinet illud quod cum Noacho initum est, de quo *Gen.* IX. 9. *& seq.* agitur. Eo siquidem cum piis Dei cultoribus comprehensi fuerunt non solum impii, sed etiam bruta animantia: quibus omnibus Deus se promisso expresso obligavit, se mundum diluvio non amplius perditurum, constituto in ejus rei pignus & signum arcu illo versicolore qui in nubibus tempore pluvio conspicitur. Cujus generis est etiam illud fœdus quod Deus dicit se fecisse cum die & nocte, nempe ut quamdiu durabit mundus, dies nocti & nox diei ordine succedat, *Jer.* XXXIII. 20, 25. Fœdus, de quo intendimus loqui, est, quo pii Dei cultores ab impiis ejus contemtoribus separantur; & illis benedictio divina, his vero maledictio decernitur. Cum autem duo sint fœderum genera inter homines: alterum quod æquales, aut propemodum æquales inter se ineunt, ut Principes cum Principibus aut Rebuspublicis; alterum quod superiores cum inferioribus, ut Reges cum subditis suis pangunt, quod vulgo legis nomine appellatur: ad posterius istud genus referenda esse fœdera divina per se patet: Sed tamen Deus maluit mandata Abrahamo data, & quæ postea per Christum præscripsit, fœderis nomine vocare quam legis, ut benevolum suum erga homines animum ostenderet, & summo se cum illis jure, ut poterat, agere nolle.

II. Ut autem distincte de fœdere Dei cum Abrahamo tractemus, duo in illo nobis consideranda erunt 1. Partes contrahentes: 2. Conditiones fœderis. Quod ad primum attinet, Deus & Abrahamus sunt partes fœderis inter se ineuntes. Et de Deo quidem nihil hic aliud observandum est, quam cum animadverteret universum genus humanum in idololatriam & impietatem ruere, ipsum voluisse certum populum inter cæteros eligere, in quo pure coleretur & veritas sua incorrupta servaretur, ut reliqui ad se agnoscendum & colendum incitarentur. Deinde cum decrevisset Christum ultimis temporibus in mundum mittere, per quem perfectissimum fœdus cum hominibus pangeret, quod sanguine ejus tanquam piacularis victimæ sanciretur, consultum judicasse ut gens è qua suscitandus esset ab aliis secerneretur, & certis institutis in illius exspectatione

tatione detineretur, & ad eum cum venisset, recipiendum prępararetur.

III. Quod vero Abrahamum spectat, quæritur in quo statu fuerit, cum Deus una cum ipso fœdus pepigit, & an esset adhuc idololatra, sicut reliqui Chaldæi, è quorum medio evocatus est. Id quidam volunt extra omne dubium haberi, quasi expresso Scripturæ testimonio nixum. Et horsum afferunt loca *Jos.* XXIV. 2, 3. & *Esa.* XXIX. 22. Sed neuter ad rem quicquam facit. In primo Deus Israëlitas per Josuam sic compellat: *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abrahæ & Nachor, servieruntque Diis alienis. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus*, &c. Ubi Pater tantum & avus Abrahami idololatriæ accusantur, non vero ipse Abrahamus. Quid vetat autem eum majoribus suis Deum melius cognovisse; quamquam Thare quoque idololatriæ in senectute renunciasse ex eo colligitur, quod una cum Abrahamo patriam deseruit & in Charan venit, ubi mortuus est. Locus alter est, *Hæc dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit Abraham*, &c. Sed ex sola redimendi voce non sequitur idololatram fuisse: potest enim intelligi de liberatione ex calamitatibus, vel ex aliis præter idololatriam peccatis. Gravium vero non fuisse reum ostendit præclarum istud testimonium, quod Deus ipsi apud eundem prophetam perhibet: *Quis suscitavit ab oriente justum? vocavit eum ut sequeretur se*, *Esa.* XLI. 2. Id enim de Abrahamo fuisse dictum liquet ex *versibus* 8, 9. Nolim tamen negare Abrahamum inter idololatras educatum, una cum iis idololatriæ adhæsisse; sed oportet ab ea conversum fuisse, cum Deus ipsum in fœdus suum recipere dignatus est. Nam favor iste nulli impio, qui in idololatria adhuc perseveraret, unquam contigisse legitur.

IV. Nunc ut secundum, hoc est, fœdus ipsum, consideremus; bis illius expresse & nominatim fit mentio à Mose. Primo *Gen.* XV. 18. ubi postquam recensuisset apparitionem Dei nocturnam Abrahamo factam, addit: *in illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens, Semini tuo dabo terram hanc*, &c. nomine fœderis per synecdochen, promissionem illi annexam intelligens. Secundo *Genes.* XVII. ubi habetur circumcisionis institutio, & de ea Deus dicit, *hoc est pactum meum* (id est, una ex pacti conditionibus) *quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te; circumcidetis ex vobis omne masculinum*, &c. Quin tamen eo quoque pertineant ea quæ Deus ante & post Abrahamo præcepit & promisit, sive ut antecedentia sive ut consequentia istius fœderis, nullum mihi est dubium. Ea autem reduci omnia possunt ad quatuor mandata & totidem promissiones.

V. *Primum mandatum* quod Abrahamus à Deo accepit fuit, *ut egrederetur ex terra sua, & ex cognatione sua, & ex domo patris sui, & veniret in terram quam Deus monstraturus esset ipsi*, *Genes.* XII. 1. Cujus scopus fuisse videtur, omnes Abrahamo idololatriæ occasiones & irritamenta adimere, quæ plurima in patria & inter cognatos ei occurrissent; & ita ipsum tanto arctius ad sui unius cultum obligare. Sed præterea Deus voluit mandati istius difficultate probare servi sui animum, utrum nempe Dei amore ita flagraret, ut propter ipsum paratus esset, charissima quæ habebat deserere, & vitam suam plurimis incommodis in exilio voluntario objicere. Durum sane est relinquere patriam in qua natus & educatus sis, & cujus consuetudines à teneris imbiberis: præsertim si patria omnibus deliciis abundet, ut Chaldæa, in qua Paradisus fuisse putatur; deinde ætate provecto, qualis erat Abrahamus, cum Deus istud ei præcepit; nam septuaginta quinque natus annos erat cum egrederetur de Haran, *Gen.* XII. 4. ubi aliquandiu, post Ur Chaldæorum relictam, substiterat. Durius adhuc istud si in patria magnam cognationem habeas, & multitudinem amicorum, ut Abrahamum habuisse verba mandati divini innuunt. Durissimum vero domui paternæ, id est, iis qui te proxime consanguinitate attingunt, in perpetuum valedicere. Sed quia aliquando fit ut patriam una cum omni cognatione non illibenter relinquamus, si alibi spes melioris fortunæ nobis affulgeat, hac quoque consolatione destitutum esse Abrahamum Deus voluit, *nesciebat enim quonam iret*, *Hebr.* XI. 8. Ita ut Deus non leviter servi sui fidem talia præcipiendo tentaverit.

VI. *Secundum mandatum* fuit, ut Abrahamus *ambularet coram Deo & esset perfectus*, *Gen.* XVII. 2. id est, ut vitam secundum Dei voluntatem institueret: servans illa omnia, sive quæ Deus illi expresse præciperet, sive quæ recta ratio Deo grata esse ei dictaret, & eum sibi semper ob oculos poneret, velut omnium suarum actionum inspectorem, cui rationem aliquando redditurus esset. Nam hæc phrasis *ambulandi coram Deo* ita vulgo in Scriptura accipitur, ut videre est *Gen.* XXIV. 40. & XLVIII. 15. item 1 *Reg.* IX. 4. & 2 *Reg.* XX. 3. aliisque multis in locis. Quo etiam referri debet id quod paulo ante diximus de Enocho, qui cum Deo ambulavit. Et qui istud facit est perfectus: non quod ab omni peccati labe prorsus sit immunis: sed quia Deus ad ejus infirmitates ex immensa sua misericordia connivet; talesque fuerunt Noachus, *Genes.* VI. 9. Asa, 2 *Chron.* XV. 17. Job, libri qui præfert ejus nomen *cap.* I. 1. Zacharias & Elisabeth, qui *ambo erant justi coram Deo, ambulantes in omnibus mandatis & justificationibus Domini inculpate*, *Luc.* I. 6. aliique multi.

VII. *Tertium mandatum* fuit, ut Abrahamus circumcideret carnem præputii sui, ipse & omnes masculi familiæ suæ: idemque erga infantes, qui deinde ex ipso posterisque ejus orirentur, octavo à nativitatis die observaretur, *Gen.* XVII. 10, &c. Quod durum admodum fuisse, præsertim seni infirmo (tunc enim Abrahamus erat pæne centum annorum) res ipsa docet. Eo autem Deus voluit obsignare promissionem de danda ipsi & poste-

posteris ejus terra Canaan in possessionem perpetuam, & benedicendis in ejus semine omnibus terræ nationibus, ut quotiescunque de hac nota corpori impressa cogitarent, istius promissi recordarentur. Quod vero nonnulli existimant, circumcisionem fuisse à Deo institutam, ut esset signum & remedium nativæ corruptionis quam ab Adamo trahimus, satis refutatum est supra, cum ageretur de peccato originis. Nec etiam certum est eam ad fidem confirmandam inserviisse. Nulli enim externi ritus id præstare possunt, quorum tota vis & usus consistit in significando, & admonendo homines officii sui. Nam quod affertur, Apostolum circumcisionem appellare sigillum justitiæ fidei, *Rom.* IV. 11. non ostendit eam talem usum habuisse in omnibus circumcisis, cum id de Abrahamo tantum dicat. Et ita intelligi potest, quasi dictum esset, ipsum circumcidendo se demonstravisse quam justus & Dei timens esset; quia obediendo mandato isti divino sinceritatem suæ fidei quasi sigillo obsignavit. Nisi enim vere Deo credidisset, & se totum ei resignasset, nunquam induci potuisset ad hoc fœderis divini signum, & pudendum & summe dolorificum, carni suæ imprimendum: Quod cum non dubitarit facere, eo ipso quanta fide esset præditus ostendit: Quemadmodum Joannes Baptista dicit de eo qui accepit Christi testimonium, ἐσφράγισε, *obsignavit, quia Deus est verax*, *Joan.* III. 33. Demus tamen circumcisionem vocatam fuisse à Paulo *sigillum justitiæ* respectu Dei ipsius, qui instituendo eam, testatus fuerit Abrahamo & quasi obsignaverit, se eum propter fidem sibi adhibitam pro justo reputare, & justitiæ præmio donare velle: Inde non sequitur, circumcisionem eodem functam esse officio erga infantes Israëlitarum quibus administrabatur. Quomodo enim obsignavisset eorum fidem qui nondum credebant, aut forte nunquam credituri erant? Hoc perinde fuisset ac si quis vacuum vas diligenter obsignaret: cum sigillum non nisi ad tuto conservanda ea quæ inclusa sunt, adhiberi soleat.

VIII. Cæterum Deus jussit *masculos octavo die circumcidi*, non ante: quia usque ad illum diem infantes sunt infirmiores & quasi in confinio vitæ & mortis positi: ac proinde ad ferendum circumcisionis dolorem nondum idonei. Noluit etiam ultra differri, aut usque ad ætatem adultam, ne forte parentes fracti liberorum lacrymis & precibus illam omitterent. Adde quod minus est dolorifica in ista tenella ætate, & facilius sanatur quam in adultioribus. Non putarim tamen illicitum fuisse differre circumcisionem, si infantes octavo die ægrotarent, & eam absque vitæ periculo sustinere non possent. Erat enim instituta ad eos fœderi divino inserendos, non per mortem eradicandos. Intermissaque fuit per quadraginta annos in deserto, *Jos.* V. Deo, ut putant quidam, connivente: quia propter perpetuas Israëlitarum peregrinationes, & temporis quo movenda erant castra incertitudinem, infantes absque magno incommodo circumcidi non potuissent.

IX. Sed cur Deus mandavit Abrahamo & posteris ejus, ut circumciderent etiam *servos suos, tam vernas quam emtitios*, qui ex sua stirpe non essent, cum ad fœdus Dei non pertinuerint? Respondeo, Illos quamdiu cum Abrahamidis, id est, in terra Canaan habitabant, earundem cum ipsis benedictionum temporalium fuisse participes: & per conjugia potuisse semini illi sancto inseri, in quo benedicendæ erant omnes terræ gentes: ac proinde non fuisse inconveniens ut fœderis, quo ista promittebantur, signum in carne sua ferrent. Si tamen irent habitatum inter alios populos, non erant obligati ad infantes qui tunc sibi nascebantur circumcidendos: imo neque, ut puto, Ismaël & Abrahami ex Kethura filii, neque Esavus, qui in isto fœdere comprehensi non erant. Quamvis enim diu ritum istum retinuerint, & quidam etiam hodie observent, id non fecerunt divino jussu, sed electione spontanea, quod existimarent se ista ratione Deo magis placere, aut ad ostentandum se ex Abrahami prosapia originem trahere.

X. Gravis autem comminatio fuit addita circumcisionis neglectui. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, exscindetur anima illa de populo suo, quia pactum irritum fecit*, *Genes.* XVII. 14. Sed illa ad infantes tempore infantiæ suæ non pertinebat. Non enim poterant negligentia aut contumacia sua fœdus Dei, quod nondum intelligendi capaces erant, irritum reddere. Unde videmus Deum voluisse Mosem interimere, quod filii sui circumcisionem neglexisset, non vero puerulum illum, qui paternæ culpæ particeps non erat, *Exod.* IV. 24. Quid vero his verbis, *exscindetur anima illa de populo suo*, intelligendum sit, disputatur. Quidam putant de morte civili, seu exclusione à privilegiis populi Dei propriis accipi debere. Alii vero de morte violenta, secundum magistratus sententiam infligenda. Sed exempla quæ pro priore opinione afferuntur, non mihi videntur valde esse idonea, ut *Num.* XIX. 11. *& seqq.* de immundo ex contactu cadaveris, qui non fuisset expiatus, *exscisum iri animam illius de medio congregationis.* Item *Esdr.* X. 8. de eo qui intra triduum Hierosolymam non venisset, *auferetur universa substantia ejus, & ipse abjicietur de cœtu transmigrationis.* Nihil enim vetat illud de supplicio mortis accipi; hoc vero non est constitutio divina, sed humana, & in ea non usurpatur phrasis *exscindendi animam.* Tutius ergo existimo posteriori acquiescere, quia hic est perpetuus Scripturæ usus. Ita de violatione Sabbathi dicitur *Exod.* XXXI. 14, 15. *qui fecerit in eo opus, excidetur anima illius de medio populi sui.* Quod ibidem exponitur per vocem *morietur*, & *morte morietur*: & confirmatur exemplo illius qui ligna collegerat die Sabbathi, quem Deus jussit lapidari, *Num.* XV. 35. vide etiam *Levit.* XVII. 9, 10. de eo qui sacrificium alibi quam ad ostium tabernaculi obtulisset, aut sanguinem come-

comedisset. Et similia multa, quæ non possunt aliter quam de supplicio capitali accipi.

XI. Superest circumcisionis duratio, de qua Deus dicit; *& erit fœdus meum in carne vestra in fœdus æternum*, *Gen.* XVII. 13. Unde colligunt Judæi eam nunquam esse abrogandam. Respondeo: Vox æterni non semper accipitur in Scriptura de eo quod nullum finem habiturum est; sed significat sæpe solam temporis diuturnitatem. Sic *Exod.* XXI. 6. & *Deut.* XV. 17. dicitur de servo qui septimo anno domini domum deserere nollet, *erit ei servus in æternum:* id est, usque ad annum Jubilæi, quo omnis servitus finiebatur inter Israëlitas, *Lev.* XXV. 39, 40. Et Deus promittit se daturum Abrahamo & semini ejus in æternum terram Canaan possidendam, *Gen.* XII. 13. Item sacerdotium Aaronis & filiorum ejus, duraturum in æternum, *Exod.* XXIX. 9. & XL. 13. se positurum nomen suum in templo Hierusalem in æternum, 1 *Reg.* IV. 3. & 2 *Reg.* XXI. 7. Et tamen hæc omnia jam diu abolita sunt. Fœdus ergo circumcisionis vocatur æternum, quia durare debebat quousque venisset semen illud Abrahamo promissum, quod eo figurabatur, in quo novum fœdus pangendum erat, quod nova quoque instituta haberet, *Jer.* XXXI. 31, &c.

XII. Unde sequitur Judæos, qui Christum amplexi fuerunt, circumcisionis ritu non amplius teneri, ut docet Paulus ad *Gal.* V. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Si quis tamen Judæus ad Christum conversus vellet adhuc ex reverentia mandati divini circumcisionem observare, non putarem impediendum: Apostoli enim id liberum ipsis reliquerunt, ut videre est *Act.* XXI. 21, &c. & Paulus ad vitandum Judæorum offendiculum Timotheum circumcidit, *Act.* XVI. v. 2, 3. licet postea noluerit id in Tito observari, ne libertatem Christianam proderet, *Gal.* II. 3, 4, 5. Sed cum antea nemo insereretur in populum Israëliticum, & proselytus fieret, nisi circumcisione suscepta; id, post adventum Christi & missum Spiritum Sanctum, abrogatum est. Tunc paries intergerinus, qui Gentiles dividebat à Judæis, dirutus est, lege mandatorum in ritibus abolita, *Ephes.* II. 14, 15. Unde cum quidam ex Pharisæis qui in Christum crediderunt dicerent fidelibus ex Gentibus, *nisi circumcidamini secundum morem Mosis, non potestis salvari*, *Act.* XV. 1. Paulus & reliqui Apostoli Hierosolymis congregati obviam isti rei eundum putarunt, decretum facientes de non imponendo Gentilibus, qui ad Christum converterentur, circumcisionis jugo: ut videre est ibidem *versibus* 10, 19, 28. Imo Paulus sic protestatur Galatis, *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*, *Gal.* V. 2. Quod tamen non puto ita accipiendum, quasi illi qui se circumciderent excludendi forent ab omnibus Christi beneficiis, ac proinde à salute æterna. Nam cur tantopere id Gentibus nocuisset, quod Judæis nihil oberat? Sed Apostolus solum voluit indicare, eos qui circumcisionem reciperent, nullum ex libertate à jugo cæremoniarum legis, quam Christus nobis peperit, fructum capturos; quia se circumcidendo, se ad reliquos quoque legis ritus servandos obstringebant, prout illic addit, *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Vel, si hæc interpretatio alicui non satisfaciat, possumus dicere Paulum istud tantum pronunciasse de iis qui in circumcisione fiduciam collocabant, & per eam justificari volebant; eos à gratia Christi, cui tacite renunciabant, excidisse. Alias nolim pios Æthiopes damnare, qui hodie etiam circumcisionem observant: cum profiteantur se nullo id alio fine facere, quam ut ostendant se ex Abrahamo oriundos: non quod quicquam circumcisioni in negotio salutis tribuant, aut se idcirco supra reliquos Christianos efferre & de ea gloriari velint. Nam etiam liberum unicuique faciunt, eam observare vel negligere.

XIII. *Quartum mandatum* fuit; ut Abrahamus filium suum unigenitum Isaacum Deo in holocaustum offerret, *Gen.* XXII. Quod omnium gravissimum fuisse, res ipsa satis docet. Quippe oportuit Abrahamum, ut illi obtemperaret, naturam propemodum exuere. Non enim aliquem è multis sibi jubet immolari, sed unicum: (Ismaël quippe, qui ex ancilla secundum carnem natus erat, in computum hic non venit; sed ille solummodo, quem ex Sara libera secundum promissionem consecutus fuerat:) non exosum, ut aliquando contingit, sed dilectissimum; non immorigerum, sed valde obedientem, ut hac ipsa historia apparet, cum se vinciri, & altari imponi, absque resistentia patitur; non aliena manu, sed propria: denique cum, in quo Deus ipsi promiserat se omnibus terræ nationibus benedicturum: ita ut mandato isti parendo fiduciæ suæ fulcrum everteretur. Sed fervens Dei amor, & inconcussa in ipsum fides, quod filium potius ex morte suscitatum sibi redditurus esset, quam promissum non impleret, *Hebr.* XI. 19. omnia ista impedimenta animose superat.

XIV. Ex eo autem, quod Scriptura mandatum istud *Tentationem* vocat, duæ occurrunt quæstiones breviter enucleandæ. *Prima* est, Quomodo id conveniat cum eo, quod Jacobus Apostolus docet, *Nemo, cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim non tentatur malis; ipse autem neminem tentat*, *Epist. cap.* I. Sed locus ipse solutionem nodi suppeditat. Apostolus enim agit de tentatione ad peccatum, & eam à sanctissima Dei natura alienam esse ostendit. Inquies, Nonne istud est turpe, & à quo ratio abhorret, ut pater filium suum immolet? Respondeo: Omnino, si proprio id motu faciat, sed non si ad expressum Dei jussum. Ratio enim docet oportere Deo absque ulla exceptione, aut tergiversatione, in omnibus, quæ præcipit, morem gerere. Hic demum obedientia cæca est laudabilis: Nam Deus non solum vitæ omnium absolutus est

Do-

Dominus, & jus habet illam, quocunque libuerit modo, repetendi; sed etiam quicquid mandat est æquissimum; adeo ut vel dubitare an ei sit parendum, multum de obedientiæ perfectione delibet. Ne quis tamen hoc exemplo abuteretur, Deus promtitudinem Abrahami vidisse contentus, impedivit, ne ulterius pergeret, & loco Isaaci pecudem ipsi occurrere fecit, quam immolaret.

XV. *Altera* est, Quid moverit Deum, qui omniscius est, & καρδιογνώστης, ut Abrahamum tentaret, cum omnis tentatio à desiderio sciendi rem incognitam proficisci videatur? Respondeo, Multos in hoc nodo dissolvendo sudasse; sed nullum adhuc inventum, qui omnibus satisfaceret. Simplicissimum esse puto, dicere, Deum ideo tentasse Abrahamum, ut visibile pietatis ipsius haberet experimentum, quod post-venturis hominibus in exemplum proponeret. Nec refert, quod sacrificio peracto dicat, *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*, &c. Noluit enim significare his verbis, se id antea ignorasse; sed tantum, quod tale experimentum, quale postulabat, nondum habuisset. Quod vero Augustinus dicit, *cognovi* idem esse ac *cognoscere feci*, id violentum est, & ab usu Scripturæ alienum, quæ verbum istud in tali significatione nunquam accipit.

CAPUT XIII.

De Promissionibus Abrahamo factis; & de cultu qui deinceps usque ad Mosem in reliquo mundo obtinuit.

I. *Primam promissionem Abrahamo factam, fuisse de terra Canaan.* II. *Secundam, de multiplicatione seminis sicut pulveris terræ.* III. *Tertiam, Deum Abrahami protectorem & mercedem magnam futurum.* IV. *Quartam, quod in semine ejus benedicendæ essent omnes terræ nationes.* V. *Quam cognitionem Christi & vitæ æternæ Abrahamus habuerit.* VI. *Quam studiose Dei fœdus custodiverit.* VII. *Exemplis Melchisedeci, Jobi, &c. probatur, Deum hoc fœdere non penitus omnes reliquos homines à sua gratia exclusisse.* VIII. *Nec ipsis, ut Deo gratiores essent, circumcisione opus fuisse.* IX. *Quis Religionis status tunc in mundo fuerit extra Abrahami familiam.*

I. INter *Promissiones* Abrahamo factas *prima* fuit, *Deum daturum ei & semini ejus terram Canaan in perpetuum possidendam*, *Genes.* XII. 1, 7. & XIII. 15. & XV. 18. Ubi duo observanda veniunt. Unum, id Abrahamo dandum dici, quod ipsius posteri, eo nomine quod ab eo prognati essent, accepturi erant. Parentes enim cum suis liberis in plerisque rebus unam solum personam constituere censentur. Alioqui si Abrahamum ipsum spectes, Deus non dedit ei hæreditatem in terra Canaan, *ne gressum quidem pedis*, *Act.* VII. 5. Alterum, Deum non proposuisse dare terram Canaan proximis Abrahami hæredibus; sed iis demum, qui post quadringentos annos victuri essent: ita enim dicit ei, *Scito quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis, &c. Generatione autem quarta revertentur huc: Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus*, *Gen.* XV. v. 13, &c. Ubi postrema hæc verba, *Nondum enim*, &c. continent rationem, cur Deus tam diu promissionis suæ exsecutionem differret; nempe, quia nolebat expellere Amorrhæos ex sua terra, quin malitia ipsorum ad fastigium, quo tendebat quotidie, pervenisset. Vide *Exod.* XXIII. v. 29, 30. *Deut.* VII. 22. *Judic.* III. 1, 2, 3, 4.

II. *Secunda Promissio* fuit, *Deum valde multiplicaturum semen Abrahami, sicut pulverem terræ, seu arenam, quæ est in littore maris, & sicut stellas cæli*, *Gen.* XIII. 16. & XV. 5. & XXII. 17. In qua etiam duo observanda sunt. Unum, hyperbolen hic esse, qua posteros Abrahami mirum in modum multiplicatum iri significatur: Etiamsi enim una cum carnalibus Abrahami filiis annumeretur spiritualis ipsius posteritas, seu Christiani, qui vestigia fidei ejus sequuntur, certum est, eam nondum æquasse, aut unquam æquaturam arenam maris; ne de stellarum numero dicam, qui immensus est, & plus quam millies millenis partibus veterum Astronomorum calculum superat, ut observationes telescopio nuper invento factæ docent. Alterum: istud Abrahamo promissum fuisse cum nullam adhuc haberet prolem, & uxor ipsius esset sterilis atque valde ætate provecta; adeo ut naturæ solius habita ratione impossibile videretur.

III. *Tertia Promissio* fuit, *Deum Abrahami protectorem, & mercedem magnam futurum*, *Gen.* XV. 1. Cum quo in sensu optime convenit istud, *Ero Deus tuus, & seminis tui post te*, *Gen.* XVII. 7. Deus enim se alicujus Deum esse ostendit, cum eum ab omni malo immunem præstat, & omni benedictionum genere cumulat. Verba autem hujus promissionis adeo generalibus verbis concepta fuerunt, ut Abrahamus certus esset, nihil tam magnum, aut naturæ vires superans dari posse, quod à Dei liberalitate exspectare non deberet, si fœdus ejus custodiret.

IV. *Quarta Promissio* fuit, *in semine Abrahami benedictum iri omnes terræ nationes*, *Genes.* XII. 3. & XVIII. 18. & XXII. 17. Quæ, si literam solam spectes, significatum est; tam beatum fore populum ex Abrahamo oriundum, ut ex eo omnes terræ populi, benedictionis formulam mutuaturi essent, & dicturi iis, quibus fausta omnia optare vellent, *Deus benedicat vobis sicut Abrahami posteris benedixit.* Sic enim Jacob hanc phrasin intelligendam ostendit, cum Josephi filiis benedicit; *In te*, inquit, *benedicetur Israël, atque dicetur, Faciat tibi Deus sicut Ephraïm, & sicut Manasse*, *Genes.* XLVIII. 20. Innuitur quoque reliquos terræ populos benedictionum divinarum quæ Abrahamo factæ sunt aliquando fore participes, quando in unum populum sub Novo Fœdere coalescerent. Mystice vero significatum fuisse Christum, Paulus docet, *Gal.* III. 16. Posset tamen alicui minus solida videri argumentandi ratio qua illud colli-

colligit, *Non dicit* (nempe Deus) *Et feminibus, quasi in multis: sed quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus.* Cum notum sit vocem *semen* esse collectivam, ut *populus*, *grex*, quæ in singulari multitudinem significant. Sed observandum est, ipsum nomine Christi non solum ejus personam intellexisse, sed simul etiam Ecclesiam Christianam, quæ cum Christo unum spirituale corpus constituit, cujus ipse est caput, & singuli fideles membra: Nam licet ex Judæis & gentilibus coaluerit, non sunt amplius duo populi, ut erant, antequam credidissent, sed unus; adeo ut melius semen Abraham, singulariter, quam semina, pluraliter, nuncupentur.

V. Quamvis ergo in promissionibus Abrahamo & semini ejus factis, nulla aperta & expressa Christi, & vitæ æternæ fiat mentio, nihilominus in illis comprehensa fuerunt sub cortice literalis sensus: quem Apostoli in scriptis suis nobis aperiunt: Quantam vero illorum cognitionem Abrahamus, & alii Veteris Testamenti fideles habuerint, non opus est hic anxie inquirere. Longo quidem intervallo distitit ab ea, quæ jam nobis affulget, sed tamen non fuit plane nulla: *Abraham* enim *exultavit ut videret diem Christi, viditque, & gavisus est*, inquit Jesus ipse, *Joan.* VIII. *v.* 56. Vidit autem eum spiritu, ut Propheta, & in Isaaci filii sui typo, de cujus nativitate gaudens, simul de Christi, quem repræsentabat, adventu lætatus est: Et Scriptor ad Ebræos testatur *Abrahamum exspectasse civitatem habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus: Et ipsum cum posteris suis, profitendo se peregrinos & hospites esse super terram, significasse se patriam inquirere; non illam de qua exierant, in quam habebant revertendi tempus, sed meliorem, id est, cælestem*, *Hebr.* XI. 10, &c. Melioris autem istius patriæ typus erat terra Canaan, in cujus promissione primo, & postea etiam possessione, illam fide intueri poterant.

VI. Restaret jam ut ostenderemus, quam studiose Abrahamus Dei fœdus custodierit, sed quia id ex ante dictis satis apparet, non est opus hic pluribus commemorari. Deo jubenti, ut ex patria exiret, & cognationi suæ valediceret, sine cunctatione paruit. Item cum mandavit, ut se circumcideret, & dilectum suum Isaacum in holocaustum offerret: Nec mandatorum istorum summa difficultate absterritus est, quominus ea confestim & alacriter exsequeretur. Et in his aliisque sanctis operibus ambulatio coram Deo, & perfectio, quæ ei præceptæ fuerunt, constitit. Fons autem unde profecta est eximia hæc obedientia, fuit fides, quam promissionibus Dei adhibuit; quam celebrat Moses, dicens, *Credidit Abrahamus Deo, & reputatum est illi ad justitiam*, *Genes.* XV. 6. & post eum Paulus, *Rom.* IV. *Galat.* III. & *Jacob.* II. Unde *Pater credentium* vocatur *Rom.* IV. II. quia omnibus, qui ipsum secuti sunt, fidei suæ exemplo præluxit, credens Deo etiam in iis, quæ omnem fidem humanam, & naturæ vires superabant; ut pluribus ostendit Apostolus *Rom.* IV. 19, &c. *Hebr.* XI. 8, &c. Utrum autem crediderit peccata sua Christi sanguine expiatum iri, incertum est: Nulla enim exstant in Sacris Literis vestigia, ex quibus colligere possimus istud revelatum ei fuisse: Si autem non fuit revelatum, quomodo id credere potuit? Non enim est ejusmodi res quam ratio doceat; sed à sola Dei voluntate pendet, in cujus arcana penetrare hominibus est impossibile. Sed non ut Abrahamus pactum Dei fideliter servavit, ita etiam posteri ipsius: Quamvis enim Deus testimonium istud de eo perhibeat, *Scio, quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam*, *Gen.* XVIII. 19. tamen plurimi eorum fuerunt infideles, & fœdifragi, ut Deus passim conqueritur apud Prophetas, Christusque etiam, & Apostoli. Nihilominus Deus fidelis erga Abrahami semen mansit; & propter istud fœdus denuo vocaturus est aliquando Judæos incredulos ad Christi sui cognitionem, ut Paulus prædicit *Rom.* XI. *v.* 25, &c. & quidem hac addita inter alias ratione, *Quia sine pænitentia sunt dona & vocatio Dei.*

VII. Occasione autem fœderis istius cum Abrahamo & ejus posteris à Deo initi, quæritur an mens Dei fuerit omnes reliquos homines à sua gratia penitus excludere; ita ut extra Abrahami familiam & posteros nulli veri cultores Dei, nulli salutis æternæ participes toto orbe esse possent? Ad quod respondeo: Contrarium patere ex multis Scripturæ locis. Tempore Abrahami vivebat Melchisedec, Rex Salem, vir pius, & Sacerdos Dei altissimi; cui Abraham decimam manubiarum ex hostibus suis reportatarum persolvit, & benedictionem ab eo accepit, *Genes.* XIV. qui typus Christi fuit, *Psalm.* CX. *Hebr.* VII. Sub tam pio autem Rege, & Sacerdote, nullos fuisse homines Dei timentes, qui ipsum imitarentur, incredibile est. Non diu post vixit Jobus, & ejus amici, qui quanta Dei cognitione & pietate præditi essent, totus liber Jobi testatur. Eos autem ex Esavo originem duxisse vulgo creditur, & probabiliter admodum colligitur ex *Genes.* XXXVI. II. imo LXX interpretes id diserte asserunt in versione libri Job circa finem, ubi Job quintus ab Abrahamo fuisse perhibetur, forte ex Hebraïco aliquo exemplari, illis, quibus hodie utimur, pleniori. Jethronem etiam Mosis socerum, Sacerdotem Madian, fuisse virum valde pium, apparet ex libro *Exodi cap.* XVIII. Sane non fuisse idololatram id aperte testatur, quod Deo Israëlis sacrificia & holocausta una cum Mose & senioribus populi obtulerit; ideoque Moses, Deo haud dubie approbante, consilium ejus sequi non est dedignatus in regendo isto populo, & in LXX Seniorum tribunali, quod ad extremam usque Hierosolymorum destructionem duravit, erigendo. Rahab etiam Deo propter fidem placuit, antequam populo Israëlitico per conjugium cum Salmone insereretur. Hiram quoque Rex Tyri, & Regina Sa-

bæ, tempore Salomonis, pietatis erant studiosi.

VIII. Forte aliquis regeret, eos, qui bonis, fœdere cum Arahamo inito promissis, frui vellent, debuisse circumcidi, & post legem latam alios ab ipsa præscriptos ritus observare; quod multi proselyti factitarint. Sed respondeo: Id tantum requisitum fuisse, ut terræ Canaan, & benedictionum temporalium ei alligatarum participes essent, non ut Deo ad salutem placerent: Semper enim verum fuit, quod dicit Petrus, *In omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi*, *Act.* x. 34. Etsi ipse antea præjudicio impeditus, illud non intellexisset. Loquitur autem de Gentilibus incircumcisis, & qui legem Mosaïcam non servabant; qualis erat Cornelius Centurio. Ideo prophetæ, cum scelera populorum idololatrarum reprehendunt, & judicia Dei ipsis denunciant, nunquam eos omissæ circumcisionis, aut Sabbathi, aliorumve ejusmodi rituum violatorum accusant, vel ad eos observandos hortantur; sed tantum peccatorum adversus legem naturæ, prætermissa etiam idololatria, meminerunt; nimirum fœdus istud nullos alios obligabat, præter Israëlitas, cum quibus initum fuerat; propterea que cum reliqui populi per Evangelium vocati fuerunt ad veri Dei cognitionem, Deus noluit eos legis rituum onere gravari, *Act.* xv. Nec sic quicquam detrahitur excellentiæ istius gratiæ, qua Deus Abrahamidas speciatim prosecutus est: Etsi enim absque ea salus æterna obtineri posset, id tamen longe facilius erat iis, quibus Deus voluntatem suam, & modum se colendi patefecerat, quam aliis, qui nullam legem, præter rationis dictamen, aut incertas aliquot traditiones habebant. Quod beneficium Propheta celebrat *Psalm.* CXLVII. 19, 20. *Annunciat verbum suum Jacobo; statuta, & judicia sua Israëli; Non fecit ita omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.*

IX. Huc quoque pertinet, ut sciamus, quis fuerit isto tempore Religionis status in mundo extra Abrahami familiam; cujus exigua quædam vestigia in libro Geneseos exstant. Passim quidem incipiebat vigere idololatria; sed non ita, ut nulli plane ab ea essent immunes, ut modo ostendi; saltem à gravioribus sceleribus, ut adulterio, abhorrebant, & severe puniebant, ut docet historia Abimelechi, *Gen.* xx. & Thamaræ, quam Judas socer comburi volebat, quod adulterii suspectam haberet, *Genes.* XXXVIII. Nempe secundum leges vulgo receptas in illa regione, ubi tanquam peregrinus degebat, alias id non ausurus. Mos etiam erat, ut frater semen fratri, absque liberis defuncto, suscitaret, viduam ejus ducendo; ut ex eadem Thamaræ historia ibidem apparet. Decimas quoque bonorum suorum cultui divino consecrabant, *Gen.* XIV. 20. Quod ad præmia Dei cultorum; Lothus nobis est exemplo, cui Deus valde benedixit, & quem ex Sodomæ & Gomorrhæ incendio cum familia liberavit. Pœnarum vero impiorum, horrendum istud judicium adversus quinque urbes, quæ igne & sulphure de cælo pluente consumtæ fuerunt. Unde discerent cæteri omnes, quid sibi exspectandum foret, nisi vitam emendarent, *Genes.* XVIII. & XIX. 2 *Petr.* II. 6, 7. *Juda versu* 7. Imo ipsa Lothi uxor propter incredulitatem in statuam salis lapidei conversa est, *Genes.* XIX. 26. quam Josephus *Antiquit. lib.* I. *cap.* 12. suo adhuc tempore perdurav isse testatur. Cujus meminisse nos Christus jubet *Luc.* XVII. 32. Et procul dubio tam diu fuit integra conservata, ut de severa Dei justitia in puniendis sceleribus, intuentes eam, admoneret; sicut & fœtida palus oborta in loco Sodomæ & Gomorrhæ, ubi etiamnum hodie nullum animal vivere posse fertur, ideoque Mare mortuum vulgo est appellata.

CAPUT XIV.

De lege Mosis in genere.

I. *Legem esse latam non omnibus Abrahami posteris, sed ex Isaaco & Jacobo proseminatis.* II. *Deum Mosis ministerio ad id fuisse usum.* III. *Legem tamen à Deo immediate non accepisse, sed ab Angelo.* IV. *Mosem miraculis claruisse, quæ Christi miraculis non uno nomine cedunt.* V. *Rabbinos legem in Scriptam & Oralem dividere.* VI. *Plurimos Judæos Oralem istam legem non recipere.* VII. *Mosem in dubiis casibus ad eam non recurrisse.* VIII. *Minime credibile esse Judæos per* 2000 *annos memoria sola illam conservasse, cum Scriptam amiserint.* IX. *Judæos legem Scriptam in* 248 *præcepta affirmativa &* 365 *negativa dividere;* X. *Christianos autem in præcepta Moralia, Ceremonialia & Politica.*

I. HActenus de Religione naturali, & fœdere quod Deus cum Abrahamo & posteris ejus pepigit; sequitur *Lex* eisdem, cum in magnum populum excrevissent, Mosis interventu data; quæ *Fœdus* quidem interdum vocatur, sed longe frequentius *Lex*; propterea quod Deus in ea præscribenda majorem, quam in isto Fœdere, rigorem præ se tulit. Ejus circumstantia primo consideranda sunt, deinde substantiæ. Circumstantiæ sunt, quibus & per quos sit lata. Posteritas Abrahami, & illa quidem sola quæ ex Isaco & Jacobo fuit proseminata, est ille populus, cui Deus legem dedit, postquam intra 400 annos à Fœdere cum Abrahamo inito tantopere foret multiplicatus, ut plus quam sexcenta millia bellatorum in aciem educere posset: sed quia tunc dura servitute premebatur in Ægypto, fierique nequibat, ut ibi mandata Dei observaret, prætereaque tempus advenerat, quo Deus promiserat Abrahamo se terram Canaan semini ejus in hæreditatem perpetuam donaturum, necesse fuit ut Deus ipsum ex miseria illa liberaret, antequam leges ullas ei præscriberet, & in terram possessionis suæ introduceret. Hunc in finem elegit servum suum Mosem, quem ferventi crudeli Pharaonis adversus Israëlitas persecutione natum, providentia sua speciali conservaverat à morte; imo in ipsa Regis, qui populum istum perdere nitebatur, aula tanquam

quam ejus ex filia nepotem educari curaverat. Deinde cum tempus liberationis advenisset, in quam Pharao consentire nolebat, Deus per eum multis gravibus plagis Ægyptum percussit, & tandem Israëlitas in libertatem asseruit, trajectoque miraculose mari rubro, ipsos in desertum Arabiæ ad montem Sinaï adduxit, ubi Deus eis voluntatem suam manifestavit, & legem illam toto orbe celebrem dedit.

II. Ad id autem usus est Angelorum & Mosis ministerio, ut in libro Exodi passim docetur; quo respiciens Paulus dicit, *Legem ordinatam esse per Angelos in manu mediatoris*, *Gal.* III. 19. Mediator enim iste sive internuntius, per quem Israëlitæ legem à Deo acceperant, erat Moses. Nam cum ascendisset ad Deum in montem Sinaï, unde Deus Decalogum in medio fulgurum, tonitruum, & ignis toto Israëlitico populo audiente pronuntiavit, mansit cum eo quadraginta dies noctesque continuas, & inde duas tabulas lapideas retulit, in quibus digito Dei scriptus erat Decalogus, aliasque leges pentateucho contentas, quas ex Angeli alloquio didicerat. Ubi observandum est nullam in eo esse contradictionem, quod legis præscriptio modo ipsi Deo, modo Angelis in Scriptura tribuitur; jure enim unum idemque opus ad Deum refertur, quia ejus est primarius autor, & ad Angelos, quia eos tanquam ministros adhibere ipsi placuit: hincque est, quod lex vocatur *Sermo dictus per Angelos*, *Heb.* II. 3. & quod Stephanus testatur *Israëlitas accepisse legem per dispositionem Angelorum*, *Actor.* VII. 53. intelligendo semper eos nihil nisi ex Dei jussu in hac re fecisse. Sed quia Moses Dei mandata ordinarie ad populum detulit, qui semel Angelum loquentem audierat, ideo legem ei tradidisse vulgo dicitur, & legislator nuncupatur, non Angeli.

III. Falluntur ergo Judæi, qui ad Mosis præstantiam supra omnes alios Prophetas extollendam, ipsum immediate à Deo legem accepisse, & cum eo collocutum fuisse dicunt. Nulli enim mortalium istud privilegium unquam concessum est, præterquam *unigenito Dei Filio*, *qui fuit in sinu Patris*, *& nobis ejus notitiam dedit*, *Joan.* I. 18. ideoque cum Moses petiisset à Deo: *Ostende mihi gloriam tuam:* hoc responsum tulit: *Non poteris videre faciem meam*, *non enim videbit me homo & vivet*, *Exod.* XXXIII. 18, 20. Nec his adversatur id, quod citant ex *Num.* XII. 8. *Ore ad os loquar ei*, &c. istis enim verbis nihil aliud significatur, nisi Mosem cum Angelo, quem Deus Israëlitico populo præfecerat ductorem, familiarius esse locutum, quam ulli alii prophetæ. Nam, cum Dei nomen esset in isto Angelo, ut Deus ipse dicit *Exod.* XXIII. 21. qui cum eo loquebatur, cum Deo ipso loqui censebatur. Quod etiam discere possumus ex verbis Stephani, *Angelum* appellantis eum, *qui apparuit Mosi in rubo*, *& loquebatur ei in monte Sinaï*, *Act.* VII. 30, 38. Quamvis iste Angelus ad conciliandum legationi suæ autoritatem Deoque volente diceret, *Ego sum Deus Abrahami*, *& Deus Isaaci*, *& Deus Jacobi*, *Exod.* III. 6. cum eo autem erant adhuc alii, qui ipsum in lege danda comitabantur; indeque Angelorum in plurali numero quibusdam in locis fit mentio.

IV. Hincque manifestum est legem, quam Moses ab Angelis acceptam Israëlitis dedit, esse divinam, cum Angeli sint *ministri Dei*, *qui jussa ejus fideliter exequuntur*, *Psalm.* CIII. 20, 21. Sed ne quis suspicaretur eum Angelis quæ ipse finxerat tribuere, Deus fidelitatis ejus testimonium præbere voluit per multa signa & prodigia, quæ edidit in terra Ægypti & in mari rubro, & in deserto annis 40, *Act.* VII. 36. Ea enim erant veluti literæ fiduciariæ, quales legatis suis dare solent Reges, ut apud eos, quibus mittuntur, fidem inveniant. Nec propterea fas est illorum veritatem revocare in dubium, quia nulli extant istorum temporum scriptores, qui Mosi suffragentur. Nam Moses libros suos promulgavit illis viventibus, qui miraculorum à se factorum spectatores fuerant, qui ipsum ut Prophetam à Deo missum venerati non essent, sed contra ut impostorem detestati, si quicquam mentiri comperissent: ut jam non dicam Mosem testimonium habere à Christo & ejus Apostolis, quorum fides certa nobis esse debet. Quamvis autem miracula Mosis plus quam sufficientia fuerint ad persuadendum Israëlitis ipsum à se non venisse, longe tamen cesserunt eis, quæ Christus fecit. 1. Quod ad numerum, cum miracula Mosis, etiam eis comprehensis, quæ ipse non fecit, sed tantum in ejus gratiam facta fuerunt, non excedant numerum septuaginta sex; Mundus vero non posset capere libros, qui de miraculis Christi scriberentur. Deinde quod ad excellentiam: pleraque enim Mosis miracula erant supplicia, Christi vero mera beneficia: Moses nullum mortuum suscitavit, Christus vero aliquot, adeo ut Judæi causam non habeant, cur suum Mosem Christo nostro anteponant.

V. Jam ut ad ipsam legem accedamus. Hic primo expendendum venit, quod Rabbini Judæorum tradunt, Mosem à Deo geminam legem in monte Sinaï accepisse; unam, quam scripto consignaret, quæ hodie reperitur in ejus libris; alteram, quam ore tantum traderet, & memoria retineri deberet, quæ incorrupta absque scripto per bis mille annos conservata fuerit, nempe usque ad quingentesimum annum à Christo nato, quo in lucem editum est Thalmud Babylonicum, ubi Sapientes Judæorum legem istam oralem inseruerunt, ne propter suæ gentis per omnes mundi plagas dispersionem corrumperetur, aut tandem etiam penitus oblivioni traderetur. Datam autem eam volunt à Deo ad supplendum ea, quæ in lege scripta desunt, & decidendos varios casus in ejus praxi occurrentes, in quibus necessaria sit traditio, eamque omnino paris cum lege scripta esse authoritatis, imo quasi ejus animam, perinde ac si lex scripta inanime absque orali cadaver foret.

VI. Sed vanitatem legis istius oralis non est difficile ostendere. *Primo* enim magna Judæorum pars illam nunquam recepit, nempe ii omnes, qui vocantur *Karaim*, id est, *Scripturarii*, quod rejectis Thalmudicorum traditionibus, soli Scripturæ sacræ textui inhærendum esse censeant; quorum magnus est numerus & autoritas in Palæstina, Ægypto, Constantinopoli & per totum Orientem; licet reliqui eos pro hæreticis habeant; Non rejicerent autem si à Deo prodiisse crederent. Sciunt enim Deo semper esse parendum, tam cum viva voce voluntatem suam revelat, quam cum scripto: sed ut prudentes cavent, ne sibi hominum commentis sub oralis alicujus revelationis prætextu imponatur.

VII. 2. Si Moses talem legem oralem accepisset in qua deciderentur omnia, de quibus controversia oriri posset, sive circa Dei cultum, sive circa judicia, non fuisset opus ut Dei os consuleret, in quibusdam casibus lege Scripta non contentis, quemadmodum sæpe factum ab eo videmus; exempli gratia, cum filius quidam mulieris Israëlitidis, cujus pater erat Ægyptius, blasphemasset nomen Domini; miserunt enim illum in carcerem, donec nossent, quid juberet Dominus, *Levit.* XXIV. 10. *& seqq.* item cum vir quidam ligna Sabbatho collegerat, nam recluserunt eum in carcerem, nescientes, quid super eo facere deberent, donec id Deus oraculo suo patefecisset, *Num.* XV. 32. *& seqq.* Nec non cum aliqui homines immundi erant propter contactum cadaveris, & non potuerant Pascha cum aliis tempore constituto celebrare; quibus respondit Moses, *State, ut consulam, quid præcipiat Dominus de vobis*, *Num.* IX. 6. *& seqq.* Denique cum filiæ Salphaad peterent possessionem hæreditatis sibi dari inter patris sui cognatos, Moses causam retulit ad judicium Domini, *Num.* XXVII. 1, &c.

VIII. 3. Non est credibile sacerdotes Judæorum idololatras legem oralem, si quam habuissent, incorruptam memoria conservaturos, cum tam mali custodes fuissent legis scriptæ, ut per aliquod temporis intervallum liber ejus amissus aut incognitus ipsis manserit, ut videre est 2 *Reg.* XXII. 10. *& seqq.* 2 *Chron.* XXXIV. 14. *& seqq.* Nam longe facilius est legem in libro, quam in memoria sola conservare. Judæi nostri hodierni respondent, ibi agi de libro legis ipsa Mosis manu scripto, quia cum inventus est postea sub pio Rege Josia, dicitur: *repperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manum Mosis*, 2 *Chron.* XXXIV. 14. Sed hoc nullius est momenti, ibi enim non habetur vox *scripta*, & æque commode subaudiri potest *data*. Nihil autem familiarius est in Sacris literis Veteris Testamenti, quam ut id per alicujus manum factum esse dicatur, quod ministerio ejus factum est, nulla scriptionis aut alterius manuum operis habita ratione, ut *Exod.* XXXV. 29. & XXXVIII. 21. *Lev.* VIII. 36. & *Numer.* IV. 45. & XXXIII. 1. & *Jos.* XXII. v. 9. *Hag.* I. 1. *Malac.* I. 1. & alibi. Adde, quod si in illis locis ageretur tantum de exemplari legis, quod Moses sua manu scripserat, Rex & Principes ejus non ita territi fuissent libro illo invento, cum satis nosse possent, quid illo contineretur ex aliis exemplaribus, quæ dicuntur habuisse. Sed ex omnibus illius historiæ circumstantiis apparet quædam inaudita ipsis in libro isto reperta fuisse, unde animadvertere est nihil esse nisi meras nugas, quæ Rabbini de ista lege orali jactant.

IX. Omissa ergo illa, videamus breviter quæ scripta contineantur. Ea sunt tum præcepta, tum promissa & minæ. Judæi eam vulgo distinguunt in 613. præcepta: istum numerum colligentes ex litteris vocis תורה Lex, quæ simul sumptæ faciunt 611. & ut habeant 613. illa à se quæsita, addi volunt duo prima Decalogi præcepta, quæ Deus ipse ore suo pronuntiavit. Rursum illa 613. præcepta subdividunt in 248. affirmativa, seu jubentia aliquid bonum fieri, quot nimirum, secundum ipsorum anatomicos, sunt membra in corpore humano: & 365. negativa, seu vetantia aliquod malum, quot sunt dies in anno solari: ut inde discamus, inquiunt, omnia corporis nostri membra in Dei mandatis exequendis debere esse occupata, & nullum esse anni diem, quo non à prohibitis abstinere teneamur. Sed quamvis hæc observatio sit ingeniosa, non tamen sine violentia inveniri potuit iste numerus 248. affirmativorum præceptorum, & 365. negativorum. Nam ad eum extundendum aliquando coacti fuerunt conjungere, quæ erant dividenda, aut contra dividere, quæ erant conjungenda; ita ut appareat illos numerum istum ex lege non desumpsisse, sed pro arbitratu suo in eam intulisse, ideoque quidam inter ipsos celebres Scriptores non putarunt se obligatos illum sequi, ut Rabbi Levi Barzelonita, qui totam legem in 261. præcepta, & forte melius, distribuit.

X. Sed Christiani doctores numeri ratione non habita, legis præcepta in tres species dividere solent: videlicet Moralia, Ceremonialia, & Judicialia, & convenientius ipsorum scopo, qui est ostendere, quænam obligent omnes homines & semper, quænam Israëlitas solos, & usque ad tempus adventus Messiæ: hancque distinctionem quidam putant à Mose insinuatam, *Deut.* VI. 1. ubi dicit: *Et hoc est præceptum* מצוה *statuta* חקים *& judicia* משפטים *quæ præcepit Dominus Deus vester*, ubi per *præcepta* intelligunt moralia, per *statuta* ea, quæ sunt ceremonialia, & per *judicia* ea, quæ pertinent ad politiam. Præcepta legis moralia sunt, quæ jus naturale de officio nostro erga Deum & proximos complectuntur, & omnes homines atque semper obligant, non quidem quatenus per Mosem Israëlitis sunt data, sed quatenus rectæ rationi sunt conformia, & nihil jubent nisi quod natura honestum esse dictat, nihil vetant nisi quod eadem turpe esse ostendit. Præcepta Ceremonialia sunt, quæ jus positivum complectuntur de ritibus circa cultum Dei externum observandis, quod ad personas, res, loca & tempora

pora sacra, quibus adumbrabantur ea, quæ sub Novo Fœdere, in Christo, & ejus Ecclesia impleta fuerunt. Præcepta judicialia sunt, quæ jus positivum complectuntur Israëlitis proprium, de contractibus & judiciis, aliisque ad regimen civile pertinentibus. Præter præcepta attendendum etiam est ad promissiones & minas, quibus Deo visum est legem sancire & Israëlitas ad eam diligenter custodiendam permovere; de quibus omnibus deinceps specialius erit agendum.

CAPUT XV.

De præceptis Moralibus legis Mosaïcæ, & speciatim de prima Decalogi tabula.

I. Decalogum in duas tabulas, & præcepta decem dividi. II. Quatuor præcepta primæ, & sex secundæ tabulæ esse tribuenda. III. Primæ tabulæ præcepta summatim comprehendi à Christo sub dilectione Dei. IV. De præfatione Ego sum Dominus, &c. V. Expositio primi præcepti, de non habendis Diis alienis. VI. Tribus modis eos haberi posse. VII. Et unum verum Deum pro Deo suo insuper esse habendum. VIII. Expositio secundi præcepti, de non faciendis & colendis sculptilibus. IX. De severa sanctione præcedenti interdicto addita, Ego enim sum Deus fortis, zelotes, &c. X. Expositio tertii præcepti, de non assumendo nomine Dei in vanum. XI. Expositio quarti præcepti de sanctificatione Sabbathi; idque partim morale esse & partim ceremoniale.

I. SUmma legis moralis continetur *Decalogo*, quem Deus ipse, vel potius Angelus ejus nomine, è monte Sinaï, audientibus omnibus Israëlitis pronunciavit. Decalogus autem duobus modis in Scriptura dividitur, primo in duas tabulas, secundo in decem præcepta. Divisio in duas tabulas eo nititur fundamento, quod Deus ipsum in duabus tabulis, quas suo digito scripserat, Mosi tradidit, *Exod.* XXXI. 18. Et postquam Moses eas propter Israëlitarum idololatriam fregisset, *Exod.* XXXII. 19. Deus jussit ipsum alias duas tabulas lapideas prioribus similes parare, in quibus iterum Decalogum inscripsit, *Exod.* XXXIV. 1, 4, 28. Hæc distributio in duas partes inde quoque probatur, quod Dominus Jesus ipsum totum duobus præceptis complectitur, uno de amore Dei, altero de amore proximi, *Matth.* XXII. 37. *& seqq.* Divisio in decem præcepta Deum quoque authorem habet: nam in Scriptura aliquoties mentio fit *verborum decem*, ut *Exod.* XXXIV. 28. *Deut.* IV. 13. indeque isti legi nomen Decalogi Græci indiderunt.

II. Jam quæritur, quot sint præcepta in unaquaque tabula, de quo non omnes Christiani inter se consentiunt. Sunt enim qui tria primæ attribuunt, & septem secundæ: nescio quæ mysteria in istis numeris aucupantes. Alii vero primam tabulam quatuor præcepta continere asserunt, & secundam sex. Non quod non omnes terminent primam in præcepto de observatione Sabbathi, & secundam inchoent ab eo quo jubentur liberi parentes suos honorare: de eo enim nullus est dissensus. Sed quidam conjungunt præceptum de cultu imaginum cum præcedente, de non habendis Diis alienis, & ex illis duobus unum faciunt: deinde præceptum de concupiscentia in duo discerpunt, & ex concupiscentia domus proximi faciunt nonum, ex concupiscentia vero uxoris & cæterorum decimum. Alii vero contra. Quæ controversia exigui esset momenti, nisi ex divisione primæ tabulæ in tria præcepta, & secundæ in septem, occasionem sumsissent nonnulli Romanæ Ecclesiæ Doctores occultandi populo præceptum de imaginibus, ne appareret quam turpiter in sua Ecclesia violaretur. Sed etiamsi hæc corruptela non moveret nos ad alteri potius sententiæ adhærendum, certum est longe concinniorem esse tabulæ primæ divisionem in quatuor præcepta, & secundæ in sex, quam alteram. Nam Dii alieni & imagines sunt res diversæ; cum Dii alieni, velut Planetæ, absque imaginibus coli possint; & Deus verus in imagine: & verba quibus prohibentur arguunt, duo esse præcepta, non unum tantum. Sed concupiscentia domus, uxoris, & aliarum rerum ad proximum pertinentium, res una est in se. Quod si pro diversitate objectorum concupiscentiæ, facienda essent diversa præcepta, quatuor ad minimum illic haberemus præcepta; & sic non esset amplius decalogus, sed dodecalogus. Primo enim prohibetur concupiscentia domus proximi; secundo uxoris; tertio servi & ancillæ; quarto bovis & asini, &c. Adde quod nesciremus quodnam nonum esset præceptum, & quodnam decimum; cum ista alio ordine in Exodo, alio in Deuteronomio recenseantur; illicque præcedat concupiscentia domus, sequatur concupiscentia uxoris; hic vero contra.

III. Præcepta primæ tabulæ comprehendunt hominum erga Deum officium: quod Dominus Jesus summatim his verbis comprehendit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum & primum mandatum*, *Matth.* XXII. 37. Et desumtum est ex *Deut.* VI. 5. Quem locum sic non ineleganter explicant Judæorum Magistri. Hic est summus gradus colendi creatorem, ut servias ei ex dilectione, & non solum propterea ut mercedem accipias. Dilige, inquit, ex toto corde tuo, quod solum opus tuum bonum facit. Deinde ex tota anima tua, ut etiam si causa requirat, non trepides pro eo exponere animam. Et tertio, ex tota virtute, ut scilicet potius omnium rerum tuarum dispendium incurrere velis, quam ab amore Dei deflectere.

IV. Deus brevem præceptis suis præfationem præmittit, his verbis; *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis:* quam nonnulli faciunt primi præcepti partem: nos vero potius ad totum decalogum pertinere existimamus: licet id exigui sit momenti, de quo nemini controversiam movere velimus. Ista præfatio continet duas rationes generales, cur Israëlitæ ad parendum Dei mandatis essent obligati.

gati. Nempe primo quia Deus erat ipsorum Deus: deinde quia ipsos ex servitute Ægyptiaca liberaverat. Deus autem Israëlitarum se Deum appellat propter fœdus, quod cum Abrahamo & semine ejus pepigerat, & tunc de novo, postquam in magnum populum excreverant, confirmabat: quanquam etiam ad creationem & providentiam suam respicere potuerit, secundum quam est omnium hominum Deus; utpote *qui dedit omnibus vitam, respirationem, & omnia*, *Act.* XVII. 25. Sed tamen quia Deus in Scriptura peculiariter se vocare solet Deum eorum quos fœdere suo dignatus est, *Levit.* XXVI. 12. & alibi; ille sensus est præferendus. Idque suadet etiam commemoratio alterius recentis beneficii, quod Deus liberasset Israëlitas ex Ægypto, ubi per multos annos dura admodum servitute oppressi fuerant, *Exod.* I. Et quod jam paratus esset ipsos introducere in terram Canaan, quam patribus ipsorum promiserat: isto enim beneficio novum jus sibi acquisiverat, quo eos arctius ad sui unius cultum obligabat.

V. Primum præceptum est, *Non habebis Deos alienos coram me.* Ubi Deus non innuit esse aliquos alios veros Deos præter se, quos ab Israëlitis coli nolit: sed contra se nolle ut Israëlitæ Deos alios colerent, & quidem ideo, quod nullus præter se esset verus Deus & divino cultu dignus. Nihil autem refert, utrum vertas *Deos alienos*, an vero *Deum alienum*. Etsi enim vox Elohim, quæ hic usurpatur, pluralis sit terminationis, non raro tamen in Scriptura singularem habet significationem, ut constat ex *Gen.* I. I. *Deut.* VI. 4. & aliis locis innumeris, ubi de vero Deo, qui est unus, agitur. Æquale autem est peccatum sive Deus unus, aut idolum præter verum Deum assumatur, sive plures. Nam etiam unum tantum idolum assumendo, à vero Deo receditur.

VI. *Deus* autem *alius*, vel *Dii alii*, quos Deus vetat haberi coram se, tripliciter considerari possunt. Qui enim Deos alienos colunt, vel ipsi primi eos commenti sunt; vel à parentibus ad eos colendos assuefacti fuerunt: vel denique ab aliis populis eos sive sponte sive coacti acceperunt. Quod non parvum inter ista peccata discrimen constituit. Qui enim primi Deos alienos comminiscuntur, vel ab aliis populis sponte assumunt, longe gravius peccant, quam qui à parentibus in idololatria fuerunt educati, vel bello victi eos à victoribus suscipere coacti sunt. Unde videmus Jeroboamum sæpe in Scriptura accusari, quod *peccaverit, & fecerit peccare Israëlem*, I *Reg.* XII. 30. & XIV. 16. & alibi. Illi vero aliquem pro Deo habere dicuntur, qui ipsi honorem divinum exhibent, etiamsi Deum esse non credant. Quales erant Israëlitæ, qui introducuntur *dicentes ligno; Pater meus es tu: & lapidi; Tu me genuisti*, *Jerem.* II. 27. Quamvis probe scirent imagines ligneas aut lapideas, coram quibus se prosternebant, non esse Deum. Sed Scriptura ita loquitur, quia Deus ex hominum factis de ipsorum intentione judicat.

VII. At non sufficit nullum alienum Deum habere (alioqui Athei immunes forent à culpa) sed oportet etiam verum Deum pro suo Deo habere. Idque hoc præcepto exigi patet ex præfatione, *Ego sum Deus tuus:* Quod perinde est ac si dixisset, Tu me ut unicum Deum adorabis, qui est honos vero Deo debitus. Adoratio vero est duplicis generis, alia interna, alia externa: quarum illa præcipua est, sine qua hæc Deo non est accepta. Adoratio interna est summa animi nostri coram Deo demissio, qua supremum ejus in nos imperium agnoscimus, & in eum toti recumbimus. Adoratio externa est corporis nostri coram Deo demissio, sive in genua sive etiam in faciem procidamus, cum celebratione laudum ejus & invocatione conjuncta.

VIII. Secundum præceptum est, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, &c. Cujus duæ sunt partes. Nam prima prohibetur imaginum effictio; altera earum cultus. Sed quæritur, an omnium omnino imaginum fabricatio absque exceptione damnetur, an vero quarundam tantum? Nos affirmamus posterius, negamus vero prius. Quod ut melius intelligatur, observandum est primo, omnes Dei imagines esse illicitas. Nam etiamsi nominatim hic non prohibeantur, sufficit generale interdictum de sculptili, aut nulla similitudine facienda ad colendum eam. Alio enim fine non fabricantur Dei imagines. Deinde Deus id alibi expresse vetuit; *Custodite solicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis; ne forte decepti faciatis vobis sculptam imaginem masculi vel fœminæ, &c. Deut.* IV. 15. *& seqq.* Item, *Cui similem facietis Deum, aut quam imaginem ponetis ei? Esa.* XL. 18. *& seqq.* Secundo: Omnis imago aut similitudo quæ fit eo fine, ut honor aliquis religiosus ipsi exhibeatur, vel ut numen in ea colatur, est prohibita: ut apparet ex secunda hujus mandati parte. Sed licet facere imagines ad usum politicum & civilem, sive sint hominum, sive brutorum animalium, aliarumve rerum, modo in illis nihil sit turpe, & quod ad corrumpendos bonos mores faciat. Nusquam enim videmus prohibitas, & Salomon tales fabricari curavit ad ornandum templum Dei & thronum suum, I *Reg.* VII. 44. & X. 19, 20. Nullus autem plane cultus imaginibus exhiberi debet, qualiscunque ille sit, sive absolutus qui in iis terminetur, sive relativus qui ad prototypon respiciat. Ubi enim Deus nullam facit exceptionem, nostrum non est eam fingere. Quod vero quidam dicunt, hic prohiberi tantum fabricam & cultum idolorum, non imaginum, nullius est momenti. Nullum enim est discrimen inter has voces, nisi quod una sit Græca, altera Latina. Unde Cicero *lib.* I. *de finibus*, dicit: *Atomi, inanes imagines, quæ idola nominantur.* Et versio vulgata, quam pro Authentica haberi volunt

Pon-

Pontificii, non utitur hic voce idoli, sed sculptilis, & omnis similitudinis; quæ ita late patent, ut omnem effugio locum præcludant. Nec pili facienda distinctio, quod idolum sit rei non existentis, imago vero rei existentis repræsentatio. Nam sic non fuissent idololatræ qui Solem & Lunam colebant. Quod vero Paulus dicit, *Scimus quia nihil est Idolum in mundo*, 1 *Cor.* VIII. 4. id tantum significat, idola non habere divinitatem, quam cultores ipsis attribuunt, non quod nihil plane sint; cum videamus esse aurum, argentum, lapides, ligna, &c.

IX. Interdicto additur severa sanctio; *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, &c. ut discant idololatræ seu imaginum cultores, se non impune hujus præcepti violationem laturos. Et ad tanto magis eos terrendum minatur, se pœnam usque ad eorum posteros extensurum: nimirum ad illos quos longæviores videre possunt; qui interdum non minus anguntur malis quæ nepotibus suis accidunt, quam propriis, quia eos ut sui partem considerant. Id autem de illis debet intelligi qui vestigia parentum premunt, & se idololatria sicut ipsi polluunt. Nam si resipiscant, non involventur pœnis paternis, ut Deus ipse testatur *Ezech.* XVIII. *Filius non portabit iniquitatem patris*, &c. Nec sequitur hanc commi- nationem esse vanam, cum omnis idololatra puniendus sit, etiamsi habuerit patrem pium; & Deus condonet iis qui resipiscunt, quamvis impiis parentibus prognati fuerint. Nam cum filii idololatræ pergunt in peccatis patrum & avorum, citius ira Dei solet in eos exardescere, quam si orti essent ex piis parentibus, propter quos Deus, qui est summe misericors, differt punire filios improbos, & iis longius tempus ad pœnitentiam concedit, quam alias facturus esset.

X. Tertium præceptum est; *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, &c. Quod constat etiam interdicto & comminatione. Interdicti vero sensus est, Non licere Deum testem vocare, seu per nomen ejus jurare in re falsa & mendaci. Nam vox שוא quam vetus interpres reddidit *in vanum*, significat etiam *falso*, ut constat ex *Deut.* V. 20. ubi in nono præcepto, *Non dices falsum testimonium*, pro *falso*, est *in vanum*. Hic vero sic vertendum esse docet Dominus Jesus, cum repetens istud præceptum dicit; οὐκ ἐπιορκήσεις, id est, *Non pejerabis*, *Matth.* V. 33. Non quod alia quoque secundum Christi expositionem non comprehendantur: sed nos istud præceptum hic tantum consideramus quatenus Israëlitis est datum, in simplicissima sua significatione, reliqua alteri loco reservantes. Comminatio est, *Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumserit nomen Domini sui frustra*. Cujus sensus est, eum non laturum impune qui tam enormi scelere se adstrinxerit. Nec mirum. Quid enim contumeliosius in Deum fingi potest, quam audere eum testem vocare in re quam falsam esse noveris? Qua de re vide etiam *Jerem.* VII. 9. *Zachar.* V. 3. & *seqq. Malach.* III. 5.

XI. Quartum præceptum est; *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*, &c. De quo quæri solet, Morale ne sit, an Ceremoniale, an vero ex utroque mixtum. Totidem enim de Sabbatho inter Christianos sunt sententiæ. Et licet hujus loci non sit eas examinare, ubi tantum de mente legis agitur, tamen mihi temperare nequeo quin obiter attingam. Accedo igitur illorum sententiæ, qui ex morali & ceremoniali mixtum esse censent, licet cum ipsis non conveniam in omnibus. Existimo enim præceptum de Sabbatho esse prorsus morale, prout in Decalogo traditur, & ab omnibus Christianis perpetuo usque ad mundi finem debere observari. Sed non puto in eo aliud mandari, quam ut è septem diebus unum feriemur à laboribus ad hanc vitam animalem pertinentibus, & eum cultui divino peculiariter consecremus; non vero determinari, ut sit septimus à creatione dies, quo Deus ab opere suo quievit. Quamvis enim institutum fuerit ad memoriam creationis & quietis divinæ recolendam, non est tamen necesse, ut id præcise illo die fiat. Nam sanctificando unum diem è septem, quicunque ille sit, satisfacimus scopo divino, qui fuit tantum nos obligare ad celebrandum in quiete beneficium istud. Quod si vero præterea voluisset omnes homines ad quos pertinet eodem cum ipso die quiescere, dedisset ea de re expressum aliquod mandatum statim à mundi initio. Non autem fecit: nec ulla ejus à piis observati vestigia deprehendimus, ante Israëlitarum exitum ex Ægypto. Legimus quidem *Genes.* II. *Deum benedixisse diei septimo, & sanctificasse illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret*; Sed id non continet mandatum, & videtur dictum esse per πρόληψιν seu anticipationem, quia eo tempore quo Deus primo dedit Israëlitis præceptum de Sabbatho, ad istam rationem respexerit, & voluerit ut quietis suæ die istud beneficium celebrarent. Vel si contendas habere mandati vim (quod nolim absolute negare) dicam Deum istud sibi solum voluisse, ut homines è septem diebus unum isti rei destinarent; qui poterat esse quietis divinæ dies, quamdiu ejus memoria inter eos non fuit obliterata. Primo autem quietis septimæ diei fit mentio *Exod.* XVI. ubi observatur illam numeratam fuisse à die quo Manna pluere cœpit; non vero à creandi principio. Dices, eodem die cœpisse Deum condere mundum & pluere Manna. Respondeo: Potuit quidem ita fieri; sed quia nihil de eo dicitur, Deus illuc respexisse non videtur. Istud est Sabbathum Israëlitarum, institutum propter causas, quæ eos particulariter spectabant, non alios populos: ideo mutationi obnoxium: invariato tamen manente præcepto de sanctificando uno è septem diebus. Distinguo igitur inter Sabbathum prout in Decalogo præcipitur, quod puto esse invariabile; & illud quò mandatum est Israëlitis in aliis Mosaïcæ legis locis; & tam stricte ab iis observari debebat, ut nec ullum iter facere

cere, nec etiam ignem accendere liceret: ad quod non tenemur hodie, quia non præcipitur in Decalogo; ſed tantum ut quieſcamus à noſtris operibus, quatenus illa impedire poſſent ſanctificationem Sabbathi. Satisfacimus autem præcepto de Sabbatho, quando ſanctificamus diem Dominicum; non quod ille juſſu divino ſubſtitutus ſit in locum Sabbathi Judaïci; ſed quia in Decalogo nihil aliud mandatur, niſi ut unum ſanctificemus è ſeptem diebus; quod facimus obſervando diem Dominicum, qui jam antiquitus deſtinatus fuit conventibus Chriſtianorum, etiamſi non appareat illum integrum feriatum fuiſſe, antequam Eccleſia haberet Imperatores Chriſtianos qui id mandarent: præſertim cum etiam illo tempore, quo jubebantur ſanctificare diem Dominicum, non abſtinerent adhuc à celebrando Sabbatho Judaïco, quod diu inter Chriſtianos duravit.

CAPUT XVI.

De ſecunda Decalogi tabula.

I. *Secundæ tabulæ præcepta ſummatim à Chriſto comprehendi ſub dilectione proximi.* II. *Expoſitio quinti præcepti, de parentibus honorandis.* III. *De promiſſione prolongationis vitæ, præcedenti præcepto addita.* IV. *Expoſitio ſexti præcepti, de non occidendo.* V. *Septimi, de non mœchando.* VI. *Octavi, de non furando.* VII. *Noni, de non dicendo falſum teſtimonium.* VIII. *Decimi, de non concupiſcendis proximi bonis.* IX. *Et primos concupiſcentiæ motus præcedente interdicto non videri prohibitos.*

I. PRæcepta ſecundæ tabulæ præſcribunt hominum erga ſe invicem juſtitiæ officia; quæ Dominus Jeſus ex *Levit.* XIX. *v.* 18. ſummatim hoc uno complexus eſt, *Diliges proximum ſicut te ipſum*, & vocat *ſecundum mandatum*, *primo ſimile*, *Matth.* XXII. 39. & alibi; *Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc enim eſt lex & Prophetæ*, *Matth.* VII. 12. Eodemque iſtud redit, *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu quando alteri facias*, *Tob.* IV. *v.* 16. Quicumque hæc obſervabit, in nullo deficiet eorum quæ proximo præſtare debet. Proximus autem ſecundum legis Moſaïcæ ſenſum erat Iſraëlita alteri Iſraëlitæ, non vero alienigenis: licet etiam erga alienigenas obſervare tenerentur juſtitiæ leges, quas ſecunda tabula docet: ſed non alia charitatis officia, quæ in Euangelio nobis præſcribuntur: præſertim ſi eſſent ex illis Cananææ populis, quos Deus internecioni deſtinaverat.

II. Secundæ tabulæ primum præceptum, in ordine vero quintum, eſt, *Honora patrem tuum & matrem tuam*, &c. In quo ad duo attendi debet, nempe ad præceptum ipſum, & ad promiſſionem illi additam. Et in præcepto, tum ad ejus objectum, tum ad actum circa illud exercendum. Objectum eſt non ſolum pater, ſed etiam mater: quæ licet viri ſui reſpectu inferior ſit, ſicut natura eſt infirmior, tamen cum liberis collata talem in ipſos ſuperioritatem habet, ut omnem illi honorem & reverentiam debeant, nec poſſint unquam paria rependere propter moleſtias geſtationis in utero, partus & educationis. Actus, verbo honorandi exprimitur, quo tria ſignificantur. 1. Ut liberi utriuſque parentis perſonam revereantur, ſupereminentiam quam Deus & natura ſuper ſe iis dedit agnoſcentes, & ad eorum vitia conniventes, eaque benigne excuſantes. 2. Ut alacriter ipſorum mandatis obediant. Niſi forte aliquid divinæ voluntati contrarium juberent. In quo caſu liberi modeſte obſequium recuſare debent. 3. Ut ſe gratos erga parentes oſtendant, ſi quando contingat, præſertim in ſenectute, ut eorum ſubſidio indigeant.

III. Promiſſio huic præcepto addita eſt, *ut prolongent dies tuos ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.* Cujus ratione Paulus dicit, iſtud *eſſe primum mandatum cum promiſſione*, *Eph.* VI. 2. nempe ſpeciali: Nam promiſſio generalis, quæ ſecundo præcepto addita eſt, ad omnia pertinet. Alii eam ita reddunt; *Ut prolongentur dies tui*, &c. Quod eodem quidem redit, ſed tamen non tantam habet emphaſin atque phraſis Hebraïca, quaſi parentes ipſi, liberorum qui ſe debito honore proſequuntur dies prolongarent: licet alius non ſit præter Deum qui liberorum erga parentes pietatem vitæ longævitate remuneretur. Quali etiam locutione utitur Dominus Jeſus cum dicit, *facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, *Luc.* XVI. 9. id eſt, Deus ipſe propter beneficentiam pauperibus exhibitam. Itaque Deus ex abſoluto decreto non aſſignavit unicuique vitæ ſuæ terminum, ſed habita, inter alias res, pietatis & impietatis ratione. Idque expreſſius adhuc docet Salomon; *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur*, *Proverb.* X. 27. Quod tamen non impedit, quo minus Deus interdum piis breviorem det vitam, & in parte remunerationis ponat, eos ad ſe vocando eripere malis quibus impios afficere propoſuit; ut dicitur de Abia filio Jeroboam, 1 *Reg.* XIII. 12, 13.

IV. Sextum præceptum eſt, *Non occides.* Quod Deus jam ſtatim poſt diluvium dederat Noacho & filiis ejus, id eſt, toti humano generi: ſed nunc propter rei gravitatem iterum Iſraëlitis inculcat. Eo prohibetur omne voluntarium homicidium quomodocumque committatur, ſive gladio, ſive reſte, ſive lapide, ſive aqua, ſive igne, ſive veneno, ſive alimentorum, ſine quibus vita noſtra ſubſiſtere nequit, ademtione. Quare in hunc cenſum non refertur quod caſu accidit: ut ſi quis lignatum in ſylvam profectus, ſecuri cadente alium imprudens interimat, *Deut.* XIX. 4, 5. Nec magiſtratus eſt homicidii reus, cum ut muneri ſuo ſatisfaciat facinoroſum interfici mandat. Sed ſi ex odio aut privato ulciſcendi ſtudio alium occidat, aut qui legitime criminis non fuerit convictus, non minus peccat quam quivis privatus. Nec immunis eſt ab hac culpa, qui ſibi ipſi vitam eri-

eripit. Non enim sumus vitæ nostræ domini, sed Deus; expectandumque patienter tempus quo nos ea liberare ipsi visum fuerit. Pœna homicidii, ut superius *cap.* XI. §. 9. diximus, est mors; *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, Genes.* IX. 6.

V. Septimum præceptum est, *Non mœchaberis.* Quo prohibetur viro omnis congressus cum alterius uxore, & mulieri maritatæ congressus cum quocumque alio viro præter suum. Non erat autem adulterium secundum legem, si vir matrimonio cum uxore junctus, ad alteram etiam accederet quæ maritata non esset, quia licita tunc erat polygamia, ut apparet ex *Deut.* XXI. 15, &c. *Esa.* IV. 1. & multis piorum exemplis, qui nunquam propterea reprehensi leguntur. Gravitatem adulterii agnoverunt omnes gentes, & legibus suis prohibuerunt. Multa enim scelera simul in eo concurrunt. Substituuntur proles illegitimæ alteri, & facultates ejus devolvuntur ad eos quorum non sunt. Præcepit Deus liberis honorare parentes; at qui ex adulterio procreati sunt, id facere nequeunt, quia parentes suos non norunt. Adulterium potest incestus esse causa; ut si quis ducat eam, quæ ex patris sui adulterio cum alterius uxore procreata fuit; & multis aliis ejusmodi rationibus. Itaque id Deus morte puniri merito jussit, *Lev.* XX. 10.

VI. Octavum præceptum est, *Non furaberis.* Quod Hebræorum magistri exponunt de furto animæ, seu plagio; quod gravissimam esse furti speciem constat ea lege; *Qui virum ablatum vendiderit, morte morietur, Exod.* XXI. 16. Sed verba præcepti generalia, ita anguste accipere non licet, nisi ratio manifesta id suadet, quæ hic nulla apparet. Quare hic prohibitam censemus omnem rei alienæ occultam & fraudulentam invito domino ablationem. Quod si occultam, multo magis apertam, quæ fit vi, & rapina vocatur. Nec dubium esse videtur quin omnis obliqua ratio rem suam cum alterius damno augendi, quam etiam Ethnici damnarunt, hic comprehendatur; ut fraudes quæ committuntur in emtionibus & venditionibus; item omne auxilium quod furibus in sua nequitia præbetur, occultatio & distractio rei furto ablatæ, & similia. Deus enim voluit distincta esse rerum dominia, & eos qui non haberent unde viverent, sibi honesto labore, non furto, cum proximi detrimento, parare. Pœna furti secundum legem erat pro ratione rei ablatæ, restitutio dupli, vel quadrupli aut quintupli, *Exod.* XXI.

VII. Nonum præceptum est, *Non dices falsum testimonium contra proximum tuum.* Quod primario intelligendum esse de testimonio in judicio perhibito ad alterum gravandum, verba ipsa docent. Res in se fœda est mendacium; sed eo fœdior, quo magis ad nocendum proximo tendit. Proinde qui convictus erat falsum adversus alterum testatus esse, eadem pœna affici debebat, qua accusatus affectus fuisset secundum legem, *Deut.* XIX, 16, &c. Præterea omnis calumnia in proximum prohibetur. *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum, Lev.* XIX. *v.* 11, 13. idque non tantum locum habet ubi agitur de eripiendis proximo per falsum testimonium facultatibus, aut vita; sed etiam in fama & honore, qui non est calumniis fœdandus, cum vita sæpe sit charior.

VIII. Decimum præceptum est, *Non concupisces domum proximi tui, nec concupisces uxorem ejus, nec servum, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec ullam rem ex iis quæ ipsius sunt.* Ubi varia rerum, quas concupiscere non licet, exempla, non constituunt plura præcepta; sed eo tantum fine congeruntur, ut melius capiamus quid Deus à nobis requirat. Concupiscere autem rem alienam, est ita ad eam animum tuum adjicere, ut illius possessionem acquirere & legitimum dominum ea privare, etiam iniquissima ratione statuas. Qua in re lex divina differt ab humanis, quæ externa tantum facta reprimunt & coërcent. Ideoque istud præceptum non est ita natura notum ut cætera. Quod Paulus indicare voluisse videtur cum dixit, *concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces, Rom.* VII. 8. quasi post vocem *nesciebam*, subaudiendum foret, *esse peccatum.* Sed alii melius de vi concupiscentiæ à lege irritatæ id accipiunt, ut sequentia verba suadent. Nisi enim lex vetaret concupiscentiam, non sentiremus eam in nobis dominantem. Sed nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Recte autem observant Rabbini, violari hoc præceptum etiam ab eo qui æquivalens pretium rei quam concupiscit offert possessori, si invito auferat. Id enim Achabi exemplum docet, qui Nabotho paratus erat dare vineæ pretium, aut vineam sua meliorem, nec propterea immunis fuit à culpa, 1 *Reg.* XXI. Quod vero hic dicitur de concupiscentia uxoris proximi, non debet intelligi de concupiscentia ad mœchandum cum ea, quæ præcepto septimo una cum adulterio simul vetita est; sed de concupiscentia ad habendum eam tanquam uxorem legitimam: quod tunc facile fieri poterat, cum divortia erant in usu.

IX. Quæritur vero, an concupiscentia rei alienæ, quæ statim reprimebatur, & ad quam satiandam nullum studium aut labor adhibebatur, hic prohibita sit? Non puto: quia id non convenit istis pietatis elementis rudi populo datis: Nec id Judæi unquam ita intellexerunt: sed huic se præcepto satisfecisse existimarunt, si concupiscentiam explere non contenderent, sed apud se perire paterentur. Imo Josephus *Antiquit. lib.* 12. *cap.* 13. dicit, voluisse tantum, ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio. Multo ergo minus dicendum est Deum primos concupiscentiæ motus, qui sunt absque consensu, & quibus valide resistitur, habere pro peccatis mortalibus, gehennæ ignis cruciatuum dignis. Nusquam enim id Scriptura docet: Sed

contra Jacobus, cum vult ostendere quomodo homines peccato irretiri soleant, dicit, *Unusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*, *Jac.* I. 14, 15. Sic innuens non tantum concupiscentiam absque peccato esse posse; sed etiam Deum non omne peccatum quod homines animo meditati sunt morte plectere, verum illud solum quod consummatum & perfectum est.

CAPUT XVII.

De præceptis Ceremonialibus legis Mosaïcæ. Et speciatim de Sacerdotibus & Sacrificiis.

I. *Præcepta Ceremonialia esse de Personis, de Rebus, de Locis, vel de Temporibus sacris. Sacerdotes & Levitas personas sacras, & Christi, populique ejus typos fuisse.* II. *Res esse vel primario vel secundario sacras. Primi generis esse octo sacrificiorum species.* III. *De rebus ad sacrificia pertinentibus, sale, fermento, melle, adipe, &c.* IV. *Sacrificia fuisse umbras quarum corpus est Christus.* V. *Christum & Christianos Paschate legali præcipue fuisse adumbratos.* VI. *Res secundario sacras esse,* 1. *Primogenita hominum & brutorum.* 2. *Primitias agrorum.* VII. 3. *Decimas omnium terræ redituum.* VIII. 4. *Caprum emissarium, Cinerem vaccæ rufæ, & Aquam aspersionis.* IX. 5. *Res mundas, ut & immundas quasdam animalium species, &c.* X. 6. *Vota.*

I. PRæcepta Ceremonialia Legis Mosaïcæ sunt quæ tractant de ritibus circa cultum Dei externum observandis. Et quatuor partibus comprehenduntur, nempe *personis, rebus, locis, & temporibus sacris. Personæ sacræ* sunt vel primariæ, vel secundariæ. Primariæ sunt Sacerdotes & Levitæ. Tota enim tribus Levi cultui divino erat consecrata: sed Aaron solus cum filiis & nepotibus suis Sacerdotii munus exercere debebat. Sacerdotes erant vel summus, vel inferiores. Primus Sacerdos summus fuit Aaron frater Mosis primogenitus; filii vero ejus, quamdiu vivebat, Sacerdotes erant inferiores. Et ita deinceps Sacerdotium in ejus familia fuit continuatum, adeo ut nemini isto munere fungi liceret, qui ex Aarone non esset oriundus: ut videre est *Num.* XVI. XVII. & XVIII. Cum autem Sacerdotes Davidis tempore in magnum excrevissent numerum, divisi fuerunt ab eo in XXIV. familias, quæ singulæ in ordine suo ministerium hebdomadatim obibant, 1 *Chron.* XXIV. Soli summo Sacerdoti licebat ingredi in Sancta Sanctorum; idque semel in anno, nempe die propitiationis, *Levit.* XVI. 2, &c. *Hebr.* IX. 7. in quo figurabat Dominum nostrum J. Christum novi fœderis Sacerdotem, ut docet Apostolus *Heb.* VII. VIII. & IX. De ejus vestibus vide *Exod.* XXVIII. & de unctione, *Exod.* XXX. 23. &c. Sacerdotes inferiores repræsentabant in oblationibus suis dignitatem, quam in Christo fideles obtinent, & oblationes eorum spirituales, de quibus *Rom.* XII. I. 1 *Petr.* II. 5. *Apocal.* I. 6. In Sacerdotibus, qui altari ministrabant, nullus esse debebat defectus corporeus, qualis est cæcitas, mutilatio membri & similia, *Levit.* XXI. 17, &c. quo adumbrata fuit interna animæ puritas, & ipsos à vitiis animæ multo magis immunes esse debere. Levitæ erant constituti ad ministrandum Sacerdotibus, & Tabernaculi curam gerendum, *Num.* III. & IV. Ex iis David alios fecit cantores, alios janitores domus Dei, omniaque cætera officia sacra per ipsos exercebantur, 1 *Chron.* XXV. & XXVI. Personæ sacræ secundariæ erant Nazaræi, qui Nazaræatus votum fecerant, & illius tempore à vino & cerevisia abstinere, comam alere, aliaque observare debebant, de quibus *Numer.* VI.

II. *Res Sacræ* etiam fuerunt duorum generum: nempe vel primariæ, vel secundariæ. Primariæ erant *Sacrificia*, vel *Oblationes* Deo factæ, quarum octo species in Scriptura recensentur. *Primo* enim erant עֹלָה *holocausta*, in quibus tota victima comburebatur, nihilque in Sacerdotum, qui offerebant, nec privatorum, qui victimas contulerant, usum reservabatur. De quibus vide *Levit.* I. 10. & VI. 9. & XII. 6, 8. Talia duo quotidie offerebantur, vel ex ovium, vel ex caprarum genere, alterum mane, alterum vesperi, *Exod.* XXIX. 38. *Num.* XXVIII. 3. *Secundo*, מִנְחָה, id est, *munus*: quod erat oblatio facta ex simila, seu farina puriore, cui infundebatur aliquid olei, ad formandam inde placentam, deinde thus addebatur, *Levit.* II. 1, 2. Talisque oblatio conjungi solebat cum illo ordinario sacrificio matutino & vespertino, de quo modo dixi. *Num.* XXVIII. 3, 4, 5. *Tertio*, זֶבַח שְׁלָמִים *Sacrificium pacificum*, in quo solus adeps victimarum una cum duobus renibus, super altare adolebantur; reliqua vero privatis sacrificium suppeditantibus, & Sacerdotibus cedebant, *Levit.* III. 1, &c. Fiebatque istud sacrificium vel ex voto, vel omnino sponte, ad gratias Deo pro suis beneficiis agendum, *Levit.* VII. 6. *Quarto*, *Sacrificium pro peccato*, חַטָּאת, quo expiabantur peccata ex ignorantia vel ex errore aliquo commissa, *Levit.* IV. ubi distincte præcipitur, quid Sacerdos, vel totus populus, vel Princeps, vel etiam privati, qui se talis erroris reos agnoscebant, offerre deberent. *Quinto*, *Sacrificium pro delicto* אָשָׁם, quod offerebatur pro peccatis scienter quidem commissis; sed tamen ex quadam infirmitate humana, quæ non facile, aut semper & ubique erat evitabilis, *Levit.* V. 1. & VI. 1. & VII. *toto*. *Sexto*, *Sacrificium consecrationis*, quod Sacerdos in die unctionis suæ offerre debebat, *Levit.* VI. 20. & erat ejusdem generis cum Mincha, nisi quod totum igne comburebatur, sicut & alia Sacerdotum pro ipsis sacrificia, ex quibus nemo quicquam edebat. *Septimo*, *Sacrificium mundationis*, sive puerperæ, sive leprosi, sive alicujus alterius immundi, postquam sanati erant, quorum ritus describuntur *Levit.* XII. XIII. & XIV. *Octavo*,

vo, ad sacrificia pertinet *thymiama*, sive *suffitus*, quem Sacerdos quotidie coram Deo super altare suffitus mane & vesperi adolere debebat, *Exod.* XXX.7. Sed omnes hæ sacrificiorum species ad duas primarias referri possunt, videlicet *Eucharistica*, & *Propitiatoria*; prout duo eorum primarii sunt fines, Deo gratias agere pro beneficiis, & veniam impetrare pro delictis. Nisi dicamus quædam fuisse mixta.

III. In omni sacrificio 1. *Sal* adhibebatur. *Quicquid obtuleris sacrificii sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo*, *Lev.* II. 13. Quo significabatur incorruptio morum, qua præditi esse debent, qui favorem Dei ambiunt. 2. Non licebat autem adhibere *fermentum*, vel aliquid fermentandi vim habens, ut *mel*, *Lev.* II. 11. in primitiis quidem mel offerebatur, sed non super altare, *ibidem*. Quo significabatur omne fermentum malitiæ à sacrificantibus esse vitandum. 3. Animalia, quæ Deo offerebantur, debebant omni labe & imperfectione carere, neque clauda esse, neque mutila, *Levit.* XXII. 21, 22. Ad significandum omnem defectum & imperfectionem ab operibus nostris, quantum fieri potest, abesse debere. 4. Adeps sacrificiorum, neque à suppeditantibus sacrificia, neque à Sacerdotibus offerentibus comedi debebat: sed soli Deo consecratus erat, sicut & renes & sanguis, *Lev.* III. 3, 14, &c. ad significandum optima quæque ex nostris Deo esse offerenda.

IV. Sacrificiis autem legalibus repræsentabatur partim sacrificium Christi, quo peccata nostra expiantur coram Deo, partim meritum peccati, partim denique bona fidelium opera, ut spiritus contritus, preces, eleëmosynæ, *Psalm.* LI. 9. *Hebr.* XIII. 14, 15, 16. *Rom.* XII. 1. Sed Christi sacrificium videtur potissimum fuisse adumbratum holocaustis illis, quæ quotidie mane & vesperi fiebant, & sacrificio illo solemni quod offerebatur quotannis in die expiationis, de quo *Levit.* XVI. Ista enim pro toto populo offerebantur, sicut & Christus se in victimam expiatoriam pro omnibus hominibus obtulit. Quod in privatorum sacrificia non quadrabat, ideoque nunquam ab Apostolo *in Epistola ad Hebræos*, ubi sacrificia legis cum Christi sacrificio confert, isti rei significandæ applicantur. Suffitu autem non solum oblatio Christi, sed etiam orationes fidelium, quæ instar suffitus ex aromatibus Deo acceptæ sunt, adumbrantur, *Eph.* V. 2. *Apocal.* V. 8. *Psal.* CXLI. 2.

V. Sed inter omnia legis sacrificia; quæ Christi oblationem adumbrarunt, primum locum tenet *Pascha*, in memoriam liberationis Israëlitarum ex servitute Ægyptiaca à Deo institutum. Id enim ad Christum diserte refert Paulus, dicens, *Pascha nostrum immolatus est Christus*, 1 *Cor.* V. 7. Et quod prohibebatur ut nullum os ex agno Paschali frangeretur, in rei veritate impletum est in Christo, cujus ossa in cruce fracta non fuerint, *Joan.* XIX. 31, &c. Et infermentatus panis cum quo agnus ille comedebatur, omne malitiæ fermentum à nobis procul esse debere significabat, ut in loco modo citato docet Paulus. De reliquis ritibus huic sacrificio peculiaribus videndum est *Exod.* XII. *Num.* XXVIII. 16. *Deuter.* XVI. *& alibi.*

VI. Secundariæ res Sacræ sunt, 1. *Primogenita* omnia tam *hominum*, quam *brutorum*, quæ sacra erant Deo. Hominum primogeniti redimi debebant, quia Deus Levitas primogenitorum loco sibi consecraverat, *Exod.* XIII. 2, 12, &c. *Num.* III. 12, 13. & VIII. 13, &c. brutorum vero primogenita immolabantur, si essent ex animalibus mundis, nec pecunia redimi poterant, *Num.* XVIII. 17. Immundorum vero animalium, ut asini, primogenita, aut decollabantur, aut pecunia vel ove redimebantur, *Exod.* XXXIV. 20. ne id quod Dei erat, cuiquam gratis in privatos usus convertere liceret. 2. *Primitiæ*, seu primi agrorum fructus, qui etiam Deo erant sacri, ipsique ab Israëlitis offerri debebant, *Exod.* XXXIV. 26. Duplicis autem erant generis. Primo enim offerebantur ex fructibus maturescentibus, *Lev.* II. *v.* 14. Deinde cum fructus erant in horrea collecti, ex iis separare oportebat primitias, id est, portiunculam aliquam, ad uniuscujusque arbitrium, quæ offerretur Deo, & in Sacerdotum usum cederet. Idque tum de frumento, vino, oleo, melle, tum de ovium velleribus, *Lev.* XXIII. *v.* 10. *Num.* XVIII. 11, &c. *Deut.* XVIII. 4. Fructus vero, quos arbores noviter plantatæ tribus primis annis proferebant, tanquam profanos & præputiatos non licebat Israëlitis comedere: quarti autem anni fructus, tanquam primitiæ Deo penitus erant sacri, ipsique offerendi, & quinto demum anno illis vesci poterant, *Levit.* XIX. 23, &c. Ritus quo Deo offerre oportebat primitias, & canticum gratiarum actionis, videsis *Deuter.* XXVI. 1. *& seqq.*

VII. 3. *Decima* omnium terræ redituum, ut frumenti, vini, pomorum, olei, mellis, pecoris, lanarum & similium, erant sacræ, & Levitis ad eorum sustentationem persolvendæ, quia cultui divino vacabant, & Deus hæreditatem iis in terra Canaan non dederat, sicut reliquis Israëlitarum tribubus, *Exod.* XXII. 29. *Lev.* XXVII. 30, &c. *Deut.* XII. 11, &c. Levitæ vero decimarum suarum decimas pendere tenebantur Sacerdotibus, ut ex iis se sustentarent, præter illa quæ ipsis ex quotidianis Israëlitarum sacrificiis obveniebant, *Numer.* XVIII. 26. Erant etiam aliæ decimæ, quas agrorum domini seponere debebant, & afferre ad Tabernaculum, & coram Deo comedere, cum ad festa veniebant, vel (si remotiores erant à loco, quem Deus elegerat) vendere, & pecuniam inde collectam in convivia sacra reservare, quæ coram Deo celebrarent, *Deuter.* XIV. 22, &c. excepto tertio quoque anno, in quo decimæ illæ in usum pauperum seponendæ & postea iis distribuendæ erant, *ibidem versibus* 28, 29.

VIII. *Caper emissarius*, *Levit.* XVI. item,

Cinis vaccæ rufæ combustæ, & *Aqua aspersionis*, quibus aspergi debebant omnia, quæ sive contactu cadaveris, sive aliqua alia ratione inquinata fuerant, *Numer.* XIV. Ubi observare dignum est, Sacerdotem, qui vaccam illam combusserat, cujus cineres immundorum purificationi erant destinati, actione illa immundum fuisse redditum usque ad vesperam, & vestes suas abluere debuisse. Quomodo vero una eademque res polluebat simul & mundabat? Hic mira quærunt Judæi mysteria, & invenire nequeunt, quia non intelligunt ad Christum referri, ut docet nos Apostolus *Hebr.* IX. Vacca enim ista rufa Christum repræsentavit, quem, qui morti tradiderunt, grave commiserunt scelus, cum tamen *sanguis ejus nos emundet ab omni peccato*, 1 *Joan.* I. 7. Videtur hæc aqua aspersionis eadem fuisse, quæ *zelotypiæ* vocatur, *Num.* V. 11, &c. quam bibendam dabat Sacerdos, cum execratione & maledictis, mulieri quam vir adulterii suspectam habebat; & si rea esset, putrescere faciebat ejus femur, & uterum ejus ita intumescere, ut disrumperetur; cum tamen illa, quæ innocens erat, nihil incommodi inde sentiret.

IX. 5. Ad res sacras pertinent etiam mundæ, ut animalia quædam ad comedendum concessa Israëlitis, & ex quibus sacrificia Deo offerre iis licebat. De quibus vide *Levit.* XI. *Deuter.* XIV. Contra aliæ res erant ipsis immundæ, ut non tantum aliquæ animalium species; sed etiam morticina, aut à feris discerpta, quibus vesci illis erat prohibitum, *Levit.* XVII. 15. *Deut.* XIV, 20, 21. Cadavera, quæ tangentem inquinabant, *Num.* V. 2, 3. Puerperæ, *Lev.* XII. Item lepra, tam hominum, quam vestium & domorum, *Lev.* XIII. & XIV. aliaque ejusmodi plura.

X. 6. *Vota* inter res sacras sunt quoque recensenda, quæ sanctæ & religiosæ sunt promissiones, quibus se homines ad quippiam in Dei gratiam faciendum vel omittendum obligant. Qualia erant Nazaræorum, de quibus antea. Votorum legem & conditiones, & quomodo redimi deberent, ab eo qui non poterat implere, vide *Levit.* XXVII. 1, &c. Et quomodo vota mulieris à marito, liberorum vero à patre, irrita reddi possent, *Num.* XXX. *toto*. Res quæ sub votum cadebant, erant eæ, quæ Deo absolute reddi non debebant, tanquam ab ipso præceptæ: sed putabantur adjumenta esse ad alacrius mandatis ejus parendum, veluti jejunare, à carne aut vino abstinere, sacrificium aliquod offerre, & similia. Itaque votum proprie dictum non est, quo Deo promittitur ipsi aliquid absolute debitum, ut obedientia mandatorum ejus. Nec contra facit exemplum Jacobi, qui vovebat *Dominum sibi fore in Deum, si ipsum in via custodivisset*, &c. *Gen.* XXVIII. 20. Istud enim non est sic accipiendum, quasi sub conditione promisisset se Dominum pro Deo suo habiturum (quod fuisset impium & ad ipsius favorem sibi conciliandum inutile) sed mens ejus hæc erat; si fuerit Dominus mecum, & me custodierit in via, &c. ego eum peculiari affectu colam: *nam lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas persolvam tibi*. In quibus duobus postremis Jacobi votum consistebat, non in primo. Votum Jephte de quo *Judic.* XI. fuit temerarium. Filiam tamen in holocaustum non immolavit: sed peculiariter Dei cultui consecravit.

CAPUT XVIII.

De Tabernaculo & Festis.

I. *Tabernaculum & Templum fuisse loca sacra.* II. *Et Tabernaculum quidem fuisse constructum* 1. *juxta exemplar*, 2. *ex oblationibus voluntariis*, 3. *& à viris spiritu sapientiæ repletis.* III. *Ibi tantum licuisse Israëlitis sacrificia Deo offerre.* IV. *Tabernaculi partes.* V. *Totum Tabernaculum, Christum & ejus Ecclesiam adumbrasse.* VI. *Quæ in Tabernaculo fuerint.* VII. *De temporibus Sacris, Sabbathis, Neomeniis, & Festis solemnibus Paschatis*, VIII. *Pentecostes*, IX. *& Tabernaculorum.* X. *Nec non Tubarum, & Propitiationis.* XI. *De Annis Sabbathicis & Jubilæis.*

I. REbus sacris peragendis, *Locus* & *Tempus* sub lege à Deo peculiariter constituta fuerunt. Locum quod attinet, ille fuit primitus *Tabernaculum*; Id erat ædificium portatile ex asseribus compaginatum, tectum, & diversis aulæis clausum, in deserto ad Dei mandatum factum; ubi Deus præsentiam suam gratiosam singulari ratione testabatur Israëlitis; secundum id quod ipse dicit; *Facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum*, *Exod.* XXV. 8. Ei postea successit *Templum* à Salomone Hierosolymis ædificatum anno CCCCLXXX. ab exitu Israëlitarum ex Ægypto.

II. Tabernaculi structura, & supellex ad ipsum pertinens, minutatim describitur in libro Exodi *à cap.* XXV. *usque ad finem*. In qua, *Primo* istud est observandum, *debuisse fieri secundum exemplar Mosi à Deo in monte ostensum*, *Exod.* XXV. 40. Quod magni esse momenti indicat repetitio facta à Stephano *Actor.* VII. 44. & ab Apostolo *Hebr.* VIII. 5. Nimirum significare voluit Deus, non faciendum esse in ædificatione Ecclesiæ, quæ spirituale ejus est templum, id quod unicuique rectum videtur, sed tantum id quod Deus præcepit, *Deut.* XII. 8. *Num.* XV. 39. *Secundo*, Tabernaculum fuit constructum ex oblationibus voluntariis, quas Israëlitæ pro facultatum suarum ratione singuli contulerunt, *Exod.* XXXV. imo tanta copia, ut edicendum publice fuerit, *ne vir aut mulier quicquam offerret ultra ad opus Sanctuarii*, *Exod.* XXXVI. 4, 5, 6. In exemplum Christianis, ne opibus suis parcant in iis quæ ad cultum Dei promovendum pertinent: cum indignum sit eos, quibus Deus tam eximia fecit promissa, liberalitate à carnali populo superari. *Tertiò*, Deus opera Beseleël & Ooliab uti volens in tabernaculi constructione, *replevit eos Spiritu suo, & sapientia atque intelligentia*, *Exod.* XXXV. 30, &c. Unde colligi potest

test tanto magis necessariam esse Spiritus Dei opem ad Ecclesiam Christianam per Euangelii prædicationem ædificandum, quanto ædificium istud spirituale & mansurum in æternum, præstantius est illo carnali, & quod ad pauca tantum sæcula duravit. *Quis enim ad hæc idoneus?* 2 *Cor.* II. 17. videlicet ex se ipso, & à Spiritu Dei non illustratus. *Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed omnis sufficientia nostra est ex Deo*, 2 *Cor.* III. 5.

III. In solo Tabernaculo (sicut postmodum in templo) licebat sacrificia Deo offerre, & totum illum cultum publicum lege præceptum exercere, *Deut.* XII. 5, &c. Qua in re figura erat Jesu Christi, per quem solum nobis accessus ad Deum patet, & salus æterna contingit, *Joan.* XIV. 6. *Act.* IV. 12. Præterea significabatur abolitio cultus istius ceremonialis, quando Gentium plenitudo introiisset in Ecclesiam; cum fieri non posset ut fideles quotannis ad Tabernaculum istud ex omnibus orbis partibus, sacrificia offerendi & festa celebrandi gratia, convenirent. Quod etiam Deus innuit *Malach.* I. *Ab ortu Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, &c.

IV. Partes præcipuæ ex quibus constabat Tabernaculum erant tres; nempe *Atrium*, *Sanctum*, & *Sanctum Sanctorum*, *Exod.* XXVI. XXVII. quanquam Atrium illic ita describitur, quasi non esset Tabernaculi pars, sed tantum appendix aliqua. *Atrium* autem erat ædificium exterius, seu porticus, Sanctum & Sanctum Sanctorum undique ambiens, in quod populus cultus divini causa conveniebat. Et in eo positum erat altare holocausti ad ostium Tabernaculi, *Exod.* XXIX. 42. *Lev.* IV. 7. *Sanctum* vero erat illa Tabernaculi pars, in quam Sacerdotes divini cultus causa ingrediebantur. Ibique erat altare Thymiamatis, *Lev.* IV. 7, 18. Mensa cum panibus propositionis, candelabrum, & alia supellex sacra, *Exod.* XXVI. *v.* 35. *Heb.* IX. 2. *Sanctum Sanctorum* erat intima Tabernaculi pars, à Sancto per velum separata; in quod uni summo Sacerdoti licebat ingredi, idque semel in anno, *Exod.* XXVI. 34. *Lev.* XVI. 2. *Hebr.* IX. 6, 7. In eo erant Thuribulum aureum, Arca fœderis, ubi inclusæ erant tabulæ legis, & prope eam virga Aaron quæ fronduerat, & Urna aurea habens Manna, 1 *Reg.* VIII. 9. *Hebr.* IX. 3, 4, 5.

V. Totum istud Tabernaculum adumbrabat Christum & ejus Ecclesiam, *Hebr.* IX. 11, 12. & X. 21. Speciatim autem Atrium significasse videtur Ecclesiam visibilem, in qua mali una cum bonis permixti sunt: Sanctum vero invisibilem, ex solis veris fidelibus constantem. Sanctum autem Sanctorum figuram cœli fuisse discimus, ex *Hebr.* IX. 11, &c. Unde Christo moriente velum quod locum sanctum separabat à Sancto Sanctorum scissum fuit in duas partes, à summo usque deorsum, *Matth.* XXVII. 51. Ad significandum viam Sanctorum nobis per Christi mortem apertam esse, quæ nondum præparata erat priore tabernaculo consistente, *Heb.* IX. 8.

VI. Ad Tabernaculum referenda sunt omnia quæ eo continebantur vasa & instrumenta sacra. Inter quæ primum locum obtinebat *Arca fœderis*, cujus descriptio habetur *Exod.* XXV. 10. factaque fuit ex ligno Sittim, quam Cedri præstantissimam speciem esse putant, atque intus & foris auro pretiosissimo obducta. Erat vero signum præsentiæ Dei in suo populo. Unde non tantum vocatur *scabellum pedum Dei*, *Psalm.* XCIX. 5. & CXXXII. 7. *Esa.* LX. 13. sed etiam *facies Dei*, *Psal.* XXIV. 6. & XLII. 3. imo etiam Dei nomine insignitur variis in locis, ut 1 *Sam.* IV. 7. & VI. 20. & 2 *Sam.* VII. 6. *Psalm.* XXIV. 7, 8. & LXVIII. 8, 25. *Num.* X. 35, 36. Super Arcam collocatum erat *Propitiatorium*, ex solido auro factum, tanquam alterum ejus operculum, sed tamen plane ab ea distinctum. Et super propitiatorium *duo Cherubim* alas suas expandentes & illud tegentes. Ita autem dictum fuit, quia Deus in eo se propitium populo suo exhibebat, responsa dando de rebus super quas consulebatur. Et typus erat Jesu Christi, *qui est propitiatio pro peccatis nostris*, 1 *Joan.* II. 2. *Rom.* III. 25. Deinde in Tabernaculo fuit *Altare*, quod erat ædificium lapideum formæ quadrangularis, super quo offerebantur Deo sacrificia. Descriptio ejus habetur *Exod.* XXVII. 1, &c. & XXXVIII. 1, &c. Vocaturque *Altare holocausti*, à præcipuo usu. Nam alias inserviebat etiam omnis generis sacrificiis, quæ non licebat alibi nisi super ipso offerre. In eo *ignis perpetuo debebat ardere*, *Lev.* VI. 9. nempe ille qui primo cum altare consecraretur de cœlo deciderat, & holocaustum consumpserat, *Lev.* IX. 24. Sed præter Altare holocausti, erat adhuc aliud dictum *altare Suffitus*. De cujus materia & forma vide *Exod.* XXX. 1, &c. & XXXVII. 25, &c. Et quia totum erat laminis aureis obductum, vocabatur *altare aureum*, *Exod.* XL. 24. Sacerdotes singulis diebus mane & vesperi super illud incensum Deo adolebant, *Exod.* XXX. 7, 8, 9, 10. Huc etiam pertinet *Mensa*, de qua *Exod.* XXV. 23, &c. & XXXVII. 10, &c. & *panes propositionis*, *Lev.* XXIV. 5, &c. Item *Candelabrum aureum*, *Exod.* XXV. 31, &c. & XXXVII. 17, &c. *Lev.* XXIV. 1, &c. *Num.* VIII. *v.* 1, &c. Denique *duæ tubæ argenteæ*, *Numer.* X. *v.* 1, &c.

VII. Restant *Tempora sacra*. Ubi primo occurrit *Sabbathum*, de quo jam egimus in explicatione Decalogi. Deinde *Neomenia*, seu primi quique dies mensium, qui à novæ lunæ prima apparitione numerari solebant, *Num.* XXVIII. 11, &c. Postea *festa solemnia Paschatis*, *Pentecostes*, & *Tabernaculorum*, *Lev.* XXIII. *Deut.* XVI. Quæ singula per septem dies celebrabantur; quorum primus & ultimus erant præcipui, in quibus non licebat operari, *Lev.* XXIII. 7, 8, 36, 39. *De Paschate* jam supra actum est, quatenus per illud significatur immolatio agni anniculi in singulis familiis fieri solita. Sed considerandum adhuc restat

ſtat ejus tempus, quod eſt decimus quartus dies primi menſis, inter duas veſperas. Primus autem menſis in rebus ſacris erat Niſan, qui partim Martio, partim Aprili noſtro reſpondet. Et pro ejus XIV die haberi debebat plenilunium incidens in æquinoctium vernum, vel proxime ipſum ſequens. Et durabat feſtum Azymorum per ſeptem dies.

VIII. *Feſtum Pentecoſtes*, ita à Græcis dictum, quia quinquageſimo poſt Paſcha die celebrabatur; & ab Hebræis *feſtum hebdomadum*, quia ſeptem hebdomadibus Paſcha ſequitur, *Levit.* XXIII. 15, &c. *Num.* XXVIII. 16. *Deut.* XVI. 9, &c. Item *feſtum Meſſis*, *Exod.* XXIII. quia tunc meſſis incipiebat fieri in terra Canaan. Inſtitutum erat (ut putatur) in memoriam promulgatæ legis in monte Sinaï, quæ quinquageſimo die poſt exitum ex Ægypto, ſeu poſt primum Paſcha, facta eſt. Et durabat iſtud feſtum per ſeptem dies.

IX. *Feſtum tabernaculorum*, inſtitutum fuit in memoriam commorationis Iſraëlitarum in deſerto ſub tabernaculis, *Lev.* XXIII. 34, &c. *Num.* XVI. 13, &c. Celebrari incipiebat decimo quinto die menſis ſeptimi, qui partim Septembri, partim Octobri noſtro reſpondet; & incidebat in æquinoctium autumnale, aut paulo poſt: quo tempore in terra Canaan fructus omnes terræ in horrea aut cellas collati erant. Et durabat per octo dies, quorum primus & octavus celeberrimi erant. *Deut.* XVI. 13. fit mentio tantum ſeptem dierum.

X. Sed præter hæc tria feſta ſolemnia, quæ omnes mares, quatenus fieri poterat, frequentare tenebantur, *Exod.* XXIII. 17. & XXXIV. 23. *Deut.* XVI, 16. erant etiam alia duo, quæ paulo ante feſtum Tabernaculorum eodem menſe celebrabantur. Unum erat *Feſtum Tubarum*, primo ſeptimi menſis, Tiſri dicti, die; inde incipiebat annus Politicus Iſraëlitarum, *Lev.* XXIII. 24. *Numer.* XXIX. 1. Sed non diſcrepabat à cæteris noviluniis, niſi in celebritate propter novi anni initium, & in gratiarum actione propter terræ fructus tunc perceptos. Alterum erat *Feſtum Expiationis*, decimo ejuſdem ſeptimi menſis die, *Lev.* XVI. 2, 29. &c. & XXIII. 27, &c. *Num.* XXIX. 7, &c. Sic dictum fuit, quia illo per ingreſſum ſummi Pontificis in Sancta Sanctorum expiabantur omnia populi peccata, quæ præcedentibus toto anno oblatis ſacrificiis expiata non fuerant: intellige quæ ſacrificiis legalibus poterant expiari, non ſcelera pro quibus Deus nullum ſibi ſacrificium offerri volebat, *Num.* XV. 30. collato cum præcedentibus. Eodem die etiam jejunabant Iſraëlitæ, quod ſignificatur iſta phraſi, *Aſſligetis animas veſtras*. Et nullum omnino opus ſervile licebat facere, nequidem cibum parare; quod tamen in aliis feſtis ſolemnibus, excepto Sabbatho, permiſſum erat. In feſto expiationis adducebantur duo hirci, quorum unus offerebatur in holocauſtum; alter in deſertum emittebatur, caper emiſſarius inde dictus.

XI. Denique ad tempora ſacra referendi ſunt *Annus ſeptimus*, ſeu *Sabbathicus*, & *annus ſepties ſeptimus*, ſeu quadrageſimus nonus, *Jubilæus* dictus: qui in hoc ſimiles erant, quod omnia quæ de ſeptimo anno dicuntur, etiam quadrageſimo nono conveniebant, ſed non vice verſa. De ſeptimo vide *Exod.* XXIII. 10, 11. & XXI. 2, &c. *Lev.* XXV. *v.* 2, &c. *Deut.* XV. 1, 2, 12, &c. Illo anno neque ſeri debebat terra, neque ea quæ ſponte proferebat licitum erat agrorum dominis in privatum uſum colligere; ſed relinquenda erant pauperibus, & peregrinis. Neque fas erat creditoribus repetere debita, ab iis quibus aliquid commodato dederant. Et ſervi Hebræi abibant liberi ab heris ſuis, nullo pretio redemptionis ſoluto: ideoque annus ille *redemptionis annus* vocabatur. Sed quadrageſimo nono (de quo vide *Lev.* XXV. 8, &c.) qui aliquam poſſeſſionem vendiderant, ad eam revertebantur: adeo ut agri apud Iſraëlitas non venderentur proprie, ſed tantum eorum reditus uſque ad annum Jubilæi. Servi quoque qui maluerant anno ſeptimo in ſervitute manere, quam uxorem à domino ſibi datam, & liberos ex ea ſuſceptos relinquere, iſto anno è ſervitute cum uxore & liberis exibant. Annunciabatur autem à Sacerdotibus per clangorem buccinæ, ſeu cornu arietino, die decimo menſis ſeptimi, qui erat expiationis dies; & ab hoc cornu clangore nomen *Jobel* ſeu *Jubilæi* ſortitum eſt.

CAPUT XIX.

De Præceptis Politicis legis Moſaïcæ.

I. *Quaſdam leges Moſaïcas Politicas apte digeri ſecundum Decalogum.* II. *Quæ ad primum Decalogi præceptum referantur*, III. *quæ ad ſecundum*, IV. *quæ ad tertium*, V. *quæ ad quartum*, VI. *ad quintum*, VII. *ad ſextum*, VIII. *ad ſeptimum*, IX. *ad octavum*, X. *ad nonum*. XI. *Quæſtionem per tormenta eſſe Legi ignotam, & æquitati repugnantem.*

I. SUperſunt *Præcepta legis Moſaïca Politica*, quæ contractus & pœnas delictorum maximam partem ſpectant. Quidam ut ad methodum reducant, ea ſecundum ordinem Inſtitutionum Juſtiniani aut Pandectarum digerunt; nec male. Nos tamen, qui obiter tantum percurrere volumus, ad Decalogum illa referemus.

II. Ad primum præceptum ſequentia pertinent. *Primum*, ut Apoſtatæ, qui à vero Deo deficiunt ad cultum idolorum, interficiantur; ſive ſint prophetæ, qui etiam edito aliquo ſigno alios eo pellicere tentent; ſive propinqui id faciant, ut frater, filius, uxor, amicus; item ſive unus aut alter vir aut mulier, ſive integra civitas hujus peccati rea ſit; eoque caſu incolas omnes acie gladii perimendos, urbem cum omnibus ejus ſpoliis incendendam, & nunquam rurſus ædificandam, *Deut.* XIII. & XVII. Secundum, ut qui alii Deo aut Diis, præterquam Domino ſoli, qui Iſraëlitas eripuerat ex Ægypto, ſacrificaret, interimeretur. Item quicunque ſive Iſraëlita ſive peregrinus

nus inter ipsos habitans dedisset Molocho de semine suo, exterminaretur, *Exod.* XXII. 20. *Levit.* XX. 2. Quod vel de lustratione infantium per ignem in honorem idoli, vel de consumptione per ignem accipi potest. *Tertium*, ne ullus inter Israëlitas sit magus, præstigiator, augur, hariolus, interrogans Pythonem, aut consulens mortuos, & qui tales fuerint, sive viri, sive fœminæ, interficiantur, *Exod.* XXII. 18. *Lev.* XX. 27. *Deut.* XVIII. 10. De quibus divinationum generibus prolixe tractat Peucerus peculiari libro. Quidam, qui nullos putant dari magos, qui cum Dæmonibus commercia habeant, & mira patrent aut prædicant, intelligunt hic maleficos, qui veneno interficiunt, & astrologos, qui ex motibus & aspectibus planetarum futura prædicere tentant, aut præstigiatores, qui agilitate motus similive arte aliis illudunt. Sed historia magorum Pharaonis & Pythonissæ mulieris, quam adiit Saul, aliud de magis sentire nos cogunt.

III. Ad secundum præceptum refertur mandatum de confringendis & comburendis statuis falsorum Deorum; item ut excelsa, altaria, & luci illorum cultui dicati funditus subvertantur & eradicentur; & ne quis aurum aut argentum ex quibus conflata erant idola concupisceret, & in usum suum converteret, *Exod.* XXIII. *v.* 24. & XXXIV. 13. *Numer.* XXXIII. 52. *Deut.* VII. *v.* 5, 25. & XII. 3.

IV. Ad tertium Decalogi præceptum refertur una lex politica adversus blasphemos; ut qui maledixerit Deo suo, & blasphemarit nomen Domini, moriatur, seu lapidibus opprimatur, *Levit.* XXIV. 15, 16. Qua autem in re sita sit blasphemia constare debet, ne aut pœnæ eximatur, qui eam commeritus est, aut adversus eum qui non meritus est, decernatur. Quidam putant in eo consistere, si quid Deo adimatur, quod ei convenit, vel tribuatur quod non convenit. Sed hæc descriptio nimis est generalis, unde sequetur vix ullum mortalium, cui natura Dei bene cognita non erit, immunem esse à blasphemia. Ego existimo esse convitium seu probrum in Deum conjectum, & quidem tale, ut qui projicit, agnoscere possit esse convitium; verbi gratia, si quis dicat Deum qui loquitur in lege non esse justum, veracem, aut aliquid simile, quod natura docere possit à Deo alienum esse. Sunt tamen nonnulli, qui per ignorantiam blasphemant, ut Paulus in Dominum Jesum, quem non noverat, 1 *Tim.* I. *v.* 13. & omnes Judæi increduli, qui ipsum pro seductore habent, & convitiis lacerant; licet non ignorent, ea quæ dicunt, blasphemias esse seu convitia.

V. Ad quartum præceptum de Sabbatho pertinet hæc lex, ut quisquis fecisset opus in eo, moreretur, *Exod.* XXXI. 15. & XXXV. 2. Quæ adversus illum observata fuit, qui collegerat ligna die Sabbathi, & expresso Dei jussu lapidibus obrutus est, *Num.* XV. 32, &c.

VI. Ad quintum referri possunt leges, non tantum quæ liberorum erga parentes officia præscribunt, sed etiam subditorum erga magistratus, & servorum erga dominos, atque vicissim. *Prima* ergo hujus loci lex est, ut qui percusserit patrem aut matrem, aut iis maledixerit, morte moriatur, *Exod.* XXI. 15, 16. *Lev.* XX. 9. *Altera* est, ut filius rebellis, & non obediens voci patris sui, aut matris suæ, sed epulando & potando bona ipsorum dilapidans, ad illorum accusationem morte plecteretur, *Deut.* XXI. 18. *Tertia* est, ut constituerentur septuaginta viri de senibus Israëlis, nimirum sex ex unaquaque tribu, qui judicarent populum, *Num.* XI. 16, &c. Vide etiam *Exod.* XVIII. 13, &c. & XXIV. 1. *Deut.* I. 13. *Quarta* est, ut Judices æquum judicarent judicium, absque personarum aut munerum acceptione, *Deut.* I. 16, 17. & XVI. 18, 19, 20. Vide etiam *Exod.* XXIII. 2. *Lev.* XIX. 15, 16. *Quinta*, ut qui non obediisset imperio Sacerdotis, aut judicis ex lege Dei judicantis, interimeretur, *Deuter.* XVII. 12. *Sexta*, ut Diis non detraherent, & Principi populi non detraherent, *Exod.* XXII. 18. ubi per Deos intelligendi sunt Judices, quos Deus summus isto nomine aliquando dignatur, ut *Psal.* LXXXII. *v.* 6. *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes.* Hic præterea leges de servis & dominis, quia jam ante partim sunt recensitæ, partim in sequentibus locum commodius invenient.

VII. Ad sextum præceptum, quo Deus hominis vitæ cavit, multæ leges pertinent. *Prima* est, ut qui alium sive virum, sive mulierem, data opera percusserit, ita ut ex illo ictu moriatur, is interficiatur, *Exod.* XXI. 12. *Levit.* XXIV. 17, 19. *Num.* XXXV. 16. quamvis qui occisus est, servus aut ancilla percussoris fuerit, *Exod.* XXI. 20. Verumtamen si servus percussus unum aut alterum plagæ suæ diem supervixerit, dominus à pœna sit immunis, *Exod.* XXI. 21. *Secunda* est, ut qui alium lapide aut pugno percusserit, ita ut ex ictu decumbat, immunis quidem sit à pœna mortis, sed tamen cessationem ejus à labore compenset, & curationis impensas solvat, *Exod.* XXI. 18. Et qui irrogaverit alicui maculam, sicut fecit, ita fiat ei, fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. *Lev.* XXIV. 19. Si vero dominus tale quid servo fecerit, non subjaceat pœnæ talionis, sed in solatium injuriæ servum libertate donet, *Exod.* XXI. 26. *Tertia* est, ut qui casu fortuito aut per imprudentiam aliquem interemerit, quem non oderat, nec petebat, ad proximam refugii urbem se recipiat, & ibi secure habitet absque metu propinqui sanguinis, modo ejus terminos ad mortem usque summi Sacerdotis non egrediatur. Sed qui per insidias & data opera alium occiderit, non parcatur ei, atque etiam ab altari Dei, ad quod confugerit, avellatur, *Exod.* XXI. 13, 14. *Num.* XXXV. 22. *Deut.* XIX. 4. *Quarta*, ut homicidii, cujus auctor est incognitus, expiatio fiat à senioribus propinquæ urbis, ne ille sanguis ipsis imputetur, *Deut.* XXI. 1. *Quinta*, ut bos cornupeta interficiatur, & dominus

ejus,

ejus, si antea fuerit admonitus, & non impediverit, pœnæ vel pecuniariæ, vel etiam capitali subjaceat, *Exod.* XXI. 18, &c. *Sexta*, ut servus qui ob nimiam domini sævitiam ab eo aufugerit, domino suo non tradatur, neque vis ei inferatur, *Deut.* XXIII. 15. *Septima*, ut quando Israëlitæ ad oppugnandam urbem accederent, primo ei pacem offerrent, antequam hostile aliquid adversus eam molirentur, *Deut.* XX. 10, &c. *Octava*, ut novi nupti, & qui ædificassent domum, eamque nondum dedicassent; qui plantassent vineam, & nondum ex ea comedissent fructum, atque omnes meticulosi à bellicis expeditionibus immunes essent, *Deut.* XX. 2, &c. *Nona*, ut qui domum ædificarent, loricam, vel peribolum tecto adderent, ne quis ex eo cadens interiret, & dominus illius sanguinis reus esset, *Deut.* XXII. 8. *Decima*, ut peregrino vis non inferretur, nec opprimeretur, sed memores essent Israëlitæ se peregrinos fuisse in terra Ægypti, *Exod.* XXII. 21. & XXIII. 9. *Lev.* XIX. 33.

VIII. Ad septimum præceptum pertinent omnes illæ leges, quæ adversus incestus & adulteria extant *Lev.* XVIII. 7, &c. & XX. 10, &c. Item ne essent prostibula aut meretrices inter Israëlitas, *Lev.* XIX. 29. *Deut.* XXIII. 17. ne mulier indueretur virili veste, aut vir muliebri, *Deut.* XXII. 5. ut filia Sacerdotis scortans igne comburatur, *Levit.* XXI. 9. Præterea leges de repudiis & divortiis, & de polygamia, *Deut.* XXIV. 1, &c. & XXI. 14, 15.

IX. Ad præceptum octavum referri possunt hæ leges. *Prima*, ut plagiarius, qui furatus fuerit aliquem hominem, & vendiderit eum, interficiatur, *Exod.* XXI. 17. *Deut.* XXIV. 7. *Secunda*, ut qui bovem aut pecudem furatus fuerit, & vendiderit illam, pro bove quinque boves reddat, & pro pecude quatuor pecudes. Si vero in manu ejus deprehensum fuerit furtum, pro uno duo reddat: & si non habeat quod pro furto reddat, ipse venundetur, *Exod.* XXII. 1, &c. *Tertia*, ut si fur nocte domum perfodiens, occisus fuerit, percussor non ideo mortis sit reus. Sed si orto jam sole furem occiderit, homicidii reus sit, *Exod.* XXII. 2. *Quinta*, ne injusto pondere aut mensura uterentur Israëlitæ, *Lev.* XIX. 35. *Deut.* XXV. 13. *Quinta*, ne termini agrorum loco moveantur ad proximum fraudandum, *Deut.* XIX. 14. *Sexta*, ut depositum aut commodatum fideliter reddatur ei à quo acceptum est, *Exod.* XXII. 7, &c. *Septima*, ne ullus Israëlita gravetur usura, sed mutuo gratuito in paupertate sua sublevetur; extraneo vero fœnerari liceat, *Exod.* XXII. 25, 26. *Lev.* XXV. 35, 36. *Deut.* XXIII. 19, 20. & XXIV. 6, &c. *Octava*, ut hæreditas ad proximos sanguinis transeat, & quando continget, ut filiæ sint ὁλόκληροι, seu ex asse hæredes, ut nubant alicui suæ tribus, ne hæreditas ex una Israëlis tribu in aliam transeat. *Nona*, ut propinquis jus sit redemptionis, in possessionibus extraneo alicui venditis, usque ad annum Jubilæi, *Lev.* XXV. 23, &c. *Decima*, ut cum servus aut serva Israëlitæ dimittentur liberi anno septimo, non dimittantur vacui; sed domini, pro ratione facultatum suarum, dent ipsis aliquid unde vitam sustentent, *Exod.* XXI. 2, &c. *Lev.* XXV. 39. *Deut.* XV. 12.

X. Ad præceptum nonum pertinent hæ leges. *Prima*, ut ad testis unius testimonium nemo morti adjudicetur; sed in ore duorum aut trium testium stet omne verbum, & qui mortem est meritus, interficiatur, *Num.* XXXV. 30. *Deut.* XVII. 6. & XIX. 15. *Secunda*, ut manus testium prima sit ad lapidandum eum, in quem testati fuerunt; deinde manus totius populi, *Deut.* XVII. 7. *Tertia*, ut falso testi, qui mendacium adversus proximum testificatus fuerit, rependatur quemadmodum cogitaverat alteri facere, *Deut.* XIX. 16, &c. *Quarta*, ut patres non interficiantur pro filiorum crimine, neque filii pro parentum crimine; sed unusquisque pro peccato suo tantum moriatur, *Deut.* XXIV. 16.

XI. Quæstionis per tormenta nulla fit in tota lege Mosaïca mentio, & optandum foret, ut plane inter Christianos aboleretur. Est enim plane injusta, cum punit eos de quorum crimine nondum constat. Nec apta est ad inveniendam veritatem, cum historiæ doceant, aliquos præ illius metu, falsa adversus vitam suam esse confessos; alios vero tolerando pœnam evasisse.

CAPUT XX.

De legis Mosaïcæ Promissionibus, Minis, & Possibilitate.

I. *Promissiones Legis ultra hanc vitam non extendi.* II. *Deum tamen suis cultoribus præstantiora bona reservasse.* III. *Et pios illa sperasse,* IV. *ex vi generalium promissorum, de mercede magna.* V. *Comminationes etiam esse temporales.* VI. *At Christum Evangelio destruxisse mortem & illuminasse vitam.* VII. *Legem idcirco vires non habuisse ut contineret Judæos in obedientia.* VIII. *Legem tamen hominum vires non superare.* IX. *Quosdam legem perfecte observasse.* X. *Male dici, nullos sub lege fuisse à criminibus capitalibus immunes.* XI. *Nec ideo ex operibus suis justificatos fuisse.*

I. ET hæc de legis Mosaïcæ mandatis: sequuntur *Promissiones* & *Minæ* quibus Deo illam sancire libuit. Eæ omnes si literam nudam spectes, corporales tantum fuerunt, & terrestris hujus vitæ spatiis inclusæ; ut sparsim videre est in Pentateucho, & speciatim *Lev.* XXVI. & *Deut.* XXVI. & XXVIII. ubi longum catalogum habemus benedictionum, legis observatoribus à Deo repositarum, & maledictionum, quæ ejus transgressoribus incubituræ essent.

II. Sed quæritur, utrum præter istas benedictiones & maledictiones carnales & temporaneas, nihil præterea iis qui sub lege vivebant, post hanc vitam sperandum aut metuendum restaret? Respondeo. Quin Deus fidelibus & piis qui adventum Christi in carne præcesserunt vitam æternam

nam sit daturus, ac proinde omnia peccata, quæ ingressum in eam impedire possent, gratiose condonarit, dubitare non permittit nos scriptor Epistolæ ad Hebræos, qui *capite* XI. docet, *Deum iis paravisse civitatem, nempe cælestem illam, fundamenta habentem inconcussa, cujus artifex & conditor est Deus, versibus* 10, 16.

III. Verum ambigitur adhuc an Patres isti beatitudinem cælestem sperarint, & quomodo eam sperare potuerint, si nulla ejus promissa haberent? Respondeo: Constat sperasse ex ejusdem scriptoris testimonio, colligentis *ex eo quod Abraham, Isaac & Jacob professi fuerint se peregrinos & hospites esse super terram, eos inquisivisse patriam, non quidem Chaldaam, unde exierant, sed meliorem, id est, cælestem, versibus* 13, 14, 15, 16. Præ cæteris illustre est exemplum septem illorum fratrum cum matre sua, qui tam dira passi sunt sub Antiocho Epiphane, quod legi Mosaïcæ renunciare nollent. Hac enim se sustentabant spe, *quod rex mundi ipsos pro legibus suis defunctos in æterna vitæ resurrectione suscitaturus esset*, 2 *Machab.* VII. 9, 11, 14, 23, 29, 36. Et Dominus Jesus tribuit Judæis quod *sperarent in Scripturis vitam æternam habere*, *Joan.* V. 39. conceperunt autem ejusmodi spem, vel ex peculiari revelatione Dei post tempora Mosis, aliquibus facta, vel ex simplici cognitione beneficentiæ & æquitatis ipsius. Cum enim pii & Dei timentes viderent se non esse participes benedictionum terrestrium lege promissarum, & tamen crederent Deum esse fidelem, inde collegerunt sibi alia apud ipsum præstantiora post hanc vitam bona reposita esse. Ita Abrahamus Deo jubente *ut sibi in holocaustum offerret filium unigenitum Isaacum, de quo promissum acceperat, In Isaac vocabitur tibi semen, ratiocinatus est apud se, quia & à mortuis suscitare potens est Deus*, *Heb.* XI. 17, 18, 19. & Jacob jam jam moriturus dicebat, *salutem tuam expectavi Domine*, *Gen.* XLIX. 18. cum paulo ante apud Pharaonem professus esset, *dies peregrinationis suæ fuisse breves & malos*, *Gen.* XLVII. 8, 9. Nimirum ut ostenderet se alia à Deo expectare bona præter ea quibus durante vitæ suæ cursu potitus erat.

IV. Nec huic fidelium spei repugnabant verba fœderis & legis divinæ. Dixerat enim Deus Abrahamo, *Ego sum merces tua valde magna*, *Genes.* XV. 1. Ubi etsi vita æterna non promittatur ei aperte, facile tamen colligere poterat se illam à Deo accepturum, cum benedictiones temporales, quas impartitus erat, hujus promissionis amplitudini non respondere animadverteret. Et Israëlitis dicebat, *Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis*, *Levit.* XVIII. 5. Ubi etsi vita æterna non nominetur, comprehendi nihilominus potest, & verisimile erat à Deo fuisse intellectam. Huc quoque referri debet id quod Deus Mosi è rubo dixit; *Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi*, *Exod.* III. 6. Unde Dominus Jesus colligit, *quandoquidem Deus non est Deus mortuorum, sed vivorum*, quibus se propitium ostendit, *eos ex mortuis aliquando suscitatum iri*, *Matth.* XXII. 31, 32. Sed omnibus non erat datum tam profunde in Dei & legis ipsius mentem penetrare; & fortasse nisi Christus nobis oculos ad eam intelligendum aperuisset, non in minore istius rei versaremur ignorantia, quam olim Sadducæi, qui resurrectionem mortuorum, & aliam post hanc vitam negabant. Ita ut hæc & similia loca, quæ in Veteri Testamento occurrunt, pro aperta & expressa vitæ æternæ promissione haberi nequeant.

V. Similiter omnes legis comminationes, si diserta earum verba spectes, hujus vitæ ambitu terminantur. Gravissima enim inter eas est mortis violentæ, atque ante tempus à natura definitum, qua plecti Deus volebat eos, qui enormi aliquo scelere se obstrinxissent. Cruciatuum post mortem aut pœnæ sensus æternæ nulla ibi fit mentio. Nolim tamen negare istud nomine mortis maledictæ intellectum etiam fuisse, quemadmodum sub voce indefinita vitæ, æterna quoque comprehendebatur. Nam sicut pii melioris quam sit hæc præsens vitæ spe ad Deum alacri corde colendum incitati fuerunt, ita etiam metu acerbioris mortis quam sit corporalis ab eo offendendo deterreri potuerunt; licet aperta utriusque, tum præmii tum pœnæ æternæ revelatio novi Fœderis temporibus reservata fuerit. Tales autem post mortem restare pœnas inde potuerunt colligere, quod multi impii, quibus lex maledictionem denunciat, placide diem suam in senectute obeant, & supplicium sceleribus suis debitum in hac vita non reportent. Cum ergo Deus sit justus, repensurum iis in futuro sæculo quod in hoc non fecit.

VI. Sed ad supplendum istum Veteris Fœderis defectum promissus in eo fuit *magnus ille Propheta instar Mosis*, cui omnes obedientiam præstare tenerentur, alias Deum ultorem sensuri, *Deut.* XVIII. 15, &c. Quod in Dominum Jesum quadrare, suo loco ostendendum erit: qui Novi Testamenti fuit Mediator, sicut Moses Veteris, & *destruxit mortem, illuminavit autem vitam atque immortalitatem per Euangelium*, 2 *Tim.* I. 9. Ideo vulgo credebatur annunciaturus omnia, *Joan.* IV. 25. nempe quæ præter legem cognitu forent necessaria.

VII. Cum ergo promissiones & minæ legis ad hanc tantum vitam pertinuerint, aut saltem sic intellectæ vulgo fuerint, non habuerunt magnas vires ad continendum in obedientia populum. Quo respexit Paulus, cum dicebat *se bonum, quod vellet, non facere; sed malum, quod nollet, agere*, *Rom.* VII. 17, 19. Hic enim sub sua persona describit statum hominis legi obnoxii, qui persuasus legem esse divinam, ac proinde justam, aliquo ejus observandæ desiderio tenetur: sed à cupiditatibus carnalibus irretitus in sancto isto proposito non permanet, nec per legis infirmitatem in eo contineri potest. Quod expressius adhuc declarat *Rom.* VIII. 3. ubi dicit *legem infirmatam fuisse per carnem*, id est, per carnalia sua præcepta & promissa: *ideoque impossibile illi*

fuisse nos justificare, seu justos nos reddere, ac proinde efficere ut præmio justitiæ à Deo donaremur.

VIII. Absit tamen ut existimemus Deum legem tulisse, quæ vires quas hominibus dedit superaret; justitia enim ejus non permittit ut colligere velit ubi non seminavit. Contrarium apparet ex omnibus legis mandatis, quorum nullum est, si per se spectetur, quod ope divina accedente non sit facile observatu; licet certum sit tot in vitæ cursu occurrere illecebras peccandi, ut nisi quis sibi diligentissime caveat, fieri vix aliter queat, quin subinde labatur. Et cum Petrus, *Actor*.xv. 10. Legem vocat *jugum, quod neque patres sui neque ipsi ferre potuerunt*, id de præceptis ceremonialibus intelligendum esse, non de moralibus, omnes loci circumstantiæ abunde probant: nec significat ea absolute impossibilia fuisse observatu, sed tantum valde difficilia.

IX. Quæres, an ergo aliqui inter Israëlitas reperti fuerint, qui legem Dei perfecte observarint, quandoquidem statuimus id non fuisse omnino impossibile. Respondeo, *Legem impleri*, duobus modis intelligi posse. Uno, si quis nunquam adversus eam ab initio vitæ suæ usque ad finem, vel in minimo apice peccaret. Altero, si quis purum se conservaret à gravioribus peccatis, & pro ignorantiis atque infirmitatibus suis sacrificia quæ lex præscribit in resipiscentiæ testimonium offerret. Priore modo nullus unquam mortalium, excepto Domino nostro Jesu Christo, perfecte legem implevit; quia homines consuetudine peccandi prius implicantur, quam se bene aut Dei voluntatem noverint. Posteriore multi, ut testatur Scriptura. Nam ut hic prætercam Henochum, Noam, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, quorum pietas tantopere commendatur; quia illorum qui sub lege non vixerunt exempla videri possent aliena, ubi de legis impletione agitur; de Davide dicitur *eum fecisse rectum in oculis Domini, & non declinasse ab omnibus quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethei*, 1 *Reg*. xv. 5. de Asa, *perfectum fuisse cor ejus coram Domino cunctis diebus suis, ibid. versu* 14. & 2 *Chron*. xv. 17. de Josia, *eum reversum fuisse ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in omni virtute sua, juxta omnem legem Mosis*, 2 *Reg*. XXIII. 25. de Zacharia & Elizabetha, *eos ambos fuisse justos coram Deo, ambulantes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*, *Luc*. 1. 6.

X. Errant ergo qui dicunt, neminem unquam fuisse qui non aliquo se eorum criminum commacularit quibus lex expresse pœnam mortis denunciat: Nam quamvis testimonium justitiæ quod Davidi perhibetur, cum tali exceptione sit intelligendum; & similiter quod Asæ, qui videntem Hanani ad se nomine Dei loquentem in vincula conjecit, & plurimos ex populo interfecit, 2 *Chron*. XVI. 7, &c. charitas tamen non permittit ut de aliis idem absque probatione suspicemur. Infirmum enim est quod affertur ex Paulo, eum postquam ex diversis Scripturæ locis allegasset, *non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, &c. subjunxisse hæc verba, *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat omnis mundus Deo*, *Rom*. III. 10, &c. Nam in *Psal*. XIV. unde pleraque citat, mentio fit generationis justæ, quæ ab impiis illis, in quos David invehitur, opprimebatur.

XI. Sed inquies, si aliqui inter Israëlitas legem posteriore saltem modo implevissent, ut nullius criminis capitalis essent rei, ex operibus suis justificati fuissent coram Deo; quod Paulus illic diserte negat. Ad quod respondeo, duplicem esse legis justificationem, unam corpoream & temporalem, alteram spiritualem & æternam. Illa imperfectiore liberabantur ab execratione legis, qui vitam ducebant ab omni scelere puram, & contra benedictionum temporalium quas obedientibus pollicetur participes erant: talisque justificatio respondebat secundo legis implendæ modo, de quo ante diximus. Hæc vero perfectior vindicat à morte, & vita donat æterna. Sed ut aliquis ea ex legis vi potiatur, is primo & perfectiore illo modo quem dicebamus legem implevisse debuit. Quod cum nemo fecerit, sequitur etiam neminem ita ex operibus legis justificari, ut per illa immunitatem à morte & vitam æternam obtineat: idque Paulus solum docet.

CAPUT XXI.

De legis Mosaïcæ usu, sub Euangelio.

I. *Legem instar pædagogi Judæos ad Christum adducere.* II. *Sed erga Christianos isto officio non fungi.* III. *Quo pacto lex Judæorum pædagogus fuerit.* IV. *Non fuisse datam, ut per eam homines vitam æternam adipiscerentur.* V. *Quod ad partem ejus Moralem maxime spectat, fuisse positam transgressionum causa.* VI. *Piorum etiam respectu.* VII. *Ceremonialia ejus præcepta Novi Fœderis mysteria adumbrasse.* VIII. *Politica vero nunc ab omnibus Christianis non posse observari.* IX. *Nullo modo tamen à Christo abrogata esse.* X. *Sed Magistratus Christianos ad eorum æquitatem, leges omnes suas & judicia, quam maxime fieri potest, dirigere debere.*

I. SUperest ut quis legis Mosaïcæ inter Christianos sit usus dicamus. Ubi primo occurrit id, quod Paulus docet; *Lex fuit pædagogus noster ad Christum, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo*, *Gal*. III. 24, 25. Nimirum legis istius naturæ, quæ rudimenta tantum pietatis continet, optime conveniebat ut præscriberetur rudi & infantili populo, qui pædagogorum ductu adhuc indigebat, donec ad ætatem adultiorem venisset, in qua perfectioris disciplinæ capax esset. Sed inde non sequitur, ut quidam putant, illam etiamnum inter Christianos hoc officio fungi debere, & eos prius in lege instituendos & ejus minis terrendos esse, quam doctrina gratiæ Euangeli-

cæ

cæ ipsi proponatur. Istud enim ab Apostolo dictum est habita Judæorum ratione, è quorum erat numero, *qui antequam venisset fides* (id est, antequam revelatum esset Euangelium, quod fide amplecti oportet) *sub lege custodiebantur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat*, *ut ibid. versu* 23. dicit. Itaque male applicatur Christianis, qui nunquam sub lege vixerunt, quasi oporteret eos prius circumcidi, & alios legales ritus observare, quam Euangelicæ doctrinæ parendi capaces essent: quod absurdum est, & contrarium iis quæ docet Paulus, *nos ubi venit fides non amplius esse sub pædagogo*.

II. Non me latet, illos qui volunt ut lex hodie noster sit ad Christum pædagogus, id potissimum de præceptis moralibus & comminationibus adjunctis intelligere, & docere animos esse percellendos horrenda maledictione, quam lex transgressoribus denunciat, ut præparentur ad amplectendum gratiam, quæ nobis per Christum in Euangelio offertur. Sed istud absonum etiam est. Nam 1. cum Paulus docet *legem fuisse pædagogum ad Christum*, respicit præcipue ad præcepta ceremonialia, quorum onere nolebat fideles ex gentibus ad Deum conversos gravari; propterea (ut dicit) *quod ubi venit fides, non sumus amplius sub pædagogo*. 2. Denunciatio maledictionis non spectabat solum transgressores præceptorum moralium, sed etiam ceremonialium: ac proinde si ea terreri deberent animi antequam gratia Euangelica ipsis proponeretur, nos præcepta ista etiamnum observare teneremur. 3. Ridiculum foret & instar lusus puerilis, eos legis comminationibus terrere velle, qui sciunt se non amplius esse sub lege, & legem maledicendi vim, postquam fuit abrogata, non amplius habere. 4. Non est opus legis comminationibus præparare homines ad Euangelium recipiendum. Nam etiam Euangelium gravissimas incredulis & impœnitentibus pœnas denunciat: nempe quod *ira Dei supra eos maneat*, *Joan*. III. 36. quod *horrendum sit incidere in manus Dei viventis*, *Hebr*. X. 31. & alias ejusmodi plures: quas qui spernit, neque maledictionem legis abrogatæ, & quæ nunquam aliis quam Israëlitis lata fuit, formidabit. Sed hic error provenit ex ignorato legis & Euangelii vero discrimine: quasi lex mandata tantum & minas contineat, Euangelium contra solas promissiones; quod falsissimum est, ut alias ostendetur.

III. Lex ergo pædagogus fuit ad Christum solis Israëlitis qui sub ea vixerunt: quia iis rudimenta pietatis in Decalogo & aliis ad eum pertinentibus præceptis proposuit, quibus ad amplectendam perfectiorem disciplinam, quam Christus suo tempore allaturus esset, præpararentur. Deinde quia eum atque ipsius officia sub umbris ceremoniarum repræsentavit & veluti depinxit, ut quando manifestandus esset, & umbrarum & typorum istorum veritas in eo impleretur, facilius ab illis agnosci posset. Unde etiam factum est ut pii, qui pro gratia sibi à Deo donata vitam ad Mosis legem componebant, & ad scopum illius attendentes, veram à peccato & morte per Messiam liberationem ibi promissam & præsignificatam exspectabant, sponte Christum amplecterentur cum manifestatus est: Isque tantum ab improbis, aut præjudicio aliquo fascinatis, repudiaretur, qui lege tanquam pædagogo usi non fuerant.

IV. Neque etiam lex fuit lata, ut per eam vitam æternam adipisceremur, sicut aliquis existimare posset. Nam si lex data esset quæ posset justificare, vere *ex lege foret justitia*, *Gal*. III. 21. Atqui id impossibile erat legi præstare, *quia infirmabatur per carnem*, *Rom*. VIII. 3. Attamen, inquies, Deus ipse pronunciat de legis suæ mandatis, *qui fecerit illa homo, vivet in eis*, *Levit*. XVIII. 5. Quod repetitur à Paulo *Rom*. X. 5. *Gal*. III. 12. Cum quo convenit Jesu Christi responsum, cuidam legisperito datum; nam post recitatam ab ipso legis de amore Dei proximique summam, Dominus subjecit, *recte respondisti, hoc fac & vives*, *Luc*. X. 28. Sed facilis est hujus nodi solutio. Lex vitam homini promittit sub conditione, nempe si perfecte eam servaverit: contra maledictionem omni eam transgredienti denunciat: *Maledictus enim quicunque non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*, *Deut*. XXVII. 26. *Gal*. III. 12. Cum ergo nullus inveniatur qui legem aliquando non fuerit transgressus, nullus etiam vitam per eam exspectare potest, sed contra maledictionem certam, sicut Paulus loco modo citato, *versu* 10. docet, *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt*, nempe quia omnes eam transgrediuntur, nam si quis servaret, benedictionem à Deo obtineret. Præterea lex non potuit vivificare, quia viribus non erat instructa quibus homines peccatis immersos ab illis retraheret, & ad justitiam sectandam valide induceret. Bona enim temporalia quæ sectatoribus suis pollicebatur, profani homines sperare poterant alia commodiore ratione, quæ cupiditatibus suis carnalibus non esset adeo ingrata; ut per fraudes, vim & rapinas.

V. Quis ergo, dicet aliquis, erat legis usus, si non posset vivificare? Respondeo, Apostolus nos de eo instruit, *Transgressionum causa posita est, usque dum venisset semen illud cui facta est promissio*, *Gal*. III. 9. Id est, Deus eam tulit ut improbos metu pœnarum contineret in officio; & aliqua inter eos servaretur externa disciplina, quos recta ratio ad virtutem amplectendam non movebat; idque donec promissum illud semen, seu Messias, qui perfectioris & efficacioris legis author esset, advenisset. Hoc etiam sensu accipi debet quod alibi scriptum est, *Justo lex non est posita: sed injustis & sceleratis, ut homicidis, parricidis, plagiariis, fornicariis, perjuris & similibus*, I *Tim*. I. 9. Justi enim qui sponte faciunt id quod rectum est, isto acri legis & pœnarum fræno non indigent, ut in officio contineantur.

VI. Magnus etiam legis apud justos erat usus. Docebat enim eos quid esset justum aut injustum, Deo acceptum aut exosum. Unde eximia hæc legis elogia, *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Dei fidele, sapientiam præstans parvulis, &c. Psalm.* XIX. 8. *& seqq.* eoque etiam magna pars *Psalm.* CXIX. spectat. Sed lex istud non efficiebat absque fide, qua sancti respiciebant ad Deum, & ipsum ultra id, quod aperte in lege promittit, pietatem suam remuneraturum confidebant; ideo Apostolus dicit, *sine fide impossibile est placere Deo, Hebr.* XI. 6. id est, justitiæ opera Deo placita & accepta, quæ vita æterna donare velit, facere; quod plurimorum Veteris Testamenti Sanctorum, qui sola ista ratione ipsi placuerunt, exemplo confirmat. Solæ enim legis minæ, si nulla alia spes adsit, veros Dei cultores efficere nequeunt: sed potius hypocritas, qui terrore pœnarum externam aliquam præstant obedientiam, cum interim cor eorum à Deo sit alienum. Et hic legis usus, qui præcepta ejus moralia potissimum respicit, locum etiam habet sub Novo Testamento, & inde Christiani multa debent repetere quæ in scriptis Apostolorum non sunt satis expressa.

VII. Quod ad præcepta ceremonialia, illa partim adumbrabant mysteria Novi Testamenti, quorum impletionem habemus in Christo: partim innuebant quali sanctitate, cum spiritus, tum corporis, deberent esse præditi, qui Deo accepti esse cupiunt; ut supra enarrantes ea monuimus. Unde apparet illorum observationem hodie non amplius esse necessariam. Cui enim fini umbræ, cum corpus est præsens? Imo etiam certum est nocere, si quis in iis tanquam in re aliqua eximia fiduciam suam collocet, & tacitam quandam beneficii Jesu Christi esse renunciationem. Adde quod soli populo Israëlitico olim lata fuerunt, & nullos alios obligarunt.

VIII. Restant Politica seu forensia legis præcepta: de quibus quæritur, an possint aut debeant adhuc sub Novo Testamento inter Christianos locum habere. Et de eo duæ reperiuntur extremæ atque sibi invicem directe oppositæ sententiæ. Prima est eorum qui affirmant; hoc fundamento nixi, quod inter Christianos oporteat esse magistratus, & judicia secundum legem exerceri: Christus autem nullas suis politicas leges tulerit. Retinendas itaque esse Mosaïcas, utpote quæ à Deo profectæ sint, & longe meliores Justinianeis & similibus, quæ maximam partem ab Ethnicis profectæ sunt. Sed quanquam istud speciem veritatis habeat, non tamen est necesse, imo neque possibile, omnes politias secundum Mosis legem gubernare. Non esse necesse inde patet, quod Deus hanc legem uni tantum populo Israëlitico præscripsit, & alias gentes vicinas nunquam per suos Prophetas reprehendit, quod eam non suscepissent. Impossibile etiam esset alibi eam observare; etiamsi quidam populi in recipienda consentirent. Oporteret enim eos ab una communi stirpe genus ducere, ut Israëlitas à Jacobo: & tredecim familiis constare, regionemque suam in duodecim partes æquales dividere, decimæque tertiæ familiæ nullam in ea partem nisi ad habitandum assignare, sed tantum decimas & oblationes unde viverent. Septimo etiam anno deberent quietem terræ indulgere, etiamsi promissum non haberent ipsam sexto anno duplicem proventum allaturam; & in cæteris omnibus religionem Judaïcam sequi. Præterea cum Deus ab initio regimen Aristocraticum in illo populo constituisset, & postea importunitati eorum cedens, permiserit ut sibi Regem eligerent: hinc quæstio oriretur, utrum illi non desciscerent à lege divina, qui aliter quam Aristocratice rempublicam suam regerent: præsertim cum tale indultum sibi à Deo factum allegare non possent atque Israëlitæ.

IX. Altera contraria opinio est, non licere nobis hodie leges Mosis politicas observare, nempe quia à Domino Jesu Christo sint abrogatæ, & cum Novi Fœderis natura non conveniant, quod Christianis magistratum gerere & judicia capitalia exercere non permittit. Sed hujus controversiæ examen paucis fieri non potest, & alteri loco, ubi melius convenit, est reservandum. Verbo dico, illos toto errare cælo à Christi mente, qui istud ei tribuunt, cum diserte profiteatur contrarium *Matth.* V. 18. *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere.* Nam revera illam solvisset, tollendo magistratus & scelerum pœnas, in quibus magnam partem consistit. Nec refert quod perfectiorem quam Mosis, charitatis legem tulerit: nam istud impletionis nomine venire non potest. Nullus enim dixerit ædificium adimpleri, cum totum à fundamentis diruitur, quamvis id fiat ut aliud elegantius in ejus locum substituatur: sed tantum si relictis fundamentis, partes aut ornamenta quæ desunt, adjiciat. Sic nec Aristotelis Philosophia ab illo impleretur, qui omnia ejus fundamenta everteret, ut perfectiorem introduceret; sed solum cum salvis manentibus ejus principiis, dogmata quæ nondum inde elicita sunt enuclearet. Et istud est quod fecit Dominus Jesus. Intactis enim legis Mosaïcæ fundamentis, quæ sunt partim justitia & æquitas, partim magistratus, per quos executioni mandari debet, perfectiorem charitatem & quæ ad plures extenderetur homines docuit.

X. Cum ergo utraque hæc opinio sit erronea, restat ut tertiam, quæ medium inter illas tenet, amplectamur. Ea est, magistratus debere operam dare ut in Republica, quam administrant, nullæ leges nisi justæ & æquæ obtineant. Neminem autem dubitare quin illæ tales sint, quas Deus olim per Mosem populo Israëlitico dedit. Liberum ergo ipsis esse ex isto fonte haurire leges, quibus populum sibi commissum regant; longeque id esse tutius quam si ad Ethnicorum leges se conforment: præsertim cum incidit controver-

troversia quid æquitati & justitiæ consentaneum sit, aut secus. In isto enim casû omnino præferendæ sunt Mosaïcæ aliis quibuscunque: exempli gratia, cum quæritur an simplex furtum capitali pœna sit puniendum, an quæstio per tormenta sit licita, & in aliis multis. Fieri tamen non potest ut magistratus in omnibus legem istam observent, propter peculiares ejus circumstantias, populum Israëliticum religionemque illius & regionem Canaan spectantes. Proinde ad illam non obligantur: imo nec etiam ad alia, nisi quatenus æquitati naturali sunt consentanea. Nam dicere nos ad quasdam leges Mosis obligatos esse, ad alias vero minime, consistere nequit: nam Deus diserte vetat, *ne quid iis addatur aut detrahatur*, *Deut.* IV. 2. & XII. 32. Et statim atque talis aliqua mutatio in lege facta est, non est amplius lex divina, sed humana constitutio, quam ut divinam urgere iniquum & inutile foret.

RELIGIONIS CHRISTIANÆ INSTITUTIO.

LIBER V.

CAPUT I.

De Joannis Baptistæ persona, & præparatione ad Munus.

I. De Joannis Baptistæ prosapia, parentibus & miraculosa conceptione. II. Patrem ejus Zachariam summo Sacerdotio nunquam fuisse functum. III. Incredulitatis pœnam ejusdem etiam fuisse remedium. Et Joannem ab utero Spiritu S. repletum fuisse, & in gaudio exultasse. IV. Ei à Patre nomen inditum, qui linguæ vinculo solutus, se in Dei laudes effudit. V. Joannem Christo præcursorem fuisse destinatum. VI. Vitam in deserto duxisse. VII. Id inservisse ad autoritatem ejus ministerio & doctrinæ conciliandum. VIII. Hinc tamen Eremiticæ vitæ patrocinium peti non posse. IX. Victus ejus. X. Et vestitus. XI. Ipsi peculiari missione opus fuisse, quod munus ei impositum differret à Sacerdotali. XII. Scripturam S. de ejus Missione testari.

I. EXplicata obiter lege Mosaïca, accedendum jam esset ad Religionem Christianam: sed quia inter utramque interjectum fuit Joannis Baptistæ ministerium, de eo aliquid præmittere nos oportet: Et primo quidem illius *Nativitatem*, deinde *Munus* considerare. In Joannis Nativitate multa illustria, & observatu digna occurrunt. Inter quæ *primum* est, quod aliquot seculis ante prædicta fuerit à Malachia Propheta, *cap.* III. 1. & *cap.* IV. 6. & quod annunciata sit per Angelum patri ejus, *Luc.* I. 8. *Alterum* est, quod ortus fuerit ex prosapia, quæ tunc temporis illustrissima apud Judæos habebatur: pater enim ejus Zacharias, erat Sacerdos; ac proinde genus ab Aarone ducebat: Mater vero Elizabeth erat etiam ex filiabus Aaron, *Luc.* I. 5. Et sic respectu tam paterni, quam materni generis nobilissimus fuit: Regia enim Davidis familia, jam antea valde humilis, ad plebeios redacta fuit, postquam Herodes Idumæus regnum invasit, & Sacerdotalis primas tenuit, ut docet Josephus in vita ipsius. *Tertium* est, quod parentes Joannis *erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela*, *Luc.* I. 6. Quæ multo præstantior fuit nobilitas, quam præcedens; cum nullus generis splendor, si morum probitas absit, quicquid valeat apud Deum. *Quartum* est, quod absque miraculo non fuit natus: nam, præterquam quod parentes ejus *valde erant ætate provecti*, mater *Elizabeth etiam erat sterilis*, *Luc.* I. 7. Duplexque istud impedimentum Dei virtute superatum fuit; sicut olim cum ex Abrahamo centenario, & Sara nonagenaria, & sterili, natus est Isaac.

II. His igitur ita se habentibus, & Sacerdotio fungente Zacharia, apparuit ei Gabriël Angelus Domini, qui filii istius nativitatem annunciaret, *Luc.* I. 8, &c. Dicitur autem Angelus *stetisse à dextris altaris incensi*, quod erat prope velum, quo Sanctum à Sancto Sanctorum separabatur. Unde nonnulli collegerunt Angelum apparuisse Zachariæ in Sancto Sanctorum, cum ibi offerret suffitum in Festo propitiationis; ac proinde eum fuisse summum Sacerdotem. Sed primo, etsi altare incensi proximum esset Sancto Sanctorum, non tamen erat in eodem septo: adeo ut Angelus ab ejus dextra parte commodius alloqui potuerit Zachariam, in Sancto munus suum obeuntem, quam si in Sanctum Sanctorum ingressus tunc esset. Deinde utrumque istud quod asserunt esse falsum, inde revincitur: Quod Lucas dicat, eum *fuisse ex vice Abiæ, & functum Sacerdotio in ordine vicis suæ, forteque ei contigisse ut offerret suffitum:* Distributio enim Sacerdotum in XXIV. familias, quarum octava erat Abiæ, ad Sacerdotes tantum inferiores pertinebat: Summi vero Sacerdotes non fungebantur ministerio per vices; sed quotidie, si vellent: nec opus erat, ut sorte experirentur cujus esset offerre suffitum, cum uno tempore unicus esset summus Sacerdos. Adde, quod si Zacharias summus fuisset Sacerdos, Lucas id non dissimulasset, utpote ad commendationem Joannis Baptistæ multum faciens: Dicit autem simpliciter de eo, *fuit Sacerdos quidam nomine Zacharias*, &c. Quod in summum Sacerdotem non quadrat. Nec ullus Zacharias est in catalogo summorum Pontificum apud Josephum; sed qui tunc temporis Sacerdotio summo fungebatur, erat Joazarus.

III. Cum autem Zacharias non statim crederet Angelo nativitatem filii ipsi annuncianti; nimirum, quia tali apparitione stupefactus non satis considerabat, quanta esset Dei istud promittentis virtus, pœna hæc ei inflicta est, ut ab isto tempore mutus esset, & non posset loqui, donec impleta forent, quæ dixerat Angelus. Ubi admiranda Dei benignitas & sapientia se prodit, qui levem hanc pœnam, qua servi sui ἀπιστίαν casti-

castigavit, simul inservire voluit ad certum eum reddendum de re, de qua dubitabat, & ad commendandum filium, qui ipsi nasciturus erat, in cujus gratiam istud miraculum fiebat. Cui accessit mox duplex aliud; quod Joannes Baptista *ab utero matris repletus fuit Spiritu Sancto*, quod nulli unquam homini, (si Dominum Jesum excipias) præter ipsum, contigit. Et quod Maria Virgine cognatam suam Elizabeth salutante, *exultavit in gaudio infans in utero ejus*, quasi jam ab illo tempore agnosceret Jesum, cui aliquando testimonium perhibiturus erat. Quamquam non est dissimulandum nonnullos hæc verba, *ab utero*, sic accipere, ac si dictum fuisset, statim atque exivit ex matris utero. Ut Christus qui ex Spiritu S. conceptus, & in utero materno fotus, hic eum longe antecellat. Istud etiam *in gaudio*, posse intelligi de gaudio Elizabethæ, cujus sensu motus infans in utero ejus exilierit, etsi ipse gavisus non sit. Sed licet geminum istud miraculum in gestatione Joannis non contigisset, fuerunt alia multa quæ eam commendent.

IV. Cum autem pariendi tempus impletum esset Elizabethæ, enixa est insignem istum puerum, qui octavo die secundum legem circumcisus est; atque ex Angeli mandato *Joannes* vocatus, id est, *Gratiosus*; quod optime conveniebat illi, qui primus gratiæ Euangelicæ inter homines præco esse debebat: Tuncque vinculum linguæ Zachariæ solutum fuit, qui protinus se in Dei laudes effudit, & spiritu Prophetico donatus, egregium istud canticum, quod refert Lucas, pronunciavit; ubi præcipua salutis nostræ mysteria, & filii, sibi recens nati, munus explicat. Tot admiranda simul in istius infantis nativitate concurrerunt.

V. Quod ad *Munus* attinet; Deus eum, quem olim promiserat Christum mundo donaturus, & per eum Novum Fœdus cum hominibus initurus, voluit ante ipsum præcursorem mittere Joannem Baptistam, qui ipsi præpararet viam; veluti solent Reges aliquem magnæ autoritatis legatum ad fœdus cum aliis tractandum missuri, ipsi alium minorem præmittere, qui de ejus adventu moneat, &, quæ in antecessum facienda sunt, præparet. Præterea, quemadmodum in natura crepusculum est medium inter diem & noctem; & ver, atque autumnus æstatem ab hyeme diriment, ne subito transitu ab uno extremo ad alterum læderentur animalia & plantæ; ita Deus consultum judicavit, ut Joannis Baptistæ munus medium locum inter legem & Euangelium teneret.

VI. In eo autem duo præcipue sunt consideranda; nempe *Præparatio*, & *functio*. Et rursus *præparatio* in duobus constitit; videlicet, in *vivendi ratione* peculiari; & *missione* à Deo. In vivendi ratione ad tria attendere oportet: primo, ad *locum*: deinde, ad *victum*: tertio, ad *amictum* ejus. *Locus*, ubi degebat Joannes, fuit *desertum*, ut discimus ex Luca, *cap.* I. *versu ultimo*. ubi dicit, *ipsum fuisse in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israël*: vide etiam *cap.* III. 2. & *Marc.* I. & *Matth.* III. Quidam putant per istud desertum intelligendam esse regionem Judææ montanam, cujus mentio fit *Luc.* I. 39. ubi habitabant Joannis parentes; & illam desertum vocatam fuisse respectu aliarum Judææ partium, quæ cultiores erant, & incolis frequentiores. Sed inusitatum est, urbibus nomen deserti dare. In urbe autem seu oppido aliquo mansisse Zachariam & Elizabetham, docet Lucas ibidem. Putarim ergo potius significari desertum Arabiæ, quod erat Judææ vicinum: idque etiam colligitur ex cibis, quibus Joannes se sustentabat; nimirum, quales in deserto reperire poterat. Non est autem necesse dicere, imo neque probabile est, Joannem in deserto vixisse ab infantia: videtur enim in tenera illa ætate, quæ aliena cura carere nequit, educatus fuisse in ædibus paternis, more aliorum infantium: Sed cum ad ætatem adultiorem pervenisset, & vias suas ipse dirigere poterat, impulsum fuisse à Spiritu Dei, quo plenus erat, ut ex hominum consortio se subduceret, & in deserto viveret; si non semper, saltem ordinarie, & maximam temporis partem.

VII. Id autem faciebat primo ad conciliandam autoritatem ministerio Joannis: Nam cum Deo visum non esset ipsum miracula faciendi potestate donare, ne æqualis putaretur Christo, cujus tantum erat servus, voluit, ut se extraordinaria vitæ austeritate commendabilem redderet: Unde appareret, eum, ad novam doctrinam prædicandum, non se accinxisse ut voluptuose viveret, aut sibi viam ad opes & honores sterneret, cum hæc omnia veluti pedibus conculcaret. Deinde, ex eo colligi poterat, eum, doctrinam, quam annunciabat, non ab hominibus, sed à Deo didicisse; nam cum in scholis non profecisset sub doctoribus, & repente tantus concionator prodiret; quid aliud restabat, quam ut Deum ipsum pro magistro & doctore habuisset? Denique id requisivit similitudo quæ ipsi cum Elia Thesbite intercessura erat, in cujus spiritu & virtute veniebat: Sanctus enim ille Propheta, partim sponte, partim persecutionem fugiens, magnam ætatis partem in desertis vixit; ut discimus ex 1 *Reg.* XVII. & XVIII. & XIX. & 2 *Reg.* I. & II.

VIII. Hinc tamen nullum Eremiticæ vitæ, qualis inter Pontificios passim usitata est, patrocinium peti potest: Joannes enim à Deo destinatus Filii sui præcursor, & novæ doctrinæ annunciator, spiritu ipsius impellente in desertis commoratus est: Eremitæ vero privato motu id faciunt. Deinde Joannes, cum tempus manifestationis suæ Israëli advenisset, deserti avia reliquit, & ad ejus oras seu limites accessit, ut populum illuc confluentem in Dei viis institueret. Eremitæ contra in virili ætate, cum maxime aliorum ædificationi inservire possunt & debent, consortium hominum deserunt, & in desertis se abscondunt; nec Joannem, nec Eliam imitantes,

res, sed melancholico potius & male sano spiritu incitati. Quod sine contemtu veterum illorum Antonii, Pauli, & similium, qui persecutione Ethnicorum cogente, in deserta se receperunt, dictum volo; etsi fatendum sit institutum istud non diu post, cum inter homines vivere tranquille liceret, in superstitionem abiisse.

IX. In *Cibo*, quo Joannes vescebatur, observandum est, primo, ipsum ab utero matris Nazaræum esse debuisse; ut significatur istis Angeli ad patrem ejus Zachariam verbis, *vinum & siceram non bibet*, *Luc.* I. 15. Qualis etiam fuit Samson, *Jud.* XIII. 2, &c. Nazaræi autem austerum præ cæteris hominibus vitæ genus sectabantur, in quo sibi, propter Deum, ab omnibus carnis deliciis & voluptatibus temperabant, *Numer.* VI. Sed præter ea, quæ omnibus Dei Nazaræis erant communia, Joannis cibus peculiaris erant ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον; qualis nempe in deserto parari poterat. Quid sit autem μέλι ἄγριον facile est intellectu: videlicet, mel, quod non in alvearibus humana arte paratis reconditum est; sed quod aliquando in concavis rupibus, aut arborum truncis, in locis desertis & sylvis reperitur, ideoque sylvestre vocatur. Sed quid sint ἀκρίδες non est ita promtum dicere: Quidam hac voce significari putant τὰ ἄκρα τῶν φυτῶν, id est, extremitates plantarum, quæ tenuiores sunt, & ad esum non ineptæ: Sed nullum proferunt boni autoris testimonium, unde constet, hoc sensu aliquando usurpari. Vulgo vertunt eam *Locustas*; nec male: Sed per locustas non sunt intelligenda insecta illa, quæ Galli *Sauterelles*, & Belgæ *Sprinkhanen* vocant: Sunt enim venenata, & nemo absque valetudinis noxa iis vesci potest. Quid ergo? Sunt quoddam animalium genus, quo tenuiores in oriente sale & fumo duratis, vel ad solem exsiccatis, pro cibo utuntur: Earum Plinius meminit *Lib.* VI. *cap.* 30. & *Lib.* XI. *cap.* 29. & Leo Afer in *Africa descriptione Lib.* IX. Inter mundos cibos, quibus vesci licebat Israëlitis, recensentur, *Levit.* XI. 22. De potu Joannis non loquuntur Euangelistæ, quia id erat superfluum: Facile enim intelligitur fuisse meram aquam, ex eo, quod à vino & sicera, ut Nazaræus, abstinere deberet.

X. *Vestimentum* Joannis erat *è pilis camelorum*; nempe ex panno viliore confectum; quali pauperes & rustici in illis locis utebantur; nec tali arte paratum, ut sunt nostra χαμηλωτὰ, quæ divites non dedignantur; sed villosum & rude. Unde Dominus Jesus significat eum non fuisse mollibus indumentis vestitum, prout solent, qui in Regum palatiis versantur, *Matth.* XI. 8. Præterea *zonam coriaceam* habebat *circa lumbos suos*, qua vestem, seu togam talarem constringebat: plane ad modum Eliæ, qui ut vir pilosus, & zona pellicea renibus accinctus describitur, 2 *Reg.* I. 8. Quæ omnia optime conveniebant prædicatori pœnitentiæ: Nam etiam olim solebant lugentes cilicio & saccis se induere, & delicatiorem cibum non attingere. Sed præpostera κακοζηλία nunc trahuntur in imitationem à monachis, qui nec lugent, nec pœnitentiam agunt; imo contra in luxu & deliciis vivunt, vinoque generosiori, quod nunquam Joannes gustavit, plerumque in potu utuntur.

XI. Quamvis autem Joannes ortus esset ex familia Sacerdotali, & jus haberet, sicut pater Zacharias, ministrandi altari in ordine suo; necesse tamen fuit, ut mitteretur extraordinarie à Deo ad munus præcursoris Messiæ obeundum, quod nihil commune cum Sacerdotio Levitico habebat: Et sic jam olim id prædictum fuerat; *Ecce ego mitto Angelum* (seu nuncium) *meum, & præparabit viam ante faciem meam*, inquit Deus, *Malach.* III. 1. Et rursus, *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, &c. cap.* IV. *in fine.* Quod ad Joannem respexisse diximus, primo, ex applicatione quam ad eum facit Angelus, *Luc.* I. *v.* 16, 17. deinde, ex testimonio Christi, *Matth.* XI. 10, &c. & XVII. 10, &c. Adeo ut frustra exspectetur adhuc Elias, venturus ultimis diebus, ut cum Enocho pugnet adversus Anti-Christum.

XII. Divinæ autem Joannis Baptistæ missionis diserte meminit Lucas *cap.* III. *verbum Domini factum est super Joannem Zachariæ filium, in deserto.* Et quidem cum annotatione temporis, quo id accidit, nempe *anno* XV *imperii Tiberii*, &c. quo Joannes trigesimum suæ ætatis annum attigerat, ut requirebatur in Sacerdotibus, antequam munere fungi inciperent, *Num.* IV. De hac missione etiam agitur *Joan.* I. 6, 33. Et eam Christus non obscure approbat, cum quærit ex Principibus Sacerdotum, *Baptismus Joannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus? &c. Matth.* XXI. 24. Ubi synecdochice per baptismum, totum Joannis ministerium intellexit, sicut etiam *Actor.* XVIII. 25. Et propterea ipsum hoc ornat elogio, *Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est*, *Matth.* XI. 11. *Luc.* VII. 28. nullis tamen miraculis fuit obsignata, *Joan.* X. 41. nempe præter illa, quæ in ejus nativitate contigerunt; quia hæc gloria reservata erat Domino Jesu; ut, qui Joanni crediderant nulla edenti signa, multo magis in Jesum crederent, qui innumera patrabat. Missus autem fuit ad solam Judæorum gentem, sicut & Dominus Jesus; cum enim munus Joannis esset ei parare viam, sufficiebat, si id faceret in Judæa, quo ipse Christus venturus erat: Ministeriumque ejus quiddam fuit medium inter legem & Euangelium; longe quidem excellentius Levitico, sed tamen inferius Euangelico. Unde Christus illo loco, ubi eum tantopere extulit, ut omnibus è muliere natis præferret, addit, *Qui autem minimus est in regno cælorum*, (id est, sub regno Messiæ,) *major est illo.* Et ut verbo dicam, Joannes fuit instar auroræ, seu diluculi, respectu splendidæ lucis, quam Christus, sol justitiæ exoriens, mundo attulit. Quod Joannes Apostolus signi-

significat, dicens, *Non erat ille lux*, (nempe vera, seu perfecta) *sed missus fuit, ut testaretur de luce, &c. Joan.* I. 8.

CAPUT II.

De Joannis Baptistæ Munere.

I. Joannem Baptistam pœnitentiam prædicasse. II. Eo quod regnum cœleste Messiæ appropinquasset. III. Et quomodo illa appropinquatio fuerit argumentum movens ad pœnitentiam. IV. Eum varios pœnitentiæ actus præscripsisse. V. Peccatorum confessionem requisivisse. VI. Confessis peccatorum remissionem annunciasse. VII. Per corporis totius demersionem baptizasse. VIII. Joannis & Christi baptismata una in re convenire, in altera discrepare. IX. Baptizatos à Joanne videri rebaptizatos à Christi discipulis fuisse. X. Joannem ad mortem usque testimonium de Christo præbuisse.

I. IN Joannis munere quatuor potissimum sunt consideranda. 1. Quod fuerit pœnitentiæ præco. 2. Quod pœnitentibus omnium peccatorum remissionem annunciarit. 3. Quod eos baptizarit. 4. Quod de Jesu testatus sit ipsum esse Messiam. Quod ad *primum* attinet, Joannes omnibus ad se venientibus dicebat, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, *Matth.* III. 2. Quo etiam modo Dominus Jesus munus suum propheticum inchoavit, *Matth.* IV. 17. Et hæc pœnitentiam prædicandi forma, seu ratio, cum promisso remissionis omnium peccatorum, nova erat, anteaque Judæis inaudita, utpote magis Euangelica, quam legalis. In ea attendi debet tum ad mandatum, tum ad rationem ei additam. Verbum Græcum, quo Euangelistæ utuntur in proponendo mandato, est μετανοεῖν, idemque significat quod *post intelligere*, id est, post admissum peccatum illud agnoscere, & de eo dolere, seu resipiscere. Quo sensu etiam dicitur μεταμέλεσθαι, id est, postquam aliquid mali egeris, *esse anxium & sollicitum.* Et inter utramque hanc vocem hoc discriminis statuunt, quod μετανοεῖν semper de salutari pœnitentia usurpetur, cum μεταμέλεσθαι nonnunquam pœnitentiam significet imperfectam absque proposito renunciandi peccato, & gratiæ apud Deum inveniendæ spe; qualis fuit Judæ, *Matth.* XXVII. 3. quem pœnituit quidem proditionis suæ, sed de gratia divina desperavit, & vitam in melius non mutavit. Ea tamen salutarem etiam conversionem significari discimus ex *Matth.* XXI. 29. & 32. ubi Dominus Jesus exprobrat Principibus Sacerdotum, quod cum Joannes Baptista ad eos in via justitiæ venisset, illi non credidissent: sed publicani & meretrices credidissent: ipsos autem hoc viso οὐ μετεμελήθητε. In vera autem & salutari pœnitentia, ad quam Joannes Baptista & Dominus Jesus adhortantur, non tantum comprehenditur dolor de peccatis admissis, sed etiam propositum vitam in melius mutandi, atque adeo actualis vitæ emendatio. Quod Joannes indicabat, dicens iis, qui ad se veniebant, *facite fructus pœnitentiæ dignos*, *Matth.* III. Quales autem deberent isti fructus esse, aut ipse iis statim declarabat, aut ex lege Mosis discere poterant. Omnia enim bona opera, quæ præcipiebat, & omnia mala, quæ vetabat Joannes, in illa continentur: sed cum Dominus Jesus nova quædam præter legem Mosaïcam à suis requirat, quæ sectentur, aut fugiant, pœnitentiæ doctrina ab ipso tradita plenior est seu latius se extendit ea, quam Joannes Baptista prædicabat.

II. Ratio, qua tum Joannes, tum Dominus Jesus suam ad pœnitentiam adhortationem confirmant, est hæc: *Appropinquavit enim regnum cœlorum.* Ubi primum quæritur, quid per *regnum cœlorum* intelligatur: nam quamvis hæ voces accipiantur aliquando in Scripturis de beatitudine, qua pii olim in cœlis fruentur, ut *Matth.* V. 10. & VIII. 11. tamen sic non accepisse Joannem id ostendit, quod non annunciavit aperte *vitam æternam, quam Dominus Jesus illuminavit demum per Euangelium*, 2 *Timoth.* I. 10. Alioqui fuisset ille lux vera, quod de eo negatur *Joan.* I. 8. In contrarium tamen affertur locus *Joan.* III. 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam*, &c. Sed responderi potest, hæc esse verba Euangelistæ, quæ explicationis causa Joannis Baptistæ sermoni attexuerit. Hac tamen de re sentiat quisque ut volet. Præterea nulla ratio appareret cur Joannes Baptista aut Dominus Jesus dixissent, regnum cælorum appropinquasse, si de beatitudine fidelibus in cælo reposita id intelligi voluissent, cum eam tantum in fine sæculorum expectemus. Melius ergo istud refertur ad regnum Messiæ, quod tunc instabat, & omnes pii in populo Judaïco magna cum aviditate mox erigendum exspectabant. Et ita sæpe usurpatur in Scripturis Novi Fœderis, ut *Matth.* XIII. & alibi. Regnum autem cælestium vocatur, quod originis esset futurum cælestis, seu divinæ; non ut reliqua mundi regna, quæ licet absque Dei providentia non constituantur, tamen maximam partem consiliis humanis administrantur, ita ut vix quicquam divinum in iis appareat; contra quam in regno Messiæ accidere debebat, quod tum ortu, tum regiminis forma, cæleste erat futurum: adeo ut sub illo homines, nisi contradictio mundi & ipsorum peccata obstitissent, felicitatem cælesti aliquomodo similem gustaturi essent.

III. Deinde quæritur quomodo appropinquatio regni cælorum sit argumentum ad pœnitentiam movens. Ad quod respondeo, vim ejus in hoc consistere, quod impii nullum ex isto regno emolumentum capiant, & cum ad illud invitantur, respuant, & oppugnent. Ideo Joannes & Dominus Jesus hortantur Judæos, ut, si in istud novum regnum admitti desiderent, pœnitentiam seriam agant, & se ut Dei subditos gerant, alioqui inde exclusum iri. Eoque tendunt omnes illæ severæ incredulitatis Judæorum reprehensiones & comminationes, fore ut tanquam *arbores malæ exscindantur, & in ignem inextinguibilem mittantur; ut regnum Dei ab ipsis auferatur, & genti fructus ejus facienti detur*, *Matth.* III. 7, &c. & XXI. 41.

 IV. Spe-

IV. Speciales pœnitentiæ actus à Joanne præscriptos Lucas tres recenset. *Primo* enim, turbis interrogantibus, *quid faciemus*? (nempe ad vitandum supplicium ignis æterni sceleratis paratum) respondebat, *qui habet duas tunicas, det* (supple alteram earum) *non habenti*; *& qui habet escas, similiter faciat*, id est, qui superflua possidet, & quibus carere potest, indigentibus largiatur. Sic à Deo peccatorum veniam obtinebit. *Secundo*, cum publicani etiam peterent, *quid faciemus?* Joannes respondit, *nihil amplius, quam quod constitutum est vobis exigite*, videlicet ut ejusmodi hominum genus vulgo solet facere, qui non contenti vectigalia pro magistratu colligere, ultra id, quod à singulis debetur, exigunt. *Tertio*, cum milites Joannem quoque interrogassent, *quid faciemus & nos?* Respondit illis, *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Non quod alia etiam in iis non requirerentur: ex gr. ut nulli injusto bello se implicarent: sed quia hæc erant præcipua ad quæ ipsos tunc temporis attendere oportebat, donec singuli à Christo, perfectioris sanctitatis magistro, ea quæ sui officii erant discerent.

V. Præterea Joannes requirebat ab ipsis, qui ad baptismum suum accedebant, ut confiterentur peccata: id est, non simpliciter ut agnoscerent se esse peccatores, quod homines sponte sæpe faciunt, & non est magnum quid; sed ut aperirent in specie peccata, quæ conscientiam eorum magis cruciabant, eaque detestarentur.

VI. *Alterum* in munere Joannis observandum est, quod peccatorum remissionem annunciabat omnibus iis, qui pœnitentiam agebant, & dignos ea fructus proferebant. Quod erat aliquid novum legi additum, in qua nulla graviorum peccatorum venia promissa fuit, & ea sola sacrificiis expiata sunt, quæ per ignorantiam, aut infirmitatem commissa erant, ut videre est *Levit.* IV. V. & VI. *Num.* XV. 16, &c. *Anima* enim *quæ elata manu peccavisset, exterminari è populo suo debebat, Numer.* XV. 30. intellige nisi Deus ex singulari gratia peccata illa condonaret, ut Davidi fecit, 2 *Samuel.* XII. Sed quantacunque hæc esset gratia per Joannem annunciata, non accedebat tamen ad magnitudinem ejus, quæ postea per Jesum Christum contigit. Joannes enim iis, qui resipiscebant, annunciabat solum immunitatem à pœnis promeritis: sed Jesus Christus præterea excellens istud vitæ æternæ præmium iis promisit, in quo sita est perfecta Novi fœderis justificatio, quæ non tantum admissorum veniam pœnitentibus indulget, sed etiam tanquam perfecte justos remuneratur.

VII. *Tertia* officii Joannis pars est, quod baptizabat in Jordane ad se venientes, & peccata sua confitentes. Qui ritus non erat plane novus: sed jam ante inter Judæos usitatus, qui se aqua abluere solebant cum aliquid immundi tetigerant, & proselytos baptizabant, qui religionem suam amplectebantur; istoque ritu profitebantur baptizati, se præteritæ vitæ, quam in peccatis egerant, renunciare, & deinceps in vitæ novitate ambulare proposuisse. Peragebatur autem ista ceremonia per totius corporis in aquam demersionem, non autem per paucarum guttarum (ut hodie fit) aspersionem; *Erat enim & Joannes baptizans in Ænon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant & baptizabantur, Joan.* III. 23. Nec alio modo postea discipuli à Christo missi baptismum administrarunt, idque convenientius est ejus significationi, *Rom.* VI. 4. Adnitendum itaque arbitror ut pristinus immergendi ritus, si id absque infirmorum offendiculo fieri possit, reducatur & introducatur: alias præstare videtur abusum istum tolerare, quam turbas idcirco in Ecclesia excitare.

VIII. Quæritur autem hic, an baptismus Joannis, & qui postea à Christo fuit institutus, atque ab ejus discipulis usurpatus, sint ejusdem speciei? de quo acriter inter se contendunt Pontificii & Protestantes; illis negativam, his vero affirmativam tenentibus. Ego existimem litem hanc facile dirimi posse, si ad duo sequentia attendatur. 1. Baptismum Joannis non minus fuisse baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quam baptismum à Christo institutum, & respectu istius usus, recte dici utrumque baptismum ejusdem esse speciei. 2. Joannem non baptizasse suos discipulos *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, neque (quod eodem redit) *in nomen Jesu Christi*, ut Christiani ex magistri sui præcepto faciunt, sed tantum eos monuisse *ut crederent in eum, qui post se venturus erat*, nimirum Jesum. Et hic satis magnum inter utrumque esse discrimen, cum noster baptismus sit initiatio in religionem Christianam, Joannis vero isti fini non inservierit.

IX. Præterea disputatur hac occasione, utrum illi, qui à Joanne baptizati fuerant, postea ad Religionem Christianam accedentes, iterum in nomine Christi baptizati fuerint: an vero solus ille Joannis baptismus illis suffecerit. Quæ res difficultate non caret. Christi enim XII Apostolos, & alios LXX Discipulos, qui omnes, aut plerique à Joannne baptizati fuerant (nulli enim nisi homines nequam & perditi baptismum ejus aspernabantur) nusquam legimus Christi baptismo postea fuisse tinctos: sed quia multa fieri potuerunt, quæ literis non sunt mandata, istud parum ad nodi solutionem momenti habet. Certe Petrus iis, qui ad Christum die Pentecostes ascensionem ejus in cœlos sequente conversi erant, & ab Apostolis quærebant, *quid faciemus?* respondet indiscriminatim, *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti, Act.* II. 38. Verisimile autem est maximam eorum partem, si non omnes, jam ante à Joanne fuisse baptizatos; *ad quem exibat Hierosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur ab eo in Jordane, Matth.* III. 5. Deinde vide-

videmus XII illos discipulos, quos Paulus Ephesi invenit, licet ante baptizati fuissent in baptisma Joannis, postea in nomen Jesu, audita Pauli Christum annunciantis exhortatione, fuisse baptizatos, *Act.* XIX. Quod tamen non evincit, baptisma semel legitime in Christi nomine susceptum repeti debere, quando aliquis ad puriorem Ecclesiam ea, in qua fuit baptizatus, se adjungit. Illi enim qui in baptisma Joannis fuerant baptizati, postea recte poterant baptismate Christi tingi; quod erat perfectius: sed baptismate in nomine Christi non datur alia perfectior ejus species: unde Paulus dicit, *unus Dominus, una fides, unum baptisma, &c. Ephes.* IV. 5.

X. *Quarta* & ultima pars muneris Joannis hæc fuit, quod testimonium de Jesu perhibuerit, ipsum esse Christum seu Messiam illum olim populo Israëlitico promissum: ut autem id plene cum animi fiducia facere posset, oportuit, ut ipse primo de eo divinitus edoceretur; quomodo enim alios certiores reddidisset de veritate rei de qua ipse dubitasset? Deus ergo illi speciali revelatione Jesum patefecit, ut ipse declarat, *Ego nesciebam eum* (nempe Jesum) *sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu S. & ego vidi & testimonium perhibui: quia hic est Filius Dei, Joan.* I. 31, &c. Et cum Judæi ipsum Domino Jesu præferre vellent, & pro Messia amplecti, constanter hunc honorem repudiavit, & eos ad Jesum remisit, quem veluti digito ostendens, dixit, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joan.* I. 19, &c. Et *se non esse dignum calceamenta ejus portare, aut solvere corrigiam calceamentorum ejus, Matth.* III. 3. *Luc.* III. 16. Cur ergo, inquies, Dominus Jesus testimonium ejus repudiat, Judæis dicens, *Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati, ego autem testimonium ab homine non accipio, Joan.* V. *v.* 33. Respondeo, istud non esse absolute accipiendum, quasi Jesus testimonium Joannis parvi penderet. Absit. Per comparationem ita est locutus, ut ostenderet se non solo Joannis testimonio niti: sed aliud longe præstantius à Patre suo habere. Quod sequentia ejus verba indicant: *Ego habeo testimonium majus Joanne, opera enim, quæ dedit Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, perhibent testimonium de me, quia Pater misit me.* Joannes autem non semel de Jesu testatus est: sed pluries, ut videre est *Matth.* III. 11. *Luc.* III. 16. *Joan.* I. 15, &c. & III. 25, &c. Quin etiam cum sub cursus sui finem ab Herode, qui liberas scelerum suorum reprehensiones, & quod uxorem Philippi fratris in matrimonio haberet, ferre non poterat, conjectus esset in carcerem, non desiit id facere, *Matth.* XI. 1, &c. Atque dicet aliquis, videtur ibi potius de Christo dubitare, quam confidenter de illo testari. Mittit enim ad eum duos ex suis discipulis, qui sciscitarentur an esset Christus, quod non decebat eum, qui à Deo ad testandum de Jesu missus erat. Sed animadvertendum est verba illa, quæ ita vulgo accipiuntur quasi dubitantis essent, *Tune is es, qui venturus erat?* &c. non esse dubitantis; sed contra, ejus, qui valde affirmet, & absque interrogatione in primo membro legenda esse, cum veteri interprete: *Tu es qui venturus es:* & interrogationis notam sequenti adjiciendam; *an alium expectamus?* quod affirmandi vim habere, quilibet facile videt: idque indicant verba Christi sequentia ad turbas de Joanne prolata: *Quid exiistis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Hac enim figurata loquendi ratione voluit significare Joannem non fuisse virum inconstantem, & instar arundinis vento agitatæ mobilem: sed contra, in testimonio veritati perhibendo constanter perseverasse; aliud de tanto viro suspicari, magnam esset ei injuriam facere: & sane nihil magis eum decuit, quam ut ministerium suum à testimonio Jesu reddendo auspicatus fuerat, ita in eodem absolveret; ne carceris squallor, aut mortis metus, animum ejus vel minima ex parte mutasse & constantiam fregisse videretur. Quibus peractis Herodes ad postulatum filiæ Herodiadis saltatricis, eum in carcere decollari jussit; ut eundem vitæ exitum cum plerisque Prophetis & Domino Jesu Christo haberet, *Matth.* XIV. 1, &c.

CAPUT III.

De Jesu Christi Persona, & speciatim de ejus conceptione.

I. *Christi conceptionem virgini Mariæ ejus matri fuisse annunciatam.* II. *Cur Deus virginem delegerit.* III. *Debuisse Christum ex virgine nasci.* IV. *Tres esse opiniones de carne Christi.* 1. *Totam esse ex Maria.* V. 2. *Partim ex Maria, & partim ex Spiritu S. fuisse creatam.* VI. 3. *Vel D. Jesum eam de cœlo attulisse: Et hanc ultimam opinionem contradictionem implicare,* VII. *Absurditatibus scatere,* VIII. *& S. Literarum testimoniis repugnare.* IX. *Expositio verborum,* & Verbum caro factum est. X. *Christi corpus paulatim in utero virgineo fuisse conformatum.*

I. SEquitur jam ut de Religione Christiana tractemus. Nam quamvis omnia quæ huc usque à nobis dicta sunt ad eam pertineant, & sint ejus aut fundamenta, ut doctrina de Scriptura Sacra, de Deo, & Dei operibus, creatione nimirum & providentia; aut rudimenta, ut religio naturalis & Mosaïca: nondum tamen illam in formali sua ratione consideravimus, quatenus ab aliis religionibus distinguitur. Et istud est quod nobis deinceps cum bono Deo faciendum restat. Dicendum ergo est primo, quis sit religionis Christianæ *Auctor*, deinde quænam illius sint *partes*. *Auctor* seu potius *Mediator* & sequester religionis Christianæ (nam Deum ejus primarium esse auctorem ex sequentibus abunde patescet) est *Jesus Christus, unigenitus Dei filius:* in quo considerare oportet primo *Personam*, secundo *Officium*. Ad cognitionem *Personæ* Jesu Christi requiritur ut sciamus hæc tria, *conceptionem, nativitatem*, & *partes ex quibus constat*, sive divi-

divinæ naturæ cum humana conjunctionem. Quod ad *conceptionem* Christi attinet, sexto mense post annunciatam Zachariæ per Angelum Gabrielem Joannis Baptistæ nativitatem, idem Angelus missus est à Deo ad virginem vocatam Mariam Nazarethæ habitantem, quæ desponsata erat viro ex prosapia regis Davidis oriundo, nomine Joseph, ut annunciaret ipsam utero concepturam & parituram esse filium, quem vocare deberet *Jesum*, id est, *Salvatorem: ipsumque futurum magnum, & filium altissimi appellandum, cui Deus sedem Davidis patris sui daturus esset, ut regnaret aeternum in domo Jacobi*, *Luc.* I. 26. *& seqq.*

II. Deus autem delegit virginem, potius quam mulierem conjugatam, ut ex ea filium sibi procrearet, non ad vilipendium conjugii, cujus ipse primus fuit institutor, antequam ulla adhuc peccati labes hominem infecisset, sed duabus aliis de causis. *Primo* enim, si Jesus Christus ex viri & mulieris congressu, secundum usitatum naturæ ordinem fuisset natus, non potuisset esse tam excellenti ratione filius Dei atque Deus volebat, & qualem illum esse decebat, quem in generis humani Servatorem, & vivorum atque mortuorum Judicem constituerat. Nam ut solum Deum proprie pro suo Patre agnosceret, nullum in terris patrem habere decebat; sed aut immediate à Deo formari, ut Adam, aut in virgineo corpore ex Spiritu S. absque viri opera concipi. Prior autem modus Deo non placuit, quia ex hominibus eum nasci conveniebat, & ex eodem sanguine, qui ad eos salvandum mittebatur. Posteriorem ergo elegit: sed ita ut virgo quam hoc honore dignabatur, viro desponsata esset, cui proles nascitura vulgo tribueretur, donec tempus tanti mysterii revelandi post Christi ascensionem in cœlos advenisset. Istaque ratione Deus prospexit tum castæ virginis famæ, quæ alioqui laborasset si extra conjugium peperisset infantem; tum etiam nascituro ex illa filio, ne spurius putaretur. Suffecit initio ista de re illum edoceri cujus maxime intererat eam scire, nempe sponsum Josephum; quemadmodum Angeli ministerio factum esse narrat Matthæus *cap.* I.

III. *Secundo* oportebat in Jesu impleri prophetiam quæ olim de ipso facta erat per Esaiam *cap.* VII. Illam enim ad Jesum respexisse, & in eo impletam esse, docet nos ibidem Matthæus. Nec obstat quod Judæi objiciunt, ibi non agi de virgine, sed de aliqua juvencula, quæ ex marito suo conceptura esset, & filium paritura, & quidem statim post; cum Deus nativitatem istius pueri det regi Achazo in signum, unde certus redderetur Hierosolymam liberatum iri à regibus Syriæ & Israëlis qui illam oppugnabant. Illic enim additur, *Antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris à facie duorum regum suorum.* Dominus autem Jesus plus quam septingentis annis post tempora Esaiæ natus est. Nam respondeo, vocem Hebraïcam עלמה qua utitur propheta, ex perpetuo S. Scripturæ usu significare virginem, nec posse ullum exemplum afferri quod contrarium evincat. Nam *Proverb.* XXX. 19. *de via viri cum virgine*, sic accipiendum, ut illa quæ virum experta est tunc virgo fuerit, & postea etiam se pro tali haberi velit. Sed quia istud non sufficit ad difficultates quas Judæi movent solvendas, addo duplicem hujus prophetiæ, sicut & multarum aliarum Veteris Testamenti, sensum esse, unum literalem, alterum mysticum: (quod nec ipsis Judæis absurdum videri debet, qui sic aliquando Scripturam exponunt) sensu autem literali impletam olim fuisse temporibus Esaiæ in juvencula aliqua fœmina, quæ cum Propheta istud diceret virgo adhuc erat, sed paulo post nupta, sive Achazo, sive alteri cuipiam viro, ex illo concepit, & peperit filium, qui antequam ad annos discretionis pervenisset, Hierosolyma à metu regum illorum qui ipsi imminebant liberata fuit. Sensu vero mystico hæc recte applicari Jesu Christo Ecclesiæ Salvatori, qui solus mortalium vere & proprie ex virgine natus est, quæ scilicet virgo erat tum quando concepit, tum quando peperit. Talem vero sensum hic subesse merito credimus Matthæo, qui fuit Jesu Christi Apostolus, & eodem quo Esaias Spiritu S. afflatus. Ne jam dicam istam prophetiam, si propius inspiciatur, nulli Principum, qui circa illud tempus vixerunt, convenire. Quis enim eorum fuit, cujus nomen vocatum sit aut qui revera fuerit *admirabilis*, *consiliarius*, *Deus fortis*, *pater futuri seculi*, *Princeps pacis?* &c. prout de puero quem virgo conceptura & paritura erat dicitur *Esa.* IX. Excipiunt quidem Mariæ filium non fuisse vocatum *Immanuëlem*, ut prædicitur *cap.* VII. ac proinde hanc prophetiam ad illum non spectare. Sed quis nescit usitatum esse in Scriptura ut *vocari* accipiatur pro *esse*? ut *Proverb.* XVI. 21. & XXIV. 8. *Esa.* I. 26. & IV. 3. & LVIII. 12. & LXI. 6. *Jer.* XIX. *v.* 6. Cum ergo vox *Immanuel* significet *Deus nobiscum*, tunc se Deus vere cum hominibus esse, id est, ipsos favore suo prosequi ostendit, cum filium suum dilectum ad eos à peccatis salvandum misit, ita ut in ipso nominis istius significatio fuerit impleta.

IV. Cum ergo Jesus ex virgine Maria conceptus fuerat absque ullius viri opera; quæritur unde is carnem seu corpus suum habuerit. Qua de re tres sunt hodie inter Christianos sententiæ. *Prima* est carnem Christi totam esse ex Maria; & Spiritum Sanctum semen ipsius, quod absque viro sterile erat seu ad prolem gignendam insufficiens, fœcundum reddidisse, ut ex eo tanquam materia Jesu Christi corpus formari posset. Et hæc opinio est nunc vulgo apud plerosque Christianos tam Pontificios quam Protestantes recepta; Scripturæque maxime consentanea, quæ docet 1. Jesum esse Mariæ virginis filium. *Ecce* (inquit ei Angelus) *concipies utero, & paries filium*, *Luc.* I. 31. *Benedictus fructus uteri tui*, dicit Elizabetha, *ibid. versu* 42. *In plenitudine temporis Deus emisit filium suum factum ex muliere*, *Gal.* IV. 4.

2. Bea-

2. Beatam virginem *esse Domini Jesu matrem*, *Matth.* I. 18. & II. 11, 13, 14, 20, 21. *Luc.* II. 48. *Joan.* II. 1, 3, 5, 12. & XIX. 26, 27. *Actor.* I. 14. 3. Jesum *natum esse ex semine Davidis*, *Matth.* I. 1. *Luc.* I. 32. *Act.* II. 30. & XIII. 23. *Rom.* I. 3. & *esse ex patribus secundum carnem*, *Rom.* IX. 5. Non esset autem Jesus vere Mariæ virginis filius, nec Maria vere ejus mater, &c. nisi ex Maria carnem suam accepisset, sicut alii homines, qui non solum ex patribus, sed etiam ex matribus suis corpus habent.

V. *Secunda* opinio est, Mariam quidem virginem contulisse ad formationem corporis Jesu, id quod reliquæ mulieres ad suos fœtus solent, & hac ratione ex ejus substantia & sanguine tanquam partiali causa procreatum esse: Sed Spiritum S. supplevisse in hac generatione id quod ex parte viri deerat, immediate in utero B. Virginis creando aliquam substantiam, ex qua cum ejus sanguine conjuncta corpus Jesu formatum fuerit. Nullo autem, quod sciam, Scripturæ testimonio confirmatur hæc sententia, sed tantum ad verisimilitudinem ei conciliandam affertur, quod nisi ita res haberet, D. Jesus homo non statim ab ipso ortu Dei filius fuisset, secundum id quod Angelus diserte dicit, *Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, Luc.* I. 35. Sed hæc ratio non tanti esse roboris videtur ut à nobis assensum debeat extorquere: cum etiam Jesus recte dici queat Dei Filius, quia ex semine virginis nasciturus non esset, nisi Deus virtute sua, quæ est Spiritus S. illud fœcundum reddidisset: adeo ut sic intellecta re, ut vulgo fit, longe plus Deus quam virgo Maria ad illam conceptionem contulerit, & non minore jure prolis inde natæ pater, quam ipsa virgo mater existimanda sit. Fateor tamen istam opinionem nihil in se habere absurdi, aut quod Scripturæ repugnet, etiamsi aliquos novitate sua offendat; quod sufficiens non est ad eam falsitatis damnandum.

VI. *Tertia* opinio est eorum qui putant D. Jesum carnem suam de cœlo attulisse, adeo ut virgo Maria ad ejus productionem nihil de sua substantia contribuerit, sed tantum per ejus corpus, ut aqua per canalem, transierit. Statuunt enim Verbum seu Filium Dei æternum è cœlo in uterum B. Virginis delapsum, & ibidem carnem esse factum, ita tamen ut non desierit esse id quod antea erat. Sed hæc sententia mihi contradictionem implicare, multiplici absurditate laborare, & directe Scripturæ S. adversari videtur. Contradictio in eo est, quod dicunt Filium Dei æternum factum seu conversum esse in carnem, & tamen non desiisse filium esse Dei sicut antea erat. Quod enim in aliam substantiam conversum est, non est amplius eadem illa substantia, quæ ante conversionem fuit. Veluti cum D. Jesus convertit aquam in vinum in nuptiis Cana Galileæ, post conversionem factam aqua desiit esse aqua, & nihil aliud nisi merum vinum fuit.

VII. Absurditates quibus hæc opinio scatet præcipuæ sunt: 1. Quod putant Deum in sua substantia mutari posse, cum tamen Scriptura eum immutabilem esse ubique prædicet, ut *Psam.* CII. *v.* 27, 28. *Jacob.* I. 17. & alibi. 2. Quod dicunt Deum qui est spiritus, in carnem toto genere à sua natura diversam esse mutatum: Id enim non minus absonum est, quam si quis assereret ignem conversum fuisse in aquam, hominem in formicam aut scarabæum. Deinde cum homo duplici natura constet, videlicet corpore & anima, dicentne Filium Dei æternum, quem carnem factum esse contendunt, in solum corpus esse conversum, an in animam quoque? Si prius asseruerint, sequetur D. Jesum corpus habuisse inanime, ac proinde non tantum irrationale, sed etiam mortuum: quod illi proculdubio ut ridiculum rejicient: Si posterius, oportebit ut natura divina fuerit divisa, & una ejus pars in carnem, altera in spiritum conversa; quod præcedenti non est minus ἄτοπον. 3. Quod existimant Deum immortalem conversum esse in hominem mortalem, imo re vera esse mortuum: id enim perinde est ac dicere lucem factam esse tenebras, aut vitam conversam esse in mortem. Præterea Filius Dei æternus, quem statuunt in carnem mortalem esse conversum, & aliquanto post mortem actu subiisse, aut ejusdem ipsis erit essentiæ cum Patre & Spiritu S. aut diversæ. Si dixerint esse diversæ, ergo secundum ipsos plures erunt summi Dii essentia diversi, unus mortalis, duo vero immortales: quod ab omnium Christianorum sensu abhorret, & nulla ratione cum Dei unitate conciliari potest. Si vero placuerit esse ejusdem essentiæ; ergo quando Filius Dei mortuus est, simul quoque sunt mortui Pater & Spiritus S. ac proinde mundus aliquamdiu fuit sine Deo. Quod si Deus fuerit mortuus, quis ipsum suscitavit? Ipse non potuit; nam qui mortuus est nullam plane agendi quippiam vim retinet. Ergo in morte mansit, & huc usque, atque adeo in æternum nullus amplius fuit aut erit Deus. Quis ab his opinionum portentis non abhorreat? Non possunt autem serio ab iis abhorrere, qui principium unde tam evidenter deducuntur, adhuc mordicus retinent. 4. Inde sequeretur Jesum non esse verum hominem & ejusdem cum aliis naturæ, utpote ex divina substantia factum, contra quam cæteri omnes, qui ex terra una cum Adamo originem ducunt. Sed quia illi qui ita sentiunt istas consequentias non agnoscunt, & expresse profitentur se contrarium credere, nolumus iis tanquam propria ipsorum dogmata imputare. Tantum monemus eos, ut si ab his monstris se penitus expurgare velint, etiam antecedenti, unde tam evidenter sequuntur, renuncient.

VIII. Denique hæc opinio repugnat multis sacrarum literarum testimoniis, ubi docetur Jesum esse Mariæ virginis filium & Mariam ejus esse matrem, ipsumque natum esse ex semine Davidis, & ortum ex patribus secundum carnem,

quæ superiori §. IV. citavimus. Non enim Jesus esset vere filius Mariæ, nec Maria vere ejus mater, &c. si beata hæc virgo tantum non contulisset ad gignendum ejus corpus, quantum aliæ mulieres ad liberorum suorum procreationem faciunt; & si D. Jesus per ejus corpus solum transiisset sicut aqua per canalem, aut radii solis per vitrum; quibus similitudinibus in hac re explicanda utuntur, licet nihil cum proprie dicta filiatione aut maternitate commune habeant.

IX. Palmarium argumentum quo nituntur istius opinionis defensores est in his quinque Joannis voculis *Et Verbum caro factum est*, *Joan.* I. *v.* 14. Quarum nullum alium sensum dari posse putant, quam Verbum seu filium Dei æternum in carnem esse conversum. Sed quamvis per *Verbum* nos etiam intelligamus Jesum Christum, tamen existimamus ipsum ratione officii, quatenus fuit divinæ voluntatis interpres, potius quam respectu personæ, ita appellatum esse. Officium autem suum exercuit in humana natura. Et sic istæ voces significarent *Verbum* seu hominem Christum, quando factus est, factum fuisse carnem, id est, hominem mortalem, iisdem quibus reliqui homines infirmitatibus circumseptum. Frequenter enim carnis vox apud auctores sacros in hoc sensu accipitur, ut *Matth.* XVI. 17. *Act.* II. 17. *Rom.* III. 20. I *Cor.* I. 29. *Gal.* I. 16. I *Pet.* I. 24. & aliis pluribus locis. Videtur enim Euangelista hac voce fragilitatem significante eum potius appellare voluisse, quam voce hominis; quia magnifica illa, quæ antea Verbo tribuerat, ut quod omnia per ipsum, atque adeo etiam mundus factus esset, & quod mundi lux foret, scrupulum alicui injicere poterant, an ille de quo tanta dixerat esset verus homo, & iisdem quibus nos omnes infirmitatibus obnoxius. Sed præterea observandum est locum istum sic verti etiam posse, imo forte debere, *& Verbum caro fuit*. Vox enim Græca ἐγένετο, qua usus est Joannes, id quoque significat. Id quod videre licet hoc ipso *cap.* I. *versu* 6. ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, quod omnes interpretes uno consensu reddunt, *Fuit homo missus à Deo*. Sic etiam *Luc.* XXIV. 19. ὃς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης, *qui fuit vir propheta*, & multis aliis locis. Et ita potius hic vertendum esse, quam ut vulgo fit, narrationis series ostendit. Videretur enim Euangelista non eam quam debuit accurati ordinis habuisse rationem, si post narratas res multas quas Christus homo gessit, ut quod ad suos venerit, sui vero eum non receperint, & Joannes B. missus fuerit ut testaretur de eo; tandem subjiceret ipsum hominem factum esse: perinde ac si aliquis historiam Alexandri Magni aut Julii Cæsaris conscribens, post enarrata multa eorum fortiter gesta, ultimo loco adderet, ipsos esse natos; quod cæteris præmissum oportuit. Propterea que hanc versionem & enarrationem libentius quam alteram præcedentem amplector, licet eam quoque bonam esse non diffitear.

X. Nulla mihi solida ratione niti videntur, qui corpus Domini Jesu non paulatim in utero materno, ut aliorum hominum solent, sed totum simul & in momento conformatum esse existimant; imo non desunt rationes quæ istam opinionem evertunt. Quid enim sibi novem illi menses voluerunt quibus beata virgo carum illud divini amoris pignus in utero gestavit? Cur meminit Scriptura impletorum dierum ut pareret? *Luc.* II. 6. Nisi quod in conceptione & nativitate illius, *qui ut cæteri pueri communicaverunt carni & sanguini, ipse similiter participavit iisdem*, *Hebr.* II. 14. idem etiam tempus & naturalis ordo fuerit observatus.

CAPUT IV.

De Jesu Christi Genealogia.

I. Quomodo certi simus Jesum Davidis filium esse, cum de Mariæ genere non constet. II. Josephum ex lege Num. XXXVI. non fuisse obligatum ex eadem tribu & familia ex qua ortus erat, uxorem ducere. III. Jesum tamen ex tribu Juda ortum dici quod Joseph ex illa tribu esset. IV. Quo pacto Josephi adoptivus filius, fructus lumbi Davidis dici potuerit. V. Ambos Euangelistas Josephi solius genealogiam describere. VI. Et Matthæum quidem per patrem ejus naturalem Jacobum; Lucam vero per legalem Heli suam contexere. VII. Hanc Euangelistarum conciliationem ex Julio Africano esse desumptam. VIII. In hodiernis Lucæ codicibus tria nomina legi, quæ antiquitus in hac Genealogia non reperiebantur. IX. Leviratus legem se ad fratres uterinos extendisse. X. Neminem id offendere debere, quod Lucas plures Josephi majores enumeret quam Matthæus.

I. QUæritur adhuc, quomodo Jesus fuerit Davidis filius, ut dicit Matthæus *cap.* I. & Lucas *cap.* III. & Paulus 2 *ad Timotheum cap.* II. 8. cum ex Josepho non sit prognatus, de quo solo commemoratur eum ex Davidis prosapia fuisse, *Luc. cap.* I. 26. & *cap.* II. 4. *Matthæi cap.* I. 20. & cujus genealogia ab utroque isto Euangelista ad Davidem refertur. Nam de Maria ejus matre nihil legimus in Scriptura unde constet illam à Davide genus traxisse. Imo sunt nonnulli qui putant ex tribu Levi esse ortam, quia vocatur cognata Elizabethæ, quæ erat ex filiabus Aaronis, *Luc.* I. 5, 36. Quod tamen parum habet verisimilitudinis. Nam Maria & Elizabetha cognatæ esse poterant ratione maternæ originis. Fac enim Mariam habuisse patrem ex tribu Juda, & familia Davidis, utriusque vero matrem oriundam vel ex tribu Juda vel ex tribu Levi, & fuisse sorores vel consobrinas, sic inter se cognatæ fuissent Maria & Elizabeth, & tamen ex diversis tribubus ratione paterni generis, ad quod solum in genealogiis attenditur.

II. Quidam ergo inde, quod Josephus Mariæ sponsus, ex tribu Juda, & regia Davidis domo ortum ducebat, colligunt Mariam quoque ex eadem prosapia fuisse, quia illicitum erat Judæis extra suam tribum & familiam conjugium inire, secundum legem, quæ extat *Numerorum* XXXVI. 7. *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos*

accipient, &c. Sed hanc legem non esse ita prorsus universaliter accipiendam, ut verba videntur sonare, apparet ex occasione propter quam lata fuit, nimirum filiarum Salphaad, quæ solæ ex familia paterna superstites erant, & possessionem hæreditatis in terra Canaan sibi non minus quam aliis Israëlitis dari petebant. Annuit enim Deus earum petitioni, sed sub hac conditione, ut viris ex sua tribu nuberent, quia Deus volebat ut hæreditas permaneret in familiis, nec sibi invicem miscerentur tribus, sed ita manerent ut à Domino separatæ fuerant; quemadmodum ibidem additur. Exindeque observatum est in Israële, ut si quæ puellæ essent ἐπίκληροι, id est, unicæ fundorum paternorum hæredes, non liceret iis maritum nisi ex familia paterna accipere, aut si nollent id facere, hæreditati suæ renuntiarent, & alicui ejusdem familiæ viro, qui jus haberet redemptionis, eam venderent. In aliis casibus, & quando puellæ pecuniam pro dote, non agros accipiebant, eis licitum erat, in quacunque vellent familia & tribu nubere. Ideoque Levitæ & Sacerdotes, qui nullos fundos in terra Canaan possidebant, ducere poterant uxores, undecunque luberet, quia nullum erat periculum, ne alienam hæreditatem ad se pertraherent. Sic Jojada summus Pontifex in uxorem habuit Josabetham Regis Joram filiam & Ochosiæ sororem, 2 *Chron.* XXII. *v.* 11. & David, qui erat ex tribu Juda, duxit Michol filiam Saülis ex tribu Benjamin, 1 *Sam.* XVIII. Nec idcirco reprehensi leguntur, quasi aliquid adversus legem fecissent. Ergo inde certo colligi non potest, Mariam fuisse ex domo & familia Davidis, quemadmodum Josephus ejus vir erat; nisi cum nonnullis ex veteribus ἐπίκληρον fuisse statuamus. Sed quia nullo id satis idoneo testimonio probarunt, forte ad propositum nodum dissolvendum non suffecerit.

III. Nihilominus Apostolus ad Hebræos *cap.* VII. 14. dicit, *esse πρόδηλον quod ex tribu Juda ortus sit Dominus Jesus.* Quomodo, inquies, id fuit adeo manifestum, si de genere virginis Mariæ non constet? Respondeo: Nullam aliam ob causam ita loqui videtur Scriptor iste divinus, nisi quia Josephus ex tribu Juda erat. In genealogiis enim matrum non solet haberi ratio: sed patrum solummodo. Dices, id quidem obtinere in aliis hominibus, sed non in Domino Jesu, qui nullum in terris patrem habuit. Sed respondeo: Etsi Dominus Jesus nullum habuerit patrem naturalem, ex cujus substantia genitus sit, habuisse tamen legalem, qui ipsum pro filio agnoscebat, & cujus hæreditas ad ipsum jure deventura erat. Unde Josephus & Maria vocantur ejus parentes, *Lucæ cap.* II. 43. & Maria ei dicebat, *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te, ibid. versu* 48. Nec refert quod Lucas *cap.* III. 23. de eo scribit, *Jesus erat, ut putabatur, filius Joseph.* Etsi enim non esset naturalis ejus filius, ut vulgo credebant Judæi, tamen erat alia ratione filius. Nam inter omnes gentes receptum fuit, ut filii adoptivi eodem jure fruerentur cum naturalibus, & tum nomen & familiam acciperent ab adoptante, tum in ejus hæreditatem succederent. Jesus autem plus quam adoptivus Josephi filius fuit, utpote ex ejus uxore, & matrimonio inter ipsos constante, natus. Quod si is qui à leviro ex defuncti fratris uxore susceptus erat, filius defuncti censebatur, & in nomen & possessiones ejus succedebat, secundum legem *Deut.* XXV. 5. *& seqq.* quanto magis Dominus Jesus erat Josephi filius, qui ex Maria ejus uxore, ipso adhuc vivente, ita prognatus à Deo fuerat, ut nullum alium præter Josephum in terris patrem agnosceret.

IV. Sed aliqui instant, Jesum omnino ex Davidis sanguine oriri debuisse, quia *Deus jurejurando juraverat Davidi, fore ut aliquis de fructu lumbi ejus sederet super sedem ejus*, ut Petrus dicit *Act.* II. *v.* 31. *ex Psalm.* CXXXII. 11. ubi David promissionem sibi à Deo factam ita commemorat: *Juravit Dominus Davidi veritatem, & non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, id est, regni tui *hæredem constituam.* Promissionem autem istam aliter impleri non potuisse, quam si virgo Maria ex Davidis prosapia esset. Ad quod respondeo, verba Petri, *de fructu lumbi*, exponi debere per illa Psalmi, *de fructu ventris*, ita ut Jesus dicatur recte suscitatus de fructu lumbi Davidis, quia de fructu ventris ejus suscitatus est. Petrus enim ad illam promissionem digitum quasi intendens, nihil aliud præter id quod continet dicere sibi proposuit. Cum ergo viri infantes ventre non gestent, sed mulieres, ista promissio Davidi facta tunc est impleta, quando Deus ex ventre uxoris alicujus viri, ex Davidis posteris, immediata sua virtute, absque alterius viri opera, filium ei dedit. Nec enim alienum est ab usu Scripturæ, ut mulieris venter, viri ejus venter vocetur, seu ut proles ex mulieris ventre nata, mariti ventri tribuatur. Id videre est aliquoties *Deut.* XXVIII. 4, 11, 18, 53. ubi Moses viros Israëlitas alloquens, fructus ventris, seu uteri ipsorum meminit. Nec ita loquitur ea solum de causa, quia genitores erant fœtuum ex uxorum uteris nascentium, sed etiam, quia domini fœtuum istorum conjugii jure erant. Quare ratio istius phrasis etiam constitit, quando Deus Josepho, qui à Davide genus ducebat, filium miraculose ex uxore sua dedit. Nam quemadmodum ille fructus erat ventris Josephi, ita quoque Davidis dici nihil obstitit.

V. Cum ergo nodus propositus commode hac ratione solvatur, non opus est eo confugere quo nonnulli faciunt, ut dicamus quidem genealogiam Josephi à Matthæo conscribi, ut constare omnibus posset eum qui pater Domini Jesu vulgo censebatur, à Davide oriundum fuisse: sed Lucam in genealogia, quam texuit, docere voluisse beatam virginem ex eadem stirpe prognatam esse, ut nulla superesset causa dubitandi, quin Dominus Jesus vere & proprie loquendo filius Davidis foret. Nam quo minus eis assentiamur, obstat quod

quod videmus Lucam in sua genealogia Josephi tantum meminisse, de Maria vero nihil prorsus dicere. Excipiunt quidem Heli, cujus Josephus à Luca filius dicitur, ejus socerum, & Mariæ patrem fuisse; idque Euangelistam innuere voluisse, cum dicit, *Jesus erat ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, &c. Luc.* III. 23. Sed etiamsi nomina *patris* & *soceri*, item *filii* & *generi* interdum in communi sermone confundantur, non perinde tamen se res habet in genealogiis texendis, quarum nullus foret usus nisi ad proprietatem vocum accurate illic attenderetur. Adde quod si vox *filii* pro *genero* hic usurparetur, pariter quoque in cæteris omnibus ad Adamum usque generationibus accipienda foret, quod est absurdum. Nec verba Lucæ, *ut putabatur*, tale quid significandi vim habent, aut eo trahi ulla ratione possunt, utpote non interjecta, ut fieri oportuisset, inter Josephum & Heli, sed inter Jesum & Josephum, ut indicent, Dominum Jesum, qui Josephi filius vulgo existimabatur, ex eo tamen revera non fuisse prognatum.

VI. Sed inquiunt, si uterque Euangelista, tum Matthæus, tum Lucas, Josephi genealogiam texuerunt, non vero alter eorum Mariæ, unde fit, ut tanta inter eos sit diversitas, & alios plane Josephi majores Lucas, quam Matthæus numeret, & genealogiam ejus per Nathanem deducat ad Davidem, cùm Matthæus ipsum per Salomonem à Davide ortum esse doceat? Respondeo, nullum commodiorem tollendæ istius ἐναντιοφανείας rationem mihi videri ea, quam ex Julio Africano, in Epistola ad Aristidem affert Eusebius, *Hist. Eccles. lib.* I. *cap.* 7. nimirum Jacobum, cujus mentionem facit Matthæus, patrem Josephi naturalem fuisse, qui eum ex corpore suo procreaverit, Heli vero, de quo apud Lucam, ejus patrem legalem fuisse, seu ex uxore illius, à Jacobo fratre postquam obiisset susceptum, secundum legem *Deut.* xxv. quam antea citavi, ut quando fratrum aliquis absque liberis mortuus esset, alius frater superstes defuncti uxorem acciperet, & ex ea semen fratri suscitaret, primumque quem ex isto matrimonio susciperet filium, nomine defuncti appellaret, ne ejus nomen ex Israële deleretur.

VII. Sic igitur rem istam exponit Africanus. *A Davide per Salomonem dum Matthæus generationes numerat, tertius à fine reperitur Matthan, qui genuit Jacobum, patrem Josephi. A Nathane autem per Davidem, ut Lucas numerat, similiter tertius à fine invenitur Melchi, cujus filius erat Heli, pater Josephi. Explicandum igitur est, quo pacto & Jacobus & Heli suum genus alter ex Salomone, alter ex Nathane deducens, uterque illius pater esse dicatur. Ac primum, qua ratione isti duo Jacobus & Heli probentur fratres fuisse, deinde quomodo istorum patres Matthan & Melchi, qui diverso orti sunt genere, avi Josephi esse ostendantur. Sic igitur res se habet. Matthan & Melchi eandem duxerant uxorem, & fratres ex eodem utero progenuerunt. Ab Estha quidem (hoc enim nomine mulier illa fuisse traditur) primus Matthan, qui à Salomone ducebat genus, suscepit Jacobum. Et Matthane vita functo, Melchi originem generis sui ad Nathanem referens, viduam ejus duxit uxorem, ex qua filium Heli procreavit. Ita Jacobum & Heli, ex diversis fatos generibus, uterinos fuisse fratres comperiemus, quorum alter, nempe Jacobus, ubi frater ipsius Heli absque prole occubuerat, uxorem ejus in matrimonium assumens, ex illa Josephum, & natura & lege sibi filium, produxit. Quapropter scriptum est*, Jacobus genuit Josephum, *qui secundum legem reputatus fuit pro filio Heli. Nam cum Jacobus frater esset Heli, suscitavit ei semen. Neque ergo hæc, quæ apud Matthæum Euangelistam habetur genealogia*, Jacobus genuit Josephum, *neque rursus illa quæ apud Lucam est*, Jesus, ut putabatur, filius erat Josephi, qui fuit Heli, qui fuit Melchi, *ratione caret. Ista enim quæ secundum legem est generandi ratio, non poterat significantius exprimi. Idcirco istud vocabulum*, genuit, *in tali liberorum susceptione, dum familias ad Adamum usque qui à Deo creatus est, gradatim ascendendo recenset, ad finem usque silentio præteriit.* Atque hæc Africanus, qui floruit circa annum à Christo nato 200. dicit se non excogitasse, sed ab iis accepisse, qui Servatori nostro secundum carnem cognati erant, propterea que vulgo inter Christianos δεσπόσυνοι, vel (ut alii legunt) δεσπόσυνοι nuncupabantur. Sed præter hunc auctorem, testimonium etiam illi perhibet antiquissimus scriptor Quæstionum & Responsionum ad Orthodoxos, qui inter Justini opera est. Item Eusebius & Nazianzenus, aliique inter veteres; ita ut multo tutius putem in ea acquiescere, quam ullius recentiorum commenta sequi.

VIII. Fidem ergo magnam meretur hæc duos Euangelistas conciliandi ratio, ideoque ab omnibus, ut credo, libenter reciperetur, nisi obstaret Lucæ vulgaris textus, ubi non legitur, sicut modo ex Africano retuli, *Jesus filius erat, ut putabatur, Josephi, qui fuit Heli, qui fuit Melchi*, &c. Sed, *Jesus erat, ut putabatur, filius Josephi, qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*, &c. Ita ut apud Lucam duo nomina *Matthat* & *Levi* inter Heli & Melchi legantur, quæ apud Africanum non extant. Sed respondeo, omnino ita lectum fuisse apud Lucam Africani ævo, quemadmodum ipse refert, alioqui eum non ita negligenter citasset, ut statim inspectione sola codicis refelleretur. Mutationem ergo postea factam oportet in textu Lucæ, sive quod aliunde inserta fuerint hæc nomina Matthat & Levi, sive inter describendum transposita. Sed inserta fuisse id probabile reddit, quod Irenæus scribat in genealogia Christi à Luca contexta LXXII. tantum esse nomina, & tamen hodie in nostris exemplaribus reperiamus LXXV. unde suspicio fit ista duo *Matthat* & *Levi*, in eam irrepsisse, sicut & inter Sala & Arphaxad illud *Cainan versu* 36. quod in textu Hebraïco *Genes.* xi. 11, 12. desideratur. Quod si istud non placeat, dices (ut alii volunt) transposita fuisse ex *versu* 29. inter describendum (ut facile accidit) hæc duo

duo nomina, quæ Africani conciliationem turbant.

IX. Objicitur adhuc contra hanc conciliationem, leviratus legem, de qua *Deut.* XXV. non pertinuisse ad fratres uterinos, sed ad eos, qui eodem patre sati erant. Ad quod respondeo, 1. Verum quidem esse fratres uterinos, quatenus materna tantum cognatione inter se erant conjuncti, ista lege non fuisse obligatos, sed tamen potuisse fieri, ut aliqui illorum ad suum erga fratres defunctos amorem testandum, eis sponte semen suscitare voluerint. 2. Jacobum & Heli non solum fuisse fratres uterinos, sed etiam ratione paterni generis cognatos, utpote ex eadem Davidis familia oriundos. Legem autem illam, non solis fratribus, sed etiam aliis propinquis datam fuisse, ut ex Ruthæ historia constat.

X. Nec etiam illud quenquam offendere debet, quod Lucas multo plures usque ad Davidem Josephi majores recenseat, quam Matthæus: cum facile sit observare, si quis attendat, nonnunquam in diversis familiis inter se collatis, generationum numerum eodem temporis spatio valde discrepare. Cui adde, fieri posse, ut quemadmodum Matthæus in secunda sua tesseradecade tres generationes omisit, nimirum, *Ochosiam*, *Joam*, & *Amasiam*, qui inter Joram & Oziam numerari debuissent, 2 *Reg.* VIII. & *seqq.* 2 *Paralipp.* XXI. & *seqq.* ita etiam in tertia non omnes recensuerit: quia ad sublevandam lectorum memoriam sibi proposuerat genealogiam Christi in tres solum tessaradecadas distribuere: ut revera non plures quatuordecim erant generationes, in prima parte, quæ ab Abrahamo ad Davidem usque extenditur.

CAPUT V.

De Jesu Christi Nativitate.

I. *Christum præscripto nascendi tempore, & modo ordinario in lucem esse editum.* II. *Bethlehemi.* III. *Idque singulari Dei providentia.* IV. *Anno imperii Augusti* 41. V. *Primo pastoribus fuisse manifestatum.* VI. *Non vero hujus sæculi magnatibus.* VII. *Octavo die fuisse circumcisum & 40. Domino Hierosolymis præsentatum.* VIII. *Revelatum etiam fuisse Magis cœlorum cognitioni addictis, idque stella nunquam antea visa.* IX. *Eos dona Christo obtulisse eumque adorasse.* X. *Unde & quando venerint.* XI. *Fuisse primitias & typum vocationis Gentium.*

I. NUnc ad Jesu nativitatem, & quæ illi cohærent consideranda, accedendum nobis est. Nono eam à conceptione mense, sicut reliquorum hominum, qui secundum naturæ ordinem concepti sunt, contigisse indicat Euangelista: cum dicit, *impletos fuisse Mariæ dies ut pareret*, *Luc* II. 6. Editus quoque est in lucem ut cæteri omnes aperto matris utero, ut colligere est ex eo quod Lucas *capite* II. 23. ei applicat quod scriptum est in lege *Exod* XIII. 2. *omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur.* Frustra ergo fingitur eum per clausum matris uterum penetrasse, cum nullibi id Scriptura doceat, sed contrarium. Nec istud inde sequitur, quod Maria in partu & post partum virgo mansit. Virginitas enim non violatur partu, sed per congressum cum viro.

II. Circumstantiæ præcipuæ nativitatis Christi sunt *locus*, *tempus*, & *manifestatio ejus*. *Locus* fuit *Bethlehem Judææ*, oppidulum Hierosolyma quatuor circiter milliaribus distans: oportuit enim impleri id quod prædictum est *Mich.* V. 2. *& tu Bethlehem Ephrata, parvula es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël.* Quæ prophetia citatur à Principibus Sacerdotum & Scribis cum Herodes ex eis quæreret ubi Christus nasciturus esset, *Matth.* II. 4, &c. Ubi occurrit quidem aliqua verborum discrepantia inter Michæam & Matthæum, sed in re ipsa optimus est consensus. Significare enim voluit Propheta, oppidulum istud, quod suo tempore parvum erat, & nihil habebat quod ipsum commendaret, nisi quod Davidis fuerat patria, magnam olim famam consecuturum, cum inde Messias ortus esset. Quod etiam hodie impletum videmus in toto orbe Christiano, ubi Euangelium annuntiatur; adeo ut parvus iste vicus, celebritate nominis cum maximis urbibus contendat.

III. Providentia autem Dei admirabilis hic se conspiciendam præbuit, in efficiendo ut Dominus Jesus secundum Micheæ prædictionem Bethlehemi nasceretur. Nam cum virgo Maria cum concepisset Nazarethæ, ubi habitabat una cum sponso Josepho, omnino ibi paritura fuisset, nisi Deus insciis ipsis, & de ista re non cogitantibus, procurasset ut occasionem haberet Bethlehemum circa tempus partus ejus proficiscendi. Ea autem hæc fuit, quod Cæsar Augustus Imperator Romanorum ac proinde Syriæ & Palæstinæ dominus, edictum promulgasset ut omnes populi imperio suo subjecti describerentur, nempe ut sciret quot in singulis provinciis habitarent viri bello idonei, & quas facultates possiderent. Cum enim mos esset Judæorum, jam ab eo tempore receptus, quo sub suæ gentis regibus vivebant, ut in istis descriptionibus singuli recenserentur in loco unde erant oriundi, & ubi possessiones suas habebant; oportuit Josephum contendere in patriam suam Bethlehemum, & ibi describi. Quamvis autem videatur non fuisse obligatus ex vi edicti Cæsaris eo deducere Mariam, tamen quia pariendi tempus ei instabat, & eam Nazarethi solam relinquere nolebat, divino haud dubie instinctu eam secum assumpsit, & ita factum est ut Bethlehemi Jesum eniteretur. Sic Deus ambitione & avaritia Augusti, nihilque minus cogitantis quam decreto divino implendo inservire, usus est, ut Filius suus unigenitus in loco à Michea Propheta prædicto nasceretur.

IV. *Tempus* quo Jesus hanc lucem primo conspexit, fuit annus imperii Augusti quadragesimus primus; idque hinc colligitur, quod anno XV Tiberii,

berii, qui Augusto successit, complerat annum ætatis trigesimum, *Luc.* III. 1, 23. proinde anno I imperii Tiberii implerat annum decimum quintum. Augustus autem imperavit annos LVI. è quibus si auferas XV illos, quos Jesus compleverat cum Augustus excessit è vivis, supererit annus imperii ipsius XLI. cui tribuenda erit Christi nativitas. Iste autem erat mundi conditi 3950. secundum calculum Dionysii Exigui, & Josephi Scaligeri, ac proinde Periodi Julianæ 4713. sed secundum Cappellum & Tirinum 4000. secundum Judæos 3760. secundum Græcos & LXX. versionem 5508. omnes finientes. Sed quod præcipue hic attendendum est, Dominus Jesus venit in mundum & mortem subiit tempore designato in prophetiis, Jacobi, *Gen.* XLIX. 10. *Dan.* IX. 24, 25, 26, 27. *Hag.* II. 7, 8, 9, 10. ut aliquanto post, si Deus voluerit, fusius ostensuri sumus.

V. Quod ad *manifestationem* ejus attinet, cum cognosci deberet Jesus ab eis, quos salvaturus venerat, Deo placuit Angelum eo ipso noctis momento, quo ex matris utero prodiit, de cœlo mittere, qui nativitatem ejus annuntiaret pastoribus, qui in agro pernoctabant, & vigilias noctis super gregem suum custodiebant, atque eis diceret, *Ecce annuntio vobis magnum gaudium, quod erit toti populo, quia hodie natus est vobis servator, qui est Christus Dominus, in civitate Davidis, &c. Luc.* II. & quamvis unus ejusmodi nuncius tanto circumdatus fulgore, ut ipsæ noctis tenebræ illuminarentur, abunde sufficeret ad isti rei testimonium præbendum; tamen ut appareret quantus esset hic recens natus infans, γενέθλια ejus ab ingenti quoque multitudine exercituum cœlestium celebrata sunt, qui pastoribus audientibus cecinerunt canticum, quale ab orbe condito nunquam auditum fuerat, *Gloria in excelsis Deo*, &c.

VI. Ubi mirum videri potest, cur Deus magnatibus hujus sæculi, præsertim senioribus Judæorum, Sacerdotibus & Scribis, quorum officium erat cæteris in amplectendo Messia exemplo præire, ejus nativitatem non patefecerit, sed simplicibus & abjectis hominibus. Sed observandum est Deum juxta intuitum hominis non solere judicare, *Homo enim videt ea quæ apparent, Dominus autem intuetur cor*, I *Sam.* XVI. 7. *Abscondit illa sapientibus & intelligentibus, quæ revelat parvulis, Matth.* XI. 25. Magnates enim & sapientes mundi turgent ordinarie superbia, quæ Deo abominationi est: ideoque *secretum suum aperit parvulis timentibus ipsum*, *Psalm.* XXV. 14. vide etiam I *Cor.* I. 26, &c.

VII. Octavo à nativitate die Jesus circumcisus fuit, & quadragesimo expleta purificatione Mariæ, allatus est Hierusalem, ut sisteretur Domino, quia *cum factus esset sub lege*, *Gal.* IV. 4. omnia quæ lex præcepit in eo adimpleri debuerunt, etiamsi convenire ipsi non viderentur. Quo applicari potest id, quod Joanni Baptistæ, ipsum à baptismo suo arcenti, respondit: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam*, *Matth.* III. v. 14, 15. Tunc manifestatus est Simeoni Justo, qui antea divinitus erat monitus, *non gustaturum se mortem nisi prius vidisset Christum Domini.* Is enim spiritus impulsu venit in templum, cum puerum Jesum parentes ejus inducerent; nec tantum ipsum vidit, sed etiam in ulnas suas accepit, benedixitque Deo, & lætus ex hac vita compos voti abiit. Eodem loco & tempore revelatus quoque fuit Annæ prophetissæ, viduæ annos octuaginta quatuor natæ, quæ spiritus instinctu superveniens *confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israëlis, Luc.* II.

VIII. Sed imprimis fuit illustris revelatio Magis alienigenis per novæ stellæ apparitionem facta. Ubi primo notandum est istos non fuisse reges, ut vulgo creditur in Ecclesia Romana, quæ sub hoc nomine festum illorum quotannis celebrat. Matthæus enim hanc historiam *cap.* II. describens, non vocat eos reges, ut procul dubio fecisset, si tales fuissent, quia D. Jesu id erat magis gloriosum: sed contentus est nomine Magorum eos insignire. Magus autem est vox Persica, & sapientem seu Philosophum antiquitus significabat; non ut hodie eum qui cum impuro Dæmone commercium habet; quamvis plerique eorum, qui olim inter Ethnicos ita cognominabantur, tales essent, & præclaro nomine infamem professionem velarent. Longe autem à tali impietate abfuisse istos, qui ad Dominum Jesum in cunis adorandum venerunt, inde colligere est, quod alioqui Deus, cui hæ artes diabolicæ abominationi sunt, eos non tam eximia & salutari revelatione dignatus fuisset. Astronomiæ studio deditos fuisse id probat, quod Deus per novam stellam Filii sui nativitatem illis manifestavit. Cum autem Astronomia occupetur partim in cognoscendis locis & motibus siderum, partim in prædicendis rebus futuris, præsertim ad homines spectantibus; & posterior hæc pars plus vanitatis, imo impietatis habeat, quam veritatis; utrum ei dediti fuerint Magi, an tantum priori, non facile est scire. Si fuerunt, Deus qui vidit eos potius ex ignorantia, quam malitia peccare, istud benigne condonavit, & artis quam profitebantur occasione usus, mentes eorum ad sublimiorum mysteriorum inquisitionem erexit. Astra præcipua à veteribus observata, & loca ipsorum in cœlo probe noverant. Animadvertentes ergo novam stellam, & à se prius non visam, incitati fuerunt ad scrutandum, quid ea portenderetur. Et cum pio id animo facerent, existimo Deum revelatione aliqua, sive externa & in sensus incurrente, sive interna & animo tantum percepta, docuisse istos stella ista significari nativitatem insignis illius Judæorum regis, quem ex oraculorum propheticorum, & præcipue Daniëlis, lectione promissum olim fuisse noverant. Nullo modo enim fieri potuisset, ut ex nuda stellæ inspectione, quantumvis novæ, imo cursu suo Judæam versus tendentis, de eo certi redderentur, nisi patefactio aliqua divina accessisset. Præterea oportuit illam cæteris longe inferiorem apparere, non tantum ut Magorum iter dirigeret, sed etiam ut domum Bethlehemi,

lehemi, ubi D. Jesus erat, indicaret: cui usui nulla unquam alia præter istam stella aut fax cœlestis inserviit.

IX. Magos istos numero tres fuisse dicunt, magis, ut puto ex conjectura, propter triplicis generis munera, quæ attulerunt, videlicet Aurum, Thus & Myrrham, quam ex certo aliquo testimonio. Sed quid vetat omnes simul hæc attulisse, & non singulos suum separatum munus? plures fuisse indubium est, propter numerum multitudinis, quo utitur Euangelista. Moris autem erat Orientis populis nunquam ad reges suos vacuis manibus accedere. Isti ergo Magi attulerunt, sive quæ magis sibi erant in promptu, sive quæ ad magnum regem honorandum aptiora judicabant. Auro regem donare ubique usitatum erat. Cui adjunxerunt Thus, ut significarent Domini Jesu Sacerdotium; & Myrrham ad eum mortalitatis admonendum, quia magnatum cadavera myrrha & aliis aromatibus condiri solebant. Adoratio autem qua D. Jesum prosecuti sunt, erat civilis tantum, qualem orientales plerique regibus suis deferebant. Sic Abraham adoravit Hethæos, *Gen.* XXIII. 7. & Adonias Salomonem, 1 *Reg.* I. 53. & multi Christum in terra adhuc versantem adoraverunt, ut leprosus, *Matth.* VIII. 2. princeps Synagogæ, *ibid.* IX. 18. & alii, qui nihil sublimius de Christo sentiebant, quam eum Dei insignem esse prophetam; nescientes adhuc *Patrem omne judicium dedisse suo Filio, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem*, *Joan.* V. 23. In hoc autem eluxit Magorum fides, quod cum nihil sublime secundum carnem conspicerent in Jesu, sed humiles & abjectos parentes, nullo cultu & famulitio regali stipatos, nihilominus se coram ipso in terram abjicere non sint dedignati.

X. Vulgo autem putantur venisse ex Persia, tum quia ibi celebre Magorum nomen erat, tum quia ad Orientem Judææ est sita, unde eos advenisse narrat Euangelista. Sed forte non est necesse id statuere, cum Arabiæ multo viciniori utraque ista nota etiam conveniat. Nam si Jesu demum nato, ut verisimile est, se ad iter accinxerunt, non potuissent decimo tertio die, ut veteres tradunt, Bethlehemum ex Persia advenire. In quo non exiguæ difficultates occurrunt, ubi plerique interpretes impediti hærent; ideoque paucis quid mihi videatur exponam. Matthæus refert Magos reperisse Jesum una cum matre Maria Bethlehemi ubi natus erat. Lucas vero dicit parentes ejus cum ipsum obtulissent Domino in templo Jerusalem impletis diebus purificationis Mariæ, (id est, XL ab ejus partu, secundum legem *Levit.* XII.) reversos esse in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Oportuit ergo ut Magi venirent Bethlehemum adoraturi Jesum ante quadragesimum à nativitate ejus diem; imo quod amplius est, ut Jesus fugeret in Ægyptum & inde reverteretur circa istud tempus, aut saltem non diu post: nisi velimus adventum Magorum in sequentem aut amplius annum differre, & dicere Josephum & Mariam intra illud temporis spatium bis locum habitationis mutasse; nimirum statim post purificationem regressos Nazaretham, ut narrat Lucas: deinde aliquanto post commigrasse Bethlehemum, ubi eos invenerint Magi: denique regressos esse Nazaretham, ubi Jesus fuit educatus, *Luc.* IV. 16. Quæ parum sunt probabilia, & non bene conveniunt cum verbis Matthæi, dicentis: *Cum Jesus esset natus in Bethlehem, ecce Magi ab Oriente venerunt*, &c. quæ innuunt nullam aut exiguam admodum inter Christi nativitatem & Magorum profectionem interpositam fuisse moram. Sed objicitur tempus XL. dierum nimis esse breve, ut intra illud omnia, quæ ab Euangelistis narrantur, contingere potuerint. Ac proinde Magos non tam cito, ut dicunt, ad Jesum adorandum venisse, sed sequente tantum anno, aut adhuc serius; idque inde verisimile reddi, quod Herodes curaverit *omnes infantes à bimatu & infra occidi*, & quidem *secundum tempus apparitionis stellæ, quod exquisierat à Magis.* Ad quod respondeo, cædem infantium Bethlehemiticorum à bimatu & infra, arguere tantum summam Herodis crudelitatem, & accuratam quam adhibuit diligentiam, ne sibi elaberetur Jesus; non autem ipsum à Magis audivisse, quod circiter esset bimulus (quamquam crediderim non dissimulasse an paulo vel diu ante stellam primum conspexissent) nam si Herodes credidisset Jesum esse bimulum, non occidisset omnes infantes à bimatu & infra, id est, etiam recenter natos, ut unius, duorum, trium mensium vel hebdomadum, sed potius usque ad triennes aut quadriennes, qui similiores sunt bimulis, quam ab uno aut altero mense nati. Optime autem cuncta quæ narrat Historia sacra, nempe adventus Magorum, fuga Josephi & Mariæ cum Jesu in Ægyptum, commoratio ibi facta, obitus Herodis, reditus Christi, & oblatio ejus in templo, potuerunt intra quadraginta dierum spatium, aut circiter contigisse. Supponamus enim Magos 13 die à nativitate Jesum adorasse Bethlehemi; nocte vero sequente Josephum eo cum matre assumpto fugisse in Ægyptum, & 7 in itinere dies consumpsisse: quia licet paucioribus confici possit, tamen puerpera & infans recens natus non ita celeriter ut robustiores progrediantur; habebimus 20 dies. Deinde illos in Ægypto 12 aut 13 dies usque ad Herodis obitum commoratos esse; statimque inde admonitu Angeli rediisse: sic potuerunt facile quadragesimo die, aut non diu post, Hierosolymis adesse, & ibi sistere Jesum Domino, atque ita impleri prophetia, *ex Ægypto vocavi filium meum*, *Hos.* XI. 2.

XI. In Magis istis, quos Deus per novam stellam invitavit ut Jesum in cunis adhuc jacentem adoratum venirent, typum habemus eximium vocationis gentium ad cognitionem Dei per Euangelium, de qua tam sæpe fit mentio in Prophetis, ut *Amos* IX. 11. *Hos.* II. 23. *Esa.* XLV. 1. Unde vocari solent *primitiæ Gentium*, licet tunc

exiguam adhuc cognitionem habuerint mysterii Christi. Sed ita moris est Deo homines à parvis & humilibus initiis paulatim altius provehere, ut docet nos Christus parabolis de grano sinapi, & de fermento, *Matth.* XIII. 31. *& seqq.*

CAPUT VI.

De humana atque divina Christi Natura; & earum Unione.

I. *Christum fuisse verum hominem,* 1. *Quod Scriptura eum diserte hominem vocet,* II. 2. *Ei essentiales hominis partes, corpus & animam tribuat,* III. 3. *Et ea quæ hominum propria sunt, infirmitates, actiones, &c.* IV. *Idque pluribus de causis de Christo scitu necessarium esse.* V. *Plures olim errasse & etiamnum ab hac veritate aberrare.* VI. *Christum veram insuper divinam naturam habuisse.* VII. *Earum conjunctionem ex illis locis probari, ubi utriusque simul fit mentio.* VIII. *Et personæ unitatem indicari, ubi Scriptura de Christo tanquam de uno individuo loquitur.* IX. *Modum unionis, corporis & animæ conjunctione aliquatenus adumbrari.* X. *Effecta illius unionis plane fuisse miranda.* XI. *Errare tamen qui omnia divinæ naturæ attributa, humanæ communicata fuisse dicunt.* XII. *Nusquam etiam dici in Scripturis Christum fuisse impeccabilem.*

I. EX iis quæ hactenus de conceptione & nativitate Christi dicta sunt, apparet eum verum fuisse hominem, ita ut illud operosius probare supervacaneum videatur; tamen ex abundanti quædam adhuc magis specialia ejus rei argumenta adducemus. *Primo* vocatur diserte homo in multis Scripturæ locis, *Unus est Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus,* 1 *Tim.* II. 5. *Quemadmodum per hominem mors, etiam per hominem* (Jesum Christum) *resurrectio mortuorum,* 1 *Cor.* XV. 21, 22. Joannes Baptista de eo dicit; *Post me venit vir, Joan.* I. 30. & Petrus eum sic describit, *virum approbatum à Deo, virtutibus & prodigiis & signis, quæ Deus fecit per illum, Actor.* II. 22. Paulus similiter dicit, *Deum statuisse diem in quo judicaturus est orbem in justitia per eum virum quem definiit, Act.* XVII. 31. Sed quid opus est colligere loca hac de re testantia, cum Jesus in Euangelio se passim filium hominis appellet? ut *Matth.* VIII. 20. IX. 6. XI. 19. & XII. 8. Nam filius hominis phrasi Hebraïca aliud nihil est quam homo.

II. *Secundo*: Partes essentiales ex quibus omnis homo est constitutus, nempe corpus & anima, Jesu tribuuntur. De corpore vide *Matth.* XXVI. 12, 26. *Joan.* XX. 12. 1 *Petr.* II. 24. Quo etiam pertinent loca quæ mentionem faciunt carnis & sanguinis ejus & ossium, *Matth.* XXVI. 28. *Joan.* XIX. 36. *Act.* XX. 28. *Hebr.* II. 14. De anima & spiritu vide *Joan.* XII. 17. *Matth.* XXVI. 38. & XXVII. 50. *Luc.* XXIII. 46.

III. *Tertio*: Propria, infirmitates, actiones & passiones humanæ naturæ de Christo enunciantur; crevit statura, ignoravit quædam, esurivit, sitivit, edit, bibit, fatigatus est, dormivit, lachrymatus est, tristatus, metuit, mortuus & sepultus est, resurrexit, ut passim apud Euangelistas videre licet. Summatim nihil homini convenit, quod Jesu attributum non legamus, excepto solum peccato, *Debuit enim per omnia fratribus assimilari, ut misericors & fidelis fieret pontifex ad Deum, &c. Hebr.* II. 17. Cum autem infirmitates humanæ naturæ duorum sint generum, aliæ omnibus absque exceptione communes, ut esurire, sitire, somno indigere; aliæ vero quæ quibusdam tantum contingunt, ut morbi, qui vel ex vitio temperamenti vel ex pravo vitæ regimine oriuntur; prioribus quidem fuit obnoxius D. Jesus, sed non posterioribus. Unde non legimus ipsum unquam ægrotasse, aut simile quid passum iis, qui culpa sua accersunt sibi mala, quæ alioqui evadere facile potuissent.

IV. Magni autem refert scire Christum fuisse verum hominem, idque pluribus de causis. *Prima* est, quia talis veteribus est promissus, ut qui ex semine Abrahami & Davidis oriri deberet secundum carnem. De Abrahamo vide *Gen.* XXII. *v.* 18. & de Davide 2 *Sam.* VII. 12. *& seqq.* Quibus consona sunt quæ Deus dicit per *Ezechielem cap.* XXXIII. 23, 24. *Secunda* est, quia Christus morte sua debuit peccata generis humani expiare, ut prædictum est *Esa.* LIII. *Dan.* IX. 24. *& seqq. Tertia*, quia Christus nobis à Deo propositus fuit in exemplum tum fidei & obedientiæ erga ipsum, tum præmii & remunerationis, quæ fideles illius cultores maneat; seu unde cerneremus, quomodo per obedientiam & varias afflictiones oporteat nos in regni cœlorum gloriam ingredi. Istud enim exemplum nullas vires haberet ad nos permovendum, ut sequeremur vestigia Christi, si diversæ à nostra naturæ fuisset, id est, nisi verus homo, nobis similis, iisdemque infirmitatibus obnoxius extitisset.

V. Quare graviter errarunt olim, adeoque fundamenta Christianæ fidei subverterunt Marcionitæ, Cerdoniani, Manichæi, & alii ejusmodi, qui Jesum verum corpus nostro simile habuisse negarunt, & illud in quo apparuit hominibus, phantasma tantum fuisse putarunt. Item Apollinaristæ & Ariani, qui animam humanam Christo detraxerunt, & divinitatem loco animæ ipsi fuisse dixerunt. Ad quos accedunt nostro tempore multi, qui non quidem negant Christum fuisse verum hominem, sed talia tamen ipsi tribuunt, ex quibus id sequitur. Quales sunt Mennonitæ illi, de quibus supra egimus, qui putant Jesum corpus suum de cœlo attulisse, & Verbum Dei æternum in utero Mariæ carnem fuisse factum. Nam si ita se res habeat, natura ejus nostræ toto genere fuit dissimilis. Item Pontificii & Lutherani, qui dicunt Christi corpus invisibiliter & impalpabiliter esse ubique tam in cœlo quam in terra, vel saltem ubicunque Eucharistia celebratur; & totum in minima panis & vini Eucharistiæ particula contineri. Hæc enim talia sunt, ut veri corporis proprietates evertant.

VI. Christus autem non tantum fuit verus homo,

homo, sed etiam habuit veram naturam divinam sibi adjunctam, ut supra ostendi cum de SS. Trinitate agerem. Itaque hic tantum superest consideranda duarum istarum naturarum divinæ & humanæ conjunctio. Ea est arctissima, & in unitatem personæ facta; adeo ut non sint plures Christi seu filii Dei unigeniti, sed unus tantum.

VII. Conjunctio duarum naturarum in Christo solide probatur ex locis quæ utriusque simul mentionem faciunt: qualia sunt sequentia. Primo, *qui* (Filius Dei) *factus est ex semine Davidis secundum carnem, declaratus vero Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis*, *Rom.* I. v. 3, 4. Secundo, *Ex quibus* (patribus) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*, *Rom.* IX. 5. Tertio, *Mortificatus carne, vivificatus autem Spiritu*, 1 *Petr.* III. 18. Quarto, *Deus erat cum illo*, *Act.* X. 38. nempe Jesu Nazareno. Quinto, *Pater in me manens ipse facit opera*, *Joan.* XIV. 10. Sexto, *Omnis plenitudo Deitatis habitat in eo corporaliter*, *Col.* II. 9.

Unitatem vero personæ demonstrant omnia illa testimonia, in quibus Scriptura de Christo tanquam de uno individuo loquitur: qualia sunt ista. Primo, *Nobis est unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum*, 1 *Cor.* VIII. 6. Secundo, *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, *Eph.* IV. 5. Quod de J. Christo esse accipiendum, non de Deo Patre, ostendit illud quod statim sequitur, *unus Deus & Pater omnium est*. Tertio, *Unus est Dei & hominum mediator, homo Jesus Christus*, 1 *Tim.* II. 5. Quarto, *Unus summus Sacerdos* opponitur *pluribus Leviticis*, *Hebr.* VII. 23. *& seqq.* Quinto, hanc personæ unitatem in Christo, ostendunt verba Angeli ad virginem Mariam; *quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, *Luc.* I. 35. nempe ille unigenitus.

IX. Modum unionis duarum istarum naturarum nemo facile dixerit; nec etiam scire nobis necesse est. Certum est non consistere in proximitate locali, aut unius naturæ ab altera indistantia, qualis requiritur quidem in animæ nostræ unione cum corpore, quæ dissolvitur, statim atque loco separantur; sed sola eam non constituit. Cum enim Deitas credatur ubique essentialiter esse præsens, non minus esset conjuncta, cum quolibet alio homine, imo cum quavis bestia, quam cum Jesu Mariæ filio, si ista loci propinquitas ad unionem sufficeret. Sed quemadmodum in animæ cum corpore unione requiritur etiam specialis ejus in hoc influxus & operatio, per quam movendi se facultatem acquirat, & vitæ reddatur particeps; ita quoque videtur Spiritus Christi divinus in humanam ejus naturam peculiariter influxisse, & tam excellenti modo in illa operatus, ut in nullo unquam alio homine perinde. Duo autem præcipue nobis de hac re tenenda sunt. 1. Unionem duarum naturarum in Christo tam esse arctam, ut in æternum dissolvenda non sit: quod Græci doctores significare voluerunt, dicentes adversus Nestorium, eam factam esse ἀδιαιρέτως & ἀχωρίστως, id est, *indivisibiliter, & inseparabiliter*. 2. Factam esse inconfusis & impermixtis utriusque naturæ proprietatibus; ita ut neque divina natura conversa fuerit in humanam, nec humana in divinam: quod indicarunt dicendo contra Eutychem, illam esse factam ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως, id est, *inconvertibiliter & inconfuse*.

X. Effecta ejus sunt, tantorum donorum spiritualium, & divinorum facta humanæ Christi naturæ communicatio, quanta in creaturam cadere potest, & longe supra mensuram, qua sancti alii unquam à Deo acceperunt. Unde illud Apostoli; *Propterea unxit te Deus oleo exultationis præ participibus tuis*, *Hebr.* I. 9. per *oleum exultationis*, intelligens excellentia illa dona Spiritus divini, quæ faciunt, ut qui iis perfusus est, merito in Deo exultet. Et impleta est in eo prophetia; *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini*, *Esa.* XI. 1. *& seqq.* Hic autem Spiritus divinus à Christi conceptione nunquam ab eo recessit, & se ab ipsius infantia jam exeruit. *Puer enim crescebat & confortabatur Spiritu, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo*, *Luc.* II. 40. *& seqq.* Quamvis enim id *quod confortabatur Spiritu*, de ejus spiritu humano possit accipi, sapientia tamen qua plenus erat, & gratia Dei quæ in illo fuisse dicitur, aliunde quàm à Spiritu Dei non proveniebat. Sed tamen postea cum baptizatus esset à Joanne, & *Spiritus visibiliter super ipsum de cœlo descendisset, forma corporali instar columbæ*, *Matth.* III. *Luc.* III. longe majorem, quam antea ejus copiam accepit: & tunc apparuit veritas ejus, quod ipse dicit; *Non ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus*, *Joan.* III. 34. Hoc Spiritu arcana Dei novit, quæ postea hominibus revelavit. Quod significat dicens; *Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*, *Matth.* XI. 27. Et *digito Dei*, id est, virtute divina, quæ est ipse Dei Spiritus, *ejiciebat dæmonia*, *Luc.* XI. 20. omniaque illa admiranda opera patravit, de quibus testatur historia Euangelica. Unde dicitur *sensisse virtutem ex se egressam esse*, *Marc.* V. 30. Et *virtutem Domini Dei fuisse ad sanandos ægrotos, qui Jesu offerebantur*, *Luc.* V. 17. quæ virtus perpetuo in ipso residebat, ut ea ad libitum uti posset ad faciendum miracula, non ut alii, sive Prophetæ, sive Apostoli, qui licet donum miraculorum haberent, ea tamen quotiescunque voluissent, edere non poterant. Denique ne quid esset donorum divinorum, quod Christo communicatum non foret, is etiam post resurrectionem à mortuis, ascensionem in cœlum, & exaltationem suam ad dextram Dei, obtinuit à Deo Spiritum S. quem pro nutu & arbitrio suo in omnes fideles eum à se petentes, effundere posset, ut docet Petrus, *dextra Dei exaltatus & promissione Spiritus S. accepta à Patre, effudit hunc Spiritum*, sive

 hoc

hoc donum, *quod vos videtis & auditis*, *Act.* II. 33. Quo respiciens Joannes dicebat; *Nondum erat Spiritus, quia Jesus nondum erat glorificatus*, *Joan.* VII. *v.* 39.

XI. Errant ergo illi, qui præter hæc, quæ Dominus Jesus per intimam & personalem naturæ divinæ secum unionem adeptus est, dicunt ipsum à primo suæ conceptionis momento omnium divinarum proprietatum participem esse factum, ut omnipræsentiæ seu ubiquitatis, omnipotentiæ, omniscientiæ, & cæterarum, quod vulgo urgent Lutherani; vel saltem volunt ipsum ab initio nihil ignorasse quod postea didicerit; & nunquam in anima sua perturbatum, aut tristitia aliqua affectum fuisse, quæ est Pontificiorum opinio. Quas ut refutemus non est opus, adeo sunt absurdæ, & toti Scripturæ repugnantes; præterquam quod ex iis, quæ supra §. III. & IX. breviter dicta sunt, earum falsitas sufficienter elucescat.

XII. Christum etiam per unionem naturæ divinæ cum humana factum esse *impeccabilem*, nusquam Scriptura docet; ideoque creditu ad salutem necessariis accenseri non debet. Et si ita se res habuit, vix, ac ne vix quidem, capi poterit quomodo obedientia quam Patri exhibuit, libera, ac proinde vera fuerit virtus, paterno amore & remuneratione digna, ut ipse nos docet *Joan.* X. 7. *Propterea diligit me Pater, quia pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Et Paulus, *Philip.* II. *v.* 8, 9. *Humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit eum, & donavit illi nomen quod est supra omne nomen*, &c. Aut quomodo discipulis suis dixerit, *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione*, *Joan.* XV. 10. Quod tamen ita interpretari nolumus, ac si Christum ulla unquam, vel minima peccati labe aspersum fuisse arbitraremur. Absit hoc à nobis, ut id de sanctissimo Servatore suspicemur, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, 1 *Petr.* II. 22. *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c. Hebr.* VII. 26. *Qui quasi agnus immaculatus & incontaminatus, nos redimeret de vana nostra conversatione*, 1 *Petr.* I. 18, 19.

CAPUT VII.

De statu Exinanitionis Jesu Christi; Et speciatim de causis tam primariis, quam secundariis, mortis ejus.

I. Jesum Servatorem significare, & id nomen Domino nostro vere competere. II. Christum, Unctum denotare, & Jesum nostrum in Prophetam, Sacerdotem & Regem à Patre fuisse unctum. III. Eumque hæc officia vel in statu exinanitionis vel exaltationis exercuisse. IV. Primam exinanitionis sive mortis Christi causam fuisse decretum Patris. V. Secundo liberam Filii obedientiam. VI. Quamvis deprecatus fuerit Patrem, si possibile est transeat, &c. VII. Tertio, Diabolum & Judam. VIII. Et Judam non fuisse ab æterno prædestinatum ut Christum proderet. IX. Quarto, Judæorum Principes cum populo universo. X. Ultimo, Pontium Pilatum una cum militibus ac lictoribus.

I. HActenus de persona Christi, sequitur, ut de ipsius *officio* agamus. Illud perfecte exprimitur duobus istis nominibus *Jesu* & *Christi*, quibus in Scriptura appellari solet. Primum enim, nempe *Jesu*, *Servatorem* significat, & ipsi jussu Angeli impositum est, quia *salvum facturus erat populum suum à peccatis eorum*, *Matth.* I. 21. Ideoque revera talis fuit, qualem designabat nomen. Cum autem salus duo in se comprehendat, videlicet immunitatem ab omnibus malis, & bonorum illis oppositorum possessionem, & utraque sint vel temporalia vel æterna; indubium est illum perfectissimum esse Salvatorem, qui ab omnibus istis malis immunes nos præstat, & omnia hæc bona communicat. Talisque est solus Deus, omnis salutis fons & autor. Unde ipse dicit, *Salvator non est præter me*, *Hosea* XIII. 4. Et Paulus eum insignit hoc elogio, quod sit *Salvator omnium hominum, maxime fidelium*, 1 *ad Tim.* IV. 10. Infra Deum tamen nomen *Salvatoris* vel ejus conjugatum *salvare*, tributum etiam aliis invenitur, idque vel perfectiori, vel imperfectiori modo, pro ratione salutis cujus instrumenta fuerunt. Quo pertinet id, quod Nehemias in precatione dicit, *In tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te* (Israëlitæ), *& tu de cælo audivisti, & secundum miserationes tuas multas dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum*, *cap.* IX. 17. Talis fuit Moses, qui ipsos ex Ægyptiaca servitute liberavit, licet nullibi, quod sciam, hoc nomine appelletur. Et Josuë, qui ipsos introduxit in possessionem terræ Canaan; cujus nomen est idem quod Jesu, sed magis adhuc ad Hebraïcam pronunciationem inflexum. Item Othoniel, qui diserte salvator vocatur *Judicum* III. 9. Similiter qui salutem aliorum spiritualem procurant *salvatorum* nomine aliquando donantur. Ita apud Abdiam, *versu ultimo*, *Et ascendunt salvatores in montem Sion judicare montem Esau, & erit Domino regnum.* Et apud Paulum, *Attende tibi & doctrinæ; hoc enim faciens & te ipsum salvabis, & eos qui te audiunt*, 1 *ad Tim.* IV. 16. Et apud Jacobum, *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum*, *Epist. versu ultimo.* Sed omnes isti sunt imperfecti salvatores, & qui vix tenuem umbram eximiæ illius salutis per Christum nobis partæ repræsentant. Nam cum duo sint pessima mala, quæ toti humano generi incumbunt, peccati dominium & mors æterna, & duo optima bona quibus destituitur, justitia & vita æterna, ipse quantum in se fuit & decuit, omnes homines ab illis malis liberavit, & hæc bona iis peperit. Unde Johannes dicit, *Et nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum salvatorem mundi*, 1 *Epist.*

pist. v. 14. Et ita passim in libris Novi Fœderis vocatur.

II. Alterum vero nomen *Christus*, quod ipsi est instar cognominis, *Unctum* proprie significat, id est, *Regem*; inde petita appellatione, quod reges inter Israëlitas per unctionem muneri suo inaugurabantur, & *uncti Domini* dicebantur. Sed quia à Deo decretum erat, ut Dominus Jesus non nisi per prophetiæ & Sacerdotii functionem in regnum suum ingrederetur, & non tantum reges sed etiam Prophetæ & Sacerdotes aliquando ungebantur, appellatione Christi tria ista officia, *Prophetæ*, *Sacerdotis*, & *Regis* simul comprehenduntur. Itaque nomine Jesu significatur finis, cujus gratia is à Deo missus est, nempe ut esset mundi Salvator: cognomine vero Christi media indicantur, quibus finem illum assecutus est, & adhuc assequitur; videlicet, *Prophetia*, qua nobis ultimam Dei voluntatem revelavit: *Sacerdotium*, quo se pro peccatis nostris in terra obtulit, offertque etiamnum assidue in cœlo; & *Regnum* quo nos hic conservat & protegit, omnique benedictionum spiritualium genere ditat, ac tandem in salutem æternam introducturus est.

III. Officia autem ista exercuit Christus in duplici statu, uno exinanitionis, altero exaltationis, de quibus dicendum nobis est, antequam ad specialem officiorum explicationem accedamus. Exinanitio autem & exaltatio Jesu Christi non pertinent ad naturam ejus divinam, sed ad humanam tantum. Natura enim divina nec exinaniri nec exaltari potest. Ac proinde officia Prophetæ, Sacerdotis & Regis non exercuit secundum divinam naturam, sed secundum humanam; divina tamen humanæ perpetuo assistente, atque eam juvante & corroborante. Status exinanitionis complectitur passionem ejus, mortem, sepulturam, & descensum ad inferos. Passionis & mortis Christi considerandæ sunt primo causæ, deinde partes. Varii generis causæ ad eam concurrunt.

IV. Prima omnium & suprema fuit ipse Deus Pater, ex cujus decreto Christus in manus impiorum traditus est, qui ipsum morte affecerunt, ut docet Petrus *Actor.* II. 23. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum accipientes per manus iniquorum cruci affixistis, & interemistis.* Et sane ipse solus jus habebat in Filium, ut de eo statueret pro arbitrio; atque sine ejus voluntate nihil potuissent adversus Jesum omnia Judæorum consilia & machinationes. Quod tamen ita non debet accipi, quasi Deus decreto suo absoluto constituisset ante sæcula, ut Christus à sceleratis istis occideretur. Cum enim ad absolutorum decretorum executionem utatur omnipotentia aut tali directione, quæ eventum reddat inevitabilem, posito tali decreto non potuissent sibi à cæde ista temperare qui ad eam perpetrandam destinati erant; & sic à culpa fuissent immunes. Deus ergo non destinavit nominatim aliquos nondum natos ad Christum morti tradendum; sed cum sciret nunquam defuturos improbos, veritatis osores, qui non paterentur scelera & hypocrisin suam impune taxari, statuit Filium suum tradere in potestatem ejuscemodi hominum, & permittere ut eum morti traderent. In quo nihil fecit se indignum, aut unde concludi possit permissionem istam fuisse otiosam, ut nonnulli objiciunt. Cum enim Deus scelus aliquod permittit, ita omnia improborum consilia & molitiones providentia sua dirigit, ut non aliud nec aliter faciant, quam libuerit ipsi concedere, perinde ac venator, qui canes loro alligatos tenet, nec in feram irruere sinit, nisi quando consultum judicat. Tradendo igitur Christum inimicis, simul eis præscripsit limites intra quos oportuit ut se continerent. Id apparet primo in tempore, quod anticipare, aut differre non potuerunt, etiamsi in contrarium niterentur. Unde Joannes dicit *cap.* VII. 30. *Studebant eum prehendere, sed nemo injecit in eum manum, quia nondum venerat hora ejus.* Et *cap.* VIII. 20. *Nemo prehendit eum, quia nondum venerat hora ejus.* Et *cum consilium fecissent, ut Jesum dolo tenerent & occiderent; dicerent autem, non in die festo, ne forte tumultus fiat in populo*, *Matth.* XXVI. 4, 5. postea tamen Juda operam suam ad eum capiendum ultro offerente, consilium mutarunt, *ibid. versibus* 14, 15, 16. De quo tempore ipsemet declarat, *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum, Luc.* XXII. 53. Deinde conspicitur in aliis circumstantiis, quæ exacte responderunt iis quæ olim figurata aut prædicta fuerant, exempli gratia, in eo quod crura Christo in cruce pendenti non sunt fracta, quemadmodum latronibus supplicii sociis, ut responderet typo agni Paschalis, *Joan.* XIX. 36. *Exod.* XII. 46.

V. Quemadmodum autem Deus sapienti consilio proposuit Filium in manus hostium tradere, ita etiam Filius ipse libera & spontanea obedientia decreto paterno se subjecit. *Propterea*, inquit, *diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso*, *Joan.* X. 17, 18. Et Paulus, *Humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, *ad Phil.* II. 8. Idque tota etiam passionis ejus historia docet. Nam præscius eorum quæ sibi eventura erant, obviam procedit illis, qui veniebant ad se capiendum, dicens, *Quem quæritis?* Et rursus, *Ego sum.* Atque ut ostenderet se non ex infirmitate in illorum manus incidere, verbo hoc uno *Ego sum*, tanquam fulmine, eos in terram prosternit. Nihilque potestatis in discipulos, tametsi ab eis fuissent irritati, hostes habere permittit, sed eis cum effectu imperat, *Si me quæritis, sinite hos abire*, *Joan.* XVIII.

VI. Attamen, dicet quispiam, Christus mortem deprecatur, *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste.* Ita est. Homo enim naturaliter à cruciatibus & à morte abhorret, & in eo nullum est peccatum aut defectus, sed potius illic obedientiæ Christi excellentia conspiciendam se præbet, quod statim appetitum istum naturalem compescit,

ſcit, & voluntati paternæ ſubmittit, dicens, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Et quamvis rogare poſſet Patrem, *qui ipſi pluſquam duodecim legiones Angelorum ad hoſtibus reſiſtendum ilico daturus eſſet*, id facere noluit, ſed periculis fortiter obviam ivit, hac meditatione armatus, *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? quia ſic oportet fieri*, *Matth.* XXVI.

VII. Subordinatæ cauſæ paſſionis & mortis Chriſti fuerunt Satan, Judas, Principes Sacerdotum, Scribæ, Phariſæi, univerſus populus Judaïcus, Pilatus, milites & lictores, qui ſinguli ſua habuerunt motiva, quibus ad tam enorme facinus perpetrandum inducti ſunt. De Diabolo teſtatur Joannes, ipſum *immiſiſſe in cor Judæ ut traderet Chriſtum*, *Joan.* XIII. 2. Metuebat quippe illum, ſciens *in hoc apparuiſſe Filium Dei ut diſſolveret opera Diaboli*, 1 *Joan.* III. 8. & ipſum eſſe *ſemen mulieris, quod contriturum erat caput ſerpentis*, *Gen.* III. 15. Judam ad Chriſtum in manus hoſtium prodendum impulit partim avaritia, partim vindictæ cupiditas, quod Jeſus ipſum reprehendiſſet, & prædam cui inhiabat, è manibus eripuiſſet, *Joan.* XII. 3. & *Matth.* XXVI. 14, 15. *Luc.* XXII. 3. *Diabolus* quidem *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, 1 *Petr.* V. 8. Sed nullam tamen habet in quemquam poteſtatem, niſi qui ipſe prius peccatis ſuis oſtium ei aperiat, per quod ingrediatur; ideoque ſubjicit Apoſtolus, *cui reſiſtite fortes in fide*, *verſu* 9. Et *Jacobus* IV. 7. *Reſiſtite autem Diabolo, & fugiet à vobis.* Quare niſi Judas fuiſſet avarus, & præterea ira accenſus, Diabolo impoſſibile fuiſſet introire in eum, & ipſi in cor immittere ut proderet Jeſum. Cui acceſſit juſtum Dei judicium, Judæ improbitatem punientis & ipſum Satanæ tradentis, qui eo tanquam mancipio ad procurandam Chriſti mortem abuteretur.

VIII. Non tamen exiſtimandum eſt cum nonnullis, Judam ab æterno fuiſſe à Deo prædeſtinatum ad prodendum Jeſum, & ideo poſtea Satanæ traditum, ita ut non eſſet in ipſius arbitrio ſibi ab hoc ſcelere temperare. Scio quidem nonnulla Scripturæ veteris loca afferri, in quibus prædicta videtur Judæ proditio & illius pœna, ut *Pſalm.* XLI. 10. *Etiam vir pacis meæ, cui fidebam, qui comedebat panem meum, extulit adverſum me calcaneum.* Item LXIX. 26. & CIX. 8. *Fiat habitatio ejus deſerta, & epiſcopatum ejus accipiat alter*, quæ ſpeciatim Judæ applicantur apud *Joannem cap.* XIII. 18. & *Actor.* I. 16, 20. Sed reſpondeo, hæc loca proprio & literali ſenſu de Davidis aliquo inſigni inimico & proditore eſſe intelligenda, & ita jam olim in illo fuiſſe impleta. Quia vero David fuit figura Jeſu Chriſti, myſtico ſenſu ei applicantur in Novo Fœdere, utpote in eum quoque quadrantia. Conſilium enim Dei fuit, ut Dominus Jeſus talia pateretur ab aliquo ex domeſticis ſuis, qualia David quondam paſſus erat à familiaribus. Suppoſito nimirum, ut ſupra §. III. diximus, ex præſcientia ſua, nunquam defore improbos, qui illecebra aliqua, aut irritamento aliquo malitiæ ſuæ propoſito, avide ejuſmodi ſcelus eſſent perpetraturi. Non quod Judam abſolute, antequam natus eſſet, ad illud prædeſtinaſſet, (abſit à nobis tam impia de Deo ſanctiſſimo cogitatio:) Sed cum eum aptum inveniſſet ad exequendum propoſitum ſuum, & opus tantum eſſet ut occaſiones ſceleris ei offerrentur & frænum laxaretur malitiæ ipſius, Deus (ut ita dicam) illo abuſus eſt ad faciendum opus ſuum; adeo ut cum Jeſum prodidit, recte dixerint ſacri ſcriptores, *impletum in eo fuiſſe quod prædictum erat*, nempe quia per talem hominem, qualis erat Judas, illud impleri oportebat. Eo fine etiam videtur Jeſus ipſum in ſodalitium ſuum adſciviſſe, *cum optime eum noſſet*, ut dicit Joannes *cap.* VI. 64. Sed tamen poterat adhuc à malitia ſua deſiſtere. Nec videtur ulla ipſi neceſſitas prodendi Jeſum incubuiſſe, niſi poſtquam in poteſtatem Satanæ in præcedentium ſcelerum pœnam traditus fuit; Deo eum plane auxilio ſuo deſtituente, adeo ut in ejus viribus non eſſet amplius ad ſaniorem mentem redire: quod Jeſus innuere voluiſſe videtur, cum poſt buccellam acceptam Satanas in eum introiſſet, & dixit, *Quod facis, fac citius*, *Joan* XIII. 27.

IX. Principes Sacerdotum, Scribæ & Phariſæi, jam dudum oderant Jeſum, qui ſcelera & hypocriſin eorum redarguebat; & ſæpe conati erant ipſum dolo è medio tollere, tandemque in concilio ſolenni id ſtatuerant prima occaſione data exſequi, *Joannis cap.* XI. 47. *Matth.* XXVI. 3. captumque mortis reum judicarunt, & Pilato crucifigendum tradiderunt, *Matth.* XXVI. 65, 66. & XXVII. 1. Populus quoque Judaïcus univerſus non parum promovit hoc negotium, cui cum Pilatus optionem dediſſet, quem mallet ſibi liberum in feſto Paſchatis dimitti, Jeſum an Barrabam, prætulit latronem Barrabam Jeſu innocenti, & de Jeſu clamavit, *Tolle, tolle, crucifige eum.*

X. Pontius Pilatus præcipue, ſine cujus autoritate, ut Judææ præſidis, Jeſus non poterat legitime damnari. Quamvis enim perſuaſus eſſet de Jeſu innocentia, & ſciret invidia primorum ſibi traditum, tamen metu incurrendi Cæſaris offenſam, eum prius crudeliter flagellatum crucis ſupplicio addixit, *Joan.* XIX. *Matth.* XXVII. Ultimi in hunc cenſum veniunt milites Romani, qui licet præſidis imperio paruerint, multa tamen propriæ & ſpontaneæ malitiæ indicia hic præbuerunt, colaphis & virgis cædentes Jeſum, conſpuentes in ejus faciem, coronamque ſpineam capiti imponentes, variiſque aliis modis illudentes; ita ut omnes graviſſimo & plane inexcuſabili ſcelere ſe obſtrinxerint.

CAPUT VIII.

Quid Patrem moverit ut Filium morti deſtinaverit; & ſpeciatim de Fructibus mortis Chriſti.

I. *Patrem Filium in mortem tradidiſſe ut nos à miſeria noſtra*

ſtra liberaret. II. *Chriſtum nos à peccati dominio liberare dum ſanguini non parcit ut doctrinæ ſuæ teſtimonium præbeat.* III. *Omnia quæ in terris & in cœlis ſunt pacificet.* IV. *Ad amorem reciprocum nos provocet.* V. *Omnimodumque virtutum perfectum exemplar nobis proponat.* VI. *Chriſtum inſuper ſanguinis ſui oblatione nos ab æterna morte liberare: Et regia poteſtate quam morte ſibi comparavit nos in vitæ æternæ poſſeſſionem introducere.*

I. CAuſæ, quæ Deum Patrem moverunt ad Filium ſuum morti deſtinandum, & Chriſtum, ut decreto paterno libenter obtemperaret, plures ſunt. *Prima*, interne movens, fuit amor, quo Deus humanum genus proſequebatur; de quo Chriſtus, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, *Joan.* III. 16. id eſt, in mortem traderet; ut apparet ex præcedente verſu, ubi dixerat, *prout Moſes extulit ſerpentem in deſerto, ita extolli oportet Filium hominis*, &c. ſcilicet in crucem. Et Paulus, *Qui etiam proprio Filio non pepercit*, (nempe propter amorem, quo nos proſequebatur) *ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, *Rom.* VIII. 32. Item Joannes, *In hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſerit Filium ſuum, ut eſſet propitiatio pro peccatis noſtris*, 1 *Epiſt. cap.* IV. 10. *Altera*, externe movens, ſeu occaſionalis, fuit duplex hominum miſeria, nempe peccatum, & mors æterna, cui propter peccatum obnoxii ſunt: Deus ergo voluit, ut Filius ſuus in mundum veniret, & diram crucis mortem ſubiret, ut ab utraque iſta miſeria humanum genus liberaret; Quod Joannes ſignificat, dicens, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli*, 1 *Epiſt.* III. 8. opera enim Diaboli ſunt hæc, quæ modo diximus, peccatum, & mors æterna, ad quorum diſſolutionem ſe totum Chriſtus impendit.

II. Quantum autem eo contulerit ipſius mors, hinc diſcimus. Primo, quod de veritate & certitudine doctrinæ Euangelicæ, quam annunciavit, teſtimonium præbet: Nam in Euangelio continentur potiſſimum hæc duo: Perfectæ ſanctimoniæ, per quam Deo grati ſumus, præcepta: Deinde promiſſiones remiſſionis gratuitæ omnium peccatorum, ſi quis iis ex animo renunciet, & dignos pœnitentia fructus edat; tum beatæ, & immortalis vitæ, olim in cælis cum Deo degendæ: ut de comminationibus oppoſitis nihil nunc dicam; adeo ut nihil aliud præterea requiratur ad ſalutem noſtram, quam ut doctrinam Euangelii vera & viva fide amplectamur. Inde ergo eſt, quod Dominus Jeſus, jam jam conſummandus, Pilato dicebat, *Ego in id natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati*, *Joan.* XVIII. 37. Non cuilibet autem veritati, ſed ſalvificæ tantum, & ei, *quæ ſecundum pietatem eſt*, *Tit.* I. 1. Hæc eſt *bona illa confeſſio, quam teſtatus eſt coram Pontio Pilato*, commendata ab Apoſtolo 1 *Tim.* VI. 13. Et propter eam vocatur *teſtis fidelis, & verus*, *Apoc.* I. 5. & III. 14. Cui affine eſt, quod morti & ſanguini Chriſti tribuitur confirmatio Novi Fœderis: Nam poculum myſticum pridie mortis ſuæ diſcipulis tradens dicebat, *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*, *Matth.* XXVI. 28. Nam moris erat olim, ut mactatione animalium fœdera ſancirentur: idque etiam obſervatum legimus in Moſaïco, *Exod.* XXIV. 4. *& ſeqq. Mane conſurgens Moſes ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim: Tulit itaque Moſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras; partem autem reſiduam fudit ſuper altare: Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo, qui dixerunt, Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille vero ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait, Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.* Quo reſpexit Petrus dicens, *Fideles electos ſecundum prænotionem Dei Patris, in ſanctificatione Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti*, 1 *Epiſt.* I. 2. ut oſtendat Fœdus Novum in conſcientiis fidelium ſanguine & morte Chriſti ſancitum fuiſſe, quibus de veritate & firmitate ejus certiores reddantur. Huc etiam pertinet, quod *melioris fœderis* (quam vetus erat) *ſponſor factus eſt Jeſus*, *Hebr.* VII. 22.

III. Præterea Deus per ſanguinem crucis pacificavit omnia, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt, *Col.* I. 20. Nam Judæi & Gentiles, qui antea inter ſe hoſtiliter diſſidebant, Novum Fœdus amplectentes, in unum Eccleſiæ Chriſti corpus compacti & coagmentati ſunt: Unde dicitur *Epheſ.* II. 14. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*, (nempe Judæos, & Gentiles) *& medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitiam in carne ſua legem mandatorum decretis evacuans; ut duos condat in ſeipſo, in unum novum hominem, faciens pacem*, &c. Nec iſtud tantum, ſed etiam beatos Angelos, cœli incolas, qui impiis & idololatris hominibus inimici erant, illis reconciliavit, cum ad Deum ipſos converſos viderunt. Qua de cauſa loco, modo ex *Coloſſ.* I. citato, dicitur, *reconciliaſſe tum quæ in terris, tum quæ in cælis ſunt*, &c. Tuncque fuit magnum in cœlis gaudium coram Angelis Dei ob tot peccatores ex faucibus orci ereptos; cum Chriſtus teſtetur, *eos lætari vel ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, *Luc.* XV. 10. Hæc ſunt bona, quæ promanant ex ſanguinis Chriſti effuſione ad Novum Fœdus ſanciendum: Nam quis haberet cauſam dubitandi, quin omnia illo contenta veriſſima & certiſſima ſint, conſiderans Chriſtum alacri animo mortem adiiſſe, ad fidem iſtam in nobis pariendam, & confirmandam? Seductorne aliquis id feciſſet, cum ejuſmodi homines nihil aliud niſi opes, voluptates, & honores hujus mundi quærere ſoleant?

IV. Alio adhuc modo Chriſti mors ſanctimoniæ ſtudium in nobis ingenerare apta eſt: Nam cum in ea Deus Pater tantam oſtenderit charitatem, ut id, quod pretioſiſſimum habebat, pro noſtra ſalute impendere voluerit; cum Chriſtus

pro nobis inimicis moriens, intensissimum, qui inter homines conspici solet, superaverit dilectionis gradum, *ut quis moriatur pro amico & benefactore*, *Joan.* xv. 13. *Rom.* v. 6, 7, 8. quid æquius est, quam ut utrumque vicissim redamemus, & amorem nostrum, mandatorum, quæ nobis dederunt, observatione testemur? Ita argumentatur Joannes, *In hoc cognovimus charitatem, quod ille animam suam pro nobis posuit; nos igitur debemus animas pro fratribus ponere*, 1 *Epist.* III. 16. *Si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alii alios diligere*, IV. 11. Et, *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus servemus*, v. 3. præsertim, cum ipse dicat; *Si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione*, *Joan.* xv. 10.

V. Denique, cum nihil sit utilius ad proficiendum in sanctitate, quam perfectum illius exemplar ante oculos habere, ad quod perpetuo respiciamus; Deus hac etiam in parte infirmitati nostræ succurrere volens, tale nobis proposuit in Filio suo Jesu Christo, & præcipue in illius morte, ubi veluti in tabula contracta insigniores virtutes, quæ hominem perficiunt, & Deo gratum reddunt, conspiciendas se præbent: virtus enim maxime spectatur in adversis, quæ fortiter sustinendo approbamus nos Deo & hominibus. Omnium autem adversitatum, quæ in hac vita accidere possunt, hæc gravissima videtur, si quis non solum innocens, sed etiam de cunctis optime meritus, atrocibus convitiis & calumniis impetitus, tandem crudeli & ignominiosa morte, tanquam facinorosus, odio Dei atque hominum dignus, afficiatur. Id vero est quod Domino Jesu evênit; & ubi fidem suam, & obedientiam erga Deum; humilitatem, patientiam, mansuetudinem, charitatem erga proximos, etiam interfectores suos, spectandam exhibuit. Unde merito Petrus dicit, *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequeremini vestigia ejus, &c.* 1 *Epist.* II. 21, 22, 23. Imitari igitur non solum debemus virtutes quæ in Christi vita & morte eluxerunt, sed etiam per Dei gratiam possumus, quamvis earum perfectionem non assequamur.

VI. Sic ergo Christus passione & morte sua propositum habuit liberare nos à peccati dominio; & hoc respectu pertinuit ad officium ejus propheticum; sed præterea ut perfectus esset noster salvator, oportuit ut nos liberaret à peccati pœna, quæ est mors æterna; & in vitæ æternæ possessionem introduceret: Quod etiam fecit morte sua, quatenus Sacerdotii ejus fuit pars, & ingressum præbuit in regni cælestis gloriam: Nam per Sacerdotium expiavit peccata nostra; & pœnam, quam alias subituri fuissemus, à nobis avertit: Nam quemadmodum sub Veteri Fœdere animalia prius mactabantur, quam Sacerdos eorum sanguinem in sanctuarium inferret, ad expiationem reatus temporalis peccatorum populi faciendam; ita etiam Christus mactari debuit, ut per suum sanguinem jus haberet coram Deo in cælesti sacrario pro nobis comparendi, & ibi æternam omnium nostrorum peccatorum redemtionem inveniendi, *ad Hebr.* IX. 12, 24. Unde etiam dicitur, *Fideles accessisse ad Novi Testamenti mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quam sanguis Abel*, *Hebr.* XII. 24. Nam sanguis Abel clamabat vindictam ad Deum contra Caïn fratricidam; sed sanguis Christi clamat veniam & remissionem omnium peccatorum iis, qui in ipsum credunt. Per regiam quoque suam & divinam potestatem nos à morte est suscitaturus, & sempiterna in cœlis beatitudine donaturus: Ad eam vero aliter, Deo ita volente, evehi non poterat, quam per viam passionum, quibus perficeretur, sicut ipse dicit, *Nonne oportuit hæc Christum pati, & ita introire in gloriam suam? Luc.* XXIV. 26.

Caput IX.

De Passione Christi: & speciatim de ejus Agone & Prehensione in horto.

I. *Christum multa gravia & horrenda passum esse in horto, Hierosolymis & in monte Calvariæ.* II. *Ubi fuerit ille hortus.* III. *De Agone Christi.* IV. *Dolores infernales non sensisse in anima, nec etiam opus fuisse ad nostri redemptionem.* V. *Num Christus minorem fortitudinem ostenderit quam multi martyres.* VI. *Quid deprecatione calicis sit intelligendum, num mors, an mortis metus tantum.* VII. *An Christus sudorem sanguineum emiserit.* VIII. *Non indecens fuisse ut Christus ab Angelo confortaretur.* IX. *Proditum fuisse Jesum osculo à Juda.* X. *De iis quæ in prehensione Christi contigerunt.*

I. Jam ad Passionis Christi partes accedamus. Eam inchoamus ab ultimi Paschatis comestione, & sanctæ Eucharistiæ institutione. Nam mala quæ Christus antea toleravit, ut paupertas, labores in fungendo munere, odium inimicorum, calumniæ, convitia, insidiæ, &c. ea tantum προπαιδεῖαι fuerunt, quibus ad ultimum istum & gravissimum agonem subeundum prepararetur. Distingui autem potest in tria præcipua membra, secundum loca in quibus passus est, nempe in horto, Hierosolymis, & in monte Calvariæ.

II. Quod ad primum: Dominus Jesus sciens quod Judas adversus se cum inimicis suis moliretur, eo sponte se contulit ubi ab illo prodendus, ab his vero capiendus erat. Locum istum generalius designat Lucas, *Montem Olivarum* vocans, *cap.* XXII. 39. & *Marc.* XIV. 26. Matthæus aliquanto specialius, *villam Gethsemane*, *cap.* XXVI. 36. sicut & Marcus XIV. 32. Joannes vero omnium specialissime, dicens *Jesum transivisse torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse & discipuli ejus. Judam autem scivisse locum, quia Jesus frequenter illuc conveniebat*, *cap* XVIII. 1, 2. Quare hortus iste videtur fuisse in villa Gethsemane, & villam ad radices montis Olivarum. In eo cœpit Passio Christi pro peccatis nostris, quemadmodum

dum prima hominis transgressio in horto Heden contigerat, *Genes.* III. 3.

III. Hic distincte consideranda sunt quæ Christus est passus, tum ante inimicorum adventum, tum post eum. Quamvis autem eo duxisset secum omnes discipulos, tamen tres solum gravissimi sui agonis testes habere voluit, nempe Petrum, Jacobum, & Joannem, coram quibus transfiguratus fuerat in monte Tabor, & filiam Jaïri suscitaverat, ut qui gloriæ suæ fuerant, humiliationis quoque essent spectatores. Ibi mortem instantem considerans *cœpit contristari*, & ἐκθαμβεῖσθαι, *expavescere*, & ἀδημονεῖν, *gravissime angi*, *Matth.* XXVI. 37. *Marc.* XIV. 33. prostratus in terram ter Patrem oravit, ut si fieri posset calix ille à se abiret, & eum non biberet: factusque est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decidentes in terram. Et tunc apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum, *Luc.* XXII. 43, 44. Ad quorum meliorem intelligentiam solvendæ sunt breviter aliquæ difficultates.

IV. Quæritur 1. An Christus in anima sua tunc senserit dolores infernales, quales olim passuri sunt damnati? Respondeo: Minime. Nam inter cruciatus damnatorum hic est gravissimus, quod sentiant Deum sibi iratum, & nullam inde liberationem sperent in æternum; quæ nullo modo in Christum competunt. Nunquam sensit iram Dei, nisi per eam improprie intelligantur cruciatus quos inimici ex Dei permissione ipsi intulerunt. Nec metuit etiam ut Deus sibi infensus esset. Semper enim certissimus de Dei erga se dilectione fuit, & tunc præcipue cum tam eximiam in adeunda morte obedientiam ipsi exhiberet: quam Paulus vocat *oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*, *Eph* V. 2. Dices: Quomodo igitur Christus morte sua liberavit nos à morte æterna, si eam ipse non est passus? Respondeo 1. Mortem æternam non esse perpessum apparet. Nam ejus cruciatus diem integrum non durarunt. Et quod dicuntur æternis æquipollentes fuisse, propter naturæ divinæ in Christo unionem cum humana, ineptum est: cum nulla unius diei ad æternitatem sit proportio: & Christus in sua natura divina nihil plane passus fuerit, sed tantum in humana. 2. Nec etiam opus fuit ad nostri redemptionem, ut Christus easdem pœnas, quas meriti eramus, lueret: sed tantum sacrificio quo Deum nobis placatum redderet. Obtulit ergo se ipsum in mortem pro nobis, & hæc oblatio adeo accepta fuit Patri, ut propter illam nobis omnia peccata gratuito & absque ulla solutione condonare voluerit, modo iis in posterum renunciaremus, & in novitate vitæ ambularemus.

V. Instabis: Si Christus non sensit in anima sua iram Patris & dolores infernales, unde ergo factum est, ut tam graviter animo angeretur? Nam sic fortitudine inferior fuisset multis martyribus, quos historiæ narrant hilares, & absque ullo metus indicio crudelissima supplicia adiisse. Respondeo 1. Non videri usquequaque certa illa omnia quæ de martyrum alacritate in mediis cruciatibus & morte recensentur. Nam qui ea literis [...]runt, aut non satis accurate noverunt qua istis martyribus toto captivitatis & supplic[...] rum tempore evenerunt: sed tantum ea qu[...] blice, & pluribus consciis facta sunt; aut etiamsi non ignorarent quasdam martyrum quos celebrabant infirmitates, eas dissimulare consultum duxerunt, & illorum constantiam atque fortitudinem rhetorico more, ad alios animandum, amplificarunt. Fieri etiam potest ut martyres illi (etiamsi alias sanctissimi viri) vim sibi fecerint, & majorem in vultu & sermonibus alacritatem demonstrarint, quam revera in corde sentiebant. Ex. gr. Ignatius, qui damnatus ad bestias, rogat fideles Romæ habitantes, ne pro se intercedant, quo supplicium evadat. Et dicit, *Utinam fruar bestiis quæ mihi parata sunt. Illiciam ut celerius me comedant, & si ipsæ noluerint*, ἐγὼ προσβιάσομαι, *ego vim eis faciam.* Nisi forte (quod malim credere) hæc epistola supposititia est, & falso Ignatio attributa. Alias fortior longe fuisset Petro, quem Christus prædicit nolentem ad supplicium raptum iri, *Joan.* XXI. 18, 19. & Paulo, qui diligentissime causam suam defendit, ut mortem effugeret, *Act.* XXI. *& seqq.* 2 *Tim.* IV. 16, 17. Sed fac hæc omnia quæ martyribus tribuuntur esse verissima, nullas eorum infirmitates aut ab ipsismet, aut ab iis, qui illorum acta descripserunt, dissimulatas, & quosdam fuisse repertos, qui omnem mortis & cruciatuum timorem atque sensum exuerant; dicam 2. id peculiari efficaciæ Spiritus divini esse tribuendum, qui eorum animos lætitia perfuderit, & extraordinario ac plus quam humano robore induerit. Noluisse autem Deum Domino Jesu hanc gratiam initio passionis largiri, sed ad tempus eum sibi propter nos reliquisse. Nam id multum facit ad consolationem nostram, ut si quando ad patiendum pro Euangelio vocemur, & eam in nobis non sentiamus alacritatem quam de aliis martyribus prædicari audivimus, sed metu percellamur aut ejulemus; non ideo obedientiam nostram minus Deo acceptam esse existimemus, cum eodem modo cum Jesu Christo, quem Deus nobis proposuit in perfectum virtutis exemplar, actum fuerit. Sic etiam conveniebat præparari Dominum Jesum, *ut fieret fidelis & misericors Pontifex, qui infirmitatibus nostris compati posset. In eo enim quod passus est ipse, & tentatus, potens est quoque iis qui tentantur auxiliari*, *Hebr.* II. 17, 18. & IV. 15, 16. Deus igitur ita rem istam direxit; ut cum Jesus se ad patiendum accingebat, omnes cruciatus, opprobria, & insultus hostium, quos ferre debebat, confertim se ejus animo objicerent, ipsumque perturbarent, ut nullum esset tentationis genus quo non probaretur. Anxietas tamen illa non fuit diuturna, sed statim desiit, postquam preces ad Deum ardentes, quas commemorant Euangelistæ, effudisset, & consolatione Angelica refocillatus fuisset.

VI. Quæritur 2. Quis sit sensus istarum ter repetitarum precum, *Pater, si fieri potest, ut calix iste transeat a me, & non bibam? Matth.* XXVI. 39.

ortem deprecetur, an solum anxietatem n premebatur? Respondeo, non videri mortem nomine calicis quem à se transire at intellexisse. Nam ad eam subeundum se jam sponte composuerat; quia sciebat rem eo devenisse, ut decretum Dei mutari, aut hora illa protrahi amplius non posset, quemadmodum paulo post indicat, Petro dicens; *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? Matth.* XXVI. 54. Et militibus, qui ad se comprehendendum venerant; *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum, Luc.* XXII. 23. Sed quod ad anxietatem illam animi in qua erat, credidit nihil obstare quo minus ab ea, si Patri placeret, liberari posset. Alii tamen putant Jesum petiisse ut mortem non subiret, quia Apostolus dicit, *cum in diebus carnis suæ, cum clamore valido & lacrymis, preces supplicationesque obtulisse ad illum qui poterat ipsum salvum facere à morte, Heb.* V. 7. Ubi ad preces in horto fusas procul dubio respicit. Sed responderi potest, voces istas σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου, non significare ut Pater efficeret ne mortem subiret, sed ne in illa maneret & desereretur. Quod etiam impetravit. Nam Deus Jesum à morte suscitavit, *& non permisit sanctum suum videre corruptionem*; sicque eum ut petierat vere à morte servavit. Nam Apostolus ibidem addit, *ipsum exauditum fuisse à metu*, id est, impetrasse ne in illud malum quod metuebat incideret. Non fuisset autem exauditus, si petiisset ne mortem subiret. Verumtamen quia vox *calicis* seu ποτηρίον nunquam alibi in hoc significatu usurpata invenitur, sed interdum pro morte, ut *Matth.* XX. 22, 23. *Joan.* XVIII. 11. non impedio quo minus de morte in precibus Christi accipiatur. Quod nihil de laude perfectæ ipsius obedientiæ delibaret. Nam sic ostendit solum carnem suam, quæ, ut cæterorum hominum, infirma erat, à sensu dolorum & crudelis mortis abhorrere; sed tamen animum habere paratum, ad id omne quod Patri visum esset ferendum, cum sic preces suas concludat, *non, quod ego volo, sed quod tu vis, fiat.*

VII. Quæritur 3. Quid sibi velit illud quod Lucas dicit; *cap.* XXII. 44. cum Christus in agone constitutus esset, & intentius oraret, *factum fuisse ejus sudorem sicut grumos sanguinis descendentes in terram.* Ad quod respondent aliqui, id non esse impossibile ut sudor sanguineus naturaliter emittatur. Et Maldonatus super hunc locum, refert id suo tempore contigisse Lutetiæ homini alicui valenti qui ad mortem damnatus erat. Cum enim sudor nihil aliud sit nisi pars sanguinis aquosa, in venis contenta, fieri posse ut in iis, qui corpus rarioris habent contexturæ, in magno aliquo animi angore una cum aqua illa etiam sanguis effluat. Alii tamen existimant sudorem istum non fuisse vere sanguineum, quia Euangelista id non dicit aperte, sed tantum quod sudor ejus fuerit ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος, id est, *quasi grumi*, vel, *sicut grumi sanguinis*: quod significare posset sudorem istum fuisse spissiorem, adeo ut ejus guttæ accederent ad crassitiem sanguinis coagulati. Quicquid sit, apparet habuisse aliquid, si non supernaturalis, saltem extraordinarii, quod ex vehementi illo animi angore, de quo supra dictum, processit. In tali enim casu solet corpus sudore diffluere, ut in morientibus videre est.

VIII. Quæritur 4. An conveniens fuerit unigenito Dei Filio, ut ab Angelo se minore confortaretur? *Luc.* XXII. 43. Respondeo: Quid ni? præsertim in illo statu in quo *propter passionem mortis minor factus est Angelis? Hebr.* II. 7, 9. Hic tamen videtur esse ὕστερον πρότερον, & id quod narrat *Lucas versu* 44. de sudore Christi sanguineo, præcessisse id quod dicit *versu* 43. de Angelo ipsum confortante. Nam omnis ista animi perturbatio qua agitabatur, per Angeli alloquium penitus sine dubio est sublata. Nihil autem magis decebat quam ut Deus Angelum mitteret de cœlo, qui ipsum de precum suarum exauditione certum redderet, & ad propositum sibi agonem fortiter sustinendum animaret. Similia enim officia Angelos alias ipsi præstitisse ex historia Euangelica liquet, ut *Matth.* IV. 11. *Joan.* XII. 27, 28, 29. Et sic impletum est id quod discipulis prædixerat, *Deinceps videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei adscendentes & descendentes super Filium hominis, Joan.* I. 52. Cur autem Jesum Deus non potius per Spiritum Sanctum perpetuo in ipso residentem, quam per Angelum corroborarit, nulla alia videtur fuisse causa, quam ut melius hominem cæteris per omnia similem esse constaret.

IX. Interea dum hæc fiunt, accesserunt hostes Jesu Christi ad eum comprehendendum. Dux illorum fuit Judas, *unus* XII *discipulorum, qui noverat locum in quem solebat convenire, Joan.* XVIII. *v.* 2. Prodidit autem osculo, quod dederat in signum facinoris istius exsecutoribus; *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete illum, Matth.* XXVI. *v.* 48. Quod procul dubio magnopere animum Jesu perculit, & fuit instar pugionis quo ejus cor transverberaretur. Unde pathetica ista allocutio, *Juda, osculo Filium hominis prodis? Luc.* XXII. 48. Si hostis tale quid fecisset, nihil miri aut insoliti in eo fuisset. Quis enim ab hoste, aliud quam hostile exspectet? Sed prodi à discipulo, & à domestico, quem tibi tot tantisque antea beneficiis devinxeris, prodigii simile est; præsertim osculo, quod amoris & benevolentiæ signum esse solet, immane odium occultante.

X. Hoc signo dato, ministri Sacerdotum qui cum fustibus & armis adversus Jesum prodierant, se ad ipsum capiendum accingunt: Jesus vero ut ostenderet se non coactum aut ullo modo invitum in eorum manus venire, ultro illis obviam procedit & interrogat: *Quem quæritis?* & dicentibus illis, *Jesum Nazarenum*, respondet, *Ego sum.* Quorum verborum divina virtute, instar fulminis icti, *abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram, Joan.* XVIII. 4, 5, 6. Documento illis, nisi plane excæcati fuissent, ut ab eo manus temperarent, quem tanta potestate armatum sentiebant. Sed nihilo-

nihilominus pergunt in proposito. Jesus vero iterum nomen suum aperte profitens, iis se capiendum tradit: sed cum mandato in discipulorum gratiam, *Si me quæritis, sinite hos abire*, *Joan.* XVIII. *v.* 8. ut palam faceret, se non minus facile posse manus eorum evadere, si libuisset, quam tutos præstare discipulos. Tunc Petrus temerario ausu evaginat gladium ad ipsi succurrendum, *& auriculam servo Pontificis abscindit.* Sed Jesus reprimit eum, dicens, *Mitte gladium tuum in vaginam: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt; calicem quem dedit mihi Pater, nonne bibam illum? Matth.* XXVI. 51, 52. *Joan.* XVIII. 10, 11. *Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum, Luc.* XXII. 51. Illi vero neque ad secundum hoc miraculum attendunt, ut ejus auctorem revereantur. Tunc discipuli omnes Christum deserunt, ut vitæ suæ consulant. Nondum enim erant apti ad veritatem Euangelii sanguine suo obsignandum. Et Deus noluit ipsos cum Christo pati, ne partem aliquam putarentur habuisse in generis humani redemptione quam morte sua procuraturus erat. Unde Esaias mystice de eo prædixit, *Torcular calcavi solus; nam ex gentibus nullus vir mecum, cap.* LXIII. 3. Adde quod Apostolorum opera uti decreverat ad salutarem istam doctrinam toto orbe prædicandam, antequam pro illa mortem paterentur.

CAPUT X.

De iis quæ Christus passus est Hierosolymis in aula Pontificis, & in prætorio Præsidis.

I. *Christus deducitur ad Hannam, & inde ad Cajapham.* II. *Petrus ter Dominum abnegat.* III. *Qui Christus hanc abnegationem prædicere potuerit.* IV. *Petrum nobis præbere speculum infirmitatis humanæ, & Christum benignitatis divinæ.* V. *Servorum Pontificum petulantia adversus Jesum.* VI. *Interrogatur Christus à summo Pontifice, & à ministro percutitur.* VII. *Falsi testes adversus eum quæruntur.* VIII. *Adjurante Pontifice, & Christo confitente, blasphemiæ damnatur.* IX. *Contumeliose rursus excipitur à servis.* X. *Traditur Pilato.* XI. *Accusatur, sed sine probatione.* XII. *Christus ab Herode, ad quem Pilatus eum miserat, illuditur.* XIII. *Judæi Barrabam vinculis solvi, & Christum cruci affigi postulant.* XIV. *Pilatus Christi flagellatione Judæorum animos lenire satagit, sed frustra.* XV. *Uxoris Pilati somnium.* XVI. *Pilatus Christum crucifigendum tradit.* XVII. *Et qua hora mortis sententia in eum lata fuerit, tertia ne ut Marcus, an vero sexta, ut Joannes narrat.*

I. ITa Christus fuit vinctus, & ex horto illo suburbano Hierosolymam abductus, ubi multa gravia & ipso indigna perpessus est, tum nocte tota, antequam in judicio compareret, tum interdiu in judicio ipso. Primum raptatus fuit ad Hannam Cajaphæ Pontificis maximi socerum; sive quod illius ædes primo occurrerent in via iis qui Christum captivum ducebant; sive quod honoris causa primo illum perfundere lætitia vellent, ob eum quem summe oderat captum. Utrum ibi examinatus fuerit, non satis liquet ex historia Euangelica. Joannes quidem, antequam meminerit abductionis Jesu ad Cajapham, dicit Pontificem interrogasse ipsum de discipulis & de doctrina. Sed hic videtur esse ὕστερον πρότερον, aut dicendum foret Hannam Pontificis nomine appellari; quod mihi verisimile non est, cum paulo ante fuerit ab illo expresse distinctus. Itaque res eo ordine gesta fuisse videtur quo narrant reliqui tres Euangelistæ, qui nulla Hannæ facta mentione, (quia forsan Jesus non fuit diu apud eum detentus, aut nihil singulare ibi contigit) dicunt Jesum abductum fuisse ad Cajapham, in cujus ædes Scribæ & Seniores convenerant, seu magnum illud Concilium ex LXX judicibus constans, quod Sanedrin, voce ex Græco συνέδριον corrupta, recentiores Hebræi vocarunt.

II. Inter multa autem memoratu digna, quæ ibi evenerunt, primo loco abnegationem Petri collocabo; quia etsi prima omnino non fuerit, non magno tamen intervallo Christi illuc ingressum secuta est. Petrus ergo cum partim amore erga Christum, partim curiositate exstimulatus, ipsum usque in aulam summi Pontificis comitatus esset, & alterius discipuli Pontifici noti (Joannis nempe, ut putatur) intercessione intromissus, interrogante ancilla num esset Christi discipulus, illud abnegavit; rursusque alia idem quærente, secundo negavit; postremo quodam Pontificis servo, illius cui Petrus absciderat auriculam cognato, asseverante se ipsum in horto vidisse, tertio, & quidem cum juramento, & sui ipsius exsecratione, se hominem novisse negavit. Et tunc gallus secundo cecinit; ut impleretur Christi prædictio, *Antequam gallus bis cantaverit, tu me ter abnegabis, Marc.* XIV. 30. Et istud quoque Petri factum graviter Christi animum vulneravit: quamvis enim à malitia, ut Judæ proditio, ortum non fuisset, sed ex infirmitate & mortis metu; tamen fœdum erat, discipulum, præsertim qui majorem cæteris constantiam jactaverat, tam subito officii & promissi sui oblivisci; ideoque non poterat quin Jesum male haberet, & vulneribus ejus instar aceti exacerbantis esset.

III. Quo autem fundamento nixa sit prædictio abnegationis Christi, & quidem tam accurata, cum omnibus suis circumstantiis, ardua est quæstio, & solutu difficilis. Nec illi commode se expedire videntur, qui dicunt lapsum istum Petri à Deo fuisse decretum justo suo judicio, ad puniendam ejus temeritatem, quod de viribus suis tantopere sit confisus; nam capi satis non potest, quomodo Dei sanctitati conveniat quemquam ad tale facinus destinare; nec quomodo tantum fuerit in facto inevitabili peccatum, ut id lacrymis amaris deflere Petrus debuerit. Ideo alii respondent, D. Jesum ex intime perspecto Petri animo & infirmitate, collegisse quid his vel illis tentationibus objectis facturus esset; & oportuisse tantum ut Deus Petrum ad tempus sibi relinqueret, & ita rem dirigeret ut ipsi occurrerent ancil-

ancillæ & servi, qui Christi discipulum esse affirmarent. Sed, dices, prædictio abnegationis non fuisset ita omnino certa & infallibilis, quia Petrus ad Dei opem poterat confugere, qui eam petenti denegaturus non fuisset. Respondeo: Si Deus constituerat auxilium suum Petro imploranti non recusare, prædictio lapsus ejus infallibili præscientiæ innixa non fuit, sed pro conditionali comminatione haberi debet, qua denunciabatur quid ipsi eventurum esset, nisi summo sibi studio caveret. Unusquisque eam quam volet ex his duabus postremis opinionibus amplectatur.

IV. Ut autem in Petro speculum habemus infirmitatis humanæ, cum Deus aliquem sibi relinquit, nec auxilio in tentatione fulcit; ita in Christo benigne ipsum post tam gravem lapsum respiciente & officii admonente, videmus eum esse verum generis humani Servatorem, *qui venerit quæsitum & servatum quod perierat*, *Luc.* XIX. 10. *arundinemque quassatam non confringat, & linum fumigans non extinguat*, *Matth.* XII. 20. Quamvis autem Petrus in illo paroxysmo, qui brevis fuit, fidem non amiserit, utpote *pro quo Christus ipse oraverat ne fides ejus deficeret*, *Luc.* XXII. 32. non sequitur tamen Christum absque amissione fidei jam abnegari posse.

V. Sequuntur injuriæ Christo illatæ ab iis qui vinctum adduxerant, antequam judicio sisteretur. Nam interea dum dies illucesceret, *velaverunt ipsum & percusserunt in faciem, per ludibrium interrogantes, prophetiza, quis te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum*, *Luc.* XXII. 63, 64, 65. Marcus autem *cap.* XIV. & Matthæus *cap.* XXVI. istud paulum alio ordine narrant, quasi demum contigisset postquam Jesus ut blasphemiæ reus à Concilio Sacerdotum & Seniorum damnatus fuisset. Sed quia circumstantiæ quædam ab illis annotantur à Luca prætermissæ, forsan inde non male concludetur ipsos de diversis rebus agere, & Christo sæpius, tum ante tum post judicium ab ista hominum fæce illusum esse. Quod erat plane contra omnium bene constitutorum tribunalium ordinem, ubi magistratuum servis ne minimum quidem licet adversus reos, nisi ex peculiari eorum quibus subsunt jussu; præsertim antequam judicati fuerint, & sceleris convicti. Istud vero quod in improbissimorum etiam causis observatur, in Domino Jesu insuper habitum est ne ullum esset afflictionum genus, in quod fideles incidunt, quod ipse non subierit; ut mali non ignarus miseris succurrere disceret: & in exemplum martyribus & aliis qui justitiæ causa persecutionem patiuntur, ne mirum putent si eodem cum ipsis modo quo cum Servatore nostro agatur, & ut patientiam ipsius imitari discant.

VI. Dominum Jesum in judicio comparentem *Pontifex interrogavit primo de doctrina & de discipulis*, *Joan.* XVIII. ad quod cum respondisset, *interrogandos potius fuisse illos qui ipsum audiverunt, quia nihil clam, sed publice semper in Synagogis & in templo locutus erat*, alapa ei fuit impacta ab uno ex ministris assistentibus, dicente, *Sic respondes Pontifici?* Ad quod D. Jesus reposuit, *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* *Joan.* XVIII. 19, &c. graviter ejus nequitiam isto dilemmate redarguens. Et sane Jesus non peccaverat respondendo, sed Pontifex potius interrogando. Iste enim processus alienus à forma judiciorum lege præscripta, & vulgo apud Judæos in aliis causis observata; nimirum ut primo audirentur testes, deinde interrogaretur reus, an testimonia illorum vera esse fateretur. Nemo enim seipsum tenetur accusare, ut natura docet, & Jurisconsulti consentiunt. Quod hic præcipue fieri debebat, ubi non agebatur de crimine aliquo clam perpetrato, sed de doctrina publice millenis aliquot hominum audientibus prædicata; adeo ut facillimum esset Jesum convincere, si falsum quicquam aut impium docuisset. Intererat autem ad innocentiam D. Jesu manifestandam, ut se defenderet. Nam si tantam injuriam dissimulasset, videri potuisset eam commeritus, & non cum ea qua debebat reverentia Pontifici respondisse: quod longe à vero aberat.

VII. Cum vero res sic ex voto hostibus Christi non succederet, ad alias se artes convertunt. Magno labore quærunt testes, qui aliquid afferant unde prætextum haberent ipsum morte damnandi. Sed aut non inveniunt, aut eorum quos inveniebant testimonia non erant paria seu congruentia. Nimirum nemo nisi falso crimen aliquod innocenti objicere poterat. Quamvis enim isti homines parum de justitia essent solliciti, speciem tamen ejus captabant, ut sanctitatis suæ existimationem apud populum illibatam conservarent. Itaque quod dicunt Euangelistæ ipsos falsos testes quæsivisse, ad intentionem eorum occultam referri debet, non quod aperte id profiterentur. Tandem duo se offerunt qui testantur, *Hic dixit*, *Possum destruere templum Dei, & post triduum ædificare illud*, *Matth.* XXVI. Vel, ut Marcus, *cap.* XIV. refert, *Ego dissolvam hoc templum manu factum, & triduo aliud non manu factum ædificabo.* Et verisimile est unum hoc modo, alterum vero illo testatum esse; cum dicatur neque hæc testimonia paria fuisse. Sed præterquam quod improbe trahebant ad templum Hierosolymitanum, quod figurato loquendi genere de corpore suo dixerat, ut videre est *Joan.* II. & verba ejus pervertebant, quasi dixisset se destructurum templum; cum tantum significare voluisset, fore ut si Judæi illud destruerent, ipse intra triduum erigeret: neque tamen sic videbatur sufficiens testimonium ad eum morti adjudicandum. Unde mirum non est si D. Jesus nihil ad illud responderit: refutatione enim erat indignum, cum ne criminis quidem speciem haberet.

VIII. Postremo igitur Pontifex adjurat eum in nomine Dei, ut dicat, num sit Christus, nempe ille olim Israëlitico populo promissus Rex. Et hic Jesus non amplius silet, tum ob nominis

minis Dei per quod adjurabatur reverentiam, tum quod res ipsa requireret ut aperte quis esset profiteretur. Nam si id non fecisset, viderentur qui eum damnarunt aliquam peccati sui excusationem habituri. Itaque non solum confitetur se esse Christum; sed etiam ut terrorem incuteret adversariis, & conscientiam ipsorum sopitam excitaret, *ipsos aliquando visuros dicit Filium hominis* (istum videlicet, qui coram iis judicandus comparebat) *sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*; nempe ad judicandum mundum, & pœnas scelerum ab ipsis reposcendas. Sed hypocrita ille, quasi blasphemiam audivisset, lacerat vestimenta; cum tamen si ad opera Jesu attendisset, ex illis confessionis istius veritatem agnoscere potuisset. Et quia lex *Levit.* XXIV. 10, &c. blasphemos interfici jubet, totius Synedrii sententiam rogat, quid ipsis de Jesu confessione videretur? non dubitans quin statim reum mortis ex suo præjudicio pronunciaturi essent. Quod etiam accidit, & princeps vitæ ab illis morte damnatus est. Documento nobis, nullum esse tam illustre concilium, quod aliquando graviter in fide errare non possit.

IX. Hac autem blasphemiæ sententia Sacerdotum ministri frænum sibi laxatum putantes, nullo non contumeliæ genere exceperunt D. Jesum, conspuentes ejus faciem, alapas impingentes, bacillis cædentes, & per ludibrium facie ei velata dicentes, *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Matth.* XXVI. 67. *Marc.* XIV. 65. Ad quæ omnia *tamquam ovis coram tonsore muta, & agnus ad occisionem ductus, obmutuit, & os non aperuit, Esa.* LIII. 7. & nobis insigne mansuetudinis & patientiæ reliquit exemplum, 1 *Petr.* II. *v.* 21, &c.

X. Restabat ergo ut sententiam quam pronunciarant executioni mandari curarent. Sed quia, ut ipsi confitentur *Joan.* XVIII. 31. *non licebat ipsis interficere quemquam*, conferunt se ad Pilatum Judææ Præsidem à Tiberio Cæsare constitutum, ut ab eo aliam sententiam condemnatoriam, quæ effectum sortiatur, adversus Jesum extorqueant. Adducunt Jesum ex aula Cajaphæ in prætorium Pilati, in quod tamen ingredi non audent ne contaminarentur, & non possent comedere Pascha. Ubi vide hypocrisin palpabilem. Metuunt contaminari, si ingrederentur in prætorium, quod tamen lege non prohibebatur, sed sola majorum constitutione; & non metuunt polluere manus & conscientias suas effusione sanguinis innocentis, quod erat horrendum scelus & vindictam ad Deum clamans. Sic facto suo comprobantes quod Jesus iis antea objecerat, *ipsos excolare culicem & camelum deglutire, Matth.* XXIII. 24.

XI. Pilatus gratificaturus eis prodiit ex prætorio, ut audiret quid adversus Jesum afferrent. Ipsi vero cœperunt illum accusare, dicentes, *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram; & prohibentem tributa dare Cæsari; & dicentem se Christum Regem esse, Luc.* XXIII. Ubi tria habentur accusationis capita, quorum duo priora plane calumniosa erant; tertium verum, sed in alienum sensum, ad odium Domino Jesu conflandum, detortum. Quam falsum sit eum Judaïcam gentem subvertere studuisse, ex eo apparet, quod præco esset pœnitentiæ, & homines à peccatis ad vitæ sanctimoniam, facta spe veniæ & beatitatis cælestis, traducere niteretur. Istud enim erat ædificare, non subvertere. Nec minus falsum erat alterum, ipsum prohibuisse ne Cæsari tributa darentur. Contrarium patet ex illa insigni sententia, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo, Matth.* XXII. 21. Ad hæc crimina probanda quæsierunt testes, sed frustra. Innocentia ejus adeo erat spectata, ut inveniri non possent, etiam in corruptissimo populo, duo aut tres qui contra eam aliquid consentientibus suffragiis afferrent. Unde cum Pilatus eis diceret, *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* nihil aliud habuerunt quod responderent, quam istud, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, Joan.* XVIII. Volentes credi autoritati suæ, quia testimoniis destituebantur idoneis, quibus illum convincerent; quod Pilatus ipse quam iniquum esse censeret non obscure indicavit, cum indignabundus eis dixit, *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum, versibus* 29, 30, 31. Et quod attinet ad tertium crimen, interrogatus à Pilato, *num esset Rex Judæorum*, præclaram illam confessionem edidit quam celebrat Paulus 1 *Timoth.* VI. *v.* 13. *Regnum meum non est de hoc mundo, &c. ibid.* Quibus auditis Pilatus exiit ad Judæos & dixit, *Ego nullum invenio in eo crimen.* Satis pro sapientia sua animadvertens ejusmodi regnum, quale Jesus sibi asserebat, Cæsaris imperio nihil officere.

XII. Præses interea audito Jesum esse Galilæum, & cupiens, ut videtur, judicii istius invidia se exonerare, misit eum ad Herodem Galilææ Tetrarcham, qui tunc Hierosolymis erat, propter Paschæ festum instans, ut videtur, judicandi illum si vellet, potestatem faciens. Sed neque Herodes istud sibi assumere curavit, & Jesum prius ludibrio habitum, quod neque sibi responderet quicquam, neque ullum coram ipso miraculum ederet, ut curiositati ejus satisfaceret, veste alba indutum, ut regni candidatum, ad Pilatum remisit. Quæ etiam non parva fuit dolorum Christi accessio.

XIII. Pilatus Jesu recepto, aliud ad eum liberandum excogitat. Moris erat inter Judæos, ut in festo Paschatis, in memoriam, ut putant, liberationis ex servitute Ægyptiaca, captivus aliquis vinculis & mortis pœna eximeretur. Eis igitur proponit, utrum malint sibi dimitti, Jesum an vero Barrabam, qui latro erat & homicidii reus. Judicabat enim illos maleficum, latrocinio & tumultus excitati infamem, nec non cædis manu perpetratæ manifestum, Christo innocenti nunquam præhabituros, & hac ratione Jesum liberum fore. Illi vero persuasi à Sacerdotibus & Senio-

Senioribus, pudenda plane electione, quam merito iis Petrus exprobrat *Actor.* III. 14, 15. sceleratum istum sancto & justo prætulerunt, & ut Christus crucifigeretur postularunt.

XIV. Præses studens Jesum morte liberare, & male errans qui ex suo sensu animos Judæorum metiebatur, jussit virgis eum cædi, totoque corpore lacerum & sanguine madentem ac manantem Judæis ostendit, dicens, *Ecce homo*; ut eorum animos miserando hoc spectaculo leniret, aut crudelitatem exsaturaret, ne porro mortem ejus urgerent. Talem enim Pilati mentem fuisse apparet ex Joanne; ubi si alios Euangelistas respicias, videri posset ex consuetudine Romana Jesum virgis cecidisse, ut postea morti traderet. Sed revera tergiversabatur, &, ut aliquid daret urgenti populo, in flagellationem Christi consentit, quasi veri ex reo extorquendi causa, sed ut ad miserationem accusatores commoveret. At ne sic quidem iis satisfecit; ita ut hæc verbera, tantum ad aggravationem supplicii cesserint. Interea milites, Præsidene jubente, an tantum permittente, incertum, æquis sane oculis id totum spectante, miris modis per petulantiam ei illudunt, alapas infligunt, coronam è spinis contextam capiti ejus imponunt, veste purpurea amiciunt, & ambitiosa veluti vota per ludibrium exprobrantes, genu in terram demisso ei dicunt, *Ave Rex Judæorum.* Quæ omnia incredibili cum patientia tolerat, & ne verbulo quidem contra obmurmurat.

XV. Pater vero illustre adhuc testimonium Filii sui innocentiæ præbere volens, & de ea Pilatum convincere, in somno ejus uxorem ita afficit & terret, ut viro suo pro tribunali sedenti, miserit aliquem qui diceret, *Nihil tibi & justo illi; multa enim passa sum hodie in somniis propter eum*, *Matth.* XXVII. Ridiculum enim est quorundam commentum, somnium hoc ad Diabolum referentium, volentem impedire redemptionem generis humani per mortem Christi. Quasi is tum temporis primum novisset, quantam cladem hæc hostia piacularis imperio suo esset allatura, qui paulo ante id ignoraverat: alioquin enim non immisisset in cor Judæ ut traderet eum. Triste igitur somnium fluctuantem Præsidis animum obfirmat, & accusatoribus persuadere nititur, ut per ipsos mitius sibi cum Christo agere liceat. Sed nulla istic auris patebat æqua suadenti.

XVI. Cum igitur clamore & tumultum prope spirante fremitu populi pulsaretur; & Judæi importunius urgerent, & subinde intonarent, *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris*, &c. hoc ultimo ariete quassatus, tandem eis morem gessit, & metuens gratia Cæsaris excidere, se ad eum damnandum accinxit, cujus innocentiam optime perspectam habebat. Sed antequam sententiam pronunciaret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens, *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* Ita volens testatum omnibus, se ad faciendum cogi, à quo animus quam maxime alioqui abhorrebat. Sed frustra lavat manus, cujus mens habet piacula. Nec aliter sane cogebatur; nisi quia magis hominem mortalem, quam Deum immortalem verebatur. Populus respondet, *sanguis ejus sit super nos & super filios nostros.* Quæ imprecatio effectum suum, quadraginta post annis, in excidio Hierosolymorum & totius gentis Judaïcæ abunde sortita est, *cum tanta tribulatione, qualis non fuit ab initio mundi, eo usque, & futuris seculis non erit*, ut ipsis vaticinatus fuerat Christus *Matth.* XXIV. 21. Imo videtur durare in hunc usque diem in miseram illam gentem, quam ira Dei ubique locorum fere persequitur. Non quod Deus proprie ab iis repetat pœnas sceleris majorum suorum, cujus sint puri; id enim non convenit cum eo quod ipse testatur *Ezech.* XVIII. *filium non portaturum iniquitatem Patris, sed animam quæ peccaverit morituram:* sed quia perseverantes in impietate patrum suorum, Christum ejusque sanctissimam religionem odio habent, & ita se gratia Dei magis ac magis indignos reddunt. Tunc Pilatus Christum ad mortem damnat, & crucifigendum eis tradit. Quo supplicii genere mancipia, & aliæ ejusmodi viles animæ apud Romanos interfici solebant. Jesum autem id subire oportuit, *ut factus pro nobis maledictio, nos à legis maledictione redimeret, quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno*, *Gal.* III. 13. ex *Deut.* XXI. 23.

XVII. Sed antequam cum lugentium & plangentium turba, Servatorem ad montem Calvariæ sequamur, aliquid dicendum est de hora qua hæc contigerunt: siquidem non exigua hac de re est controversia: Marcus enim *cap.* XV. 25. dicit: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* At Joannes id trihorio serius contigisse narrat. *Erat autem*, inquit ille *cap.* XIX. 14. *parasceve Paschæ, hora quasi sexta*, cum Pilatus nimirum pro tribunali sedens, Judæis de Christo dicit: *Ecce Rex vester.* Quam apparentem ἀντιλογίαν cum interpretes aliqui solvere non possent, putarunt esse mendum in alterutro Euangelista à librariis admissum, qui pro vocibus integris contenti fuerint literas numerales appingere. Itaque vel in Marco pro *tertia hora*, legendum, *sexta*; vel contra in Joanne, loco *sextæ*, reponendam esse *tertiam.* Sed hoc est nodum secare, non solvere. Et periculosum est eo confugere, præsertim in summo omnium codicum consensu. Dordraceni interpretes in annotationibus ad hæc Euangelistarum loca, existimant Joannem Romanorum morem in numerandis horis secutum esse, qui à media nocte, ut nos hodie, eas numerare inciperent. Marcum vero Judaïco more esse locutum, qui primam diei horam in ortu solis collocant. Sed istam conciliandi Euangelistas rationem non possum approbare. Nam *primo* videmus eos ubique in sua historia consuetudinem Judaïcam in recensendis horis observasse, ut *Matth.* XX. in parabola operariorum; præcipue Joannes, ut multa Euangelii ejus loca fidem faciunt, exempli gratia, *cap.* I. 39. IV. 6, 52. & XI. 9. Afferunt quidem

dem ex *cap.* xx. 19. hæc verba, *Cum ergo sero esset die illa prima Sabbathorum.* Ubi Joannes dies more non Judaïco sed Romano numerasse videtur; cum secundus dies hebdomadis inciperet Judæis ab occasu solis, qui diem resurrectionis Domini excipiebat, quem ex testimonio Euangelistarum constat prima die resurrexisse. Verum non satis constat ex hoc loco Joannem aliter quam more Judaïco dies numerasse; cum tempus in confinio duorum dierum positum, æque commode ad præcedentem adjungi, quam ad sequentem trahi potuerit. Neque probabile est Judæos in populari sermone, statim ab occasu solis novum diem numerare cœpisse; sed potius totum illud spatium quod effluebat quousque se cubitum conferrent præcedenti diei deputasse. Sed quicquid hac de re sit, dico *secundo*, pro certo sumi quod nullo modo probari potest, Romanos nimirum aliter tunc temporis horas numerare solitos fuisse quam Judæos. Contrarium patet ex Martiale, Joannis Euangelistæ συγχρόνῳ, qui *lib.* IV. *Epigram.* 8. ita dici horas distribuit,

Prima salutantes, atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies lassis, septima finis erit, &c.

Consuetudinis vero quæ hodie obtinet nulla mentio facta invenitur inter Romanos, aut alios populos, ante 300 à Christo nato annum. Addo tertio eandem difficultatem manere, si hanc Euangelistas conciliandi rationem sequamur. Quia æquinoctii tempore quo Dominus Jesus est passus, sol more nostro, à media nempe nocte numerandi initium faciendo, oritur hora sexta, & quæ Judæis est tertia ab ortu solis, nobis est nona. Quare longe probabilior mihi videtur illorum conciliatio, qui observant apud Joannem non dici, *horam fuisse sextam*, sed ὡσεὶ, id est, *quasi*, aut *ferme sextam*; quæ loquendi ratio istud cum aliqua extensione accipiendum esse indicet. Et eodem quoque modo Marcum exponi posse cum tertiæ horæ meminit, ita ut ad se invicem magis accedant, quam si præcise istæ horæ sumerentur. Præterea in historia Passionis mentionem tantum fieri, tertiæ, sextæ & nonæ horæ, nullam intermediarum, quod illæ celebres essent apud Judæos propter preces publicas & sacrificia, ut videre est *Actor.* III. 1. & x. 3, 9. adeo ut quæ circa illa contingerent, ad aliquam istarum horarum referri solerent ab iis, quibus circa minutias scrupulose hærere inconsultum videbatur.

CAPUT XI.

De Christi Crucifixione.

I. *Christus crucem suam bajulans ad locum supplicii deducitur.* II. *Medius inter duos latrones crucifigitur.* III. *Sol obscuratur.* IV. *Tunc impleta fuisse verba Psalmi* XXII. Foderunt, *&c.* V. *Christi vestimenta dividuntur.* VI. *Unus latronum ei convitiatur.* VII. *Alter admirabilem fidem in Christum testatur.* VIII. *De ignorantia Christum crucifigentium pro quibus Patrem oravit.* IX. *Et an omnes eorum veniam obtinuerint.* X. *De siti Christi, & his ei potum fuisse oblatum.* XI. *Christi sollicitudo pro matre & discipulo.* XII. *De consummatione omnium.* XIII. *Christum ingenti cum clamore Spiritum suum Patri commendasse.* XIV. *De scissione veli,* XV. *Terræ motu,* XVI. *Et multorum sanctorum resurrectione.* XVII. *Quis miraculorum istorum fructus fuerit.*

I. CHristus ergo damnatus ducitur ad locum supplicii extra urbem Hierosolymam, ubi facinorosos morte plectere solebant. Quod non sine providentia Dei factum, ut id quod sacrificiorum legalium typo adumbratum fuerat impleretur. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra; propter quod & Jesus, ut sanctificaret per sanguinem suum populum, extra portam passus est, &c. Hebr.* XIII. 11, 12, 13. Moris autem erat inter Romanos, secundum quorum legem Jesus ut majestatis reus ad mortem crucis erat condemnatus, ut facinorosi crucem cui affigendi erant per mediam urbem gestarent, ad augendam eorum ignominiam. Sed quia ipse sub pondere fatiscebat, utpote qui totam præcedentem noctem insomnis inter varias corporis vexationes egerat, primo ex monte olivarum Hierosolymam in vinculis tractus, deinde ex ædibus Hannæ ad Caipham ductus, exinde in prætorium ad Pilatum, mox à Pilato ad Herodem, & ab Herode rursus ad Pilatum missus; coëgerant quendam Simonem Cyrenæum, obvium sibi factum cum ex agris rediret, ut in cruce bajulanda Jesum adjuvaret. Interea vero dum ad supplicium ducitur, sequebatur eum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Ipse autem de aliena non de sua salute sollicitus, hortatur mulieres istas ut impendentes sibi & filiis suis gravissimas calamitates potius quam suas deflerent, addita hac ratione, *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Luc.* XXII. Proverbiali loquendi formula, qua per viride lignum, id est, germinans & nondum succisum, intelliguntur justi, qui instar frugiferarum arborum ubertim bonorum operum fructus proferunt, & per aridum injusti, qui ut malæ arbores & mortuæ nullos aut malos fructus edunt: Et sensus est, si ego qui justus sum & plane insons talia patior, quid vobis qui estis peccatores & multis vitiis inquinati expectandum erit? Secundum id quod Petrus dicit 1 *Epist.* IV. *Si justus vix salvatur,* (nempe ab hujus vitæ calamitatibus) *impius & peccator ubi comparebunt*? id est, quanto minus illas effugient.

II. Cum pervenisset Jesus ad locum supplicii, medius inter duos latrones crucifixus est, quasi antesignanus & qui eos improbitate anteiret; ut hac etiam in parte impleretur id quod *Esaia* LIII. prædictum est, *cum sceleratis reputatus est*. Pilatus apposuit cruci hunc titulum, *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*; Quem noluit mutare, etiamsi à Judæis urgeretur; procul dubio ex speciali provi-

 dentia

dentia Dei, qui ea ratione impietatem Judæorum, Regem & Servatorem suum interimentium, palam omnibus facere volebat. Tres enim linguæ quibus conscriptus fuit, Hebræa, Græca & Latina, erant tunc temporis Hierosolymis celeberrimæ; nullusque ibi commorabatur cui una saltem illarum non esset cognita. Sed non propterea magis consecratæ fuerunt cultui divino quam aliæ, quasi illicitum esset mysteria Euangelica lingua alia quam una ex illis tribus celebrare. Scriptum est enim, *Omnis lingua confitebitur Deo*, *Rom.* XIV. 11. ex *Esa.* XLV. De gravitate supplicii crucis non est opus multis agere. Lipsius ea de re peculiarem conscripsit libellum, quem consulent quibus id libuerit. Certum est omnium fuisse acerbissimum & crudelissimum inter ea, quæ sive apud Judæos sive apud Romanos erant usitata; præsertim quia non cito necabat ut cætera; adeo ut qui robustiores erant, dies aliquando duos aut tres in cruce penderent, antequam animam exhalarent: quod erat visu horrendum spectaculum. Dominus Jesus postquam in ea tres horas affixus fuisset, nempe à sexta usque ad nonam, spiritum suum Deo Patri reddidit; quod Pilatus cum audivisset ex Josepho Arimathæo tanquam insolitum admiratus est, nec credere potuit nisi postquam sibi à centurione esset confirmatum. Sed Deus charissimi Filii miseratus acerbos dolores, citius ex illis ipsum per mortem eripuit, quam alias ordinarie in ejusmodi supplicio contingebat.

III. Interea autem dum in cruce esset, tenebræ fuerunt super universam terram, nempe non tantum Judaïcam, sed etiam alias adjacentes Romani imperii provincias, densissimis ut videtur nubibus radios solis intercipientibus. Non enim fuit eclipsis naturalis, quæ per interpositionem lunæ inter solem & terram contingere solet. Nam id fit tantum in novilunio. Tunc autem cum Christus patiebatur erat plenilunium; nempe decimus quartus dies mensis Nisan, Paschatos celebrationi destinatus. Quod Dionysius Pseudo-Areopagita refert de ea in epistola ad Polycarpum, fabulosum est; *se cum esset Heliopoli una cum Apollophane Philosopho, vidisse nec opinato cum se luna soli objiceret, & rursus in locum suum rediret*. Si quid enim tale accidisset, id sacri nostri Scriptores & alii qui istarum tenebrarum meminerunt, non reticuissent. Voluit autem Deus hoc ostento testimonium reddere innocentiæ Jesu, quam exinde agnovit centurio qui supplicio præfuit; & significare quanta esset tum cæcitas, tum improbitas Judæorum, & quam graves eam calamitates essent subsecuturæ. Et ita implere id quod prædictum est *Amos* VIII. *Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis; & convertam festivitates vestras in luctum*, &c. Per tenebras enim significatur tum ignorantia & malitia, tum calamitates.

IV. Quomodo Christus fuerit crucifixus Euangelistæ non exponunt. Sed id colligitur evidenter ex verbis Thomæ apud Joannem *cap.* XX. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, &c. non credam*. Quæ indicant Jesum non fuisse in cruce funibus alligatum aut suspensum, ut aliquando fiebat, sed clavis ferreis per manus & pedes ejus adactis, illi affixum. Unde quanta fuerit supplicii istius immanitas, facile est mente concipere. Seorsim autem uterque pes asserculo transversario, qui totum pendentis corpus sustinebat, duobus clavis infigebatur, non uno conjunctim, ut vulgo à pictoribus depingi solet. Et hoc est quod prædictum legimus *Psal.* XXII. ubi David tanquam Christi figura dicit, *Foderunt manus meas & pedes meos*. Verumtamen iste locus à nullo Apostolorum Jesu Christo applicatur. Et non exigua etiam difficultas exoritur ex eo, quod aliter in Hebræo textu legatur. Ibi enim non exstat vox כָּרוּ quæ significat *Foderunt*, sed כָּאֲרִי, id est, *quasi leo*. Judæi ergo tam præclaram prophetiam Christianis extorquere nitentes, Hebræi textus urgent auctoritatem, & ex ea controversiam istam dirimi volunt. Christiani contra asserunt eum fuisse à Judæis corruptum, sive data opera, ne ex eo infidelitatis convincerentur; sive fortuito, propter affinitatem quæ est inter ו & י literas; unde facile fieri potuerit ut librarii minus attenti unam pro altera usurparint. Et nituntur eo, quod non tantum vulgata versio Latina legat, *Foderunt manus meas*, &c. sed etiam LXX. habeant ὤρυξαν τὰς χεῖράς μου, quæ idem significant. Illos ergo in codice quo usi sunt legisse *Caru* sive *Caaru*, per epenthesin literæ א, non *Caari*. Et magis illis esse fidendum, quam Judæis qui post Christi tempora vixerunt, & in ejus odium locum istum in alium sensum traxerunt. Præterea versionem LXX. & vulgatam Latinam habere sensum longe commodiorem eo quem Hebræus textus hodiernus suppeditat. Non posse enim satis capi, quomodo hæc verba, *quasi leo*, cum serie orationis cohæreant. Quæ faciunt ut lectio, quæ plerisque Christianis placet, mihi probabilior etiam altera videatur. Sed tamen nollem cuiquam esse auctor ut illam in disputatione contra Judæos urgeret, cum alia ratione ipsorum incredulitatem impugnare possimus; sufficiantque nobis loca à Sacris Novi Fœderis scriptoribus ex veteri usurpata.

V. Cum autem Christus vestibus suis fuisset exutus ut cruci affigeretur, interea dum in ea pendet, milites (ipso haud dubie vidente & audiente) eas inter se dividunt. Sed quia inter alias gestaverat etiam tunicam acu textam & inconsutilem, quæ lacerata nulli usui fuisset, forte experiuntur cui ea cederet. Et id quoque non sine directione Dei, ut impleretur id quod in eodem *Psalm.* XXII. habetur, *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. Quod tanto securius asseverare possumus, quia locus iste diserte huic rei à *Matth.* XXVII. 35. & *Joan.* XIX. 24. applicatur. Interea autem dum Christus in cruce pendet, illuditur ei ab omni hominum genere, Sacerdotibus, Scribis, populo, militibus, dicentibus,

tibus, *Descendat nunc de cruce si Filius est Dei, & credemus in eum.* Sed consilium Dei non erat ut eo modo liberaretur, verum alio longe illustriori, nempe per suscitationem ex morte; quod fuit miraculum multo majus eo quod petebant.

VI. Quia autem Matthæus & Marcus scribunt, etiam latrones qui cum D. Jesu crucifixi fuerunt illi convitiatos esse; quæritur an ille quoque, cujus conversionem narrat Lucas, ei fuerit ab initio convitiatus, & postea in momento & per miraculum omnino immutatus? Respondeo: Id mihi non fit verisimile. Et puto Euangelistas cum dixerunt etiam latrones cum Christo crucifixos ipsi fuisse convitiatos, noluisse id utrique tribuere; sed ita tantum locutos, ad ostendendum ex ipsis latronibus, supplicii ejus comitibus, non defuisse aliquem qui scommatis suis eum impeteret: prout loquitur Apostolus *Hebr.* XI. 33. dicens, *quosdam per fidem obturavisse ora leonum, & versu sequente* 37. *sectos fuisse*; cum tamen primum soli conveniat Danieli, alterum soli Esaiæ, quem historiæ Judæorum serra medium fuisse dissectum regis Manassis jussu tradunt. Quamvis autem non sit difficile Deo alicujus hominis cor ita potenter afficere, ut eum in instanti in alium plane hominem transformet, nihil tamen cogit nos id nunc factum credere, cum sit à consueta ejus agendi ratione alienum. Et circumstantiæ hujus historiæ videntur omnino requirere, ut dicamus latronem conversum, jam antequam cruci affigeretur aliqua Christi cognitione fuisse imbutum. Auditis enim socii blasphemiis, *increpabat eum, dicens, Neque tu times Deum, quia in eadem damnatione es?* Atqui si paulo ante Jesum blasphemasset, seipsum quoque in hac reprehensione comprehendere debebat; & verisimile est omnino, ipsum præcedentem suam in Christum impietatem confessurum & detestaturum fuisse, sicut & peccata propter quæ cruci affixus fuerat. Deinde addit, *Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit.* Unde autem ei constabat de Christi innocentia, nisi quia eum olim docentem audiverat, & miracula ipsius viderat? Et verisimile est ejus conversionem jam diu, antequam comprehenderetur ob vitæ præteritæ scelera, inchoatam fuisse. Aut si eum post auditum Christum crimen aliquod morte dignum dicamus admisisse, potuit in carcerem conjectus ad animam revocasse doctrinam quam antea ex Christo audiverat & contempserat, & ex illius meditatione ad fidem & meliorem frugem esse conversus; quod ostenderit fructibus pœnitentiæ, quales in illo statu in cruce pendens edere ei dabatur; nimirum increpatione socii, & testimonio publice reddito innocentiæ Christi.

VII. Sed quod admirationem auget, istud est, quod latronis hujus fides longe Apostolorum fidem superaverit. Cum enim omnes Christum deseruissent, Petrus etiam ipsum abnegasset, & duo illi discipuli Emmauntem proficiscentes, veluti omni spe quam de eo conceperant abjecta dicerent, *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israël*, *Luc.* XXIV. 21. Hic contra eum regem aperte profitetur; *Domine* enim, inquit, *memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Unde apparet quam fœde illius exemplo abutantur, qui conversionem suam usque ad extremum vitæ halitum differunt, sperantes se eandem cum ipso gratiam per fidem in Christum consecuturos; nullus enim hodie, ex quo Jesus resurrexit & exaltatus est in gloriam, similem isti latroni fidem, aut quæ ad ejus excellentiam aliquo modo accedat, habere potest. Quare mirum non est, quod tam gratiosum accepit responsum; *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Ubi si per habitationem in Paradiso intelligatur fruitio æternæ beatitudinis, prout accipi videtur 2 *Cor.* XII. 4. & *Apoc.* II. 7. ego putarim voculam *hodie* conjungendam esse cum præcedentibus, ut legatur continua serie, *Amen dico tibi hodie*, nimirum ad majorem suæ asseverationi emphasin tribuendam; ut videmus Mosem loqui *Deut.* XXX. 11, 15, 18, 19. & alibi. Nam cælestis gloria & beatitudo nemini promittitur in Scriptura S. ante ultimum diem, 2 *Tim.* IV. 8. *Tit.* II. 13. 2 *Petr.* III. 12, 14. 1 *Joan.* III. 2. *Hebr.* XI. 39. Sed si Paradisi vocem quis accipere malit pro loco quietis, in quo animæ fidelium detineantur in custodia Dei usque ad ultimum resurrectionis diem, quo unientur iterum suis corporibus, & beatitudo earum consummabitur, non repugnabo quin comma apponatur post voces, *Amen dico tibi*, & sequentes, *hodie mecum eris in Paradiso*, uno spiritu legantur.

VIII. Hic non sunt omittendæ Christi preces pro crucifigentibus se; *Pater, dimitte illis; nesciunt enim quid faciant*, *Luc.* XXIII. 34. Ubi notandum est *primo*, ipsum non orare tantum pro militibus Romanis, Pilati ministris & carnificibus; quos mirum non est ignorasse quanto se scelere astringerent, cum essent Ethnici, & à vera religione alieni: Sed etiam pro Judæis, qui hoc ei supplicium procuraverant; quales erant præcipue Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi; deinde universus populus, qui clamabat, *Tolle, crucifige.* Et quod ad illos attinet, quæri potest quomodo D. Jesus ita illorum culpam extenuet, ut dicat eos nescire quid faciant, cum tota passionis historia testetur, eos ex mera malitia peccasse. Ad quod respondeo, hæc non pugnare omnino inter se, ut quis ex malitia peccet, & simul ignorantia aliqua ejus peccato sit admixta. Id in istis hominibus videre est. Satis erant de innocentia Jesu persuasi, & nihil ipsum morte dignum admisisse; sed propter rationes politicas eum ad mortem persequuntur, *Si finamus eum ita*, (inquiunt) *omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Item, *Expedit nobis ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat*, *Joan.* XI. Pilatus similiter, qui examine facto, nihil in eo compererat mali quod mortem esset commeritum, nihilominus Cæsaris metu damnat eum; quod erat etiam grande scelus. Auctoritate enim sua eum protegere debuerat; cum gladius

dius à Deo traditus sit magistratui non minus ad protectionem innocentum, quam ad punitionem sceleratorum. Ista ergo à malitia excusari non possunt. Sed quæ tamen ignoratione aliqua erat comitata, in aliis majore, in aliis vero minore. Unde Christus dicebat Pilato, *Qui me tradidit tibi*, nempe summus Pontifex, vel Senatus Judæorum, *majus peccatum habet*, *Joan*. XIX. 11. nimirum quia minus in iis erat ignorantiæ quam in Pilato. Et tamen de illis quoque testatur Paulus, *Si principes hujus seculi cognovissent sapientiam Dei, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, 1 *Cor*. II. 8. certumque est illos, specie Jesu humili deceptos, ipsum pro Messia seu rege sibi promisso non agnovisse. De reliquo populo id multo magis constat, qui cæco zelo in eum insurgebat. Unde Petrus eis ad spem veniæ faciendam dicebat, *Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri*, *Actor*. III. 17. etiamsi enim istorum hominum ignorantia, præsertim tam crassa, non sufficeret excusando huic peccato, tamen ejus gravitatem minuebat & vim aliquomodo infringebat. Quare Christus tanquam misericors Pontifex pro iis apud Patrem intercedit.

IX. Sed *secundo*, cum non dubium sit quin Christus semper in precibus suis fuerit exauditus, *Joan*. XI. 42. quæritur, an omnes Christi crucifixores istius criminis veniam à Deo impetrarint? Respondeo: Minime; multi enim eorum in incredulitate manserunt, ac proinde sub ira Dei. Quales illi fuerunt, qui milites pecunia corruperunt, ut de resurrectione Christi tacerent, & qui ejus Apostolos postea persecuti sunt. Item quibus exprobrabat *Matth*. XII. 31. ipsos in Spiritum S. blasphemare, & istam blasphemiam nunquam remissum iri. Pro iis enim qui peccant ad mortem frustra oratur, 1 *Joan*. V. 16. quia decretum de ipsorum condemnatione jam ratum est, & non amplius revocari potest. Imo qui pro iis oraret, certus eos tali peccato teneri, videretur Deo obsistere, & ipse reum se peccati reddere. Christus etiam non oravit absolute Deum ut eis veniam largiretur, quomodocunque se gererent; id enim ab Euangelii legibus alienum est; sed tantum ne subito eos è medio tolleret, prout meriti erant, sed tempus pœnitentiæ eis concederet, ut ad saniorem mentem redire possent. Quod etiam eum impetrasse apparet ex dilatione excidii Hierosolymitani, in quo insanabiles Judæi perierunt, quadraginta annos post Christi mortem, multi autem alii interea agnita sua culpa ad Christum conversi fuerunt, non tantum ex plebe, *Actor*. II. 41. & IV. 4. verum etiam ex Sacerdotibus, *Actor*. VI. 7. Adeo ut cum Paulus postremo venisset Hierosolymam, Jacobus ei diceret, multas ibi Judæorum esse myriades qui credidissent, *Actor*. XXI. 20. Qui si antea in Christi mortem assensissent, (ut de plerisque verisimile est) conversionem suam & salutem istis precibus totam debuerunt.

X. Cum autem jam aliquamdiu Jesus inter dirissimos cruciatus pependisset, dixit, *Sitio*, *Joan*. XIX. 28. Quod nonnulli accipiunt de metaphorica siti, qua humani generis salutem sitiebat, id est, vehementissime desiderabat, veluti sitientes potum. Et quin ea accensus fuerit nullum est dubium. Antea enim etsi maxime esuriens repudiaverat cibum, ut alienam salutem promoveret, adjecta hac ratione, *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, & perficiam opus ejus*, *Joan*. IV. 34. Sed tamen certum est ipsum etiam siti corporea & proprie dicta laborasse, quæ procedebat ex immanitate supplicii crucis, & ex eo quod magnam sanguinis copiam per manuum & pedum vulnera emisisset. Notum enim est sitim solere ingentes sanguinis evacuationes comitari. Sed, inquies, quæ ergo est mens Joannis, cum refert Jesum dixisse, *Sitio, ut consummaretur Scriptura*? An sitis hæc ipsum eo fine invasit ut Scriptura impleri posset? Respondeo: Nequaquam. Illud ἵνα non denotat finem, sed eventum, ut sæpe alibi, & idem est quod ὥστε. Vide *Matth*. XXIII. 35. *Luc*. XIV. 10. *Rom*. V. 20. Nihil igitur aliud sibi vult, nisi sitim Christi dedisse occasionem impletioni loci alicujus Scripturæ ad ipsum respicientis. Hic autem locus exstat *Psalm*. LXIX. *v*. 22. *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. Quod non nisi allegorico sensu de Davide exponi potest, sed ad literam in Jesum quadrat. Ubi ad meliorem hujus loci intelligentiam notandum est, bis Christo patienti potum oblatum esse. *Primo*, ut videtur, antequam cruci affigeretur, & ipso non petente. Narrat enim Matthæus, D. Jesu, cum venisset in supplicii locum, *datum fuisse vinum cum felle mistum, & cum id degustasset noluisse bibere*, XXVII. 35. Marcus vero dicit, *Dederunt ei bibere vinum myrrhatum*. Quæ sibi invicem non contradicunt. Matthæus enim respiciens ad amarorem potus Christo præbiti, dicit fuisse vinum cum felle mistum. Solent enim vulgo amara omnia cum felle conferri. Marcus vero id quod factum est proprie & absque tropo enarrat. Obtulisse autem videntur Christo hunc potum ex more erga eos qui cruci affigebantur observato; vel ut accelerarent eorum mortem, quia myrrha vim habet sanguinis attractivam, & efficiebat ut citius ex venis apertis efflueret; vel ut turbarent ipsorum cerebrum, & sic gravissimorum dolorum sensum aliquatenus imminuerent; quasi ad parendum præcepto quod habetur *Prov*. XXXI. 6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo*, &c. Sed dices, si hoc sibi in Christo proposuerint, id potius fuit commiserationis erga ipsum, quam crudelitatis indicium; cum tamen David in *Psal*. LXIX. id afferat ad exaggerandum hostium erga se immanitatem. Ita est. Sed nihilominus magna fuit & inexcusabilis Judæorum erga Christum crudelitas, quod ipsum innocentem, imo optime de se omnibus meritum, ad tam miserandum statum redegissent, ut poculo isto myrrhato ei opus esset, quod aliis sceleratissimis ex commiseratione

ratione quadam exhibebant. Ipse vero (ut narrant Euangelistæ) eo degustato noluit bibere, quia agnovit quo tenderent, & jam ad omnium etiam graviſſimorum & maxime diuturnorum cruciatuum patientiam animum obfirmaverat. *Secundo*, cum jam diu cruci affixus manſiſſet, & ſe ſitire ſignificaſſet, propinatum eſt ei acetum ex ſpongia calamo hyſſopi ſeu potius roſmarini (hyſſopus enim quibuſdam eſt *Ezob* Hebraïcum, 1 *Reg.* IV. 33. quod putant ſignificare *libanotum* ſeu *roſmarinum*, quo Judæi utebantur pro aſpergillo) alligata, quæ ori ipſius fuit admota. Sed alio fine, ut videtur, nempe tantum ut ſitim, quæ graviter cruciabat, aliquatenus levarent, vel ut eum adverſus deliquium animi erigerent & firmarent, quaſi vellent expectare an Elias, ad quem confugiſſe putabant, ipſum eſſet erepturus. Quicquid ſit, utroque iſto facto impletum fuit iterum, & quidem illuſtrius, id quod in Davidis typo olim præſignificatum fuerat; ut appareat ſpecialem Dei providentiam ſe ad minimas uſque paſſionis Chriſti circumſtantias, & quæ alias fortuitæ videri poterant, extendiſſe.

XI. De exclamatione illa, *Deus mi, Deus mi, cur me deſeruiſti?* aliquid antea diximus, & oſtendimus ea non ſignificari Jeſum infernales cruciatus in anima ſenſiſſe, neque invitum aut reluctantem quicquam eorum quæ paſſus eſt ſuſtinuiſſe. Idque hoc loco nobis ad alia properantibus ſufficiet. Poſſet etiam hic aliquid annotari, de cura quam Jeſus matris geſſit, eam commendans diſcipulo quem præ cæteris peculiari amore complectebatur, (id eſt, Joanni, ut apparet ex *cap.* XXI. *v.* 20. & 24. inter ſe collatis,) & dicens, *Mulier, ecce filius tuus*; qui nimirum te tanquam filius matrem (loco mei qui abeo) omni cultu & obſervantia proſequetur: diſcipulo vero illi, *Ecce mater tua*, id eſt, fœmina quam tanquam matrem dilectam tractare debes. Ubi elucet D. Jeſu erga matrem inuſitata charitas; quod ne in mediis quidem illis adeo acerbis cruciatibus, quæ omnes ſenſus & animi facultates ita occupare ſolent, ut ad alia ferri naturaliter vix queant, ejus memoriam non abjecerit. Ab alia vero parte S. Virginis pluſquam materna erga dilectum filium στοργή, quod ejus cruciatuum & ignominiæ ſpectatrix eſſe ſuſtinuerit, à quibus vulgo omnes aliæ matres ſe ſubducere & oculos avertere ſolent. Sed nimirum oportebat etiam illud impleri, quod Simeon olim infantem Jeſum ulnis geſtans prædixerat; *Hic eſt poſitus in ſignum cui contradicetur, & tuam ipſius animam* (Maria) *pertranſibit gladius*, *Luc.* II. 34. Si enim hoc unquam factum, ut Mariæ anima doloribus acerbiſſimis tanquam acuto gladio tranſverberaretur; id certe tum fuit, cum filium in cruce pendentem & omnium contumeliis expoſitum conſpicata eſt. In Joanne vero habemus exemplum promptæ obedientiæ, Mariam ab illa hora in domum ſuam recipiente, & filiali amore ac reverentia proſequente.

XII. Tandem (ut refert Joannes) cum Jeſus acetum ori admotum guſtaſſet, dixit, *Conſummatum eſt.* Antea vero retulit, *ipſum ſciviſſe omnia jam conſummata eſſe*, id eſt, mox conſummanda, præterito tempore propter certitudinem & proximitatem eventus accepto pro futuro; veluti cum in inſtitutione S. Cœnæ dicebat, *Hic eſt ſanguis meus qui pro multis effunditur*; id eſt, brevi effundetur. Iſtud autem tam late non debet extendi, prout à quibuſdam fit, quaſi in morte Chriſti omnia quæ ad ſalutem generis humani pertinent penitus eſſent conſummata, & nihil amplius reſtitiſſet faciendum. In morte quidem erant conſummatæ omnes ipſius paſſiones; ſed reſtabat adhuc triumphus de morte per reſurrectionem & aſcenſionem in cœlos peragendus, ſine quo mors Chriſti nihil nobis profuiſſet, imo potius ad deſperationem ſalutis adduxiſſet: utpote illo à morte abſorpto, qui ad nos ſalvandos venerat. Peculiariter ergo videtur applicandum ad quaſdam prophetias & typos, qui de Chriſti paſſionibus in Veteri Teſtamento reperiuntur; qui debebant impleri ut veritas omni ex parte umbris & figuris reſponderet. Id quod evincitur ex eo, quod Euangeliſta conſummationis iſtius meminerit occaſione prophetiæ *Pſalm.* LXIX. de Chriſto felle & aceto potando.

XIII. Ultimo, *Jeſus clamans voce magna, ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, & hæc dicens expiravit*, *Luc* XXIII. 46. Ubi quidam iſtum clamorem vehementem putant profectum ex ultimo naturæ conatu, quæ tum maxime cum opprimitur recolligere vires ſuas ſolet, & morti, à qua abhorret, quantum poteſt obſiſtere; veluti aliquando videmus lucernam cum conſumta eſt & jam jam exſtinguenda, majorem ex ſe lucem ſubito vibrare. Sed ſublimius aliquid hic fuiſſe ex eo non obſcure conſtat, quod refert Marcus, centurionem qui ex adverſo ſtabat, videntem quia ſic clamans expiraſſet, dixiſſe, *Vere hic homo Filius Dei erat.* Nam quamvis Matthæus & Lucas iſtud centurionis dictum ad omnia miracula quæ mortem Chriſti comitata ſunt, de quibus poſtea, extendunt, id non impedit quin peculiariter animum reflexerit ad iſtum clamorem. Non enim eſt inuſitatum ſacris iſtis ſcriptoribus, ut alius alio diligentius ſingulares quaſdam rerum quas narrant circumſtantias aliquando recenſeat. Hic ergo centurio, qui Chriſti ſupplicio præfuit, omnia quæ tunc contigerunt tanquam vir cordatus non oſcitanter conſiderans, animadvertit ipſum integris adhuc viribus fuiſſe cum clamando expiravit, ac proinde id ſine miraculo, velut alia quædam quæ illic obſervaverat, fieri non potuiſſe. Nimirum in eo videtur impletum id quod Jeſus ipſe dixerat antea, *Nemo tollit animam meam à me; ſed ego pono eam à me ipſo; & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo*, *Joan.* X. 18. In ultimis autem iſtis Chriſti verbis quæ ita alta voce pronunciavit, etiam Davidem, tanquam paſſionum ſuarum figuram, ſibi præeuntem habuit,

 qui

qui in magna angustia constitutus dicebat, *In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis*, *Psalm.* XXXI. 6. Veluti enim David spiritum suum, id est vitam, ne sibi eriperetur ab inimicis, protectioni divinæ commendabat; ita D. Jesus quoque spiritum suum, paulo post sibi restituendum in resurrectione, in manus Patris deponebat. Exemplo iis, *qui patiuntur secundum voluntatem Dei, ut ipsi tanquam fideli creatori commendent animas suas in benefactis*, 1 *Petr.* IV. 19. Stephanus vero protomartyr Jesum in gloria ad dextram Dei stantem conspicatus, ei quoque spiritum suum commendavit, dicens, *Domine Jesu, suscipe spiritum meum*, *Act.* VII. 59. Unde discimus perinde esse nunc, sive Patri, sive Filio, qui omnem in cœlo & terra potestatem est adeptus, aliquis animam suam resignet. Neque in isto tantum martyrii casu, sed etiam in quocunque mortis genere. Cum enim spiritus hominis exiens è corpore, redeat ad Deum qui dedit illum, *Eccles.* XII. 7. quid æquius esse potest, quam ut fideles ipsi commendent illum, orantes ut sibi in resurrectione justorum depositum istud secundum promissiones suas reddere dignetur?

XIV. Sequuntur nunc consideranda miracula quæ mortem Christi comitata sunt, & de ejus innocentia, ac proinde etiam de veritate doctrinæ Euangelicæ quam annunciavit, ab ipso non confictam, sed à Deo acceptam, testimonium perhibuerunt. Præter tenebras illas quæ trihorium durarunt, de quibus antea, Matthæus tria alia aut etiam quatuor commemorat. *Primum* est, quod *velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum.* Intelligit autem illud quod *Hebr.* IX. 3. vocatur *δεύτερον καταπέτασμα*, *aulæum secundum*, quod dividebat locum sanctum in quo Sacerdotes sacris operabantur, à Sancto Sanctorum, in quod nemini licebat introire nisi summo Sacerdoti, idque semel in anno in festo propitiationis. Erat enim etiam aliud quod separabat atrium populi à loco sancto, & primum ingredientibus Sacerdotibus occurrebat. De utroque videre est *Exod.* XXVI. 31, 36. Utrum tamen in templo Salomonis murus an velum dumtaxat fuerit, quod Sanctum ab atrio populi separaverit, mihi non constat. Quid autem per istius veli scissuram significare voluerit Deus, non obscurum erit attendenti ad ea quæ *Hebr.* IX. 8. leguntur, *ostendisse Spiritum Sanctum* (nempe per velum quod separabat Sanctum à Sancto Sanctorum, & adeo rarum, unique summo Pontifici permissum in illud ingressum) *nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.* Nam Sanctum Sanctorum cœli erat imago, ut apparet ex *eod. versu* 24. *Non in manu facta sancta Jesus introiit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum*, &c. Et, *eo ingressus fuisse* dicitur *per velamen, id est, carnem suam*, *Hebr.* X. 20. Rupto ergo aulæo illo, innuebatur Jesum per suum sanguinem in cœlum viam sibi primum aperuisse, deinde cæteris omnibus fidelibus, quorum peccata sanguine isto pretioso essent expiata, secundum id quod Paulus docet *Rom.* III. 24, 25. Cum ista autem aulæi sacri scissura affinitatem habuit prodigium quod Josephus *belli Judaici lib.* VII. *cap.* 31. narrat antecessisse Hierosolymorum excidium, nempe Orientalem portam interioris templi, quæ erat ænea atque gravissima, adeo ut vix à viginti viris sub vesperam clauderetur, serisque ferro vinctis obseraretur, pessulosque altos haberet in saxeum limen demissos, uno perpetuo lapide fabricatum, visam esse hora noctis sexta sponte patescere. Et cum id magistratui per templi custodes annunciatum esset, eo venisse, & vix iterum potuisse claudi. Sed ipse dicit ita à prudentioribus fuisse acceptum, *quasi portenderet templi tutamen sponte sua dissolutum iri, & hostibus patefaciendas templi portas.* Quam conjecturam non vanam fuisse eventus docuit.

XV. *Alterum* est, quod terra fuerit commota; nimirum in Judæa & circumjacentibus regionibus solum. Nunquam enim terræ motus, sicut nec solis eclipses universales in toto orbe fuisse observatum est. Iste autem terræ motus portendisse videtur, non tantum ingentem illam mutationem, quæ per Euangelii prædicationem paulo post in magna orbis terrarum parte facta est; sed etiam iram Dei in gentem Judaïcam, quæ Filium ejus dilectum, ad salvandos homines missum, crudeliter interemerat. Istud enim per terræ motum aliquando significari apparet ex *Psalm.* XVIII. 8. *Joël.* II. 10. & III. 16. & alibi. Cum terræ autem motu fissas etiam fuisse petras dicitur, tanquam res connexa, seu ingentis illius motus effectum. Et ita utrumque simul conjunctum videmus *Psalm.* CXIV. 7, 8. Iram vero divinam etiam isto signo indicari apparet ex 1 *Reg.* XIX. 11. *Nahum.* I. 6.

XVI. *Tertium* est, quod *monumenta aperta sint. Quartum* quod *multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt*, &c. Quæ duo puto ita à se invicem distinguenda, ut monumenta quidem aperta sint eo momento quo Jesus spiritum suum emittebat, ad ostendendum vim vivificam in morte ejus esse, *Hebr.* II. 14. sed tamen sancti illi, quorum mentio fit, non ante ipsius resurrectionem excitati fuerint & è monumentis suis prodierint, ut appareret *Christum esse primitias dormientium*, seu *primogenitum ex mortuis*, ut vocatur 1 *Cor.* XV. 20. *Coloss.* I. 18. *Apoc.* I. 5. Meminit autem Matthæus corporum sanctorum, ne quis hic spiritualem seu metaphoricam resurrectionem imaginetur. Sed non inusitatum est tum in Scriptura, tum apud bonos auctores, homines integros sicut per animas seu spiritus, ita etiam per corpora intelligere. Exempla vide *Exod.* XXI. 3, 4. *Nehem.* IX. 37. Qui autem isti fuerint sancti moriente Christo excitati frustra quæritur, cum non libuit Spiritui S. id memoriæ mandare. Tantum dici potest probabiliter, videri fuisse aliquos qui non ita diu ante obiissent, & quorum memoria adhuc recens esset, ut facile agnosci possent. Non resurrexerunt autem in hanc mortalem vitam, ut

illi

illi quos Christus ante passionem suam suscitavit, filia Jaïri, filius viduæ Naim, Lazarus; sed in immortalem, ut essent comites triumphi Christi, & nunc cum ipso cælesti gloria & beatitudine corpore & animo fruantur.

XVII. Non sine fructu autem facta sunt hæc omnia miracula. Nam *primo* centurio, & qui cum eo erant custodientes Jesum, visis his quæ fiebant, *timuerunt valde, dicentes, Vere Filius Dei erat iste, Matth.* XXVII. Ubi duo iis tribuuntur animadversione digna, ingens timor & egregia de Christo confessio. Et quod ad timorem attinet, is quidem videtur fuisse solius pœnæ, quod hominem innocentem & Deo charissimum trucidassent, cujus cædem Deus severe vindicaturus esset. Nam quamvis isti milites ejus causæ principes non fuissent, sciebant tamen instrumentales non esse immunes à culpa. Et si ulterius non processerit iste metus, nulla dignus est laude. Sed ibi non constitit, saltem in quibusdam eorum, ex quorum ore modo recensitam confessionem expressit. Apud Marcum & Lucam, ea soli centurioni tribuitur, nempe quia aliis præivit exemplo, quod deinde (ut fieri solet) ipsi secuti sunt. Varie etiam refertur. Nam Matthæus & Marcus scribunt dixisse, *Vere hic homo Filius Dei erat.* Lucas vero, *Vere hic homo justus erat.* Et verisimile omnino est eum pluribus rem exaggerasse, & non unum tantum istorum, sed utrumque protulisse; adeo ut de alia Euangelistarum conciliatione nobis laborandum non sit. Sed paulo major difficultas in eo est, quo sensu Jesum esse Dei Filium dixerit. Cum enim Ethnicus esset, certum est ignoravisse illum mysterium arcanæ generationis Filii Dei unigeniti, & conceptionis ejus ex Spiritu S. quod paucis adhuc tunc temporis fuerat revelatum. Nec moris erat apud eos, ut quilibet viri boni filiorum Dei titulo honorarentur, ut in Sacris Literis fieri videmus. Crediderim ergo Jesum Dei Filium ab ipso vocatum esse, eodem modo quo Mercurius, Hercules, Bacchus, & alii similes, à poëtis Jove prognati vulgo dicuntur. In quo etsi magnus error fuerit, tamen ostendit eum nihil humile de Christo sensisse; perinde ut Lystrenses, qui *Barnabam vocabant Jovem, & Paulum Mercurium, Actor.* XIV. & Melitenses, qui *Paulum habebant pro Deo, Actor.* XXVIII. Nam sicut his præclara opinio de Paulo & Barnaba concepta, gradus fuit quo ad sublimiorem rerum divinarum cognitionem eveherentur; ita centurioni & ejus militibus ista de Jesu persuasio esse potuit. Solet enim Deus paulatim & per gradus homines ad sui notitiam & cultum trahere. Lucas addit, *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Ubi itidem magna in istis hominibus apparet consternatio & animi dolor. Forte ex metu impendentium pœnarum iis qui sibi conscii erant se in ejus mortem consensisse, Barrabam ei prætulisse, Pilatum ad eum condemnandum adegisse. In aliis vero, qui melius erga Jesum affecti erant, inde quod scirent Deum tantum scelus inultum non relicturum, eaque de causa magnas imminere toti Judaïcæ genti miserias & calamitates, quibus insontes non minus quam sontes (ut contingit in his publicis visitationibus) involvendi essent. Utrique vero ita præparati fuerunt, ad Jesum paulo post sibi annunciatum ab Apostolis fide amplectendum. Inde enim evenit, ut ad unam atque alteram Petri prædicationem tantus ad eum concursus factus fuerit, qualem narrat Lucas *Actor. cap.* II. 41. & IV. 4. Cujus laus etsi debeatur efficaciæ Spiritus S. se in Apostolis exerentis, indubium tamen est longe facilius in animos istis prodigiis terrefactos & mollitos penetrasse, quam alias futurum esset.

CAPUT XII.

De Christi sepultura, & descensu ad inferos.

I. *Cur Deus Christum sepeliri voluerit.* II. *Id procurasse per Josephum Arimathaeensem & Nicodemum,* III. *Qui ejus corpus in novo sepulchro reposuerunt.* IV. *Iis sanctas aliquot mulieres se adjunxisse.* V. *Quamdiu Christus in sepulchro remanserit.* VI. *Articulum descensus Christi ad inferos in antiquis symbolis olim non fuisse repertum.* VII. *Descensum localem animæ Christi in Limbum Patrum ex Scripturis non probari.* VIII. *Limbus ille Pontificius aliquot rationibus evertitur.* IX. *Respondetur loco* 1 *Petr.* III. *de spiritibus in carcere.* X. *Psalm.* CVII. *v.* 16. *de confractione portarum aerearum.* XI. *Zachar.* IX. 11. *De emissione vinctorum de lacu.* XII. *Philip.* II. *v.* 10. *de genu flexione inferorum.* XIII. *Hac phrasi non denotari dolores quales sunt damnatorum.*

I. MOrtem Christi secuta est ejus sepultura; in qua primo considerandum est, quem sibi finem Deus propositum habuerit; deinde quibus usus fuerit; & quamdiu in sepulchro remanserit. Quod ad primum spectat, necesse erat omnes esse plene persuasos de morte Christi. Nam si de illa non constaret, fides nostra quæ nititur ejus resurrectione esset vana, & frustra speraremus nos per ipsum aliquando à morte suscitatum iri. Nihil autem aptius erat ad nos certos reddendum Jesum esse vere mortuum, quam si palam & omnibus qui vellent inspectantibus in sepulcro conderetur, ibique inclusus per sufficiens tempus detineretur. Ita enim suspicio, quæ forte alicujus animum potuisset subire, de non satis explorata veritate ejus mortis, facile diluitur, nullusque amplius locus hæsitationi relinquitur; prout ex sequentibus patescet. Quo etiam refertur illud, quod Christi latus à milite, qui venerat ad frangendum ejus crura, lancea perfossum est, ut impleretur Scriptura, *Os non comminuetis ex eo, Exod.* XII. & ex vulnere *exivit sanguis & aqua*, ad indicandum cor fuisse vulneratum, & Christo ex hoc vulnere moriendum fore, si ante mortuus non fuisset. Joannes enim ut ostendat rem non esse levis momenti, dicit, *Et qui vidit, testimonium perhibuit*, &c. Nimirum hoc facto plene confirmatum

matum est, nihil plane vitæ in Jesu superfuisse. Deinde requirebatur, ut Christus nullius eorum expers esset quibus reliqui homines mortales obnoxii sunt, ut posset dici ipsum ad infimum usque gradum humiliationis descendisse. Tale autem esse sepulcrum constat, in quo mors captivos suos velut in arcto carcere detinet. Ad hæc duo igitur respexisse videtur Deus, cum Filium suum post mortis perpessionem sepulcro condi voluit.

II. Id autem procuravit per duos pios viros, Josephum Arimathæensem & Nicodemum, Senatores Judæorum, ante occultos Jesu discipulos. Ille fiducia sumta *introivit ad Pilatum & petiit corpus Jesu*, *Marc.* XV. nimirum ut cum honorifice terræ mandare posset. Ubi non immerito fiduciam Josephi commendat, qui tunc auderet se discipulum Christi profiteri, cum maxime periculosum esset, & reliquos magistri sui puderet. Pilatus autem vix credens Jesum jam obiisse, cum supplicium crucis non ita cito mortem afferret, & aliquando miseri homines in ea ad alterum aut etiam tertium diem vivi penderent; non prius voluit corpus ad sepulturam concedere, quam per alium de morte ejus certior esset redditus; (in quo illi Dei scopo de quo modo dicebam, inscius subserviit.) Accersito igitur centurione (nempe illo qui Jesu supplicio præfuerat, & omnia quæ ei acciderant non oscitanter observarat) interrogavit eum, an mortuus esset. Et cum rei veritatem ex illius ore cognovisset, Josepho petenti corpus Jesu ad sepulturam, id ei donavit. Is vero emta sindone munda detraxit ipsum è cruce & illa involvit. Dum vero in isto pio officio totus est occupatus, adjungit se ei comitem Nicodemus, (jam audacior factus quam cum nocte primum ad eum accesserat) ferens mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum, nullis parcens sumtibus ad condiendum illud & à putredine conservandum, prout moris erat in sepulturis principum & magnatum; Deo procurante ut ignominia mortis Jesu, honore exsequiarum aliqua ratione compensaretur; & id quod prædictum est *Esa.* LIII. 9. impleretur, *Christum cum divitibus datum iri in morte sua.* Quod tamen non impedit, quominus sepultura Christi, qua veluti sub imperio & carcere mortis detinebatur, pro infimo humiliationis ejus gradu sit habenda. Iste enim qualiscunque honos qui eam comitatus est, exiguum quid est respectu ignominiæ quam subiit in illo statu, ubi hominibus vulgaribus & nihil in se divinum habentibus exæquatus fuit. Isti ergo duo pii simul & divites viri conjunctis operis acceperunt corpus Jesu, & obvinxerunt illud linteis cum aromatibus à se paratis, antequam sepulcro conderent. Ubi superfluum est quærere, utrum ipsi soli totum istud ministerium obierint, an vero à servis suis fuerint adjuti. Nam *quod quis per alium facit, ipse facere censetur*, ut Jurisconsulti loquuntur. Et præterea, certum est ipsos præsentes fuisse, manus operi admovisse, & aliorum ministerio non fuisse usos ut se molestiæ vilis officii eximerent, sed tantum in iis quæ plurium simul opem & vires postulabant, ut in detrahendo corpore Jesu de cruce, & alio deportando; quæ ab uno aut duobus solum vix fieri potuissent. Ita ut auxilium quod à suis acceperunt, nihil omnino de laude charitatis ipsorum erga Jesum delibet aut minuat.

III. Depositus autem fuit in sepulcro novo Josephi, quod ipse sibi curaverat exscindi in petra, in horto non longe à loco in quo crucifixus fuerat Jesus remoto; quia instans festum Sabbathi, incipiens ab occasu solis (Jesus autem solum tres horas ante spiritum emiserat) non permittebat ut de alio cogitaretur. Et ibi condito abierunt, non absolutis iis quæ ad condituram requirebantur, quia tempore impediebantur. Et hic eluxit etiam Dei providentia, ut Christus in sepulcro novo conderetur, in quo nullus ante ipsum positus fuerat; ne dici postea posset, non ipsum resurrexisse, sed alium; aut eum aliena sanctitate fuisse suscitatum, prout ille qui conjectus fuerat in sepulcrum Elisæi, & tactis ejus ossibus revixit, 2 *Reg.* XIII. 21.

IV. Nec defuerunt sanctæ mulieres, quæ ad condiendum corpus Christi aliquid conferre voluerunt, nempe Maria Magdalene & Maria Jacobi & Salome, quæ ipsum ex Galilæa secutæ fuerant, & in cruce pendentem de longinquo aspexerant. Nam se contulerunt ad sepulcrum, & viderunt quomodo ibi positum esset corpus ejus. Indeque reversæ paraverunt aromata & unguenta, ut statim post elapsum Sabbathum se ad pollinciendum ipsum accingerent.

V. Quamdiu autem Jesus in sepulcro detentus fuerit jam videndum est. Id autem non difficulter colligi potest, ex collatione temporis quo animam exhalavit, & quo è mortuis resurrexit. Illud enim contigit circa horam nonam parasceves Sabbathi, seu diei Veneris, ut vulgo vocamus: hoc vero primo die hebdomadis, quem nos Solis diem dicimus, oriente sole. Quod comprehendit spatium triginta novem horarum, è quibus si duas demas, quæ ad minimum requisitæ fuerunt ut posset ex cruce detrahi, & sepulcro condi, supererunt triginta septem, quibus in sepulcro jacuit. Sed hic exsurgit non exigua difficultas, quomodo id conveniat cum prædictione ipsius, apud *Matth.* XII. 40. *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Multum enim abest quin 37 aut 39 horæ, impleant trium dierum & trium noctium tempus, quod 72 horis constat. Respondeo, hic esse synecdochen partis pro toto, tropum tam apud sacros quam apud profanos auctores usitatissimum. Sic apud Virgilium *Georg.* I. hora sumitur pro die integro; *Nunquam te crastina fallet hora*, id est, dies. Instabis; excludi synecdochen his vocibus, *Tribus diebus & tribus noctibus.* Respondeo: Minime. Nam per tres dies & tres noctes, nihil aliud intelliguntur nisi tria *νυχθήμερα*, ut Græci vocant, seu tres dies naturales,

naturales, secundum Astronomos, qui singuli quidem constant die & nocte; sed synecdochice tamen tria νυχθήμερα dici optime possunt, si modo aliquot saltem horas singulorum comprehendant. Id quod hic usu venit. Jesus enim tres ex die Veneris horas dormivit, deinde integrum sequens Sabbatum, postremo duodecim horas aut circiter diei Solis, qui hebdomadis primus est. Et sic concidit calumnia, quam ex hoc loco Judæi struere nituntur Christianis, quasi Domini Jesu prædictio minus vera fuisset, aut Euangelistæ non satis fideliter historiam istam recensuissent. Cæterum hinc animadverti potest, quo sensu Paulus dixerit, 1 *Cor.* XV. 4. *Christum sepultum fuisse & suscitatum tertio die secundum Scripturas.* Cum enim postrema ista verba, *secundum Scripturas*, non minus ad primum quam ad secundum membrum referenda videantur, non satis constabit, quomodo sepultura Christi in Scripturis Vet. Test. prædicta sit, nisi hic Jonæ typus, de quo modo dixi, eo referatur. Et sane is ita egregie Christi mortem, sepulturam & resurrectionem adumbravit, ut idcirco ea secundum Scripturas accidisse merito dici queat. Locus ex *Esa.* LIII. 9. supra citatus huc quoque referri potest; sed subobscurior est.

VI. Postremo hic nobis agendum *de descensu Christi ad inferos*, Græce κατῆλθεν εἰς ᾅδου, supple τόπον, vel εἰς τὰ κατώτατα, qui in vulgari Symbolo Apostolorum, quo utimur, sepulturæ adjungitur. Ejus tamen nulla mentio fit in plerisque Symbolis fidei antiquis. Ruffinus in Expos. Symboli, quæ legitur inter opera Cypriani, ita loquitur: *Sciendum sane est, quod in Ecclesiæ Romanæ symbolo non habetur additum, Descendit ad inferna. Sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo. Vis tamen verbi eadem videtur esse in eo quod sepultus dicitur.* Multi etiam Patrum nullam ejus in recitatione Symboli mentionem faciunt, ut Irenæus, Tertullianus, Augustinus, aliique. Imo neque extat in Symbolo concilii Nicæni & Constantinopolitani. Sed ex Symbolo Aquileiensis Ecclesiæ, ubi presbyterio fungebatur Ruffinus, videtur postea traductum fuisse in Ecclesiæ Romanæ Symbolum, quo passim nunc utuntur Christiani. Habetur etiam in Symbolo quod vulgo Athanasio tribuitur; sed ita ut omittatur articulus de sepultura; manifesto indicio id pro æquivalenti habitum fuisse. Et sane non absque gravi ratione. Vox enim Hebræa שאול, quæ proprie significat *sepulcrum*, vel in genere *locum & statum mortuorum*, solet à LXX Interpretibus reddi per vocem ᾅδης, & à Latina vulgata per *Infernum*; ut videre est *Genes.* XXXVII. 35. *Psalm.* VI. 6. & XXX. v. 4. *Esa.* XXXVIII. 18. Quare Petrus *Actor.* II. 27. applicans Christo ea quæ David *Psal.* XVI. scripserat, ita ejus verba refert, *Non derelinques animam meam εἰς ᾅδου, in inferno, nec dabis* (sive fines) *Sanctum tuum videre corruptionem.* Ad quem locum respexisse videntur illi, qui articulum *de descensu Christi ad inferos*, inseruerunt Apostolico, seu potius Ecclesiæ Romanæ, Symbolo. Descensus vero ille ad inferos est vel localis & proprie dictus, vel metaphoricus, vel idem est cum sepultura, vel statum mortis absolutissimum designat. Tres enim possunt status mortuorum gradus statui, quorum primus significatur voce *mortuus*, & est totius hominis; alter voce *sepultus*, & est cadaveris; tertius per *descensum ad inferos*, qui fit animæ.

VII. Inde autem natus est illorum error, qui postea interpretati sunt illud de descensu locali animæ Christi in quendam locum inferum, ubi detinerentur animæ veterum fidelium, qui ante ejus adventum diem suum obierant. Urgent quidem ista verba, *Non derelinques animam meam in inferno*, & putant non posse intelligi de sepulcro, quia animæ hominum post mortem non maneant inclusæ sepulcro una cum suis corporibus. Sed facilis est responsio. Nam in Scripturis non tantum per animam intelliguntur homines ipsi anima & corpore constantes, ut *Gen.* XLVI. 26. *Rom.* XIII. 1. sed etiam mortuorum cadavera, *Lev.* XIX. 21. *Super anima non incidetis carnes vestras.* & XXI. 1. *Ne contaminetur Sacerdos in animabus civium suorum.* & *versu* 11. *ad animam non ingredietur omnino.* Vide etiam *Num.* V. 2. VI. 6. & IX. 6. *Quidam erant immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo*, &c. Afferunt etiam illud *Eph.* IV. 9. *Quod autem ascendit, quid est quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Et dicunt inferiores partes non posse intelligi de sepulcro Christi, quod esset in superficie terræ, aut saltem non valde profunde. Respondeo 1. non satis constare, an Paulus per descensum Christi in partes inferiores terræ significare voluerit ejus sepulturam. Ex circumstantiis loci id evinci non potest. Et satis commode interpretari videntur, qui id referunt ad descensum Christi è cœlo, cum venit in terras ad homines annunciaturus eis Euangelium, de quo dicit *Joan.* VI. 28. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam*, &c. 2. Fac Apostolum respexisse ad statum Christi qui secutus est immediate ejus mortem, non propterea male de sepulcro accipietur. Non enim hic fiet comparatio inter partes terræ secum invicem, quarum aliæ propiores sunt superficiei, aliæ remotiores sunt ab ea, & ad centrum accedunt; quod respectu eorum qui in superficie terræ degunt, inferiorem locum obtinet. Sed erit oppositio inter cœlum & terram, quorum illud pro suprema mundi parte, hæc vero pro infima vulgo haberi solet. Ita David *Psal.* CXXXIX. 15. *Non fuit occultum corpus meum à te quando factus fui in occulto, varie compactus sum in imis terræ.* Atqui non fuit conformatus in centro terræ, sed in suprema ejus parte in utero matris suæ. Et *Esa.* XLIV. 23. *Lætamini cœli, quoniam fecit Dominus; jubilate inferiora terræ*; id est, non partes terræ vicinæ centro, sed terra tota quæ inferior est cœlo. Instant & dicunt, Jesum prædixisse, *Filium hominis*, id est seipsum, *fore in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, quemadmodum Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus*, *Matth.* XII. Sepulcrum autem in quo conditum fuit ejus corpus, non erat in meditullio terræ, sed non procul à superfi-

cie. Respondeo 1. Rem aliquam dici esse in corde & in medio alterius, non quæ profundissimum illius locum obtinet, sed quæ undiquaque circumdata est ab illa, in cujus corde seu medio dicitur esse inclusa. Tale erat sepulcrum Christi incisum in petra, in quod discipuli ut introspicerent inclinare se debebant, *Luc.* XXIV. 12. *Joan.* XX. 5. Sic *Ezech.* XXVII. 3. Tyrus dicitur in corde maris sita: Non quod in medio maris esset, (propinqua enim erat continenti) sed quod undique mari esset cincta, ut sunt Venetiæ. 2. Secundum sententiam eorum qui hac responsióne utuntur, Christus non fuit tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ, id est, in limbo Patrum, quem ipsi commenti sunt circa ejus centrum; sed ad brevissimum admodum temporis spatium. Dicunt enim illum ea ipsa die qua obiit ascendisse in cœlum, comitatum omnibus illis Patrum animabus, quas è limbo liberaverat, & latronis secum crucifixi, secundum promissionem ipsi factam, *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiso.* Statim igitur à morte in limbum ingressum esse, *contrivisse portas æreas & vectes ferreos confregisse*, ut dicitur *Psalm.* CVII. 16. & ereptis qui ibi detinebantur captivis, triumphantem extemplo inde abiisse in cœlum. Ita ut nulla cum specie eo trahere possint, quod Jesus prædixerat, *se fore tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ*: sed necessario illud nobiscum de ejus commoratione in sepulcro debeant interpretari.

VIII. Vero hujus articuli sensu asserto, non opus est multis adversus falsas aliorum expositiones disputare. Præcipue illa Pontificiorum, quam attulimus, mihi displicet. 1. Quia nulla fit in Scripturis mentio istius limbi infernalis in quem Christum ivisse dicunt à morte sua; nec inclusionis animarum fidelium in illo tanquam in carcere, ut opus fuerit Christum eo proficisci ad eas liberandum. Itaque is pro mero hominum commento habendus est. Non constat etiam satis de loco & statu animarum humanarum post ipsarum separationem à corpore. Tantum possumus dicere cum Solomone, *Eccles.* XII. 7. *Spiritum redire ad Deum qui dedit eum.* Quod etsi probari satis solide nequeat, peculiariter de spiritu fidelium esse accipiendum, imo longe verisimilius sit de omnibus indiscriminatim tam malorum quam bonorum spiritibus dictum esse, qui ad Deum tanquam anteactæ vitæ judicem redeant in morte; tamen nonnisi perabsurde de aliquo subterraneo carcere exponeretur, cum id phrasis ista, *Redire ad Deum*, non permittat. Et *Sap.* III. 1. legitur, *Justorum animæ sunt in manu Dei, & non tanget illas tormentum.* Qui liber quamvis sit pseudepigraphus & Apocryphus, tamen à Pontificiis pro Canonico agnoscitur. Manus autem Dei, ad quam non potest pertingere tormentum, non est carcer, qui est locus pœnæ. Ex parabola etiam divitis epulonis & Lazari, *Luc.* XVI. colligitur animas fidelium è corpore migrantes recipi in locum quietis & solatii, qui ibi metaphorica phrasi vocatur *sinus Abrahæ*; quasi pater iste fidelium, filios suos secundum spiritum, post hujus vitæ labores in sinum suum recipiat, ut ibi placide requiescant. 2. Fac animas veterum fidelium in aliquo ejusmodi limbo fuisse inclusas, nulla tamen causa fuisse videtur cur Christus secundum animam illuc descenderet. Non sane ut iis mortem suam annunciaret, & in illam credentes liberaret, quemadmodum nonnulli sentiunt. Nam supponuntur isti in fide cursum suum consummasse; ita ut non opus fuerit eis prædicare ad ipsos ad fidem adducendum. Et quamvis res aliter se haberet, tamen post mortem sera nimis foret pœnitentia. Si vero velint illic solas fidelium animas fuisse detentas, quæ est vulgarior sententia, potuerunt sane virtute divina liberari, ita ut nihil opus esset locali animæ Christi descensu; præsertim cum actiones sint suppositorum, & anima separata non sit proprie suppositum seu individuum humanum, sed altera tantum compositi pars. Ineptum est quoque id quod alii afferunt, Christum descendisse ad inferos, ut victoriam suam ostentaret Diabolo & impuris spiritibus. Nondum enim erat victor quamdiu sub morte detinebatur, sed tantum postquam de ea per resurrectionem triumphavit. 3. Si Christus in limbum descendisset ad liberandum inde animas, ista actio esset gloriosa & pertineret ad ejus exaltationem. Quod etiam sentiunt Pontificii Doctores, qui in expositione Symboli Apostolici & enumeratione articulorum ejus, hunc de descensu ad inferos, una cum resurrectione conjungunt. Sed tamen contrarium ordinem observat Scriptura, quæ descensum Christi ad inferos pro infimo humiliationis ipsius gradu habet. Vide *Actor.* II. 31. ubi Petrus applicans Christo verba Davidis, ex *Psalm.* XVI. inquit, *Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Et Paulus *Ephes.* IV. 9. *Illud adscendit, quid est nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terræ?* Quem locum, ut supra observavi, ipsi de descensu Christi ad inferos exponunt. Atqui si ita res habet, omnino is ad humiliationem ejus pertinet; prout etiam ex præcedenti liquet.

IX. Sed in contrarium objiciunt, Petrum 1 *Epist.* III. dicere, *Christum mortificatum carne, vivificatum autem Spiritu, per istum Spiritum etiam spiritibus qui in carcere erant profectum prædicavisse; olim immorigeris, quum semel expectabat Dei patientia in diebus Noë, cum appararetur arca.* Per carcerem enim istum putant intelligi limbum, & Christum in eum ingressum prædicasse animabus incredulorum captivis, eo fine ut illos qui prædicationi ejus credidissent inde liberaret & secum in cœlum abduceret. Et ad istud illustrandum afferunt id quod Petrus *sequenti cap.* IV. 6. dicit, *mortuis euangelizatum esse.* Alii tamen hunc locum de purgatorio malunt exponere quam de limbo. Ad quod respondeo 1. Si hæc expositio admittatur, nihil ergo facere locum istum pro limbo Patrum fido-

fidelium, ut Abrahami, Davidis & cæterorum: imo inde non posse colligi aliud, nisi Christum prædicasse incredulis illis qui vixerunt temporibus Noë; ita ut descensus ejus ad inferos nihil pertinuerit ad reliquos homines sive præcedentium sive subsequentium temporum. 2. Locum hunc valde esse obscurum, ac proinde non satis idoneum ad fulciendum dogma fidei controversum: idque apparere ex diversis interpretum, tam veterum quam recentiorum, expositionibus; & ex eo quod adversariorum nostrorum alii eum ad limbi, alii vero ad purgatorii defensionem afferant. Sensus ejus mihi videtur hic esse, Jesum postquam vivificatus esset spiritu, id est, virtute divina, (nam Spiritus est virtus altissimi, *Luc.* I. *v.* 35.) per istum Spiritum, Apostolis suis communicatum, ivisse & prædicasse Euangelium gentibus incredulis, à republica Israëlis alienis. Quod enim per Apostolos fecit, & quidem virtute divina à se instructos, merito ipsi tribuitur. Et in hunc sensum Paulus scribit, *Ephes.* II. 17. *Veniens* (nempe Christus) *euangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, & pacem iis qui prope*; ubi per illos *qui prope erant* intelligit Judæos, per eos *qui procul* Ethnicos. Constat autem ex historia Christum non aliter euangelizasse Ethnicis, quam per Apostolos, quos ad eos ablegavit; cum ipse nunquam toto ministerii sui in terris tempore fines Judææ excesserit. Ex eo vero quod Petrus dicat, *prædicatum fuisse spiritibus*, non sequitur id factum esse postquam homines isti obiissent, & animæ ipsorum ex corporibus suis excessissent. Nam per spiritus seu animos, per synecdochen partis, significari sæpe homines, omnibus notum est, & vel solus immediate sequens versus fidem facere potest, ubi dicitur, *octo animas salvas fuisse factas in arca*, id est, octo homines integros, corpore & anima constantes. Atqui, inquiunt, asseritur *istos spiritus fuisse olim immorigeros, cum semel expectaret Dei patientia in diebus Noë.* Ergo illud debet intelligi proprie de spiritibus à corpore separatis eorum qui perierant in diluvio, multis ante adventum Christi seculis. Respondeo: Hic sensus est adeo mirus & insolens in Scriptura, ut nos debeat monere de alia interpretatione quærenda. Cur enim privilegio singulari gavisuri fuissent impii isti contemtores prædicationis Noë, præ cæteris omnibus, ut Christus descenderet ad inferos ad eos liberandum? Dicunt pœnituisse ipsos scelerum antequam animam in aquis exhalarent. Hoc, inquam, est divinare: nam nec Moses in Genesi, nec Petrus hoc loco, quicquam ea de re docent. Imo hic, 2 *Epist.* II. expresse dicit, *Deus originali mundo non pepercit; sed octavum Noë justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.* Sed fac ita esse, quosdam ex illis resipuisse; paris ergo fuerunt isti homines cum cæteris fidelibus conditionis. Nec Petrus agens de beneficio communi, quod omnibus contigerit per descensum Christi ad inferos, causam habuit cur speciatim illorum meminisset. Quid ergo dicemus? Puto Petrum incredulos sui temporis, qui Euangelium sibi ab Apostolis prædicatum repudiarent, conferre voluisse cum iis qui olim Noachum justitiæ præconem spreverant, & in incredulitate sua perierant, ut hoc pacto iis terrorem incuteret; ac proinde subaudiendam hic esse particulam similitudinis, *sicut*, *velut*, aut aliam ejusmodi; & ita legendum hunc locum, *Spiritibus in carcere profectus prædicavit, aliquando immorigeris, velut quum semel expectabat Dei patientia in diebus Noë.* Non enim insolens est in Scriptura ut ejusmodi particulæ aliquando omittantur, & supplendæ sint ut sensus sit plenus; ut *Psalm.* XI. 1. *Quomodo dicitis animæ meæ, Transvola in montem vestrum passer*, pro, *sicut passer.* Et XXII. 14. *Aperuerunt super me os suum, leo rapiens & rugiens*, pro, *sicut leo*, &c. Et 2 *Petr.* III. 4. *Ex quo patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis*, pro, *sicut ab initio creationis.* Sed omnis difficultas nondum est exhausta; superest enim quærendum, quid per *spiritus in carcere* intelligatur. Quidam existimant Apostolum, qui dicta sua exemplo à temporibus Noë petito illustrare sibi proposuerat, voluisse etiam alludere ad verba quibus Moses historiam illam describit. Dicere illum *Genes.* VI. 3. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum*; quemadmodum vulgata versio habet: sed si proprietatem vocum sequamur, legendum esse; *Non erit ut in vagina detentus sic spiritus meus in homine*; id est, non erit inutilis animus quem ei dedi, sicut ensis in vagina, qui nihil efficit ejus ad quod factus est. Esse autem vaginam velut carcerem gladio. Istos ergo contumaces prædicationis Euangelicæ contemtores, spiritum Dei velut in carcere quodam detinuisse, & per eum, prout debuerant, ad pœnitentiam non esse adductos. Sed quamvis hæc expositio sit ingeniosa; tamen mihi videtur coactior & longe petita. Malim itaque dicere; per φυλακὴν seu *carcerem* significari, Deum incredulos istos reservare supplicio ignis æterni; quemadmodum Petrus 2 *Epist.* II. de Angelis qui peccarunt scribit, *Deum ipsos in tartarum detrusos, catenis caliginis tradidisse, in judicium servatos.* Et id poterit referri ad statum illorum post mortem, interea dum in expectatione sunt ultimi judicii. Forteque ista de causa Petrus dixit, *Christum spiritu profectum prædicasse spiritibus qui sunt in carcere*; quia tunc cum hæc scribebat, isti homines in vivis esse desierant, & nihil eorum præter spiritum supererat. Et ita etiam non incommode intelligentur verba *capitis* IV. *Mortuis fuisse euangelizatum*; nempe iis qui tunc temporis cum Petrus hanc Epistolam scribebat defuncti erant, etsi tales non essent cum iis Euangelium annunciaretur; eodem loquendi genere quo Noëmi nurus suas Orpham & Ruth compellabat, *Faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut cum fecistis cum mortuis*, id est, cum maritis vestris qui nunc mortui sunt. Quanquam nolim rejicere illorum expositionem, qui hæc de morte spirituali intelligunt, sive de iis qui in statu mortis & damnatio-

nis æternum erant: prout notum est hanc vocem nonnunquam in Scripturis accipi: ut cum Paulus dicit de vidua quæ deliciis indulget, *eam dum vivit mortuam esse*, 1 *Tim*. v. 6. vide etiam *Matth*. VIII. v. 22. *Apoc*. III. 1. *Eph*. II. 1. & alibi.

X. Alter locus quem pro limbo suo afferunt est is quem supra citavi *ex Psalm*. CVII. 16. *Contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit*. Sed respondeo, nullam hic fieri Christi mentionem; nec posse ulla cum specie intelligi de eo quod fecerit post mortem suam; quod tamen maxime probatione indigebat. Scopus Prophetæ est, celebrare Dei potentiam in liberandis iis qui clamant ad se à periculis & adversitatibus, quibus implici sunt. Inter eas autem non ultimum locum tenent carceres; qui plerumque portis æneis & vectibus ferreis sunt muniti; adeo ut magno robore opus sit ad munimenta ista perfringendum, & eos qui ibi captivi detinentur eruendum. Id ergo merito Deo tribuitur, qui eos qui fiduciam in se collocant nunquam deserit, etiamsi eum antea graviter peccatis suis offenderint. Series orationis hunc sensum postulat. Præcesserat enim, *Clamaverunt ad Deum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos. Et eduxit eos de tenebris, & umbra mortis, & vincula eorum disrupit*. Quibus convenienter admodum subjiciuntur verba de quibus nunc est quæstio. Unde videre est quam præpostere ad statum animarum post mortem trahantur.

XI. Tertius est *Zachar*. IX. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua*. Respondeo: Iste locus paulo quidem majorem speciem habet præcedente. Sed nondum constat inter adversarios nostros quo sit referendus, aliis eum ad limbum, aliis vero ad purgatorium referentibus. Interea dum inter se consentiant, dico pro neutris quicquam facere. Nam 1. longe aliter reddi potest ex Hebræo quam habeat vulgata versio, ut videre est apud Pagninum & Ariam Montanum; nempe sic, *Etiam tu* (supple Hierusalem exulta) *in sanguine fœderis tui*; id est, in sanguine tuorum, qui passi sunt se interimi, ne fœdus Dei violarent. שלחתי *Emisi*, in prima persona, *vinctos tuos de cisterna* vel *lacu in quo non est aqua*; id est, ex magnis calamitatibus & angustiis, quales sunt eorum qui in cryptis carcerum subterraneis cum pædore & squalore conflictantur. In quem sensum dicebat David, *Psalm*. XL. 3. *Exaudivit preces meas, & eduxit de lacu miseria & de luto fæcis*. Et *Psalm*. LXXXVIII. 7. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis & in umbra mortis*. Item Jeremias *Lament*. III. 53. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me*. Admissa lectione vulgari dico 2. Hunc locum figurato loquendi genere posse de statu Gentilium accipi, quo tempore Euangelium ipsis annunciatum est, cujus vi ita subacti fuerunt, ut sponte colla sua Domini jugo submitterent, & sic captivi ejus dici possent. Tunc enim liberati sunt ab erroribus suis perniciosis & servitute peccati qua detinebantur, velut à lacu profundo & tenebricoso, omni aqua, id est, luce & consolatione destituto. Quod in sanguine seu per sanguinem Christi factum esse, quo Novum Testamentum confirmatum est, ex scriptis Apostolorum discimus. Unde Paulus *Ephes*. II. 13. dicebat, *Vos* (Gentiles) *qui aliquando eratis longe*, (nempe à Deo & ejus fœdere) *facti estis prope in sanguine Christi*, &c. quibus similia habentur *Coloss*. I. 21. & alibi.

XII. Quartus locus est *Phil*. II. 10. ubi *in nomine Jesu* dicitur *omne genu flectendum, cælestium, terrestrium & infernorum*. Cui geminus occurrit *Apoc*. V. 3, 13. mentionem faciens *creaturarum quæ in cœlo, quæ in terra, & quæ sub terra sunt*. Per creaturas autem infernas & quæ sub terra sunt, nullos alios putant intelligi posse quam mortuos detentos in limbo vel in purgatorio; quia damnati vel dæmones non sint genua flexuri Christo aut eum celebraturi. Sed respondeo 1. nihil impedire, ut id cum quibusdam interpretibus accipiamus etiam de dæmonibus, qui vel inviti cogentur imperium Jesu Christi agnoscere, etsi se ei subjicere renuent. Quamvis enim non habeant genua, ut nos, quæ ipsi flectant, metonymice tamen ita potest designari cultus & veneratio, quam ab ipsis supplicii metus extorquebit. 2. Putarim nihilominus per cælestes, terrestres, & infernas aut subterraneas creaturas, voluisse sacros Scriptores universitatem creaturarum comprehendere, quæ in has tres classes distribui solent; non tantum sensu & intelligentia præditæ, sed etiam iis destitutæ. Nam illis per prosopopœiam adoratio Dei & genuflexio eleganter tribui possunt. Sic David, *Psal*. XCVI. *Lætentur cœli & exultet terra; gaudebunt campi & omnia quæ in eis sunt. Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum*. Et *Psalm*. XCVIII. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt*. Sane durior tropus non est, dicere creaturas, etiam insensibiles, genu flexuras, quam exsultaturas sylvas, & manu plausura flumina. Sic autem emphatice admodum describitur majestas imperii Christi, à quo nulla creatura, qualiscunque demum sit, sive cælestis, sive terrestris, sive inferna aut subterranea, excipietur, & ejus gloriæ inservire tenebitur. Et hæc de descensu Christi in limbum sufficiant.

XIII. Alii per descensum ejus ad inferos, summos animi dolores, quales sunt damnatorum, intelligunt; & putant Christum illos tulisse partim in horto, cum oraret Patrem ut à se transiret mortis calix; partim in cruce, cum de sui desertione conquerebatur. De qua sententia jam supra aliquid diximus. Superest tantum nunc ut ostendam, duobus aut tribus verbis, phrasim hanc, *descendere ad inferos*, vix unquam hoc sensu accipi in Scriptura, nedum ut is in Dominum Jesum quadret. Afferunt ut id probent verba Annæ in cantico, *Dominus deducit ad inferos & reducit*, 1 *Sam*. II. 6. & Davidis, *Dolores inferni circumdederunt me*, *Psalm*. XVIII. 6. Item, *Circumderunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me*, *Psalm*. CXVI. 3. Sed facilis est responsio. Quamvis concedi possit per dolores inferni,

hic

hic intelligi gravissimos animi angores, non alii tamen erunt quam ii qui ad mortem ducunt aut eam comitantur, quam scimus ab omnibus viventibus valde reformidari; præsertim si sit violenta & crudelis. Nihil autem est quod suadeat id exponendum de doloribus damnatorum. Imo ista vox inferni, nullibi in Scriptura, quod sciam, accipitur de loco ubi damnati cruciabuntur, prælerquam in parabola divitis epulonis, *Luc.* XVI. 23. ubi dicitur, *Et in inferno attollens oculos suos*, &c. quod tamen quia de statu inter mortem & judicium ultimum medio agit, non incommode de sepulcro exponi posset. Quin etiam loco damnatorum opponitur *Apoc.* XX. 14. *Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis.* ad significandum post resurrectionem ultimam & universalem, abolitum iri mortem, & nullum amplius fore sepulcrorum usum, perinde ac si ea in stagno illo ardenti ignis & sulphuris, in quod Diabolus & impii conjicientur, consumta fuissent.

CAPUT XIII.

De statu Exaltationis Christi; & speciatim de ejus Resurrectione.

I. *Duodecim Apostolorum testimonium magni ponderis esse debere.* II. *Christum vere fuisse mortuum, & proinde vere resurrexisse.* III. *Discipulorum de Magistro suo testimonium nequaquam suspectum esse debere.* IV. *Illos non fuisse deceptos.* V. *Plures etiam Christum redivivum conspexisse.* VI. *Cur Christus Judaeorum primoribus non apparuerit.* VII. *Vaticinia aliquot de Resurrectione Christi.* VIII. *Deum Patrem, Filium ex mortuis excitasse.* IX. *Quo sensu id aliquando in Scripturis Christo tribui videatur.* X. *Christum non resurrexisse cum corpore glorioso.* XI. *Respondetur iis quæ in contrarium afferri solent.* XII. *Christum tertia die resurrexisse.* XIII. *Prima die hebdomadis.* XIV. *Et sole oriente.* XV. *An sol quotannis ipsa Paschatis die cum tripudio oriatur.* XVI. *De tempore celebrationis Paschatis, & Nicana constitutione super hac re.* XVII. *Terra motum in resurrectione Christi contigisse.* XVIII. *Angelos apparuisse, & de ea testimonium perhibuisse.*

I. HIs ita de statu Exinanitionis Jesu Christi à nobis explicatis, sequeretur ut de Gloria qua Pater Filium suum, in die exaltationis, coronavit, jam ageremus, de qua ipse discipulos Emaüntem euntes alloquens, dicit, *Nonne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam? Luc.* XXIV. 26. nisi prius nobis ostendendum foret quibus ad illam gradibus ascenderit. Ii sunt duo, *Resurrectio ex mortuis*, & *Ascensio in cœlum*; de quibus paucis nobis tractandum erit. In capite *de Resurrectione Christi*, primo oportet ejus veritatem astruere. Nam cum hoc sit universæ religionis Christianæ fundamentum, quo stante illa stat, & cadente cadit; nullibi melius collocari potest opera quam in eo fulciendo. Dicimus ergo nos tam validas habere Resurrectionis Christi probationes, ut si huic historiæ fides derogetur, nulli omnino veteri, cujus oculati testes in vivis esse desierunt, tuto credi possit. Hoc vero cum perabsurdum sit, etiam illud pariter est. Antecedens inde patet, quod resurrectio Christi sit comprobata testimonio Apostolorum, qui nec falli in hac re potuerunt, nec voluerunt. Nam cum ad fidem rei controversæ alicui faciendam, requiratur solum duorum aut trium hominum, qui ei interfuerunt, testimonium; hic habemus duodecim tales, quibus postea decimus tertius accessit Paulus; qui omnes duodecim, unanimi consensu, ad mortem usque testati sunt, se Jesum redivivum ex morte conspexisse, cum eo sæpe collocutos, per dies quadraginta versatos, unaque edisse & bibisse: hic vero eum de cœlo se alloquentem & increpantem audivisse. Quorum testimonium tanto majoris ponderis nobis esse debet, quod difficulter admodum sibi persuaderi siverint, Jesum resurrexisse, adeo ut unus illorum Thomas diceret, *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*, *Joan.* XX. 25. Aliis vero *verba mulierum, dicentium se vidisse Dominum Jesum suscitatum, visa sunt deliramentum, & non crediderunt illis, Luc.* XXIV. *v.* 11. Adeo ut merito Jesus illis exprobraverit incredulitatem & duritiem cordis, quod cum toties prædixisset resurrectionem suam, non crederent sanctis illis mulieribus, quæ de ea testabantur. Sed hæc illorum tarditas ad credendum, facit ad firmandam fidem nostram; ut sciamus nos non credere testimonio aliquorum hominum levium, qui facile quidvis sibi dictum credunt & amplectuntur; sed talium, qui nihil nisi accurate à se prius exploratum, credere voluerunt, & aliis tradere.

II. Nec potest hic cum ulla verisimilitudine objici, mortem Christi esse incertam, ac proinde quæ dicuntur de resurrectione ejus, pro vanis habenda. Nam ut in historia mortis illius vidimus, mortuus est publice in cruce plurimis spectantibus, & postea depositus in sepulchro, ubi usque ad tertium diem jacuit: Nec ullus unquam sive Judæorum, sive Ethnicorum, qui circa illa tempora vixerunt, inventus est, qui illam in dubium vocaret. Imo mors hæc ignominiosissima crucis, de qua erant persuasissimi, erat scandalum, quod eos à fide in ipsum deterrebat, quodque Apostoli totis viribus amoliri studebant. Et inde ad hodiernum usque diem Judæi semper confessi fuerunt, Jesum à majoribus suis occisum, etiamsi non ignorarent, se idcirco Christianorum, inter quos vivebant, odio expositos esse. Quare non est audiendus Mahumetes, qui in Alcorano suo scribit Jesum non fuisse crucifixum, sed Judam illius loco, qui in similitudinem Jesu transformatus fuerat. Is enim sexcentis demum post Christum annis vixit, & nullos affert assertionis suæ tam prodigiosæ testes, nulla argumenta. Quod si Mahumetani à seductore illo dementati, velint ei tanquam Prophetæ fidem adhibere; totum ejus testimonium de Jesu

debent recipere, non partem tantum. Cum ergo dicat Jesum non fuisse crucifixum, sed vivum à Deo in cœlos sublatum, sequitur eum Deo fuisse chariorem quam Mahumetem, quem confitentur mortuum esse instar aliorum hominum; ac proinde religionem Christi præferendam esse Mahumetanæ, cum ejus auctor apud Deum in cœlis etiamnum vivat.

III. Nec ideo suspectum esse debet Apostolorum testimonium, quod Jesu discipuli & amici fuerint. Ideo enim fuerunt ei amici, quia agnoverunt ipsum veritatis esse Doctorem. Si autem postea deprehendissent se ab eo deceptos, non mansissent constantes in ejus amore, sed iste amor in odium conversus fuisset. Oportuisset etiam eos insanos & sui inimicos esse, si propter testimonium rei quam falsam esse credidissent, voluissent se odio & persecutioni omnium hominum exponere. Nam dicere id illos fecisse amore gloriæ, omnino improbabile est. Quam enim inde gloriam apud homines sperare poterant, cum viderent magistrum suum ignominiosa morte è medio sublatum? Cum ergo inde non possent exspectare nec gloriam, nec divitias, nec alia hujus vitæ commoda, sed potius omnia contraria, sequitur eos hic nihil contra conscientiam egisse. Nemo enim malus gratis esse solet, aut se in periculum absque lucri spe conjicere. Rumor sparsus de corpore ejus à discipulis sublato cum milites dormirent, ridiculus est. Qui potuerunt somno sepulti de re à vigilantibus facta testari? Vel quis hoc, non dicam exequi, sed vel cogitare ausos putet, qui tanto metu paulo ante perculsi fuerant ut Dominum vel turpiter abnegarent, vel cum prehenderetur eum desererent & fuga sibi consulerent, juxtà id quod scriptum est, *Percutiam pastorem & dispergentur oves gregis*, *Zach.* XIII. *v.* 7. *Matth.* XXVI. 31.

IV. Verum instabit adhuc aliquis, Apostolos sincere quidem de resurrectione Christi fuisse testatos, & non sibi proposuisse alios decipere; sed ipsos primos fuisse deceptos apparitione alicujus spectri quod pro Christo habuerunt; præsertim Paulum, qui non versatus est cum ipso in terris, sed dicit tantum sibi apparuisse de cœlo, & inde se allocutum, in quo facile aliqua fallacia & sensuum deceptio potuit inesse. Ita loquitur auctor quidam recens Semi-Judæus, ex illorum genere qui dicunt Messiam neque venisse neque venturum esse unquam, quia promissus Israëlitis fuerit sub conditione conversionis, quam non impleverunt, ac proinde beneficio sibi ita promisso in æternum frustratum iri. Sed respondeo, quod ad Apostolos qui Jesum secuti sunt tempore conversationis suæ in terris, impossibile fuisse illos decipi, accipiendo spectrum pro vero & vivo homine. Hæc cogitatio subiit quidem aliquando ipsorum animum, cum Jesus ipso resurrectionis suæ die, ex improviso stetisset in medio illorum, januis clausis miraculose ad eos ingressus (eadem enim videtur esse historia quæ narratur *Luc.* XXIV. 36. & *Joan.* XX. 19.) Sed ipse dubitationi isti statim ivit obviam, dicens, *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus* (id est spectrum) *carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*, &c. Et ita cum hac, tum & sequentibus aliis multis ejus apparitionibus & familiaribus colloquiis, in fide de ejus resurrectione confirmati fuerunt, ut à testimonio ei perhibendo nullis unquam adversis aut periculis deterreri potuerint. Etiamsi autem Paulus hoc privilegio non fuerit gavisus, apparitio tamen quæ ei facta est è cælo, adeo fuit illustris, ut omnem ejus animo scrupulum & metum deceptionis exemerit; eaque de causa ille, qui antea erat Christi & ejus discipulorum persecutor, non dubitavit fidem illam quam persequebatur amplecti, & propter illam renunciare omnibus commodis & honoribus quos Judaismo adhærendo obtinere poterat, & in se suscipere acerbam illam & duram crucem quæ Euangelii Christi professores manebat. Quod sane, ut erat vir prudens, nunquam fecisset, nisi rei illius propter quam patiebatur veritas ipsi exploratissima fuisset. Adde quod cum Apostoli postea viderint Jesum in cœlos ascendentem, & inde secundum promissum, decem post dies, Spiritum S. ad se mittentem, cujus virtute varias linguas antea sibi incognitas in momento edocebantur, & omnis generis miracula patrabant, quin etiam mortuos excitabant, nulla potuit in ipsorum animis superesse dubitatio de veritate resurrectionis Jesu.

V. Quod si duodecim aut 13. virorum testimonium aliquis existimet non sufficere ad tantæ rei fidem faciendam, is debet scire, istos quidem fuisse præcipuos illius rei testes à Christo constitutos, ut eam per totum orbem annunciarent; sed non tamen solos. Paulus enim 1 *Cor.* XV. dicit, *Christum à mortuis suscitatum visum fuisse plusquam quingentis fratribus simul; ex quibus plerique*, *cum illam Epistolam scriberet*, *manebant adhuc in vivis*, *quidam autem obdormierant*. Tot autem viros simul aut falli potuisse, aut voluisse fallere, non tantum nullo suo commodo, sed etiam cum maximis malis & damnis secundum mundum, omnino incredibile est. Dicere vero illum ausum fuisse provocare ad testes qui eum mendacii coarguere poterant, etiam absurdum est; siquidem hac ratione omnem sibi fidem & existimationem detraxisset, propter quam solam aliquis suspicari posset eum in testimonio isto reddendo tam constantem fuisse. Superest ergo ut dogma de resurrectione Christi pro verissimo & certissimo amplectamur, cum tot testibus comprobatum sit, ut jure nihil amplius desiderari possit.

VI. Objiciunt quidem adhuc nonnulli, longe illustriorem futuram resurrectionem Christi, & omnem de ejus veritate dubitationem ex animis hominum ablatam, si se redivivum Pontio Pilato, Herodi & primoribus Judæorum qui cum

eum morte damnaverant, imo toti populo Judaïco repræsentasset. Sed hoc est præscribere Deo modum quo se hominibus patefacere debeat; quod quam à ratione alienum sit nemo non videt. Impii isti indignos se reddiderant tanto Dei beneficio, qui cum tot miracula fecisset Jesus ipsis conscii & velut in ipsorum oculis, in eum credere noluerant, imo odio habuerant & ad mortem erant persecuti. Istud enim fuisset eos veluti ad fidem cogere; quod Deus facere non vult, quia id tollit omne fidei pretium & dignitatem. Nam quod Jesus Apostolis & aliis piis hominibus post resurrectionem apparuit, id non factum est ad ipsos primum ad fidem adducendos: sed ad confirmandum fidem quam jam ante mortem, & cum esset adhuc in statu humilitatis, in eum collocaverant. Quod longe aliud est, quam se impiis contemtoribus & persecutoribus manifestare. Interim, ut appareat quanta sit ejus bonitas, & desiderium salutis omnium, Apostolos post exaltationem tanta virtute instruxit, ut exinde apparere posset omnibus, qui non erant plane insanabiles, quid de Christo sentire deberent, cum Apostoli omnia signa & miracula quæ faciebant ad ipsum auctorem referrent; ita ut illud non minoris ponderis apud eos esse deberet ad credendum Christum resurrexisse, quam si ipsum redivivum oculis suis inspexissent, manibus palpassent, & cum eo servati fuissent. Si autem Christus resurrexerit, sequitur religionem quam docuit esse veram & à Deo profectam. Nam Deus impostorem, & qui se ab eo missum falso jactasset, noluisset à morte suscitare, cum non possit quemquam apud homines illustriore ratione commendare, quam si eum è sepulcro revocet, & in cælum ad se evehat.

VII. Sed ut tanto certiores de veritate resurrectionis Christi esse possimus, sciendum est eam olim Prophetarum oraculis prædictam fuisse, & figuris aliquibus adumbratam. Unde Paulus 1 *Cor.* XV. 4. dicit, *Christum resurrexisse tertia die secundum Scripturas.* Habemus ergo primum insignem illum Jonæ Prophetæ typum, quem Jesus Scribis & Pharisæis, qui petebant ut signum de cœlo sibi exhiberet, opponit, *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus* (& postea inde virtute divina liberatus est) *sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, (quibus elapsis à morte resurget) *Matth.* XII. & XVI. Eodem quoque pertinent hæc *Psal.* II. verba, quæ David sibi à Deo dicta refert; *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quamvis enim ea quodammodo Davidi ut figuræ, secundum literalem sensum, conveniant, qui veluti de novo est genitus à Deo, ut esset ejus filius, quando ab hostium insidiis ereptus, est constitutus rex super Israëlem; iterum tamen & illustriori multo ratione sunt in Jesu impleta, quando Deus eum suscitavit è mortuis, & Regem atque Pontificem æternum designavit. Id docet Paulus *Actor.* XIII. I. *Nos annunciamus vobis eam promissionem quæ patribus nostris facta est, quoniam hanc Deus adimplerit filiis illorum nobis, resuscitans Jesum; sicut & in Psalm.* II. *scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cum quibus consonant quæ legimus *Hebr.* V. *Sic & Christus non glorificavit seipsum ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nam cum resurrectio Christi primus fuerit gradus quo ad regnum & Sacerdotium cœleste evectus est, quod de his dicitur, etiam illi applicari potest. Nec obstat id, quod Jesus jam erat unigenitus Dei Filius, utpote è Spiritu Sancto conceptus, quin iterum talis posset fieri illustriori ratione; cum è mortuis suscitato & in cœlum sublato, *Deus dedit ei omnem potestatem in cœlo & in terra.* Tunc enim revera fuit perfecte Dei Filius, & Deo Patri simillimus, cum *Deus eum collocavit ad dextram Majestatis suæ in excelsis & omnia pedibus ejus subjecit*: adeo ut mirum videri non debeat, si dicti Psalmi verba modo ad Christi resurrectionem, modo ad ejus regnum & Pontificatum applicentur. Unde patet illos hunc locum *Actor.* XIII. 32. corrumpere, qui eum ad missionem Christi in mundum referunt; ideoque ἀναστήσας vertunt *suscitans Jesum*, quod est generalius, potius quam *resuscitans*, quod nonnisi à morte intelligi potest. Series enim orationis Apostolicæ, sensum quem sequimur omnino postulat: *versu* enim 30. dicit, *Deum suscitasse Jesum à mortuis*, & ad id confirmandum affert paulo post illa *Psalm.* II. verba quæ vidimus: posteaque ita pergit, *Quoniam autem eum suscitavit à mortuis, non amplius reversurum in corruptionem*, &c. Adeo ut scopæ hic forent dissolutæ, argumentum Apostoli prorsus elumbe, nisi intermedia quoque ad suscitationem Christi à mortuis referrentur. Denique *Psalm.* XVI. habemus etiam prophetiam de Christi resurrectione in his verbis, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, (id est, in sepulcro) *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quæ Petrus *Actor.* II. 31. & Paulus *Actor.* XIII. 35. resurrectioni Christi applicant. Quamvis enim non negem ea quodammodo impleta fuisse in Davide, tanquam in typo, cum Deus ipsum è manibus inimicorum liberavit, nec permisit ut ipsi vitam eriperent, ut postea in sepulcro putresceret; tamen longe excellentius id convenit Christo, qui in sepulcro non fuit relictus nisi ad breve tempus, in quo non sensit corruptionem, nec eo amplius postea reversus est; cum David, etsi illo tempore non senserit corruptionem quo inimici mortem illi intentabant, tamen postea sicut reliqui omnes homines necessitati naturæ cessit. Hæ sunt præcipuæ prophetiæ de resurrectione Christi, ab Apostolis ei applicatæ; quæ licet illustres sint, & non parum faciant ad nos confirmandum in fide promissorum divinorum, postquam earum sensus mysticus nobis apertus est; tamen nisi accessisset constans illud Apostolorum testimonium, id solæ efficere vix potuissent: unde videmus Judæos adhuc in illarum intelligentia cæcutire, quia Apostolos non audiunt: ideoque in disputationibus

tationibus adversus illos longe præstat urgere testimonium Apostolorum de resurrectione Christi, cui nihil habent verisimile quod objiciant, quam istas prophetias, quas torquere subtiliter norunt. Et si utrisque simul junctis fidem habere detrectent, pro insanabilibus merito habendi sunt.

VIII. Nunc ad reliqua istius resurrectionis attributa progrediendum nobis est, & quænam ejus sit causa efficiens videndum. Qua in re nulla videtur esse difficultas, cum Sacræ literæ illam ubique ad Deum Patrem, tanquam ad primum auctorem, referre soleant. Id apparet primum ex illis locis, in quibus Pater vel expresse nominatur, vel ex oppositione quæ fit inter Deum & Filium ejus solum intelligi debere in confesso est. Talia sunt hæc, *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem qui suscitavit illum a mortuis*, Gal. I. 1. Et Petrus, *Vobis primum Deus resuscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis*, *Actor.* III. 26. Cum quibus plane conveniunt ea quæ paulo ante ex *Actor.* XIII. attulimus. Item, *Conversi estis ad Deum à simulacris, servire Deo vivo & vero, & expectare Filium ejus de cœlis (quem resuscitavit ex mortuis) Jesum, qui eripit nos ab ira ventura*, 1 *Thess.* I. 9, 10. Idem quoque confirmant omnia illa loca, in quibus Deo suscitatio Jesu Christi ex mortuis attribuitur; ubi omnes circumstantiæ id de Patre solo accipiendum esse evincunt; ut *Actor.* II. 24. *Quem* (nempe Jesum) *Deus resuscitavit, solutis doloribus inferni, eo quod impossibile erat teneri ipsum ab eo*, &c. & rursus *versu* 32. *Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.* Vide etiam *cap.* III. 15. IV. 10. V. 30. X. 40. XVII. 31. *Rom.* X. 9. 1 *Cor.* VI. 14. XV. 15. *Coloss.* II. 13. *Hebr.* XIII. 20. & 1 *Petr.* I. 21. Imo in quibusdam locis Deus Pater describitur hac periphrasi, *Qui resuscitavit Jesum à mortuis*, ut *Rom.* IV. 24. & VIII. v. 11. & 2 *Cor.* IV. 14. Sed insignis est super cæteros locus *Ephes.* I. ubi dicitur, *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi exeruisse supereminentem magnitudinem virtutis suæ suscitando eum à mortuis & collocando ad dextram suam in cælestibus*, &c. Ex quibus omnibus videre est, quænam sit primaria suscitationis Jesu Christi ex mortuis causa, nempe is qui omnis vitæ fons est, & cujus virtute omnia quæ vitam habent vivificantur.

IX. Verumtamen sunt etiam quædam loca, in quibus Jesus ipse suæ resurrectionis dicitur auctor; ut cum dicit Judæis signum à se petentibus, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, vel *erigam*: quod ille intelligebat de templo corporis sui, ut interpretatur Joannes *cap.* II. 18. & *seqq.* Item, *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo.* *Joan.* X. 17, 18. Eoque etiam refertur id quod dicit Paulus *Rom.* I. 4. *Jesum Christum fuisse definitum*, aut *declaratum*, ὁρισθέντος, *Filium Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum.* Ubi observandum est, nullum istorum locorum docere Jesum Christum resurrectionis suæ præcipuam esse causam; alioquin videretur esse contradictio inter illa & præcedentia quæ Deo Patri eam tribuunt: Sed significare solummodo, in potestate Christi fuisse, ut è mortuis per Spiritum seu virtutem divinam in se habitantem resurgeret: ut docet Petrus 1 *Epist.* III. dicens, *eum mortificatum fuisse carne, vivificatum autem Spiritu.* Eodem loquendi genere quo utitur Paulus *Rom.* VIII. 11. cum dicit, *Si Spiritus ejus qui excitavit Jesum ex mortuis habitat in nobis, vivificabit etiam mortalia vestra corpora propter* vel *per inhabitantem ejus Spiritum in vobis.* In Græco enim hic est varia lectio, & quædam exemplaria habent, διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα, alia vero διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος, quorum illud significat causam externe impellentem, hoc vero eam quæ virtute sua agit. Sed quocunque modo legatur, parum refert. Locus vero Petri indicat, Christum virtute illius divini Spiritus, qui in ipso habitabat, ex mortuis fuisse suscitatum; ita tamen, ut intelligatur Deum Patrem primariam istius rei esse causam; quod etiam ipse Christus profitetur in loco citato ex *Joan.* X. ubi de suscitatione sua ex mortuis agens dicit, *Hoc mandatum*, id est, hanc potestatem, *accepi à Patre meo. Ad quem* ideo *in diebus carnis suæ*, (id est, infirmitatis) *preces supplicationesque cum clamore valido & lacrymis obtulit, ut se salvum faceret à morte*; id est, non fineret in ea manere, sed suscitaret virtute sua; & dicitur *exauditus fuisse a metu*, id est, ab eo quod metuebat, nempe ne in morte desereretur, prout reliquis hominibus vulgo accidit, *Heb.* V. 7. Quod autem ad locum ex initio *Epist. ad Rom.* non dicitur illic ex eo fuisse declaratum seu manifestatum Christum esse Dei Filium, quod virtute sua propria ex mortuis resurrexit (ut nonnulli ea accipiunt.) Oporteret enim eos qui ita argumentantur, prius aliunde certos esse debere Christum virtute propria resurrexisse, quam istam conclusionem elicere possent; imo qui de eo persuasi essent, non opus haberent inde colligere Jesum esse Dei Filium, sed utrumque uno eodemque fidei actu simul crederent. Sciendum igitur est vocem Græcam ὁρισθέντος, non debere verti *declaratum*, (nisi declarare accipiamus eo sensu quo aliquando Latini dicunt, aliquem declaratum fuisse consulem aut prætorem, id est, constitutum) sed significare tantum *definitum* seu *constitutum*, quemadmodum accipitur *Actor.* X. 42. & XVII. 26, 31. Non quod Jesus Christus homo, non fuerit Filius Dei ante resurrectionem suam ex mortuis; (absit ut id dicamus) jam enim à nativitate sua talis fuit, utpote ex Spiritu Sancto conceptus; & propter sanctificationem ad munus suum pleniori adhuc jure dignitatem Filii Dei habuit, *Joan.* X. 34, 35, 36. Sed perfectissime fuit constitutus Filius Dei, cum ita suscitatus fuit è mortuis, ut mors deinceps non amplius dominaretur

naretur

naretur illi, sed contra imperium in illam haberet, ut inde fideles suos liberare posset. Si quis tamen malit vertere *declaratus*, per me licet. Inde enim etiam bonus sensus elicitur; siquidem ex eo apparuit Christum esse Dei charum filium, quando Deus eum, sicut ipse prædixerat, non reliquit in morte, sed gloriose inde liberavit.

X. Quæritur hîc, in quali corpore Dominus Jesus resurrexerit? Respondeo. In eodem omnino quod habuit toto tempore conversationis suæ in terra, & in quo mortem fuit passus. Id apparuit è vestigiis vulnerum ipsi inflictorum in manibus, pedibus & latere, quæ contrectanda dedit discipulis. *Videte*, inquit, *manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum, &c.* *Luc.* XXIV. 39, 40. *Joan.* XX. 27. Et istud omnino requirebatur ad eos certos reddendum de veritate resurrectionis Christi. Nam si corpus ejus immutatum fuisset, putavissent sibi imponi apparitionibus quibus seipsum illis vivum stitit, & alium esse eum qui mortuus erat, alium qui post mortem se conspiciendum præbebat. Quid ergo, dices, nonne resurrexit Christus in corpore immortali & glorificato? Respondeo. Minime. Nam etsi quodam forte sensu posset dici habuisse corpus immortale cum ex sepulcro prodiit, quia morti non fuit amplius subjectus, ut docet Paulus *Rom.* VI. 9. & *Act.* XIII. 34. tamen cum idem esset quod antea, & constaret adhuc ex carne & sanguine, quæ sunt adeo corruptibilia ut per illa corruptibilitas in Sacris literis soleat designari, non potuit dici proprie fuisse immortale & gloriosum. Quod etiam inde probatur, quod Jesus post resurrectionem suam comedit & bibit una cum discipulis, quod non satis convenit cum natura corporis immortalis. Nam quod quidam dicunt, alimentum quod sumsit non fuisse conversum in ejus substantiam, sicut antea tempore infirmitatis ejus, sed consumtum & in nihilum redactum virtute ipsius divina; illi non animadvertunt se vim omnem adimere argumento illi, quo Apostoli se in fide resurrectionis ejus confirmatos fuisse testantur, quod nimirum una ederint & biberint. *Hunc*, inquit Petrus *Act.* X. 40. *Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non toti populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducavimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis.* Adde quod si Christus habuisset corpus glorificatum, discipuli non potuissent ferre illius splendorem: sane multo minus quam Israëlitæ radiantem faciem Mosis cum redibat à colloquio cum Angelo, adeo ut oporteret *eum velamen imponere faciei.* *Exod.* XXXIII. v. 30. & *seqq.* Nam cum transfiguratus fuit coram tribus è suis discipulis (quæ fuit tantum umbra gloriæ ejus cœlestis) *facies ejus resplenduit ut sol*, *Matth.* XVII. & *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui*, *Matth.* XIII. 43. Quæres; quando ergo Christus fuit glorificatus, si id non contigit in egressu ejus è sepulcro? Respondeo. Id videtur factum cum ascenderet in cœlum, postquam ereptus fuit ab oculis discipulorum. Nam cum cœlum sit immortalitatis sedes & domicilium, in illud non potuit ingredi nisi mortalitate deposita. Illud est tempus quo *Christus novissimus Adam factus est in spiritum vivificantem*, 1 *Cor.* XV. 45. ac proinde non habuit amplius corpus ex carne & sanguine constans, quod regnum Dei possidere non potest, v. 50. Huicque glorioso suo corpori aliquando conformia reddet ipse corpora nostra, *Philipp.* III. 21.

XI. Sed objicitur, apparere ex variis indiciis Christum statim in resurgendo ex morte habuisse corpus glorificatum. 1. Quia per ingens illud saxum quo ostium sepulcri erat munitum penetravit. 2. Quia per fores clausas ingressus est ad discipulos suos. 3. Quia statim atque fuit agnitus ab illis duobus Emmauntem proficiscentibus, evanuit ex oculis eorum. Quæ omnia nonnisi glorificatis corporibus conveniunt. Ad quæ respondeo, miram mihi videri primam objectionem, utpote quæ adversa fronte repugnet iis quæ *Matth.* XXVIII legimus, *Angelum Domini descendisse de cœlo, & revolvisse lapidem.* Nam cui fini removit lapidem istum, nisi ut aperiret viam Christo è sepulcro egressuro? Atqui, inquiunt, jam Christus egressus erat antequam Angelus revolvisset lapidem. Respondeo, unde illud constat? & cur tam temere affirmatur, id quod nullo vel tenui indicio confirmari potest? Fateor quidem necesse non fuisse ut Angelus saxum amoveret; quasi absque isto ministerio oportuisset Christum corpore suo illud penetrare. Nam id poterat ipse virtute sua divina amovere; sed Angeli opera uti Deo visum est, ad tanto gloriosiorem Filii sui unigeniti resurrectionem reddendum. Ad secundam respondeo, non dici à Joanne Dominum Jesum *per fores clausas ingressum esse*, sed venisse τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *cum fores essent clausæ*; quod longe aliud est. Vult enim tantum significare his verbis, fores extraordinaria aliqua ratione & discipulis incognita apertas fuisse Jesu, ut ad ipsos ingrederetur; sicut legimus *Act.* IV. Angelum Domini per noctem aperuisse fores carceris in quo inclusi erant Apostoli, & eduxisse illos, & tamen postea ministros à Pontifice maximo missos invenisse carcerem clausum quam tutissime: & *cap.* XII. cum Angelus Petrum ex carcere deduceret, portam ferream sponte apertam fuisse eis. Adeo ut necesse non sit absurdum istum modum ingressus Christi fingere, quem nonnulli volunt, penetrando corpore suo per fores clausas. Ad tertiam dico, voces quibus utitur Lucas, καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, non significare Jesum, quamvis corpore suo præsens maneret duobus illis discipulis, conspici tamen non potuisse, quod esset glorificatus. Nihil minus; sed subito & ex improviso fuisse ablatum ex eorum conspectu. Illud enim ἀπ' αὐτῶν mutationem loci innuit, licet celerrimam, adeo ut in auras evanuisse ipsis posset videri. Quod si quis nolit admittere, præstaret dicere eorum oculos fuisse detentos

ne eum cernerent, quemadmodum antea ne eum agnoscerent, quam invisibilitatem, quæ spirituum est propria, corpori ex carne & ossibus constanti tribuere. Unde videre est quam inepte hæc afferantur ad opinionem de corporali, sed tamen illocali & invisibili Christi præsentia in S. Cœna incrustandum. Ne jam dicam, in ea non repræsentari nobis corpus Christi glorificatum, sed mortuum, nempe fractum & sanguine cassum; ita ut male ex proprietatibus corporum glorificatorum colligatur, ipsum ibi præsentem esse posse, quantumvis à nullo sensuum nostrorum animadvertatur.

XII. Nunc ut de resurrectionis Christi circumstantiis aliquid attexamus, observandum est primo, Tempus resurrectionis Christi, fuisse tertium ab ejus morte diem. Nam cum die Veneris obiisset circa horam nonam, resurrexit sequenti die Solis diluculo. Quod quomodo conciliandum sit cum Jonæ typo, qui fuit tres dies & tres noctes in ventre ceti, supra diximus; nimirum, quia sub imperio mortis remansit per tria νυχθήμερα, id est dies naturales, quæ singulæ die & nocte artificiali constant. Cur autem neque citius, neque tardius resurrexerit, causæ sunt investigandæ. Ideo autem Jesus videtur debuisse in sepulcro manere usque ad tertium diem, quia si resurrexisset ante, non satis fuisset confirmata veritas mortis ejus. Aliquis enim suspicari potuisset eum non fuisse mortuum, sed tantum syncopen aut deliquium animi passum, ut aliquando contingit; præsertim cum supplicium crucis non soleret tam citam afferre mortem; adeo ut Pilatus ea audita miraretur, *Marc.* xv. Multum autem intererat ut certi essemus de veritate mortis Christi; quia si non fuisset vere mortuus, neque etiam vere resurrexisset; & fides nostra, quæ illius resurrectione tanquam fundamento nititur, vana foret. Deus ergo sapienti sua providentia constituit, ut tempus aliquod idoneum inter Christi mortem & resurrectionem intercederet, quale est triduanum, quod plene de ejus morte fidem facere posset. Sed ab alia parte Deus non judicavit expedire ut Christi resurrectio diutius differretur; quia succurrendum fuit infirmitati Apostolorum, & nostræ qui postea illorum testimonio credituri eramus. Quamvis enim Deo tam facile sit à multis annis mortuum & jam in pulverem redactum suscitare, atque illum qui ante unum aut alterum diem obiit; tamen si tamdiu protracta fuisset Christi resurrectio, donec corpus ejus corrumpi cœpisset, multo difficilius persuaderi potuisset Apostolis, ipsum vere eundem esse qui mortuus fuerat, quam tertio post ejus mortem die; & dubium illud, quo ipsos tentatos legimus, nempe se spectrum videre, non illum Jesum cum quo ante mortem versati fuerant, ex eorum animis in quibus diutius hæsisset eradicari. Cui ingenti malo, quod universam religionem Christianam pessum dedisset, Deus pro divitiis bonitatis suæ obviam voluit ire, accelerata Christi suscitatione.

XIII. Secundo, observandum est, eum suscitatum fuisse primo die hebdomadis, quem Latini Solis diem vocabant, à quo Deus ante quatuor circiter annorum millia orsus erat hujus universi creationem; nempe ut secunda creatio, quæ magnam partem resurrectioni Jesu Christi debetur, primæ sicut in aliis multis ita etiam in tempore conveniret. Dies ille postea in memoriam resurrectionis Christi vocatus est κυριακὴ ἡμέρα, & de eo ab omnibus vulgo accipiuntur verba Joannis *Apocal.* I. 10. ubi dicit, *se fuisse in spiritu* (supple raptum) *die Dominico.* Sed tamen non satis constat an intellexerit primum diem hebdomadis, qui octavo quoque die recurrit, an vero illum anni diem quo Dominus Jesus resurrexit ex mortuis; veluti 25 Decembris nos solemus vocare *natalem Christi*, quia illo editus in lucem fuisse vulgo putatur. Nam similiter quidam existimant Jesum suscitatum fuisse 25 Martii, & illum diem semel tantum singulis annis redeuntem vocatum fuisse à Joanne Dominicum. Unde videre est quam infirmum sit argumentum, quod nonnulli sumunt ex diei dominicæ appellatione apud Joannem, ad probandum jam illius tempore primum hebdomadis diem conventibus Christianorum fuisse destinatum, & hoc esse Apostolicum divinumque institutum. Cui adde, quod ejus observatio potissimum debeatur Constitutionibus Imperatoriis, de quibus consuli potest *Cod. lib.* VI. *tit.* 12. *de feriis.*

XIV. Tertio, hora qua Jesus resurrexit fuit prima diei, seu sexta matutina secundum nostram numerandi rationem, cum sol horizonti Judææ illucescere inciperet, nobis vero duabus horis & amplius ante ortum solis. Nam cum assignentur Hierosolymæ 66 grad. longitudinis, Amsteldamo vero $26\frac{1}{3}$, apparet Solem Hierosolymæ duabus horis & 10 minut. citius oriri quàm Amsteldami. Istius autem temporis electione Deus videtur voluisse significare Jesum esse verum illum *justitiæ Solem in cujus alis est sanitas*, *Malach.* IV. 2. *qui ortus est sedentibus in regione & umbra mortis*, *Esa.* IX. 2. *Matth.* IV. 16. & quidem *ad dirigendum pedes eorum in viam pacis*, *Luc.* I. 78, 79. seu *ad abolendum mortem & illuminandum vitam atque incorruptionem per Euangelium*, 2 *Tim.* I. 10. Adde quod cum Deus nollet omnes promiscue intueri Jesum ex sepulcro prodeuntem, talis hora diei longe commodior fuit ejus resurrectioni quam sequentes, quibus homines se ubique ad negotia sua diffundere solent.

XV. Sed quid sentiendum est de ista vulgi opinione, Solem quotannis ipso Paschatis die, quo memoria resurrectionis Christi celebratur, tripudiare in ortu suo, quasi ad testandum gaudium suum? Respondeo, nolle me negare illud aliquando esse observatum; attamen nequaquam esse perpetuum, & aliis etiam diebus quam Pascha-

Paschatis contingere, tum verno tempore, tum etiam autumnali. Nam tunc propter vaporum copiam qui circa horizontem sunt, & varie agitantur, videntur interdum astra ibi quasi subsilire; idque non tantum ad ortum, sed etiam ad occasum; adeo ut puerile sit, existimare solem peculiariter illo die orientem gaudium suum ob Christi resurrectionem tripudiando testari velle. Quod inde quoque apparet, quod Pascha non semper & ubique eodem tempore celebratum est aut celebratur adhuc à Christianis; quorum institutorum sol deberet esse memor & ad illa se accommodare; imo etiam non ad momentum solum, sed toto die tripudiare, cum propter terræ rotunditatem sol & reliqua astra eodem tempore quo nonnullis sunt ad ortum, aliis sint ad meridiem, aliis ad occasum, aliis denique in circulo mediæ noctis.

XVI. Hic etiam aliquid de tempore celebrationis Paschatis paucis adjungere non erit inconveniens, quamvis id proprie sit Chronologicum. Monuimus supra lib. 1. cum de traditionibus ageremus, magnam olim fuisse controversiam de hac re inter Ecclesias Asiæ & Romanam. Nam illis placebat ut Pascha celebraretur decima quarta die mensis Nisan Judaici, quo luna est plena, & Judæi ex Mosis instituto olim agnum Paschalem mactabant. Huic vero, ut id fieret Dominica proxime sequente illud plenilunium. Et ad istam litem sopiendam convocatum est à Constantino Magno concilium illud celebre in Nicæa urbe Bithyniæ, anno Christi 325, in quo Ecclesiæ Romanæ consuetudo est approbata; & ut nulla in posterum esset occasio de tempore Paschatis contendendi, hasce duas de eo regulas præscripsit. *Prima* est, ut dies 21 Martii, semper habeatur pro die æquinoctii, in quem plenilunium incidens, vel proxime sequens, est 14 mensis Nisan, celebrationi Paschatis inter Israëlitas deputatus. Id autem à Patribus illis fuit constitutum, ne ex diversitate sententiarum inter Astronomos in die æquinoctii computando, contingeret ut Pascha non celebraretur eodem tempore ab omnibus Christianorum Ecclesiis. *Altera* est, ut Dominica proxime sequente plenilunium incidens in 21 Martii, aut primum plenilunium post illum diem, Pascha celebretur. Et quando contigerit ut plenilunium Paschale incidat in diem Dominicam, celebratio Paschatis in octiduum differatur. Sed Concilii Nicæni Patres decepti sunt, existimantes æquinoctium vernum perpetuo in 21 Martii die permansurum, cum nostro tempore undecim circiter diebus anticipaverit, & sequentibus seculis magis magisque sit anticipaturum. Qui error occasionem dedit Calendarii Juliani reformationi, auctoritate Gregorii XIII Pontificis factæ, anno 1582. ubi decem diebus ex mense Octobri detractis, æquinoctium vernum reductum est ad 21 Martii, in quo erat tempore Concilii Nicæni, & per trium dierum bissextilium in 400 annis omissionem, provisum est ut perpetuo in illo die fixum maneat. Quibusdam tamen doctis Mathematicis hæc res non est visa tanti, ut propterea tota ratio numerandi annos turbaretur, existimantibus consultius fore ut die aliquo fixo, veluti 25 Martii, quo crediderunt veteres Christum resurrexisse, Pascha perpetuo celebraretur, quam tantopere de calculo noviluniorum & mensium cum Judæis esse sollicitos. Sed contra Pontifex Romanus, una cum Nicænis Patribus, putarunt esse grande nefas, si contingeret ut aliquando Christiani eodem die cum Judæis Christi interfectoribus Pascha suum celebrarent; deinde cavere voluerunt, ne tunc cum Pascha celebratur eclipsis aliqua solaris fieret, quæ Judæis illam miraculosam, quæ tempore passionis Christi accidit, calumniandi ansam præbere posset; idque omni studio per accuratiorem calculum esse impediendum.

XVII. *Quarta* circumstantia in resurrectione Jesu Christi observanda hæc est, quod cum terræ motu contigerit. Nam sicut ipso animam exhalante terra quasi ad detestationem impietatis Judaicæ concussa fuit, *Matth.* XXVII. 51. ita resurgente, ad ostendendum quantam omnes lætandi causam haberemus, iterum est mota, *Matth.* XXVIII. 2. Quare licet in utroque Deus patefecerit omnipotentiam suam, cujus nutui cœlum & terra & omnes creaturæ obediunt, longe tamen diversum ob finem terram commovisse videtur in morte & in resurrectione Filii sui; illic nempe in signum indignationis, hic vero propensæ voluntatis. Cui adde, non insolitum esse Deo, pavore quem terræ motus afferunt præparare hominum corda, ad excipiendum cum reverentia quæ ipsis revelare lubet. Vide in hanc rem *Psal.* LXVIII. *v.* 8, 9. *&* LXXVII. 19. *&* XCIX. 1. *&* CXIV. 7. *Item Act.* XVI. 26. Hic ergo similiter apparitionem Angelorum præcessit terræ motus.

XVIII. Ea autem est *quinta* circumstantia, de qua aliquid nobis dicendum. Neminem puto fore qui Jesu Christi resurrectionem audeat virtuti Angelicæ attribuere. Nimis enim manifeste, ut supra vidimus, Deus Pater illam sibi diversis in locis vendicat; & Paulus *Ephes.* I. 19, 20. docet illum in isto opere *exercuisse supereminentem magnitudinem virtutis suæ*. Sed quemadmodum Angeli, tanquam ministratorii spiritus, in plurimis quæ circa Christum facta sunt Deo illique subservierunt, ut in conceptione, nativitate, tentatione, passione, aliisque; ita etiam decebat ut fieret in resurrectione, & quidem non tantum ad revolvendum lapidem illum ingentem quo ostium sepulcri munitum erat, & alia ejusmodi ministeria, (quæ majestatis potius Christi quam indigentiæ ipsius fuerunt τεκμήρια;) sed præcipue ad testimonium perhibendum de veritate resurrectionis ejus, ut nemo de eo quod nuncii cœlestes asserebant dubitare auderet. Nec refert quod *Marcus cap.* XVI. νεανίσκον, id est *juvenem*, *& Lucas* XXIV. ἄνδρας, *viros*, vocet. Solenne

lenne enim est sacris scriptoribus Angelos nomine virorum insignire; quia virili forma apparent, ut testatur historia Abrahami, *Genes.* XVIII. Lothi, XIX. & plurimæ aliæ. Et in eis mulieres quas compellant divinum quiddam animadvertisse ostendit tremor & pavor quo fuerunt correptæ. Sane ἐσθῆτας ἀστραπτούσας, vestes fulgurantes quibus erant induti è cœlo ipsos venire arguebant. Sed major difficultas est in eo, quod Matthæus & Marcus unius tantum Angeli meminerunt, Lucas vero & Joannes duorum, cap. XX. 12, 13. Inde enim occasionem aliqui arripiunt, totam hanc historiam de resurrectione Christi falsitatis arguendi, aut saltem pro suspecta habendi. Nulla tamen inter ipsos est vera contradictio. Qui duorum Angelorum mentionem faciunt, ad rei veritatem respiciunt. Totidem enim Angeli revera fuerunt; & debebant etiam esse, quia agebatur de fide facienda rei incredibili & naturæ vires exsuperanti. Qui vero de uno tantum loquuntur, idcirco id faciunt, quia unus Angelus solum mulieres allocutus est, & (ut videtur) caput legationis fuit. Nec id Judæi cum verisimilitudine aliqua calumniari possunt, nisi similiter libris Mosis fidem detrahere velint. Nam in illa quam modo citavi Abrahami & Lothi historia, plures Angelos fuisse constat; unum tamen solum Abrahamus & Lothus in singulari compellant, sicut unus solus ipsos allocutus erat. Hic etiam dicendum esset, quod Christo resurgente, multa etiam corpora sanctorum qui dormierant resurrexerint; & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerint in sanctam civitatem, & apparuerint multis, *Matth.* XXVII. 53. nisi jam supra isto labore defuncti fuissemus, & indicassemus quomodo id sit accipiendum, cum de morte Christi ageremus.

CAPUT. XIV.

De variis Christi redivivi Apparitionibus.

I. *Christum prius apparuisse mulieribus quam discipulis.* II. *Et se primo conspiciendum dedisse Mariæ Magdalenæ.* III. 2. *Eidem & reliquis mulieribus.* IV. 3. *Simoni Petro.* V. 4. *Discipulis Emauntem euntibus.* VI. 5. *Omnibus discipulis excepto Thoma.* VII. 6. *Et una cum Thoma.* VIII. *De missione Apostolorum.* IX. *Spiritus S. insufflatione.* X. *Et potestate remittendi peccata.* XI. 7. *Apparuisse discipulis ad mare Tiberiadis, & Petro oves suas pascendas commisisse.* XII. *Pascere non significare summam potestatem exercere.* XIII. *Nec per agnos & oves intelligi Episcopos & Reges ipsos.* XIV. *Nec si data fuisset Petro summa potestas in omnes, eam etiam Romano Pontifici competere.* XV. *Christum Petro martyrium prædixisse.* XVI. 8. *Apparuisse undecim discipulis in Galilæa.* XVII. 9. *Jacobo seorsim.* XVIII. 10. *Ascensionis suæ die omnibus discipulis.* XIX. *Varios esse fines sive fructus præcedentis doctrinæ.*

I. LOcus hic, & ordo rerum, à nobis huc usque pertractatarum, postulant, ut de multiplicibus Christi apparitionibus nunc agamus, quibus resurrectionis suæ veritatem confirmavit; spatio quadraginta dierum cum discipulis suis familiariter conversans, donec ab eis avelleretur, & in cœlum ascenderet. Apparuit autem primo mulieribus, quæ transacto Sabbato in quiete, summo mane prima die hebdomadis venerant ad sepulcrum ut corpus ejus aromatibus condirent. Nam quamvis hoc infirmitatis fidei fuerit, *quod viventem inter mortuos quærerent*, ut exprobrant illis Angeli, *Luc.* XXIV. nec meminissent verborum Domini, qui resurrectionem suam illis aliquoties prædixerat; tamen fervens illarum amor tantopere placuit ipsi, ut eas primas, & ante omnes discipulos, sui redivivi manifestatione dignas censuerit. Et sane discipuli qui Dominum suum turpiter deseruerant, & resurrectionis ejus spem pene omnem abjecerant, merebantur ut per sanctas istas mulieres pudefierent, & ab illis primum nuntium acciperent miraculi cujus præcones ipsi esse debebant. Quamvis enim postea ex veterno suo evigilarint, & ad sepulcrum Christi accesserint ut eum quærerent, non tamen id fecerunt antequam ex relatione mulierum de eo quod contigerat edocti fuissent. Hic autem aliquod occurrit dubium, circa tempus quo istæ mulieres ad sepulcrum venerunt & Christum viderunt. Cum enim Marcus dicat id factum ἀνατείλαντος ἡλίου, *orto* vel *oriente sole*; Joannes contra, πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης, *mane cum adhuc tenebræ essent*; cum quo optime convenit Lucas, ὄρθρου βαθέος, *profundo diluculo*. Sed nodus iste non est solutu difficilis. Nimirum summo mane, cum adhuc tenebræ operirent terram, fœminæ istæ se comparant ut eant ad sepulcrum; sed interea dum ut fit aliæ alias exspectant, & magnam istam urbem pertranseunt, & ad sepulcrum veniunt, quod erat extra urbem, & forte aliquantum remotius, jam sol oriebatur, aut jam ortus erat.

II. Nunc ut melius intelligantur apparitiones Christi ab Euangelistis memoratæ, eas ordine quantum fieri poterit recensebimus. Illæ contigerunt aut ipso resurrectionis die, aut sequentibus. Resurrectionis die apparuit *primo* Mariæ Magdalenæ, è qua septem dæmonia ejecerat, idque statim mane, *Marc.* XVI. 9. *Joan.* XX. 1, 11. *& seqq.* Ipsa vero oculos, ut videtur, virtute divina retentos habens, eum illico non agnovit, sed hortulanum esse putavit. At postea voce ejus excitata, ad se rediit, & videns ipsum esse, *Rabboni* nomine compellavit. Et cum præ gaudio atque amoris sui testandi gratia propius accedere vellet & ipsum tangere, à Jesu impeditur, dicente, *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Ubi quæritur, cur ab ista pia muliere tangi noluerit, cum tamen Thomam & reliquos discipulos ut id facerent ultro provocarit, *Infer digitum tuum huc, &c. Videte & palpate, &c.* & quid sibi velit hæc ratio: *Nondum enim, &c.* Respondeo. Mulier hæc non indigebat confirmari in fide resurrectionis Jesu, de qua satis erat jam

jam ad primum ejus aspectum & compellationem persuasa; sed Thomas & Apostoli opus habebant hoc suæ imbecillis fidei fulcimento. Revocare autem illam videtur voluisse ab affectu humano & terrestri, quem in ea deprehendebat, ad divinum & cœlestem. Quasi diceret, Tu me vis corporeis manibus tangere ut amorem tuum erga me testeris; sed postea, cum ad Patrem meum ascendero, & à te corpore ero separatus, tu me longe præstantiori ratione continges, nempe fidei manu, qua unum mecum fies. Nolim tamen improbare illorum expositionem, qui hanc rationem Christi, cur à Maria Magdalena tangi nollet, sic accipiunt, quasi dixisset; Non es cur ita festines me tangere; tu id alias per otium poteris melius facere; nondum enim terram relinquo ut ad Patrem abeam: Est aliud nunc quod magis urget, nempe: *Vade ad fratres meos & dic eis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum.* Cui mandato ipsa statim & sine ulla mora obtemperavit.

III. *Secundo* Jesus apparuit reliquis mulieribus, nempe præter Mariam Magdalenam, Mariæ Jacobi & Jose matri, Joannæ, Salomæ, & aliis quæ ipsum secutæ erant è Galilæa. *Matth.* XXVIII. 9. ubi dicitur, *Illæ accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*, Jesu illis, simulque Mariæ Magdalenæ quæ cum ipsis erat, concedente, quod antea Mariæ Magdalenæ soli non permiserat. Cujus diversæ οἰκονομίας graves procul dubio habuit rationes, etiamsi eæ nobis statim non pateant.

IV. *Tertio* apparuit Simoni Petro, *Luc.* XXIV. 34. & 1 *Cor.* XV. 5. Ubi incertum, an id factum fuerit cum admonitus à Maria Magdalena mane cum altero discipulo, quem amabat Jesus, id est Joanne, accessit ad monumentum, *Joan.* XX. 2. *& seqq.* Hic enim non dicitur Jesum fuisse à Petro conspectum; &, si à Petro tunc fuisset conspectus, Joannes quoque ejusdem manifestationis fuisset particeps, quandoquidem ambo erant simul. Etsi autem hæc apparitio narretur à Luca post eam quæ facta est duobus illis discipulis Emmauntem proficiscentibus, tamen videtur præcessisse; quia cum duo illi veniunt in cœtum Apostolorum, illos quasi de re antea facta dicentes audiunt, *Quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.*

V. *Quarto* ergo apparuit duobus illis discipulis Emmauntem euntibus, ut obiter narrat *Marcus* XVI. 12. sed prolixe *Lucas cap.* XXIV. Quibus incognitus, quia oculi ipsorum tenebantur ne eum agnoscerent, probat ex Scripturis Veteris Testamenti *oportuisse Christum pati & sic ingredi in gloriam suam*; aperiens sensum mysticum Prophetiarum, ut eas possent intelligere, quemadmodum de omnibus Apostolis dicitur *ibid. versu* 44. *& seqq.* Deinde agnitus fuit ab ipsis in fractione panis; nempe quia aperti fuerunt illorum oculi, seu remotum illud impedimentum quod prohibebat ne ipsum possent agnoscere.

VI. *Quinto* visus fuit ab omnibus discipulis simul congregatis, excepto Thoma qui tunc non erat cum illis, *Luc.* XXIV. 36. *& seqq. Joan.* XX. 19. *& seqq.* Ingressus autem est ad eos vesperi, cum fores essent clausæ propter metum Judæorum, non corpore suo illas penetrans, sed miraculose virtute divina aperiens. Ibi ad confirmandum fidem illorum, quia videbat eos perturbatos subito suo ingressu, & ipsum pro spiritu seu spectro aliquo habere, obtulit manus & pedes suos inspiciendos & palpandos; & coram ipsis partem piscis assi & favum mellis comedit. Et hæc omnia ipso resurrectionis die contigerunt. Utrum sequentibus immediate diebus se videndum exhibuerit aliquibus, non dicitur expresse ab Euangelistis. Certum tamen esse videtur ipsum non sivisse dies illos abire otiosos. Nam frustra tam diu moratus esset in terris, si à nemine per multos dies conspectus fuisset. Nec verum esset quod dicit Lucas *Act.* I. 3. *Præbuit se ipsum vivum Apostolis post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.*

VII. *Sexto* apparuit omnibus Apostolis octavo à resurrectione sua die, cum Thomas una cum reliquis esset, *Joan.* XX. 26. ibi ostensis manibus, pedibus & latere suo convicit eum incredulitatis, adjectis hisce verbis, *Quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt & crediderunt*; id est, qui etsi non viderint Jesum redivivum, nihilominus in eum sibi annunciatum postea credent. Non quod beatus non esset Thomas, qui viso demum & palpato Jesu corpore, eum resurrexisse credidisset: (magnum enim erat hoc Dei erga eum beneficium) sed quia non esset adeo beatus atque illi qui majorem in credendo promtitudinem ostendunt; quales fuerant ii quibus Petrus hoc testimonium perhibet; *Quem* (Jesum) *cum non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis; credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & gloriosa, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum*, 1 *Epist.* I. 8, 9. Pii enim est animi & amore virtutis incensi, contentum esse probabilibus argumentis ubi agitur de præmio doctrinæ sanctissimæ, quam omnes sponte amplecti tenemur. Demonstrationes hic poscere, eorum est qui incredulitati & impœnitentiæ suæ prætextus quærunt; quasi non sine causa in peccatorum luto adhuc hæreant. Inferior ergo fuit dignitate Thomæ fides, qui nonnisi iis quæ vidit oculis suis, & manibus palpavit, credere voluit, illorum fidei, qui postea per ejus & aliorum Apostolorum prædicationem, Christum resurrexisse à mortuis crediderunt. Sed istud non sine dispensatione providentiæ divinæ factum est, ut Thomas & reliqui Apostoli, sibi tam difficulter rem istam persuaderi finerent. Nam multum ad fidei nostræ confirmationem inservit; cum sciamus nos adhibere fidem testimonio illorum, qui nihil nisi penitissime exploratum & perspectum pro vero agnoscere voluerunt.

runt. Memorabilia autem quædam contigerunt in illa decem discipulis facta prius apparitione, cui non interfuit Thomas, quorum tamen ipsum postea fuisse participem factum, Apostolatus ejus arguit. Qualia sunt, quod Jesus miserit discipulos suos ad prædicandum Euangelium, insufflaverit in eos ut acciperent Spiritum S. & potestatem illis dederit remittendi & retinendi peccata. Sed quod tam cito illa atque cæteri condiscipuli non obtinuerit, ostendit quam periculosum sit à sanctorum cœtibus, ubi Deus gratias suas distribuit, se sejungere. Non semel autem Christum hæc dixisse illis, inde colligitur, quod Matthæus & Marcus mandatum annunciandi Euangelium omnibus creaturis ad ultimas Christi apparitiones referunt. Et sane res ista tanti erat momenti, ut eam non obiter tantum dici, sed aliquoties iterari conveniret, prout D. Jesu moris fuisse videmus, ex. gr. quando mortem & resurrectionem suam prædixit, & alia ejusmodi. Non erit ergo inconsultum si hic aliquantulum immoremur.

VIII. *Primum* dicit eis, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, nempe ad prædicandum Euangelium per totum orbem. Non quod vellet ipsos extemplo ad istud opus se accingere, & ante suam in cœlum ascensionem. Nam mens ejus erat ut expectarent donec accepissent Spiritum S. ut constat ex *Luc.* XXIV. 49. *Et ecce ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate quo ad usque induamini virtute ex alto.* Mitto igitur, per enallagen temporis, idem est hic, atque si diceret, Ego vos paulo post mittam. Illud autem, *Sicut misit me Pater*, non significat Christum parem omnino potestatem Apostolis suis conferre, ei quam à Patre acceperat; sed similem; ita ut semper appareat discrimen inter Dominum & servos. Similitudo autem inter Christum & Apostolos in hoc consistit. 1. Quemadmodum Pater perfecte instituit filium, & de voluntate sua edocuit, ut eam hominibus annunciaret, ita etiam Christus Apostolos; quod non tantum viva voce fecit quamdiu cum illis versatus est, sed etiam per Spiritum S. quo ipsos post exaltationem suam perfudit, & in omnem veritatem, ut promiserat, deduxit. 2. Quemadmodum Pater instruxit Christum virtute ad faciendum omnis generis miracula, quibus doctrinam suam confirmaret, ita etiam Christus discipulos suos; hoc solum discrimine, quod Christus miracula faceret in nomine Patris sui, *Joan.* X. 25. Apostoli vero in nomine Christi, *Act.* III. 6, 16. & quod Christus hanc virtutem in se residentem haberet, ut quotiescunque vellet, miracula ederet; Apostoli vero non semper id possent; ut apparet ex Paulo qui carissimos suos Epaphroditum & Timotheum miraculose sanare non potuit; illum à morbo periculosissimo, *Philipp.* II. 27. hunc ab infirmitate stomachi, 1 *Tim.* V. 23. Et coactus fuit Trophimum Mileti ægrotantem relinquere, 2 *Tim.* IV. 20.

IX. *Secundo*, *Christus insufflavit in Apostolos, & dixit eis*, *Accipite Spiritum S.* Ubi quæritur, quomodo eis communicare potuerit Spiritum S. cum id reservatum esset ad tempus glorificationis ipsius, ut discimus ex *Joan.* VII. 39. & XVI. 7. Deinde, si tunc eis dederit Spiritum S. quid necesse fuerit eum postea mittere in die Pentecostes? Quidam respondent Christum illo tempore aliqua ipsis Spiritus S. dona communicasse; copiam autem illam qua replerentur distulisse usque ad ascensionem suam. Sed non satisfaciunt mihi. Christus enim non videtur in terris adhuc commorans effundere voluisse Spiritum S. in Apostolos, cum semper eos remiserit ad tempus quo ab ipsis abiisset. Nec illa insufflatio fuit aut Spiritus S. aut instrumentum quo conferretur. Puto ergo illum signo isto visibili ostendisse, se tam certo post exaltationem suam Spiritum S. in eos missurum de cœlo, quam manifeste sentiebant tunc halitum quo eos afflabat. Ita ut horum verborum, *Accipite Spiritum S.* sensus sit, paulo post indubie accipietis eum. Sicut videmus Prophetas ad certitudinem eventuum quos prædicunt indicandam, uti aliquando verbis præsentis, aut etiam præteriti temporis.

X. *Tertio*, istud, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*; convenit cum eo quod legimus *Matth.* XVIII. *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Solvere* enim idem est ac *remittere peccata*; & *ligare*, idem quod *illa retinere*. Utrumque autem de ministeriali & limitata potestate accipiendum esse, per se patet. Suprema enim & illimitata solius Dei est. Dedit ergo Christus Apostolis potestatem remittendi peccata iis, quorum agnoscebant fidem & pœnitentiam esse sinceram, nempe per donum discretionis spirituum quo instructi erant, 1 *Cor.* XII. *v.* 10. addito promisso remissionem hanc fore ratam apud Deum. Et ejus signum erat sanatio morborum, qui aliquibus propter peccata immissi fuerant; de qua *Jacob* v. 14, 15. Similiter etiam iis dedit potestatem, à beneficio remissionis excludendi impœnitentes & hypocritas, qui simulabant pietatem quam non habebant; in cujus signum aliquando iis pœnas corporales infligebant; ut testatur exemplum Ananiæ & Sapphiræ, *Act.* v. Elymæ Bar-Jesu, XIII. & eorum qui traditi fuerunt Satanæ cruciandi, ut incestuosus ille Corinthius, 1 *Cor.* v. 5. Hymenæus & Alexander, 1 *Tim.* I. 20. Unde apparet potestatem hanc fuisse miraculosam, in qua nullos habuerint successores; ita ut temere eam sibi nunc vendicent Sacerdotes Pontificii, quibus non est data.

XI. *Septimo* Christus apparuit septem discipulis ad mare Tiberiadis, nempe Petro, Thomæ, Nathanaëli, filiis Zebedæi, & aliis duobus discipulis, *Joan.* XXI. 1, 2. Sed, inquies, Joannes ipse *versu* 14. dicit hanc fuisse tertiam

ejus

ejus apparitionem; *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis cum resurrexisset à mortuis.* Respondeo. Id intelligendum esse de apparitione quæ pluribus simul sit facta, non seorsim uni, aut duobus, quas plures ex præcedentibus fuisse constat. Hic se Christus variis modis cognoscendum dat istis discipulis. 1. Miraculo insigni capturæ 153 magnorum piscium, quos simul involverunt reti suo, & licet tot & tanti essent non est scissum. 2. Apparens iis ad littus, dum illa piscatione occupati erant, piscem superpositum prunis & panem; ex quibus iis postea manducandum dedit, & (ut omnino verisimile est) simul edit. 3. Colloquio familiari cum Petro de diversis rebus; Nam interrogat ipsum primo, *utrum se plus diligeret reliquis discipulis*, & ei commendat *pascendos agnos suos*, idque non semel fecisse contentus secundo & tertio repetit. Ubi quæritur cur Jesus istud soli Petro dixerit, non etiam aliis, & cur id ter dixerit. Respondeo. Causa ejus non est difficilis investigatu. Nam cum Jesus paulo antequam comprehenderetur dixisset discipulis suis, *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte:* Petrus responderat, *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Et Jesu subjungente, *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis*; Petrus dixerat, *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, *Matth.* XXVI. 31. Et tamen paulo post, ut notum est, ita offensus fuerat Petrus iis quæ Jesu acciderant, ut ad se periculo liberandum, ter eum turpiter abnegaverit. Merito igitur nunc Jesus illi tantam confidentiam exprobrat, qui cum se reliquis omnibus discipulis prætulisset, gravius tamen illis lapsus fuerat, & cum ter ab illo abnegatus fuisset, trinam etiam amoris illius erga se professionem exegit, qua peccatum admissum aliquo modo repararet; Et quia indignum se reddiderat Apostolatus munere in illud eum restituit, ter ei agnos & oves suas pascendas committendo. In quo observandum Petrum infirmitate sua agnita ex isto lapsu, interrogatum à Christo, *Simon Jona diligis me plus his?* non ausum esse amplius cæteris se præferre, sed contentum fuisse dicere, *Etiam Domine, tu scis quia amo te.* Quare corruunt omnia illa quæ Pontificii ex hoc loco eliciunt, ad adstruendum Petri & successorum ejus in Ecclesia dominatum. Petrus certe non intellexit sibi à Christo conferri primatum trina ista interrogatione. Non enim ea fuisset contristatus.

XII. Dicunt 1. voce *Pascendi* summam designari potestatem; quia is non proprie dicatur alium pascere qui cibum quacumque ratione subministrat; sed qui procurat alteri cibum, quod est gubernatoris. Itaque pascere ex communi usu omnem pastoralem actum comprehendere, qui non est tantum præbere cibum, sed etiam ducere, reducere, tueri, præesse, regere, castigare. Hinc Deum dicere de Cyro rege apud Esaiam XLIV. *Cyrus Pastor meus*; & Homerum vocare frequenter Agamemnonem *ποιμένα λαῶν*, *Pastorem populorum.* Sed respondeo, falsum esse voce *Pascendi* summam significari potestatem; cum sæpe usurpetur etiam de illorum munere qui non suas sed alienas oves pascunt, in quas nullum jus nisi precarium habent. Sic *Gen.* XIII. nominantur pastores gregis Abraham, & pastores gregis Loth. & *cap.* XXX. Jacob dicit Labani, *Pascam & custodiam pecora tua*; & tamen ibidem munus istud vocat servitutem, *Tu nosti servitutem qua servivi tibi.* Et quod attinet ad metaphoricam acceptionem, ea ordinarie in Scripturis usurpata reperitur de iis, qui tantum subalternam habent Ecclesiam regendi potestatem. Id videre est *Ephes.* IV. ubi Paulus recenset munera, quæ Christus instituit, & quarto loco collocat Pastores, post Apostolos, Prophetas & Euangelistas. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Et 1 *Petr.* V. ubi Apostolus Presbyteris præcipit, *Pascite gregem*; quos tamen Pontificii volunt inferiores esse, non tantum Apostolis, sed etiam Episcopis. Etsi ergo pascendi vox cum de Regibus usurpatur summam designet potestatem, non tamen sequitur idem significare cum de munere Ecclesiastico accipitur; imo ne quidem dominationem ullam comprehendit, ut apparet ex modo citato Petri loco, ubi prohibet ne Presbyteri, quibus pascendum commendavit gregem Dei, *dominentur in cleris.* Quare absurdum est quod Bellarminus in Recognitione operum suorum, quam senex edidit, dicit ex istis Christi ad Petrum verbis, *Pasce oves meas*, colligi auctoritatem regio more imperandi; cum Christus nolit suos discipulos similes esse Regibus & Principibus; *Scitis quia principes gentium dominantur eis, & magnates potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus &c. Matth.* XX. Præterea nullam Petro supra cæteros Apostolos datam esse potestatem istis verbis, *Pasce oves meas*, colligitur ex eo, quod omnibus æqualiter idem munus Euangelii prædicandi commisit, *Sicut me Pater misit, ita ego mitto vos; quorumcunque remiseritis peccata: ite in orbem universum prædicate Euangelium omni creaturæ &c.* ubi nulla Petro supra cæteros prærogativa est data. Certe Paulus eam non agnovit, qui non veritus est ei resistere in faciem, *Gal.* II. 11. & dicit *ibid. Ab iis qui putantur esse aliquid, qualescumque fuerint, nihil mihi discrepat*, vel ut vulgo, *mea interest &c.* Magnum autem discrimen fuisset inter Petrum & Paulum, si ille Princeps fuisset Apostolorum & totius Ecclesiæ, hic vero subditus. Idem etiam probatur ex eo quod legimus *Act.* VIII. 14. Apostolos qui erant Hierosolymis, cum audivissent quod Samaria recepisset verbum Dei, misisse ad eos Petrum & Joannem. Si enim Petrus fuisset princeps reliquorum Apostolorum, ipsi non habuissent auctoritatem

eum

cum mittendi, ſed ejus potius erat alios mittere quocunque vellet. Non quod velim negare Petrum in collegio Apoſtolico fuiſſe principem, id eſt primum, ſeu præſidem. Iſtud enim utrimque in confeſſo eſt; ſed nullam ei collegis imperandi poteſtatem tribuit.

XIII. 2. Argutantur in vocibus *agnorum* & *ovium*, dicentes Chriſtum non tantum mandaſſe Petro ut paſceret agnos, id eſt laïcos, ſed etiam oves, id eſt Presbyteros, Epiſcopos, Reges & Principes Ubi obſervandum eſt in Græco textu in primo mandato haberi vocem ἀρνία, in ſecundo vero & tertio vocem πρόβατα; contra in vulgata verſione in duobus primis mandatis exſtare vocem agnos, in tertio oves; & putare quoſdam ſecundum locum eſſe corruptum, & pro voce πρόβατα in Græco, legendum eſſe προβάτια, id eſt oviculas vel agnos; nitentes eo quod Ambroſius *in Lucam capite ultimo* dicit, Chriſtum commendaſſe Petro. 1. *ἀρνία*, *agnos*. 2. προβάτια, id eſt *oviculas*. 3. πρόβατα, id eſt *oves*. Sed quamvis admitteretur hæc diverſa lectio, & præferretur vulgatæ (quod non eſt neceſſe) non tamen eſſet probanda modo allata interpretatio. Nam nihil vetaret per agnos, oviculas, & oves, intelligi diverſos gradus fidelium, quorum alii ſunt incipientes, ſeu recenter ad fidem converſi & inſtar agnorum adhuc valde infirmi; alii proficientes, in quorum cordibus fides eſt aliquanto profundius radicata, & inſtar ovicularum fructus aliquos bonorum operum jam edidit; alii denique adulti, qui ſunt confirmati in fide, & ut fœcundæ oves ex ea omnis generis fructus cum alacritate edunt. Hi enim omnes erant commiſſi curæ Petri; non tantum primi & ſecundi, circa quos major ſollicitudo requiritur, ſed etiam tertii, qui aliquando opus habent, præſertim tentatione ingruente, ut in ſancto propoſito roborentur. Nuſquam vero Petro in reliquos Apoſtolos poteſtas ulla eſt data, ſed omnes æquales in munere illo fuerunt; multo minus in Reges & Principes.

XIV. Sed fac hæc omnia eſſe ut volunt, quid inde redibit ad Pontificem Romanum? Dicunt eum Petri eſſe ſucceſſorem. Proferant ergo tabulas teſtamenti, quibus Petrus eum hæredem poteſtatis ſuæ inſtituerit. Mortuus eſt Romæ. Sed quid hoc facit ad jus ſucceſſionis Epiſcopo Romano tribuendum? Si Petrus in ignobili aliquo pago diem ſuum obiiſſet, an propterea illius loci parochus, eſſet totius Eccleſiæ caput? Petrus vixit Romæ multos annos & Eccleſiam illam adminiſtravit. Reſpondeo, incertum illud eſt. Vix enim conciliari poteſt cum hiſtoria Apoſtolica deſcripta à Luca, & iis quæ Paulus dicit in diverſis Epiſtolarum ſuarum locis, ubi quando de Roma agitur nulla Petri mentio occurrit; imo multa dicuntur, quæ oſtendunt illum ibi tunc non fuiſſe. Multo certius eſt Petrum diu Eccleſiam Antiochenam rexiſſe; nec tamen propterea Epiſcopus Antiochenus unquam habitus eſt pro totius Eccleſiæ capite. Chriſtus mortuus eſt Hieroſolymis, nonne potius iſtud dignitatem capitis deberet Epiſcopo illius urbis tribuere, ſi dignitas illa eſſet hæreditaria, & ad ejuſdem ſedis Epiſcopos tranſiret? Quicquid ergo habuit Papa Romanus auctoritatis jam ab antiquis temporibus, illud non Petri ſucceſſioni debet (nullos enim Apoſtoli ſucceſſores habuerunt in ſuis muneribus) ſed dignitati urbis quæ erat Imperii caput, & Synodi Nicænæ decretis, quæ Canone VI. iſtius rei habita ratione Romano Epiſcopo, ut interpretatur Ruffinus, ſuburbicarias provincias ſubjecit, & primum ordine ipſum inter Epiſcopos eſſe voluit. Sed tamen nullum in reliquos Epiſcopos imperium ei conceſſit; imo conſtituit in Synodo Chalcedonenſi Can. 28. vel 27. qui deeſt in quibuſdam Latinis editionibus, ut Epiſcopus Conſtantinopolitanus æqualis eſſet Romano, quia Conſtantinopolis tunc erat imperii ſedes & nova Roma. Non attulit hæc Synodus Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſucceſſorem eſſe Andreæ, qui Petri erat frater; quod pari jure facere potuiſſet atque Romani Pontifices poſtea de Petri ſucceſſione gloriati fuerunt. Sed nondum ejuſmodis ficulneis argumentis cœptum erat inter Chriſtianos pugnari.

XV. Eodem tempore Chriſtus violentam crucis mortem Petro prædicit, *Cum ſenueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis*; *ſignificans* (ut addit Evangeliſta) *qua morte eſſet glorificaturus Deum*; & poſtea dicens ei, *Sequere me*; id eſt, tolle crucem tuam ſicut me ante te feciſſe vides. Unde colligitur, illos etiam martyres morte ſua glorificare Deum & Deo eſſe acceptos, qui inviti ad ſupplicium trahuntur; id eſt mallent illud non ſubire, ſi honeſta aliqua evadendi via ſe offerret; cum id Petro contigerit, imo etiam ipſi D. Jeſu Chriſto, qui dicebat, *Pater, ſi fieri poſſit, tranſeat à me hic calix, ut non bibam eum.* Contra quam exiſtimarunt quidam ex veteribus, qui nec comprehenſi imo nec quæſiti à Chriſtianæ fidei adverſariis, ultro ſe morti obtulerunt. In quibus magnus quidem fuit gloriæ divinæ zelus, ſed forte non ſatis ſecundum ſcientiam; imo id temeritatem aliquam & nimiam ſui confidentiam ſapere videtur; quam Deus interdum teſtatus eſt ſibi diſplicere, deſerendo eos & permittendo ut turpiter laberentur & fidem abnegarent, qui tantopere viribus ſuis confidebant. Sufficit ergo crucem fortiter ferre, ubi nos Deus eò vocat, & non eſt opus eam acceſſere aut antevertere. Cum autem hæc Chriſtus Petro dixiſſet, & ille diſcipulum quem Jeſus diligebat, id eſt Joannem, ſequentem videret, curioſitate quadam humani ingenii ductus, interrogavit eum, *Domine hic autem quid?* id eſt, an etiam morte ſua violenta ſicut ego teſtimonium veritati præbebit? reſpondit ei Jeſus, *Si volo eum manere donec veniam, quid ad te? Unde ſermo exivit inter fratres fore ut diſcipulus ille non more-*

mereretur; *licet id Jesus non dixisset*. Nam hæc verba, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, non significant eum non moriturum, etiamsi redderentur ut in vulgata editione, *Sic volo eum manere donec veniam*. Non enim est necesse istum Christi adventum de ultimo interpretari, quo rediturus est de cœlo ad judicandum vivos & mortuos; potestque non minus commode accipi de alio aliquo adventu in spiritu, ut *Apoc.* II. 5, 16. *veniam ad te cito &c.* nimirum ad te castigandum. Et verisimile est Christum subindicare voluisse suum adventum ad Judæos incredulos perdendum, & Hierosolymorum atque totius gentis excidium. Cui adventui Joannes fuit superstes, qui ad imperium usque Trajani vixit, id est triginta circiter annis post, & placide in Domino ætate confectus exspiravit.

XVI. *Octavo*, Christus apparuit undecim discipulis simul in monte quodam Galileæ, ut prænunciaverat eis *Matth.* XXVIII. 16. Ibi videtur contigisse celebris illa apparitio, *plusquam quingentis fratribus simul*, cujus meminit Paulus I *Cor.* XV. 6. Nam cum eis Jesus indicasset locum, & forte etiam tempus, omnes pii, qui ejus videndi studio flagrabant, eo se contulerunt.

XVII. *Nono*, apparuit Jacobo seorsim, ut innuit Paulus I *Cor.* XV. 7. Solius enim Jacobi non videtur mentionem fuisse facturus, si tunc alii quoque præsentes fuissent; cum nihil singulare de eo observet.

XVIII. *Decimo*, Ascensionis suæ die manifestavit se omnibus discipulis, tum Hierosolymis, tum Bethaniæ, seu ad montem Oliveti ubi sita erat Bethania, *Luc.* XXIV. *Actor.* I. Dicit enim illic Lucas Christum præcepisse discipulis ne abscederent Hierosolyma, & eduxisse eos foras in Bethaniam. Ergo ex urbe Hierosolyma, à qua Bethania distabat circiter stadiis quindecim, *Joan.* XI. 18. id est paulo minus quam duo millia passuum. Et hæ sunt apparitiones Christi, quarum expresse meminerunt Scriptores sacri; præter quas multas alias fuisse colligitur satis evidenter ex eo, quod post resurrectionem commoratus adhuc fuerit in terris per quadraginta dies; & quod scopus ejus fuerit non tantum discipulis plenam facere resurrectionis suæ fidem, (ad quod supra memoratæ apparitiones abunde suffecissent) sed etiam eos perfectius instituere in iis, quæ pertinebant ad regnum Dei, quam antea fecerat cum nondum possent ferre. Institutio enim ista plus aliquanto temporis requirebat; cui etiam vacasse eum quadraginta illis diebus, Lucas asserit diserte *Act.* I. 3.

XIX. Superest ut aliquid addamus de finibus resurrectionis Christi, sub quibus etiam usus ad nos redeuntes comprehenduntur. Ii sunt multiplices; & *primus* quidem qui observandus se offert, est Dei Gloria. Nam Deus suscitando Jesum Christum ex morte ostendit quanta esset sua potentia, & se vitæ ac mortis esse Dominum, cujus imperium etiam inferi & sepulcrum agnoscant. Unde Paulus dicit, *Christus excitatus est ex mortuis ad gloriam Patris*, *Rom.* VI. 4. Item *Deum excellentem magnitudinem potentiæ suæ exeruisse in Christo cum excitavit eum ex mortuis*, *Ephes.* I. 19, 20. Quam virtutem Diis suis inesse Ethnici non credebant; ut testatur exemplum Atheniensium, qui Paulum ipsis de resurrectione mortuorum verba facientem irridebant, *Act.* XVII. 32. Imo ipsi Sadducæi in lege Dei instituti in controversiam trahebant; quibus Christus exprobrat quod *errarent*, *nescientes Scripturas*, *neque virtutem Dei*, *Matth.* XXII. 29. *Secundus* finis est, Confirmatio Christum fuisse à Deo missum & ejus doctrinam esse veram atque divinam. Id docet ipse respondens Scribis & Pharisæis qui petebant ab eo signum; *Generatio mala & adultera signum quærit*, *& signum non dabitur ei*, *nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus*, *sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, *Matth.* XII. 38, 39, 40. & XVI. 4. Item, *Solvite templum hoc*, *& in tribus diebus excitabo illud*, *Joan.* II. 18, 19. *intelligens istud*, ut explicat Euangelista, *de templo corporis sui. Et cum resurrexisset à mortuis*, *recordati sunt discipuli ejus*, *quia hoc dixerat*, *& crediderunt Scripturæ & sermoni quem dixit Jesus. ibid. v.* 22. Nec poterat Deus illustriore ratione ostendere se misisse Christum, & auctorem esse doctrinæ quam ille hominibus annunciaverat, quam suscitando ipsum à morte. Cum enim ante Christus ipse signum hoc dedisset iis, qui à se signum postulabant, apparet ex eventu ipsum verum dixisse. Deus enim impostori, qui falso jactasset se de cœlo venisse, noluisset auctoritatem conciliare, ipsum à morte suscitando; quod fuisset efficaciam invincibilem pernicioso errori dare. Eo spectat etiam quod dicit Paulus de Jesu Christo, *Eum definitum seu declaratum fuisse filium Dei in virtute*, *secundum Spiritum sanctificationis*, *ex resurrectione mortuorum*, *Rom.* I. 4. Nam etiam Deus resuscitando Jesum ostendit se probare quod ille sæpius dixerat, se esse Dei filium; alioqui si id falso jactasset, ipsum procul dubio, quemadmodum reliquos omnes homines, imo ut pseudoprophetam, in morte reliquisset. *Tertius* finis est, Confirmatio hujus specialis articuli fidei, eos qui Deo confidunt & mandata ejus observant in vitam æternam resurrecturos. Deus enim Christum tanquam pignus promissorum suorum nobis dedit, ut perinde nobiscum actum iri atque cum eo sciremus. Quod argumentum Paulus prolixe tractat I *Cor.* XV. ex resurrectione Christi probans omnes fideles similiter resurrecturos. Ipse est primitiæ, nos vero massa: quod autem primitiis contigit, massæ quoque contingere oportet. Ipse est caput, nos ejus membra; eadem autem membrorum sors esse debet quæ capitis. Sicut caput non est derelictum in morte, ita neque membra deserentur. *Quartus* finis, est Resurrectio nostra spiritualis, seu regeneratio in me-

meliorem vitam. De quo sic loquitur Petrus 1 *Epist.* 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis &c.* Et hic finis ortum ducit ex præcedentibus. Cum enim videmus Christum, qui Deo confidit & usque ad mortem crucis obedivit, à Deo suscitatum esse & immortali gloria donatum, non potest fieri quin studium in nobis accendat vestigia ejus premendi, ut idem fidei & obedientiæ nostræ præmium consequamur. Eoque etiam refertur id quod dicit Paulus *Rom.* IV. 25. *Christum suscitatum esse propter justificationem nostram*; quia nimirum credentes in eum, à peccatis resipiscimus & in novitate vitæ ambulamus, ut à Deo justificemur. Unde *capite sequente*, majorem efficaciam ad nos salvandum tribuit vitæ quam morti Christi; *Si enim*, inquit, *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius*; nempe vita illa immortali & gloriosa quam post resurrectionem obtinuit, una cum potestate suos fideles ejusdem participes faciendi.

CAPUT XV.

De Ascensione Christi in cœlum.

I. *Quanti fieri debeat Testimonium Apostolorum affirmantium Christum in cœlum ascendisse.* II. *Effusionem Spiritus S. id abunde testari.* III. *Hanc ascensionem fuisse prædictam Psal.* LXVIII. IV. *& Danielis* VII. V. *Eamque per ingressum Summi Pontificis in Sanctum Sanctorum fuisse adumbratam.* VI. *Per Christi Ascensionem intelligi motum localem.* VII. *E Terra,* VIII. *in Cœlum.* IX. *Solvuntur Lutheranorum objectiones in contrarium. Et* 1. *quomodo Christus dicere potuerit, Ego sum vobiscum &c.* X. 2. *Item, Ubi sunt duo &c.* XI. 3. *Quomodo dici possit in medio candelabrorum ambulare.* XII. 4. *Et implere omnia.* XIII. 5. *Cum supra cœlos non sit locus.* XIV. 6. *Et in cœlis faciem suam convertere & avertere à nobis non possit.* XV. 7. *Et supremi cœli altitudo hanc ascensionem localem impossibilem facere videatur.* XVI. *Patrem potenti sua dextra Filium exaltasse.* XVII. *Ut ejus obedientiam remuneraretur.* XVIII. *Et Christus coram solio divinæ Majestatis sacerdotale suum munus exequeretur.* XIX. *Spiritum S. in suos fideles effunderet.* XX. *Et nos certiores de nostra ascensione redderemur.* XXI. *Et qua via ad illam gloriam pervenire possimus.* XXII. *Id quadragesimo ab ejus resurrectione die contigisse; interea discipulis apparens, & loquens de regno Dei.*

I. RESurrectionem Jesu Christi excepit ejus *Ascensio in cœlum*, quæ est alter gradus per quem in regni sui possessionem ingressus est. Et quia res est magni momenti, de qua nos plene persuasos esse plurimum ad salutem nostram refert, videndum est primo quibus argumentis ejus veritas probetur. Hic ergo habemus XII Apostolos, non solum viros spectatæ fidei & probitatis, sed etiam Prophetas & miraculis claros, qui de ea constanter, sicut & de resurrectione, testati sunt, etsi ex testimonio isto nihil lucri aut honoris temporalis sperare possent, sed contra idcirco incurrerent in hominum odia, & se adversitates maximas atque adeo mortem acerbam subituros non ignorarent. Nam si Judæi non detrectant credere unius Elizæi testimonio de Eliæ domini sui raptu in cœlum, 2 *Reg.* II. multo majorem habemus causam fidem adhibendi tot Apostolis de Jesu Christi Ascensione, ea qua diximus constantia, testantibus. Sicut enim Elizæus fuit oculatus illius rei testis, quippe de quo historia sacra dicit, *Elizæus videbat & clamabat, Pater mi, Pater mi, currus Israël & eques ejus*; sic etiam hujus Apostoli, de quibus Lucas in Actis scribit, *Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Quod si quis objiciat eos omnes pariter decipi potuisse; nam etsi Elizæus viderit Eliam à conspectu suo turbine ablatum, & Apostoli Jesum Christum à nube susceptum, nescivisse tamen eos an Elias & Jesus cœlo recepti fuerint. Unde filii Prophetarum cum audivissent ex Elizæo quod factum fuerat, miserunt quinquaginta viros fortes, qui tribus diebus quærerent Eliam, dicentes, *ne forte tulerit eum spiritus Domini, & projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium.* Respondebo, non ita facile esse probatu Eliam fuisse raptum in cœlum illud supremum, quod est beatæ immortalitatis sedes & ubi Deus una cum Angelis suis habitat; & de eo multos dubitare, existimantes hoc esse unius Jesu Christi privilegium, ut primus hominum, anima & corpore glorificato illuc ingressus sit; quod in medio relinquimus, unicuique permittentes ut quod probabilius videbitur amplectatur. Sed in Jesu Christo ista objectio nullum habet colorem. Nam *primo* cum Apostoli intuerentur in cœlum Jesu abeunte, duo Angeli apparuerunt illis ut dubium istud tollerent, dicentes, *Quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui à vobis assumtus est in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Deinde* etiam apparuit Stephano, cum causam diceret in concilio Judæorum, *Intendens enim oculos in cœlum, vidit gloriam Dei & Jesum stantem à dextris Dei*; idque coram inimicis suis aperte professus est, *Act.* VII. 55, 56. *Tertio* Saulo Damascum proficiscenti ut persequeretur Ecclesiam Dei, *Act.* IX. & XXII. quod etiam testatur ipse 1 *Cor.* XV. 8. *Novissime omnium tanquam abortivo visus est & mihi*; nempe de cœlo.

II. Sed quod omnium etiam pervicacissimorum incredulitatem frangere debet, est effusio Spiritus S. facta in Apostolos die Pentecostes, quæ se exeruit in dono linguarum, & aliorum miraculorum, quæ se in nomine Jesu Christi glorificati & exaltati in cœlis ad dextram Dei facere testabantur. Nam si Jesus Christus non ascendisset vere in cœlum ad Deum Patrem suum, non potuisset inde mittere tam præstans donum, quod à solo Deo proficisci certum est. Unde Auctor ad Hebræos de Apostolis loquens

qui Dominum Jesum audiverant, dicit, *Deum contestatum esse iis signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus S. distributionibus secundum suam voluntatem*, *Cap.* II.

III. Non parum etiam huc facit, quod ascensio Christi à Prophetis olim sub Veteri Test. prædicta & adumbrata fuit. Consensus enim eventuum cum prædictionibus magnum ad fidem nostram confirmandam habet momentum. Tale est vaticinium quod legitur *Psal.* LXVIII. 19. & citatur atque huic rei applicatur à Paulo *Ephes.* IV. 8. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Quod primo quidem sensu & literali intelligitur de magnifica arcæ fœderis introductione in arcem Sion, ubi David ei locum paraverat. Cum enim hæc esset divinæ præsentiæ inter Israëlitas symbolum, Dei nomine quoque insignitur; sicut etiam *Psal.* XXIV. 7. *&c.* & XLVII. 6. quæ confer cum *Numer.* X. 35, 36. Vel etiam de Deo ipso potest accipi, multas Davidi largiente victorias, & velut in prælium cum ipso veniente, hostesque ipsi subjiciente, & eorum spolia inter Israëlitas ejus populares dividente. Sed recte mystico sensu ad Christi, quem arca illa repræsentavit, Ascensionem ab Apostolo refertur, & sequentibus ibidem verbis amplius illustratur, cum addit, *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit supra omnes cœlos ut impleret omnia.* Inter hostes autem illos, quos Christus devicit & velut in triumphum abduxit, præcipui sunt maligni spiritus seu dæmones ejus jugum suscipere recusantes, ut docet idem Apostolus *Coloss.* II. 15. *Et expolians principatus & potestates traduxit palam triumphatis illis in semetipso*, *ἐν αὐτῷ* vel *per eam*, si referatur ad *σταυρὸν*, id est *crucem*, cujus mentio fit ante; quasi Jesu Christi crux fuerit instar currus triumphalis, quo vectus est ad inimicos suos in triumphum abducendos & publice ignominiæ exponendos.

IV. Eo quoque pertinet excellens illa visio quæ apparuit Danieli, *cap.* VII. 13, 14, 15. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & regnum &c.* Videtur enim non potuisse clarius describi exaltatio Christi & imperium cœleste quod à Patre accepit, quam hic factum est. Unde ipse coram Senatu Judæorum comparens eo respexit in his verbis, *Dico vobis, à modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cœli*, *Matth.* XXVI. 64. Quod ipsi pro blasphemia acceperunt, videntes eum sibi applicare illustrem illam Prophetiam de Messia, quæ exstat isto loco apud Danielem.

V. Denique ascensio Christi in cœlum fuit adumbrata per ingressum summi Pontificis in Sanctum sanctorum, quæ fiebat semel quotannis cum sanguine, quem offerebat pro suis & populi peccatis; ut docet Apostolus *Heb.* IX. 7. *& seqq.* ubi pluribus comparationem istam persequitur. Idque nonnulli figurate præsignificatum putant, cum Dominus Deus diceret in visione Ezechieli, *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam. Erit igitur clausa; pro Principe est. cap.* XLIV. 2. Principem autem istum volunt esse Christum, qui solus habuit potestatem ingrediendi in verum Dei sanctuarium cœleste, non cum alieno sanguine, sed suo ipsius, idque nostro bono; unde Apostolus *Hebr.* VI. 20. dicit *Jesum introivisse usque ad interiora velaminis præcursorem pro nobis, factum Pontificem in æternum secundum ordinem Melchisedec.*

VI. Nunc quid per Ascensionem Jesu Christi in cœlum intelligatur dispiciendum est. Et in eo quidem nulla videtur esse difficultas. Sacri enim Scriptores talibus terminis & phrasibus in ea enarranda utuntur, ut appareat manifeste illam esse motum localem vere & proprie dictum, quo Christus deserta terra, in qua hactenus habitaverat, in altum sublatus est usque in supremum illud cœlum, quod est Dei sedes & beatorum Angelorum domicilium. Sic enim *Marcus* XVI. 19. *Dominus igitur postquam locutus fuisset eis* (nempe discipulis suis) *assumtus est in cœlum & sedit à dextris Dei.* Et Lucas Euangelii sui *cap.* XXIV. 51. *Et factum est dum benediceret eis, sejunctus est ab eis & sursum ferebatur in cœlum.* Et in Actis *cap.* I. 9. *Et cum hæc dixisset aspicientibus ipsis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Et Angeli *versu* 11. *Hic Jesus qui assumtus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cœlum.* Et Petrus *cap.* III. 21. *ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι.* Quæ verba habent quidem constructionem ambiguam, &, si Grammaticam respicias, non minus significare possunt quod *Jesus capiat* seu *recipiat cœlum*, quam *ipsum à cœlo capi* seu *recipi.* Sed attendendo ad mentem loquentis, & orationis seriem, non possunt nisi valde absurde priore modo exponi. Petrus enim alloquendo Judæos incredulos qui Jesum interemerant, nihil aliud vult eis indicare, nisi quod Deus suscitaverit Jesum à mortuis & eum in cœlum assumserit. Et cum addit, *Usque ad tempora restitutionis omnium &c.* apparet eum significare voluisse tempus quo deberet commorari in cœlo, conveniente iis quæ ab Angelis antea cum reliquis Apostolis audiverat. Nam crassi illi Judæi, qui nihil de Christo nisi humanum & vulgare sentiebant, non potuissent capere mysterium quod ne Christiani quidem ipsi intelligunt, nempe quod Jesus capiat cœlum. Et si talis fuisset mens Petri, non addidisset istam restrictionem quam modo vidimus; cum (si opinio ista sit vera) Jesus non capiat cœlum solummodo ad certum aliquod & limitatum tempus, sed in omnem prorsus æternitatem. Et Paulus *Ephes.* IV. 10. *Ascendit supra omnes cœlos ut impleret omnia.* Ubi hæc verba, *ut impleret omnia*, non significant Christum implere

omnia prorsus, nimirum cœlum & terram, corpore suo. Ut enim impleret ea hoc crasso & corporali modo, non oportebat eum ascendere supra omnes cœlos. Suffecisset ut se quaquaversum & ubique diffunderet. Imo neque potuisset id facere post ascensionem suam in cœlum, si vi unionis naturæ humanæ cum divina, jam à primo conceptionis suæ momento non minus omnipræsens quam Deus ipse fuisset. Sed sensus est planus iis, qui non habent mentem præjudiciis obnubilatam, nempe Jesum idcirco ascendisse in cœlum, ut Ecclesiam Spiritus Sancti donis implere posset. Oportebat enim ipsum comparendo coram Patre in cœlo impetrare ab eo Spiritum quem in fideles suos mitteret: secundum id quod legimus *Joan.* VII. 39. *Nondum erat Spiritus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Et* XVI. *v.* 7. *Expedit vobis ut ego abeam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Hæc sane ostendunt evidenter per ascensionem Christi verum & proprie dictum motum localem esse intelligendum, quo relicta terra abiit in cœlum.

VII. Sed ad tanto melius præcidendum omnem effugiis locum, distincte nobis considerandi sunt duo termini istius motus, nempe à quo & ad quem. Terminus à quo ascensionis Christi fuit terra, in qua toto ministerii sui tempore commoratus fuerat cum Judæis. Et in ea mons Oliveti distans Hierosolyma itinere Sabbati, id est circiter duobus mille cubitis, seu mille passibus vulgaribus. Elegisse autem videtur Dominus Jesus ad ascensionem suam hunc locum editum, è quo facilis esset prospectus in omnia circumjacentia, ut qui præsentes erant & de illa testimonium perhibere debebant, non haberent occasionem idem suspicandi quod filii Prophetarum de Elia, *ne forte tulisset eum Spiritus Domini & projecisset eum in aliquem montem aut vallem*; cum omnia vicina loca oculis ipsorum paterent, & ipsum sursum sublatum fuisse clare animadvertissent. Jesum autem locum è quo ascendit deseruisse, ita ut post Ascensionem suam non amplius ibi esset corpore præsens, satis ostendit cum dicit, *Iterum relinquo mundum & abeo ad Patrem, Joan.* XVI. 28. *& versu* 7. *Expedit vobis ut ego abeam.* Et *Matth.* XXVI. 11. *Semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habebitis.* Item *si Christus esset in terra, nequidem foret Pontifex &c. Hebr.* VIII. 4. Hæc enim vera non essent, si corpore suo præsens esset in terra. Ille enim non potest dici abiisse ex aliquo loco & illum reliquisse, qui ibi adhuc manet, licet occultus, ita ut à nemine conspiciatur. Et nos Christum etiamnum haberemus in terra, si eam corpore suo repleret, quamvis nobis esset inconspicuus; præsertim si eum (ut volunt) ore corporis manducaremus in Sacra Eucharistia.

VIII. Terminus ad quem Ascensionis Christi est cœlum; non quidem istud proximum terris, in quo aves volant, quæ ideo vocantur *aves cœli, Matth.* VI. 26. & unde pluvia cadit quæ humectat terram, unde cœlum dicitur *dare pluviam, Jacob.* V. 18. Neque remotius illud cœlum, in quo sol, luna & cætera astra micant. Nam Christus ulterius est progressus, cum *ascenderit supra omnes cœlos, Ephes.* IV. 10. *penetraverit cœlos, Hebr.* IV. 14. & *excelsior cœlis sit factus, Hebr.* VII. 26. & IX. 24. Sed *tertium cœlum* debet intelligi, in quod Paulus fuit raptus, & *Paradisus* etiam vocatur 2 *Cor.* XII. 2, 3, 4. Istud enim est *Dei solium*, sicut *terra scabellum pedum ejus, Esa.* LXVI. 1. Christus autem abiit ad Patrem, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt; sin minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, &c. Joan.* XIV. 2, 3. Quare etiam Petrus dicit, *Profectus est in cœlum,* 1 *Epist.* III. 22. Et Paulus, *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est, Coloss.* III. 1. Hoc est *cœlum quo oportet Christum capi*, non tanquam carcere, ut quidam ridicule objiciunt, sed tanquam palatio suo glorioso, & sede melius conveniente sublimi ejus majestati, quam terra in qua diebus carnis & humiliationis suæ vixit.

IX. Jam paucis expendamus quæ contra hæc excipere solent. Dicunt se fateri hunc fuisse verum & localem ascensum quo Christus à terra sublatus fuit, donec nubes eum suscepit & ab oculis discipulorum abstulit. Sed negant eum deinceps ascendisse altius, & transeundo per cœlum, in quo sunt planetæ & astra fixa, in cœlum illud sublimius, quod diximus esse Dei & beatorum Angelorum habitaculum, pervenisse. Tale enim cœlum non agnoscunt, putantes isto nomine nihil aliud nisi gloriosum statum designari. Id videre est apud Joannem Brentium, in libello quem de Ascensione Christi in cœlum scripsit contra Hier. Bullingerum, ubi non veretur Ascensionem Christi per disparitionem interpretari. Rationes præcipuæ quibus pugnant sunt istæ. 1. Christus jam jam in cœlum ascensurus dicebat discipulis, *Ecce ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, Matth.* XXVIII. 20. Istud autem verum esse non posset si in cœlum illud sublime ascendisset, quod tam longe à nobis est remotum. Ergo per ascensionem ejus in cœlum nihil aliud intelligi debet nisi mutatio status, qua ex statu infirmitatis & mortalitatis, in statum gloriæ & immortalitatis transiit; & recte posse dici Christum in cœlum ascendisse, cum ex humili illo statu, in quo erat antea, in sublimem & gloriosum evectus est. Sed respondeo, non esse necesse istud comminisci, ad ostendendum quomodo Jesus cum discipulis suis & aliis etiam fidelibus possit esse præsens usque ad consummationem sæculi. Illi enim ipsi, cum quibus nobis res est, fatentur id non esse intelligendum de visibili & sensibili præsentia. Atqui talis est omnis corporalis præsentia. Aliam velle fingere est chimæricum & fabulæ Gygis simile. Quod si aliquando ascensionis vox accipitur sensu metaphorico, ut cum dicimus aliquem ad honores magnos, aut regiam dignitatem ascendisse; non

non sequitur ita debere exponi ubi agitur de Ascensione Christi in cœlum, cum omnes phrases quibus exprimitur, & ejus circumstantiæ omnes evincant, id de vera & proprie dicta loci mutatione esse intelligendum. Ergo id de alio præsentiæ modo accipere oportet; qui alius non est nisi præsentia spiritus. Ideo enim Christus ascendit ad Patrem, ut impetraret discipulis suis Spiritum illum qui sui loco cum eis maneret in æternum. Per eum habitat in cordibus fidelium, non corpore suo, quod in cœlum illud sublime receptum fuisse supra ostendimus.

X. 2. Utuntur etiam istis Christi verbis, *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, *Matth.* XVIII. 20. Sed eadem est responsio quæ ad præcedentem locum: Christum non esse corporaliter præsentem fidelibus in nomine ejus congregatis inde liquet, quod non sit præsens sensibiliter & visibiliter. Unde restat id de præsentia Spiritus ejus esse accipiendum. Excipiunt quidem, Jesum aliquando ante ascensionem suam non fuisse visum à discipulis, etsi corporaliter esset præsens iis: Lucam enim commemorato ejus colloquio cum duobus illis Emmauntem proficiscentibus, & quomodo ab illis agnitus fuisset in fractione panis, addere, *καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν*, *cap.* XXIV. 31. Sed istis verbis non significatur Christum manentem in eodem loco in quo erat, desiisse conspici ab istis duobus viatoribus. Nihil minus: sed tantum ipsum se celerrimo motu subduxisse ab oculis eorum, longe ab iis discedendo, ut amplius propter loci distantiam conspici non posset. Et revera eum Emmauntem reliquisse inde probatur, quod non diu post se manifestarit discipulis Hierosolymæ congregatis, quæ inde 60 stadiis aberat.

XI. 3. Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum, seu Ecclesiarum in his terris militantium, is revera in terris præsens est. Christus θεάνθρωπος, qua Deus & homo *ambulat in medio septem Candelabrorum*, *Apoc.* I. 13. & II. 1. Ergo Christus θεάνθρωπος, qua Deus & homo in terra præsens est. Respondeo, locus Apocalypseos, qui affertur ad minoris probationem, non significat Christum ambulare corporaliter aut præsentem esse corporaliter in medio septem candelabrorum seu Ecclesiarum, nihilque impedit quominus id spiritualiter accipiatur. Dicitur enim ambulare in medio suorum, cum ad eorum actiones attendit, ipsos ab inimicis protegit, aut propter peccata castigat, vel aliqua alia præsentiæ suæ spiritualis dat indicia. Quod significare voluit, cum in singulis Epistolis quas scribi mandat ad Ecclesias Asiæ, inculcat illud statim ab initio, *Novi opera tua*, *&c.*

XII. 4. Pugnant istis Pauli verbis, *Ascendit supra omnes cælos ut impleret omnia*, *Ephes.* IV. 10. Sed jam supra ostendi, eum noluisse indicare Christum corpore suo implere cœlum & terram; quod nescio an illi ipsi qui ita disputant concedere vellent. Si enim Christus corpore suo impleret cœlum & terram, inde omnia reliqua corpora excluderet, cum plura corpora simul in eodem spatio esse nequeant, nisi fiat penetratio dimensionum, quam omnes Philosophi ut absurdam & contradictoriam respuunt. Itaque istud de impletione Spiritus Sancti donis accipiendum esse liquet.

XIII. 5. Ita argutantur. Supra omnes cœlos non est locus, quia *locus est superficies corporis ambientis*, ut docet Aristoteles. Ergo cum Scriptura dicit Christum *ascendisse supra omnes cœlos*, non locum quem occupat suo corpore, sed statum seu conditionem ejus gloriosam designavit. Respondeo. Male illos pugnare definitione Aristotelica *loci* quæ vitiosa est, utpote ex qua sequatur aliquod corpus esse quod non sit in loco, nempe cœlum supremum, quod nulla alterius corporis superficie ambitur. Item aliquod corpus quod immotum manet, locum mutare, v. gr. turrem quæ vento flante singulis momentis novo aëre ambitur, aut arborem in flumine plantatam quæ singulis momentis nova aquæ prælabentis superficie circumdatur. Item è contrario corpus aliquod quod celerrime movetur locum non mutare, v. gr. hominem qui currit, & eadem semper vestium suarum superficie ambitur. Melius ergo definiunt illi *locum*, qui dicunt, *esse spatium à corpore aliquo occupatum.* Hæc enim definitio omni loco convenit, illa vero minime. Denique opponimus Aristoteli, qui supra cœlos istos visibiles putat non esse locum, Christi auctoritatem, dicentis, *Proficiscor vobis parare locum*, *Joan.* XIV. 2. Ut ergo fideles vere aliquando occupabunt locum in cœlis, ita etiam nunc occupat Christus, qui eo fine præivit illis ut pararet locum.

XIV. 6. Si Christus est in certo quodam & fixo cœli loco, non erit omnibus invocantibus sursum; sed multis deorsum; nec omnibus illis faciem advertet, sed avertet, & tergum obvertet, & quibusdam antipus, quibusdam vero verticalis erit. Antecedens autem absurdum est, 1. quia ad omnes invocantes dicitur, *Sursum corda*. 2. Omnibus in spiritu & veritate invocantibus, *Christus faciem advertit*. 3. Dubitandum foret in invocatione, quo manus & corda invocantium dirigenda sint. Respondeo. Illi qui per Ascensionem Christi in cœlum veram loci mutationem intelligunt, non propterea existimant ipsum certo cuidam cœli loco esse alligatum, ita ut respectu reliquorum debeat dici absens. Nemo etiam nescit cœlum quod undique ambit terram, non minus dici superum à Philosophis ratione partis illius quæ pedibus nostris opposita est, quam quæ vertici imminet. Centrum enim universi, quale est terra, pro infimo ejus loco habetur. Quare ubicumque Christus in cœlo sit, semper ad eum sursum corda & manus attollere debemus. Et ridiculum est existimare, eum non posse exaudire preces nostras, nisi faciem suam

ad nos convertat, cum sufficiat si eæ ipsi sint notæ. Conversio enim & aversio faciei cum Deo aut Christo tribuuntur, metaphorice ita dicuntur, translatione sumta ab hominibus, qui faciem suam ad eos convertunt, quorum sermonem aut preces audire volunt; & avertunt ab iis, quorum alloquia aut preces displicent. Sed in Deo & Christo alia plane est ratio, utpote qui loci propinquitate non egeant ad cognoscendum quibus indigeamus, aut preces nostras exaudiendum.

XV. 7. Ascensio Christi localis in cœlum supremum, supra reliquos omnes cœlos visibiles positum, est absurda & impossibilis. Ergo non est amplectenda. Antecedens probatur, quia si cœlum illud supremum, in quod Christus dicitur ingressus, est supra omnes alios cœlos in quibus astra micant, ita longe dissitum est à terra, ut multis annis opus fuerit Christo ut eo perveniret, imo forte nondum pervenire potuerit, tantum abest ut inde decima ab Ascensione die mittere potuerit Spiritum S. quemadmodum Lucas narrat *Act. cap.* II. Nam secundum Alfraganum Arabem, à terra usque ad concavum sphæræ stellarum fixarum, sive firmamentum, sunt 20110 semidiametri terræ. Jam si assumamus pro firmamenti crassitie 7000 semidiametros, erunt in universum 27110 semidiametri terræ usque ad superficiem convexam firmamenti, seu ingressum in tertium cœlum. Non posse autem minus assumi quam septem mille semidiametros pro crassitie firmamenti, inde apparet, quia Alfraganus tribuit crassitiei sphæræ Jovis 5529 semidiametros, & sphæræ Saturni 5705, quamvis istæ sphæræ unicum astrum contineant, idque multo minus quam sint stellæ firmamenti primæ magnitudinis, & ratio postulet ut majori corpori major tribuatur locus. Æstimatur autem una terræ semidiameter 860 milliaribus Germanicis. Unde sequetur à terra usque ad superficiem convexam firmamenti seu ingressum tertii cœli esse 23314600 milliaria; ac proinde si singulis diebus pertransivisset Christus mille milliaria, nonnisi post 23314 dies, seu 63 annos Ægyptios & 319 dies potuisse ingredi in tertium cœlum; cum tamen inde decima post ascensum die Spiritum S. demiserit. Secundum vero sententiam Lansbergii Copernicani sunt à terra usque ad firmamentum semidiametri terræ 28000000, qui tribuendo, ut supra, uni semidiametro 860 milliaria, facient milliaria 24080000000. Unde sequetur ut si Christus confecisset singulis diebus 100000 milliaria, nonnisi spatio 2408000 dierum, seu annorum 6597 & 95 dierum, iter usque ad superficiem concavam firmamenti absoluturum, ac proinde eo non posset appellere nisi post fere quinque mille annos: iisque emensis superesset adhuc immensa illa stellarum fixarum sphæra pertranseunda. Quæ omnia cum absurda sint & fidei Christianæ contraria, inde colligunt Christum ascensu locali non ingressum esse in illud sublime cœlum & tam longe à nobis remotum, imo istud cœlum nonnisi pro mero figmento haberi debere. Ad quæ paucis respondeo, 1. Incerta esse omnia quæ Astronomi de firmamenti à terra distantia scribunt, cum solis conjecturis nitantur. Non posse quidem negari illam immensam, sed numerum milliarium inire velle prorsus esse temerarium. Aliquid probabiliter dici posse de distantia lunæ & solis à terra, eamque ingeniose supputari ex umbra terræ in Eclipsibus Lunaribus & parallaxibus, sed nulla esse firma fundamenta quibus innitatur calculus distantiæ Planetarum superiorum, Martis, Jovis, Saturni, multo minus stellarum fixarum. 2. Ponamus tamen tantam esse quantam volunt, imo etiam multo majorem, non tamen idcirco dicenda foret absurda & impossibilis Jesu Christi localis in cœlum illud ascensio. Nam eadem ratione posset explodi historia creationis cœli & terræ sex diebus facta. Ambitus enim cœli stellati superat infinitis partibus ejus distantiam à terra, & prope infinitos milliones milliarium in superficie sua comprehendit. Quis tamen Christianus negabit Deum illud solo nutu suo uno die, imo forte uno momento, ut quidam existimant, extendisse? Si hoc credunt isti homines, cur in controversiam trahunt historiam Ascensionis Christi? An difficilius fuit Deo Christum ad se in momento in cœlum illud sublime assumere, quam cœlum ipsum fabricari? Radii solares uno momento ad terram perveniunt, & Angeli momento jussa Dei exsequuntur, cur non etiam corpus Christi à terra ad cœlum pervenerit? Si quid ergo pietatis habent, abstinere debent ab illis ratiociniis quæ universam Sacræ Scripturæ auctoritatem convellunt, & cogitare Dei potentiam esse longe majorem & sublimiorem quam intellectu capere possimus.

XVI. Et hæc de veritate Ascensionis Christi, nunc ad causas ejus nobis est accedendum. Efficiens principalis fuit Deus Pater, ut testatur Petrus *Act.* II. 32, 33. *Hunc Jesum resuscitavit Deus &c. dextera igitur Dei exaltatus, &c.* Et iterum *cap.* V. 30, 31. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum &c. hunc principem & salvatorem Deus exaltavit dextera sua, &c.* Ubi per dexteram Dei, metaphorica locutione, potentiam & virtutem ejus magnificam intelligendum esse omnibus constat. Si uspiam enim illam à mundi creatione exeruit, certe in opere hoc exaltationis Christi. Unde Paulus merito illam celebrat *Ephes.* I. 19, 20. his verbis, *Secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus.* Quid enim magnificentius concipi potest, quam hominem natura reliquis similem & iisdem infirmitatibus obnoxium, excepto tantum peccato, immortalitate donatum supra omnes cœlos attollere, & omnia pedibus ejus subjicere, tam quæ in cœlis sunt quam in terra, ut ea pro arbitrio suo regat & administret? Hæc enim cuncta sub Ascensione Christi & exaltatione in cœlum com-

comprehendenda esse circumstantiæ evincunt, non nudam tantum evectionem in cœlum, qualis fuit olim ante legem Enochi, & sub lege Eliæ, morte non præcedente, & nullo iis imperio attributo. Hæc enim etsi fuerint ascensionis Christi (sicut & nostræ) in cœlum præludia & figuræ, immensum tamen ab ea distant. Quod vero *nubes Christum susceptum abstulit ab oculis Apostolorum*, *Act.* I. 9. id non adminiculo ipsi fuit ad ascendendum, (nubes enim non est solidum corpus, quod talem usum præstare possit, cui adde altissimas nubes vix unum aut alterum milliare supra terram attolli, utpote ex exhalationibus globi terraquei ortæ:) sed ad magnificentiam fecit. Sic enim etiam de ipso Deo dicitur, *Qui ponit nubes currum suum*, *Psal.* CIV. 3. & in eundem sensum, *Caligo sub pedibus ejus, &c.* Item, *Posuit tenebras* (nempe nubium) *latibulum suum*, *Psal.* XVIII. 10, 12. Obscuritas enim facit ad conciliandum rebus divinis reverentiam.

XVII. Fines autem cur Deus ita Christum extulerit sunt duplices; alii Christum ipsum respiciunt, alii vero cæteros homines; ne quid præterea dicam de Gloria Dei, quæ in utrisque se clare conspiciendam præbet. *Primo*, quod ad Christum attinet, cum is qui plane innocens erat, Deo Patri obedientem se exhibuisset usque ad mortem acerbam crucis, sub spe amplissimæ remunerationis, æquitas postulabat ut Deus promissum suum exsolveret, nec fidem qua se erga charissimum filium obstrinxerat desiderari in se pateretur. Terrena autem omnia, utpote fluxa & caduca, inferiora erant Christi meritis, seu dignitati obedientiæ ipsius. Visum est ergo Patri ipsum in cœlum assumere, quod est immortalitatis sedes, & quo etiam olim reliquos fideles, post absolutum in terris obedientiæ cursum, triumphata morte recepturus est. Quod enim discipulis suis dicebat, *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*, *Matth.* V. 12. in ipso primum tanquam capite impleri debuit, nam gloria & felicitas membrorum in eo consistit, ut sint capiti suo conformia. Et quemadmodum Deus qui omnibus dominatur domicilium habet in cœlis, qui sunt ejus solium, sicut terra scabellum pedum ejus; ita etiam conveniebat Christum, qui imperii paterni consors & particeps erat futurus, supra omnes cœlos ascendere, ut inde omnibus creaturis tam cœlestibus quam terrestribus dominaretur.

XVIII. Deinde etiam requirebatur ut Christus terram relinqueret, ut reliqua quæ ad munus ipsius pertinebant obire posset. Comparendum ipsi erat coram solio divinæ majestatis ut pro nobis intercederet. Sicut enim summus Pontifex sub lege, qui ipsius figuram gerebat, effuso victimæ sanguine, quam pro suis & populi peccatis offerebat, ingrediebatur in Sancta Sanctorum; ita etiam Christus post suum sanguinem in cruce pro totius mundi peccatis effusum, ingredi debuit in sanctuarium cœleste per terrenum illud adumbratum, ut se Patri pro nobis sisteret, & virtute sanguinis sui iram ejus à peccatis nostris averteret. Quod Apostolus pluribus persequitur toto *cap.* IX. *Epist. ad Hebr.* & præcipue *versu* 24. ubi dicit, *non in manufacta Sancta Jesus introiit, figuras verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et *cap.* VIII. 4. necessitatem ascensionis Christi in cœlum ostendit, dicens: *Si ergo esset super terram, nec foret Sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & umbræ deserviunt cœlestium.* Quamdiu enim typi & umbræ ex Dei voluntate duraverunt, non poterat esse locus corpori seu veritati quæ illis repræsentabatur. Unde etiam colligitur, primariam partem Sacerdotii Christi consistere in oblatione quam offert in cœlo; adeo ut omnia quæ in terra peregit, quinetiam acerba ejus mors, instar præparationum ad eam fuisse videantur.

XIX. Secundo quod nos ipsos spectat, oportuit Christum terram relinquere & in cœlum ascendere. Nisi enim hoc fecisset, non potuisset super fideles suos mittere Spiritum S. quia tantum munus ex decreto Dei erat glorificationi ejus reservatum, ut de illa efficax & irrefragabile testimonium perhiberet. Unde Joannes *cap.* VII. 39. *Nondum erat Spiritus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Et ipse Christus *cap.* XVI. 7. *& seqq. Veritatem dico vobis; expedit vobis ut abeam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et ut ostenderet quam necessarius esset Paracleti istius adventus, addit, *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio, &c.* Nimirum de peccato incredulitatis, quod nolit in eum credere quem Pater ipse tam insigni testimonio commendavit: de justitia Christi, & quod immerito à Judæis fuerit interemtus, quia Deus eum suscitavit è mortuis & in cœlos ad se assumtum glorificavit, dando ipsi Spiritum quem in fideles effunderet; & de judicio in Diabolum hujus mundi principem exercito, cui potentia illa sit ablata qua homines antea sibi subjiciebat, & ubique inter incredulos dominabatur: quod per prædicationem Evangelii, comitante efficacia Spiritus in diversis miraculis, executioni datum est.

XX. Deinde Ascensio Christi id confert nobis, quod certiores nos de nostra Ascensione & Glorificatione reddit, si vestigia ejus presserimus. Nisi enim cœlum nobis reserasset, & illuc præivisset, non patuisset nobis in ipsum ingressus. Idque significat Apostolus *Hebr.* X. 19, 20. *Cum habeamus libertatem ingrediendi in sacrarium, &c.* Et Jesus ipse, *In domo*, inquit, *Patris mei mansiones multæ sunt; sin minus, dixissem vobis; quia vado parare vobis locum. Et, si abiero & preparavero vobis locum, iterum veniam & assumam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis*, *Joan.* XIV. 2, 3. Quod etiam antea ipsis promiserat, *Ubi sum illic & minister meus erit*, *Joan.* XII. 26. Et in precatione

tione sua cap. XVII. 24. *Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego & illi sint mecum, ut videant gloriam meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* Ubi sub visione gloriæ Christi comprehenditur etiam participatio ejus, sicut discimus ex Joanne 1 *Epist.* III. 2. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Idem etiam innuebat Christus cum diceret, *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & ad Deum meum & Deum vestrum, Joan.* XX. 17. Sic enim significare voluit tum se cum Patre, tum illos secum, & sui interventu, simul cum Patre ejusdem gloriæ & felicitatis in cœlis participes futuros. Unde etiam Paulus respiciens ad illam gloriam quam illic exspectamus, dicebat quasi de re jam præsenti, *Deus &c. cum mortui essemus in peccatis, convivificavit nos in Christo, &c. & conresuscitavit, & considere fecit in cælestibus in Christo Jesu, Eph.* II. 5, 6. Et ad conformitatem ascensionis nostræ & ipsius ostendendam, *Rapiemur in nubes ad occursum Domini in aëra*, 1 *Thess.* IV. 17.

XXI. Ut autem eo tandem perveniamus, ascendere primum oportet ad ipsum mente & conversatione quæ cœlo sit digna, *Si consurrexistis cum Christo*, inquit Paulus *Coloss.* III. 1, 2. *quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, &c.* Similiter & *Philipp.* III. 20, 21. *Nostra conversatio in cælis est, unde etiam Salvatorem expectamus Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, &c.* Sic postea animæ nostræ in morte deferentur ad Deum & Christum in cœlum, ut ibi fruantur quiete usque ad diem resurrectionis ultimæ; quod figuratum fuit in parabola Lazari, post mortem ab Angelis deportato, nempe secundum animam, in sinum Abrahæ, *Luc.* XVI. Unde Stephanus moriens commendabat ipsi Jesu Spiritum suum, *Domine Jesu suscipe Spiritum meum*, *Act.* VII. 59. *Et qui patiuntur secundum voluntatem Dei, commendare debent fideli creatori animas suas in benefactis*, 1 *Petr.* IV. 19. Tandemque in fine sæculi, cum Christus redibit de cœlis, *assumet fideles suos ut ibi secum sint in æternum*, ut Paulus pluribus id declarat 1 *Thess.* IV. 14, 15, 16, 17, 18. Quæ erit perfecta nostra in cœlos ascensio & conformitas cum Christo. Si autem Christus corpore suo sit in cœlis, stultum est eum quærere in terra, sive in Eucharistia sive alibi; quasi corporalem aliquam nunc cum ipso communicationem habere possemus; quam tamen exigui admodum momenti esse ostendunt qui pro ea tam acriter depugnant, cum fateantur eam bonis & malis, fidelibus & infidelibus esse communem, ac proinde non esse in numerum salutarium Christi beneficiorum reponendam.

XXII. Ascensionis Christi circumstantiæ sunt etiam considerandæ. Sed jam egimus de loco, & de iis coram quibus facta est. Itaque nihil hic amplius superest nisi tempus. Ea contigit quadragesimo à resurrectione ejus die, *Act.* I. 3. Ubi Lucas duas commorationis istius inter discipulos causas breviter innuit, dicens, *Apparens eis, & loquens de regno Dei.* Nimirum 1. valde necesse erat ut Christus propter discipulorum infirmitatem, aliquanto longiori tempore cum iis versaretur, ut plenam iis faceret resurrectionis suæ fidem. Scimus enim quam difficile adduci potuerint ut eam crederent, & eos initio cum ipsis apparuit, credidisse illudi oculis suis & se spectrum aliquod videre. 2. Erant adhuc admodum rudes in multis fidei capitibus, quæ ante Christi passionem præjudiciis suis excæcati satis capere non potuerant, etiamsi ab ipso sæpius audivissent. Spatium igitur istud quadraginta dierum sumsit ut eos erudiret de iis, quæ ipsos scire intererat, ut demandato munere fideliter defungerentur. Tunc etiam respondit ad quæstionem, An isto tempore restituturus esset regnum Israëli, de qua postea, cum de regno Christi agemus, commodior dabitur disserendi locus. Cur non autem plures nec pauciores dies versatus fuerit cum discipulis quam quadraginta, frustra quæritur. Eadem enim fieri posset quæstio, si triginta vel quinquaginta, vel etiam centenos aliquot dies distulisset ascensum suum. Id pependit à Patris & ejus libera voluntate, cui præivit sapientia, qua judicavit ejusmodi temporis spatium esse sufficiens & idoneum ad ea peragenda quæ in terris restabant.

CAPUT. XVI.

De Munere Christi Prophetico, & speciatim de convenientia & differentia Legis & Evangelii.

I. *Prophetam Deut.* XVIII. *promitti.* II. *Hæc de Messia debere intelligi.* III. *Et Apostolos Christo accommodasse.* IV. *Christum sibi vaticinium Esa.* XI. *applicasse.* V. *Et à nativitate Spiritum in se habitantem habuisse.* VI. *Trigesimo ætatis anno ad Joannis baptismum accessisse.* VII. *Spiritum forma columbæ in ipsum descendisse.* VIII. *Ipsum omni gratia spirituali sine mensura repletum fuisse.* IX. *In cœlo ante prædicationem Evangelii fuisse.* X. *è cœlo testimonium à Patre accepisse.* XI. *Miraculis claruisse.* XII. *Non fuisse Mediatorem Veteris Fœderis sed novi tantum.* XIII. *Hæc duo Fœdera inter se convenire.* 1. *In auctore.* XIV. 2. *Et mutuo inter Deum & homines contractu.* XV. *Differre vero.* 1. *In Mediatore.* XVI. 2. *Sanciendi modo.* XVII. 3. *Promissis.* XVIII. 4. *Præceptis.* XIX. 5. *Efficacia.* XX. 6. *Amplitudine.* XXI. 7. *Et duratione.*

I. HIs ita de Persona Christi, & duplici ejus statu pertractatis; jam nobis ad munerum ejus explicationem accedendum est. Primum ordine fuit Propheticum; de quo tria nobis dicenda erunt. 1. Messiam Israëlitis olim promissum debuisse esse Prophetam, & talem Jesum nostrum fuisse. 2. Quomodo missus fuerit à Patre ad munus istud exercendum. 3. Quænam fuerint propriæ muneris

neris istius functiones. Primi capitis tractatio est necessaria, quia in controversiam hodie trahitur à Judæis, qui ideo Jesum nostrum pro Messia agnoscere recusant, quod eum non tantum Regem esse profiteamur, sed etiam Prophetam & Sacerdotem. Sane insignem aliquem Prophetam Patribus suis promissum fuisse, nulla cum specie negare possunt, cum id expresse in ipsorum lege habeatur. Sic enim Mosis *Deuter.* XVIII. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus. Ipsum audies.* Excipiunt testimonium istud non esse intelligendum de Messia, sed de Prophetis quos Deus post Mosem diversis temporibus in populo suo suscitaturus esset; per enallagen numeri Scripturæ familiarem, ubi singularis non raro pro plurali accipitur; idque requirere hujus loci scopum, qui sit avertere Israëlitas à consulendis ariolis & vatibus, & satisfacere ipsorum petitioni, ne ultra terribilem Dei vocem ad se de medio ignis & tonitruum loquentem audirent, ne morerentur; idcirco Deum promittere se deinceps per Prophetas ipsos allocuturum & voluntatem suam ipsis significaturum, ut non opus habeant ad quosquam alios recurrere. Præterea idem apparere ex iis quæ sequuntur, *Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, qua ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.* Certum enim esse ista in Messiam nullo modo quadrare.

II. Respondeo 1. Nolle me negare, si nudum loci istius scopum & cohærentiam respicias, posse etiam non absurde ad alios præter Messiam Prophetas extendi. Sed quasdam tamen circumstantias requirere ut de Messia præcipue & singulariter intelligatur. Proprietas enim verborum pro nobis facit, à qua non est absque evidenti necessitate recedendum. Scriptura loquitur in singulari numero, non in plurali. Ergo de uno aliquo singulari præcipue accipiendum est; nisi ostendatur aliqua esse absurditas in hac expositione. Deinde Moses dicit, Prophetam sicut me; quod aliis Prophetis, qui ipsum secuti sunt, non convenit. Nullus enim illorum par Mosi fuit; utpote qui legis ab ipso latæ essent tantum interpretes. Unde dicitur *Deuter.* XXXIV. *v.* 10. *Non surrexit ultra Propheta in Israël sicut Moses, &c.* Nec refert quod postrema hujus prophetiæ verba, contra Prophetam falso nomen Dei usurpantem aut in nomine alienorum deorum loquentem, de Messia non debeant accipi. Familiare enim est Prophetis ab una persona subito ad aliam transire. Id quod Judæi ipsi agnoscunt in loco alio celebri 2 *Sam.* VII. quem de Messia interpretantur. Ista enim verba quæ Deus dicit Davidi, *Cum fuerint completi dies tui suscitabo semen tuum post te, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum, &c.* de Messia accipiunt. Quæ vero sequuntur, *Qui si inique aliquid egerit, arguam eum in virga filiorum hominum, &c.* illi ut puto non applicabunt.

III. 2. Quamvis Judæi in hac responsione non acquiescant, nobis tamen Christianis sufficere debet, qui scimus locum istum in novo fœdere, *Actor.* III. & VII. Jesu Christo esse accommodatum à Petro & Stephano, viris Spiritu S. plenis, & qui miraculorum gloria Mosi nequaquam inferiores fuerunt. Non enim dubium est, quin illæ Prophetiarum interpretationes sint veræ, quas attulerunt Apostoli eodem cum Prophetis antiquis Spiritu divino afflati. Nec mirum Judæis videri debet, quod Messiam credamus esse quoque Prophetam, cum David illius typus etiam talis fuerit. Et hanc opinionem vulgo receptam fuisse temporibus Christi arguunt varia Euangeliorum loca; inter alia *Joan.* VI. 14. ubi populus dicit de Christo, *Hic est vere Propheta qui venturus est in mundum.* Nullum autem alium Prophetam expectabant, nisi Messiam. Et IV. *v.* 25. ubi mulier Samaritana dicit, *Cum venerit Messias ille nobis annunciabit omnia.* Istud autem ad Propheticum munus pertinere constat.

IV. Huic Mosis vaticinio concinunt etiam alia multa, præsertim apud Esaïam, ubi legimus *cap.* XI. *Egredietur virga de radice Jesse, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, &c.* vide etiam *cap* XLII. XLIX. & LXI. quem postremum locum Jesus in Synagoga Nazarethana prædicans, ostendit in se impletum esse, *Luc.* IV. Quod si scrupulus aliquis hæsisset animis illorum quominus eum adhuc reciperent ut Messiam, quia nondum videbant impleta esse omnia, quæ prædicta fuerant Messiæ temporibus eventura, saltem ei ut Prophetæ credere debebant; quod solum ab initio ab illis requirebatur; & expectare donec ista implerentur, caventes ne sibi ipsis obstaculo essent quo minus illa viderent.

V. In missione Christi ad munus Prophetæ, considerandum est primo quomodo ad illud præparatus fuerit, de voluntate Dei edoctus, & instructus donis ad id recte exercendum requisitis. Huc pertinet quod non tantum ex Spiritu S. conceptus fuit, sed eundem etiam à nativitate perpetuo in se habitantem habuit. Id apparet inde, quod de eo recens nato, aut saltem adhuc infante dicitur *Luc.* II. 40. *Puer autem (Jesus) crescebat, & confortabatur Spiritu, plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo.* Hæc enim sapientiæ & gratiæ Dei plenitudo ad aliam causam, quam ad Spiritum S. quo donatus erat statim à teneris, imo semper ab ipsa conceptione remanserat, referri non potest. Ejus vero indicia manifesta se prodiderunt, cum ad annum ætatis suæ duodecimum pervenisset; & quidem publice in templo Hierosolymitano, ubi *in medio doctorum sedens audiebat eos & interrogabat; adeo ut stuperent omnes qui eum audiebant, super intelligentia & responsis ejus, Luc.* II. Hæc enim præcox sapientia & divinarum rerum cognitio, quæ se exerebat in Jesu ante annos, arguebat illum habuisse Spiritum S. doctorem: præsertim cum scholas doctorum non frequentasset, nec ab illis in lege

Mm divina

divina institutus fuisset; adeo ut naturali ingenii bonitati, qua supra æquales suos profecisset, tribui non posset extraordinaria illa scientia qua præditus erat. Unde postea Judæi illum in templo docentem audientes, mirabantur & dicebant, *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* *Joan.* VII. 15. Nimirum Galilæis, cum quibus versatus fuerat ab infantia, nota erat ejus educatio, eum semper domi cum parentibus desedisse, & fabrilem artem una cum Josepho exercuisse; propterea que ipsum non tantum vocabant *fabri filium*, *Matth.* XIII. 55. sed etiam *fabrum*, *Marc.* VI. 3. ita ut Justinus Martyr in Colloquio cum Tryphone dicat Dom. Jesum in juventute aratra & juga boum confecisse.

VI. Sed quanquam Jesus ab initio Spiritu S. fuerit donatus, tamen quia nondum exercere debebat munus illud ad quod à Patre erat destinatus, nondum possidebat illum tanta copia ut postea fecit. Cum enim triginta annos esset natus, & tempus advenisset quo Euangelium ipsi prædicandum erat, contulit se ad Joannem ut ab eo baptizaretur in Jordane; non quod illo pœnitentiæ & remissionis peccatorum baptismo indigeret, qui, ut Petrus de eo testatur, peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, 1 *Petr.* II. 22. Nec, quod quibusdam olim placuisse video, *ut contactu mundissimæ carnis fluvium sanctificaret, vim regenerativam* ut loquitur Jacobus de Vitriaco *cap.* LIV. *conferens universis aquis*: aut, ut quidam nunc docent, ut in sua persona baptismum nostrum sanctificaret, quemadmodum cum fuit circumcisus Judæorum circumcisionem sanctificaverat. Altum enim ubique in sacris nostris libris his de rebus silentium est. Nusquam enim scriptura docet, illum baptizatum fuisse ut nostrum baptismum consecraret; sed tantum quod *ipsum & Joannem Baptistam deceret implere omnem justitiam*, *Matth.* III. *v.* 15. id est omnia Dei præcepta, quæ quia justissima sunt *justitiæ & justificationum* nominibus sæpius in scripturis veniunt, observare; Et Joannem quidem eum baptizando, se vero Dei ordinationi subjiciendo, ut ita aliis ad idem faciendum exemplo suo præiret, & munus Joannis commendaret. Nec fuit circumcisus ad sanctificandum Judæorum circumcisionem, sed quia *factus erat sub lege Galat.* IV. 4. id est ad legem observandum, sicut reliqui Israëlitæ, quibus eam Deus dederat, obligatus erat, eo quod Abrahami esset filius secundum carnem. Et nisi institutionis divinæ reverentia eum movisset, poterat sane ipse, qui, ut superius diximus, sanctissimus erat, & nec pœnitentia nec remissione peccatorum indigebat, à baptismo illo abstinere. An vero aliquis etiamnum universis aquis vim regenerativam tribuat, ignoro. Quod ad efficaciam baptismi attinet, quasi vi sua peccata deleat, aut gratiam sanctificantem conferat, hoc solum nunc dico, habendum quidem in honore istum ritum, propter instituentis autoritatem; sed tamen cavendum ne id ei tribuamus, quod nulli ceremoniæ externæ competit, ut cor mundet, & Deo nos acceptiores reddat. Id enim est tantum baptismi interni, qui est *interrogatio bonæ conscientiæ in Deum*, ut docet expresse Petrus 1 *Epist.* III. 21.

VII. Videtur ergo Christus ablutione hac testari voluisse, quanto sanctimoniæ & puritatis vitæ studio teneretur, quod etiam ritu illo adumbrabatur. Sed ridiculum foret putare Jesum Christum in suo ipsius nomine fuisse baptizatum. Nec potuit Joannes quemquam in illud nomen baptizare, cum discipulos suos in religione Christiana non institueret aut initiaret, sed tantum ad eam amplectendum, cum per Christum manifestaretur, eos moneret. Et postquam baptizatus esset, atque ex aqua Jordanis ascenderet & oraret, cœli aperti sunt, & ex illis Spiritus S. descendit super ipsum corporali specie sicut columba, *Matth.* III. *Marc.* I. *Luc.* III. Ubi quidam putant illud, *Sicut columba*, de figura qua Spiritus S. apparuit, non esse intelligendum, sed de modo quo in Jesum descendit. Verum ista interpretatio coacta est & nimis subtilis. Quis enim discrimen volatus columbæ ab alia ave discernet facile? Scriptura dicit expresse Spiritum S. in Christum descendisse corporali specie seu figura, & quidem instar columbæ. Non opus est ergo ad aliam ullam speciem confugere, de qua nihil nisi ex conjectura omni fundamento carente disserere queamus; præsertim cum quamcunque imaginemur, aptior non sit futura ad cœleste istud donum repræsentandum, quam columbæ figura. Non tamen putarim omnino similem fuisse columbæ, ut quoad colorem, aut quid ejusmodi. Certum enim est non fuisse veram & naturalem columbam, quam Spiritus S. insiderit & qualem impostor Mahomet assuefecisse dicitur sibi ad aurem advolare, ut Spiritum S. mentiretur. Sed videtur fuisse ignea columbæ species, qualis conveniebat illi, qui Spiritu S. & igne suos baptizaturus erat, & qui Spiritum in Apostolos in forma linguarum ignearum demisit. Etsi autem spirituale donum corporali specie non sit repræsentatum, nec necessarium fuerit ut esset illius vehiculum; omnino tamen requirebatur propter humanam infirmitatem, ut Deus aliquid quod sensibus foret accommodatum usurparet, & ut Joannes Baptista de eo cum πληροφορίᾳ testari posset, *se Spiritum S. de cælo descendentem vidisse & super Jesum mansisse*, *Joan.* I. 31. *&c.*

VIII. Tanta autem copia D. Jesus tunc Spiritum S. accepit, ut nullus unquam hac in parte cum ipso fuerit æquiparandus. Quo refertur illud *Joan.* III. 34. *Non ad mensuram dat Deus Spiritum*, supple ex præcedentibus, *ipsi* Jesu quem misit: id est, Deus non certa quadam & limitata mensura, quemadmodum aliis solet, filio suo unigenito Spiritum S. largitus est; sed in

in illum omnes gratiarum suarum cœlestium, seu Spiritus S. donorum thesauros effudit. Si vero nolimus subaudire *ipsi*, tamen idem sensus remanet, nempe Christum majore quam ullum alium mensura Spiritum S. accepisse, eaque de causa omnes, tum Apostoli, tum Christiani, *de ejus plenitudine accepisse* dicuntur, *Joan.* I. 16. *Et omnem plenitudinem divinitatis in ipso habitare corporaliter*, *Coloss* II. 9. Quanquam enim istud possit referri ad mysterium Dei Patris & Christi Jesu antea memoratum, seu ad Euangelium in quo istud mysterium mundo revelatum est; talis tamen plenitudo divinitatis non reperiretur in Euangelio, nisi in ipso Jesu Christo, illius auctore, antea inhabitasset. Hinc videre est quanto intervallo D. Jesus omnes Prophetas, ipsumque adeo Mosem, post se reliquerit in cognitione voluntatis divinæ, & modo revelationis illius. Moses quidem magnam super reliquos Prophetas hac in parte prærogativam habuit, prout Deus ipse testatur, *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moses, &c. ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per anigmata & figuras Dominum videt*, *Numer.* XII. 6. Sed tamen cum rogavisset, ut Dominus ipsi ostenderet gloriam suam, & faciem ejus videret, repulsam tulit, Deo ipsi dicente, *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*, *Exod.* XXXIII. 18. &c. Ergo quod Deus cum Mose *ore ad os* locutus est, ita intelligendum ut non comprehendat visionem faciei aut gloriæ ejus. Quod autem fuit Mosi negatum, D. Jesus obtinuit. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, *Joan.* I. 18. nempe aliis, postquam Deum vidit. Item, *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo*, (supple, missus,) *hic vidit Patrem*, *Joan.* VI. 46. Propterea etiam dicit, *Nemo Patrem novit nisi filius, & cui voluerit filius revelare*, *Matth.* XI. 27. Quam profunde autem penetrasset in arcanos Scripturæ sensus, ostendit in colloquio illo cum duobus discipulis Emmaunta proficiscentibus, ubi *incipiens à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant*, *Luc.* XXIV. 27. Et paulo post, cum *discipulis suis aperuit mentem ut intelligerent Scripturas. versu* 45. Quod accipi potest, vel de peculiari quodam Spiritus dono, simili illi de quo Paulus agit 1 *Cor.* XII. 10. & vocat *interpretationem linguarum*, illud à generibus linguarum distinguens. Vel significat D. Jesum regulas quasdam tradidisse discipulis suis, ex quibus mysticum sensum in Scripturis latentem, & ad Euangelii tempora pertinentem, discernere possent à literali, & jam olim impleto.

IX. Imo Scriptura videtur innuere D. Jesum in cœlo apud Patrem fuisse, antequam ad Euangelium annuntiandum hominibus mitteretur. Huc pertinent ista loca: 1. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo*, *Joan.* III. 13. Ista enim verba, *qui est in cælo*, non minus commodè reddi possunt, *qui erat*, cum in Græco sit ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ, quod est præsentis & præteriti imperfecti. Et violentum est id ad divinam naturam trahere, cum diserte *filius hominis* nominetur. 2. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*, *Joan.* VI. 38. Quamvis enim istud, *descendere de cælo*, possit figurate accipi, quemadmodum *Jacob.* I. 17. dicitur, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à patre luminum*; tamen cum ibidem occurrant alia quæ faveant literali sensui, nihil vetat quominus ita intelligantur. Tale 3. est quod legitur *versu* 62. *Hoc vos scandalizat*? nempe quod dixi me esse panem qui de cœlo descendit, & vos oportere edere carnem meam & bibere sanguinem meum, si velitis obtinere vitam æternam; *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius*? Quasi diceret, majorem habebitis mirandi causam, cum videritis istum filium hominis, quem nunc propter humilem statum contemnitis, evectum in cœlum, & inde palam dona sua distribuentem, ubi occulte fuit antea & nemine conscio. 4. *Exii à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum & vado ad Patrem*, *Joan.* XVI. 28. Hic significat D. Jesus se paratum esse denuo relinquere mundum & ire ad Patrem, quemadmodum antea exiverat à Patre & venerat in mundum. Cum ergo certum sit eum in posteriore sermonis sui membro loqui de proprio & corporali suo ad Patrem abitu, ita etiam prius intelligendum est, id est eum proprie & corporaliter exiisse à Patre de cœlo in quod ascenderat, & venisse in mundum ad prædicandum Euangelium. Hæc, inquam, admodum probabiliter sic accipiuntur, & ad tanto majorem Christi & Euangelii ejus gloriam cedunt. Nam si Moses in monte cum Angelo, Dei personam sustinente, collocutus est, & mandata ab eo accepit: Et Paulus in tertium usque cœlum raptus est, ubi audivit arcana verba quæ non licet homini loqui: Quid impedit quominus id de Christo credamus, ne filius hac in parte servis aut Euangelium lege inferius audiatur, præsertim cum Scriptura adeo clare de hac ascensione testetur. Nec refert quod in historia Euangelica non habeatur, quando id contigerit. Lucas enim non narrat etiam quando Paulus raptus fuerit in tertium cœlum. Nec videmus quando impletum fuerit quod dicitur *Joan.* I. 52. de Angelis ascendentibus & descendentibus super filium hominis. Si quis tamen aliter interpretari malit, non pugnabo cum eo, modo ab analogia fidei, & ab iis quæ clare nobis revelata sunt in Scriptura non recedat. Quocumque istud sensu accipiamus, Christum ad Euangelium prædicandum à Patre missum esse, tam sæpe inculcatur in Scriptura, ut à nemine unquam in controversiam fuerit vocatum. *Qui misit me Pater, ipse mandatum mihi dedit*,

quid dicam & quid loquar, *Joan.* XII. 49. Item *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, *Joan.* XX. v. 21. Vide etiam *Joan.* XVII. 3. *Rom.* VIII. 3. *Galat.* IV. 4. & pluribus aliis locis. Et eo quoque trahi potest quod de Sacerdotio ejus legimus *Hebr.* V. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus seipsum non glorificavit ut Pontifex fieret, &c.* Eadem enim est utriusque muneris functio. Nemo sibi debet munus legati à Deo missi arrogare, nisi revera à Deo missus fuerit, præsertim ubi de novæ doctrinæ & antea non revelatæ annunciatione agitur. Unde Deus conqueritur de falsis Prophetis, *qui visionem cordis sui loquebantur, & non ex ore Domini, &c. Jerem.* XXIII.

X. Ad missionem quoque Christi pertinet illud testimonium, quod Pater ei de cœlo perhibuit cum baptizatus est & Spiritum S. accepit, *Hic est filius meus dilectus, in quo acquievi.* Quod repetitum est in transfiguratione ejus coram tribus discipulis, cum præcepto addito, *Hunc audite*, *Matth.* XVII. Item cum Christo orante, *Pater glorifica nomen tuum*; venit vox de cœlo, dicens, *Et glorificavi, & iterum glorificabo*, *Joan.* XII. nempe per hunc filium meum, & opera quæ ei dedi ut faceret in nomine meo. Omnibus enim his testimoniis commendatus est Christus, ut audiretur tanquam Legatus à Patre missus, & ipsius doctrina pro cœlesti & divina reciperetur. Unde in postremo loco dicit, *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.*

XI. Potentia quoque miraculorum patrandorum accessit, quibus tanquam sigillo à Deo impresso doctrina Christi obsignaretur, & nullus causam haberet eam ut inventum humanum repudiandi. Ideoque ad illa provocabat, dicens, *Opera quæ dedit Pater ut perficiam ea, opera ipsa quæ ego facio testimonium perhibent de me quia Pater misit me*, *Joan.* V. 36. Et rursus, *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite*, *Joan.* X. v. 37. quasi diceret, doctrina quidem mea meretur fidem apud vos invenire, cum nihil afferam quod non sit consentaneum legi & Prophetis, quos vos pro divinis recipitis; sed si istud nondum animadvertatis, saltem credite mihi propter opera, cum nullus possit talia, qualia ego facio, nisi virtute divina facere. Verum de his infra pluribus agendum erit. Talibus ergo donis instructus D. Jesus & à Deo Patre suo missus, se ad munus Propheticum obeundum accinxit.

XII. Hic quæritur, An non etiam sub Veteri Testamento tale officium gesserit, non quidem immediate, ut fecit sub Novo; sed mediate per Prophetas, quos in nomine Patris, utpote ejus λόγος seu sermo, allocutus sit, & Spiritu suo Prophetas afflaverit, ut Petrus 1 *Epist.* I. 11. innuere videtur. Ad quod respondeo, Nequaquam; ut patet ex verbis Apostoli *in initio Epist. ad Hebr. Multifariam multisque modis olim Deus locutus est Patribus per Prophetas; novissimis autem diebus istis locutus est nobis per filium.* Male enim divinus Scriptor diversam istam Dei œconomiam in patefacienda sua voluntate hominibus sub utroque fœdere distingueret, si per filium eos etiam allocutus esset sub Veteri. Adeo ut mirer Dordracenos interpretes, in notis ad *versum* I. *Evang. Joannis*, afferre istum locum ex *Epist. ad Hebr.* ad probandum, Deum Patrem occultum suum consilium de salute nostra per Verbum illud, de quo Joannes agit, manifestasse hominibus tam in Veteri quam in Novo Testamento. Hæc glossa enim manifeste textui contrariatur; nec convenit etiam cum iis quæ in illum *versum* I. *ad Hebr.* annotaverunt. Quod vero dicit Petrus de Spiritu Christi qui fuerit in Prophetis, non intelligit Spiritum à Christo datum; id enim non fecit ante suam glorificationem, *Joan.* VII. 39. sed qui ea, quæ ad Christum pertinebant, revelaret.

XIII. Functiones ad munus Christi Propheticum pertinentes, possunt omnes sub hac unica comprehendi, quod Euangelium annunciavit, in quo habetur revelatio ultimæ & perfectissimæ Dei voluntatis de æterna hominum salute, & eam consequendi modo. Quod ut melius intelligatur, hujus consideranda est tum convenientia cum lege per Mosem data, tum etiam discrepantia ab illa. Lex & Euangelium conveniunt inter se præcipue duobus hisce modis. 1. Quod unus idemque sit utriusque auctor, nempe Deus, Jesu Christi Pater; contra quam delirarunt olim Marcionitæ & Manichæi, duo statuentes rerum principia, unum bonum, alterum malum; hoc Veteris Testamenti auctorem, illud Novi, & Christi patrem. Quam falsum enim & absurdum sit talia duo principia fingere, supra ostendimus cum de unitate Dei ageremus. Sane quippiam profiteri esse Deum, & malum dicere, est contradictio manifesta in adjecto; cum Dei nomine & notione summa & perfecta bonitas intelligatur, & simul atque quippiam malum esse constat, eo ipso appellatione Dei indignum esse omnibus, qui mente non sunt capti, liqueat. Eundem vero Jesu Christi Patrem, qui est legis novæ auctor, etiam veterem tulisse, universa Novi Testamenti Scriptura docet. Inter alia *initium Epist. ad Hebr.* paulo ante à nobis citatum, ubi dicitur *illum ipsum Deum, qui Patribus locutus fuerat olim per Prophetas, novissimis diebus nobis locutum esse per filium.* Idem ostendit Zacharias in Cantico suo, cum dicit, *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit & fecit redemtionem plebis suæ; sicut locutus est per os sanctorum qui à seculo sunt Prophetarum ejus*, *Luc.* I. v. 68. Constat enim ipsum de nulla alia visitatione & redemtione populi Israëlitici agere, quam ea quæ brevi implenda erat per Jesum Christum, ante cujus faciem mittebatur Joannes Baptista ejus filius. Huc etiam accedit testimonium Beatæ Virginis Mariæ; quæ magnificans

cans Deum dicit, *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ; sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula, Luc. I. v. 54.* manifeste indicans unum eundemque Deum esse qui cum Israëlitarum majoribus olim fœdus inierat, & qui ultimis temporibus suscepit eos ut eis misericordiam exhiberet in Jesu Christo. Denique ipse Jesus id confirmat, cum Judæos alloquens dicit, *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, Joan.* VIII. 54. Istis enim verbis docet, illum Deum quem Israëlitæ colebant, & qui legem ipsis dederat, esse Patrem suum à quo sanctificatus & missus fuerat ad Euangelium prædicandum. Non potest recipi Novum Testamentum, quin simul admittatur Vetus esse divinum. *Omnis Scriptura est divinitus inspirata, & Sancti Dei homines, à Spiritu S. acti, sunt locuti, 1 Tim.* III. 16. *&* 2 *Petr.* I. 21.

XIV. 1. Conveniunt in eo, quod tum Lex tum Euangelium contineant mutuum quendam inter Deum & homines contractum seu fœdus; in quo Deus aliquid exigit seu stipulatur ab hominibus, & ex sua parte aliquid promittit se daturum illis, si conditiones fœderis servent. Quod contra illos observandum est, qui Euangelium solis promissis constare & nullas leges proponere contendunt; quæcunque vero in Novi fœderis scriptis bene vivendi præcepta & minæ occurrunt, Euangelii non esse propria, sed ex lege Mosis repetita, & respectu electorum potius esse promissa quam mandata, utpote quæ Deus polliceatur se mentibus eorum inditurum & cordibus inscripturum, *Hebr.* VIII. & *Jerem.* XXXI. Sed 1. Male ab invicem divellunt ea quæ non nisi conjunctim proponuntur. Omne fœdus duabus constat partibus, stipulatione & promissione minisque. Omnes Euangelii promissiones sunt conditionales, & nemini obveniunt nisi qui conditionem annexam fidei, resipiscentiæ, sanctimoniæ, aut similes ejusmodi impleverit. *Qui credit in filium habet vitam æternam; qui autem non obedit filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Joan.* III. 36. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; sed si spiritu facta corporis mortificaveritis, vivetis, Rom.* VIII. 13. *Sine sanctimonia nemo videbit Dominum, Hebr.* XII. v. 14. 2. Euangelium vocatur *lex perfecta libertatis* à Jacobo *cap.* I. 25. *&* II. 12. Lex autem omnis potius consistit in mandatis quam in promissis. Hæc sunt illius appendices, quæ pertinent, sicut & minæ, ad robur & auctoritatem jussibus & interdictis conciliandum. 3. Euangelium vera continere mandata apparet ex concione Christi *Matth.* V. ubi legis Mosaicæ præceptis sua opponit. *Audivistis dictum fuisse antiquis; Ego autem dico vobis, &c.* Excipiunt illum Pharisæorum depravationibus veras suas legis expositiones opponere. Sed sola loci inspectio contrarium docet. Nullarum enim glossarum aut traditionum meminit; sed ipsa legis Mosaicæ verba citat; quibus sua deinde opponit, ut pluribus sequenti capite dicetur. 4. Ipse dicit se *novum mandatum dare discipulis, ut se diligant invicem quemadmodum dilexit eos, Joan.* XIII. 34. Et vocat id *præceptum suum, Joan.* XV. 12. Ergo id non fuit ex lege repetitum. Atqui, inquiunt, lex jubet ut *diligamus proximum sicut nos ipsos.* Sed respondeo, appellatione proximi in lege intelligi Israëlitam, & eam permittere odium & internecionem inimicorum. Christus vero istam appellationem extendit ad omnes homines, & vult ut etiam inimicos nostros diligamus. Deinde majorem præcipit dilectionem quam lex; nimirum suæ similem, qui pro nobis animam suam dedit. 5. Non satis convenit dignitati Christi, ipsum facere tantum Expositorem Legis Mosaicæ; cum filius unigenitus majorem in domo paterna auctoritatem habere debeat quam servus, qualis erat Moses, *Hebr.* III. Unde Pater ipse in transfiguratione in monte Tabor, Mose & Elia disparentibus, jussit ipsum audiri, nempe supra Mosem & Prophetas, utpote quorum munus & auctoritas adveniente Christo expirabat. 6. Istud Dei promissum, *Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum inscribam eas, &c.* nihil aliud significat, nisi Deum tantis populum suum beneficiis affecturum, primo in liberatione ex captivitate Babylonica, deinde in redemtione per Christum ex servitute peccati & mortis, cujus liberatio illa fuit typus & umbra, ut tam excellentis gratiæ sensus, amorem legis divinæ cordibus ipsorum impressurus esset, & efficeret ut ei alacrius quam antea obedirent. Non quod nulli ingrati essent futuri. Nam ista promissio ad totum populum Israëliticum dirigitur, in quo semper multi beneficiorum divinorum immemores fuerunt, & qui resistebant Spiritui S. ut Stephanus ipsis exprobrat *Actor.* VII. Perperam ergo ad quosdam absolute electos torquetur beneficium toti genti commune, & quidem novum, & temporibus Messiæ præcipue locum habiturum; cum tales electi inter Israëlitas etiam fuerint (secundum hujus expositionis auctores) ante istud promissum per Jeremiam factum; & omnibus mundi sæculis extiterint. Et de illis non esse intelligendum liquet ex *Ezech. cap.* XI. ubi simile promissum habetur, *Dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, &c.* Et postea subjicitur, *Quorum autem cor post offendicula & abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus.* Quod certe in electos istos non quadrat, quorum corda insuperabili potentia flecti dicuntur à Deo, ut non possint esse contumaces. 7. Minæ gravissimæ continentur in Euangelio, ignis æterni, quæ non habentur in lege, vide *Hebr.* I. *&* X

XV. Differunt vero inter se Lex & Euangelium in pluribus. 1. In Mediatore utriusque. Legis enim Mediator fuit Moses, qui eam, in monte ab Angelis acceptam, populo Israëlitico

 tradidit,

tradidit, *Galat.* III. 19. *Actor.* VII. 53. Euangelii vero Mediator est Christus, qui illud ex immediata Dei revelatione didicit, & de cœlo nobis attulit, *Joan.* I. 18. *&* III. 13. Scio equidem nonnullos docere Christum utriusque Fœderis Mediatorem esse, quibus jam superius respondimus, & quem ex Epistola ad Galatas locum attulimus, *Legem, nimirum, ordinatam esse per Angelos in manu Mediatoris*, non de Mose sed de Christo Mediatore interpretari, cum nullum alium Mediatorem præter ipsum Scriptura agnoscat; dicente eodem Paulo 1 *Tim.* II. 5. *Unus est Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Ad quod respondeo, si homo Christus Jesus sit Dei & hominum Mediator, illum munus istud Mediatorium, non exercuisse, nec exercere potuisse sub Veteri Testamento, cum tunc nondum esset homo. Et quod vocatur *unus* seu *unicus Mediator*, id fit ideo, quia est unicus Novi Fœderis Mediator, cujus Paulus erat Præco, & quod nullus remissionis peccatorum & consequenter salutis æternæ fit particeps tam sub Vetere quam sub Novo Testamento, quam ejus beneficio. Sed non obstat quominus alius etiam, quodam diverso respectu quia est Dei ad homines internuncius, & illis voluntatem divinam annunciat, possit quoque Mediator dici. Et talis fuit Moses qui inter Deum & Israëlitas stetit Medius, ut ipse dicit Israëlitis *Deut.* V. 5. *Ego Sequester & Medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annunciarem vobis verba ejus.* Vide etiam *cap.* IX. 18, 19. ubi ostendit quomodo functus sit officio Mediatoris in avertenda Dei ira ab Israëlitis, qui vitulum aureum fabricaverant. Et de Mose Paulum loqui in *cap.* III. ad Galatas, omnes circumstantiæ arguunt. *In manu enim ejus*, id est per ejus ministerium & interventum, ut hæc phrasis perpetuo usurpatur in scriptura, Israëlitæ acceperunt Legem. Unde Stephanus *Act.* VII. *v.* 38. dicit, Eum ab Angelo accepisse verba vitæ, quæ daret Israëlitis. Et Christo absque ignominia non potest tribui, cum Ministrum Angeli fuisse, qui ab eo Legem, ut Israëlitis traderet, acceperit. Titulus etiam Mediatoris non est sublimior quam Redemptoris, ut in Mosem non quadret, sed contra longe inferior. Atqui Moses etiam vocatur Israëlitarum Redemptor à Stephano *Act.* VII. 35. hunc Deus Principem & Redemptorem misit cum manu Angeli qui apparuit illi in rubo. Denique Mosem non à Jesu Christo, sed ab Angelo accepisse Legem in monte Sinaï apparet manifeste ex eo quod dicit Apostolus *Hebr.* II. 2. *Si per Angelos sermo, &c.* opponens Legi, quam vocat sermonem dictum per Angelos, Euangelium tanquam multo excellentius, quod per D Jesum unigenitum Dei filium sit annunciatum. Eaque de causa Jesus vocatur *Sponsor Novi Fœderis Hebr.* VII. 22. & *Mediator Hebr.* VIII. 6. IX. 15. *&* XII. 24. Unde apparet, quanta sit hac in parte Euangelii supra Legem prærogativa. Quantumvis enim Moses fuerit fidelis in tota domo Dei, tamen fuit tantum famulus. Christus vero, filius est unigenitus Dei, qui domum illam fabricavit, & omnem auctoritatem habet in paterna domo. Nemo vero dubitat quin doctrina per filium allata, dignitate superet illam quæ per servum fuit annunciata. Licet enim Deus utriusque sit primarius auctor, non parum facit ad hanc præ illa commendandum, ministri, quo in ea promulganda usus est, præstantia. Quod etiam in fœderibus quæ Principes & Respublicæ inter se contrahunt usu venire videmus. Ubi enim res magni momenti sunt tractandæ, quales sunt bellum, pax, regum connubia & similes, digniores & nobiliores legati seu sequestri adhibentur, quam cum de commerciis tantum agitur.

XVI. 2. In diverso sanciendi modo. Nam ad Legem sanciendam adhibitus fuit pecudum sanguis, quo Moses librum legis & universum populum aspersit, dicens, *Hic est sanguis Fœderis quod pepigit Deus vobiscum super cunctis sermonibus his*, *Exod.* XXIV. 8. *& Hebr.* IX. 20. Ubi observandum, Mosem non facere ita aperte mentionem aspersionis libri legis, ut Apostolus; Sed tamen eam factam fuisse recte colligitur à Divino Scriptore, ex eo quod dicit Moses, se partem sanguinis fudisse super altare, & sumpsisse volumen legis, ex quo prælegeret populo: Cum enim illud ex altari sumpserit, una quoque cum altari fuit aspersus. Novum vero Fœdus, ipsius Mediatoris Jesu Christi sanguine fuit sancitum & confirmatum *Hebr.* IX. 12. *& seqq.* Unde se ad mortem accingens, & S. Cœnam in illius commemorationem instituens, dicebat de poculo, *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, *Matth.* XXVI. 28. Ex quo etiam quantum istud fœdus supra vetus excellat videre est; cum unigeniti Dei filii sanguis dignitate & efficacia infinitis partibus pecudum sanguinem superet.

XVII. 3. In promissis, quæ excellentiores sunt in Euangelio, quam in lege. Nam si aperta & expressa verba legis respicias, nulla habet promissa, nisi carnalia & hujus vitæ terminis inclusa. Longum illorum catalogum texit Moses *Levit.* XXVI. *& Deuter.* XXVIII. ex quo id liquet. Sensu quidem mystico, & sub rerum corporalium figuris repræsentata fuit æterna felicitas, & eam exspectarunt pii, ut docet Apostolus *Hebr.* XI. Sed tantæ efficaciæ non fuisse ejusmodi promissa, atque aperta sunt, nemo est qui non agnoscat. Unde multi sunt reperti qui licet istam legem se amplecti profiterentur & pro divina habere; nullam tamen prorsus melioris vitæ quam præsentis spem habuerunt; quales erant olim Sadducæi. Similiter nulla peccata expiata sunt sacrificiis legalibus nisi leviora, quæ per ignorantiam aut infirmitatem humanam erant commissa. Qui graviorum erat reus, sub maledictione legis detinebatur,

tinebatur, & nonnisi per specialem Dei gratiam, nusquam diserte promissam, ab ea liberari poterat. Sed Euangelium est *melioris spei introductio, per quam appropinquamus Deo*; *Hebr.* VII. 19. Et *in melioribus promissis sancitum est* *Hebr.* VIII. 6. Nam in eo *annunciatur per Christum remissio peccatorum, ab omnibus quibus Israëlitæ non potuerunt in lege Mosis justificari*, *Act.* XIII. 38. Et *Christus destruxit mortem, illuminavit autem vitam & immortalitatem per Euangelium*, 2 *Tim.* I. 10. Præterea Spiritum S. credentibus & eum à Deo petentibus pollicitus est, cujus ope etiam difficillima & maxime ardua mandata exsequi possent, *Luc.* XI. 13. *Joan.* VII. 38. Et hæc promissa ubique tam clare & expresse in scriptis Novi Fœderis occurrunt, ut nullus unquam ea de re controversiam moverit.

XVIII. 4. In præceptis. Lex enim plurima & inter ea quædam valde molesta habuit præcepta ceremonialia, de rebus natura indifferentibus, quæ propter solam legislatoris voluntatem observari tanquam honestæ, aut vitari tanquam turpes debebant. Et eo respectu Petrus eam *jugum intolerabile* vocat *Act.* XV. 10. Contra Euangelium paucissimas & facillimas præscribit ceremonias. Unde non sine causa Christus *jugum suum suave & onus leve* appellat *Matth.* XI. *v.* 30. quod etiam, ut mox videbimus, reliquis ejus præceptis convenit. Et omnia tam manifestæ sunt æquitatis, ut facile cum revelata sunt à cunctis non plane stupidis capi possit, cur sint à Deo jussa aut vetita. Unde Paulus Christianorum *cultum* vocat *rationalem* *Rom.* XII. 1. Et Petrus titulo *lactis rationalis* rudimenta religionis donat, 1 *Petr.* II. 2. Præcepta legis moralia, pietatis tantum rudimenta continent, adeo ut Paulus dicat, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt facere, & legem non habentes sibi ipsis instar legis esse*, *Rom.* II. 14. Id quod etiam inde probatur, quod Philosophi & legislatores Ethnici eadem multa cum Mose præcipiant & vetent. Imo perfectiora fieri possunt opera quam lex illa præscribat, nec dubium etiam est quin interdum à piis & fidelibus fuerint facta. Permittebat enim viris, qui incommodas uxores habebant cum illis divortium facere. At reperti sunt quidam qui mallent mores earum ferre, quam vinculum matrimonii dissolvere. Permittebat oculum pro oculo dentem pro dente exigere. At David injurias ab inimicis acceptas ultro ipsis condonavit, & bonum pro malo illis rependit, vide *Psal.* VII. XXXV. XLI. & CIX. Et confessionem Saulis de illius inusitata probitate, 1 *Sam.* XXIV. & XXVI. At Euangelium tam perfectam sanctitatis & justitiæ normam continet, ut nihil illi addi queat, & quæ nunquam hominibus in mentem venire potuisset nisi ipsis patefacta esset. Illud Paulus indicat cum dicit, *Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bona fama, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate*, *Philip.* IV. 8. Hoc vero cum dicit, *Sapientiam Dei loquimur in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit, &c. nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum*, 1 *Cor.* II. 5. & *seqq.* Sed objiciet quis, Si tanta est perfectio & sublimitas præceptorum Euangelii præ lege Mosaïca, Christus qui ea nobis præscripsit, multum jugum nostrum aggravavit, contra quam ipse profitetur *Matth.* XI. & immerito ejus Apostolus dicit, *Mandata ejus gravia non sunt*, 1 *Joan.* V. 3. Respondeo, minime id sequitur. Nam pro ratione oneris quod nobis imposuit, vires nostras auxit, ut id facile & sine molestia ferre valeamus. Ita etsi pondus decem librarum sit grave tenero infanti, tamen viginti librarum videbitur leve eidem adulto, propter virium incrementum. Id hic locum habet, & gratia Euangelica est tanta ut illam adeptis nihil sit grave aut molestum, nec paupertas, nec ignominia, nec exilium, nec mors, & glorientur in mediis cruciatibus sub quibus alii animum despondent. Quoniam *omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*, 1 *Joan.* V. 4. Et sane ei qui cœlestia & æterna bona se à Deo accepturum credit, si mandata ejus servet, omnia bona terrestria & caduca sordent, & vitæ hujus gravissimas etiam afflictiones & incommoda cum gaudiis illis sibi repositis æquiparanda non putat.

XIX. 5. Efficacia in pietate cordibus hominum ingeneranda. *Lex* quidem *adversus transgressiones fuit lata*, *Gal.* III. 19. Nimirum ut eas metu gravissimorum quæ intentabat suppliciorum coërceret. Sed tamen parum ad id profuit. *Omnes declinarunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, *Rom.* III. *v.* 10. & *seqq.* Ubi est quidem hyperbolica aliqua exaggeratio, cum Scriptura doceat probos aliquot & pios sub lege vixisse, qui sceleribus istic commemoratis non fuerint contaminati, imo etiam *qui ambularint in omnibus mandatis, & justificationibus Domini inculpate*, *Luc.* I. 6. ii tamen tam exiguo numero fuerunt, ut vix in censum venire mereantur, cum impietas passim grassaretur, & omnem terram velut impetuosus torrens inundaret. Imo tantum abest ut lex peccatum reprimere posset, ut contra illud irritaret & augeret. Unde illud Apostoli, *Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, &c.* *Rom.* VII. 8. Quod factum est quidem per accidens, *non vitio legis, quæ est sancta, & justa, & bona*; sed corruptæ hominis naturæ culpa, quæ solet adversus vetitum niti. Sed tamen ostendit quanta esset legis infirmitas. Indeque *evenit ut lex quæ erat ad vitam*, (dicebat enim, *Hoc fac & vives*) *fuerit ad mortem, eamque sit operata.* Qua de causa vocatur etiam, *litera occidens & ministerium condemnationis*, 2 *Cor.* III. & negatur *eam potuisse vivificare*, *Gal.* III. 21.

Et

Et sacrificia, quæ expiandis peccatis erant destinata, etiamsi singulis annis indesinenter offerrentur, *nunquam poterant accedentes perfectos facere, &c. Hebr.* x. 1. Contra Euangelium tantæ virtutis est, ut id quod mandat, cordibus hominum velut inscribat & insculpat, *Hebr.* VIII. nimirum quia præstantioribus promissis est sancitum, quibus fieri non potest ut quis ex animo credat, quin se ad conditiones iis annexas implendas totis viribus accingat. Idque innuit Apostolus dicens, *Quod impossibile erat legi, eo quod infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum, Rom.* VIII. & alibi, *Nihil ad perfectum adduxit lex; sed introductio melioris spei, per quam appropinquamus Deo, Hebr.* VII. 19. Ideoque Euangelium appellatur *ministerium spiritus*, & *ministerium justitiæ* 2 *Cor.* III. quia nimirum adjunctam sibi habet efficaciam spiritualem in corda penetrantem, & ea ad justitiam & sanctitatem per quam accepti sumus Deo reformantem. Et *sanguis Christi, qui per Spiritum obtulit seipsum immaculatum Deo, emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi, Hebr.* IX. 14. nempe cum consideramus illum pretiosum suum sanguinem effudisse ad confirmandum illud fœdus, in quo nobis promittitur omnium peccatorum remissio & vita æterna sub hac conditione, si peccato renunciemus & in vitæ novitate ambulemus. Objicietur forsan, Christianos, qui se Euangelio credere profitentur, non esse castigatioris vitæ Judæis qui illud repudiant. Ita est, & valde dolendum quod tantum scandalum præbeant extraneis à fide. Sed ii nullo modo credunt corde, id quod ore profitentur. Quare ex eorum factis non est judicandum de Euangelii præ lege efficacia ad pietatem ingenerandum. Naturam ejus & indolem penitius intueri oportet, & videre quos fructus apta sit producere, & producat etiam in cordibus paucorum illorum qui vere ei credunt.

XX. 6. Amplitudine. Lex enim soli populo Israëlitico lata est. Unde Moses dicebat, *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias justaque judicia, & universam legem quam ego proponam hodie ante oculos vestros, Deuter.* IV. 8. Item, *Deus annunciat verbum suum Jacobo, justitias & judicia sua Israëli; non fecit sic omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis, Psal.* CXLVII. 19. Et Paulus gentium statum describens antequam eis Euangelium annunciaretur, *Eratis illo in tempore sine Christo, alieni à republica Israëlis, extranei à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo, Ephes.* II. 12. Sed Euangelium toti mundo propositum est. Christus quidem illud annunciavit in sola Judæa, prout erat ipsi à Patre demandatum. Unde mulieri Cananææ opem suam imploranti respondebat, *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israëlis, Matth.* XV. 24. Eoque respiciens Paulus eum vocat *ministrum circumcisionis, Rom.* XV. 8. ut significet eum inter solos Israëlitas qui circumcisi erant & in fœdere Dei ministerium suum obiisse. Eodem sensu quo alibi dicit, *creditum sibi fuisse Euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis, Galat.* II. 7. Et cum Christus primo ante mortem suam misit Apostolos ad Euangelium prædicandum, præcepit eis, *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves perditas domus Israëlis, Matth.* x. 5. Nam extraordinarium fuit, quod aliquando lucis illius radios sivit apparere iis qui Judææ viciniores erant, ut civitati Samariæ Sichar, de qua *Joan.* IV. Sed post mortem & resurrectionem suam *mittit Apostolos in universum mundum*, & jubet eos *prædicare Euangelium omni creaturæ, Matth.* XXVIII. *Marc.* XVI. & dicit eis, *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ, Act.* I. 8. Quod mandatum diligenter exsecuti sunt. Unde Paulus dicebat Euangelium jam suo tempore *prædicatum fuisse in universa creatura quæ sub cælo est, Coloss.* I. 23. Item, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis verba eorum, Rom.* x. 18. nempe Euangelii annunciatorum. In quibus verbis etsi videatur esse hyperbole aliqua, seu synecdoche partis pro toto, cum non constet certo Euangelium ab Apostolis aut eorum coadjutoribus prædicatum fuisse in America, quæ avorum nostrorum tempore detecta est & veteribus fuit incognita; indubium tamen ipsos totum orbem veterem peragrasse & Ecclesias illic plantasse; adeo ut Paulus solus ab Hierusalem & circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum repleverit Euangelium Christi, *Rom.* XV. 19. quod complectitur spatium plus quam trecentorum milliarium. Unde colligere est quid reliqui Apostoli & συνεργοὶ eorum præstiterint. De qua diversa gratiæ divinæ sub utroque fœdere dispensatione Paulus agens, dicit de Euangelio quod prædicabat, id esse *revelationem mysterii temporibus æternis taciti, & tunc patefacti per Scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obedientiam fidei, in cunctis gentibus cogniti, Rom.* XVI. 26. Cui gemina habentur *Coloss.* I. 26, 27. *Ephes.* III. 9. & alibi. *Sed quamvis Deus præteritis generationibus permiserit omnes gentes ingredi vias suas, sine testimonio tamen seipsum non reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implens corda hominum cibo & lætitia, Actor.* XIV. v. 15, 16. *Quod enim cognosci potest de Deo manifestum fuit illis. Invisibilia Dei à creatione mundi per ea quæ facta sunt conspiciuntur, sempiterna ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles, Rom.* I. 19. Male itaque istud adducitur ad statuminandum absolutæ reprobationis decretum, cum illi qui vixerunt sine lege scripta, non destituti fuerint omnibus mediis Deum cognoscendi, & in cordibus suis inscriptam habuerint notitiam justi & injusti,

injusti, conscientiasque se accusantes aut etiam excusantes, *Rom.* II. 14. *& seqq.* & certissimum sit, Deum æquissimum non plus ab illis hominibus reposciturum quam acceperint, & messem non quæsiturum nisi pro ratione sementis quam fecerit, *Matth.* XXV. 26. *Luc.* XII. 48.

XXI. 7. Duratione. Lex enim data fuit, ut duraret solum usque ad tempus Christi, cui cederet. Euangelium vero ut duret usque ad finem mundi, adeo ut nulla sit expectanda perfectioris doctrinæ revelatio. Objiciunt Judæi legem sæpe vocari pactum æternum, quod nominatim de circumcisione videre est multis in locis. Sed huic objectioni abunde à nobis responsum putamus, superioris *lib.* IV. *cap.* XII. §. XI.

CAPUT. XVII.

De Christi Doctrina, & modis quibus illam annunciavit, & confirmavit.

I. *Euangelium constare præceptis & promissis; & quod discrimen sit inter præcepta affirmativa & negativa.* II. *Christum Scribarum traditiones reprehendisse, legem ab illorum falsis interpretationibus vindicasse, & ampliasse.* III. *Quo sensu Lex perfecta dicatur à Davide.* IV. *Christum multa post futura prædixisse.* V. *Doctrinam Euangelicam ingenti cum zelo, libertate, sapientia, &c. annuntiasse.* VI. *Et Scripturarum testimoniis confirmasse.* VII. *Spiritum, aquam & sanguinem eidem testimonium perhibuisse.* VIII. *De Christi Sanctimonia* IX. *Et virtute miracula faciendi.* X. *Illi non minus quam Mosi Judæos credere debuisse.* XI. *Quam insulse hodierni Judæi eum magiæ* XII. *Et furati nominis divini criminentur.* XIII. *Requiri in veris miraculis,* 1. *ut constet ea facta esse.* XIV. 2. *Ut sint opera visibilia & palpabilia.* XV. 3. *Et naturæ vires superantia.* XVI. 4. *Et ut non tendant ad eversionem religionis jam miraculis sufficienter confirmatæ.* XVII. *Nec Christum, nec Apostolos Legem abrogasse.* XVIII. *Christum denique doctrinam suam proprii sanguinis effusione obsignasse.*

I. EX iis quæ præcedente capite à nobis disputata sunt, videre est, Euangelium quod Christus generi humano revelavit, duabus præcipue partibus contineri, nempe præceptis & promissis, una cum oppositis minis. Illa sunt vitæ nostræ norma, & quid faciendum ac vitandum nobis sit, ut Deo placeamus, ostendunt. Hæc quæ bona à Deo expectare, si ei paruerimus, vel quæ mala metuere, si rebelles fuerimus, tam in præsenti quam in futuro sæculo declarant. Præcepta quod attinet, ea ad fidem ac resipiscentiam possunt omnia referri, & in affirmativa & negativa commode distingui; inter quæ hoc discrimen est: quod hæc semper omnes obligent, seu omni tempore & loco; illa vero non item. Ratio prioris est, quia quod Deus prohibuit nulli licet facere, & nunquam atque nusquam ab illa obligatione liberatur; nisi forte ipse exceptionem aliquam suæ legi addat, ut cum jussit Abramum sibi immolare filium, Israëlitas auferre bona Ægyptiorum; quod alias illicitum fuisset. Ratio vero posterioris est, quia ad id quod Deus jussit, semper obligati sunt homines, non tamen semper omnes id exequi tenentur; sufficitque aliquando si animus exsequendi adsit: verbi gratia liberi parentes honorare tenentur; sed si nullos habeant, aut nimis longe ab ipsis dissiti, ab hac obligatione sunt soluti. Item periclitantibus parentibus & liberis, omnes tenentur opem ferre; sed locorum distantia aliquando facit ut utroque officio defungi sit impossibile. Tenemur pauperibus eleemosynas dare; sed si nulli sint pauperes, aut nos ipsi ad extremam inopiam redacti simus, hæc obligatio cessat. Et sic in multis aliis. Illud tamen arbitrio nostro non est relictum, ut præceptis istis quando visum fuerit pareamus aut non pareamus. Sed tales aliquando circumstantiæ incidunt, ut qui ea non exsequitur gravi se peccato obstringat. Ita cum videmus pauperem gravi inopia pressum, cui opitulari possumus, non licet ab eo manum nostram opitulatricem subducere. Sic non licebat Danieli abstinere à publice invocando Deo, cum Darius impium illud edictum fecit, ut per triginta dies nemo ullum alium, sive Deum, sive hominem, præter se invocaret, *Dan.* VI. Et de utrisque tam præceptis quam promissis nobis infra suo loco agendum erit. Nunc ut reliqua, quæ ad Propheticum Christi munus pertinent, absolvamus, considerandæ nobis sunt quædam Euangelii velut appendices; deinde modus quo id Christus annunciavit; denique quo pacto illud confirmaverit.

II. Appendices istæ sunt duæ. 1. Quod D. Jesus legem Mosaicam à falsis Scribarum & Pharisæorum interpretationibus vindicarit, traditiones eorum & varia circa religionem peccata acriter reprehenderit. Id liquet ex *Matth.* XV. XVI. XXII. *&* XXIII. aliisque historiæ Euangelicæ locis. Eoque solet etiam referri concio illa in monte habita, quæ *Matth.* V. VI. *&* VII. continetur: Et nolim negare nonnulla quæ ibi leguntur id innuere, quale est istud, *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*; & quæ adversus *eleemosynas, preces, & jejunia illorum hypocritica* disserit. Sed eo non pertinent ista, *Audistis quia dictum est antiquis, &c. Ego vero dico vobis*, &c. quæ aliquoties illic repetuntur. Verum quidem est verba ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, non solum verti posse, *Dictum est antiquis*; sed etiam, *dictum est ab antiquis*; quasi non designaretur ipsa lex Mosaica, sed Scribarum & Pharisæorum glossæ ac traditiones, quibus genuinum ejus sensum corrumpebant. Sed cum (ut jam supra monui) D. Jesus ipsa legis verba recitet, nulla cum specie dicitur, ipsum Scribarum & Pharisæorum corruptelas & falsas expositiones impugnare. Objicies ista verba, *Odio habebis inimicum tuum versu* 43. nusquam reperiri in lege, sed contra eam perinde ac ipsum Euangelium jubere ut inimicos diligamus. *Si* (inquit illa) *occurreris bovi inimi-*

inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo, Exod. XXIII. 4, 5. Item, *Non oderis fratrem in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges proximum tuum sicut teipsum*, Levit. XIX. 17, 18. Respondeo in primo loco agi de inimico qui sit Israëlita, ut apparet ex repetitione hujus præcepti facta *Deuter.* XXII. 1. ubi vocatur *frater*. Sic enim se vulgo appellabant Israëlitæ propter communem generis auctorem & parentem Abrahamum. Tales inimicos tantum lex vetabat odisse; licet non semper & in omni casu. Nam volebat ut *anima pro anima, oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede* ab iis, qui læserant, exigeretur, *Deuter.* XIX. 21. In secundo loco id liquet adhuc clarius, ex vocibus *fratris, civis, proximi*, quibus iste osor designatur. Sed quod ad alios attinebat, præsertim eos qui erant ex septem illis populis Cananææ, quorum regionem Deus dabat Israëlitis possidendam, non solum licebat eos odisse, sed etiam diserte præcipiebatur. *De his civitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere, sed interficies in ore gladii, Hethæum* videlicet & *Amorrhæum, & Chananæum, & Gergesæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, &c. Deut.* XX. 16, 17. *Non misereberis eorum, Deut.* VII. 3. Et de Ammonitis & Moabitis dicitur, *Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum, Deut.* XXIII. 6. Item de Amalec, *Delebis nomen ejus sub cælo; cave ne obliviscaris, Deut.* XXV. *v.* 19. Et Saul ideo rejectus fuit à Deo, ne porro regnaret super Israëlitas, quia hoc mandatum adversus Amalec non erat executus, *Non parcas ei, sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactantem, bovem, & ovem, & camelum & asinum*, 1 *Sam.* XV. Sane hoc est revera præcipere odium, & quidem valde expresse; quamvis totidem verbis & syllabis non habeatur in lege, *Odio habebis inimicum tuum.* Verum quidem est, Israëlitas ulterius extendisse odium suum quam ad nationes istas internecioni destinatas, & eo profecutos esse omnes alienigenas; & forte ad id à Scribis & Doctoribus suis fuisse stimulatos, qui ita legem interpretabantur. Sed iste abusus non obstat quominus liceret illis aliquos inimicos suos odisse. Indeque ortæ sunt imprecationes illæ Davidis adversus inimicos suos, *Psal.* LXIX. & CIX. Nam etiam regionem suam adversus quoscunque alios, qui eam invaderent, legitime defendebant, & si possent eos armis delebant: quod absque acerrimo odio non fieri manifestum est.

III. Affertur quoque *legem Dei* vocari à Davide *perfectam*, *Psal.* XIX. 8. Et Mosem de illa dicere, *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis, Deut.* IV. 2. Respondeo. Legem Dei recte vocari perfectam, quia accommodata erat statui illorum quibus fereb[...]ur, qui majoris sapientiæ tunc non erant cap[...]ces; & jure prohibebatur Israëlitis quicquam ill[...] ausu privato adjicere. Sed Deus jus sibi non ad[...]mit aliquid ei addendi cum vellet, & magis [...]huc eam perficiendi. Et hoc convenientissime per filium suum unigenitum fecit, cum in mundum mittens ut nobis totum voluntatis suæ arcanum manifestaret. Non decet ergo Christianos pro omnimoda ista legis perfectione pugnare, & eam Euangelio æquare, quod tot elogiis videmus supra legem efferri, *Joan.* I. 17. 2 *Cor.* III. & multis *Epist. ad Hebr.* locis, *ut capp.* II. III. VII. & VIII. &c.

IV. 2. Multa pertinentia ad statum Ecclesiæ suæ usque ad finem mundi prædixit D. Jesus, tum per se, cum adhuc in terris ageret, tum per Apostolos, post ascensionem suam in cœlum. Et quidem tam præstantia, ut longe exsuperent ea omnia quæ per Veteris Testamenti Prophetas fuerunt unquam revelata. Et sic hac etiam in parte se magnum illum Prophetam, quem Judæi venturum exspectabant, esse ostendit. Testes hujus rei sunt *cap.* XXIV. *Matth.* & parallela apud *Marcum* & *Lucam*, ubi Euangelium suum per totum orbem prædicandum, pseudoprophetas qui se ejus cursui opponerent exorituros, Judaicam gentem & Hierosolymam una cum templo propter incredulitatem suam exscindendam, & alia adventum suum antecessura prædicit. Vide etiam 2 *Thess.* II. & 1 *Joan.* II. prophetias Pauli & Joannis de apostasia à vera fide, & Antichristi revelatione. Sed præcipue librum Apocalypseos, in quo Apostolo suo Ecclesiæ Christianæ certamina & persecutiones, & futuram gloriam per Angelum patefacit.

V. Nunc ut ad modum, quo D. Jesus Euangelium annunciavit, transeamus, variæ in eo circumstantiæ seu potius virtutes sunt observandæ. 1. *Zelus* ingens quo munere isto functus est; adeo ut Apostoli agnoscerent *Joan.* II. vere in eum quadrare, id quod *Psal.* LXIX. *legimus*, *zelus domus tuæ comedit me.* Quod specialiter quidem applicatur templi repurgationi à profana illa negotiatione quæ ibi exercebatur; sed in reliquis quoque multis D. Jesu actionibus apparuit. Talis est illa, cum præ studio promovendæ veritatis cibum respuebat, etsi maxime eo indigeret, dicens, *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, & perficiam opus ejus, Joan.* IV. 34. Vide etiam *Marc.* III. 20. Item 2. *assiduitas* ejus *in precibus*, quas frequenter ad Deum Patrem pro felici Euangelii successu fundebat, & tanto cum affectu ut nonnunquam integras noctes illis impenderet, *Luc.* VI. 12. & IX. 18, 28. Vide etiam eximiam illam precationem quæ *Joan.* XVII. legitur, ubi Apostolos suos & eos qui per illorum ministerium Euangelio credituri essent Deo commendat. Huc pertinent quoque 3. ejus *gratiarum actiones* quod preces suæ à Deo essent exauditæ,

auditæ, ut *Matth.* XI. 25. *Luc.* X. 21. *Joan.* XI. 41. Cum zelo gloriæ Dei conjunctus erat alter erga hominum salutem. Unde 4. *Misericordia* fuit motus erga turbas, quia *videbat eas dispersas sicut oves non habentes pastorem*, *Matth.* IX. 36. Magno studio *quæsivit Judæos ad se congregare*, *sicut gallinæ solent pullos suos sub alas*, *Matth.* XXIII. 37. Et flevit super incredulitatem urbis Jerusalem, quam frustra ad meliorem frugem reducere tentaverat, quæque tempus visitationis suæ non agnoverat, ruinam ejus imminere videns, *Luc.* XIX. 41. 5. *Libertas* & *παῤῥησία* qua usus est in docenda veritate & reprehendendis hominum vitiis, absque ulla personarum acceptione, aut periculi metu. Quod inimici ipsius fatentur, dicentes, *Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, nec quemquam curas, &c. Matth.* XXII. 16. Et cum nunciarentur illi Herodis insidiæ, contemsit eas, respondere contentus *ite & dicite vulpi illi, &c. Luc.* XIII. 31. 6. *Sapientia*; qua se in docendo accommodavit auditorum ingenio & captui, rudiores ita instituens per familiares parabolas, ut tamen instar ænigmatum essent iis, qui accedebant reprehendendi aut irretiendi eum studio, *Matth.* XIII. XXI. & XXII. Item qua os adversariis obturavit & ad silentium adegit; per quæstionem de baptismo Joannis, unde esset, *Matth.* XXI. postulando numisma census sibi ostendi, *cap.* XXII. probando resurrectionem mortuorum ex lege, *Ibidem*: ostendendo quodnam esset maximum legis mandatum, *Ibidem*: & interrogando cur David Messiam qui ex se prodituris erat Dominum suum vocet; *Ibidem*: adeo ut nemo posset ei respondere verbum, neque postea ausus sit eum interrogare, *versu ultimo*. 7. *Eloquentia*; Unde *mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ipsius*, *Luc.* IV. 22. Et ministri Sacerdotum & Pharisæorum missi ad comprehendendum eum, ejus eloquentia ita capiuntur ut non audeant ei manus injicere, & apud suos dominos hac excusatione utantur, *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*, *Joan.* VII. 46. Huc pertinet etiam 8. *Authoritas*, cum qua docebat; unde fiebat ut *turbæ obstupescerent super doctrina ejus, quia docebat eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi*, *Matth.* VII. 29. Illi enim dicta sua confirmabant testimoniis Doctorum apud ipsos celebriorum, & in ambiguis dicebant esse nodum quem Elias olim soluturus esset, sæpe argumentabantur tantum ex verisimilibus. Christus vero suam doctrinam ad Deum Patrem referebat, & cum auctoritate Dei legato convenienter eam proponebat. *Mea doctrina* (inquit) *non est mea, sed ejus qui misit me*, *Joan.* VII. 16. *Ego quod vidi apud Patrem loquor; ex Deo exivi & veni, &c. Joan.* VIII. 38, 42. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, *Joan.* XII. v. 44.

VI. Ultimum ad Christi officium Propheticum pertinens est Confirmatio doctrinæ. *Primo* autem in eum finem testimonio Scripturarum usus est, quod fuit necessarium, quia ipsi res erat cum Judæis quibus tradita erant eloquia Dei, qui legem & Prophetas pro θεοπνεύσοις habebant, imo in illis vitam æternam se habere existimabant, *Joan.* V. 39. Potentem autem valde in Scripturis fuisse D. Jesum inde liquet, quod Judæi id mirabantur, dicentes, *Quomodo hic literas* (nempe sacras) *scit, cum non didicerit? Joan.* VII. 15. Non vulgarem enim notitiam intelligunt, sed qualis est præstantissimorum Doctorum, quorum scholas Jesum non frequentasse ipsis compertum erat. Indubium autem est, ipsum de doctrina sua idem profiteri potuisse quod Paulus apud regem Agrippam *ἀπολογούμενος, se nihil dixisse extra ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moses, &c. Act.* XXVI. 22. Quamvis enim Euangelium esset doctrina nova, & hactenus mundo inaudita, *Deus tamen id ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis*, *Rom.* I. 2. *Et justitia Dei per fidem Jesu Christi sine lege in Euangelio manifestata, testimonium habebat à lege & Prophetis*, *Rom.* III. 21. Itaque D. Jesus ad doctrinæ suæ confirmationem usus est testimonio Scripturæ Veteris, prout passim in historia Euangelica videre est. In Synagoga Nazarethana docens *Luc.* IV. ostendit in se impletam esse prophetiam *Esaiæ* LXI. *Spiritus Domini super me, &c.* Scripturam etiam adhibuit in repellendis Diaboli tentationibus, confutandis Scribarum, Pharisæorum, Sadducæorum erroribus *Matth.* IV. XV. XXI. & XXII. & alibi.

VII. Sed præter Scripturæ testimonia Jesus Christus aliis quoque modis doctrinam suam roboravit, præcipueque tribus; perfectissima vitæ sanctimonia, qualis in nullo alio unquam conspecta fuerat; omnis generis miraculis, & multo majore numero quam Moses & reliqui omnes Prophetæ simul fecerant; denique morte acerbissima & ignominiosissima, quam ultro subiit ut testimonium perhiberet veritati. Quæ tria simul Joannes complexus est cum dicit, *Tres sunt qui testimonium dant* (nempe Jesum esse Christum, Dei viventis filium, ac proinde ejus doctrinam esse verissimam fideque dignissimam) *Spiritus, Aqua, & Sanguis; & hi tres unum sunt*, 1 *Epist.* V. 6. *&c.* Per *Spiritum* enim intellexit virtutem illam divinam quæ in miraculis Jesu Christi effulgebat; (nam Spiritus S. nihil aliud est nisi *Dei altissimi virtus & potentia*, *Luc.* I. 35.) per *Aquam*, morum puritatem & innocentiam; simili loquendi modo ei quo utitur Apostolus *Hebr.* X. 22. jubens ut accedamus ad Deum, *abluti corpus aqua munda*; per *Sanguinem* denique, illum quem Jesus in cruce una cum anima effudit.

VIII. De vitæ Christi sanctimonia abunde testatur historia Euangelica. Ea fuit adeo perfecta, ut ausus fuerit ad infensissimorum adversariorum testimonium provocare; *Quis ex vobis arguet me de peccato. Si veritatem dico,* quare

quare vos non creditis mihi? Joan. VIII. 46. Idcirco Apostoli eum passim *Sanctum* & *Justum* vocant. *Vos*, inquit Petrus Judæos alloquens, *Actor.* III. 14. *Sanctum & Justum negastis, & petitis virum homicidam dari vobis.* Similiter Joannes, *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum Justum*, 1 *Joan.* II. 1. Et hac sua innocentia ita placuit Patri, ut Paulus non dubitet asserere, quod *sicut per inobedientiam unius hominis*, nempe Adami, *peccatores constituti sunt multi; ita & per unum*, scilicet Christi, *obedientiam justi constituentur multi*, *Rom.* V. 19. Ad cujus imitationem Petrus nos provocat, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, 1 *Petr.* II. 21, 22. Ejus innocentiam nobis describit idem Apostolus, ubi eum confert cum agnis immaculatis, quales esse debebant qui sub lege in sacrificium Deo offerebantur: *Scientes*, inquit, *quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis; Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati*, 1 *Petr.* I. 18, 19. Et divinus Auctor, *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; sed tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, ad Hebr.* IV. 15. Unde *cap.* VII. 26. infert, *decuisse ut nobis esset talis Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Attamen, inquies, non videtur divinus hic scriptor habuisse Jesum pro absolute puro ab omni peccati labe, nam cum *versu* sequenti 27. dixisset, *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi*; addit, *Hoc enim fecit semel, se offerendo*; Ubi postremis istis verbis videtur innuere, Jesum obtulisse sacrificium pro suis peccatis, sicut summus Pontifex sub Lege faciebat. Sed responderi potest 1. verba, *Hoc enim fecit semel*, non necessario referri debere ad oblationem quam Christus pro se obtulerit: Sed ad eam quam obtulit pro aliis, seu pro populo, qui hic ei adjungitur. 2. Non est insolens tum in Scriptura tum apud alios bonos auctores, ut unum idemque vocabulum ad diversa, in eadem periodo, relatum, uni proprie alteri improprie tribuatur, & ita voce *peccati* (si quis eam omnino ad Christum referendam esse existimet) significari poterunt infirmitates quibus Dominus Jesus instar aliorum hominum in diebus carnis suæ, fuit obnoxius; quia eæ solent esse peccati sequelæ, etsi in ipso tales non fuerint. Idque significari videtur *cap.* V. 1, 2, 3. Ubi dicitur *omnem Pontificem talem esse debere, qui condolere possit iis, qui ignorant & errant, & propterea debere quemadmodum pro populo, ita etiam pro semet ipso offerre pro peccatis.* Quod postea Christo applicans dicit, *Eum in diebus carnis suæ obtulisse preces supplicationesque cum clamore valido & lachrymis ad eum qui poterat eum salvum facere à morte.* Et ratione istarum infirmitatum videtur dixisse Apostolus, *Deum misisse filium suum in similitudinem carnis peccati*, *Rom.* VIII. 3. id est habuisse carnem fragilem, quasi fuisset peccator, licet revera talis non fuerit, sed purus omnino & innocens, ut Petrus de eo clare testatur, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis*, 1 *Petr.* III. 18. Is igitur in quo tanta sanctimonia & morum integritas elucet, non debet suspectus haberi mendacii. Falsorum doctorum ambitio, avaritia & alia vitia statim se produnt; nihil enim simulatum potest esse diuturnum. Sed qui opes & voluptates spernit, & à gratia hominum captanda tam longe abest, ut contra in ipsorum odium παῤῥησίᾳ sua incurrere non vereatur, hic ostendit se vere esse ex Deo.

IX. Quia tamen profundæ sunt cordis humani latebræ, & quorundam hypocrisis magna arte occulitur, ne tam subito in lucem erumpat, voluit Deus ut filius suus dilectus majus adhuc testimonium haberet, & quod nullo cum prætextu repudiari posset. Virtute ergo miracula faciendi ipsum instruxit, quæ ideo *signa* vocantur, quia veritatis divinæ sunt indicia. Hæ fuerunt literæ fiduciariæ, quibus Jesus se à Deo missum esse probavit. Unde recte Nicodemus, *Rabbi, scimus te à Deo venisse Magistrum; Nemo enim potest hac signa facere quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo, Joan.* III. 2. iisque conspectis discipuli plurimique alii, aut ad fidem primum sunt adducti, aut in ea confirmati, *Joan.* II. 11, 23. & XI. 45. Et ipse ad miracula sua sæpe provocat ut ostendat se à Deo missum fuisse. *Opera quæ dedit Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me, Joan.* V. v. 36. & X. 36. & XV. 24. *Matth.* XI. 4, 5. Qua de causa Joannes admirabundus ob incredulitatem Judæorum exclamat, *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, &c. Joan.* XII. 37. Nec tantum inservire debuerunt illis, qui ea oculis suis hauriebant permovendis; sed etiam scripto consignata sunt à fidelibus Jesu Christi testibus, ut eundem effectum producerent secuturis temporibus: *Multa & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt ut credatis, &c. Joan.* XX. 30.

X. Judæi quidam hodierni respondent, miracula non sufficere ut credamus Jesum aut quemquam alium Doctorem à Deo esse missum. Mosem enim monere, *Si surrexerit aliquis Propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum atque portentum, ne audiantur verba Prophetæ illius aut somniatoris, etiamsi id evenerit quod locutus est, &c. Deuter.* XIII. Miracula Jesu facta fuisse virtute magica, aut per cabalam, seu nomen Dei τετραγράμματον expositum, quod ille furtim è templo surripuerat, ubi insculptum erat lapidi, & legi ab omnibus sed à nemine memoria retineri poterat, propter horrendum rugitum duorum leonum, valvis templi catenis alligatorum: Jesum vero admirabili audacia illud descriptum furæ incisæ inseruisse

feruisse & abiisse. Sed quis non videt hæc inepta & insulsa tantum esse effugia, quæ frustra obtendunt incredulitati suæ. Nam quod ad legem *Deuter.* XIII. ea loquitur tantum de illo Propheta qui suadeat apostasiam à Deo, & dicat, *Eamus & sequamur Deos alienos & serviamus iis.* In tali casu solo debebant obturare aures suas ad verba Prophetæ ejusmodi; alias vero minime. Nam eodem libro *cap.* XVIII. Deus dicit de Propheta quem suscitaturus esset post Mosem inter Israëlitas, *Qui verba ejus qua loquetur in ore meo audire noluerit, ego ultor existam.* Quod supra ostendimus de Domino Jesu singulariter dictum esse; Judæi vero ad omnes Prophetas trahunt, quos Deus post Mosis tempora in populo suo suscitaturus esset. Et hæc confessio hoc loco nobis sufficit, ad probandum illos cum reverentia audiri debuisse qui aliquid novi Dei nomine annunciarent, modo signum aliquod ederent; salvo nempe hoc de unius veri Dei cultu fundamento; quo everso illi etiam, qui miraculum aliquod fecissent, non erant audiendi. Jesum autem nunquam avertere studuisse quenquam ab unius illius Dei cultu, quem Israëlitæ pro suo Deo agnoscebant, tota historia Euangelica testatur; nec quicquam ei in contrarium ab inimicis objectum fuit, itaque causam non habuerunt, cur ei fidem magis quam Mosi habere detrectarent. Dicebant quidem, *Nos scimus Deum Mosi locutum esse; hunc autem nescimus unde sit*, *Joan.* IX. *v.* 24. Sed recte respondet eis cæcus ille natus, *In hoc mirabile est, quod vos nesciatis unde sit, & tamen aperuit meos oculos, &c.* Nam unde sciebant Deum Mosi esse locutum, nisi ex miraculis quæ majores, traditione continua, ipsis retulerant à Mose fuisse facta? Si autem huic testimonio fidem adhibebant, cur detrectabant credere iis quæ ante oculos suos videbant? Sane ex eo collegit vidua illa Sareptana Eliam verum esse Prophetam, quod suscitasset filium suum à morte. *Nunc* (inquit) *in isto cognovi quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est*, 1 *Reg.* XVII. 24. Similiter illi ex Judæis, qui visis Jesu miraculis in eum crediderant, hanc rationem afferebant, *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet quam hic? Joan.* VII. 31. Hoc documento sublato, nihil superest quo nobis fides fiat aliquem Doctorem à Deo missum esse, & doctrinam, quam sive viva voce sive scripto proponit, tanquam divinam esse recipiendam.

XI. Quod vero attinet ad objectionem de Magia, cujus virtuti miracula Christi tribuunt, ea tam futilis est ut refutatione vix indigeat. Nam 1. non fuit accusatus hujus criminis à Judæis sui temporis, qui eum morte damnarunt. Quod enim aliquando ipsi objectum est à Pharisæis, *Eum ejicere dæmonia in Beel-zebub principe dæmoniorum*, *Matth.* XII. 24. id pro convitio potius temere conjecto habendum est, quam pro accusatione cui colorem aliquem sperarent invenire se posse, cum nulla ejus mentio fiat in historia passionis. Inverecunde ergo id postea attulerunt Judæi qui sequentibus sæculis vixerunt. 2. Nullæ historiæ fide dignæ narrant talia unquam miracula diabolica arte fuisse facta, qualia ab Euangelistis D. Jesu attribuuntur. *Nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* ut recte dicebant quidam Judæi, *Joan.* X. 21. Quæ fecerunt Magi præstigiæ erant meræ, & fraudes quæ ab hominibus sagacibus atque attentis poterant animadverti. Dæmones enim virtute supernaturali nunquam fuerunt instructi, quæ in veris miraculis requiritur. 3. Diabolus non fuit adeo stolidus, ut operam suam commodare vellet perfectæ sanctitatis doctori, & qui totis viribus regnum suum oppugnaret; ut apparuit ex eo, quod ad prædicationem Euangelii oracula Ethnica ubique terrarum obmutuerunt; idololatria fuit abolita; & innumeri populi ad Deum Israëlis sunt conversi.

XII. Non minus absurda est objectio de nomine πιταχαμματω exposito. Nam 1. si talis inest virtus nomini isti pronunciato, qui factum est ut nullus, nec ante nec post Jesum, eo usus legatur ad miracula patrandum? Nemone id unquam in universo populo Israëlitico tenuit? ne quidem Salomon qui illud insculpsisse fertur? Atqui nulla ab eo miracula facta recensentur in Scriptura Sacra. 2. Petam à Judæo, volente-ne Deo, an vero nolente Jesus per ipsius nomen miracula patrarit? Non dicet, opinor, posterius. Quis enim Deo invito suam virtutem extorqueat? Prius ergo ut affirmet necesse est. Unde sequetur Jesum Deo placuisse, & eam quam annunciavit doctrinam fuisse divinam. Respondebit forte, medium aliquod dari inter ista duo, nempe permissionem divinam. Sed quis credet Deum, gloriæ suæ acerrimum zeloten, permisisse virtutem suam ab impio usurpari ad totum mundum miraculis seducendum? Certe si usquam alibi, hic facto comprobasset quod dicit per Esaiam, *Gloriam meam alteri non dabo*, *cap.* XLII. 8. id est, non sinam mihi à quoquam eripi, aut sibi attribui in mei nominis contumeliam.

XIII. Verumtamen, inquies, constat miracula falsa sæpe jactari ab impostoribus. Quomodo ergo potero deprehendere miracula Jesu alterius fuisse generis? Respondeo, Non difficile pio & prudenti viro id fore, si ad sequentes verorum miraculorum notas seu conditiones attenderit. *Prima* est, ut cum agitur de examine miraculi alicujus, constet illud quod pro tali venditatur vere esse factum: ex. gr. si dicatur cæcum aliquem recuperasse visum, ut exploratum sit & indubium, illum antea vere fuisse cæcum, & nunc vere videre: Si dicatur dæmonium pulsum, certum sit eum de quo istud refertur, vere fuisse dæmoniacum, & postea vere à dæmone liberatum: si dicatur aliquem ex morte suscitatum, constet eum vere fuisse mortuum, & vere nunc vivere. Nec temere, ut vulgo fit,

fides adhibenda est quibusvis rumoribus, sed id solum recipiendum, quod aut ipsi oculis nostris vidimus, aut cujus testes omni exceptione majores habemus; de quibus certi simus eos nec falli potuisse propter prudentiam, nec fallere voluisse propter probitatem. Istam notam in D. Jesu miracula quadrare inde liquet, quod non in occulto facta sint, sed multis hominibus præsentibus, inter quos nonnulli saltem erant sagaces, qui non permissuri fuissent, falsa miraculorum specie sibi illudi; multi etiam erant infensi, qui omnes ejus actiones attente observabant, ut haberent aliquid quod carperent. Ad eam vero si omnia expenderentur quæ nunc jactant miracula, quot falsa esse reperirentur? Hujus vel illius sancti demortui ope sanatum aliquem esse à morbo aliquando dicunt, qui, inquisitione facta, deprehenditur non ægrotasse. Amplus in dæmoniacis præsertim fallendi campus impostoribus patet, nonnullis nequam se à dæmone vexari præter veritatem affirmantibus, ut pecuniam à credulis emungant; Sacerdoti vero aut Episcopo qui dicetur dæmonem abegisse, gloriam & honorem pariant.

XIV. *Secunda* conditio est, ut id quod pro miraculo venditatur, sit revera miraculum, hoc est opus mirandum, & quod spectantium animos stupore repleat: cum vero nihil admirationem parere aptum sit natum, nisi quod in sensus incurrat, & eos modo plane insolito feriat; necessario requiritur, ut quod miraculum dicitur, sit opus evidens & palpabile, quod oculis videri, manibus contrectari, aut aliquo alio sensu percipi possit. Et talia fuere omnia Servatoris nostri miracula. Cum in Cana Galilææ aquam in vinum mutavit, ex mutato sapore ab ignorantibus miraculum istud deprehendi potuit, *Gustavit*, inquit Joannes, *architriclinus aquam vinum factam*, & sponso vocato dixit, *Tu servasti bonum vinum usque adhuc*, *Joan.* II. 9, 10. Rursus cum Lazarum excitavit, omnes qui aderant, statim atque novus ille vitæ dator *magna voce clamasset*, *Lazare veni foras*, *Joan.* XI. 43. frigidum & motu omni destitutum, ac jam fœtens cadaver, novo calore repleri, ex monumento, ubi prius absque ullo sensu jacuerat, exire, & omnes aliorum viventium actiones libere exercere conspexerunt. Subjicit enim Apostolus, *Multi ergo ex Judæis, qui viderunt quæ fecit Jesus, crediderunt in eum*, *versu* 45. Quid nunc dicemus de miraculo quod dicunt quotidie fieri in S. Eucharistia, per panis & vini transmutationem in corpus & sanguinem Christi? Nullus enim animadvertit hoc miraculum, ne Sacerdos quidem qui se hoc patrare somniat, qui, si forte hostiæ consecratæ cum non consecratis essent permixtæ, non posset eas à se invicem discernere. Confugiemus ne ad aliorum miraculorum visibilium opem, ut hoc miraculum probemus? At hoc ridiculum est & præposterum. Idem enim est ac si quis facem accendat ut alteri solem monstret. An vero dicemus hoc hujus miraculi esse proprium, ut nec oculis videri, nec ullo alio sensu percipi velit, sed fide sola recipi? Sed hæc nova ac inaudita miraculi hujus proprietas, veram miraculorum omnium naturam evertit, quæ fiunt, non ut credantur, sed ut credendis fidem faciant, & ut Apostolus de linguarum dono loquitur, *in signum sint*, *non fidelibus*, *sed infidelibus*, I *Corinth.* XIV. 22. Si aqua in Cana Galilææ omnes aquæ proprietates, colorem dico, odorem, saporem, &c. retinuisset, an putamus, Apostolum id *initium signorum Jesu* vocare fuisse ausum, aut dicere *eum gloriam suam manifestasse*; aut si id affirmare ausus fuisset, quemquam inventum fuisse qui, non dicam Joanni, sed Christo ipsi vel sexcenties imo millies id affirmanti, fidem adhibuisset?

XV. *Tertia* est ut miraculum sit opus non modo mirandum, sed etiam naturæ vires superans. Omnia enim, quæ admirationem excitant, non protinus pro veris miraculis sunt habenda; cum multa eorum viribus naturæ, etsi nobis occultis, fieri posse indubium sit: & præstigiatores aliquando inventi sint, qui dæmonis alicujus ope mira patrarunt, motu nimirum celerrimo & spectantium oculos fugiente, unum in alterius locum substituendo: & ad hunc censum referri debent quæ in historia sacra de Magis Ægyptiis leguntur; & si quæ ejusmodi in profanis, apud Ethnicos aut populos à vera religione alienos facta fuisse legimus, si modo de fide historici constet, & eum quæ narrat ex vulgari rumore non hausisse appareat. Duobus autem præcipue modis contingere potest, ut aliquid naturæ vires superet; *Primo*, si res sit ejusmodi quæ naturæ viribus nullo modo fieri queat, ut Solis & Lunæ cursum sistere; *Secundo*, si id quod naturaliter fieri potest cum aliqua temporis mora, & idoneis mediis adhibitis, in instanti fiat, & sine mediis, vel talibus quæ nullam aptitudinem habent, aut si apta sint absque applicatione divina non operarentur: ut gravissimos morbos solo jussu, momento, & perfecte sanare, aquas amaras sale dulces reddere, lepram ablutione aquæ Jordanis mundare, serpentibus igneis Israëlitas percutere, & pueros Bethelenses per ursas lacerare. Utriusque generis miracula fecit D. Jesus plurima: prioris quidem cum mortuos excitavit, cæco nato visum restituit: posterioris vero in omnibus fere sanationibus quas peregit, ex. gr. in socru Petri, quæ decumbebat, periculosa febri laborans, & sanata fuit in instanti, adeoque perfecte ut statim idonea esset ad ministrandum Jesu & iis qui ipsum comitabantur. Item cum fecit lutum ad ungendos oculos cæci, & jussit ut se ablueret in piscina Siloë; aut cum digitos immisit in aures surdi ad ei auditum restituendum; quæ media nullarum plane erant virium ad tantos effectus producendum.

XVI. *Quarta* est, ut miracula non tendant ad eversionem Religionis quæ fuit miraculis sufficienter

ficienter confirmata. Deus enim sibi ipsi non adversatur, & quod ædificavit non destruit. Ideoque non sunt audiendi, qui hodie de miraculis suis gloriantur ad stabiliendas doctrinas aperte Euangelio contrarias, cum Paulus etiam Angelum de cœlo anathema esse velit, si forte quid tale moliatur, *Galat.* I. Et Judæi inter notas, quibus verus Propheta à falso discerni posset, hanc habuere, ut ad unius veri Dei cultum incitet. Eo casu si quis miracula faciat, fidem ei haberi volunt; sed si à vero Deo populum avertere conetur, & miranda sua opera patret ad idolorum cultum confirmandum, ipsi fidem non esse adhibendum, & miracula ejus pro suppositititiis habenda esse statuunt, & probant ex illis quæ *Deut.* XIII. de Pseudopropheta signum aliquod edente, aut aliquid futurum prædicente, habentur, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra.* Hæc cum ita se habeant, Dico Judæos hac in parte causam nullam habere, aut patres eorum olim habuisse, cur Jesum nostrum repudiarent. Stupenda multa & vires naturæ superantia edidit, sed miracula sua nunquam fecit ut eos à cultu veri Dei Creatoris cœli & terræ abduceret, cujus gloriabatur se filium esse. Nec suadebat apostasiam à Lege Mosis, cui se in omnibus subjecit.

XVII. Dices, Constare tamen Dominum Jesum abrogasse Legem. Respondeo, Nequaquam. Quam diu enim in terra cum ipsis versatus est, ne minimum quidem indicium dedit se velle Legem abolere. Instabis, Discipuli ejus id fecerunt. Respondeo, Quod discipuli Jesu fecerunt post ascensionem ejus in cœlos, non debet pro causa afferri cur sit interfectus; nondum enim id acciderat. Nec etiam Apostoli proprie loquendo abrogarunt Legis ceremonias; sed tantum docuerunt Gentiles iis non teneri: quod etiam hodie Judæi credunt. Solis enim Israëlitis præscriptæ fuerunt, ac proinde nullos alios obligarunt. Quod ad Judæos attinet, Apostoli nunquam studuerunt eos abducere ab illorum rituum observatione, ut patet *Act.* XV. & XXI. aliisque locis. Docuerunt tantum eos nullam vim ad justificandum coram Deo habere, ut revera nunquam habuerant, etiam ipsa lege adhuc durante & vigente. Tandem Deus ipse, destructa per Romanos Jerosolyma & Templo, cui maximam partem cultus ille ceremonialis erat alligatus, ostendit se eo non amplius delectari. Ita ut illud perperam pro causa rejectionis & damnationis Christi ab ipsis afferatur.

XVIII. Superesset nunc ut de sanguine Christi ageremus, cui, ut supra §. VII. audivimus, Apostolus Joannes testandi vim tribuit. Quamvis enim vitæ ejus innocentia, miracula ejus abunde sufficerent ad probandum ipsum à Deo missum, & doctrinam ejus esse divinam; placuit tamen Deo, ut id etiam morte sua crudeli & ignominiosa testaretur: Sed cum *capite* IX. *hujus libri*, cum de fructibus mortis Christi ageremus, hac de re satis à nobis sit dictum, ad alia Servatoris nostri officia, recta progrediemur.

CAPUT XVIII.

De Sacerdotio Jesu Christi: & speciatim de ejus impositione.

I. *Patrem Filium ad Sacerdotalem dignitatem evexisse.* II. *Messiam juxta vaticinium Davidis Psal.* 110. *Sacerdotem esse debuisse.* III. *Veteres Judæos hunc Psalmum de Messia intellexisse.* IV. *Vocem Cohen ibi pro Sacerdote sumi.* V. *Esa.* 53. *Messiæ Sacerdotales functiones tribui.* VI. *Exaltationem & humiliationem Messiæ cap.* 52. *&* 53. *Esaiæ prædici.* VII. *Et per servum Dei cap.* 53. *populum Judaicum non posse intelligi.* VIII. *Omnes Scriptores Novi Test. Christo Sacerdotales actiones tribuere, sed Scriptorem ad Hebræos eum speciatim Pontificis titulo insignire.* IX. *In pluribus differre Sacerdotium Christi ab Aaronico; &* 1. *quod Christus fuerit Sacerdos constitutus cum juramento.* X. 2. *Et juxta ordinem Melchisedeci.* XI. *Inepte dici Melchisedecum Christi typum fuisse se offerentis sub speciebus panis & vini.* XII. 3. *Quod Christus seipsum,* XIII. 4. *& semel obtulerit.* XIV. *Missæ sacrificium quotidianum, Christi oblatione everti.* XV. *Patrem libere hoc munus filio imposuisse.* 1. *quod salva justitia, quisque de jure suo remittere possit.* XVI. *Et mirum esse illos jus hoc Deo adimere, qui salva misericordia eum creaturam innocentem æternum torquere posse docent.* XVII. 2. *Quod sit agens liberrimus tam in puniendo quam in condonando.* XVIII. 3. *Quod absurdum sit dicere eum ex necessitate absoluta punire.* XIX. *Respondetur objectionibus: &* 1. *quod justitia sit suum unicuique tribuere.* XX. 2. *Et justi judicis nullum scelus impunitum dimittere.* XXI. 3. *Deum alias sibi injuriam facturum.* XXII. 4. *Scripturam testari, id jus Dei esse.* XXIII. 5. *Quod Deus peccata necessario odit.* XXIV. 6. *Et quod alias tam durum onus filio charissimo non imposuisset.*

I. CUm officium Jesu Christi Propheticum in ejus morte desierit, cujus veluti colophon & conclusio fuit; & ab eadem inceperit *Sacerdotale*, ordo nunc postulat ut de hoc Salvatoris nostri officio tractemus. Id consistit in genere, in illis apud Deum agendis pro hominibus quæ requiruntur ad peccata illorum expianda, & aditum ipsis ad thronum gratiæ muniendum. Quod ut melius intelligatur, de tribus hic nobis agendum erit; 1. Officium Sacerdotale Jesu Christo demandatum fuisse à Deo Patre. 2. Ipsum illo fideliter defunctum esse, & omnia quæ ad id pertinebant obiisse. 3. Quinam illius sint effectus seu usus salutares ad nos redeuntes. In primo tria rursum nobis erunt consideranda; quis demandaverit istud munus, cui demandatum fuerit, & quomodo. Quod ad primum attinet, Deus Pater est qui Jesum Christum filium suum unigenitum ad Sacerdotii dignitatem vocavit. Nulli enim id competebat quam ipsi. Agebatur de aliquo qui legationis munere pro hominibus apud Deum fungeretur. Dei ergo solius erat eligere eum, quem vellet isto officio fungi. Tanta enim erat ejus dignitas, ut nemo quantumvis justus (si

(si talis inter homines repertus fuisset) sibi illud assumere fuisset ausus, nisi prius ei de voluntate Dei constitisset. Quemadmodum igitur olim cum agebatur de Sacerdote typico inter Israëlitas constituendo, per quem verus & summus universi generis humani Sacerdos adumbraretur, Deus ipse illum designare voluit, & eos, qui munus istud sibi usurpabant, graviter punivit, *Num.* XVI & XVII. ita etiam hic factum est. Unde Apostolus de istius muneris præstantia agens dicit, *Nec quisquam sibi sumit honorem* (nempe summi Pontificatus in Ecclesia) *sed qui vocatur à Deo, ut Aäron*, *Hebr.* V. 4.

II. Quia autem Judæi hic se nobis opponunt, & nullum unquam alium summum Sacerdotem præter Aäronicum putant esse debuisse, & Messiæ sibi promisso istam dignitatem derogant; probandum est nobis, antequam alterius progrediamur, Deum jam olim sub Veteri Testamento patefecisse hanc suam esse mentem, ut Messias quem missurus esset non tantum foret rex, sed etiam Sacerdos. Id videre est *primo* ex *Psalmo* CX. ubi de Messia dicitur, *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec*. Ut nimirum innueretur eum Sacerdotem simul & Regem futurum, qualis erat Melchisedec; de quo Moses dicit *Genes.* XIV. *eum fuisse regem Salem, & Sacerdotem Dei altissimi*. Judæi hic excipiunt duo; istum Psalmum esse in gratiam & honorem Davidis compositum ab aliquo Propheta, ejus subdito, ac proinde de ipso intelligendum non de Messia; & hæc verba quæ citavimus, *Tu es Sacerdos*, potius reddenda esse, *Tu es Princeps*; ita enim non raro accipi vocem Hebr. כהן ut *Gen.* XLI. 45. *Exod.* II. 16. & III. 1. *Job.* XII. 14. Sed præcipue 2 *Reg.* VIII. 18. ubi de filiis Davidis dicitur eos fuisse *cohanim*: quod per vocem *principes* (αὐλάρχαι LXX.) non autem *Sacerdotes* reddendum esse constat; cum David & ejus filii non essent oriundi ex tribu Levi, sed ex tribu Juda, ex qua constat neminem accessisse ad altare, *Hebr.* VII. 13. Item ex *cap.* XX. 26. ubi Ira Jaïrites dicitur fuisse *cohen* Davidi, id est, *unus è principibus Davidis*. Sed respondeo ad primum, inscriptionem Hebraicam hujus Psalmi, *Le David mismor*, testari eum à Davide esse compositum; ac proinde hæc verba, *Dixit Dominus Domino meo*, de Davide non posse accipi, cum absurdum sit ut David se vocet Dominum suum. Præterea constare ex *Matth.* XXII. 41. & *seqq.* eum ita vulgo expositum fuisse à Judæis tempore Christi. Nam cum quæsiisset à Pharisæis, *Si David vocat Messiam Dominum suum, quomodo filius ejus est?* Nemo illorum potuit ei quicquam respondere. In promtu autem fuisset responsio, si credidissent hunc Psalmum ab alio quam à Davide compositum. Dixissent enim, Davidem non ita loqui de Messia: sed hæc esse verba Sacerdotum aut aliorum Israëlitarum, de Davide suo Rege & Domino loquentium.

III. Quod considerantes Judæi hodierni excipiunt, hæc verba *Le David mismor*, non significare Psalmum Davidis, sed Davidi, & illis innui eum in honorem Davidis fuisse compositum & decantatum ab aliquo Sacerdore ejus subdito, qui merito eum vocavit Dominum suum. Respondeo, sit ita, ut primo sensu & literali hic Psalmus Davidi conveniat; tamen cum David typus fuerit Christi, & quidem admodum eximius, ita ut Christus aliquoties nomine Davidis vocetur, ut *Jerem.* XXX. 9. *Ezech.* XXXIV. 23, 24 & alibi; oportebit ut illa, quæ de Davide dicta fuerunt, illustriore & nobiliore sensu in Christum quadrent. Quale est illud, *Sede ad dextram meam*; quod tam sublimem dignitatem significat, ut merito Apostolus ad *Hebr.* I. 13. exclamare potuerit, *Ad quem Angelorum dixit aliquando Deus, Sede à dextris meis?* Multo ergo minus id videtur Davidi, Angelis inferiori, convenisse. Sed fac ut aliquo modo in Davidem, & obscure velut in typum quadraverit, inde sequetur multo excellentiori tamen ratione in Messiam, quem ille adumbravit, convenisse. Idque non tantum agnoverunt Pharisæi, quibus Christus objectionem modo memoratam opposuit, sed & alii veteres Judæorum Rabbini, sinceriores multo hodiernis, qui nihil aliud pensi habere videntur quam ut prophetias de Christo eludant quacunque ratione possunt.

IV. Nomen autem כהן in hoc Psalmo per vocem *Sacerdotis* reddi debere, *Tu es Sacerdos in aeternum*, &c. apparet ex eo quod respiciat ad historiam Melchisedeci, quæ habetur *Genes.* XIV. Iste enim Melchisedec ibi repræsentatur à Mose ut Messiæ venturi typus, & non tantum dicitur fuisse *rex Salem*, sed etiam *Cohen Deo altissimo*, quod per *Sacerdotem* esse vertendum evincit phrasis, & actio quæ ipsi tribuitur immediate, nempe *benedictio Abrahami*, quod erat Sacerdotum officium; & ita agnitum fuit ab Abrahamo, cum ei decimam dedit prædæ quam de hostibus reportabat. Sed dices; si iste Psalmus conveniat primo Davidi, tanquam typo, deinde & Christo, tanquam antitypo, quomodo uterque *cohen* dici potuit? Respondeo optime, propter duplicem ipsius vocis significationem. David enim fuit *Cohen*, quia erat Rex & Princeps populi Israëlitici. Christus vero longe perfectiori ratione, quia fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, qui simul Rex erat, id est Regius Sacerdos.

V. Ex iis etiam quæ de Christo prædicta fuerunt *Esa.* LIII. apparet eum Sacerdotem esse debuisse. Illic enim ipsi Sacerdotales actiones tribuuntur; ut, *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit. Ipse vulneratus est propter prævaricationes nostras, attritus propter iniquitates nostras. Castigatio pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Dominus fecit occurrere in eum iniquitatem omnium nostrum. Propter prævaricationem populi mei plaga fuit illi. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam*

mam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini per manum ejus prosperabitur. Ubi præcipue attendendum est ad hæc postrema verba, quæ præcedentibus magnam lucem afferre possunt, & obscuritatem, quæ in illis est, tollere, seu generalitatem determinare. Nam *ponere animam suam* אשם seu *pro peccato*, nihil aliud est quam offerre eam in sacrificum pro peccato, ut constare potest ex variis legis Mosaicæ locis, in quibus hoc significatu accipitur vox *ascham*, sicut & *chatta*. Vide *Levit.* V. 6. IX. 15. VI. 5, 17, 30. *Hose.* IV. 8. *Ezech.* XLV. 23. & XLVI. 20. *Levit.* VII. *v.* 1, 2. XIV. 25. & XIX. 21. *Num.* VI. 12. Non me latet Judæos hujus temporis negare hoc caput Esaiæ quadrare in Messiam. Vident enim fore, si id concedant, ut causa cadant, & cogantur agnoscere Jesum pro Messia, in quo omnia, quæ ibi prædicuntur, ita accurate impleta fuerunt, ut fieri omnino non possit, quin is ipse sit, quem Propheta describere intendit. Sed in eo discedunt à majorum suorum expositionibus, qui non illibenter admiserunt illum Dei servum, de quo Propheta incipit agere *cap.* LII. 13. esse Messiam. Atqui ea quæ *cap.* LIII. habentur continua serie cum illis cohærent, & ad aliam personam quam præcedentia trahi non possunt, quin violentia fiat textui.

VI. Excipiunt, contraria inter se esse illa: quia in *cap.* LII. dicatur, *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & erit sublimis valde. In* LIII. vero vocetur *despectus & novissimus virorum, &c.* Ità est, fateor, & non possunt uni eidemque personæ eodem tempore convenire, sed facillime diversis; nempe si ex humili & abjecto statu, quemadmodum non raro contingit, in sublimem & excelsam dignitatem evehatur. Id videre est inter cæteros in Josepho, & in Davide, qui typi Christi fuerunt, & per multos angores & molestias ad fastigium honoris sibi à Deo destinati adscenderunt. Et ista status mutatio indicatur eodem *cap.* LII. loco. Postquam enim dictum fuit, *servum illum Dei exaltandum*, additur immediate; *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, &c.* Ita ut vivam habeamus hic imaginem eorum quæ D. nostro Jesu Christo evenerunt.

VII. Veritas etiam interpretationis nostræ non parvam lucem accipiet, si consideretur quam absurda sit ex adverso ea quam Judæi afferunt. Illi miserum suum, id est populi Judaïci, statum, à gentibus dura servitute pressi, describi volunt in hoc capite. Sed mirum est qua fronte id dicere audeant, cum isti Dei servo tribuatur, quod *iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus, versu* 9. Et quod propter aliena peccata afflictus fuerit; *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, &c. Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, versu* 5, 6. Certum autem est populum Judaïcum non fuisse pro innocenti apud Deum habitum. Nihil enim frequentius occurrit apud Esaïam & alios Prophetas reprehensionibus criminum quibus erant contaminati. Unde etiam apparet eos non tulisse pœnas eorum quæ alii deliquerant, sed tantum quas ipsi propriis suis sceleribus in se justo Dei judicio accersiverant. Id uni proprie convenit Messiæ, qui debuit esse justus & propter aliorum peccata mortem subire, seque Deo offerre: ac proinde de ipso, non vero de populo Judaico, hoc Esaiæ caput est intelligendum.

VIII. Quo posito, sequitur de Messia esse præsignificatum, illum Sacerdotale munus obiturum; cum non tantum Sacerdotis nomen, sed etiam res hoc nomine significata illi tribuatur. In Jesum vero Christum istud quadrare, eumque esse quem Pater summum Sacerdotem apud se pro hominibus constituit, principium est Christianæ fidei, & copiose in tota Epistola ad Hebræos demonstratur. Quæri autem hic posset, cur alii Scriptores Sacri cum vulgo isto nomine non insigniant, cum tamen necessarium sit ut credamus Jesum esse nostrum summum Pontificem? Respondeo parum in ejusmodi appellatione esse positum, modo de re ipsa bene nobis constet. Ea autem passim in Novo Fœdere Jesu Christo tribuitur. Nam quotiescunque ibi fit mentio remissionis peccatorum quam habemus in ejus sanguine, & potestatis quam adeptus est ad illa expianda, & interpellationis ejus apud Deum, *Rom.* VIII. 34. *Ephes.* V. 2. 1 *Joan.* II. 2. toties Sacerdotium ejus designari censendum est. Præterea cum magna officii istius pars, oblatio nempe quam Christus Patri in cœlo pro nobis offert, & intercessio ejus, reipsa non differant à Regio munere, sed tantum considerandi modo; putarunt id sufficere, si post efficaciam mortis Christi explicatam, meminissent potestatis ejus Regiæ, in qua comprehensa est Sacerdotalis. Sic enim nihil à se omissum esse illorum, quæ de officiis Christi nostra referat scire; cujus regnum, est regnum Sacerdotale, & Sacerdotium, est Sacerdotium regium.

IX. Nunc quomodo ipsi munus istud sit demandatum nobis videndum est, & simul quodnam sit discrimen inter Sacerdotium Aäronicum & Christi. *Primum* est, quod Christus cum juramento constitutus est Sacerdos, sed Sacerdotes Levitici absque juramento. Id docet Apostolus *Hebr.* VII. 21. ex *Psal.* CX. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Cum autem omnia Dei verba sint pura veritas, & impossibile sit eum unquam mentiri, *Tit.* 1. 2. proindeque in omnibus, quæ dicit, fidem ei adhibere debeamus; tamen succurrere volens infirmitati nostræ, & de immutabilitate consilii sui nos certiores reddere, aliquando juramentum interponit promissis suis, *ut fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, &c. Hebr.* VI. 17. Et in hoc est primum discrimen inter Jesu Christi Sacerdotium & Leviticum; quod hoc, utpote aliquando abrogandum & excellentiori cessurum, absque jura-

mento impositum est Aäroni & ejus posteris: illud vero ut in æternum duraturum, cum solenni Dei ipsius juramento D. Jesu demandatum est.

X. Deinde ipse fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedec; id est non tantum Sacerdos, sed etiam Rex, quemadmodum *Melchisedec, qui erat Rex Salem & Sacerdos Dei altissimi*, *Genes.* XIV. Cum Deus constituisset ut inter Israëlitas Sacerdotium & Regnum essent separata, & à diversis personis, diversarumque tribuum administrarentur, illicitumque esset Regibus ad altare accedere; propterea que Saul à Deo fuisset rejectus quod sacrificium offerre præsumsisset, 1 *Sam.* XIII. *v.* 8. *& seqq.* & Usias lepra percussus, quod ingressus in templum Domini adolere voluisset incensum super altare thymiamatis, 2 *Paral.* XXVI. *v.* 16. *& seqq.* Sed ut ante legem latam munus Regium & Sacerdotale conjunctum erat in familiis Patriarcharum, & à primogenitis administrabatur; ita placuit Deo ut postea utrumque in persona filii sui unigeniti uniretur. Præterea quemadmodum Melchisedec introducitur à Mose *absque patre, absque matre & absque genealogia*, nullaque facta nativitatis nec mortis ipsius mentione; *ita Dominus Jesus sortitus est Sacerdotium intransibile*, *Hebr.* VII. 24. quod neque ab alio accepit, neque in alium unquam transmissurus est. Et hoc est secundum discrimen inter Sacerdotium Christi & Aäronicum.

XI. Ineptum autem & falsum est quod Pontificii hic addi volunt, convenisse etiam in hoc Sacerdotium Christi & Melchisedeci quod sicut Melchisedec obtulit Deo panem & vinum, ita etiam Dominus Jesus se obtulerit Deo Patri in Eucharistia sub speciebus panis & vini. Nam 1. Melchisedec non obtulit Deo sacrificium ex pane & vino. Moses id non dicit; sed hoc tantum, *Et Melchisedec rex Salem produxit panem & vinum. Et ipse erat Sacerdos Deo altissimo*, *Gen.* XIV. *v.* 18. Non autem, ut in versione vulgata legimus, *Erat enim Sacerdos.* Habetur enim in Hebraico, particula ו / והוא *& ipse*; nam quamvis ea aliquando sumatur pro כי *nam, quia*; non tamen debet recedi sine necessitate ab usitata significatione; hic autem nulla est. Non enim refert Moses, Melchisedecum obtulisse Deo panem & vinum; nulla hic fit sacrificii nec Dei mentio. Simpliciter dicit, eum protulisse panem & vinum; non addito quem in finem id fecerit. Sed id satis apparet ex circumstantiis historiæ. Prodibat obviam Abrahamo, redeunti à cæde illorum regum qui Lothum captivum abduxerant. Conjiciebat ipsum & milites, quibus usus erat, fatigatos esse & refectione indigere. Ideo protulit panem & vinum, quo illos recrearet. Quod autem postea Moses dicit, *Melchisedecum fuisse Sacerdotem Dei altissimi*, id non tendit ad significandum eum obtulisse Deo panem & vinum; sed ad reddendum causam ejus quod immediate subjungit, *Eum benedixisse Abrahamo*; nempe solenni aliqua benedictione, quæ Sacerdotis erat propria; & Abrahamum ei decimas prædæ ab hostibus reportatæ persolvisse. 2. Si Christus esset Sacerdos secundum ordinem Melchisedec, propter oblationem panis & vini, Apostolus qui tam prolixe hanc comparationem persequitur tribus capitibus Epistolæ ad Hebræos, nempe V. VI. & VII. verbulo saltem id debuisset attingere. Quod cum non fecerit, apparet id esse merum ingenii humani commentum, ad statuminandum sacrificium Missæ excogitatum. Ne jam dicam, exiguam admodum futuram inter Melchisedecum & D. Jesum Christum similitudinem, si Melchisedecus sacrificium Deo ex pane & vino obtulisset, Jesus vero ex proprio corpore & sanguine, quamvis sub panis & vini speciebus latente; cum istius commenti auctores statuant panis & vini substantiam aboleri in isto sacrificio, & nihil ibi præter nuda accidentia remanere. 3. Ex eo quod Jesus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, sequitur eum nullos in Sacerdotio suo habere successores, qui eum quotidie offerre debeant in sacrificium propitiatorium pro peccatis, munusque illud Sacerdotale, quod sibi arrogant aliqui, esse illegitimum.

XII. *Tertium* discrimen est, quod à Sacerdotibus Leviticis offerrentur Deo bruta animalia, quorum sanguis non poterat mundare animas peccatis inquinatas. *Impossibile enim est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*, *Hebr.* X. 4. Sed Jesus Christus seipsum Deo obtulit, *ut per oblationem corporis ipsius & sanguinis effusionem ab omnibus peccatis purificaremur*, *Hebr.* X. 10. & 1 *Joan.* I. 7. Nam per eam & præcedentium peccatorum remissionem obtinemus, & ita sanctificamur ut postea in illa non relabamur, *Ephes.* I. 7. *Hebr.* IX. 14.

XIII. Unde sequitur *quartum* discrimen, in eo consistens, quod sacrificia Levitica *quotannis*, imo singulis mensibus & diebus, *iterarentur*, nempe *quia inefficacia erant, & non poterant sanctificare ab operibus mortuis corda eorum à quibus offerebantur. Alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam ultra haberent peccati conscientiam, cultores semel mundati*, *Hebr.* X. 1, 2, 3, 4. Sed *Jesus Christus una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, *versu* 14. collato cum *vers.* 10. & 12. & *cap.* IX. 9, 10, 11, 12, 25, 26, 27, 28. Ideoque inutile foret tam perfectum ejus sacrificium sæpius repeti, & tantumdem atque ipsum alicujus vitii arguere.

XIV. Quo etiam funditus evertitur sacrificium Missaticum; in quo Sacerdotes Pontificii dicunt se Jesu Christi corpus Deo Patri quotidie offerre pro expiandis peccatis, non solum viventium sed etiam mortuorum. Hac enim frequenti repetitione tacite arguunt imperfectionis Jesu Christi oblationem, quasi ipsi aliquid defuerit ad expiationem peccati requisitum; quemadmodum ex eo colligit Apostolus sacrificia Levitica esse imperfecta

imperfecta quod sæpius iterari ea oporteret. Ne jam dicam Christum à nemine mortalium offerri posse in terra, cum gloriose regnet in cœlis, & non sit amplius morti obnoxius. Nam *sine sanguinis effusione non fit remissio*, *Hebr.* IX. 22. Et *ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, &c. versibus* 16, 17. Cum ergo Jesus non mactetur in Missa, quam vocant sacrificium incruentum, evidens est eam nihil facere ad peccatorum remissionem.

XV. Jam dispiciendum nobis est, utrum Deus ex necessitate aliqua naturæ suæ, munus summi Sacerdotis Jesu Christo demandarit, quia nimirum aliter non poterat satisfacere affectui, quo propendebat ad condonandum hominibus peccata, nisi prius innocens quispiam pœnas, quas meruerant, subiret; an vero totum istud pendeat à libera ipsius voluntate. Et hic in diversas partes abeunt Theologi, aliis illud, aliis vero hoc asserentibus. Nos posterioribus calculum nostrum adjungimus; etsi non eam ob causam quæ nonnullos ipsorum movit; nimirum quia existimant nihil esse natura honestum aut turpe; sed totum quod nunc inter illa occurrit discrimen, ex eo provenire, quod Deus quædam jubendo fecerit ut essent pro honestis habenda; & alia prohibendo voluerit ut turpia à nobis censerentur; ac proinde honestum fore adulterium, parricidium, latrocinium, imo Dei blasphemiam & odium, si libuisset ea mortalibus præcipere. Sic enim non potuerunt isti existimare, fore turpe si Deus omnino gratis, & absque ulla Pontificis satisfactione interveniente, peccata hominibus remitteret. Sed nos rejecta illa opinione tanquam absurda, non veremur tamen in hoc particulari casu ipsis assentiri; idque propter sequentes rationes. *Prima* nostra ratio hæc est. Unicuique salva justitia licet quantum vult de jure suo remittere; nempe cum alterius non interest ut jus suum rigide exigat: v. gr. licet mihi debitum pecuniarium ab alio exigere aut non exigere pro arbitrio meo, modo non intersit uxoris, liberorum, aut aliquorum ejusmodi. Multo ergo potiori ratione id licebit Deo, cujus potestas est independens, & qui nulli alii actionum suarum rationem reddere tenetur. Peccata autem hominum in Scriptura S. nomine debitorum solent designari, quibus obnoxii redduntur Dei vindictæ; ut in oratione Dominica videre est; item in parabolis quæ leguntur *Matth.* XVIII. 23. *& seqq. Luc.* VII. 41. *& seqq.* Nihil ergo obstat quin Deus, si ipsi libeat, possit hominibus sua peccata absque ulla satisfactione, sive ab ipsis, sive ab alio accepta, condonare. In ipsum enim proprie sunt commissa, cujus lex est violata, & nullius alterius interest ut illorum vindictam sumat, qui jure suo possit defraudari, si illa gratis remittat.

XVI. Et mirum omnino est eos, qui Deo jus concedunt creaturam innocentem æternis cruciatibus in gehenna torquendi, idque ipsum illæsa justitia facere posse statuunt, in hac parte tantopere potestatem illius circumscribere, ut non putent ipsi licere ullum omnino peccatum, qualecunque sit, absque satisfactione ejus merito æquivalenti remittere. Sic enim Deum habebimus qui minimum possit in nobis condonando & misericordia erga nos peccatores exercenda; contra qui infinitum & illimitatum jus habeat etiam innocentissimos æternum affligendi. Quod est absurdum creditu. Atqui, inquiunt, non licet illi, cujus honor aliqua insigni contumelia violatus est, condonare illam offensam, nisi ejus honor convenienti satisfactione reparetur; alioqui prodigus sui honoris & famæ habebitur. Sed respondeo, id locum quidem interdum obtinere inter homines, cum putant innocentiam suam non satis agnitum iri, nisi ab illo qui eam maculare studuit satisfactionem exigant: Alias generosi est animi tales offensas negligere; propterea que aliquando laudati sunt magni Principes, quod nullam earum rationem habere voluerint; saltem nemo unquam vituperatus fuit, imo contra laudem multi retulerunt, quod leves injurias absque satisfactione remitterent. Sed quamvis homines non possent aliter servata honestate se gerere, istud nihil ad Deum pertineret, cujus honor & gloria à nullius extra ipsum opinione pendet, & qui ex seipso perfecte beatus est, adeo ut nihil aliunde mutuari necesse habeat; sicuti etiam nihil ipsi ab impiis qui eum non agnoscunt, aut nomen ejus blasphemiis suis proscindunt, de beatitudine quam possidet diminui aut delibari potest.

XVII. *Secunda* ratio, Si quid esset quod impediret quominus Deus peccata gratis & absque interveniente satisfactione posset remittere, id in ejus natura quæri oporteret, non extra ipsam. Nam nihil est omnino extra Deum à quo pendeat, nulli creaturæ nisi ex libera sua voluntate est obligatus, adeo ut in ipsius gratiam aliquid necessario facere aut omittere teneatur. Atqui in Deo ipso nihil est tale. Sicut natura ejus non requirit ut necessario peccata condonet, ita neque ut ea puniat; sed id totum pendet ex libera ejus voluntate, ut ea condonet vel puniat quandocunque libet. Nam si, ut quidam putant, in Deo esset justitia essentialis quæ dictaret ut semper peccata puniret, & ab alia parte misericordia quæ dictaret ut semper illa condonaret, tales proprietates forent contrariæ & se mutuo everterent. Nunquam posset misericordiam, ad quam propendet, in remittendis peccatis exercere; nam id prohiberet justitia, quæ dictaret illa esse punienda. Rursus neque posset justitiam istam in puniendo peccata exercere; nam à misericordia impediretur, quæ necessitatem ipsi imponeret ea remittendi. Atqui hæc absurda sunt, & Scripturæ atque experientiæ contraria, quæ docent Deum aliquando peccata condonare, aliquando illorum pœnas ab iis, qui commiserunt, reposcere. Quare concludendum

 est,

est, neque misericordiam qua Deus peccata remittit, neque justitiam qua illa punit, essentiales ejus esse proprietates: sed tantum effecta esse libera quæ à bonitate & sanctitate ejus naturali proficiscuntur. Proprietates enim Dei essentiales à nullo ipsius opere abesse possunt. Semper & ubique bonus & sanctus est, sive peccata condonet sive puniat. Sed non potest ea semper & ubique condonare, & simul semper & ubique punire; quia hæc contraria sunt, quorum unum, alterum excludit. Id etiam inde probatur quod omnes Dei proprietates essentiales inter se æquales sunt; una aliam non excedit, neque ab ea exceditur. Atqui misericordia qua Deus propendet ad peccata condonanda est longe major, quam illa justitia qua pronus est ad ea puniendum; ut patet ex variis Scripturæ locis in quibus Deus dicitur *tardus esse ad iram, multus autem misericordia*, ut *Numer.* XIV. 18. *Nehem.* IX. v. 17. *Psal.* CIII. 8, 9, 10. & CXXX. 3, 4. *Lament.* III. *verss.* 31, 32, 33. *Jon.* IV. 2. Nam per *iram Dei* nihil aliud intelligitur nisi justitia puniens; adeo ut affectus, quo propendet ad peccata puniendum, longe frequentius in Sacris literis designetur nomine *iræ, excandescentiæ, ultionis, severitatis & similibus* quam justitiæ; imo contra Dei *justitia* aliquando pro ejus *benignitate & misericordia* accipiatur, ut 1 *Joan.* 1. *fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra.* Itaque justitia qua Deus punit peccata, non est ejus proprietas essentialis, quam non possit non exserere quotiescunque idoneum ejus occurrit objectum; sed à mero ejus arbitrio pendet, ut puniat vel condonet peccata. Quod etiam Paulus significavit *Rom.* IX. 18. dicens, *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.*

XVIII. *Tertia.* Si Deus non posset peccata absque satisfactione impunita dimittere, tum eorum punitio procederet ex necessitate absoluta. Atqui absurdum & veritati contrarium est hoc asserere. Nam quæ agunt ex necessitate naturali & absoluta, ea semper agunt & quantum possunt, v. gr. ignis semper urit cum injicitur in eum conbustibilis materia, & totis suis viribus urit. At Deus non semper punit ubi adsunt peccata quæ pœnam mereantur; sed plerumque diu differt antequam se ad puniendum accingat. Unde illa tantopere prædicata in Scriptura ejus longanimitas & patientia, qua expectat peccatorum resipiscentiam: de qua videri potest *Rom.* II. 4, 5. & IX. 22. & 2 *Petr.* III. 9. Præterea non punit quantum potest, sed ordinarie multo levius, alioqui omnes peccatores in ira sua absumeret. Quod si Deus naturali necessitate puniret peccatum quantum potest, inde sequeretur, eum non posse illi graviores pœnas infligere quam actu infligit. Atqui hoc absurdum est, & experientiæ ac Scripturæ contrarium, quæ testatur pœnas, quas Deus in hoc sæculo infligit, esse longe leviores illis quæ in ultimo judicio impiis sunt infligendæ, quando conjicienter in ignem æternum. Aliquis forte excipiet, utrasque simul unam eandemque numero pœnam constituere; quæ in hoc sæculo inchoata, in futuro consummanda sit. Sed id verum non est, cum inter istas pœnas mors corporis media intercedat, quæ eas à se invicem dirimit, & quominus haberi possint pro unica passione impedit; & quamvis verum esset, difficultatem non solveret. Nam constat Deum in hoc sæculo aliquibus sceleratis longe graviores pœnas inferre posse quam facit; id quod contingeret, si omnes æquali pœna afficeret, quod eum non facere omnibus notum est. Nec allegari potest, justitiam Dei non permittere ut inæqualia peccata æqualibus pœnis puniat. Nam si (ut volunt contrariæ sententiæ defensores) etiam minima peccata mereantur mortem & cruciatus æternos, quantumcunque esset gravis pœna qua Deus in præsenti sæculo illa ulcisceretur, ea longe inferior gravitate foret pœna quæ ipsos in futuro sæculo manet, cum inter temporale & æternum, seu inter finitum & infinitum nulla reperiri queat proportio; & Deus posset in pœna futuri sæculi, inæqualitatem illam servare, quam inæqualitas peccatorum postulat. Sequeretur etiam, si Deus ex necessitate naturæ suæ puniret, eum non posse unquam mitiores pœnas inferre quam peccatum mereatur, aut improborum differre punitionem. Atqui Scriptura & experientia contrarium testantur. Hinc querelæ illæ fidelium, *Psal.* XXXVII. & LXXIII. de temporali felicitate improborum, quod aut non affligerentur omnino, aut multo levius quam pii, cum nemo dubitet eos meruisse longe gravius affligi in hoc sæculo, quam probi & Deum timentes. Id cum non fiat, apparet Deum sæpe leviores pœnas infligere quam sit peccati meritum, ac proinde non punire ex necessitate justitiæ naturalis, sed ex libera voluntate. Si vero Deus illæsa justitia potest unum gradum pœnæ remittere, etiam poterit omnes, seu totam pœnam; eadem enim ratio totius quæ partium; nec causa ulla reddi potest, cur si dimidium pœnæ remittat, id de toto facere nequeat. Nam si injustum sit totam pœnam remitti, etiam aliquid iniqui erit in alicujus partis remissione, licet non tanta, differetque solum hæc injustitia secundum plus & minus. Atqui non est concedendum Deum aliquid vel minimum injusti committere. Nam cum magno pretio constiterit Christo nostra redemtio, nempe acerbissimis doloribus, istud pretium Patri fuisset solutum, ne suo jure fraudaretur.

XIX. Nunc objectiones quæ fiunt in contrarium paucis expendamus. *Prima* hæc est. *Justitia proprium est unicuique quod suum est & ipsi debetur tribuere.* Peccatoribus autem debentur pœnæ peccatis eorum proportionatæ. Ergo fieri non potest quin Deus, qui est justissimus illis pœnas istas retribuat, vel saltem (si velit peccatoribus parcere) sufficientem satisfactionem ab alio exigat. Respondeo. 1. Cum dicitur *justitiæ esse proprium*

prium unicuique, quod suum est tribuere, sub ista voce *suum* non comprehendi mala seu pœnas; quasi peccatori aliqua injuria fieret, nisi pœna peccato digna ipsi retribueretur, nihil minus; contra, magno se beneficio affectum putaret si impunitus dimitteretur. Istud ergo tantum est intelligendum de bonis alicui debitis, ad commodum ejus pertinentibus, quibus, si ea reposcat, non potest absque injuria privari. Sed quando non reposcit, aut sponte condonat & remittit, justitia non requirit ut hæc ipsi retribuantur. 2. Notandum est, pœnam non deberi peccatoribus tanquam jus aliquod ad ipsos pertinens. Reipublicæ ea debetur, cujus interest ne facinorosi impuniti dimittantur, sed statuatur de illis exemplum, ad absterrendos alios qui tale quid vellent committere. Vel forte debetur privato alicui qui læsus est, & urget ut pœna merita afficiantur. Vel denique ea pœna debetur Deo, qui legem tulit de puniendis sceleratis, quam judices ab eo constituti, ut olim in Republica Israëlitica, ab illis reposcere tenentur. Sed sicut Respublica & privati suum jus facinorosis condonare possunt & eos impunitos dimittere, ita etiam Deus, idque multo magis, cum à nullo pendeat, ut jurati judices, qui leges, in quas jurarunt, exsequi ex officio tenentur. Ipse nemini quicquam debet, quod teneatur solvere, & absque ullius injuria, si visum fuerit, potest peccatoribus pœnas, quas meruerunt, condonare, cum de suo tantum remittat, non de alieno.

XX. *Secunda* objectio. *Justi judicis est nullum peccatum aut scelus impunitum dimittere.* Deus autem sine controversia est omnium Judicum justissimus. Ergo ad nullum planè peccatum connivere potest. Respondeo per distinctionem judicis. Judex inferior non debet inultum scelus ullum dimittere, in quod pœna est statuta à legibus in quas juravit: alias notum est multa esse peccata in quæ tales judices non animadvertunt, quia nullæ leges adversus ea sunt constitutæ; qualis est ebrietas, avaritia, mendacium & similia, quæ societatem publicam non ita turbant. Sed quod ad supremum judicem attinet seu Rectorem ac Dominum à quo leges emanarunt & qui eas pro arbitrio figere & refigere potest, is absque iniquitate, ubi de suo unius jure agitur, & alterius non interest puniri sontem, potest peccatum impunitum dimittere. Deus est autem talis Judex, à quo leges pendent, ipse autem à nullo, & nemini est obligatus.

XXI. *Tertia. Deus ipse sibi faceret injuriam, si majestatem suam impune violari permitteret, & nullam satisfactionem exigeret.* Sed respondeo bene dici à Philosophis, neminem erga se esse injurium, & volenti non fieri injuriam; ac proinde Deum peccata ultro condonando nulla posse seipsum injuria afficere. Nam quod prætexitur de ejus Majestate læsa, speciem quidem haberet, si diceretur Deum impœnitentibus & in peccatis suis perseverantibus peccata condonare posse absque ulla satisfactione ab ipsorum parte præstita; siquidem lege lata, qua pœnam peccato constituit, videtur ultro isti potestati, quam alias habiturus esset, renunciasse. Et sane eo casu Majestatem suam veluti pedibus proculcandam exponeret, si eodem apud ipsum loco essent morigeri & immorigeri, pœnitentes & impœnitentes. Nemo enim deinceps mandatis ejus obedire curaret, aut ullo ipsum offendendi metu teneretur. Sed Majestas Dei nequaquam læderetur, si remitteret gratis peccata antecedentia pœnitentibus & vitam suam emendantibus, absque ulla alia satisfactione, sive ab ipsismet sive à quopiam alio præstita; imo contra, hæc agendi ratio ad majorem ipsius gloriam cederet. Nam sic patefaceret æquitatem suam & misericordiam, quod summo jure adversus peccatores uti nollet, sed exorabilem se præberet: tantumque abest ut benignitas ista Deum contemtui exponeret apud homines, ut ideo multo magis in posterum timeretur & coleretur, secundum illud Prophetæ *Psal.* CXXX. *Quia apud te est remissio, ideo timeberis.* Sub ista autem conditione pœnitentiæ & emendationis vitæ offerri peccatoribus veniam, non absolute, Sacræ literæ passim testantur. Vide inter alia illustrem locum *Ezech.* XVIII. & parabolam *Matth.* XVIII.

XXII. *Quarta.* Paulus dicit, *jus Dei esse, quod qui talia faciunt* (id est peccata quæ ante enumeravit, aut iis similia) *digni sunt morte*, *Rom.* I. 32. Item, *Justum est apud Deum, vicissim reddere afflictionem iis qui affligunt vos*, 2 *Thess.* I. 6. Respondeo. 1. Non sequi ex eo quod justum sit apud Deum peccatores punire, aut quod jus habeat eos ad mortem damnandi, ipsum teneri necessario id facere, nisi injustus audire velit. Non enim quicunque jus aut potestatem habet ab alio quippiam exigendi, protinus obligatus est jure isto uti. Potest enim ei renunciare, non solum absque injustitia, sed etiam aliquando magna cum laude clementiæ & liberalitatis. Ita si à proximo injuriam acceperim, vel is mihi aliquam pecuniæ summam debeat, possum quidem si libet satisfactionem, vel debiti solutionem ab eo exigere; hoc enim est jus meum, quod absque injustitia usurpare mihi fas est. Sed si nolim uti, non pecco in eo, imo potius generosum id est & munificum factum. Absurdum autem est existimare, minus Deo licere quam nobis miseris homuncionibus. 2. In utroque isto allegato loco, non agi de quibusvis peccatis, sed de gravissimis, prout inspectio docere potest; nec id tantum, sed etiam in quibus improbi absque pœnitentia perseverant. Fassi autem sumus antea non convenire Deo ut sinat ejusmodi homines tam profligatam malitiam impune ferre; siquidem hac ratione ejus Majestas in contemtum adduceretur. Sed alia plane est ratio minorum delictorum, aut etiam graviorum à quibus peccatores desistunt, & seria pœnitentia tacti meliore

vivendi instituto emendant. Etiamsi enim Deus illa absque satisfactione remitteret, nihil se indignum faceret, nec propterea minus timeretur aut honoraretur ab hominibus.

XXIII. *Quinta.* Deus peccata necessario odit, tanquam sanctitati suæ perfectæ directe contraria & inimica. Ergo etiam illa necessario punit, nisi interveniat satisfactio, cum odium suum aliter quam puniendo demonstrare non possit. Respondeo. Consequentiam istam non esse bonam, propterea quod alia sit odii ratio, alia pœnæ. Odium est aliquid internum in Deo, quod posita aliqua turpitudine, seu peccato ab eo prohibito, statim & naturaliter ponitur. Sed pœna est aliquid externum & à Deo separatum. Deus autem nihil extra se ex necessitate naturæ operatur; alias non esset independens. Quod autem dicitur Deum non posse odium suum aliter quam puniendo demonstrare, nihil ad rem facit. Nam ista demonstratio non est absolute necessaria, sed tantum ex hypothesi decreti ipsius; & potest etiam interdictis atque comminationibus ostendere quantopere illa improbet; tandemque si peccatores in iis absque resipiscentia perseverent, graviter pro meritis punire. Præterea ex odio non semper sequi pœnam apparet exemplo optimorum inter homines, qui ita aliorum oderunt vitia, ut tamen personas ament & eas servatas cupiant, longaque patientia erga peccatores utantur, ut eos ad pœnitentiam adducant. Eodem autem se modo gerere Deum Sacræ literæ testantur.

XXIV. *Sexta*, & ultima objectio. Si Deus posset illæsa Majestate sua peccata remittere absque satisfactione, non tam durum munus imposuisset Christo Filio suo charissimo illa per crudelem & maledictam crucis mortem suam expiandi. Nam cur elegisset adeo difficile salutis nostræ medium, ubi facile in promtu erat, & solo nutu omnia peccata nostra delere poterat? Respondeo. 1. Non protinus supervacaneum nobis videri debere quod non est absolute necessarium; ita enim hoc universum, & omnia quæ in eo sunt, supervacaneum foret. Nam Deus non accessit ad ea creandum ex aliqua necessitate, quod aliter non posset; sed quia conveniens ipsi videbatur hac ratione illustrare gloriam suam. Quidni idem de toto Jesu Christi munere Mediatorio, & speciatim de ejus morte dicamus? Nimirum Deum elegisse hoc communicandæ nobis salutis medium, non quod aliter facere non posset, sed quia ita ipsi libere placuit, etiamsi causam cur placuerit ignoremus. 2. Habuit Deus procul dubio gravissimas causas, cur per adeo graves perpessiones & mortem acerbam Filii sui unigeniti, tum ipsum tum alios fideles voluerit introducere in gloriam ipsis paratam, præter necessitatem istius satisfactionis: nempe quia, etsi posset omnino renunciare suo juri, in exigenda peccatorum pœna, noluerit tamen id facere, sed potius pœnam istam in sacrificium expiatorium commutare, quo testaretur quam exosa essent sibi peccata; nolens Filium suum Jesum deprecatorem pro illis admittere, nisi sanguine suo conspersum; nec cœlum ipsi nobisque reserare, nisi in illud per diversas afflictiones ingrederemur, & ipse tanquam fidelis dux nobis viam primus eam insistens, monstraret. Qua de re Paulus præclare disserit *Rom.* VIII. 17, 29, 30. *&* 2 *Tim.* II. 11, 12. Vide etiam *Luc.* XXIV. *v.* 26. *Act.* XIV. 22. *&* 2 *Tim.* III. 12. *& Hebr.* XII. 1, 2. *& alibi.*

CAPUT XIX.

De Muneris Christi Sacerdotalis functionibus, Oblatione nimirum, & Intercessione.

I. *Muneris Sacerdotalis partes esse duas, Oblationem & Intercessionem.* II. *Christi oblationem fuisse in terris tantum præparatam,* III. *Et in cœlis plene peractam.* IV. *Præcedens thesis probatur* 10. *locis ex Epistola ad Hebræos.* V. *Respondetur rationibus quæ pro contraria sententia afferuntur: De purgatione facta Hebr.* 1. 3. VI. *De voce Christi pendentis, Consummatum est Joan.* 19. 30. VII. *De oblatione peccatorum nostrorum in cruce* 1 *Petr.* 2. 24. VIII. *Quid sit Christum pro nobis factum fuisse peccatum* 2 *Cor.* 5. 21. IX. *Cur morti Christi tribuatur nostra expiatio, & de cap.* 53. *Esaiæ.* X. *Sacrificia non dici θυσίας, quod in mactatione præcipue consisterent.* XI. *Pleraque Christi preces, quas in terris fudit, ad munus ejus Propheticum spectasse,* XII. *Et ad Sacerdotale, quod nunc pro nobis in cœlis intercedit.* XIII. *Quomodo Christus nunc Patrem orare sit dicendus.* XIV. *Et pro peccatis nostris satisfecerit.* XV. *Id non fecisse patiendo omnes pœnas quas merueramus. Et* 1. *sacrificia non fuisse solutiones.* XVI. 2. *Christum non esse passum mortem æternam quam merueramus.* XVII. 3. *Nos alias plus debituros Filio quam Patri.* XVIII. 4. *Et Deum pœnas incredulitatis aut ingratitudinis nostræ non amplius posse exposcere.* XIX. *Contrarium non probari ex titulo sponsoris qui Christo datur.* XX. *Nec ex eo quod dicatur factus Maledictio pro nobis.*

I. ET hæc de muneris Sacerdotalis Christo facta impositione; deinceps quomodo illo defunctus fuerit nobis considerandum est. Duæ muneris istius sunt partes, nimirum *Oblatio & Intercessio.* Et utriusque diserte Scriptura meminit; Oblationis quidem sæpissime in tota Epistola ad Hebræos & intercessionis etiam aliquando, nempe *cap.* VII. 25. & *Rom.* VIII. 34. Utrum vero ista voce distinctum ab oblatione, quæ fit in cœlo, Sacerdotii actum designare voluerit, non facile est dictu. Mihi quidem ista duo non videntur reapse à se invicem discrepare; sed intercessionem sub oblatione posse comprehendi, aut saltem esse effectum immediate ab illa procedentem & inseparabilem. Quicquid sit, paucis de ea nobis suo loco erit tractandum. Interim de oblatione videamus.

II. Ad bene intelligendam ejus naturam non parum inservit consideratio loci in quo ea peracta est, item præparatio ad eam & oblatio ipsa. Quidam

Quidam eam in terra peractam fuisse putant, & quidem in cruce, quam ideo aram μεταφορικῶς appellant; quia sicut super aram Deo sacrificia offerebantur sub lege, ita Christus in cruce se Deo obtulit. Sed hic observandum est, quod quemadmodum olim mactatio victimæ non constituebat proprie sacrificium, neque potissimam ejus partem, sed nihil aliud erat nisi *præparatio* ad oblationem quæ fiebat Deo super altare; ita etiam res se habet in sacrificio Christi, quod legalibus illis fuit adumbratum. Istud tum demum, ut mox ostendemus, fuit peractum, cum is se in cœlo ex morte redivivum Deo Patri obtulit. Et in eo rationem sacrificii proprie consistere non obscure innuit Paulus *Rom.* XII. 1. ubi de Spiritualibus Christianorum sacrificiis agens utitur voce παραστῆσαι, id est, *sistere*, seu *exhibere*, *Obsecro vos* παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, *ut sistatis corpora vestra hostiam vivam*, *&c.* Nam in eo sacrificia nostra collocat, quod *corpora nostra*, seu nos ipsos, *sistamus Deo*. Ubi quidem requiritur ut affectus nostros carnales mortificemus, sed tanquam aliquid antecedens, sine quo oblatio nostra non esset accepta Deo. Sacrificia autem legalia non constitisse in mactatione pecudum quæ offerebantur, inde apparet quod ea etiam fieret per simplices Levitas, qui non erant Sacerdotes & jus ad altare accedendi non habebant. Id autem discimus ex *Ezech. cap.* XLIV. ubi Deus illos Levitas qui se idololatria polluerant, à Sacerdotio tanquam indignos removet, & tamen permittit iis ut mactarent holocausta & victimas populo. Eos vero qui se puros conservarant in Sacerdotali munere confirmans, discretionis gratia dicit, *Ipsi accedent ad me ut ministrent mihi*, *&c.* vocatur quidem in Scripturis actio Christi qua se tradidit in mortem pro nobis, *Oblatio & hostia Deo* non quod esset totum sacrificium, aut potissima ejus pars, sed quia fuit præstantissimum charitatis opus. Isto enim nomine Scriptura solet ejusmodi opera insignire. Sic Paulus de iis, quæ Philippenses ipsi ad sui sustentationem largiti erant, *Habeo omnia & abundo; repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo*, *cap.* IV. 18. Item, *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis conciliatur Deus, Hebr.* XIII. 16.

III. In oblatione itaque Sacerdotali Christi duo sunt consideranda; Præparatio ad eam, & ipsa proprie dicta oblatio. Præparatio facta est per mortem, quam ultro subiit pro peccatis nostris. Nam non aliter quam sanguine suo aspersus comparere debebat coram Patre suo, & se illi offerre in cœlesti sanctuario. Et hac ratione animadverti potest quomodo Christi mors ad Sacerdotium ipsius pertineat, nimirum tanquam aditus ad ejus functionem. Resurrectioni vero ejus ex mortuis, ascensioni in cœlos, & comparitioni coram Deo præcipuam partem expiationis nostrorum peccatorum deberi, inde constat quod Paulus dicit 1 *Cor.* XV. 17. *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris: ergo & qui dormierunt in Christo perierunt.* Non autem periissent credentes in Christum, si in ejus morte esset perfecta peccatorum expiatio, quamvis in ea mansisset. Idem etiam significat *Rom.* IV. 25. de Christo dicens, *Qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*; nempe quia ejus traditione in mortem non fuissemus justificati à peccatis nostris, nisi resurgens & coram Deo comparens illa expiasset. Sed clarius adhuc id docet *cap.* V. 8, 9, 10. *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Hinc enim apparet quantum ad salutem nostram, quæ in expiatione peccatorum consistit, exaltatio Christi conferat, & mortem ejus solam, non secuta resurrectione desperationem potius nobis quam fiduciam salutis allaturam fuisse.

IV. Ut autem tota hæc res melius intelligatur, consideranda sunt nobis obiter quædam testimonia Epistolæ ad Hebræos in quibus de natura Sacerdotii & oblationis Jesu Christi agitur. Nam ex ea fere sola istud dogma petendum est, cum alii Auctores Sacri parciores hic sint. *Primum* desumemus ex *cap.* II. 17. ubi dicitur, *Christum per omnia debuisse similem fratribus suis reddi, ut misericors fieret & fidelis Pontifex in iis, quæ apud Deum sunt, ad expiandum peccata populi.* Unde discimus, Christum post mortem & passionem suam expiare hominum peccata; & ipsum ideo mortem omnesque cruciatus & ignominiam, quibus comitata fuit, pertulisse ut *fieret*, sive ut *esset*; (si quis ita malit reddere vocem Græcam γένηται eodem enim propemodum res redit) misericors & fidelis Pontifex. Quare cum peccatorum nostrorum expiatio, uni Christi oblationi tota debeatur, (ut fidem facient loca quæ mox ex *cap.* IX. & X. afferemus) sequitur illam in cruce non fuisse peractam; imo neque Christum cum pateretur pro peccatis nostris, omnes Sacerdotii sui partes plene obiisse; siquidem per istas passiones consecrari ipsum oportebat & præparari, ut fieret vel esset misericors & fidelis Pontifex noster apud Deum; quod quanti in Pontifice sit momenti, omnes facile vident. *Alterum est cap.* IV. 14. *& seqq. Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*, *&c.* Cujus eadem vis cum præcedenti. Ideo enim observatur Pontificem nostrum Jesum penetrasse cœlos, quia oportuit eum se illic tanquam victimam mactatam Patri offerre; & ostenditur quomodo is peccata nostra expiet, nimirum compatiendo infirmitatibus nostris, & gratiam ac misericordiam nobis largiendo ad oportunum auxilium; id est nos à pœnis peccatorum eximendo & adversus iram Dei imminentem protegendo. *Tertium* exstat *cap.* V. 7. *& seqq.*

Qui

Qui (Jesus) *in diebus carnis suæ cum preces supplicationesque obtulisset, consummatus causa salutis æternæ factus est omnibus ipsi obtemperantibus, appellatus à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedec.* Unde discimus Christum tum demum factum esse causam salutis æternæ, (nempe plene & perfecte; alias jam talis erat cum in terris versans, homines in via salutis institueret,) cum per passiones suas fuit consummatus, & æternus à Deo Pontifex fuit constitutus; appellari enim à Deo Pontificem, nihil aliud est quam ad Sacerdotale munus evehi. Tunc enim potestatem plenam adeptus est omnes sibi obtemperantes salute æterna donandi. *Quartum* est *cap.* VII. 26, 27. *Talis enim decebat nos Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, &c.* Unde apparet Christum nondum perfecte fuisse Sacerdotem, seu omnibus Sacerdotalis muneris partibus fuisse defunctum, prius quam in cœlos esset ingressus, ut ibi coram Dei facie comparens jugiter fidelium peccata expiaret. *Quintum* est *cap.* VIII. 1. *& seqq. Talem habemus Pontificem qui consedit ad dextram throni majestatis in cælis, &c. Nam si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset, &c.* Nihil expressius afferri potest hoc testimonio; in quo non tantum dicitur cœlum esse locum ubi Christus Pontificale suum munus debet exercere, tanquam in vero sanctuario; sed etiam non fore Sacerdotem (id est actu munere isto non defuncturum) si remansisset in terra; nimirum quia Sacerdotium Leviticum, quod erat umbratile, in terra debebat exerceri, quamdiu verum & cœleste sanctuarium nondum erat à Christo occupatum. Cum enim non esset Sacerdos secundum ordinem Levi, sed secundum ordinem Melchisedec, non poterat in terra simul cum Sacerdotibus Leviticis Sacerdotio fungi. Sic enim umbræ eodem loco simul fuissent cum corpore; quod absurdum. *Sextum* est *cap.* X. 7. *in secundum* (nempe tabernaculum, seu sancta sanctorum) *semel quotannis ingreditur solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro seipso & pro populi ignorantiis, &c.* Hic respicit divinus Autor ad solenne illud sacrificium quod pluribus describitur *Levit.* XVI. Et ex utriusque loci collatione videre est, oblationem illam Pontificis Levitici non fuisse perfectam, antequam ingressus esset in sanctum sanctorum cum sanguine vituli mactati, & eo aspersisset propitiatorium, similique ratione etiamsi Jesus in terris esset occisus, & ita sacrificium corporis ejus paratum, non tamen fuisse sacrificium illud peractum antequam coram facie Dei compareret in cœlis, qui sunt verum illud sanctuarium, terrestris typo adumbratum. *Septimum* est eodem *cap.* IX. 11, 12. *Adveniens autem Christus Pontifex futurorum bonorum, &c. per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æternam redemtionem nactus.* Ubi rursus confert ingressum Christi in cœlum, per proprium sanguinem, seu illic se coram Deo quasi proprio sanguine aspersum sistentem, cum ingressu Sacerdotis Levitici in sancta sanctorum, per alienum, id est vituli mactati sanguinem, quem illuc inferebat. Et sic innuit oblationem Christi post illius in cœlos ingressum, non ante peractam fuisse; nimirum cum *per Spiritum S. obtulit seipsum inculpatum Deo in sanguine suo, quo viam in cœlum sibi paravit*, ut dicitur *versu* 14. *Octavum* est eodem *cap.* IX. 24, 25, 26. *Non enim in manufacta sancta ingressus est Christus, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque ut sæpe offerat seipsum, sicut Pontifex ingreditur quotannis in sancta cum sanguine alieno; alioqui oportuisset eum sæpe pati, &c. sed nunc semel in consummatione sæculorum ad abolendum peccatum per immolationem sui ipsius apparuit.* Quibus verbis indicat Christum ideo in cœlum ingressum esse, ut ibi oblationem suam perageret, comparendo coram Deo ad peccata nostra expiandum. Et per collationem ingressus illius in cœlum, cum ingressu Sacerdotis Levitici in sancta sanctorum, ostendit oblationem Christi perfici in cœlo, sicut oblatio Sacerdotis Levitici perficiebatur in sanctuario, cum illuc victimæ mactatæ sanguinem inferebat. Nam si Apostolus oblationem Christi putasset in morte ejus peractam fuisse, non dixisset, *Alioqui oportuisset eum sæpe pati.* Sic enim idem per idem probasset. Sed si oblatio Christi ab ejus morte distinguatur, apparebit quam validum sit divini hujus Scriptoris argumentum. Unde colligere est verbum *πεφανέρωται*, in fine *versus* 26. commodius redditum fuisse à veteri interprete per *apparuit* quam à Beza per *patefactus est.* Nam refertur ad comparitionem Christi in cœlo coram Patre; cui significandæ voces *patefactus est* minus sunt idoneæ. *Nonum* est *cap.* X. 5. *& seqq. Ideo ingrediens mundum dicit, &c. Ecce venio ut faciam Deus voluntatem tuam, &c. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel* (supple factam.) Quod ut intelligatur animadvertendum est voce *mundi* significari cœlum, prout *cap.* II. 5. ubi cœlum vocatur *mundus futurus*, nimirum respectu nostri, quibus nondum est præsens, sed in eum nos aliquando introducendos speramus; & dicitur iste mundus futurus à Deo non fuisse subjectus Angelis sed Christo; quod minus bene conveniret terræ, seu mundo huic inferiori, in quem scimus magnam esse Angelis à Deo concessam potestatem. Ita ut iste ingressus in mundum, nihil aliud sit quam ille ingressus in cœlum, de quo tam sæpe jam vidimus factam mentionem; nec possit de alio Christi in hunc mundum inferiorem accipi, quin tota series disputationis Apostolicæ perturbetur. Idcirco etiam *corpus* quod Christus sibi *à Deo aptatum* dicit, non est corpus illud animale quod in utero virginis Mariæ accepit; sed corpus spirituale & immortale quod Deus ipsi in cœlum ascendenti dedit, eo quod ut dicit Paulus 1 *Cor.* XV. *caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*; ut in

in ejusmodi corpore glorificato coram Deo appareat. Tunc demum Christus illa verba, quæ ipsi tribuuntur, pronunciavit, *Ecce adsum, &c.* cum corporis sui sacrificium in locum veterum sacrificiorum substitueret eaque abrogaret. Id enim non est prius factum quam in cœlum ingrederetur. *Decimum* denique est eodem *cap.* X. *v.* II. *& seqq. Et omnis quidem Sacerdos adstat quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, &c. Hic vero una pro peccatis oblata hostia, in perpetuum sedet ad dextram Dei.* Ubi notandum per *Sacerdotem* hic intelligi summum; (nam in tota hac Epistola Jesus Christus nunquam cum aliis Sacerdotibus inferioribus cumparatur) & respici ad solennem illam oblationem quam quotannis in sancto sanctorum faciebat pro suis peccatis & populi totius; ita ut *quotidie* hic accipiatur pro continuo semel quotannis; & quod dicitur *astare ministrans*, de ministerio debet intelligi quod peragebat in sancto sanctorum coram arca fœderis. Proinde (ut ex superioribus videre est) huic respondere oblationem Jesu Christi in cœlo, seu comparitionem coram facie Dei Patris, qua nos protegit & ab imminente Dei ira tutos præstat; ita ut alia deinceps pro peccatis victima non indigeamus præter istam unicam, *qua consummavit in perpetuum sanctificatos*, prout dicitur *versu* 14. quod oblatione Christi in cœlo tantum fit. Nam si tantum in terra & in cruce se pro nobis obtulisset multa adhuc deessent ad nostri consummationem, & unicæ illi oblationi non posset tribui tam præstans effectus.

V. Sed objicitur ex eadem illa ad Hebræos Epistola dici *cap.* I. 3. quod *Jesus purgatione peccatorum per seipsum facta sedit ad dextram majestatis illius in excelsis.* Ubi voces illæ aoristicæ καθαρισμὸν ποιησάμενος ἐκάθισεν, denotent Jesum peccata hominum expiasse antequam sederet ad dextram Dei Patris in cœlo. Indeque sequi expiationem istam factam esse in terra seu cum ipse in cruce penderet. Respondeo 1. Nihil esse frequentius apud Græcos, & speciatim apud Scriptores librorum Novi Testamenti quam usurpare participia aoristorum pro præsentibus. Testis vel illa sola toties occurrens locutio, ἀποκριθεὶς εἶπε, quæ non debet reddi, *cum respondisset dixit*, sed *respondens dixit*, quasi esset scriptum in præsenti tempore ἀποκρινόμενος. Quibus multa exempla similia in aliis verbis reperiuntur, etiam in hac ad Hebræos Epistola, ut *cap.* VII. 27. *Hoc fecit semel* ἑαυτὸν ἀνενέγκας, semet ipsum offerens. Quod etiam applicari potest verbis ex *cap.* IX. 12. paulo ante à nobis allatis, *Ingressus est semel in sancta* αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος, si quis ex iis colligere vellet, Christum, antequam ingressus fuisset in sancta æternam redemptionem invenisse. Et *Hebr.* XI. 9. De Abrahamo dicitur, ἐν σκηναῖς κατοικήσας μετὰ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ. Sed dico 2. Posito voces illas per præteritum reddi debere, *cum purgationem fecisset sedit ad dextram, &c.* Non sequeretur purgationem istam jam omnino fuisse peractam in terra; sed significabunt, Jesum Christum cœlos ingrediendo, & se patri, quasi sanguine suo conspersum offerendo purgationem peccatorum nostrorum fecisse, nempe communem. (Nam quod ad particularem attinet, quæ in applicatione communis consistit, non fit antequam quisque credat & à peccatis se convertat ne quis damno suo existimet sacrificium Christi in cruce plene fuisse peractum; aut saltem statim atque Pontifex nostra sancta cum sanguine est ingressus, peccata sua jam actu esse expiata, antequam illis nuncium mittat.) Et deinde dextram Majestatis consedisse; ut nimirum regnum sibi à Patre datum, tanquam ejus vicarius administraret.

VI. Sed tamen, inquies, Christus, jamjam animam exhalaturus in cruce, dicebat τετέλεσται *consummatum est*, *Joan.* XIX. 30. Innuere scilicet volens expiationem peccatorum, iis quæ passus erat consummatam esse. Respondeo, ipsum alio respexisse, nempe ad quorumdam typorum impletionem, quibus mors Christi olim adumbrata fuerat, uti in præcedentibus, cum de morte ejus ageremus, ostendimus. Instabis, Apostolum sine controversia de morte Christi loqui, in quam se ultro tradidit pro peccatis nostris, cum Ephesios sic alloquitur, *Ambulate in Charitate, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis, ad Ephes. v.* 2. At, inquam ego, quod Apostolus istud factum vocat oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis, non significat mortem, quam Christus in cruce pertulit, fuisse totum illud sacrificium, quo redempti sumus à peccatis. De tali enim genere sacrificiorum, nempe expiatoriorum nunquam usurpatur hæc phrasis, *in odorem* suavitatis; sed tantum de pacificis seu eucharisticis, ut passim in libris Mosis videre est *Levit.* III. *v.* 16. Et speciatim *Genes.* VIII. 21. ad quam historiam Apostolum alludere voluisse videtur. Nam cum dixisset sacer scriptor *Ædificavit autem Noë altare, &c. obtulitque holocausta super altare,* subjungit, *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Sed ita vocat Apostolus pretiosi Christi sanguinis effusionem, quod fuerit præstantissimum charitatis ejus opus, ad suum ineffabilem erga nos amorem testandum.

VII. Dices Petrum aperte testari, peccatorum nostrorum expiationem in cruce peractam fuisse cum de Christo ait, *Qui peccata nostra in corpore suo super lignum* ἀνήνεγκεν *obtulit* I *Petr.* II. *v.* 24. Ita enim vertendam esse vocem Græcam potius quam *pertulit*, vel *abstulit*. Et sic indicari, mortem Christi esse oblationem Deo factam pro peccatis nostris, quatenus patiendo pœnas quas merueramus, justitiæ divinæ satisfecit, & nos à morte æterna, quam alias incurrissemus, liberavit. Respondeo ἀνήνεγκεν esse proprie *sursum tulit*, non *obtulit*, quod melius diceretur προσήνεγκε. Et hac voce utitur Petrus respi-

ciens ad elevationem Christi in crucem, in qua pro peccatis nostris passus est, ut illa auferret; quod tamen demum plene factum est cum se Deo Patri in cœlis obtulit. Sed morti id tribuitur tanquam redemptionis pretio, quia magno Christo ipsi constitit. Hoc *auferendi* significatu usurpatur etiam verbum ἀνενεγκεῖν, *Hebr.* IX. 28. ubi dicitur Christus semel oblatus *ut multorum peccata auferret.* Et eodem sensu Joannes Baptista dicebat de Christo, *Ecce agnus Dei qui* αἴρων, *tollit peccata mundi*, *Joan.* I. 29. quod non sola morte sua perfecit, sed etiam secuta eam exaltatione. Adde quod absurdum sit existimare, Christum in cruce peccata nostra tanquam sacrificium Deo obtulisse, cum ipse contra se Deo pro peccatis obtulerit, ut Scriptura passim testatur. Et peccata, utpote res impura quam Deus abominatur, non debent ei in sacrificium offerri. Sacrificia enim munda esse oportet.

VIII. Objicitur adhuc, Paulum 2 *Cor.* V. 21. dicere, quod Christum *qui non noverat peccatum, Deus pro nobis peccatum fecit, &c.* Ubi in postremo loco vox *peccatum*, idem sit atque sacrificium pro peccato; ita ut respondeat Hebraicæ אשם / quam eo significatu sæpe accipi in lege supra variis exemplis probavimus. Christum autem factum esse peccatum, *cum factus est pro nobis maledictio*, *Gal.* III. 13. id est cum affixus fuit cruci. Respondeo esse quidem extra controversiam *peccati* vocem non raro accipi pro sacrificio quo peccatum expiatur. Ubique tamen id non fieri palam est. Sane nulla necessitas cogit ut ita exponatur in loco 2 *Cor.* V. Et oppositio quæ est inter *non novisse peccatum*, id est innocentem fuisse seu peccati expertem, & *factum esse peccatum*, requirere videtur ut hæc phrasis sumatur, pro, tractatum esse instar peccatoris, prout etiam *peccatoris* vox aliquando accepta reperitur, ut *Gen.* XLIII. 9. *&* XLIV. 32. ubi in vulgata versione habetur *peccati reus*, & 2 *Reg.* I. 23. ubi Betsabea dicit Davidi, in eadem versione, *Erimus ego & filius meus Salomon peccatores*, id est instar peccatorum tractabimur. Sed quamvis apud Paulum vox *peccatum* eo sensu quo vult objectio caperetur, id nihil nobis obesset, qui licet Christi sacrificium in morte fuisse peractum non putemus, tamen mortem in eo intervenire & ab illa inchoari debuisse agnoscimus. Similiter quod Christus factus est maledictio, cum maledictam crucis mortem subiit, non arguit totam sacrificii ipsius rationem in morte constitisse; sed potius contrarium, cum sacrificium sit res accepta Deo & qua placatur, quod in maledictionem non quadrat. Itaque ea proprie quæ in morte Christi fuit maledictio, non est illud sacrificium quo expiantur peccata nostra, aut quo Deus delectatus fuit; sed charitas excellens Christi erga nos, & obedientia erga Patrem, qua non detrectavit subire mortem crucis maledictam, ut idoneus esset Sacerdos ad expiandum peccata nostra, comparens in cœlo apud Deum pro nobis.

IX. Cur ergo, inquies, Scriptura, ubi agitur de peccatorum nostrorum expiatione; eam passim solet morti & sanguini Christi tribuere. Et speciatim *Esaiæ cap.* LIII. ubi egregia de Christi passione & morte prophetia continetur, sacrificium & oblatio ejus ita describuntur, ut appareat, nihil præter istam passionem & mortem in iis requisitum fuisse *versu* enim 10. dicitur, *Si Christus posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum, &c.* (quod supra de sacrificio pro peccato accipiendum esse ostensum est,) Et *versu* 11. *Pro eo quod laboravit anima ejus*, nempe in doloribus mortis, &c. Et *versu* 12. *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit? &c.* Respondeo, Christi morti nostram expiationem, potius quam ejus resurrectioni, ascensioni, aut comparitioni coram Deo, tribui; non quod tota in cruce peracta fuerit, contrarium enim supra clare evicimus; sed quod in morte Christi tota consistit hujus operis difficultas, & quod ea maxime suam erga nos charitatem testatus est. Reliqua autem quæ illam secuta sunt, nihil laboriosi habuerunt, sed contra fuerunt laborum ejus præcedentium præmium. Quod autem ad verba Prophetæ attinet, ea omnia optime constare, si sacrificium Christi eo, quo fecimus modo, explicetur, ut licet in morte crucis non fuerit consummatum, tamen ab ea initium sumserit, & in illo fuerit omnino requisita; cum alia lege Christus non esset admittendus in cœlum ut ibi peccata nostra apud Deum expiaret, nisi interveniente sanguinis sui effusione, ut eo quasi conspersus coram Deo compareret; veluti Pontifices Levitici qui cum sanguine pecudis mactatæ ingrediebantur in sancta sanctorum, imaginem cœlo respondentem.

X. Hic aliquis forte putabit magnam in eo vim sitam esse, quod sacrificia Græcis dicantur θυσίαι, à verbo θύω, quod est *occido*, *macto*; quemadmodum & Hebraïca זבח à זבח *mactavit, sacrificavit*; quasi sacrificia in *sola mactatione* pecudum sita essent, idemque proinde judicium de Christi morte sit faciendum. Verum infirma est admodum hæc consequentia ab etymologia vocis ad rem voce significatam, quasi in originibus vocabulorum necesse esset totam essentiam & naturam rerum aut actionum quibus significandis adhibentur contineri; cum sæpe ab aliqua parvi momenti circumstantia videamus eas denominationem suam accipere. Quid ni ergo sacrificia dicerentur θυσίαι, id est *mactationes*, quia sine mactatione & cæde non fiebant, & inde initium accipiebant, non quod tota in hac mactatione consisterent? Alioqui pari ratione argumentari mihi liceret, sacrificia προσφοραὶ vocantur, id est *oblationes*; ergo tota illorum ratio in oblatione seu præsentatione quæ fit Deo consistit. Unde tamen nullo jure excluderetur antecedens mactatio. Instabis; In omnibus sacrifi-

ciis

ctis legalibus, quæ pro peccatis offerebantur, locum habebat mactatio pecudum; sed nullius inferebatur sanguis in sacrarium nisi in sacrificio illo solenni & anniversario, de quo *Levit.* XVI. Ergo mactatio sacrificio magis est essentialis quam oblatio. Respondeo. Minime; nullum enim sacrificium animalis fiebat, in quo non aliqua pars super altare offerretur, sive sanguis, sive quippiam aliud, si non totum illic igni consumeretur, ut in holocaustis. Mirum autem non est omnium animalium sanguinem non fuisse illatum in sanctuarium; nam illis non repræsentabatur oblatio Christi, sed tantum illo solenni, cujus summus Pontifex erat minister: quem solum figuram fuisse Christi inde apparet quod in Epistola ad Hebræos cum illo tantum confertur, & nunquam cum aliis inferioribus sacerdotibus. Occisione vero quæ in aliis sacrificiis fiebat, videtur potius meritum offerentis fuisse adumbratum, & ipsum se cum omnibus quæ possidebat, voluntarie & ultro eis renunciando, Deo offerre & consecrare; quam mors & oblatio Christi.

XI. Et hæc de oblatione Christi; sequitur ejus *Intercessio*. Nonnulli duplicem illam faciunt; unam qua Christus defunctus sit in terris adhuc degens, & ante mortem suam; alteram qua etiam nunc fungatur in cœlis. Ad primam referunt preces quas sæpe ad Deum fudit, ut historia Euangelica testatur. De quibus vide *Luc.* III. 21. ubi dicitur *Jesu baptizato & orante apertum ei fuisse cælum.* *Et* VI. 12. *exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* *Item* IX. *verss.* 18, 28, 29. & XI. 1. & alibi: præcipue in historia passionis, primum in horto antequam ab hostibus caperetur, *Matth.* XXVI. 39, 42, 44. *Luc.* XXII. 41, 44. deinde in cruce pendens, *Matth.* XXVII. 46. *Luc.* XXIII. 34, 46. Ad quas respiciens Scriptor ad *Hebr.* V. 7. ait, *Qui* (Christus) *in diebus carnis suæ preces & supplicationes ad eum qui poterat ipsum servare à morte cum clamore valido & lacrymis obtulit, & exauditus est à metu.* Sed hæ preces D. Jesum magnam partem privatim spectarunt; & quas pro aliis habuit melius ad ipsius officium Propheticum quam Sacerdotale referuntur. Nam etiam Prophetarum est orare pro populo & pro felici doctrinæ quam annunciant successu. Talesque sunt Apostolorum preces, quarum in Actis & ipsorum Epistolis crebra mentio. Deinde extra controversiam est Christum Sacerdotium suum ante passionem non inchoasse; ita ut preces, quas ante illud tempus fudit, intercessionis ipsius Sacerdotalis partem non faciant.

XII. Sed ad eam optime referri potest id quod dicit *Joan.* XIV. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum; Spiritum veritatis, &c.* Nam ex ipsis verbis facile animadvertitur, istud non respexisse tempus præsens, sed futurum exaltationis ipsius. Talis quoque naturæ est eximia illa precatio quæ habetur *Joan.* XVII. facta paulo antequam Christus ab hostibus suis caperetur, & typum veluti continens intercessionis qua fungitur in cœlis. Ad hanc directe pertinet id quod legimus *Rom.* VIII. 34. *Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat* (seu intercedit) *pro nobis.* Et *Hebr.* VII. 25. *Unde & Jesus servare potest* παντελὲς, *id est in perpetuum*, seu *perfecte, eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro eis.* Eodem quoque pertinet illud Joannis 1 *Epist.* II. 1. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c.* Item eo refertur à multis, id quod extat *Apoc.* VIII. 3, 4. *Tum alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum; & dati sunt ei suffitus multi, ut offerret cum precibus sanctorum omnium, super altare aureum quod est ante thronum, &c.* Nam per istum Angelum putant intelligendum esse Jesum Christum. Et sane fatendum est, id quod Angelo isti tribuitur, optime cum officio Jesu Christi Sacerdotali convenire. Illud tantum obstat quod in toto hoc libro Apocalypseos D. Jesus nusquam nomine Angeli designatur; sed semper ab Angelis, qui sunt ministratorii spiritus, distinguitur, sive sub figura agni mactati, sive sub alia appareat Joanni. Verum istud non est tam magnum incommodum, ut propterea Angelo alicui servo Dei, tribuere debeamus, id quod est unigeniti filii ipsius; licet id factum videam à magni nominis interpretibus, tum veteribus, tum recentioribus. In re obscura non facile damnarim dissentientem.

XIII. Sed nunc quæritur, qua in re proprie consistat interpellatio qua Christus fungitur à tempore exaltationis suæ in cœlis. Nam certum esse videtur, eum non fundere preces pro nobis ad Patrem, prout fecit olim in terra in statu humiliationis suæ, nec genibus Patris esse advolutum ut ab eo impetret quæ saluti nostræ sunt necessaria. Id enim non convenit cum potestate Christi regia, & sessione ad dextram Patris, *supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, habens omnia pedibus subjecta*, ut loquitur Paulus *Ephes.* I. Nec etiam ulli quod sciam, Theologi ejusmodi intercessionem Christo tribuunt. Existimo igitur figurato loquendi genere id vocari intercessionem, quod Christus virtute sanguinis quem effudit in cruce compareat coram Deo ut nostram salutem procuret, & potestate quam ab illo accepit peccata fidelium suorum expiet, ne propterea in condemnationem veniant. Et sane nullius alius rei meminit Scriptura quam Christus pro nobis nunc peragat, cui intercessionis nomenclatura applicari possit. Videturque ideo Spiritus S. per Apostolos loquens hac voce usus, ut designaret Christum potestatem illam qua pec-

cata nobis condonat, & alia quæ ad salutem nostram pertinent procurat, non ex seipso habere, sed Deo Patri acceptam referre, à quo jam olim eam precibus suis impetravit; etiamsi ex quo semel accepit, non necesse sit ut amplius quicquam novi supplicationibus suis impetret.

XIV. Ex his intelligi potest, quomodo Christus pro peccatis nostris Deo Patri satisfecerit; nempe quatenus ex summo erga nos amore, ut nos à perditione æterna eriperet, & ex spontanea erga Deum obedientia qui munus hoc illi imponebat, permisit se ab hostibus in cruce mactari, ut postea redivivus & in cœlum sublatus, se Deo in cœlesti sacrario offerret, & pro nobis intercederet, atque ita peccata nostra expiaret, ne unquam propter illa severum Dei judicium subire cogeremur. Nam etiamsi Deus potuisset solo nutu peccata omnia nobis remittere; tamen ut ostenderet quantopere peccatum odisset, & nos efficacius ab eo in posterum deterreret, noluit id facere nisi interveniente sacrificio illo quo Christus ipsi corpus suum mactatum obtulit. Cujus rei typos habemus non tantum sacrificia, lege Mosaica Israëlitis præscripta; sed etiam alia quædam extraordinaria. Sic Deus Eliphazum Temaniten, & duos ejus socios remittit ad Jobum, *qui sacrificium pro iis offerat & Deum oret, ut veniam obtineant eorum quæ stulte locuti erant contra Deum & ejus fidelem servum*, *Job.* XLII. *v.* 7. *& seqq.* Et cum Abimelech rex Gerar sumsisset sibi Saram Abrahæ uxorem, putans ejus esse sororem, noluit Deus ei condonare hoc peccatum nisi ad intercessionem Abrahami. *Redde*, inquit, *viro suo uxorem, & orabit pro te, quia Propheta est*; *Genes.* XX. 7. qui autem illis temporibus Prophetæ erant, Sacerdotio quoque fungebantur. Quemadmodum istorum sacrificia & deprecationes valuerunt ad veniam iis à quibus offensi fuerant obtinendum; ita Christi unigeniti Dei filii & seipsum (non bruta animantia) Deo offerentis sacrificium remissionem peccatorum toti humano generi impetravit.

XV. Non ergo, ut vulgo putant, satisfecit patiendo omnes pœnas quas peccatis nostris merueramus. Nam *primo*, istud ad sacrificii rationem non pertinet, & cum ea nihil commune habet. Sacrificia enim non sunt solutiones debitorum, ut potest apparere ex illis legalibus. Pecudes quæ mactabantur pro peccatoribus, non luebant pœnas quas erant commeriti, nec sanguis illarum erat λύτρον sufficiens pro anima hominum. Sed erant tantum oblationes quibus studebant flectere Deum ad misericordiam, & obtinere ab eo remissionem admissorum. Unde illa formula, quæ sæpe reperitur in lege apposita expiationi peccatorum quæ fiebat per sacrificia, *Et dimittetur illi*, ut *Levit.* IV. 26, 31, 35. *&* V. 10, 16, 18. *Numer.* XV. 28. & alibi.

XVI. *Secundo.* Christus non est passus mortem æternam, quæ erat pœna peccato debita. Nam paucis tantum horis in cruce pependit, & tertia die resurrexit ex mortuis; quod nullam cum æternitate proportionem habet. Imo etiamsi mortem æternam pertulisset, non videtur satisfacere potuisse pro omnibus totius mundi peccatis. Hæc enim fuisset tantum una mors, quæ omnibus mortibus, quas singuli pro suis peccatis meruerant, non æquivaluisset. Excipiunt, mortem Christi non fuisse quidem æternam extensione, sed tamen quia fuit gravissima, & qualem damnati in inferno sensuri sunt, posse dici æternam intensione. Ad quod respondeo 1. dolores Christi in cruce male conferri cum doloribus damnatorum, qui Deum iratum sentiunt & de ejus misericordia desperant; quod nunquam ei accidit. 2. Peccata mereri pœnam non tantum intensione æternam, sed etiam extensione; imo extensionem illam in tempus infinitum esse graviorem omni graduum intensione quæ excogitari possit; ac proinde illum qui non tulit pœnam extensione æternam, non tulisse pœnam æquivalentem peccatis. Excipiunt adhuc, dolores Christi, propter excellentiam personæ patientis, quæ Deus est, non tantum æquipollentes fuisse pœnis quas omnes totius mundi homines meruerant subire in æternum apud inferos, sed etiam longe iis præponderasse; adeo ut ejus mors sufficiens esse posset redimendis mille mundis, si tot forent qui redemptore indigerent. Respondeo. Libenter me concedere, dignitatem personæ Christi magnum pondus ejus passionibus attulisse; sed tamen quia non passus est ut Deus, seu in natura sua divina, sed tantum in humana, qua similis fuit per omnia reliquis hominibus, non posse reperiri æquivalentiam seu proportionem inter illius ad paucas aliquot horas perpessiones, & omnes omnium hominum cruciatus æternos in inferno. Dicendum itaque Christi mortem alio modo non fuisse æquivalentem tot pœnis, nisi quia Deus ex gratia eam voluit pro tali habere & acceptare; quod est non parum recedere à rigiditate plenariæ satisfactionis quam nonnulli urgent.

XVII. *Tertio.* Sacræ literæ ubique gratuitum Dei amorem erga homines peccatores prædicant, tanquam salutis ipsorum fontem, & à quo cætera omnia beneficia salutaria promanant; qualia sunt, Jesu Christi missio in mundum, & peccatorum nostrorum per sanguinem & oblationem ipsius expiatio. *Sic Deus dilexit mundum*, inquit ipse, *Joan.* III. *ut Filium suum unigenitum dederit, &c.* Item, *Commendat charitatem suam Deus erga nos, quia cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, *Rom.* V. 8. Vide etiam 2 *Tim.* I. 9, 10. *&* 1 *Joan.* IV. 9, 10. Ergo non fuit necessarium ut Christus Justitiæ divinæ pro nobis satisfaceret, antequam Deus nos amare posset, & peccata nobis condonare. Sed quemadmodum ex ineffabili suo amore nobis dedit Filium in Salvatorem; ita ex eodem amore, solo nutu, si libuisset, omnia peccata nostra delere

delere poterat. Quod ergo constituit ut per Christi sacrificium expiarentur, non ideo factum est, quod à justitia sua essentiali constringeretur ne illa nobis gratuito remitteret; sed quia secundum sapientiam suam judicabat, hunc modum esse convenientissimum, tum ad suum erga nos amorem, tum ad peccati odium demonstrandum. Quare illi multum de gratiæ divinæ excellentia minuere videntur, qui eam à Christi satisfactione suspendunt; quasi Deus absque ista satisfactione, suam erga nos gratiam exerere non potuisset. Sic enim magis devincti essemus Christo, qui morte crudeli peccata nostra expiarit, quam Deo Patri, qui nihil aliud ad istam rem contulisset, nisi quod nobis Christum propitiatorem dedit, ut per eum, totum id quod ipsi debebatur, acciperet. Nam cum magno pretio constiterit Christo nostra redemptio, nempe acerbissimis doloribus, istud pretium Patri fuisset solutum, ne suo jure fraudaretur. Et non posset proprie dici Deus nobis peccata condonasse, si quidem nihil de suo jure remisisset; sed ea quæ nobis contingit remissio, tota in solidum uni Christi merito accepta ferenda foret: cum tamen Scripturæ tam magnifice gratiam misericordiæ divinæ in remittendis nobis per Christum peccatis extollere soleant, ut videre est *Ephes.* I. 8, 9. & II. 4, 5. & alibi. *Quarto*, Ista sententia non potest consistere cum illa remissione gratuita omnium peccatorum, quam Deum nobis in Christo ex immensa sua misericordia concedere Sacræ literæ passim docent: qua de re vide *Ephes.* I. 7. & IV. 32. *Col.* I. 14. & II. 13. 2 *Cor.* V. 19. *Hebr.* VIII. 12. Nam si Christus morte sua persolvit usque ad ultimum quadrantem omne id quod Deo pro peccatis nostris debebamus, nihil supererit quod Deus nobis gratuito remittere potuerit; veluti si creditor totum quod ipsi debetur à sponsore accepit, nihil remittit debitori cum debitum ab eo non reposcit; sed id facere ex stricto jure tenetur, nisi velit iniquus haberi, qui idem debitum bis sibi persolvi petat.

XVIII. *Quinto*. Si Christus omnes pœnas peccatis nostris debitas pertulisset, non possemus juste privari illo beneficio per incredulitatem aut ingratitudinem, nec præscribi possent nobis ullæ conditiones, ut fidei & resipiscentiæ, sub quibus demum ejus participes fieremus. Veluti si debitum creditori esset plene persolutum à sponsore, debitor statim esset liberatus ab obligatione solvendi, nec juste ei posset præscribi ulla alia conditio sub qua liberationem istam consequeretur, aut liberatio illa sub ullo prætextu revocari. Atqui contrarium fieri videmus in negotio salutis. Exigit enim Deus ab illis pro quibus Christus mortuus est, fidem, resipiscentiam, ut in luce ambulent, aliis peccata remittant, & similia; de quibus consule *Joan.* III. 16. *Act.* III. v. 19. 1 *Joan.* I. 7. *Matth.* VI. 14, 15. Imo minatur se veniam jam concessam revocaturum, nisi ejus misericordiam imitantes, iis qui in nos peccarunt condonaverimus, *Matth.* XVIII. 23. & *seqq.* Cum igitur nefas sit existimare injusti quicquam esse in istarum conditionum exactione; sequitur id totum quod debebamus non esse plene à Christo persolutum; sed Deum ex mera gratia in sacrificio quod pro nobis obtulit acquievisse, & pro solutione plena id acceptasse, etsi ex rigore juris non teneretur.

XIX. Objicitur Christum fuisse *sponsorem* nostrum apud Deum, & hoc nomine vocari ab Apostolo *Hebr.* VII. 22. Quando autem debitores non sunt solvendo, à sponsoribus jure posse exigi debitum totum, & id vulgo solere fieri. Cum ergo debitum nostrum fuerit æterna damnatio, oportuisse Christum eam subire ut inde liberaremur. Respondeo. 1. Non dici in citato ex Epistola ad Hebræos loco, Christum fuisse nostrum sponsorem apud Deum; sed ita haberi, *Tanto melioris testamenti* (seu fœderis) *sponsor factus est Jesus*, quod longe alium sensum habet; nimirum Deum, qui est novi fœderis autor, ad certiores nos reddendos, se fideliter executurum promissa illo contenta, modo à nostra parte conditiones ejus servaremus, dedisse nobis Jesum sponsorem. Et certe Deus ad securitatem suam non indigebat sponsore qui pro nobis sponderet, cum à nobis quotiescunque vellet solutionem debiti nostri exigere posset, & nos nulla ratione ex manibus ejus evadere possemus. Sed propter infirmitatem fidei nostræ, aliquo divinorum promissorum sponsore opus nobis erat. Deus igitur ex bonitate sua dedit nobis Christum sponsorem suæ fidelitatis; qui non tantum doctrina & operibus nos de ea certiores reddidit; sed etiam in cujus persona exemplum ejus rei exhibuit excellentissimum. Nam cum per viam obedientiæ, quam nobis præscripsit, ad felicitatem cœlestem contendisset, eam primus à Deo obtinuit, & præivit illuc nobis paraturus locum, ut ubi nunc est, nos quoque suo tempore aliquando simus. Sed etiamsi isto loco diceretur, Jesum fuisse nostrum sponsorem apud Deum, nihil aliud inde sequeretur, nisi Deum jus habuisse totum id quod debebamus ab illo reposcendi, non autem reipsa fecisse. Nam etiam interdum æquiores creditores se ita erga sponsores gerunt, ut non totum id, quod jure possent, ab illis repetant, sed contenti sint si partem aliquam debiti sibi solvant. Alium etiam afferunt locum interpretes Belgici in sua versione ex *Jerem.* XXX. 21. ubi putant Christum sponsorem vocari. In hunc enim sensum Hebraica Prophetæ reddunt, *Quis enim ille est qui cum corde suo sponsor fiat, ut ad me accedat, dixit Dominus*? Sed quamvis vox Hebræa ערב quæ hic habetur, verti possit sponsor, aliter tamen vertitur à plerisque interpretibus, ut à LXX, à vulgato Latino, à Pagnino & Aria Montano, à Vatablo, à Tigurinis, à Genevensibus, à Deodato, &c. Latinus interpres sic vertit, *Quis enim ille est qui applicet*

plicet cor suum, ut, &c. Præterea non satis constat hic de Christo esse sermonem; quo tamen dato, id eodem foret modo exponendum quo locus præcedens ex Epistola ad Hebræos, & nihil ad decidendam hanc controversiam faceret.

XX. Objicitur etiam, *Christum pro nobis factum esse maledictionem, ut nos à legis maledictione redimeret*, *Gal.* III. 13. Maledictionem autem fieri pro aliquo nihil aliud esse, quam maledictionem, quam incursurus is fuisset, in se transferre, eamque totam sustinere. Quare cum maledictio, quæ manebat nos ob peccata, fuerit mors æterna, inde sequi Christum eam sensisse, alias nos ei adhuc obnoxios futuros. Respondeo. 1. Maledictionem fieri pro aliquo, non esse necessario idem atque maledictionem, quam incursurus is fuisset, in se transferre, eamque totam sustinere. Sufficit, si maledictum aliquod supplicium ferendo, inde liberet eum pro quo patitur, etiamsi illud non sit specie idem cum eo quod iste meruerat. Sic enim solemus dicere aliquem pro altero fuisse mulctatum, qui propter alterius peccatum sensit aliquod detrimentum, licet toto genere diversum ab eo quod reo subeundum fuisset, ut si loco pœnæ capitalis ab eo summa pecuniæ aliqua fuerit exacta. 2. Non sequi ergo ex eo, quod Christus pro nobis subiit execrabilem illam crucis mortem, de qua scriptum est *Deut.* XXI. 23. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, ipsum idcirco omnem damnatorum maledictionem, seu æternos inferorum cruciatus, sensisse. Toto enim genere discrepant maledictum crucis supplicium & isti inferorum cruciatus. Atqui Paulus ipse citando istum Deuteronomii locum, ad explicandum quomodo Christus pro nobis factus esset maledictio, satis indicat maledictionem, quam incurrit, in eo solum constitisse, quod cruci fuerit affixus & illic mortuus: ita ut illud absurde ad æternos inferorum cruciatus extendatur, quod de morte temporali dictum fuisse ab Apostolo omnes loci istius circumstantiæ ostendunt.

CAPUT XX.

De Muneris Christi Sacerdotalis Effectis; ejus nempe Exaltatione, & nostri cum Deo Reconciliatione.

I. *Christum sui oblatione omnem potestatem in cœlo & in terra adeptum esse.* II. *Et nos cum Deo reconciliasse: Et de vocibus Reconciliationis.* III. *Propitiationis.* IV. *Remissionis & Justificationis.* V. *Redemptionis.* VI. *Et de similitudine inter spiritualem & corporalem redemptionem.* VII. *De phrasibus, Christum pro nobis, aut peccatis nostris, mortuum aut passum esse.* VIII. *Non nisi improprie dici, Christum pro nobis esse punitum.* IX. *Reconciliationem nostram cum Deo esse duplicem, unam imperfectiorem, qua antecedit fidem & resipiscentiam; alteram perfectiorem, qua eas sequitur.* X. *Quid ista prima reconciliatione intelligatur.* XI. *Ea afferitur ex locis ubi 1. fides,* XII. *2. resipiscentia.* XIII. *3. Et speciatim offensionum condonatio, à nobis requiruntur, ut propitiationis per Christum obtentæ participes reddamur.*

I. RESTAT tertia pars muneris Christi Sacerdotalis, nempe de illius effectis. Hæc duplicis sunt generis; quædam enim ipsum Christum, quædam nos respiciunt. Effectus Christum concernens est, quod per mortem suam adeptus est omnem in cœlo & in terra potestatem, qua servare potest in æternum eos, qui in ipsum fiduciam suam collocant. Nam mors, & quidem crudelis illa & ignominiosa crucis, quam tulit, conditio quædam fuit à cujus impletione pependit ejus gloria, & consequenter nostra salus. Quod docet ipse dicens discipulis illis Emmauntem proficiscentibus, *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Item, *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes*, *Luc.* XXIV. 26, 46. Cui consona sunt ista Pauli, *Humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, &c. Philip.* II. 8, 9. Et ita prædictum fuerat multis sæculis ante ab Esaia, *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus prosperabitur, &c. cap.* LIII. 10, 11. Ubi per semen Christi intelligendi sunt posteri ejus spirituales, seu fideles, qui dicuntur semen longævum, quia sunt usque ad finem mundi futuri, & in æternum beneficio illius victuri. Nam ita voluntas Dei in manu ejus prospere perficietur, cum ipsos, abolita morte quæ hostis est ultimus in eandem gloriam, quam primus adeptus est, suo tempore introducet. Huc quoque pertinuit Spiritus Sancti impetratio, tam necessaria ad Ecclesiæ Christianæ coagmentationem, ut sine ea Euangelii prædicatio irrita & viribus destituta futura esset. Eum enim à Patre obtinere non poterat, nisi prius glorificatus esset, secundum illud *Joan.* VII. 37. *Nondum erat Spiritus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Cui junge verba Petri *Act.* II. 33. & Pauli *Ephes.* IV. 8, *&c.* Non poterat autem glorificari Jesus nisi prius pateretur.

II. Effectus Sacerdotii Christi nos respiciens, est Reconciliatio nostra cum Deo, & eam consequens æterna Beatitudo. Ad reconciliationis istius naturam recte intelligendam, considerandum nobis erit quibus vocibus & phrasibus Scriptura S. in ea describenda utatur: deinde quid illis significetur. Et *primum* quidem ipsa *Reconciliationis* seu *Reconciliandi* vox, quæ occurrit *Rom.* V. 10, 11. 2 *Cor.* V. 18, 19, 20. *Ephes.* II. 16. *Coloss.* I. 20, 21, 22. Ubi Apostolus non dicit *tantum nos per Christum fuisse reconciliatos cum Deo*, sed etiam *Deum nos sibi reconciliasse*; quod est longe ἐμφαντικώτερον ad summam Dei erga nos charitatem exprimendum. Non enim primi fuimus, qui de Deo nobis reconciliando cogitavimus; nec ullum

lum ad eum legatum misimus, qui nostro nomine aliquas reconciliationis conditiones proponeret. Sed Deus nostri misertus ultro se reconciliabilem exhibuit, & ut res illa ad optatum & nobis salutarem finem deduceretur ipse effecit; nimirum unigenitum suum filium in mundum mittendo, qui mortem pro peccatis nostris obiret, & in cœlum exaltatus pœnas quas meruerunt potestate sua averteret, & quid à nobis requireretur ut tanti beneficii essemus participes, tum ipse, tum per Apostolos doceret, omnes ad fidem & resipiscentiam sub promisso remissionis vocando & exhortando. Unde apparet, quæ sit caussa cur Scriptura nusquam doceat *Deum nobis fuisse reconciliatum*, sed *nos Deo*, vel *Deum nos sibi reconciliasse*; nimirum quia per nos seu peccata nostra stabat quominus esset pax inter Deum & nos, & ut ea procedere posset ab illis convertendi eramus: quamvis enim Deus peccatis hominum esset infensus, paratum tamen se ostendebat ad deponendum inimicitias, illis quibus diximus conditionibus.

III. *Secundo.* Eadem est ratio vocum *Propitiationis & Propitiandi*, quæ leguntur *Rom.* III. 25. 1 *Joan.* II. 2. *&* IV. 10. *Hebr.* II. 17. Ubi observandum est in loco allegato ex *Rom.* III. exstare vocem ἱλαστήριον, qua LXX. interpretes, & Auctor ad *Hebr. cap.* IX. 5. utuntur ad significandum operculum arcæ fœderis, quia Deus in eo se propitium populo Israëlitico exhibebat, responsa consulentibus dabat, & Mosi declarabat quid à populo suo fieri vellet, ut videre est *Exod.* XXV. 22. Similique ratione dicit Apostolus *Deum proposuisse Jesum Christum propitiatorium*, quia Deus in eo se nobis valde propitium exhibuit, offerendo omnium peccatorum remissionem, nec non per eum nobis omne voluntatis suæ arcanum aperuit de salute nostra æterna, ut nullis deinceps aliis indigeamus revelationibus. Locus autem 1 *Joan.* IV. sic habet, *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum* ἱλασμὸν *propitiationem pro peccatis.* Ex eoque etiam fit manifestum, (ut postea pluribus dicetur, cum de ratione reconciliationis nostræ agemus) à nobis non esse profectum quod Christus sit propitiatio pro peccatis nostris, sed ab ipso Deo, qui ingenti & inenarrabili sua charitate motus nos prævenit, cum nihil minus quam de eo cogitaremus; imo nec Christum ipsum esse qui Deum primo nobis propitium reddiderit, sed eatenus tantum id ab eo factum, quatenus munere à Patre sibi demandato fungendo, removit obstacula, quæ impedire potuissent quominus propensa illa Dei erga nos voluntas effectum sortiretur. *Hebr.* II. autem dicitur Christus ἱλάσκεσθαι ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ, quod proprie significat *expiare peccata*, id est pœnas, quas meruerunt, avertere, seu ne ira divina adversus ea se effundat efficere. Quo significatu sæpe usurpatur hæc phrasis apud LXX, ut *Deut.* XXI. 8. 1 *Sam.* III. 14. *Dan.* IX. 24. Alias si divinus ille Auctor de propitiatione seu reconciliatione Dei id intellexisset, potius dixisset ἱλάσκεσθαι περὶ ἁμαρτιῶν.

IV. *Tertio*, considerandæ veniunt voces *Remissionis & Remittendi*, & æquivalentes quibus Sacri scriptores utuntur in hoc negotio, ut *Justificandi*, *non imputandi*, de quibus omnibus videri possunt hæc loca, *Rom.* III. 25. *&* V. 9. 2 *Cor.* V. 19. *Ephes.* I. 7. *&* IV. 32. *Coloss.* I. *v.* 13. & alia plura. Ubi nihil aliud observandum est, præter id quod jam superiori capite monuimus, remissionem gratuitam omnium peccatorum, quam Deus nobis largitur in Christo, consistere non posse cum solutione perfecta pœnarum infernalium quas meriti eramus, si Deus summo jure nobiscum agere voluisset. Nam remittere seu condonare gratuito peccatum alicui, nihil aliud est quam eum liberare à pœna, quam propter illud incurrere deberet, ex mera gratia & benevolentia. Talis autem non esset, si Christus Deo rigide omnes quas debebamus pœnas persolvisset. Et cum impossibile id fuerit nisi in sempiternum morte obrutus maneret, nos adhuc essemus in peccatis & damnationi æternæ obnoxii, si aliter ea expiari non potuissent.

V. *Quarto.* Habemus voces *Redemptionis*, *Redimendi & Redemptionis pretii*, quæ leguntur *Rom.* III. 24. *Gal.* III. 13. *Ephes.* I. 7. *Coloss.* I. 14. *Tit.* II. 14. 1 *Petr.* I. 18. *Matth.* XX. 28. 1 *Tim.* II. *v.* 6. & alibi. Ubi observandum est voces istas esse metaphoricas, & sæpe usurpari in Scripturis pro simplici liberatione, in qua nullum intervenit pretium; ut ex eo constare potest, quod Deus Pater dicatur *redemisse* aut *redemptionem fecisse populo suo*, cum eum liberavit ex servitute hostium, *Exod.* VI. 6. *Psal.* LXXVII. 16. *&* LXXVIII. *v.* 42. *Luc.* I. 68. quem tamen certum est nemini pretium ullum pro liberatione ista solvisse. Idem quoque liquet de redemptione quam per Christum habemus, ex locis illis quæ docent, *Christum dedisse seipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate*, *Tit.* II. 14. *nos fuisse redemptos ex vana nostra conversatione pretioso sanguine Christi, quasi agni immaculati & incontaminati*, 1 *Petr.* I. *vers.* 18, 19. Ubi etiam redemptio pro liberatione debet accipi, nulla habita pretii ratione, quod certum est Christum non solvisse iniquitati aut vanæ conversationi hominum. Ita tamen placuit Spiritui S. loqui, quia ista nostri liberatio à peccatis magno constitit Christo Salvatori nostro, utpote qui ad eam perficiendam pretiosum suum sanguinem impenderit; adeo ut voces istæ valde sint aptæ ad exprimendum summum illum amorem, quo nos est prosecutus; cum sanguis, quem impendit pro nobis, omnes divitias, argentum, aurum, gemmas, pretio longe exsuperet.

VI. Quare non minus eleganti quam emphatica metaphora dicimur à Christo & per ejus mortem & sanguinem redempti, quia morte ejus cruenta

cruenta interveniente liberationem sumus consecuti, primum à peccatis ne amplius nobis dominentur quemadmodum antea solebant; deinde à morte æterna, quæ illorum est pœna, & contra vitæ æternæ hæreditatem obtinemus. Et sane magna huic nostræ per Christum liberationi intercedit similitudo cum proprie dicta redemptione. Ut enim in proprie dicta redemptione oportet esse aliquem captivum, & aliquem qui captivum detineat, deinde redemptorem, & denique redemptionis pretium; ita etiam in spirituali nostra redemptione contingit. Homines omnes sunt illi captivi qui misera servitute premuntur & liberatione indigent, quamvis multi sint qui miserum suum statum ignorent, & quantum redemptore opus habeant. Illi qui homines captivos detinent, sunt peccatum, mundus, diabolus & mors æterna. Peccatum enim hominibus à Christo alienis dominatur, seu quod eodem redit, mundanæ cupiditates, avaritia, ambitio, voluptas, ira; item diabolus qui perpetuo in eo est occupatus ut nos vinculis peccatorum irretiat, sibique similes malitia reddat; & tandem mors æterna, quæ illos manet ex justo Dei judicio, qui in peccatis vixerunt. Adhæc Deus & Christus sunt hominum captivorum redemptores; & Deus quidem, quatenus is ipse est, qui Christum nobis dedit, per quem à captivitate nostra liberaremur; ita ut ab illo tanquam à primo fonte redemptio nostra oriatur. Denique redemptionis nostræ pretium est Christus ipse, seu ejus obedientia usque ad mortem crucis, quæ ita accepta fuit Deo, ut propterea eum deprecatorem pro nobis admiserit, & potestatem illi dederit nos ex captivitate, qua premebamur, liberandi. Hoc tantum est discriminis inter spiritualem nostram seu metaphoricam redemptionem, & corpoream ac proprie dictam, quod in hac semper aliquis est cui liberationis pretium persolvitur; in illa vero id non ita apparet. Absurda enim est illa Ambrosii sententia, istud pretium diabolo fuisse solutum; quasi nos aliquid ipsi pro peccatis debuissemus, quod à Christo nostro nomine ei persolutum fuerit. Neque etiam proprie dici potest Deo fuisse solutum, quia ipse Deus est qui pretium illud dedit; ita ut si dicatur Christi mortem seu sanguinem pro redemptionis nostræ pretio accepisse, perinde id sit, ac si debitor meus mihi solveret debitum quo tenetur, ex pecunia quam à me ipso accepisset; quod esset potius imago aliqua aut umbra solutionis, quam vere ac proprie dicta solutio. Non tamen velim negare, eximiam illam Christi obedientiam usque ad mortem crucis Deo fuisse oblatam, tanquam pretium redemptionis, quo à vinculis peccati & mortis exsolveremur. Eam enim Christus de suo dedit, illaque Deo ita grata fuit, ut propterea nos accedente fide in ipsum & resipiscentia, ab omni peccato ejusque pœna perfecte liberos esse voluerit, imo in filios suos & vitæ æternæ hæredes adoptaverit.

VII. *Quinto.* Scriptura docet *Christum pro nobis esse passum, mortuum, seu gustasse mortem* & similia, *Matth.* XX. 28. *Marc.* X. 45. ubi utuntur Euangelistæ particula ἀντὶ. Item *Joan.* XI. 50. *Rom.* V. 7, 8. 2 *Cor.* V. 14. 1 *Petr.* II. 21. *Hebr.* II. 9. ubi occurrit præpositio ὑπὲρ. Sed utrarumque phrasium idem est sensus; nimirum quod morte Christi & ejus passionibus liberati fuimus à morte & condemnatione æterna, ne unquam eam sentiremus. Non quidem quod Christus illam subierit (quod supra falsum esse demonstravimus) sed quia interveniente ea, tanquam prærequisita conditione, ut se pro nobis in sacrificium Deo offerre posset, nos deinde credentes in eum & à peccatis nos ad justitiam convertentes, divina gratia mortem & damnationem æternam effugimus, quæ alias nobis subeunda fuisset. Id ita accipiendum esse liquere potest ex collatione aliarum phrasium similium, ut cum *Christus* dicitur *esse passus* aut *mortuus pro peccatis nostris*, 1 *Cor.* XV. 3. vel *propter peccata nostra*, *Rom.* IV. 25. quæ nihil aliud significant, nisi per mortem & passionem Christi, accedentibus illis, quas diximus, conditionibus, nos veniam peccatorum esse consecutos.

VIII. Unde judicium fieri potest, quid de hac phrasi nonnullis usitata sit statuendum, *Christum pro nobis esse punitum*, vel *pœnas peccatorum nostrorum subiisse*; nimirum eam quidem in proprio sensu non esse admittendam, prout etiam nusquam quod sciam in Scripturis invenitur. Cum enim pœna sit peccati vindicta, seu malum passionis quod pro malo actionis retribuitur; certum est eum non posse juste à Deo puniri, in quo nulla est peccati labes, qualis fuit Jesus. Cui accedit, quod virtute & efficacia sacrificii, quod pro nobis Deo Patri obtulit, peccata nostra deleantur; Id autem aliud longe est quam pro illis punitum esse. Verum tamen puto nihil obstare, quominus per figuratam aliquam loquendi rationem id dici queat; si nimirum pœna pro simplici afflictione, ut aliquando fit, accipiatur. Nam revera Christus gravissimè fuit afflictus, cum diram crucis mortem subiit ut peccata nostra tolleret & expiaret. Et hoc sensu legimus de ipso prædictum apud *Esaiam cap.* LIII. non tantum, *eum languores nostros tulisse, & dolores portavisse*, (quod idem significare potest atque, abstulisse à nobis seu nos iis liberavisse; prout Matthæus exponit *cap.* VIII. 17. dicens *tunc*, cum Christus multos populi morbos sanasset, *impletum fuisse illud per Esaiam scriptum, ipse infirmitates nostras accepit, & morbos portavit.*) Sed etiam (quod aliquanto expressius est) *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina* (seu castigatio) *pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus*; Item, *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*; Hæ enim phrases aliquid pœnæ affine sonant.

IX. Rem ipsam quod attinet, reconciliatio ista, item propitiatio, remissio, redemptio, duplex

duplex est, una imperfectior, quæ antecedit fidem & resipiscentiam nostram; altera perfectior, quæ easdem sequitur. Discrimen istud haurimus ex Paulo, dicente, *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multo ergo magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius*, *Rom.* v. 8, 9, 10. Dicendo enim *nos reconciliatos fuisse Deo cum inimici essemus*, intelligit primam illam imperfectiorem reconciliationem, qua Deus homines sibi per Christi sacrificium reconciliavit, antequam crederent & à peccatis resipiscerent. Nam increduli & impœnitentes sunt inimici Dei, & quamdiu in isto statu permanent non possunt perfecte cum ipso reconciliari. Addendo vero, *multo magis reconciliati salvi erimus in vita Christi*, innuit secundam & perfectiorem reconciliationem quam per fidem & resipiscentiam consequimur. Vita enim Christi, seu resurrectio ejus à mortuis & exaltatio ad dextram Dei, producit in nobis fidem illam veram per quam indubie salutem adipiscimur. Unde Petrus dicit, *Deum regeneravisse nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Item, *Deum suscitasse Christum & dedisse ei gloriam, ut fides nostra & spes esset in Deo*, 1 *Epist.* I. 3. 21. Eandem reconciliationis distinctionem insinuant etiam illa quæ leguntur 2 *Cor.* v. 19, 20. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illis delicta ipsorum*; (hæc est prima reconciliatio,) *& posuit in nobis verbum reconciliationis; pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* (hæc est secunda,) Si enim mundus jam perfecte per ea, quæ Christus fecit & passus est, reconciliatus fuisset Deo, non opus foret ista adhortatione Apostolica, *reconciliamini Deo*, qua innuitur requiri à nobis alicujus conditionis præstationem, si perfecte Deo reconciliari velimus. Ea autem nulla alia est quam fides & resipiscentia, quæ passim in scriptis Novi Fœderis nobis commendantur.

X. Sed ut melius intelligatur quodnam sit inter utramque istam reconciliationem discrimen, id pluribus adhuc nobis explicandum est. Prima igitur reconciliatio seu remissio, significat Deum interveniente Christi oblatione eo usque fuisse peccatoribus placatum, ut paratus sit plenam omnium peccatorum remissionem illis largiri & consequenter vitam æternam, modo in Christum credant & ex ejus præscripto vitam suam emendent. Interea vero dum istud per Euangelium annunciari iis curat, iram suam suspendere, & tempus resipiscentiæ concedere, nihilque à parte sua omittere quod ad salutem ipsorum procurandam merito requiri possit. Hanc remissionem petivit Christus à Patre pro crucifigentibus se, dicens, *Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciunt*, *Luc.* XXIII. 34. Non enim voluit ut Deus ipsos in incredulitate & impœnitentia sua perseverantes reciperet in gratiam, & pro filiis & salutis æternæ hæredibus adoptaret. Nequaquam. Istud repugnasset Euangelio quod annunciavit, ubi nemini promittitur remissio peccatorum, nisi sub veræ fidei & per charitatem operantis conditione. Nihil ergo aliud petivit Christus pro istis sceleratis, nisi ut Deus non effunderet in eos subito iram suam, prout meriti erant, nec eos de medio tolleret; sed ut ipsis idoneum tempus, quo ad pœnitentiam pervenire possent, indulgeret, aliaque gratiæ suæ auxilia offerri curaret, quibus ad agnitionem peccatorum & veram in Christum fidem adducerentur. Quod etiam ipsum obtinuisse videmus, dilata in quadraginta annos Hierosolymæ eversione & Judæorum incredulorum excidio, & interea Apostolis ad eos missis, qui eos hortarentur ut vellent reconciliari Deo. Alias si Christus absolute pro crucifigentibus se oravisset veniam, non fuisset exauditus (quod nefas est cogitare) cum plurimi illorum in incredulitate sua perseverarint & perierint. Idemque videmus Deum erga alios peccatores observare, præsertim à temporibus publicati Euangelii, ut in eos ex improviso non animadvertat, sed magna patientia erga eos utatur, hortetur, moneat, imo roget continuo per ministros suos, ut à malis viis suis desistant & sic perditionem effugiant. Unde Paulus dicit, *bonitatem, patientiam, longanimitatem & benignitatem Dei adducere homines ad pœnitentiam*, *Rom.* II. 4. Et Petrus, *Deum patientem esse erga nos, nolentem quemquam perire, sed omnes ad pœnitentiam venire*, 2 *Epist.* III. 9. Cum ergo gratiam hanc sibi oblatam amplectuntur peccatores, & conditiones sub quibus ipsis proponitur reconciliatio & peccatorum remissio implent, tunc vere & perfecte altero isto quem diximus modo reconciliantur cum Deo, & peccatorum remissionem obtinent ad vitam æternam.

XI. Quod ita clarum est ex variis Sacrarum Literarum testimoniis, ut non possit magis. Nos præcipua quædam ex illis & maxime expressa afferemus. Huc ergo pertinent primo ea in quibus fides à nobis requiritur, ut propitiationis per Christum obtentæ participes reddamur; qualia plurima sunt. Sed inter cætera eminent hæc Christi verba ad Nicodemum, *Joan.* III. 14. *&c. Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis* (nempe in crucem) *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quibus adjunge quæ *eod. cap.* v. *ult.* leguntur, *Qui incredulus est filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*; nempe quam meritus est propter antecedentia peccata, & posset per veram in Christum fidem effugere. Idemque docet Paulus *Rom.* III. 24, 25. *Justificati gratis per gratiam Dei, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem*

in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, &c. Ubi verba in medio posita ita construenda sunt, *Quem proposuit Deus propitiationem in sanguine ipsius per fidem.* Non enim vult significare nos fidem in Christi sanguine collocare debere, sed Christum nostrorum peccatorum propitiationem fecisse interveniente sanguinis sui effusione; nos vero tum demum istius propitiationis fructum percipere cum in Christum & ejus Euangelium credimus, atque ex ejus præscripto vitam componimus. Dicit autem *Deum proposuisse Christum propitiationem ad ostensionem justitiæ suæ*, non vindicatricis qua ultus sit peccata nostra in Christo, ut quidam existimant; sed justitiæ in servandis constanter suis promissis. Apostolus enim respicit ad id quod paulo ante dixerat, *Justitiam Dei sine lege manifestatam esse, quæ testimonium habeat à lege & Prophetis*: & vult significare, Deum ostendisse justitiam suam, implendo ea quæ Prophetæ, ipsius spiritu afflati, prædixerant.

XII. Resipiscentiam quoque & vitæ emendationem requiri ut propitiatio Christi nobis sit salutaris, docet satis expresse Joannes 1 *Epist.* 1. 7. dicens, *Si in luce ambulemus, sicut Deus est in luce, societatem habemus ad invicem, & sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Fructus ergo pœnitentia digni sunt proferendi, quod est ambulare in luce, seu opera lucis facere, si cupiamus emundationem à peccatis invenire in sanguine Christi, id est in oblatione quam postquam fudit sanguinem in cruce offert pro nobis. Eademque est sententia verborum Petri *Act.* III. v. 19. *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Constat enim inter Christianos, aliter non deleri nostra peccata quam virtute sacrificii Christi.

XIII. In specie etiam requiritur ut condonemus aliis quæ in nos peccarunt, si velimus ut Deus nobis condonet peccata nostra, dicente Christo, *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra, Matth.* VI. 15. Quod adeo necessarium est, ut jam obtenta remissio revocetur, si hic officio nostro defuerimus, ut discimus ex parabola *Matth.* XVIII. de servo à quo debitum decem millium talentorum, quod jam condonatum fuerat, reposcitur, quia centum denarios conservo noluerat remittere. Nam ut nemo possit ignorare quo ista parabola tendat, Christus addit conclusionis loco, *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Unde discimus illa superiora, *Si non dimiseritis, nec Pater dimittet vobis, &c.* non esse tantum de sensu remissionis intelligenda, sed de ipsa remissione, quæ alia lege & conditione non possit à Deo obtineri. Parabolæ enim hujus verba sunt nimis expressa, ut sic torqueantur. Conjectio servi immisericordis in carcerem, & repetitio rigida totius debiti usque ad ultimum quadrantem, est sane res longe diversa, quam ad tempus aliquod non sentire in corde suo gaudium ob remissionem peccatorum impetratam, manente interim apud Deum firma & immota illa, quam semel concessit, venia. Nec tantum in isto remissionis sensu est momentum, quantum vulgo putant. Nam quamvis is sit acceptissimus peccatoribus, quos antea conscientia scelerum urgebat, non tamen ad obtinendam salutem æternam est necessarius; quæ si illis infallibiliter continget quibus semel decreta est, non multum oberit etiamsi de ea ad aliquod tempus dubii nonnihil in ipsorum animis oboriri possit.

CAPUT. XXI.

De Regno Christi, Regnique illius natura, & cum nunc Imperium in omnia habere.

I. *Regnum Christi post Ascensionem incepisse.* II. *Et exprimi phrasi, sessionis ad dextram Dei; eaque non modo honorem,* III. *Sed & potentiam indicari.* IV. *Non vero humanæ Christi naturæ ubiquitatem.* V. *Messiam non modo Regem, sed & Prophetam & Sacerdotem esse debuisse.* VI. *Regem esse debuisse ex Scripturis ostenditur.* VII. *Et Regnum ejus spirituale* 1. *quod in Messia omnes nationes sint benedicendæ.* VIII. 2. *Quod Reges terræ ei se ultro subjicient.* IX. 3. *Et Judas eum sint rejecturi.* X. 4. *Quod post mortem semen longævum sit visurus.* XI. 5. *Et quod regnis Davidis & Salomonis fuerit adumbratum.* XII. *Christum etiam testatum fuisse, regnum suum non esse de hoc mundo.* XIII. *Nec obstare* 1. *quod ut terrenum describatur.* XIV. 2. *Vel sedes Davidis ei promittatur.* XV. 3 *Aut quod Christus hanc opinionem ex animis discipulorum non exemerit.* XVI. *Christum nunc in cœlis regnare probatur ex loco Matth.* 16. 28. XVII. *Matth.* 28. 18. XVIII. *Ex effusione Spiritus S.* XIX. *Ex Apocalypsi,* XX. *Apostolorum testimoniis,* XXI. *Invocationibus, & exauditionis promisso.* XXII. *Ex actionibus regiis quas Christus in terris degens exercuit.* XXIII. *Nec obstare quod nondum videamus omnia ei esse subjecta Hebr.* 2. 8.

I. MOrtem, Resurrectionem, & Ascensionem Christi in cœlum, excipit immediate non solum ejus Sacerdotium, sed etiam *Regnum*; cum cœlum sit non modo Dei Sacrarium, sed ejus etiam Solium regale; prout ipse dicit apud Prophetam, *Cœlum mihi thronus est; terra autem scabellum pedum meorum, Esa.* LXI. 1 *Actor.* VII. 49. Et ideo in illud etiam conscenderit ut imperii paterni esset particeps. Quod enim Paulus de ejus morte & resurrectione dixit, *In hunc finem Christus & mortuus est & revixit, ut & vivis & mortuis dominetur, Rom.* XIV. 9. in ascensionem quoque quadrat per quam in regni sui possessionem ingressus est. Ante mortem & resurrectionem suam erat quidem etiam Rex; sed destinatione tantum, non exercitio; prout filii regum qui in regni spem educantur, aliquando ab ipsis incunabulis, nominibus & titulis regiis insigniuntur. Hinc dicebat Angelus pastoribus Bethlehemiticis, *Natus vobis est hodie Salvator,* qui

qui est Christus Dominus, *Luc.* II. 10. Et Magi paulo post ex Oriente advenientes Hierosolymam, *Ubi est, qui natus est Rex Judaeorum?* *Matth.* II. 2. Et Christus ipse coram Pilato comparens, respondebat ei *Joan.* XVIII. 37. *Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati.* Quod Paulus vocat, *bonam illam*, seu *praeclaram confessionem, quam testatus est sub Pontio Pilato*, 1 *Timoth.* VI. 13. Nec sine mysterio & providentia divina factum est, quod ejus cruci titulum hunc inscripsit, *Jesus Nazarenus Rex Judaeorum.* Ex ipsa enim cruce alios jam regno consecrabat, ut latronem illum, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Et in vita sua, subinde Regiae potestatis specimina edebat, cum imperabat arboribus, piscibus, mari, ventis, morbis, morti, & ipsis daemonibus, & omnes parebant ei. Sed ab ascensione sua demum plene & perfecte fuit Rex. Dicit quidem Joannes de tempore quo Christus in terris est versatus, *& habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*, *Joan.* I. 14. Et rursus cum aquam in vinum vertisset, *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaea; & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus*, *Joan.* II. *v.* 11. Sed testatur tamen idem Apostolus, *Christum nondum fuisse glorificatum*, *Joan.* VII. 39. Et Patrem sic allocutum fuisse, *Ego te glorificavi super terram: opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temet ipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te*, *Joan.* XVII. 5. Ad illud vero tempus quod instabat respexit, cum diceret, *Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra*, *Matth.* XXVIII. *v.* 18. Et sicut David, qui fuit ejus figura, per varias afflictiones & certamina pervenit ad regnum sibi destinatum, ita etiam *oportuit Christum pati & sic intrare in gloriam suam*, *Luc.* XXIV. *vers.* 26, 46. Quod Paulus apertius adhuc explicat, cum dicit, *Humiliavit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, &c. Philipp.* II. *vers.* 8, 9, 10, 11.

II. Regium autem munus Christi variis vocibus & phrasibus exprimitur in Scriptura. Saepe enim ibi vocatur *Rex & Dominus*; *Certissime sciat ergo omnis domus Israël*, inquiebat Petrus die Pentecostes Judaeis ob effusionem Spiritus S. stupentibus, *quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos crucifixistis*, *Actor.* II. *v.* 36. Imo ad praecellentiam regni & dominii ipsius supra omnia mundana, *Rex Regum, & Dominus Dominantium* appellatur *Apoc.* XVII. 14. & XIX. 16. Sed peculiariter designatur per phrasim *Sessionis ad dextram Dei*; quam etiam visum est iis usurpare, qui Symbolum, dictum Apostolicum, condiderunt. Cujus significatio ut bene intelligatur, observandum est primo, *Dextrae Dei* nomine in Sacris literis designari ejus robur & potentiam, metaphora sumpta ab hominibus, qui manu sua dextra fortitudinis & industriae opera praestantissima exsequuntur. Hinc Deus apud *Esaiam* XLVIII. 13. *Manus mea fundavit terram, & dextra mea mensa est caelos.* Et quia magnam exeruit virtutem in Christo glorificando, Petrus dicit *eum dextra Dei fuisse exaltatum Act.* II. *v.* 33. & *v.* 31. Deinde sciendum, latus hominis dextrum, communi omnium populorum consensu, honoratius haberi sinistro; ideoque solere eos ad dextram collocari, quibus majorem honorem alii deferre proposuerunt; & cum tres simul sunt, honoratiorem quidem esse medium locum, sed inter duos reliquos dextrum quoque praecellere sinistro. Locum autem Regis, vel Principis supremi, ubicunque stet vel sedeat, honoratissimum esse semper intelligi, ut etiamsi unus ei tantum adsit quem ad dextram suam statuat, is tamen secundo à rege loco, licet honoratissimo quem tribuere possit, positus esse agnoscatur. Quod idcirco annoto, ne quis colligat ex eo quod Christus sedet ad dextram Patris, Patrem sedere ad sinistram filii, id est inferiorem illo esse; quod foret maxime absurdum. Pater semper enim obtinet primum locum, etiam postquam Christum collocavit ad dextram suam. Id videre est in Salomone Rege, qui cum accedentem matrem pronus in terram salutasset, solium quidem suum regium retinuit, sed aliud honoris ergo matri suae ad dextram collocari jussit.

III. Verum sedere ad dextram Regis non tantum honorem, sed etiam participationem quandam potestatis regiae comprehendit; prout fieri solet ut Reges illos, quos honore ejusmodi dignantur, etiam praecipuis regni sui muneribus praeficiant. Quo respiciebat mater filiorum Zebedaei, cum petebat à Christo, *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo*, *Matth.* XX. 20. Videtur enim praeter honorem & dignitatem, etiam praecipua regni Christi munera pro filiis suis ambivisse. Quare cum Sacri Scriptores dicunt Christum sedere ad dextram Patris sui, vel Patrem eum collocasse ad dextram suam, non simpliciter magnum ipsi honorem tributum, sed praeterea summam potestatem omnia tanquam Dei legatum in universo ejus imperio administrandi significant. Id quod vel ex unico Pauli loco probari potest, ubi dicit *Deum Patrem collocasse Christum ad dextram suam in caelestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur tam in hoc quam in futuro saeculo, & omnia subjecisse sub pedibus, &c. Ephes.* I. 20. & *seqq.* Cui adde quod dicit Petrus, *Christus est in dextera Dei, profectus in caelum, subjectis illi Angelis, & potestatibus & virtutibus*, 1 *Epist.* III. 22. Stephano vero protomartyri apparet Christus non sedens, *sed stans à dextris Dei*, *Act.* VII. 55. ut nimirum significet se esse paratum ad illi opem ferendam in isto

certamine pro nomine suo. Alibi tamen passim phrasis sedendi ad dextram Dei usurpatur, utpote magis apta ad significandum ejus dignitatem & majestatem regiam, coram qua omnes homines judicandos stare oporteat.

IV. Itaque etsi Christus dicatur sedere in cœlo ad dextram Dei, tamen per dextram Dei non intelligitur locus aliquis; nec per sessionem ad dextram situm corporis; sed status ejus gloriosus, nempe majestas illa & potestas suprema omnia regendi, quam adeptus est post ascensionem suam in cœlum. Quod non tantum agnoscunt, sed etiam urgent illi, qui Christum hominem omnipræsentem credunt. Unde subit mirari quomodo inde colligere velint ipsum ubique esse tam in cœlo quam in terra, quod sedeat ad dextram Dei. Sic enim argumentantur, dextra Dei est ubique; Christus homo sedet ad dextram Dei; ergo Christus homo est ubique. Sed syllogismus hic peccat in forma, utpote quatuor constans terminis. Dextra enim Dei & sedere ad dextram Dei sunt res diversæ & duos terminos faciunt. Itaque reformandus esset in hunc aut similem modum, qui sedet ad dextram Dei est ubique, quia dextra Dei est ubique; sed Christus homo sedet ad dextram Dei; ergo Christus homo est ubique. Sed tunc major foret falsa, & probatio ejus infirma, etiam ex propriis eorum, qui sic argumentantur, principiis. Cum enim (sicut rectè dicunt) dextra Dei non significet locum, sed virtutem Dei; & per sedere ad dextram Dei, non sit intelligendus situs aliquis localis, sed imperium & majestas divina; non bene colligitur, Christum hominem esse ubique ex eo quod habet imperium & potestatem divinam, nam virtus & potestas Dei nullis locorum spatiis est inclusa & à nullis exclusa, ut agnoscit David *Psal.* CXXXIX. dicens, *Quo ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam?* id est à virtute tua quæ se ubique conspiciendam præbat. *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades, &c.* Et Deus ipse innuit *Jerem.* XXIII. v. 23. *Putas-ne*, inquit, *Deus è vicino ego sum, & non Deus de longe?* id est, me, si longe essem, non posse exserere virtutem meam, sed oportere ut propius accedam, quamvis non sim longe ab unoquoque homine, *Act.* XVII. 27. Præterea etiamsi dextra Dei connotaret certum aliquem locum, non tamen inde sequeretur, eum qui sedet ad dextram Dei in locis illis omnibus præsentem esse ubi est dextra Dei. Sic gemma intime connexa est annulo, nec tamen æquale spatium cum annulo occupat; Amsteldamum sita est ad Oceanum, nec tamen æque late patet atque Oceanus. Itaque similiter ex eo, quod Christus homo ad dextram Dei sedet, non bene colligitur eum esse ubique sicut dextra Dei est ubique. Sed, inquiunt, ergo dextra Dei erit alicubi, ubi tamen non erit Christus homo. Respondeo. Quid tum? modo ubicumque est Christus homo, ibi etiam sit dextra Dei, & nullus fingi possit locus quem occupet Christus homo, ubi non sit intime & inseparabiliter cum dextra Dei conjunctus.

V. Nunc ut propius ad considerationem Regii Christi muneris accedamus, extra controversiam est Messiam olim sub Veteri Testamento promissum regem esse debuisse; idque tam libenter nobis concedunt hodierni Judæi, ut ex eo quod Regem expectant, ipsum pro Sacerdote & Propheta agnoscere nolint; cum tamen hæc tria munera in Messiæ persona conjuncta fore, Prophetarum oraculis sit testatum. Illi certe Davidem, magnum Regem, non possunt negare simul quoque Prophetam fuisse. An ergo Messias, longe Davide major, non poterit pariter Rex esse & Propheta? Et cur Messias prædictus fuit *Sacerdos secundum ordinem Melchisedec* futurus, *Psal.* CX. nisi ad indicandum eum simul Regem & Sacerdotem esse oportuisse, quemadmodum olim Melchisedec, qui Messiæ typum gessit, simul *fuit rex Salem & Sacerdos Dei altissimi*? *Genes.* XIV. Verum quidem est Sacerdotium & Regnum lege Mosis à se invicem separata fuisse, adeo ut non licuerit Regibus Israëlitarum ea, quæ muneris erant Sacerdotalis, peragere, & Saul atque Hosias graviter à Deo puniti fuerint quod terminos istos transgressi essent. Sed tamen non diu ante Jesu Christi adventum, Hasamonæi inter Judæos, qui erant ex tribu & familia Sacerdotali oriundi, non dubitarunt Regnum usurpare, & simul tum Sacerdotum tum Regum partibus defungi. Itaque mirum illis videri non debet si in tam excellenti Rege, qualis promissus fuit Messias, iterum Sacerdotium cum Regno, per extraordinariam Dei dispensationem, simul conjuncta fuisse dicamus.

VI. Sed hac disputatione omissa de conjunctione Sacerdotii & Prophetiæ cum Regia dignitate in persona Messiæ: cum Regem fore ex plurimis Veteris Testamenti locis constat. Huc *primum* pertinet istud ex *Psal.* II. *Et ego constitui Regem meum super Sion montem sanctitatis meæ.* Quod quamvis sensu literali in Davidem quadret, tamen mystice ad Messiam referri debere, probant magnifica illa super humanam sortem Regi isti attributa, non tantum quod *possessurus esset terræ fines* (quod repetitur *Psal.* LXXII. 8. & 9. neque Davidi neque ulli unquam Regi mundano competiit) sed etiam *beatos esse omnes qui confidunt in eo*, quod de mero homine dici nequit, cum *maledictus sit qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*, *Jerem.* XVII. 5. *Secundo.* Habemus insignem istam prophetiam, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Davidi Germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra, &c. Jerem.* XXIII. 5, 6. quam respicere ad Messiam fatentur Judæi, & ex re ipsa apparet. Agitur enim hic de suscitando Judæis rege ex semine Davidis, post liberationem eorum ex captivitate Babylonica.

Nullum autem talem habuerunt nisi Messiam nostrum, quem agnoscere noluerunt, quod ad ipsos cum pompa & splendore regio non veniret. *Tertio.* Deus de illis temporibus loquens, dicit, *Et servus meus David Rex super eos, & Pastor erit unus omnium eorum*, *&c.* *Ezech.* XXXVII. 24. *& seqq.* Ubi Messiæ nomen Davidis tribuitur, quod filius & hæres ejus esset futurus, qui non dominaretur tantum super unam aut alteram tribum, sicut divulso regno, omnes ejus successores à Salomone, sed in totum Israëlem, seu potius in universum terrarum orbem, ut prophetia *Psalmi* II. in ipso perfecte secundum literam impleretur. Longe etiam Messiam cæteros reges excellentia superaturum ostendunt non tantum superiora testimonia, quæ de amplitudine Regni ejus loquuntur; sed etiam patet ex eo quod illis omnibus sit imperaturus. *Primogenitum ponam illum, & excelsum præ Regibus terræ*, inquit ipse Deus *Psal.* LXXXIX. 28. *Et adorabunt eum omnes Reges, omnes Gentes servient ei*, *Psal.* LXXII. 11. Unde illis præcipitur, *Et nunc reges & judices terræ osculamini filium*, *Psal.* II. 10. Item inde probatur quod Regnum ejus futurum sit æternum, cum cætera omnia imperia angustis temporum spatiis includantur: *Permanebit cum Sole & dum fuerit Luna in generatione generationum*, *Psal.* LXXII. 5. *Ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli*, *Psal.* LXXXIX. 30. Item, *Potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur*, *Dan.* VII. 14. & II. 44. Quibus Judæi significari putant Messiæ posteros, qui alius post alium in ipsius solio sedebunt, in æternum regnaturos; adeo ut Regnum à Messia erectum nunquam abolendum, aut ad alios transiturum sit, sed perpetuo in ejus familia mansurum. In quo, quam graviter fallantur, discimus ex Scriptis Novi Fœderis, quæ D. Jesum regnum vere æternum, solum & absque successoribus habere testantur.

VII. Hæc autem omnia impleta esse in Domino Jesu Christo discimus ex Scriptis Apostolorum, quorum testimonia in progressu hujus tractationis nobis erunt afferenda. Sed de qualitate regni Messiæ gravior est controversia. Non tantum enim Judæi illud terrenum futurum credunt, quale fuit olim Davidis & Salomonis; sed etiam multi Christiani, opinione non multum dissimili fascinati comperiuntur; & utrisque ad tanto majorem Messiæ laudem & communem nostram consolationem occurrere necesse est. Dicimus igitur, ex iis quæ prædicta sunt in scriptis Prophetarum, constare posse sedulo attendenti Messiam fore Regem cœlestem non terrenum. Quamvis enim Regnum ejus describatur formulis loquendi quæ in hujus mundi regna etiam suo quadrant modo; tamen longe sublimiora ei quoque attribuuntur, & quæ aliorum omnium regnorum conditionem exsuperant; unde intelligentibus non difficile est colligere Messiæ regnum dissimilis cæteris debuisse esse naturæ. Habemus hic promissionem factam Abrahamo, *in semine ejus omnes terræ nationes benedictum iri*, *Gen.* XXII. 18. quam ad Christum respexisse docet Paulus *Gal.* III. 8. Non possent autem in Messia ex Abrahami semine prodituro benedici omnes gentes benedictione aliqua terrena. Fac enim ipsas sponte se ei subjicere paratas, ut benedictionum promissarum essent participes, impedirentur à Regibus & Principibus suis, imperium in eas retinere quoquo modo cupientibus; & inde orirentur bella, id est omnis generis miseriæ, loco expectatæ felicitatis. Benedictiones ergo istas in Messia præcipuo & præstantissimo Abrahami semine omnibus gentibus terræ promissas, oportet alius plane generis esse, quam illæ quæ ex felici regimine principis alicujus terreni ad subditos ejus redire solent. Sed istud nunc nolo urgere, quia in controversiam vocatur à Judæis, & alia nobis suppetunt argumenta clariora.

VIII. Id majoris momenti procul dubio videbitur Judæis, quod Reges & Principes terræ, sceptra & coronas suas Messiæ imperio ultro, non victi nec coacti, subjecturi prædicuntur; non solum absque ulla potestatis suæ diminutione, sed etiam magna sua cum gloria & emolumento. Quod est indicio regna ipsorum & Messiæ toto cœlo à se invicem distare. Nullus enim Rex unquam gloriabitur in eo quod alterius, etiamsi justissimi & sapientissimi, imperio sit subjectus. Regina quidem Sabæ & alii principes qui temporibus Salomonis vixerunt, admirati sapientiam divinam qua præditus erat, inviserunt eum, munera obtulerunt & magno honore prosecuti sunt; sed tamen nullus eorum regno suo renunciasse & ei se subjecisse legitur. Cum igitur ex Prophetarum oraculis pateat istud sub regno Messiæ eventurum, firmum est omnino argumentum nostrum. Vide in hanc rem *Psal.* LXXII. qui sensu quidem literali in laudem Salomonis decantatus est; sed ita ut plurima, quemadmodum supra monui, contineat sublimiora quam ut in eum quadrare possint, & nulli proprie nisi unico Regi Messiæ conveniant. Qualia sunt, quod Regnum ejus nullum sit finem habiturum, & omnes Reges & populi terræ ei subjiciendi, & in ipso benedicendi, eumque continuo laudaturi & magnificaturi. Vide etiam *Esa.* XLIX. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ, &c. Reges videbunt & consurgent principes & adorabunt propter Dominum. Et cap.* LX. 3. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui, &c. Et Aggæi* II. 8. *Veniet desideratus cunctis gentibus, &c.* nempe quia illarum bono venturus, quod de gentium domitore, quantumvis alias laudato, dici absurdum est. Ubi etiam notandum, Messiam vocari *desiderium omnibus gentibus*, non tantum iis quæ ipsius tempore vixerunt, sed etiam quæ longe antecesserunt, & se ipsum nunquam oculis

corporeis visuras sciebant; ut Abrahamo, cui prædictum posteritatem ejus per 400 annos servituram & graviter afflictum iri. Quod sane non erat materia gaudii, sed potius magnæ tristitiæ, nisi in Messia spectassent sublimius aliquid, & quod ad se etiam, licet tempore remotos, pertineret. Cum quibus confer id, quod Reges ad Christum conversi, ut Constantinus & alii, felicitatem suam in ista subjectione collocaverunt.

IX. 2. Huc accedit quod Judæi, quibus promissus fuit Messias, eum rejecturi prædicuntur, magno suo damno qui tam æquum Regem respuant: sed nullo ipsius Messiæ, qui ultroneos tantum subditos habere vult, & rebelles pro arbitrio suo punire potest, vide *Esa.* LIII. & LXV. & pluribus aliis locis. Quod quam alienum sit à regnorum hujus mundi indole, omnes vident; ubi nullum majus infortunium alicui Regi contingere potest, quam si subditi ejus imperio parere detrectent. Etsi enim jus suum ad regnum & in subditos rebelles retineat, desinit tamen actu esse Rex eorum qui parere ipsi nolunt: quod generosis Regibus & magnanimis, morte ipsa acerbius esse solet. Sed Messias spiritualis Rex, qui nulla beneficia à suis subditis accipit, contra, omnia quæ habent bona ipsis confert, nihil per ipsorum rebellionem amittit; ipsi vero multum, utpote qui præter privationem gratiarum ipsius, ab eo sunt *virga ferrea, tanquam vasa figulina, confringendi*, *Psal.* II. 9.

X. 3. Id ipsum non parum confirmat, quod de Messiæ statu apud Prophetam legimus, *Exulta filia Sion, Rex tuus venit ad te, justus, humilis*, (vel עני *afflictus, humilis, pauper*) *insidens pullo asini, &c. Zachar.* IX. quod plane alienum est à pompa Regum terrenorum. Sed maxime ad hanc rem faciunt, passiones & mors Christi ventura, ut prædicitur *Esa.* LIII. & *Dan.* IX. unde tamen sit emersurus, & postea semen longævum visurus, nempe spirituale credentium in ipsum. Nullum enim aliud semen illic potest intelligi. Ista autem indicia sunt regni spiritualis, cui passiones & mors impedimento esse nequeunt, sed contra sunt futura instar graduum per quos in solium suum cœleste conscendat. Quæ causa est, ut Judæi has prophetias, quæ tam manifeste eorum opinionem evertunt, alio detorquere conentur. Sed nos alias, quantum in eo hallucinentur, sufficienter demonstravimus.

XI. 4. Denique, Regnum Messiæ fuit adumbratum regnis Davidis & Salomonis, quæ felicissima fuerunt inter Israëlitas; ideoque Messias Davidis nomine vocatur *Ezech.* XXXVII. 24. & *seqq.* Et ea quæ Deus prædicit Davidi per Nathanem Prophetam de filio ejus Salomone 2 *Sam.* VII. 12. & *seqq.* pleraque multo melius & perfectius Messiæ, quem repræsentabat, quam ipsi conveniunt: ut, quod Deus stabiliturus sit thronum regni ejus in æternum; quod futurus ei sit in patrem, & pro filio illum agniturus. Solent autem in Scripturis res terrenæ, & corporales figuræ esse cœlestium & spiritualium; ac proinde tale oportuit esse Regnum Messiæ, quod typis istis fuit repræsentatum.

XII. Hinc colligimus, nihil obstare debere, quominus D. Jesus pro vero Messia agnoscatur, etiamsi cum regum mundanorum pompa non venerit. Fuit enim secundum prophetias recte intellectas, Rex spiritualis & cœlestis non terrenus. Quod significabat in principio ministerii sui dicens, *Resipiscite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, *Matth.* IV. Et duorum è suis discipulis redarguens ambitionem, qui primas in ipsius regno dignitates affectabant, iis exemplum suum proponit, dicens, *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare & dare animam suam redemptionem pro multis*, *Matth.* XX. 28. Quod à Regum hujus sæculi more alienum esse omnes vident, qui magno servorum satellitio stipati incedunt. Et cum aliquis ei diceret, *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem*, respondit, *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos? Luc.* XII. 13, 14. Ostendens, se ne minimum quidem potestatis temporalis sibi velle arrogare. Et comparens coram Pontio Pilato, *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis. Nunc autem regnum meum non est hinc*, *Joan.* XVIII. 36. Quæ verba tam aperta sunt, ut non possint esse magis.

XIII. Objicitur tamen in contrarium, *primo*, Ubicunque Scriptura Veteris Testamenti de Messia & ejus regno agit, eum nobis describere tanquam Regem, reliquis hujus terræ similem, licet præstantissimum, & inter eos eminentem, ut in duobus supra allegatis locis 2 *Sam.* VII. & *Ezech.* XXXVII. aliisque similibus videre est. Sed respondeo, id fieri, quia spiritualia & cœlestia capere non possumus, nisi sub typis corporalium & terrestrium nobis adumbrentur. Ita Dei amor erga fideles sub figura conjugii repræsentatur, & amoris quo vir uxorem suam prosequitur, *Ezech.* XVI. & alibi sæpe. Et cœleste gaudium in vita æterna, instar convivii alicujus opipari describitur, *Matth.* VIII. 11. & XXII. 2. Sub cortice tamen bonorum istiusmodi corporalium, illi qui oculos habent non difficile animadvertere possunt, multo præstantiora latere, cum de typis nonnulla dicantur, quæ, si literæ adhæreas, nullo modo in eos quadrent. Fac tamen Deum promisisse Regem terrenum Israëlitis, ille cumulate promissis suis satisfecerit, si cœlestem dederit, qui longe terrenum præstantia excedat, & subditos suos in æternum beare queat; quod frustra ab hujus sæculi principibus exspectaretur. Nec Judæi causam habent rejiciendi ejusmodi interpretationem, quæ autores habet Apostolos eodem Spiritu donatos quo Prophetæ afflati sunt locuti, & veram illius

illius mentem tenuerunt. Sicut cum Deus benedictiones corporales & terrenas promisit piis sub Veteri Fœdere, quarum aliqui, etsi pietate insignes, non fuerunt participes, nihil eis decessisse putamus, si spirituales & cœlestes illarum loco obtineant; præsertim cum promissa talibus verbis sunt expressa, quæ in hunc sensum facile trahi possunt.

XIV. Angelus Jesu Christi nativitatem Mariæ Virgini annuncians, dicebat, *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum*, *Luc.* I. 32, 33. Unde concludunt *secundo*, Sicut David fuit rex terrenus, ita Christus, ejus filius & hæres, esse debuit. Sed consequentia est infirma. Christus enim fuit hæres regni Davidici, quia sicut olim David regnavit super Israëlitas Dei populum, ita Christus super Israëlem spiritualem, verum Dei populum, regnat undecunque sit oriundus, sive ex Abrahamo, sive ex aliis. Quæ responsio Christianis debet satisfacere, qui norunt ex scriptis Apostolorum, *non omnes qui ex Israële* (supple, prognati sunt) *esse Israëlitas*, *Rom.* IX. 6, 7, 8. & solos fideles esse *Israëlem Dei*, *Gal.* VI. 16. De regno autem terreno id non debere intelligi, arguit id quod dicit, *ipsum regnaturum in æternum*, *& regni ejus non fore finem*. Istud enim nulli regno terreno convenit; quæ successive ab uno ad alium transire solent, imo evertuntur aut dividuntur; & in eorum, qui nullum in illa jus habent, manus deveniunt.

XV. *Tertio*. Cum discipuli paulo ante ascensionem Christi dicerent ei, *Domine, num in tempore hoc restitues regnum Israël?* Respondit eis, *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, &c.* *Act.* I. 6, 7. Ubi volunt observari, eum non dicere, Fallimini, ejusmodi restitutionem regni Israëlitici exspectantes; quod tamen oportuerat ipsos moneri, si nunquam super Israëlitas more aliorum regum regnaturus esset. Respondeo, Christus proposuerat revera Israëli regnum restituere, sed non quale putabant tunc Apostoli, verum spirituale & cœleste, revocando populum hunc ab incredulitate ad cognitionem suam, ut in medio ejus per Euangelium suum dominaretur. Quod Paulus prædicit futurum *Rom.* XI. 25. *& seqq.* & nos infra examinaturi sumus. Sed quia propter præjudicia, quibus obnubilatam mentem habebant, nondum poterant capere hoc mysterium, contentus refrænare eorum curiositatem, ratione temporis quo id debebat contingere, & nihil ipsorum intererat scire, addit, *Sed accipietis virtutem supervenientis in vos Spiritus S. &c.* quasi diceret; cœlestis iste doctor, quem ad vos missurus sum, instituet vos de eo quod nunc à me quæritis, qualis nempe sit futura illa regni Israëlitici restitutio quam expectatis; licet quod ad tempus, id sit arcanum quod nondum Patri meo videtur consultum vobis revelare, quia absque eo demandatum munus sufficienter obire potestis. Alii vero existimant regnum Israëli tunc fuisse à Christo restitutum, cum Ecclesia Christi, quæ est Israël secundum spiritum, cœpit à regibus & principibus Christianis administrari: qualis fuit 300 post annis Constantinus Magnus & sequentes Imperatores. Sed nos priorem interpretationem præferimus. Quamvis enim per istos Principes Ecclesia requieverit à persecutionibus, tamen ambitio, avaritia & tot alia mala in eam ingressa sunt, ut non vere possit dici ita Israëli restitutum regnum.

XVI. Constat ergo regnum Christi non esse terrenum & corporale, sed spirituale & cœleste. Unde satisfieri potest difficultati quam movent nonnulli semi-Christiani, spiritu Judaico potius quam Christi imbuti, utrum nimirum Christus nunc regnet in cœlis, an vero ejus regnum tum demum debeat initium capere, cum omnes populi adducti fuerint ad cognitionem veri Dei per Euangelium, & Antichristus, qui in templo Dei sedet Ecclesiam ejus tyrannide sua premens, fuerit abolitus. Nam quia non regnat corporaliter & visibiliter, more regum hujus sæculi, putant eum nondum regnare, sed quiescere, & expectare otiosum donec Pater subjecerit omnes inimicos sub pedibus ejus: quod in eorum mentem non venisset, si ea, quæ modo de regni Christi natura diximus, bene intelligerent. Ad eos ergo tanto validius convincendos erroris, pauca addemus. I. Cum Scriptura Novi Fœderis de regno Christi agit, non proponit illud tanquam olim demum inchoandum, sed statim ab ejus in cœlum ingressu. Huc pertinent hæc Christi verba, *Amen dico vobis, sunt quidam de iis qui hic stant, qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo*, *Matth.* XVI. 28. Quæ probabiliter accipiuntur de judicio à Christo aliquanto post exercendo in Judæos incredulos, cum destructa est Hierosolyma & templum, quadraginta ab ascensione Christi in cœlum annis. Tunc enim vere ostendit illis se regnare, cum tam graves pœnas de illorum sceleribus sumsit; licet jam dudum antea in regni sui possessionem ingressus esset. Saltem circa illa tempora impletum fuisse oportuit. Nam eum non respexisse ad illud tempus quod instabat, & paucis post mensibus accidit, indicat hæc tam gravis asseveratio, *Amen dico vobis, sunt quidam de iis qui hic stant qui non gustabunt mortem, &c.* quæ rem quidem esse certam & infallibilem docet; sed ita tamen, ut distantia temporis intercessuri, eam creditu difficiliorem redderet, nisi tali testimonio à Christo fuisset confirmata.

XVII. 2. Christus paulo antequam in cœlum ascenderet dicebat discipulis, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, *Matth.* XXVIII. 18. Ista autem potestate regnum ejus intelligitur, in cujus possessionem ingrediebatur ascendens in cœlum. Ne quis autem excipiat Jesum ita loqui,

loqui, quia ista potestas sibi esset à Patre decreta, & certissime olim danda, sicut Prophetæ de rebus, quæ post aliquot sæcula futuræ sunt, interdum loquuntur ut de præsentibus vel jam præteritis, propter certitudinem eventus & consilii divini immutabilitatem; animadvertendum est eum potestati sibi datæ superstruere mandatum quod dat Apostolis, ubique prædicandi Euangelium; *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*: quasi diceret, Quia tanta potestate donatus sum, hortamini omnes ut se ei subjiciant & mandata mea servent. Quod absurdum foret, si non statim ab ascensione sua in cœlum illam accepisset. Nam suffecisset Apostolos tum demum mittere ad istud prædicandum, cum jam re ipsa & actu in omnes regnaret. Nemo enim tenetur se alicui subjicere propter imperium, quod aliquando est habiturus, si nullum adhuc habeat. Et ad omne subterfugium excludendum subjungit, *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; id est, ego vobis adero Spiritus mei ope, & contra adversarios omnes protegam, cum demandato vobis munere defungemini. Quod non potuisset præstare, si non statim ab Ascensione sua regnum obtinuisset.

XVIII. 3. Effusio Spiritus S. in Apostolos, irrefragabiliter probat id ipsum. Cum enim Spiritus S. sit ipsa Dei virtus, apparet inde nihil esse quod Christus in potestate sua non habeat, cum de illo pro arbitrio suo statuere possit. Quare cum de ista Spiritus S. effusione apud Judæos concionatus fuisset Petrus, & ostendisset inde profectum donum illud tot peregrinarum linguarum, quibus ipse & reliqui Apostoli magnifica Dei facta celebrabant, orationem suam sic concludit, *Certo sciat ergo tota domus Israël, hunc esse factum à Deo Dominum & Christum*, id est, ex eo concludat infallibiliter Jesum esse regem constitutum, cum ejus regni effecta in oculos omnium vestrum incurrant.

XIX. 4. Tam firma habemus in libro Apocalypseos testimonia regni Christi præsentis, ut qui illud nolunt agnoscere, non habeant aliud effugium, nisi ut dicant librum istum non esse Canonicum. Nam in initio ibi dicitur *Jesum misisse per Angelum suum Joanni revelationem quam à Deo acceperat de rebus quæ cito fieri oportebat.* Deinde *ipsum ambulare in medio septem candelabrorum aureorum*, per quæ significabantur septem Ecclesiæ Asiæ; *& habere in dextra sua stellas septem, quæ essent Angeli septem illarum Ecclesiarum.* His enim verbis significatur cura quam Christus gerebat tam istarum Ecclesiarum, quam Pastorum qui illis præsidebant. Non potest autem istud ad futurum olim tempus referri, cum agatur de statu earum, qualis erat vivente Joanne, & istæ Ecclesiæ hodie non sint amplius, maximaque sui parte à Christiana religione ad Mahumetismum defecerint. Denique Christus in singulis Epistolis, quas jubet Joannem nomine suo scribere ad illas Asiæ Ecclesias, sibi tribuit quod noverit opera earum tam bona quam mala; monet eas officii sui, consolatur in adversis, hortatur ad pœnitentiam & patientiam. Quæ omnia præsentem ejus efficacemque potestatem arguunt, nullaque cum specie de olim futura intelligi queunt. Quod vero hujus libri auctoritatem rejicere audent, desperatæ est causæ indicium; cum nullam ejus rei aliam causam prætexere queant, nisi quod ibi nimis aperte sententia, quam mordicus defendendam susceperunt, refutetur. Nec opus est aliis eam argumentis astruere præter illa quæ supra attulimus, cum de auctoritate singulorum Novi Testamenti librorum disputaremus.

XX. 5. Ne præcipuum causæ nostræ firmamentum collocare videamur in libro suspectæ fidei, adjungemus adhuc aliquot loca ex scriptis, de quibus nunquam fuit in Ecclesia dubitatum, petita. Tale est istud ex *cap. 1. ad Ephes. Deus constituit illum ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro; & omnia subjecit pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, &c.* Quod jam impletum esse docent omnes circumstantiæ. Paulus enim non tantum usurpat voces præteriti temporis; sed etiam oppositionem facit inter præsens sæculum, quo Christus tanta gloria fruitur, & futurum illud quod expectamus; & subjicit hæc immediate suscitationi ejus è mortuis & collocationi in cœlo; idque ad fidem nostram in ipsum fulciendam; quod frustra foret si nondum regnaret. Ecclesia enim nullum adhuc caput haberet, à quo auxilium & opem in angustiis suis expectare posset. Cui adde aliud ex 1 Cor. XV. *Oportet illum* (Christum) *regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors; omnia enim subjecit sub pedibus ejus.* Ubi Apostolus docet regnum Christi toto hoc sæculo duraturum, donec ultimus fidelium hostis, nempe mors, aboleatur, quod fiet cum eos suscitatos ex mortuis immortalitate gloriosa donabit. Nec alia est mens Petri *Act.* V. ubi de Christo dicit, *Hunc principem & salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israëli & remissionem peccatorum.* Frustra enim & ridicule hortaretur Israëlitas ad pœnitentiam & fidem in Christum, sub spe obtinendæ ab ipso peccatorum suorum veniæ, si Christus nulla adhuc potestate eam dandi polleret.

XXI. 6. Huc quoque pertinent omnia illa vota in principio Epistolarum *Pauli*, *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo.* Non enim conveniret optare à Christo gratiam & pacem, id est omnis generis benedictiones, si eas largiri nequiret. Excipiunt quidam, nihil hic optari à Christo, sed tantum *à Deo Patre, Jesu Christi Domino*; quia in plerisque

Epistolis

Epistolis legitur ἀπὸ τοῦ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Sed effugium hoc locum non habet in Epistola ad Galatas, ubi est alius ordo vocum, nempe ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς καὶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, quod talem sensum non admittit; ne jam dicam insolitum esse Sacris Scriptoribus dicere ordine inverso, *Deum esse Patrem nostrum & Domini nostri Jesu Christi*; cum Deus ideo sit Pater noster, quia nos in Jesu Christo primogenito suo adoptavit in filios. Nec parvum pondus est in his Christi verbis ad discipulos, *Quicquid petieritis*, Et, *Si quid petieritis in nomine meo, ego id faciam*, *Joan.* XIV. 13, 14. Non enim preces suorum exaudiret, & quæ petunt largiretur, si nullum imperium haberet. Unde apparet istud, *si quid petieritis in nomine meo*, de precibus ad eum immediate directis accipiendum esse, quasi dixisset, Si quid petieritis à me, potestati & promissioni meæ confisi. Alias non est dubium quin preces nostras etiam ad Deum Patrem in nomine Jesu Christi dirigere possimus, imo & debeamus, ut docemur *Joan.* XV. 16. & XVI. 23. Sed de talibus precibus hoc loco non agitur. Ideo etiam Stephanus moriens non dubitavit eum invocare, dicens, *Domine Jesu suscipe spiritum meum*, *Act.* VII. 59. Ubi ridiculum est effugium eorum, qui vocem *Jesu* volunt esse genitivi casus; quasi Stephanus preces suas non direxisset ad ipsum Jesum, sed ad Deum Patrem, qui est Jesu Dominus. Nam præterquam quod Jesus Christus perpetuo in Scriptis Novi Testamenti, nomine *Domini*, ad distinctionem Dei Patris, insignitur, non patitur etiam usus linguæ Græcæ ut in phrasi ista κύριε Ἰησοῦ, postrema vox Ἰησοῦ sit genitivi casus; oportuisset enim illi articulum præfigere & dicere τοῦ Ἰησοῦ ad distinguendum personam Jesu à Deo Patre; alias nemo est istius linguæ peritus, qui possit eam aliter quam in vocativo totam accipere.

XXII. 7. Denique Jesum nunc regnare gloriose in cœlis, inde colligere est, quod ante mortem cum in terris versaretur jam regnare inceperat, cum auctoritatem exerceret in morbos, mortem, ventos, mare, dæmones & alias creaturas. Absurdum enim esset existimare eum potestate, quam habebat in statu humilitatis, privatum fuisse post ascensionem in cœlos, cum sedet in solio Patris ad dextram ejus.

XXIII. Sed objiciunt nonnulli, Apostolum ad *Hebr. cap.* II. 8. dicere, *Nunc autem nondum videmus omnia subjecta ei*; & id significari phrasi, *sedere ad dextram Dei*, quæ idem sit quod requiescere; ut apparet ex eo quod usurpata primo sit de Davide *Psal.* CX. cum subditi in ejus laudem decantarunt, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Id autem factum esse postquam valde periclitatus est in prælio, ne interficeretur à gigante Jesbi-benob & ea occasione jurasse viros Davidis, dicentes, *Jam non egrederis nobiscum in bellum, ne exstinguas lucernam Israelis*; 2 *Sam.* XXI. 15. & *seqq.* Respondeo. Nos non diffiteri Psalmum istum, si sensum literalem spectes, posse Davidi applicari, qui fuit Jesu Christi typus. Sed quod de occasione dicitur, qua fuerit compositus, mera est hariolatio, quæ non debet substerni pro fundamento doctrinæ alicujus momentosæ, aut facere ut alio modo exponamus phrasim, *sedere ad dextram Dei*, quam alibi perpetuo in Scriptura accipi videmus. Et quamvis omnia, quæ in Dominum Jesum quadrant, Davidi applicari non debeant, longeque excellentiori ratione Jesus sedeat ad dextram Dei, quam unquam David; certum tamen est Deum non aliter Davidi subjecisse inimicos & posuisse pro scabello pedum ejus, quam opem ei ferendo in præliis, qua eos domaret; non cum quiesceret & in otio viveret: per consequens, non est inde concludendum Deum Patrem quiescenti Jesu Christo & nihil agenti hostes subjecturum, & eum nunc vere ad Dei dextram sessurum; cum ex testimoniis supra allatis pateat eum dominari in medio inimicorum suorum, quos etiam tandem aliquando omnes virga ferrea potentiæ suæ contriturus est. Nec quicquam in contrarium facit ille locus ex *Hebr.* II. *Nondum videmus omnia ei subjecta.* Etsi enim Christus donatus sit virtute & potentia, qua omnia possit sibi subjicere, id tamen non facit simul & semel, sed paulatim, quamdiu durabit totum hoc seculum, quo magna patientia expectat inimicorum conversionem, & differt pœnas quas meruerunt, donec mortem ultimum inimicum aboleat, & diabolum una cum omnibus impiis in stagnum ardens ignis & sulphuris conjiciat. Etiamsi ergo non videamus Christo omnia subjecta esse ante illud tempus; quia supersunt adhuc multi ipsius inimici, per quos suorum fidem & constantiam & fortitudinem exercere ei visum est, id tamen non impedit quominus jam actu regnet; non magis certe quam Deus ipse Pater, quem nemo dubitat nunc imperium in omnia obtinere, quamvis multi sint impii & rebelles qui ejus mandatis parere nolunt.

CAPUT XXII.

De Regni Christi Subditis, Functionibus, & Duratione.

I. Christi potestatem tam late patere quam cœlum & terra. II. Mundum futurum ei subjectum esse. III. Missionem Spiritus S. arguere cœlestem Christi potestatem. IV. Eum in bonos Angelos regnare, V. Et in malos. VI. Omnes omnino mortales ei subjectos esse, fideles & infideles, principes & subditos, vivos & mortuos. VII. Christum è cœlo in terris omnia gubernare. VIII. Vocando, leges ferendo, spiritu suo adjuvando, & judicando. IX. Quo sensu Christi regnum æternum vocetur.

I. HIs ita de regni Christi natura & præsenti ejus imperio, quantum sufficit disputatis, dispiciendum nunc nobis est in quos, & quomodo illud imperium exerceat, & quamdiu sit duraturum.

rum. Subditos igitur Christi quod attinet: cum ad imperii alicujus præstantiam multum faciat si late extendatur, & plurimos populos ac provincias ambitu suo complectatur; hinc videre licet quam excellens sit Christi regnum, si consideremus loca in quibus regnat, & personas ac res quibus imperat. Nam quod ad loca attinet, tam late patet ejus imperium quam hoc universum. *Omnis potestas*, inquit, *mihi data est in cælo & in terra*, *Matth.* XXVIII. per *cælum* enim & *terram*, præcipuas universi partes, totus mundus & quæcunque eo continentur, solet in Scripturis intelligi; ut cum Deus dicitur *Creator cæli & terræ*. Et quantum ad res & personas locis istis contentas, ex Dei voluntate ac decreto, *in nomine Jesu omne se genu debet flectere*, *cælestium*, *terrestrium & infernorum* seu *subterraneorum*, *καταχθονίων*, *Philipp.* II. Ubi per vocem *καταχθονίων* intelligi possunt creaturæ quæ in mari sunt, ut *Apoc.* V. 13 cum mare secundum motum aquæ naturalem inferiores terræ partes occupet. Sed ut hæc melius intelligantur sigillatim nobis sunt consideranda.

II. Incipiendo ergo à cœlis digniore mundi parte, in iis Christum regnare inde discimus 1. quod illuc profectus sit ut pararet suis locum, ubi una secum beati in æternum vivant, *Joan.* XIV 2, 3. & XVII. 24. Quod de supremo cœlo, in quo Deus una cum beatis Angelis gloriose habitat, accipiendum esse omnes facile animadvertunt. Eodemque pertinet id quod legimus *Hebr.* II. 5. *Non enim Angelis subjecit mundum illum futurum, de quo loquimur.* Ubi contextus orationis ostendit suppleri debere, *Sed soli Christo.* Cœlum autem beatorum vocatur *mundus futurus* respectu fidelium qui olim in ipsum sunt recipiendi. Alias quod ad Christum attinet, ab eo tempore quo illuc ascendit factum est ei præsens, ut etiam Angelis qui ipsum statim à sua creatione incoluerunt. Hæc autem verba, *de quo loquimur*, respiciunt ad ea quæ paulo ante *cap.* I. dixerat Apostolus, *Et cum introducit* (Deus) *primogenitum in mundum, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quæ proinde ad tempus ascensionis Christi sunt referenda, quoad omnium Dominus, domicilium suum in cœlo, tanquam regia, habere cœpit. Unde etiam Petrus dicit 1 *Epist.* III. 22. *Profectus in cælum, subjectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus.* Si autem in cœlo isto supremo Christus dominatur, non est dubitandum quin inferiores quoque imperium ejus agnoscant. Et cum ad preces Josuæ sol & luna per integrum diem cursum suum stiterint; & ad preces Eliæ cœlum per tres annos cum dimidio fuerit clausum ut non daret pluviam, & inde ceciderit ignis ad occidendos Ochosiæ milites; sane minorem in illos potestatem non habebit Christus, qui etiam, dum in terris adhuc degeret, imperavit ventis & mari, & motus eorum sedavit, eamque exeret si Ecclesiæ salus & incolumitas id requirere videatur. Quod etiam inde probatur, quod ipse aliquando *cælos ut vetus vestimentum involvet, & mutabuntur*, *Hebr.* I. Sive enim hic cœlorum abolitio, sive innovatio & in meliorem statum restitutio intelligenda sit, magnam in eos Christi esse potentiam inde apparet.

III. 2. Id ipsum arguit missio Spiritus S. de cœlo; cum enim is sit efficax & omnia penetrans Dei virtus, nihil erit illic quod Christo non cedat, qui talem potestatem ad nutum suum habet, eaque pro arbitrio, quandocunque vult, utitur. Hanc autem unam esse ex præcipuis regni ejus prærogativis, inde discimus, quod cum dixisset, *fore ut flumina aquæ vivæ fluerent ex ventre ejus qui in se credidisset*, *Joan.* VII. 38. Euangelista id interpretetur *de Spiritu S. quem accepturi erant credentes in ipsum*; dicatque *tum nondum fuisse Spiritum, quia Jesus nondum erat glorificatus*, utpote quia tam præstans donum debebat de regno Christi glorioso testimonium perhibere.

IV. 3. Christum etiam in Angelos regnare apparet ex modo citatis locis *Philipp.* II. *Hebr.* I. & 1 *Petr.* III. Cui adde *Ephes.* I. 20, 21. ubi per *Principatum*, & *Potestatem*, & *Virtutem*, & *Dominationem*, supra quas Christus fuit collocatus, vulgo intelliguntur Angeli; ita appellati propter insignem potentiam qua eos donavit Deus. Eo quoque refertur à nonnullis id quod legimus *Col.* I. 16, 17. *In ipso* (Christo) *condita sunt omnia, quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum & in ipso condita sunt, & ipse est ante omnes & omnia in ipso consistunt.* Quamvis enim controversum sit, utrum iste locus de veteri, an vero de nova creatione sit accipiendus, certum est tamen in eo de Christo agi, & ejus imperio Angelos magnificis his titulis descriptos, subjici ab Apostolo. Causa autem, cur Angelos regno Christi subditos esse oporteat, hæc est, ut prompte fideles suum auxilium implorantes illorum ministerio adjuvare possit. *Sunt enim omnes administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem accipient salutis*, *Hebr.* I. Et ad magnificentiam regni ejus facit, quod tales servos habeat, qui semper parati sint ipsius jussa exsequi: quemadmodum etiam Deus Pater illis utitur, licet eorum ministerio posset carere, & omnia per se immediate administrare. Quando vero & quibus in rebus illos adhibeat, non est hujus loci pluribus persequi, & de eo jam antea, cum de officiis Angelorum ageremus, nonnulla diximus. In genere tantum hoc sciendum est, cum diabolus sit infensissimus Ecclesiæ Christi & singulorum fidelium hostis, qui circuit ut leo rugiens quærens quem devoret, Dominum Jesum vicissim illi opponere suos Angelos, quorum opera conatus ejus reprimat, ut videre est *cap.* XII. *Apocal.* & alibi in hoc libro: non minus enim locum habet sub regno Christi quam olim, id quod dicitur

Psal.

Psal. XXXIV. *Angelus Domini castrametatur circa timentes eum, & eripit eos.* Et XCI. *Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis:* quorum exempla habemus *Act.* v. 19. & XII. 6. & *seqq.* & XXVII. 23. Utitur quoque iis ad judicia sua exercenda in impios, ut videre est passim in *eodem libro Apocalypseos:* Et licet non versentur visibiliter inter nos, ut olim circa prima Euangelii tempora, cum recens fides majoribus indigebat præsidiis; non dubium est tamen quin Christus eos etiam hodie adhibeat ad eosdem usus. Minorem enim suorum curam non gerit quam olim, & absurdum esset existimare tam præstantes ministros manere nunc otiosos.

V. Ex potestate, quam Christus habet in bonos Angelos, facile est colligere, malos seu dæmones, cum suo capite diabolo, illi etiam esse subditos; siquidem una ex præcipuis causis cur imperium ei sit à Patre datum hæc est, ut suos ab impurorum istorum spirituum vi & insidiis tutos conservet. Et cum jam olim in terris adhuc manens ejecerit eos, quantumvis reluctantes, ex corporibus quæ obsederant, multo magis nunc gloriose in cœlis regnans eos habet sibi obnoxios. Et huc referri solet quod Paulus *Philipp.* II. dicit *de subterraneis qui genua ei flectunt,* id est imperium ejus agnoscunt & se ei submittunt; licet (ut supra monui) non incommode possint intelligi maris incolæ, aut etiam mortui, qui aliquando virtutem Christi efficacem sensuri sunt, cum eos è pulvere, in quo jacent, suscitabit. Sed quicquid sit de hoc loco, (quem nolim in istum finem urgere) illi ubi Principatus, Potestates, Virtutes & Dominationes dicuntur Christo subjectæ, non solum bonos Angelos, sed etiam malos comprehendunt, qui magna virtute & potestate sunt præditi; quamvis enim de cœlo propter rebellionem suam in inferiores mundi partes sint detrusi, *& sub vinculis caliginis reserventur ad judicium magni illius diei,* 2 *Petr.* II. 4. *Jud.* v. 6. tamen non sunt exuti magna illa potentia quam acceperunt in creatione: unde Paulus *Ephes.* VI. 12. dicit fidelibus *esse luctandum adversus Principes & Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spirituales malitias in cælestibus,* id est in aëre degentibus, quemadmodum caput eorum *est Princeps potestatis aëris hujus,* *Ephes.* II. 2. Hi ergo omnes Christo sunt subjecti, *Nam expoliavit Principatus & Potestates, traduxitque confidenter palam triumphans de illis in semet ipso,* *Coloss.* II. 15. Et nihil omnino absque ejus permissione facere possunt, ut nequidem ingredi in porcos, *Matth.* VIII. imo etiam inviti aut aliud cogitantes gloriæ ejus & saluti fidelium coguntur inservire; ut videre est *Act.* XIII. v. 6. & *seqq.* XVI. 16. & *seqq.* XIX. 13. & *seqq.* Utitur enim iis interdum ad castigandos & humiliandos fideles; atque ita *datus est Paulo Angelus satanæ qui eum colaphizaret, ne magnitudine revelationum extolleretur,* 2 *Cor.* XII. 7. interdum adhibet eos ad puniendum improbos & rebelles Euangelio; in eumque finem armavit potestate Apostolos qua *ejusmodi homines traderent satanæ vexandos,* 1 *Cor.* v. 5. & 1 *Tim.* I. 20. Et *permittit ut Deus hujus sæculi,* id est diabolus, *excæcet mentes infidelium,* 2 *Cor.* IV. 4. *ut operetur in filios diffidentiæ,* *Ephes.* II. 2. Item in Antichristo, *cujus adventus est secundum operationem satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, &c.* 2 *Thess.* II. 9. Sed plenissime apparebit istud Christi imperium ultimo die, cum *diabolum & ejus Angelos in ignem æternum mittet,* *Matth.* XXV.

VI. Quod ad imperium Christi in terris, in eo considerandæ sunt, tum res, tum personæ ad quas extenditur. Et rerum quidem nomine comprehenduntur non solum terra & aquæ una cum vicino aëre, & omnes creaturæ quæ illic sunt; ut mineralia, metalla, plantæ, animalia bruta; sed etiam quæcunque iis contingere possunt aut solent, fertilitas, sterilitas, bona & adversa valetudo, mortalitas, pluviæ, venti & alia ejusmodi plura. In hæc autem Christus non videtur habere tale imperium ut ea ordinarie administret (quod est perpetuæ providentiæ divinæ, cui Pater non renunciavit cum omnem potestatem filio communicavit) sed solum, quatenus ea inserviunt gubernationi hominum & ad eos præmiis vel pœnis afficiendos; ad quod idcirco præcipue hic nobis est attendendum. Ecclesia sola est Christi peculium, quam sanguine suo redemit & sibi acquisivit. Sed quoniam scopus ejus est in Ecclesiam congregare omnes homines, quantum salva eorum libertate fieri potest, eo respectu omnes homines absque exceptione pertinent ad ejus imperium; primo & præcipue Fideles, qui ipsum pro Rege suo & Domino agnoscunt; deinde etiam Infideles; qui duorum sunt generum; alii enim simpliciter ejus voluntatem ignorant, qui in illa institui debent; alii vero se inimicos ejus & Ecclesiæ apertos ostendunt, qui reprimendi sunt. Atque ita nulli sunt in terris homines qui non aliquo modo ad Christi regnum pertineant. Reges enim & Principes, qui tanquam Dii super reliquos mortales dominantur, à Christi imperio non sunt exemti. Et alii quidem eorum se sponte ei subjiciunt, & gloriam suam in eo collocant quod ipsius legibus pareant. Tales sunt illi de quibus prædictum est *Psal.* LXXII. sub figura regni Salomonis, *Reges Tharsis & insulæ munera offerent; reges Arabum & Saba dona adducent.* & de quibus loquitur Esaias *cap.* XLIX. *Et erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ.* Qui enim nutricii & nutrices erunt Ecclesiæ Christianæ, de qua illic agitur, id facient ex amore Christi & obedientia, quam se ei debere agnoscent. Alii vero qui rebelles manebunt, magno suo damno experientur quantum sit peccatum tam eximio regi parere nolle, cum *reget eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringet eos,* *Psal.* II. Et tandem omnia regna & imperia Christo adversa abolebuntur, *Dan.* II. 44. Neque enim ideo

existimandum est Christum non regnare, quia hodie multi adhuc sunt Reges & populi in universo terrarum orbe qui eum non agnoscunt; cum potestatem habeat eos, quantumvis reluctantes, sibi subjicere & perdere. Sed ut benignitatem suam testetur, & quantum omnium salus sibi sit cordi, non prius id faciet, quam eos ad pœnitentiam & fidem per Euangelii prædicationem cohortatus sit. Quod docet ipse *Matth.* XXIV. v. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus*; id est ad convincendum eas incredulitatis, & juste pœnam meritas, si ei parere porro detrectent. Ideoque David *Psal.* II. postquam eis pœnas est comminatus addit, *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, &c. Osculamini filium ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Neque tantum vivi Christi imperio sunt subjecti, sed etiam mortui, quos aliquando suscitaturus est, & secundum opera ipsorum judicaturus. Quo respiciens Paulus, dicit, *In hoc Christus mortuus est & revixit, ut & mortuis & vivis dominetur*, *Rom.* XIV. 9. Ideoque *subterranei*, de quibus supra *ex Philipp.* II. *genua flectunt coram eo.* Et ita David Messiam, quem ex posteris suis oriturum videbat, spiritu Prophetico, *Dominum suum* vocat *Psal.* CX. quia ab ipso salute æterna erat donandus, quem nodum Pharisæi solvere non poterant, *Matth.* XXII.

VII. Quamvis autem Christus in terra & in omnes ejus incolas regnet, merito tamen diximus supra eum non esse regem terrenum. Neque enim aliorum regum terrenorum more, sed plane divino & cœlesti modo imperat. Illi regnant non solum in terra, sed etiam è terra in qua habitant; hic vero de cœlo, ubi ad finem usque sæculorum commoraturus est. Illorum potentia consistit in exercitibus, quibus continent subditos in officio, & hostibus terrorem incutiunt; hujus vero virtus est in spiritu divino, per quem in cordibus suorum habitat, & immorigeros & rebelles, ne quid voluntati suæ adversum moliantur, compescit. Imo omnis generis creaturas ad nutum habet quæ ejus judicia exsequantur. In summa Christus eodem plane modo ut Pater regnat, cujus est legatus in universo ipsius imperio. Unde ipse dicebat, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio; ut omnes filium honorent sicut honorant Patrem*, *Joan.* V. 23. Non quod Pater potestate gubernandi se exuerit; absit: sed quia id quod antea ipse agebat, nunc per filium, quem fecit imperii sui consortem, velit peragere. Cujus rei typum habemus in Josepho, cui Pharao dicebat, *Ecce constitui te super universam terram Ægypti.* Item, *Ego sum Pharao; absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti*, *Genes.* XLI. Et tamen non abdicabat se imperio, sed illud diserte retinebat, cum ei diceret, *Uno tantum regni solio te præcedam.*

VIII. Functiones ergo ad regium Christi munus pertinentes, non pauciores sunt quam in Patris regno. Et ad quatuor potissimum reduci possunt. *Prima* est vocatio ad participationem regni sui. Christus enim subditos non invenit in terris, sed ut habeat, eos tales efficere debet. *Totus mundus* extra Christum consideratus *in maligno est positus*, 1 *Joan.* v. 19. Homines peccatis immersi, sunt diaboli subditi, cujus faciunt voluntatem. Quare inducendi sunt, ut relicto tyrannico ejus imperio se Christo regendos tradant. Idque facit per Euangelium, cujus primos præcones constituit Apostolos, & quod vult ubique terrarum usque ad finem sæculi annunciari, ut discimus ex *Ephes.* IV. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, in ædificationem corporis Christi*, &c. *Secunda* est *Præscriptio legum*, nempe *fidei* & *resipiscentiæ* iis quos ad regnum suum vocat, id est ad sanctam & inculpatam vitam, ista cœlesti vocatione dignam; idque sub promisso æternæ beatitudinis obedientibus, & comminatione damnationis æternæ inobedientibus. *Qui credit in filium habet vitam æternam: qui vero non obedit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, *Joan.* III. 36. Cui adde id quod dicebat discipulis paulo ante discessum suum è mundo, *Oportere prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes*, *Luc.* XXIV. 47. Sed quia fieri non potest ut homines viribus naturalibus vocationi isti pareant, Christus *Tertio* prædicationem Euangelii comitatur spiritu suo; ut per illius efficaciam in corda hominum penetret, & eos ad obedientiam flectat. Unde Petrus dicit, *Per divinam ejus virtutem nobis omnia donata esse quæ ad vitam & pietatem faciunt*, &c. 2 *Epist.* I. 3. Iste autem spiritus ab eo continuis precibus exposcendus est *Luc.* XI. 13. Per eum certos reddit fideles de accepta peccatorum remissione, ut in pietatis stadio constanter currant & de gratia Dei non desperent. Unde dicitur *obsignavisse nos & dedisse pignus spiritus in cordibus nostris*, 2 *Cor.* I. 22. *Ephes.* I. 13. Nec tantum spiritualia bona largitur Christus suis, sed etiam ea quæ ad hujus vitæ sustentationem faciunt, modo ad præcipua illa potissimum aspirent. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus & cætera adjicientur vobis*, *Matth.* VI. 33. Item, *Pietas habet promissionem vitæ quæ nunc est & futuræ*, 1 *Tim.* IV. 8. Huc quoque pertinent castigationes quibus fidelium pigritiam excitat & à lapsibus erigit, ne cum mundo pereant, 1 *Cor.* XI. 32. *Hebr.* XII. 5. & *seqq.* Ex opposito infideles in rebellione sua perseverantes deserit, excæcat & aliis pœnis spiritualibus afficit, *Joan.* XII. 40. *Actor.* XXVIII. 26. & 2 *Thess.* II. 11. Compescit etiam eos ne suis noceant, nisi quantum ad fidei & constantiæ illorum exercitium expedire judicat, 1 *Cor.* X. 13. *Apoc.* II. 10. & alibi. *Quarta* & ultima cœlestis hujus regni functio est, quod Christus exercebit judicium in ultimo die de omnibus hominibus & eorum

factis,

factis, & reddet unicuique secundum opera; fideles suscitatos è mortuis assumendo secum in felicitatem æternam, contra infideles in æternum ignem abjiciendo, *Joan.* v. 27, 28. & alibi.

IX. Nunc quamdiu istud Christi regnum duraturum sit, nobis est examinandum. Et Angelus quidem Gabriel ejus nativitatem Mariæ virgini annuncians dicebat, *Regnabit in domo Jacobi in æternum, & regni ejus non erit finis*, *Luc.* I. Congruenter iis quæ legimus *Dan.* II. 44. *Deus suscitabit regnum cæli quod in æternum non dissipabitur, &c.* Alia enim plane est hujus Regis conditio, quam aliorum omnium qui antea regnaverunt in Dei populo, & ipsum adumbrarunt. Illi paucis annis aut mensibus regnarunt, & deinde morte superveniente regnum suum aliis relinquere coacti fuerunt, aut etiam vivi inde expulsi sunt. Hic vero mortuus quidem est, sed à morte regnare gloriose incœpit, & nullum adhuc successorem habuit aut unquam habiturus est. Quid ergo, inquies, sibi volunt hæc Pauli I *Cor.* XV. *Deinde erit finis, cum tradiderit* (Christus) *regnum Deo ac Patri, &c.* Et aliquanto post; *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subjicietur illi qui ipsi subjecit omnia, ut Deus sit omnia in omnibus.* Quæ verba admodum sunt vexata ab interpretibus, qui non poterant capere quomodo Christus regnaturus esset in æternum, & tamen aliquando regnum suum Patri resignaturus, à quo accepit illud. Et plerique existimarunt, per filium hic intelligendum esse non ipsum Christum in persona sua consideratum, sed quatenus Ecclesiam repræsentat cujus est caput. Sed interpretationem hanc non esse admittendam inde patet, quòd nullum unquam fuit tempus quo Ecclesia non fuerit subjecta Deo; hic vero tempus regni Christi, & tempus quo regnum suum tradet Patri inter se opponuntur. Melius itaque illi meo judicio respondent, qui dicunt regnum Christi vocari æternum, quia ad finem usque hujus sæculi duraturum est, & nullum in eo successorem habiturus est, sicut alii omnes terræ reges. Cum autem istud regnum Christo sit à Patre datum in gratiam Ecclesiæ ut eam regat, & ab omnibus inimicis protegat & liberet, tunc nullum fore ejus amplius usum cum Ecclesia triumphabit in cœlis & omnes ejus hostes fuerint devicti; ac proinde resignaturum illud in manus Dei Patris; velut cum dux exercitus qui à Rege est constitutus, superatis hostibus in quos missus est, potentiam acceptam à se deponit, & ei à quo accepit restituit. Gloria tamen bene administrati regni Christo manebit in æternum; & ipse in regno Patris, cui subjectus erit, tanquam caput fidelium semper eminebit, cui ipsi omnem suam gloriam & felicitatem post Deum debebunt. Et quandoquidem illi regnaturi sunt in sæcula sæculorum, *Apoc.* XXII. 5. multo magis ipse Christus, licet non eodem modo quo nunc facit, ubi in medio inimicorum regnat, & multi adhuc se ejus jugo subjicere detrectant.

CAPUT. XXIII.

De Regno Christi Millenario.

I. *Tres esse opiniones de regno Christi millenario.* II. *Quosdam statuere jam elapsum esse; sed male, cum satanas nondum ligatus fuerit, nec à Christo in morte,* III. *nec à Constantino Magno.* IV. *Quosdam ejusmodi regnum expectare, sed terrenum; & male, cum Christus non sit ante ultimum judicium descensurus,* V. *aut cum suis terrenis deliciis fruiturus.* VI. *Promitti tamen fidelibus requiem & felicitatem in terris ante ultimum Christi adventum ad judicium: Id probari ex Esa. cap.* 2. 11. 25. 26. 27. 43. *&* 60. VII. *Ex Jer.* 16. 23. 30. 32. *& Ezech.* 36. VIII. *Ex Dan.* 2. IX. *& Dan.* 12. X. *Ex Osea* 3. *Micha* 4. *Sophon.* 3. *Zach.* 12. *&* 14. XI. *Matth.* 23. 24. *& Luc.* 21. XII. *Ex Rom.* 11. *&* 2 *Cor.* 3. XIII. *Præcedentem prophetiam non esse impletam, nec ratione ingressus plenitudinis Gentium,* XIV. *nec ratione conversionis Judæorum.* XV. *Nec probari posse, nullos nunc esse veros Judæos.* XVI. *Istud regnum etiam evinci ex locis aliquot Apocalypseos.* XVII. *Nec huic sententiæ obstare* 1. *quod de fidelium persecutionibus,* XVIII. *aut* 2. *de Anti-Christi destructione,* XIX. *aut* 3. *de relaxatione à persecutionibus in ultimo Christi adventu, prædicitur,* XX. *aut* 4. *quod ultimus Christi adventus isto opinione nimium differatur.*

I. ET hæc quæ hactenus de spirituali & cœlesti Christi regno diximus, apud maximam Christianorum partem extra controversiam sunt posita; superest nobilis quæstio, de qua non omnes idem sentiunt: Utrum nimirum aliquando in terra & corporali modo regnaturus sit, ut significatum videtur nonnullis Veteris Testamenti prophetiis, & præsertim *Apocalypseos capite* XX. ubi dicitur, *ligandum esse satanam & conjiciendum in abyssum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni; intereaque animas eorum qui decollati sunt propter testimonium Jesu revicturas, & cum Christo mille annis regnaturas; iisque elapsis solvendum esse satanam de carcere suo, & seducturum gentes, &c.* Qua de re vix dici potest quanta sit sententiarum diversitas inter Christianos. Nos brevitati studentes eas ad tres præcipuas reducemus. *Prima* est eorum, qui existimant Jesum Christum ante ultimum judicium & resurrectionem mortuorum universalem descensurum de cœlo in terras, & conversis Judæis ab incredulitate, reducturum eos in terram Canaan, Hierosolymam & templum una cum toto cultu Levitico restauraturum, illicque regnaturum, & legem Mosaicam ab omnibus observatum iri, vocatis etiam aliis gentibus ad sui regni communionem; quod antequam inchoet, omnes pii, vel saltem martyres, suscitandi sint à morte, & una omnes felicissime in magna opum & deliciarum copia, sive in conjugio sive extra illud, victuri per mille annos. *Altera* est eorum, qui putant hos mille regni Jesu Christi annos jamdudum esse elapsos, & quæ prædicta sunt de suscitatione martyrum intelli-

intelligenda esse de regeneratione spirituali in meliorem & sanctiorem vitam; vel de introductione animarum in cœlum, ubi cum Christo mille annos, id est, ut ipsi exponunt, in æternum regnabunt. *Tertia* est inter istas extremas media, quam aliquot locorum S. Scripturæ explicatione illustrabo & propugnabo; utpote quæ mihi ad veritatem propius accedere videtur. Paucis tamen prius ostendendum est quid nobis in duabus prioribus opinionibus displiceat.

II. Et ut à posteriori incipiam; non bene, mea quidem sententia, dicitur regnum istud Christi millenarium jam dudum esse desiisse, quod necdum inchoatum esse puto, quia satanas nondum fuit ligatus, ne seducat gentes. Nam qui in illa sunt opinione nullum commodum possunt assignare tempus quo ligatio ista facta sit. Alii quidem eam referunt ad Christi mortem & ascensionem in cœlos, quia in cruce de satana triumphavit, & eum potestate, quam usurpaverat in homines, exuit. Alii vero putant contigisse sub imperio Constantini Magni, trecentis circiter à nativitate Christi annis, quia cum religionem Christianam amplexus esset, persecutiones, quas Ecclesia passa erat sub Imperatoribus Ethnicis, cessaverunt. Sed neutra istarum opinionum mihi placet. Non prima; nam etsi diabolus, quod ad jus attinet, morte Christi fuerit devictus, non protinus actu erepta ei fuit potestas illa quam in homines obtinebat, aut ligatus & in carcerem conjectus est. Et sane videmus eum gravissimas persecutiones statim excitasse adversus Christi nomen, tum per Judæos, ei infensissimos, tum per Ethnicos Imperatores; ubi celebres sunt illæ decem à Scriptoribus Ecclesiasticis commemoratæ; prima sub *Nerone*, secunda sub *Domitiano*, tertia sub *Trajano*, quarta sub *Adriano* & *Antonino Pio*, quinta sub *M. Aurelio Antonino Philosopho & L. Antonino vero*, sexta sub *Severo*, septima sub *Maximino*, octava sub *Decio*, nona sub *Valeriano*, decima sub *Diocletiano*. Unde legimus *Apocal.* II. in Epistola ad Angelum Ecclesiæ Smyrnensis, *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini; & habebitis tribulationem diebus decem.* Per quos decem dies quidam putant intelligendas istas modo recensitas decem præcipuas persecutiones: alii vero decennalem illam quæ sub M. Aurelio Antonino contigit, qua inter alios Polycarpus Ecclesiæ Smyrnensis Pastor è medio sublatus fuit.

III. Nec altera opinio est multo melior, Satanam ligatum fuisse sub imperio Constantini Magni. Nam quamvis Ecclesia tunc respirare cœperit à persecutionibus Ethnicorum, non tamen fuit ab iis plane libera. Sub Juliano enim Apostata recruduerunt, & sub imperio Constantii, Valentis & aliquot aliorum, Christiani adversus se invicem mutuis odiis & persecutionibus, propter diversas opiniones de religione sævierunt; & multiplices hæreses obortæ, non minus quam persecutiones, pacem Ecclesiæ miserandum in modum perturbarunt; adeo ut tunc maxime frænum diabolo laxatum videretur, præsertim cum mysterium iniquitatis in occidente gliscere cœpit, & Antichristus caput attollere, *cujus adventus est secundum operationem satanæ, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus*, 2 *Thess.* II. 9. Et cum magna illa defectio facta est in oriente sub Mahomete, tot populis repudiato Euangelio Alcoranum impostoris illius amplectentibus. Ne jam mentionem faciam universalis morum corruptionis, tam in rectoribus Ecclesiæ quam in populo, per quam satan æque ac per hæreses, & multo magis quam per persecutiones, Ecclesiæ Christianæ nocet, & tantum non pessumdat. Adde quod series prophetiarum in libro Apocalypseos has interpretationes non admittat. Nam primum prædicitur ibi damnatio & ruina meretricis Babylonicæ & bestiæ quæ gestat eam, una cum falso propheta, *cap.* XVII. XVIII. & XIX. postea in *cap.* XX. agitur de ligatione satanæ, cum qua initium capere debet regnum Christi millenarium. Unde apparet imperium Romanum, quod per bestiam significatum est, & Antichristum per meretricem & pseudoprophetam adumbratum, exscindi debuisse antequam satanas ligaretur, & istud Christi regnum millenarium, quod tam felix erit, expectari posset. Non enim videntur confuse & temere congestæ fuisse prophetiæ in hoc libro, sed ea serie ordinatæ qua unaquæque res in tempore suo contingere deberet. Quo admisso, interpretationes illas, quæ tam cito ligationem satanæ & regnum Christi inchoant, necessario corruere oportet. Tunc enim resurrecturi sunt qui securi percussi fuerunt propter testimonium Jesu, qui non adoraverunt bestiam nec imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in manibus aut in frontibus suis; quod certum est contingere non potuisse trecentis primis à Christo nato annis, quibus imperium illud stabat & vigebat, & imago, in ejus eversi locum substituta, nondum ulla erat, aut à quoquam adorari poterat. Nec sequentibus etiam sæculis, quæ usque ad nos sunt elapsa, diabolus videtur fuisse ligatus ne seduceret gentes & perniciem Ecclesiæ inferret, imo procedentibus temporibus magis ac magis grassatus fuit; in quibus impletum animadvertimus id quod dicitur *Apoc.* XII. 12. *descendit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*; id est quod cito ligari & compesci debeat.

IV. Quod ad primam opinionem attinet, ea mihi non uno nomine displicet. Falluntur enim 1. qui existimant Christum sub illorum mille annorum initium in terras descensurum, & ibi cum fidelibus mille annos regnaturum. Neque ipsorum opinio probari potest his Joannis verbis, *regnabunt cum Christo mille annis*, *Apoc.* XX. 4, 6.

Nihil

Nihil enim obstat quominus Christo manente in cœlo, fideles in terra habitantes possint cum eo regnare, nimirum si pie & sancte sub illius protectione, immunes ab omnibus malis & hostium persecutionibus, degant. Sic *Genes.* v. 22. dicitur de Enocho adhuc mortalem in terris vitam agente, *illum ambulasse cum Deo*; quia conversatio ejus erat sancta, & sibi continuo Deum ante oculos proponebat, tanquam omnium suorum dictorum & factorum inspectorem atque judicem. Ita quoque Paulus *Rom.* VIII. 17. dicit *nos esse cohæredes Christi, si cum eo patiamur, ut cum eo glorificemur.* Ubi apparet illos dici cum Christo pati, qui vestigia ejus premunt, & propter Euangelium patiuntur, etsi ipse sit in cœlo, illi vero in terra. Deinde Scriptura docet Christum non descensurum corporaliter in terram, antequam veniat ad exercendum judicium universale de vivis & de mortuis, dicente Petro *Act.* III. 21. *Quem oportet ut cœli capiant usque ad tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum à seculo Prophetarum.* Et Paulo 1 *Thess.* IV. 16. *Ipse Dominus in jussu & voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi, & deinde qui vivi erunt immutabuntur, &c. & obviam Christo rapiemur in nubes in aërem, &c. & sic semper cum Domino erimus.* Denique hic Christi descensus in terras ad illic regnandum non bene convenit cum gloria & majestate cœlesti quam adeptus est. Sic enim esset quasi de solio suo deturbatus; & videretur ipsum infirmitatis arguere, quasi è cœlis non possit Ecclesiam regere & conservare ab hostibus. Unde porro prona esset via ad regnum ejus præsens in dubium vocandum, & fiduciam omnem in ipsum abjiciendam. Quod etiam dicitur de cultus Levitici restitutione, una cum doctrina Apostolica pugnat, qui noluerunt ceremoniis legis subjici gentes ad Christum conversas, *Actor.* XV. & alibi. Sed crassius adhuc errant illi, qui putant Christum post istum descensum nunquam in cœlos rediturum, nec fideles secum illuc assumturum, sed æternum cum iis in terris mansurum: Ista enim opinio pugnat cum multis expressis Scripturæ locis; qualia inter cætera sunt hæc: *In domo Patris mei multa mansiones sunt. Sin minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum; &, si abiero & præparavero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego & vos sitis, Joan.* XIV. 2, 3. Item, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, Matth.* V. 12. *Et multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum, Matth.* VIII. 11. Rursus, *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in cœlis,* 2 *Cor.* V. 1. *& plurimis aliis locis.*

V. 3. Absurda est & naturæ regni Christi contraria, opinio illorum, qui putant Christum regnaturum cum suis in terra, fruendo omnibus deliciis corporalibus, quales sunt cibi, potus, nuptiarum, & similes. Quamvis enim nonnulli eorum dicant se de licitis tantum & honestis voluptatibus istud intelligere, non belluinis & quæ rectæ rationi adversantur; tamen ne sic quidem satisfaciunt. Ejusmodi enim corporeæ voluptates alienæ sunt à natura regni Dei, ut docet Christus adversus Sadducæos disputans, *Qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neque nubent neque ducent uxores, &c. Luc.* XX. v. 35. Et Paulus, *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet,* 1 *Cor.* VI. 13. Quod de felicitate æterna piis promissa intellectum volumus; de qua scriptum est, *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum,* 1 *Cor.* II. v. 9. Unde liquet eam longe omnibus corporalibus & terrenis voluptatibus antecellere, quæ hominis captum non excedunt. In eam enim jam admissi erunt illi martyres, qui suscitabuntur è mortuis cum Christus ad inchoandum regnum millenarium veniet. Alias si de restitutione regni Christi in terra id accipiatur, nihil absurdi in eo est, si fidelibus regnum Dei & ejus justitiam primo quærentibus, Deus auctarii loco bona corporalia adjiciat, quibus temperanter utantur, scientes hujus mundi figuram præterire, eum vero, qui Dei voluntatem faciat, manere in æternum. Christus tamen inde foret omnino excipiendus, qui nunc factus in spiritum vivificantem, 1 *Cor.* XV. 55. nullorum corporalium & terrenorum bonorum sensu affici potest; sicut & modo dicti martyres.

VI. Ad tertiam opinionem nunc accedo, & dico, videri omnino felicitatem aliquam & requiem à persecutionibus fidelibus esse promissam in terra, ante ultimum Jesu Christi adventum ad judicandum vivos & mortuos; ut non tantum innuitur *Apoc.* XX. sed etiam multis aliis Veteris & Novi Testamenti locis, quæ sub figura revocationis Israëlitarum à dispersione sua, eorum conversionem ad Christum, & cum Ecclesiis ex gentibus collectis unionem sub ejus regno adumbrant. Nos è magno numero nonnulla præcipua seligemus. *Primus* locus est *Esa.* II. 1, 2, 3, 4. ubi dicitur, *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, &c.* Ubi observandum est ista non posse referri ad tempus reditus Judæorum ex captivitate Babylonica, quo nihil tale contigisse fatentur omnes tum Judæi tum Christiani; sed necessario intelligenda de temporibus Messiæ, quæ per novissimos dies solent designari in Scripturis; & nondum magnam partem esse impleta. *Mons* quidem *domus Domini præparatus est in vertice montium*; id est Ecclesia Christi, adumbrata per montem Sionis ubi erat templum, constituta est in loco gloriæ excelso per doctrinam Euangelii & donorum Spiritus S. effusionem, ut omnibus se ei adjungendi occasio daretur: & *lex* (nempe nova Jesu

Christi) *ex Sione prodiit*, cum ex Jerusalem profecti sunt Apostoli ad prædicandum Euangelium per universum terrarum orbem. Sed tamen *nondum confluxerunt ad istum montem Domini* seu Ecclesiam *omnes mundi gentes*, (plurimæ enim adhuc in infidelitate sua perseverant;) multo minus *populi omnes conflarunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, ut non amplius levet gens contra gentem gladium*; sed omnia ab initio prædicati Euangelii usque ad hæc tempora arserunt bellis, & pax ex orbe terrarum exulavit, paucis aliquot piis exceptis, qui eam inter se coluerunt, sed qui respectu magnæ multitudinis aliorum instar nihili sunt; adeo ut nulla cum specie dici queat prophetia ista de pace orbis universali esse impleta, & merito adhuc suo tempore implenda speretur. *Secundus* est *Esa.* XI. *per totum*, quod de temporibus Messiæ intelligendum esse constat, cum statim initio mentio fiat *virga de radice Jesse egressura, & floris de radice ejus ascensuri*: quibus verbis innuitur, eo tempore quo familia Davidis filii Jesse pæne fuerit consumta, aut ad plebejum ordinem redacta subito ex ea aliquem populi Dei Regem veluti surculum aut florem ex trunco arido exoriturum. Quod autem dicitur *de lupo cum agno habitaturo, & de pardo cum hædo accubituro, &c.* etsi secundum literam una cum crassioribus aliquot Judæis & Christianis accipiendum non sit, certum tamen est eo summam pacem, & qualis à nato Christo nondum visa est, designari, cum illi qui instar luporum aut pardorum erant feri, convertentur ad Christum & crudele suum ingenium exuent & pios persequi desinent. Conversio autem gentium & Israëlitarum magnifica describitur *à versu* 10. *usque ad finem*, cum dicitur *radix illa Jesse fore in signum populorum, & eum congregaturum profugos Israël à quatuor plagis terræ, &c.* quæ nondum esse impleta facile omnes vident. *Tertius* est *Esa.* XXV. *per totum.* Ubi similiter est prophetia de liberatione Ecclesiæ à persecutione hostium & de gaudio quo beneficium istud celebratura est. Nomine autem *Moabi* intelligendi sunt omnes Ecclesiæ inimici, præsertim falsi Christiani qui ad eam pertinere videntur, sicuti Moabitæ olim & Idumæi, licet Israëlitarum propinqui, ex iisdem patribus oriundi, infensissimi ipsis erant. *Quartus* est *Esa. cap.* XXVI. quod continet canticum à fidelibus tum Israëlitis tum Christianis decantandum, postquam fuerint à tyrannide hostium liberati. Ubi præcipue insignes sunt *versus octo primi*, qui beneficium istud à Deo collatum describunt & celebrant. *Quintus* est *Esa. cap.* XXVII. eodem quo præcedentia duo pertinens, ut ex totius orationis serie apparet. Et describitur illic partim vindicta quam Deus in populi sui hostes exercebit, partim Israëlitarum ad Deum quem offenderant conversio & in gratiam receptio. *Sextus* est *Esa. cap.* XLIII. *per totum*, ubi etiam insignis est prophetia de Israëlitarum conversione; & Deus *v.* 5. *& 6.* introducitur dicens, *ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te; dicam Aquiloni & Austro, noli prohibere, affer filios meos de longinquo & filias meas ab extremis terræ, &c.* *Septimus* est *Esa. cap.* LX. *totum*, quod nemo potest cum attentione legere quin agnoscat ibi talem statum Ecclesiæ & populi Dei describi, qui nondum in terris est conspectus. Inter alia inspice *versum* 19. *&* 20. *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, &c. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Deus in lucem sempiternam, &c.* Quæ repetita habemus *Apocal.* XXI. *&* XXII. unde certum petitur argumentum pertinere ad statum regni Messiæ. Verum quidem est vulgo referri ad beatitudinem æternam & cœlestem. Sed multa sunt in toto hoc capite quæ id non patiuntur; ut, *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi.* Item, *Suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis*, & alia similia. Quod tamen de Sole & Luna dicitur non esse secundum literam intelligendum, inde apparet, quod alioquin contradictionem apertam contineret, nimirum fore ut illo tempore, neque luceret Sol per diem, neque Luna splenderet per noctem; quia iis non indigerent fideles, quorum Deus esset lux sempiterna; & tamen, neque occideret unquam Sol, neque Luna luminis imminutionem pateretur. Unde videre est per Solis & Lunæ splendorem aliquid aliud intelligendum esse; nempe partim cognitionem Dei magnam, partim felicitatem & gloriam eorum qui tunc victuri sunt. Quod multo magis quadrat in id quod legitur *Esa.* XXX. 26. *Et erit lux Lunæ, sicut lux Solis; & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plaga ejus sanaverit.* Nam si secundum literam esset intelligendum, tantum abest ut fidelium beatitudo inde illustrior redderetur, ut contra splendorem & qui eum comitatur indivulse calorem ferre nequaquam possent, sed ab eo excæcarentur & consumerentur; nisi corpora ipsorum essent glorificata, quod scimus non fore quamdiu super hanc terram vivent. Nihil ergo aliud quam prosperitas extraordinaria, & eam comitans gaudium intelligi videtur.

VII. *Octavus* est *Jerem.* XVI. 14. *& seqq.* Ubi conversio Judæorum significatur his verbis, *Vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aquilonis, & de universis terris in quas ejeci eos, &c.* Et gentium vocatio, cum dicitur, *Ad te gentes venient ab extremis terræ, &c.* Quæ etsi jam aliqua ex parte evenerint, non tamen ita perfecte ut ista prophetia omnino impleta dici possit. *Nonus* est *Jer.* XXIII. 3. *& seqq.* Quæ similiter prædictionem de conversione Israëlitarum continent, *Ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, &c. Suscitabo David germen justum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam*

stitiam in terra; in diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter, &c. Hæc autem non sunt adhuc nisi ex parte impleta, & quidem valde exigua. *Decimus* est *Jerem.* XXX. *Ecce dies veniunt & convertam conversionem populi mei Israël & Juda, ait Dominus, &c. Et non dominabuntur amplius ei alieni, sed servient Domino Deo suo, & David regi suo quem suscitabo eis.* Per *Davidem* autem hic intelligi Messiam Davidis filium in confesso est, cui hactenus non nisi minimam Judæorum partem serviisse omnes historiæ Ecclesiasticæ periti norunt, adeo ut nisi Prophetam falsi arguere velimus, suo tempore implendum sperare debeamus. *Undecimus* est *Jerem. cap.* XXXI. *per totum.* Ubi *versu* 31. mentio fit *novi fœderis a Deo pangendi cum domo Israël & domo Juda, &c.* quod ad tempora Christi pertinere discimus ex Apostolo *Hebr.* VIII. & X. Sed tamen ut ista magnifica adhuc implenda restent, *Dabo legem meam in visceribus eorum, &c.* Et, *non docebit ultra vir proximum suum, &c. omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum. Duodecimus* est *Jerem.* XXXII. 37. & *seqq.* ubi habemus repetitionem eorum quæ ex præcedente capite modo citata sunt, *Congregabo eos de universis terris ad quas ejeci illos in furore meo, &c. feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis bene facere, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me, &c. Decimus tertius* est *Ezech.* XXXVI. 24. & *seqq.* ejusdem sententiæ cum duobus præcedentibus; *congregabo vos de universis terris, &c. Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, &c. faciam ut in præceptis meis ambuletis, &c.*

VIII. *Decimus quartus* est *Dan.* II. 44. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Quibus verbis exponitur ultima pars somnii Nebucadnezaris recensita *versibus* 34, 35. Ipsum vidisse lapidem excisum de monte sine manibus, qui percussit in pedibus statuam illam ingentem quæ ipsi apparuerat, & eam in pulverem comminuerit; postea autem hunc lapidem excrevisse in montem magnum qui totam terram impleverit. Sed ad meliorem hujus prophetiæ intelligentiam notandum est, in visione illa quæ Nebucadnezari oblata est, sub imagine ingentis statuæ & terribilis, cujus caput erat aureum, pectus & brachia ex argento, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ, pedes vero partim ferrei, partim fictiles, repræsentata fuisse quatuor magna imperia quibus populus Dei graviter premendus esset. *Primum*, & respectu sequentium præstantissimum erat Assyrium. *Secundum* paulo deterius, Persicum. *Tertium* Alexandri Magni & successorum ejus. *Quartum*, Romanorum. Et quod ad primum quidem & secundum nullus est inter interpretes dissensus; sed de tertio & quarto non conveniunt. Nam quidam per *tertium*, solum Alexandri Magni imperium, & per *quartum*, successorum ejus intelligendum esse putant; ita ut imperium Romanum in computum hic non veniat. Unde porro dissidium oriri necesse est in expositione regni cœli quod Deus in tempore regnorum illorum suscitaturus dicitur. Verum falli eos inde constat, quod per ventrem & femora ærea unum Alexandri Magni imperium designatum fuisse arbitrantur. Nam ventri non fuissent addita femora ad significandum unius hominis regnum, præsertim quod brevis admodum fuit durationis. Per femora autem ejus duo, commode intelliguntur Alexandri Magni successores, quorum imperium partim versus Aquilonem, partim versus Austrum extendebatur. Proinde per tibias ferreas & pedes ex ferro & luto conflatos imperium Romanum figuratum fuit; quod bene comparatur ferro, tum propter duritiem; (quia sicut ferrum omnia alia metalla comminuit, ita istud imperium tria præcedentia destructurum esset) tum propter crudelitatem qua populum Dei supra cætera oppprimeret. Pedes autem partim ferrei partim fictiles egregie nobis depingunt intestina dissidia, quibus imperium istud frequenter laboravit. Nam quemadmodum ferrum & lutum nunquam solide inter se cohærere possunt, ita nulla unquam stabilis fuit concordia inter Senatum & plebem, deinde inter alios imperii istius proceres; quantumvis etiam mutuis connubiis eam firmare niterentur, postea tamen in acriora odia & hostiles pugnas, quæ ruinam imperio illi minitabantur, erumpebant. Quod autem Daniel dicit, *Deum in diebus regnorum illorum suscitaturum esse regnum cœli*, ita accipiendum est, quod durante quarto imperio, quod tria præcedentia velut deglutivit, istud novum cœleste imperium oriturum esset. Nullus autem est Christianorum interpretum qui dubitet id in Christi regnum quadrare; licet illi partes hujus prophetiæ non bene conjungant, seu inter eas hiatum relinquant, qui quartum imperium Alexandri Magni successorum esse volunt. Quomodo enim possunt dicere Deum in diebus regnorum illorum suscitaturum esse regnum cœli, cum Alexandri Magni successorum imperium jam dudum esset abolitum cum Christi regnum cœpit, quem ex Lucæ historia sub Augusto Cæsare natum esse constat? Propheta addit, *regnum istud in æternum non dissipandum, nec alteri populo tradendum esse.* Quod Angelus B. virginem alloquens eodem sensu exprimit, *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis, Luc.* I. 33. Et in hoc erit dissimile quatuor illis imperiis præcedentibus, quæ postquam aliquot sæculis durarunt, finem acceperunt & in aliorum regna & populorum manus devenerunt. Vulgo autem hæc exponunt de Christi regno spirituali in cœlis, quod initium cœpit post ejus ascensionem, & porro ad finem usque mundi extendetur. Sed quamvis expositio hæc vera sit,

non videtur tamen esse sufficiens, & totum verborum Danielis sensum exhaurire. Nam quod dicit de regno cœli, *Comminuet autem & consumet omnia regna hæc*, non fuit impletum cum Christus in regni sui possessionem intravit; diu enim adhuc postea duravit imperium Romanum sub Imperatoribus Ethnicis, ne quicquam de Christianis nunc loquar, quorum gubernatio non fuit multo sanctior. Nec dicendum est in fine demum sæculorum impletum iri. Nihil enim miri, si mundo pereunte, omnia etiam ejus imperia aboleantur, cum id aliter fieri nequeat. Nec apparet quomodo comminutis & consumptis omnibus regnis mundanis, Christi regnum perstiturum sit in æternum; cum Paulus doceat 1 *Cor.* xv. 24. *& seqq. ipsum tunc traditurum suum regnum Deo & Patri, eique fore subjectum, ut Deus sit omnia in omnibus.* Itaque istud ad intermedium tempus potius est referendum, quo Christus restaurabit Ecclesiam, populos infideles ad sui cognitionem vocabit, regna in terris sancta eriget, quæ secundum ejus leges regantur; cum ea, quæ hactenus obtinuerunt, Ethnica potius fuisse videantur quam Christiana. Id quod inde confirmatur, quod in hac prophetia regnum Christi consideratur conjunctim cum regno fidelium ipsius, quos gloriæ & potestatis suæ consortes reddet, secundum id quod legimus *Apoc.* 1.6. *fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo.* Imo in Christi Ecclesiam magis proprie quam in Christum ipsum convenit id, quod lapis abscissus sine manibus factus sit in montem magnum & totam terram repleverit. His enim verbis accretio miraculosa Ecclesiæ significatur, quæ à parvis initiis incrementum sumens per totum orbem terrarum se diffudit. Idemque innuitur cum dicitur, Regnum istud cœli alii populo non fore tradendum. Si enim de Christi solius regno ageretur, potius convenisset ut diceretur id alii regi traditum non iri. Veram autem Christi Ecclesiam regnavisse & floruisse in terra nondum visum est, ergo id adhuc implendum tempore à Deo constituto restat.

IX. *Decimus quintus* est *Dan.* XII. 11, 12. *A tempore autem quo ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui expectat & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Hic non tantum beata illa Ecclesiæ sub regno Christi conditio significatur, sed etiam tempus, quo initium captura est, prædicitur. Non me latet quosdam istud referre ad tempora Antiochi Epiphanis, qui ut narratur 1 *Mach.* 1. 62. cessare fecit juge illud sacrificium, quod singulis diebus mane & vesperi offerebatur in templo Hierosolymitano, dedicando illic altare idolo: quæ profanatio duravit per tres annos, ut constat ex ejusdem libri *cap.* IV. 52. ubi recensentur quomodo eadem 25. die mensis Casleu, qua ante triennium sacrificari cœptum erat idolo, offerri denuo cœperit sacrificium Domino secundum legem, repurgato templo ab idololatria & novo altari ædificato. Sed si audiamus Jesu Christi ipsius apud *Matth.* XXIV. 15. expositionem, videbimus id intelligendum non de illa exigui temporis interruptione facta in jugi sacrificio per Antiochum Epiphanem, sed de totali ejus abolitione in ultimo Hierosolymæ & templi excidio per Titum. *Tunc enim* (prout loquitur Christus) *abominatio desolationis dicta à Daniele Propheta stetit in loco sancto.* Respicit autem non tantum ad id quod scriptum est *Dan.* IX. *vers.* 26, 27. sed etiam ad hunc locum qui præcedenti parallelus est. Tres anni profanationis templi faciunt dies 1095. Supersunt ergo de numero 1290 dierum Danielis 195 dies, qui faciunt sex menses cum dimidio. Ita ut iste numerus non possit applicari profanationi Antiochi Epiphanis, quæ duravit tantum tres annos præcise. Hoc admisso apparebit dies illos 1290 à Daniele memoratos, non esse dies naturales 24 horarum, (quot volunt intercessisse à profanatione templi per Antiochum usque ad ejus mortem; hoc enim incertum est, & nullo idoneo testimonio comprobatur) sed dies propheticos pro annis acceptos, quales in celebribus illis LXX. hebdomadibus, de quibus *cap.* IX. Hæc enim *cap.* XII. prophetia cum præcedente illa connectitur, nec verisimile est ullo modo Spiritum S. alium loquendi modum in hac quam in altera usurpasse. Cum autem LXX. hebdomadæ desinant in anno à Christo nato LXIX. quo Hierosolyma excisa est, si illis addamus 1290 dies propheticos seu annos, perveniemus ad annum Christi 1359; à quo huc usque impugnari cœpta est Antichristi tyrannis & idololatria. Quibus si iterum addamus 1335 dies seu annos, conficient summam 2694 annorum, nempe à Christo nato; ubi nonnulli volunt desinere mille annos Apocalypticos pacis Ecclesiæ, qui proinde incœpturi essent anno 1694, id est hinc ad 42 annos, (scribimus enim hæc anno Christi vulgari 1652.) Alii vero malunt eos inchoare in dicto anno 2694, eo quod beatus dicatur à Daniele qui ad illum perveniet. Sed nos hæc arcana temporum relinquimus Deo. Sufficit observare insigne aliquod bonum Ecclesiæ in hoc sæculo promitti, quo nondum fuit potita, sed cum fide & patientia expectare debet.

X. *Decimus sextus* est *Oseæ* III. 4, 5. *Quia dies multos sedebunt filii Israël sine rege & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim. Et posthac revertentur filii Israël, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum, & pavebunt ad Dominum & ad bonum ejus novissimo dierum.* Hic manifeste de conversione Israëliticæ gentis ad Christum agitur, postquam longo tempore manserint *sine rege & principe* ex sua gente, *sine sacrificiis* secundum legem, *& sine idolis* contra legem (in quo statu illam hodie esse videmus) per *Davidem* autem intelligi Messiam, ipsius filium & successorem, etiam perspicuum est.

est. Cum ergo nondum contigerit ut Israëlitæ ad Deum Dominum suum & ad Messiam ejus sint conversi, illud suo tempore implendum restat. *Decimus septimus* est *Michea* IV. *toto*, qui est parallelus & omnino similis loco *Esa.* II. de quo antea egimus, adeo ut quæ de illo dicta sunt, in hunc etiam quadrent. *Decimus octavus* est *Soph.* III. *à versu* 9. usque ad finem capitis, etiam valde illustris. Ibi enim prædicitur 1. Vocatio gentium ad cognitionem Dei & Christi per Euangelium. 2. Conversio Israëlitarum ab incredulitate sua, *versibus* 11, 12, 13. 19, 20. denique 3. destructio hostium populi Dei, *à versu* 14. *usque ad* 19. *Decimus nonus* est *Zachar.* XII. *toto.* ubi Deus promittit se peculiari providentia protecturum Hierosolymam & incolas ejus adversus omnes inimicos. Quod non potest referri ad liberationem è captivitate Babylonica, cum Zacharias prophetaret ad Judæos qui inde redierant. Nec impletum est secutis proxime sæculis, in quibus Judæi gravissima passi sunt à variis hostibus, & tandem Hierosolyma solo æquata est à Romanis, miserque ille populus in duram servitutem abductus & toto orbe dispersus est. Superest ergo ut id pertineat ad tempora Novi Testamenti, & per *Hierosolymam* intelligatur sensu mystico Ecclesia Christi, non tantum ex gentibus, sed etiam ex Israëlitis recens ad Christum conversis conflata. *Vigesimus* est *Zachar.* XIV. 6. *& seqq.* Ubi etiam agi de tempore Novi Testamenti, & beneficiis Dei erga Israëlitas conversos, liquere potest ex eo, quod Deus in oppugnatores Jerusalem tales plagas non effuderit quales prædicuntur, sed contra permiserit eam à Romanis everti. Quare pariter ut in præcedenti loco *Jerusalem* non carnalis sed spiritualis & mystica intelligitur.

XI. *Vigesimus primus* est *Matth.* XXIII. 39. ubi Jesus Judæos contumaces sic compellat, *Dico vobis, non me videbitis à modo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Iste autem *adventus* Christi non potest intelligi de *ultimo* ad judicium. Tunc enim increduli perterriti dicent montibus & petris, *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, Apoc.* VI. 6. nempe quia videbunt tempus gratiæ esse elapsum, & nihil sibi superesse expectandum præter iram & indignationem. Referendus ergo est ad illud tempus, quo Christus se in gratia Israëlitis spiritualiter conspiciendum præbebit, eos ad se per Euangelium convertens. Tunc enim exultabundi ipsi adventum gratulabuntur. *Vigesimus secundus* est *Matth.* XXIV. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; & tunc veniet consummatio.* Istud autem nondum impletum est. Multa enim sunt in orbe loca ad quæ Euangelii cognitio non pervenit. Cum autem id fiet, tunc erit tempus refrigerii Ecclesiæ quod exspectamus. *Vigesimus tertius* est *Luc.* XXI. 24. *Et cadent* (nempe Judæi increduli) *in ore gladii, & captivi ducentur in omnes gentes, & Jerusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Ecce terminus certus præfigitur vexationibus quas Judæi sensuri sunt à gentibus; quo elapso Deus eorum miserebitur & ad se revocabit.

XII. *Vigesimus quartus* est *Rom.* XI. 25. *& seqq. Nolo vos fratres ignorare mysterium hoc, (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret; & sic omnis Israël salvus fieret,* vel *fiet, &c.* Hic locus est omnium celeberrimus inter eos ubi Israëlitarum vocatio prædicitur ad cognitionem Christi, cum qua conjuncta futura est ista de qua loquimur Ecclesiæ instauratio. Neque ulla specie, ut alii loci nonnulli, trahi potest ad ea quæ in primo adventu Christi per ipsum & ejus Apostolos facta sunt. In eo enim agitur de Judæis incredulis & obduratis, qui Euangelium sibi prædicatum ita pertinaciter respuebant, ut nulla humanitus spes conversionis eorum superesset. Et Paulus profitetur se velle *patefacere mysterium* sive *arcanum* aliquod, sibi à Deo revelatum, de iterata illorum vocatione ad cognitionem Christi, tanta cum gratiæ efficacia, ut contumaciam & duritiem istam, qua tunc resistebant Euangelio, esset emollitura; dicitque *fore ut postquam plenitudo gentium introierit*, nempe in Ecclesiam, *totus Israël salvetur.* Sunt tamen qui existiment hanc prophetiam paulo post, quam ab Apostolo scriptis mandata fuit, impletionem suam habuisse; omnes gentes orbis terrarum cogniti fuisse ad Deum & Christum ejus vocatas, Euangeliumque maxima ex parte amplexas; & Israëlitas partim illarum exemplo motos, partim quia videbant templum & politiam suam à Romanis funditus eversa, magno numero ad Christum se convertisse; incertumque esse an illi, qui hodie toto orbe dispersi Judaicam religionem profitentur, sint ex Patribus illis Abrahamo, Isaaco & Jacobo progeniti, qui promissiones à Deo acceperant, potiusque habendos pro colluvie proselytorum ex omnibus gentibus collecta, quorum incredulitas & obstinatio in repudiando Christo non debeat impedire, quominus prophetiam Pauli de totius Israëlis salute & conversione jamdudum impletam fuisse credamus. Quod nobis paucis examinandum est.

XIII. Illi ergo dicunt jam Apostolorum tempore Euangelium toto orbe fuisse prædicatum, ac proinde plenitudinem illam gentium introïvisse, quam brevi subsequi debebat Israëlitarum conversio. Christum enim præcepisse Apostolis ut irent in universum orbem, & prædicarent omnibus Euangelium; ipsos vero fideliter munere sibi à Christo demandato functos, adeo ut Paulus dicat *jam prædicatum fuisse* tum cum scriberet *Euangelium omni creaturæ quæ sub cœlo est, Coloss.* I. 23. Christum autem *Matth.* XXIV. & Paulum *Rom.* XI. non respexisse ad Americanos veteribus incognitos, & ad quos ante centum

& sexaginta annos demum navigari cœptum est; qui in computum venire non debeant, ubi quæritur an prædictiones de Euangelio per totum orbem prædicando impletæ sint; quia *totius orbis* vel *οἰκουμένης* appellatione soleat intelligi in Scripturis orbis cognitus, vel insignis aliqua ejus pars, adeo ut aliquando imperium Romanum illo titulo designetur, ut *Luc.* II. I. Ad quod respondeo, quamvis abusive voce *orbis terrarum*, pars illius cognita non raro in Scripturis intelligatur; non tamen ita accipiendum esse ubi agitur de salute toti mundo per Christum parta, & per Euangelium omnibus ejus incolis patefacienda. Multum enim tam eximio Dei beneficio detraheretur, si ab illo Americani exclusi esse censerentur; quod certe illi minime facere debent, qui gratiam Dei universalem erga omnes & singulos homines adversus absolutam, quam nonnulli urgent, reprobationem tuentur. Quemadmodum ergo cum dicitur, *Sic Deus mundum dilexit, ut filium suum unigenitum dederit, &c.* *Joan.* III. 16. item, *Ipse est propitiatio pro totius mundi peccatis, &c.* I *Joan.* II. 2. & similia loca, illud ita explicant ut neminem omnino excludant, sic etiam facere debent ubi agitur de universo orbi destinata Euangelii prædicatione, per quam fiat ut nulla penitus ejus pars ab ejus beneficio excludatur, præsertim adeo magna atque est America, item terra Australis, cujus oræ vix adhuc perlustratæ sunt. Idque Paulum ita intellexisse in eo de quo nunc agimus *Rom.* XI. loco, ubi *plenitudinis gentium* adhuc expectandæ mentionem facit, inde patet, quod *cap.* X. præcedenti popularem loquendi rationem secutus de prædicatione Apostolorum dicat, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, versu* 18. Sibi enim manifeste contradiceret, si in priore loco intelligeret Euangelium omnibus gentibus, quibus erat destinatum, fuisse prædicatum, in posteriori vero significaret plenitudinem gentium nondum introivisse. Nec putandus est in *Epistola ad Colossenses* alia mente locutus, ita ut quod inchoatum tantum erat cum ad Romanos scriberet, jam perfectum & absolutum foret cum ad Colossenses scripsit. Trium enim tantum aut circiter annorum intervallum elapsum est inter scriptionem *Epistolæ ad Romanos* & *Epistolæ ad Colossenses*, secundum Lud. Capelli calculum, qui in sua Historia Apostolica ostendit Epistolam ad Romanos scriptam fuisse anno Christi 53, Claudii Imper. 14. ad Colossenses vero anno Christi 56, Neronis Imper. 3. à quo reliqui chronologi parum, quod ad utriusque intervallum attinet, dissentiunt. Tam exiguo autem temporis spatio, quale est trium, aut (si velis) quatuor vel quinque annorum, tanta mutatio non potest in mundo esse facta, ut illud, quod tanquam arcanum diu post implendum Romanis innuebat, Colossensibus persuadere vellet jam impletum fuisse. Si ergo tunc nondum intraverat plenitudo gentium, nec etiam ad illud tempus referenda est conversio Israëlitarum, quam ex prædictione Pauli constat post ingressum plenitudinis gentium demum eventuram.

XIV. Sed, inquiunt, apparet tamen ex *Act.* XXI. 20. jam circa illud tempus quo Paulus Romam captivus fuit abductus, unde Epistolam ad Colossenses scripsit, maximum Judæorum numerum conversum fuisse ad Christum. Seniores enim Ecclesiæ Hierosolymitanæ apud Jacobum congregati ei dicebant, *Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis.* Ubi in Græco habetur, *πόσαι μυριάδες*, quod proprie significat, *quot decies millena.* Si igitur in unica urbe tam multi crediderant Euangelio, quid censendum est de universa Judæa & de aliis regionibus per quas ille populus erat dispersus, nisi stupendum plane numerum credentium fuisse? Ad quod respondeo, nolle me negare magnam fuisse prædicationis Apostolicæ efficaciam, & per eam plurimos Judæos, non solum Hierosolymis, sed etiam per reliquum terrarum orbem, adductos esse ad fidem. Sed quantacunque esset illa multitudo, pusillum quid erat respectu eorum qui in incredulitate sua permanserunt; secundum id quod prædixit olim *Esaias cap.* X. 22. citatus à Paulo *Rom.* IX. 27. *Si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient, &c.* Id quod apparuit in excidio Hierosolymitano, ubi undecies centena Judæorum millia periisse refert Josephus, qui omnes in incredulitate permanserant. Instant, illos qui nondum conversi fuerant eo tempore quo Paulus vivebat, postea adductos esse ad fidem cum viderunt Hierosolymam solo à Romanis æquatam, templum incensum & totum cultum Leviticum eversum absque instaurationis spe. Respondeo, nullo id digno fide testimonio comprobari; imo sequentium temporum historiam id omnino falsi arguere, in quibus constat ingentem ubique fuisse Israëlitarum incredulorum numerum, qui habebant suas Synagogas, in quas cultus divini gratia conveniebant. Vide ex. gr. *Cod. lib.* I. *tit.* 9. *de Judæis & cælicolis.* Ex illisque propagata est ingens ista multitudo quæ passim in Europa, Asia & Africa conspicitur; imo in America quoque & novo orbe, si credendum sit Antonii Montezini relationi, ante biennium à Manasse ben Israël in lucem editæ, in libello cui titulus, *Spes Israëlis.*

XV. Paradoxum autem est ingens, & quod difficile alicui cordato persuaderi possit, id quod scribit Aretius in Problemate de Genealogia, istos omnes, qui hodie religionem Judaicam profitentur, non esse veros Israëlitas ex Abrahamo oriundos, sed fecem quandam mundi ex omni mortalium perditissima turba collectam. Quamvis enim, ut objicit, non possint proferre certam tribum certasque familias ex quibus genus ducant, non sequitur illos ex ista gente non esse, cum

religio

religio, quam tam constanter sectantur, contrarium doceat; sed tribuendum est illud gravissimis persecutionibus & dispersioni, quæ non permiserunt ut genealogias suas sicut olim possent incorruptas conservare. Dices forte, Mirum non esse si colluvies ista hominum religionem Judaicam profiteatur; esse enim ex proselytis prognatos, qui olim maximo numero se populo Israëlitico adjunxerunt, adeo ut Josephus testetur *Antiquit. lib.* XIII. *cap.* 17. centum fere annis ante Herodis tempora maximam Idumæorum partem Hircano compellente religionem Judaicam fuisse amplexos. Ad quod respondeo, Multos quidem proselytos olim Israëlitis se adjunxisse, rebus eorum florentibus, ut iisdem simul bonis fruerentur, & illorum eandem esse conditionem quæ omnium reliquorum Judæorum. Sic quando Deus eduxit eos ex Ægypto per Mosem in manu forti & brachio extento, vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, ut legimus *Exod.* XII. 38. Sed quis sibi persuadebit idem factum fuisse postquam Respublica Judaica funditus subversa fuit à Romanis, & populus ille passim in miserrimam servitutem est abductus? Nemo enim libenter se miseris adjungere solet, unde nihil emolumenti speret, sed contra metuere debeat ne eodem cum illis infortunio involvatur. Hinc legimus Idumæos, qui vixerunt temporibus quæ inter reditum Judæorum ex captivitate Babylonica & adventum Christi effluxerunt, cum fortuna arridebat Israëlitis gloriatos se ex eodem cum illis patre Abrahamo genus ducere, sed cum malis premerentur cognationem istam ejurasse. *Joseph. lib.* XI. *cap.* 10. *Sunt Samaritæ eo ingenio, ut in Judæorum rebus adversis negent suos esse cognatos, in quo quidem verum dicunt. Sed si forte eos paulo lætius agere viderunt, continuo in eorum communionem insiliunt, suos esse consanguineos dicentes, genusque suum à Josephi natis Ephraimo & Manasse deducentes.* Cui adde, quod Idumæi illi, qui sub Hircano Judaïsmum amplexi sunt, id coacti fecerunt, ne agris & bonis suis exuerentur. Sed post ultimum Hierosolymorum excidium Judæi non habuerunt tales vires ut alios cogere possent; ut qui nunc istam religionem profitentur pro veris Israëlitis reputari amplius non debeant. Idque præterea inde falsi convinci potest, quod *Apoc.* VII. *v.* 4. *& seqq.* dicuntur ex unaquaque tribu filiorum Israël 12000 signati, (id est ut ex *v.* 9. patet, turba magna quam nemo dinumerare poterat) ut eximerentur judiciis Dei quæ in improbos exercenda erant; atque ita præpararetur via conversioni illi magnificæ de qua agit Paulus. Licet enim hæc obsignatio illam antecedat, tamen, ut requirit series prophetiarum Apocalypsis, ad sæcula, quæ ultimam templi & gentis Judaicæ ruinam secuta sunt, referri debet. Qui autem olim stante adhuc politia Judaica, se per circumcisionem & eorundem sacrorum communionem illis adjungebant, pro Judæis censebantur, & ad eos non minus quam ad reliquos ex Israële proseminatos promissiones divinæ observantibus legem factæ, pertinebant; præsertim Idumæi & Ægyptii, de quibus præceptum exstat *Deut.* XXIII. 7, 8. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus: qui nati fuerint ex eis tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini.* Qui autem intrabant in Ecclesiam Domini, eorundem bonorum & privilegiorum cum reliquis Israëlitis erant participes. Quare etsi probaretur (quod nunquam fiet) Judæos nostros hodiernos ortos esse ex antiquis illis proselytis, qui se olim ante adventum Christi Judæis adjunxerunt, nihilominus ad eos pertineret Pauli prophetia de ipsorum conversione. De toto enim illo populo loquitur, qualis erat suo tempore, cum dicit, *Sic omnis Israël salvus fiet.* Quod cum nondum factum sit, aliquando eventurum expectare debemus, ne falsi Apostolum coarguere velle videamur, à quo id tam disertis & expressis verbis prædictum fuit. Hac tamen addita cautione, ne verba illa, *Sic omnis Israël salvus fiet*, ita generaliter accipiantur, quasi nulli omnino Israëlitæ in incredulitate sua perseveraturi & à salute excludendi essent; quod vix contingere posset, nisi vis libero illorum arbitrio fieret; sed quod per efficaciam gratiæ, quam Deus ipsis offerri denuo curabit, maximus illorum numerus ad Christum sit convertendus; adeo ut paucorum quorumdam, qui illam malitia sua indomita repudiabunt, nulla ratio haberi debeat. *Vigesimus quintus* locus est 2 *Cor.* III. 15, 16. *Usque in hodiernum diem cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum,* (nempe filiorum Israël:) *cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Hic locus est plane geminus præcedenti & ipsum egregie illustrat. Duo enim in eo docet Apostolus, 1. Magnam Israëlitarum sui temporis esse obdurationem & pertinaciam in rejiciendo Christo ejusque Euangelio. 2. Nihilominus ipsos aliquando convertendos ad fidem Spiritus Christi efficacia. Quod autem nonnulli præterea asserunt, Judæos conversos in patriam reversuros, Hierosolymam & templum restauraturos, non solum incerta sunt, sed etiam cum religionis Christi veritate subsistere nequeunt.

XVI. *Vigesimus sextus* est *Apoc.* XIV. 8. ubi Angelus dicit, *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, &c.* id est, certo cadet aliquando, more Prophetis usitato, qui ad certitudinem prædictionum suarum indicandam, præteritis loco futurorum utuntur. Mysticam autem Babylonem intelligi, quæ cap. præced. repræsentata fuit per bestiam habentem capita septem & cornua decem, omnes interpretes consentiunt. Eam vero esse Romam, liquet ex *cap.* XVII. 9. ubi dicitur, *Septem capita, septem montes sunt, &c.* quam nondum fuisse destructam ex quo sedes Antichristi facta est omnes sciunt. Ruina autem hæc præcedere debet illam Ecclesiæ instaurationem

quam expectamus, ut ordo prophetiarum Apocalypseos ostendit. Eadem vero ruina Babylonis, simulque regum & principum qui illi adhæserunt, latius describitur *toto cap.* XVIII. & magna parte XIX. post quæ sequitur *cap.* XX. ligatio Satanæ & pax Ecclesiæ per mille annos. *Vincto Satana*, & mille istis felicibus annis inchoantibus, ut dicit Joannes, *animæ decollatorum propter testimonium Jesu & propter verbum Dei, &c. vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis.* Ubi per *animas*, homines ipsos corpore & anima constantes, synecdoche in Scripturis usitata, intelligi debere, nullus ut puto repugnabit. Simplex etiam verbum *vixerunt*, accipiendum esse pro composito *revixerunt*, & præteritum istud pro futuro *revivent*, res ipsa indicat. Reviviscentiam autem istam martyribus tantum promitti certum est. Verba enim Joannis clariora sunt quam ut alio trahi possint. Sed quid per eam intelligatur non ita liquido constat. Quidam enim regenerationem spiritualem in vitæ novitatem significari putant, prout aliquando *resurgendi* & *resurrectionis* voces in Sacris literis accipiuntur. Sed regeneratio spiritualis est res quæ non solis martyribus competit, nec erit illis mille annis propria: quolibet enim tempore locum habet, cum sine ea nemo salvus esse queat, dicente Christo, *Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei, Joan.* III. 5. Nec istud regenerationis genus sequitur mortem, sed antecedit. Post mortem enim non datur emendationi vitæ locus. Præterea oppositio quam facit Apostolus inter martyres & reliquos mortuos, hanc expositionem non admittit, cum dicit, *Cæteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni.* Inde enim sequeretur, post mortem dari pœnitentiæ locum, & eos qui in impietate obierunt, post mille annos illos elapsos ad meliorem frugem reversuros: quod perpetuo Scripturæ tenori adversatur. Alii ergo absurditatem istam animadvertentes, putant de resurrectione quidem spirituali istud accipi debere, sed alterius generis; nempe ita ut illi sancti martyres, qui pro sceleratis & impiis sunt occisi, in existimatione fidelium, qui mille istis annis terram incolent, reviviscant, & eorum memoria sit in benedictione apud omnes, tanquam eximiorum Christi athletarum, qui pro veritate ejus certantes contra impios ab illis interemti fuerunt. Vel Deum tunc suscitaturum alios fideles, eodem spiritu cum priscis illis martyribus animatos, veluti de Joanne Baptista dicitur, *eum venturum in spiritu & virtute Eliæ, Luc.* I. v. 17. ita ut martyres videantur quodammodo in illis revixisse. Sed quamvis expositiones istæ nonnihil probabilitatis habeant, non satisfaciunt tamen; idque propter oppositionem istam inter martyres & reliquos mortuos, cujus in refutatione primæ opinionis meminimus. Ex vi enim illius oporteret omnes mortuos, sive pios sive impios, in fine mille istorum annorum resurgere in existimatione hominum, vel illorum similes à Deo suscitari; quod ineptum esse unicuique facile est animadvertere. Cum ergo mortuorum resurrectio universalis, quæ continget post mille annos quietis Ecclesiæ, de alia non posse accipi videatur quam de corporali quam in ultimo die expectamus; verisimile quoque est resurrectionem martyrum fore corpoream, nimirum ut propter toleratam pro Christo & ejus veritate mortem cruentam, hoc privilegio honorifico præ reliquis fidelibus fruantur, ut mille & amplius annos ante ipsos resurgant. Ita autem videntur resurrecturi, ut non sint glorificatis corporibus induendi, sed animalibus; nec tamen unquam amplius morituri, sed in ultimo adventu Christi ad judicium immutandi & immortalitate donandi. Illi autem erunt cæterorum fidelium duces & rectores, qui eos exemplo & doctrina ad pietatem animabunt. Mille enim anni videntur longum aliquod temporis spatium designare, non illud præcise quod mille Solis periodis definitur. Deinde post mille istos annos expletos, non statim sequetur finis mundi & universalis mortuorum resurrectio. Satan enim tunc solvetur ex captivitate sua, & gentes incredulas, quæ significantur nominibus *Gog & Magog*, id est, ut putant, Turcarum & Tartarorum (nam *Gog & Magog* sunt Scythiæ pars circa Caucasum) excitabit ad persequendam Ecclesiam; licet persecutio ista non videatur diuturna futura, quia ignis à Deo descendet è cælis, qui consumet eos, Diabolusque cum Bestia & Pseudopropheta conjicientur in stagnum ardens ignis & sulphuris, atque ita ultimum judicium consummabitur.

XVII. Nunc paucis expendamus ea quæ adversus sententiam hactenus à nobis expositam afferri solent. Objicitur 1. Scripturam ubique significare, nihil aliud fidelibus quamdiu sunt in hoc mundo exspectandum esse ab inimicis veritatis, quam persecutiones, & zizania non esse eradicanda nisi in consummatione seculi, *Matth.* XIII. Ita Paulum & Barnabam confirmantes animas discipulorum qui erant Lystræ, Iconii & Antiochiæ, exhortantesque ut permanerent in fide, dixisse iis, *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, Act.* XIV. 21. item adhuc universalius, *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur, 2 Tim.* III 12. &, *sumus heredes Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur, ut & glorificemur, Rom.* VIII. 17. Respondeo. Ista loca & similia respicere præcipue prima illa Ecclesiæ tempora, quibus tam Ethnici quam Judæi certatim in Christianos irruebant ut eos opprimerent: sed non significare ita perpetuo cum illis actum iri, absque ulla temporum, locorum aut personarum exceptione. Istud enim repugnaret experientiæ, quæ docet non solum multos fideles immunem à persecutionibus vitam traduxisse, sed etiam universam Ecclesiam ab illis respirasse, quando nacta est Principes Chri-

Christianos sub quorum protectione pacifice degeret. Nihil ergo obstat, quominus similiter mille illis annis à Joanne prædictis cessent omnes adversus pios persecutiones, quocunque sub prætextu iis intentatæ ab Antichristo aliisve Evangelii inimicis. Summatim, idem Dei spiritus, qui præsignificavit persecutiones fidelibus eventuras, declaravit etiam fore ut aliquando ab iis liberentur; adeo ut hic exceptio contineatur ab eo, quod alias quispiam existimare potuisset prorsus universale seu omnibus locis & temporibus commune futurum.

XVIII. Objicitur 2. Paulum 2 *Thess.* II. prædicere, *Christum Jesum hominem illum peccati & impium*, de quo loquitur, seu Antichristum, *in illustri demum adventu suo destructurum*; nos autem velle post illius destructionem secuturos mille annos pacis, & illis demum finitis Dominum Jesum venturum ad judicium. Respondeo 1. Non esse necesse adventum illum Christi, quo Antichristum destructurus est, interpretari de ultimo ipsius adventu ad judicandum vivos & mortuos. Aliorum enim etiam præter istum Christi adventum meminit Scriptura. Sic *Matth.* x. 23. ipse dicit discipulis, quos primo mittebat ad prædicandum Evangelium in Judæa, *non consummabitis civitates Israël donec veniat filius hominis*: quod profecto de adventu ipsius ultimo non potest intelligi; sed melius de adventu vel ad liberandum suos à persecutione, vel ad ulciscendam Judæorum incredulitatem. Et *Ephes.* II. 17. *veniens* (nempe Jesus) *evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, & pacem iis qui prope.* Certum est autem Jesum nunquam accessisse ad Ephesios aut ad Ethnicos ad prædicandum ipsis Evangelium, sed id quod fecit per Apostolos ipsi tribuitur. Similiter 1 *Petr.* III. 19. *in quo & his qui in carcere spiritibus veniens prædicavit*; quod etiam per ipsius legatos factum esse intelligi debet. Quidni ergo talis quoque adventus Christi intelligatur 2 *Thess.* II. ubi agitur de Antichristi destructione? nempe Christum in ministrorum suorum persona adventurum ad judicium illud exercendum. quod etiam innui videtur in præcedentibus verbis, ubi dicitur, *quem interficiet spiritu oris sui*: nam per *spiritum oris Christi* intelligi potest verbum Evangelii à fidelibus Christi ministris prædicatum, cujus tanta erit vis & efficacia, ut eo Antichristus sit interimendus. Quod si quis omnino pertendat Paulum prædicto 2 *Thess.* loco de adventu Christi ad ultimum judicium agere, cum quo conjuncta erit totalis Antichristi destructio; Dico 2. cum Antichristus, ut vulgo Protestantes putant, non sit futurus unicus homo, sed potius series aliqua hominum iniquum imperium exercentium, fieri posse ut licet ipse ante mille pacis Ecclesiæ annos cum sua fide videl. Romana, sit destructus, tamen illis expletis ope aliorum Ecclesiæ hostium, cum quibus se conjunget, vires aliquo modo resumat, & tamdiu subsistat donec Christus cum ultimo suo adventu ad judicium penitus deleat. Sed tamen priorem responsionem prætulerim.

XIX. Objicitur 3. Paulum in eadem 2 *Thess.* I. 6, 7. dicere, *Justum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem; vobis vero qui affligimini relaxationem nobiscum, cum patefiet Dominus Jesus de cælo cum Angelis potentiæ suæ &c.* Indeque apparere nec ipsum exspectasse, neque aliis promisisse relaxationem ab afflictionibus quas perpetiebantur Evangelii causa, & laborum remunerationem à Deo, quam in ultimo judicii universalis die: quod cum resurrectione martyrum, mille annis ante reliquos mortuos, consistere non possit. Respondeo 1. Apostolum hic loqui de eo quod omnibus piis, in fide Christi mortuis, communiter eveniet; qui præmium suorum laborum non accipient ante illum Christi illustrem adventum ad judicandum orbem; & se per figuram quam Rhetores *communicationem* vocant, cum reliquis conjungere, etiamsi inter se & alios non ignoraret insigne aliquod discrimen in modo remunerationis futurum; aut forte ita loquitur, quia non fuerat ipsi revelatum istud mysterium de resurrectione martyrum ante alios, quod postea placuit Deo nobis per Joannem patefacere. Nihil enim est absurdi si in ejusmodi arcanis, quorum cognitio non est ad salutem necessaria, dicamus Deum uni Apostolorum revelasse quod cæteros celatum voluit. 2. Etsi hæc insignis futura sit martyrum prærogativa, quod tamdiu ante alios è pulvere terræ suscitandi sint, in eo tamen non consistere βραβεῖον illud insigne iis à Deo promissum, quia non glorificabuntur ante ultimum diem, quo Jesus eos ad se in cœlum assumet. Itaque mirum non esse, si Paulus eo potissimum respexerit in consolationibus quas suggerebat iis qui propter Christum patiebantur, etsi ipse hac spe se sustentaverit in adversis suis, quod *sibi reposita esset corona justitiæ, quam Dominus justus judex ipsi in illa die redderet*, 2. *Tim.* IV. 8.

XX. Objicitur 4. Secundum istam quam tuemur sententiam oportere adventum Christi ultimum valde diu adhuc differri; quem tamen Apostoli jam suo tempore præ foribus esse dicebant, & omnes tanquam brevi futurum exspectabant. Respondeo cum Petro, 2 *Epist.* III. 8. *Unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam &c.* Quamvis ergo nobis, qui brevis ævi sumus, duo aut tria millia annorum videantur longum admodum temporis esse spatium, non perinde tamen sunt Deo. Deinde sicut experientia docet illos valde in calculo suo fuisse deceptos, qui jam tempore Apostolorum existimabant sæculi finem instare, ita etiam hodie nobis potest contingere. Hic error inde ortum sumsisse videtur, quod ea quæ Jesus Christus de horrendo judicio Judæis & Hierosolymæ imminente prædixit *Matth.* XXIV. *Luc.* XXI. & alibi, sic accepta fuerunt, quasi de ultimo & universali judicio locutus esset. Et eo quoque tracta sunt ista

ista Joannis verba, 1 *epist.* II. 18. *filioli, novissima hora est &c.* quæ tamen de novissima seu ultima Judaicæ gentis hora sunt accipienda. Verum quidem est *ultimos dies* vocari ab Apostolo *Heb.* I. 2. illos *in quibus Deus nobis locutus est per filium suum.* Sed mens ejus non fuit, cum ita loquebatur, significare mundi finem esse propinquum: hoc tantum voluit, ultimam esse voluntatis divinæ revelationem quæ nobis per Jesum Christum facta est, post quam alia non sit exspectanda. 1 *Thess.* IV. 15. dicitur, *nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini &c.* idem significat ac, qui vivent & residui erunt, quicunque illi sint, licet aliter fuerit acceptum, ut videre est 2 *Thess.* II. 2. Unde videre est, prætextum, qui sumitur rejiciendi sententiam de futura Ecclesiæ instauratione ab instante mundi fine, nihil solidi habere. Interea quia finis vitæ unicuique nostrum imminet, & tempus ejus incertum est, post quod nihil aliud nobis nisi judicium ultimum exspectandum est, recte dicitur adventum Christi fore tanquam furis in nocte, ea hora qua minime exspectatur, ut licet toti mundo non sit ita propinquus ut multi sibi persuadent, tamen nobis singulis immineat; secundum Jacobi monitum v. 8, 9. *Adventus Domini appropinquavit &c. Ecce judex ante januam assistit.*

CAPUT XXIV.

Promissa de Messia mittendo esse absoluta.

I. *Sententia Semi-Judaizantium & Judæorum.* II. *Promissio de Messia est absoluta.* III. *Id evincitur ex Genes.* 3. & 22. IV. *Deut.* 18. V. 2 *Sam.* 7. VI. *Esa.* 53. *Jerem.* 23. & 31. *Esech.* 34. & 37. *Dan.* 9. VII. *Quia certum adventui Messiæ tempus destinatum est.* VIII. *Illud tempus jam dudum effluxisse probatur ex prophetiis,* IX. *Et ex Thalmude.* X. *Judæos multos de adventu Messiæ desperare.*

I. ETiamsi ex iis, quæ huc usque diximus de persona & officio Jesu Christi, satis constare possit ipsum esse Messiam illum quem Deus olim Israëlitis promiserat; tamen quia hoc est unum ex præcipuis religionis Christianæ fundamentis, operæ pretium erit in eo aliquantulum adhuc hærere, & qua ratione convinci possint Judæi, aliique infideles qui id negant, docere. Hic autem primum examinanda nobis est quorundam recentiorum opinio, qui putant promissiones de Messia, quæ habentur in lege & prophetis, omnes fuisse conditionales, & sic debere intelligi; Deum missurum Israëlitis Messiam, seu regem aliquem potentem, qui ipsos ab omnibus inimicis liberaret, & sub cujus imperio vitam in terra Canaan felicissimam degerent, dummodo prius vitam suam emendarent, & se à peccatis averterent; quod quia tempore adventui Messiæ destinato non fecerint, ideo eum non venisse, nec unquam venturum, frustraque amplius exspectari. Quæ sententia partim cum Judæorum opinione convenit, partim ab ea discrepat. Convenit in eo, quod non tantum utrique regem mundanum à Deo promissum fuisse existimant; sed etiam, quod adventum ejus per Israëlitarum peccata & impœnitentiam impeditum esse credunt. Sed discrepant inter se in eo, quod Judæi sperant Messiam aliquando venturum, & ut Deum ad eum mittendum moveant, humiliant se coram eo in precibus & jejuniis, emendationem vitæ pollicentes. Isti vero dicunt, tempus Judæorum pœnitentiæ concessum, jam olim elapsum esse, cum Hierosolyma & templum à Romanis eversa fuerunt, ideoque Messiam nunquam venturum. Unde Semi-Judaizantium nomen sortiti sunt, quia neque omnino sunt Judæi, neque etiam omnino ab eorum opinionibus alieni. Sed, ut apparet, Christianismum penitus ejurarunt; ex lege vero Mosis sola moralia præcepta retinent, quæ dicunt esse natura nota & omnes gentes obligare; ceremonialia vero & judicialia solis Israëlitis fuisse data, nullosque alios præter eos ad ea observanda teneri.

II. Nunc ut ostendamus Messiam non fuisse promissum sub conditione, sive omnino, ut volunt isti Semi-Judaizantes, sive ratione celerioris aut tardioris adventus ejus, ut existimant Judæi, (utrorumque enim similem errorem iisdem argumentis refellere facile est) sed absolute, producenda sunt nobis loca quædam insigniora ex lege & prophetis, ubi Deus se Messiam missurum promittit. Si enim illic nulla conditio apposita inveniatur, apparebit promissionem illam fuisse omnino absolutam.

III. *Primus* erit ille celebris ex *Genes.* III. 15. ubi Deus serpenti illi maledicens, qui seduxerat Evam ut comederet de fructu vetito, id est Diabolo, qui *draco magnus & serpens antiquus* vocatur Apoc. XII. 9. & XX. 2. dicit, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipse conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Istud mulieris semen, quod caput serpentis contriturum erat, est Messias, qui *apparuit ut dissolvat opera Diaboli*, 1 *Joan.* III. 8. Cujus nos gratia adjuti & corroborati de illo victoriam reportamus, secundum illud Pauli, *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter*, *Rom.* XVI. v. 20. ubi manifesta est allusio ad locum quem protulimus ex *Genes. cap.* III. In eo autem nulla apposita est conditio, imo neque locum habere potest. Quid enim? an tum demum Messias conteret caput serpentis, seu infringet Diaboli potestatem, & nobis vires eum superandi largietur, si jam victoriam de eo reportaverimus, & ex insidiis quibus nos ad peccatum sollicitat incolumes evaserimus? Sed quia iste locus est paulo obscurior, cujus tenebras difficile est penetrare iis, qui Evangelii luce non sunt illustrati, confirmandæ quidem Christianorum fidei inservire potest, sed non convincendæ Judæorum aut Semi-Judaizantium infidelitati; ideoque alii potius adversus eos sunt afferendi & urgendi. *Secundus*

cundus ergo nobis esto, promissio illa Abrahamo facta, *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, *Genes.* XXII. 18. quod ad Messiam respicere Judæi non negant, & sub ejus regno potissimum impleri debere. Verum autem quidem est, neminem beatitudine per Messiam promissa potiturum, nisi à peccatis resipiscat & ex ejus præscripto vitam emendet. Sed tamen non dicitur, eum non venturum antequam Judæi se converterint; cum ipse sit, cujus opera ad meliorem frugem sint adducendi: ita ut retractare promissionem de illius adventu, aut eam differre propter eorum impœnitentiam, perinde sit, atque remedium morbo destinatum nolle dare antequam æger à morbo suo convaluerit: quod absurdum esse omnes facile vident.

IV. *Tertius* habetur *Deut.* XVIII. ubi Deus dicit Mosi, *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, &c.* quem antea attulimus cum de officio Christi prophetico ageremus. Scio quidem excipi solere, locum hunc non pertinere ad Messiam, qui sit rex futurus, cum hic promittatur propheta. Sed utrumque munus, propheticum nempe & regium, non ita à se invicem distare quin in uno homine possint conjungi, docet exemplum Davidis, qui simul rex & propheta insignis fuit. Quod præcipue in Messia usu venit, qui per doctrinam suam & adhortationes ad pœnitentiam debuit ex hominibus peccatoribus sibi colligere subditos, qui suo imperio parerent. Unde videre est, non oportuisse promitti sub conditione pœnitentiæ antecedentis; cum ideo Deus eum mittere voluerit, ut homines à prava sua vita ad meliorem vocaret, eaque solum lege pro subditis suis agnoscere.

V. *Quartus* est 2 *Sam.* VII. 12. 13. 14. ubi Deus per Nathanem dicit Davidi, *Cum fuerint completi dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus: ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Quod ita exponitur *Psal.* LXXXIX. 36. *Semel juravi in sancto meo, si Davidi mentiar; Semen ejus in æternum manebit; Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.* Istum locum utrumque tum Judæi, tum Semi-Judaizantes, in Messiam quadrare concedunt, qui promissus fuerit Davidi & ex ejus semine oriturus. In neutro autem apposita est ulla conditio aut missioni Messiæ aut tempori ejus, ut ex inspectione patet. Illi contra excipiunt, & dicunt Deum promissioni suæ conditionem adjecisse, illic & alibi expressam, nempe, si posteri Davidis ambulent in viis Domini & præcepta ejus custodiant. Id videri posse 1 *Reg.* II. 2. 3. 4. ubi David filium Salomonem alloquens & promissionem sibi à Deo factam repetens, inquit, *Ego ingredior viam universæ terræ; confortare & esto vir, & observa ut custodias mandata Domini Dei tui, &c. ut confirmet Dominus sermones suos quos locutus est de me, dicens, Si custodierint filii tui vias meas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de folio Israël.* Quibus gemina leguntur 1 *Chronic.* XXVIII. 4 *& seqq.* item 2 *Chron.* VII. 17 *& seqq.* Resp. duplicem esse locorum istorum sensum, unum literalem, alterum mysticum; literalem respicere ad Salomonem & cæteros Davidis posteros, quibus Deus hac lege promisit se confirmaturum regni solium, si perseveraverint facere præcepta sua: mysticum concernere Messiam, cujus David & Salomon typi fuerunt; in eumque non quadrare ista verba, *qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum & in plagis filiorum hominum*, 2 *Sam.* VII. 14. Sed illa tantum, *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum*; secundum interpretationem Angeli Mariam virginem alloquentis, *Luc* I. 32. 33. Sed quia ii cum quibus nobis res est illam non admittunt, demus istud, *Qui si inique aliquid gesserit, &c.* etiam ad Messiam pertinere; oportebit sane ut veniat, cum ille qui natus non est nihil justi aut injusti gerere possit. Cui adde, non agi illic de populo Israëlitico, à cujus tamen conversione volunt suspensum esse Messiæ adventum; ita ut si se à peccatis suis avertat, ille venturus sit; alioquin, aut omnino non, aut saltem tardius quam fecisset venturus sit. Quare hæc pro conditione adventui Messiæ apposita non sunt habenda; sed tantum sub qua Deus regnum temporale posteris Davidis confirmaturus esset; illis vero deficientibus à Dei fœdere, Deus à sua parte mansit fidelis, ut erigeret solium illud mysticum & cæleste, quod per regna Davidis & Salomonis præfigurari voluerat.

VI. *Quintus* est *Esa.* LIII. ubi prædicuntur afflictiones Messiæ eventuræ, idque propter iniquitates & scelera populi Israëlitici, *v.* 5. 6. 7. 8. Unde sequitur Deum nolle differre adventum ejus usque ad conversionem Israëlitarum; multo minus retractare suas promissiones, quia illi huc usque perseverant in peccatis suis; cum ideo eum mittere decreverit ut ipsos ad meliorem frugem adducat. Locum autem hunc de Messia intelligendum esse, alibi evicimus. *Sextus* est *Jerem.* XXIII. 5. 6. *Ecce dies veniunt, inquit Dominus, & suscitabo Davidi germen justum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra, &c.* Eum non negant Judæi prophetiam de Messia continere; nec ibi vel minima umbra conditionis apparet sub qua mittendus sit à Deo; licet certum sit neminem beneficiis per eum orbi terrarum afferendis fruiturum, nisi qui serio se ad Deum & ex toto corde converterit. *Septimus* est *Jerem.* XXXI. 31 *& seqq.* *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum, &c.* qui est similis præcedenti, & sine controversia ad tempora Messiæ pertinet, nullamque habet annexam conditionem.

Octavus est *Ezech.* XXXIV. 23. 24. *Et suscitabo super eas* (nempe oves meas) *pastorem unum qui pascat eas, servum meum David*, &c. Per *Davidem* hic significari Messiam ex ipso oriundum consentiunt omnes, & absolutam esse Dei promissionem conditionis absentia evincit. *Nonus Ezech.* XXXVII. 23. 24. *Et erunt mihi populus, & ego ero eis Deus; & servus meus David rex super eos*, &c. Hic etiam de Messia agi nemo est qui negare audeat, adeo evidentia sunt prophetiæ verba. Sed aliquis forte dicet conditionem ibi esse appositam, nempe, *non polluentur ultra in idolis suis, & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis*; item, *in judiciis meis ambulabunt, & mandata mea custodient & facient ea.* Ad quod resp. 1. Verba ista non continere ullam conditionem, sed in iis prædici quid Judæi sint facturi tempore adventus Messiæ, sive sponte sua, sive persuasionibus ejus adducti. 2. Fac esse conditionem, dico illos jampridem ei satisfecisse, cum omni idololatriæ nuncium miserunt. non enim legimus ullos ex gente Judaica post reditum à captivitate Babylonica se idololatria contaminasse, ut antea sæpius; sed contra eam summopere sunt abominati. Istud autem crimen hic præcipue intelligi, quod iram Dei adversus eos concitaverat, verba ipsa prophetæ indicant. Nec est quod excipiatur, ipsos aliorum multorum esse reos; quamvis enim defensionem probitatis Judæorum nolim suscipere, evidens est illos non amplius vulgo in fœdis istis peccatis volutari quæ prophetæ eis objiciunt, homicidiis, adulteriis, oppressione pauperum, profanatione Sabbatorum, & similibus; ita ut ad ea non possit referri causa quod Messias nondum venerit, aut nunquam sit venturus. *Decimus* est *Danielis* IX. 24. *& seqq.* ubi prædicitur 70 hebdomadas (nempe annorum, seu propheticas, 490 annos conficientes) elapsuras ab edicto regis Persarum, quo permittebat Judæis reditum ex Babylone, usque ad Christum. Ibi enim simul additur Christum occisum iri, & Jerusalem evertendam propter scelera quæ tunc in ea grassabuntur. Unde apparet manifeste, Deum noluisse suspendere promissionem suam de mittendo Messia à conversione Judæorum, alioquin non præfixisset executioni ejus tempus, in quo providebat eos tam improbos futuros, ut gratiam divinam sibi in Messia oblatam præfracte essent repudiaturi, ipsumque ejus præconem & sequestrum intercempturi.

VII. His adde, quod in promissionibus sub conditione factis non soleat addi certum & definitum tempus quo debeant executioni mandari; cum enim tempus istud ab impletione conditionis pendeat, non convenit aliud dici, nisi tum demum promissionem effectum suum sortituram, cum postulata conditio fuerit præstita. Sed aliter factum videmus in promissionibus de Messia, quarum impletioni certum & præfinitum tempus est assignatum. Quod nobis nunc foret ostendendum, nisi aliquatenus jam ante fecissemus in capite de persona Christi de tempore nativitatis ejus agentes, ubi tria illustria loca huc pertinentia attulimus, primum ex *Genes.* XLIX. *v.* 10. alterum ex *Daniel.* IX. 24. *& seqq.* tertium ex *Aggai* II. 7. *& seqq.* Ex quibus apparet, Deum decrevisse Messiam mittere circa illud tempus quo Dominus Jesus in mundum venit, id est, ante mille & sexcentos annos, & circiter quatuor mille à mundo condito.

VIII. Unde ut ad alterum propositi membrum nunc transeam, nempe Messiam venisse, & frustra deinceps exspectari ut veniat alius præter eum, quem Christiani pro tali habent, sic argumentor. Quandoquidem tempus quo Messiam venturum prædictum fuit à prophetis jam dudum est elapsum, sequitur Messiam venisse, aut Deum non stetisse promissis mittendo illum eo tempore quo prædixerat. Atqui falsum & absurdum est posterius. Ergo prius est verum. De minore probanda non oportet nos esse sollicitos. nullus enim, opinor, eo impietatis venturus est, ut Deum mendacii arguere audeat. Et nos jam omnes rimas obturavimus, quibus elabi possent qui Messiæ adventum propter Judæorum peccata & impœnitentiam differri à Deo sibi persuadent. Ut ergo conclusio nostra sit firma, restat sola major fulcienda. At id jam supra sufficienter fecimus, cum de tribus modo citatis locis disseruimus. Jam circiter mille sexcenti anni sunt elapsi ex quo sceptrum, id est, dominatus cujus sceptrum est symbolum, ablatum est à Juda. Quod quidam tunc factum esse existimant, cum Herodes, qui erat alienigena, seu Idumæus, regnum Judaicum invasit; vel cum Judæi devicti à Pompeio M. Romanos pro Dominis agnoscere coacti fuerunt. Sed etsi negare nolim id quadantenus esse verum, tamen evidens est non fuisse omni ex parte impletum, quamdiu formam aliquam reipublicæ & αὐτονομίας retinuerunt, ut sub Herode & Præsidibus Romanis. Id ergo contigit solum, cum politia Judaica eversa est à Tito, Jerusalem & aliæ urbes solo æquatæ, Judæique partim occisi, partim in miseram servitutem abducti, totoque orbe dispersi, anno à Christi nativitate 69. Ab eo enim tempore nullam Judæi rempublicam uspiam locorum habuerunt. nam quod refert Benjamin Tudelensis in suo itinerario de Principe αἰχμαλωσίας ex stirpe Davidis, Babylone imperii sedem habente; sciendum est, illud imperium esse precarium, quod ad nutum Persarum regis exercet, illius urbis & totius circumjacentis regionis Domini, in quas ille Judæorum Princeps nullum plane jus habet. Secundum prophetiam autem Jacobi *Gen.* XLIX. sceptrum non debebat recedere à Juda donec venisset Schiloh seu Messias; unde apparet tempus adventui ejus constitutum jam dudum præteriisse, fallique valde Judæos qui ipsum adhuc expectant. Similiter jam sunt circiter mille sexcenti anni elapsi ex quo 70 illæ hebdomades, de quibus agit *Daniel cap.* IX.

sunt

sunt impletæ. nam quamvis aliqua sit controversia de epocha unde numerandi eas initium sumi debeat; tamen hodie nullius pene ea est momenti, ratione nostri qui tanto temporis intervallo ab illis remoti sumus. nam à quocunque termino inchoentur istæ hebdomades, certum est eas circa Christi tempora desinere; adeo ut ad discrepantiam 60 aut etiam 100 vel paulo plus annorum, supervacaneum sit nunc attendere, ubi quæritur, an tempus adventui Messiæ destinatum præterierit nec ne. Similiter quoque jam sunt circiter mille sexcenti anni elapsi, ex quo secundum templum Hierosolymitanum, quod Judæi reduces ex captivitate Babylonica exstruxerunt, funditus eversum est, & secundum Christi prophetiam *Matth.* XXIV. non remansit in eo lapis super lapidem, qui non destructus sit. Atqui secundum prædictionem *Aggai cap.* II. collatam cum *Malach.* III. 1. Messias venire debebat durante secundo hoc templo. Quod adeo manifestæ est veritatis, ut quidam Judæorum Rabbini nullum aliud effugium nisi hoc invenire potuerint, nempe, natum esse Messiam illo ipso die quo templum istud à Romanis fuit incensum; sed latere & nolle se manifestare Judæis donec convertantur ad Deum. Cujus commenti vanitatem supra satis ostendimus. Sed de hoc loco & duobus præcedentibus vide præterea ea quæ supra diximus, cum de tempore nativitatis Christi ageremus.

IX. Denique probari potest ex ipso Judæorum Thalmud tempus adventui Messiæ destinatum jam dudum effluxisse. Sic enim habetur in libro Sanhedrin; *Sententia domus Eliæ; Sex millia annorum permanet mundus; duo millia inanis, duo millia legis, duo millia dierum Messiæ.* Ubi observandum est 1. Eliam, cujus hic fit mentio, non esse quidem Thesbiten illum prophetam in scripturis celebrem, qui turbine raptus est in cælum; sed alium tempore longe posteriorem, attamen inter Rabbinos Judæorum magnæ auctoritatis. videtur vixisse circa tempora captivitatis Babylonicæ. Præcessit enim Christi nativitatem, & lingua Chaldaica utitur ut Daniel & Esdras. 2. Calculum hunc in quo duo millia annorum tribuuntur inani, id est temporibus quæ præcesserunt legem, & duo millia temporibus legis, (cum tamen plus quam 2450 anni effluxerint à creatione mundi usque ad promulgatam legem in monte Sinai, & vix 1550 lapsi fuerint à promulgatione legis usque ad nativitatem Jesu Christi) sic posse utcunque salvari, si inane extendatur tantum usque ad Abrahamum, cum quo Deus fœdus iniit, rudimenta quædam legis continens: legis vero tempus ab Abrahamo inchoëtur, & ad natum Christum continuetur. Ita enim duo hæc intervalla, duo fere annorum millia singula complectentur. Sed quicquid de eo sit, certum est Dominum Jesum circiter quater millesimo anno ab orbe condito esse natum, unde Elias ille tempora Messiæ inchoat; quem si sequantur Judæi, necesse habebunt confiteri jam ante 1652 annos Messiam advenisse. 3 Quantum verò temporis mundus sit duraturus sub regno Messiæ, 2000-ne annos, an plures, non opus est nos hic definire. Neque enim pugnamus adversus Judæos hoc Eliæ testimonio tanquam divino, sed solummodo tanquam inter eos recepto & approbato. Sed excipiunt, in loco illo Thalmudis hæc verba immediate sequi, *Propter peccata nostra quæ creverunt, exierunt ex eis* (scil. annis) *qui exierunt*; id est, prout ipsi exponunt, propter peccata nostra quæ multiplicata sunt, non venit Messias in fine quatuor millium annorum. Ad quod respondeo, istud esse glossam à Scriptoribus Thalmudis adjectam traditioni domus Eliæ, ne ex ea possent convinci tempus adventui Messiæ constitutum jam præteriisse. Id quod inde apparet, quod sententia domus Eliæ linguâ chaldaicâ est conscripta; verba vero illi annexa, sunt Hebraica, ac proinde diversi auctoris à præcedentibus.

X. Hæc perpendentes multi Judæorum jam plane de adventu Messiæ desperant, dictitantes gentem suam tanto se beneficio indignam reddidisse, & cujusdam R. Hillelis pronunciato calculum adjicientes, existimant tempora Ezechiæ regis devorasse Messiam: quamvis is non ultra 29 annos regnarit. Alii vero etiam væ audent dicere illis, qui tempus adventus Messiæ determinare velint; quod est adversus sacros Scriptores & Prophetas modo citatos, qui id ex Spiritus Sancti revelatione didicerunt, impie insurgere. Nec mirum est illos adeo esse perturbatos. Jam enim propemodum sexdecim secula effluxerunt à destructione Jerusalem & templi, & dispersione Judæorum per omnes mundi oras, id est, diutius quam ipsorum politia in universum duraverit, etiam comprehensa interruptione illa 70 annorum, quam captivitas Babylonica ei attulit. Interim Deus nullos ad eos mittit prophetas, qui de reditu in patriam certiores reddant, aut quando finem habitura sit servitus eorum significent. Imo cum Julianus, cognomento Apostata, imperii sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, aut in religionis Christianæ odium, templum Hierosolymitanum restaurare proposuisset sumtibus immodicis, divinitus fuit impeditus, ut narrat *Ammianus Marcellinus* scriptor Ethnicus *lib.* 23. dicens, *Cum rei fortiter instaret Alypius (cui negotium maturandum dederat Cæsar) juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum; hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum.* Unde Judæi animadvertere possunt, se & omnem cultum suum à Deo esse rejectos, frustraque exspectare ut Messias eum instauret. Quod utinam oculos eorum aperiret, ut agnoscentes majores suos Messiam ad se missum repudiasse, ideoque omnia, quæ postea perpessi sunt, mala illis evenisse, ad eum se converterent.

CAPUT XXV.

Jesum esse Messiam.

I. *In Jesum quadrant omnes Messiæ notæ, tam communes, quam propriæ.* II. *Prima. quia venit tempore per Prophetas præstituto.* III. *Secunda. quia natus est Bethlehemi.* IV. *Tertia. quia ex tribu Juda & familia Davidis prodiit.* V. *Quarta. quia miraculis insignis fuit.* VI. *& plurima in ejus gratiam miracula facta sunt.* VII. *Quinta. quia illius tempore omnes gentes ad cognitionem unius veri Dei Israëlis sunt vocatæ.* VIII. *Sexta. quia per illum idololatria est abolita.* IX. *Quomodo id verum sit, licet idololatria passim inter Christianos vigeat.*

I. JEsum autem Nazarenum, quem Christiani pro Salvatore suo amplectuntur, verum esse Messiam Israëlitis promissum, sic porro demonstramus. In quo omnes notæ & indicia apparuerunt, ex quibus secundum Prophetarum oracula Messias agnosci posset, is est verus Messias à Deo promissus. In Jesu autem Nazareno omnes hæ notæ & indicia apparuerunt. Ergo indubium est quin is sit verus Messias. Major propositio hujus argumenti est manifestæ veritatis, si non assumatur tantum una aut altera nota seorsim, ex iis quæ in alios etiam possent quadrare, quales sunt nonnullæ pluribus communes; sed omnes simul, & maxime illæ quæ sunt characteristicæ & reciprocæ. Ex communibus enim non licet argumentari affirmative ad ostendendum quisnam sit verus Messias; sed negative tantum, ut ille non habeatur pro Messia cui eæ desunt. Ex propriis vero tam affirmative quam negative argumenta petuntur, ut ille non sit Messias in quo non conspiciuntur, & contra is verus sit Messias qui eas habet. Notæ communes Messiæ sunt eæ quæ spectant tempus adventus ejus, locum nativitatis, & majores ex quibus originem ducere debuit. Istæ enim quia possunt pluribus communes esse, non designant certo Messiam, sed ostendunt tantum illum non debere pro Messia recipi in quo non reperiuntur; adeo ut Judæi justam habituri essent causam Jesum repudiandi, si istis notis non fuisset insignitus. Notæ propriæ & characteristicæ sunt, quod Messias editurus sit plura & majora miracula quàm Moses aut ullus prophetarum, quod per eum gentes vocandæ sint ad cognitionem veri Dei, & abolenda idololatria. In quem censum referri etiam deberet, quod nasciturus esset ex virgine. Sed quia de hac nota quod alicui conveniret non potuit constare vulgo, sed tantum matri ejus, & iis quibus arcanum istud revelatum fuit à Deo, ex ea vix convinci cujusdam incredulitas poterit.

II. Nunc quod ad syllogismi nostri assumtionem attinet, notas Messiæ istas omnes convenire Domino Jesu, & proprias quidem soli, non difficile est nobis probare. Consideremus ergo singulas ordine, & illi applicemus. *Prima* est de tempore adventus Messiæ, quæ ad amussim quadrat in Jesum. Secundum vaticinium Jacobi *Genes.* XLIX. non debuit *auferri sceptrum de Juda, nec legislator de femore ejus, antequam veniret Schiloh* seu Messias. Ex historia autem constat, & à nemine in controversiam vocatur, quin Jesus noster sit natus ante ultimam Hierosolymæ destructionem factam à Romanis, per quam sceptrum seu dominatus & imperium ita ablatum est à gente Judaica, ut ipsum postea non recuperaverit. Secundum vaticinium *Danielis cap.* IX. Messias debuit venire circa finem 70 hebdomadum annorum, quæ inchoandæ sunt à tempore edicti in gratiam Judæorum facti, quo illis permissum est redire in patriam, & Jerusalem ac templum restaurare, & desinunt ante ultimam eorum destructionem. Circa tempus istud autem natus est Jesus, ministerio functus est, & mortem subiit. Denique secundum vaticinia *Aggæi & Malachiæ* Messias debuit venire sub secundo illo templo; quod Judæi reduces ex captivitate Babylonica exstruxerunt. Quod pariter in Jesum quadrat, qui natus & passus est antequam id à Romanis dirueretur & solo æquaretur. Ita ut quod ad circumstantiam temporis adventui Messiæ destinati nihil requiri possit, quod in Jesu nostro non inveniatur. Idque temporibus illis ita erat vulgatum, ut etiam ad Romanorum aures pervenerit, licet perverse interpretarentur & ad suos traxerint, ut videre est apud *Suetonium* in vita Vespasiani cap. 4. *Percrebuerat oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur, &c.* Quibus gemina scribit *Josephus de bello Jud. lib. 6. cap.* 31. secundum distinctionem Græcam, *Quod maxime eos ad bellum excitaverat, oraculum erat ambiguum in Sacris libris inventum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium.* Quod uterque quidem tum Suetonius tum Josephus de Vespasiano interpretantur. Sed inepte, cum ille ex Judæis aut finibus ipsorum non esset ortus. Hæc autem sive opinio, ut ille vocat, sive oraculum, ut hic loquitur, non aliunde videbatur originem ducere, quam ex 70 Danielis hebdomadibus, quas tunc animadvertebant effluxisse. Quod testimonio Nehumiæ Judæorum Doctoris comprobatur, qui circiter 50 annis Jesum præcessit, & tempus à Daniele significatum, non ultra 40 aut 50 annos protractum iri censuit. Indeque etiam factum est, ut cum Judæi tunc exspectarent vulgo Messiam, & D. Jesu hunc honorem deferre noluissent, variis impostoribus potius adhæserint, quàm istam, quam imbiberant, persuasionem deponerent, tempus Messiæ missioni destinatum advenisse. Et ita impletum fuit illud quod prædixerat iis Jesus, *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis, Joan.* V. 42. Talis fuit primo Theudas, cujus meminit Gamaliel *Act. v.* 36. deinde Judas Galilæus, *ibid. v.* 37. sive Judas Gaulonites, ut vocat eum Josephus *Antiq. lib.* 18. *cap.* 1. Tertio, paucis post annis,

annis, regnante nimirum adhuc Herode Agrippa, ostendit se quidam Barcozba, seu Bencozba, de quo scriptum est in libro Sanhedrin; quem Judæi pro Messia susceperunt; nec imperitum tantum vulgus, sed etiam sapientum multi, inter quos R. Akiba, vir apud Judæos maximæ auctoritatis, qui fuit istius pseudoMessiæ armiger. Et hac fiducia à Romanis defecerunt. Sed ad eos compescendos missus fuit Vespasianus cum ejus filio Tito, paulo post successive Imperatoribus creatis, qui exitium iis ultimum attulerunt. Cum viderent autem Judæi Barcozbam istum non posse ipsos liberare è Romanorum manibus, interfecerunt eum. Quarto, alium quoque ejusdem nominis (nihil verentes malum omen, nam Barcozba est filius mendacii, à Cazab mendacium, qui se Messiam venditabat; ipse vero mutato nomine se vocabat Benchochab, id est filium stellæ, allusione facta ad *Num.* 24.) receperunt, quadraginta octo annis post Hierosolymorum excidium sub Imperio Adriani. Hic, ut ajunt, congregavit in urbe Bitter exercitum ducentorum mille Judæorum, ut excuteret jugum Romanorum. Sed deleti fuerunt, & qui ex tanta clade evaserunt translati sunt in Hispaniam, & Judæa aliis populis incolenda est data. Non fuissent autem tam proni ad falsos istos Messias recipiendos, à quibus ita misere decepti sunt, nisi persuasi fuissent tempus manifestationi Messiæ assignatum à Prophetis advenisse.

III. *Altera* nota spectat locum ubi Messias nasciturus erat. Is autem erat urbs Bethlehem, secundum vaticinium *Michea cap.* V. *v.* 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvula es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus seculi.* Quod de Messia intelligendum esse agnoverunt principes Sacerdotum & Scribæ tempore Jesu, interrogati ab Herode *Matth.* II. Sed quin Jesus natus sit Bethlehem, nunquam quod sciam in controversiam fuit vocatum, id disertè testantibus Evangelistis Matthæo & Luca: ita ut propterea non possit rejici, quasi nota, quæ in Messiam convenire debuit, non esset insignitus. Nec refert quod vulgo Jesus Nazarenus vocaretur, ut passim videre est apud Sacros nostros Scriptores. Cognomen enim istud accepit à loco educationis suæ, Nazareth urbe Galileæ, *Luc.* IV. 16. quæ aliquando etiam appellatur urbs & patria ejus, quia ibi primos ætatis annos transegerat, & consanguineos affinesque suos habebat; licet occasione descriptionis factæ jussu Cæsaris Augusti, natus sit Bethlemi, unde majores ipsius erant oriundi, *Luc.* II. Sed ex eo quoque agnosci potuit esse Messias, quia de Messia prædictum fuerat eum in Galilæa commoraturum. Quo spectant ista verba *Esaia cap.* IX. citata à Matthæo *cap.* IV. *Terra Zabulon & terra Nephthali, via maris, trans Jordanem, Galilaa gentium; populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione & umbra mortis lux orta est eis.* Impleta autem fuerunt cum Jesus ibi prædicavit Evangelium, quo tanquam cælesti luce animos populi istius illuminavit, & tenebras ignorantiæ, in quibus jacebat, discussit. Præterea ex destructione Bethlehem ante multa sæcula, quæ destinata erat nativitati Messiæ, recte colligitur tempus adventus ejus jam dudum effluxisse, frustraque eum adhuc exspectari: quod ad præcedentem notam pertinet.

IV. *Tertia* nota est, quod Messias nasci debuerit ex tribu Juda, & ex familia Davidis. De tribu quidem Juda constat ex oraculo Jacobi *Genes.* XLIX. jam aliquoties citato, *Non auferetur sceptrum de Juda, & legislator de femore ejus, donec veniat Schiloh, &c.* Hic enim non obscure promittitur Messias illi tribui, in qua sceptrum & legislator debebant permanere usque ad ejus adventum. Sed id clarius adhuc patet ex locis ubi prædicitur ex Davide nasciturus, quem indubium erat ex tribu Juda fuisse prognatum; qualis est ille celebris ex 2 *Sam.* VII. supra citatus, cum quo multa alia conveniunt. Item, *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet Esa.* XI. I. quem de Messia intelligendum esse nemo dubitat. Jesse autem erat Davidis pater. Rursus, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Davidi germen justum &c. Jerem.* XXIII. 5. ubi etiam de Messia agi constat. Indeque fit ut Messias nomine *Davidis* aliquando designetur, ut *Ezech.* XXXIV. 23. 24. & XXXVII. *v.* 24. 25. Quod adeo vulgo cognitum erat inter Judæos, ut multi Jesum *filium Davidis* vocarent, & ipse inde occasionem arripuerit ex Pharisæis quærendi, *Si David vocat Messiam Dominum* (nempe in Psal. CX.) *quomodo ejus filius est? Matth.* XXII. 45. Jesum autem ex tribu Juda fuisse ortum testantur scriptores novi fœderis; inter quos legitur *Heb.* VII. 14. *Manifestum est quod ex Juda ortus sit Dominus noster, &c.* Ex domo vero & familia Davidis prognatum fuisse testatur ejus genealogia à Matthæo & Luca descripta, de qua antea egimus, dubiaque illic occurentia solvimus.

V. *Quarta* est, quod Messias miraculis insignis futurus esset. Eam quidem in controversiam vocant hodierni Judæi; sed absque ulla rationis specie. Fac enim nihil omnino de Messiæ miraculis à Prophetis fuisse prædictum, certum est tamen nullum illustriore modo probare posse se à Deo ad opus aliquod eximium esse missum, quam si miracula edat. nam cum illa fieri nequeant nisi virtute divina, quemcunque Deus ista potestate instruit, ejus missionem velut sigillo impresso obsignat. Unde recte Nicodemus dicebat Jesu, *Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister; nemo enim potest facere hac signa qua tu facis, nisi fuerit Deus cum eo, Joan.* III. Licet enim ipsum nondum pro Messia agnosceret, attamen hic erat gradus quo ad hanc cognitionem perveniret, simul atque alia signa concurrentia in eo animadverteret:

verteret: Messiam ergo miraculis clarum esse debuisse, non obscure colligitur ex Prophetarum de ipso vaticiniis. *Primum* est illud quod habemus *Deuter.* XVIII. ubi Moses dicit Israëlitis, *Prophetam sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Non fuisset autem Messias hoc oraculo designatus similis Mosi, sed illo longe inferior, si nulla miracula edidisset, cum Moses tot ac tanta in Ægypto, in mari rubro, & in deserto per quadraginta annos fecerit. *Alterum* suppeditat nobis *Esaias cap.* XXXV. ubi de regno Messiæ prophetans dicit, *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, &c.* Sed non opus est in re manifesta plura testimonia congerere, cum omnia opera quæ Judæi à Messia exspectant miraculosa sint futura, veluti summa illa pax in qua lupus habitabit cum agno, & pardus cum hædo accubabit, & alia ejusmodi. Et hac persuasione imbutos fuisse olim Judæos, apparet ex iis quæ turbæ conspectis Jesu miraculis dicebant, *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet quam quæ hic facit? Joan.* VII. 31. Jesum autem nostrum multa & insignia miracula patrasse ex tot testimoniis constat, ut Judæi id negare non audeant, licet præ malitia calumnientur, tribuendo nomini tetragrammato, quod vi in templo Salomonis surripuisset, vel etiam principi dæmoniorum. Ubi memoratu dignum est, quod secundum ipsorum calculum Moses 76 miracula ediderit, reliqui vero omnes prophetæ simul 74, idque per multorum sæculorum spatium: de Domino Jesu vero dicat Joannes, ipsum tot fecisse, ut si scriberentur singula, mundus non posset capere libros qui scribendi forent. in quibus verbis etiamsi aliqua sit hyperbole, certum est tamen ingentem omnino numerum designari, & qui difficulter admodum iniri possit. Ea autem omnia brevissimo tempore, nempe tribus annis aut circiter peregit; ut fulgore illorum quasi continuo perstringerentur oculi Judæorum, & nisi oculos malitiose clauderent non possent non ea animadvertere. Unde toties videmus ipsum ad opera sua provocasse, cum vellet eis incredulitatem suam exprobrare. *Opera quæ mihi Pater dedit ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me quia Pater misit me, Joan.* v. 36. Item, *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere,&c. cap.* x. 37. 38. Rursus, *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, &c. cap.* XV. 24. Et ut ostenderet discipulis Joannis se illum esse qui venturus erat, multis coram illis factis miraculis dicebat eis, *Euntes renunciate Joanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, &c. Matth.* XI. 4. 5. *Luc.* VII. 21. 22. Notandumque præterea est, pleraque omnia Jesu miracula fuisse eximia beneficia, qualia decebant Messiam, à quo nihil nisi bonum exspectabatur: cum magna pars miraculorum Mosis ad aliorum destructionem tetenderit, non tantum hostium, sed etiam Israëlitarum ipsorum. Item, Mosem nullum unquam mortuum resuscitasse, sed Dominum Jesum multos; unde ipsum vitæ auctorem esse patet. Ita ut Mosem non solum numero, sed etiam qualitate & præstantia miraculorum longe antecelluerit. Quare si Mosi propter miracula fides adhiberi debuit, multo magis Jesu.

VI. Quod ut tanto melius pateat, nomine miraculorum Jesu Christi censenda veniunt non ea solum quæ ipse immediate fecit ministerii sui tempore, sed etiam ea quæ in ipsius gratiam facta sunt. Primo in nativitate, quorum testes fuerunt Pastores & Magi; deinde in morte coram omnibus qui ad spectaculum illud accurrerant Judæis & Ethnicis; præcipue gloriosa ejus resurrectio, constanti & unanimi discipulorum testimonio usque ad mortem comprobata; ascensio in cælos & missio Spiritus S. cujus effecta se in oculis Judæorum prodiderunt & multos ad fidem in Jesum converterunt. denique omnia illa miracula quæ ab Apostolis in nomine Jesu & viribus ab eo acceptis, ut ipsi profitebantur, magno numero, plurimis in locis, diversis temporibus, Judæis atque Ethnicis præsentibus & inspicientibus, peracta fuerunt, quibus religio Christiana per universum orbem propagata est, superstitionibus quæ passim vigebant eversis & abolitis. Quæ nisi sufficiant ad probandum Jesum esse Messiam, nescio quid amplius postulari possit. Forsan vellent ut hæc miracula quotidie fierent, ut nullus esset qui ea non videret, vel saltem aliquando repeterentur. Sed absque causa. Si enim essent quotidiana, non magis moverent quam Solis & Lunæ cursus, aliaque naturæ opera, quæ licet stupenda sint & nobis incomprehensibilia, tamen, quia ordinaria sunt, non impediunt quominus multi sint impii qui Deum & ejus providentiam negent, quæ tam clare ibi se conspiciendam præbet. Præterea Deus non vult homines cogere ad fidem. Id autem videretur facere si singulos de cælo quotidie compellaret, & coram iis nova miracula faceret. Obsequium quod à nobis requirit in Evangelio tam æquum est & rationi consonum, ut sponte ad id proni esse debeamus, multoque magis si probabilia habeamus argumenta, quæ persuadeant præmium divinum & cæleste esse repositum iis qui ad illud se composuerint. Testimonium autem de Christi & Apostolorum miraculis à veteribus Christianis redditum, tale esse ut saltem probabilem faciat hujus rei fidem, nemo nisi impudens negare potest.

VII. *Quinta* nota est, quod per Messiam & temporibus illius vocandæ essent gentes ad cognitionem unius veri Dei Israëlis: quam agnoscunt quidem Judæi, qui magno studio proselytos faciunt; sed ita, ut illæ gentes extraneæ veri Dei cognitione imbuendæ, serviruræ essent Israëlitis, ut

ut olim Gabaonitæ, & non alia lege admittendæ, nisi ut circumcisionem susciperent, & alios ritus legis Mosaicæ. Sed aliud longe sonant testimonia quæ de illa habentur in libris Veter. Test. cum in quibusdam illorum unà cum vocatione gentium simul mentio fiat non solum abrogationis ceremoniarum legis, per quam gentes Judæis erant exæquandæ, sed rejectionis Judæorum, per quam gentes illis superiores erant reddendæ. Nos ex magno numero præcipua selegemus. *Primum* est *Deuter.* XXXII. 21. *Ipsi provocaverunt me in iis qui non erant dii, & irritaverunt in vanitatibus suis. Et ego provocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos*: quod citatur à Paulo *Rom.* x. 19. Et ostendit non tantum gentes extraneas aliquando vocandas ut sint Dei populus, sed etiam potiore loco fore apud Deum quam ipsos Israëlitas, adeo ut zelo seu invidia adversus eas accendendi essent. Id autem sub regno Messiæ eventurum circumstantiæ loci docent, ubi de ultimis temporibus agitur. *Alterum* est *Esa.* II. cui simile plane legitur *Mich.* IV. *Et ibunt populi multi, & dicent, Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, &c.* quod ad tempora Messiæ pertinere omnes agnoscunt, & circumstantiæ evincunt si quis in controversiam trahere vellet. *Tertium* est *Esa.* XIX. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti*, &c. quod est plane egregium, & cultus ceremonialis abrogationem ostendit, cum secundum legem non liceret ubique altaria erigere, sed tantum in loco à Deo electo. Attamen per altare hic figurate spiritualis Novi Testamenti cultus intelligi debet. *Quartum* est *Esa.* XLIX. 6. *Et dixit* (videl. Deus Messiæ) *parum est ut mihi sis servus ad suscitandas tribus Jacob, & faces Israël convertendas; Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Quod sibi quidem applicant Paulus & Barnabas *Act.* XIII. 47. sed tanquam ministris & legatis Jesu Christi, per quorum præconium Christus illucescebat omnibus terræ populis. *Quintum* est *Esa* LX. 3. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Quod dirigitur quidem ad Jerusalem, utpote à qua salus diffundenda esset usque ad extremos terræ fines, *Esa.* II. *Mich.* IV. 2. sed ita ut cæteræ gentes & principes nihilo deteriore quam ipsa futuræ essent conditione sub regno Messiæ, *ubi non est Gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus*, *Coloss.* III. 11. *Sextum* est *Esa.* LXVI. 21. *Et assumam ex iis in Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus*; nempe ex gentibus conversis; de quibus versu præcedente, *Et annunciabunt gloriam meam, & adducent omnes fratres vestros* (nempe spirituales propter communionem fidei) *de cunctis gentibus donum Domino.* Ubi cum vocatione gentium simul innuitur mutatio legis, & æquatio illarum cum Israëlitis. Et v. 18. *Venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis, & venient & videbunt gloriam meam. Septimum* est *Esa.* LXV. 1. 2. ubi de gentibus extraneis dicitur, *Quæsiverunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi, Ecce ego, ecce ego* (nempe vado) *ad gentem quæ non invocabat nomen meum.* De Israëlitis vero, *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* quod etiam *Rom.* x. allegatur, & clare proponit id quod *Deut.* XXXII. aliquanto obscurius innuebatur, de assumtione gentium in populum Dei, & contra Judæorum rejectione, longe aliter quam futurum exspectabant, sed gravi incredulitatis ipsorum culpa. *Octavum* est *Zachar.* II. 11. *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui.* Quæ ad tempora Messiæ respicere palam est, quibus Zacharias, qui prophetavit post solutam captivitatem Babylonicam, propior fuit plerisque prophetis. *Nonum* denique est *Malach.* I. 11. *Ab ortu Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* ubi similiter vocatio gentium ad fœdus Dei absque rituum legalium observatione prædicitur, licet loquendi rationes ex lege petitæ usurpentur. Istam autem notam Domino Jesu convenire etiam perspicuum est. Nam quamvis ipse quamdiu in terris versatus est non aliis quam Judæis Evangelium annunciarit, *Matth.* x. & xv. eaque de causa *Minister circumcisionis* vocetur à Paulo *Rom.* xv. 8. tamen paulo ante ascensionem in cælum mandatum dedit Apostolis, ut per totum orbem irent, discipulos colligerent, & ad veri Dei cognitionem adducerent. Quod illos fideliter executos esse historia illorum temporum testatur, &, si quis forte ei fidem adhibere nollet, res ipsa hodie docet. Ubi enim nulla olim erat veri Dei cognitio, nunc invocatur unus verus Deus cæli & terræ creator, Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, & Sacræ Veteris Test. literæ multorum populorum, qui de Deo antea nihil audiverant, linguis leguntur. Id vero opera Judæorum non est factum; sed contra, illis indignantibus & ringentibus, à Jesu Christi Apostolis & eorum in Evangelio annunciando successoribus, qui totum orbem cognitione unius veri Dei imbuerunt: adeo ut impletum videamus quod prædictum est ab *Esaia* XI. 4. *repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.*

VIII. *Sexta* nota cum præcedente cohærens est, quod temporibus Messiæ abolenda esset idololatria & falsorum numinum cultus. Qua de re testantur Prophetæ diversis in locis. Illustris est ille ante alios *Esa.* II. 18. 20. *Elevabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur. In die illa projiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpis & vespertilionibus.* Diem autem illam intelligit, cujus

jus in præcedentibus commatis meminerat, *in qua de Sion exibit lex & verbum Domini de Jerusalem*, &c. quod ad tempora Messiæ pertinere palam est, & Judæi ipsi non audent diffiteri. Talis est quoque ille *Sophon.* II. 11. *Dominus attenuabit omnes Deos terræ, & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium*; id est, abolitis idolis & falsis numinibus, unus solus verus Deus à gentibus in sua terra adorabitur; ita ut non amplius oporteat ipsas, sicut durante lege & cultu Levitico, Jerusalem adorandi causa ascendere. Sed supra cæteros expressus est iste *Zachar.* XIII. *v.* 2. *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra, & pseudoprophetas & spiritum immundum auferam de terra*, &c. Quod etiam temporibus Messiæ implendum fore Judæi sperant, quibus omnis ex orbe terrarum idololatria exterminabitur. Hanc autem notam Jesu nostro convenire patet, per cujus Euangelium idololatria passim in locis ubi vigebat abolita est, populis qui ea inquinati erant ad verum Deum conversis. Nullibi enim jam Jupiter, Neptunus, Pluto, & alia similia, sive majorum sive minorum gentium numina, coluntur; adeo ut illorum memoria, nisi veterum Ethnicorum libri eam conservassent, penitus foret ex orbe deleta & obliterata. Præterea circa tempus adventus Jesu in mundum oracula Apollinis & Jovis, olim tam celebria, ubique conticuerunt. Cujus rei causam Cicero in libris suis de Divinatione, & Plutarchus peculiari tractatu, quem de oraculorum defectu conscripsit, sollicite inquirunt, sed invenire non possunt; quia nempe mysterium pietatis in Euangelio revelatum ignorarunt, quo spiritibus impuris in oraculis istis loquentibus vis mortales deinceps seducendi ablata est. Nec refert quod in remotioribus Asiæ partibus & in America nondum ablata sit idololatria. Ad fidem enim impletionis prophetiarum faciendam sufficit, si nulla amplius vestigia illius conspiciantur in partibus orbis tunc cognitis, quæ totæ ea erant inquinatæ. Cui adde, non fuisse necesse ut simul & semel unoque temporis momento implerentur; & quod nondum evenit, aliquando eventurum piè exspectari, nempe quando Evangelium ad illos populos per Dei misericordiam perveniet qui nondum ejus luce collustrati fuerunt.

IX. Hic objiciunt Judæi, non posse ex abolitione idololatriæ agnosci Jesum esse Messiam, cum Christiani, qui se populum ejus esse gloriantur, eâ passim infecti sint, & quidem tam fœda, ut vix talis unquam apud Ethnicos viguerit; cum non tantum Sanctos mortuos tanquam minorum gentium deos colant, & in omnibus suis necessitatibus invocent; sed etiam crustulum panis pro summo Deo cæli & terræ creatore habeant, & eodem quo ipsum cultu prosequantur. Ad quod respondeo: Dolendum esse quod Christiani tam longe à Magistri sui institutis recesserint, ut cum deberent Judæos exemplo suo ad æmulationem provocare, & eos ad Christum amplectendum adducere, contra offendiculis quæ præbent ipsos ab ejus cognitione avertant. Sed tamen prætextus, quem inde Judæi petunt, incredulitati suæ non est sufficiens; cum scire possint (si velint inquirere) primos Christianos, qui melius in Magistri sui doctrina erant instituti quam ii qui postea vixerunt, ab omni idololatria penitus abhorruisse; & videant hodie multas Christianorum myriadas aliorum idololatriæ & superstitioni nuncium remisisse, & malle mortem omnisque generis persecutiones ferre, quam cum illa quicquam commune habere: eosque ostendere hanc esse defectionem à Christi lege ab ipso ejusque Apostolis prædictam; unde eum futurorum præscium verumque prophetam fuisse agnoscere possint, quibus mens præjudiciis non est excæcata. Denique idololatriam Ethnicam per Euangelium Christi passim fuisse exterminatam patet: eam autem esse de qua prophetæ locuti sunt, & quæ ipsorum temporibus vigebat; & septem aut octo sæcula elapsa sunt à Christo nato antequam Christiani in idololatriam relaberentur; quibus durantibus nihil habebant Judæi quod ipsis objicerent: imo neque nunc possunt merito dicere, eos unius Dei cæli & terræ creatoris cultui omnino renunciasse; nam quotquot sunt in orbe universo Christiani, profitentur unanimiter, se nullum alium Deum habere quam eum quem olim Israëlitæ invocarunt; etiamsi negare nolimus, Pontificios graviter cultum quem ipsi debent superstitione sua contaminasse, & sic offendiculum non exiguum alienis à fide præbere, quo impediuntur ne se Christo adjungant.

CAPUT XXVI.

Responsio ad objectiones Judæorum.

I. *Responsio ad objectionem primam, non conspici altam illam pacem Messiæ temporibus promissam.* II. *Messiam debuisse potissimum spiritualem pacem adferre.* III. *Prædictio de feris ingenium ferinum depositturis de hominibus intelligenda est.* IV. *Et quæ de pace illa nondum sunt impleta postea implebuntur.* V. *Ad secundam, Jesum Judæos non reduxisse in terram Canaan.* VI. *Ad tertiam, quod per eum Judæi non fuerint salvi.* VII. *Ad quartam, quod non reliquerit post se semen.* VIII. *Ad quintam, quod Elias ejus adventum non præcesserit.* IX. *Ad sextam, quod Jesus non sederit in solio Davidis.* X. *Prædictum à prophetis Messiam multa passurum.* XI. *Judæi quidam duos fingunt Messias.* XII. *Ad septimam, quod Synedrium magnum Jesum non agnoverit pro Messia.* XIII. *Qualis & quanta Synedrii potestas fuerit.* XIV. *Ad octavam, quod Jesus legem Mosis abrogaverit, & aliam novam in ejus locum substituerit.* XV. *Legem abolendam probatur ex Deut.* 18. *Jerem.* 31. XVI. *Legem non esse tam perfectam, ut melior dari non possit.* XVII. *Probatur porro legem abolendam ex Jerem.* 3. *& Daniel.* 9. XVIII. *Item ex Malach.* 1. XIX. *Ex natura rituum, qui æterni esse non poterunt;*

rant; quod ostenditur de circumcisione. XX. *De Sabbatho.* XXI. *De discrimine ciborum.* XXII. *De Sacrificiis.*

NUnc praecipuas aliquot Judaeorum adversus doctrinam praecedentem objectiones paucis expendamus. *Prima* est, Praedictum tempore Messiae esse tantam fore pacem in orbe, ut arma bellica in agriculturae instrumenta sint convertenda; *Contundent gladios suos in ligones & lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, & non discent ultra bellum*, *Esa.* II. 4. & *Mich.* IV. Quin etiam praedictum esse omnem suam feritatem deposituras, & cum domesticis mansuete victuras; *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hado accubabit, vitulus & leo & ovis simul morabuntur*, &c. *Esa.* XI. 6. & *seqq.* Ista autem huc usque conspecta non fuisse in terris. Ergo Messiam nondum advenisse. Imo tantum abest, ut Jesus venerit ad illa implendum, ut contra ipse diserte dicat, *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium*, &c. *Matth.* X. 34. 35. Idque eventum ipsum comprobasse, minimeque vanum hac in re vatem fuisse: siquidem à temporibus Christi nostri huc usque bella immanissima passim fuerint, tum inter alias gentes, tum etiam inter eos qui nomen ejus profitentur. *Resp.* 1. mentem Domini Jesu non esse in loco modo citato, ostendere quis esset adventus sui finis. Absit: de eventu, quem praevidebat Euangelii annunciationem secuturum, locutus est; qui non doctrinae ipsius, sed hominum malitiae qui se illi opposuerunt ascribendus est. Certum est enim nullam posse dari doctrinam, quae magis ad pacem tendat generis humani, quam Euangelium; ad cujus praescriptum, si omnes vellent vivere, nulla plane in mundo forent bella aut dissidia; prout apparet ex istis ejus κυρίαις δόξαις, *Nolite resistere malo; sed si quis te percusserit in dextram maxillam obverte ei & alteram*, &c. item, *diligite inimicos, benefacite his qui oderunt vos*, &c. *Matth.* V. Quibus consentaneè dicebat discipulis paulo ante mortem, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, *Joan.* XIII. 34. 35. Unde isti ipsi Joanni dilecto ejus discipulo tribuitur, cum cum ad summam senectutem pervenisset, & prae infirmitate corporis non posset amplius verba ad populum facere, nihil aliud pronunciasse singulis collectis, quam ista verba: *Filioli diligite invicem.* quod cum mirarentur auditores tam frequenter ab eo repeti, dixisse, in hoc summam Christianae religionis verti, & frustra omnia alia ejus dogmata observari si in hoc uno deficiatur. Itaque tantum abest ut Christo adscribenda sint bella quae ab ejus adventu in orbe gesta sunt, ut contra merito dici possit, nihil magis adversum esse doctrinae Euangelicae ista hominum quae in bellis exercetur laniena, eosque Christianismo videri renunciasse, qui in illa absque summa & inevitabili necessitate ruunt. 2. Judaeos sibi magnam partem imputare debere turbas & bella quae Euangelii praedicationem consecuta sunt; quia non contenti ejus annuntiatores persequi Hierosolymis, & in Judaea atque Syria, etiam Ethnicos, 1. *Thess.* II. 15 16. passim concitarunt ut in Christiani nominis professores irruerent, ut Lucas variis in locis Actorum Apost. & alii historiae Eccles. Scriptores testantur. Et verisimile est omnino, si Judaei persecutionis in Christianos excitatae duces & incentores non fuissent, Ethnicos Euangelii cursui tanta vi se non fuisse oppositturos, sed ipsum tanquam Judaicae religionis, quae in imperio Rom. tolerabatur, sectam aliquam eadem cum ipsa immunitate gavisurum, & variis populis ad Ecclesiam confluentibus seculum illud aureum inchoaturum, in quo homines ab omni vi in se invicem abstinentes, gladios suos in ligones & lanceas in falces conflarent.

II. 3. Falli Judaeos, qui nihil aliud à Messia nisi pacem corporalem exspectant, cum eo praecipue fine venire debuerit, ut pacem inter Deum & homines faceret, seu expiatione peccatorum facta ipsos cum Deo reconciliaret. Hanc autem pacem non impediunt aut turbant bella quae sunt in orbe; in mediis enim illis *justificati fide pacem habemus apud Deum per D. Jesum Christum*, *Rom.* V. v. 1. Illi etiam est tribuendum quod Judaei & gentes antea inimici, inter se fuerint reconciliati & in unum Ecclesiae corpus conjuncti. Quo pertinent ista, *Ipse est pax nostra qui utraque fecit unum, & medium parietem maceriae, solvens inimicitias in carne sua*, &c. *Ephes.* II. 14. & *seqq.* Item, *per eum placuit reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quae in terris sive quae in caelis sunt*, &c. *Coloss.* 1. 19. & *seqq.* Ubi per eos *qui in caelis*, intelligi videntur Angeli beati, qui hominibus ad Deum conversis non amplius sunt inimici ut erant antea. Haec autem conversio per solum Jesum Christum & ejus mortem procuratur. Atqui (instant Judaei) de pace terrena loquuntur Prophetae *contundent gladios suos in ligones*, &c. Resp. Moris est apud eos sub rerum corporalium figura spirituales repraesentare. Adde quod nos terrenam quoque pacem in Messia promissam fatemur, ut mox dicturi sumus.

III. 4. Quod de lupis, pardis & leonibus praedictum est eos ferinum ingenium deposituros, & placide cum haedis, ovibus & vitulis accubituros, non omnes Judaeorum magistri secundum literam accipiunt, sed quidam etiam de hominibus interpretantur, qui cum antea instar ferarum crudeles fuerint, mitiores mores induent & nemini amplius nocebunt. Id autem per Euangelium Christi effectum esse in iis qui ipsum ex animo amplexi sunt, historia tam sacra quam profana docet. Saulus tanquam lupus aut leo aliquis ovile Christi crudeliter devasta-

bat, ſed paulo poſt mitior ove per divinam gratiam eſt redditus. Legimus etiam carnifices, qui fidelibus cruciandis adhibiti fuerunt, conſpectâ illorum conſtantiâ ſubito fuiſſe ita immutatos, ut ſe illorum cætui quos perſequebantur aggregarent, & pro nomine Chriſti pati mortem eſſent parati. Judæi pergunt & objiciunt, omnia nunc inter ipſos Chriſtiani nominis profeſſores odiis, bellis & diſſidiis fervere. Ita eſt, & magnum inde ipſis ſcandalum objicitur, quo fit ut ad veritatis agnitionem non veniant. Sed ſcire debent, eos qui ita vivunt non eſſe veros Chriſti diſcipulos, licet de ejus nomine glorientur: ideoque ex illorum moribus non eſſe de religione Chriſtiana judicandum. quod perinde foret, ac ſi ex eo quod Judæi ſæpe olim idololatriæ dediti fuerunt, concludere vellet aliquis, legem Moſis idololatriæ patrocinari.

IV. 5. Si pax illa magna de qua Prophetæ locuti ſunt non ſit adhuc conſpecta in orbe Chriſtiano, non propterea dicendum Jeſum non eſſe Meſſiam, cum aliæ Meſſiæ notæ in eo animadvertantur; quia id quod nondum impletum eſt aliquando implebitur, nempe in illa Eccleſiæ inſtauratione quam Jeſus per Apoſtolum Joannem nobis revelavit *Apoc.* xx. in qua ſatanas ligabitur ab Angelo & conjicietur in abyſſum, ne ſeducat amplius gentes. Quod enim de pace temporibus Meſſiæ futura prædictum eſt, nihil eſt neceſſe reſtringere ad ſæcula adventui ejus propinqua, quibus pauci ex toto corde ei adhæſerunt; ſed prophetarum oraculis non repugnantibus exſpectari poteſt tanquam olim eventurum, cum populi qui nunc ſunt increduli ſe ad Chriſtum convertent. Tunc *mons templi Dei ſuper capita montium elevabitur*, ut *Eſaias* & *Michæas* prædixerunt; quia Dei Eccleſia, per templum materiale ſignificata, exaltabitur gloria & dignitate ſupra omnes cæteras terræ gentes, quæ ſplendorem iſtum videntes ad eam accurrent & ſe ei agglutinabunt: non quod rerum natura, ut craſſi quidam Judæi ſomniant, immutari debeat, & ordo inter corpora cæleſtia & terreſtria ſtabilitus à Deo ſit evertendus.

V. *Secunda*, Meſſias Judæos per totum orbem diſperſos congregaturus eſt, & in terram, quam patres ipſorum poſſederunt, reducturus, ut Deus per Moſem olim promiſit *Deut.* XXX. 3. 4. 5. *Reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua, & miſerebitur tui, ac rurſum congregabit te de cunctis populis in quos te ante diſperſit.* Cui ſimilis alius eſt *Levit.* XXVI. 44. 45. *Attamen etiam cum fuerint in terra hoſtili non penitus abjeci eos, neque ſic deſpexi ut conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum iis*, &c. Id autem non eſt adhuc factum: Ergo Meſſias nondum venit. Tantumque abeſt ut à Jeſu noſtro ſit præſtitum, ut contra paulo poſt ejus adventum diſperſio Judæorum major ſit facta quam unquam antea; & jam propemodum ſexdecim ſecula duret. Quare in eo non conſpicitur hæc nota ex qua Meſſias diſcerni debuit. Reſp. 1. Loca hæc primario reſpicere ad captivitatem Babylonicam, è qua Deus pollicetur ſe Iſraëlitas reducturum, dummodo abjecta omni idololatria & impietate ad eum ſe toto corde converterent. Sic enim ea applicat Nehemias in precatione ſua, *cap.* 1. *v.* 8. *& ſeqq. Memento verbi quod mandaſti Moyſi ſervo tuo, dicens, Cum tranſgreſſi fueritis ego diſpergam vos in populos. Et, ſi revertamini ad me, & cuſtodiatis præcepta mea, & faciatis ea, etiamſi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, & reducam in locum quem elegi, ut habitaret nomen meum ibi.* 2. Nolle tamen me negare, quin ulterius extendi poſſint verba iſtius promiſſionis, & quin ejus veritatem experturi ſint Judæi, quotieſcunque ſe ad Deum ſerio converterint: ſed cum id nondum fecerint, imo contra in incredulitate ſua indurati perſeverent, debere ſibi ipſis ſolis imputare ſi tempora diſperſionis ſuæ etiamnum durent. Sane Deus nunquam eis promiſit, ſi eos, quamvis Meſſiam ad ſe miſſum perſequerentur, interimerent & continuis etiamnum maledictis inceſſerent, nihilominus per ipſum in terram olim patribus in hæreditatem datam reducturum. Convertant ergo ſe ad Deum, & Chriſtum ipſius amplectantur, & tunc videbunt quam Deus ſit in promiſſis ſuis ſervandis fidelis. Si enim eos non reducat in terram Canaan (quod non eſt neceſſe ut ejus promiſſionibus veritas ſua conſtet) dabit aliam nihilo deteriorem, in qua ſub regno ſpirituali Meſſiæ immunes à perſecutionibus vivant; donec eos cum aliis omnibus fidelibus in fine ſæculorum in cæleſtem patriam, è qua nunquam expellantur, transferat.

VI. *Tertia*, In adventu Meſſiæ ſalvi erunt Judæi & Iſraël. Sic enim prædictum à *Jerem. cap.* XXIII. *v.* 5. 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Davidi germen juſtum, & regnabit rex & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſraël habitabit confidenter*, &c. Atqui in adventu Jeſu Nazareni Judæi non fuerunt ſalvi, ſed potius perditi, cum longe majores iis calamitates evenerint quàm unquam antea. Ergo is non eſt Meſſias, nec Meſſias adhuc venit. Reſp. cum hæc objectio ſit eadem quod ad ſubſtantiam cum duabus præcedentibus, non eſſe neceſſe illi aliud quidquam reponere. Dico igitur Judæos ſibi hactenus obſtaculo fuiſſe, quo minus ſalute quam Meſſias allaturus venerat gaviſi fuerint; quia eum recipere noluerunt, ſed contra ad mortem uſque perſecuti ſunt, & Euangelio ipſius huc uſque pertinaciter ſe opponunt. Id tamen olim implendum in reſtauratione Eccleſiæ quam exſpectamus, cum Jeſum pro Meſſia amplexi fuerint. Interim omnes veros Iſraëlitas, id eſt, filios Abrahami, non tantum ſecundum carnem, ſed etiam ſecundum ſpiritum, nempe qui veſtigia fidei ipſius ſequuntur, ſalute ſpirituali, quæ longe potiſſima eſt, etiam in mediis afflictionibus, beneficio ejus potiri; ita ut in eo nihil

hil ipsis desit, quod ad veram pacem seu beatitudinem requiratur.

VII. *Quarta* est, Si Jesus Nazarenus esset Messias promissus, reliquisset post se semen, secundum id quod scriptum est *Esa.* LIII. 10. & *Psal.* LXXXIX. 30. quæ loca Christiani Messiæ applicant. In priori enim dicit Propheta, *Videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus prosperabitur.* In altero vero Deus loquens introducitur, *Et ponam in sæculum semen ejus & thronum ejus sicut dies cæli.* Atqui Jesus nullum post se reliquit semen, aut posteros: Ergo non est Messias. *Resp.* Semen aliud esse corporale, aliud spirituale. Semen corporale dicuntur posteri ex aliquo tanquam generis stirpe oriundi; ita Israëlitæ sunt Abrahami semen, utpote ex eo secundum carnem propagati. Et hoc sensu fatemur D. Jesum nullum post se reliquisse semen. Semen vero spirituale sunt discipuli & qui doctrinam alicujus amplectuntur. Tale semen valde copiosum & fertile habet Jesus; nimirum omnes eos toto orbe qui ipsum pro Salvatore suo agnoscunt, & Euangelio ejus adhærent. Significationem autem hanc non debent repudiare Judæi, qui sciunt in Sacris literis discipulos Prophetarum nomine filiorum insigniri; cujus rei occurrunt exempla aliquot 2 *Reg.* II. *versib.* 3. 5. 7. 15. & IV. 38. & VI. 1. & IX. 1.

VIII. *Quinta*, Elias Propheta debet in terras redire antequam veniat Messias, secundum illud quod legimus apud Malachiam in fine, *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & reverendus. Et convertit cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*, &c. cum quo confer *cap.* III. 1. *Esa.* XL. 3. Atqui Elias Messiæ anteambulo non venit adhuc, Ergo neque Messias ipse; ac proinde Jesu Nazareno male defertur iste honor. *Resp.* Judæos non intelligere mentem Malachiæ. Noluit significare Eliam illum Thesbitem, qui olim turbine raptus fuit in cælum, rediturum in terras; sed hoc solummodo, Deum potentia sua suscitaturum aliquem Eliæ similem, seu iisdem Spiritus S. donis ornatum quibus fuit Elias. Nec enim novum est, tam apud profanos quam apud sacros autores, tribuere alicui per ἀντονομασίαν nomen ejus cui similis est. Sic Cato vocatur qui gravitate Catoni illi censorino similis est. Unde illud Augusto familiare, *Contenti simus hoc Catone*, Sueton. & Poëtæ Satyrici, *Tertius è cælo descendit Cato.* Et Nestoris nomen usurpatur pro prudenti, Ulyssis pro vafro, Achillis pro forti, Crœsi pro divite, Iri pro paupere, Thersitis pro deformi, & similia. Ita quoque Davidis nomen tribuitur Messiæ propter similitudinem quæ inter Messiam & Davidem esse debuit; ut videre est *Jerem.* XXX. 9. *Ezech.* XXXIV. 23. 24. & XXXVII. 24. 25. Hoc sensu si nomen Eliæ accipiatur, ut æquum est, (quid enim causæ esset Deo ut Eliam ex beatitudine sua ad nova in terris certamina revocaret, cum alium ei virtute parem excitare [illegible] ...æ prophetiam de [illegible] esse in Joanne Baptista; de quo Angelus, qui ejus nativitatem Zachariæ patri annunciavit, dixit, *Ipse præcedet ante illum* (Dominum) *in spiritu & virtute Eliæ*, &c. *Luc.* I. 17. Cum ergo is fuerit Domini Jesu præcursor, qui ante ejus faciem missus est ut ei præpararet viam, non est quod causentur Judæi prophetiam Malachiæ non esse impletam. Atqui dicet aliquis, cum Pharisæi apud *Joannem cap.* I. *v.* 21. quærerent ex Joanne, Elias es tu? ille respondit, Non sum. Ita est, sed id fecit ut ostenderet se non esse ipsum illum Eliam prophetam antiquum, cujus anima in corpus suum migrasset, ut tunc nonnulli existimabant posse fieri. Ita tamen ut agnoscat quæ de illo scripta sunt in se quadrare, citans in eum finem verba *Esa. cap.* XL. quæ Eliæ adventum respiciebant, *Ego sum vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini*, &c. Et Dominus Jesus (cujus testimonium nos Christiani pro oraculo divino habere debemus) declarat in eo prophetiam Malachiæ esse impletam, *Si vultis recipere ipse est Elias qui venturus est.* Item, *Elias jam venit, sed non cognoverunt eum*, *Matth.* XI. 10. & XVII. 10. & *seqq.* cum parallelis locis apud Marcum & Lucam. Nec est quod Judæi excipiant, per Joannem Baptistam non fuisse *montes cum vallibus æquatos, & vias obliquas in rectas mutatas*, ut prædixit Esaias. Crassum enim valde esse oportet illum, qui non intelligat hæc ad mores esse referenda, quorum correctioni totus fuit intentus Joannes.

IX. *Sexta*, Messias promittitur in Scripturis qui sit Davidis hæres, & sicut ille super populum Israëliticum regnaturus. At in Jesu Nazareno nihil regium apparuit; sed venit in statu humili & paupere, nullis stipatus satellitibus, nulla potentia mundana instructus. Ergo fieri non potest ut sit Messias. *Resp.* Videtur hoc præcipuum esse argumentum, quo olim moti fuerunt primores Judæorum ne Jesum pro Messia agnoscerent; alias libenter eum recepturi, si armatus potestate venisset; adeo avidè cupiebant jugum dominationis Romanorum quo premebantur à cervicibus suis excutere. Sed nos jam supra ostendimus, quàm graviter decepti fuerint qui talem Regem exspectarunt; neque ex eo sequi, quod Messias sit Davidis hæres, eum mundano more instar Davidis regnare debuisse. Sufficit ad titulum illum sustinendum, quod ipse sicut David regnum super Dei populum obtineret, licet alterius plane generis. In eoque nihil deperiit Judæis, si Deus terreni Regis loco, ipsis cælestem dederit; sed contra, nisi essent omnino carnales, lætari deberent quod tam feliciter in opinione sua decepti fuissent; cum ope Domini Jesu, si eum vellent recipere, possent excutere jugum diaboli & peccati, longe gravius eo quo presserunt eos principes sub quorum dominatu vixerunt, & loco terræ Canaan hæreditatem incorrup-

ru… …orum bono-
rum p… …opera, & exaltationem in cælum, ubi non tantum primus illis frueretur, sed etiam potestate donatus esset aliis in se credentibus ea communicandi.

X. Præterea observandum est, etiamsi Messias tanquam rex à prophetis describatur, eos tamen multa ipsi humilia & abjecta tribuisse, ex quibus agnosci posset quantum discreparet ejus regnum à cæteris hujus mundi regnis. Tale est id quod legimus *Zachar.* IX. 9. *Exulta valde filia Sion, jubila filia Jerusalem. Ecce rex tuus veniet tibi justus & salvator* עני *abjectus*, sive pauper, *ascendens super asinum & super pullum filium asinæ.* Quod ad Messiam respicere extra controversiam est, & impletum fuisse in D. Jesu, cum paucis diebus ante mortem ingrederetur Jerusalem narrant *Matthæus cap.* XXI. & *Joannes cap.* XII. & licet ille ingressus haberet aliquid pompæ, nullo tamen modo ad aliorum regum magnificentiam, qui veniunt cum multis curribus & equitatu, accedebat aut ei æquiparari poterat; nihilominusque ob eum lætari valde jubentur Hierosolymitani. Talia quoque sunt multa quæ David de se dicit *Psalm.* XXII. sed tanquam Messiæ typo, & in quo pleraque eorum longe perfectius impleta sunt quam in Davide. ut, *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis & moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam delectatur eo.* Item, *foderunt manus meas & pedes meos.* Et, *diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Quæ omnia prout verba sonant Jesu evenisse historia passionis ejus testatur. Quod fieri nequiret, nisi idem Spiritus qui Davidem afflavit, ad Jesum respexisset. Scio quidem Judæos nobis movere controversiam de istis verbis, *Foderunt manus meas & pedes meos*; quæ aliter verti debeant ex Hebræo: illic enim haberi כארי quod significat, *quasi leo.* Sed hic est varia lectio in textu Hebræo, ab ipsis Massoretis in margine annotata, כרו id est, *foderunt.* Et ita lectum fuisse olim ante tempora D. Jesu, constat ex versione LXX interpretum, qui reddiderunt ὤρυξαν, prout etiam sensus manifeste requirit; cum sententia sit imperfecta si legatur, *sicut leo manus meas & pedes meos.* Aquila Ponticus, postquam à religione Christiana defecit, vertit ᾔσχυναν, *confuderunt.* Is autem vixit sub imperio Adriani, circiter 120. annis à Christo nato. Unde apparet, ejus tempore Judæos non legisse *caari*; sicut nec tempore Hieronymi aut vulgati interpretis Latini, quisquis tandem ille fuerit. Talia denique sunt quæ *Esaias cap.* LIII. Messiæ attribuit, videl. *Et ascendit sicut virgultum coram eo,* (Deo) *& sicut radix de terra sitienti, non est species ei neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus, ita ut ipso delectari potuerimus: despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; ut quodammodo facies coram eo absconderemus & despiceremus; unde nec reputavimus eum*, &c. Quæ omnia ad amussim in D. Jesum quadrare historia passionis ejus docet. Sed de Messia dicta esse Judæi negant, verum de populo Israëlitico, qui sit ille servus Domini de quo ibi loquitur Propheta. Nos vero interpretationis istius falsitatem supra sufficienter ostendimus ex eo, quod afflictiones quæ populo Israëlitico evenerunt non passus sit innocens, aut propter aliorum peccata, sed ob sua propria. Cui addimus, neque ista satis bene convenire in Jeremiam aut Esaiam, ut quidam putant. Nam quamvis forte nonnulla de hoc aut de illo dici queant, tanquam de Messiæ typis; certum est tamen multa in isto capite esse quæ in neutrum conveniant: ut, *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Item, *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra; castigatio pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.* Item, *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum; oblatus est quia ipse voluit*, &c. Item, *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur*, &c. usque ad finem capitis. Quæ ita clarum est in neminem alium universa convenire quam in Messiam, ut aliqui Judæorum magistri id non gravatè confiteantur.

XI. Sed ne præconceptis opinionibus renunciare cogantur, duos fingunt Messias, unum filium Davidis, semper victorem & de hostibus triumphantem; alium vero Josephi filium, de quo hæc dicta sint ab Esaia, & qui in bello occidendus sit. Et ne absque Scripturæ auctoritate id facere videantur, citant in hunc finem quæ Deus dicit *Psalm.* CV. 15. *Nolite tangere Christos meos*, seu Messias meos, quasi ibi significaretur plures uno Messias venturos. Cum tamen ista verba non ad futurum sed ad præteritum tempus respiciant, quo patriarchæ Abraham, Isaac & Jacob habitarunt tanquam peregrini in terra Canaan, & Deus protectione sua eos munivit ne ab incolis læderentur, præcipiens illis, *Nolite tangere Messias*, seu unctos, *meos*; ita patriarchas istos vocans, tum propter gratias quibus eos prosecutus erat, & quasi oleo quodam unxerat, tum & quia ipsi se cultui divino consecrassent. Ita ut commentum de duobus Messiis, uno paupere & afflicto, altero potenti & triumphante, nulla cum specie ex hoc loco stabiliri possit; quod pluribus demonstrarem, nisi id sole clarius attendentibus lectoribus patere crederem. Neque etiam opus erat ut eo confugerent Judæi, cum ista apparens contrarietas, in iis quæ Messiæ attribuunt prophetæ, alia longe commodiori ratione conciliari posset; nimirum adhibita tantum temporis distinctione, ita ut una eademque esset persona quæ per varios labores & adversos casus ad summam gloriam & dignitatem eniteretur. Cujus rei exempla habebant egregia in Josepho, Davide, aliisque, quibus adversa & pericula instar scalarum fuerunt per quas ad destinatos

natos sibi honores & potentiam regalem ascenderent. Idque evenire ex Dei consilio debuisse, Jesus ostendit in colloquio cum duobus illis discipulis Emmauntem proficiscentibus, quos tantopere morte sua offensos videbat, ut de salute per eum obtinenda propemodum desperarent; *O stulti*, inquit, *& tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* *Luc.* XXIV. v. 25. 26. Quod ita in omnium fidelium exemplum fuit constitutum, ut scirent sibi alia via non patere ingressum in cælum, nisi per afflictiones varias illuc ducis sui vestigia prementes contenderent.

XII. *Septima*, Si Jesus fuisset Messias à Deo promissus, agnovisset eum Synedrium magnum LXX seniorum, seu Sacerdotes, Scribæ, & legis Doctores, qui tunc erant in populo Judaico. Erant enim in lege & Scripturis ita versati, ut pares eruditione nullos sibi haberent; & Deus præceperat sub mortis pœna, ut omnes sequerentur eorum sententiam, nec ab ea ad dextram aut sinistram declinarent, *Deuter.* XVII. 8. *& seqq.* Tantum autem abest, ut magni isti viri Jesum pro Messia agnoverint, ut contra eum tanquam seductorem & pseudoprophetam morte afficiendum judicarint. Unde ipsi dicunt apud *Joan.* VII. 48. *Num quis ex principibus aut ex pharisæis credidit in eum? sed populus hic, qui non novit legem, maledictus est.* Ergo Jesus non est Messias ille in scriptis prophetarum à Deo promissus. Resp. Non esse mirum si Principes & Doctores Judæorum D. Jesum pro Messia non agnoverint. Erant enim præjudiciis & malitia sua ita excæcati, ut ea quæ luce ipsa clariora erant non animadverterent. alias Nicodemus, unus ex illis, non verebatur ei dicere, *Scimus quia à Deo venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi Deus sit cum eo*, *Joan.* III. Nec novum etiam erat tales populum istum habere rectores. Nam jam ab antiquis temporibus Deus per prophetas illis cæcitatem & malitiam suam exprobrat. *Speculatores ejus cæci omnes; nescierunt universi*, &c. *ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum*, *Esa.* LVI. v. 10. 11. Item, *Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis*, &c. *à minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur, à propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium*, *Jerem.* VIII. 8. 9. 10. Et, *Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea*, &c. *Ezech.* XXII. 26. Et, *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum*, *Malach.* II. 7. 8. Operibus etiam pravitatem suam testatam fecerunt; interemerunt Esaiam, crudeliter persecuti sunt Jeremiam, Micheam & alios prophetas: quod Dominus Jesus merito eis exprobrat, *Matth.* XXIII. 37. & *Luc.* XIII. 33. 34. Nec excipiendum est, ista quidem contigisse antequam Judæi Babylonem captivi abducerentur, cum adhuc idololatriæ essent dediti; sed post reditum ex captivitate ista non fuisse amplius idololatras, nec ullum prophetam esse persecutos qui se ab illa abducere vellet. Quamvis enim hoc verum esse fatear, non erant tamen in aliis patribus suis meliores illi qui tempore Christi vixerunt. Quod discere est ex testimonio Josephi, auctoris hac in re minime suspecti, *de bello Judaico lib.* 7. *Quia Deus*, inquit, *extrema illorum impietate offensus erat, & ideo à civitate & templo abhorrebat, eo Romanum exercitum accersivit, ut illam velut igne purgaret. Si autem Romani aliquantulum eorum ruinam distulissent, proculdubio aut terræ motu absorpti fuissent, aut submersi diluvio, aut incendio consumti. generatio enim illa Sodoma deterior erat.* Non erant ergo Judæi istius ævi ad Messiam recipiendum prout oportebat comparati, & ab ejusmodi hominibus nihil aliud nisi ut eum repudiarent exspectari poterat.

XIII. Dices forte, inde sequi, Deum populo suo inevitabilem errandi necessitatem imposuisse, cum ipsum sub mortis pœna voluit ab ejusmodi ductoribus pendere. Resp. Absit. Non enim dederat illis absolutam potestatem quidvis pro arbitrio suo statuendi in rebus ad cultum Dei & religionem pertinentibus; sed solum inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, in iis ubi inferiorum judicum, qui in singulis civitatibus erant, sententiæ variabant; id est, in litibus sive civilibus, sive criminalibus, quæ inter Israëlitas suboriri poterant, & quæ necessario, ut pax inter ipsos conservaretur, summo aliquo judicio, à quo non daretur provocatio, decidi oportebat. Nam in omni regno & republica bene constituta debet esse ejusmodi supremum tribunal, quod licet non constet ex judicibus infallibilibus, tamen tranquillitatis publicæ interest ut tali auctoritate sit præditum; cum longe præstet habere judices errori obnoxios, quam nullos, & sub ἀναρχίᾳ vivere, ubi unicuique quod libet licitum est. Deus etiam potestatem senatui isti dederat judicandi de pseudoprophetis, qui sub specie revelationum sibi factarum conabantur populum ab unius veri Dei cultu abducere. Sed in judicio isto nulla erat alicujus momenti difficultas, ex qua probi & legis periti non se possent expedire. Non agebatur enim ibi de controversiis subtilioribus religionis, quales hodie agitantur inter Christianos, qui de sensu verbi divini alter adversus alterum disputant; sed tantum utrum aliquis legem Mosaicam pro divina agnosceret, an vero tanquam humanum commentum rejiceret, & apostasiam ab illa popularibus

suis suaderet; ubi probis judicibus, & qui sponte errare nolebant, facile erat animadvertere à qua parte staret veritas. Ulterius hujus Synedrii potestatem se non extendisse ex eo liquet, quod nunquam sibi arrogare ausus fuerit judicium de controversiis quæ erant inter Pharisæos, Essenos & Sadducæos, quia omnes isti legi se adhærere profitebantur. Quia vero aliquando in judiciis peccabant malitia, veros prophetas qui in nomine Dei loquebantur pro seductoribus damnantes, Deus ne peccatum istud gliscеret ulterius, alios prophetas suscitabat, qui scelera corruptorum judicum arguerent, & populum ad perseverandum in veri Dei cultu hortarentur. Unde videmus temporibus Christi, licet depravatissimis, prophetas illos veteres, qui à supremo senatu tanquam seductores erant damnati, in magna veneratione fuisse. Denique populus non tenebatur simpliciter in omnibus absque discrimine judicio illius parere, sed tantum in iis quæ docebat secundum legem Dei, ut ibid. habetur *v.* 10. non vero si vellet ad idololatriam aut apostasiam à Deo abducere; quo casu non dubitabant vere pii potius mortem pro Dei lege & gloria subire, quam se tali scelere contaminare. Quare non debent Judæi hodierni ea quæ majores sui adversus D. Jesum statuerunt pro oraculis divinis amplecti, & inde prætextum arripere in incredulitate sua perseverandi, quasi labi non potuerint; sed in illa diligenter tenentur inquirere, cum ipsos tam graviter adversus multos viros prophetas, quos morte damnarunt, peccavisse omnibus nunc constet.

XIV. *Octava*, Ille non est verus Messias qui legem à Deo per Mosem latam ut in æternum duraret abrogavit, & aliam novam in ejus locum substituit; alioquin non esset fidelis Dei servus, sed contra adversarius; quod de eo cogitare absurdum est. Jesus Nazarenus hoc fecit, quemadmodum apparet ex Actis & scriptis Apostolorum ejus. Ergo Jesus Nazarenus non est Messias. Resp. 1. ad minorem, D. Jesum præcepta legis moralia non abolevisse, sed potius implevisse & stabilivisse, *Matth.* v. 18. *Rom.* III. *v.* 31. si quæ enim iis addidit, ea fuerunt primæ Dei intentioni cum legem ferret consentanea, & adeo manifestæ æquitatis, ut id Judæi negare non audeant; imo, ne Euangelium aliquam præ lege prærogativam habere cogantur agnoscere, ea ex lege per violentas & longe petitas consequentias elicere contendant. Quod vero ad ceremonialia attinet, Jesus ea studiose observavit quamdiu in terris commoratus est, nullumque dedit indicium se illa abrogata velle. Custodiebat Sabbatha, veniebat diebus festis Hierosolymam, sanatos à se lepra remittebat ad Sacerdotes, & alios similes ritus una cum reliquis Judæis observabat. Nam quod ipsi aliquoties de violato Sabbatho objectum fuit, calumniosum esse allatis ex lege & praxi quotidiana testimoniis ostendit. Nec etiam Apostoli post ejus ascensum in cælos eos proprie abrogarunt. Sed cum mandatum accepissent ab eo prædicandi Euangelium per universum orbem, docuerunt gentiles ad quos ibant, eos non teneri ista præcepta observare, quæ solis Israëlitis olim fuerant lata. Nec in eo quicquam erat novi; id ipsum enim fatentur quoque hodie plerique Judæi, dicentes legis Mosaicæ ritus non esse necessarios alienigenis, ut sint participes futuri seculi: sufficere si septem præcepta Adamo & Noacho data observent; reliqua nonnisi ab iis exigi, qui Judæos gloria, dignitate & aliis privilegiis exæquare volunt. Et probatur ex Prophetis, ubi nunquam reprehensi leguntur populi qui ceremonias legis non observarunt. Itaque male objicitur Jesu discipulis, eos abrogasse legem, cum noluerant gentiles, quibus nunquam fuit lata, ad eam custodiendam obligari. istud enim ne minimam quidem habet abrogationis speciem; perinde ac si quis diceret, Belgas non teneri observare Polonorum leges municipales, non propterea censendus esset eas abolere; quia nunquam iis fuerunt obligati, sed tantum Poloni. Sed, inquies, Apostoli etiam docuerunt Judæos posse absque ceremoniarum legis observatione salvari; quod abrogationi æquipollet. Resp. Non omnino. Liberum enim iis fecerunt eas retinere si vellent, neminique quo minus custodiret prohibuerunt. Quæ libertas mihi videretur etiam hodie relinquenda Judæis qui se ad Christum convertere vellent, nec vi, ut antea factum est multis in locis, ad eas deserendum adigendi. Id postea sponte facerent, cum melius de Christianæ religionis libertate essent edocti. Causam autem non habuerunt Judæi cur ista Apostolorum doctrina offenderentur: poterant enim scire majores suos, qui ante Abrahamum vixerunt, imo ipsum Abrahamum, placuisse Deo incircumcisos, & absque ceremoniarum legis observatione: poterant scire Deum nunquam iis delectatum, ut interna animi pietate & operibus ab ea proficiscentibus. Unde illud apud *Hoseam* VI. 6. *Misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocausta.* Et *Mich.* VI. 6. *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? nunquid offeram ei holocautomata & vitulos anniculos? nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; Utique facere judicium & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Nihil ergo novi afferebant Apostoli, cum Judæos docebant, ipsos operibus legis ceremonialibus apud Deum non posse justificari, sed tantum fidei operibus, qualia præscribit religio Christiana. Idem enim docuerant antea Prophetæ, & sæpius inculcaverant iis qui in ejusmodi ritibus fiduciam suam collocabant.

XV 2. Dico ad majorem: Imo contra ille est

verus

verus Messias qui legem Mosaicam abolevit & aliam novam condidit. Hoc enim ad Messiæ officium pertinere docet Scriptura Veter. Test. Deus promittit Israëlitis se Prophetam Mosi similem suscitaturum, & verba sua positurum in ore ejus, quæ si quis audire noluerit ultricem Dei manum sit experturus, *Deuter.* XVIII. 15. *& seqq.* Quod oraculum ad Messiam respicere supra evicimus. Non potuit autem Messias similis esse Mosi, nisi etiam legislator esset, sicut fuit Moses. Nam si interpres tantum legis fuisset, magno intervallo à Mose distitisset. Adde quod si nulla nova mandata à Deo attulisset, Deus non esset ita severe minatus ultionem ei qui ipsum audire detrectasset; quia sufficiebat dicere se legis suæ transgressores graviter pro meritis puniturum. Sed expressius adhuc idem discimus ex Jeremia, ubi Deus sic loquitur, *Ecce dies venient, & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum; non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti*, &c. *cap.* XXXI. *v.* 31. *& seqq.* Ex quo loco evidenter colligitur tum abrogatio legis Mosaicæ, tum alterius novæ introductio. Nam *fœdus* & *lex* unum idemque significant, ut apparet ex eo, quod hæ voces ubique in Sciptura promiscue, ubi agitur de Deo, usurpentur. Quamvis enim inter homines multum discrepare soleant lex & fœdus, apud Deum tamen non item; quippe in fœdore quod cum hominibus pangit, eas quas libet apponit conditiones seu leges, quas qui non observant beneficio fœderis ejus excidunt. Si autem ejusmodi mutatio unquam contingat, illam per Messiam factum iri Judæi ut puto non negabunt, à quo omnium rerum instaurationem in melius exspectant. Excipies; Oraculum istud respicere tempus liberationis è captivitate Babylonica. Resp. Nolim id omnino negare. Tunc enim videtur Deus cum populo suo fœdus innovasse, cum ipsum ex dura illa servitute liberatum, in terram suam reduxit. Sed tamen certum est, magnifica illa quæ ibi dicuntur, *de inscriptione legum Dei in cordibus ejus*, &c. nondum fuisse penitus impleta; Et id quod tunc contigit fuisse tantum figuram eorum quæ fieri debebant tempore Messiæ.

XVI. Sed instant in contrarium, dicentes in Deum nullam cadere consilii mutationem, legem per Mosem latam adeo esse perfectam, ut ea melior nulla, ne ab ipso quidem Deo, dari possit, & multis ejus locis aperte significari eam in æternum esse mansuram; ut *Genes.* XVII. 13. de circumcisione, *Exod.* XII. 24. de Paschate; *Exod.* XXXI. 16. de Sabbatho; de sacrificiis matutinis & vespertinis, *Num.* XXVIII. 3. 10. & sic de aliis legis ritibus. Ad quæ repono, non propterea mutationem consilii Deo esse attribuendam, si leges quas dedit abroget, & novas alias in præcedentium locum substituat; quia mens ejus nunquam fuit ut rituales illæ leges in sempiternum durarent, sed ad tempus tantum eas tulit, (nempe quamdiu subsisteret politia Judaica) quo elapso aliis cedere debuerunt. Ita non dicetur mutabilis aut inconstans ille Rex, qui leges quas in tempus belli instituit, pace cum hostibus facta abrogat. Lex autem Mosis pertinebat tantum ad tempus infantiæ populi Dei, & adultæ ætati minus conveniebat; ut apparet ex eo, quod magnam partem consisteret in rebus indifferentibus, seu natura sua nec bonis nec malis, sed quæ tantum ob Dei reverentiam erant faciendæ aut vitandæ; in quarum obsequio infantes potius quam viri adulti solent exerceri. Unde male dicitur, nullam eâ perfectiorem, ne à Deo quidem ipso, ferri posse. Totam enim sapientiam suam in illa non exhausit. Ab Israëlitis quidem pro perfecta haberi debuit, (qualis revera fuit respectu omnium aliarum legum humanarum) ut nihil ei addere aut ab ea detrahere privato motu auderent. Sed tamen inperfectam fuisse liquet ex multis indiciis, sive promissa ejus sive mandata respicias. Nam, non promittebat expresse nisi bona corporalia & hujus vitæ, adeo ut in toto Pentateucho nulla vitæ æternæ aut resurrectionis mortuorum aperta mentio fiat. Permittebat divortia ob leviores causas, & ultionem injuriarum, quæ mala esse ratio ipsa naturalis docet, & à sanctioribus in hoc populo nusquam usurpata legimus. Denique non sequitur ex eo, quod aliquoties in præceptorum sanctionibus additur, ea in æternum aut sempiternum esse observanda, nullo unquam tempore abrogari debere. Istis enim vocibus Deus nihil aliud intendit, nisi ejusmodi præcepta à quibusdam aliis distinguere, quæ usum tantum temporalem in deserto habebant, aut tempore belli, aut quamdiu tabernaculum & arca nullam fixam sedem nacta erant, sed subinde de loco in locum transferebantur; qualia videre est *Numer.* I. 50. 51. *Deut.* XXIII. 12. & alibi. Et ostendere ea æqualis cum politia Israëlitica durationis futura. Sic enim quæ per longum aliquod temporis spatium durant, æterna solent vocari, etiamsi fine non careant: ex. gr. dicebatur servus æternum domino suo servire, non solum qui ad mortem usque serviebat, sed etiam qui usque ad annum Jubilæi, etsi is non multum abesset, *Exod.* XXI. 6. *Deuter.* XV. 17. Eo sensu vocatæ sunt æternæ legis ceremoniæ, quia ad Messiam usque duraturæ erant, & in eo complementum suum habituræ. Satis enim longum erat illud tempus, ut isto respectu non male aut contra usum dicerentur æternæ, præsertim cum in Messia novum sæculum à præcedentibus longe diversum & longe felicius initium caperet.

XVII. *Tertius* locus est *Jerem.* III. 16. *Cum multiplicati fueritis & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus; non dicent ultrà, Arca testamenti Domini; neque ascendet super cor, neque recordabitur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra*, &c. Hic de tempore Messiæ agi non negabunt Judæi; id enim nimis clarum est. Nam absurdum foret id

referre

referre ad reditum è captivitate Babylonica, cum Arca Domini nusquam inventa est, ut quis eam consulere posset. Tunc enim maxime jactura ista ascendebat super cor Judæorum, & recordabantur illius in angustiis suis. Sed tempore à Propheta designato opus ea non erat amplius futurum. Cum ergo tunc Arca fœderis, præsentiæ Dei inter Judæos symbolum, & pretiosissimum templi κειμήλιον, in Sancto sanctorum repositum, quo solus summus Sacerdos, & nonnisi semel in anno, ingrediebatur, nullius usus esset futura, & à nemine requirenda, apparet eandem totius reliqui apparatus ad cultum ceremonialem fore rationem, seu tempore Messiæ non amplius usurpandum. Ita ut hic sit synecdoche; in qua ex una parte, & quidem nobilissima præstantissimaque, cæteræ omnes simul debeant intelligi. *Quartus* est *Daniel.* IX. 26. 27. quo tempus adventus Messiæ post 70 annorum hebdomadas à soluta captivitate Babylonica definitur, & Angelus Danieli inter alia dicit, *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est*, &c. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium*; vel potius *cessare faciet*; in Hebræo enim est יַשְׁבִּית nempe ipse Christus; ne quis illud quod ejus tanquam justi judicis auctoritate factum est, ad violentiam Romanorum solam referat, qui templum incendendo, simul ad hunc usque diem cessare fecerunt legis sacrificia, quæ in illo unico loco offerre licebat. Quanquam si vel hoc solum factum considerarent attente Judæi, ex eo possent discere, totum cultum ceremonialem, Deo ita volente, esse abrogatum. Cum enim illum templo Hierosolymitano alligavisset, ita ut eum alibi exercere nefas esset, satis ostendit, permittendo templum Romani exercitus libidini, ut ipsum incenderent & solo æquarent, se non amplius isto cultu delectari; alioqui non relinqueret locum illum per tot sæcula desertum, id est, tertia parte longiore temporis spatio quam templum unquam steterit; cum ab ejus prima constructione per Solomonem, usque ad ultimam ejus destructionem per Titum, non effluxerint nisi 1084 anni, à quibus si subtrahas illos 70, quibus durante captivitate Babylonica dirutum mansit, cultus ceremonialis sacrificiorum non multum supra mille annos ibi fuerit exercitus.

XVIII. *Quintus* est *Malach.* I. 11. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quem locum jam supra attulimus, ad probandum vocationem gentium per Messiam ad cognitionem unius veri Dei, olim prædictam esse à Prophetis. Sed insignis est præterea ad ostendendum cultus ceremonialis abrogationem. Ex una enim illius parte seu specie possumus recte ad reliquas argumentari; nimirum, si constet unam esse abrogatam, non esse quod putemus cæteras debere esse perpetuas. Sub regno Messiæ cultus divinus non amplius exercebitur in uno solo loco, peculiariter ad id à Deo ipso selecto, quale erat templum Hierosolymitanum; sed passim & ubique locorum absque ullo discrimine. Ergo etiam tunc reliqui legales ritus abrogabuntur, cum eadem illorum quæ istius sit ratio. Istud vero ad aliud quam Messiæ tempus non respicere, id vel solum ostendit, quod Malachias fuerit ultimus Prophetarum, post quem Deus nullum ad Judæos misit, qui ipsos de voluntate sua edoceret; & quod iis de adventu Messiæ tanquam propinquo vaticinatus fuerit, ut supra vidimus. Quod autem hic *sacrificandi & oblationis mundæ* fit mentio, neminem movere debet, ut existimet sacrificia illa taurorum & arietum lege Mosaica præcepta tempore Messiæ usurpatum iri. Nam ex ipsis Vet. Test. libris disci potest, esse alterius generis sacrificia, nempe spiritualia longe Deo acceptiora quam fuerunt illa brutorum. Sic *Psalm.* L. 14. *Immola Deo sacrificium laudis.* Et *Psalm.* LI. 19. *Holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo* (videl. acceptum) *spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies*; & aliis in locis. Talia autem sunt sacrificia, quæ gentes per Messiam conversæ sub novo fœdere Deo offerunt; & quidem *in omni loco*, ut dicebat Dominus Jesus mulieri Samaritanæ, *Joan.* IV. *v.* 20. *& seqq.* Cum Deus in una Judæa solum ex suo præscripto colebatur, non est adeo mirum Deum cultum illum uni loco alligasse; quia illa regio non erat tam ampla, ut Israëlitæ non facile ex omnibus ejus partibus Jerusalem ad festa solennia se conferre possent. Sed postea quando Deo visum est omnes gentes ad sui cognitionem vocare per Euangelium, quis credat eum voluisse ut idem locorum discrimen maneret? cum distantia locorum non permittat, ut omnes totius orbis incolæ tam sæpe quotannis Jerusalem adeant, nec si eam adire possent, illis recipiendis sufficeret, aut eorum sustentationi necessaria alimenta suppeditaret.

XIX. Et certe si ritus istos sigillatim considerare placuerit, facile animadvertemus, nihil in illis esse præter solum Dei mandatum quod iis reverentiam conciliabat, cujus gratia in pretio esse deberent, Deumque ipsos præscribendo non levia dedisse indicia, se nec omnes terræ populos iis velle devincire, nec etiam Israëlitas semper. Circumcisio primum illic locum obtinet, in qua tantum positum esse putant Judæi, ut vel ob illam solam sua gens Deo sit accepta, & incircumcisi nunquam sibi gratia apud Deum sint exæquandi. Sed tamen præputium non esse rem simpliciter malam aut vitiosam, ut necessario resecari debeat, fatebuntur, qui perpendent ipsum esse corporis humani partem, cum qua Adamus creatus est, Deumque omnibus operibus suis consideratis vidisse illa esse valde bona. Deus circumcisionem olim Abrahamo præscripsit &

ejus

ejus posteris, ad separandum per istam notam carni impressam populum illum, ex quo constituerat Messiam suscitare, à reliquis terræ incolis. Sed ex quo ille venit, & Euangelium promulgatum est, in quo Deus declarat se omnes credentes absque ullo nationum discrimine pro suo populo agnoscere velle, superflua evasit illa nota per quam gentes ab Israëlitis separabantur. Aut igitur negent gentes, quæ ex Abrahamo non sunt ortæ, unquam in Dei populum asciscendas, contra tot expressa prophetarum oracula quæ supra attulimus; aut fateantur cum id evenerit, nullum amplius circumcisionis fore usum, & propter eam se Deo cæteris fidelibus non fore gratiores. Id probatur inde, quod cum Deus circumcisionem præscripsit Abrahamo, dixit ei, *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos*, *Genes.* XVII. 11. Non igitur mens ejus fuit, ut diutius quam illud fœdus, cujus erat signum, duraret. Desinere autem debuit fœdus cum Abrahamo initum, & alii longe præstantiori cedere, secundum prophetiam *Jerem.* XXXI. proinde etiam circumcisio una cum eo. Quod maxime in illa videtur placuisse Deo, fuit adumbratio repurgationis cordis à cupiditatibus pravis, prout significavit dicens, *Circumcidite præputium cordis vestri,& cervicem vestram ne induretis amplius, Deuter.* X. 16. *Jerem.* IV. 4. Absque hac spirituali circumcisione parum valebat apud Deum corporalis; unde exprobratio illa, *Omnis domus Israël incircumcisi sunt corde*, *Jerem* IX. *v. ult.* Sed absque corporali placuerunt multi Deo, ut Abel, Enoch, Noe, imo ipse Abraham, de quo adhuc incircumciso dicit Scriptura, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*, *Genes.* XV. 6. Nec Deus offensus est eo, quod Israëlitæ per 40 annos peregrinationis suæ in deserto Arabiæ liberorum suorum circumcisionem intermiserunt, *Jos.* V. 6. imo quidam expresso ipsius mandato factum fuisse existimant, habita infirmitatis eorum ratione qui in itinere circumcidi non possent, aut recenter circumcisi ad iter faciendum minus apti essent.

XX. Quod ad Sabbathum attinet & reliqua festa, in iis duo sunt consideranda, celebratio nominis divini, una cum gratiarum actione pro beneficiis ejus, & exacta quies ab omni opere. Primum natura sua est bonum, ideoque perpetuo durare debet; alterum vero non est bonum nisi quatenus primo inservit, eaque de causa mutationi est obnoxium, cum homines non omni manuum aut corporali labore impediantur, quo minus cultui divino vacare possint; & Deus magis abstinentia à peccato delectetur, quæ per Sabbathum adumbrata fuit, quam ejusmodi quiete corporea, in qua animus pravis cogitationibus distineatur. Quare Deus abominatus est festa sibi ab hypocritis inter Judæos celebrata; *Neomeniam & Sabbathum & festivitates alias non feram*, &c. *calendas vestras & solennitates vestras odit anima mea, facta sunt mibi molesta, laborari sustinens, Esa.* I. 13. Hinc est quod Sabbathum vocetur signum, *Exod.* XXXI. 16. et Israëlitas officii sui admonebat erga servos ex commemoratione pristini status, *Deut.* V. 15. *Memento quod & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento: idcirco præcepit tibi ut observares diem Sabbathi.* Eodemque respiciebant festa Paschatis, & Tabernaculorum. Sed hujus beneficii memoriam aliquomodo obliterare debebant majora & excellentiora; secundum id quod dicit Jeremias, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur ultra, Vivit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Ægypti; sed vivit Dominus qui eduxit filios Israël de terra Aquilonis*, &c. XVI. 14. & XXIII. 7. Omnium autem præstantissima per Messiam sibi obventura Judæi exspectant. Ergo sub illo implebitur quod dicit Esaias in fine suæ prophetiæ, *Et erit mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho, veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus*; id est, continuo & absque intermissione, ab uno novilunio ad aliud, & ab uno sabbatho ad aliud; quod longe excellentius est quam per intervalla ad Deum colendum convenire, & imaginem exhibet æterni illius sabbathismi, quod nos olim celebrabimus in cælo.

XXI. Ejusdem est naturæ ciborum discrimen, quod lege Mosaica præscribitur, *Levit.* XI. & *Deuter.* XIV. Post diluvium Deus permisit Noacho & ejus filiis carne animantium vesci, quod ante videtur non fuisse licitum; & nihil excepit præter sanguinem, in quo est vita cujusvis animantis, *Genes.* IX. Causa autem cur postea libertatem hanc circumscripserit, & Israëlitas quibusdam animalibus vesci prohibuerit; hæc esse putatur, ut tanto magis sibi caverent ab idololatria, quæ inter Ægyptios exercebatur, sues & alia ejusmodi animalia in sacrificium offerentes; quo periculo cessante potuit ab ipso abrogari. Nam hos cibos per se non esse malos, ex eo est animadvertere, quia non minus quam cæteri à Deo sunt creati, cujus omnia opera sunt bona; & nisi ista animantia ab hominibus occiderentur vastarent terram, perderent fruges, & magna iis detrimenta afferrent; ideoque non videntur omnibus in universum hominibus prohiberi potuisse. Et cum Deus in disciplina vellet Judæos continere, istorum quidem esum eis prohibuit, sed quem concessit peregrinis inter eos habitantibus, *Deuter.* XIV. 21. quod non fecisset, si qua in eo vera esset labes; quia peregrini Deo curæ erant, & volebat ipsos ab Israëlitis amari, *Levit.* XXV. 7. *Deuter.* XXIV. 17. *& seqq.* Cum ergo populorum discrimen erit sublatum, & Deus omnes se timentes pro filiis agnoscet, (quod sub Messia fieri debet) cessabit & hoc institutum quod eos à se invicem separat.

XXII. Sed forte majoris momenti videbuntur sacrificia, in quibus maxima pars antiqui cultus consistebat, & propitiatio peccatorum fiebat, ut perpetuo durare debeant. Resp. Sane, si

si ita se res habeat, pessime agitur cum Judæis ab eo tempore, quo everso templo facultas sacrificia offerendi est ademta. Qua enim ratione sperant se Deum propitium sibi posse reddere, si sacrificia ad illud sint requisita? Verum est, Deus per illa sub lege placabatur, quia ita volebat, non quia vis aliqua esset in sacrificiis hunc effectum producendi. Id agnovit ille sapiens inter Ethnicos, qui dixit,

Cum sis ipse nocens moritur cur victima pro te;
Stultitia est morte alterius sperare salutem.

Deus etiam cum videret Israëlitas in majore æstimatione sacrificia habere quam par esset, reprehendit eos. Notanda sunt illa ejus verba apud *Jerem.* VII. 22. *Quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus*, &c. Atqui, inquies, maxima pars libri, qui inscribitur Leviticus, nihil aliud continet nisi leges de sacrificiis; quomodo ergo Deus tam multa de illis præscripsit, si minime iis delectaretur? Resp. Populus ille valde pronus erat ad idololatriam, & facile imitatus fuisset profanos ritus Ægyptiorum & aliorum vicinorum, nisi Deus illis præscripsisset operosum cultum quo distinerentur. Sed interea satis ostendit, quænam essent ista quibus maxime delectaretur, nimirum non holocautomata, & oblationes pecudum, sed obedientiæ & justitiæ opera, & charitatis. Itaque non absolute sunt accipienda ista verba, sed per comparationem; & sensus eorum est, Deum in lege danda Israëlitis, in qua multa sunt præcepta de sacrificiis, non tamen ad illa præcipue respexisse, sed ad internam animi pietatem & submissionem coram Deo. Quod etiam ita aperte explicat *Psalm.* L. ut non possit magis. *Non in sacrificiis tuis arguam te*, &c. *Nunquid manducabo carnes taurorum*, &c. *Immola Deo sacrificium laudis*, &c. Quæ non sunt dicta tantum de sacrificiis hypocritarum, ut quidam putant, sed in genere de omnibus, etiam quæ maxime pii offerebant; ut apparet ex serie orationis, quæ primum dirigitur ad pios, & agit de illorum oblationibus, deinde se convertit ad impios, & ostendit quid Deus in illis desideret. Itaque non debet videri mirum, si ea, quæ nunquam Deo per se placuerunt, ille aliquando cessare velit. Cujus rei indicia non obscura dedit in locis *Esa.* XIX. 19. *& seqq. Malach.* I. 11. *Dan.* IX. 27. supra à nobis allatis. Et patet per se iis qui oculos habent, cum fieri non possit, ut gentibus ad Deum conversis Hierosolyma & ejus templum, etiamsi centuplo majus esset quam Salomonicum, victimas offerendas capiat, aut universa Palæstina eas suppeditet. Ut jam omittam, quod Judæi non intelligunt, sed discimus ex Novo Testamento, præcipue ex Epist. ad Hebr. sacrificia illa legis fuisse umbras, quarum corpus & impletionem habemus in Christo, adeo ut eo præsente evanescere debuerint, & cessare tanquam nullius deinceps utilitatis.

RELIGIONIS CHRISTIANÆ INSTITUTIO.

LIBER VI.

CAPUT I.

De prædestinatione hominum, tum ad salutem, tum ad damnationem.

I. *Fœderis novi partes sunt tres, Dei decreta, præcepta, & promissa.* II. *Decretum Dei de salute & damnatione hominum vocatur prædestinatio, & quid ea voce significetur.* III. *Prædestinatio non est decretum Dei absolute æternum.* IV. *Objectum prædestinationis sunt vel res vel personæ.* V. *Causa ejus extra Deum nulla est.* VI. *Finis est illustratio gloriæ Dei.* VII. *Hæc doctrina magna cum utilitate docetur.* VIII. *Decreto generali de salvandis fidelibus, & condemnandis infidelibus, tota prædestinationis doctrina continetur.* IX. *Quomodo sub eo particularia comprehendantur.* X. *Hoc decretum etiam potest vocari Lex; estque non tantum qualitatum, sed & personarum.* XI. *Ex præscientia Dei non sequitur particulare decretum.* XII. *Quodnam mysterium in hac doctrina reperiatur.* XIII. *Inæqualitas mediorum ad salutem non arguit particulare decretum.*

I. SUpra de officio Christi prophetico tractantes, aliquid etiam in genere diximus de novo Fœdere quod Deus cum hominibus pepigit. Superest nunc videre, quænam præcipuæ illius sint partes, ut inde appareat quomodo Deus à nobis velit coli, & quid ipsum colentibus sperandum, non colentibus vero metuendum sit. Eæ ad ternarium numerum revocari possunt. Nam primo illic habemus revelationem decretorum Dei de salute & damnatione hominum æterna: deinde præcepta secundum quæ vitam componere debemus: denique promissa & minas quibus Deus præcepta ista sancivit: de quibus nobis erit ordine agendum.

II. Quod ad primum ergo attinet, quamvis Deus ante sæcula apud se proposuisset sibi ex fide obedientibus vitam æternam largiri, & incredulos ac contumaces ab ea excludere, hoc tamen voluntatis suæ propositum non revelavit clare, nisi postremis mundi temporibus per D. nostrum Jesum Christum. Istud est quod vulgo *Prædestinationem* vocant Theologi; Græce προορισμὸν; quæ vox est quidem generalis, & sua vi referri potest ad omnia opera quæ Deus apud se decernit diu antequam ea exsequatur; qualia sunt quæ spectant gubernationem creaturarum, tum intelligentium tum non intelligentium, in iis quæ ad animalem hanc vitam pertinent; & Providentia vulgo vocatur. Sed tamen ex usu Scripturæ restringi solet ad æternum hominum statum, sive felicem sive infelicem. Quamvis enim verbum προορίζω plerumque applicatum inveniatur saluti, ut videre est *Rom.* VIII. 29. 30. *Ephes.* I. 5. 11. nihilominus cum dicatur etiam de iis in quibus intervenerunt hominum peccata, ut *Act.* II. 23. & IV. 28. de traditione Christi in mortem, & similibus actionibus, quid prohibet, quin pari jure de damnatione usurpetur? Quod etiam ex natura oppositorum sequitur, cum ex prædestinatione fidelium ad salutem, colligatur necessario infideles ab ea exclusum iri. Unde ii mihi videntur nimium scrupulosi, qui voces *prædestinationis* & *prædestinandi*, non putant usurpari debere nisi de salute æterna; præsertim cum non negent decretum Dei circa æternam damnationem quoque versari. His affinis est vox πρόθεσις seu *propositum*, quæ etiam generalis est, & de rebus humanis non minus quam divinis usurpatur: sed negotio salutis applicatur *Rom.* VIII. 28. & IX. 11. *Ephes.* III. 11. Item πρόγνωσις & προγινώσκω, quæ occurrunt *Rom.* VIII. 29. & XI. 2. *Act.* II. v. 23. & 1 *Petr.* I. 2. 20. quæ non significant prævisionem in Deo alicujus qualitatis, sive bonæ sive malæ, in hominibus olim exstituræ, ratione cujus alios salvare alios vero damnare decernat; sed ipsum decretum divinum: eodem modo quo scita dicuntur apud Latinos quæ decreta sunt, ut Plebiscita, id est plebis decreta; quæ vox tamen non derivatur à scio, sed à scisco. Illi etiam videntur non satis intelligere quid dicant, qui electos vocant *prædestinatos*, & reprobos vocant *præscitos*; cum utraque vox *prædestinatorum* & *præscitorum* unam eandemque rem significet. Sed de vocibus satis. Rem ipsam illis significatam nunc consideremus.

III. *Prædestinatio est decretum Dei, quo constituit ante sæcula fideles, qui vocationi suæ parituri essent, justificare, adoptare, & tandem vita æterna donare; contra vero infideles & contumaces ad mortem æternam damnare.* Dicimus primo esse *decretum Dei*; quæ autem sit decretorum divinorum natura ante vidimus, ut non sit necesse id nunc repetere. Ea omnia sunt liberrima, utpote facta *secundum consilium voluntatis ejus*, ut loquitur Paulus *Ephes.* I. 11. Et res ipsa id loquitur, cum Deus sit agens liberrimum in omnibus quæ extra se operatur, qui pro arbitrio suo & nulla

adactus necessitate sic vel aliter agit, aut etiam actiones suas suspendit. Unde videre est prædestinationis decretum non esse absolute æternum, sicut Deus qui nullum existendi principium habet. Id enim est Dei effectum, & quidem liberum. In æternis autem nulla est libertas, sed mera regnat necessitas. Ita cum Deum esse sit necessarium, si quis diceret eum libere existere, non procul ab atheismo distaret. Sed non perinde se res habet in decreto prædestinationis, quod potuisset non facere, si libuisset; cum nemini teneatur vitam æternam largiri, ac proinde nec decernere. Quod omnino asserendum est, si velimus tanti beneficii gloriam Deo in solidum conservare, & quantum ei isto nomine debeamus profiteri. Qui docent decretum Dei esse ipsum Deum, debent simul fateri, omnia quæ Deus facit necessario facere, & sicut necessario decrevit, ita necessario exsecutioni dare, & nullam plane in eo esse libertatem. Dicimus tamen decretum istud factum esse ante sæcula, quia Paulus *Ephes.* I. 4. dicit, *Deum nos elegisse ante mundi constitutionem*, seu jacta mundi fundamenta, id est, eligere proposuisse. Neque enim istud aliter quam de decreto accipi potest, cum electio sit eorum qui jam actu existunt, à se invicem segregatio & separatio. Id colligitur etiam ex eo quod Petrus 1 *Epist.* I. 20. dicat, *Christum esse præcognitum ante mundi constitutionem*, nempe ut esset mundi Servator. Non potuit autem esse destinatus mundi Servator, quin pariter Deus decreverit quos qualesve per ipsum servare vellet. Deinde cum idem Petrus *Act.* XV. 18. dicat, *Deo sua opera ab ævo esse nota*, id etiam humanæ salutis operi adaptari debet, quod unum est ex præstantissimis Dei operibus, & in quo maxime gloria ejus elucet. Etiamsi, ut antea dixi, non necesse sit locum istum prorsus universaliter & absque ulla exceptione accipere; libertatem hanc nobis concedente diversa celebrium exemplarium lectione, quæ verba ista ad vocationem gentium, de qua agebatur, restringunt. Ex eo autem non colligitur decreti prædestinationis proprie dicta æternitas, cum aliquid possit esse factum, & initium suum habuisse ante hunc mundum visibilem, quod non sit æternum, ut plerique veterum de Angelis crediderunt, licet eos Dei creaturas esse faterentur.

IV. *Objectum* decreti prædestinationis, quod alii materiam vocant, sed improprie, est duplex, res nimirum divinæ; deinde personæ, quibus res illæ sunt destinatæ aut abjudicatæ. Et res quidem divinas quod attinet, eæ sunt omnis generis benedictiones spirituales in hac vita, & inter eas duæ præcipuæ, justificatio, cum quâ remissio peccatorum est conjuncta, & adoptio in Dei filios; & post hanc vitam, alia longe excellentior & æterna in cælis. De quibus vide *Ephes.* I. 3. &c. ubi dicitur *Deum nobis benedixisse omni benedictione spirituali in cælestibus*, cum *nos prædestinasse in adoptionem filiorum per Jesum Christum; in quo nos habeamus redemptionem per sanguinem ejus*, *hoc est*, *remissionem peccatorum*, &c. Item *Joan.* I. 12. & III. 15. 16. & plurimis aliis in locis, quæ de adoptione fidelium, & vita in cælis ipsis reservata, similibusque beneficiis agunt. Personæ, sunt homines fideles, quos Deus justificat, adoptat in filios, & vita donat æterna: & ab altera parte infideles, quibus hæc omnia bona denegantur. Et hæc adeo sunt clare & tot locis in Scripturis proposita, ut certum sit apud omnes id quod Euangelista dicit, *Qui crediderit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*, *Marc.* XVI. 16. nempe quia ita à Deo est constitutum. Item, *Qui credit in filium habet vitam æternam; qui autem incredulus est* (aut non paret) *filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, *Joan.* III. 36. similiter ex Dei decreto. Quod *voluntatis* voce aliquando exprimitur, ut, *Hac est voluntas Patris qui misit me, ut omnis qui videt filium & credit in eum habeat vitam æternam*, *Joan.* VI. 40. Præterea hæc ex eventu ipso patescunt, cui decretum in omnibus consonum esse oportet. Quales enim homines Deus in tempore justificat, adoptat, & beat in æternum, tales etiam justificare, adoptare & beare ante sæcula decrevit; & ex opposito, quales non justificat, &c. tales etiam justificare non decrevit. At omnes & solos fideles Deus in tempore justificat, adoptat & beat; & omnes & solos infideles ab his beneficiis excludit. Ergo id olim sic facere decrevit.

V. Nunc si de causa inquiratur quæ Deum ad istud decretum faciendum moverit, dicemus eam extra Deum ipsum non esse quærendam. Nam cum Deus ante conditum mundum solus esset, nihil erat quod eum movere posset ad quicquam faciendum aut decernendum; imo nihil providere poterat futurum quo moveri deberet, cum nihil nisi ex ipsius decreto exstiturum novisset. Deus ergo solus hic considerandus venit, tanquam jus habens αὐτοκρατορικὸν & potestatem absolutam statuendi de suis bonis & de hominibus, ut ea largiatur cui vult, deneget etiam cui vult. Quo pertinent ista Jesu Christi verba in parabola *Matth.* XX. 15. *An non licet mihi quod volo facere in meis?* Et quæ Deus dicebat Mosi *Exod.* XXXIII. 19. *Miserebor cujus misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero*; à Paulo *Rom.* IX. in hoc argumento citata. Specialiter tamen dici potest in prædestinatione fidelium ad salutem, Deum benevolo suo affectu fuisse motum ad illis spiritualia & cælestia bona decernendum, qui ea non erant promeriti, sed contrarium potius. Decrevit enim iis salutem quos peccatores fore sciebat; & fides, quam in conditionem illius adipiscendæ præscribit, non est tanto præmio digna ex se, sed ex gratia Dei. Unde illud sæpe amori & beneplacito ipsius tribuitur in Scripturis, *Sic Deus dilexit mundum*, &c. *Joan.* III. 16. Item, *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos*, &c. 1. *Joan.* IV. 10. Et, *Prædestinavit*

navit nos secundum beneplacitum voluntatis suæ, *Ephes.* I. 5. Sed si respiciatur ad eos quos Deus à bonorum istorum communicatione excludit, illud justæ liberæque ejus severitati erit tribuendum. Nam sicut *miseretur cujus vult*, ita etiam *quem vult indurat*, *Rom.* IX. 18. Nec peccatores qui libera voluntate Deum offenderunt, & invitati ad resipiscentiam in peccatis perseverant, habent occasionem conquerendi de Deo quod ipsos salutis æternæ participes reddere nolit. Sunt enim sibi infortunii sui fabri.

VI. Et in utroque decreto, tam de salute fidelium, quam damnatione infidelium, Deus proponit sibi gloriæ suæ illustrationem, ad quam æquum est omnia quæ in mundo sunt tendere. Idque docet Paulus ad *Rom.* XI. 36. *Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula.* Et *Ephes.* I. 5. *Prædestinavit nos in laudem gloriæ gratiæ suæ*, &c. Et Salomon *Prov.* XVI. 4. *Universa propter seipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum*, supple, destinavit, ut injusta ejus perditione glorificetur. Cujus exemplum habemus in Pharaone, de quo dicit Scriptura *Exod.* IX. *v.* 16. *In hoc ipsum excitavi te*, vel subsistere te feci, *ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in universa terra.* Quod non afferimus ad probandum Pharaonem ab æterno nominatim destinatum fuisse ad damnationem: absit: id postea refutabimus; sed tantum eo fine, ut pateat etiam per decretum de justo impiorum supplicio illustrari gloriam Dei. Quod nisi decrevisset, non videretur valde à peccato abhorrere, neque ita sanctus esse ut se ubique in Scripturis prædicat.

VII. Nihil attinet quærere de hac prædestinationis doctrina, ita ut fecimus, explicata, utrum expediat eam publice & omnibus absque discrimine proponere. Qui enim de eo dubitaret, videretur quoque dubitare, an expediret Euangelium Jesu Christi ubique prædicare; cum eadem sit utriusque ratio, & hæc doctrina nihil aliud sit nisi Euangelii compendium, atque adeo salutis nostræ & certitudinis quam de ea habere possumus fundamentum: quod aliquem celare, foret saluti ejus invidere. Illi occasionem habent quæstionem hanc movendi, qui sibi conscii sunt se opinioni admodum periculosæ adhærere, de aliis hominibus nominatim & irrevocabiliter ad salutem æternam destinatis, aliis contra priores numero longe excedentibus nominatim & irrevocabiliter cruciatibus æternis adjudicatis; quæ sua natura nihil aliud nisi securitatem vel desperationem apta est ingenerare in animis hominum; & ideo præcipiunt ut de ea non nisi magna cum prudentia agatur habendo diligentem auditorum rationem, quos inde ædificatum aut contra offensum iri probabiliter conjicitur. Cujus memorabile habemus in Collatoribus Hagiensibus Contraremonstrantibus qui suam de reprobatione sententiam nunquam voluerunt aperire, etiamsi id juberent Ordines Hollandiæ, & maluerunt disputationem abrumpere quam eis parere. Item in Beza in *Colloq. Montisb. p.* 308. 310. Nobis ista tam scrupulosa cautione nihil est opus.

VIII. Sed, inquiunt, tota prædestinationis doctrina non continetur decreto isto generali de fidelibus salvandis, & infidelibus damnandis. Est etiam aliud particulare quo constitutum est quinam nominatim salvandi & quinam damnandi sint. Resp. Si tale particulare decretum detur, certum est tamen illud nullibi in Scriptura patefactum, quæ tum salvandorum tum damnandorum qualitates contenta generatim proponere, nusquam in specie quinam illi futuri sint declarat. Itaque illud possumus tutò ignorare, & non nisi temere de eo tot verba fieri solent. Cui adde, quod si Deus ejusmodi aliquod decretum particulare fecisset, de quibusdam singularibus personis citra ullarum qualitatum respectum salvandis aut damnandis, ex eo sequeretur, Christum & Apostolos, qui nullam ejus mentionem fecerunt, & nunquam id annunciarunt suis auditoribus, maximam partem consilii divini celasse eos, & sic munere sibi demandato non satis fideliter esse defunctos. Atqui nefas est tantum crimen de illis suspicari. Nam Christus dicit discipulis, *Omnia quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis*, *Joan.* XV. 15. Et Paulus seniores Ecclesiæ Ephesinæ alloquens, protestabatur eis, *Non subterfugi quominus annunciarem vobis omne Dei consilium*, *Act.* XX. 27. Quod procul dubio etiam alibi fecerat, sicut & reliqui Apostoli ipsius collegæ. Dices, Jesum Christum & ejus Apostolos non quidem declarasse in specie quas singulares personas Deus salvare aut damnare decrevisset; sed tamen non semel diversis in locis Scripturæ indicasse, tale quoddam ab eo decretum esse factum. Resp. Ista duo inter se pugnare, nec posse simul consistere, ut Christus & Apostoli declararint Deum decrevisse, quales homines salvare & quales damnare vellet, & simul constituisse singulares quosdam salvare & damnare, absque ullo in decreto faciendo ad qualitates eorum respectu. Cum ergo primum annunciarint, ut omnes confitentur, non potuisse secundum annunciare.

IX. Quanquam non negemus sub generali decreto etiam particulare comprehendi; perinde ut fit in præceptis quæ generatim enunciata omnes in individuo obligant, ut cum dicitur, *Non occides*, *non mœchaberis*, & Abraham, & Moses, & David, & quotquot alii sunt in mundo homines, istud ad se pertinere scire debent. Sic decreto de vita æterna fidelibus danda, continentur Petrus, Paulus, Joannes, Jacobus, qui credunt, & omnes alii eorum similes. Sub decreto de infidelibus in morte relinquendis, continentur Cain, Judas, qui non credunt, & omnes alii eorum similes.

X. Instant. Istud decretum generale non debet dici prædestinatio, sed tantum lex quædam.

 Resp.

Resp. Legem & prædestinationem non adeo à se invicem differre, quin voces istæ absque confusione inter se permutari, & una pro alia usurpari possint. Nam sicut prædestinatio est decretum Dei, sic & leges tum divinas tum humanas non raro decreta appellari videmus. Non occides, & quicunque alium occiderit morte plectetur, est lex. Sed nihil prohibet quin etiam id prædestinatio dicatur, quia Deus apud se constituit legem suam executioni mandare. Ita vicissim, Qui crediderit salvus erit, qui vero non crediderit damnabitur, est prædestinatio, & simul etiam lex, præscribens qua ratione ad salutem perveniri possit, & damnatio evitari. Sed, inquiunt, istud decretum quidem est prædestinatio qualitatum, non autem personarum, cum per id nullius speciatim salus aut damnatio rata sit. Resp. Esse prædestinationem utrorumque, qualitatum, inquam, & personarum simul. Nam ad prædestinationem personarum non requiritur ut ad quasdam speciatim respiciatur. Sufficit si qualitates, quibus vestitæ aut non vestitæ esse debent, determinentur. Unde sequitur infallibiliter, ut personæ illæ, in quibus ejusmodi qualitates reperientur, aut contra, prædestinatæ sint. Sic olim Jacobus, cum petebat à Labane socero ut sibi in mercedem servitii daret quodcunque furvum & maculosum variumque nasceretur, tam in ovibus quam in capris gregum ejus, *Genes.* XXX. 32. vere destinabat habere oves & capras, non tantum qualitates earum. Ad ista enim duo tanquam connexa respiciebat. Similiter Gedeon, cum Deo jubente proponebat retinere ad expeditionem, quam moliebatur in Madianitas, milites qui lingua lamberent aquas, sicut canes solent lambere, & dimittere eos qui curvatis genibus biberent, *Jud.* VII. 5. vere constituebat quosdam exercitus sui milites retinere, quosdam vero dimittere, etsi ad qualitates modo indicatas respiceret; quia ista duo simul connexa esse volebat in iis quos retineret vel dimitteret.

XI. Addes, ex præscientia Dei sequi, esse ab eo decretum quas singulares personas salute donaturus, quas vero salute exclusurus sit. Nam cum noverit quinam credituri sint, quinam vero non credituri, non potuit quin simul illos vitæ, hos morti adjudicaret, cum apud Deum cognoscere & decernere re ipsa non differant, sed tantum considerandi modo. Resp. 1. Etiamsi Deus omnia hominum facta prænoscere possit si ad ea attendere velit, non tamen nobis constare utrum actu illa ante conditum mundum noverit, ut secundum istam præscientiam alios nominatim saluti alios damnationi destinaret. Nam ut Deus præsciat actu omnes hominum actiones, oportet etiam ut decreverit omnia, sine quibus eæ ad effectum deduci non possunt. Id autem eum fecisse nullo modo est verisimile; siquidem inde sequeretur, ipsum nunc nihil amplius novi posse decernere, sed tantum exsecutioni mandare quæ ab æterno decrevit; ac proinde perinde esse sive eum colamus sive non colamus, cum inde nihil aliud nobis evenire queat, quam sit ab eo antequam nati essemus nominatim constitutum. Nec id impedit quo minus Deus sit omniscius, cum ad id non requiratur ut omnia actu ab æterno noscat, sed tantum ut sit præditus facultate omnia quandoque libuerit cognoscendi; sicut est revera omnipotens, quia potest omnia facere quæ vult, etiamsi illa non faciat. 2. Deus præscit res eo modo quo sunt futuræ, nimirum aliæ certo seu necessario, aliæ incerto seu contingenter. Contingentium autem hæc est natura, ut tam esse quam non esse possint. Quare Deus eas præscire non potest tanquam necessario futuras; alioqui falleretur in sua præscientia; quod absit ut de eo dicamus. Unde apparet præscientiam quam Deus habet fidei & incredulitatis, sive obedientiæ & contumaciæ singulorum hominum, quæ sunt res natura sua contingentes, & ad utrumque mutabiles, non esse talem, ut ei decretum peremptorium & immutabile de uniuscujusque salute vel damnatione nominatim superstrui debeat; ideoque longe esse probabilius, Deum istud decretum particulare differre, donec singuli in fide vel in infidelitate cursum hujus vitæ consummarint. 3. Istud cum æquitate naturali pugnare, ut de quacunque re antequam facta sit pronuntietur irrevocabilis sententia, qua præmium vel pœna illius auctori nondum nato in specie decernatur; nec proinde Deum ita erga homines se gerere quibus leges præscripsit, secundum quas se de illorum factis aliquando judicaturum declaravit. Sic enim Deus non esset judicaturus orbem in justitia, quod ipsum facturum Paulus dicit *Act.* XVII. 31. sed tantum sententiam ante mundum conditum jam apud se pronunciatam executioni mandaturus. Verum quidem est Dominum Jesum dicere, *Qui non credit, jam judicatus est*, *Joan.* III. 18. Item, *Qui credit, in judicium non veniet, sed transivit à morte in vitam*, *Joan.* V. 24. Sed neuter istorum locorum docet Deum ab æterno de unoquoque hominum in particulari sententiam tulisse. Nam prior ita intelligendus est, ut incredulus dicatur jam esse judicatus, non in propria persona, sed in generali Euangelii pronunciato, quo omnes increduli vita æterna excluduntur; sed cujus applicatio ad singulos debet fieri in extremo judicio. Posterior vero loquitur de judicio condemnationis, in quod non venient qui credunt Euangelio, sed secundum illud absolventur in examine quod fiet omnium quæ homines gesserint in corpore, sive bona sive mala. Frustra autem tunc fieret istud examen & præposterè, si jam singuli irrevocabiliter vitæ aut morti æternæ essent ab æterno adjudicati.

XII. Denique objicitur, Si tota prædestinatio in eo consistat, quod Deus unicuique hominum secundum ea quæ bene vel male egerint reddere proposuerit, nihil in ea admirabile fore, nul-

nullum inscrutabile nobis judicium, contra id quod Paulus docet *Rom.* XI. 33. cum nullus sit qui istiusmodi decreti rationem facile comprehendere non possit. Resp. Duplicem esse Dei prædestinationem, aliam ad salutem, vel damnationem; aliam ad media salutis, vel eorum denegationem: & nos de priore velle intelligi quod diximus, non vero de posteriore. In illa nihil abstrusius, vel à nostro captu remotius, cogitandum est, quam in omnibus aliis legibus, quæ obedientibus præmia, rebellibus pœnas decernunt. Qui ibi mysteria non revelata quærunt, tum se tum alios decipiunt, quibus id persuadere volunt. In hac vero confitemur esse mysterium incomprehensibile, & cujus rationes nos lateant; nimirum cur Deus media, quibus ad fidem perveniri possit, & consequenter ad salutem, tam inæqualiter hominibus distribuat, ut fieri videmus. Nam primis mundi temporibus voluntatem suam paucis quibusdam Patriarchis solum patefecit; deinde sub lege non aliis quam Israëlitis. quod beneficium suo uni populo concessum celebrat Propheta *Psalm.* CXLVII. 19, 20. & permisit omnes alias gentes ingredi vias suas, ut loquitur Paulus *Act.* XIV. 15. quasi eas omnino non curaret. Imo post Christi adventum ejus Euangelium non est ubique annunciatum; sed multi olim fuerunt, & nunc quoque sunt populi in mundo, qui de eo nihil prorsus audiverunt. Cujus diversitatis rationem nemo est qui plene reddere possit. Nam quamvis Scriptura declaret, Deum iis qui præcedentibus suis donis bene usi fuerint plura benigne largiturum, secundum illud Christi, *Omni habenti dabitur, & abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo*, *Matth.* XXV. 29. & XIII. 12. Tamen non potest reddi ratio, cur Deus aliquando iis, qui veritatem suam detinuerant in injustitia & fœdis cupiditatibus fræna laxaverant, tam clementer illuxerit, ut Romanis, Corinthiis, Ephesiis, cum ad eos Apostoli missi sunt; alii vero, qui pejores non erant, neglecti fuerint. Cur Christus in Corazin & Bethsaida, quarum incolæ malitiæ erant deploratæ, tam multa & illustria miracula fecerit; in Tyro vero & Sydone, quæ non erant ita obduratæ, & se ad talia signa, si ea vidissent, convertissent, facere noluerit, *Matth.* XI. 21. Istud ad solum Dei beneplacitum est referendum, quo gratias suas prout videtur inter homines distribuit, vel largius vel parcius, nulla habita dignitatis vel indignitatis eorum ratione. Et inde occasionem arripuit Paulus in loco citato exclamandi, *O altitudo divitiarum, & sapientiæ & scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus!* Sed id ulterius trahendum non est, ad decreta toti Scripturæ ignota comminiscendum.

XIII. Instabis & dices, Atqui ex ista inæquali mediorum ad fidem administratione, quod aliis ea copiose suppeditantur à Deo, aliis vero denegantur, recte colligitur decretum aliquod esse absolutum, quo alii præcise ad salutem, alii vero ad damnationem sunt præordinati. Resp. Minime. Nullis enim tam parca manu (si ita loqui liceat) Deus media hæc largitur, quin si iis bene uterentur, ad salutem pervenire possent. Unde Paulus *Act.* XIV. 16. *Deum nunquam reliquisse se absque testimonio, benefaciendo de cælo*, &c. Et *Rom.* I. 19. *Quod cognosci debet de Deo, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit.* Quod si hæc non sufficerent, Deus alia addere paratus esset, nec sineret unquam ad opem suam confugientes perire. Ex quo conficitur, eos qui pereunt non ideo perire, quod Deus ipsis tanta copia salutis media non suppeditaverit atque aliis quibusdam; sed ideo, quod iis quæ habuerunt non bene usi fuerint; ita ut non Deum incusare, sed seipsos debeant, quod sibi perditionis, quam evitare poterant, causa exstiterint.

CAPUT II.

Proponuntur quatuor de prædestinatione singularium personarum sententiæ.

I. Proponitur sententia Supralapsariorum. II. Infralapsariorum. III. Eorum qui electionem absolutam & simul gratiam universalem statuunt. IV. Qui singularium prædestinationem ex prævisa fide vel infidelitate tuentur. V. Conferuntur inter sese sententiæ Supralapsariorum & Infralapsariorum.

I. NUnc de iis nobis agendum est, qui putant Deum singularia decreta & irrevocabilia de uniuscujusque hominum salute vel damnatione jam ante conditum mundum fecisse; quorum plurimæ non diversæ solum, sed & inter se pugnantes reperiuntur sententiæ. Nos illarum quatuor præcipuas recensere contenti erimus. Prima eorum est, qui existimant Deum decreto æterno & immutabili ex hominibus, quos tantum ut creabiles, seu ut nondum conditos, considerabat, certum aliquem numerum, qui nec augeri nec minui possit, ad vitam æternam & ejus media prædestinasse; reliquos vero omnes (qui longe maximam humani generis partem faciunt) à salute æterna & mediis efficacibus ad eam ducentibus exclusisse, contraque morti & cruciatibus æternis adjudicavisse. Idque ex mero voluntatis suæ placito, nulla in illis habita justitiæ aut obedientiæ tanquam causæ moventis ratione; nec in his peccati aut contumaciæ; eo fine, ut in salvandis gratiam & misericordiam suam, in damnandis vero justitiam vel potestatem absolutam patefaceret.

II. Secunda eorum est, qui putant Deum considerantem universum genus humanum, non solum ut conditum, sed etiam ut in peccatum lapsum, & corruptum in Adamo, ideoque mortis & damnationis æternæ reum, constituisse decreto æterno & immutabili nonnullos nominatim ex hac perditione eripere, sibi per Christi mor-

mortem & satisfactionem reconciliare, aliisque efficacibus mediis ad vitam æternam perducere, ad suam in iis misericordiam demonstrandum; sed alios omnes tam infantes quam adultos, interque eos non solum infidelium liberos, sed etiam Christianorum non paucos, sacro baptismi sigillo in remissionem peccatorum obsignatos, in infantia sua morientes, in perditione ista relinquere, atque à participatione meriti mortis Christi, licet alioquin ad totius mundi redemtionem sufficientissimi, & aliis efficacibus salutis mediis excludere, tandem in ignem æternum conjicere, ad demonstrandum in iis suam justitiam; nulla similiter habita in primis fidei aut resipiscentiæ tanquam conditionis prærequisitæ ratione, nec in secundis infidelitatis aut impœnitentiæ.

III. Tertia est illorum, qui opinantur Deum considerantem universum genus humanum in Adamo in peccatum lapsum, corruptumque multis peccatis actualibus, & mortis ac damnationis æternæ reum, statuisse omnium misereri, & mittere filium suum unigenitum in mundum, qui pro communi illo reatu quo omnes tenebantur morte sua & oblatione satisfaceret, omnibusque sufficientem gratiam offerre, per quam, si vellent, in illum credere & divinam misericordiam amplecti possent. Sed cum prævideret nullos omnino, aut saltem paucissimos gratia sibi oblata bene usuros, & ad misericordiam suam per veram fidem confugituros, elegisse quosdam singulariter ex universo hominum numero, quos tam efficaci gratia & irresistibili donaret, ut per eam infallibiliter credituri & in fide ad finem usque vitæ perseveraturi, & sic æternæ salutis participes essent futuri: relictis aliis omnibus in perditione, quam propria culpa & voluntaria infidelitate atque impœnitentia accersivissent.

IV. Quarta denique est illorum, qui censent Deum prævidentem quinam ex hominibus, in verum & proprie dictum peccatum scienter & volenter commissum lapsis, & mortis ac damnationis æternæ reis, ope gratiæ quam illis in Christo offerri curaret in ipsum credituri & vitam emendaturi, quinam vero non credituri, nec vitam emendaturi, sed contra in infidelitate & impœnitentia sua perseveraturi essent, decretum fecisse irrevocabile ante mundum conditum, de illis nominatim salute æterna donandis, his vero ab ea excludendis & in æternum ignem abjiciendis. Quæ opiniones jam nobis sunt sigillatim & paucis expendendæ.

V. Prima & secunda sunt eorum, qui sibi solis reformatorum nomen vendicant; Hæc Infralapsariorum vocatur, quam Synodus Dordracena amplexa est; illa Supralapsariorum, quam vulgo putant à dicta Synodo rejectam; sed falluntur. Licet autem eæ multum inter se dissidere videantur, hac tamen ratione à nonnullis conciliantur: Si Deus, inquiunt, hominum alios ab æterno decrevit servare ex misericordia, alios punire ex justitia; seu gloriam misericordiæ suæ patefacere in quibusdam hominibus salvandis, & justitiæ in quibusdam damnandis; ergo homines tum servandos tum puniendos, consideravit & ut nondum conditos & ut lapsos. Ratio est, quia nisi duobus istis mediis intervenientibus ad fines illos pervenire non potuit. Nam nisi condidisset aliquos homines, non haberet nec quos salvaret nec quos puniret; & nisi omnes in peccatum essent lapsi, non posset alios servare ex misericordia, alios vero punire ex justitia. Unde concludunt objectum prædestinationis esse homines consideratos, & ut nondum conditos & ut in peccatum lapsos, non vero in alterutro tantum statu seorsim. Sed alii in hac conciliatione non acquiescentes, sibi invicem gravia absurda objiciunt. Nam qui putant Deum consideravisse hominem in prædestinando ut nondum conditum, accusant eos qui inferius descendunt, quod faciant Deum insipientem, qui hominem nullo sibi proposito certo fine condiderit: nullum autem certum finem eum sibi proposuisse, nisi singulos homines nominatim æternæ saluti vel damnationi irrevocabiliter adjudicaverit. Vide Bezam in Roman. IX. Qui vero existimant Deum consideravisse hominem ut in peccatum lapsum, accusant eos qui altius ascendunt, quod Deum peccati auctorem faciant. Nam cum Deus non possit hominum alios servare ex misericordia, alios punire ex justitia, nisi sint peccatores, ut decretum suum executioni mandare queat, oportere ipsum rem ita dirigere, ut omnes homines in peccatum inevitabiliter incidant; cum alioqui fieri posset ut pro arbitrii libertate sibi à Deo in creatione data vel omnes, vel saltem aliqui in primæva integritate perseverarent, & sic ei occasionem misericordiam parcentem & justitiam punientem exerendi patefaciendique eriperent. Sed idem illis quoque objici potest, qui cum hominem lapsum faciant objectum prædestinationis, dicunt simul Adamum in peccatum illud primum, unde secundum ipsos cætera omnia proficiscuntur, necessario ex Dei constitutione incidisse. Sic enim duæ istæ opiniones, alioqui satis magno intervallo à se invicem diremtæ, in unum conveniunt & amice conspirant; ita ut contentiones, quas nonnulli ea de causa inter se fovent, nullo idoneo fundamento niti mihi videantur. Cui adde, quod reprobare homines ex mero voluntatis placito, & ob alienum peccatum ipsis ex mero voluntatis divinæ placito imputatum, idem omnino sint, & ne hilum quidem absurditate & injustitia differant. Quare nunc utramque simul iisdem argumentis oppugnabimus.

CAPUT III.

Refutatio primæ & secundæ sententiæ.

I. Primo: Doctrina hæc est perniciosa. quod probatur 1. quia sua natura in aliis securitatem, in aliis desperationem parit. II. *Respondetur ad locum Phil. II. 12 13.* III. *Et*

III. *Et Act.* XXVII. 22. *& seqq.* IV. 2. *Quia sua natura omnem pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ curam in hominibus exstinguit.* V. 3. *Studium precum inutile reddit.* VI. *Secundo. Doctrina hæc repugnat universæ Scripturæ, quæ constat præceptis & promissis.* VII. *Quomodo viæ Dei dicantur esse exaltatæ à viis hominum ut cæli à terra, Esa.* 55.

I. PRimum argumentum. Quæ doctrina est perniciosa, ea est falsa ac rejicienda. Talis autem est doctrina prædestinationis absolutæ, per quam absque fidei & pœnitentiæ, aut infidelitatis & impœnitentiæ, tanquam conditionum prærequisitarum, intuitu, alii saluti, alii vero damnationi æternæ irrevocabiliter ante mundum conditum sunt adjudicati. Ergo. &c. Minor probatur tribus argumentis. *Primo.* Doctrina quæ sua natura in aliis securitatem profanam, in aliis desperationem parit, ea perniciosa est. Talis autem est doctrina ista prædestinationis absolutæ. Ergo, &c. Major negari non potest. Controversia solum superest de minore. Ubi adversarii quidem nostri concedunt, doctrinam prædestinationis absolutæ in quibusdam securitatem profanam, in quibusdam desperationem parere posse, & inde tanta eorum sollicitudo de illa non proponenda iis, in quibus tales effectus productura præsumitur, nisi summa cum prudentia & cautione: Sed addunt tamen, id non oriri ex natura doctrinæ, sed fieri per accidens vitio hominum, qui doctrina sancta ad perniciem suam abutantur, quemadmodum in aliis etiam rebus bonis evenire solet non raro. Et Paulus non obscure innuit, fieri potuisse ut aliqui abuterentur doctrina de justificatione gratuita peccatoris, & quod dixisset, *Ubi abundavit peccatum, ibi superabundasse gratiam, Rom.* v. 20. 21. Statim enim subjungit, *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia abundet? Rom.* VI. 1. 2. Ad quod resp. id non fieri per accidens, quod alii ex doctrina prædestinationis absolutæ occasionem arripiant in securitate profana vivendi, alii vero desperandi; sed contra ex propria illius indole. Nam cum illi, qui sunt ex electorum ad salutem numero, nullis peccatis ex Dei gratia & salute possint excidere, nec adulterio, nec cæde, nec idololatria, &c. qui vero ad illum non pertinent nulla via ad illam pervenire, etiamsi opera sanctorum fecerint, ut loquitur August. Marloratus in Joan. XV. 2. & omnes homines sub alterutro ordine contineantur; nihil aliud superest, nisi ut unusquisque apud se dicat, Quandoquidem jam antequam natus essem de capite meo decretum absolutum & irrevocabile factum est, utrum felix an vero infelix æternum esse debeam, quid attinet me de eo esse sollicitum? cur non potius exspecto patienter eventum, & interim genio meo indulgeo, ne forte miser sim ante tempus? Vel ut ex adverso, ille qui meticulosus est dicat, Cum pauci sint electi, multi vero reprobi, verisimilius est me ad magnum numerum quam ad parvum pertinere. Unde fiet consequenter, ut de salute sua desperans, jam in hac vita infernum suum inchoet, & se futuri mali expectatione cruciet. Dices forte, nemini prædestinationis suæ arcanum esse revelatum, & debere omnes bene sperare de Dei misericordia, intereaque vitæ pietate studere ipsum sibi conciliare. Resp. Etiamsi nemini sit revelatum in specie, utrum ad ordinem salvandorum, an vero damnandorum pertineat, scire tamen omnes ex hac doctrina, se ad alterutrum eorum pertinere, & ab uno ad alium transiri non posse, sed irrevocabiliter in eo in quem adscripti semel fuerint æternum permansuros: unde nulla alia quam modo memorata conclusio elici potest. Nec facile reperietur aliquis hac doctrina imbutus & ejus genium sequi volens, qui Deum sibi pietate sua propitium reddere studeat. Nam sic apud se ratiocinabitur, Aut jam Deus est mihi propitius si sim ex electorum numero, & non possum ejus gratia excidere: aut si non sim, nulla ratione eum mihi propitium reddere possum, & omne studium quod in hoc impendam æque erit inutile, ac si scalis in cælum ascendere niterer, aut me à morte immunem conservare. Si quis ejusmodi conclusiones inde non eliciat, id non habet ab illa doctrina, sed aliunde, nempe quia illam satis bene non intelligit, aut sibi ipsi repugnat.

II. Atqui, inquies, Paulus docet etiam cum absoluto Dei decreto piam hominum sollicitudinem locum habere posse, hortans Philippenses, in quibus *Deus operabatur velle & perficere pro beneplacito*, ut *salutem suam operarentur in metu & tremore, Philip.* II. 12. 13. Et cum Angelus Dei ipsi revelasset, in periculosa illa navigatione qua Romam contendebat, nullius animæ amissionem fore, postea cum nautæ vellent fugere è navi, dicebat centurioni & militibus, *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis, Act.* XXVII. 22. *& seqq.* Sed resp. ista loca nihil habere commune cum dogmate prædestinationis absolutæ. Nam quod ad primum attinet, Paulus non dicit Philippenses, quos hortatur ad salutem suam cum timore & tremore operandum, absolute ad eam fuisse electos. Nec æquivalens illic quidquam habetur, ut forte quis existimare posset, nempe ideo Deum velle & perficere bonum operari in quibusdam, quia eos saluti æternæ destinavit. Nam non intelligit modum operandi irresistibilem, qui necessario istud velle & perficere de quo agitur producat; sed qualis Euangelio convenit, ubi Deus per promissa & minas corda hominum movet: quas profani non curant. Id apparet ex eo, quod omnes ad quos Apostolus adhortationem suam de salute in metu & tremore operanda dirigit, non ei paruerunt; quales ii erant de quibus conqueritur *cap.* III. v. 18. *Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi; quorum Deus venter est; & gloria, in confusione ipsorum, qui terrena*

rena sapiunt. Atqui ad istos omnes pertinebat ratio adhortationi addita, videl. quia Deus operatur velle & perficere. Nam si minus late patuisset, vitiosum foret argumentum, & ex meris particularibus. Jam si ratio hæc ad omnes pertinuit, & tamen omnes non paruerunt Dei voluntati, sequitur Deum non produxisse in iis velle & perficere bonum irresistibiliter, sed ita ut reliquerit in ipsorum arbitrio parere vocationi Euangelicæ vel non parere; ac proinde hinc non posse elici eos omnes ad quos exhortatio hæc dirigitur, & in quibus Deus ita operabatur, absolute fuisse ad salutem electos.

III. Nec in altero exemplo major vis est ad istud probandum. Nam ex eo ipso quod Paulus dicebat, vectores non posse esse salvos, nisi nautæ in navi manerent, apparet eum non credidisse Deum absolutum decretum fecisse de illis omnibus à morte eripiendis. Quid ergo, inquies, nonne ista Angeli verba id aperte significant, *Ecce Paule Deus tibi donavit omnes qui navigant tecum?* Resp. Minime. Sic enim possunt accipi, ut significent Deum omnes navigationis Pauli socios incolumes servare constituisse, si ejus consilio salutifero parerent, alias non; nimirum quia Deus volebat ut salutem suam Paulo deberent, & constaret omnibus se ejus intercessione tam eximium beneficium obtinuisse. De eo autem non poterat illis satis constare, nisi ista via, nempe si Deus totam rei administrationem Pauli arbitrio committeret, cui si vectores obtemperarent, ex illo periculo evasuri, alias sua culpa in eo perituri essent. Quod si ista responsio non videatur satisfacere, potest addi, Apostolum intellexisse hanc esse Dei mentem, omnes qui navi illa vehebantur fore salvos, modo sibi non deessent, sed quicquid industriæ in se esset ad sui conservationem adhiberent. Eo autem pertinuisse ut nautas secum retinerent, à quibus adjuvarentur. Nec est quod objicias, nautarum operam omnem fuisse inutilem, quia non potuerunt impedire quominus navis frangeretur antequam ad portum appelleret; & id scivisse Paulum, qui prædixerat, *Amissio nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis.* Istud enim est Paulo contradicere, & mendacii aut ignorantiæ eum arguere velle, quod dixerit, *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* Quomodo ergo, dices, ista inter se conveniunt? Resp. Optime. Paulus quidem, & qui cum eo navigabant, non fuerunt servati nautarum industria, quæ à naufragio non potuit eos præservare. Sed tamen illa non fuit omnino inutilis, quia eo usque deduxerunt navem, ut non procul abesset à terra, & sic post naufragium omnes incolumes ad eam possent appellere. Quod non contigisset, si nautæ fugissent in scapha quando id proponebant, & valde adhuc à terra erant remoti. Instabis denique; Qui prædestinationem absolutam quorundam ad salutem statuunt, non excludunt media quibus Deus eam executioni vult mandari, sed necessario adhibenda ea docent, sicut Paulus hoc loco volebat nautas manere in navi ad vitæ temporalis eorum qui secum navigabant conservationem. Ita est. Sed quia dicunt Deum in quibusdam media ista efficere vi sua omnipotenti, absque qua irritus foret omnis eorum conatus in quibus Deus ita operari nollet, istud non potest impedire, quominus alii securitati carnali indulgeant, alii contra in desperationem incidant, sed potius istis præcipitiis latam fenestram aperit. Et si illi, quibus Paulus consilium istud salutare dabat, tali persuasione fuissent imbuti, parum de morem ei gerendo forte fuissent solliciti; saltem consentaneè opinioni suæ totam rem fato permittere potuissent. Quod etiam de absoluta prædestinatione sentiendum est, quam non dicimus in omnibus qui ei adhærent ejusmodi perniciosos effectus producere (id enim sæpe Deus ineffabili sua misericordia prohibet) sed sua natura producere aptam esse; ideoque sufficientem causam habere ei tanquam periculosissimæ nuncium remittendi quicunque salutis suæ sunt cupidi. Quod exemplum multorum docet, qui credentes tempus & modum mortis suæ absoluto decreto esse constitutum, & illius horam nec posse anteverti nec retardari, in pericula pestis, belli & alia se temere conjiciunt, quantumvis moneantur ut sibi caveant. Et quis dubitet quin id sæpissime etiam in negotio salutis eveniat?

IV. *Secundo.* Illa doctrina est perniciosa, quæ sua natura omnem pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ curam in hominibus extinguit. Talis autem est doctrina prædestinationis absolutæ. Ergo doctrina prædestinationis absolutæ est perniciosa. Major hujus syllogismi probatione non indiget: est enim manifestæ veritatis. Minor ergo tantum superest probanda; quod sic facio: Illa doctrina omnem pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ curam sua natura extinguit, ex qua sequitur ejusmodi curam esse inutilem. Talis autem est ejusmodi doctrina prædestinationis absolutæ. Ergo ea omnem pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ curam sua natura extinguit. Major etiam est manifesta. Nemo enim sapiens, qui scit omnes suas actiones ad finem aliquem utilem esse dirigendas, curam suscipiet quam inutilem sibi fore persuasus fuerit. Id nos Jesus Christus his verbis docet, *Quis ex vobis sollicite cogitando, potest apponere ad staturam suam cubitum unum? Matth.* VI. 27. Mens enim ejus est, deterrere nos à superfluis hujus vitæ curis, ostendendo eas esse inutiles, seu nos illis nihil proficere posse; sicut ille qui brevis esset staturæ, omni sua cura quam dies & noctes de illa augenda susciperet, ne hilum quidem promoveret. Minor vero sic probatur; Cura pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ est inutilis, per quam nec ad salutem æternam perveniri, nec damnatio æterna vitari potest. At si detur prædestinatio absoluta, qua absque fidei aut infideli-

fidelitatis respectu alii homines saluti, alii vero damnationi æternæ irrevocabiliter ante mundum conditum sunt adjudicati, nemo per curam pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ ad salutem pervenire aut damnationem effugere poterit; sed illis solis salus aut damnatio continget quibus est à Deo decreta. Ergo admissa hac doctrina cura pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ est inutilis. Major quoque hic est manifestæ veritatis. Nam si quis exciperet, curam pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ non fore inutilem, etiamsi per illam nec ad salutem perveniri, nec damnatio evitari posset; quia in vita præsenti aliquem usum haberet; illud nihil faceret ad propositum. Cum enim hic agatur de salute & de damnatione æterna, id merito hoc respectu dicitur inutile esse, quod nihil ad illam obtinendum, hanc vero effugiendum facit, etiamsi alias non sine utilitate esset in hoc sæculo. Minor vero non est minus evidens. Nam cum prædestinatio ista dicatur esse facta absque respectu pietatis aut impietatis, tanquam conditionum Deum moventium ad salutem illis, damnationem vero his decernendam, per ejusmodi curam nemo ad salutem perveniet aut damnationem effugiet. Excipere hic solent, Deum qui constituit finem, constituisse etiam media per quæ is obtineri debeat; curam autem pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ, esse medium per quod ad salutem perveniri & damnatio æterna vitari possit; ac proinde eam non esse inutilem, sed contra prorsus necessariam. Ad quod resp. exceptionem istam nullo modo argumenti nostri vim infringere. Nam per dogma prædestinationis absolutæ statuitur Deum vim insuperabilem, quæ nihilo minor est ea qua usus est in creatione mundi, aut qua suscitabit aliquando mortuos, adhibere ad curam pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ efficiendam in iis quos decrevit salutis æternæ participes facere; quam cum non adhibet, æque impossibile sit veræ pietati studere & omni impietati renunciare, atque mundum creare aut mortuos suscitare. Quare cum frustra de rebus quæ in nostra potestate non sunt cura suscipiatur, ut modo Christum docentem audivimus, non est secundum istud dogma, quod solliciti simus de pietate sectanda & impietate fugienda: sed expectare debemus, donec Deus eam in nobis per suam insuperabilem potentiam operetur: quod si facere nolit, frustranea erit omnis nostra sollicitudo, & per eam non magis promovebimus, quam si novum mundum creare, aut mortuos è pulvere terræ suscitare conaremur. Imo, si nonnullis prædestinationis absolutæ patronis fides sit adhibenda, conatus omnis & sollicitudo, quam adhiberemus ad pietati operam dandum & impietati renunciandum, quamdiu Deus eam in nobis potentia tali non operaretur, nihil aliud esset nisi peccatum quo eum offenderemus. Unde sequitur, longe præstare omnem istam curam pietatis deponere, quam per eam non solum inutiliter nos torquere, sed & Deum offendere. Atqui, inquies, Deum etiam offendemus si nullam pietatis curam habuerimus. Ergo, inquam ego, misera est illorum in quibus Deus curam pietatis non producit conditio, quia sive ad eam contendant, sive non, semper Deum offendent, & inevitabilis ipsis peccandi necessitas, quocunque se vertant, incumbet; cui Deum ullum hominem subjecisse absurdum & incredibile est.

V. *Tertio*: Studium precum ad Deum pro salute æterna & gratia Spiritus Sancti impetranda, per decretum prædestinationis istius absolutæ redditur inutile. Ergo quod de eo docetur est falsum. Antecedens probatur. Nihil enim per preces poterimus obtinere: sed id tantum nobis dabit Deus quod ab æterno dare decrevit. Quem à salute æterna & gratia sua excludere proposuerit, non obtinebit eam per preces suas, etiamsi in iis dies & noctes perseveraret; alioqui decretum ejus esset revocabile, quod absurdissimum putant. Excipiunt reprobos à Deo gratiam illam nolle petere, qua ipsi obedire & salutem obtinere possint. Sed cur nolunt petere? nimirum quia Deus eos ita perversos condidit, ut ne quidem voluntatem eum prout oportet orandi habere possint. Tanto igitur indignius est Deo, ipsos punire propter ejusmodi defectum cujus ipse causa iis exstitit; & ipsi majore commiseratione sunt digni: veluti æger qui ita mente turbatus est, ut ad medici opem confugere nec possit nec velit, imo etiam sibi oblatam respuat. Nec etiam omissio precum impediet, si gratia & salus nobis decreta sit, quo minus eam obtineamus. Dicere Deum illam nonnisi mediantibus precibus dare constituisse, non est nodum solvere. Nam in iis quos salutis & gratiæ suæ participes facere decrevit, excitabit curam precum per potentiam insuperabilem, ita ut non debeant de ea esse solliciti. Quamdiu enim illam Deus non operabitur, homines omni studio & labore suo nihil poterunt promovere: si vero Deus operetur, non poterit effectus non sequi. Atqui istud est universæ Scripturæ S. contrarium, quæ docet passim magnam esse vim precum ad salutem æternam & alias divinas benedictiones obtinendum, & ideo nos adhortantur ad precandum absque intermissione, sub hac fiducia, nos à Deo exauditum iri. Posito enim tali decreto, nulla esset precum efficacia, neque Deus eas exaudire proprie dicendus esset, multo minus iis flecti aut permoveri; sed tantum decretum suum executioni mandare: quod non parum est de illarum dignitate minuere, & consequenter segniores & frigidiores reddere omnes qui istud perpendunt ad iis vacandum; cum præcipuus stimulus, qui nos eo impellere potest & solet, sit earum necessitas & efficacia.

VI. *Secundum Argumentum.* Doctrina prædestinationis absolutæ, & universa S. Scriptura

tam

tam Vet. quam Nov. Test. sibi invicem repugnant & contradicunt. Ergo alterutram falsam esse oportet, quia contradictoria non possunt esse simul vera. Non autem universa Scriptura S. Ergo doctrina prædestinationis absolutæ. Antecedens ita probatur. Universa Scriptura S. tam Vet. quam Nov. Testamenti ubique leges seu bene vivendi regulas hominibus præscribit, ex quibus discant quid sibi faciendum & vitandum sit; & sancit eas promissione præmiorum & comminatione pœnarum, tum ad hoc sæculum tum ad futurum pertinentium, hortatur ad obedientiam, dehortatur ab inobedientia, dicens se proposuisse in conspectu nostro vitam & bonum, & è contrario mortem & malum, seu benedictionem & maledictionem, & denuncians Deum olim judicaturum mundum in justitia, atque unicuique secundum opera bona vel mala quæ gesserit redditurum; iis quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, daturum vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, sed credunt iniquitati, fore iram & indignationem. Contra prædestinatio absoluta docet Deum absque ullo ad bona aut mala hominum opera respectu, tanquam conditionum moventium, alios saluti, alios vero damnationi æternæ irrevocabiliter ante mundum conditum adjudicasse. Quæ sane adversis frontibus inter se pugnant, & simul consistere nequeunt. Perinde enim est, ac si Rex aliquis primo decretum apud se faceret irrevocabile de aliquibus subditorum præmio afficiendis, de aliis vero puniendis, nulla habita obsequii illorum, & contumaciæ aut rebellionis horum ratione, sed tantum ex mero voluntatis placito: deinde leges promulgaret, secundum quas diceret se de uniuscujusque factis judicare proposuisse, & præmio donare velle morigeros, pœna vero afficere immorigeros. Ille qui ita se gereret, diceretur merito mentis suæ non esse satis compos, aut subditis suis illudere velle. Neutrum vero absque blasphemia de Deo cogitari potest. Sane si Deus ejusmodi decretum fecisset quale ipsi affingitur, non tulisset postea tot leges, neque eas præmiis & pœnis sancivisset, neque se unicuique hominum secundum facta retributurum in ultimo judicio declarasset; non misisset tot Prophetas, Apostolos, & verbi sui præcones, qui tanto cum studio homines de voluntate sua edocerent; nec arguisset negligentes operarios, dicendo se sanguinem auditorum, quos officii sui non monuissent, reposciturum ex ipsorum manibus; aliaque ejusmodi plura, quibus universa Scriptura à capite ad calcem referta est, quæ posito tali decreto absoluto, nihil aliud videntur esse nisi mera histrionia, ad illudendum miseris hominibus composita.

VII. Excipiunt, non esse mirum si nos ista inter se conciliare nequeamus, quia viæ & cogitationes Dei adeo exaltatæ sunt à viis & cogitationibus hominum, ut cæli à terra, ut ipse dicit *Esa.* LV. 8. 9. Sed resp. abuti illos fœde isto loco, in quo, ut series contextus ostendit, Deus hoc sibi tantum propositum habet docere, misericordiam suam & promtitudinem ad ignoscendum peccatoribus, qui serio se ad ipsum convertunt, & tempus gratiæ ejus observant, longè excellentiorem esse quam cogitare possent, & vulgo apud homines obtineat, qui cum offensi fuerunt, promtissimi sunt ad vindictam, & nonnisi ægre remittunt aliis offensas. Quod nihil commune habet cum illa sibi repugnante agendi ratione, quam prædestinationis absolutæ patroni Deum insistere dicunt, imo reprobationem absolutam funditus evertit, quam cum Dei misericordia is demum conciliabit, qui ignem frigidum aut glaciem calidam esse probare poterit. Cæterum Deus tanta cum æquitate versatur in censendis hominum factis, ut non dubitet eam judicio ipsorum examinandam relinquere, & dicere, *Judicate inter me & vineam meam. quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? Esa.* V. 3. 4. Et cum filii Israël dicerent, *Non est æqua via Domini:* respondet, *Nunquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israël, & non magis viæ vestræ pravæ? idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo*, &c. *Ezech.* XVIII. 25. 29. Ubi etiam dicit, filium non portaturum iniquitatem patris, nec patrem filii iniquitatem, sed justitiam justi super eum, & injustitiam injusti super eum futuram. Et ita præcipuum præsidium reprobationis absolutæ, quod quæritur in peccati Adami imputatione, funditus evertit. Ut sit desperatæ causæ indicium, contrarietatem, quam inter Dei actiones suis commentis introduxerunt, per discrimen viarum ejus & viarum hominum præsumere defendere.

CAPUT IV.

Christum pro omnibus hominibus esse mortuum.

I. *Tertio: Quia Christus pro omnibus est mortuus: Expenditur distinctio inter præteritionem Dei, & destinationem ad damnationem.* II. *Probatur argumentum* 1. *ex Joan.* III. 16. *per* mundum *illic non intelligi solos electos.* III. 2. *Ex* 1. *Joan.* II. 2. *per* totum mundum *intelligi omnes homines.* IV. 3. *Ex Tit.* II. 11. *per* omnes *illic non intelligi quosvis.* V. 4. *Quia Christus venit in mundum ut peccatorum salutem procuraret.* VI. 5. *Passim pro omnibus dicitur mortuus.* VII. 6. *Mortuus etiam est pro iis qui pereunt.* VIII. 7. *Quia omnes jubentur credere Christum pro se esse mortuum. Falsum non potest esse fidei nostræ objectum.* IX. *Quomodo peccatores in peccatis perseverantes teneantur credere Christum pro se esse mortuum* X. 8. *Quia alias nemo ob incredulitatem damnaretur.* XI. 9. *Nec scire posset utrum in Christum credere teneatur.* XII. *Quomodo Christus pro multis & pro ovibus suis dicatur mortuus.* XIII. *Quomodo Christus dicat Joan.* 17. *se non orare pro mundo.* XIV. *Qua ratione Christus pro impiis,* qui

qui ante ejus in mundum adventum jam in peccatis suis perierant, dici possit mortuus.

I. ET hæc argumenta adversus prædestinationem absolutam in genere sufficiant: quæ sequuntur, Reprobationem specialiter impugnabunt. Esto ergo *tertium argumentum*. Jesus Christus venit in mundum, annunciavit Euangelium, & subiit mortem ex decreto & voluntate Dei Patris, ut totius humani generis salutem procuraret. Ergo Deus nullum fecit absolutum reprobationis decretum, quo maximam hominum partem damnationi æternæ destinaret. Enthymematis hujus consequentia est clara, & non revocatur in dubium à prædestinariis. Nisi quod quidam conqueruntur, nos non satis fideliter mentem suam exponere. Se enim non docere, Deum maximam humani generis partem absoluto decreto damnationi æternæ adjudicasse, sed tantum dicere eam præteriisse seu non elegisse. Itaque duplicem se agnoscere in reprobatione Dei actum, unum negativum, alterum affirmativum. Actum negativum esse, quod cum Deus decerneret quosdam homines salutis æternæ participes facere, reliquos omnes præterierit, seu ad salutem non elegerit, idque ex mero voluntatis placito, vel absque omni consideratione peccati, vel saltem peccati proprii, quod præteriti in propria persona commisissent. Actum vero affirmativum esse, quo Deus considerans eos omnes quos præteriit in peccatum esse lapsos, non tantum originale in Adamo, sed etiam actuale in propriis personis, ipsos propter ista peccata damnationi æternæ adjudicavit. Ad quod respondeo; distinctionem istam habere quidem aliquam veritatis speciem, eò quod longe aliud sit beneficium denegare, quam malum inferre, & Deus, qui absolutus est bonorum suorum Dominus, & nemini quicquam debet, possit absque injustitia quemcunque vult salute æterna non donare, etiam qui nihil mali admiserit; licet juste non possit eum qui nihil peccaverit punire. Sed si propius paulo consideretur, apparebit per eam non evitari absurda quæ absolutum reprobationis decretum consequuntur. Quod malo Petri Molinæi, auctoris inter adversarios doctissimi & celeberrimi, verbis quam meis ostendere. Is in sua *Anatomia Armin. cap.* 13. *n.* 9. sic loquitur. *Non effugeret, qui diceret reprobatione non destinari homines ad damnationem, sed tantum præteriri aut non eligi. Nempe sic quæruntur verba molliora quibus eadem res dicatur. Perinde enim est, sive Deus destinet hominem ad damnationem, sive id faciat ex quo damnatio necessario sequatur. Quemcunque Deus non eligit, sive omissus dicatur, sive reprobatus, semper est exclusus à gratia Dei. Hanc exclusionem certa damnatio sequitur, quia sine gratia Dei non est salus. Enimvero cum apud omnes constet, homines electione destinari ad salutem, velim mihi dici, ad quid hi non electi & præteriti destinentur. Sane si electio destinat aliquos ad salutem, planum est hac reprobatione, quæ omissio appellatur, cæteros à salute excludi & ad perditionem destinari.* Hactenus ille. Unde videre est illos, qui hac distinctione utuntur, nihil nisi verba nobis dare, quibus fœditatem sententiæ suæ tegere conantur, sed ita tamen ut transpareat. Cui adde, quod Scriptura S. quum de desertione Dei loquitur, (quæ est idem cum præteritione seu non electione) eam semper ad peccata hominum refert. Vide *Act.* XIV. *v.* 15. 16. & confer cum *cap.* XVII. *v.* 30. *Rom.* I. 21. *& seqq.* I. *Chron.* XXVIII. 9. 2. *Chron.* XV. 2. *Psal.* LXXXI. 13. *Jerem.* VII. 29. & XXIII. 33. Et sane nullo est modo verisimile, Deum optimum velle deserere hominem, quem ad suam imaginem creavit, tali desertione, ut ex ea inevitabiliter sequatur ipsius perditio, nisi homo isti desertioni occasionem dederit gravissimam suis peccatis. Si nihil aliud dicerent, nisi Deum præterire quosdam homines, eis non tantam atque aliis gratiam largiendo, & non negarent Deum istis præteritis satis gratiæ communicare ad effugiendum peccatum & damnationem, modo illi gratiæ non deessent, facile assentiremur. Sed ex illa præteritione quam Deo attribuunt, sequitur inevitabiliter, ut præteriti fiant primo pessimi, deinde miserrimi. quod est cogitatu horrendum. Nam Deum causam peccati eorum quos deserit facit, cum non possint viribus, quas dedit, ab eo abstinere; & consequenter etiam causam damnationis; quæ ideo justa non est, quod dicatur fieri ob peccatum, cum peccatum unde ei justitiæ prætextus quæritur, ex præteritione Dei necessario sequatur.

II. Nunc argumenti nostri antecedens Scripturæ testimoniis & rationibus confirmemus. *Primum* occurrit illud quod Dominus Jesus in colloquio suo cum Nicodemo dicit, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cui paulo post quæ sit vera damnationis hominum causa addit, *Hoc est autem judicium*, (seu judicii & damnationis causa) *quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Joan.* III 16. 19. Hic locus est admodum egregius, & vel solus evertendo reprobationis absolutæ decreto sufficit. Ideo eum nobis è manibus summa vi eripere contendunt, excipientes per *mundum* non debere intelligi omnes homines, sed tantum electos, qui *mundus* vocentur, quia sub Novo Test. sublatum sit discrimen nationum, & Deus per totum orbem electos suos habeat. Sed resp. id ab omni ratione esse alienum, ut per *mundum* soli electi intelligantur; cum isti minimam mundi partem constituant, & in synecdochica oratione, ubi nomine totius pars tantum intelligitur, soleat fieri denominatio à majori parte. Deinde id est contra usum Scripturæ, ubi vox *mundi*, quando pro hominibus accipitur, semper significet aut omnes terræ incolas, aut impro-

improbos solos, qui maximam ejus partem constituunt. Sic 1 *Joan.* v. 19. *Scimus quoniam ex Deo sumus, & mundus totus in maligno est positus.* Ubi *totus mundus* (quod est magis emphaticum, quam si simpliciter *mundum* dixisset) iis *qui sunt ex Deo*, id est fidelibus & electis, opponitur. *Et Joan.* XIV. 17. *Mundus non potest accipere Spiritum veritatis*; id est, improbi. Item *Joan.* XVII. 9. ubi Jesus dicit, *Non oro pro mundo*; Hoc enim de reprobis ab adversariis nostris accipitur, qui ista verba urgent ad ostendendum Christum non esse mortuum pro reprobis, pro quibus ne orare quidem voluerit. Sed tamen, inquiunt, constat voce *mundi* solos electos in aliquot Scripturæ locis designari; ut cum *Joan.* IV. 42. Jesus Christus vocatur *Salvator mundi.* Et *Joan.* VI. 33. dicitur ille esse *qui vitam dat mundo.* Christus enim non salvat re ipsa totum mundum, nec ei dat vitam æternam, sed solis electis. Ad quod resp. istud Jesu Christo tribui, quia id totum præstitit quod ad salvandum mundum & vitam æternam illi dandum requirebatur; etiamsi mundus, utpote totus in malo positus, salutem, quam ipsi afferebat, malitia sua repudiaverit. Sic *Joan.* I. 9. dicitur, *Ipse erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniens in mundum*; quia quantum in ipso erat omnem hominem Euangelii doctrina illuminabat; etiamsi illi non illuminarentur, qui ipsum non recipiebant, *v.* 11. & qui *magis tenebras quam lucem diligebant*, *Joan.* III. 19. Eodem sensu legimus sæpe in Scriptura, Deum illa facere vel dare, quæ à sua parte quantum par est procurat, sed quæ hominum est facere vel recipere, etiamsi re ipsa non fiant, nec ullus eas recipiat. Velut cum Deus dicit de Jerosolyma, *Immunditia tua execrabilis es, quia mundavi te, & tu non es mundata à sordibus tuis*, *Ezech.* XXIV. 13. ubi in versione Vulgata, pro *mundavi te*, habetur, *mundare te volui.* quod non quidem male redditum est, sed non est adeo emphaticum. Et Paulus dicit Deum illos *ad pœnitentiam adducere, qui pro duritia sua & corde impœnitenti thesaurizant sibi iram*, *Rom.* II. 4. 5. Sed fac voce *mundi* aliquando solos electos intelligi, id nostro loco non conveniret. Sensus enim foret absurdus si diceretur, *Sic Deus dilexit electos, ut quicunque ex illis credit non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ita enim innueretur duo esse electorum genera, quorum alii credant & vitam æternam habeant, alii vero non credant nec salventur. Quod à Prædestinariorum opinione alienum est, qui existimant electos perire non posse, nec in sua incredulitate perseverare, quia Deus in iis fidem producit per potentiam insuperabilem.

III. *Alterum* habemus 1 *Joan.* II. 2. *Ipse* (Christus) *est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ex quo, si qua dubitatio superesset, an per *mundum* quandoque soli electi designarentur, appareret id non posse applicari locis in quibus *totius mundi* mentio fit; præsertim huic, qui plane enervaretur nisi universaliter & absque restrictione acciperetur. Nullus enim cum fidei certitudine applicare sibi posset consolationem, quam Joannes in eo peccatoribus proponit, si ea ad exiguum tantum electorum numerum pertineret. Sed excipitur, Apostolum hic oppositionem facere inter Gentiles & Judæos, & illos *totius mundi* appellatione designare, quia maximam illius partem occuparent: quasi dixisset, sermone ad Judæos directo, Jesus Christus non solum est propitiatio pro peccatis nostris, qui sumus Abrahami posteri & populus Dei pecualiaris; sed etiam pro Gentilibus per totum terrarum orbem dispersis. Verum nec ita satisfaciunt. Hæc enim Epistola est Catholica, id est promiscue tam ad Gentiles quam ad Judæos missa; adeo ut absurdum sit existimare, Joannem in ea Judæos peculiariter compellare. Quare quotiescunque pronomen plurale *nos* usurpat, semper omnes fideles cujuscunque sint nationis intelligit, ut videre est *cap.* I. *v.* 7. 9. *cap.* III. *v.* 1. 16. *cap.* IV. *v.* 11. 12. 13. 16. 17. *cap.* V. *v.* 14. 15. Præterea etiamsi concedatur plures Gentiles per universum orbem pertinere ad Dei electionem, quam Judæos; tamen hic numerus semper erit exiguus, si conferatur cum magno reproborum numero, qui Euangelio non parent. Et valde ineptum fuisset uti hac exaggeratione, *Non tantum pro peccatis nostris, sed etiam totius mundi*, si vix centesimam incolarum mundi partem intellexisset. In nullum enim alium finem sic locutus est, quam ad ostendendum, quanta ad omnes peccatores ex Christi propitiatione utilitas redundet; quæ tota fere in fumum abibit si ita restringatur. Nam quam inde consolationem percipere poterit, qui de peccatorum suorum remissione anxius & sollicitus est? Diceme, Christus est propitiatio pro quorundam peccatis, Ergo etiam pro meis? Sed quodnam robur esset in ejusmodi conclusione ex particularibus solis deducta? Nonne posset longe probabilius inferre; Christus non est propitiatio pro peccatis maximæ hominum partis; Ergo non habeo sufficientem causam credendi ipsum pro meis eam fecisse. Prædestinarii solent ejusmodi homini anxio respondere, Eum si vere credat Christum pro se esse mortuum, propitiationem suorum peccatorum in ejus sanguine inventurum. Sed hoc est ineptum. Fides enim non habet hanc vim, ut veram reddat rem quæ esset antea falsa. Itaque nihil prodesset reprobo credere Christum pro se esse mortuum, si pro ipso non esset revera mortuus; imo quanto firmius hoc sibi persuaderet, tanto magis deciperetur. Excipitur etiam Christum vocari *propitiationem pro peccatis totius mundi*, quia mors ejus ad propitiationem istam faciendum sufficeret, si Deo libuisset illam eo destinare. Sed hoc est verbis ludere. Non enim quæritur hic de mortis Christi in se spectatæ valore, sed ad quid Deus eam destinavorit,

verit, & quid Christus patiens sibi proposuerit. Et sane exilis admodum esset consolatio quam Joannes peccatoribus præberet, si hoc tantum eis diceret, mortem Christi esse sufficientem ad ipsorum peccata delendum, & non certos eos redderet pro omnium bono passum. Nam secundum ejusmodi dogma, id quod Deus de immensa sua erga universum genus humanum charitate in mittendo filium prædicat, perinde foret ac si princeps aliquis aut dives mercator jactaret se velle omnes Christianos inter Turcas captivos redimere, quia satis magnam pecuniæ summam haberet in thesauris suis ad id faciendum, si ita videretur; etiamsi ex multis captivorum millibus, qui sub misera illa servitute gemunt, 200 aut 300 tantum redimere sibi proposuisset. Quod esset magnam munificentiam ostentare, sed à qua effectus longe abesset. Indignius tamen Deo, cujus divitiarum & gratiarum thesauri sunt inexhausti, quam ejusmodi principe aut mercatore, qui forte vereretur ne sua pecunia alibi indigeret. Cum enim nihil aliud ad reproborum redemtionem requireretur, nisi ut Deus vellet filii sui mortem, quæ infiniti est valoris, ipsis prodesse, non ut Christus plura pateretur quam re ipsa passus est; inde facile esset videre, Deum nulla prorsus ipsos charitate prosecutum, quibus vel solam bonam cogitationem, qua illos omnes salvare poterat, denegarit.

IV. *Tertium* est, *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus*, *Tit.* II. 11. Unde etiam necessario sequitur Jesum Christum in mundum venisse ad totius generis humani salutem procurandum; cum id Paulus referat ad tempus Christi adventus, & prædicati per ipsius Apostolos Euangelii in universo terrarum orbe. Verum quidem est constructionem aliquomodo esse ambiguam. Istud enim, *omnibus hominibus*, potest conjungi vel cum verbo *apparuit*; ita ut dicatur gratia Dei salutaris apparuisse omnibus hominibus: vel ita potest constitui, ut gratia Dei intelligatur *salutaris* esse *omnibus hominibus*. Sed non multum refert quo construatur modo: uterque enim sensus nobis favet. Si velimus, ut primus innuit, gratiam Dei salutarem, quæ per Christum allata est, apparuisse omnibus hominibus, hoc erit argumentum quod Deus eos omnes velit salvari. Non enim ostentaret gratiam suam omnibus, si eam paucis tantum quibusdam communicare decrevisset. Excipies, gratiam Dei in Christo non apparuisse omnibus; Euangelium enim ejus, nec olim, nec etiam nostro tempore, ubique fuisse prædicatum, multasque esse hominum myriades quæ de illo nihil unquam audiverint. Resp. Ita quidem est; sed de eo postea nobis erit agendum. Interea dicimus sufficere nobis, si concedatur gratiam Dei salutarem apparuisse omnibus illis hominibus & populis quibus Euangelium prædicatum est, & quidem cum eam communicandi animo omnibus qui malitiose non essent rejecturi. Inde enim sequetur, Deum nullos ex iis quibus Euangelium innotuit absoluto decreto præteriisse, aut à salute exclusisse. Cæteros relinquemus Dei judicio, persuasi nihil adversus ipsos quod æquitati aut philanthropiæ suæ repugnet constituturum. Si malimus secundo sensui adhærere, & dicere Dei gratiam esse salutarem omnibus hominibus, nempe quibus oblata est & innotuit; id etiam evertit absolutum reprobationis decretum; quomodo enim magna illorum pars esset præterita à Deo & à salute exclusa, quibus gratiam omnibus salutarem offerri curat? hoc perinde esset, ac dicere ægrotum à medico esse derelictum, cui medicus præstantissimum remedium & ad recuperandum valetudinem efficacissimum propinavit. Instabis; attamen iste locus non de omnibus & singulis hominibus absque exceptione, sed tantum de diversis eorum statibus & conditionibus accipi debet, ut series textus Apostolici indicat, ubi de senum, juvenum, servorum officio agit. Resp. Nullum quidem esse dubium, quin Paulus homines diversorum ordinum & statuum moneat, quomodo ratione conditionis suæ ipsos se gerere oporteat: sed quemadmodum admonitio ista pertinet ad singulos sub illis statibus & conditionibus contentos; sic etiam argumentum cui illam superstruit, nimirum gratiam Dei salutarem omnibus hominibus apparuisse. Si vero gratia Dei salutaris non offerretur per Euangelium omnibus & singulis quibus annunciatur, sed tantum aliquibus ex omnibus ordinibus & conditionibus, non necesse foret omnes illos absque exceptione admonitioni Apostolicæ morem gerere, sed tantum aliquos ad quos illa gratia pertineret. Frustra ergo reliqui studerent impietati & cupiditatibus mundanis renunciare, & in præsenti sæculo temperantur, juste & pie vivere; quod nec facere possent, nec etiamsi facerent propterea Deum sibi magis propitium experirentur.

V. *Quarto*, Scriptura docet, Jesum Christum à Patre fuisse missum, & in mundum venisse, ut peccatorum salutem procuraret. Huc pertinet hæc gravis Pauli asseveratio, *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Jesus Christus venit in mundum peccatores salvos facere*, 1 *Tim.* I. 15. & ipsius Christi, *Venit filius hominis quærere & salvum facere quod perierat*, *Luc.* XIX. 10. *Matth.* XVIII. 11. Indubium est autem omnes homines absque exceptione peccatores esse, & consequenter propter peccatum perditioni æternæ obnoxios; *Rom.* III. 23. Ergo Christus ad omnes salvandum venit. Quod si ad paucos tantum servandos Jesus venisset, non recte diceret Paulus, *Ubi abundavit peccatum, ibi superabundasse gratiam*. *Rom.* V. 20. & non æque late pateret beneficium Christi, atque malum quod ex Adamo in omnes redundat; contra expressa Pauli verba, *Rom.* V. 15. 16. 17. 18. 19.

VI. *Quinto*, dicitur aliquoties expresse, Jesum

sum Christum pro omnibus mortuum esse; *Charitas Christi urget nos, æstimantes hoc, quod si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt jam non sibi vivant; sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit*, 2 Cor. v. 14, 15. Item, *Paulò inferior factus est Angelis propter mortis perpessionem, ut gratia Dei gustaret mortem pro omnibus*, Heb. II. 9. *Dedit semetipsum redemtionis pretium pro omnibus*, 1 Tim. II. 6. nimirum in morte. Ideo autem id fecit, quia, ut præcedentia testantur, *Deus vult omnes homines salvari & ad cognitionem veritatis venire.*

VII. *Sexto.* Christus mortuus est etiam pro iis qui pereunt. Ergo Deus nullos absolute à salute exclusit absque consideratione impœnitentiæ aut infidelitatis; cum omnes homines in alterutro ordine aut salvandorum aut damnandorum comprehendantur. Imo apparet ipsum salutem illorum serio voluisse, quorum peccata per filii sui unigeniti mortem expiari voluit, sub hac conditione, si iis inposterum renunciarent & in ipsum crederent. Antecedens probatur aliquot Scripturæ testimoniis, ut, *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est*, Rom. XIV. 15. *Sic peribit scientia tua frater tuus infirmus pro quo Christus mortuus est*, 1 Cor. VIII. 11. Item, *Quanto putatis acerbiora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Hebr. X. 29. Iterum, *Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit ipsos Dominum negabunt*, 2 Petr. II. 1. Excipitur ad duo priora loca, illum quantum est perdere fratrem suum infirmum, seu perditionis causam ei esse, qui scandalum ipsi præbet quo in perditionem ruere posset, nisi Deus ipsum potente sua gratia sustentaret. Sed effugium istud ineptum est, & locum habere nequit in rebus plane impossibilibus, qualis hæc esse creditur, ut ille pereat pro quo Christus mortuus est; cum irrevocabili decreto sit ad vitam æternam electus. Sic enim adhortatio Pauli, ut abstineamus à cibis qui offendiculum fratri nostro infirmo afferre possunt, non majoris erit ponderis, quam si ad dissuadendum alicui ne sagittas versus cælum mitteret, dicerem, Vide ne id facias; sic enim contingere posset ut solem vel lunam vulnerares. Ad duo posteriora excipitur, istos apostatas & falsos doctores, secundum judicium charitatis, quæ omnia credit & sperat, dici sanguine Christi fuisse sanctificatos & redemtos, quia Christianam religionem profitebantur, & Deus illos cognitione veritatis suæ salutaris illustraverat. Sed resp. Judicium charitatis in illis nullum amplius habere locum, quorum impietas se prodidit, in eo, quod vel Christianam fidem plane abnegant, vel exitiosas sectas introducunt, & quibus idcirco horrendum Dei irati judicium imminere dicitur. Ita enim simul pro fidelibus & pro infidelibus, seu pro piis & pro impiis haberentur. Præterea, ingratitudo istorum hominum non foret adeo magna, nec acerbius supplicium ideo essent meriti, si Christus morte sua nihil aliud eis nisi simplicem & inefficacem veritatis suæ cognitionem impetravisset. Tantum enim abest ut pro beneficio id reputandum esset, ut contra effectum odii nuncupare oporteret, eo solum tendens, ut miseria illorum aggravaretur. Atque adeo ejusmodi expositione illi excusarentur, quorum Spiritus S. crimen exaggerare voluit, cum dixit Christum sanguinem suum pro illis fudisse, seu, quod eodem redit, ipso illos sanctificasse & emisse, ingratitudinem eis omni excusatione indignam objiciens.

VIII. *Septimo* idem probatur ex eo, quod omnibus iis, quibus annunciatur Euangelium, Deus præcipiat sub æternæ damnationis pœna, ut in Christum tanquam pro peccatis suis mortuum credant. Inde enim necessario sequitur, ipsum mortem subiisse pro omnibus illis & singulis absque exceptione. Nam si tantum pro quibusdam illorum mortuus esset; Deus multis præciperet ut rei falsæ crederent, & eos tanquam incredulos puniret, quod mendacium pro veritate non recepissent. Istud autem Deo indignissimum est. Sunt tamen nonnulli celebres inter Reformatos Doctores qui id asserere non verentur: ut *Piscator in Responsione ad Vorstij Duplicationem*, cap. 7. ubi dicit, *Deus omnes vocatos credere jubet Christum pro ipsis mortuum esse; quod ipsum tamen falsum est.* pag. 74. Et *Maccovius in Locis Communib.* cap. 71. *Judicamus argumenti istius, quod Adversariorum Achilles est in propugnanda gratia universali, Majorem esse falsam; Quod quisque tenetur credere id verum est: At quilibet tenetur credere Christum pro se esse mortuum: Ergo &c. At probandum scilicet nobis hoc est. Probamus autem his argumentis. Primum est; Adam tenebatur credere in statu integritatis vitam æternam sibi obventuram: At hoc falsum: Ergo tenebatur credere aliquid falsum.* Item; *Abraham tenebatur credere Deum velle ut filium suum immolaret: At hoc erat falsum; Ergo &c.* Sed hæc sententia est impia, omnemque de veritate religionis Christianæ certitudinem evertit. Si enim Deus in hoc capite de Christi morte plerosque mortales jubet falsum credere, quidni & in aliis, ut cum denunciat judicium universale futurum, se unicuique secundum opera, bona aut mala, redditurum, & similibus? Nec male fecisset Eva, credens serpenti se non morituram, quamvis de fructu vetito comedisset, si Deus possit aliquid falsi nobis credendum proponere. Miror hanc sententiam in istis Doctoribus fuisse toleratam. Amesius contradixit quidem Maccovio: nulla tamen adversus ipsum censura est exercita; sed placide in Professionis suæ exercitio obiit. Et antea Synodus Dordracena, quæ non poterat tolerare in Remonstrantibus, ut docerent Deum velle omnes & singulos homines salvari, & Christum pro omnibus absque exceptio-

exceptione esse mortuum, non fuit offensa isto Maccovii paradoxo, quod illic à ... orando Lubberto ipsi fuit objectum; monuit tantum ut prudentia uteretur, ne teneras aures offenderet. Quam aptæ autem sint, quas ad illud probandum affert ratiunculæ, facile qui peponem pro corde non habent animadvertunt. *Adam*, inquit, *tenebatur credere in statu integritatis vitam æternam sibi obventuram.* Resp. Non tenebatur id credere absolute, sed tantum sub hac conditione, si in statu illo perseveraret. Alias non potuisset credere veram esse Dei comminationem, *Quocunque die comederis ex arbore scientiæ boni & mali morte morieris.* Similiter; *Abraham*, inquit, *tenebatur credere Deum velle ut filium suum immolaret.* Resp. Deus nihil ipsi proponebat credendum, sed tantum faciendum, nimirum ut immolaret filium suum. Tenebatur mandato isti parere: quod etiam fecit quantum in se erat. Nam id executioni mandavisset nisi ab Angelo fuisset impeditus. Abraham nihil aliud tenebatur credere, nisi Deum sibi præcepisse ut immolaret filium; nec opus erat ut scrutaretur an Deus id serio vel tentative tantum præcepisset. Deinde si præcepta Dei non docent quæ sit vera Dei voluntas, Abrahamus ex tali præcepto non tenebatur credere, Deum velle ut sibi immolaret filium. Alia ejusmodi sophismata plura habet Maccovius, quæ locus hic non permittit ut examinemus, & necesse non est, cum absurditas eorum pene sit palpabilis. Maneat igitur istud inconcussum, Quod Deus jubet homines credere, id verissimum est; & suspectum falsitatis nemini esse potest absque gravi Dei offensa. Hoc enim est eum qui ἀψευδὴς est, *Tit.* I. 2. mendacii accusare, dicente Joanne 1 *Epist.* V. 10. *Qui non credit filio mendacem facit eum* (Deum) *quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo.*

IX. Quare alii concedentes, quod absque blasphemia negari non posse vident, excipiunt ad id quod dicimus, omnes illos quibus Euangelium annunciatur teneri credere Christum pro se esse mortuum, peccatores non debere credere Christum pro se esse mortuum, quamdiu in peccatis perseverant, sed solummodo cùm ab eis fuerint conversi. Sed resp. eos confundere res quæ multum à se invicem discrepant. Confundunt enim præceptum credendi in Christum, cum promisso ejus observationi addito: præcepta nunquam sunt conditionata, sed tantum promissa. Deinde magnum est discrimen inter hæc duo, credere Christum pro nobis esse mortuum, &, credere nos beneficiorum morte ejus partorum futuros participes. Illi tantum, qui peccatis suis renunciarunt & ex Euangelii præscripto vitam emendarunt, postremum tenentur credere: sed omnes quibus Euangelium annunciatur, absque exceptione, debent primo fidem adhibere. Ideo id jam verum & certum sit in seipso oportet. Fides enim naturam rerum non mutat, nec facit ut id quod falsum erat antequam crederetur, verum fiat statim atque aliquis id verum esse sibi persuadebit. Quamvis ergo reprobi, quibus Deus irrevocabili decreto peccata nunquam condonare constituit, eorum in sanguine Christi expiationem se inventuros crederent, id nihil iis prodesse posset, posito hoc Deum noluisse ut sanguinem suum pro illis effunderet. Sed cum Deus præcipiat omnibus in Euangelio ut id credant, ii ad quorum cognitionem illud pervenit pro certo id amplecti debent, & tam necessario verum esse oportet, quam Deus est verax qui credi jubet.

X. Octavo: Si Christus pro omnibus non sit mortuus, nemo ob incredulitatem condemnabitur. Absurdum autem est consequens, & toti Scripturæ S. contrarium, quæ testatur hanc fore causam damnationis eorum quibus Euangelium annunciatum fuerit, quod in Jesum Christum non crediderint, *Joan.* III. 18. 19. 36. *Marc.* XVI. 16. & 2 *Thess.* I. 8. Ergo antecedens quoque est absurdum. Consequentia autem manifesta. Nam quod ad electos attinet, pro quibus Christus mortuus est, non est verendum ut propter incredulitatem pereant, cum Deus in iis fidem per potentiam insuperabilem efficiat, nec magis damnari possint quam Christus ipse. Reprobi vero pro quibus Christus non est mortuus, non sunt increduli, cum recusant credere ipsum pro se esse mortuum. Non enim est incredulitas, nolle credere mendacio; nec refert quod ignorent, utrum sint ex illorum numero pro quibus Christus est mortuus, an contra. Nam ignorantia illorum rei naturam non mutat; oportetque rem aliquam esse veram, ut eam tanquam veram recipere teneamur.

XI. Nono: Nemo potest scire utrum teneatur in Christum credere, nisi istud pro fundamento substernat, eum pro omnibus & singulis absque exceptione esse mortuum; quo everso aut nutante, fidem ipsam simul everti aut nutare est necesse. Nulli enim in specie revelatum est ipsum ex illorum esse numero pro quibus Christus mortem oppetiit. Ergo quicunque id credet, credet tantum ex conjectura, quæ poterit esse falsa, si pro maxima generis humani & per Euangelium vocatorum parte non sit mortuus. Proinde etiam is qui in Christum tanquam pro se mortuum credet, non poterit esse certus utrum fides sua sit vera, nec-ne; utrum per eam justificandus & salutem æternam adepturus sit, an vero contra. Excipitur, fidem veram omnes istas tollere difficultates. Resp. Fac ita esse; sed is qui petit institutionem, ut sciat an teneatur credere in Christum, & an fides quæ ab eo exigitur fundamentum firmum habitura sit, nondum credit, & ex sua fide non potest colligere Christum pro se esse mortuum: item, neque ille qui dubitat an fides sua vera sit nec ne, & an usque ad finem sit perseveratura. Nam dicunt tantam esse similitudinem

inter fidem justificantem electorum & temporariam quorundam reproborum, ut vix aliter quam ex duratione discerni à se invicem possint. Unde sequitur, neminem ante ultimam vitæ suæ periodum de salute sua plene persuasum esse posse, nimirum cum jam experientia didicerit, fidem suam usque ad finem perseverasse: quod absurdum cum objiciant iis qui sentiunt fideles posse à fide deficere, ipsi tamen non satis diligenter cavent.

XII. Verum tamen ad colorem aliquem tam periculosæ opinioni dandum, afferuntur quædam Scripturæ S. testimonia, qualia sunt illa, ubi dicitur Jesum Christum animam suam redemptionis pretium dedisse, & sanguinem suum effudisse *pro multis*, ut *Matth.* XX. 28. & XXVI. 28. *Hebr.* IX. 28. Item, *pro suis ovibus*, ut *Joan.* X. 15. *pro suis amicis*, ut *Joan.* XV. 13. & *pro sua Ecclesia*, ut *Act.* XX. 28. *Ephes.* I. 23. Sed resp. 1. in nullo istorum locorum additam esse particulam exclusivam, quæ ostendat ipsum pro omnibus non esse mortuum, sed tantum pro suis ovibus, amicis, Ecclesia. Quod etiam non conveniret cum iis quæ supra attuli, ubi dicitur Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi, ipsum dedisse se in redemtionem pro omnibus, imo etiam pro iis qui pereunt. Nec *multorum* appellatio impedit quominus id universaliter accipiatur, cum omnes etiam sint multi, &c. 2. Per *oves*, *amicos*, & *Ecclesiam Christi* non intelliguntur aliqui absolute ad vitam æternam electi, absque fidei aut pietatis ipsorum intuitu. Tales enim electi quos Deus summo amore & immutabili prosequeretur, non indigerent reconciliatione cum ipso per mortem filii; adeo ut dicere Christum pro illis solis passum, sit mortem ejus superfluam & nullo modo necessariam facere. Vocibus ergo *ovium*, *amicorum* & *Ecclesiæ Christi* designantur veri fideles; non quos Christus jam ut tales consideraret cum pro ipsis mortem obiit, (tunc enim erant per peccata inimici ejus) sed qui facti sunt fideles, cum ipsum ut traditum propter suas offensas, & suscitatum propter justificationem, amplexi fuerunt. Pro illis speciatim dicitur Christum posuisse animam, quia ipsi soli reipsa fruuntur beneficiis ex morte ejus proficiscentibus. Quamvis enim eam passus sit ut omnibus salutem acquireret, absque discrimine electorum aut reproborum, tamen cum id factum sit sub conditione ut in eum crederent, inde accidit, ut soli fideles istorum beneficiorum sint participes, quibus alii incredulitate & contumacia sua indignos se reddiderunt.

XIII. Jactari etiam solent hæc Christi verba Patrem compellantis, *Non oro pro mundo, sed pro iis quos tu mihi dedisti*, *Joan.* XVII. 9. Et inde concluditur, ipsum sanguinem & vitam non impendisse pro iis quibus precum suarum intercessionem denegavit. Sed hæc consequentia est infirma: quæ haberet quidem magnam veri speciem, si Christus nunquam pro mundo, id est pro impiis, oravisset. Id autem tantum abest ut sit verum, ut etiam in hac ipsa precatione, quam speciatim pro discipulis suis habuit, non oblitus fuerit mundi mentionem facere, dicens, *Non oro te solum pro iis, sed etiam pro illis qui credent in me per ipsorum sermonem, ut mundus credat te misisse me.* Item, *Ego sum in iis, & tu in me, ut ipsi in unum consummentur, & mundus cognoscat te esse qui misisti me*, *Joan.* XVII. 20. 21. 23. Quin etiam videmus ipsum curam gessisse salutis eorum à quibus crucifigebatur, & pro illis oravisse, *Pater ignosce illis, nesciunt enim quid faciant*, *Luc.* XXIII. 34. Quo videtur respexisse Esaias, cum dicit ipsum *intercessisse pro transgressoribus*, *cap.* LIII. *v.* 12. Maxima autem pars illorum erant reprobi, & in incredulitate sua perierunt. Per illos autem quos Pater ipsi dederat, & quos opponit mundo pro quo non orat, non intellexit certas quasdam singulares personas absolute ad salutem prædestinatas; sed solum Apostolos, quos Pater ipsi dederat ut eos speciatim in cognitione sua institueret, & deinde illis tanquam ministris uteretur ad alios ad eam perducendos. Omnes hujus precationis circumstantiæ evidenter id ostendunt, quæ in neminem quam illos solos quadrant. Nominatim *v.* 12. ubi dicit, *Servavi eos quos tu mihi dedisti, & nullus eorum periit nisi filius perditionis*; nimirum Judas. Nam si per hæc verba *Quos dedisti mihi*, intellexisset omnes electos, ut vulgo exponunt, non opposuisset illis unicum Judam, sed magnam reproborum turbam. Quare dicens se non orare pro mundo, sed pro iis quos Pater ipsi dederat, nihil aliud intendit, nisi ostendere, quam æqua esset petitio quam pro discipulis peculiariter faceret, ut tanto facilius exaudiretur. Quasi ita locutus fuisset; Pater, ego nunc non oro te pro mundo incredulo, & peccatis plane immerso. Justam haberes causam rejiciendi preces meas si pro eo te orarem, qui tuis beneficiis & gratia plane est indignus. Sed oro te pro meis charis discipulis, qui diligunt & timent te, & quos scio tibi non minori esse curæ quam mihi sint; cum tu eos mihi dederis, eo fine ut illos in veritate tua instituam.

XIV. Nec majoris est momenti, quod dicunt, Christum non esse mortuum pro impiis illis, qui antequam venisset in mundum jam in peccatis suis perierant, nec pro Juda, cum Christi mors sit crimen quod ipsi damnationem attulit. Inde ergo apparere, Christum pro omnibus & singulis absque exceptione non esse mortuum. Resp. enim. Fac totum istud esse verum, non sequetur tamen inde Christum non obiisse mortem pro omnibus illis quibus Euangelium annunciatur, & quibus sub æternæ damnationis pœna præcipitur ut in ipsum credant. Id autem est de quo nunc solum solliciti sumus, utpote quo non admisso labascit omnis spes salutis & expiationis nostrorum pecca-

peccatorum, quæ per Christi mortem & passionem nobis offertur in Euangelio; imo evertitur tota certitudo de veritate Euangelii; quod si in hoc capite aliquid falsi jubeat credere, suspicari poterimus in aliis quoque idem facere. Tale autem mandatum non habuerunt ii qui Christi adventum præcesserunt; ideoque non esset ita magnum inconveniens si pro quibusdam illorum non passus fuisset mortem. Similiter, si unus Judas exciperetur ab hoc beneficio, cujus scelus reliquorum omnium enormitatem superavit, id non impedire quominus recte universaliter assereretur Christum pro omnibus esse mortuum. Quid enim est unicus homo respectu totius generis humani, nisi ut granum arenæ collatum cum tota illa quæ est in littore maris? Sed tamen non necesse habemus illud concedere. Vere enim Christus mortuus est pro impiis illis qui antequam passus esset jam in peccatis suis obierant; non quod inde fructum aliquem percipere potuerint; sed quia si se ante mortem convertissent ad Deum, ut gratiæ ejus ope facere poterant, expiata fuissent ipsorum peccata in sanguine Christi post fundendo, perinde ut eorum qui pœnitentiam peccatorum egerunt. Quod si absurdum non est, dicere eum mortuum fuisse pro fidelibus Vet. Test. quorum salus cum pateretur jam erat rata; non erit quoque absurdum idem asserere de infidelibus, quorum damnatio erat tunc pariter rata. Sicut enim illi fide sua salutem invenerant in Christi sanguine, ita hi quoque, si credidissent, ejusdem virtute à damnatione erepti fuissent. Nec est improbabile, Judam etiam gratiam apud Deum obtenturum, si serio eum perpetrati criminis pœnituisset. Quamvis enim id esset magnum, non tamen superabat magnitudine Dei misericordiam, & vim mortis Christi. Et comprehendebatur etiam in precibus quas Christus fudit pro iis à quibus crucifigebatur. Sed quia desperavit de Dei gratia, & vere non resipuit, contra scelus scelere cumulavit, non est mirum si ex morte Christi nullam utilitatem perceperit, ut forte alias potuisset.

CAPUT V.

Deum velle omnes homines salvos fieri.

I. Quarto. Deus vult omnes homines salvos fieri, quod probatur Ezech. 18. *&* 33. II. 2. *Pet.* 3. III. *&* 1. *Tim.* 2. *Vox πάντες non significat* quosvis, *sed* omnes. IV. *Nec est accipienda reduplicative.* V. *Nec agitur de voluntate εὐαρεσίας opposite ad voluntatem εὐδοκίας.* VI. *Quomodo non æqualiter omnium salutem Deus velit.* VII. *Qua ratione omnes homines salvos velle dicatur Deus.*

I. QUartum argumentum. Quæ doctrina universo S. Scripturæ tenori repugnat, ea est falsa. Talis autem est de absoluto reprobationis decreto. Ergo est falsa. Minor posset probari plurimis Scripturæ testimoniis. Sed nos duo aut tria illustriora afferre contenti erimus. Primum habemus *Ezech.* XVIII. 32. *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini & vivite.* Quod adhibito gravi juramento confirmat *cap.* XXXIII. *v.* 11. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Convertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël?* Unde sic concludo: Si Deus non vult mortem impii morientis, sed ejus conversionem ut vivat, non destinavit absoluto decreto ad damnationem æternam maximam humani generis partem, quod consideravit aut ut nondum conditum, aut solum ut peccato originis, quod vocant, infectum. Hæc enim adversis frontibus inter se pugnant, & simul consistere nequeunt. Atqui verum est antecedens, ut patet ex locis allegatis: Ergo & consequens. Quidam respondent, Si Deus nollet mortem impii morientis, impediret eam, & procuraret ejus conversionem, quia est omnipotens. Vertendum est ergo, *non delector*, ut faciunt quidam docti interpretes. Sed contra insto: Mirum esse reperiri qui ejusmodi effugia comminiscantur, ut habeant prætextum Deo etiam juranti fidem denegandi. Deus non semper adhibet omnipotentiam suam ad id quod non vult impediendum. ex. gr. Non vult peccata & scelera quæ homines perpetrant, ut constat inde, quod ea stricte vetat, & severe punit; & tamen non exserit semper vires suas ad impediendum ne fiant; sed vult ut homines, quos libero arbitrio donavit, ab iis sponte propter sui mandati reverentiam abstineant. Sic etiam non consultum judicat uti omnipotentia sua ad conversionem peccatorum, & impediendum ne peccatis suis mortem sibi accersant. Sufficit quod iis proponat benedictionem & maledictionem, vitam & mortem, ut quod libuerit eligant. Sine causa autem interpretationem vulgarem vocis Hebraicæ חפץ reprehendunt, quasi non sit reddenda *volo*, sed delector. quamvis enim plerumque significet velle cum delectatione, (quales sunt omnes Dei & hominum liberæ voluntates, qui non vellent aliquid nisi eo delectarentur) tamen idem est proprie quod velle, & in locis citatis redditur à LXX per θέλω. sicut etiam *Psal.* v. 5. quod vulgatus interpres sic expressit, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Ubi nihil foret absurdius, quam dicere, Deum quidem velle iniquitatem, quia constituit ut inevitabiliter contingat; sed tamen ea non delectari. Nam quid potuit eum ad istud decernendum movisse, nisi quod eo delectaretur? Sed demus melius hanc vocem apud Ezechiëlem verti per εὐδοκέω, *bene placet* aut *delector*, nihilominus non poterunt ista Dei verba cum absoluto Reprobationis decreto conciliari. Nam si nequidem impii morientis in suis peccatis perditione delectatur, non fecit decretum, quod absque beneplacito aut delectatione esse non

poteſt, de æterna eorum damnatione quos conſideravit tantum ut nondum conditos, aut ut lapſos in Adamo, & nullam ipſi propriis factis odii cauſam præbere potuerant. Alii reſpondent, Deum nolle mortem peccatoris reſipiſcentis. Quod verum quidem eſt, ſed non quadrat in loca Ezechiëlis allegata, præcipue in primum, ubi Deus dicit ſe *nolle mortem morientis*; nempe impii in ſuis peccatis perſeverantis, & ita damnationis æternæ judicium in caput ſuum accerſentis. Hunc enim vellet converſum, ut mortem impiis deſtinatam effugeret, ideoque gratiam qua converti queat ipſi offert, tempus idoneum largitur ad converſionem, etſi eam omnipotente vi non efficiat.

II. Secundum ſuppeditat nobis Petrus, 2 *Epiſt.* III. 9. *Non tardat Dominus promiſſionem, ſed patiens eſt erga nos, nolens ullos perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam tendere.* Reſpondetur Apoſtolum hic tantum agere de electis, quos certum ſit Deum nolle perire in æternum, ſed damnationem per veram reſipiſcentiam evadere; idque apparere ex pronomine *nos*, cum abſurdum ſit exiſtimare Petrum ſe cum reprobis velle includere. Cui oppono pronomen illud *nos*, omnes eos comprehendere ad quos ſcribit, qui licet fidem Chriſtianam profiterentur, non erant tamen omnes abſolute ad vitam æternam electi; cum in Eccleſia viſibili mali ſoleant bonis eſſe admixti, ut paleæ cum tritico in area, & piſces putres cum vivis in ſagena. Erga illos omnes Petrus ſignificat Deum magna uti patientia, differendo adventum ſuum ad judicium, ne in peccatis opprimantur. Sed ſecundum abſolutæ prædeſtinationis dogma, nullus poteſt eſſe patientiæ divinæ locus, nec erga electos, nec erga reprobos. Non erga electos; nam cum Deus in illis pœnitentiam inſuperabili potentia producere ſtatuerit, abſque qua impoſſibile ſit ut convertantur à peccatis, nulla erga ipſos proprie utitur patientia, ſed tantum exſpectat præfixum à ſe tempus quo ſunt convertendi. Multo minus erga reprobos; nam cum decretum perditionis ipſorum ſit irrevocabile, & nunquam in iis pœnitentiam operari propoſuerit, fruſtra exſpectaret id quod ſcit nullo fieri modo poſſe. Sed tamen, inquies, non præcipitat eos in barathrum inferni ſtatim atque peccaverunt, ſed diu differt ſupplicium. Ita eſt. Sed iſtud patientia non debet vocari, ſi ſupplicium ſibi deſtinatum effugere nequeant. Sic judex non eſt patiens erga facinoroſum, quem certæ morti adjudicavit, cum non ſtatim eum mittit ad patibulum, ſed exſpectat donec alios ſimul cum ipſo plectat. Quam vero iſtud ſit alienum à Sacrarum literarum mente, vel ex duobus locis *epiſt. ad Roman.* liquere poteſt. *cap.* II. *v.* 4. Apoſtolus ſic loquitur, *An divitias benignitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſed ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi ipſi iram in diem iræ & patefactionis juſti Dei judicii.* Et *cap.* IX. *v.* 22. *Quod ſi vero volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, pertulit magna lenitate vaſa iræ coagmentata ad interitum?* In quibus agi de reprobis nullus eſt qui non animadvertat. Sed reprobi non ſunt intelligendi ex abſoluto decreto, verum ob propria & per Dei gratiam evitabilia peccata. Nam quod in poſteriore dicitur de *vaſis iræ coagmentatis*, aut apparatis, *ad interitum*, non eſt cum nonnullis ad eorum creationem referendum, ſed ad ipſos reprobos, qui peccatis ſuis iræ ſe vaſa reddiderunt & ad interitum coagmentarunt; prout ſequens verſus oſtendit, ubi mutata phraſi Paulus de fidelibus dicit, *Et ut* (Deus) *notas faceret divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.* Nam ſi voluiſſet eodem modo illorum interitum quo horum ſalutem referre ad unum Deum, non variaſſet ſermonem, ut fecit.

III. Tertium adverſus abſolutam reprobationem teſtimonium habemus 1 *Tim.* II. 4. *Qui* (Deus) *vult omnes homines ſalvari & ad agnitionem veritatis venire.* Unde evidenter apparet, Deum non feciſſe tale abſolutum decretum de maxima humani generis parte æternum damnanda, quale ipſi affingitur. Id enim non poteſt ſubſiſtere cum voluntate omnes ſalvandi, & ad cognitionem veritatis adducendi. Quo vero excellentior eſt hic locus, eo majore vi ipſum nobis ſuis exceptionibus conantur ex manibus extorquere. Quidam enim dicunt, non eſſe vertendum, *Deus vult omnes homines ſalvari*, ſed *quoſvis homines*; in quorum numero eſt Beza, qui vocem Græcam πάντας, quam nemo ignorat *omnes* ſignificare, multis in locis N. T. per *quoſvis* expreſſit, intolerabili licentia Scripturam torquens, ne privatis ſuis opinionibus adverſari videatur. Illi diſtinguentes inter genera ſeu ſpecies hominum & individua, dicunt, Apoſtolum nihil aliud hic ſibi propoſitum habuiſſe, quam docere, Deum velle omnia hominum genera, cujuſcunque ſint ſortis aut conditionis ſalvari; quia apud ipſum non ſit diſtinctio Judæi & Græci, liberi & ſervi, divitis & pauperis, maris & fœminæ; quamvis nolit ut omnes & ſinguli in individuo, nullis exceptis, ſalventur. Eodem loquendi modo, quo dicere ſolemus omnia animalia fuiſſe in arca Noë, licet ibi reipſa fuerint tantum pauca aliqua paria ex omnibus ſpeciebus; item Chriſtum ſanaſſe *omnem languorem & omnem infirmitatem* in populo, *Matth.* IV. 23. id eſt omnis generis morbos & infirmitates, non omnes ægrotos in ſpecie nullis plane exceptis; quia non omnes ad ejus opem confugerunt: Et Phariſæos *decimaſſe omne olus*, *Luc.* XI. 42. id eſt, omne olerum genus. Sed etiamſi vox πᾶς, ſeu *omnis*, aliquando hoc ſignificatu accipiatur, certum tamen eſt eum hic locum habere non poſſe. Quod diſerte confitetur Chamierus *Panſtratiæ Cathol.* T. 3. *lib.* 7.

cap.

cap. 6. dicens, *durum esse illud*, nolens ullos perire, *flectere ad genera singulorum: Et illud certe*, non vult mortem peccatoris, *repugnare videtur; cum mors non possit considerari in generibus singulorum, sed in singulis generum. Sed & Pauli institutum seorsim abit. Jubet enim orari, non pro singulorum generibus, sed pro singulis generum. Argumento sunt Reges, & πάντες οἱ ἐν ὑπεροχῇ, pro quibus sigillatim Ecclesia orat, pro variis temporibus & locis. Exempli gratia, pro Nerone tum, cum hac Apostolus scriberet. Non est vero bona ratio: Orate pro Nerone, quia Deus vult aliquos Imperatores salvari.* Cui addo, quod secundum istud præceptum non tenerentur Galli orare pro Ludovico XIV, aut Hispani pro Philippo IV, sed tantum pro Regibus in genere. Quod est alienum ab amore & cultu quo subditi Reges suos prosequi tenentur, & à totius Ecclesiæ praxi, quæ semper pro Regibus & Magistratibus suis in individuo preces ad Deum fudit.

IV. Alii putant hanc vocem *omnes* accipiendam esse reduplicative, quasi Paulus dixisset Deum velle ut omnes illi homines salventur, qui salvantur, quia nullus contra Dei voluntatem salvatur. Sicut diceretur, ludimagistrum aliquem omnes pueros alicujus pagi instituere, non quod omnes singulatim instituat, sed quia nullus eorum instituatur nisi ab ipso. Sed istam quoque responsionem Chamierus loco modo citato improbat: *Quid enim*, inquit, *infantius, quam si dicas, Deus non vult ullos perire eorum qui salvantur? Non vult mortem peccatoris, quem vult servari? Orate pro Nerone, quia Deus vult servandos servari?* Cui addo, secundum utramque istam responsionem, Apostolum melius dicturum fuisse, Deus vult omnes homines damnari, quam, vult omnes salvos fieri. Nam cum (ut earum auctores confitentur) nemo damnetur nisi quem Deus vult damnari, & cum longe plures ex omnibus hominum ordinibus & conditionibus damnationi quam saluti destinaverit, magis consentaneum esse videtur, ut à majori parte fiat denominatio quam à minori. Verum ita loquendo non adduxisset homines ad Euangelii professionem, sed contra avertisset, ut à doctrina perniciosa vel saltem inutili.

V. Chamierus ergo repudiatis istis responsionibus ad aliam confugit, dicens voluntatem Dei considerari vel εὐδοκίας, qua Deus decernit aliquid suo tempore fieri, ad quam refertur prædestinatio; vel εὐαρεσίας, qua velit hoc illudve ab hominibus fieri juxta sua præcepta sive ex officio; & de posteriore verba Pauli esse intelligenda, non de priore. hanc autem distinctionem esse ex Scriptura petitam, & per eam evitari absurda quæ ex aliis responsionibus sequuntur; atque sensu convenire cum distinctione in voluntatem signi & beneplaciti, vulgo à Scholasticis usurpata. Sed regero, quamvis voces εὐδοκίας & εὐαρεσίας in Scriptura inveniantur, una cum earum conjugatis εὐδοκεῖν & εὐαρεστεῖν, non tamen distinctionem istam ullum ibi fundamentum habere. Nam pro æquipollentibus semper accipiuntur, & absque ulla sensus mutatione possunt inter se permutari; tantum abest ut sint oppositæ sicut secundum Chamierum esse deberent. Sicut igitur Deus εὐαρεστεῖ seu complacet sibi in eo, ut omnes salventur & ad veritatis cognitionem veniant, ita etiam illud εὐδοκεῖ seu approbat. Nam si Dei εὐδοκίαν accipere solum velis pro decreto absoluto, cui opponatur nuda aliqua εὐαρεσίας delectatio; illud considerandum tibi relinquam, annon absurdum sit existimare, Deum delectari re aliqua, & quidem serio, non simulate, & tamen ipsum decreto absoluto & irrevocabili statuere ne ea unquam eveniat, sed contrarium; delectari quidem Deum salute omnium hominum, & cupere ut ad cognitionem veritatis veniant; sed tamen decrevisse nunquam iis largiri media quibus ad eam pervenire queant. Hæ enim duæ voluntates sibi invicem repugnant, & altera alteram evertit. Nec concipi potest ulla alia ratio, cur Deus decreverit ut multi homines nunquam ex ignorantia sua emergant, & à peccatis convertantur, nisi quia perditione illorum magis delectatur quam salute. Nam si serio aliquo salutis eorum desiderio teneretur, non denegaret iis gratiæ suæ auxilia, sine quibus scit ipsos nunquam ad eam pervenire posse, & impossibile esse ut mortis & cruciatuum æternorum damnationem effugiant. Denique si voluntas εὐαρεσίας eadem sit quæ signi ab aliis dici solet, & εὐδοκίας eadem quæ beneplaciti, cum distinctionem illam ostensa ejus contradictione supra everterimus, hæc quoque simul eversa fuerit.

VI. Cum ergo hæc Chamieri distinctio nodum difficultatis non solvat, sunt alii qui respondent, Deum quidem velle omnium & singulorum hominum salutem, sed tamen non æqualiter, verum aliorum magis, aliorum vero minus: esse enim in ipso duo voluntatis genera; unam per quam omnibus præcipit ut salutis iter insistant, & delectatur cum id faciunt; alteram vero per quam absolute quibusdam salutem & media ad illam ducentia communicare decrevit. Et cum omnibus jubet quod officii illorum est, & declarat quid boni inde ad eos rediturum sit, ipsum sese ut legislatorem gerere; sed quando in quibusdam implet quod præcipit, se ipsorum Patrem ostendere. Quæ responsio propius ad veritatem accedit, sed tamen eam non satis plene explicat. Agnosco quidem Deum æquali affectu omnium hominum salutem nolle; non enim communicat omnibus æquali mensura media quibus ad eam perveniant. Olim ante Christi adventum nullis ex omnibus terræ populis, præterquam Israëlitis solis, voluntatem suam annunciabat; & post ejus adventum, etsi Judæi & Græci distinctio sit sublata, non

tamen ubique locorum Euangelium suum prædicari curat. Sed tamen Deus neminem unquam omni se cognoscendi facultate destitutum reliquit: adeo ut illi sint inexcusabiles, qui ipsius veritatem in injustitia detinuerunt, & ipsum prout oportebat non coluerunt. Quod si bona fide admitterent hujus distinctionis auctores, & non ulterius comparationem legislatoris & patris extenderent, non multum in ea desiderarem. Sed quia depingunt nobis Deum erga maximam humani generis partem ita se gerentem, ut præscribat iis leges quæ ipsorum vires longe exsuperant, & tamen rigide puniat illos qui non paruerunt, dico hoc non esse æqui legislatoris, sed potius crudelis tyranni; nec video quomodo ei tribui possit, quod illorum salutem vel mediocriter velit, eaque delectetur, quibus media sine quibus obtineri nequit tam præcise denegat.

VII. Quomodo igitur, inquies, intelligendum est istud, Deum serio velle ut omnes homines salventur & ad agnitionem veritatis veniant, cum nemo impedire possit quin id quod ita vult effectum suum sortiatur, & tamen indubium sit plurimos in tenebris ignorantiæ manere qui nunquam ad salutem sint perventuri: Resp. Deum nolle omnes homines absolute salvos facere; sed tantum sub hac conditione, si credant in Jesum Christum, & Euangelio ejus obtemperent; alioqui si credere & parere ipsi detrectent, velle eos in perditionem æternam abire. Sic locum hunc exponit Aretius in Comment. suis; Omnes homines, non solum de tota specie accipio, hoc est, ut ex omnibus hominibus aliquos velit salvari, sed de individuis omnibus: vult enim omnes salvos fieri revera, sed conditione hac, ut pœnitentiam agant, & se convertant ad Christum filium Dei. Sic voluit servari Cainum, Pharaonem, Judam; verum quia in desperatione manserunt, contemta omni pia admonitione, merito damnantur, &c. Alii vero hic utuntur distinctione voluntatis in antecedentem & consequentem; dicentes Deum voluntate antecedente, quatenus considerat homines ut ad imaginem suam conditos, velle omnium salutem, & paratum esse media iis largiri quibus illam obtineant, sed consequente velle tantum salutem actu iis conferre qui credunt in Christum, & se à peccatis convertunt; alios vero in perditione, quam propria & evitabili culpa in se accersiverunt, relinquere. Quæ distinctio, si rem potius spectes quam verba quibus enunciatur, eodem cum præcedente in absolutam & conditionalem redit.

CAPUT VI.

Absolutum reprobationis decretum pugnare cum attributis divinis.

I. Quinto. Absolutum reprobationis decretum repugnat Dei Sanctitati. II. Dei justitia: 1. quia statuit Deum innocentes punire. III. 2. Obedientiam & fidem exigere ab iis quibus vires necessarias aut abstulit aut dare non decrevit. IV. 3. Quia Deum facit hypocritam. 1. Si consideremus ejus præcepta. V. 2. Promissa. VI. 3. Conditiones illis annexas. VII. 4. Desideria & querelas. VIII. Tandem & repugnat Dei φιλανθρωπίᾳ & misericordia.

I. Quinto. Denique, doctrina reprobationis absolutæ repugnat præcipuis naturæ divinæ proprietatibus, quales sunt sanctitas, justitia, sinceritas, misericordia. Sanctitati Dei repugnare inde liquet, quod Deum peccati auctorem facit. Idque non solum in supralapsariorum, sed etiam in infralapsariorum opinionem quadrat. Adversus supralapsarios non opus est alia afferre argumenta præter ea quibus infralapsarii ipsos impugnant, ut antea diximus. Nimirum cum Deus ante decretum de homine condendo statuisset patefacere justitiam suam in puniendo peccato, & misericordiam in eo remittendo, talem hominem postea condidisse, qui inevitabiliter in peccatum laberetur, sine quo neutram demonstrare posset. Hoc enim est evidenter totam peccati culpam, quam miseri homines necesse habent luere, in Deum rejicere. Et miror eos, qui consequentiam istam animadvertunt, aliisque objiciunt, non eam toto corde detestari; malléque cum iis fraternitatem colere qui tam fœdam hæresin tuentur, quam eos in communione sua tolerare qui gratiam Dei erga genus humanum universalem esse existimant. Sed ejus rei causa non est adeo obscura investigatu. Quamvis enim isto modo Deum peccati auctorem non constituant, id aliis duobus faciunt; quod ostendit ipsos non adeo ab hac blasphemia abhorrere, ut videri volunt. Primum enim plerique eorum docent, Adamum necessario seu inevitabiliter ex Dei decreto lapsum fuisse in peccatum illud, ex quo cætera omnia, quæ postea tum ipse, tum posteri ejus commiserunt, necessario & inevitabiliter promanarunt. Quod est alia via redire in præcipitium quod se valde metuere simulabant. Id autem necesse habent facere omnes, qui putant Deum non posse præscire nisi illa quæ decrevit. Ut ergo posset certo præscire Adami lapsum, decrevisse ut inevitabiliter laberetur. Secundo, tum Supralapsarii, tum Infralapsarii, Deum peccati autorem faciunt, cum docent eum constituisse peccatum Adami omnibus ejus posteris imputare, & exinde procedere inevitabilem peccandi in omnibus suis actionibus necessitatem: homines enim nasci adeo corruptos mente, voluntate, & omnibus suis facultatibus, ut quicquid cogitant, dicunt & fa-

& faciunt, non possit esse nisi malum. Excipiunt quidem, corruptionem istam ad Deum referri non debere, & homines propria culpa, voluntarie in Adamo peccantes, eam accersivisse, ut de alio quam de se ipsis merito conqueri non possint. Sed hæc nihil nisi verba sunt. Nam quod Adami peccatum nobis imputatur, seu quod in Adamo peccasse censemur antequam nati simus, id non ab ipsa rei natura pendet, quæ requirat ut omnes parentum actiones imputentur filiis. Si enim ita se haberet, non minus bonæ Adami actiones imputarentur posteris ejus quam malæ. Et cum credatur vulgo à Christianis ipsum peccati sui pœnitentiam egisse, hæc pœnitentia omnibus ejus posteris imputanda foret: quod nolunt ii cum quibus disputamus. Id enim unicum fundamentum quo Synodus Dordracena nititur subverteret. Nec fieri potest naturaliter ut ex una mala actione tanta depravatio oriatur; non dico in universum genus humanum, sed ne quidem in unum hominem. Sic enim accideret, ut quotiescunque aliquis peccat millecuplo deterior evaderet quam erat antea, & sibi ad emendationem vitæ aditum omnem præcluderet: quod experientiæ repugnat. Quare oportet ut ista peccandi necessitas, cui existimant totum genus humanum propter unicam Adami transgressionem esse subjectum, à sola Dei constitutione pendeat, qui voluerit ut talis inde effectus sequeretur. Idque etiam confitentur celeberrimi inter Prædestinarios doctores, Calvinus, Piscator, Twissus, Maccovius aliique. Quod an non sit Deum peccatorum omnium, quæ perpetrantur ab hominibus, veram & proprie dictam causam facere, intelligentibus perpendendum relinquo. Nec excipi potest, lapsum Adami & posterorum non debere considerari ut peccatum est, sed tantum ut est actus. Nam eo quatenus est peccatum opus fuit Deo ad patefaciendum justitiam & misericordiam, non quatenus fuit actus.

II. Nec minus Justitiæ divinæ quam Sanctitati adversatur absolutum reprobationis decretum. Nam 1. statuitur eo Deum destinavisse ad damnationem æternam eos quos consideravit ut innocentes, vel quos ipse ex mero voluntatis arbitrio & nihil tale commeritos nocentes redditurus erat. Primum docent Supralapsarii, qui existimant objectum reprobationis divinæ esse hominem nondum conditum, ac proinde nullius adhuc peccati reum. Alterum vero Sublapsarii, qui objectum reprobationis faciunt homines in Adamo lapsos. Nam quod aliqui in Adamo sint lapsi, id ex mero voluntatis divinæ placito pendet, cum antequam existerent nihil potuerint committere quo in miseriam istam redigi meriti sint ut peccato infecti nascerentur. Utrumque autem hoc injustitiæ plenum est. Nam justitia non permittit ut puniantur innocentes, cum culpa & pœna ita ad se invicem referantur, ut ubi nulla præcessit culpa, ibi neque pœna locum habere queat. Unde Abraham, videns Deum se accingentem ad delendum Sodomam & Gomorram, in quibus putabat esse aliquot innocentes, non veritus est ei dicere, *Absit à te ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius. absit, inquam, à te: nunquid judex universæ terræ non faciet judicium? Genes.* XVIII. 25. Nec Deus hanc servi sui παῤῥησίαν reprehendit; sed contra declarat, si vel decem justos in istis urbibus invenerit se eas non deleturum. Idque consentaneè iis quæ passim legimus in Scriptura, Deum unicuique in judicio suo secundum ea quæ fecerit sive bona sive mala retributurum, *Rom.* II. 6. *Matth.* XVI. 27. 2 *Cor.* V. 10. & alibi. Si autem absque injustitia non possit puniri innocens, neque poterit damnari ad pœnam, aut prædestinari ad damnationem. Nam quod justitia non permittit ut fiat, neque etiam permittit ut decernatur. Imo aliquando major injustitia est in decreto, quam in exsecutione decreti: fœdiusque peccavit Herodes qui innocentem Joannem Baptistam morte damnavit, quam carnifex qui ei caput amputavit. Supralapsarii excipiunt hîc, Deum non fecisse decretum reprobationis ut judicem qui retribuat unicuique secundum opera sua; sed ut supremum & absolutum Dominum, qui jus habeat de creaturis suis statuendi prout libet. Sed resp. non debere separari in Deo qualitates Judicis & Domini, ubi agitur de damnatione æterna, quæ est pœna acerbissima, & quam solis impœnitentibus peccatoribus in verbo suo denunciat. Inde enim apparet ipsum cum hominibus nolle agere ut absolutum Dominum, sed ut æquum judicem, eos secundum leges, quas ipsis præscripsit, judicando. Adde quod tale absolutum dominium Deo tribui non debeat, quod cum reliquis ejus proprietatibus pugnet. Revera autem cum Dei justitia & misericordia pugnaret, si creaturas innocentes æternis inferorum cruciatibus addiceret. Atqui, inquies, Deus potest tanquam absolutus Dominus, & absque læsione justitiæ aut misericordiæ, vitam innocenti eripere; quidni ergo ipsum æternis ignibus torquere? Resp. Hæc toto cœlo à se invicem discrepant. Cum Deus hominem creavit mortalem, jus sibi absolutum in ejus vitam reservavit, ut pro arbitrio illam quando libet, & quacunque via libet, repetere posset, & aliquando innocentium vitam, quales sunt infantes, nocentium parentum, quorum sunt pars, pœnæ impendere, ut factum videmus in diluvio, Sodomæ & Gomorræ exterminio, & aliis ejusmodi publicis calamitatibus belli, pestis, inundationum, quæ innocentes simul cum nocentibus & justos cum injustis de medio tollunt. Sed cum mortis dolor, exigui temporis limitibus definitus, nullam habeat cum æternis cruciatibus proportionem, male ab illo ad istos ducitur consequentia. Præterea innocentium aliquot mors temporalis, non tantum

cedere

cedere potest in aliorum bonum & institutionem, sed etiam à Deo talem remunerationem accipere, ut illi felices se merito reputent, quibus pro brevi & misera hujus sæculi vita, immortalem & beatam vult rependere; quales sunt martyres, & alii qui justitiæ causa ex hac vita eripiuntur. Æterni autem & nunquam desinentes inferorum cruciatus, neque aliorum institutioni servire queunt, neque à Deo ullo præmio compensari: ita ut nulla excogitari possit causa propter quam Deus in eos, quos ad imaginem suam creavit, & ad beatæ immortalitatis spem erexit, ita sævire velit.

III. 2. Hæc doctrina Deum injustum facit, in eo quod fidem & obedientiam ab illis exigat, quibus auxilium & vires in istum finem necessarias aut abstulit, aut non dare absolute decrevit. Nemo enim, ut natura ipsa docet, obligatur ad faciendum id quod est impossibile, & vires suas omnino exsuperat, ut ad volandum in aëre sicut aves, aut vivendum sub aquis ut pisces; adeo ut quicunque talia ab aliis exigeret, injustissimus esset tyrannus: quod de Deo suspicari nefas. Nam quod excipiunt Deum nemini quicquam debere; etsi id verum est, tamen ad rem nihil omnino facit. Deus enim leges hominibus ferendo, & obedientiam erga illas exigendo, debitorem se facit ex æquitate vires largiendi sine quibus id præstare nequeunt; quas neque ex se ipsis habent, neque aliunde quam ab ipso adipisci possunt. alias merito illi objici posset id quod servus ille malus Domino suo dicit in Euangelio, *Sciebam quia durus homo es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti*, *Matth.* XXV. 24. Quod addunt nihilo sanius est, Deum Adamo vires dedisse quibus posset credere Euangelio; sed peccato suo illas tum sibi tum nobis amisisse. Resp. Mirum omnino fore si Deus Adamo dedisset id quo non indigebat; posteris vero ejus qui maxime indigent denegaret: perinde ac si quis saturo offerret copiam ciborum, fame vero pereunti ne micam quidem panis donare vellet. Adam in statu integritatis non tenebatur credere Euangelio; ac proinde non indigebat viribus quibus credere ei posset. Non fuisse autem obligatum credere Euangelio, inde liquet, quia id non poterat facere quin se peccatorem profiteretur & gratia Dei servatum iri; cum tamen nondum esset peccator, & Deus nullam ei gratiam promisisset si in peccatum laberetur. Deinde, cum Deus post lapsum ei quas amiserat vires restituerit, ut in semen mulieris promissum sperare posset, an denegaret eas posteris qui in peccatum ipsius non consenserunt, nulliusque veri & proprie dicti peccati cum nascuntur rei sunt? Id esset gratiam sonti facere, insontes vero punire; quorum illud quidem supremo Domino licitum est; hoc autem magis à justitia alienum est, quam utrosque sontes & insontes eadem calamitate involvere.

IV. 3. Decretum reprobationis absolutum pugnat cum divina justitia in eo quod Deum hypocritam & mendacem facit. Nam sub justitiæ virtute comprehenduntur sinceritas & veracitas, quæ omnem hypocrisin & mendacium excludunt. Doctrinam autem istam Deum fœdis his vitiis aspergere liquebit, si præcepta ejus, promissiones & illis annexæ conditiones, desideria & querelæ considerentur. Nam quod ad præcepta attinet, Deus præcipit omnibus quibus Euangelium annunciari curat, ut à peccatis se convertant & in Jesum Christum credant. Istud autem à reprobis, quos vocant, fieri non vult, & ut nunquam fiat absolute decrevit. Unde *Piscator in Resp. ad Duplic. Vorstii*, c. 2. non veretur dicere, *Non semper id vult Deus, quod præcipit aut prohibet; sed sæpe diversum, imo contrarium.* Item, *Quoties homines peccant, toties contrarium ejus vult Deus, quod hominibus in lege sua præcipit aut prohibet.* Et *contra Andream Schafmannum*, *Etsi reprobis mandat Deus, ut Euangelio credant, non vult tamen ut credant.* Item, *Non vult Deus reprobos credere, licet lingua profiteatur se id velle.* Aliud autem lingua profiteri, quam corde sentias aut decreveris, mera est hypocrisis, Deoque plane indigna. Excip. 1. Mandatis Dei non contineri veram ejus voluntatem, sed tantum decretis; ac proinde nullam in eo esse simulationem, si Deus mandet reprobis id quod decrevit ut non faciant. Præceptis enim suis ipsum velle ostendere quid teneantur viribus suis facere, non quid statuerit arcana sua potentia in iis efficere. Resp. hac exceptione confirmari argumentum meum; nimirum Deum per absolutum reprobationis decretum turpis hypocriseos accusari. Namquum omnes leges & mandata soleant continere veram legislatorum voluntatem, quid scilicet à subditis suis velint fieri aut vitari; si illæ quas Deus hominibus præscribit, non sint ejusmodi, simulate cum iis agit. Quam absurdum autem sit existimare mandatis Dei non contineri veram ejus voluntatem alibi ostendimus, & non est necesse nunc repetere. Inspiciantur tantum hæc loca, quæ clare istam opinionem redarguunt, *Matth.* VII. 21. *Rom.* XII. 2. 1 *Thess.* IV. 3. Præterea si Deus contrarium decernat ejus quod mandavit, annon sibi adversatur, & nonne idem est ac si seipsum abnegaret, quod eum facere posse Paulus negat? 2 *Tim.* II. 13. Ergo inepte dicitur Deum mandatis quæ præscribit reprobis ostendere, quid teneantur viribus suis facere. Non tenentur enim facere contrarium ejus quod Deus decrevit ut faciant; (sic enim oporteret ipsos Deo fortiores esse) nec Deus id potest ipsis cum ulla justitia præcipere. Dicere vero, ut nonnulli faciunt, præcepta Euangelica, credendi in Christum, resipiscendi à peccatis, non magis pertinere ad reprobos quam promissiones remissionis peccatorum & vitæ æternæ, est ipsos ab omni culpa rebellionis & & contumaciæ adversus Deum liberare. Non enim in eo est ulla contumacia, si quis præceptis

ad

ad se non pertinentibus non obtemperet, verbi gratia; cum fœminæ inter Israëlitas non erant circumcisæ, & cum viri qui cælibes sunt, uxores non diligunt. Mirorque Piscatorem loco modo citato asserere, *Ordinaria Dei præcepta toti populo Dei ad salutem non esse data; sed electis tantum; Deumque præcise nolle ut plerique vocati præceptis suis obediant.* Si enim ita se res habet, quomodo miseri illi reprobi juste damnabuntur, quod mandatis sibi non datis, & quibus Deus illos obedire noluit, non obedierint? Ignorarunt illud, inquies. Quid tum? An propterea erunt vere adversus talia præcepta contumaces? Quid enim est contumacem esse, nisi præcepto sibi dato parere nolle? Atqui statuitur præcepta Dei reprobis non esse data. Et an ad eos pertinere potest sanctio pœnalis præcepto addita, ad quos præceptum ipsum non pertinet? Excip. 2. Deum serio velle ut reprobi credant Euangelio & mandatis suis pareant; etsi nolit eos pari cum electis gratia donare qua id facere possint. Resp. Nullo modo posse dici Deum serio velle ut homines id faciant ad quod faciendum vires sufficientes non largitur; cum sciat illos nec eas à se habere, nec aliunde quam à se solo accipere posse. Qui enim serio vult finem, etiam vult media sine quibus is obtineri non potest. Si Deus majorem tantum gratiam, imo, si velis, determinantem & irresistibiliter operantem, conferret quibusdam specialiter dilectis; reliquos vero non destitueret auxilio necessario ad parendum Euangelio, exceptio hæc colorem aliquem haberet. Non enim qui aliquid serio vult & absque simulatione, tenetur omnia adhibere media quæ ad id efficiendum facere possint. Sufficit, si res ab ipso solo pendeat, ut non deneget ea quæ sunt plane necessaria, & sine quibus nihil omnino effici potest. Ex. gr. ponamus patrem aliquem habere duos filios, quorum utrumque velit proficere in studiis literarum; & alteri eorum suppeditet affatim pecuniam qua possit omnis generis libros comparare, adjungatque doctum pædagogum qui præter lectiones quas publice audit eum privatim instituat; alteri vero parcius det pecuniam, & tantum ad emendos libros omnino necessarios, nullumque adjungat domi pædagogum, sed publica institutione jubeat esse contentum; poterit nihilominus dici serio velle ut hic in virum doctum evadat. Sed si nec concederet ei facultatem publicas scholas adeundi, nec paucos aliquos libros studiis necessarios dare vellet, non posset dici eum serio cupere ut in literis proficeret, quamtumvis id publice & magnificis verbis jactaret; res enim ipsa, protestationibus contraria, eum redargueret.

V. Hæc opinio etiam Deum in promissionibus suis facit hypocritam. Docet enim Deum in Euangelio reprobis promittere gratiam & salutem æternam, à quibus ipsos absoluto decreto exclusit: quod est speciem benevolentiæ verbis ostendere, animo vero odium irreconciliabile occultare. Excip. 1. Deum nihil reprobis promittere in Euangelio. Cum enim illic dicit, *Pœnitentiam agite ut deleantur peccata vestra*, Et, *Quicunque crediderit in Jesum Christum habebit vitam æternam*; hæc proprie non pertinere ad reprobos, sed tantum ad electos. Ita *Piscator in Resp. ad Dupl. Vorstii, cap. 2. Gratia Dei multis offertur in promissione, quibus eam Deus minime dare constituit.* Item, *Deus promissa* (salutis) *multis in verbo suo proponit, quibus salutem non dare præcise constituit.* Et *contra Schafman. Gratia non offertur à Deo singulis, licet vocatis, animo communicandi eam, sed solis electis.* Fieri ergo per accidens quod Dei promissiones reprobis proponantur; nempe quia in Ecclesia visibili una cum electis sunt permixti. Resp. Si promissiones Euangelicæ ad reprobos non pertineant, ergo neque mandata. Nam promissiones sunt mandatis adjunctæ; tanquam argumenta quibus homines ad illis obtemperandum moveantur. Ergo debent tam late patere quam ipsa mandata; alioqui Deus inani spe illos lactat quos promissionum nunquam facere participes absolute decrevit; quod est hypocriticum. Id videre est in verbis Petri, Judæos, qui in Christi mortem consenserant, alloquens, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti; Vobis enim est promissio* (facta) *& filiis vestris, & omnibus qui longe sunt, quoscunque vocaverit Dominus Deus noster, Act. 11. 38. 39.* Ubi omnibus quibus præcipitur ut pœnitentiam agant & in Christum credant, promittitur etiam Dei nomine remissio peccatorum, & donum Spiritus Sancti quo obsignentur in vitam æternam. Si vero promissio ista non adeo late extendebatur atque præceptum, non magnas vires habuisset ad permovendos eos quibus proponebatur, & multi eorum decepti fuissent qui ei fidem adhibuissent. Excip. 2. Cum Scriptura dicit, *Pœnitentiam agite & remittentur vobis peccata*: Item, *Qui crediderit in Christum habebit vitam æternam*; aut simile quid; hæc non esse accipienda pro divinis promissionibus quibus quippiam ullis hominibus, sive electis sive reprobis promittatur; sed esse tantum enunciationes quæ ostendunt remissionem peccatorum ex decreto divino esse connexam cum pœnitentia, & vitam æternam cum fide in Christum. Resp. Hoc vere esse nugari, & promissiones divinas non tantum extenuare, sed etiam propemodum abnegare. Nugatoriam esse hanc exceptionem inde apparet, quia hæ locutiones, Quicunque crediderit salvabitur; Et, promitto omnibus qui crediderint eos fore salvos; cum ab uno eodemque Deo proferuntur, sunt omnino æquipollentes. Promissiones etiam divinas non sine magna ingratitudine extenuat. Quid enim exilius & contemtius de illis dici potest, quam esse nudas enunciationes connexionem rerum inter se ostendentes? Quæ

benignitas Dei & munificentia in iis elucebit, si tam jejunis verbis proponantur? Imo ejusmodi exceptio fenestram aperit ad plerasque promissiones divinas abnegandum. Cum enim raro promittendi aut promissionum voces in iis occurrant, sed plerumque aliis terminis sint expressæ, ille qui sophistica hac Theologia erit imbutus, negare poterit omnes eas Dei promissiones in quibus hæ voces non invenientur. Sic cum Deus dicit, *Invoca me in die tribulationis, & exaudiam te, &c. Psal.* L. ejusmodi cavillator excipiet, nullam esse hic promissionem, sed tantum ostendi exauditionem cum invocatione Dei esse conjunctam. Apage istas ineptias, hominibus ratione præditis indignas, multo magis Christianis Theologiæ Doctoribus.

VI. Hypocrisis etiam affingitur Deo per istud decretum, quod dicatur hominibus salutem offerre sub conditione præstitu ipsis impossibili. Sic enim eos affatur, Credite Euangelio & vitam æternam obtinebitis. Istud autem hominibus peccato originali depravatis non minus impossibile esse putatur quam mundum creare, aut mortuo vitam restituere. Et Deus dicitur absoluto decreto statuisse reprobis non dare vires quibus id facere queant. Illudit ergo ipsorum miseriæ hac agendi ratione, quod sinceritate Dei est indignum. Nam impossibilis conditio vitiat contractum, ut docent Jurisconsulti: unde Justinianus, *Si impossibilis conditio obligationibus adjiciatur, nihil valet stipulatio, Inst. lib.* 3. *tit.* 20. Ex. gr. si Titius Cajo dicat, Dabo tibi filiam meam in uxorem, si Lunam digito tetigeris, idem est ac si dixisset absolute nolo eam tibi dare, & pro mera irrisione accipitur: Atqui Euangelium est fœdus Dei seu contractus cum hominibus: Quis ergo ita sinistre mentem ejus interpretabitur, quasi non serio, sed simulate in eo fuerit locutus, salutem infelicibus illis reprobis promittens sub conditione quam scit eis præstitu esse impossibilem, & in qua præstanda si non adjuturum unquam illos constituerit?

VII. Desideria etiam & querelæ Dei, quæ aliquoties inveniuntur in Scripturis, sunt plane hypocriticæ si ejusmodi absolutum reprobationis decretum fecerit. v. gr. cum dicit de populo Israëlitico, *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit iis & filiis eorum in sempiternum? Deuter.* v. 29. *Utinam attendisses ad mandata mea; facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris,* &c. *Esa.* XLVIII. 18. *Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis; & quare moriemini domus Israël? Ezech.* XXXIII. 11. *Jerusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Matth.* XXIII. v. 37. Et cum Jesus flevit super urbem Jerusalem prævidens mala ipsi imminentia, & dixit, *O si tu cognovisses, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tuam pertinent! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis,* &c. *Luc.* XIX. 41. Quid enim hæc omnia sunt nisi mera ludibria quibus Deus infelicium illorum reproborum miseriæ insultat, quos Deus tales nasci fecit, ut neque ad sua mandata attendere, neque à pravis viis in quibus ambulant convertere se possint, sed inevitabili tum peccandi tum in æternum pereundi necessitati subjaceant? Et nonne istæ Christi lacrymæ, quibus exitium urbis Jerusalem & populi Judaici deflevit, fictæ & crocodilinæ erunt, supposito ipsum cum Patre in decretum illud horrendum consensisse, ut Jerusalem & Judæi nunquam se convertere, nec perditionem æternam sibi destinatam effugere possent? Ut homo, inquiunt, fecit istud. An ergo, inquam ego, probabile est ipsum ut hominem voluntati divinæ immutabili opponere se voluisse irrito conatu, studendo totis viribus & non semel eos congregare ad se & à perditione eripere, quos sciebat Deum decrevisse ut in incredulitate sua perirent?

VIII. Denique decretum reprobationis absolutum adversa fronte pugnat cum φιλανθρωπίᾳ & misericordia divina quam toties & tantopere nobis Sacræ literæ commendant. Nam eo admisso Deus meliori jure dicitur esse μισάνθρωπος & immisericors, atque ita crudelis erga homines ad imaginem suam conditos, ut vix major crudelitas fingi aut mente concipi possit, cum qua immanissimorum tyrannorum inhumanitas comparata, nihil nisi lusus & jocus sit; utpote qui ex puro voluntatis suæ placito maximam humani generis partem, quod ut condendum, ac proinde nullius adhuc peccati reum, considerabat, ad æternos inferorum cruciatus destinaverit, seu (quod eodem redit) ita præterire & omni gratiæ suæ auxilio destituere proposuerit, ut inevitabiliter peccaret & sibi damnationem æternam hac via accerseret; vel (ut alii malunt) propter solum Adami peccatum, in quod posteri ejus, qui nondum erant, consentire non potuerunt, & quod ipsi Adamo, qui sciens & volens perpetraverat, benigne condonavit, maximam hominum partem ita ut diximus deseruerit, ut æterni ignis supplicium effugere nequirent. Hoc enim plane est crudele & barbarum, & ita alienum à benigna Dei indole, cui tota Scriptura & natura testimonium perhibent, ut non possit magis esse. Et si res ita se haberet, jam Deus non foret vocandus, *Pater misericordiarum,* 2 *Cor.* I. 3. sed pater crudelitatum: nec *miserator longanimis & multum misericors, Psal.* CIII. 8. sed contra immisericors valde & cito irascens: nec dicendum, *miserationes ejus super omnia opera ipsius, Psal.* CXLV. 9. sed crudelitates ejus super omnia opera ipsius. Ideo id non potest cedere nisi ad summam ejus ignominiam; & magis aptum est ad odium quam ad amorem Dei in hominum cordibus ingenerandum. Et longe præstaret reprobis nunquam

quam natos esse, quam ad talem miseriam creatos; præstaret ut Deus ipsos bufones & viperas, quibus post mortem nihil mali est metuendum, quam homines condidisset. Nec tenerentur homines isti propter suæ creationis beneficium Deo gratias agere; sed potius causam conquerendi haberent, quod eos ex odio creasset, & ut iram suam in ipsis cruciandis satiare posset. Imo Deus mitius ageret cum Diabolo & malis Angelis, qui non sunt damnationi æternæ adjudicati, nisi ob peccatum quod scientes & volentes commiserunt, quam cum hominibus, quos propter peccatum alienum & antequam nati essent commissum, tam immisericorditer tractare constituisset. Et malum quod in genus humanum ex Adami peccato redundaret, longe majus esset quam gratia quæ per Christum obtigit. Nam per Adamum plurimi perirent, per Christum vero pauci, cum numero pereuntium comparati, salvarentur, contra id quod diserte docet Paulus, *Sed non sicut delictum ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*, &c. *Rom.* v. 15. 16. 17. Excipitur rem tam præstantem esse servare homines à morte æterna & in vitam æternam introducere, ut Christus longe superaturus esset Adamum, si vel uni tantum homini beneficium istud obtigisset. Resp. 1. Falsum istud esse. Nam quantum ab una parte est bonum in liberando ab æterna morte, tantum malum est ab altera in eam accersendo; ut nisi Christus tot hominibus potestatem effugiendi damnationem acquisierit, quot Adamus in illam præcipitavit, minus profuerit nobis Christus, quam Adamus nocuerit. Aliam enim ob causam liberatio à morte æterna non debet haberi pro magno beneficio, quam quia mors ista magnum est malum & infortunium. 2. Paulus non instituit simpliciter comparationem inter malum ab Adamo profectum & beneficium Christi; sed numerum seu multitudinem quoque confert eorum in quos tum bonum tum malum istud redundat; & gratiam Christi in condonandis multis offensis, longe uni peccato Adami præponderantibus, majoris efficaciæ fuisse ostendit quam Adami peccatum: ita ut in fumum abeat illa exceptio, quæ hic non ad numerum hominum & peccatorum vult attendi, sed ad qualitatem boni quod ad nos per Christum redundat, & mali in quod per Adamum incidimus. Dicent, apparere nihilominus ex effectis Christum omnes ex perditione æterna non eripere. Sed istud causam eorum non juvat. quamvis enim omnes per Christum non liberentur actu à perditione, id non debet ipsi imputari, sed incredulitati eorum, qui tantum quod ipsis offertur beneficium respuunt. Vanus itaque est prætextus quem Infralapsarii à peccato Adami desumunt, ut colorem aliquem dent absoluto suo decreto, & ipsum cum Dei misericordia non pugnare ostendant. Quid enim magis ab immensa illa misericordia alienum est, quam peccatum quod vero & soli ejus autori condonaverit, in posteris ejus innocentibus æternis inferorum cruciatibus ulcisci; & à misellis etiam animabus, quæ ex hac vita excesserunt antequam quodnam inter bonum & malum esset discrimen novissent, reposcere tam crudeles pœnas criminis, quod an unquam & à quo perpetratum fuerit nescierunt? Præsertim cum Christi mors & sacrificium sit λύτρον sufficientissimum ad illius expiationem faciendam, & nihil aliud hic requiritur, nisi ut Deus omnibus illis applicari ipsum patiatur, quod plurimorum mundorum peccata (si tot darentur) merito & valore suo infinito longe exsuperare confitentur isti Theologi. Adde quod Scriptura cum reprobationis meminit, aut non electionis, seu derelictionis, nunquam eam ad peccatum in Adamo commissum refert, sed semper propriis & evitabilibus hominum peccatis attribuit; imo, quod magis est, testatur Deum non tam propter peccata, quantumvis gravia, in quæ aliquando inciderunt, quam propter perseverantiam in illis absque pœnitentia, æternum illos damnare proposuisse; ut ex eo liquet, quod sæpius Deus veniam peccatorum sub conditione resipiscentiæ hominibus offerat. Vide *Ezech.* XVIII. *Luc.* III. 3. *Act.* II. 38. & III. 19. 2 *Petr.* III. 9. *Joan.* III. 19.

CAPUT VII.

Examen tertiæ & quartæ sententiæ.

I. *Tertia sententia statuens absolutam electionem nullam reprobationem, secum non bene cohæret.* II. *Repugnantia tamen tollitur ab iis, qui gratia communis ope aliquos, licet paucos, salvari statuunt.* III. *Quarta sententia, statuens prædestinationem ex fide vel infidelitate prævisa, videtur liberum arbitrium tollere.* IV. *An idem sequatur ex doctrina de præscientia divina?* V. *Sacra Litera generatim semper loquuntur, cum agunt de Dei decretis salutem & damnationem concernentibus.*

I. ET hæc argumenta nunc sufficiant adversus duas priores sententias de Prædestinatione; accedendum jam est ad tertiæ examen, quæ, cum nullam reprobationem absolutam videatur agnoscere, paulo aliter est oppugnanda. Primo igitur dico, opinionem hanc esse tolerabilem, & nihil impedire quominus cum iis qui illam tuentur pacem Christianam ineamus, modo à sua parte tractabiles se præbeant. Non enim pugnat adversus Dei sanctitatem, justitiam, aut misericordiam ut duæ illæ, nec ulla in re majestati ejus ignominiosa est. Tantummodo unum in illa desiderari potest; nempe quod si illius auctores serio & ex animo confiteantur Dominum Jesum venisse in mundum & cruentam mortem crucis esse passum ad procurandam totius humani generis salutem, Deumque omnibus & singulis, quibus Evangelium annunciari curat,

gratiam sufficientem offerre qua in eum si velint credere possint, imo alios quoque quibus Christus non est revelatus non destituere omni auxilio quo ad salutem perveniant, concipi non possit, quomodo nullus omnino ex tot hominum myriadibus, qui ab initio mundi vixerunt & usque ad ejus finem vivent, istius gratiæ & auxilii sufficientis ope in Christum unquam crediderit; sed necessaria præterea sit peculiaris quædam gratia, quam Deus electis suis tantum largiri decrevit, ut aliqui sint qui actu in eum credant. Nam unde fieret, ut id quod in se vere est sufficiens, nemini prorsus ex tanto numero prodesset? Et nonne id perinde foret, ac si de aliqua medicina jactaretur, eam centum mille ægrotis sanandis sufficere, & tamen ne unus quidem ex iis per illam sanaretur? Dicent, istud fieri culpa eorum quibus gratia offertur, qui illam malitiose respuunt, ita ut effectum quem alias productura esset non producat. Resp. An probabile omnes qui hac medicina indigent, nemine prorsus excepto, tam fore stolidos ut eam respuant? An ergo possent isti homines gratiam sibi à Deo oblatam amplecti, & Euangelio ejus credere? Omnino, inquiunt, dummodo id vellent. Insto: Possent-ne igitur velle credere, sicut dicuntur posse credere si velint? Hic hærent, non audentes aperte assentiri. Dicunt corruptionem hominis esse tantam, ut quamvis Euangelio credere posset si vellet, nunquam tamen hæc voluntas animum ejus subire queat, nisi peculiari eaque irresistibili gratia fulciatur. Sed quærebam, An gratia communis, quam agnoscunt tam reprobis quam electis offerri in Euangelio, sufficiens esset ad corruptionem hominis naturalem & voluntatis ejus emendandum. Si non sit, cur tantopere ab iis extollitur? Nonne istud est verbis ludere, & quod sufficiens videatur dicere, reipsa tamen insufficiens facere? Ita ut hæc opinio, tali modo explicata, in idem cum duabus præcedentibus videatur recidere, & iis non multo sanior aut tolerabilior esse.

II. Sed sunt alii, qui non gravate confitentur aliquos esse, licet exiguo numero, qui gratiæ communis ope in Jesum Christum credant; Deum tamen pro immensa bonitate sua, sed libera & nemini debita, quo tanto plures salventur, majus aliquod auxilium quibusdam peculiariter dilectis conferre decrevisse, quod non tantum sufficiens sit ad ipsos ad fidem adducendum, sed etiam eam in ipsis infallibiliter producat. Quod à veritate forte non est omnino alienum, cum ejus exempla aliquot videantur occurrere in Sacris literis, ut in Saulo, quem Christus de cœlo compellans ab incredulitate sua revocavit; in Cornelio Centurione, cui per Angelum significavit qua ratione de voluntate sua posset edoceri: & probabile sit Deum alios præterea præ cæteris dilectos, sive Prophetas, sive Apostolos, quorum ministerio uti proposuit ad alios instituendos, tali peculiari gratia donasse; quod etiam de Domino Jesu Christo supra cæteros omnes agnoscendum est, quem Petrus 1 *Epist.* 1. 20. *præcognitum fuisse* dicit *ante jacta mundi fundamenta*; nimirum ut esset omnium salvandorum dux & caput. Non putarim tamen multos singulari ejusmodi gratia converti, sed longe majorem illorum esse numerum, qui per communem in & cum Euangelio propositam ad fidem in Christum adducuntur; contra quam sentiunt illi quorum opinionem expendo. Quicquid sit, sive pauci, sive multi communis gratiæ ope convertantur, apparet inde specialem illam, quam electorum vocant, non esse omnino necessariam ad peccatorum conversionem, sed tantum requiri ad eos facilius convertendos, & eo solum tendere ut plures salutis æternæ quam alias & absque illa futurum esset participes reddantur. Quod si bona fide admittatur, præcipuæ difficultates, quæ ex absoluto decreto oriuntur, sponte evanescent, & non erit cur Christiani de eo amplius inter se decertent. Sufficere enim mihi videtur, si de duobus istis constet; 1. Neminem omnino mortalium damnationi æternæ esse destinatum nisi propter propria & per Dei gratiam evitabilia peccata. 2. Nemini ad salutem patere aditum, nisi per liberam & proprie dictam fidei obedientiam: nihil ad pacem amplius requiro. Statuant alias tam efficax atque voluerint gratiæ auxilium ad fidem in cordibus nostris ingenerandam, non repugnabo, modo appareat istud auxilium tale esse, quod naturam obedientiæ non evertat, & fatum in religionem non introducat.

III. In quarta denique sententia hoc culpandum venit, quod ea etiam videatur liberum hominis arbitrium tollere, & fatalem necessitatem, aliis quidem salutem adipiscendi, aliis vero pereundi introducere. 1. Ex ea enim sequitur certum & immutabilem esse salvandorum & damnandorum numerum, qui nec augeri nec minui posset; & à salvandorum numero neminem transire posse in numerum damnandorum, nec contra ex damnandorum in numerum salvandorum. 2. Eorum quos Deus ante sæcula credituros prævíderit, salus erit rata & immobilis priusquam nati sint, ita ut perire nequeant; eorum contra quos prævíderit non credituros damnatio erit rata & immobilis antequam nascantur, ita ut salvari nequeant. Id autem est, quod in aliis opinionibus reprehendimus. Quamvis enim hæc differat ab illis in eo, quod salutem & damnationem à mero Dei arbitrio non suspendat, sed aliquam utriusque causam hominibus etiam assignet, unde quam æquum sit ejus decretum appareat; tamen cum decretum istud irrevocabile statuat & singulorum nativitatem faciat præcedere, capi non potest quomodo libertatem suam unicuique qua credat & ad salutem perveniat, aut contra non

non credat nec salvetur, illibatam relinquat.

IV. Dices; idem incommodum sequi ex doctrina de Dei præscientia infallibili; oportere enim ut illi credant quos Deus credituros prævidit; illi vero non credant quos prævidit non credituros: quare aut talem Dei præscientiam esse negandam, aut prædestinationem quæ illi innitur similiter admittendam. Resp. Minime. Nam cum, ut antea ostendi, præscientia Dei rerum præscitarum naturæ sit accommodata, quarum nonnullæ sunt contingentes, id est tam fieri quam non fieri possunt, ut est fidei obedientia, & incredulitas & contumacia, evidens est decretum aliquod irrevocabile super ejusmodi præscientiam fundari non posse; alioqui ædificium esset fundamento cui innititur firmius. Instabis; Hæc præscientia, quam Deo attribuis, non est determinata. Resp. Mirum istud videri non debet. Nam cum futura contingentia sint ex natura sua indeterminata, Deus ea aliter prævidere non potest quam ut indeterminata. Si illa ut determinata, id est necessario eventura prævideret (hæc enim duo æquipollent) ista jam non vera prævisio, sed contra hallucinatio foret dicenda; perinde ut si ex aliquo oculi vitio, vel conspicillo colorato utens, assererem illa esse flava quæ sunt candida. Quare tantum abest ut ad gloriam Dei faciat talem ei præscientiam attribuere, qua futura contingentia, quæ indeterminata esse oportet, ut determinata præsciat; ut hoc potius esse ignominiosum putem, tanquam præscientiam ejus erroris suspectam reddens. In summa, ita agnoscenda est præscientiæ divinæ veritas, ut tamen non statuatur eam contingentiam è rebus tollere, aut cum illa propter aliquod decretum cui innitatur subsistere nequire; prout supra, de illa agentes, pluribus explicuimus.

V. Cui adde, quod hæc opinio nullum in Sacris literis fundamentum habere videatur. Eæ enim semper generatim loquuntur, cum tractant de decretis Dei salutem aut damnationem hominum concernentibus; nunquam ad singularia descendunt, nullique nominatim dicunt, Tu Petre aut Joannes salvaberis; tu contra Henrice aut Ludovice damnaberis: sed istas singulares conclusiones unicuique eliciendas relinquunt ex generalibus propositionibus, quarum post serium conscientiæ suæ examen applicationem sibi faciunt; Sic enim v. gr. Petrus aut Joannes apud se ratiocinantes dicere poterunt, Scriptura declarat omnes qui in Christum vere credunt salvatum iri; Mea autem conscientia mihi testimonium perhibet me vere credere; Igitur salvabor. Contra Henricus aut Ludovicus ita poterunt colligere, Scriptura testatur omnes incredulos damnatum iri; Ego sum talis; Ergo, &c. Hoc sensu nihil impedit quominus per figuratam aliquam loquendi rationem possit dici, Deum de uniuscujusque hominis salute aut damnatione statuisse ante sæcula; nempe quia in decreto generali, quod fecit, singularia sunt virtualiter inclusa. Ita Dominus Jesus dicit, *Qui non credit jam judicatus est*, *Joan.* III. 18. quia in decreto generali adversus incredulos facto, inclusa est Caini, Judæ & omnium similium condemnatio; licet applicatio ad singulos nominatim nondum sit facta. Prout nos quoque dicere consuevimus, cum audimus aliquem in homicidio aut alio scelere capitali deprehensum, causam ejus jam esse judicatam, ipsum esse hominem mortuum, quia leges sunt statutæ adversus ejusmodi crimina, secundum quas is mori debet. Non prohibeo tamen, quominus ii, qui ita poterunt defendere decreta singularia ex fide aut incredulitate prævisa, ut non tollatur credendi vel non credendi libertas, quæ omnibus inesse debet ut justum sit de illis judicium, sensu suo abundent. Ego sententiæ nusquam in Sacris literis clare expressæ, & proinde ad salutem creditu non necessariæ, non puto me esse alligatum. Quod autem dicimus adversus hanc quartam opinionem, tribus quoque præcedentibus applicari debet; utpote non ipsi soli proprium, sed cum aliis commune, atque ex illis repetitum.

CAPUT VIII.

Expenditur locus Rom. VIII. 29.

I. *Quinam sint vocati secundum propositum Dei.* II. *Quomodo dicatur eos Deus præscivisse.* III. *Sensus loci Rom.* XI. 2. IV. *Quomodo hi præsciti dicantur prædestinati.* V. *Qualis sit quæ ipsis tribuitur vocatio.* VI. *Quomodo tandem dicantur justificati & glorificati.*

I. NUnc præcipuas aliquot rationes quæ ad decreti absoluti defensionem afferri solent paucis expendamus. Prima est petita ex illo insigni loco *Rom.* VIII. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Hic, inquiunt, salutis decreta & media inter se ita sunt concatenata, ut non possint divelli, sed qui primi est particeps aliorum quoque sequentium necessario esse debeat; qui vero ejus non est particeps, neque sequentium esse queat. Resp. Ad bene percipiendam hujus loci mentem, altius paulo ascendendum est. Connectitur enim cum præcedenti versu per conjunctionem rationalem, *Nam*, hoc modo; *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit*, &c. Ubi vox hæc postrema *sancti*, non reperitur quidem in exemplaribus Græcis hodiernis; sed tamen loco non male convenit; verum si quis malit ejici, cum illo non contendam; perinde enim fere est sive admittatur sive rejiciatur. Hic autem primo observandum est,

subjectum de quo agitur esse illos qui *diligunt Deum*, & de illis intelligi debere cætera omnia quæ sequuntur, alioqui non cohærerent inter se verba Apostoli, sed, ut ajunt, meræ essent scopæ dissolutæ. Qui autem diligunt Deum, sunt ii qui ejus mandatis parent: *hac est* enim *charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*, 1 *Joan*. v. *v*. 3. Sed Paulus volens ostendere se non loqui de illis omnibus qui quacunque ratione mandata Dei se custodire velle profitebantur, quales erant Judæi, qui de lege per Mosem sibi tradita gloriabantur; sed tantum de Christianis, qui Deum secundum ultimam quam fecit voluntatis suæ declarationem colunt; addit eos esse *qui secundum propositum*, nempe Dei, *vocati sunt*, id est, qui Euangelio credunt. Vocatorum enim nomine non significantur simpliciter ii quos Deus vocatione sua dignatus est, sed qui illi reipsa parent, aut saltem se parere velle profitentur; ut videre est passim in scriptis Apostolorum, ubi *vocatorum*, *fidelium*, & *electorum* voces tanquam æquipollentes promiscue usurpantur. *Propositum* autem Dei, est decretum ejus in Euangelio manifestatum, quo declarat se illos salvare velle, non qui salutem quærunt per opera legis, qualia sunt circumcisio, sacrificia, sabbatha & alia ejusmodi; sed qui eam per fidem in Christum quam Paulus prædicabat obtinere contendunt. Illis *omnia cooperantur in bonum*; non peccata, ut quidam existimant: qui enim peccatis indulgent non diligunt Deum; sed gravissimæ afflictiones quæ iis propter Euangelium eveniunt, adversus quas Apostolus consolatur fideles in maxima hujus capitis parte, nempe à *versu* 17 usque ad finem. Illa enim sunt instar scalarum quibus ad sibi promissam & in cœlis reservatam beatam immortalitatem ascendere ipsos oportet.

II. Isti diligentes Deum & secundum ejus propositum vocati, sunt *quos Deus præscivit*, id est, jam olim seu ante sæcula, diligere proposuit & salutis æternæ participes facere. Non enim approbamus illorum sententiam, qui per ista verba, *quos Deus præscivit*, putant significari Deum eos ad vitam æternam elegisse quos prævidit credituros & bona opera facturos. Scriptura enim non solet hoc sensu usurpare voces *noscendi* aut *præcognoscendi* cum de Deo dicuntur, nempe pro nuda cognitione theoretica, sed pro ea quæ approbationem atque amorem ejus simul comprehendit. Ita ut duo illis significentur; primo, bonam aliquam qualitatem esse in iis quos Deus novit; deinde Deum propterea illos amare & approbare. Id quod ex multis Sacrarum literarum locis apparet: *Deus novit viam justorum*, *Psal*. I. 6. *Si quis amat Deum, ab ipso cognitus est*, 1 *Cor*. VIII. 3. *Deus novit eos qui sunt sui*, 2 *Tim*. II. 19. Contra, *non nosse* significat non amare, ut cum Jesus Christus ultima die dicturus est iis qui falso de ipsius nomine gloriati sunt, *Nunquam novi vos*; *abite à me omnes qui operamini iniquitatem*, *Matth*. VII. 23. Hæc ita sunt clara, ut de iis dubitari non possit. Sed quidam putant majorem esse vim in iis locis, ubi vocibus simplicibus *noscendi* aut *sciendi* additur præpositio *præ*, & iis designari Dei amorem qui ad nullam bonam eorum quos amat qualitatem respectum habeat; quales sunt hic locus de quo nunc agimus, & alius *Rom*. XI. 2. *non abjecit Deus populum suum quem præcognovit*, vel quem præscivit. Ad quod resp. Præpositionem quidem *præ* aliquid addere significationi verborum simplicium *noscendi* aut *sciendi*, & Deum dici prænoscere aut præscire aliquos, cum antequam sint decernit eos amare; licet id non faciat absque consideratione alicujus qualitatis amabilis, quam vult in iis esse antequam eos actu ita amet ut in æternum beare decernat. Sicut enim Deus res in tempore exsequitur, ita eas ante sæcula decrevit. Cum ergo eos tantum nunc cum actionum ipsorum approbatione amet, qui digni sunt, alios quam qui tales essent futuri non proposuit amare.

III. Nec contrarium potest colligi ex loco *Rom*. XI. Amor enim ille Dei erga populum Israëliticum, qui ibi significatur verbo *præcognoscendi*, non est amor absolutus & irrevocabilis, ex quo eum ad salutem aut ad fidem prædestinaverit: ut apparet ex magno incredulorum numero qui semper in illo populo repertus est; adeo ut mirum sit aliquos ipsum ad tale decretum detorquere ausos esse. Nihil enim magis contrarium fingi potest Pauli scopo, qui in toto hoc capite prolixe agit de Judæorum ob incredulitatem rejectione à fœdere Dei, ut non amplius populus Dei essent. Quamvis enim aliqui ipsorum Euangelio crederent, ii tam pauci erant, ut in comparationem venire non deberent cum magno illorum numero qui in incredulitate obstinati perseverabant. Apostolus ergo nihil aliud per hanc Dei præcognitionem intelligit, nisi Dei amorem quo jam olim hunc populum prosecutus erat, fœdus cum ipsorum patribus iniens, in quo se ipsorum & posterorum fore Deum & benefactorem pollicebatur, sub hac conditione si mandata sua custodirent. Quæ sane gratia erat excellentissima, & ad quam respiciens Moses dicebat, *Deum ipsis proposuisse vitam & benedictionem, ut eam eligerent*, *Deuter*. XXX. innuens per ipsos tantum stiturum quominus felices essent: Verum id non impediit quominus multi essent rebelles, qui in se mortem & maledictionem accerserent. Paulus autem dicit *Deum ipsos non abjecisse*, nempe omnino & absque restitutionis spe; quia à parte sua pactum & fœdus quod cum Patribus eorum fecerat custodiebat, non obstante ipsorum rebellione & contumacia, & quod decrevisset in gratiam Abrahami, Isaaci & Jacobi, posteros eorum ad participationem illius salutis, quam adeo pertinaciter respuebant, iterum vocare, & media quibus ad eam pervenire possent, quamtumvis omnino indigni

indigni essent & continuo peccatis suis ipsum irritarent, benigne iis offerre.

IV. Nec major vis est in loco quem præ manibus habemus ad absolutum decretum confirmandum, ubi Apostolus dicit Deum eos quos præscivit, etiam *prædestinasse*. *Præsciti* enim isti, ut jam ostendimus, sunt ii qui Deum diligunt, quos non dubium est quin Deus amare jam olim constituerit; ita ut propter istud decretum non immerito *præsciti* seu præcogniti vocentur; quo sensu Christus dicit *se à Patre fuisse dilectum ante mundi constitutionem*, *Joan.* XVII. 24. Si vero hic per eos quos Deus præscivit intelligas personas aliquas singulares, absque ulla fidei aut obedientiæ erga Deum qualitate spectatas, illud nihil faciet ad demonstrandum, quomodo afflictiones quibus fideles propter Euangelium sunt expositi, iis cooperentur in bonum; qui tamen est scopus ad quem Paulus collimat. Nulla enim connexio apparebit in ejus oratione, si eum sic loquentem facias, Omnia cooperantur in bonum, etiam gravissimæ persecutiones, iis qui diligunt Deum; quosdam enim singulares homines, absque intuitu ad ullam bonam qualitatem, prædestinavit absolute ad fidem & ad salutem. Non minori enim cum specie dici posset, peccata cooperari iis ad salutem, quia etiamsi multa & gravissima committant, nihilominus prædestinatio ipsorum firma maneat; quod jam absurdum esse & scopo loci contrarium evicimus. Sed pulcher erit nexus inter verba Pauli, si ea sic accipias, Omnes afflictiones cooperantur in bonum fidelibus. Deus enim istos fideles quos præscivit, seu amare decrevit, prædestinavit etiam ut ad salutem per viam afflictionum pervenirent; sicut etiam pervenit Christus, cui tanquam suo capiti conformes esse debent. Hæc enim conformitas consistit non solum in gloria, qua fideles ipsi olim in cœlo futuri erunt similes, sed etiam in via per quam ad eam pervenitur, nempe fidei obedientia, una cum cruce & persecutionibus conjuncta.

V. Apostolus addit, *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit*. Ubi series orationis ostendit, ipsum de eadem qua ante prædestinatione loqui; nimirum eorum qui Deum diligunt, ad conformitatem cum Christo in afflictionibus, antequam in gloria cum eo conformes esse queant; non autem de absoluta prædestinatione aliquarum singularium personarum ad fidem aut ad salutem. Qui enim Deum diligunt, seu Euangelio parent, ii fide sunt præditi, & qua tales ad fidem prædestinari nec queunt nec necesse habent. Quos autem Deus prædestinavit ut ad salutem æternam per viam afflictionum pervenirent, illos etiam ita ad eam vocat, singulos tempore suo, & quo ipsi lubet modo, permittens ut persecutionibus fidei quam profitentur causa ab inimicis Euangelii exerceantur; ideoque ad crucem ferendam semper parati esse debent, & sibi diligenter cavere ne illius gravitate à perseverantia in fide & sanctimonia absterreantur. Petrus hoc sensu *vocandi* voce utitur 1 *Epist.* II. 20. *Si benefacientes patienter sustinetis, hac est gratia apud Deum; in hoc enim vocati estis.* Non ergo hic agitur de vocatione efficaci ad fidem, ut quidam loquuntur, hoc est quæ fiat per potentiam insuperabilem. Talis enim vocatio non est prædestinationi fidelium ad conformitatem cum Christo subordinata, nec qua ratione afflictiones eis sint utiles ostendit. ut jam non dicam illam ridiculum reddere mandatum credendi in Christum, & cum eo subsistere non posse: quorsum enim Deus præciperet nobis ut id faceremus quod ipse omnipotente sua vi solus in nobis absque nobis, ut hæc opinio vult, efficere decrevit?

VI. *Et quos Deus vocavit, hos & justificavit*; hoc est, justificat vel justificabit, per enallagen temporis præteriti pro præsenti aut futuro; sicut & in sequenti membro, *quos autem justificavit, illos & glorificavit*; ubi præteritum loco futuri usurpari evidens est, per figuram in scriptis Prophetarum satis vulgarem, qui ea utuntur ad ostendendum majori cum emphasi certitudinem rei de qua loquuntur, & de ea non magis quam si jam præterita esset dubitari oportere. Voce autem *justificandi* Paulus significat Deum fideles justitiæ causa patientes approbare, etiamsi mundus existimet ipsos aut ut impios aut ut insanos pati; & non solum iis omnia peccata quæ conversionem ipsorum antecesserunt condonare, sed etiam infirmitates quotidianas quibus adhuc obnoxii sunt, adeo ut propter illas à salute non sint excludendi. Postquam autem ita constanter pietatis iter sectati fuerint, & in mediis afflictionibus perseveraverint, Deus tandem *ipsos glorificabit*, id est in vitam æternam & gloriosam quam promisit, introducet. Fidelis enim est in exsequendis promissis, & citius cœlum & terra præteribunt, quam ut verba ejus effectum suum non sortiantur. Sed inde non sequitur, fideles non posse iter illud pietatis deserere & à justitia se avertere, & quamvis id faciant, prædestinationem nihilominus ipsorum manere firmam, & eos nunquam à gratia Dei aut salute excidere. *Justus enim ex fide vivet*, id est, vitam æternam obtinebit per fidem, si in ea ad finem usque vitæ perseveret; *sed si se subducat*, Deus *eo non delectatur*, *Hebr.* X. 38. Quod sæpe contingere Scriptura S. & experientia quotidiana testantur; adeo ut aurea hæc salutis catena, ex Dei decretis & actionibus à Paulo nexa, dissolvatur hominum culpa qui officio suo desunt, etiamsi dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα, *Rom.* XI. 29.

CAPUT

CAPUT IX.

Explicatio capitis noni ad Romanos.

I. *Scopus Apostoli in hoc capite.* II. *Non agere hic Apostolum de prædestinatione ad salutem & damnationem apparet ex capitis exordio.* III. *& ejusdem epilogo.* IV. V. *Quomodo vers. 6. 7. 8. 9. dicatur semen in Isaaco vocandum.* VI. *De Rebeccæ conceptione.* VII. *Sensus vers. 11. 12. Cum nondum nati essent, &c.* VIII. *Causa obscuritatis horum verborum.* IX. *Jacob & Esau non proponuntur tanquam exempla electionis & reprobationis.* X. *Nec tanquam ejus typi.* XI. *Sensus verborum vers. 13. Jacob dilexi, Esau odio habui.* XII. *Quo sensu Paulus sibi objiciat vers. 14. numquid iniquitas apud Deum?* XIII. *Quid sit vers. 15. miserebor cujus misertus fuero, &c.* XIV. *& vers. 16. Non est volentis neque currentis, &c.* XV. *Quomodo Deus dicatur Pharaonem excitasse, ut in eo ostenderet potentiam suam.* XVI. *Quomodo Deus dicatur misereri cujus vult, & quem vult indurare.* XVII. *Modus ordinarius indurationis divinæ.* XVIII. *Neminem Deus à nativitate indurat.* XIX. *Sensus objectionis, Voluntati ejus quis resistit.* XX. XXI. *De potestate fictoris in figmentum, & figuli in vas.* XXII. *Non respicitur hic ad primam hominis creationem.* XXIII. *Nec ad humanum genus tanquam peccato originis corruptum.* XXIV. *Quinam intelligantur per vasa iræ coagmentata ad interitum.* XXV. *& per vasa misericordiæ à Deo præparata ad gloriam.*

I. SEcundo, urgentur aliquot sententiæ, quæ in *cap.* IX. *Epist ad Rom.* leguntur, ut, *cum nondum nati essent* (Jacobus & Esau) *nec egissent aliquid boni aut mali, dictum est, Major serviet minori*, &c. *v.* 11. 12. 13. *Cujus vult miseretur* (Deus) *& quem vult indurat, v.* 18. *Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? v.* 21. Quæ ut bene intelligantur, & decreto absoluto non favere perspiciantur, totum istud caput nobis breviter percurrendum erit. Paulus in eo respondet objectionibus Judæorum adversus doctrinam de justificatione gratuita tam Gentilium quam Judæorum, per fidem in Jesum Christum, & non per opera legis Mosaicæ, quam præcedentibus capitibus tradiderat. Et ostendit Deum absque promissionum suarum aut fœderis quod cum Abrahamo inierat violatione, posse illos ex posteris ejus carnalibus rejicere, ut non essent amplius suus populus, qui Euangelio Jesu Christi per Apostolos annunciato parere recusabant, quamvis se magnos legis zelatores esse profiterentur; & ex opposito in populum suum assumere Gentiles, qui in Jesum Christum credebant, licet ex Abrahamo non essent oriundi, & legis Mosaicæ ceremonias non observarent. Et hactenus interpretes non male inter se conveniunt.

II. Sed quod nonnulli existimant, Apostolum sibi præterea hic habuisse propositum ad altiores fidei & incredulitatis causas ascendere, atque docere, Deum ex absoluto jure & dominio quod in homines habet, posse alios prædestinare ad salutem & ad ejus media, alios vero rejicere & æternæ damnationi addicere: omni fundamento destituitur, & vel ex solo hujus capitis exordio & epilogo, si quis attendat, refutari potest. Quod antequam ulterius progrediar, paucis ostendam. In principio igitur Paulus gravi protestatione adhibita, se *veritatem dicere in Christo, & non mentiri, testimonium sibi perhibente conscientia in Spiritu S.*, dicit sibi *tristitiam esse magnam & continuum cordis dolorem*, nempe propter rejectionem Judæorum; adeo ut optaret *anathema esse à Christo pro illis*, id est, tanquam sceleratus aliquis mortem maledictam Christi causa subire, (videtur enim hic ὑπὸ Χριστοῦ pro ἀπὸ Χριστοῦ legendum,) quo eos, si fieri posset, ab æterna damnatione liberaret. Tam vehementi autem affectu perturbatus non fuisset, si scivisset Deum Judæos absoluto & irrevocabili decreto, à salute & omni gratia exclusisse; nec votum fecisset irritum, quod impleri non poterat. Sic enim voluntati Dei probe cognitæ, & cujus præco erat constitutus, se opposuisset, & ejus gloriam, ad cujus illustrationem decretum rejectionis Judæorum tendebat, se parum curare ostendisset. Quod absit ut de tanto Apostolo credamus. Nec ullius est momenti, quod in contrarium excipitur, Paulum tale votum concepisse ex affectu carnali erga gentem suam, aut extra se charitatis, qua eam prosequebatur, excessu raptum. Sedata enim mente, ad Ecclesiæ perpetuam institutionem, hæc scripsit, & gravi dissertationi inseruit, ubi non decuisset ipsum affectibus carnalibus frænum laxare, aut votum de re impossibili ex subitaneo animi raptu profectum ostentare: Præterea *cap.* x. *v.* 1. dicit se ex *εὐδοκίᾳ*, id est bona voluntate, cordis sui, preces ad Deum pro Israëlitis facere, ut ad salutem perveniant. Et *cap.* xi. *v.* 14. se conari gentem suam fidelium gentilium exemplo ad æmulationem provocare, & aliquos saltem ex ea salvare. Et *v.* 23. spem eis præbet, fore ut si in incredulitate sua non perseverent, iterum oleæ ex qua excisi fuerant inserantur. Quæ preces & conatus ridiculi fuissent & sapiente viro indigni, posito tali decreto, quod cœlo & terra firmius esse creditur. Et Judæos irrisisset, spem in iis excitans, fore ut quos Deus à gratia sua rejecisset, in eam iterum assumerentur; cum secundum doctrinam, quam putatur hic tradere, id plane esset impossibile.

III. In epilogo hujus capitis Apostolus dicit, *gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehendisse justitiam quæ ex fide est*; *Israëlem vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenisse*; nempe, *quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis*; *offendisse* enim *in lapidem offensionis*. Quæ verba illationis forma ex præcedentibus deducta, adeo sunt perspicua, ut nullum relinquant locum dubitandi, quin is fuerit Pauli in hoc capite

capite scopus quem dixi; videl. Deum absque ulla fœderis cum Abrahamo & ejus semine initi violatione, posse Judæos incredulos rejicere, ut non amplius essent suus populus, etiamsi magnum pro lege sua zelum præ se ferrent; & in eorum locum Gentiles, qui in Christum credebant, recipere, licet essent incircumcisi, & reliquos Mosaicæ legis ritus non observarent. Quare in eo non agitur de absoluta hominum electione ad salutem & ab ea reprobatione, quos Deus ut tanquam adhuc creandos, aut ut jam in Adamo peccatores redditos consideraverit; & omnia quæ hinc ad istam opinionem torquentur, Apostoli scopo, qui ex ista conclusione elucet, directe sunt contraria. Non enim considerat hic Judæos & Gentes tanquam æquales, sive nondum conditos, sive jam pariter peccato infectos; sed tanquam qualitatibus contrariis vestitos, quæ aliorum quidem electioni, aliorum vero rejectioni ansam præbuerint; videl. Gentiles tanquam in Christum credentes, Judæos autem tanquam Christo & ejus Euangelio immorigeros, & salutem in ipso oblatam pertinaciter repudiantes.

IV. His ad ostendendum Pauli scopum præmissis, jam quomodo omnia quæ in toto isto capite tractat bene cum eo conveniant, videamus. *Non*, (supple, ita loquor) *quod exciderit verbum Dei. non enim omnes qui sunt ex Israële, ii sunt Israëlitæ: neque quia semen sunt Abrahæ, omnes sunt filii. Sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est non qui filii carnis, hi sunt filii Dei, sed qui filii sunt promissionis reputantur in semen*, v. 6. 7. 8. Quorum verborum sensus est; Quamvis doceam Deum statuisse rejicere Judæos, qui in Christum credere nolunt, & salutem ex lege quærunt; contra vero in populum suum assumere Gentiles, etiamsi legem Mosis non servent, sed tantum Euangelio obediant; non potest tamen mihi objici, inde istud absurdum sequi, Deum non servare promissionem Abrahamo & ejus posteris factam, & fœdus ipsius nullum amplius habere locum. Idque propterea, quod non omnes qui ex Israële secundum carnem prognati sunt, sunt illi veri Israëlis posteri, cui Deus se benedicturum olim promisit. Deus enim nunquam se Abrahami & Israëlis posteris carnalibus absolute obligavit; sed sibi reservavit jus singulis temporibus declarandi quinam essent illi quibus benedictiones suas præparasset. Proinde ipse potest legitime, & absque fœderis sui violatione, rejicere illos Israëlitas qui voluntati suæ, quam per nos Apostolos suos servos annunciari ipsis curat & variis signis & miraculis confirmat, parere detrectant; & alios qui ex Abrahamo genus non ducunt, in illorum locum assumere & pro populo suo agnoscere. Deus hanc suam esse mentem ipse ostendit statim atque Abrahamo & ejus semini terram Canaan in hæreditatem promisisset, quæ figura erat bonorum cœlestium fidelibus præparatorum. Tunc enim declaravit, se nolle in ejus semine, cui felicem illam regionem promiserat, comprehendere filium ejus Ismaëlem, & populum qui ex illo oriretur: sed Isaacum, quem ipsi ex gratia speciali & contra ordinarium naturæ cursum ex anu sterili dederat, illum esse ad quem respexerat, cum diceret Abrahamo, *In Isaaco vocabitur tibi semen*, *Gen.* XXI. 12. Deus igitur isto facto significavit se jus sibi reservare à privilegiis Abrahami posterorum excludendi quos vellet; eaque ad illos solos pertinere quos deinceps promisso speciali declaraturus esset se pro semine Abrahami habere velle. Tales autem sunt illi, qui postquam Euangelium annunciatum est, in Jesum Christum credunt, & vestigia fidei Abrahami sequuntur: Deusque nullos alios intendit comprehendere in promissis benedictionum cœlestium, per terrenas Abrahamo factas adumbratarum.

V. *Promissionis enim sermo hic est, Hoc ipso tempore veniam, & erit Saræ filius*, v. 9. Verba ista depromta sunt ex *Genes.* XVIII. 10. ubi Deus, sive Angelus nomine Dei loquens, Abrahamo annunciat ipsum ex uxore Sara filium habiturum. Eo ipso significans, Ismaëlem, quem Agar ei jam pepererat, non esse semen illud cui possessionem terræ Canaan promiserat; sed Isaacum, qui demum anno sequente nasciturus erat. Unde apparet, omnes illos qui ex Abrahamo secundum carnem sunt prognati, non esse verum ejus semen, promissionum divinarum hæres; sed illos solummodo, quos Deus speciali promisso pro ejus posteris se habere velle declarat.

VI. *Neque hoc solum; sed Rebecca, cum ex uno concepisset, ex Isaaco patre nostro*, v. 10. Hoc est: Etiamsi Deus jam declarasset promissionem suam ad Isaacum, non vero ad Ismaëlem pertinere; mens tamen ejus non fuit in illa comprehendere omnes Isaaci posteros absque exceptione; sed eam ad unum ipsius filiorum restrinxit, altero excluso; idque ex mero suo beneplacito, & nulla aliunde causa impulsus. Aliquis enim existimare potuisset, Ismaëlem exclusum esse ab hæreditate terræ Canaan, quia ex ancilla natus erat, aut forte se ea peccato aliquo indignum reddiderat. Sed nihil ejusmodi fingi poterat de filiis Isaaci & Rebeccæ, qui omnino pares inter se erant, cum Deus significavit se alterum tantum illorum pro isto semine, ad quod sua promissa pertinerent, habere velle.

VII. *Cum enim nondum nati essent* (nempe pueri illi Isaaci & Rebeccæ) *neque quicquam fecissent boni aut mali, ut propositum Dei secundum electionem maneret, non ex operibus, sed ex vocante; dictum est ei* (videl. Rebeccæ) *Major serviet minori*, v. 11. 12. Hoc responso Rebeccæ dato, Deus significare voluit, promissionem suam de terra Canaan posteris Abrahami danda, non aliunde procedere quam ex mero suo beneplacito,

çito, aut libera electione, secundum quam placebat ipsi hos potius quam illos pro ejus semine reputare; nullamque se in ea habuisse rationem dignitatis illorum quos assumebat, aut indignitatis illorum quos ab ea excludebat. Nullum enim erat discrimen inter Jacobum & Esavum, qui adhuc continebantur utero matris suæ Rebeccæ, quæ eos ex eodem patre Isaaco conceperat, & nihil boni aut mali fecerant, quod causa esse posset ut alter alteri præferretur aut postponeretur, cum Deus declaravit promissum suum pertinere ad minorem, videl. Jacobum secundo natum, & Esavum majorem seu primo natum ei serviturum. Quod tamen potius, ut postea videbimus, de utriusque posteris intelligi debet, in quibus etiam impletum est, quam de Jacobo & Esavo ipso. Imo cum Deus jam introducturus esset Israëlitas in terram illam quam patribus ipsorum promiserat, ad ostendendum id esse donum ex mera sua gratia & liberalitate profectum, non ex merito aut dignitate operum quæ fecissent, dicit eis per Mosem; *Scito quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus*, &c. *Deuter.* IX. *v.* 6. collato cum *v.* 4. & 5. Illic cum bonis promiscue habitabant improbi, qui sæpe iram Dei adversus se provocabant, ideoque diversis ab eo plagis percutiebantur. Sed non ita se res habet cum Jerusalem cœlesti, *In quam non intrabit quicquam inquinatum aut abominationem faciens & mendacium. Sed foris erunt canes & venefici, & impudici & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium*, *Apoc.* XXI. 27. & XXII. 15. Quare ex his Pauli verbis, *non ex operibus*, concludere non oportet, sicut aliqui faciunt, bona opera nihil prodesse ad acquisitionem salutis & hæreditatis cœlestis, neminemque inde ob mala opera excludi. Nihil enim falsius excogitari potest, & quod magis perpetuo Sacrarum literarum tenori repugnet. Verum quidem est, nos salutem æternam non acquirere per legis ceremonialis observationem, ut omnes Christiani fatentur, & adversus Judæos statuunt; nec per moralis perfectam impletionem. Cum nemo enim unquam ab omni peccati labe immunis inventus sit, præter unum Jesum Christum, nullus salvus foret, si salus ab ejusmodi perfectione penderet. Sed tamen bona opera plane ad eam obtinendum sunt necessaria. Nulli enim nisi sub ista conditione est promissa. *Absque sanctimonia nemo videbit Dominum*, *Hebr.* XII. 14. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*, &c. *Rom.* VIII. 13. *Unusquisque qui dicit mihi Domine, Domine, non intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui est in cælis*, *Matth.* VII. 21.

VIII. Quia autem Paulus nullam istorum Jacobi & Esavi exemplorum fecit applicationem ad materiam de qua tractat, id non parvam orationi ejus obscuritatem attulit, unde diversæ apud interpretes exortæ sunt opiniones. Fortasse enim hic locus unus est ex illis ad quem Petrus respiciebat, dicens, *Paulum in omnibus Epistolis loqui de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*, 2 *Petr.* III. 16. Sed qui non oscitanter ad seriem orationis ejus attendet, facile animadvertet ipsum nihil aliud significare voluisse, nisi hoc, videl. Sicut olim Deus fœdus cum Abrahamo percutiens, in quo se ei & posteris ipsius terram Canaan in hæreditatem perpetuam daturum pollicebatur, postea declaravit quinam illi essent quos sub Abrahami posteris comprehendere intendebat, & promissionem suam primo ad Isaacum restrinxit, Ismaële excluso; deinde ad Jacobum, excludendo Esavum: ita eum nunc per Apostolorum suorum os declarare, se pro veris Abrahami posteris, ad quos hæreditas cœlestis, per terram Canaan adumbrata, pertinebat habere velle, non eos qui ex illo secundum carnem oriundi erant, & salutem per legis Mosaicæ observationem quærebant; sed eos qui fidei ejus vestigia sequerentur, & in Jesum Christum crederent, ex quacunque gente aut populo originem traherent.

IX. Unde liquet, quantopere aberrent illi à mente Pauli, qui putant ipsum Jacobum & Esavum proposuisse tanquam exempla electionis & reprobationis æternæ, absque ullo fidei & obedientiæ, vel incredulitatis & contumaciæ intuitu. Nam si respicias ad *Genes. cap.* XXV. unde hæc depromsit, facile animadvertes ipsum non tam loqui de Jacobo & Esavo, quam de ipsorum posteris, & eos ibi tantum considerari ut duorum diversorum populorum capita. Moses enim illic narrat, matrem ipsorum Rebeccam, cum esset gravida, & parvuli in ejus utero colliderentur, ipsam admodum sollicitam quid portentum illud sibi vellet, os Dei consuluisse, à quo responsum accepit; *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori*, *v.* 23. Ubi observatu dignum, Deum non dicere Rebeccam duos pueros gemellos utero suo gestare; sed *duas gentes* seu duos populos; nempe quia isti pueri stirps erant, unde duo populi progressu temporis erant orituri; & jam tum collisione illa præsignificabatur quam hostili animo erga se invicem affecti aliquando forent. Quare si Jacobus & Esavus hic tanquam exempla electionis & reprobationis æternæ proponerentur, inde sequeretur, omnes Israëlitas sub nomine Jacobi comprehensos, fore salvos, & omnes Idumæos, nomine Esavi designatos, fore damnatos. Quod quam falsum & absurdum sit, omnes vident: & vel inde solum refelli potest, quod Apostolus tum hoc capite, tum duobus sequentibus, differit de Judæorum incredulorum rejectione, & Gentilium credentium electione; inter quos procul-

dubio

dubio multi erant Idumæi. Sicut & antiquis temporibus Job & ejus amici ex Esavo prognati, clare sua pietate ostendunt, omnem ejus prosapiam non fuisse à Deo rejectam. Præterea etiamsi Jacobus & Esau in propriis personis hic considerarentur, non ideo recte inde colligeretur per ista verba, *Major serviet minori*, electionem absolutam ad vitam & reprobationem ad mortem æternam significari. Dominatio enim & servitus respiciunt solum ad vitæ præsentis statum; & quemadmodum omnes ii qui cæteris dominantur, non sunt electi Dei, sic neque omnes qui serviunt, sunt reprobi; imo contrarium sæpe accidit, ut probi improborum jugo premantur; nec potest ulla cum specie dici reprobos electis servire, aut electos reproborum esse dominos.

X. Quod nonnulli animadvertentes, non audent dicere Paulum hic proposuisse Jacobum & Esavum tanquam exempla electionis & reprobationis absolutæ, sed putant eos esse typos seu imagines gratiæ qua Deus quosdam homines prosequitur, ipsos secundum electionem suam efficaciter ad fidem virtute Spiritus sui vocando, & alios derelinquendo in perditione in quam per Adami peccatum sunt lapsi. Sed hæc expositio repugnat scopo Apostoli, qui non est reddere rationem cur Deus in quibusdam potius quam in aliis fidem ingeneret (illud enim ridiculum fuisset in disputatione adversus Judæos, qui fidem in Christum pro crimine morte & damnatione digno habebant, eamque à Diabolo potius quam à Deo profectam esse calumniabantur;) sed ostendere Deum, absque promissionum suarum violatione, posse rejicere Judæos qui in Christum credere detrectabant, ne amplius essent suus populus, & in ipsorum locum assumere Gentiles, qui Euangelio obediebant. Deinde hæc expositio supponit id quod in quæstione versatur, cum probare deberet; nempe dari talem gratiam seu vocationem efficacem, per quam illi qui ejus sunt participes, ad credendum inevitabiliter determinentur; qui vero non sunt participes, credere nequeant. Quare Jacobus & Esau non sunt magis typi quam exempla electionis ad ejusmodi gratiam, aut rejectionis ab ea. Nec potest dici, absque Dei & Euangelii, quod est verbum gratiæ, contumelia, ipsum deserere illos in statu peccati & perditionis quos per Euangelium ad fidem & salutem vocat. *Propositum* ergo *Dei secundum electionem*, quod Paulus dicit debuisse manere, *non ex operibus, sed ex vocante*; est illud tantum, quo Deus decreverat, nulla operum habita ratione habere pro semine Abrahami, terræ Canaan ei promissæ hærede, eos quos ex speciali gratia semen ejus vocaturus esset; nempe Isaacum, non Ismaëlem; & Jacobum, non Esavum; ut Judæi scirent se benedictionem istam non ex merito operum suorum adeptos, quasi multo meliores cæteris Abrahami posteris essent, sed ex mera Dei benignitate, qua ipsos elegerat & semen Abrahami vocaverat. Unde per rebellionem suam adversus Deum excidere poterant ejus gratia, & alii populi ad ejus participationem vocari.

XI. *Sicut scriptum est, Jacobum dilexi, Esau autem odio habui*, v. 13. Apostolus hunc locum præcedenti adjungit, tanquam æquipollentem seu idem significantem; nempe Deum pro semine Abrahami, & promissionum ei factarum hærede, non habere omnes illos qui ex ipso secundum carnem propagati erant, cum Idumæos, qui non minus quam Israëlitæ, ejus semen erant, ab hac gratia excluserit. Desumtus est ex *Malach. cap.* 1. ubi cum Deus dixisset Israëlitis, *Dilexi vos*, & ipsi respondissent, *In quo dilexisti nos?* Deus reponit, *Nonne Esau frater erat Jacobi; dilexi autem Jacobum, & Esau odio habui; & posui montes ejus in solitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deserti.* In quibus verbis apparet aliqua ex parte quomodo impleta fuerit Prophetia supra memorata, ex *Genes.* XXV. *Duæ gentes sunt in utero tuo*, &c. & amor Dei excellens erga Israëlitas conspicitur, quos postquam per captivitatem Babylonicam septuaginta annorum castigasset, in terram suam gratiose redire fecerat; cum è contrario Idumæa penitus adhuc maneret desolata, & incolæ ejus Esavi posteri inde pulsi & extorres. Alii putant hic significari, Deum Israëlitis in hæreditatem dedisse regionem mire fertilem, nempe lacte & melle fluentem, ut Scriptura loquitur, cum montes quos Idumæi incolebant essent steriles; adeo ut propterea, respectu Israëlitarum, exosi à Deo videri possent. Itaque *odii* vocem hic figurate accipi, pro minore dilectione, quemadmodum in quibusdam aliis Scripturæ locis, v. gr. *Gen.* XXIX. 31. ubi dicitur Leam uxorem Jacobi fuisse *exosam*; quod nihil aliud significat, nisi eam Rachele minus fuisse dilectam, ut ex collatione cum præcedenti versu colligitur. Sic cum Dominus Jesus dicebat *Luc.* XIV. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Ubi unusquisque facile intelligit, ipsum non præcipere ut proximos nostros consanguineos odio proprie dicto prosequamur, sed tantum ut minus se diligamus, quemadmodum ipse loquitur *Matth.* X. 37. Sed quamvis hæc vera sint si ad tempora antiqua respiciatur, quibus Deus tam Esau quam Jacobi posteris suam hæreditatem assignavit, præcedentem tamen interpretationem prætulerim, quæ melius cum Malachiæ verbis convenit. Magnopere ergo illi falluntur, qui putant hic agi de amore ex quo necessario æterna salus procedat, & de odio quod inevitabiliter ad damnationem ducat. Nam amor quo Deus Israëlitas prosecutus est, non impediit quominus multi ipsorum in deserto perierint propter incredulitatem, 1 *Cor.* x. 5.

Hebr. III. 17. 18. 19. Et odium Idumæorum, non clausit eis ostium salutis, quod sub Euangelio omnibus terræ populis indifferenter apertum est. Nec sequitur ex eo, quod Deus nonnullos indulgentius habet in hoc sæculo, alios vero severius tractat, nulla habita operum bonorum vel malorum ratione, sed tantum ex mero voluntatis suæ beneplacito, perinde rem se habere cum salute & damnatione æterna; cum maxima sit inter hæc dissimilitudo. Vita æterna est quidem donum Dei gratuitum, cujus, si liberet, omnes homines absque ullo fidei aut obedientiæ respectu participes faceret; sed tamen ea nobis ubique in Sacris literis proponitur tanquam fidei & pietatis merces, & quæ alia via obtineri non potest. Et cum mors æterna sit peccati stipendium, *Rom.* VI. 23. Deus absque violatione justitiæ, quæ requirit ut innocens non puniatur, neminem potest ad eam damnare, aut ei denegare gratiæ suæ auxilia, sine quibus eam evitare non potest, nisi quem ut reum & sontem consideret.

XII. *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum?* v. 14. Quidam existimant Paulum hoc sibi objecisse, ideo quod in tanta puerorum istorum, Jacobi & Esavi, æqualitate, mirum videri posset, Deum ipsos adeo inæqualiter tractare voluisse. Sed respondeo, neminem cui supremum Dei jus cognitum occasionem mirandi hic habere posse. Nam (si istud ad posteros eorum referatur, ut fieri oportere modo ostendimus) ubi quæso est injustitiæ species? An in eo quod Esavi posteris non tam fertilem regionem donasset quam Jacobi? Sed quo jure id tenebatur facere? num operibus suis illam erant promeriti? An vero ideo quod Idumæam, propter incolarum gravia peccata, in desolationem dedisset? Sed quis non videt ipsam nihil mali fuisse passam, nisi quod juste promerita esset? An potius injustitiæ species in eo erit, quod Deus se adeo benignum erga Israëlitas, quantumvis indignos, se exhibuisset, ut primo eis terram tam bonam in hæreditatem dedisset; deinde post LXX. annorum exilium, quo peccata ipsorum castigaverat, in eam reduxisset? Sed nonne licet ei quod vult de bonis suis facere, & ex peccatoribus quosdam plectere, quosdam vero misericordia prosequi? Adde quod Judæi, adversus quos Apostolus hic disputat, nunquam existimarunt Deum in eo esse injustum, quod se erga ipsos liberaliorem aut indulgentiorem ostendisset quam erga Idumæos. Non in tantum ingrati erant, aut potius insani, ut Deum benefactorem suum injustitiæ accusare vellent, quod ipsos cæteris in gratiarum suarum distributione prætulisset. Sed si, ut quidam volunt, hic ageretur de morte æterna, cui Deus adjudicasset Esavum, & maximam hominum partem, absque ullius mali quod fecissent respectu; aut de gratia, sine qua damnationem vitare impossibile foret, quam absoluto decreto ipsis denegare proposuisset, non solum in eo fuisset aliqua injustitiæ species, sed etiam manifesta & Deo plane indigna injustitia, quæque nulla ratione defendi aut excusari posset. Dices forte, Jacobum & Esavum & totum reliquum genus humanum, cujus pueri isti typus fuerunt, considerandos esse ut æqualiter peccato originali, in quo concepti erant, inquinatos, & in eo videri esse injustitiam, quod Deus aliis gratiam faciat, alios vero in ista corruptione deserat. Sed præsuppositio ista verbis Apostoli est contraria, qui expresse dicit, *Antequam nati essent pueri, & aliquid boni aut mali egissent*; sic ostendens, se ipsos nullius peccati pœna digni reos habuisse. Fac tamen ipsos vere peccato isto, quod originis dicitur, fuisse corruptos, & ea de causa mortem æternam promeritos; nulla tamen injustitiæ species foret in ista inæquali tractatione. Nam qui peccarunt, nullam habent conquerendi causam si pro meritis suis puniantur. Et cum Deo placet parti alicui eorum qui ipsum offenderunt gratiam facere, tantum abest ut ejusmodi clementia sub quocunque prætextu culpari possit, ut contra magna sit laude digna; & unica miserorum peccatorum consolatio. Ac sane non puto ullum unquam adeo insanum & sui inimicum fuisse repertum, ut offenderetur venia quam Deus peccatoribus ex misericordia largitur; nisi forte ex illorum numero, qui putant eum nemini, illæsa justitia, vel minimum peccatum, pro quo satisfactionem non acceperit, condonare posse: quod quam absurdum sit alias ostendi. Quod ergo Paulus sibi hic objecit, nulli causarum istarum innititur, sed quæstioni principali quam hoc capite tractat, & ad cujus explicationem exemplis Isaaci & Ismaëlis, Jacobi & Esavi, usus est; nimirum si Deus posteros Abrahami, ex lege justitiam sectantes, rejiceret, & in populum suum assumeret Gentiles qui legem non observabant, sed tantum credebant Euangelio, ipsum remunerationem meritos puniturum, & contra eos qui pœnam essent promeriti remuneraturum. Hic enim aliqua injustitiæ species & admirationis causa occurrit, sed cui plene in sequenti responsione satisfit.

XIII. *Absit: Mosi enim dicit, Miserebor cujus misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero*, v. 15. Hæc verba sunt ex *cap.* XXXIII. *Exodi* desumta, ubi Deus respondet petitioni à Mose factæ, ut faciem suam videret, & de collatione sola beneficiorum divinorum, non vero de ulla punitione agunt. Apostolus ergo illa adhibet, ad ostendendum Deum iis quos libet, & sub conditionibus quas libet, salutem dare, in eoque nullo cum prætextu injustitiæ accusari posse, quod jure suo utatur. Quamvis enim antea Abrahæ posteros in populum suum peculiarem adoptavisset, iisque se Deum & benefactorem fore promisisset, dummodo legem suam observarent, non tamen privaverat se jure

gratiam istam ad alios & sub novis conditionibus extendendi; nec Abrahami posteros rejiciendi, si in Jesum Christum ab Apostolis jussu divino annunciatum credere recusarent, & salutem ex operibus legis quærerent. Quare quod nonnulli dicunt, istud Dei responsum nec necessarium nec ad rem futurum, si in operibus hominum aut bono liberi ipsorum arbitrii usu aliqua misericordiæ ejus causa reperiri potuisset, toto cælo à mente & scopo Apostoli aberrat, & paulo post de eo copiosius agetur. Nunc uno verbo dico, liberam istam Dei misericordiam ostendere quidem ipsum meritis nostris ad dona sua nobis communicandum non moveri, sed tamen non impedire, quominus illorum communicationi quas ei libet conditiones apponat; sicut mea eleëmosyna non desineret esse gratuita, etiamsi pauperem qui eam à me peteret ad filium remitterem, ex cujus manu acciperet & gratias ipsi agi juberem, alioqui nihil obtenturum, aut eo quod jam accepisset privatum iri.

XIV. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, v. 16. Videtur Paulus hic voluisse alludere ad voluntatem Mosis, qua Dei faciem videre expetierat, & ad cursum & venationem Esavi, per quam benedictionis paternæ hæres esse prætendebat: ad ostendendum, Deum gratias suas omnibus iis qui expetunt & obtinere contendunt, non largiri, si aliam quam à se præscriptam viam insistant; ut faciebant Judæi qui Euangelio credere detrectabant, & salutem ac justitiam ex operibus legis sectabantur. Illud enim erat extra viam & stadium propositum currere, & inutili se labore fatigare. Sed inde non sequitur, non opus esse voluntate aut cursu ad salutem æternam obtinendum, & posse eam à Deo expectari etiamsi mandatis ejus non pareatur. Ubique enim in Sacris literis præcipitur nobis ut velimus & curramus quo illius simus participes. *Si quis*, inquit Christus, *velit facere voluntatem Dei, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an vero à meipso loquar*, Joan. VII. 17. *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*, Apoc. XXII. 17. *Currite ita ut præmium obtineatis*, 1 Cor. IX. 24. Imo illi etiam reprehenduntur, qui nolunt aut non currunt. *Quoties volui congregare liberos tuos & noluisti?* Matth. XXIII. 37. *Currebatis bene; quis vos impedivit ne veritati obediretis*, Gal. V. 7.

XV. *Scriptura enim dicit Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in universa terra*, v. 17. Paulus istud exemplum affert, ut ostendat Deum non solum jus habere gratias suas & beneficia cuicunque libet conferendi, sed etiam eos qui peccarunt diversimode puniendi. Nam aut extemplo scelerum mercedem eis retribuit; aut magna patientia tolerat, qua si abutantur, postea ipsos gravius punit. Hoc postremo modo Deus se gessit erga Pharaonem Ægypti regem, quem de terra exscindere juste potuisset, statim atque opprimere cœpit Israëlitas; sed tamen vita & regno potiri permisit, & diu scelera ejus dissimulavit. Deinde cum ei præcepisset per Mosem ut populum suum dimitteret, & immorigerum se mandato isti præbuisset; Deus primo contentus fuit eum levioribus plagis & cito prætereuntibus castigare, ut si patientiæ & longanimitatis suæ divitias contemneret, postea eum in exemplum horrendorum suorum judiciorum proponeret. Apostolus ergo voce *excitandi*, ἐξήγειρά σε, non intelligit Deum creasse aut nasci fecisse Pharaonem, eo fine ut cum factus esset improbus, justam puniendi eum occasionem nancisceretur. Absit. Sic causa & auctor pravitatis ejus fuisset. Pharao enim nihil aliud facere potuisset, nisi id ad quod à Deo destinatus fuerat, ideoque pœnam non esset promeritus. Neque etiam significare vult Deum excitasse Pharaonem ut esset rex, seu in regni solium exaltasse, ut postea suam potentiam in eo deturbando ostenderet, & eum horrendo supplicio exterminaret. Deus enim beneficia sua non confert in homines, ut inde occasionem sumat duplo aut triplo majora mala iis immittendi, multoque minus ipsos æternum in inferis cruciandi. Sic enim beneficia ejus essent hostis dona, id est noxia, & quæ longe præstaret nunquam accepisse, cum ad perniciem accipientium tendant. Apostolus ergo vocem ἐξεγείρειν, *excitare*, sumsit pro διατηρεῖν, conservare, ut apparet ex cap. IX. Exod. unde hunc locum depromsit. Illic enim Moses introducit Deum dicentem Pharaoni, *Profecto propter hoc stare te feci*, העמדתיך *ut videre faciam te potentiam meam, & narrare faciam nomen meum in universa terra*. LXX reddiderunt, ἕνεκεν τούτου διετηρήθης, *propterea conservatus es*. Et consentaneè his pleræque recentiores versiones, Pagnini & Ariæ Montani, *stare feci te*; Junius & Tremellius, *feci ut restares*; Piscatoris, *feci ut subsisteres*; similiter Gallica Genevensis, *je t'ai fait subsister*; Belgica solum Dordracena ab hoc consensu recedit, quæ in contextu legit, *Daerom heb ick u verweckt*; licet in annot. marg. agnoscat vertendum esse secundum Hebræum, *Daerom heb ick u doen staen*. Mens ergo horum Dei verborum est, Peperci tibi, nec vitam, prout merebaris, eripui, ut tibi tempus ad pœnitentiam concederem, sed ea lege tamen, ut si mea patientia abuti pergeres, justam tibi improbitatis tuæ mercedem retribuerem, & te in exemplum statuerem potentiæ meæ iis omnibus qui per superbiam adversus me insurgerent.

XVI. *Miseretur ergo cujus vult, & quem vult indurat*, v. 18. Hic est conclusio seu consequentia deducta ex iis quæ tribus præcedentibus versibus habentur; ejusque sensus est, Deum beneficia sua conferre quibus libet, & sub conditionibus quas libet, nulla habita generis

neris eorum ratione, utrum ex Abrahamo oriundi sint nec-ne; nec voluntatis eorum & cursus, quibus ea ex seipsis consequi conantur, sed alia via quam Deus constituerit. Item ipsum jure posse punire, pro arbitrio, incredulos & contumaces, etiamsi magnum pro lege zelum præ se ferant; & sinere eos patientia & longanimitate sua indurari, ut si pergant voluntati suæ resistere, tandem severo judicio, ut Pharaonem, penitus perdat & ex terra eradicet. Per *misericordiam* ergo Dei hic intelligitur, non actio omnipotentiæ ipsius per quam fidem in electis creet, ut nonnulli volunt; sed gratia illa & favor quem Deus exerit in Euangelio ut homines ad fidem inducat, & quo olim credentes, ut promisit, vita æterna donabit. Et per Dei *indurationem* non significatur talis actio aut permissio, unde peccandi necessitas sequatur, aut quæ omnimodam impotentiam voluntati Dei obediendi inferat; sed tantum Deum non adhibere omnia quæ posset media ad incredulorum conversionem, & tali erga illos uti patientia & tolerantia, unde pro malitia sua occasionem sumunt magis ac magis in peccatis se obfirmandi & voluntati divinæ resistendi. Sæpe enim Scriptura ex linguæ Hebrææ consuetudine utitur verbis actionem significantibus ad simplicem aliquam permissionem significandum. Ita *Exod.* I. 17. dicitur *obstetrices Ægyptias vivificasse filios Israëlitarum*, quos Pharao jusserat ut occiderent, id est, siverunt eos vivere; eodem sensu quo vulgo dicimus aliquem inimico suo vitam dedisse, cum, licet id facile posset, eam non eripuit. Id apparet etiam ex voce *indurandi*, quæ metaphorica est, & nihil aliud significat, cum agitur de peccato, quam facere ut aliquis pertinaciter in eo perseveret. Quod non potest Deo tribui quin peccati author constituatur, & is qui id perpetrat excusetur. Et tamen, cum Scriptura dicit Deum aliquem induravisse, eadem induratio homini tribuitur tanquam gravis offensa & severo supplicio digna; ut videre est *Exod.* VIII. 15. 32. & IX. 34. 35. & XIII. 15. & alibi. Istud autem iniquum foret, si Deus ita peccatorem induraret, ut non posset non indurari. Capi enim non potest quomodo una eademque actio respectu Dei sit bona, & hominis respectu sit mala, si homo nihil aliud agat, nisi cujus agendi necessitatem Dei actio ipsi imponit. Imo ipsa desertio divina, qua Deus peccatores cupiditatibus ipsorum tradit, vel ut lux verbi sui qua abusi sunt eripiatur ipsis permittit, non privat eos omni obediendi facultate. Semper enim iis satis lucis relinquit ad omnem justam excusationem adimendum; qualis vel illa sola est quæ in operibus Dei apparet, ex quibus potentia ejus æterna & divinitas perspicitur, *Rom.* I. 20. Nisi forte mentem iis eripiat, & obbrutescant, ut olim contigit Nebucadnezari. Sed pœnæ ejusmodi sunt admodum raræ & extraordinariæ; Et quando Deus aliquem ad ejusmodi statum redegit, id quod postea committit non imputatur illi in peccatum, non magis quam brutis ratione destitutis; nec supplicium ejus aggravat, sed supplicium ipsum est; quod absurdum foret tale esse ut aliud post se traheret.

XVII. Modus ordinarius quo Deus indurat peccatores est quod magna erga eos patientia utitur, & permittit ut prospera utantur fortuna, & quæ aggrediuntur ex animi sententia ipsis succedant, vel alia simili ratione, qua potius ad pœnitentiam induci deberent, sed pro malitia sua abutuntur, putantes Deum scelera in quibus eos tam diu tolerat non animadvertere, aut iis non offendi. Sane in Pharaonis exemplo clare potest animadverti, Dei indurationem non ademisse ei facultatem mandato ejus parendi. Tandem enim non solum dimisit Israëlitas, ut Deus ipsi præceperat, sed etiam eos ex regno suo expulit, quamvis nulla nova præter eam quam ab initio habebat potentia Deus eum instruxisset. Sed cum primogenitorum cædem, & filium suum qui in regno ei succedere debebat vidit ab ea non fuisse immunem, timuit ne si in rebellione sua adversus Deum pergeret, malum tandem ipsum attingeret. Ita ultima ista plaga durities ejus mollita fuit, & proculdubio præcedentibus quoque mollita fuisset, si diutius durassent; ut colligitur ex *Exod.* VIII. 8. &c. IX. 27. &c. ubi refertur, Pharaonem, cum sentiret manum Dei super se aggravatam, proposuisse ejus mandato parere, sed statim atque à plagis immissis respirabat, ipsum cor suum indurasse: & quosdam ex ejus servis Dei verbo credentes & eum timentes curasse servos & pecora sua domum se recipere cum Moses plagam grandinis denunciasset, *Exod.* IX. 20. Nam si Dei metus cor servorum Pharaonis flexit, quid impediit quominus eundem effectum in domino produxerit? Dices-ne ipsos fuisse ex electorum numero, & Deum Spiritu suo corda eorum tetigisse? Sed quomodo id probari potest? Cura pecoris sui conservandi est-ne electionis signum? Deus ergo alia ratione cor Pharaonis non induravit, ne Israëlitas dimitteret, quam permittendo ut ipsius Magi miracula Mosis imitarentur. Sic enim inducebatur ad revocandum in dubium an Moses vere à Deo missus esset. Deinde immittendo illi & Ægypto tales plagas, quæ respectu utilitatis, quam ex Israëlitarum laboribus percipiebat, leves videri poterant, & statim ad ipsius preces cessare eas faciendo. Nam si Deus statim ab initio eum adeo duriter percussisset atque ultimo fecit, non videtur adversus stimulum calcitraturus esse. Sed ex plagarum quibus Deus eum castigabat lenitate occasionem sumsit tanto superbius adversus Deum insurgendi. Alioquin si Deus omnipotentia sua cor ejus ita indurasset, ut obtemperare

rare nequiret, non habuisset causam tantæ adversus eum indignationis concipiendæ, nec eum tam gravi atque videmus supplicio afficiendi.

XVIII. Quacunque autem ratione Deus homines induret, certum est id nunquam ab ipsorum nativitate facere; sicut etiam nunquam eos deserit, nisi ipsi ante eum deseruerint & peccatis suis occasionem ei dederint ipsos cordis sui duritiei permittendi. Evolvatur Scriptura, expendantur omnia loca ubi indurationis, desertionis, vel similium mentio fit, comperietur Deum nunquam ejusmodi pœnis afficere nisi gravissimos peccatores. Adeo ut sine gravi contumelia non possit ei tribui, quod propter solum Adami peccatum, pro quo Christus plenissime satisfecit, & cujus ipse Adam veniam obtinuit, maximam posterorum ejus partem statim à nativitate deserat, & ita induret, ut necessario toto vitæ tempore peccati sint mancipia, & tandem in æternum exitium præcipitentur.

XIX. *Dices autem mihi, Quid adhuc conqueritur? Voluntati enim ejus quis resistet?* v. 19. Paulus introducit hic Judæum incredulum hanc objectionem facientem, ut ei respondendo occasionem habeat ostendendi quodnam sit Dei jus in suas creaturas. Quasi ille diceret; Si Deus proposuit nos indurare, quia Euangelio non credimus, eo fine ut postea graves de nobis pœnas sumat, ut fecit de Pharaone, sicut tu Paule & tui collegæ Apostoli docetis, non est cur de nostra rebellione conqueratur. Non sumus enim fortiores Deo, ut ipsum impediamus executioni dare quod constituit; fierique nequit quin duri & contumaces simus, si ita decreverit. Quæ objectio cum plane sit absurda, Apostolus eam cum indignatione rejicit. Sed tamen omni colore non careret adversus reprobationem absolutam. Nam si propter illam homines adeo corrupti & in malo indurati nascantur, ut vel unicam bonam actionem edere nequeant, capi non posset cur Deus iis irasceretur, ut punire vellet ob contumaciam cujus ipse unicus foret auctor. Nec Apostolus ei nequaquam sequenti responsione satisfaceret.

XX. *Imò vero, ô homo, tu quis es, qui ex adverso responsas Deo? Num dicet figmentum fictori, Quid me sic fecisti?* v. 20. Significare vult, Judæos nullam habere causam rejiciendi doctrinam illam quam Dei nomine iis annunciabat; nempe Deum proposuisse salutis æternæ participes facere omnes qui credituri essent in Jesum Christum, tam Judæos quam Græcos, & à nemine amplius rituum legis observationem exigere; contra vero à salute excludere omnes qui in eum credere recusarent, etiamsi essent Abrahæ posteri, & magni rituum illorum zelatores. Ostenditque id quod objiciebant non minus à ratione esse alienum, quam si creatura adversus creatorem suum litigare vellet, & ab eo causam exposcere cur se talem creasset; v. gr. si bos aut equus conquererentur quod Deus ipsos non fecisset homines. Deus enim Judæis non est magis quam cæteris terræ populis devinctus: omnes pariter sunt ejus creaturæ, & iis quas libet salutis æternæ adipiscendi conditiones præscribere potest. Et cum recusant parere, mirum iis videri non debet ipsum minari eos deserere & duritiei suæ permittere, ut deinde eos graviter pro meritis puniat.

XXI. *Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad honorem, aliud vero ad contumeliam?* v. 21. Significat hac similitudine, non minus Deum jus habere misericordia prosequendi Gentiles in Christum credentes, & pro arbitrio puniendi Judæos Euangelio immorigeros, quam figulum in argillam quam tractat, ut ex eadem illius massa fingat quædam vasa ad usus honestos, alia vero ad fœdos & turpes, ut lasana, matulas & similia. Quod autem hominum alii sint vasa ad decus, alii vero ad dedecus, id Deus in ipsorum arbitrio positum esse voluit; ut nemini præterquam ipsius gratiæ felicitatem suam tribuant, & infelicitatem sibi ipsis imputent. Quod Paulus expresse docet 2 *Tim.* II. v. 20. 21. ubi cum dixisset in magna domo non tantum esse vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & testacea; & alia quidem in honorem, alia vero in contumeliam; subjungit; *Si quis ergo emundaverit se ab istis* (nempe vitiis) *erit vas in honorem, sanctificatum & utile Domino, & ad omne opus bonum paratum.* Et Joannes in eundem sensum, *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est*, 1 *Joan.* III. v. 3. Ad id autem gratiæ divinæ opem requiri, semper præsuppositum volumus; sed quam Deus nemini eorum denegat, qui ab ipso supplicibus animi votis & perseveranter poscunt.

XXII. Non respicit ergo hic ad primam hominis creationem, nec ullo favet modo illorum opinioni, qui dicunt eum similitudine hac voluisse ostendere, Deum in Adamo unam generis humani partem ad salutem, alteram vero ad damnationem æternam creavisse. Sic enim Deum conferret cum insano figulo, qui vasa à se facta, temerario impetu & absque ulla idonea ratione confringeret: quod absit ut de eo cogitemus. Scriptura etiam nusquam docet Dei jus in creaturas eo usque extendi, ut illas immerentes æternum apud inferos cruciare possit: sed illud in tribus hisce collocat & fundat; primò in beneficiis quæ creaturis contulit: deinde in peccatis ab iis commissis; denique in fœdere quod cum ipsis contraxit. In prima autem hominis creatione, nec peccatum, nec fœdus Dei in considerationem venire queunt. Restat igitur solum jus quod Deo competit propter

esse

esse quod ei dedit. Quare absque ulla injustitia potest ab hominibus illud esse quod eis dedit repetere, eosque in primum unde educti sunt nihilum redigere; quia nulli unquam donat quicquam cujus proprietatem sibi non servet, & jus de eo pro arbitrio suo statuendi. Quo tamen jure ipsum nunquam absque gravi ratione, quam sapientia suggerat, uti certum est. Cum autem istud existentiæ bonum, quod hominibus dedit, finitum sit, jus quod inde in eos sibi comparavit, non permittit ut illo tanquam medio utatur, quo ipsos in infinitum infortunium demergere possit. Justam enim de ipso conquerendi haberent rationem, si isto fine eos creavisset, longeque iis præstaret nunquam esse accepisse; quod non foret beneficium, sed maleficium, nec amoris, sed intensissimi odii effectum.

XXIII. Paulus etiam non consideravit genus humanum tanquam peccato originis corruptum, & mortis æternæ reum, nec significare voluit Deum aliis gratiam facere, alios vero in ista perditione relinquere. Sic enim non obturasset os Judæis, qui non putabant in eo ullam esse gratiam, si Deus ipsis peccatum quod non commisissent condonaret, nec credebant justitiam divinam permittere, ut alienum peccatum tam atroci supplicio ulcisceretur. Comparatio etiam à figulo desumta nodum istum non solveret. Figulus enim injuriam luto insensili facere non potest, quocunque ipsum modo tractet. Ipsi perinde est, sive ex eo fiant vasa ad mensæ ministerium, sive ad alvi aut vesicæ excrementa excipiendum. Sed non est eadem hominum acuto sensu præditorum ratio; ideoque non possunt absque magna injuria ignis æterni cruciatibus adjudicari, nisi id vero aliquo & proprie dicto peccato, quod scientes & volentes commiserint, meriti sint. Adde quod apparet ex *Jerem.* XVIII. ad quod Paulus alludit, Deum comparari cum figulo, qui propter vitium vasis quod fecit, illud abjicit & frangit; non ex mero voluntatis placito, quod hominis foret non satis sani; ideoque male similitudinem istam trahi ad hominis primam creationem aut singulorum nativitatem; in qua Deus nihil aliud sibi proposuit, quam ostendere se jus habere Israëlitas, qui ipsum graviter multiplicibus peccatis offenderant, severe puniendi.

XXIV. *Quid si vero Deus volens ostendere iram & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum: Et ut notas faceret divitias gratiæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam?* v. 22. 23. Sensus horum verborum clarus est, & nulla indiget expositione. Nec refert sive dicatur ea continere applicationem similitudinis figuli; sive novas rationes, quibus Apostolus præcedentis objectionis absurditatem ostendat. Quamcunque enim sententiam amplectaris, res eodem propemodum redit. Significat ergo Deum, qui tanta cum patientia Judæos incredulos toleraverat, ut ista lenitate eos ad pœnitentiam adduceret, plenum & evidens jus habere eos tandem, si in contumacia sua perseverent, graviter puniendi; cum pertinaci Euangelii ex divina benignitate ipsis annunciati rejectione, iræ se vasa fecerint, digna quæ in æternam perditionem abjiciantur. Unde rursus apparet, Paulum homines cum massa argillæ conferendo, ex qua figulus quædam vasa ad honorem, quædam ad contumeliam faciat, non considerasse eos nec ut adhuc creandos, nec ut in Adamo lapsos, & nihil minus cogitasse quam de astruendo absoluto reprobationis decreto, sed tantum tali quod perseverantiam in peccato præsupponat & longanimitatis divinæ contemtum. Nam certum est Deum nulla uti patientia posse erga eos quos ad damnationem creavisset; item neque erga eos quos propter solum originis peccatum reprobasset, & in eo deseruisset absque ulla gratiæ spe per quam inde emergere possent & interitum vitare; quales sunt omnes illi puerculi, quos dicunt Deum à matrum uberibus avulsos in æternam damnationem præcipitare. *Calvinus respons. ad Calumn. contra doctrinam de Provident. artic.* 13 & 14. Neque etiam Deus uteretur patientia erga alios reprobos quibus longiorem vitam concedit, si antequam nati sint decretum reprobationis illorum est irrevocabile; quale est quo malos Angelos damnationi ignis æterni destinavit; erga quos nusquam dicit Scriptura Deum uti patientia. Sed quod ad homines reprobos attinet; illi tantum sunt qui *divitias bonitatis divinæ & patientiæ & longanimitatis contemnunt, ignorantes se benignitate Dei ad pœnitentiam adduci; sed pro duritia sua & corde impœnitente, thesaurisant sibi iram in diem iræ & revelationis justi judicii Dei*, *Rom.* II. 4. 5. Nulli sunt alii quibus titulus vasorum iræ aptatorum ad perditionem conveniat. Nam propter sola peccata & pertinacem impœnitentiam Deus iram in homines effundit, ut passim Scriptura testatur. Vide *Joan.* III. 36. *Ephes.* V. v. 3. 4. 5. 8. *Coloss.* III. 5. 6.

XXV. Contra per *vasa misericordiæ, quæ Deus præparavit ad gloriam*, Paulus non intellexit aliquos absolute ad vitam æternam electos, tantum ut peccatores in Adamo consideratos. Quamvis enim Deus singularem iis misericordiam exhibeat, quibus media offert per quæ à peccato resurgere & ejus jugum excutere possint, nullos tamen ad salutem elegit, præter eos qui vocationi suæ vera fidei obedientia respondent. Nec ulli sunt alii quibus titulus iste eximius vasorum misericordiæ, quæ Deus præparavit ad gloriam, conveniat, quam illi. Interim observanda est diversitas phraseos quam Paulus usurpat. Nam de vasis iræ, dicit simpliciter illa *esse aptata ad interitum*; de vasis vero misericordiæ, *Deum ipsa præparasse ad gloriam*; ut

ut ostendat illa suam perditionem sibi solis imputare debere; hæc vero misericordia Dei impromerita salvari. Ut rem in pauca conferam, Apostolus nihil aliud hic significare voluit, nisi Deum jure potuisse misericordiam suam exserere erga Gentiles qui ex gratia sua Euangelio credant, participes eos faciendo salutis æternæ, quamvis ritus legis non observent. Quod postea confirmat aliquot ex *Osea* & *Esaia* adductis testimoniis; de quibus non opus est ut tractemus. Res autem ista ita erat clara, ut à nemine in controversiam vocari posset, nisi qui data opera adversus Deum insurgere vellet, & ei jus quod in creaturas suas & bona cœlestia habet eripere. Sed Judæi contra quos disputat adeo erant invidia sua excæcati, ut quamvis sibi in Christo oblatam salutem repudiarent, nollent tamen ut Gentilibus offerretur, & crimen in Paulo morte luendum censerent quod ipsis Euangelium annunciaret; ut videre est *Act.* XIII. 45. & XXII. *v.* 21. 22. Qua de causa necesse fuit ut aliquanto diutius immoraretur in probando Deum absque fœderis sui violatione jus habere ipsos propter incredulitatem rejiciendi, & Gentiles Euangelio credentes in populum suum assumendi. Sed nequidem cogitavit de ista electione & reprobatione absoluta, quam nonnulli ex ejus verbis elicere conantur; quæ nihil fecisset ad materiam quam tractabat; & à Judæis poterat ad commodum suum trahi, dicendo se illum esse populum Dei electum, cæterosque omnes esse rejectos & nullam partem in Dei fœdere habere.

CAPUT X.

De vocatione hominum ad salutem, tam per opera creationis & providentiæ, quam per verbum Dei.

I. Cur dicatur vocatio ad salutem. II. Ejus terminus à quo, & definitio. III. Alia fit per opera creationis & providentiæ, alia per verbum Dei. IV. Prior vocatio probatur ex Act. 14. V. & Act. 17. VI. ex variis Psalmis. VII. ex Job. cap. 38. 39. 40. 41. VIII. ex Rom. 1. 18. & seqq. Agit Apostolus de gentilibus nondum cognitione Euangelii illustratis. IX. per γνωστὸν τοῦ θεοῦ intelligitur id quod de Deo cognosci debet. X. Usus illius est, non tantum homines inexcusabiles reddere, sed & ad salutem perducere. XI. Ignorantia Christi quamdiu revelatus non est pro peccato non reputatur. XII. Nemo salutem æternam consecuturus est nisi per redemtionem in sanguine Christi. XIII. Loci Act. 4. & 1 Joan. 5. agunt de iis quibus Christus est revelatus. XIV. Potest Deus, licet non promiserit, absque cognitione Christi hominibus salutem conferre. XV. Et potius Angelum de cœlo mittet quam ut pie viventes in ignorantia sua perire sinat. XVI. Eorum salus comprobatur, exemplo piorum ante Christi adventum: XVII. & loco Rom. 2. XVIII. Vocatio per verbum Dei est perfectior. XIX. Deus se primo revelavit verbo. XX. Dein scriptam dedit legem per Mosen Israëlitis, non tamen reliquas gentes præcise exclusit à salute. XXI. Tandem per Christum ejusque Apostolos omnes homines vocari curat. XXII. Quomodo Act. 16. spiritus Paulo non permiserit ut verbum Dei loqueretur in Asia & Bithynia. XXIII. Cur Deus post Christum in mundum missum non semper & ubique voluntatem suam patefieri curet. XXIV. Nulli tam parca manu Deus gratiam suam confert, quin ad salutem ei sufficere possit.

I. CUm Prædestinatio sit decretum Dei, quo constituit fideles qui vocationi suæ parituri essent justificare, adoptare & vita æterna donare; ratio methodi postulat, ut exposita Prædestinationis doctrina, de vocatione hominum ad salutem agamus. Decretum de illa facienda vocatur Prædestinatio ad gratiam. Dicimus autem ad *salutem*, propter duas causas. 1. Ut hanc vocationem, de qua nunc tractare oportet, ab aliis vocationum generibus distinguamus. *Vocationis* enim vox interdum accipitur pro certo vitæ genere cui aliquis se applicat; ut videre est 1 *Cor.* VII. 20. ubi Paulus dicit, *Unusquisque in qua vocatione vocatus est permaneat*; id est, ne temere mutet vitæ institutum & professionem. Deinde usurpatur pro vocatione seu electione ad aliquod munus; sive Politicum, ut cum Saul, David, vocati sunt à Deo ut regnarent in Israële; sive Ecclesiasticum, ut cum Deus vocavit Aaronem & ejus posteros ut fungerentur Sacerdotio; & Esaiam, Jeremiam aliosque Prophetas ad voluntatem suam hominibus annunciandum. Quæ vocationes ad hunc locum non pertinent. 2. Ut finem ad quem hæc vocatio tendit significemus; qui non est officium aut beneficium aliquod temporale, sed beatitudo hominis æterna. alias Deus immediate ad fidem & resipiscentiam vocat homines, & mediantibus illis ad salutem.

II. Terminus autem à quo Deus homines vocat, est status ignorantiæ Dei & rerum divinarum, in qua omnes naturaliter jacent antequam à Deo illuminentur; & status peccati, cui à teneris ita assuescunt homines ut videatur ipsis naturale, & unde nonnisi per divinæ vocationis gratiam liberari possunt. Hincque exstrui potest definitio vocationis, quod sit *gratiosa Dei actio, qua homines sui ignorantes & peccatores, ideoque mortem æternam promeritos, ad fidem & resipiscentiam vocat, eo fine, ut si vocationi isti pareant eos salutis æternæ participes faciat.*

III. Ista vocatio multipliciter solet distingui à Theologis. Nam 1. alia fit *per opera creationis & providentiæ*, quæ Deus omnibus hominibus spectanda proponit, & in quibus tanquam in limpidissimo speculo sapientia, potentia & bonitas Dei elucent, ut ea ratione adducantur ad ipsum cognoscendum, amandum, & colendum, atque ita gratiam & favorem ipsius sibi magis ac magis concilient, omnisque generis bonis ab ipso cumulentur: Alia vero fit *per verbum*, in quo Deus se & voluntatem suam distinctius hominibus patefacit quam per sola illa opera fieri potest. Illa est omnibus omnino homi-

hominibus absque ulla exceptione communis: hæc vero non item: illa est imperfectior, hæc vero perfectior: sed utraque tamen sufficiens ut homines ad Deum adducat, nisi malitiose eam respuant, & ad conspectum operum Dei oculos mentis claudant, ne ipsum cognoscant.

IV. De illa autem Scriptura variis in locis testimonium perhibet, ejusque vim & efficaciam graphice exprimit. 1. Paulus in oratione ad Lystrenses, cum dixisset *Deum in præteritis generationibus permisisse omnes gentes ingredi vias suas*; quia nimirum iis non dederat legem sicut Israëlitis, per quam in officio & cultu ipsius continerentur, nec ullos ad eos miserat Prophetas; subjungit, Deum tamen *sine testimonio semetipsum non reliquisse, benefaciendo de cælo, dando pluvias & tempora fructifera, & implendo corda hominum cibo & lætitia*; *Act.* XIV. v. 15. 16. Ubi per verba ista, *Deum non reliquisse semetipsum sine testimonio*, intelligitur vocatio illa divina, qua Deus benefaciendo hominibus, tanquam funiculis humanitatis eos ad se amandum & colendum attraxit; cum ratio cordibus hominum insita doceat ipsos erga benefactorem suum gratos esse debere, & propter beneficia quæ quotidie à Deo accipiunt & exspectant ipsum omni cultu & veneratione prosequi. quamquam enim potentia & sapientia, quæ in operibus Dei elucent, homines ad ipsum colendum movere deberent; viderentur tamen istud negligentes excusatione aliqua digni, nisi Deum adeo erga se beneficum experirentur. Ideoque Paulus hoc loco, omissa potentiæ & sapientiæ Dei mentione, contentus est Lystrenses de ejus insigni, quam experirentur omni tempore, beneficentia admonere, ut scirent quantum illi isto nomine essent devincti.

V. 2. Alterum illustrem locum habemus in eodem libro, in oratione Pauli ad Athenienses, ubi dicit *Deum ex uno sanguine fecisse omne genus hominum, ut habitarent per universam terram, & quærerent Deum, si forte attrectarent eum & invenirent*, &c. *Act.* XVII. 26. His enim verbis clare ostendit, quem Deus sibi scopum, creando homines & tot eos beneficiis in hac vita afficiendo, proposuerit; nempe ut *quærerent Deum*; *quærere* autem *Deum* nihil aliud est, nisi gratiam & favorem ejus colendo ipsum ambire & sibi conciliare studere; ut liquet ex istis divini ad Hebræos Scriptoris verbis, *Accedentem ad Deum credere oportet quia Deus est, & quærentibus se remunerator est*, *Hebr.* XI. 6. Vult autem Paulus Athenienses Deum quærere, *si forte eum attrectarent & invenirent*; *licet non sit procul ab unoquoque nostrum*; *utpote in quo*, secundum Poëtæ Arati dictum, *vivamus, moveamur & simus*. quasi diceret; Deus se & bonitatem suam tot modis sentiendum & fruendum præbet, & ita prope nos est beneficiis suis, ut eum quasi manibus nostris attrectare possimus, & palpando invenire; adeoque sit inventu facillimus, si quærendi laborem non detrectemus.

VI. 3. Eadem de re varia quoque habemus testimonia in libro Psalmorum, ubi David ex consideratione operum & beneficiorum divinorum, occasionem arripit Deum celebrandi, & cæteros ad ejus laudes cohortandi. Talis est *Psalmus* VIII. in quo David ex cœlorum, lunæ & stellarum pulchritudine, nomen Dei prædicat; sed præcipue ex hominis præstantia & beneficiis in eum collatis, imo ex ore infantium & lactentium, quibus dicit Deum perfecisse laudem suam. Talis est XIX. ubi dicit Cœlos & Solem enarrare gloriam Dei, & quamvis in iis non sint loquelæ nec sermones, tamen sonum eorum exivisse in omnem terram, & verba eorum in fines terræ. Talis est *Psal.* XXIX. ubi ex tonitru, quod vocem Domini appellat, laudes Dei celebrat. Talis est CIV. in quo præcipua Dei opera commemorat, & curam quam illorum gerit, ut ostendat quantus sit Deus, quam bonus, & quam dignus ut ab omnibus celebretur. Talis denique est CXLVIII. ubi per prosopopœiam omnes creaturas ad laudes ejus prædicandum invitat & adhortatur. Quamvis enim David & alii Prophetæ, à quibus Psalmi sunt compositi, non tantum per considerationem operum Dei adducti fuissent ad ejus cognitionem, sed etiam & præcipue per legem in qua à teneris instituti erant; tamen ostendunt satis, quam vim debeat habere hæc speculatio in animis eorum qui non plane fuerint stupidi, & quousque his adminiculis usi in pietate proficere homines possint.

VII. 4. Huc quoque pertinent illa quæ Deus in libro *Jobi cap.* XXXVIII. XXXIX. XL. & XLI. de operibus suis prædicat, ex quibus homines ipsum possint & debeant agnoscere ejusque laudes celebrare. Sicut enim nullus est rivulus, etiam minimus, quem si sequaris is te non deducat ad mare, unde originem suam sumsit; ita nulla est Dei creatura, quamvis exigua videri possit, in qua ab iis qui oculos habent non spectetur Dei magnitudo, excellentia & benignitas, propter quas dignus est ut ab omnibus hominibus nomen ejus perpetuo decantetur & celebretur.

VIII. 5. Denique Paulus de vocatione Dei per opera creationis & providentiæ evidenter testatur; cum dixisset, *iram Dei revelari de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum* eorum *qui veritatem Dei in injustitia detinent*; rationem hujus dicti redditurus subjungit; *Quia τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatione mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna videlicet ejus virtus & divinitas; ut sint inexcusabiles; quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, &c. *Rom.* I. v. 18. & *seqq.* Cum autem iste locus valde sit insignis, & vel solus thesin nostram sufficienter

cienter probare possit, in eo aliquantulum immorari visum est. Tria ergo hic consideranda. Primo dispicere oportet de quo hominum genere hic loquatur Apostolus. Manifestum autem esse puto ex tota serie orationis ipsius, & iis quæ tractat à *v.* 18 hujus capitis, usque ad 18 *capitis* II. ipsum de Gentilibus agere nondum cognitione Euangelii illustratis. Cum enim dicat *iram Dei revelari de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum*, nullam mentionem facit rejectionis Euangelii; quod peccatum cætera omnia quæ ignorantiæ suæ tempore commiserant longe magnitudine superasset; sed tantum eis objicit, quod *evanuerint in cogitationibus suis*, *& dicentes se esse sapientes stulti facti sint:* Deinde cum in illorum peccatis prolixe accusandis perrexisset, dicit tandem *cap.* II. *v.* 12 *eos qui sine lege peccaverunt, sine lege perituros*; item 14. *gentes quæ legem non habent, natura ea quæ legis sunt facere*, &c. quæ non fuissent apposita, si de illis intendisset loqui quibus Euangelium fuerat annunciatum. Nec refert, quod verba & phrases omnes quibus utitur videantur posse non incommode de revelatione quæ per Euangelium fit intelligi; cum pateat id ab ipsius mente & scopo esse alienum. Nam etiam non minus commode, quin etiam longe commodius & absque ulla violenta torsione, possunt revelationi Dei per opera creationis & providentiæ generalis factæ applicari. *Veritas* quidem aliquoties in Scriptis Apostolorum doctrinam Euangelii κατ' ἐξοχὴν significat. Sed etiam isto nomine non est indigna cognitio potentiæ & bonitatis divinæ quæ per opera creationis & providentiæ potest haberi, cum ea natura sua homines ad Deum colendum quasi manu ducat. Dei etiam potentia & divinitas, licet revelentur illustrius in Euangelio, & per Christi & Apostolorum miracula, quam unquam antea factum fuerit; id tamen non impedit, quin etiam excellenter in aliis Dei operibus patefactæ sint, ut apparet ex testimoniis ea de re modo à nobis allatis, ex Actis & Psalmis ac Jobo. Quod vero volunt vocem *natura*, conjungi cum præcedentibus, in loco *cap.* II. *ad Rom.* ita ut legendum sit, *Gentes quæ legem non habent natura*, absque ullo commate; etsi id violentum sit & contortum, potest tamen ipsis absque ullo causæ nostræ detrimento concedi: cum satis appareat ex sequentibus, agi de illis gentibus, quæ nullum alium in actionibus suis ducem habebant, quam rationem, quæ est naturæ lex. Dicit enim eos *cum legem non habeant*, *sibi ipsis esse legem*, *ut qui ostendant opus legis esse scriptum in cordibus suis*, *&c.* Nam his verbis manifeste efficacia legis istius naturæ describitur; nec potest ulla ratione ad Euangelium repudiatum trahi, quod nullam vim habet in hominum animis, & inepte in cordibus ipsorum scriptum esse diceretur.

IX. Deinde perpendenda sunt hæc verba, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quæ vulgo redduntur ab interpretibus, *quod cognosci potest de Deo*; sed melius meo judicio redderentur, *quod cognosci debet de Deo.* Etiamsi enim vox τὸ γνωστὸν utrumque significat; tamen posterior interpretatio melius huic loco convenit. Utrumque significare inde patet, quod ejusmodi terminationis verbalia pro ratione rerum de quibus agitur modo hoc, modo illo sensu accipiantur. Cum de theoreticis agitur, significare solent facultatem seu possibilitatem; sic αἰσθητὸν est sensibile, seu quod sentiri potest, ὁρατὸν, visibile seu quod videri potest; cum vero de practicis, significare solent officium, seu id quod fieri debet; ut ἀγαπητὸν, amabile seu quod amari debet, μισητὸν, odibile seu quod odisse oportet, & ita de similibus. Cum vero τὸ γνωστὸν ad utraque referri queat, tum theoretica tum practica, sequitur utroque etiam significatu accipi posse, ita ut aliquando significet id quod cognosci potest, aliquando vero id quod cognosci debet. Hoc verò loco significare id quod cognosci debet, inde patet, quod alioqui Paulus inepte loqui videretur. Cum enim nihil cognosci possit de Deo nisi quod ipse revelaverit, neque quicquam revelaverit quod cognosci non possit, si ita interpreteris hunc locum, *quod de Deo cognosci potest manifestum est in illis*, &c. idem esse videbitur ac si dixisset, Deum revelasse hominibus, id quod revelavit, vel noscibile fecisse, id quod de eo nosci potest. Quod quam male Apostolo tribuatur, unusquisque facile animadvertit. Nec tamen inde sequitur hic de revelatione per Euangelium facta agi. quamvis enim homines teneantur id cognoscere quod Deus ipsis in Euangelio revelavit, nempe postquam ipsis annunciatum est; non tamen id tenentur cognoscere antequam ipsis prædicatum fuerit. Euangelium enim non est notum natura, & leges positivæ non obligant antequam sufficienter publicatæ fuerint. Quare Paulus hic docet Deum in operibus creationis & providentiæ revelavisse hominibus id quod de ipso cognoscere tenentur, ut ipsum debito cultu prosequantur; nimirum æternam suam potentiam & divinitatem. Potentia enim Dei est id quod primum menti nostræ objicitur, cum cœli & terræ & eorum quæ eis continentur operum consideramus magnitudinem & excellentiam. Deinde sequitur *divinitas*, id est imperium Dei beneficum quod in omnia habet, & amorem nostrum erga ipsum præcipue accendere debet. Dei enim nomen significat Dominum & gubernatorem beneficum; unde illud vulgare, Homo homini Deus, nempe cum ei benefacit. Qui ergo Dei potentiam & divinitatem æternam ex operibus ipsius cognoscit, vel cognoscendi facultatem & occasionem habet, nisi veritatem sibi manifestatam in injustitia detinere velit, is Deum cultu tantæ ejus majestati debito prosequi tenetur, & vitare tum impietatem erga

 ipsum,

ipſum, tum injuſtitiam erga homines, quibus peccatis ira ejus maxime provocatur. Et hoc illud eſt quod Paulus dicit Gentiles potuiſſe facere, & ob cujus neglectum ira Dei adverſus illos ſit accenſa. Nam jam ἀπὸ κτίσεως κόσμου, id eſt, ex quo mundus eſt conditus, potuerunt illi, ſi voluiſſent attendere, æternam Dei potentiam & divinitatem in operibus ipſius agnoſcere. Iſtis enim comprehenditur τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, ſeu id quod homines de Deo cognoſcere debent, ut eum colant, & favorem ipſius ſibi concilient. Quod vero illi qui putant de Gentibus cognitione Euangelii illuſtratis hic agi, conjungunt verba hæc ἀπὸ κτίσεως κόσμου cum præcedentibus, & legunt uno ſpiritu τὰ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, quaſi Paulus dicere voluiſſet, æternam Dei potentiam & divinitatem, quæ à creatione mundi fuerant inviſibiles, demum per opera à Chriſto & Apoſtolis tempore Euangelii facta redditas fuiſſe viſibiles; id durum eſt & coactum, & veritati etiam non eſt conſentaneum. Nam etiamſi concederetur Deum ex operibus creationis & providentiæ non poſſe cognoſci; tamen quis auderet dicere ejus potentiam & divinitatem à creato mundo uſque ad Chriſtum fuiſſe incognitas, cum ſe tam illuſtri ratione Iſraëlitis olim patefecerit, quando eduxit eos ex Ægypto & legem ipſis dedit è monte Sinai, & tam glorioſe in terram Cananæam introduxit?

X. Tertio videndum eſt, quis ſit uſus iſtius γνωστοῦ τοῦ θεοῦ, quod Deus patefecit hominibus per opera ſua; an ſufficiens ſit ad ipſos ad verum Dei cultum adducendum, per quem ſalutem æternam obtineant. Quidam reſpondent, omnino non eſſe, & Deum ita ſe patefaciendo hunc ſcopum ſibi non propoſuiſſe; ſed tantum reddere eos inexcuſabiles, quos majori luce non dignaretur, ut Paulus hoc loco dicit, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Verum abſurda eſt hæc reſponſio. Homines enim per Dei revelationem ſolam non redduntur inexcuſabiles; ſed per illius rejectionem, quæ valide ipſos obligat ad pœnam, cum nihil peccato ſuo, quod ipſum prout tenebantur non coluerint, poſſint prætexere. Deus autem non ſe ideo patefecit hominibus, ut ipſum ſpernant, & ut inde occaſionem arripiat eos gravius puniendi, quam ſi ipſum plane ignoraſſent. Abſit. Id eſt plane ab ejus bonitate alienum. Sic enim ejus dona eſſent inimici dona, quæ ad perniciem eorum quibus offeruntur tenderent. Iſtud erat inſigne beneficium ad ſalutem ipſorum tendens; alioqui non obligati fuiſſent pro eo gratias Deo agere. Præterea per cognitionem Dei inſufficientem, nemini excuſatio adimitur, quod ipſum non coluerit; ſed contra, ut videtur, legitima præbetur cauſa conquerendi de ejus nimio rigore, quaſi colligere velit ubi non ſparſit, & metere ubi non ſeminavit; quod ægre fert ſibi objici, *Matth.* XXV. *v.* 24. Hæc ergo verba, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, non ſignificant finem quem Deus ſibi propoſuerit; ſed nudum eventum, ex hominum Dei donis abutentium ingratitudine procedentem. Non enim alienum eſt ab uſu Scripturæ S. ut iſtæ particulæ εἰς τὸ, & ἵνα & ὅπως, eventum ſignificent, & non finem, atque adeo æquivaleant voci ὥστε. Sic autem hoc loco debere accipi apparet ex eo, quod reprehenduntur illi, qui cum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt, nec gratias ei egerunt, &c. Deinde ſi, ut quidam dicunt, illi quibus ſe Deus ita revelavit, non potuerunt eum glorificare, nec gratias ei agere, non capio quomodo fuerint inexcuſabiles. Non minus enim æqua eſt excuſatio, quæ petitur ab impotentia præſtandi imperata, quam quæ ab ignorantia. Quod ſi Deus hanc velit adimere hominibus, quibus potentiam & divinitatem ſuam revelat, cur non dicemus & illam quoque? Quare cum τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, ſeu quod de Deo cognoſci poteſt & debet, patefactum fuerit hominibus per opera creationis & providentiæ, ſequitur hanc revelationem natura ſua ad ſalutem ipſorum tendere, niſi ipſi malitia & ingratitudine ſua obſtaculo ſibi ſint quominus eam conſequantur.

XI. Sed dices, Per hæc Dei opera Chriſtus non poteſt cognoſci, nec doctrina Euangelica; an ergo abſque Chriſti cognitione poteſt aliquis ſalutis æternæ eſſe particeps? Petrus enim diſerte dicit, *non eſt in alio aliquo ſalus*, (nempe quam in Chriſto) *nec aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*, *Act.* IV. 12. Et Joannes, *Qui habet filium, habet vitam; qui non habet filium Dei, non habet vitam*, 1 *Epiſt.* V. 12. cum quibus multa alia loca conſonant, quæ fidei in Chriſtum neceſſitatem urgent, ut *Marc.* XVI. 16. *Joan.* III. 36. *&* XVII. *v.* 3. & ſimilia. Reſp. 1. Homines non teneri illa cognoſcere quæ Deus ipſos celare voluit; ac proinde ignorantiam Chriſti, quamdiu revelatus non eſt, pro peccato non imputari. Id quod Chriſtus ipſe expreſſe docet; *Si non veniſſem*, inquit, *& locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, &c. Joan.* XV. 22. 24. Illi ergo, quibus Chriſtus non eſt annunciatus, non ideo damnabuntur, quia in eum non crediderunt, (quod ipſis fuit impoſſibile) ſed quia τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ in injuſtitia detinuerunt, & Deum pro cognitionis ſuæ modulo non glorificaverunt nec gratias ei egerunt. Sicut etiam *qui ſine lege* (nempe Moſis) *peccaverunt, ſine lege peribunt*, *Rom.* II. *v.* 12. nimirum quia legem in cordibus ſuis ſcriptam, ſecundum quam vitam & actiones tenebantur dirigere, ultro violarunt. Unde ex oppoſito ſequitur, ut ſi quis ipſorum ſecundum legem naturæ vixerit, non ſit futurus obnoxius ignis æterni ſupplicio, quod ſolis incredulis & impœnitentibus in Euangelio denunciatur.

XII. 2. Ne-

XII. 2. Neminem unquam salutem æternam consecuturum, nisi per redemtionem quam habemus in Christi sanguine, seu per sacrificium expiatorium quod obtulit pro totius mundi peccatis. Quod ut valuit ad peccata illorum delenda, qui ante adventum ipsius in mundum vixerunt, ac proinde ipsum non agnoverunt, aut saltem admodum obscure; ita etiam prodesse potest iis qui à temporibus Euangelii exstiterunt, & ipsum nulla sua culpa ignorarunt. Nihil enim obstat, quominus aliquis particeps esse possit beneficii cujus authorem ignorat, si per ipsum non stet quominus norit, & beneficio, si non ex stricto jure, tamen ex æquitate non sit plane indignus.

XIII. 3. Loca citata ex *Act.* IV. & 1 *Joan.* V. & aliunde, de iis solis debere intelligi quibus Euangelium est annunciatum & Christus in illo revelatus. Certum est enim illos non posse aliter quam per fidem in ipsum salutem obtinere; ideoque si Christum incredulitate sua rejiciant, paratam iis esse & inevitabilem æternam damnationem. Tanta enim ingratitudo & improbitas omni excusatione caret. Sed alia plane est ratio illorum, qui nihil de Christo audiverunt; non enim proprie loquendo sunt increduli aut contumaces adversus divinam voluntatem, sed tantum illius ignorantes; quæ duo quantum distent, nemo non videt; illud enim cum insigni malitia est conjunctum; hoc vero minime; ideoque non est mirum si incredulis graves pœnæ sint denuntiatæ, ignorantibus vero id quod scire non potuerunt, nullæ, utpote misericordia magis quam odio dignis.

XIV. 4. Non posse quidem certo affirmari, Deum daturum vitam æternam iis qui honeste secundum legem naturæ & rectæ rationis vixerint, (si qui forte tales reperiantur) quia Deus illam ipsis non promisit. Nihil tamen obstare, quominus plura bona det hominibus quam expresse promiserit; imo id ipsius eximiæ benignitati optime convenire. Sufficit si sciamus eos ignis æterni supplicio adjudicatum non iri, quod solis destinatum est Euangelii contemtoribus, aut qui gravibus sceleribus contra rationis rectæ dictamen se polluerint. Nec absurdum cuiquam debet videri, cum tria dentur in hoc sæculo hominum genera, nempe credentium in Christum, recusantium credere, & ignorantium eum, etiam in futuro sæculo triplicem eorum fore statum; & fideles quidem vitæ æternæ, infideles igni æterno adjudicatum iri, ignorantes vero Christum, prout alias bene aut male vixerint, præmia aut pœnas factis suis convenientes accepturos; licet in specie quales futuræ sint designare non possimus. In qua sententia plurimi veterum fuerunt.

XV. 5. Quod si Deus nullos omnino salutis æternæ participes facere decreverit absque cognitione Jesu Christi, verisimile est Deum potius cum extraordinaria aliqua ratione probis hominibus revelaturum, ut per Angelos, quod Cornelio Centurioni contigit, *Act.* X. quam ut ipsos in ignorantia sua perire sinat. Nam quod aliquando factum est, nihil impedire videtur, quin pluries simili oblata occasione iteretur. Potest etiam Deus interius per Spiritum suum ejusmodi homines illustrare in cognitione Christi, & docere eos quid debeant facere ut vitam æternam obtineant, cum præcedenti gratia & donis bene fuerint usi, & non male videantur dispositi ad parendum divinæ voluntati si ipsis reveletur. Ita enim solet Deus cum hominibus agere, & ut Dominus Jesus docet, *habenti dare*, cum ab aliis, qui gratia divina abutuntur, *etiam id quod videntur habere*, ex justo Dei judicio, *auferatur*, *Matth.* XXV.

XVI. 6. Cum Deus vitæ æternæ participes facturus sit eos qui ante Christi adventum probe & sancte vixerunt, etiamsi in ipsum non crediderint; non videtur sub novo fœdere, in quo majorem gratiam erga genus humanum testatur, inde exclusurus eos qui in Christum, de quo nihil audiverunt, non credunt. Consequentia est evidens; de antecedente autem nullus dubitare potest jure, videl. quin sancti illi Patriarchæ, Abraham, Isaac & Jacob, aliique eorum similes, qui ante Christi tempora vixerunt, salvandi sint; cum testimonia ista de re habeamus aperta *Matth.* VIII. 11. & *Hebr.* XI. 16. Quod si quis existimet eos non fuisse salvatos absque aliqua Christi cognitione, ipsosque in eum credidisse, & sperasse expiationem peccatorum in ejus morte se inventuros; dicam verum quidem esse nonnullos eorum credidisse Messiam, quem Deus ipsis promiserat, venturum in mundum; sed eos non fuisse per istam fidem salvatos. Quemadmodum enim fides per quam nos hodie credimus Christum venisse, non reddit nos justos apud Deum; ita neque ea qua veteres olim ipsum venturum exspectabant. utraque enim mere historica est, & in multis improbis reperitur. Vera fides in Christum, sine qua nemo justificatur, comprehendit spem promissorum ejus, simul & obedientiam mandatorum, tanquam effectum inseparabile. Unde facile est videre eos, qui nullam doctrinæ ipsius cognitionem habuerunt, in ipsum proprie non potuisse credere. Fundamento etiam caret, quod dicitur confisos fuisse se virtute mortis Christi à peccatis salvatum iri. Nam ipsum moriturum, præsertim ejusmodi violenta & ignominiosa morte, ignorabant; ut probatur exemplo Apostolorum, qui offendebantur iis quæ de morte sua prædicebat; nihilominus vera fide erant præditi, temporeque illo sufficiente, & propter quam Christus illos beatos pronunciat, *Matth.* XVI. 17. Quod si in quibusdam major & perfectior fuit cognitio, ii respectu cæterorum exiguo fuerunt numero. Certe Rahab Cananæa, cujus fides tantopere celebratur *Hebr.* XI. & *Jacob.* II. non credebat peccata sua

sanguine Christi purgatum iri; de cujus adventu & officio ne verbum quidem adhuc audiverat. Fides ejus in eo consistebat, quod ex miraculis, quæ in Israëlitarum gratiam facta esse ex communi rumore noverat, colligebat ipsum esse verum Deum, qui plenam iis de hostibus victoriam daturus esset, & se beneficio aliquo exploratores ab ipsis missos afficiendo Deo placituram, & ab eo remunerationem accepturam. Nec alterius generis videtur fuisse fides Noachi, Gideonis, Jephte, Samsonis, ibi pariter ab Apostolo memorata.

XVII. 7. Habemus etiam satis expressum Pauli testimonium *Rom.* II. unde colligimus illos à vita æterna exclusum non iri, qui pro modulo cognitionis Dei, quam ex natura haurire potuerunt, ipsum coluerunt & integri vitæ scelerisque puri fuerunt. Dicit enim *v.* 7. Deum iis *qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam redditurum.* Vox enim *reddit* necessario supplenda est ex præcedente versu, ut sensus sit plenus. Et tota series orationis ostendit, eum non minus de Gentilibus quam de Judæis agere; speciatim versus nonus, ubi dicit, *tribulationem & angustiam fore in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, tum etiam Græci.* Qui enim comprehensi sunt in comminationibus, non debent excludi à promissionibus; si aliqui saltem extent qui conditiones iis appositas impleverint; sicut certum est plurimos pœnis, quæ per minas denunciatæ fuerunt, se dignos reddidisse; cum promissiones, non minus quam minæ, omnibus indiscriminatim propositæ fuerint. Ex quibus liquet, quanta possit esse efficacia vocationis illius quæ per opera creationis & providentiæ generalis fit, si homines dignarentur ad illam attendere, & cognitionem quam inde hauserunt in injustitia non detinerent.

XVIII. Sed longe tamen excellentior & perfectior est vocatio quæ administratur per Dei verbum, sive ore prolatum & annunciatum, sive scripto consignatum, ut in lege & in Euangelio. Nam in ea habetur expressa declaratio voluntatis divinæ, & quo genere cultus delectetur; quod ex contemplatione operum Dei non potest disci; sed tantum inde ratiocinando & per consequentias obscuras aut longe petitas elicitur. Unde Propheta celebrans hanc Dei gratiam *Psal.* CXLVII. dicebat, *Annunciat* (Deus) *verbum suum Jacobo, justitias & judicia sua Israëli. Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Ubi observandum est ipsum non negare absolute Deum manifestasse se aliis gentibus; sed tantum significare id non tam perspicue & abundanter factum, idque ostendit adverbium comparationis *taliter*, *non fecit taliter omni nationi*, לא עשה כן; quod etiam subintelligi debet in membro sequenti, *& judicia sua non manifestavit eis*, nempe taliter, seu tam clare & copiose. Nam alias constat Deum non semel judicia sua toti mundo manifestavisse, ut in diluvio quo primus mundus periit; in conflagratione Sodomæ & Gomorræ, cujus fama ad omnes pervenit; in liberatione Israëlitarum ex Ægypto & introductione in terram Canaan, excisis magnam partem miraculose illius incolis; quæ totidem erant velut illustres conciones, quibus Deus justitiam suam toti mundo patefaciebat, & quid iis exspectandum esset qui impietati & injustitiæ operam dabant, quasi in sublimi theatro spectandum præbebat. Quod si hic emphasin esse nolimus in voce *taliter*, justitiæ & judicia Dei restringenda erant ad legem scriptam, quæ non fuit data reliquis terræ populis, sed tantum Israëlitis, quos Deus singulari gratia in peculium elegerat.

XIX. Deus igitur primum viva voce, absque scripto, voluntatem suam hominibus patefecit, per spatium circiter 2450 annorum, quot videl. effluxerunt à mundo condito usque ad Israëlitarum exitum ex Ægypto, quo leges divinæ scripto consignari cœperunt, primo in tabulis lapideis, Dei, seu potius Angeli ipsius manu exaratis, deinde in quinque Mosis libris; quem secuti sunt labentibus sæculis multi Prophetæ, quos Deus extra ordinem ad voluntatem suam Israëlitis annunciandum tum concionibus suis, tum scriptis, suscitavit. Sed ante illud tempus Deus contentus fuit viva voce homines compellare; & non omnes quidem promiscue, aut frequenter; sed quosdam tantum, & raro atque extraordinarie; ita tamen ut per illos voluntatis divinæ cognitio ad omnes pervenire posset. Sic statim post peccatum in mundum ingressum, ut ostenderet se Patrem misericordem, & qui peccata condonat, summoque jure non vult agere cum hominibus, denuncians serpenti, aut potius Diabolo qui sub illius specie latens Evam deceperat, pœnam & maledictionem, simul ad hominis institutionem addit, *Semen mulieris contriturum caput serpentis*, *Genes.* III. 15. per istud semen mulieris mystice intelligens Christum, oriundum ex muliere absque viri opera, qui *apparuit ut dissolveret opera Diaboli*, 1 *Joan.* III. 8. Non est autem dubitandum, quin primi nostri parentes, à lapsu erecti & sapientiores malo suo facti, istud liberis suis inculcarint, & ita per manus quasi traditum, tandem ad Mosem pervenerit qui id scripto consignavit. Quod non erat difficile illis temporibus, ubi homines admodum longævi erant. Nam ab Adamo ad Mosem non fuerunt ultra 25 generationes. Licet nolim negare Mosem eorum, quæ per traditionem suorum patrum didicerat, confirmationem à Spiritu S. cujus ductu scripsit, accepisse. Deinde legimus Deum se verbo manifestavisse Caino, tum ante Abelis cædem, ut à pravo animi proposito ipsum deterreret; tum post illam perpetratam, ut ei pœnam commeritam denunciaret. Quæ revelatio, etsi particularis fuerit, non est

est tamen dubium quin ad multorum cognitionem pervenerit, & efficax esse potuerit ad ipsos in officio continendos. Sed longe illustrior fuit illa, quæ postea contigit Noacho, generis humani post diluvium instauratori, & communi omnium qui deinceps vixerunt parenti. Nihil enim præter hominum inexcusabilem socordiam impedire potuit, quominus memoria legum, quas pro se & liberis suis acceperat, inviolata inter posteros conservaretur. Secutæ sunt revelationes factæ Abrahamo, Isaaco & Jacobo, cum quibus etiam Deus sempiternum iniit fœdus, quo se peculiariter illis si mandata sua custodirent benefacturum promisit. Hoc tamen fœdere reliqui mortales non sunt à divina gratia exclusi: nam illo tempore vixit pius rex & sacerdos Melchisedec, qui ipsi Abrahamo redeunti à cæde regum Cananæorum benedixit. Nec dubium quin saltem pauci aliquot ex ejus subditis inventi sint, qui pietatem in qua tam eximium principem habebant præeuntem sectarentur. Jobus quoque & ejus amici, omnes (si LXX Bibliorum interpretes audire velimus) è prosapia Esavi oriundi, huic rei testimonium perhibent; utpote qui veterum nulli cognitione Dei & erga ipsum pietate cesserint.

XX. Præcedentes omnes revelationes antecelluit illa, qua Deus per Mosem Israëlitas in voluntatis suæ cognitione instituit. Unde merito celebratur *Deuter.* IV. 6. 7. 8. *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias justaque judicia & universam legem, quam ego* (inquit Moses) *proponam hodie ante oculos vestros? Credita sunt illis eloquia Dei*, *Rom.* III. 2. *Eorum est testamentum & legislatio*, *Rom.* IX. 4. Non tamen destitutæ fuerunt reliquæ gentes auxiliis generalioribus quibus ad Deum accedere & ejus beneficiorum participes esse possent. Israëlitæ velut ad Dei mensam accubuerunt; sed reliquis populis licuit saltem vesci micis ex illa decidentibus. Israëlitis contigit plena messis & vindemia gratiarum divinarum, sed reliquis saltem spicilegium & racematio permissa fuerunt. Nimirum Deus hac singulari benevolentia voluit discernere populum illum, ex quo olim Messiam mundi Salvatorem suscitaturus erat, à cæteris omnibus quos in viis suis ambulare sinebat; sed ita, ut gentibus istis necessarium gratiæ Dei auxilium non deesset, quo si bene uterentur, majora ab ejus bonitate dona obtinerent. Licebat enim quibusvis in populum illum electum inseri, suscipiendo circumcisionem, & reliquos legis ritus observando. Quod factum crebro legimus, imo ita ut aliquando integræ gentes Judæis se adjunxerint, ut testatur Josephus de Idumæis sub Hyrcano rege. Quamvis absque circumcisione possent etiam gentes, quibus non erat præscripta, placere Deo, modo secundum naturæ legem pie & juste viverent; & illa tantum requireretur ab iis, qui in unum cum Israëlitis populum coalescere volebant, & earundem cum ipsis benedictionum temporalium esse participes. Nec defuerunt singulis temporibus, durante lege, qui Israëlitis pietate non videbantur inferiores, etsi essent incircumcisi, ut Jethro socer Mosis, filii Cinæi ejus affines, unde oriundi erant Rechabitæ, quorum pietas laudatur *Jerem.* XXXV. Hiram rex Tyri, Regina Saba, aliique multi. Præterea Deus, ut ostenderet reliquos populos sibi adhuc esse curæ, voluit Prophetas suos, Esaiam, Jeremiam & alios, iis judicia sua denunciare, nimirum ut illa possent pœnitentia sua prævenire, *Amos* III. 7. quemadmodum videmus in iis, quæ illi prædicunt in Idumæos, Moabitas, Assyrios, Ægyptios & alios populos; sed præcipue ex missione Jonæ ad Ninivitas, qui etiam prædicationi ejus crediderunt, & convertentes se à malis suis viis excidium sibi imminens effugerunt. Quod etiam cæteri facere potuissent, si attendere voluissent. Erant enim vicini Israëlitis, nec prædictiones istæ eos omnino latebant. Et cum Deus Israëlitas inter gentes captivos abduci permisit, licet ob eorum peccata factum sit, alio tamen respexit. Nam videtur verbi sui præcones ad gentes istas misisse, per quos in vera religione instituerentur; adeo admirabilem se ostendit Deus in suis operibus, ut castigationes populi sui ad sanationem aliorum inservire faceret. Ut nec sine ejus providentia speciali contigit, quod Biblia circiter 270 annis ante nativitatem Christi, jussu Ptolomæi Philadelphi in Græcum sermonem, ubique fere tunc familiarem, conversa sunt. Sic enim ex Ethnicis plurimi, qui studiosi veritatis fuerunt, eam facile ex istius libri lectione in lingua sibi vernacula haurire potuerunt.

XXI. Sed præcipuum, quod spectavit Deus, videtur fuisse, ut pararet viam ad universalem illam gentium vocationem, quæ per Euangelium non multo post fieri debebat. Hæc est illustrissima omnium vocationum quibus Deus homines unquam dignatus est; & initium cæpit à Jesu Christo, qui in Judæa quidem sola prædicavit; sed terram deserens mandavit Apostolis ut Euangelium suum per totum orbem annunciarent. quod ut ipsis mandatum fuerat, ita diligenter executi sunt, primum viva voce, deinde scriptis posteritati relictis, in quibus summam doctrinæ salutiferæ comprehenderunt: eum in finem, ut qui ipsos viva voce concionantes non audivissent, ad libros istos confugerent, & ex iis in vera religione & Dei cultu instituerentur. Prædicationis autem eorum vocem ad universum orbem tunc cognitum pervenisse, docet nos Paulus, dicens, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, *Rom.* X. 18. Mystico sensu applicans Apostolis suis collegis, id quod olim David *Psal.* XIX. de cœlo & sideribus in eo micantibus cecinerat. Et alibi adhuc expressius dicit, *Euangelium*, cujus factus erat minister, *prædicatum fuisse in universa creatura*

quæ

quæ sub cœlo est, *Coloss.* I. 23. Quod tamen ita universaliter non est accipiendum, quasi Apostoli ubique locorum absque exceptione Euangelium annunciassent, etiam in America ab hinc 160 annis detegi cœpta, & in terra Australi adhuc incognita. (Nam quæ nonnulli referunt illic remansisse prædicationis Apostolicæ vestigia, ea plane sunt incerta.) Sed significare tantum voluit, eos orbis partes tunc vulgo cognitas peragrasse, & quantum in se fuit Euangelii cognitione replevisse; licet multi fuerint qui ipsos admittere noluerint; ut constat ex eo, quod veteres tradunt omnes Apostolos, excepto Joanne, cruentum habuisse vitæ exitum.

XXII. Objicies forte, quædam tamen fuisse loca, accessu facilia & obvia, in quibus Deus noluerit Euangelium prædicari ab Apostolis. Referre enim Lucam, cum Paulus & Silas transirent Phrygiam & Galatiæ regionem, vetitum iis fuisse à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia: & cum tentarent ire in Bithyniam non permisisse id ipsis Spiritum Jesu, *Act.* XVI. 6. 7. Quod afferri solet ad evertendum vocationem universalem, & ad stabiliendum decretum reprobationis absolutum, & probandum Deum nolle omnes & singulos homines salvari & ad agnitionem veritatis venire. Sed inepte. Non enim Spiritus S. vetuit Paulum annunciare verbum in Asia & in Bithynia, quod nollet illos cognitione Dei illustrari. Absit. Sic enim Jesu Christo adversatus fuisset, qui jussit Apostolos suos *ire in universum orbem, & prædicare Euangelium omni creaturæ*, *Matth.* XXVIII. *&* *Marc.* XVI. Alias hujusce rei rationes habuit, quas non est necesse nos scire, cum eas reticuerit. Saltem non oportet nos eas comminisci, quæ cum tam diserto mandato adversa fronte pugnant. Forte alios Euangelistas istorum populorum institutioni destinaverat, aut alibi uti volebat Pauli ministerio, ubi fructuosius illud fore prævidebat. Cæterum ex historia satis constat, illo tempore, aut non multo post, Euangelium in Asia & Bithynia annunciatum fuisse, & quidem à Paulo ipso. Testatur enim ea de re Lucas, dicens Paulum Corinthi per biennium disputasse quotidie in schola tyranni cujusdam; ita ut omnes qui habitabant in Asia audirent ex ejus ore verbum Domini, Judæi atque Gentiles, *Act.* XIX. 9. 10. Et Demetrius aurifaber, seditionis illius Ephesinæ autor quæ Paulum in maximum periculum conjecit, dicebat opificibus à se congregatis, *Videtis & auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ Paulus hic suadens avertit multam turbam*, *Ibid.* v. 26. Ista autem quadriennio aut quinquennio ad summum post illam prohibitionem Spiritus contigerunt; à quibus si duos illos annos subtrahas, quibus Paulus in Asia docens est commoratus; sequetur iter ipsius in Asiam non fuisse absolute prohibitum, sed tantum in biennium circiter propter graves aliquas causas dilatum. adeo autem exiguum est istud temporis spatium, ut in computum hic venire non debeat, & nullius plane sit momenti, ad probandum Deum illos voluisse à salute exclusos, ad quos biennio serius quam ad alios Euangelii præcones misit. Præterea septem illæ Ecclesiæ Asiæ, ad quas scriptæ sunt Epistolæ 2. *&* 3. *cap. Apoc.* contentæ, & inscriptio primæ Epistolæ Petri *fidelibus* commorantibus *in Asia & Bithynia*, qui vocantur *electi secundum præcognitionem Dei*, falsi arguunt eos, qui populos Asiæ in numero reproborum, tam levi conjectura inducti, reponere ausi fuerunt.

XXIII. Sed quæritur adhuc, Cur Deus non semper & ubique voluntatem suam hominibus patefieri curaverit, præsertim ex quo filium suum in mundum misit, qui Euangelicæ doctrinæ radiis eum illuminaret. Istud enim putatur esse validissimum argumentum quo probetur Deum nolle omnium & singulorum salutem; sed contra nonnullos ab æterno absolute reprobasse, quos impossibile sit damnationem effugere. Alias ad omnes absque exception ne missurum fuisse Euangelii præcones, pequorum ministerium ad fidem, & per fidem ad salutem ipsos adduceret. Illum enim qui non vult media quæ solus in potestate sua habet communicare, neque finem qui per illa obtinetur velle. Sicut posset dici de medico, qui solus haberet remedium aliquod efficax ad ægrum aliquem sanandum, eum istius ægri salutem nolle, si dare recusaret, quamvis alias verbis magnum ejus studium præ se ferret. Resp. I. An ergo illi qui sic argumentantur, concedunt Deum omnes & singulos velle salvare quos per Euangelium vocare dignatur? Si istud obtineamus, sufficit nobis; de iis enim præcipue solliciti sumus. Quod ad alios attinet, eos Dei judicio relinquimus; scimus Deum eos non nisi summa cum æquitate, ut benignum patrem liberos suos, judicaturum. Sed quod nos angit est hoc, Utrum Deus inter eos, quos per Euangelium ad salutis participationem vocat, tale discrimen fecerit, ut partem illorum salvam esse nolit. Hoc enim posito, nullus eorum quibus Euangelium annunciatur de sua salute certus esse potest, nisi cui Deus prædestinationis suæ arcanum revelaverit. Quod cum non soleat facere, necesse est omnes perpetuo damnationis æternæ metu angi. Quod vero respondent, nos per fidem de salute certos reddi: dicimus id merum esse ludibrium, cum nemo certus esse queat fidem suam qua credit Euangelio esse veram, nisi sciat eam ex prædestinatione procedere, (cum tanta sit aliquando, ut ajunt doctrinæ hujus defensores, inter electorum & reproborum fidem affinitas, ut reprobi se ex electorum numero esse firmiter habeant persuasum:) aut nisi ex perseverantia usque ad mortem id colligat; (cum fides hypocritica non sit diuturna, sed tandem deficiat.) Illud autem non potest sciri, utpote à Deo nemini patefactum;

ctum; hoc vero homines toto vitæ suæ tempore anxios relinquit, & nullam iis consolationem firmam nisi cum jam morti sunt propinqui affert. Cum ergo secundum istam hypothesin Deus magnam eorum partem, quibus in Euangelio annunciari curat Christum pro ipsorum peccatis esse mortuum, & totius mundi esse Salvatorem, nolit esse salutis æternæ participes, frustra de aliis disputatur quibus non est revelatus; nec convenit nos de ignotis magis esse sollicitos, quam de nobis ipsis & de iis cum quibus versamur, & quos ex judicio charitatis pro fratribus agnoscere tenemur. 2. Quod Euangelium quibusdam populis non annunciatur, id fit ipsorum culpa, quod se tanto Dei beneficio indignos reddant, non utendo prout oportebat præcedentibus gratiis. Nec refert quod alii, qui isto beneficio gaudent, illis qui destituuntur non videantur esse multo meliores. Nam Deo liberum est unicuique gratias suas prout vult destribuere; nemoque justam de eo conquerendi causam habet, quod non tantum atque alius acceperit, cum nequidem eo quod accepit satis se dignum præstet.

XXIV. Nec ex eo quod Deus non æquali mensura omnibus salutis media administrat, sed aliis largiore, aliis vero parciore, sequitur eum nolle ut omnes salvi fiant, cum contrarium diserte testetur 1 *Tim.* II. 4. Paucis quidem talis gratia contingit qualis olim Judæis, quibus Euangelium Jesus Christus ipse annunciavit, & omni signorum & virtutum genere confirmavit, vel qualis facta est iis qui ex Apostolorum ore salutis doctrinam hauserunt, & ipsos itidem plurima miracula patrantes oculis suis viderunt. Nullis tamen adeo parca manu Deus gratiam suam confert, quin ad salutem eis sufficere possit, modo caveant ne illi desint, aut eam in vanum acceperint. Servus qui acceperat tantum unum talentum, de quo Christus in parabola *Matth.* xxv. non minus facultatem habebat ex illo negotiandi, si industrius esse voluisset, quam illi quibus data erant duo vel etiam quinque. Sed quia otiosum in terram defodit, merito à domino suo redarguitur & punitur. Illi quibus Deus se tantum per opera creationis & providentiæ generalis revelavit, sunt similes servo qui unicum talentum acceperat; quos vocavit per legem sunt similes illi qui duo acceperat; quos vocat per Euangelium sunt similes ei qui quinque. Certum est autem eum, cui unicum tantum est datum, non posse quidem tam magnum ex illo quæstum facere, atque illi qui habuerunt duo vel quinque. Sed potest tamen aliquem, saltem exiguum, modo sibi deesse nolit. Deus autem ab illo plus non reposcit quam acceperit. Æquitas enim ejus non permittit ut messem faciat ubi non seminavit, vel colligat ubi non sparsit. Sed *omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*, *Luc.* XII. 48. Cur vero Deus tam impari mensura gratias suas distribuat, uno tempore minore, alio majore; quibusdam populis multum, aliis parum largiatur, procul dubio graves habet causas, sed quas nos cognoscere aut scrutari nihil est necesse. Sufficit si sciamus, illis etiam salutis ostium non esse plane clausum, quibus Euangelium non est annunciatum; etiamsi enim ad eam tam facile non possint pervenire atque alii erga quos Deus se benigniorem ostendit, possunt tamen si annitantur; nec dubitare debent, quin si prioribus gratiis bene utantur, uberiores postea accepturi sint. Summa, male illi dicuntur à Deo deserti & extra spem salutis positi, quibus τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod de Deo cognosci potest & debet, in ejus operibus manifestatur, eo fine ut ipsum glorificent & gratias agant; quamvis comparative & respectu aliorum, qui multo plura & majora dona acceperunt, videri quodammodo possint neglecti & derelicti à Deo; cum non obstante ejusmodi qualicunque derelictione, nihilominus alios sibi prælatos gratia apud Deum anteire queunt; secundum illud Christi, *Sic erunt novissimi, primi; & primi erunt novissimi*, *Matth.* xx. 16. Quo etiam pertinent hæc quæ dicebat Judæis, Euangelii, quod ipsis annunciabat, contemtoribus; *Multi venient ab oriente & occidente & accumbent*, &c. *Matth.* VIII. Item, *Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus & condemnabit illos; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis; & ecce plus quam Salomon hic. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam; quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ; & ecce plus quam Jonas hic*, *Luc.* XI. 31. 32. *Matth.* XII. Similiterque cum præclare facta Socratis, Phocionis, Epaminondæ & aliorum cernimus, licet dicere, illos in judicium surrecturos adversus malos Christianos, qui virtute illis longe inferiores fuerunt.

CAPUT XI.

De Vocatione Externa & Interna.

I. *Quid sit vocatio Externa.* II. *Quid Interna.* III. *Non est vis Spiritus Dei seorsim ab Euangelio operans.* IV. *Refutantur Enthusiastæ qui verbum prædicatum & scriptum vocant literam mortuam.* V. *Et illi, qui vocationem externam vocant inefficacem, nisi accedat interna.* VI. *Expenditur distinctio in vocationem congruam & incongruam.* VII. *Non æquali gratiæ mensura Deus homines vocat.* VIII. *Quid sit vocatio inefficax.* IX. *Quo sensu distinctio vocationis in congruam & incongruam tolerabilis sit.* X. *Sensus verborum, multi sunt vocati, pauci electi, Matth.* 20. & 22.

I. SEcundo, Vocatio ad salutem distinguitur in *externam* & *internam*. *Externa* est, quæ fit per Dei verbum, sive viva voce annunciatum, sive scripto traditum, qualecunque illud verbum sit, legis aut Euangelii; quanquam in verbo legis, quæ umbras

 continet,

continet, minor sit efficacia quam in verbo Euangelii, ubi aperte & absque involucris vita æterna promittitur. Et quod ad verbum quidem attinet viva voce annunciatum, illud vel immediate ab ipso Deo aut ejus Angelis prolatum est, sed raro; vel ab ejus ministris immediate & extraordinarie missis; quales fuerunt Prophetæ sub Vet. Testamento, & Apostoli sub Novo; vel mediate à ministris ordinariis in Ecclesia prædicatur. Illius autem longe majorem, quam hujus, esse vim in permovendis hominum cordibus, indubium est; cum illud nulli sit errori obnoxium, hoc vero contra, & sæpe admixta habeat humana commenta, quæ totum suspectum reddant. Unde elogia quæ tribuuntur in Scriptura Euangelii ministris, quod sint *cooperarii Dei*, 1 *Cor.* III. 9. quod *plantent*, *rigent*, *ædificent*, &c. *ibid.* apparet præcipue convenire extraordinariis illis immediate missis; ordinariis vero minus præcipue, & eatenus tantum, quatenus verbo extraordinariis per Scripturam Ecclesiæ tradito religiose adhærent; à quo si discedant, & Euangelium aliud doceant quam in eo continetur, non merentur audiri, sed tanquam seductores sunt rejiciendi, *Gal.* I. 8. 9. Quare Deus, ut saluti nostræ tanto melius prospiceret, ne qui veritatis divinæ sunt studiosi perpetuo dubitationum æstu jactarentur, dedit nobis Scripturam, ex qua absque erroris metu de voluntate ejus edoceremur, & ad quam tanquam ad Lydium lapidem verbum quod à Pastoribus in Ecclesia annunciatur expendi posset, & omnis abusus atque seductio vitari.

II. Vocatio *interna* est, quæ fit per Dei Spiritum, quo Deus intus corda nostra pulsat, ut vocationi externæ, quæ per verbum fit, morigeros nos præbeamus. Ita de Lydia dicitur *Act.* XVI. 14. *Dominum aperuisse ejus cor, ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo.* Quod per Spiritum suum fecit, quo afflavit piam illam fœminam salutis suæ studiosam; nam antequam audiret prædicationem Euangelii, vocatur *σεβομένη θεόν*, *colens Deum*; nempe videtur fuisse Judæa & in lege instituta, aut saltem non plane veritatis salutaris ignara. Quanquam alii hæc verba malint ita intelligere, ut effectum prædicationis Paulinæ significetur, nempe Lydiam efficacia illius fuisse permotam & fidem illi adhibuisse; eodem loquendi genere quo dicuntur illi Israëlitæ secuti fuisse Saulem, *quorum Deus tetigerat corda*, 1 *Sam.* X. 26. quod certum est non esse factum peculiari Spiritus S. efficacia, quæ non erat ad illud necessaria; sed tantum cognitio divinæ voluntatis de Saule in regem eligendo per Samuelem patefactæ. Eodem quoque refertur quod Euangelium vocatur *ministerium Spiritus*, & qui illud annunciabant Apostoli, *ministri non literæ, sed Spiritus*, 2 *Cor.* III. 6. Sive quod Euangelium habeat efficaciam spiritualem, propter apertam vitæ æternæ promissionem, quæ in eo continetur; sive quod Deus prædicationem ejus comitetur, ne sit irrita, peculiari virtute Spiritus, qua penetret in corda auditorum. Unde Petrus dicit, *divinam vim Dei & Christi nobis omnia donasse quæ ad vitam & pietatem pertinent, per agnitionem illius qui vocavit nos propria gloria & virtute; ex eo quod maxima nobis & pretiosa promissa donata sint, ut per hæc efficeremur divinæ consortes naturæ*, 2 *Pet.* I. v. 3. 4.

III. Quicquid sit, non debemus hic nobis imaginari vim Spiritus Dei seorsim ab Euangelio operantem, & cujus pars eorum qui audiunt Euangelium sint participes, pars vero illa non afficiatur. Nam quod nonnulli spiritualem Euangelii vim non sentiant, nec ea magis quam si esset verbum humanum afficiantur, id non procedit ex Dei intentione aut diverso agendi modo, quasi corda eorum movere nollet; sed ex propria ipsorum culpa & profanitate, qua impediuntur ne verbo Euangelii attendant, & ipsum à verbo hominum discernant. Quod Israëlitis, qui perierunt olim in deserto propter suam adversus Deum contumaciam, tribuit Apostolus, dicens, *At non profuit illis auditus sermo, ut qui fidei mixtus non fuerit ipsis qui audierant*, *Hebr.* IV. 2. Nam ut obedientia fidei præstetur verbo Dei, oportet primum hac persuasione esse imbutum, ipsum à Deo esse profectum, sine qua impossibile est ut cor afficiat. Eaque de causa Thessalonicenses laudantur à Paulo, quod sermonem Dei, quem ex ipso audiverant, *non excepissent sicut sermonem hominum, sed ut Dei sermonem, qualis vere erat*, 1 *Thess.* II. 13.

IV. Neque existimandum est cum Euthusiastis, sermonem Euangelii nihil aliud esse quam literam mortuam, quæ cor hominis non possit afficere, nisi accedat alius sermo internus. Nam istud injurium est in Euangelium, quod vim sensibus ejus inhærentem non amittit per scriptionem aut pronunciationem; alioqui idem quoque evenire posset isti quæ fingunt sermoni interno, postquam scriptus esset aut pronunciatus. Si vero dicant eum nec scribi nec pronunciari posse, eadem quoque opera necesse est ut fateantur ipsum nullos veros & intelligibiles continere sensus, ac proinde esse rationis expertem, stultum & inutilem. quid enim alioquin impediret quominus aliquis sensum verum & intelligibilem, quem mente sua recte caperet, sermone quoque externo, sive viva voce, sive scripto, exprimeret? Afferunt Christum dicere, *Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit*, *Apoc.* II. 17. Sed resp. 1. Christum promittere se daturum esse vincenti candidum istum calculum, tanquam fidei constantis usque ad mortem præmium; non ergo dari ante fidem Euangelio adhibitam iisve qui primitus ad illam vocantur: ac proinde locum istum nihil facere

ad

ad quæstionem de vocatione qua homines invitantur initio ad salutem, de qua nunc agimus. 2. Calculum istum candidum & novum nomen in eo scriptum, videri nihil aliud significare, nisi testimonium Spiritus S. quo fidelium corda obsignantur, certique redduntur se olim in judicio Dei absolvendos, & nomina sua in cœlis sive in libro vitæ esse scripta; similitudine sumta à tribunalibus humanis, ubi judices calculos albos in urnam conjiciendo absolutoriam sententiam pronunciant, & nigris utuntur ad damnandum. *Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis, His damnare reos, illis absolvere culpa.* Ovid. Metam. 15. Fateor autem testimonium istud Spiritus S. internum ab eo tantum cognosci cujus spiritui perhibetur, nec decere ipsum id apud alios jactare, ubi etiam fidem non esset facile inventurum. Sed alia plane est ratio verbi quo instituimur in fide aut ad eam instigamur, quod cum rationales sensus contineat, qui etiam aliorum ædificationi inservire queunt, nihil videtur prohibere, quominus cum lubet scripto consignetur aut viva voce pronuncietur. Opinio etiam ista valide convellitur testimonio Petri, dicentis, Nos esse *renatos non ex semine corruptibili sed ex incorruptibili, per sermonem Dei vivum & manentem in aeternum*, 1 *Epist.* 1. 23. quamvis enim verba Græca, διὰ λόγου Θεοῦ ζῶντος καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα, sint ambigua, & verti etiam possint *per sermonem Dei viventis & manentis in aeternum*; nihilominus series orationis postulat, ut eo quo fecimus modo reddantur. Nam primo dicit semen quo regignimur non esse corruptibile, sed incorruptibile; deinde addit semen istud esse verbum seu sermonem Dei; denique quasi explicans ἀμφιβολίαν qua usus erat, *v.* 25. subjungit, Verbum Domini manet in æternum. Et ne quis illud intelligat de verbo aliquo interno quod à verbo Euangelii diversum sit, dicit adhuc: Hoc autem est verbum illud quod Euangelisatum est vobis. Ita ut si velimus audire sanctum hunc Apostolum, dubitare non debeamus, quin verbum Euangelii, sive viva voce annunciatum, sive scripto traditum, sit semen illud incorruptibile quo regeneramur, nulloque nos præterea alio indigere.

V. Ab hac autem Enthusiastarum opinione non videntur multum distare illi, qui docent omnem vocationem externam quæ fit per verbum Dei, non tantum legis, sed etiam Euangelii, esse inefficacem, nisi accedat altera interna per Spiritum, quæ illam efficacem reddat. Male enim illi divellunt à se invicem, ea quæ sua natura & ex Dei intentione semper sunt conjuncta, & hominum tantum culpa separari solent. Nam quod vocatio alia sit efficax, cui vocati parent, alia vero inefficax, cui vocati non parent, id non procedit ex diverso vocandi modo, seu quod Deus illos, quia salvare decreverit, etiam vocationi suæ morem gerere velit; hos vero quod à salute excluserit, vocationi suæ obtemperare nolit, seu eam non largiatur ipsis gratiam per quam obedire possint; sed ex eventu diverso ita appellantur, quod alii Deo vocanti pareant, alii vero minime. Omnis vocatio divina efficax est sua natura, id est, habet in se vim illam qua permovere possit homines ad ei parendum, etiamsi effectus non semper sequatur. Sicut medicamentum illud recte dicitur efficax, quod vim habet sanandi morbum aliquem, quamvis contingat ut valetudinem ægro non restituat, sive quia uti eo sibi oblato noluit, sive quia non ita se gessit in eo usurpando quemadmodum à medico præscriptum erat. Nihil enim decedit internæ medicamenti efficaciæ, quod ægro recte usurpare recusanti nihil profuerit.

VI. Quod vero quidam dicunt vocationem illam esse efficacem quæ fiat modo congruo, inefficacem contra, quæ fiat modo incongruo, non est magis admittendum. Utuntur autem hac distinctione ii, qui Prædestinationem absolutam cum libero hominis arbitrio conciliare student; docentque Deum illos, quos salutis æternæ participes facere decrevit, eo modo vocare quem novit esse maxime accommodatum ad ipsis persuadendum, ideoque non rejectum iri; contra eos quos salvare non vult, eo modo vocare qui non sit ita ingenio ipsorum aut statui accommodatus, ideoque rejiciendum esse; quamvis alioqui in se consideratus sit sufficiens, & tota culpa quod nullum effectum sortiatur in hominibus resideat. Sed quia hæc opinio nititur fundamento absolutæ prædestinationis, quod jam evertimus, non est cur in illius examine diutius immoremur. Certum quidem est vocationis divinæ modos esse valde diversos, & non æqualiter hominum indoli aut dispositioni præsenti congruentes: ex. gr. si invitemur ad pœnitentiam à viro aliquo sanctitatis fama claro, benevolo, eo tempore quo animum habemus tranquillum, nullaque graviore perturbatione agitatum, id longe aptius est ad nos permovendum, quam si id fieret ab aliquo qui non admodum bene audiret, & non amaret nos, aut cum ira, vel odio essemus inflammati. Sed absurdum est tribuere Deo, quod ejusmodi circumstantias observet, ut gratia quam offert effectu careat. Sic enim simularet benevolentiam & salutis studium erga eos quos odisset & minime salvos esse vellet: quod quam indignum sit Deo, nemo non videt. Quamvis enim gratiam istam sufficientem esse dicant, ejus tamen laus tota perit ex tali intentione, quod nolit Deus ut prosit iis quibus offertur, ideoque exploret occasiones & dispositiones quibus præscit minime profuturam. Nec potest conciliari cum demonstrationibus illis benevolentiæ, quibus testatur per se non stare quominus homines, quibus verbum suum annunciari curat, convertantur

tantur & salvi fiant; id se optare & maxime sibi gratum fore ut fiat. Vide inter alia loca *Esa.* v. 4. *Apoc.* III. 20. *Deuter.* v. 29. *Psal.* LXXXI. v. 14. *Esa.* XLVIII. 18. *Luc.* XIX. 42. 2 *Cor.* v. 20. Idemque propemodum esse videtur dicere, Deum gratiam sufficientem nolle quibusdam largiri & tribuere, quod modum incongruum adhibeat, & ejus occasionem exploret, ne iis quibus offertur sit salutaris.

VII. Certum etiam est Deum non cum æquali gratiæ mensura homines vocare, & hos quam illos longe majoribus beneficiis afficere. Non curat nunc, ut olim fecit, Euangelii prædicationem miraculis confirmari, nec ad omnes æque idoneos concionatores mittit; non omnes Spiritus sui afflatibus dignatur, aut occasiones facit occurrere quibus in cognitione veritatis proficiant. Sed hoc longe est aliud, quam vocatio incongrua, & quidem ex Dei intentione ita administrata ut effectu careat. Nam quantulacunque mensura quis gratiam accipiat, sufficiens est, modo non rejiciat aut ei desit, ut ipsum à malis suis viis convertat & ad salutem æternam perducat.

VIII. Illud ergo tenendum est, nunquam gratiam vocationis divinæ sua natura aut ex Dei scopo esse inefficacem. Sæpe quidem effectu destituitur, ut experientia quotidiana docet; nec enim tantum Esaias aut Jesus Christus potuerunt dicere, *Quis credidit prædicationi nostræ, & brachium Domini cui revelatum est? Esa.* LIII. *Joan.* XII. sed etiam multi hodie, qui licet fideliter Euangelium annunciant, nihil tamen aut parum admodum promovent. Sed illud sola hominum culpa accidit: ita ut illa demum sit vocatio inefficax, cui non paretur, ab eventu ita dicta, non quod satis virium non haberet ad permovendum eorum corda qui vocati sunt. Nam si ita se res haberet, non accerserent in se majus judicium qui vocationem quæ fit per Euangelium rejiciunt, quam illi quos Deus nunquam ejusmodi gratia & tam copiosa dignatus est. Non exprobrasset Dominus Jesus civitatibus in quibus factæ fuerant plurimæ virtutes ejus, quod non egissent pœnitentiam. Nec dixisset, *Væ tibi Corazin, væ tibi Bethsaida, væ tibi Capernaum, &c. Tyro & Sidoni & Sodomis remissius erit in die judicii quam vobis, Matth.* XI. *v.* 20. *& seqq.* Cur enim graviore supplicio digni essent illi quam hi, si utrisque æque fuisset impossibile Euangelio credere? *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit nec fecit secundum eam, vapulabit pluribus plagis, quam qui non cognovit & digna plagis fecit, Luc.* XII. 47. Cujus rei ratio est manifesta. Nimirum, quia *scienti facere bonum & non facienti, peccatum est illi*, ut inquit *Jacob. Epist. cap.* IV. *v.* 17.

IX. Denique quod attinet ad distinctionem vocationis in congruam & incongruam, tolerabilis esset, si auctores illius dicerent nullam vocationem ex Dei intentione esse incongruam; sed fieri per accidens, quod aliquando nonnulli vocentur tali modo, qui non videatur ita congruus ad eos permovendum, atque is quo Deus erga quosdam alios utitur quos magis amat & præcise salvare vult. Coincideret enim cum illorum opinione, de quibus superiore capite egimus, qui existimant Deum quidem nonnullos ad salutem absolute prædestinasse, quos impossibile sit perire; nullos vero omnino à gratia sua ita rejecisse, ut nequeant salvari; in eoque solum consistere ipsorum reprobationem aut non electionem, quod tanta atque cæteros gratiæ mensura eos donare nolit. Istud autem ipsi liberum esse, utpote absoluto bonorum suorum Domino, nullus dubitat; nam in jure isto usurpando nulli injuriam facit, aut justam de se conquerendi materiam præbet; cum etiam illi, qui tantopere à Deo non sunt dilecti, satis gratiarum ab ipso accipiant ut salvari possint, modo non iis desint sua culpa, aut caveant ne eas in vanum acceperint: quod eos inexcusabiles redderet in Dei judicio.

X. Utrique autem, tum qui nullam reprobationem absolutam à salute agnoscunt, tum qui agnoscunt, his se tuentur Christi verbis, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*; quæ bis apud Matthæum legimus, nempe *cap.* XX. *v.* 16. *& cap.* XXII. *v.* 14. & ut diversa occasione, ita diverso plane sensu videntur ab eo fuisse usurpata. Primo enim ea protulit occasione operariorum, quorum alii summo mane erant conducti ad laborandum in vinea patris familias, alii vero circa horam sextam & nonam & undecimam; ea conditione ut singuli pro mercede sua acciperent denarium. Posteriores enim isti, qui non tam diu laboraverunt atque primi, & tamen æqualem cum illis mercedem acceperunt, dicuntur *electi*, propter eximiam istam gratiam qua Dominus vineæ eos dignatus est; primi vero *vocatorum* nomine simpliciter designantur. Sed cum omnes mercedem acceperint, apparet inter eos nullum fuisse reprobationi locum. Quod si concederent Prædestinarii, tota hæc lis facile posset componi. Nec enim eis controversiam movere vellemus propter inæqualitatem gratiæ qua Deus homines prosequitur; cui Scriptura passim testimonium perhibet; & nullam præ se fert iniquitatis speciem; etiamsi nullam possimus rationem reddere cur Deus isto se modo gerere delectetur. Secundo Dominus Jesus his verbis est usus in parabola invitatorum ad regias nuptias, quorum pars magna invitationem istam contemserunt, abeunte alio in villam suam, alio vero ad negotiationem suam; reliqui vero servos à quibus invitabantur comprehensos contumelia affecerunt, aut etiam trucidarunt; unus autem eorum qui accesserat, nuptiali veste se ornare dignatus non fuit; quem cum rex ea de causa graviter objurgasset, dixit ministris suis,

Ligatis

Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium: demumque subjicitur, *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Ubi per *electos* intelligi eos qui cum veste nuptiali comparuerunt evidens est; per *vocatos* vero designantur, tum qui venire recusarunt, tum ille qui cum sordida aut quotidiana veste advenit. Unde colligitur, locum istum nihil facere pro reprobatione absoluta. Absurdum enim est dicere, Deum illos absolute à salute exclusisse, quos tam benigne ad eam invitari curat per servos suos: invitationem vero istam esse seriam, nemo dubitare potest, quin Deum hypocriseos insimulet, quasi aliud ore promat, aliud corde absconditum premat. Per Deum ergo non stetit, quominus omnes isti ex vocatis fierent electi. Eo enim fine ipsos vocavit, ut si vocationi suæ parerent, eos tanquam electos amicos, ab impiis contemtoribus segregatos, ad nuptias filii sui, id est, ad beatitudinem cœlestem, per nuptialis convivii gaudia adumbratam, reciperet. Sed quia magna invitatorum pars indigne se hac vocatione gessit, non mirum est si non fuerit admissa; infortuniumque suum non Deo invitanti, quasi non ex animo vocasset, sed soli suæ ingratitudini & indignitati imputare debent.

CAPUT XII.

De Vocationis divinæ necessitate.

I. *Vocationis divinæ necessitas non recte probatur ex Joan. XV. v. 5.* II. *Sed ex corrupto hominum statu; tam quoad mentem, quam voluntatem.* III. *Gratia Dei est principium, progressus, & complementum omnis boni.* IV. *Ratio inæqualis dispensationis gratiæ divinæ peti non potest à diversis hominum meritis.* V. *Interdum tamen Deus ad aliquam hominum dignitatem attendit.* VI. *Et semper ad eorum indignitatem quando gratiam suam denegat.* VII. *Agnoscendi hic sunt sapientiæ divinæ abyssi inscrutabiles.*

I. NUnc de vocationis divinæ (præsertim quæ per Euangelium fit) necessitate, & quomodo erga eam se comparare oporteat, aliquid dicendum est. Inde necessariam omnino esse probant nonnulli, quod Dominus Jesus dicat discipulis suis, *Sine me nihil potestis facere*, *Joan.* XV. *v.* 5. Unde celebris in Ecclesia Doctor arripit occasionem sic argutandi; *Non dicit, sine me parum potestis facere; nec dicit, ardui aliquid sine me non potestis facere, vel difficulter sine me poteritis; sed nihil sine me potestis: nec dicit sine me non potestis perficere, sed nihil potestis facere sine me.* Quæ omnia quidem recte intellecta sunt vera, ut mox videbimus, sed tamen nec cum verbis nec cum hujus loci mente consentanea. Nam si aliquid tale voluisset significare, potius dixisset ἄνευ ἐμοῦ seu ἄτερ ἐμοῦ, quam χωρὶς ἐμοῦ, idemque est ac δίχα ἐμοῦ. Primum ergo observandum est, voces istas non satis apte reddi, *sine me*, sed potius significare, *seorsim*; aut separatim, *à me*: Adverbium χωρὶς enim derivatur à χῶρος, locus, & significat primo localem separationem, deinde ad alias separationis species transfertur. Melius Beza, *absque me.* Tali separationis sensu, licet non locali, sed metaphorico, hic esse accipiendum, orationis series evincit. Dominus Jesus se comparavit cum vite, discipulos vero suos cum palmitibus; & inde occasionem sumpsit eos hortandi ut in se manerent, sicut ipse in illis manere erat paratus; id est, ut sibi tanquam præceptori indivulse adhærerent, & in doctrina quam ipsis tradiderat constanter perseverarent. Quemadmodum enim palmes à vite separatus arescit & nullum potest fructum ferre; ita ipsos, si se desererent, non amplius idoneos fore fructibus ad quos destinati erant producendis; sed succo illo vitali, quem à se accipiebant, destitutos confestim exarituros, & velut inutiles palmites in ignem abjectum iri. Hoc posito, apparet locum hunc ad gratiam vocationis divinæ nihil facere; sed tantum perseverantiæ necessitatem indicare. agitur enim illic de iis qui jam dudum vocationi Christi morem gesserant, & eum secuti erant; imo nec proprie ostendere quid in singulis fidelibus requiratur ut salutis æternæ sint participes; sed potius quodnam esset speciale Apostolorum officium, ut demandato sibi munere defungi, & multos ad veritatis cognitionem adducere possent, ne si id negligerent, tanquam servi inutiles, qui nullam in domino suo partem haberent, ab ipso rejicerentur & misere perirent. In quem finem necessarium erat ut à Christo toti penderent; ne si quid proprio arbitrio facere instituerent, & ad ipsius præcepta minus attenderent, infeliciter totum istud negotium eis succederet. Ergo χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν, tantundem valet atque si dixisset; Si vos me deserueritis, & præcepta quæ tradidi vobis non studiose retinueritis & observaveritis, nolite ullum laboris vestri successum aut fructum, sive ad vos sive ad alios redeuntem, expectare.

II. Melius ergo vocationis divinæ necessitas probatur ex statu hominis ante illam; nempe quod non tantum mens ejus tenebris immersa est, ita ut Deum & quæ ad salutem suam pertinent ignoret; sed etiam voluntas ejus assuetudine peccandi ita sit corrupta, ut nisi specialis ipsi divina gratia affulgeat, nunquam malas suas vias sit derelictura, aut affectibus qui transversum agunt obluctatura, victoriamque de iis reportatura. Id videre est in Gentilibus antequam iis Euangelicæ veritatis lux illucesceret. Nam 1. quod ad mentem attinet, tanta ignorantia vulgo laborabant, ut non possit fingi major. Non tantum erant sine Christo, sed etiam *sine Deo in hoc mundo*, *Ephes.* II. 12. Quamvis enim magnam Deorum multitudinem colerent, tamen quia nullus eorum verus erat

Deus, perinde hoc fuit ac si nullum Deum habuissent; Imo Dii quos colebant erant dæmonia, 1 *Cor.* x. 20. id est, jurati humanæ salutis hostes, à quibus nihil boni expectari poterat, sed miseria solum & perditio, quibus cultores suos remunerari solent. Paucissimi erant in magna illa hominum turba, qui tenuem aliquam veri Dei cognitionem haberent; & quam habebant, sive metu impediti, sive pravæ consuetudinis torrente abrepti, in injustitia detinebant, & non profitebantur. Cum autem tam graviter in hoc primario religionis capite aberrarent, facile est conjicere, eos in cæteris saniores non fuisse. Loco spiritualis cultus, quo supremum numen prosequi oportet, stultis & ridiculis ceremoniis ipsum sibi conciliare studebant; nec id tantum, sed etiam impiis hominum sacrificiis, & adeo spurcis ritibus ut honestioribus inter eos pudorem incuterent: verum factis suis ostendentes id quod dicit Paulus, *Homo animalis non capit ea quæ sunt spiritus Dei*, &c. 1 *Cor.* II. 14. 2. Respectu voluntatis tanta vigebat ubique morum depravatio, ut inter millenos aliquot vix unus mediocris probitatis posset reperiri; nempe erant *alienati & inimici sensu in operibus malis*, *Coloss.* I. 21. Et cum *Deum non probavissent habere in notitia, tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut facerent ea quæ non conveniunt*, *Rom.* I. 28. *& seqq.* Talesque essemus etiam nunc, nisi Deus immensa sua misericordia majoribus nostris illuxisset. Nam neque ipsi neque nos sponte in viam à qua aberraveramus redire unquam potuissemus aut cogitavissemus. Sed necesse fuit ut nos gratiæ suæ efficacia præveniret. Id quod etiam celebrat Paulus, dicens, *Deus qui dives est misericordia propter multam charitatem suam qua dilexit nos, etiam cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratia estis salvati*, *Ephes.* II. 4. *& seqq.*

III. Hæc igitur gratia est principium omnis boni operis quod facimus, sine qua præeunte fieri nequit ut id serio ad animum revocemus; eidemque tribuendus est quoque progressus in bono & complementum; siquidem nisi nos perpetuo comitaretur, nunquam ultra inefficacia desideria aut irritos aliquos & imbelles conatus procederemus. Unde idem Paulus, *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu*, *Philipp.* I. 6. Item, *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*, *Ibid.* II. 13. Rursus, *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu, quod in omnibus divites estis facti in illo, &c. ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi; qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine*, &c. 1 *Cor.* I. 4. *& seqq.* nempe ejusdem gratiæ ope. Ideoque nobis est semper orandum, ut per eam in tentationibus corroboremur. *Orate ut non intretis in tentationem; Spiritus quidem promptus est, sed caro infirma*, *Matth.* XXVI. 41. id est, etiamsi video vos alacri animo mecum pati paratos, vereor tamen ne ex infirmitatione carnis succumbatis tentationi, nisi à Deo petatis ut vos gratiæ suæ ope fulciat. *fidelis* autem est *Deus qui non patitur suos tentari supra id quod possunt; sed dat etiam cum tentatione exitum, ut possint sustinere*, 1 *Cor.* x. 13. Absque eo tanta est aliquando tentationum efficacia, ut de salute nostra actum foret. Sed quanto infirmiores sumus, & magis de nobis ipsis desperamus, eo instantius gratiæ divinæ auxilium nobis implorandum est, certi ex promisso Christi, omnem *qui petit accepturum, & qui quærit inventurum, & ei qui pulsat apertum iri*, *Matth.* VII. 7. Idem quoque inde probatur, quod inveterata peccandi consuetudo tam profundas nonnunquam radices in cordibus hominum agat, ut sit instar alterius naturæ. Quod cum contingit, certum est eam non posse aliter quam supernaturalis gratiæ ope, qualis in Euangelio nobis offertur, convelli & emendari.

IV. Cur autem Deus tam inæquali mensura, ut fieri videmus, gratiam Euangelicam dispenset, res est æque investigatu digna & inventu difficilis. Quidam id referre voluerunt ad hominum merita, sive opera tam bona quam mala; ita ut Deus ad eos, quorum opera ipsi placent, mittat Euangelii præcones; ad alios vero, quorum opera ipsi displicent, non mittat. Sed omisso nunc examine vocis meriti, dico 1. Eos qui à temporibus Christi vixerunt non fuisse digniores quibus Euangelium annunciaretur, quam qui præcesserunt; imo contra videri longe indigniores fuisse, saltem secundum vulgo receptam opinionem, mores hominum quotidie in pejus ruere. Sane Romanos, Corinthios, Ephesios, &c. eo tempore, quo Apostoli iis prædicarunt Euangelium, ita fuisse depravatos, ut vix potuerint magis, constat ex diversis Epistolarum Pauli locis; *ut Rom.* I. *Eph.* II. 1 *Cor.* VI. & ex antiqua historia. Itaque alia causa est quærenda, cur Deus circiter 4000 annos à peccati in mundum ingressu gratiæ Euangelicæ patefactionem distulerit, quam eam quæ ab veterum illorum præ cæteris, qui sequentibus sæculis vixerunt, indignitate peti posset. 2. Si comparentur etiam inter se populi quibus ab adventu Christi Euangelium non est prædicatum, cum iis quibus prædicatum est, apparebit hos illis non fuisse meliores, aut tam insigni beneficio digniores. Paulus enim quales essent describens, & se per communicationem iis annumerans, dicit, *Eramus quondam & nos amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odiosi, alii alios odio prosequentes*, *Tit.* III. 3. Deinde ut ostendat nulli alii rei præterquam soli & impromeritæ Dei misericordiæ tantum beneficium de-

beri,

beri, subjungit, *Sed postquam bonitas & erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei, non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos.* Similiter 2 *Tim.* 1. 9. *Deus servavit nos & vocavit vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia*, &c. ubi verba ista, *Servavit nos & vocavit*, idem significant atque si dixisset, Servavit nos, id est, vocavit, seu cum nos vocavit. quos enim Deus vocat ad salutem, ideo dicitur servare, quia in via salutis eos constituit, ita ut per eos tantum stet si reipsa salvi non fiant.

V. 3. Attamen nolim diffiteri, Deum interdum in vocatione Euangelica attendere ad aliquam hominum dignitatem, & eos cæteris præferre, quos videt ita gratiæ communioris ope dispositos & præparatos, ut eam majori cum fructu excipere possint. Ita cum Dominus Jesus initio mitteret Apostolos prædicatum Euangelium per Judæam, præcipiebat eis, *In quamcunque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit*, *Matth.* x. 12. Tales videntur fuisse, quos *ovium & populi sui* nomine honoravit antequam per Euangelium ipsos vocasset. *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient*, *Joan.* x. 16. *Populus est mihi multus in hac civitate*, *Act.* XVIII. 10. nempe Corintho. Istæ oves & populus Christi probiores erant ex Gentilibus & Judæis, quos ipse tanquam cordium scrutator prævidebat vocationi Euangelicæ statim obtemperaturos. Quanquam certum est, Deum non semper ad id attendere. Christus enim dicit, *quod si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in Chorazin & Bethsaida, ea olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*, *Matth.* XI. 21. Et tamen eas tam excellenti gratia non est dignatus, sed sicut cæteras gentes (Judæis aliquando minus pravas & dociliores) permisit in viis suis ambulare. Inter oves autem & populum Christi nondum Euangelio vocatum eminuit Cornelius ille Centurio, cui Angelus dicit, *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei; mitte in Joppen & accerse Simonem cognomento Petrum, qui loquetur tibi verba in quibus salvus eris tu & universa domus tua*, *Act.* x. & XI. Deinde Eunuchus ille Æthiops, cui Esaiam legenti missus est Philippus ut Christum ipsi annunciaret, *Act.* VIII. Item Lydia illa purpuraria, colens Deum, cujus Dominus aperuit cor intenderẽ iis quæ dicebantur à Paulo, *Act.* XVI. 14. Nec non Gentiles illi Antiochiæ Pisidiæ, qui audito Paulo & Barnaba *gavisi sunt, & glorificarunt verbum Domini*; ex quibus crediderunt ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, *quotquot erant dispositi ad vitam æternam*, *Act.* XIII. 48. non *præordinati*, ut reddidit vetus interpres. Neque enim hic agitur de prædestinatione æterna singularium, cujus arcanum nemini revelari consentiens est Christianorum opinio. Item Beræenses Judæi, qui verbum sibi annunciatum à Paulo & Sila *susceperunt cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas si hæc ita se haberent*; generosiores se ostendentes Thessalonicensibus, qui recusaverant audire, & excitata seditione, eos ex civitate sua expulerant, *Act.* XVII. 11. 12. Huc quoque pertinent ista Domini Jesu adversus Judæos incredulos pronunciata; *Dico vobis, quia à vobis auferetur regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*, *Matth.* XXI. 43. Et in Ecclesiam Ephesinam, *Venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*, *Apoc.* II. 5. Minæ enim istæ *auferendi regnum Dei*, & *movendi candelabrum*, satis ostendunt, Deum vocatione per Euangelium eos potius dignari, qui fructus tantæ gratiæ convenientes proferunt, quam alios.

VI. Præterea animadvertendum, Deum in communicatione istius gratiæ, non semper quidem respicere ad majorem dignitatem illorum quos ea dignatur; sed ubi de ea deneganda agitur, nunquam id facere nisi propter indignitatem illorum quibus denegat; non tantum quod majores ipsorum eam olim rejecerunt (ut aliquando contingit) sed etiam quod ipsi gravibus peccatis, adversus lumen naturæ & rectæ rationis dictamen commissis, ea se magis ac magis indignos reddant. Deus revelat mysteria parvulis, quæ occulta manent sapientibus, id est, qui sapientiæ opinione turgent, *Matth.* XI.

VII. Verum hæc non omnem difficultatem exhauriunt, nec impediunt quominus in communicatione ejus agnoscamus esse abyssos Dei sapientiæ & judiciorum inscrutabiles. Non enim auderem dicere Christianos Europæos meliores Turcis esse, quibus Deus Euangelium suum prædicari non curat, & digniores divina gratia. Sed potius exclamabo cum Paulo, *O profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei! quam inscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ impervestigabiles!* *Rom.* XI. 33. Unde tamen nullum pro defensione absoluti reprobationis decreti præsidium desumi posse, ex iis quæ supra diximus satis liquet; cum nemini tam exigua (si ita loqui liceat) gratiæ divinæ mensura contigerit, quæ ipsum, modo sibi non desit, ad salutem perducere gradatim non possit, propterea quod Deus soleat habenti dare, & gratias suas præcedentes, si bene iis utamur, subsequentibus coronare.

CAPUT XIII.

De modo operationis gratiæ divinæ, eumque non esse irresistibilem.

I. *Gratia Dei non operatur irresistibiliter.* II. *Id probatur* 1. *ex verbis Mosis Deut.* 30. III. 2. *Ex parabola vineæ*, *Esa.* 5. IV. 3. *Ex verbis Dei ad Ezechielem cap.* 12. *quod Israëlitæ habeant aures ad audiendum, & tamen non audiant*, &c. V. 4. *Ex verbis Domini ad Jerusalem, cujus filios voluit congregare*, &c. *Matth.* 23.

VI. Ex

VI. 5. *Ex verbis Domini Joan. v. 24. & 40.* VII. 6. *Quia gratia irresistibilis repugnat sapientia & justitia divina.* VIII. *De natura obedientia angelorum bonorum, & inobedientia malorum.* IX. 7. *Quia sequeretur neminem posse credere, quam qui reipsa credit, neminemque citius posse credere, quam reipsa credat.*

I. QUamvis autem qualiscunque gratia Dei per se sufficiens sit, homine ei cooperante, ad illud perficiendum cujus gratia est data; non tamen operatur irresistibiliter, seu Deus non utitur insuperabili potentia ad cor hominis flectendum; sed relinquit semper in illius arbitrio ut gratiæ suæ, quantumvis magno malo suo, resistat; quia obedientiæ quam præscribit natura postulat ut sit omnino libera; non esset autem talis, si Deus in nobis absque nobis omnipotentia sua efficeret id quod jubet; nec videretur sapienter satis præmium aliquod idcirco polliceri, quia sic proprium suum, quod solus effecisset, opus, non nostrum remuneraretur. Id quod sequentibus præterea rationibus demonstro.

II. 1. Moses post repetitionem legis factam Israëlitas compellans, dicebat eis, *Testes invoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam ut & tu vivas & semen tuum*, &c. *Deuter.* XXX. 19. Non autem dixisset jure, se vitam & benedictionem proposuisse iis, qui omni facultate legi parendi erant destituti, & quibus Deus, qui solus id in manu sua habet, decreverat nunquam illam largiri; nec mortem & maledictionem iis, in quibus Deus legis suæ obedientiam potentia insuperabili efficere volebat. Sed contra utrisque illusisset, hortans eos ad eligendum, si nullam id faciendi libertatem habuissent; eorumque nonnulli necessario & inevitabiliter obedientes, nonnulli vero contumaces & rebelles ex Dei decreto futuri essent. Respondetur; Scopum Mosis non esse hic docere, quid homines ex se ipsis facere queant; sed tantum quam sint infirmi, ut imbecillitatem & impotentiam suam agnoscentes, ad opem Dei confugiant. Resp. Esto. Nec enim hunc locum attuli ad probandum nos ex nobis ipsis & viribus naturalibus voluntati divinæ obtemperare posse; sed tantum, ut ostenderem Deum nemini gratiæ suæ auxilium ad id requisitum unquam denegare: Alioqui per Mosem hic hortans ad eligendum vitam & benedictionem, perinde faceret, ac si aliquis, qui multos ad convivium opiparum invitasset, capistrum ori ipsorum immitteret, deindeque eos verberibus exciperet & occideret, quod non comedissent. Inutile autem esset reprobis ad opem Dei confugere, eamque quantumvis ardentibus votis implorare, siquidem decreto irrevocabili & absoluto nunquam eos exaudire statuisset; hucque applicari posset illud poëtæ dictum, *Desine fata Deum flecti sperare precando. Æneid.* VI.

III. Nec parvam ad istud probandum vim habet parabola vineæ apud Esaiam, & præsertim in his verbis, *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? cap.* V. *à v.* 1. *usque ad* 8. Unde discimus, Deum nihil omittere quod ab eo jure requiri possit, ut ad resipiscentiam adducat, & fertiles bonis operibus reddat eos quos ad id verbo suo hortatur; sed sæpe contrarium præter ejus expectationem evenire; illos vero qui ita gratiis ipsius abutantur gravi pœna esse dignos. Nam etiamsi, ut vulgo dicunt, Theologia parabolica non sit argumentativa; tamen quia hic applicatio parabolæ expressa habetur, non potest ei vis probandi eripi, quin Propheta, aut potius Spiritus Dei, quo afflatus fuit, insipientiæ arguatur. Nihil enim clarius aut expressius fingi potest his verbis quæ in fine parabolæ subjunguntur: *Vinea Domini exercituum, domus Israël est; & vir Juda, germen ejus delectabile; & expectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas; & justitiam, & ecce clamor.* Quod autem dictum est de Israëlitis, convenit etiam aliis hominibus, præsertim Christianis, quos Deus novo cum iis fœdere per filium inito excellentioribus quam cæteros affecit beneficiis. Excipitur, Prophetam hic tantum agere de mediis externis, quæ Deus circa hanc vineam usurpaverat, ut quod eam in loco opimo plantasset, sepimento ex lapidibus cinxisset, turrim in medio ejus ædificasset, & in ea torcular excavasset, & similia; sed non dicere, Deum super eam Solem suum oriri fecisse, aut facultatem bonos fructus edendi ei contulisse: quæ analoga sunt gratiæ efficaci, qua Deus suorum corda ad obedientiam flectit. Resp. Non fuisse opus particulatim omnem circa vineam istam laborem collocatum recensere: Hæc enim interrogatio, *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ?* omnia complectitur, & ostendit Deum paratum fuisse præstare quicquid à se requiri adhuc posset ad eam fertilem reddendum. Alioqui Judæi, per istam vineam repræsentati, potuissent objicere; Se revera ab ipso multis affectos esse beneficiis; sed hæc tamen nullius esse momenti, quamdiu præcipuum denegaret, sine quo cætera frustra forent. ipsum nondum potentiam suam insuperabilem exseruisse; quando autem liberet eam adhibere, se fructibus quos expetebat ferendis non defuturos. Si Deus igitur absque ejusmodi gratiæ exsertione bonas uvas à vinea sua exspectavisset, similis fuisset agricolæ, qui agro diligenter culto, sed nullo semine in eum sparso, inde bonum triticum metere speraret, & de ejus sterilitate valde pathetice conquereretur, quod inutiles tantum herbas proferret. Absit vero ut Deo rem à ratione tam alienam tribuamus, quod copiosam messem ex agro ubi nihil seminavit exspectaverit. Sed, inquiunt, cura à Deo circa hanc vineam adhibita, sufficiens quidem erat si bona fuisset ad fructus ex ea uberes eliciendos, sed non ut

bonam

bonam ex mala redderet. Resp. Glossam hanc textui esse contrariam, ubi expresse de hac vinea dicitur, *plantavit eam electam.* Similiter apud Jeremiam, *Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum*, *cap.* II. *v.* 21. Deinde, conqueritur eam degenerasse, dicens, *Quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena? Ibid.* Deus ergo non aliter ibi considerabat suam vineam, quam qualis erat Esaiæ & Jeremiæ tempore; nec loquebatur de mediis quæ adhibet ut bonos ad bene porro agendum inducat; sed de eo quod fecerat ut Judæos à pravis suis viis ad rectam converteret: adeo ut de illorum rebellione conqueri perinde futurum esset, ac si medicus, qui ægro morti vicino prophylacticum tantum exhibuisset, diceret se expectatione sua fuisse frustratum, quod is non convaluisset. De metaphora in voce *exspectandi*, cum Deo tribuitur, non est necesse nos agere: certum est eam θεοπρεπῶς esse intelligendam; sed tamen ita, ut non enervetur; uti fit ab iis, qui res, quas Deus in Scriptura dicit se expectare ab homine, impossibiles illi esse non verentur asserere.

IV. 3. Idem quoque colligi potest ex verbis Dei ad Ezechielem; *Fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas; qui oculos habent ad videndum, & non vident; & aures ad audiendum, & non audiunt; quia domus exasperans est*, *cap.* XII. *v.* 2. Ubi per hos *oculos ad videndum*, & *aures ad audiendum*, evidens est significari facultatem obediendi legi divinæ, quam Deus Judæis contulerat. Non enim agitur hic de oculis & auribus corporis, sed animi. Noluerunt autem illis uti; ideoque Deus denunciari iis jubet, *In transmigrationem & in captivitatem ibunt*, *v.* 11. Excipitur, per *oculos* & *aures* non intelligi hoc loco gratiam regenerationis, sed tantummodo homines istos in cordibus suis de veritate doctrinæ Prophetarum convictos fuisse. Sed mirandum est Prædestinarios tali exceptione uti, qui alias urgere solent ejusmodi locutiones, quasi illis gratia irresistibilis denotetur. v. gr. cum Moses dicit Israëlitis, *Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem, Deuter.* XXIX. 4. quasi eo quod tali gratia destituti essent, non potuissent parere Deo: Et quod legimus *Apoc.* II. & III. in singulis Epistolis jussu Domini Jesu ad septem Asiæ Ecclesias scriptis, *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*; quasi designare voluisset ejusmodi aures nemini contingere, nisi ex speciali gratia, paucorum electorum propria. Fatemur ergo per *oculos ad videndum* & *aures ad audiendum* apud Ezechielem, non significari gratiam irresistibiliter regenerantem. Contradictio enim esset manifesta, dicere, Deum talem gratiam Israëlitis contulisse, & tamen non fuisse regeneratos, sed in rebellione & contumacia sua perstitisse. Sed intelligitur gratia qua regenerari potuissent, si voluissent ei cooperari. Id quod inde patet, quia vocantur *domus exasperans*, nempe Deum, seu contumax adversus ejus mandata. Non est autem contumacia pœna digna, id non facere quod vires tuas longe exsuperet. Nam quod affertur, Israëlitas in cordibus suis fuisse convictos de veritate doctrinæ Prophetarum, non sufficit ad eos rebellionis convincendum, si constet (ut volunt constare) Deum nunquam ipsis largitum fuisse gratiam qua parere illi possent. Cum enim duplex sit impedimentum in hominibus ne pareant mandatis Dei, alterum in intellectu, alterum in voluntate positum, nihil prodest removere tenebras intellectus, si non auferatur pariter corruptio voluntatis, aut non conferantur vires quibus illa nisi sibi desit emendari queat. Quod autem Moses dicebat Israëlitis, *Deum non dedisse ipsis oculos ad videndum, nec aures ad audiendum*; his non repugnat. Sunt enim verba exprobationis, quibus eos contumaciæ adversus Deum arguere vult. Immerito autem & absque ratione exprobravisset iis, quod essent destituti dono quod in sua potestate non erat ut obtinerent, & quod Deus paucis quibusdam tantum largitur. Sic enim in Deum ipsum omnem rebellionis eorum culpam rejecisset, qui gratiæ, qua meliores redderentur, participes eos reddere noluisset. Cum tamen videamus intentionem Mosis esse, ostendere per Israëlitas tantum stetisse quominus istos oculos & istas aures quas in iis desiderat haberent, dicendo, Deum tot signa & prodigia coram ipsis fecisse in terra Ægypti & in deserto per 40 annos, ut discerent quod ipse esset Dominus Deus ipsorum, *v.* 2. 3. 4. 5. Quare exprobratione ista, *Deum non dedisse iis oculos nec aures*, nihil aliud significare voluit, nisi eos non attendisse ad signa quæ Deus coram iis fecerat, quo ipsum cognoscerent & timerent, & in sua incredulitate perseverasse, non obstante insigni illa gratia quam Deus iis offerebat, & nisi indignos se præstitissent, augere adhuc paratus erat. Nec similiter illud epiphonema septies repetitum *Apoc.* II. & III. *Qui habet aurem audiat*, &c. Eo enim non vult significare Dominus Jesus, aures ad audiendum requisitas ex absoluto Dei decreto denegari magnæ illorum parti ad quos verbum suum dirigit: sed sic loquitur, ad excitandum eorum attentionem, ne aures affectibus aut præjudiciis sibi obturari sinerent; si vero non satis adhuc bene dispositas haberent, Deum orarent ut sibi aperire vellet, qui sapientiam omnibus *à se petentibus dat abundanter & non exprobrat*, *Jac.* I. 5. Eadem quoque est mens ipsius, cum dicebat discipulis, *Vestri oculi sunt beati, quia vident; & aures vestræ, quia audiunt*, *Matth.* XIII. 16. & quidem opposite ad eos qui videntes non videbant, & audientes non audiebant nec intelligebant. Nam quia Apostoli dociles erant, & Dominum interrogabant quid sibi vellet parabolis suis, sensus earum illis revelabatur, qui merito occultus manebat irrisoribus istis, qui

ad ipsum reprehendendum accedebant, & ita se indignos reddebant quibus oculi & aures aperirentur, aut potius iis quos Deus dederat uti nolebant.

V. 4. Hæc etiam Domini Jesu verba ad Hierosolymitanos, valde sunt apta, ad ostendendum Deum peccatores non convertere insuperabili aliqua potentia; *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Matth. XXIII. 37. Testatur enim hic, quam serio cuperet Judæos à malis suis viis convertere, dicens se id non semel aut bis tantum facere voluisse, sed sæpius; *quoties volui.* neque leviter aut perfunctorie, sed simili affectu quo videmus gallinam pullos sub alas suas congregare, adeo ut aliquando se in manifestum vitæ periculum conjiciat, quo ipsos à malo conservare possit. Istud autem dubio procul non aggressus est Jesus, quin iis simul gratiæ suæ opem offerret, sine qua ipsos nihil agere posse compertum habebat. Noluerunt tamen sub Christo recolligi, nec ipsius doctrinam amplecti: eaque de causa graves iis denunciat pœnas, quæ tandem ipsos oppresserunt. Variæ hic exceptiones solent afferri. Quidam dicunt Christum hic non loqui secundum divinam suam naturam; cujus respectu constituerat incolas Hierosolymæ nunquam gratiæ efficacis ad ipsorum conversionem requisitæ facere participes; sed secundum humanam, tanquam Prophetam à Deo missum, ut omnes quantum in se esset ad salutem adduceret: in quo sæpe, quia omnipotentiam non adhiberet, voto suo frustraretur. Sed resp. absurdum esse existimare in Christo fuisse eodem tempore duas contrarias voluntates de una eademque re; aut ita male naturæ humanæ convenisse cum divina, ut aggrederetur quidquam quod ejus decretis adversaretur; aut vellet frustra laborare in eo, cujus se nunquam fore compotem probe noverat. Vide etiam *Luc.* XIX. v. 41. 42. ubi narratur Dominum Jesum, cum urbem conspiceret, flevisse super eam, & dixisse; *O si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Quod ostendit quantopere Hierosolymitanorum conversio & salus ipsi cordi esset: Adeo ut pudere deberet eos, qui lacrymas crocodilinas ei tribuunt; quasi illorum exitium defleverit quos perdere constituerat. Alii concedentes Christum non minus hic secundum divinam quam secundum humanam suam naturam loqui, confugiunt ad distinctionem inter voluntatem signi & beneplaciti; quasi Christus secundum voluntatem signi voluerit quidem Hierosolymitanos ad se recolligere, sed non secundum voluntatem beneplaciti. Sed quam ea sit absurda, & Deo indigna, supra ostendi; utpote quæ faciat eum summe hypocritam, præ se ferendo desiderium conversionis & salutis eorum, quos immutabili decreto & absoluto perditioni æternæ destinavit. Atqui, inquiunt, si serio illam cuperet, nonne est omnipotens ut efficiat quod proposuit? Ita est. Sed non convenit ut exserat suam omnipotentiam, ad efficienda ea quæ ut liberæ obedientiæ actus à nobis requirit. Alii denique excipiunt, Christum per *Jerusalem* intellexisse Sacerdotes, Scribas, Pharisæos, & Rectores populi, qui se ipsi opposuerint; & per *filios suos* plebem, ex qua multos ad se collegerit, quamvis magnates illi totis istud viribus impedire conarentur. Sed resp. novam istam significationem vocum *Hierusalem* & *filiorum* ejus absque exemplo & ratione excogitatam fuisse, ad hujus loci vim eludendum. Apparet enim hic per *Jerusalem* intellectam fuisse urbem ipsam, & per *filios ejus*, omnes qui in ea habitabant absque discrimine, tam magnos quam parvos; sicut etiam *Luc.* XIX. 44. ubi Jesus per apostrophen, cum prosopopœia conjunctam, sermonem suum ad Jerusalem convertens, dicebat; *Æquabunt te solo, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Quod si per Jerusalem magnates urbis intelligantur, & per filios ejus plebs sola, duo inde sequentur absurda palpabilia. Primum, quod Dominus Jesus noluerit ad se colligere seu convertere Sacerdotes & Seniores populi; quod est manifeste falsum: ad eos enim non minus quam ad cæteros adhortationes suas direxit, ut universa historia Euangelica testatur: alioqui non possent reprehendi incredulitatis, secundum id quod dicit, *Nisi venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem nihil habent quod prætexant peccato suo*, *Joan.* XV. 22. Alterum est; quod ita vix unum inter mille convertere voluerit; ut colligitur ex *Act.* I. ubi Lucas observat, cætum fidelium in magna illa & incolis tam frequenti urbe fuisse tantum centum & viginti hominum. Quod sane foret magnopere laudem charitatis ipsius imminuere; nec bene conveniret cum lacrymis & querela illa pathetica, quam modo audivimus, de incredulitate Jerusalem, & excidio ipsi propterea imminente.

VI. 5. Id quod legimus *Joan.* V. 34. *Hæc dico ut salvi fiatis*; conjunctum cum v. 40. *Sed non vultis ad me venire ut habeatis vitam*; ostendit Jesu Christi scopum & seriam intentionem fuisse salvos eos facere quos alloquebatur, quandoquidem media salutis ipsis offerebat, & per eos tantum stetit, quominus salvarentur, ad eum venire recusantes in quo vitam & salutem inventuri essent. Indeque discimus, Deum iis, quos per Euangelium vocat, facultatem quidem credendi concedere, sed fidem potentia insuperabili in ipsis non efficere.

VII. 6. Non convenit sapientiæ & justitiæ divinæ præcipere, & quidem cum magnæ mercedis promissione, obedientibus, & gravis pœnæ

pœnæ comminatione inobedientibus proposita, id quod nonnisi insuperabili Dei omnipotentia effici potest, & ipse solus tali potentia in quibusdam efficere vult, in aliis vero non efficere. De Sapientia sic probatur. Ea non permittit ut quispiam alii præcipiat quod ipse solus facere decrevit; nec ut mercedem illi persolvat, qui nihil boni fecit; sed tantum illam actionem passus est, quam impedire non poterat, etiamsi maxime voluisset. De Justitia similiter. Ea non sinit ut præcipiatur homini infirmo opus, quod per solam omnipotentiam perfici potest, & ut ille qui non paruit propterea æterno supplicio adjudicetur. Nulla enim potest concipi vera obedientia & inobedientia absque libertate, quæ in eo consistit, ut positis omnibus ad agendum requisitis, aliquis possit agere vel non agere, & hoc potius quam alio modo agere. Ille vere non obedit, ac proinde non est præmio obedientibus promisso dignus, in cujus potestate non est ut sit inobediens. Nec ille inobediens est & pœna dignus, qui obediendi facultate est destitutus. Ubi mera necessitas dominatur, ibi nec virtus obedientiæ nec vitium inobedientiæ locum habet, & per consequens nec rationi consona remuneratio, nec justa punitio. Objiciuntur hic in contrarium exempla Jesu Christi & sanctorum Angelorum, quos dicunt non posse peccare, & tamen vere Deo parere, & magna laude ac remuneratione esse dignos; & malorum Angelorum seu dæmonum, quos ferunt omni bene agendi facultate esse destitutos, & nihilominus vere Deo esse immorigeros, & gravissimo supplicio dignos. *Resp.* De Domino Jesu Christo egimus supra in capite de ejus persona; ubi ostendimus, nihil absurdi esse in eo, si potentiam non parendi Deo olim in diebus carnis suæ habuisse dicatur, modo actu semper ipsi perfecte obedivisse statuatur. Alioqui non fuisset *per omnia fratribus suis similis, excepto peccato, Hebr.* II. 17. & IV. 15. sed plane dissimilis. Et adhortationes ad imitandam ejus virtutem & obedientiam, cum promisso ejusdem cum ipso remunerationis obtinendæ, omni efficacia forent destitutæ. Nihil autem illis occurrit frequentius in Sacris literis. Vide *Matth.* XI. 29. *Joan.* XV. 10. *Philipp.* II. 6. &c. 1 *Petr.* II. 21. &c. *Hebr.* XII. 2. *Apoc.* III. 21. Quod vero quidam præterea de Deo afferunt eum necessario bene agere, & tamen laude esse dignum & imitandum, est prorsus ἀπροσδιόνυσον. Deus enim nemini obedit, nec ei à quoquam lex præscribi potest. Virtus ejus est naturalis, ad quam exercendam non movetur spe præmii aut metu pœnæ, sed quia aliter agere non potest quin se abneget. Id autem à virtute humana δὶς διὰ πασῶν distat.

VIII. Superest tantum ut ea quæ de Angelis afferuntur paucis expendamus. Dico igitur, non satis clare constare ex Scriptura, utrum Sancti Angeli ita in bono sint confirmati, ut plane impossibile ipsis sit peccare. Saltem ex illorum qui lapsi sunt exemplo apparet, ipsos non semper in ejusmodi statu fuisse. Qui enim perseverarunt constanter in Dei obedientia, non erant diversæ naturæ & conditionis ab iis qui non perseverarunt, & non minus quam illi peccare poterant. Insigniuntur quidem à Paulo boni Angeli titulo *electorum*, 1 *Tim.* V. 21. Sed inde non sequitur, ipsos aliter à Deo fuisse electos, quam sub liberæ & voluntariæ obedientiæ conditione, non autem absoluto & inconditionato decreto. Interim negare nolo, sanctos Angelos ita fuisse in bono confirmatos, sive intuitu miseriæ in quam inciderunt mali per suam defectionem, unde occasionem sumserint firmius Deo adhærendi; sive per novam gratiam quam Deus præter primam ipsis largitus sit, ut jam extra omne labendi periculum positi sint; imo, si velis, ut eis labi sit omnino impossibile. Sed postremo hoc admisso, nihil amplius eis præcipi poterit cum promissione mercedis aut pœnæ comminatione; & obedientia quam in tali statu Deo exhibebunt, alterius plane generis erit quam nostra qui legi subditi sumus. Quare in futuro sæculo, ubi erimus ἰσάγγελοι, *Luc.* XX. 36. promissiones & minæ locum amplius non sunt habituræ; sed si aliquibus Dei mandatis nobis fuerit parendum, id tanta præstabimus cum promtitudine & alacritate, ut opus non sit eo nos adhortari, aut operose, sicut nunc fit, impellere. Similiter quod ad malos Angelos seu Dæmones attinet, incertum est an omnem boni aliquid agendi potentiam amiserint. Scriptura quidem testatur eos esse perdite improbos, & malo tantum delectari; sed non docet, utrum à malitia sua desistere possint, nec-ne. Nam quod in ea indesinenter à lapsu suo perseverant, non est idonea satis probatio ipsos aliter se gerere non posse. Causa istius obfirmationis in rebellione sua alia esse potest, & inde proficisci, quod sciant damnationis suæ decretum esse irrevocabile, & nullam à Deo sperent gratiam admissorum. Quod etiam hominibus contingeret, si Deus nullam eis promisisset peccatorum veniam. Unde David *Psal.* CXXX. 4. dicit, *Quia apud te* (Deus) *est remissio, ideo timeberis.* Innuens è contrario, fore ut homines Deum non timerent, id est non colerent, si nullam sperarent ab eo veniam. Sed si, ut nonnulli volunt, Deus dæmonibus in primi ipsorum peccati pœnam, omnem deinceps boni aliquid agendi potentiam ademerit, ea quæ postea commiserunt peccata non poterunt eis juste imputari, nec ad aggravandum ipsorum supplicium materiam præbere. Sic enim Deus eos puniret, ideo quod jam punivisset, & prima pœna secundam, hæc tertiam & sic in infinitum post se traheret; quod est absurdum. Ideo Scholastici existimant, dæmones non punitum

iri nisi ob primum peccatum quod libere commiserunt; non vero propter reliqua quæ ex illo primo necessario & inevitabiliter promanarunt. Quare Deus reprobos homines longe rigidius tractaret quam malos Angelos, si postquam eos propter Adami peccatum omni bene deinceps agendi potentia spoliavit, tamen ipsis sub gravioris pœnæ comminatione præciperet ut mandatis suis obtemperarent. Nulli enim jam legi subsunt dæmones, ob cujus violationem graviores à Deo pœnas in judicio futuro timeant.

IX. 7. Si potentia divina & insuperabilis requiratur ut homines ad fidem adducantur, inde sequetur nullos alios posse in Christum credere quam qui reipsa credunt. Nam erga quos Deo non libebit ejusmodi potentiam exserere, illi necessario in incredulitate sua perseverabunt. Nullus etiam electorum, quos vocant, poterit credere antequam reipsa credat. Quamdiu enim Deus talem potentiam non exseret, necessario omnes illi permanebunt sicut reprobi in incredulitate sua naturali, etiamsi Christum ipsum concionantem audirent, & oculis suis omnia quæ unquam fecit miracula intuerentur. Utrumque autem istud consequens est absurdum. Ergo & antecedens ex quo deducitur. De consequentia litem nobis non movent adversarii; sed negant esse absurdam, ideoque id nobis ostendendum. Primum esse absurdum hinc patet. Quia si nulli alii Christo & ejus Euangelio possunt credere quam qui actu credunt, inde sequetur Deum maximam generis humani partem frustra hortari ad fidem, & simulate ei promittere salutem æternam. Intentio enim Dei in reproborum vocatione non potest esse ut salventur; alioquin exsereret erga eos eandem gratiæ efficaciam quam erga electos, saltem sufficientem ad ipsorum conversionem non denegaret, si nollet tam copiosam quam illis specialiter dilectis concedere. Qui enim serio vult finem aliquem, media quoque illa vult sine quibus novit fieri non posse ut obtineatur. Sic qui alicujus ægroti bonam valetudinem serio expetit, non denegabit ipsi remedia sine quibus scit fieri non posse ut illam unquam recuperet. Si deneget, simulationem suam prodet. Excipiunt Deum invitare reprobos ad fidem ut eos reddat inexcusabiles, quod sua voluntate cognita non curaverint illi obtemperare. Sed resp. Neminem inexcusabilem reddi, eo quod non fecerit quod sibi erat impossibile. Contra; nulla magis legitima excusatio afferri unquam potest, quominus mandato alicui pareatur, quam si constet vires quas Deus nobis in prima creatione dedit, aut per gratiam restituit, exsuperare. Obligatio enim parendi cessat, statim atque vires desunt. Nec ulla afferri potest ratio cur impotentia divinæ voluntati obediendi non æque excuset atque illius ignorantia. Cum ergo concedant ignorantiam invincibilem voluntatis divinæ legitimam posse afferre excusationem iis qui illi non paruerunt, idem quoque concedere debent de omnimoda impotentia illam præstandi. Excipiunt etiam homines potentiam credendi habuisse in Adamo, & illam culpa sua amisisse. Resp. 1. Non possunt illam culpa propria amisisse cum nondum essent, sed tantum aliena. 2. Potentiam credendi in Christum non habuit Adamus ante lapsum, quia tunc ei non fuit necessaria; & mirum esset Deum ei dedisse cum non indigebat, abstulisse cum necessaria erat. 3. Deus misso filio suo ad expiandum totius mundi peccata, ostendit se ex illo fœdere cum Adamo ante lapsum inito nolle cum hominibus agere. 4. Si æquum judicavit restituere hominibus cognitionem quam amiserunt in Adamo, quia sine illa credere nequeunt; cur non etiam potentiam restitueret, quæ non minus est necessaria? Sunt alii, qui dicunt, Deum non habere intentionem reprobos vocandi ad fidem, nec offerre eis salutem sub hac conditione si credant Euangelio: sed fieri illud per accidens, quia cum electis sunt permixti in mundo, quibus non potest Euangelium annunciari, quin reprobi, qui in iisdem locis habitant, etiam illud audiant. Sed si ita se res habeat, cur Deus adeo graviter conqueritur de illorum contumacia & incredulitate, & cur eis gravius supplicium intentat quam si Euangelium nunquam audivissent? Sane immerito miseri illi accusarentur rebellionis erga Deum, quos Deus credere nollet. Atqui accusantur sæpe, ut videre est, *Joan.* III. 16. *& seqq.* & XV. 22. *& seqq.* Immerito quoque illis graviores pœnas minaretur, quam iis qui voluntatis suæ ignari fuerunt. Atqui id facit, ut videre est *Luc.* XII. 47. & 2 *Petr.* II. 20. Ergo effugium istud est ineptum, ex quo sequitur nullam dari incredulitatem proprie dictam, & Deum absque causa incredulos & rebelles voluntati suæ gravius velle punire quam eos qui ipsam ignoraverunt. Alterum etiam membrum est absurdum, neminem posse credere ante illud tempus quo reipsa credit. Sic enim quibusdam præbetur occasio securitatis, & Euangelii prædicationem contemnendi, qua Deus utitur ut homines ad fidem adducat; aliis vero præbetur materia perpetuarum dubitationum & anxietatum. Ac sane cur ille laboret inutiliter in acquirenda fide, qui sciret se non posse credere, quantumcunque conatum adhibeat, antequam ipsum Deus potentia sua insuperabili trahat, & statim atque Deus illam exseret, se necessario crediturum? Cui adde, nonnullos non vereri dicere, omnem conatum hominis, quo studet se convertere & in Christum credere, antequam efficaciter vocetur, esse peccatum. Qua opinione qui erit imbutus, concludet longe satius esse otiose Dei vocationem expectare, quam prævenire eam volendo novi se peccati reum reddere. Et ita lata porta securitati

securitati carnali & negligentiæ salutis aperietur. Ex opposito is, qui non sentiet se hoc modo trahi, nonne dubius semper hærebit, an Deus ex convertendi proposito ipsum trahat? imo cum credet, poterit-ne esse de salute sua certus, si talem potentiam irresistibilem, qualem Deum adhibere dicunt in producenda electorum fide, nunquam in animo suo senserit?

CAPUT XIV.

Refutatio argumentorum pro irresistibili gratiæ operatione.

I. Refutatur primum argumentum, ab experientia, quod plurimi in Christum non crediderint. II. Cur Gentiles & Judæi fidem Euangelio non adhibuerint. III. Secundum argumentum, à statu in quo eramus ante conversionem. IV. Quid sit, esse peccati servum, Rom. 6. V. An omnes omnino homines peccati servi fuerint. VI. Quo sensu homines vocentur caro, & caro dicatur se non posse subjicere legi Dei, Rom. 8. VII. Quid sit, quod dicantur habere cor lapideum, Ezech. 36. VIII. Ablatio cordis lapidei quam Deus promittit non denotat irresistibilem gratiam. IX. Quid sit mortuum esse in peccatis Eph. 2. X. Tertium argumentum, ab operatione quæ Deo in conversione nostra tribuitur, vid. quod à regno tenebrarum nos transferat in regnum lucis, Coloss. 1. XI. Quod in nobis operetur velle & perficere pro beneplacito suo, Phil. 2. XII. Quod nos illuminet, renovet, vivificet, regeneret, novas creaturas faciat. XIII. Quod nos corpori filii sui inserat, vocet, det ut in Christum credamus. XIV. Quod nos convertat. XV. Quod cor aperiat. XVI. Quod nemo ad Christum venire possit, nisi Pater eum traxerit, Joan. 6. XVII. Quid sit, esse διδακτοὶ Θεοῦ, ibid. XVIII. Sensus verborum Pauli, quis te discernit? &c. 1 Corinth. 4. XIX. Qua ratione fideles gloriandi vel non gloriandi materiam habeant.

I. NUnc videamus præcipuas objectiones quibus sententia nostra impugnari solet, & eas ad veritatis trutinam expendamus. 1. Experientia, inquiunt, docet in nobis talem esse impotentiam ad credendum, quæ nonnisi per Dei omnipotentiam edomari possit, quia maxima tam Judæorum quam Gentilium pars Christum sibi per Euangelium annunciatum rejecit. *Resp.* Experientiam non docere aliquid esse impossibile, nisi postquam omnibus viribus adhibitis effici non potuit. Sic cum aliqua verisimilitudine diceretur impossibile esse invenire lapidem philosophicum, aut quadraturam circuli, aut motum perpetuum; quia multa præstantia ingenia jam à longo tempore in his rebus occupata, omni sua industria nihil ejusmodi præstare potuerunt. Sed neque illud absolutam & omnimodam impossibilitatem argueret. Sæpe enim contingit, ut quod illis impossibile fuit, his non sit qui majorem industriam, ingenii acumen, conatum, & perseverantiam adhibuerunt. Ut ergo argumentum hoc ab experientia depromtum robur aliquod haberet, ostendendum esset, sapientissimos quosque, tam ex Judæis quam ex Gentilibus, aut potius optimos quosque voluisse credere in Jesum Christum, idque totis viribus fuisse conatos, & tamen non potuisse exsequi. Sed, inquiunt, non solum vulgus Gentilium se Euangelio opposuit, sed etiam maximi isto sæculo viri, Politici, Philosophi, Oratores, cum Apostoli illud annunciarunt, & veritatem ejus insigni vitæ sanctitate & multis miraculis confirmarunt. *Resp.* Quid tum? inde-ne sequitur homines istos aliter facere non potuisse? Quomodo ergo credidit Proconsul Sergius Paulus, homo prudens, *Act.* XIII. 7. 12. Dionysius Areopagita, *Act.* XVII. 34. & post illos Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, & tot alii magni viri; ne jam loquar de innumera plebis multitudine quæ Euangelium amplexa est? Quod his facile fuit, aliis-ne erat omnino impossibile? Dicent-ne Deum non parem erga omnes, quam erga istos, exseruisse gratiæ efficaciam ad corda eorum emolliendum? Cur ergo laudantur qui crediderunt, & increduli vituperantur? *Act.* XVII. *v.* 11. 12. An res est digna laude, irresistibili potentiæ non restitisse? aut vituperio, id quod vires exsuperabat non præstitisse?

II. Causa ergo cur Gentiles Christum sibi annunciatum rejecerunt hæc fuit, quod essent improbi, sed tali improbitate à qua potuissent desistere & sanari, si Spiritum S. corda eorum pulsantem per Euangelium audire voluissent. Si Euangelium in theoria solum consisteret, non dubitassent ei credere, videntes miracula quibus confirmabatur; sed quia talem sanctitatis praxim requirit quæ ipsorum pravis affectibus repugnabat, opposuerunt se ei, nec voluerunt recipere pro vero, quamvis credibile esse non possent negare. Nec dissimilis fuit ratio Judæorum, quibus Christus erat à Prophetis promissus, & qui ipsum auribus suis concionantem audiverunt, & oculis suis miracula patrantem conspexerunt. Animi enim illorum ita præoccupati erant spe regni mundani, quod adventurum expectabant, & doctrina ejus adeo erat contraria ipsorum ambitioni, avaritiæ, vindictæ cupiditati, aliisque pravis affectibus, ut eum non agnoverint cum ad eos venit in statu humili & contemto, qui nihil sapiebat illam pompam mundanam, qua alii reges apud populum ostentare se solent & efferre. Sed sicut Nicodemus, Josephus Arimathæensis, Nathanael, & alii quibus pietas erat cordi, splendorem divinitatis Christi agnoverunt per velum humilitatis qua tegebatur radiantem, ita quoque facere poterant qui ipsum rejecerunt, nisi voluntaria malitia oculos eorum excæcasset. Frustra ergo laborant in defendenda incredulorum causa, qui dicunt impossibile ipsis fuisse in Christum credere. Falsum enim illud est. Poterant id divinæ gratiæ ope, quam Deus nemini petenti denegat; alioqui excusabiles

fuissent in suo peccato. Sed Christus, qui melius quam ullus hominum noverat unde promanarit incredulorum resistentia adversus Euangelium, non tribuit eam ineluctabili necessitati, sed voluntariæ & evitabili illorum malitiæ, dicens, *Hac est condemnatio, quod lux venerit in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras quam lucem, quia opera eorum sunt mala*, *Joan.* III. 19. Item, *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? Joan.* V. 44. Rursus, *dilexerunt magis gloriam hominum, quam gloriam Dei*, *Joan.* XII. 42. Quod de illis dicit Euangelista, qui conspecto miraculo suscitationis Lazari crediderunt in Christum, sed propter Pharisæos non ausi fuerunt quod sentiebant confiteri, ne ex Synagoga ejicerentur.

II. 2. Pugnant aliquot Scripturæ locis, quibus confirmari putant id quod experientia deprehensum est. Quando, inquiunt, illa agit de conditione in qua omnes sumus natura, titulos nobis tribuit, qui istam ad credendum Euangelio impotentiam clare arguunt. Nos enim *servos peccati* vocat, *Rom.* VI. 20. nempe quia ei anima, mente & voluntate servimus. unde colligitur facultates istas nullam edere posse actionem quæ à peccato, cujus dominio subsunt, non pendeat. Eadem Scriptura dicit, *Carnem non posse se subjicere legi Dei*, *Rom.* VIII. 7. & simul docet nos nihil aliud esse quam carnem: unde sequitur nos ad divinæ vocationi & mandatis obtemperandum impotentes esse. Dicit etiam nos *natura cor habere lapideum*, *Ezech.* XXXVI. 26. in lapide autem nullæ sunt facultates quibus Dei monitis & hortationibus auscultet. Testatur denique nos esse *mortuos in delictis & peccatis*, *Ephes.* II. 1. nullæ autem in mortuo sunt vires ad se suscitandum, aut ad vocem illius qui clamat ut è sepulcro resurgat audiendum. Resp. Scripturam non magis favere quam experientiam opinioni de necessitate gratiæ irresistibiliter operantis. Nusquam enim docet tantam in nobis ad credendum in Christum esse impotentiam, ut efficacia Euangelii & virtute Spiritus Dei, quæ ipsum perpetuo comitatur, superari non possit. Nam quod ad locutiones istas figuratas attinet, quibus aliquando utitur ad exaggerandum hominum improbitatem, constat inter omnes doctos interpretes, eas non posse urgeri quin incidatur in magna absurda; quia, ut vulgo dicitur, omnis similitudo claudicat, & quod una parte simile est, aliis dissimillimum esse potest. Id quod in singulis earum quæ allatæ sunt breviter ostendat.

IV. 1. Paulus *Rom.* VI. 20. dicit Gentiles antequam se ad verum Deum convertissent fuisse *peccati servos*, propter inveteratam peccandi consuetudinem; cui renunciare erat quidem ipsis valde difficile, cum assuetudo sit instar alterius naturæ; sed tamen non fuit plane impossibile; præsertim postquam gratiæ supernaturalis auxilium præsto habuerunt, qualis offertur à Deo benigne omnibus quibus Euangelium annunciari curat. Instant, Sicut servi, qui in dominorum potestate sunt, ex seipsis servitute se liberare nequeunt; ita etiam homines qui servi sunt peccati, dominationis illius jugum à cervicibus suis excutere non posse. Ad quod resp. Etsi aliqua sit inter corpoream & spiritualem servitutem affinitas, eam tamen in omnibus non esse, ita ut quicquid illi competit, huic etiam necessario convenire debeat. Et sane in hoc maxima est inter eas dissimilitudo, 1. Quod plerique eorum, quos servitute corporali detineri videmus, in illam inviti sunt pertracti; cum nullus nisi propria & libera voluntate peccati mancipium sit factus. 2. Quod non sufficiat ad liberationem obtinendam à servitute corporali, ut quis id serio expetat; sed in spirituali nihil aliud requiratur, quam seria & constans voluntas se à peccati dominio eximendi. Sed fac longe majorem esse inter hæc duo servitutis genera similitudinem quam revera est, id causæ nostræ non oberit. Sic enim colligam; Sicut servi aliqui sunt qui dominorum jussa spernunt, ab iis aufugiunt, imo qui in eos insurgunt & vitam eis eripiunt; ita qui servi sunt peccati non solum recusare possunt ejus mandatis parere, sed etiam ipsum occidere & mortificare; & inde magnam laudem & præmium consequi, cum in altero servitutis genere res se longe secus habeat. Pergunt dicentes, cum peccati dominium sit in mente & voluntate, unde cæteri omnes animæ motus pendent, id necessario esse voluntarium. Resp. 1. Verum non esse peccatum tam absolutum habere imperium in omnes animæ facultates eorum qui ipsi indulgent, ut nulla inde se ratione liberare queant. Contra enim proprium est intellectus probare bonum & illud appetendum judicare, quamvis sæpe violentia affectuum se ad malum abripi sinat. Sed si firmiter in judicio suo persistat, & à voluntate quæ natura sua in utramque partem est vertibilis, adjuvetur, non admodum difficile ipsi est peccati jugum excutere. 2. Dico manifestam esse contradictionem in hac assertione, servitutem peccati necessario esse voluntariam. Si enim est necessaria, non est amplius voluntaria; si autem est voluntaria, non est amplius necessaria. Id quod adeo evidenter apparet ex definitionibus necessarii & voluntarii, ut nulla sophistica distinctione eludi possit. Illud enim vocatur necessarium quod non potest non esse; & voluntarium, quod potest esse & non esse. Quod si peccati servitus necessaria sit & ineluctabilis, peccatum non est amplius vere peccatum nec pœna dignum. Nam de talis peccati essentia est ut sit voluntarium & liberum, adeo ut in potestate hominis sit tam ab eo abstinere quam id committere. Nec quic-

quicquam juvat excipere, id non committi coacte. Necessitas enim, quæ est vis interior libertati voluntatis illata, non minus ipsum excusare debet, quam coactio exterior corpori facta, cum illa æque atque hæc libero consensui repugnet.

V. His adde, nos nusquam in Scriptura legere, omnes homines absque ulla exceptione esse peccati servos; nec eos qui peccato serviunt, naturaliter sive ab ortu suo id facere. Docet quidem illa omnes homines peccavisse; sed inde non sequitur peccatum omnibus dominatum esse. Nam sancti etiam subinde per infirmitatem peccant; sed soli impii peccato serviunt. Ideo Apostolus loco citato non dicit, nos omnes natura servos esse peccati, sed tantum Romanos & alios Gentiles qui idola colebant, & carnis cupiditatibus indulgebant, tales ante conversionem ad Deum fuisse. *Cum*, inquit, *servi eratis peccati, liberi eratis quod ad justitiam.* ubi tempore præterito utendo, ostendit se de re quæ amplius non erat loqui; quemadmodum etiam ex iis quæ antecedunt & quæ sequuntur in isto capite, præsertim ex *v.* 17. *&* 18. apparet. Unde sequitur, servitutem istam non fuisse naturalem: quæ enim sunt naturalia, mutari nequeunt, & toto tempore quo homo vivit perdurant. Denique ineptum est, existimare omnia, quæ dicuntur in Scriptura de Romanis & aliis Gentilibus respectu temporis quo Deum non cognoscebant, necessario omnibus illis convenire qui ab infantia præceptis Christianismi imbuti fuerunt. Sed fac titulum hunc, *Servi peccati*, omnibus hominibus absque exceptione convenire, id est, neminem esse qui non aliquando peccato servierit; quod de plerisque verum esse fateor, id tamen non sequitur quod inde elicere volunt. Nam quemadmodum non concedent eos qui servi justitiæ vocantur, nihil nisi juste posse facere, & ipsis impossibile esse unquam in peccatum labi; ita non debent dicere eos qui peccati sunt servi, nihil aliud posse facere quam assiduo peccare. Par enim est utrobique ratio. Paulus autem ejusdem *cap. v.* 18. dicit; *Liberati à peccato servi facti estis justitiæ.* Et huic rei inservit doctrina Euangelii. Nam ejus efficacia servi peccati in libertatem asseruntur, sicut Christus Judæis dicebat; *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*, *Joan.* VIII. 31. 32. Sed Prædestinarii non plus virtutis tribuunt veritati divinæ ad homines ex peccati servitute eripiendos, quam nudi hominis voci ad faciendum ut mortuus ex sepulcro prodeat, id est, nullo aut exiguo admodum loco habent, ut postea videbimus.

VI. 2. Citant id quod dicit Paulus *Rom.* VIII. *v.* 7. *carnem non posse se legi Dei subjicere*; homines autem esse carnem, & per consequens nullam divinæ legi obedientiam exhibere posse. Ad quod respondeo; verum quidem esse affectus nostros carnales, quibus impellimur ad ea quæ sensibus sunt grata quærendum, ex seipsis non posse legi Dei se subjicere. Pars enim animæ nostræ sensitiva, (ut vulgo loquuntur) quam cum brutis communem habemus, rationem non audit, & legis non est capax. Ex. gr. fieri nequit quin appetamus cibum cum esurimus, & potum cum sitimus, & sic de aliis ejusmodi. Nihilominus voluntas quæ imperium habet absolutum in sensus ad eos coërcendum, à recta ratione illuminata, eos in ordinem potest cogere cum illicita appetunt; adeo ut nonnulli Ethnici, vera Dei cognitione destituti, affectus frænarint, & temperantiæ, castitatis, modestiæ, mansuetudinis, & aliarum ejusmodi virtutum exempla præbuerint. Quanto igitur id nobis facilius erit, qui ex verbo Dei didicimus fore ut si affectus carnales compescuerimus, veris & nunquam finiendis voluptatibus in cœlo aliquando fruamur? Ideoque Paulus illo ipso loco, ubi dicit carnem non posse legi Dei se subjicere, hortatur tamen Christianos, ne vivant secundum carnem, sed secundum spiritum. Quod si per *carnem* metonymice hic intelligatur homo affectibus carnalibus deditus, ut verborum Apostoli series id videtur requirere, dico 2. verum quoque esse hominem quatenus est talis, & in eo statu permanere delectatur, non posse legi Dei se subjicere; quia affectus carnis & præcepta legis Dei inter se sunt contraria, adeo ut impossible sit utrisque obsequi. Ita fieri nequit ut avarus, quamdiu in divitiis summum bonum collocat, & voluptuosus quamdiu id quærit in voluptatibus carnis, pareat legi Euangelicæ, quæ jubet ut istis vanis renunciemus. Sed inde non sequitur, ut is qui carnalis est, in eo statu necessario nisi gratia irresistibilis in eo operetur, permanere debeat. Nam in spiritualem efficacia verbi Dei immutari potest; quod, ut inquit Petrus, est *semen incorruptibile per quod regeneramur*, 1 *Epist.* 1. 23. Et quod homines in Scriptura generaliter *caro* vocantur, id non significat omnes absque exceptione affectibus suis carnalibus esse deditos: Statim enim ostendi contrarium; sed hoc nomine insigniuntur propter naturæ suæ fragilitatem & infirmitatem, etiam peccati ratione non habita. Hoc sensu Petrus loco modo citato asserit, *omnem carnem*, id est omnem hominem, *esse instar fœni, & omnem gloriam hominis instar floris fœni.* Talis autem infirmitas, cujus ratione morbis, morti & variis miseriis & afflictionibus est obnoxius, neminem impedit quominus legi divinæ se subjiciat, & eam quam postulat obedientiam præstet, sed sæpe cum eximia virtute & pietate conjuncta est.

VII. 3. Dicunt scriptum esse, *nos omnes natura habere cor lapideum*, *Ezech.* XXXVI. 26. Sed male citatur hic locus. Nam 1. in eo non agitur de omnibus hominibus, sed peculiariter de Israë-

Israëlitis, quos Deus per suum Prophetam alloquitur, *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Frustrà instant, parem omnium hominum esse conditionem, & Gentiles meliores non fuisse Judæis quibus istud exprobratur. Experientia enim docet, omnes non esse adeo perversos & in malo obfirmatos, ut nullis adhortationibus se ad Dei obedientiam flecti sinant; quod hac phrasi *cordis lapidei* significatur, & merito Judæis applicatur, inter quos plerique erant tales, etsi non omnes. Nec mirum videri deberet, si diceremus plurimos inter Gentiles probitate eos superasse. Id enim Deus ipse affirmat Prophetam suum alloquens, *Si mittereris ad populos profundi sermonis & ignotæ linguæ, ipsi audirent te: Domus autem Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me: omnis quippe domus Israël attrita fronte est & duro corde*, Ezech. III. 5. 6. 7. Et ejus rei exemplum eximium habemus in Ninivitis, qui ad unius Jonæ prædicationem resipuerunt, cum Israëlitæ nec Prophetarum nec Christi ipsius hortationibus ad pœnitentiam flecti potuerint. *Væ tibi Corazin, quia si in Tyro & Sidone*, &c. Sed nihil opus est nos nunc ad istam comparationem recurrere; hoc solum enim jam quæritur, an de illis omnibus qui sub Euangelii gratia vivunt, & à teneris in pietate & Dei timore instituti sunt, dici debeat eos, sicut Judæi illi quos Ezechiel compellit, cor lapideum habere. 2. Illic non dicitur Israëlitas natura, id est statim à nativitate & nulla propria culpa interveniente, cor lapideum habuisse. Sic enim non potuissent juste ea de causa reprehendi, cum in eorum potestate non esset nasci potius cum carneo corde quam cum lapideo. Attamen ipsis sæpe exprobratum legimus ipsos esse populum *duræ cervicis*; quod idem est ac *lapideum cor habere*. Vide Exod. XXXII. 9. Deuter. IX. v. 6. & alibi. Nunc egregiam quam ex hoc loco educunt consequentiam inspiciamus. Quæ, inquiunt, potest in lapide esse facultas ad sibi factas adhortationes audiendum? Sed nonne oportet lapides, sive malis, stipites illos esse qui ita ratiocinantur? quasi necesse foret ut quia homines in peccatis obfirmati certo respectu lapideum cor habere dicuntur, ii lapidibus omni ex parte essent similes. Quo posito, sicut adhortationes ad tale cor exeundum audire nequirent, ita mera esset stultitia ullas ad eos dirigere; & manifesta injustitia eos idcirco quod non audirent punire. Nisi etiam illos sensu omni destitutos fingamus; quo casu ipsis perinde foret sive in ignem abjicerentur, sive in ædificio aliquo præstanti collocarentur. Et sic abunde ut opinor objectioni ex hoc loco petitæ satisfeci.

VIII. Sed ut præterea respondeam ad id quod inde pro irresistibili conversionis modo elicitur; dico nullatenus istud sequi ex eo quod Deus pollicetur se Israëlitis ablaturum cor lapideum, & loco illius carneum cor daturum. Alibi enim quod hic se facturum pollicetur, jubet ipsos facere. *Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum*, Ezech. XVIII. v. 31. Non convenit autem Dei sapientiæ, ut id aliis præcipiat quod ipse solus omnipotentia sua facere decrevit, & de quo, ut ajunt, vult illos esse persuasissimos quibus id præcipit. Apparet etiam Dei intentionem non fuisse, ita cor Israëlitarum mutare, ut conversionis ipsorum effectus necessario aut infallibiliter inde sequeretur. Nam postquam dixisset cap. XI. v. 19. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*, &c. subjungit statim v. 21. *Quorum autem cor post offendicula & abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus.* Si proposuisset iis omnibus quibus istud promittit omnipotentia sua auferre cor lapideum, non minaretur illis pœnam quorum cor non fuisset mutatum. Nulli enim tales esse potuissent. Eodem sensu dicit etiam de Jerusalem; *Immunditia tua est execrabilis, quia mundare te volui* (vel *mundavi te*, secundum Hebr. textum) *& non es mundata à sordibus tuis*, Ezech. XXIV. 13. quibus verbis clare ostenditur, Deum non perficere solum & vi insuperabili conversionis nostræ opus, adeo ut, sicut non possumus resistere, ita in eo nos operari non sit necesse; alioqui urbs illa quam Deus mundaverat, revera munda fuisset. Scriptura autem dicit Deum aliquid facere aut dare, cum nihil omittit à parte sua quod requiratur ut homines id facere aut habere possint, etiamsi ob illorum malitiam effectus desideratus non sequatur. Cum ergo pollicetur hic se *cor lapideum* ab Israëlitis *ablaturum*, & loco ejus *carneum cor daturum*, ad eximia illa beneficia respicit quæ Deus iis conferre proposuerat, ipsos ex captivitate Babylonica reducendo; & præcipue temporibus Messiæ, quæ præcedentia omnia longe magnitudine sua exsuperatura erant. Id quod ex collatione hujus loci cum Jerem. XXXI. 31. &c. liquet, ubi dubio procul eadem promissio continetur, & Deus pollicetur se fœdus novum percussurum cum domo Israël & domo Juda, in quo daret legem suam in visceribus eorum, & in corde eorum scriberet eam, &c. Beneficia enim ista plus quam sufficientia futura erant ad ipsorum corda emolliendum & ad obedientiam flectendum, nisi plane improbi essent & incorrigibiles. Ita dicere solemus aliquem inimici cor mollivisse, cum demissione sua aut beneficiis eum ad animum erga se mutandum induxit. Multo igitur potiore jure Deus de se ita loqui potest, cujus gratiæ numero & excellentia tantum superant id omne quod erga nos invicem præstare possumus. Denique ut nulla supersit tergiversandi ansa, observandum est hic agi de beneficio toti Judaico populo communi, & quod nonnisi post multos annos incepturum esset. Gratia autem

autem illa, quam intelligunt Prædestinarii, cujus vi voluntas necessario determinatur ad credendum, paucis tantum electis datur; & non minus illo tempore, quo scribebat Propheta, iis conferebatur, quam postea, utpote semper similis ab initio mundi usque ad finem. Quo posito, dicendum foret nullos tunc, imo diu postea, electos fuisse inter Israëlitas: sed contra omnes eos fuisse reprobos qui nulla ratione converti possent, quod gratia ista essent destituti, Deumque extraordinarie illud patefecisse, ut omnem ipsis spem adimeret, & impediret ne frustra id tentarent quod exsequi nequirent. Quæ absurda sunt palpabilia.

IX. 4. Urgent Scripturam dicere, nos omnes *mortuos esse in delictis* & peccatis, *Ephes.* II. 1. mortuum autem nullas ex se habere vires quibus resurgat, aut illius vocem audiat qui ut è sepulcro exeat hortatur. Sed resp. 1. hic non agi de omnibus hominibus, sed tantum de Ephesiorum & aliorum Gentilium statu ante conversionem. Ideo Paulus non dixit, *Natura sumus mortui in delictis & peccatis*; sed, *vos eratis mortui*: inter quas locutiones magnum est discrimen. Verum quidem est, ipsum in seqq. versibus loqui in prima persona; *In quibus* (peccatis) *& nos omnes aliquando conversati sumus*, &c. *& eramus natura filii iræ, sicut & cæteri*, &c. *cum essemus mortui in peccatis*, &c. Quod fecit, ut ostenderet Judæos non esse omnino ab ista corruptione immunes. quamvis alibi eos longe in hac parte Gentilibus superiores esse indicet, dicens, *Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores*, *Gal.* II. 15. lex enim quam à Deo acceperant, poterat eos ab idololatria & aliis sceleribus quibus Gentiles indulgebant, immunes præstare, nisi frænum ejus abjecissent. 2. Apostolus semper hic utitur tempore præterito, non præsenti; ut significaret se de vitio naturali quod nunquam exuitur non agere; sed de corruptione ex voluntaria assuetudine procedente, cui Euangelio credentes renunciaverant. 3. Ista phrasi, *Mortui in peccatis*, noluit significare Ephesios omni facultate se ad Deum convertendi fuisse destitutos, etiam postquam per Euangelium sunt vocati; sed tantum ipsos morte dignos fuisse propter enormia adversus naturæ legem peccata, in quibus antea ambulaverant. Quod ideo iis commemorat, ut gratiæ divinæ excellentiam in sua ad salutem vocatione agnoscerent, & digne illa se gerentes deinceps Deo & Christo liberatori suo toto corde servirent. Eam ita esse intelligendam apparet ex eo, quod veniam seu remissionem peccatorum morti in peccatis opponat; quæ hic verbis, *convivificavit nos Christo & conresuscitavit & consedere fecit in cælestibus*, innuitur; sed longe clarius alibi exprimitur, cum dicit, *Et vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ convivificavit cum illo* (Christo) *donans vobis omnia delicta*, &c. *Coloss.* II. 13. Hoc sensu Deus Abimelecho, qui uxorem Abrahami rapuerat, dicit, *Ecce mortuus es propter mulierem quam accepisti*, *Gen.* XX. 3. Et David de illo divite, quem Nathan ipsi ovem unicam sustulisse significaverat, *vivit Dominus, quia filius est mortis vir qui fecit hoc*, 2 *Sam.* XII. 5. Itaque *mortuum esse in peccatis*, & *filium iræ esse*, unum idemque significant: de qua postrema phrasi supra in loco de peccato originis egimus. Aliquando etiam illi in Scriptura spirituali sensu dicuntur esse mortui, qui quasi jam essent mortui nulla bona opera faciunt. Sic Paulus de vidua quæ in deliciis vivit, dixit eam *viventem esse mortuam*, 1 *Tim.* V. 6. Et Jesus Christus de illo qui petebat ut sibi liceret patrem sepelire antequam sequeretur ipsum, *Sine mortuos sepelire suos mortuos*, *Matth.* VIII. 22. Et ad Angelum seu Pastorem Ecclesiæ Sardensis, *Nomen habes quod vivas, & mortuus es*, *Apoc.* III. 1. Sed in his locis, non magis quam in præcedentibus, per vocem *mortuus* non significatur omnimoda ad bonum faciendum impotentia; quemadmodum id colligi potest potissimum ex ultimo. Ille enim Ecclesiæ Sardensis Pastor, quem Christus mortuum vocat, non erat destitutus potentia Euangelio obediendi, quam Deus omnibus quibus Euangelium annunciari curat benigne largitur. Fac tamen per istam phrasin, *Mortuus in peccatis*, significari hominem ex se vires non habere ullum verum & salutare bonum faciendi; inde non sequeretur, vocem filii Dei in Euangelio resonantem non sufficere ad ipsum vivificandum, & ad illud quod ei præcipitur exsequendum idoneum reddendum, contra id quod ex *Joan.* V. 25. colligitur. Alioqui etiam Deus non hortaretur eum ut seipsum suscitaret, *Excitare qui dormis, & resurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, *Ephes.* V. 14. Illud enim non minus foret ridiculum, quam si quis mortuum in putredine jacentem ita compellaret, Exi è sepulcri tui tenebris, ut pulcrum Solis lumen intuearis; nec pertinaciter ibi manere perseveres, ne tandem esca vermium fias. Denique quemadmodum hac loquendi formula, *mortuum esse peccato*, qua Paulus utitur *Rom.* VI. 2. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* non significatur impossibile esse ullum amplius peccatum committere; ita neque hac, *mortuus in peccato*, totalis ad bonum faciendum impotentia innuitur. Par enim utrobique est ratio. Concludo igitur, citata hæc loca, quæ modo expendi, non ostendere impossibile esse homini obedire vocationi divinæ quæ fit per Euangelium, & in Christum credere. Quamvis enim id nequeat ex se ipso & viribus suis naturalibus; tamen adjutus gratia, quam Deus omnibus qui Euangelium audiunt in illo offert, satis habet virium ad superandam naturæ suæ corruptæ resistentiam; adeo ut per ipsum solum stet si non credat.

X. 3. Pugnant quibusdam Scripturæ testimoniis, ubi putant doceri, eos qui credunt nihil ad

Fff

ad opus illud conferre, sed totum id insuperabili Dei potentiæ in iis agenti esse tribuendum; qualia sunt, *Deum auferre cor lapideum & dare cor carneum*, *Ezech.* XXXVI. 26. ipsum nos *transferre ex regno tenebrarum in regnum lucis*, *Coloss.* I. 13. *operari in nobis velle & perficere pro beneplacito suo*, *Philipp.* II. 13. *illuminare nos*, *renovare*, *regenerare*, *vivificare*, *novas creaturas facere*, *denuo creare*, *inserere in corpore filii sui*, *vocare*, *trahere*, *dare ut in Christum credamus*, & similia multa. denique Christum ipsum pronunciare, *Neminem posse ad se venire*, id est in se credere, *nisi Pater eum trahat*, *Joan.* VI. 44. Sed ad 1. ex his locis petitum ex *Ezech.* XXXVI. jam respondi. In 2. ex *Coloss.* I. nihil animadverto quod ad rem faciat, aut id quod in controversia positum est probet. Paulus ibi agit de Colossensibus & aliis Gentilibus, qui ante suam ad Christum conversionem misera erant Diaboli mancipia, qui princeps est tenebrarum, & in tanta versabantur veritatis ignorantia, ut idola muta colerent loco creatoris universi; & gratiam Dei erga illos extollit, quod per Euangelii lumen illos ab ista servitute liberarit, & in numerum subditorum dilecti sui filii receperit. Sed alia plane est hodie ratio Christianorum, qui ab incunabulis instituti fuerunt in veri Dei & Christi ejus cognitione, & cum lacte materno pietatis rudimenta hauserunt. Imo nec illic asseritur Deum Gentiles istos per omnipotentem Spiritus sui operationem convertisse, & ipsos sibi oblatam gratiam respuere nequivisse. Id per servorum suorum ministerium effectum dedit quos ad eos misit, ad aperiendum ipsorum oculos & convertendum eos à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, sicut de Paulo dicitur *Act.* XXVI. 18. Quare dubium non est quin illorum prædicationem respuere potuerint, ut plurimi alii qui maluerunt tenebras quam lucem, *Joan.* III. 19. & qui Spiritui S. corda sua per divinam Euangelii doctrinam pulsanti restiterunt, & aperire noluerunt, *Act.* VII. 51.

XI. Ad 3. ex *Philipp.* II. 13. resp. Apostolum illic non docere Deum operari in nobis illud velle & perficere per vim insuperabilem; de quo solum disputatur. Alioquin omnes libenter admittunt, Deum omnium quæ facimus bonorum operum primum esse auctorem, qui non semel tantum nos in iis gratia sua præveniat, sed & continuo usque ad finem adjuvet. Sed de modo quo istud efficit non conveniunt; utrum nimirum hominibus parendi & non parendi libertatem relinquat, an vero eam penitus adimat, voluntatem ipsorum ad unam partem omnipotenter determinando. Dico igitur phrasim qua utitur Paulus, talem operationem non designare necessario. Nam etiam in communi nostro sermone, & ubi de hominum inter se commercio agitur, solemus dicere nos in aliquo voluntatem hoc vel illud aggrediendi excitasse, cum ipsum consilio nostro & persuasionibus illuc induximus. Multo ergo potiori jure id Deo applicari potest, qui promissionibus suis & minis, aliisque variis modis quos in manu habet, in nobis bene agendi voluntatem ingenerat, & in eo quod proposuimus perficiendo adjuvat; etiamsi nos aliter volendi & agendi libertate non exuat. Adde quod hic non agatur de modo quo Deus incredulos adducit ad fidem; sed de eo quod operatur erga jam conversos & Euangelio credentes; quibus in præmium obedientiæ præstitæ nonnunquam majora ad perseverandum auxilia largitur, quam dederat ad incipiendum. Nec est ut quis existimet voces istas, *Secundum beneplacitum suum*, additas esse ad libertatis nostræ exclusionem, aut ad significandum Deum solum in hoc negotio operari. Hoc tantum illis significare voluit Apostolus, nos gratiam quam Deus in Euangelio offert non esse meritos, eamque ex libera ipsius bona voluntate erga nos proficisci, qua privare nos possit, si in timore & tremore salutem nostram non operemur. Ab omni quoque verisimilitudine abest, ipsum de irresistibili Dei actione proposuisse loqui. Sic enim omnem vim exhortationi quæ immediate præcedit, ademisset, *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus enim est qui operatur in vobis*, &c. Ac sane Philippenses inde omnino contrariam potuissent elicere conclusionem, & sic apud se ratiocinari; Quandoquidem Deus solus operatur in nobis velle & perficere, & absque nobis, ita ut nihil ex parte nostra in illud conferamus, non solum superfluum est tanta cum cura operari studere nostram salutem, sed etiam merâ stultitia est putare nos eam ulla ratione promovere posse. Adde quod istud pronunciatum in omnibus quos compellat verum non fuisset compertum. Nam ut apparet ex 1 & 3 hujus *Epist. cap.* multi erant inter Philippenses improbi & increduli, erga quos Deus talem efficaciam non exserebat, qua voluntas ipsorum ad bonum necessario determinaretur. Nec ad rem est excipere; istud de electis tantum esse intelligendum. Sic enim fatendum erit annexam adhortationem ad solos electos dirigi; ac proinde alios qui ei non parebant, & salutem suam operari negligebant, non peccasse.

XII. Ad 4. Nulla est inter istas Scripturæ phrases ex qua id quod quæritur colligi possit. Ex eo quod Deus nos *illuminat*, non sequitur ipsum potentia insuperabili id facere, nobisque ad talem effectum nihil conferentibus. Nam illuminat nos per verbum suum, de quo David pronunciat, *Verbum tuum est lampas pedi meo, & lumen semitæ meæ*, *Psal.* CXIX. 105. Sic modo audivimus, Deum misisse Paulum ad Gentiles, ut illuminaret ipsorum oculos, nempe per Euangelii lumen quod iis offerebat. Sed si vellent, poterant oculos ad ejus splendorem claudere & in tenebris manere. Verbum enim Dei, quantumvis in se luminosum, non illuminat

eos

eos qui ipsum rejiciunt aut spernunt. Sic etiam Deus non *renovat* nos, nisi ex parte nostra quicquid possumus ad renovationem nostri afferamus; ut apparet inde, quod Deus nobis id ipsum præcipit. *Transformamini per renovationem mentis vestræ*, Rom. XII. 2. Item, *Renovamini in spiritu mentis vestræ*, Ephes. IV. 23. Absurdum itaque est existimare, Deum solum id in nobis absque nobis efficere velle: quorsum enim nobis opus suum mandaret? Nec plus virium est in eo, quod legimus Deum nos *vivificare*, *regenerare*, *novas creaturas facere*, &c. Hæc enim omnia implet per verbum suum, cui dubium non est quin resisti possit ab homine, & sæpe reipsa resistatur. Jesus Christus dicebat, *horam venire, imo jam esse, in qua mortui vocem filii Dei audituri essent, & qui audivissent victuri*, Joan. V. 25. nempe spiritualiter mortui, quibus Petrus dicit euangelizatum fuisse, 1. Epist. IV. 6. Filius enim Dei vocem hanc vivificantem offert audiendam in Euangelio; ad cujus sonum aures nostras possumus obturare. *Regeneramur non per semen corruptibile, sed incorruptibile, nempe per verbum Dei vivum & manens in æternum, quod nobis euangelizatum est*, 1 Petr. I. 23. *Deus nos voluntate sua genuit per verbum veritatis, ut essemus primitiæ quædam creaturarum ejus*, Jacob. I. 18. Ideo qui verbum istud annunciant, dicuntur homines Christo generare. *Ego*, inquit Paulus, *genui vos in Jesu Christo per Euangelium*, 1 Cor. IV. 15. quod ostendit vim insuperabilem in eo non esse requisitam. Tali enim potentia non erant armati Apostoli, nisi cum miracula edebant; in quo numero absurde collocarentur omnes Judæorum & gentilium ab ipsis peractæ conversiones.

XIII. Phrasis hæc, Deum nos *filii sui corpori inserere*, quæ legitur Rom. XI. 23. nihil facit ad ostendendum qua efficacia in nobis fidem producat. Illos enim solos ipsi inserit qui jam credunt, ut apparet ex verbis immediate præcedentibus, ubi dicitur de Judæis, ipsos si non perseverent in incredulitate iterum insertum iri. Quomodo nos Deus *vocet* dixi antea, cum agerem de loco Rom. VIII. 29. & palam feci, ipsum in nobis ad fidem vocandis insuperabilem potentiam non adhibere. Nec sequitur etiam ex eo quod *datur* hominibus credere in Christum, Philipp. I. 29. fidem esse actionem quam Deus in nobis solus producat, & quidem tanta cum efficacia, ut nemo eam impedire aut retardare ullo modo possit. Nobis enim tunc datur credere, quando Euangelium nobis annunciatur, quod est instrumentum quo Deus fidem in nobis producit. Sed id non fit vi irresistibili, adeo ut illi omnes quibus datur credere posse, necessario & infallibiliter credant. Experientia enim quotidiana contrarium docet: quotiescunque rete Euangelii projicitur, non capiuntur homines vivi. Sicut etiam non datur irresistibiliter pro Christo pati; qui enim volunt abnegare Christum, vitant persecutionem pro ejus nomine; ita neque in eum credere; cum tamen Paulus hæc duo copulando, *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*, non obscure innuat eandem utriusque esse rationem. Cui adde, quod si Deus ita in nobis fidem producere decrevisset, eam nobis non præciperet, ut fieri videmus diversis locis, & nominatim apud Joannem 1 Epist. III. 23. *Hoc est ejus mandatum ut credamus in nomen filii ipsius Jesu Christi.*

XIV. Nec major vis est in eo, quod Deus nos *convertere* dicitur, Jerem. XXXI. 18. *Converte me & ego convertar.* Illa enim conversio pro qua hic populus Ephraim Deum orat, in eo consistebat, ut Deus loco gravium pœnarum quas ipsi inflixerat, iterum gratiam suam & favorem sentire faceret, promittens si Deus ad ipsum in misericordia sua se converteret, fore ut tam insigni beneficio ad conversionem viarum suarum in melius adduceretur. In quem locum Vatablus annotat, verba hæc, *Converte me*, posse etiam verti, *Redire me fac*; nempe ex captivitate Babylonica in qua sum. Adeo ut qui sit conversionis ad Deum & justitiam modus non ostendant. Ex iis enim aliud ad summum elici non potest, nisi eos qui peccatis immersi sunt, quales tunc erant Ephraimitæ, inde absque Dei ope non posse se eripere. Quod libenter concedo; sed non probat conversionem absque libero consensu fieri, aut nunquam contingere ut ii quos Deus beneficiis suis ad pœnitentiam invitat, ingratos se præbeant & in impœnitentia sua permaneant.

XV. De *apertione cordis*, cujus mentio fit Act. XVI. 14. aliquid jam dixi antea, & gratiam Dei singularem ea designari posse concessi, sed non irresistibiliter operantem. Agitur ibi de conversione Lydiæ, quæ merito refertur ad Deum, tanquam primum omnis boni auctorem, & à quo solo efficacia doctrinæ Pauli manabat. Nec etiam certo affirmari potest, an ipsa sola ejus prædicationi crediderit. Quod enim Lucas ejus singulariter meminit, tendere solum videtur, ad ostendendum quid Apostolum moverit ut cum suo comitatu in ejus ædes diverteret. Et quamvis ipsa sola inter omnes illos, qui tunc eum audiverunt, ad Christum conversa foret; non sequeretur inde, Dominum erga ipsam usum fuisse gratia particulari, quam cæteris absolute denegasset. Pulsat enim ad ostium cordis omnium quibus Euangelium suum annunciari curat, expectans ut sibi aperiatur, Apoc. III. 20. Sed effectus diversitas inde promanasset, quod alii Pauli auditores non adeo fuissent religiosi atque hæc sancta fœmina; quæ non absque causa ornatur elogio σεβομένης θεὸν, nimirum ad ostendendum pietate ejus factum esse, ut cor ejus potius quam aliorum aperiretur ad credendum Euangelio; secundum id quod dicit Regius Psaltes, *Secretum Domini timentibus eum, & pactum*

suum notum illis faciet, *Psal.* xxv. 14. Et Jesus Christus, *Si quis velit facere voluntatem ejus qui misit me, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, aut an ego à meipso loquar*, *Joan.* VII. 17. Significans his verbis, illum, qui de veritate religionis certus esse cupit, debere primum ardente desiderio teneri faciendi Dei voluntatem, & tunc Deum non permissurum ipsum dubitationum fluctibus agitari, sed quid sequi debeat ut salutem adipiscatur ei revelaturum.

XVI. Denique quod ad illa Christi verba attinet, *Nemo potest ad me venire, nisi Pater qui misit me traxerit eum*, *Joan.* VI. 44. Resp. esse quidem necessarium ut à Patre trahamur antequam ad Christum accedamus, adeo ut absque ejusmodi tractione nemo ad illum venire queat. Sed inde non sequitur, Deum omnes illos quos trahit, vi insuperabili trahere; & fieri nequire quin ad Christum veniant. Conqueritur enim se populum suum Ephraim funibus humanitatis traxisse, sed ipsos noluisse converti, *Osea* XI. 4. 5. Tractio igitur illa non est actio violenta, sed amica & suavis, veluti cum infantulum post me traho offerendo ei pomum aut nuces. In eum finem enim adhibet promissa, minas, beneficia, castigationes & ejusmodi media moralia, quæ non operantur irresistibiliter, sed sæpe effectu destituuntur. Quod si per tractionem Patris intelligatur in hoc loco gratia quæ necessario effectum producat, & cujus tam denegatio quam communicatio à decreto Dei absoluto pendeat, Jesus Christus dicendo neminem ad se posse venire nisi Pater traheret ipsum, causam incredulitatis Judæorum aperte ad ejusmodi gratiæ denegationem retulisset; quod nullo modo est verisimile. Sic enim suos auditores à se rejecisset, qui ipsi regerere potuissent, Cur nos ob incredulitatem nostram reprehendis? Si non possumus credere nisi Patre nos trahente, & ipse id facere nolit, an debet ea nobis imputari? Cum nos eodem atque alios modo traxerit, non minus prompte & alacriter ad te quam illi veniemus, nec omnipotenti ejus operationi resistemus, quam dum non adhibet nihil facere possumus. Quænam ergo, inquies, est horum Christi verborum mens? Resp. Voluit incredulitatem Judæorum qui ad eum non veniebant, seu in eum non credebant, in ipsorum malitiam occulte, sicut alibi sæpe facit, rejicere; innuens ipsos, quandoquidem doctrina quam annunciabat non trahebantur, quæ non sua erat, sed Patris à quo missus fuerat, eo ipso ostendere, se Deum non timere, & ejus legem in tali qua debebant reverentia non habere. Omnes enim qui secundum legis præscriptum vere Deum timebant, statim Christi doctrinam amplectebantur, quam divinam esse agnoscebant. Pater enim Judæos ad filium trahebat per legem, quam ipsis dederat tanquam pædagogum per quem ad Christum adducerentur, *Gal.* III. 24. Qua de causa fieri nequibat, quin ii, qui legis istius vere studiosi erant & ejus mentem intelligebant, ad ipsum venirent, cum improbi & profani ejus doctrina non afficerentur. Unde iis dicebat, *Si crederetis Mosi, crederetis etiam mihi; nam ille de me scripsit. Sed si Mosis scriptis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* *Joan.* V. 46. 47. Item alibi, *Qui ex Deo est, verba Dei audit: ideo non auditis ea quia ex Deo non estis*, *Joan.* VIII. 47. Quasi diceret, Qui Dei timore præditus est, libenter audit verba divina quæ annuncio. Vos igitur qui ea audire recusatis, eo ipso vos Deum non timere ostenditis. Similiter dilectus ejus discipulus, *Nos sumus ex Deo, qui novit Deum, nos audit; qui non est ex Deo non audit nos*, 1 *Epist.* IV. 6. Quod vero aliqui existimant hac phrasi, *esse ex Deo*, significari absolute prædestinatum esse à Deo ad vitam æternam, illi toto cælo ab ejus mente aberrant. Sic enim sequeretur ex opposito, per phrasim, *esse ex Diabolo*, qua Christus eodem *Joan. cap.* VIII. utitur, intelligi, esse prædestinatum à Diabolo ad æternam damnationem: quod manifeste absurdum est. Sed sicut ex Diabolo esse significat impietate instar Diaboli delectari; ita quoque, ex Deo esse, idem est atque pietatem & sanctimoniam Deo placentem sectari.

XVII. Idemque est eorum, quæ Christus ibidem addit, sensus, *Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes διδακτοὶ θεοῦ. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Respicit ad verba *Esa.* LIV. 13. quæ continent prophetiam illi similem quæ habetur *Jerem.* XXXI. 31. *& seqq.* *Dabo legem meam in visceribus eorum*, &c. *Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus*, &c. Quia nimirum, ut antea diximus, beneficia Dei erga Judæos temporibus Messiæ (quæ adumbrata fuerunt per liberationem ex captivitate Babylonica) tam præstantia erunt, ut omnibus occasionem luculentam præbitura sint Deum cognoscendi & ipsum vicissim redamandi: quamvis, ut postea experientia docuit, maxima pars eorum Christum ad se missum per summam ingratitudinem rejecerit. Sed id non raro Deus in Scriptura facere dicitur, ad quod faciendum homines impellit & vires largitur, etsi propter eorum malitiam effectus divino proposito respondens non sequatur. Indeque apparet verba ista διδακτοὶ θεοῦ, quæ vetus interpres barbare & obscure vertit, *docibiles Dei*, potius significare *docti de Deo*, quam *docti à Deo*, id est, materiam sive subjectum doctrinæ, quam causam illius efficientem; eodem loquendi genere, quo dicimus doctus aleæ, pilæ, &c. id est peritus. Quamvis enim verum sit, nullum esse doctum de Deo, seu in divina cognitione bene institutum, quem Deus ipse non docuerit; hic tamen effectum potius significare voluit Propheta, cujus verba citat Christus, quam nudam Dei actionem: ad illud enim significandum

usus

usus fuisset potius voce θεοδίδακτος, quæ reperitur 1 *Thess.* IV. 9. Sed quocunque ea sensu accipias, parum quod ad nostram controversiam refert. Nec enim homines statim docti fiunt in rebus divinis, seu credunt Euangelio, quia Deum doctorem habeant: Deus enim illos omnes docet, quibus verbum suum annunciari curat, cui certum est à plurimis resisti & non obediri. Dices hic de immediata Dei, ut ita loquar, doctione seu institutione agi, cui nemo resistat, eo quod vi insuperabili fiat. Resp. Hoc ipsum est quod versatur in quæstione, & nondum probatum est. Imo experientia manifeste tali interpretationi repugnat. Nondum enim omnes homines ita edocti à Deo fuerunt, ut omnes ei obediverint; sed plurimi semper à primis Euangelii annunciati temporibus huc usque refractarios se illi præbuerunt. Verbis sequentibus, *quisquis audivit & didicit à Patre, is venit ad me*, idem significatur quod præcedentibus tractum esse à Patre; Nimirum doctrinam legis, quæ ad Patrem tanquam primum auctorem refertur, præparasse animos illorum, qui ea prius imbuti fuerant, ad facilius & promptius recipiendum Euangelium cum ipsis annunciatum fuit; ita ut qui legem in pretio habebant, non solerent Euangelium contemnere.

XVIII. 4. Urgent hæc verba Pauli, *Quis discernit te? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1 *Cor.* IV. 7. Unde concludunt, nos per solam insuperabilem Dei potentiam, qua ad fidem adducimur, ab iis qui non credunt discerni; quia si liberi nostri arbitrii concursus requireretur, & nemo sine eo converteretur, illi qui crederent haberent gloriandi materiam, & dicere possent, Ego me ipse discrevi ab infidelibus, non Deus qui parem nobis omnibus gratiam contulit. Resp. Fideles in hoc loco non conferri cum infidelibus, nec qui factum sit quod illi conversi fuerint, hi vero non; sed fideles inter se, & respici particulariter ad dissidia quæ erant inter Corinthios, quorum alii gloriabantur quod plura quam cæteri linguarum aut sanationum, &c. dona haberent, vel quod potius à Cepha à quam Paulo, vel à Paulo quam ab Apollo in Christiana religione instituti fuerant, ut ex *cap.* I. 2. 3. 4. item ex 12. 13. 14. liquere potest. Quæ sane res erat valde fœda & ipsorum professione prorsus indigna. Quod enim unus præ alio in ejusmodi rebus eminebat, ex ipsius industria & labore non proveniebat, sed ex mera Dei gratia & liberalitate, & nullam justam se efferendi causam præbebat; ut neque quod hic præstantiorem habuisset doctorem à quo in Christiana fide institutus fuisset quam ille; posito quod collatio quam inter Cepham, Paulum, Apollo faciebant, non esset vitiosa & iniqua. Sed non eodem se modo res habet cum fidelibus & infidelibus, quibus pariter Euangelium annunciatum est, & æqualis credendi facultas oblata fuit. Nullum enim est dubium, quin discrimen quod inter utrosque conspicitur inde proveniat, quod alii libere veritati divinæ sibi patefactæ obtemperarint, alii contra eam libere itidem rejecerint; ita ut qui illi paruerunt potuerint non parere, & qui non paruerunt potuerint parere. Quare illi à Spiritu Dei laudantur ob suam obedientiam, hi contra vituperantur ob suam contumaciam. Cujus rei eximium habemus exemplum *Act.* XVII. 10. 11. ubi dicitur *Judæos Berœenses generosiores fuisse Thessalonicensibus, eo quod verbum Euangelii cum omni promptitudine receperunt.* Quod omni ratione & fundamento careret, si Deus Berœenses per insuperabilem potentiam convertisset, quam erga Thessalonicenses exercere noluisset. Non puto hic opus esse respondere ad contortam nonnullorum expositionem, qui vocem εὐγενέστεροι, qua hic utitur Lucas, de nobilitate generis aut digniori honoratiorive statu intelligunt, & ad Thessalonicenses ipsos referunt; cum series contextus aperte ostendat Berœenses conferri cum Thessalonicensibus, & eis anteponi, eorumque εὐγένειαν seu generositatem non collocari in prosapia, aut aliis ejusmodi externis qualitatibus, quæ nihil faciunt ad Deo placendum; sed in eo, quod exceperunt τὸν λόγον, nempe Euangelii, μετὰ πάσης προθυμίας.

XIX. Quandoquidem ergo illi ab ipso Deo laude digni reputantur qui credunt, non prohibetur illis quominus ea de re glorientur, modo in Deo glorientur, & id non fiat cum aliorum contemtu, de quibus ipsorum non est judicare sed Dei. Indeque est quod Paulus monet, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur*, 1 *Cor.* I. 31. ex *Jerem.* IX. 22. 23. Item, *Unusquisque probet opus suum, & tunc habebit de quo glorietur in semetipso tantum & non in alio*, *Gal.* VI. 4. ubi per postrema verba, *in semetipso tantum & non in altero*, significat gloriandi occasionem non esse desumendam ex vitiis quæ in aliis deprehendimus, sed ex virtutibus quas in nobis post serium conscientiæ examen reperimus. Et merito. Sæpe enim in judicio quod de aliis facimus turpiter erramus, quod eos non satis noverimus. Præterea, neque illi omnes sunt boni & Deo grati qui improbissimis paulo sunt meliores. Ad quod non attendebat Pharisæus ille de quo Dominus loquitur *Luc.* XVIII. qui gloriabatur, quod bis sabbatho jejunaret, & decimam omnium quæ possidebat persolveret; quæ erat tantum sanctitas ceremonialis & superstitione mixta: & quod non esset sicut reliqui homines, raptores, injusti, adulteri, id est non esset de pessimis, & sicut ille publicanus quem ante oculos conspiciebat. quod judicium erat temerarium de alieno servo, quem forte non bene noverat, sicut nec seipsum, existimans ut quis sit justus, sufficere ut purgaverit exteriora poculi & patinæ, etiam si interiora sint plena

rapina & immunditia, ut Dominus Jesus illius ordinis viris exprobrat *Matth.* XXIII. 25. 26. Sed quamvis aliquis discreverit seipsum ab incredulis per liberam & voluntariam obedientiam Euangelio præstitam, & ea de re possit in semetipso gloriari, quod gratiæ Dei non defuerit aut ei non restiterit, non habet tamen de quo glorietur apud Deum, quasi id omne gratiæ Dei non deberet, sed potissimam partem sibiipsi. Perinde enim foret, ac si mendicus gloriaretur, se manum extendisse ad eleemosynam accipiendam quam dives ipsi porrigebat, & illam se à libero suo arbitrio habere diceret, eo quod si libuisset poterat illam contemnere & repudiare. Proinde nihil de excellentia gratiæ divinæ minuitur, dicendo ipsum arbitrii nostri libertati reliquisse ut amplectamur eam vel rejiciamus prout visum fuerit. Sed multum detrahitur, restringendo illam ad exiguum electorum numerum qui irresistibiliter convertantur; cum ex eo sequatur, cæteros omnes homines nihil habere de quo gratias agant Deo. Nam si dicas, ipsos à Deo habere esse suum & vitam, una cum multis beneficiis temporalibus ad hanc vitam pertinentibus; in promtu erit exceptio, ipsos nihil propterea ipsi debere, cum eo fine tantum hæc omnia dederit, ut posset eos in æternum perdere, & quo plura dedisset eo gravius cruciare: quod sane non foret amoris, sed odii, & longe iis præstitisset non esse natos, & nulla unquam à Deo dona accepisse, quibus non possent non abuti, ut postea tam acerbe ab ipso reposcerentur.

CAPUT XV.

Examen duarum exceptionum ad argumenta pro resistibilitate gratiæ.

I. *Prima exceptio à cæcitate mentis nostræ.* II. *Lumen Euangelii cæcitatem illam posse tollere.* III. *Alias ministerium Euangelii esset inutile.* IV. *Euangelium oculos spiritualiter cæcorum aperit.* V. *Abunde sufficit ad nos ad fidem adducendum.* VI. *Expenditur locus Eph.* 1. *eum dirigi ad fideles.* VII. *Et non agere de potentia qua Deus homines ad fidem adducit, sed ex mortuis suscitaturus est.* VIII. *Sensus loci Eph.* 3. *de comprehensione longitudinis, latitudinis, &c. dilectionis Christi.* IX. *Item* 1 *Cor.* 2. *&* 2 *Cor.* 10. *de demonstratione spiritus quam Paulus prædicationi suæ attribuit.* X. *Altera exceptio, quod in hominibus sit impotentia moralis ad credendum.* XI. *Ostenditur ipsos naturalem impotentiam nomine moralis insignire.* XII. *Nec dicere posse, doctrinam Euangelii intellectu esse facilem.* XIII. *Cum injuria verbi divini dicitur, eos qui operibus providentiæ divinæ non flectuntur ad pœnitentiam, etiam claram Euangelii lucem rejecturos.* XIV. *Probatur id egregie exemplo Tyriorum & Sidoniorum, Matth.* 11. XV. *Impotentia hæc an dici possit ex vitioso habitu contracta.* XVI. *Nullum est vitium tam profunde radicatum, quin emendari possit.* XVII. *Non posse, non designat in Scriptura impossibilitatem, sed magnam aversionem.* XVIII. *Quomodo Jerem.* 6. *Israëlitæ dicantur non posse intelligere, & cap.* 13. *comparentur æthyopi qui pellem mutare nequit.* XIX. *Quomodo Joan.* 12. *Judæi dicantur non potuisse credere.* XX. *Excæcatio eorum non adscribitur Deo, nec credendi impossibilitatem innuit.*

I. SUpersunt adhuc expendendæ duæ exceptiones, quibus utuntur ad ea quibus ipsos premimus argumenta eludendum. Prima est adversus id, quod asserimus de viribus & efficacia Euangelii in hominibus convertendis & ad fidem adducendis. Dicunt enim doctrinam Euangelii propter veritatis ejus evidentiam vocari quidem lumen, & Christum à quo primo manifestatum est, mundi lumen. Sed si nihil præterea accedat, esse tantum lumen externum, quod non possit excipi nisi à bene disposita facultate. Cum ergo mentes nostræ per peccatum sint obtenebratæ, quotidieque tenebræ illæ per assuetudinem peccandi ingravescant, adeo ut cæcitas illarum conferatur cum callo quod in oculi pupilla adnascitur, & omnem videndi facultatem adimit, eas non magis lumen illud spirituale quod in veritate consistit videre posse, quam oculus qui per glaucoma aut cataractam visum amisit, lumen quod Sol per universum orbem spargit intueri potest. Ideoque Apostolum optare ante omnia, ut Deus hominibus *oculos mentis illuminatos* largiatur, idque, quia res sit summopere ardua, *secundum excellentem magnitudinem potentiæ suæ, & efficaciam potentiæ virtutis suæ*, *Ephes.* I. 17. *& seqq.*

II. Ad quæ resp. ipsos sub prætextu imaginariæ Dei gratiæ extollendæ, (nempe necessitantis quæ nusquam est nisi in confingentium cerebris) veram deprimere, & valde contemtim de ea loqui, cum dicunt Euangelium esse tantum lumen externum, & Dominum Jesum, à quo primum manifestatum est, respectu istius luminis externi lumen mundi appellari. Sed longe aliis tum hic tum illud in Scriptura elogiis ornatur. Paulus enim Euangelium vocat *ministerium Spiritus*, 2 *Cor.* III. 8. quod nequaquam verum esset, nisi virtutem in se haberet usque ad interiora animæ penetrandi. Idem quoque colligitur ex eo, quod *justus ex fide vivet*, *Hebr.* X. 38. *fides* autem *est ex auditu, auditus vero per verbum Dei*, *Rom.* X. 17. Quibus consonat Jacobus, cum dicit, *In mansuetudine recipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*, *Epist. cap.* 1. *v.* 21. Et paulo ante ei vim nos regenerandi attribuit, *Voluntarie nos genuit* (Deus) *verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus*, *v.* 18. Verbum autem veritatis non aliud intelligit nisi Euangelium. Similiter Jesus Christus vocatur *lumen verum illuminans omnem hominem veniens in mundum*, *Joan.* 1. *v.* 9. Nihil autem esset singulare in hoc lumine quod nobis attulit, ut diceretur verum, si non sufficeret ad illuminandum mentes nostras in via salutis. Denique, ne ulla supersit tergiversandi occasio, Petrus dicit de utroque, nempe Christo & Euangelio conjunctim, *Divina Christi virtute donata nobis esse omnia quæ ad vitam & pie-*

& pietatem (supple, requisita sunt) *per cognitionem ejus qui vocavit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc divinæ naturæ participes efficiamur*, 2 *Epist.* 1. 3. 4. manifeste enim hic Domino Jesu & Euangelio, quo nos ad cognitionem suam vocavit, excellentibusque ejus promissis tribuitur, quod in iis comprehensa sint omnia (non tantum pars minima) quæ ad vitam & pietatem faciunt, ut simus divinæ naturæ participes.

III. Unde apparet, quam injuria adversus Euangelium ejusque auctorem Jesum Christum sit hæc doctrina, quibus vim solum illuminandi externam attribuit, quæ plane inutilis est iis quos Deus interius per Spiritum suum non illuminat; imo etiam perniciosa & ad ipsorum condemnationem aggravandam tendens, cum *servus qui novit voluntatem Domini sui, & non fecit eam, pluribus sit plagis vapulaturus*, *Luc.* XII. 47. Præterea ex eo quod universum Euangelii ministerium in merum lusum & histrioniam, omni efficacia destitutam, transformat. Omnis enim pastorum labor in fideliter exponendo Dei verbo, & auditoribus suis ad ejus obedientiam flectendis, est plane superfluus, si aures tantum feriat, aut ad summum mentem aliquatenus erudiat, nullas autem omnino corda afficiendi & flectendi vires habeat. Dices, verbi divini ministerium à Deo fuisse institutum tanquam ordinarium conversionis medium, & propter mandati divini reverentiam esse in pretio habendum. Resp. 1. Secundum hanc hypothesin, verbum Dei quod nullam habet vim nisi externam & resistibilem, non posse medium esse seu instrumentum actionis Dei internæ & irresistibilis; non magis quam lutum quod Christus fecit, instrumentum fuit visus cæco illi nato restituendi; aut hæc verba, Lazare prodi foras, medium fuerunt Lazari in vitam revocandi. Hæc enim tantum fuerunt symbola quibus Christus indicabat quid vellet virtute sua omnipotente, quæ nullis indiget instrumentis, efficere. 2. Si tantum ob Dei jussum hic ordo verbi Dei prælegendi & annunciandi sit servandus, saltem non erit opus ut ejus ministri de eruditis & accuratis concionibus habendis sint solliciti. Nam si illuminatio quæ fidem parit ab Euangelii intelligentia non procedit, sed immediate à Deo, indoctus minister & vix balbutiens, æque aptus erit ad istud munus ac omnium doctissimus & eloquentissimus; nisi quis dicere velit, Spiritum S. idoneo instrumento destitutum, opus suum non posse perficere. Quin etiam falsæ verbi Dei expositiones illis non poterunt nocere qui Spiritum S. pro interno doctore habebunt. Unde subit mirari, cur ii, qui Prædestinationis absolutæ dogma amplectuntur, tantopere solliciti sint, ne quid contrarium, sive in cœtibus suis, sive extra eos, doceatur. Nullam enim animadverto alicujus momenti rationem quæ ipsos movere eo debeat; & videtur amor, quo suas opiniones depereunt, & metus ne in contemtum abeant, excitare in ipsorum animis istam sollicitudinem, potius quam electorum salus, quæ in tuto est, & nullum propter falsam doctrinam & perniciosissimas hæreses periculum incurrit. De reprobis vero non sunt solliciti, quorum salutem deploratam credunt & irrevocabili exitio addictos.

IV. Ne tamen videantur aperte in Euangelium rejicere culpam, quod ad animas nostras illuminandum non sufficiat, dicunt lumen quod in eo splendet non posse percipi nisi à facultate convenienter disposita; mentes autem nostras peccato obtenebratas æque ineptas esse ad ipsum aspiciendum atque oculus cataracta obductus respectu luminis solaris. Ad quod resp. longe dissimilem esse Euangelii & Solis rationem. Sol quantumvis in se sit splendidus & totum orbem radiis suis illustret, non potest efficere, ut cæci ipsum aut aliud quidquam videant. Oportet organa visus bene habere disposita, antequam aliquis possit ab eo illuminari. Sed Euangelii lumen oculos spiritualiter cæcorum aperit, & facit ut videant, quemadmodum ante probavi ex verbis Domini Paulum ad Gentiles mittentis, ad *aperiendum ipsorum oculos, & convertendum eos a tenebris ad lumen*, *Act.* XXVI. 18. Ipsum est collyrium illud, quo jubet ut Angelus Ecclesiæ Laodicensis ungat oculos ut videat, *Apoc.* III. 18. Itaque verbum Dei non est tantum lumen aptum ad oculos bene dispositos illuminandum, sed etiam medicamentum magnis viribus pollens ad sanandum ægros, si modo ipsum culpa sua non rejiciant. Id quod etiam David significat, cum dicit, *mandatum Domini esse purum, faciens ut oculi videant*, *Psal.* XIX. 9. id est, oculos mentis vera luce collustrans & ad eam intuendum aptos reddens. Quod si de lege non male fuit pronunciatum, multo magis in Euangelium quadrabit quod est excellentius. Et Petrus dicit eodem sensu, *nos regenerari per semen incorruptibile verbi Dei, vivens & permanens in æternum*, 1 *Epist.* 1. 23. ad regenerationem autem requiritur ut ante omnia oculi mentis aperiantur; quod certum est lumen externum præstare non posse.

V. Excipiunt divinos istos effectus male tribui Euangelio, qui à virtute insuperabili Spiritus S. proficiscuntur, cujus Euangelium est tantum instrumentum. Sed exceptio ista nullius est ponderis; præterquam quod enim tacite falsitatis arguit loca supra citata, in quibus omnes illi effectus Euangelio diserte adscribuntur, notandum est duo tantum requiri ut ad fidem adducamur & novæ creaturæ fiamus, nempe divinæ voluntatis notitiam, & firmum animi propositum eam opere exsequendi: ad utrumque autem Euangelii lumen abunde sufficere. De primo nullum est dubium. Euangelium enim perfecte & clare nos docet omnia quæ

quæ ad salutem æternam scitu, creditu, speratu & factu sunt necessaria. Secundum quoque non est minus certum. Eximia enim promissa & severæ comminationes quæ in eo continentur, hoc animi propositum ingenerare possunt in illis, qui de ejus veritate plene sunt persuasi. Quas molestias & difficultates non superabit ille, qui certus est se voluntati Dei obtemperando acquisiturum bonum infinite omnibus terrenis majus; & longe majus malum absque comparatione contumacibus esse paratum, quam sint omnia incommoda quæ pietatis studium comitantur? Quod solide confirmatur loco ex 2 *Petr.* I. 3. 4. paulo ante à nobis citato. Hoc tantum requiritur, ut bene de historiæ Euangelicæ veritate persuasi simus. Cujus tot argumenta habemus, ut aut nulli prorsus historiæ veteri credere debeamus, (quod stultum foret) aut hanc omnino amplecti firma fide nos oporteat. Quod si absque insuperabili Dei potentia non posset haberi salvifica fides aut regeneratio effici, verbum Euangelii, in quo nulla est efficacia nisi resistibilis, non foret Spiritus S. instrumentum in iis producendis, non magis quam penna lignatori ad lignum findendum, aut scribæ securis ad scribendum. Adde quod omne instrumentum immediate producat suum effectum, v. gr. penna cum atramento scripturam format, securis secat & findit, ad voluntatem artificum qui eas adhibent. Sed secundum istam hypothesin, etsi Euangelium totos centum annos alicui prædicaretur, fidem non ingeneraret, nisi major potentia interveniret. Unde patet ipsum nullo modo haberi posse pro instrumento quo Spiritus S. in fide in nobis producenda utatur.

VI. Quod ad locum *Ephes.* I. 17. *& seqq.* eo non probatur quod in quæstione est. Non enim agitur illic de vocatione hominum ad fidem, nec de modo quo Deus eam producit, sitne irresistibilis, nec-ne. Paulus sermonem suum dirigit ad fideles, seu ad eos qui Euangelio sibi annunciato jam crediderant; ut apparet manifestime ex omnibus antecedentibus, nec non etiam ex his verbis *v.* 20. *in nos qui credimus*; cum alias dicere debuisset, ut credamus. erga eos autem qui jam credunt, Deus interdum majorem gratiæ efficaciam exserit ad ipsos corroborandum in gravibus quibus fides eorum impetitur tentationibus, quam fecerat ab initio cum eos primum ad fidem vocaret. In obedientiæ enim jam præstitæ præmium dat iis sanctum suum Spiritum, qui ipsos in dubitationibus suis erudiat, & in futuræ gloriæ spe atque firma expectatione confirmet; ut apparet inde, quod qui crediderunt Spiritu S. obsignentur, *Ephes.* I. 13. 14. quod Deus eum det sibi obedientibus, *Act.* V. 32. Ac sane ut is obtineatur, petendus est à Deo in fide, *Luc.* XI. *v.* 13. *Jacob.* I. 5. 6. 7. Qua de causa Dominus Jesus dicit, mundum non posse accipere Spiritum illum veritatis quem promittit discipulis suis, ut eos doceret omnia, & dirigeret in omnem veritatem, *Joan.* XIV. 17. 26. & XVI. 13. Nulla ergo inde consequentia elici potest, ad probandum qua ratione ad fidem adducamur, aut Deum majorem in eo potentiam exserere quam ea sit qua ordinarie Euangelii prædicationem comitatur, ne sit irrita & absque fructu. Preces quas pro Ephesiis facit Apostolus, ut *Deus iis det Spiritum sapientiæ & revelationis, oculos mentis illuminatos, ut sciant quæ sit spes vocationis ipsius*, &c. non evincunt eos, dummodo istud scirent, bonos Christianos necessario futuros, & in fide infallibiliter perseveraturos. Contingit enim aliquando, ut qui illuminati fuerunt, & gustaverunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus S. & bonum Dei verbum gustarunt, & virtutes futuri sæculi, ita labantur ut impossibile sit (nempe secundum ordinariam Dei gratiam in Euangelio omnibus promissam & oblatam) ipsos renovare ad pœnitentiam, *Hebr.* VI. 4. 5. 6. Sed istud pro iis petit, quia noverat quanti ponderis esset ejusmodi cognitio ad eos in fide corroborandos, & ad constanter in illa perseverandum animandos.

VII. Mens etiam precationis istius non est, ut possent comprehendere Deum ipsos irresistibiliter ad fidem adduxisse, per potentiam illi æqualem qua Jesum à mortuis suscitaverat, & ad dextram suam in cœlis exaltatum glorificaverat. Quamvis enim istud verum fuisset, cognitio tamen ejus non videbatur admodum iis necessaria. Sufficiebat ut potentem istam Spiritus Dei operationem sentirent, ut omnia quæ officii sui erant exsequerentur. Plus enim quam idonea erat ad impediendum ne gratitudini quam Deo debebant deessent. Orat igitur tantum ut Ephesii, & reliqui omnes fideles, (eadem enim hac in re omnium est ratio) intelligant quam excellens magnitudo sit potentiæ, quam Deus aliquando erga ipsos exserturus est, suscitando eos è mortuis & vita æterna donando. Et hunc in finem proponit iis egregium istius rei exemplum in persona Jesu Christi, quem Deus suscitavit à mortuis, & sedere fecit ad dextram suam in cœlis, omnibus rebus pedibus ejus subjectis, ut fideles suos participes posset reddere gloriæ & felicitatis æternæ, in quam primus assumtus fuerat. Quod gravi de causa à Deo petit, cum nihil efficacius esse queat ad nos corroborandum adversus omnes tentationes, quibus Satan, mundus, & caro nostra contendunt nos à fide avertere, quam plena glorificationis nostræ futuræ persuasio. Non quod eam per Euangelium consequi non possimus, cujus veritas tot signis, miraculis, virtutibus, & Spiritus S. distributionibus confirmata est, ut jure plura nequeant postulari; sed quia mentes nostræ non raro obnubilatæ sunt præjudiciis aliisque impedimentis, in quibus

bus amovendis opus habent gratia extraordinaria fulciri. Verba ergo quæ habentur in fine v. 19. *secundum efficaciam potentiæ virtutis ejus*, non significant modum quo Deus nos ad fidem adducit; sed docent quomodo nos Deus ultimo die suscitaturus sit & in vitam reducturus, ut ex loci inspectione apparet. Ibi enim non dicitur Deum potentiam istam in eum finem adhibere ut credamus; seu ex incredulitate, quam à natura aut mala educatione habemus, ad fidem in Deum & Christum convertamur; sed erga nos qui jam credimus, videl. ad nos ex mortuis excitandum, sicut Jesum ante excitavit. Quare ridiculum est existimare, Paulum indicare voluisse, Deum æqualem potentiam exerere debere ad nos ad fidem adducendum, illi, quam in excitando Christum & ad dextram suam exaltando adhibuit. Ista enim inter se toto cælo differunt, & à causis plane diversis proficiscuntur. Persuasio quæ rationibus fit sufficiens est ad fidem gignendum. Eodem enim modo producitur fides divina & humana; hoc solo excepto, quod divina rationibus divinis gignitur, humana vero humanis. Sed virtus divina requiritur ad vitam mortuo restituendam, & ipsum in ejusmodi gloriam & auctoritatem, in quam sublatus est Christus, evehendum. Quod si æqualis virtus in utroque opere esset requisita, frustra nos Deus juberet credere, nec posset cum ulla justitiæ specie in ignem æternum conjicere incredulos. Hoc enim perinde foret, ac si exigeret ab iis ut miracula patrarent, & ideo eos puniret quod mortuos in vitam non revocarent. Adde, quod si conversio electorum fieret per insuperabilem potentiam, nullum in iis relictura esset defectum aut infirmitatem, sed eos sanctitate Angelis redderet æquales. Quicquid enim Deus immediate omnipotentia sua efficit est perfectum. Sed hoc non concedent Prædestinationis absolutæ patroni, qui exigua tantum sanctitatis initia electis in hoc sæculo tribuunt.

VIII. Huic loco affinis est alter in eadem Epist. ubi Paulus optat Ephesiis, ut possint tandem *comprehendere* cum omnibus sanctis, *quænam sit latitudo, profunditas & altitudo dilectionis Christi, quæ omnem cognitionem superat, ut repleantur omni plenitudine Dei*, *Ephes.* III. 18. 19. Sed, ut apparet, in eo etiam agitur de fidelibus, ac proinde nihil facit ad quæstionem præsentem, quæ est ostendere quomodo Deus in nobis fidem generet, an per potentiam insuperabilem, an modo Ethico & per rationes suasivas, quæ solæ sunt aptæ ad flectendum animos hominum. Verum quidem est, cognitionem hujus immensæ dilectionis Christi erga nos, quam Paulus exaggerat vocibus figuratis *latitudinis*, *longitudinis*, *altitudinis & profunditatis*, magnum apud illos pondus habere, qui eam attente considerant, ad ipsos movendum ut ipsum vicissim ament, & ejus mandatis pareant. Imo absque illa fieri nequit, ut unquam ad perfectionem, quam à nobis requirit, pertingamus. Sed etiam certum est, neminem ad hanc cognitionem pervenire, nisi jam pietati sit deditus. Neque etiam voluntatem ita determinat, quin deficere possit à pietate, etiam postquam bene incepit; ut ostendit exemplum illorum apostatarum, de quibus Petrus dicit, *si postquam effugerint mundi inquinamenta, per cognitionem Domini & Salvatoris Jesu Christi, iis iterum implicati superentur, facta esse eorum posteriora prioribus deteriora*, 2 *Epist.* II. 20. Tribuit enim iis cognitionem, quæ non fuerat quidem inefficax in flectendis ipsorum voluntatibus ad sanctitatem; sed quæ tamen necessario perseverantiam post se non trahebat, cum sicut canes reversi sint ad suum vomitum, & sicut sues lotæ ad volutabrum cœni.

IX. Urgent denique quod Paulus dicit, prædicationem suam fuisse cum *demonstratione Spiritus & potentiæ*, 1 *Cor.* II. 4. ita ut *adduceret captivam omnem cogitationem ad obedientiam Christi*, 2 *Cor.* X. 5. Et putant ipsum intellexisse genus quoddam rationum, in quibus veritas est adeo evidens, ut intellectum adigat ad se amplectendam, & omnem resistentiam superet. Sed si ita se res habeat, non opus erit alia virtute qua homines adducantur ad fidem, præter eam quæ Euangelio continetur. Itaque erraverunt dicentes, omnes gratiam salutarem repudiaturos, si Deus eam solum externe hominibus offerret. Si enim prædicatio Pauli tantarum erat virium, fieri nequibat quin persuaderentur qui ipsum audiebant. Dicent eam non potuisse virtutem suam demonstrare, nisi postquam Deus mentium tenebras majore potentia disjecerat & dispulerat. Sed hoc est concessa revocare, & verbum Dei omni efficacia spoliare. Hic enim solum agitur, an Euangelium efficaciam aliquam habeat ad naturæ nostræ perversitatem emendandum. Itaque respondere, ipsum nihil posse efficere, nisi prius perversitas hæc emendata sit, idem est, ac si diceretur, Euangelium esse quidem admodum eximiam medicinam, sed quæ tantum bene valentes sanet. Effectus ergo de quo loquitur Apostolus vere debebat tribui doctrinæ quam annunciabat. Nam in Euangelio consistebat illa demonstratio Spiritus, hoc est, comitatum erat efficacia spirituali apta ad convincendum conscientias huminum de sua veritate. Et in miraculis, quæ ad ejus confirmationem faciebat, consistebat demonstratio potentiæ, per quam homines ad fidem adducebat, & quodammodo prædicationi suæ credere cogebat. Quod tamen ita accipi non debet, ac si vis prædicationis Paulinæ dissentiendi libertatem auditoribus ejus eripuisset. Contrarium enim conspectum est in multis, qui illam contumaciter rejecerunt, etiamsi ipsos non minus studeret ad fidem adducere, quam alios qui convertebantur. Nihil igitur aliud significare voluit hoc hyperbolico loquendi genere, *adducendi omnem cogitationem*

tionem captivam ad obedientiam Christi, nisi fuisse in sua doctrina efficaciam humana majorem, qua converterentur homines ad Christum. Sed si proprie auditores ad credendum coëgisset, hæc non fuisset vera obedientia quam exhibuissent. Veræ enim obedientiæ proprium est ut sit libera; ideoque non dicetur captivum, qui vi in carcerem abducitur, vere trahentibus se lictoribus obedire.

X. Altera exceptio, cui nobis obviam eundum est, desumitur à distinctione impotentiæ, quæ efficit ut homines vocanti Deo non possint parere nec credere, nisi majorem vim adhibeat quam sit Euangelii; nec tamen Deus culpari possit quod majora viribus exigat ab hominibus, sed tota culpa inobedientiæ penes ipsos solos resideat. Dicunt igitur duo esse impotentiæ genera, unam Physicam seu naturalem, procedentem ex defectu facultatum requisitarum ad aliquid agendum, ex. gr. in cæco ad videndum, in surdo & muto ad audiendum & loquendum: alteram vero Ethicam seu moralem, quæ originem suam habeat à prava animi dispositione, seu perversa consuetudine, qualis conspicitur in alcatore vel ebrioso; quorum ille non potest sibi temperare à lusu, hic vero à potu immodico. Et primum quidem impotentiæ genus excusare à peccato, & immunem à pœna præstare; sed non secundum. Quæ distinctio utramque facit paginam in scriptis Cameronis & discipulorum ejus, qui illa utuntur tanquam impenetrabili clypeo, ad repellendum omnes adversariorum suorum contra necessitatem fatalem objectiones, existimantes illa tanquam altero Medusæ capite ipsos in lapides conversum, & ad turpe silentium adactum iri. Sed nullum terrorem ipsis incutit. Videtur quidem ea aliquam veri speciem præ se ferre, nec prorsus repudianda foret, si bene intelligeretur. Sed isti viri nihil nobis nisi verba dant, & sine mente sonum.

XI. Quod enim impotentiæ moralis nomine insigniunt, ut facilius ab incautis admittatur, nihil aliud est revera quam impotentia naturalis. Et sane quicquid nobiscum nascitur, vere est naturale nobis, etiamsi defectus sit naturæ integritati repugnans. Istius enim rei nulla habetur ratio, sed tantum an sit in nostra potestate id pro arbitrio assumere vel deponere; quod certum est de iis, quæ nobiscum nascuntur absque ullo sensu vel consensu nostro, dici non posse. Hac significatione dicimus aliquem natura leprosum aut calculosum esse, qui hos morbos à matris utero attulit. In omnibus ergo hominibus, secundum Prædestinariorum hypothesin, est impotentia naturalis ad credendum Euangelio, quandoquidem adeo corrupti nascuntur mente, voluntate & affectibus, ut malo tantum possint delectari. Nec quicquam ad rem facit quod afferunt, impotentiam hanc dici posse moralem, quia in moribus consistat. Nullum enim proprie loquendo est vitium morale, nisi quod ex voluntaria electione & consuetudine ortum habet. Et ita hanc vocem intellexerunt omnes qui huc usque ea fuerunt usi. Quare qui ad malitiam originalem, cum qua nascuntur homines, illam trahunt, non minus crasse ea abutuntur, quam si aliquis diceret in lupo esse impotentiam moralem abstinendi ab ovibus devorandis. Si ergo impotentia naturalis legitimam peccato excusationem suppeditat, nullus est eorum qui cum peccato originis nascuntur, qui apud Deum non sit excusabilis quod ejus voluntati parere nequeat. Quare ut quis bona fide possit istam distinctionem usurpare, debet concedere, vitium istud naturale & hæreditarium, quod impedit ne homines possint credere Euangelio, in omnibus per gratiam Dei in Christo sanari; ita ut in iis nihil supersit præter impotentiam, quæ ex voluntaria assuefactione procedit, ac proinde emendabilis est. Sic non redderetur Christi redemtio maximæ hominum parti inutilis, nec Deus accusaretur, quod quasdam creaturas suas nullo vero amore esset unquam prosecutus, denegando iis gratiæ suæ opem, sine qua fieri nequit ut damnationem æternam effugiant. Quod sufficeret ad controversiam Prædestinationis amice dirimendam. Neque enim, ut supra monui, vellem cum illis contentionis serram odiose reciprocare, qui putarent electionem particularem & absolutam dari quorundam, quos Deus majore quam cæteros gratia donare vellet; modo concederent nullum eorum, quibus Euangelium annunciatur, destitui illa gratiæ mensura, quæ necessario requiritur ad credendum & salutem æternam obtinendum. Hoc enim posito, reperirentur saltem pauci aliquot inter tot millia eorum, quorum auribus quotidie insonat, qui in Jesum Christum crederent, etiamsi peculiari electorum gratia efficaci donati non essent. Cum non sit credibile, omnes absque exceptione tam improbos fore & insanabiles, ut sponte, & quamvis aliter possent, in incredulitate sua perseverent. Et quamvis aliter contingeret, causa damnationis non posset tribui nisi soli voluntariæ malitiæ & contumaciæ peccatorum, qui gratiæ defuissent, non gratiæ Dei defectui seu privationi.

XII. Nunc quæ pro istius distinctionis defensione afferuntur expendamus. Doctrina, inquiunt, quæ nobis proponitur, non est intellectu difficilis, sed contra valde facilis. Resp. Res faciles aut difficiles vocari pro ratione virium, quas quis habet aut non habet ad eas faciendum. Unde contingit non raro, ut quod alicui facile est, alii non solum difficile sed etiam plane impossibile sit. Sic facile est homini sano & bene valenti ambulare, sed paralytico impossibile; facile est oculos habenti colores animadvertere, sed impossibile cæco. Pari ratione, etiamsi illi, qui superne illuminatus est, facilli-

facillimum sit in Jesum Christum credere; nihilominus impossibile est iis quorum mentes sunt obnubilatæ densis illis tenebris, quas à peccato originali induci vulgo putatur. Quare miror, quomodo id nunc facile iis dicant, cum alibi docuerint, opus esse ad fidem producendum in corde hominis animalis ut Deus exserat parem potentiam illi, qua olim mundum creavit, aut aliquando mortuos suscitabit. Addunt, Deum homini dedisse mentem idoneam ad illud omne capiendum quod est intelligibile, & credendum quod claris rationibus nititur. Sed istud nullius est momenti, quandoquidem tenebræ, quibus homo à nativitate sua est immersus, clarissimas res obscuras reddunt. Sicut enim nihil prodest alicui ad currendum quod valida crura habeat, si tam arcte sit constrictus ut loco movere se nequeat; sic inutile est homini mentem habere idoneam ad magnas res capiendum, si tam profundis tenebris sit demersa, ut nihil plane cernat. Frustra etiam Deus ipsum vigore ingenii in aliis rebus donavit, si in eo quod præcipuum est, nempe salute adipiscenda, deficiat. Præstaret longe ipsi, si stupidus in cæteris omnibus creatus fuisset, & hujus solius rei, quæ tantopere ad felicitatem ejus necessaria est, cognitione donatus esset. Postea concedunt, justam ab homine prætexi posse ignorantiæ causam, si nihil unquam de salutis doctrina audivisset, modo id factum culpa ejus non esset. Sed resp. Si ignorantia rei scitu impossibilis excusatione est digna, cur non etiam omissio ejus quæ factu est impossibilis? Eadem enim utrobique est ratio; nec video firmiore fundamento niti excusationem ab ignorantia petitam, quam ea quæ ab impotentia desumitur, cum hæc non minus arcte manus & agendi facultatem constringat, quam illa, si non adhuc magis.

XIII. Addunt, populos qui nihil de Jesu Christi Euangelio audiverunt damnatum iri, quod vocem cœlorum & clamorem providentiæ & patientiæ Dei contemserint, qua invitabantur ad pœnitentiam. Sic enim ostendisse adeo invictam in se esse cordis duritiem, ut Christum rejecturi essent, etiamsi ipsis non minus clare annunciatus fuisset, quam olim Hierosolymis & in Judæa. Sed istud mirum valde mihi videtur. Sic enim loquendo, ostendunt se non majorem Euangelio vim tribuere in convertendis peccatoribus, quam mutæ prædicationi cœlorum, & providentiæ Dei in mundi gubernatione, & aperte confirmant quod modo ipsis objiciebam, de contemtu verbi gratiæ Dei & Euangelii nostræ salutis. Secundum hanc hypothesin non magis devincti sumus Deo, quod inter nos curat Euangelium suum annunciari, in quo nobis omne voluntatis suæ arcanum manifestavit, quam si nullos nobis alios præter cœlum & astra doctores dedisset. Quandoquidem etiam prædicatio harum creaturarum mutarum, tantum habet virium atque verbum Euangelii ad nos convertendum, præstaret longe ut id nunquam nobis annunciaretur, propter periculum quod imminet ne rejiciendo graviores in nos pœnas accersamus. Et posset non absque specie dici, ampliorem hanc voluntatis divinæ revelationem, quæ fit in Euangelio, aliud nihil esse, quam laqueum aut pedicam maximæ hominum parti à Deo objectam, ut eos durius tractandi occasionem inde arripiat. Non eo quidem inficias, cognitionem, quam Deus de se in operibus suis exhibet, in quibus animadverti potest magna ejus potentia, bonitas, & sapientia, posse illos inexcusabiles reddere, qui ipsum pro revelationis istius modo non coluerunt. Sed eam efficacia æquare Euangelium, in quo non solum speciatim explicatur cultus Deo placens, sed etiam vitæ æternæ promissis ad eum ipsi exhibendum incitamur, id non potest affirmari absque extrema ignorantia naturæ Euangelii, & ingratitudine erga Deum & excellentem quam in eo nobis offert gratiam. Immerito ergo Paulus tantopere extulisset excellentes divitias gratiæ Dei erga Gentiles, quibus se in Euangelio manifestabat, *Ephes.* II. 11. & *seqq.* Nam secundum hanc novam Theologiam, æque facile poterant ad salutem pervenire per contemplationem operum Dei, & absque tanto periculo. Multo minus Propheta debebat tantopere celebrare gratiam Dei erga Israëlitas in danda ipsis sua lege, *Psal.* CXLVII. 19. 20.

XIV. Quin etiam Dominus Jesus à veritate aberrasset, cum dicebat, Si in Tyro & Sidone factæ fuissent eædem virtutes quæ apud Chorazin & Bethsaida, fore ut se in sacco & cinere converterent, *Matth.* XI. 21. Nam si admittatur hæc opinio, eos qui ad pœnitentiam adducti non fuerunt cœlorum & providentiæ Dei voce, convertendos etiam non fuisse quamvis Christus æque clare ipsis esset annunciatus, atque olim Hierosolymis, & in Judæa, Tyrii & Sidonii nequaquam ipsius doctrina & miraculis conversi fuissent. Quod etiam non pudet nonnullos asserere, dicentes hanc esse hyperbolicam locutionem, veluti cum præceptor ad exprobrandum discipulo stupiditatem sic eum compellat, Si toties lectionem istam equo inculcassem, percepisset eam & memoria retinuisset. Sed effugium istud est ineptum. Jesus enim non confert inter se res adeo dissimiles atque sunt equus & homo. Opponit enim Chorazitis & Bethsaidensibus Tyrios & Sidonios, qui non minus quam illi capaces erant institutionis & pœnitentiæ. Et cum utrorumque corda cognosceret & horum duritiem non tantam esse atque illorum, merito concludit, Tyrios & Sidonios, si ipsum audivissent concionantem, & doctrinam suam tot signis & miraculis vidissent confirmantem, ut Chorazitæ & Bethsaidenses, fidem ei adhibituros. Sed illi qui non plus virium tribuunt doctrinæ & miraculis

Christi in conversione peccatorum, quam nudi hominis voci ad suscitandum mortuos, nolunt credere cum vera locutum. Excipies; Cur ergo Deus non est pari gratia usus erga eos, qui minus mali erant & quibus profuisset, quam erga alios pejores & quos ea abusuros prævidebat? Resp. duobus verbis, 1. Nostrum non esse curiose consilia Dei scrutari, & ipsum potuisse justissimas causas habere inæqualis istius gratiarum suarum dispensationis, etiamsi nobis sint occultæ. 2. Eum non teneri adhibere omnia media possibilia ad conversionem peccatorum; sufficere ut non deneget ipsis opem necessariam, ad exhibendum sibi cultum quo in suo statu tenentur, eamque non defuisse Tyriis & Sidoniis, à quibus etiam secundum æquitatem suam non plus reposcet quam acceperunt; cum non soleat metere ubi antea non seminavit, nec colligere ubi non sparsit, *Matth.* XXV. 24. *& seqq.*

XV. Addunt, impotentiam qua impediuntur homines ne vocationi divinæ pareant, ex malitia eorum proficisci, seu inde quod habitus peccati tam profundas in eorum cordibus radices egerit, ut non possint ipsum excutere, etiamsi maxime vellent. Resp. Istud speciem aliquam veri haberet, nisi simul docerent, homines cum ejusmodi vitioso habitu nasci. Nam si postea magis ac magis in malo obdurentur, id totum corruptæ isti naturæ tribuendum erit, cum qua Deus ipsos nasci voluit; quam non magis exuere aut mutare possunt quam sexum suum. Quod autem attinet ad vitiosos habitus, qui voluntaria assuetudine contracti sunt, ii absolutam peccandi necessitatem non afferunt; sicut boni habitus omnem in peccatum labendi potentiam non auferunt. Agnosco quidem difficillimum esse illos exuere, præsertim quando inveterati sunt, & velut in naturam conversi. Verum tamen sicut paulatim acquisiti fuerunt, & multis actionibus, ita etiam pari modo paulatim desuescendo & contrarias actiones edendo, deponi possunt. Alioqui nullus unquam vitiosus mores in melius mutaret; quod experientiæ repugnat. Nec id tantum fit supernaturalis gratiæ ope, quæ paucis electis communicetur, sed etiam Philosophiæ moralis præceptis, bonis exemplis, & aliis ejusmodi mediis, ut historiæ testantur. Contingitque aliquando, ut solum damnum, quod vitium attulit, ad ejus emendationem sufficiat; ut cum aliquis expertus est intemperantiam valetudini suæ fuisse noxiam, inde occasionem sumit temperanter in posterum vivendi. Ideoque habitus vulgo à Philosophis definitur, qualitas difficulter mobilis, non autem mutatu impossibilis. Et in eo totum ipsorum occupatur studium, ut auditores suos à prava vivendi consuetudine ad meliorem transferant; quod frustra & stulte tentarent, si vitiosos habitus immutabiles esse crederent. Concedo etiam pravos habitus non excusare peccata ab ipsis proficiscentia; contra, aggravant illa non parum. Ita inepta foret excusatio, si ebriosus diceret, se ita assuevisse immodicis potationibus, ut ab iis sibi temperare nequeat; cum tanto majore reprehensione esset dignus, quod vitiosam istam consuetudinem in se invalescere permisisset: quod etiam aleatori, jurare assueto, & aliis similibus applicari potest. Et merito; habitus enim isti sunt voluntarii, saltem in suo initio, & in potestate uniuscujusque est eos non acquirere; etiamsi semel acquisiti, difficulter admodum exui possint. Sed si habitus blasphemandi, aut se inebriandi, alicui fuisset à natura implantatus, absque ullo suo consensu, nullum est dubium quin legitimam peccatorum suorum excusationem prætendere posset. Quare exemplum dæmonum, quod hic vulgo affertur, nihil ad rem facit. Vitiosos enim suos habitus à natura non habent, sed ex voluntaria assuetudine; Deus ipsos bonos ab initio creaverat; sed propria sua culpa, quam facile vitare poterant, in eam cui nunc subjecti sunt miseriam inciderunt. An vero impossibile sit ipsis à peccato sibi temperare, quæstio est ardua, & quam Scriptura non definit aperte; de qua nonnihil antea dixi.

XVI. Pergunt; Sicut virtus præstantior est quando degenerare non potest, qualis est bonorum Angelorum virtus, ita vitium quod ad istum pravitatis gradum ascendit ut sit omnino incorrigibile, majore odio esse dignum. Ad quod resp. Nullam in hominibus in hoc sæculo tam perfectam virtutem inveniri, ut omnem peccandi potentiam excludat. Saltem certus sum eos, à quibus objectio hæc profecta est, id non credere; cum fidelibus, quamdiu in hac vita degunt, exigua tantum sanctitatis initia tribuunt. Similiter nullum est vitium adeo profunde in animo longa assuetudine radicatum, ut omnem bene agendi facultatem eripiat. Nam quod inveniuntur aliqui qui videntur omnino incorrigibiles esse, inde non procedit quod emendandi se facultate sint destituti, sed quod id nolint. Voluntas autem vitam in melius commutandi non difficulter in iis excitari posset, si tam clare iis ostenderetur, ut nullam dubitandi causam haberent, quam præstanti bono se privent, & quam ingens infortunium in se vitiis suis accersant. Nec enim ullus unquam adeo desperate improbus fuit, quin temperaret sibi à cæde, latrocinio, & aliis ejusmodi sceleribus, coram judice qui potentia esset armatus cum confestim ad patibulum mittendi.

XVII. Afferuntur etiam quædam Scripturæ loca, ad ostendendum aliquam esse ad bonum faciendum impotentiam, quæ non excuset; veluti cum dicitur de Israëlitis, *Auris eorum est incircumcisa & non possunt intelligere, Jerem.* VI. 10. Item, *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis*

ritis bene facere, cum didiceritis malum, *Jerem.* XIII. *v.* 23. Rursus, *Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis & non intelligant corde, & convertantur & sanem eos*, *Joan.* XII. *v.* 39. 40. Ad quod resp. 1. In genere, hanc phrasin *non posse*, non semper significare veram impossibilitatem, sed non raro usurpari de magna ab aliqua re aversione aut odio. Sic de bono judice dicitur, eum nihil injusti posse committere; non quod id non posset si vellet, sicut alii multi, qui nulla injusti judicii pronunciandi conscientia tenentur; sed quia impeditur ne id faciat, per firmum animi sui propositum unicuique jus suum conservandi. Hoc sensu Petrus & Joannes dicebant Judæorum gubernatoribus, qui prohibebant ne amplius docerent in nomine Jesu, *Non possumus quin dicamus ea quæ vidimus & audivimus*, *Act.* IV. 20. Et Paulus, *Nihil possumus adversus veritatem, sed pro veritate*, 2 *Cor.* XIII. *v.* 8. Et Joannes, *Quicunque natus est ex Deo non potest peccare*, 1 *Joan.* III. 9. Et Jesus Christus testimonium perhibet Angelo Ecclesiæ Ephesinæ, eum *non posse ferre malos*, *Apoc.* II. 2. In quibus locis res ipsa indicat, phrasin hanc non esse rigide secundum literam accipiendam. Quis enim dubitat Episcopum Ecclesiæ Ephesinæ potuisse ad aliorum improbitatem connivere; & Apostolos deesse officio suo docendi in nomine Jesu, & veritatem Euangelii defendendi? nonne etiam experientia docet regenitos sæpe à peccato superari?

XVIII. 2. Resp. facile esse videre quo sensu Jeremias *cap.* VI. dicat, Israëlitas non posse intelligere, si considerentur sequentia, *Ecce verbum Domini factum est ipsis opprobrium, & non suscipient illud*; unde patet non tam facultatem audiendi verbum Dei eis defuisse, quam voluntatem & affectum. Qua de causa Deus paulo ante iis gravem pœnam minatur, *Erudire Jerusalem, ne forte recedat anima mea à te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem*, *v.* 8. Quod fuisset injustum & ratione destitutum, si plane caruissent potentia intelligendi, & eam à Deo nunquam accepissent. Et cum *cap.* XIII. eos cum Æthiope confert qui dealbari nequit, & cum pardo qui maculas suas variare non potest; hæc est exaggeratio hyperbolica magnæ eorum ad malum propensionis, quia jam à longo tempore ei assueti erant. Sicut autem paulo ante ostendebam, etsi non parva sit difficultas in habitu inveterato exuendo, id tamen non est plane impossibile, modo quis anniti velit. Alias si Jeremias existimasset populum istum fuisse plane incorrigibilem, non eos adeo serio ad pœnitentiam toto isto libro, & speciatim in hoc ipso capite, cohortatus fuisset. Frustra enim lavatur Æthiops, ut vulgo dicitur. Quod si locutio hæc metaphorica urgeatur, inde sequetur nullum esse discrimen inter naturalem impotentiam & moralem; ac proinde si illa excuset à peccato, ita hanc quoque excusare debere. De rebus enim similibus simile judicium est ferendum.

XIX. Apparet etiam hæc verba, *Non poterant credere*, *Joan.* XII. veram & proprie dictam impossibilitatem non significare; sed istud tantum, Judæos à Domino Jesu doctrina ita animo fuisse alieno, quia cupiditatibus ipsorum carnalibus repugnabat, ut eam nollent recipere, etsi facile possent. Quod etiam alibi ipsis exprobrat, dicens, *Quomodo potestis credere, cum gloriam alter ab altero quæratis, & non gloriam quæ à Deo venit?* *Joan.* V. 44. his verbis significans, ambitionem ipsorum & fastum impedivisse eos ne Euangelio crederent. Quæ etiam erat causa, propter quam ii, qui in Christum credebant, ipsum non confitebantur, *magis amantes gloriam hominum, quam gloriam Dei*, *Joan.* XII. 43. Eodem modo accipiendum est id quod Pharisæis dicit, *Quomodo possetis bona dicere, cum mali sitis*, *Matth.* XII. 34. His enim verbis innuit, ipsos cum malæ essent indolis, & boni osores, non potuisse, quamdiu & quatenus tales erant, bona dicere, cum ex abundantia cordis os loquatur; & quemadmodum mala arbor non potest bonos fructus proferre, sic neque malum hominem bona posse opera facere. Sed inde non sequitur, Judæos non potuisse vitam in melius mutare; alias frustra hortatus esset Joannes Baptista illos, quos pro malis arboribus habebat, ut facerent fructus resipiscentia dignos, *Matth.* III. *v.* 8. Et quemadmodum vir probus, qualis erat Adamus ante lapsum, potest degenerando ab origine malos fructus edere; sic non est impossibile, ut qui mali sunt vitam emendent & bonos fructus ferant. Nec existimandum est prædictionem Esaiæ ademisse Judæis facultatem in Christum credendi. Ad eos enim tantum proprie spectat qui tempore Esaiæ vivebant. Et Joannes eam nonnisi per accommodationem hic usurpat; quasi dixisset, Isti Judæi, qui Christum sibi Euangelium annunciantem audiebant, non poterant credere, quia similes erant majoribus suis, de quibus Esaias dicit, Excæcavit oculos eorum, &c.

XX. Dices forte, excæcationem & indurationem, qua Deus ipsos puniverat reddidisse istud iis impossibile. Sed resp. 1. hæc verba, *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*, non referri ad Deum, qui etiam ibi non nominatur; sed tantumdem valere ac si legeretur, Oculi eorum sunt excæcati, & cor eorum induratum, istius excæcationis & indurationis auctore non indicato. Nam in lingua Hebraïca, cujus phrases Apostoli plerumque sequuntur, verba transitiva sæpe pro impersonalibus usurpantur; ex. gr. cum Esau dicit, *Nonne ideo vocavit nomen ejus Jacob*, *Genes.* XXVII. 36. id est, vocatum est. Item, *Stulte hac ipsa nocte à te reposcent animam tuam*, *Luc.* XII. 20. id est reposcetur. Et, *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut pal-*

 mes

mes & arescet, & colligent eum & in ignem mittent & ardebit, Joan. XV. 6. hoc est, colligetur & in ignem mittetur. Et ea ita exponenda esse liquet ex *Act.* XXVIII. ubi Paulus locum Esaiæ ita citat; *Quia bene Spiritus S. locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros*, *dicens*, *Vade ad populum istum*, *& dic ad eos*, *Aure audietis & non intelligetis*; *& videntes videbitis*, *& non perspicietis. Incrassatum enim est cor populi hujus*, *& auribus graviter audierunt*, *& oculos suos compresserunt*, *ne forte videant oculis*, *& auribus audiant & corde intelligant*, *& convertantur*, *& sanem eos*, *v.* 25. 26. 27. ubi nulla fit Dei mentio, nec eum excæcationis & indurationis Judæorum auctorem fuisse asseritur. Nec colligitur etiam ex eo, quod Deus dicit Esaiæ, *Excæca cor populi hujus & aures ejus aggrava*, &c. *cap.* VI. *v.* 10. Idem enim istud est, ac si dixisset, Novi hunc populum adeo esse pravum, ut ex adhortationibus, quas ipsi in nomine meo facies, occasionem sumturus sit se magis ac magis in peccatis suis indurandi. Ne tamen desinas eos officii sui admonere, &, si inde deteriores fiant, in damnum eorum id cedat. Deinde posito Deum Judæos ita excæcasse & indurasse, non sequeretur inde ipsis plane impossibile fuisse in Christum credere. Excæcatio enim & induratio, sive ut pœna divinitus inflicta considerentur, sive ut actio peccatoris seipsum propria malitia excæcantis & indurantis, non tollit omnem credendi potentiam, sed solum facit ut id sit difficilius quam alioqui fuisset, ut alibi ostendi. *Vide Anti-Amyrald. cap.* 10. *sect.* 8.

R. E.

RELIGIONIS CHRISTIANÆ INSTITUTIO.

LIBER VII.

CAPUT I.

De Sanctitatis Necessitate.

I. Variis nominibus officium nostrum describi solet, præcipue Sanctitatis. II. *Sanctitatis necessitas comprobatur ratione Dei.* III. *Ratione proximi.* IV. *Ratione nostri ipsius.* V. *Necessitatem hanc enervat, doctrina de bonorum operum necessitate tantum ut certi simus fidem nostram esse veram.* VI. *De prædestinatione absoluta.* VII. *& de imputata Christi justitia.* VIII. *Asseritur bonorum operum necessitas contra quosdam illam negantes.* IX. *Quo sensu Paulus dicat* 1 *Tim.* 1. *justo legem non esse positam.* X. *& Rom.* 6. *fideles non esse sub lege, sed gratia.* XI. *& Rom.* 8. *se liberatum esse à lege peccati & mortis.* XII. *Quid Dominus intenderit per parabolam Pharisæi & Publicani, Luc.* 18. XIII. *Bona opera non mereri salutem, probatur ex Rom.* XI. 6. *Eph.* II. 8, 9. *Tit.* III. 4, 5. XIV. *& ex verbis Domini, quod quando omnia quæ præcepta nobis sunt fecerimus servi inutiles simus.* XV. *Quinque in merito proprie dicto requisitæ conditiones.* XVI. *Quo sensu vox meriti admitti & non admitti possit.* XVII. *Loca Apoc.* 3. 2 *Thess.* 1. *& Hebr.* 6. *nihil faciunt pro operum meritis.* XVIII. *Bona opera necessaria sunt non tantum necessitate præsentiæ, sed & efficientiæ.*

I. ABsoluta primæ partis Novi Fœderis explicatione, transeundum jam nobis est ad alteram, quæ est de Dei præceptis. Officium hominum, ad quod Jesu Christi præceptis instituuntur, variis vocibus in S. Scriptura designari solet: quales sunt, sanctitas, justitia, virtus, obedientia, fides, bona opera, & similes. Quæ licet non sint omnino synonymæ, & considerandi modo nonnihil differant, si quis ad propriam illarum significationem attendere velit; tamen plerumque universum, quo Deum prosequi tenemur, cultum designant: qui dicitur sanctitas, ut sciamus, oportere nos à cæterorum moribus separare, si Deo placere velimus: & justitia, non particularis, quæ consistit in suo unicuique tribuendo; sed universalis, quæ omnium virtutum studium ambitu suo comprehendit: & virtus, quæ est tum actio tum habitus conformis legi Dei, & naturali & positivæ: & obedientia, quatenus nos totos voluntati Dei subjicere oportet, & summa votorum nostrorum ei parere esse debet: & fides, cujus est in Deum plena cum animi fiducia, tanquam in remuneratorem omnium, qui ipsum quærunt, recumbere: & bona opera, quæ sunt illa omnia quæ honesta, præclara, justa, & rectæ rationi Deique voluntati consentanea sunt. His enim & similibus vocibus exprimi solet in S. Literis cultus divinus, ad quem Jesu Christi præceptis informamur. Nos modo his modo illis, prout commodum fuerit, utemur: plerumque tamen voce Sanctitatis; cujus primo adjuncta considerabimus; deinde virtutes quibus constat trademus.

II. Adjunctum primum Sanctitatis est Necessitas, quæ consideratur vel à parte Dei eam præcipientis, vel à parte nostri quibus præcipitur, vel à proximorum parte, ad quorum ædificationem tendit. Sanctitati ergo danda est opera, quia Deus eam præcipit nobis, cujus mandatis parere summe est necessarium, si in ejus favore & gratia conservare nos velimus. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*, 1 *Thess.* IV. 3. Ubi licet circumstantia loci ostendat hanc vocem peculiariter accipi de sanctitate quæ consistit in compescendis carnis voluptatibus, nihil tamen impedit quominus extendatur generaliter ad omnia quæ ejus ambitu comprehenduntur, id est, ad universum hominis officium, tum erga Deum, tum erga proximos, tum erga nos ipsos. Ut autem Deus sanctitatem nobis tanto efficacius commendet, suum ipsius exemplum proponit, *Sancti estote, quia ego sanctus sum*, 1 *Petr.* I. 16. quod ut Apostolus ex lege citat, ita sæpe in lege inculcatur, & ad cultum quidem Dei ceremonialem refertur, sed qui umbra fuit & typus cultus spiritualis quo ipsum sub novo fœdere prosequi tenemur. Nec parum eo ponderis afferre debet, quod per sanctitatem nomen Dei, quod Dei filiis vita & omnibus ejus commodis charius esse convenit, glorificatur. Ita intelligenda est illa Pauli adhortatio, ubi argumento à nostri redemtione petito (nempe per Christi sanguinem) infert, *Glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei*, 1 *Cor.* VI. *v. ult.* Aliter autem Deus non glorificatur à nobis quam per opera sanctitatis, quibus ejus gloria illustratur. Ideo alibi vult idem Apostolus, ut *repleti simus fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam & laudem Dei*, *Philipp.* I. 11. Item, *Omnia in gloriam Dei facite*, 1 *Cor.* X. 31.

III. Idem etiam requirit proximorum nostrorum ædificatio; quos non tantum cavere debemus

debemus ne ullo offendiculo à salutis via aberrare faciamus, sed etiam dare operam ut nostræ sanctitatis exemplo iis præeamus; *Sic luceat*, inquit Christus, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*, *Matth.* v. 16. Nec parum emphaseos habent illa Petri verba, ubi spem dat fore, ut infideles, qui non credunt verbo Euangelii, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, *considerantes in timore sanctam conversationem nostram*, 1 *Petr.* III. 1. Quam autem res sit excellens aliis causam esse salutis, discere etiam possumus ex verbis quibus Jacobus Epistolam suam Catholicam concludit: *Fratres si quis ex vobis aberraverit à veritate, & converterit quis eum ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

IV. Denique nostri ipsorum causa summopere necessarium est sanctitati incumbere. Quod probatur 1. expressis Sacræ Scripturæ testimoniis. Qualia sunt sequentia, *Sine sanctimonia nemo videbit Deum*, *Hebr.* XII. 14. id est, beata immortalitate fruetur. Rursus, *Non quisquis dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est*, &c. *Matth.* VII. 21. Item, *Qui solverit unum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum; qui autem fecerit & docuerit, hic vocabitur magnus in regno cælorum. Nam nisi justitia vestra abundaverit plus quam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cælorum*, *Matth.* v. 19, 20. ubi verba hæc ultima, *non intrabitis in regnum cælorum*, exponunt præcedentia, *minimus erit in regno cælorum*, id est, nullo ibi loco erit, contemnetur, rejicietur. id est, nisi perfectiore sanctitate, non tantum externa, sed præcipue interna, seu affectuum, quam illi negligunt, præditi fueritis. Et Jacob. *Qui perspexerit in legem perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit*, *cap.* I. v. 25. *Apoc.* XXI. 27. Idem 2. ex eo confirmatur, quod in ultimo judicio, *Deus unicuique reddet secundum opera sua*, *Rom.* II. 6. sive, *quod unusquisque referet propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*, 2 *Cor.* v. 10. 3. Sine vera pœnitentia & regeneratione nemo salvus erit; *Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*, *Joan.* III. 3. *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra*, *Act.* III. 19. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, *Rom.* VIII. v. 13. Pœnitentia autem & regeneratione universum sanctitatis studium comprehendi nemo ignorat. 4. Fides viva & vera est necessaria ad justificationem & salutem. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur*, *Gal.* v. 6. *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum?* Item, *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*, *Jacob.* II. 14. 26. Fides autem cum operibus Euangelicis ex ea promanantibus, & vitæ sanctimonia, unum idemque sunt. Sed quid opus est plura testimonia conquirere, cum vix pagina aut caput ullum occurrat in Novo Test. quod isti doctrinæ fidem non faciat?

V. Non ergo tantum dicendum est cum nonnullis, sanctimoniam & bona opera esse necessaria, ut certi simus fidem nostram esse veram, non ut salutem æternam obtineamus. Sic enim non tribuitur illis totum id quod debetur, nec satis agnoscitur vera eorum necessitas. Magnum quidem affert solatium pio homini, certum esse de veritate fidei suæ, & consequenter salutis. Sed si quis esset nimis rigidus in sui examine, & putaret illam fidem non esse veram, quæ tamen vera esset Dei judicio, is non propterea excideret salute, quæ omnibus sincere in Christum credentibus promissa est. Itaque ex hac utilitate quæ ex sanctimonia redit, non sequitur eam esse ad salutem necessariam. Quod est directe contra Scripturæ loca & rationes modo allatas.

VI. Deinde non possunt serio urgere necessitatem sanctitatis, qui prædestinationem absolutam docent. Nam posito Deum salutem æternam dare proposuisse quibusdam absoluto & irrevocabili decreto electis, absque ullo intuitu fidei & sanctimoniæ tanquam conditionis prærequisitæ, fieri nequit quin isti electi tandem illam obtineant, etiamsi sanctitate & bonis operibus non sint pleni. Dices, Deum qui decrevit iis salutem dare, pariter etiam decrevisse hac tantum via ipsos ad salutis possessionem deducere, ita ut si istam non insistant eo non sint perventuri. Resp. Ex eo tantum sequi, esse necessarium, ut Deus fidem & sanctimoniam in electis suis efficiat, non ut isti studio incumbant, in quo (ut vulgo dicetur) nihil promovere possunt, nisi Deus insuperabili potentia in iis operetur: Deum in momento aliquando eas efficere, & cum jam jam ex hac vita migraturi sunt; ita ut non debeant de iis esse solliciti.

VII. Evertitur quoque hæc necessitas per dogma de imputata Christi sanctitate. Nam si imputatur electis obedientia quam Christus legi morali exhibuit, & ejus sanctitate tanquam pallio tegatur eorum impuritas coram Deo; adeo ut etiamsi nullum ex ejus mandatis servaverint, & adhuc in omnem nequitiam proni sint, Deus tamen ipsis ex mera gratia perfectam Christi satisfactionem, justitiam & sanctitatem donet & imputet, non est necessarium ut illi propria sanctitate sint ornati. Imo illi operam velle dare nihil aliud esset, quam ostendere te perfectæ Christi justitiæ non satis confidere; quod pro magno habent peccato. Unde fit ut illi sanctimoniæ studium requirant tantum,

ut

ut gratitudinem erga Deum pro salute gratis destinata, non ut medium ad illam acquirendam necessarium. Quod est sane totam necessitatis rationem evertere. Nam si neque per ingratitudinem hominum unquam revocentur Dei dona, ut iidem illi docent, illi salute non excident quibus ea est destinata, etsi gratitudinem suam per opera sanctitatis & justitiæ non ostendant, sed in peccatorum cœno se adhuc assidue volutent. In summa, experientia docet, spem beneficii accipiendi longe majorem vim habere in animis hominum, ad efficiendum ut benefactoris sui mandatis pareant, quam memoriam jam acceptorum, præsertim irrevocabilium; adeo ut qui hoc postremo tantum argumento ad studium sanctitatis incitant, potius doceant quantum illa honestos viros deceat, quam eam necessariam esse.

VIII. Unde videmus multos eorum admodum gravate adduci, ut fateantur bona opera necessaria esse ad salutem obtinendam; & quosdam etiam ejusmodi locutionem omnino condemnare. Lutherus sane non est veritus dicere, *hanc esse primam & ultimam, pessimam & damnosissimam hæresin, quæ unquam in terra extitit, si doceatur bona opera ad salutem necessaria esse.* Cujus vestigiis insistens discipulus ejus Nic. Ambdorfius, superaddidit, *Bona opera ad salutem non tantum nihil conferre, sed etiam suo modo esse perniciosa.* Sed inquiunt nonnulli, iis qui justi sunt non est necesse bona opera facere, quia ut inquit Paulus 1 *Tim.* I. 9. *Lex justo non est posita*; & *Rom.* VI. 15. *Non sunt sub lege, sed sub gratia*; Et VIII. 2. *Liberati sunt à lege peccati & mortis.* Ad quod resp. 1. Nullos alios esse justos coram Deo quam qui bonis operibus student. *Nemo vos seducat*, inquit Joannes 1 *Epist.* III. 7. *Qui facit justitiam, justus est, sicut & ille justus est*, nempe Jesus Christus. Ille autem non fuit justus aliena justitia, sed sua. Quare neque ejus discipuli aliter justificabuntur. Quamvis enim sacrificium ejus sit propitiatio pro *peccatis nostris*, 1 *Joan.* II. 1. *& habeamus redemtionem per sanguinem ejus, id est remissionem peccatorum*, *Eph.* I. 7. Id tamen alia lege non fit, quam si renunciemus peccato in quo antea viximus. Nam *si in luce ambulamus, sicut & ipse* (Deus) *est in luce, societatem habemus ad invicem; & sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato*, 1 *Joan.* I. 7. Quo autem modo acquiritur primò justitia, deinde etiam conservatur; ideoque præcipitur, *Ut qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus, sanctificetur adhuc*, *Apoc.* XXII. 11. Idemque non obscure significat Dominus Jesus, cum dicit discipulis, *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione*, *Joan.* XV. 10.

IX. Resp. 2. Cum Paulus dicit *legem justo non esse positam*, noluisse eum significare justum non teneri legem observare, & secundum eam vitam suam componere. Absit: nullam enim aliam habet actionum suarum normam, quam Dei voluntatem lege ipsius revelatam. Sed legem Dei hic considerat, quatenus sceleratos, qui nulla Dei reverentia ducuntur, metu pœnæ compescit, ne in omnis generis flagitia ruant; ut apparet ex oppositione quam postea facit; *Sed injustis & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, patricidis & matricidis, &c.* Justi autem & virtutis amantes sponte officium faciunt, & quamvis nullæ essent pœnæ adversus maleficia constitutæ, nihilominus ab iis se continerent. Toto ergo cœlo ab hujus loci mente aberrant, qui putant eo innui, illum, qui semel justificatus est, non amplius teneri legem divinam observare; cum tantum id velit, non opus esse terrore pœnæ ad virtutem impellere eum, qui jam illius amore est incensus.

X. Nec majorem vim habet quod Apostolus docet fideles *non esse sub lege, sed sub gratia.* Tantum enim abest ut ex eo colligi queat, ipsos non teneri bona opera facere, ut contrarium ibi doceatur; cum subjungit, *Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit, &c.* Verum quidem est, profanos aliquos irrisores, qui naturam gratiæ Euangelicæ ignorabant, istud ei absurdum objecisse; & ex eo quod Paulus docebat, *Ubi abundavit delictum, superabundavisse gratiam*, deduxisse hanc conclusionem, permanendum esse in peccato, ut gratia abundaret. Sed vel illud solum caput VI. *Epist. ad Rom.* calumniæ istius turpitudinem refellit, in quo adeo veræ sanctimoniæ necessitatem urget, ut non possit magis. Legatur id totum ab initio usque finem, & id quod dico, nisi quis plane sit oculis captus, patebit.

XI. Et quod attinet ad illa *cap.* VIII. verba, ubi Paulus dicit se *liberatum esse à lege peccati & mortis*, quamvis nonnulli ea de lege Mosis intelligant, quæ irritat peccandi cupiditatem, *Rom.* VII. 8. & *ministerium est mortis*, 2 *Cor.* III. 7. alius tamen est eorum sensus; & per legem peccati & mortis, à qua se liberatum dicit Apostolus, nihil aliud intelligit, quam consuetudinem peccandi mortiferam; quæ cum non potuisset à lege Mosis edomari, propterea quod infirmabatur per carnem, (id est nimis infirma erat ad opus regenerationis perficiendum, propter carnis nostræ imbecillitatem, vel quia promissa ejus, si literam spectes, magnam partem erant carnalia) lex spiritus vitæ in Christo Jesu id præstitit, id est illius spiritus vitalis, quem per Christi Euangelium consequimur, imperium & motus. Vocem enim *legis* hic ita accipi debere, apparet ex fine *cap.* VII. ubi Paulus de se in persona hominis sub lege viventis agens, dicit, *Video aliam in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris*; per istam legem consuetudinem peccati intelligens,

gens, quæ instar tyranni dominatur homini, ut absque singulari Dei gratia non possit se ab ejus tyrannide liberare.

XII. Objicitur etiam parabola illa vel historia Pharisæi & publicani, quam Jesus Christus proponit *Luc.* XVIII. *v.* 10. *& seqq.* ex qua apparere ajunt, bona opera potius nocere, quam ad salutem consequendam quicquam prodesse. Publicanus enim ille, qui nulla bona opera fecerat, sed tantum pectus suum percutiens dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, justificatus fuit apud Deum, non autem Pharisæus, qui neque erat raptor, neque injustus, neque adulter, sed jejunabat bis hebdomade, & decimas dabat omnium quæ possidebat. Resp. 1. Supponamus Pharisæum à criminibus illis immunem fuisse quæ in aliis animadvertebat, & illa fecisse bona opera quæ sibi tribuebat; non habebat tamen de quo gloriaretur apud Deum, aut sibi magnam ab eo mercedem deberi existimaret. Non enim est magna virtus pessimis paulo esse meliorem; & qui neque est raptor, neque injustus, neque adulter, potest nihilominus aliis esse vitiis infectus, ob quæ merito displiceat Deo. Quid enim si contentus sit mundare quod deforis est calicis & paropsidis, & similis sit sepulcro dealbato, intus autem plenus omni rapina & immunditia, ut Christus exprobrat Scribis & Pharisæis, *Matth.* XXIII. an justus erit apud Deum? Præterea jejunare & decimare scrupulose etiam minutiora olera, mentham, anethum, & cuminum, non sunt opera per se bona, sed indifferentia, quæ fieri possunt absque fide & ab hypocritis, qui relinquunt ea quæ graviora sunt legis, videl. judicium, misericordiam & fidem: ideoque de iis non oportet apud Deum gloriari. Adde quod charitati repugnat, de eo quem probe non noris temere judicare, teque illi præferre. Cum ergo talis esset hic Pharisæus quem Christus nobis repræsentat, quid mirum est, si Deus eum justum non pronunciarit? Quod vero ad publicanum spectat, qui confitens peccata, eorum veniam à Deo postulabat, sciendum est illud solum non sufficeisse ut justus esset; sed oportuisse præterea, ut nuncium mitteret peccatis in quibus vixerat, & justitiam sectaretur, seu ut fructus pœnitentiæ dignos faceret, ut Joannes Baptista requirebat ab iis qui ad Baptismum suum accedebant. Ideoque non dicitur absolute eum justificatum fuisse, sed comparate κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ ἐκεῖνος, id est, *descendit hic justificatus in domum suam potius quam ille*: hoc est, ita Deo placuerunt in publicano hæc resipiscentiæ initia, ut eum pro justiore habuerit quam Pharisæum, qui cum non parvis adhuc laboraret vitiis, in suis operibus fiduciam collocabat, & cæteros præ se aspernabatur.

XIII. Objicitur denique, Si bona opera sunt necessaria ad salutem, ergo merentur eam apud Deum. Resp. Nequaquam. Est aliquid medium inter hæc duo extrema, unum, opera bona non esse necessaria ad salutem, alterum, ea mereri salutem; videl. bona opera esse conditiones sine quibus Deus nemini salutem dare decrevit. Idque ostendunt omnia illa argumenta quibus eorum necessitatem adstruximus. Meritoria vero salutis non esse sic probatur. Salus sive vita æterna nobis obtingit ex gratuito Dei dono. Ergo non ex merito. Ista enim duo sunt inter se contraria, quorum uno posito removetur alterum, & uno remoto ponitur alterum; *Si ex gratia, jam non ex operibus,* &c. *Rom.* XI. 6. Antecedens patet ex aliquot claris & expressis Scripturæ locis, Qualia sunt, *Stipendia peccati mors; gratia autem Dei, vita æterna in Domino nostro Jesu Christo*, *Rom.* VI. 23. Ubi cum ratio oppositionis requireret, ut quemadmodum Apostolus dixit mortem esse stipendium peccati, ita ex adverso diceret vitam æternam esse stipendium justitiæ, maluit eam tribuere gratiæ Dei; ut ostenderet aliam plane esse rationem vitæ & mortis æternæ, & in hanc quidem homines operum malorum merito incidere; illam vero bonis operibus non consequi. Item, *Gratia salvati estis per fidem, (& hoc non ex vobis, Dei enim donum est) non ex operibus, ne quis glorietur*, *Ephes.* II. 8. 9. Quamvis autem iste locus, si ad seriem orationis Apostoli attendas, potius sit intelligendus de vocatione ad salutem, quam de salute consummata qua in cœlis fruemur; tamen cum eadem sit ratio principii & finis, si gratuitum est illud, etiam hunc esse oportet. Præterea non sine causa Paulus tam generales usurpat voces, ut non minus de uno quam de altero accipi possint; id est tam salutem æternam contingere hominibus ex gratuito Dei, quam primam ad eam invitationem & vocationem, ex qua fit ut monstratum salutis iter ingrediantur. Et voluisse ipsum à merito salutis excludere, etiam opera quæ à fidelibus fiunt, ostendunt verba sequentia; quæ de illis agunt, *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Imo sola peccatorum remissio, cujus meminit in antecedentibus, merita in toto vitæ cursu excludit. Qui enim semel ea indiguit, nihil præter mortem & damnationem meritus est; quicquid Deus ei postea dat mere gratuitum est. Ista vero verba, *Et hoc non ex vobis, Dei enim donum est*, non probant fidem, cujus ibi mentio fit, ex Dei dono nobis obtingere. Quod tamen negare neutiquam nobis in animo est; dummodo id bene intelligatur, & fidem tam esse actum obedientiæ Euangelio præstitum, quam Dei donum concedatur. Scimus enim Paulum Philippensibus dicere, ipsis *à Deo donatum esse ut in Christum crederent*, *cap.* I. *v.* 29. Sed hoc loco nihil aliud voluit significare, quam id esse Dei donum, quod salutem per fidem, potius quam per opera

legis

legis Mosaicæ consequamur. Idque manifeste ostendit Græca verborum syntaxis, τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως· καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν, &c. Si enim illud de fide intellectum voluisset, dicendum ipsi fuerat, καὶ αὕτη οὐκ ἐξ ὑμῶν, cum πίστις sit fœminini generis. Huic loco geminus est alter ex *Epist. ad Titum*, *cap.* III. *v.* 4. 5. *Cum benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*, &c. Ubi quæ dicta sunt de initio salutis, seu vocatione gratuita ad illam, consummationi quoque ejus convenire, ratio manifesta evincit. Qui enim indiguit aliquando remissione criminum per Dei misericordiam, ad evadendum damnationem æternam, nulla deinceps potest tam excellentia justitiæ opera facere, quibus ex merito vita & salus æterna debeatur.

XIV. Sed quid clarius afferri potest ad excludenda hominum merita in negotio salutis, quam id quod Salvator noster dicit discipulis, *Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus; nam quod debuimus facere, fecimus.* Ubi notandum est primo, neminem mortalium, qui sibi conscius sit peccati, dicturum unquam, se omnia fecisse quæ præcepta sibi fuerant; sed potius supplicaturum humiliter cum Davide, *Ne intres Domine in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, *Psal.* CXLIII. 2. Deinde si restringatur istud ad opera bona quæ faciunt homines in statu gratiæ, postquam crediderunt Euangelio, & se ex præcedentis vitæ erroribus serio ad Deum converterunt; quis audebit gloriari se omnia fecisse quæ sibi præcepta fuerant, & nunquam ab illo tempore in ulla re deliquisse, adeo ut nulla infirmitatum condonatione indigeat? Denique supponamus aliquem talem reperiri, quid Deo operibus suis utilitatis attulerit, ut possit dicere se apud ipsum aliquid meruisse? Non sibi quidem fuerit ille inutilis, qui ista via ad salutem pervenerit, sed certe Deo erit, qui nullo cultu, aut servitio quod ab hominibus proficisci possit, indiget.

XV. Quod ut melius intelligatur, videndum est quænam conditiones in merito proprie dicto requirantur, & an eæ operibus quibus homines Deum colunt conveniant. *Prima* est, ut meritum sit opus indebitum. In confesso enim est apud omnes, debitorem nihil apud creditorem suum mereri cum se ære in quo erat liberat. Id enim omni jure facere tenetur, & nisi sponte faciat cogi potest. Atqui homines obligati sunt erga Deum in omnibus quæ jubet obedientiam ei exhibere. Id enim jus habet in illos, partim quatenus est ipsorum creator, & omnia quæ possident, sive animi, sive corporis, sive externa bona, ex ipsius liberalitate habent; partim quatenus est ipsorum redemtor, qui eos dilecti filii sui sanguine ex peccati & mortis servitute redemit, ut sint populus ipsius peculiaris, sectatores bonorum operum. Vult autem ut religiose erga se, juste erga proximos, & sobrie in nostri directione vivamus in hoc sæculo, *Tit.* II. 12. quibus tribus partibus omnis generis bona opera quæ excogitari possunt comprehenduntur. Sicut & cum jubemur *sectari quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, denique si qua virtus, si qua laus disciplinæ est*, *Coloss.* IV. *v.* 8. Cum ergo nullum sit bonum opus quod ex Dei mandato præstare non teneamur, etiamsi nunquam deessemus officio nostro, nihil aliud faceremus, nisi quod debita nostra exsolveremus; ac proinde nihil apud ipsum mereri proprie possemus. Multo igitur magis id agnoscendum est, cum in tam multis peccemus, & absque singulari Dei misericordia pœnam offensis nostris debitam effugere nequeamus. *Secunda* est, ut opera quibus aliquid mereri præsumimus, ei prosint in cujus gratiam suscipiuntur. Servus enim nugas agendo, aut ea ex quibus nihil utilitatis redit ad dominum suum, nihil apud eum mereri potest. Atqui ex omnibus nostris operibus bonis nullum lucrum aut commodum percipit Deus, qui nulla re indiget, & omnium bonorum fons est inexhaustus. Id quod agnoscit David dicens, *Bonum meum non pervenit ad te; in sanctis qui in terra & fortibus omnis voluntas mea est*, *Psal.* XVI. 2. 3. Quomodo ergo operibus nostris quicquam apud eum mereri possemus, qui iis nullo modo indiget, & quæ ipsi ne minimum quidem commodum afferre valent? *Tertia* est, ut inter opus quod meritorium esse putatur, & mercedem quæ propter illud exspectatur, sit aliqua dignitatis & pretii proportio. Ita ridiculum foret, si mercenarius propter unius diei laborem jactaret se centum florenorum millia esse promeritum, quia inter tam exigui temporis laborem, & tam immensam mercedem nulla foret proportio. At multo minor est inter omnia nostra bona opera & salutem æternam; 1. quia illa finita sunt, hæc vero infinita. 2. quia nullius propemodum sunt pretii, ut cum hujus excellentia conferri possint. Ideoque Apostolus dicit, *hujus temporis passiones* (quibus obnoxii sunt fideles propter nomen Christi, & in quibus alacriter ferendis consistit præstantissima Euangelicæ obedientiæ pars) *non esse condignas ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, *Rom.* VIII. *v.* 18. Item, *Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, &c. 2 *Cor.* IV. 17. 18. Nulla ergo fidelium bona opera tam excellentia & perfecta vel cogitatione fingi possunt, quæ cum vitæ æternæ gloria, quam exspectant in cœlis, aliquam vel minimam habeant proportionem, quæ in merito

requiritur. *Quarta* est, Ut qui mereri vult, de suo mereatur; saltem non ex bonis quæ illius sunt quem demereri studet. Stultus enim foret, qui sumens pecuniam de alterius cista, & ipsi cujus est offerens, existimaret se eum insigni aliquo beneficio devincire. At talis est bonorum nostrorum operum conditio Dei respectu. *Nemo prior dedit ei, ut retributionem ab ipso expectet*, *Rom.* XI. 35. Omnia nostra bona opera sunt ipsius dona, utpote à sola ejus gratia & auxilio profecta, sine quo ea nequidem inchoare potuissemus. *Sumus enim ipsius factura, creati in Domino Jesu ad opera bona, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, *Ephes.* II. 10. Quare bonis operibus, quæ ipse Deus ex gratia dedit ut facere possemus, absurdum est dicere nos apud ipsum aliquid, nedum vitam æternam, mereri. *Quinta* denique est, In opere meritorio nullus defectus aut vitium esse debet, quod condonatione indigeat. Tali enim operi ex justitiæ rigore potius pœna debetur quam remuneratio. At talia sunt pleraque opera fidelium, quæ rigidum justitiæ divinæ examen ferre nequeunt. *In multis enim offendimus omnes*, *Jacob.* III. 2. Quare temerarium est quicquam de eorum meritis apud Deum præsumere.

XVI. Dices, necesse non esse ut omnes hæ conditiones in opere meritorio inveniantur; sufficere si Deus id præceperit, & remunerationem ei promiserit. Quod certum est in bonis fidelium operibus locum habere: ea enim Deus tum in lege, tum in Euangelio ubique præcipit; nec non iis amplam remunerationem pollicetur. Ita Christus ad consolandum & animandum eos qui propter nomen suum persecutionem patiuntur, dicit, *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis*, *Matth.* V. *v.* 12. Et vitam æternam comparat cum denario, quem pollicitus erat paterfamilias operantibus in vinea sua, & unicuique penso absoluto in fine diei reddidit, *Matth.* XX. Quibus similia loca passim occurrunt. Resp. Verum quidem id esse, si vox *meriti* non accipiatur in rigida sua significatione, sed simpliciter pro opere bono cui Deus remunerationem promisit; & mereri idem sit quod consequi seu obtinere; quo sensu constat has voces apud Veteres Ecclesiæ doctores vulgo usurpatas esse. Ita non repugnarem, ut per καλάχρησιν quandam bona fidelium opera vocarentur merita, & iis vitam æternam mereri, id est, obtinere dicerentur, videl. non tam habita propriæ illorum dignitatis ratione, quam gratiosæ Dei promissionis qua se erga bonorum operum sectatores ultro obstrinxit. Sed in eo non acquiescunt Pontificii; aliquid amplius suis operibus tribui volunt, nimirum ut non solum propter gratuitum Dei promissum, sed etiam ob proprium valorem iis debeatur vita æterna. Quibus absit ut assentiar.

XVII. Atqui, inquiunt, Scriptura docet eos vita æterna esse dignos qui opera pietatis fecerint, & justum esse apud Deum ut ipsam illis pro labore suo retribuat. Ita Christus *Apoc.* III. *v.* 4. *Ambulabunt mecum in albis; quia digni sunt.* Et Paulus 2 *Thess.* I. fideles *dignos haberi regno Dei pro quo patiuntur*, & *justum esse apud Deum ut iis qui affliguntur relaxatio contingat in revelatione Domini Jesu de cœlo ad judicium.* Item, *Hebr.* VI. 10. *Deum non esse injustum ut obliviscatur operis & laboriosæ charitatis fidelium.* Dignitas autem & meritum sunt voces æquipollentes; & quoniam ita justum est apud Deum ut præmium retribuat bonis fidelium operibus, ut injustus sit futurus si id non faciat; non tantum propter Dei promissionem debetur illis remuneratio, sed etiam proprii valoris habita ratione. Resp. Ut vocem *meriti*, ita & *dignitatis* non semper accipi in propria & rigida significatione, quæ gratiam excludat, sed etiam in impropria & molliori, quæ cum Dei gratia optime conveniat. Ita autem intellexisse Paulum 2 *Thess.* I. inde apparet, quod non dicat pios *esse* Dei regno dignos, sed *haberi* dignos, καταξιωθῆναι, nimirum ex gratia & misericordia Dei, qui pluris ipsorum afflictiones æstimare vult, quam revera mereantur, si ex proprio valore & dignitate illas censeret. Ergo neque alia fuit Christi mens *Apocal.* III. quamvis simpliciter & absque restrictione ulla dicat, fideles dignos esse qui secum ambulent in albis, nempe quia tales ex gratia eos reputare vult. Nihil etiam prohibet, quominus justitia, secundum quam operibus fidelium retributio dicitur esse debita, sit illa quæ in exsequendis promissis conspicitur. Nempe justum est apud Deum ut remuneretur opera fidelium, & non est injustus ut illorum obliviscatur, quia promissis suis se erga illos obstrinxit. Sed fac quoque ad proprium illorum valorem respici ab Apostolo; remuneratione aliqua dignæ sunt graves fidelium afflictiones, quas pro Christi nomine subierunt (de iis enim agitur in locis allegatis) non sequitur ergo eæ vitam æternam proprie merentur. Semper enim verum manet id quod antea ex eodem attulimus, *Rom.* VIII. 18. & 2 *Cor.* IV. 17. 18. nullam esse proportionem inter fidelium crudelissimas persecutiones, quæ exiguum tantum tempus durant, & æternæ vitæ felicitatem, quæ nullo unquam fine terminabitur, ut potius iis ex rigore justitiæ, quam ex gratia & promissione Dei illa retribuenda esse affirmetur. Quare ita agnoscenda est bonorum operum in negotio salutis necessitas, ut ab omni meriti præsumtione, quæ cum gratia Dei consistere nequit, studiose caveatur. Nam quod quidam se ex Dei gratia mereri putant, ii non animadvertunt quanta in eo contradictio lateat, & se aut meritum quod non sit meritum, aut gratiam quæ non sit gratia introducere.

XVIII. Nec tamen sufficere existimarim

ut

ut bona opera dicantur necessaria ad salutem necessitate præsentiæ, non vero efficientiæ. Nam quamvis dicere nolim ea salutem æternam proprie efficere, video nihilominus Scripturam longe plus quam nudam præsentiæ necessitatem iis attribuere: ut cum Dominus Jesus dicit, *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*, &c. *Matth.* XXV. *v.* 20. Item, *Venite benedicti, possidete regnum vobis paratum: esurivi enim & dedistis mihi manducare*, &c. *ibid. v.* 35. Et alia ejusmodi, quæ frigide nimis de nuda bonorum operum præsentia exponerentur. Ad quæ extrema vitanda, tenendum est illud medium quod initio diximus, ea esse conditionem sine qua Deus neminem salutis æternæ participem facere decrevit; quod efficientiam quidem aliquam arguit, sed tamen nihil vere meritorium includit.

CAPUT II.

De Sanctitatis Possibilitate.

I. *Status quæstionis de Sanctitatis possibilitate.* II. *Obedientia dupliciter consideratur, vel ut excludat omnem in posterum actum, vel habitum peccati.* III. *Priori modo est admodum difficilis, non tamen absolute impossibilis.* IV. *Posteriore modo est possibilis.* V. *Quod probatur* 1. *ex Matth.* 11. *ubi onus Domini vocatur leve.* VI. 2. *ex* 1 *Joan.* 5. *quod mandata Dei gravia non sint.* VII. 3. *ex Philipp.* 4. *quod Paulus se omnia posse dicit in Christo.* VIII. 4. *Ex æquitate Dei.* IX. *Occurritur objectioni primæ, quod Petrus legem vocet jugum intolerabile, Act.* 15. *& tamen Dominus Jesus Matth.* 5. *perfectiora tradat præcepta.* X. *Et secundæ, quod Deus velit fideles semper ad misericordiam suam confugere.* XI. *Et tertiæ, quod Deus constituerit, ut nemo in hac vita ad illam perfectionem perveniat.* XII. *Et quod nemo sit repertus qui Deum ex toto corde dilexerit.* XIII. *Quodque perfectio in futuro demum sæculo locum habebit.* XIV. *Et quartæ ex cap.* 7. *ad Rom. desumtæ: Ostenditur tribus rationibus Paulum loqui de homine irregenito.* XV. *Occurritur objectioni, quod carnis & mentis lucta sit regenerationis indicium, ex Gal. v.*17. XVI. *Et quod condelectetur legi Dei, &c.* XVII. *Et quintæ ex Rom.* VIII. 3. XVIII. *Et sextæ, quod si quis legem implevisset, ex operibus suis apud Deum justificaretur.* XIX. *Duplex est justificatio per legem, & qua ratione Rom.* 4. *Deus dicatur justificare impium.* XX. *Omnia bona opera universim non debent à justificatione excludi.*

I. ALterum sanctitatis adjunctum est Possibilitas, quæ æquali passu cum necessitate procedit, & ab ea præsupponitur. Nam si sanctitas non esset possibilis, non foret etiam ad salutem æternam obtinendum necessaria; cum naturæ lex omnium cordibus ipso quasi Dei digito inscripta dictet, neminem ad impossibile teneri. Hic autem ante omnia videndum est quatenus & quousque ea sit possibilis, ne id quod secundum quid tantum illi convenit, quasi absolute dictum accipiatur. Sanctitas ergo Christiana, quæ in observatione mandatorum Dei consistit, non est possibilis viribus hominis naturalibus, multoque minus longa peccandi assuetudine corruptis. Nam quod ad primum attinet, cum Christus jubeat ut abnegemus nos ipsos, *Matth.* XVI. 24. id est naturam quasi exuamus, ad sequendum ipsum, id viribus nostris naturalibus præstari non posse apparet. Natura enim supernaturalis effectus, qualis iste est, non est capax. Quod ad alterum vero, id adhuc evidentius est. Nam sicut Æthiops ex se mutare non potest pellem suam, nec pardus varietates suas, ita neque ii possunt benefacere qui didicerunt malum, seu malo sunt assueti, *Jerem.* XIII. 23. Auxilio ergo divino hic opus est, quod Deus nemini id à se ardentibus votis petenti denegat, *Matth.* VII. 7. *& seqq. Jacob.* I. 5. Deinde animadvertendum est nos non agere de ejusmodi sanctitate, quæ absolutam ab omni peccato & toto vitæ tempore immunitatem includat, seu ut nullum unquam peccatum à nativitate nostra usque ad mortem, sive magnum, sive parvum, commiserimus. Eam enim à nobis Deus non exigit; & in nullo unquam homine inventa est nisi in Domino nostro Jesu Christo, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, 1 *Petr.* II. 22. ideoque *καθ᾽ ἐξοχὴν* vocatur *justus*, 1 *Joan.* II. 1. In cæteris omnibus locum habet illud Solomonis, *Non est homo qui non peccet*, &c. 1 *Reg.* VIII. *v.* 46. *Eccl.* VII. 21. & Joannis, *Si dixerimus nos peccatum non habere*, &c. 1 *Epist.* 1. 8. Disputamus tantum de sanctitate, quæ in eo consistit, ut ab eo tempore quo nobis Dei voluntas recte innotuit, & pristinæ in peccato vivendi consuetudini per seriam pœnitentiam renunciare proposuimus, ejus mandatis in posterum pareamus.

II. Sed cum hæc obedientia rursus duorum sit generum, & altera requirat ut nullum amplius peccatum, quantulumcunque id sit, committamus; altera vero ut omnem peccati habitum exuamus, & omnino à peccatis per superbiam, aut elata manu (ut Scriptura loquitur) commissis abstineamus: primum illud obedientiæ genus non est adeo necessarium, ut sine illo nemo saluti æternæ particeps esse queat. Sufficit ut totis viribus ad id contendamus, ita ut si assecuti non fuerimus & infra constiterimus, istud non ex bonæ voluntatis defectu, sed ex mera infirmitate procedat. Alterum vero necessario ad salutem requiritur; quam nemo sibi spondere debet, nisi ad hunc perfectionis gradum pervenerit, ut non amplius ambulet secundum carnem, sed secundum spiritum; cum Paulus diserte asserat, *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, *Rom.* VIII. 13. Si quis autem aveat scire, quænam sint carnis aut spiritus opera, id alibi declarat, inquiens, *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia*, &c. *quæ prædico vobis, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus*

autem Spiritus est charitas, *gaudium*, *pax*, &c. *adversus ejusmodi non est lex*, &c. *Gal.* v. 19. *& seqq.*

III. Jam quæritur an utrumque istud obedientiæ genus sit possibile. Ad quod respondeo, in primo sane maximam esse difficultatem, & quam pauci admodum superant. Si quis tamen totis viribus annitatur, non existimare me absolute esse impossibile ad talem gradum ascendere. Alioqui à Christo, qui sapientissimus & æquissimus est legislator, id nobis non præciperetur. Ille autem dicit, *Estote perfecti*, *sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, *Matth.* v. 48. Ubi per istud adverbium similitudinis, *Sicut*, non quidem intelligitur æqualitas, cum impossibile sit ut homines mortales Deum unquam sanctitate æquent; sed tantum similitudo; attamen quæ perfectionem aliquam includat, ac proinde immunitatem à peccato. Nisi etiam hæc perfectio possibilis esset, frustra ad eam contendissent sancti; quod Paulum fecisse videmus, dicentem, *Quæ sunt retro obliviscens*, *ad ea quæ sunt priora* (seu potius *ante faciem*, ἔμπροσθεν) *extendens meipsum*, *ad destinatum persequor*, *ad brabium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu*, *Philipp.* III. 14. Ubi ostendit se præteritorum κατορθωμάτων immemorem, quasi ea nullius apud Deum essent momenti, ulterius semper atque ulterius perrexisse, donec ad metam perfectionis sibi propositam pervenisset. Hic solummodo laudabile est illud ambitiosi Principis symbolum, *Plus ultra*.

IV. De altero obedientiæ genere non est dubium quin adjuvante Dei gratia sit possibile. Nam cum, ut modo vidimus, id sit plane ad salutem necessarium, nemo salvaretur, si à nemine præstaretur. Si autem præstetur, possibile esse liquet. Graviter ergo erravit Calvinus *Instit. lib.* 2. *cap.* 7. §. 5. asserens obedientiam istam esse impossibilem, & nullum mortalem unquam esse conspectum qui ad talem perfectionem pervenerit. Sed cur eadem opera non asseruit, neminem unquam mortalem futurum salutis compotem, cum ista duo inseparabili vinculo inter se ex Dei constitutione sint connexa? Mirum autem non est, quod neminem adeo perfectum se unquam vidisse dicit. Ista enim interna animi puritas, non est oculis mortalium conspicua. *Non qui in manifesto*, *Judæus est*, *sed qui in abscondito*, *cujus laus non ex hominibus*, *sed ex Deo est*, *Rom.* II. 28. Forte tamen aliquos suo tempore vidit, sed quos non agnovit, aut etiam odit & persecutus est, sicut olim Scribæ & Pharisæi mundi Servatorem Jesum. Præterea quamvis nemo huc usque mandata Dei implevisset, non sequeretur id esse plane impossibile. Videmus enim nunc quædam vulgo fieri quæ majores nostri existimarunt vires humanas exsuperare, v. gr. trajicere vastum illud æquor quod Europam ab America dividit. Ne permittamus ergo ut falsa hæc opinio nos decipiat, magno nostro damno & salutis jactura. Hunc in finem rationes adhuc aliquas in medium proferam.

V. Primo occurrit illud Domini Jesu pronunciatum, *Jugum meum suave est*, *& onus meum leve*, *Matth.* XI. 30. Illud autem esse mandatorum suorum jugum & onus in confesso est apud omnes; nullum enim aliud jugum aut onus Jesus Christus humeris nostris imposuit. Non potest vero simul esse suave & leve, ut Dominus testatur, & portatu impossibile, ut asserunt ignavi mortales. Sub jugo enim & onere portatu impossibili satiscunt humeri, totumque corpus opprimitur, tantum abest ut sit suave aut leve. Excipiunt, istud dici à Christo, quia Euangelium ipsius confert electis Spiritum S. à quo viribus acceptis alacriter obedientiam inchoant, & defectus tegit sanguine Christi. *Resp.* Nullum esse dubium quin Spiritus S., qui per Euangelium confertur, electis seu fidelibus magnam facilitatem afferat observationi mandatorum Dei, quæ alioqui intolerabile onus ei viderentur. Fateor etiam defectus eorum hactenus tegi sanguine Christi, ut ad infirmitates eorum Deus connivere velit, si modo quantum in se est dent operam ut se ab iis exsolvant. Quicunque alia lege salutem ex morte Christi sperat graviter decipitur. Ita enim Joannes 1 *Epist.* I. 7. *Si in luce ambulamus*, *sicut & ipse* (Deus) *est in luce*, *societatem habemus ad invicem*, *& sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Non ergo si perseveremus in eo. Sed quod de inchoatione obedientiæ addunt, aut falsum est, aut valde improprie dictum. Falsum est, si ejusmodi inchoationem intelligant, ut adhuc ambulent secundum carnem, non secundum spiritum. Talibus enim, ut supra vidimus, nulla promissa est salus. Improprie vero dictum, si statuunt illos tantum inchoasse obedientiam, qui spiritu facta carnis mortificarunt, etiamsi aliquibus adhuc infirmitatibus sint obnoxii. Sed id priore sensu accipere illos inde apparet, quod, ut postea videbimus, putant perpetuo convenire fidelibus & regenitis, quam diu sunt in hoc mortali corpore, quod sint carnales & venditi sub peccatum; ut Paulus de statu suo cum scriberet Epistolam ad Romanos innuere videtur, *cap.* VII. 14.

VI. Idem 2. evincit similis locus Apostoli Joannis, *Mandata ejus* (Dei) *non sunt gravia*, 1 *Epist.* v. 3. nimirum veris fidelibus, qui alacri animo iis obediunt. Si autem non sunt gravia seu difficilia, multo minus erunt impossibilia. Nam si res omnes difficiles non sunt impossibiles, sed multæ earum præstari possunt si coneris & omnem tuam industriam adhibeas, multo magis eæ quæ faciles sunt. Facilitas enim aliquid superaddit possibilitati, quo promovetur rerum de quibus agitur effectio seu executio. Causa autem cur Dei mandata fidelibus non

non sint gravia hæc est, quod *fides nostra mundum superat*, ut Joannes ibidem addit. Si enim plene persuasi simus de vita æterna obtinenda, modo tentationes, quibus mundus nos ad Deum offendendum impellit, superemus, id nos viribus & animo replebit ad victoriam de illis reportandum, nullumque erit obstaculum, quantumvis magnum, quin perrumpamus. Id apparet in spe, bona aut honores mundanos consequendi, quæ, licet fallax, aliquando impellit ad suscipiendum & exequendum ea quæ propemodum impossibilia existimantur. Idemque præstat amor tum carnalis, tum honestus; unde à Salomone dicitur, *fortis ut mors est dilectio*, *Cant.* VIII. 6. Quare fides promissionibus Dei, quæ neminem unquam decipiunt, innixa, majoribus nos adhuc viribus armabit ad Dei mandata exsequendum. Quod etiam innuebat Dominus Jesus, dicens, *omnia possibilia esse credenti*, *Marc.* IX. 23. quamvis enim circumstantiæ ostendant, istud debere intelligi de beneficiis quæ à Deo per fidem impetramus; nihil tamen impedit, quin etiam extendatur ad ea, quæ auxilio & viribus ab eo per preces impetratis præstare possumus.

VII. 3. Id discimus ex Paulo, dicente, *Omnia possum in Christo* (vel per Christum) *qui me confortat*, *Philipp.* IV. 13. Ubi agit quidem de ferendis adversis, & servanda æquanimitate in prosperis, ut apparet ex versu præcedente, *Scio & humiliari, scio & abundare*, &c. tamen quia nihil difficilius est, quam in utraque fortuna se intra officii limites continere, recte colligitur, eum qui id posset facere, reliqua omnia divina mandata facile impleturum. quemadmodum qui pondus quinquaginta librarum gestat, etiam quadraginta & triginta & viginti gestare poterit.

VIII. Accedit 4. æquitas divina, quæ non permittit ut nos majori onere gravet quam ope ipsius adjuti ferre valeamus. Quod discimus ex parabola talentorum *Matth.* XXV. ubi Dominus Jesus graviter reprehendit inertiam servi illius mali, qui objecerat ei quod esset homo durus, qui meteret ubi non seminasset, & congregaret ubi non sparsisset; innuens ista falso & immerito Deo objici. Nihil tamen verius foret ista criminatione, si Deus præciperet impossibilia præstitu, etiam per ipsius gratiam, & propter ea non præstita æterni ignis supplicio adjudicaret.

IX. Audiamus nunc quid afferatur in contrarium. Objicitur ergo 1. Petrum nolle ut Gentibus ad Christum conversis onus legis implendæ imponeretur, graviterque indignatum esse iis qui istud moliebantur facere. *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? Act.* XV. 10. Sed resp. liquere ex omnibus hujus loci circumstantiis, Apostolum non de lege morali, sed de ceremoniali agere. Quærebatur enim an Gentiles, qui Euangelium Christi amplectebantur, ad observationem ceremoniarum legis Mosaicæ, ut circumcisionis, sabbathorum, &c. obligandi essent; non vero, utrum eis præcipiendum esset, ut præcepta de moribus servarent; de quo nunquam in Ecclesia Christiana dubitatum fuerat. Et eo verba Petri trahi non debere vel id solum arguit, quod alioqui Christiani non tenerentur legi morali parere, sed ipsis pro arbitrio vitam instituere liceret. Contra id quod diserte docet Paulus, se *per fidem*, id est doctrinam Euangelii, *non destruere legem, sed stabilire*, *Rom.* III. 21. Petrus ergo de sola ceremoniali lege intendit loqui; quam dicit fuisse *onus, quod neque ipsi neque patres ipsorum gestare potuerant*. Non ut significaret eam fidelibus, etiam cum gratia Dei absolute fuisse impossibilem; (nam infideles quoque absque speciali gratiæ auxilio eam implere poterant:) sed quia tantam rituum multitudinem continebat, ut si attente non caveretur, facile esset aliqua in re labi. Etiamsi enim unumquodque præceptum seorsim consideratum esset facile, tamen ingens eorum numerus & varietas reddebat ea mirum in modum observatu difficilia, vel si oportuisset tantum illa retinere memoria, & quando ac quomodo in praxin deduci deberent reminisci. Præcipue vero quia in rebus consistebant indifferentibus, quæ per se bonæ aut honestæ non erant, sed à sola legislatoris voluntate pendebant; adeo ut servis potius quam liberæ conditionis hominibus convenire viderentur. Quando ergo visum est Deo vocare Gentiles ad sui cognitionem, non judicavit expedire, eos istius legis observationi subjicere, ne adeo grave jugum ipsos impediret, quominus perfectæ justitiæ normæ in Euangelio comprehensæ obedirent. Et secundum illud Dei consilium Apostoli, Spiritu ipsius impulsi, communi consensu una cum Ecclesia statuerunt in Concilio Hierosolymitano, Gentiles ad observationem istorum rituum non esse adigendos. Sed instant, dicentes, oppositionem quam Petrus facit inter jugum legis intolerabile, & gratiam Domini Jesu Christi, per quam nos salvatum iri credimus, ostendere ipsum de tota lege loqui; quod Jesu Christi gratia non tantum ceremoniis, sed etiam exactæ legis moralis observationi opponatur. Ad quod resp. Etiamsi in aliis quibusdam Scripturæ locis gratia Christi ita accipiatur, in hoc tamen id non usu venire. Voces enim & phrases generales prudenter secundum subjectam materiam restringendas esse, omnes norunt. Materia autem subjecta hic, & quæ in controversiam erat vocata, est observatio præceptorum legis ceremonialium, non autem moralium; quæ moralia nunquam Judæi existimarunt tanto cum rigore à Deo exigi, ut omnem peccantibus veniæ spem excluderet. Hoc revera futurum erat jugum intolerabile Christianorum cervicibus imponere, si

quis

quis doceret, eos salvari non posse nisi adeo accurate & ad amussim legem Dei observando, ut in nullo prorsus peccent, & omnem iis salutis spem eripiendo, si vel in minimo aliquo peccare iis contigerit. Non quod, ut dixi, plane impossibile sit ad ejusmodi perfectionem ascendere, ut non amplius pecces. Sed quia Deus adeo grave jugum nobis non imposuit, sed secundum paternam bonitatem suam & indulgentiam, in nostra imperfectiore obedientia, modo sincera sit & proficiscatur ex corde integro, acquiescit, iniquum plane est ut homines hac in re se duriores illo exhibeant. Concedo ergo, legis moralis, hoc sensu acceptæ, observationem, hoc est ejusmodi cum rigore exactæ, intolerabile esse jugum; non vero prout Deus à nobis sub novo fœdere requirit, ubi lapsos in aliquo non statim ab omni spe gratiæ excludit, sed tempus pœnitentiæ & emendationis vitæ benigne concedit. Sed, inquies, attamen constat ex *Matth.* v. ubi Dominus Jesus mandata sua legi antiquæ opponit, ipsum perfectiorem à nobis quam Moses sanctitatem requirere. Per consequens ergo difficiliorem esse Christi legem illa quam Petrus intolerabile jugum vocat. *Resp.* Eam etiamsi difficilior sit in se considerata, tamen propter gratiæ majorem abundantiam sub Novo quam sub Veteri fœdere, longe faciliorem esse; quemadmodum vir adultus minus gravatur onere quinquaginta librarum, quam trimulus infans onere decem. Aperta vitæ æternæ promissio, & remissionis omnium peccatorum antecedentium, & donum Spiritus S. quo illa confirmatur, facilia nobis reddit mandata Christi, sub quorum pondere alioqui opprimeremur.

X. Objicitur 2. Deum velle habere sibi fideles obnoxios toto vitæ tempore, ut semper ad misericordiam suam confugiant & veniam admissorum petant. *Resp.* Ex hoc ergo sequi, veniam obsecrare præstantius aliquid esse legis divinæ impletione, si hic sit finis cur Deus velit ut nunquam illam perfecte impleant: finis enim semper præstantior est mediis quæ ad illum consequendum usurpantur. Sequetur etiam illos majore remuneratione esse dignos, qui peccatorum suorum veniam assiduo petunt, quam eos qui à peccando sibi temperant; cum Deus illud hoc præstare judicet. Quæ quam absurda sint nemo est qui non videat. Adde, quod licet aliquis ad hunc perfectionis gradum pervenisset, ut non amplius peccaret, nihilominus venia indigeret propter peccata ante conversionem admissa. Ideo David, cum jam provectæ esset ætatis, orabat: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*, *Psal.* xxv. 7. Peccatorum enim nostrorum plena remissio suspensa manet, donec vitæ cursum absolverimus, & fidem usque ad mortem servaverimus; Deusque de omnibus nostris actionibus simul & semel judicium ferat in ultimo die. Imo etiam remissio jam obtenta revocari potest, si quid ea indignum admiserimus; ut apparet ex servo illo, cui dominus suus decem millia talenta condonaverat; sed quia crudeliter se erga conservum suum gerebat, qui debebat ipsi centum denarios, traditus est tortoribus à domino quoadusque redderet universum debitum. *Sic*, inquit Christus mentem hujus parabolæ aperiens, *faciet vobis Pater meus cælestis*, *si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*, *Matth.* XVIII. 23. *& seqq.* Ideo assidue peccatorum veniam à Deo petere debemus quamdiu vivimus, etiamsi ad eum statum pervenissemus, ut carnem cum ipsius concupiscentiis omnino crucifixissemus & non amplius peccaremus; quia nondum peremtoria & irrevocabilis absolutionis nostræ sententia est pronunciata.

XI. Objicitur 3. Deum constituisse ut nemo unquam ad tantam perfectionem perveniat in hac vita, ut nullo se amplius peccato contaminet; illud esse futuri sæculi proprium, in quo nostra erga Deum & proximum charitas erit perfecta: fieri vero hic non posse ut Deum ex toto corde, ex tota anima & omnibus viribus diligamus, & proximum sicut nosmetipsos; quod lex divina præcipit. *Resp.* Nullum talis à Deo factæ constitutionis vel minimum indicium apparere in Scriptura: sed potius contrarium. Præcipit enim ubique ut in præceptis suis ambulemus, & ea perfecte servemus; ut in confesso est apud omnes. Ergo non potest simul constituisse, ut nunquam ea perfecte custodiamus. Sic enim duæ contradictoriæ voluntates essent in Deo de una eademque re; quod absurdum, & ipso summopere indignum. Præterea Deus promittit nobis gratiam ad hoc necessariam ut mandata sua perfecte observemus. Cujus rei testem habemus Mosem Israëlitis dicentem, *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui; ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere*, *Deuter.* XXX. 6. Item, *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël post dies illos*, *dicit Dominus*; *Dabo legem meam in visceribus eorum*, *& in corde eorum scribam eam*, *Jerem.* XXXI. 33. Rursus, *Spiritum meum ponam in medio vestri*, *& faciam ut in præceptis meis ambuletis*, *& judicia mea custodiatis & operemini*, *Ezech.* XXXVI. 27. Deinde quod asseritur, neminem posse Deum ex toto corde, ex tota anima, & totis viribus diligere; id seipsum refutat. Tantumdem enim est ac dicere, neminem id posse quod potest. Si Deus juberet ut se supra vires amaremus, recte id objiceretur. Nunc cum tantum præcipiat ut omnes nostras vires adhibeamus, nihil est quod prætexant homines contumaciæ suæ, nisi quod tanquam segnes viribus à Dei acceptis uti dedignentur.

XII. Falsum etiam est, nullum unquam repertum fuisse qui Deum ex toto corde diligeret. Scriptura enim contrarium diserte testatur.

David,

David, inquit Deus ipse, *custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum est in conspectu meo*, 1 *Reg.* XIV. 8. Et *cap. seq. v.* 5. *David fecit rectum in oculis Domini, & non declinavit ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi.* Et *eod. cap. v.* 14. dicitur *cor Asæ perfectum fuisse coram Domino cunctis diebus suis.* quod 2 *Chron.* XV. explicatur, quod *quæsierit Dominum Deum in toto corde & in tota anima sua.* Sic etiam de Josia, *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi*, 2 *Reg.* XXIII. 25. Et de Zacharia atque Elizabetha dicitur, *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*, *Luc.* I. 6. Non me latet quidem, Scripturam aliquos defectus & *παροράματα* notare in illis, quibus tam excellens testimonium tribuit. Sed non attuli hæc exempla, ut docerem viros illos ad tam altum perfectionis gradum ascendisse, ut deinceps nusquam toto vitæ tempore à legis divinæ tramite aberrarent. Non oportet nos rigidiores Deo censores esse actionum illorum, qui non obstantibus eorum infirmitatibus, dicit ipsos *legem suam servavisse, & se ex toto corde & omnibus viribus dilexisse*, atque adeo *justos, perfectos*, & *ἀμώμους* sive *inculpatos* fuisse; quia nimirum secundum legis suæ rigorem noluit examinare defectus illorum, sed ut benignus & misericors pater ad illos connixit, corde, quod noverat integrum esse, contentus.

XIII. Et quod ad futurum sæculum differtur perfecta mandatorum Dei observatio, illud ridiculum est, cum pleraque eorum talia sint, ut in hac solum vita locum habeant, & nisi nunc à nobis perfecte possint observari, nunquam possint. Non opus erit nobis prohibere idololatriam, aut divini nominis blasphemiam, cum Deum facie ad faciem intuebimur, & bonorum ejus cumulo satiabimur. Nec ut abstineamus ab homicidio, adulterio, furto, falso testimonio, concupiscentia domus aut uxoris proximi, cum nulla amplius erunt peccatorum istorum irritamenta. Tunc etiam nulla amplius exercebitur charitas erga afflictos, neque erit patientiæ usus in afflictionibus; quæ tamen virtutum nostrarum præstantissimæ sunt. Non diffiteor quidem in futuro sæculo intensiorem fore quam nunc est erga Deum & proximum charitatem; secundum illud Pauli, *Charitas nunquam excidit*, 1 *Cor.* XIII. 8. cum fides & spes sint abolendæ. Sed tamen quod ad illius charitatis actus, qui nobis in Scriptura præcipiuntur, illa non erit major quam hic; cum ejusmodi sint naturæ, ut alibi exerceri & convenire nequeant. Causa vero quam nonnulli reddunt, quod Deus nolit nos in hac vita esse perfectos, nimirum ne propter perfectionem nostram superbiamus; est plane absurda; cum una è præcipuis virtutibus, quibus perfectos oportet esse ornatos, sit humilitas. Perinde est ergo, ac si quis diceret, se nolle alium à sordibus abstergere, ne nitiditate sua inquinetur. Superbiunt quidem homines ob scientiam, aut miraculorum donum; quemadmodum Paulus docet, cum inquit, *Scientia inflat*, 1 *Cor.* VIII. 1. & *ne magnitudine revelationum extolleret se, datum esse sibi stimulum carnis suæ, angelum Satanæ, ut se colaphizaret*, 2 *Cor.* XII. 7. Sed fieri nequit ut quis ob veram sanctitatis perfectionem superbiat. Quare si quis ex suis virtutibus superbiendi occasionem arripiat, istud est indubitatum indicium, ipsum in omnibus non esse perfectum, sed humilitatem, sine qua cæteræ nullius apud Deum sunt pretii, ipsi adhuc deesse.

XIV. 4. Præcipua vis ponitur in his Apostoli verbis, *Non quod volo bonum hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago*, *Rom.* VII. 19. ad ostendendum legem etiam perfectissimis, & qui maximos in regeneratione progressus fecerunt, qualis tunc temporis erat Paulus cum Epistolam istam scriberet, esse observatu impossibilem. Ad quod ut accurate respondeam, materiam istam paulo altius resumam, & totum hunc locum illustrare conabor. Dico igitur Paulum in hoc *cap.* VII. *Epist. ad Rom.* de se ipso non intendisse loqui, saltem tanquam per Christi gratiam & Spiritum regenito; sed de statu hominis qui est sub lege, & gratiæ Euangelicæ adhuc expers. Nec refert quod ubique in prima persona loquatur, *Ego sum carnalis*, &c. *Non quod volo bonum hoc facio*, &c. Hæc enim figura sermonis oratoribus satis familiaris, ut sibi ipsis tribuant per communicationem quod aliis convenit. Sic 1 *Cor.* XIII. 1. dicebat, *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum ut æs sonans, aut cymbalum tinniens*, &c. & *Gal.* II. 18. *Si quæ destruxi, iterum hæc ædifico, transgressorem meipsum constituo.* In quibus locis loquitur de iis quæ alii improbi aut impostores faciebant, & quæ ipsum nullatenus spectabant. Et ne quis ab ejusmodi locutionum mente aberret, ipse eam aperit aliquando; ut cum 1 *Cor.* IV. 6. declarat, se ea quæ dixerat *cap. præced. v.* 4. *Aliquis dicit, Ego quidem sum Pauli; alius autem, Ego Apollo*, &c. non de se proprie & de Apollo scripsisse, quasi ea in se quadrarent; sed de quibusdam aliis; dicens, *Hæc transfiguravi* (id est per sermonis figuram transtuli) *in me & Apollo, propter vos.* Tali autem figura ipsum esse usum in *cap.* VII. *ad Rom.* apparet *primo* ex *versu* 9, ubi dicit, *Ego vivebam sine lege aliquando.* Id enim non convenit Paulo, qui nunquam fuit sine lege; cum non tantum natione esset Judæus; sed etiam à juventute institutus fuisset in lege Dei ad Gamalielis pedes, ut ipse inquit *Act.* XXII. 3. Cum ergo dicit, *Ego vivebam sine lege aliquando*, nihil aliud sibi voluit, quam peccatum non exserere

suas vires in iis qui sunt sine lege, quia à lege non irritatur; sed aliquomodo esse mortuum, ideoque eos potius vivere, quam illos in quibus lex omnem cupiditatem excitavit. *Secundo* ex *v.* 25. *Gratias ago Deo per Jesum Christum Dominum nostrum*, prout in Græco legitur, εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, non autem ut habetur in vulgata versione Latina, *Gratia Dei*; quæ tamen eundem sensum exprimit, licet aliquanto obscurius. Hæc autem per parenthesin debent legi, utpote tum à præcedentibus tum à sequentibus sejuncta; & in Pauli persona prolata, ostendunt cætera non esse. Non enim gratias agit Deo quod esset carnalis, peccati mancipium, & nihil boni faceret. Absit. Nullam id faciendi causam habuisset. Contra, inde motus fuit ad exclamandum, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ubi per *mortem* intelligit peccati dominationem mortiferam, à qua cupit liberari; non vero corpore per mortem exui, ut quidam perperam interpretantur; quasi morte perficiatur nostra sanctificatio. Sed propterea gratias agit, quod per Dei gratiam in Christo Jesu peccati dominium excussisset. *Tertio.* Sed præcipua probatio, qua interpretationem hanc confirmamus, hæc est, quod alibi Scriptura tribuat regenitis qualitates iis omnino contrarias, quas Paulus hic assumere videtur. Nam 1. *v.* 14. dicit se esse *carnalem*. Sed *cap. seqq. v.* 8. 9. scribit, *Qui sunt in carne, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Et Gal.* v. 24. *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* 2. Ibidem dicit, se *venundatum esse sub peccato.* quod epitheton Spiritus Dei tribuit Achabo, regum Israëlis pessimo, ad ejus malitiam & pravitatem exaggerandum, dicens, *Non fuisse alterum talem sicut Achab, qui venundatus erat, ut faceret malum in conspectu Domini*, 1 *Reg.* XXI. 25. Sed *cap.* VI. *v.* 18. 22. dicit, *fideles liberatos à peccato, factos esse servos justitiæ & Deo.* 3. Dicit *v.* 19. se *bonum quod vult non facere, sed malum quod non vult. Cap. vero* VIII. *v.* 1. 13. scribit eos *qui sunt in Christo Jesu non ambulare secundum carnem, sed per spiritum*, & *spiritu facta carnis mortificare.* Quin etiam non convenit absolute & absque ulla restrictione iis qui sunt sub lege, ut non faciant bonum quod volunt, sed malum quod nolunt. Sic enim non essent liberi in suis actionibus, sed coacti; ac proinde nullum verum peccatum, pœna mortis æternæ dignum, committerent. Sed tantum vult significare, ejusmodi homines, in conscientia de legis divinæ æquitate persuasos, aliquo quidem boni quod præcipit exsequendi, & malum quod vetat fugiendi desiderio teneri; sed per concupiscentias suas carnales ab hoc laudabili proposito averti. Non quod si sibi ipsis vim facere vellent, & strenue adversus cupiditates pugnare, exsequi non possent quod primo sibi proposuerant. Aliud enim nihil requiritur præter constans propositum boni faciendi & mali vitandi, quod nihil impedit quin illi habeant, quibus lex divina est cognita; quamvis illa tot auxilia atque adeo efficacia non suppeditet ut Euangelium.

XV. Sed, inquiunt, hæc carnis & mentis lucta, quam sibi tribuit Apostolus, solis regenitis convenit, in quibus, sicut legimus *Gal.* v. *v.* 17. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; ut non quæcunque velint, illa faciant*; cum è contrario non regeniti pleno voluntatis impetu, sine ulla mentis resistentia ad peccandum ferantur. Ad quod resp. permagnum esse discrimen inter carnis & spiritus luctam, de qua in modo citato ad Galatas loco agit Apostolus; & luctam carnis & mentis quam describit *Rom.* VII. Illa solis regenitis convenit, qui spiritum Christi habent & illo ducuntur. Hæc etiam non regenitis, in quibus est mens seu intellectus, qui nisi penitus humanam naturam exuerint, & rationi renunciarint, honesto delectatur, & à turpi abhorret. Verum quidem est igitur spiritum in solis regenitis concupiscere adversus carnem, & carnem adversus spiritum, quia illi soli spiritum Christi acceperunt. Sed quamdiu regeniti manent, spiritus plerumque in hoc certamine victoriam reportat, & impedit ne caro id faciat quod vellet, ut Paulus significat *Gal.* v. & *Joan.* I *Epist.* III. *v.* 9. cum dicit *eum qui ex Deo natus est non peccare, imo ne quidem posse peccare.* Contra ii, quorum status describitur *Rom.* VII. succumbunt semper, nec aliud in illis bonum reperitur, quam inefficax id quod honestum est agendi voluntas. quod Dei spiritui ignominiosum summopere esse nemo non videt. Mens autem pugnat adversus carnem in iis qui nondum sunt regeniti, modo aliquam honesti & turpis cognitionem habeant; sicut illi supra cæteros omnes habent, qui in lege Dei bene sunt instituti, & de ejus veritate & æquitate in animo sunt persuasi. Fieri enim nequit, quin ii qui accuratam voluntatis divinæ cognitionem habent, & pœnarum quas incursuri sunt qui illam transgrediuntur, non aliquo modo inviti & repugnante intellectu peccent. Similis enim lucta interdum in iis animadvertitur, qui sola naturæ lege ducuntur; quemadmodum Medea nobis exemplo est, quæ affectibus contrariis, hinc Jasonis amore, inde patris reverentia, agitata, & nesciens cui morem gerere deberet, dicebat:

Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido
Mens aliud suadet, video meliora proboque,
Deteriora sequor. Ovid. Metam. VII.

Et Phædra apud Senecam in Hippolyto:

—Quæ memoras, scio
Vera esse nutrix; sed furor cogit sequi
Pejora; vadit animus in præceps sciens,
Remeatque, frustra sana consilia appetens.

Idemque animadvertere est in Herode & Pilato; quorum ille ægre in cædem Joannis Baptistæ, hic

hic Christi, consentiebat. Quos tamen nemo rerum intelligens vel minima regenerationis initia habuisse cum specie ulla dixerit. Unde apparet quantopere fallantur ii, qui putant peccata quæ cum aliqua in mente lucta perpetrantur, cæteris esse leviora, & pugnam istam pro regenerationis τεκμηρίῳ esse habendam. Tantum enim abest ut ejusmodi lucta ad excusandum aut minuendum peccatum quicquam valeat, ut contra ipsum valde aggravet, utpote quæ ostendat illud non ex ignorantia, sed adversus expressum conscientiæ dictamen esse commissum.

XVI. Instant, Paulum hic dicere se *condelectari legi Dei secundum interiorem hominem*, v. 22. & *mente servire legi Dei*, v. 25. Et illud regenitorum esse proprium; qui, sicut inquit David *Psal.* I. *in lege Domini delectantur*, & in ea die & nocte meditantur. Sed resp. delectationem quam homo, cujus personam induit Apostolus, sumit in lege Dei, serviens illi intellectu, nihil aliud esse, quam istam inefficacem approbationem, per quam consentiebat legi Dei quod bona esset, v. 16. interea tamen serviebat carne legi peccati, v. 25. quod sane non est regenerationis indicium, sed contra peccati dominantis, & periculosissimi status, cum illi morte æterna perituri sint qui secundum carnem vivunt, *Rom.* VIII. 13. Sed *Psalm.* I. agitur de delectatione, quæ est cum consummata voluntate legi Dei parendi, imo cum actuali obedientia conjuncta. Unde potest colligi, quæ sit istorum verborum Apostoli mens, *Non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* Nimirum in homine duplex debet considerari voluntas, una generalis, alia specialis. Generalis voluntas est, cum, nullo affectu urgente, honestum ab intellectu aut lege Dei monstratum prosequimur, & ab eo quod indicavit esse turpe abhorremus; sed nondum tamen nos ad agendum accingimus; sæpeque est inefficax. Vulgo eam velleitatem vocant: & reperitur in omnibus qui aliquam honesti & turpis habent notitiam. Specialis voluntas est, quæ immediate nos movet ad agendum, & nunquam inefficax est. Quod enim sic volumus, semper facimus, nisi majore vi impediamur. Et ea sæpe cum vehementi aliquo affectu est conjuncta, qui majorem vim habet ad nos impellendum, quam cognitio voluntatis divinæ quam ex lege habemus. Illam sibi tribuit Paulus hoc loco, seu potius homini sub lege constituto, qui quod honestum est approbat, & turpe improbat; verumtamen vehementia affectuum impulsus, contra propositum illud generale agit; nempe quia inconstans est & mutabilis. Nam si in ejusmodi proposito permaneret, nemo posset eum impedire, quominus executioni illud mandaret. Et in eo consistit differentia inter regenitos per Spiritum Christi, & irregenitos, qui legis divinæ notitiam habent illamque probant; quod hi generali quidem aliqua velleitate, cum nullus affectus gravior impellit, erga bonum feruntur & à malo abhorrent; illi vero etiamsi ad malum interdum tententur à propria cupiditate, eam superant, & in bono proposito constanter perseverant. Ex quo liquet, quam impertinenter quidam hoc loco pugnent, ad probandum perpetuam regenitorum, quamdiu mortali corpore sunt induti, imperfectionem; cum de illis in eo minime agatur, sed de alio plane hominum genere, nempe iis qui sunt sub lege, & ex ea norunt quid sui sit officii, licet id minime præstent.

XVII. 5. Affertur Paulum *Rom.* VIII. 3. docere expresse, legem esse observatu impossibilem. Ad quod resp. tantum abesse ut id verum sit, ut contrarium potius ex isto loco satis aperte deducatur. Inspiciamus eum integrum. Ita legitur; *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in eo quod infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati & de peccato, condemnavit peccatum in carne; ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* In quibus verbis docet Apostolus, gratiam, quam Deus fidelibus sub Euangelio largitur, id efficere quod Mosis legi erat impossibile. *Lex* enim *spiritus vitæ in Christo Jesu*, aliud nihil est, quam vis seu efficacia Euangelii, quod est *ministerium spiritus*, ut vocatur 2 *Cor.* III. 6. 7. 8. vel efficacia Spiritus S. quem Jesus Christus largitur in se credentibus. Quod apparet ex oppositione quam facit inter *legem spiritus* & *legem peccati & mortis*; ubi certum est, *legem peccati & mortis* non esse legem proprie dictam, quæ aliquibus hominibus sit lata, sed tantum efficaciam peccati & mortis, seu per ἐν διαθέσει, vim peccati mortiferam; sicut præced. *cap.* v. 23. *legis peccati* meminit, & v. 24. *corporis mortis.* Pari ergo ratione per *legem spiritus vitæ* intelligi debet ipsa vis & efficacia vitalis spiritus Dei, quæ se in credentibus & per Euangelium exerit. Per eam autem dicit Paulus se *liberatum esse à lege peccati & mortis*, id est, factum, ut peccatum, quod est mortis stimulus, 1 *Cor.* XV. 56. non amplius sibi dominetur; per consequens, mandata Dei non sibi amplius, ut antea cum esset carnalis venditus sub peccatum, observatu impossibilia esse. Quod autem de se dicit, de omnibus veris fidelibus vult intelligi, quorum hic repræsentat personam; sicut in præced. cap. eorum, qui erant sub lege, & quibus peccatum dominabatur. In sequentibus ergo verbis, *Nam quod erat impossibile legi*, &c. Paulus non vult significare, legem observatu esse impossibilem, sed impossibile fuisse ut homines per eam justificarentur. Hujus autem rei causa erat, quod nemo legem servaret, & quod non satis efficax esset ad carnis rebellionem domandum, eamque sibi subjiciendum. Quod significatur

his verbis, *eo quod infirmabatur per carnem*; quæ alii intelligunt de carne hominis infirma ad parendum; alii vero de promissis legis carnalibus; qui sensus nobis præcedente aptior videtur. cum lex non ita bene dici possit infirma reddi per aliquid quod extra ipsam est, & nihil de viribus ejus detrahit, quam per id quod in ipsa est. Cum ergo lex, si verba ejus expressa spectes, nihil aliud promitteret præter bona terrena, & nullam graviorem offensam remitteret; ab una parte desperandi materiam transgressoribus afferebat; ab altera cupiditates carnis potius excitabat quam reprimebat. unde dicitur *peccati virtus*, 1 *Cor.* XV. 56. Contra vero Euangelium per clara vitæ æternæ promissa, & omnium antecedentium peccatorum remissionem, quam vitam emendantibus promittit, viribus & animo ad observanda sua mandata implet. Et sic δικαίωμα τῦ νόμυ, id est, justitia quam lex ab homine requirit, *impletur in iis qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant*; quia etsi ante conversionem suam magnis se peccatis contaminarint, & post eam multis adhuc infirmitatibus sint obnoxii, à Deo tamen per immensam suam misericordiam, in Euangelio manifestatam, justi pronunciantur, & tanquam justi vitæ æternæ præmio donantur, quasi toto vitæ suæ tempore accurate legem servavissent.

XVIII. 6. Objicitur adversus possibilitatem divinæ legis, quod si quis eam implevisset, is ex operibus suis apud Deum justificaretur: id vero adversa fronte pugnare cum eo quod Paulus diversis epistolarum suarum locis docet, ut *Rom.* III. & IV. *Gal.* II. & alibi passim. Sed resp. 1. Hunc Apostolum, cum scribit neminem coram Deo justificari ex suis operibus, id intelligere præcipue de operibus ceremonialibus in lege Mosaica præscriptis; ut apparet ex historia controversiæ ea de re obortæ in Ecclesia Antiochena, *Act.* XV. ubi quidam ex secta Pharisæa ad Christum conversi dicebant Gentibus qui crediderant, *Nisi circumcidamini secundum legem Mosis, non potestis salvari.* De præceptis autem morum nulla unquam controversia fuit olim inter Christianos, utrum omnes ea servare tenerentur nec-ne. Id enim erat in confesso. Ad hanc enim controversiam respicere videtur Paulus in *Epist. ad Roman.* & *ad Galat.* aliisque locis, ubi contra justificationem ex operibus seu ex lege disputat; ita ut secundum eam omnia illa loca exponenda sint. 2. Sed quia rationes quædam, quibus Paulus errorem illum impugnat, videntur etiam ostendere Christianos necessitate observandi præcepta legis moralia à Domino Jesu esse liberatos, sciendum est etiam neminem à Deo justum pronunciari, aut tanquam justum vitæ æternæ præmio donari, quod perfecte in omnibus legem Dei servarit, adeo ut ab initio vitæ usque ad finem nullum unquam peccatum commiserit; qualis perfectio in eo requireretur, qui perfectiori sensu per legem justificari vellet, seu operibus suis æternam salutem acquirere.

XIX. Dupliciter enim homines per legem justificari potest intelligi, vel imperfectius, vel perfectius. Illi imperfectius justificabantur olim inter Israëlitas, qui nullo se graviori scelere, ex iis quibus lex pœnam mortis denunciabat, obstrinxerant; & pro levioribus delictis seu ignorantiis expiationes à lege præscriptas fecerant: ii enim non damnabantur à lege, sed contra, bonorum temporalium promissa, quæ continet, obtinebant. Sed ut perfectius quis justificetur per legem, & non tantum obtineat immunitatem à supplicio per homines infligendo, & promissa illa carnalia quorum spem facit; sed præterea vitam æternam, quæ per bona carnalia & terram Canaan in lege adumbrata fuit, oportet ipsum non solum purum esse à gravioribus sceleribus, sed etiam ab omni prorsus peccato, qualecunque id sit, & quidem toto vitæ tempore. Talem enim perfectionem in eo requiri, qui per opera salutem æternam adipisci vult, significat Paulus, quando dicit, *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, Rom.* IV. 4. Nam per *eum qui operatur*, necessario is debet intelligi, qui ita perfecte legem implet, ut nulla venia indigeat. Vitæ enim æternæ merces non promittitur sub alia conditione; ita ut si aliis detur qui illam conditionem non impleverint, id non secundum debitum, sed secundum gratiam ipsis tribuatur. Sed evidentius adhuc, cum subjicit, *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*; *v.* 5. & quidem *secundum propositum gratiæ Dei*, sicut addit versio vulgaris. Ubi per *eum qui non operatur*, liquet ipsum non intelligere eum qui nulla prorsus bona opera facit; alias sequeretur veros fideles nulla facere; quod absurdum est. Sed his verbis designavit eum, qui ita perfecte legem non implevit, ut mercedem sibi tanquam debitam postulare à Deo queat. Et quod dicit, *Deum justificare impium*, non debet referri ad impium qui adhuc in impietate sua perseverat: (Deus enim ejusmodi homines, quantumcunque de fide sua glorientur, non justificat, sed contra abominatur:) sed ad eum qui vitam in melius commutavit, etsi ante conversionem suam impius fuisset & variis sceleribus contaminatus. Eodem plane sensu, quo Jesus Christus Sacerdotibus & Senioribus populi dicebat, *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei, Matth.* XXI. 31. Intelligens non publicanos qui rapinas suas adhuc exercebant, aut meretrices quæ scortationibus suis adhuc indulgebant; sed eos qui fide monitis Joannis Baptistæ adhibita, se à pravis suis viis converterant; quod isti Sacerdotes & Seniores populi facere detrectaverant.

Etiamsi ergo aliquis unicum tantum peccatum toto vitæ suæ tempore commisisset, non posset ex operibus legis justificari perfectiore hoc sensu, quem significat Paulus, sed per gratiam Dei ex fide, propter redemtionem quam habemus in Christo Jesu. Proinde fac fidelem aliquem ab eo tempore quo veritatem cognovit, adeo perfecte legem implevisse, ut nullum deinceps amplius peccatum committat, non posset tamen per opera justificari, quia venia propter antecedentia peccata indigeret. Multo minus ergo illi ex suis operibus possunt justificari, qui adhuc variis infirmitatibus sunt obnoxii, & mandata Dei non adeo perfecte servant, quin venia adhuc indigeant; quales sunt plerique fideles, ad quorum ignorantias Deus secundum immensam suam misericordiam in novo fœdere manifestatam vult connivere.

XX. Cæterum omnia bona opera universim non debere ex justificatione hominis excludi, apparet ex eo quod docet Jacobus, Abrahamum justificatum esse ex operibus, quando obtulit filium suum Isaacum super altare; unde concludit *hominem justificari etiam ex operibus, & non ex fide tantum, cap.* II. *v.* 24. *& seqq.* Quod non est accipiendum, cum nonnullis, de justificatione coram hominibus. Ejusmodi enim justificatio ad salutem nihil prodest; quia illi hypocritas, quos Deus abominatur, pro justis ex charitatis judicio habere possunt. Apparet autem Jacobum hic agere de salute æterna, ex *v.* 14. ubi dicit, *Quid proderit, si fidem quis se dicat habere, opera autem non habeat, nunquid fides poterit salvare eum?* Sed dices, nisi ita exponamus hunc locum Jacobi, pugnabit cum Paulo & reliquis Scripturis, quæ fidem ad justificationem hominis coram Deo sufficere docent. Resp. Minime. Paulus enim non minus bona opera requirit ad salutem, ac proinde etiam ad justificationem, quam Jacobus. Dicit enim *Rom.* VIII. 13. *Si vixeritis secundum carnem moriemini; sed si spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis.* Nostra autem justificatio reipsa aliud nihil est, nisi sententia per quam Deus nobis salutem æternam adjudicabit. Et venia peccatorum, quam includit, nunquam nobis aliter quam sub veræ pœnitentiæ conditione promittitur. *Resipiscite & convertimini, ut peccata vestra deleantur*, inquit Petrus Judæis *Act.* III. *v.* 19.

CAPUT III.

De Sanctitatis Integritate, Sinceritate, & Constantia.

I. Integritas requirit, ut omnes virtutes colamus, & omnia vitia fugiamus. II. Ad damnationem sufficit uni solummodo vitio indulgere, sed ut sancti simus, omnes virtutes sectari oportet. III. Respondetur objectioni, quod quibusdam occasiones virtutis actiones exercendi desint. IV. Et quod quidam uni virtuti addicti, aliis vitiis indulgeant. V. Sinceritas passim nobis in Scriptura commendatur. VI. *Ex quibus indiciis ea agnoscatur.* VII. *Quæ nos ad eam incitare debeant.* VIII. *Constantiam in sanctitate esse necessariam.* IX. *Et esse possibilem.*

I. TErtium sanctitatis adjunctum est Perfectio seu Integritas; quæ in eo consistit, ut non unam tantum aut alteram virtutem colat, sed omnes; nec tantum ut ab uno aut altero vitio se contineat, sed ab omnibus. Unde dicuntur virtutes omnes sororio vinculo inter se connexæ, ita ut qui unam perfecte possideat, non possit aliis omnino esse destitutus. Et similiter vitia se mutuo comitentur, ut qui uni alicui est addictus non possit ab aliis plane esse immunis. Quod fit propter generalem tum virtutis tum v[itii] naturam, quæ integra in singulis illorum [spe]ciebus continetur. Nam cum virtus in sect[ando] honesto versetur, fieri nequit, ut qui h[one]stum ex animo in aliquo rerum genere [amet,] non in aliis itidem ejus rationem hab[eat.] [Et] cum vitium circa turpe occupetur, f[ieri] non potest, ut cui turpitudo in aliqu[o] [n]on displicet, ab ea in aliis omnibus serio abhorreat. Aliquando quidem contrarium fieri videtur, v. gr. ut qui temperans est in cibo & potu, indulgeat libidini; aut qui continet iram & vindictæ cupiditatem, vincatur ab avaritia. Sed si quis rem inspiciat propius, animadvertet facile illum, qui virtutem unam aut alteram colere est contentus, id non tam facere honesti amore, quam aliqua alia causa impulsum; & qui unum tantum aut alterum vitium fugit, id non tam facere ex odio turpitudinis, quam propter aliud quid. Nimirum id aut ab aliquo peculiari temperamento proficiscitur, aut ab occasione, aut à spe, aut à metu. Qui ergo vere vult esse sanctus, & tanquam talis à Deo haberi & tractari, is & omnes debet virtutes sectari, & omnia fugere vitia. Quod & faciet, si vere honestum amet & turpe oderit: cum omnium virtutum eadem sit ratio quæ unius aut alterius, quam in pretio habemus; & omnium vitiorum eadem pariter quæ illorum à quibus abhorrere videmur.

II. Hoc solum est discriminis, quod nemo apud Deum reputetur sanctus, nisi omnes virtutes sectetur. Sed uni soli indulgere vitio sufficit, ut quis ex illo gradu & existimatione decidat, & damnationi æternæ obnoxius fit. Quemadmodum inutile foret omnes urbis portas diligenter occludere hosti adventanti, si una aperta relinquatur per quam possit irrumpere. Istud non obscure docet Jacobus, cum dicit, *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis, cap.* II. 10. 11. Quorum verborum sensus non est, eum qui mœchus est, simul esse homicidam, aut contra; sed tantum, eum qui

..on veretur in uno horum legem ...re- pariter in alio n..n veriturum, si cupiditas ..m eo trahat, & occasio se offerat. Qui ..m ostendit in uno se legem non curare, & Deum legislator..m n..n timere, nihil amplius habe.. quod ipsum in o..icio contineat, quominus in omne scelus laxat.. habenis ruat. Atque ..ta, licet in uno tantum capite legem transgrediatur, merito apud Deum, qui malitiam cordis ejus novit, eodem loco habetur ac si universam transgressus foret. Cum ergo Scriptura aut observationi unius virtutis, aut abstinentiæ ab uno vitio, beatitudinem promittit, synecdochica est locutio, per quam uno nominato cætera quæ ejusdem sunt generis intelli..ntur. Hoc sensu Jesus Christus dicit, *Beati ..sericordes, quoniam ipsi misericordiam consequen..*. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, ..th. v. Item, *Si dimiseritis hominibus peccata eo.. dimittet & vobis Pater cœlestis delicta vestra*, vi. Et alia ejusmodi plura.

Sed contra objicitur 1. Cum virtu.. ...abitus crebris actionibus comparentur, fieri nequit ut quibus istas actiones exercendi occasio defuit, illos acquirant. Ita pauper, qui nihil habet quod alteri largiatur, nunquam poterit liberalitatis habitum sibi comparare. Qui in nullo unquam periculo est versatus, non poterit fortitudinis habitum acquirere. Et ita de cæteris. *Resp.* Verum quidem id esse. Sed nihilominus qui occasionibus destituentur particulares istas virtutes exercendi, satis multas semper habebunt ad se in honesti amore confirmandum: quo si animus semel bene sit munitus, cum res postulabit ad particularia facile descendet, in iisque nullum reperiet obstaculum quod non superet. Ita cum omnia sunt tranquilla, muniendum est pectus ad procellas adversitatum fortiter sustinendas; cum prospera utimur valetudine, muniendum est adversus morbos & mortem. Adversa enim, quæ raro aut semel tantum contingunt, non discimus ferre assuetudine ferendi; sed tantum frequenti meditatione, quomodo illa quando ingruent excipere & sustinere oporteat. Quidni ergo pauper, cujus animum virtutis amor occupavit, & præ ea totius mundi divitias nihili facit, possit apud se statuere quam liberaliter iis usurus sit, si forte inopinato sibi obveniant? Nec etiam liberalitas est virtus in eo requisita; quemadmodum neque fortitudo bellica in eo cujus professio est à bello aliena, qualis est Theologorum, Medicorum, Jurisconsultorum, & aliorum qui literas humaniores tractant. Denique ad virtutum, quas exercendi occasiones rarius se offerant, habitus comparandos, sufficit cavere ne quid unquam adversus eas pecces; ut apparet ex discrimine præceptorum jubentium & prohibentium, quorum illa semper quidem obligant, sed non ad semper; hæc vero semper & ad semper, seu omni tempore & loco.

IV. Objicitur 2. experientiam huic opinioni repugnare. Spartani enim fortes erant ac temperantes, sed injusti. Massilienses, justi ac temperantes, sed non fortes: Romani fortes ac justi, sed non temperantes. Similiter Alexander fortis fuit sed intemperans. *Resp.* 1. Nos hic agere de virtutibus quæ in Christiana religione præscribuntur, & ad salutem sunt necessariæ. Talis autem non est fortitudo bellica, qua carere absque culpa potest vir pius ac probus; imo quæ vix virtutis nomen meretur, nisi eam dirigat prudentia & justitia, docens quomodo & quando sit usurpanda. 2. Temperantia quæ laudatur in Spartanis, Massiliensibus, & justitia quæ laudatur in Massiliensibus & Romanis, non videntur fuisse in eo perfectionis gradu, ut ex solo honesti amore fuerint profectæ, sed aliunde originem habuisse, nimirum ex commodo aliquo temporali, quod inde ad ipsos redibat. Quin etiam justitia illorum & temperantia ita tantum sunt dictæ, per comparationem cum aliorum injustitia & intemperantia, non quod veræ virtut.. fuerint. Quod autem dicimus de virtutum inter se nexu, id intelligimus tantum de perfectis, si non absolute, saltem quales in hominem in hac vita cadere debent & possunt. Sed quod ad imperfectas attine.., nihil obstat quominus una absque aliis subsi..ere queat. Ita liberalitas interdum reperitu.. absque mansuetudine, vel contra; quia si formalem utriusque rationem spectes, ex t..o genere inter se differunt. Sed in perfectis virtutibus aliter se res habet; quia non potest esse perfectum propositum unam virtutem sectandi, in eo qui alias spernit, cum omnes in genere honesti conveniant, & honestum hic non possit amari, quin alibi pariter ametur.

V. *Quartum* sanctitatis adjunctum est Sinceritas, per quam significatur nihil ficti & simulati ei inesse debere, sed qualis exterius apparet, talem etiam interius & reipsa esse. Quidam putant eam commendari à Christo, cum dicit discipulis, ἀκέραιοι γίνεσθε ὡς περιστεραί, *Matth.* x. 16. quod vertunt, *Simplices*, vel *sinceri, estote ut columbæ*. Sed melius redditur *innocui*; quod requiritur quidem in sinceritate, sed ad eam constituendam non sufficit. Quare neque huc proprie pertinet quod Paulus dicit, *Volo vos sapientes esse in bono, simplices vero* vel *sinceros in malo*, *Rom.* xvi. 19. Eadem en.. ..n vox ἀκέραιοι hic occurrit. Et res ipsa ostend.. ..inus apte rei malæ applicari. Hoc enim solum intellixit Apostolus: Quod ad malum, volo vos sinceros esse, id est plane ab eo abstinere, & nemini nocere. Alii vero existimant ἀκέραιον idem esse quod incorruptum; quomodo Petrus 1 *Epist.* ii. 2. vult fideles tanquam modo genitos infantes rationale lac & ἄδολον, id est, non vitiatum aut adulteratum, nempe verbi divini, concupiscere, ut per illud crescant ad salutem. Quod etiam in sinceritate locum habere debet,

debet, sed illam non perficit. Longe melius insignitur nomine ἀληθείας seu veritatis. Hoc sensu dicit Joannes in 3 *Epist.* de Gaio, *Gavisus sum valde venientibus fratribus & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. Majus horum non habeo gaudium, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Vocatur etiam τὸ γνήσιον, id est, ingenuitas. Ita Paulus scribit *Corinth.* 2 *Epist.* VIII. 8. *Vestræ charitatis ingenuum bonum comprobans*, id est sinceritatem. Sed maxime proprie appellatur εἰλικρίνεια. Sic in eadem Epistola *cap.* I. *v.* 12. Paulus testatur se *in simplicitate & sinceritate Dei conversatum esse in mundo*, & præcipue inter Corinthios. Ubi per *sinceritatem Dei* intelligitur sinceritas Deo placens, seu cujus Deus & auctor & approbator est. Secundum illud quod David dicit de Deo *Psal.* LI 8. *Ecce veritatem dilexisti*, id est sinceritatem. Ea est præcipuum sanctitatis condimentum, sine qua omnes ejus actiones externæ nihil aliud sunt nisi larva & umbra. Sinceritas enim est qua nos Deo approbare studemus, potius quam hominibus. Is autem est cordium inspector & scrutator. *Homo videt ea quæ apparent, Dominus autem intuetur cor:* ut ipse Samueli dicit, 1 *Sam.* XVI. 7. Id requirit Christus in eleemosynis nostris, *Attendite*, inquit, *ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*, *Matth.* VI. 1. postea de ea quæ occulte fuerit facta subjungit, *Pater tuus qui videt in occulto, reddet tibi palam.* Idemque observari debet in precibus, jejunio, aliisque ejusmodi sanctitatis actionibus, è quibus illi, qui solide non sunt pii, laudem solent captare coram hominibus. Si fieri enim potest, cavendum ut nihil horum ad hominum notitiam perveniat, nisi quod illos celare nequimus, & quod ad prælucendum iis exemplo utile est. Hucque etiam pertinet præceptum quod Paulus dat servis: *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus*, *Coloss.* III. 23. Idem enim nobis omnibus, qui servi Domini sumus, non hominum, 1 *Cor.* VII. *v.* 23. observandum. Ab eo quippe solo mercedem sinceræ nostræ pietatis expectamus in cœlis, non ab hominibus.

VI. Ea agnoscitur 1. inde, si non in præsentia tantum eorum qui nostras actiones inspiciunt, sed etiam cum absunt, illi studeamus. Ad quod Paulus adhortatur Philippenses, *Charissimi mei (sicut semper obedistis) non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini*, *cap.* II. *v.* 12. 2. Si non in prosperis tantum Deo adhæreamus, quod Satan exprobrabat D. Jobo apud Deum; sed etiam in adversis: ut sanctum istum virum fecisse ostendit liber qui nomen ipsius præfert, præsertim *cap.* I. & II. 3. Si non abstineamus tantum ab eo quod manifeste est malum, & nulla ratione excusari potest; sed etiam ab omni specie mali, ut monet Paulus 1 *Thess.* V. 22. id est, ab eo quod aliquam cum malo habet affinitatem, & tale videri potest, fratrique offendiculum præbere; licet forte revera non sit malum. Qui enim huc usque in sanctitate profecit, de eo potest dici, in ipsius spiritu non esse dolum, *Psal.* XXXII. 2.

VII. Ad eam nos incitare debet 1. Quod sciamus nobis rem non esse cum hominibus, quos externa sanctitatis apparentia decipere possumus; sed cum Deo, cui imponi non potest, cujusque oculis omnia sunt nuda & aperta, *Hebr.* IV. 12. Ipse enim dicit, *Ego Dominus, scrutans cor, & probans renes; qui do unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum*, *Jerem.* XVII. 10. 2. Quod nihil sit fœdius corde ficto, quod aliud videri vult, quam revera est; quasi putaret se imponere posse Deo, sicut non raro facit hominibus. Contra quod notandum est illud Pauli, *Non qui in manifesto, Judæus est; neque quæ manifesto in carne, circumcisio est; sed qui in abscondito, Judæus est; & circumcisio cordis, in spiritu, non in litera; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo*, *Rom.* II. *v.* 28. 29. quod de cæteris quoque similibus intelligendum est; ubi in approbatione hominum acquiescere, seipsum turpiter & periculose seducere est. Hæc est simulatio & hypocrisis, veræ sanctitatis pestis, & tanto ab ea alienior, quanto ei similior esse putatur. Qualis est eorum, *Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt*, ut cum poëta. *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, *Tit.* I. 16. & 2 *Tim.* III. 5. *habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Exemplum ejus insigne habemus in Judæis, de quibus Deus ipse conqueritur, *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis honorat me, cor autem suum procul amovet à me*, *Esa.* XXIX. 13. Quod etiam in eos, qui suo tempore vivebant, ostendit Dominus Jesus quadrare, *Matth.* XV. 8. Et in Scribis & Pharisæis, quibus exprobrat, quod percolarent culicem, deglutirent autem camelum; quod mundarent quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni essent rapina & immunditia; quod similes essent sepulcris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia, &c. *Matth.* XXIII. 25. & *seqq.* Tales homines ut videantur sancti, solent acerrimi esse reprehensores vitiorum quæ in aliis animadvertunt, de suis plane securi; volunt ejicere festucam ex oculo alieno, & trabem quam in suo habent non conspiciunt, *Matth.* VII. Ceremonias externas & alia quædam levicula legis diligenter observant, præcipua autem negligunt. Decimant mentham & anethum & cyminum, & quæ graviora sunt legis relinquunt, judicium & misericordiam, *Matth.* XXIII. 23. Hoc genus hominum maxime abominationi solet esse Deo, quem una cum hominibus simulatione

sancti-

sanctitatis decipere velle videntur. *Abominabile Deo cor pravum, & voluntas ejus in iis qui simpliciter ambulant*, *Prov.* XI. 20. Illisque exprobrat Deus, *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum*, *Psal.* L. 16. 17. Gravissime id punitum est, morte extemporanea & impravisa, in Anania & Sapphira, qui liberalitate sua fucata sperabant imponere se posse Spiritui S. seu Apostolis per eum loquentibus, *Act.* V.

VIII. *Quintum* sanctitatis adjunctum est constantia, quæ consistit in eo, ut usque ad finem vitæ perseveret. Ea est velut columna totum sanctitatis ædificium sustentans, qua sublata ipsum ruere necesse est. Et requirit, ut perpetuo & absque defatigatione in bene & sancte vivendi proposito continuemus; nec id tantum, sed etiam ut actu, sine interruptione, virtutis actiones exerceamus, & quotidie majores progressus faciamus, donec cursum vitæ absolverimus. Quam illa necessaria sit Christiano homini, patet ex variis rationibus. 1. Nobis præcipitur ut perseveremus in sanctitate; quin autem summopere sit necessarium mandatis Dei parere, si in ejus gratia permanere cupiamus, nemo est qui dubitet. *Manete in me*, inquit Christus, *Joan.* XV. 4. id est, adhærere semper mihi & meæ doctrinæ, eamque observate. Et Paulus 1 *Thess.* IV. 3. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Quod autem vult seu præcipit semel ut faciamus, id perpetuo facere nos oportet, nisi ipse à sui mandati obedientia nos liberaverit. 2. Deus promittit nobis, si constantes simus in bono isto proposito, se nos favore & gratia sua prosecuturum. *Si ambulaveritis in præceptis meis & mandata mea custodieritis & feceritis ea; ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester & vos eritis populus meus*, *Levit.* XXVI. *v.* 3. 11. 12. quod repetitur à Paulo & Novi Testamenti temporibus applicatur 2 *Cor.* VI. 16. Similiter Dominus Jesus, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (nempe constanter & usque ad finem) *& Pater meus diliget ipsum, & veniemus ad ipsum, & mansionem apud ipsum faciemus*, *Joan.* XIV. 23. Item, *Si mandata mea servaveritis manebitis in dilectione mea; sicut & ego Patris mei mandata servavi, & maneo in ejus dilectione*, *Joan.* XV. 10. 3. Gratiæ & dilectionis Dei & Christi fructus amplissimus est salus ac vita æterna, constantiæ nostræ in bono quoque promissa. *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit*, *Matth.* X. 22. & XXIV. 13. Vide etiam *Rom.* II. 6. 7. *Apoc.* II. 10. 26. in quo postremo loco occurrunt voces istæ emphaticæ, *qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea*; quæ egregiam illius constantiæ quam commendamus descriptionem continent. Nempe quia fides nostra à multis variisque hostibus impetitur, pugnandum est adversus illos & victoria reportanda, si vitæ coronam velimus obtinere; ita ut neque prosperis rebus deliniti, neque adversis fracti, à recto tramite unquam deflectamus, aut opera Christi, id est, quæ nobis tam diligenter commendavit & sibi placere ostendit, facere desinamus. 4. Si inconstantes simus in sanctitatis studio, multa ex opposito nos damna & infortunia manent. *Justus ex fide vivet. At si se subduxerit* (nempe ex fide) *non probat eum anima mea*, inquit Deus apud *Habac.* II. 4. Et repetit inde Apostolus *Hebr.* X. 38. nec proderit quicquam sanctimoniæ aliquam antea operam dedisse, & ea de causa Deo placuisse. Ita enim ipse loquitur apud Prophetam, *Etiamsi dixero justo quod vita vivet, & is confisus in sua justitia fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate sua quam operatus est in ipsa morietur*, *Ezech.* XXXIII. 13. Prout etiam contingit inter homines, ut nulla ratio habeatur officiorum, quæ aliquis Regi suo aut reipublicæ exhibuerit, si postea à fide jurata deficiat, & cum hostibus consilia ut proditor inire deprehensus fuerit. Indeque est quod dicit Apostolus, *Si negaverimus* (nempe Christum) *& ille negabit nos*, 2 *Tim.* II. 12. Quid autem illi qui à Christo agnitus non fuerit aliud potest contingere quam confusio & ignominia in ultimo illo die? *Quem puduerit mei & meorum sermonum, ejus quoque pudebit filium hominis*, &c. *Luc.* IX. 26. Eadem autem est omnium illorum ratio, qui usque ad finem non sunt in officio erga Deum & Christum constantes, quamvis ex alia causa quam ex ejusmodi pudore defectio ipsorum proficiscatur. *Illis enim, qui non perseverant in bono opere, sed sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati*, (sive veritatem nunquam fuerint amplexi, sive postmodum ab ea cognita desciverint) *erit ira & indignatio*, *Rom.* II. 7. 8.

IX. Quemadmodum autem constantia in sanctitatis studio est necessaria, ita eadem per Dei gratiam & auxilium est possibilis; ut sequentes rationes ostendunt. 1. Deus & Christus qui illam præcipiunt, nobis ad ipsorum opem confugientibus adsunt, ut quod jubent facere possimus. Quod significat Paulus, dicens, *Omnia possum in Christo qui me confortat*, *Philipp.* IV. 13. vel, ut habet vulgata versio, *in eo qui me confortat*, nomine Christi non expresso, ut tam ad Deum Patrem quam ad Christum id referri queat. Inter omnia autem illa quæ poterat, proculdubio continetur quoque constantia, sine qua bene incepisse inutile foret. 2. Fideles *regeniti sunt non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili, per sermonem Dei viventis & permanentis in æternum*, 1 *Petr.* I. 23. vel, per sermonem Dei vivum & permanentem in æternum. Utroque enim modo exponi possunt Græca, διὰ λόγου Θεοῦ ζῶντος καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα: quæ etiamsi referantur ad Deum, nihilominus manet quod semen illud verbi

divini

divini sit incorruptibile, ac proinde non tantum idoneum sit ad inchoandam in nobis sanctitatem, sed eam etiam perficiat; nempe, nisi nobis ipsi desimus. Unde Joannes, *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quia ex Deo natus est*, 1 *Epist.* III. 9. Quod non est accipiendum, ut nonnulli faciunt, etiamsi regeniti incidant in gravia peccata, ut idololatriam, adulterium, homicidium, &c. nihilominus illos manere regenitos & ex Dei gratia nunquam excidere. Falsissimum enim est illud. *Nemo vos seducat*, inquit paulo ante Joannes, *Qui facit justitiam, justus est, sicut & ille* (Christus) *justus est. Qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Nemo autem simul ex Deo & ex Diabolo esse potest. Et *quicunque opera carnis patrant regnum Dei non consequentur*, *Gal.* V. 19. Sed Apostoli mens est, illum qui ex Deo natus est, quatenus ex principio regenerationis suæ operatur, non posse peccato servire; sicut dicimus eum qui liberalis est, non posse sordide se gerere; qui temperans, non posse gulæ aut libidini indulgere. non quod absolute non possint in talia peccata labi; sed quia cum lapsi sunt, non se, ut liberales aut temperantes solent & convenit, gesserunt. 3. Nihil est quod fideles à sancto suo proposito possit dimovere, modo ipsi sibi diligenter caveant. Non Diabolus. Quamvis enim Petrus dicat, *Adversarius noster tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret:* Et ita magnum inde periculum nobis imminere ostendat, tamen ad nos animandos addit; Sed *resistite ei, fortes in fide.* 1 *Epist.* V. 8. significans nos, si fortiter diabolo resistamus, facile de illo victoriam reportare posse. Quod etiam Jacobus docet *cap.* IV. *v.* 7. *Subditi estote Deo, resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Unde apparet, non adeo metuendum esse illum hostem, quandoquidem ab iis qui resistunt fugari potest. Neque mundus. *Omne enim quod natum est ex Deo vincit mundum; & hac est victoria qua vincit mundum, fides nostra*, &c. 1 *Joan.* V. 4. Neque denique persecutiones, quibus Diabolus & mundus constantiam nostram impetunt: *Quis separabit nos à charitate Christi? an tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* &c. *Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos*, &c. *Rom.* VIII. 33. *& seqq.* Et quando Deus consultum judicat nos ejusmodi tentationibus exponere, ita attemperat eas, ut non difficile sit constanter ferre. *Tentatio vos non apprehendit, nisi humana; fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione exitum, ut possitis sustinere*, 1 *Cor.* X. 13. Hic nullum nobis ipsis periculosiorem hostem habemus. Itaque semper orare & vigilare debemus ne incidamus in tentationem. Sic Dei auxilio freti, qui dixit, *non deseram te, neque derelinquam te*, *Hebr.* XIII. 5. semper de omnibus constantiæ nostræ hostibus certam sumus victoriam reportaturi.

CAPUT IV.

De Scientia.

I. *Virtutes Sanctitatis directrices sunt Scientia & Prudentia.* II. *Quid sit Scientia.* III. *Quomodo ea comparetur.* IV. *Capi non potest, nisi à modestis.* V. *Est vel rudior vel perfectior.* VI. *In excessu contra scientiam peccat curiositas, cujus quinque recensentur species.* VII. *Scientiæ proprietas est, ut sit efficax, cui opponitur inefficax.* VIII. *Item ignorantia: quæ dividitur 1. in ignorantiam puræ negationis & pravæ dispositionis.* IX. *2. In simplicem & affectatam.* X. *Quomodo Scientia sit comparanda.* XI. *Quid ad eam comparandum nos incitare debeat.*

I. VIrtutes speciales, quibus Sanctitas constat, commode in duo summa genera distribuuntur: aliæ enim sunt dirigentes, aliæ directæ. Virtutes dirigentes sunt eæ, quæ cæteras gubernant & moderantur, ita ut absque illarum ope nulla virtus ad perfectionem debitam pertingere possit. Eæque sunt duæ, nempe Scientia & Prudentia; quæ oculorum instar inserviunt animæ Christianæ ad illam in sanctitatis cursu dirigendam. Confunduntur quidem sæpe in Sacris literis & inter se permutantur istæ voces; sed tamen iis diversas res significari ex mox dicendis apparebit.

II. Scientia est virtus intellectualis, qua res ad salutem nostram necessarias cognoscimus, aut si eas nondum satis perceperimus, operam damus ut cognoscamus. Eæ autem tribus istis capitibus summatim comprehendi posse videntur, nempe mysteriis fidei credendis, præceptis observandis, & promissis firma spe exspectandis. Quicunque enim tria ista novit, nihil quod ad beatitudinem suam faciat ignorat. De hac virtute accipiendum est quod dicit Paulus, *Christum nobis factum esse à Deo sapientiam, justitiam, sanctificationem & redemtionem*, 1 *Cor.* I. 30. id est, auctorem sapientiæ, justitiæ, &c. ad salutem requisitæ. Eodemque sensu tradit *in Christo*, id est, in ejus Euangelio, *esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos*, *Coloss.* II. 3. Vocatur etiam scientia, cognitio, notitia, ut in diversis Novi Test. locis videre est.

III. Cum autem ab ea salus nostra æterna pendeat, negligi à nemine sine magna culpa pariter & damno potest. Itaque ad illam comparandum accedere oportet ad Deum qui est *Pater luminum, à quo procedit omne datum optimum, & omne donum perfectum*, *Jac.* I. 17. *Si quis vestrum*, inquit idem, *indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*, *cap.* I. *v.* 5. Ubi circumstantia loci docet quidem vocem *sapientiæ* in strictiore significatione illic accipi, pro virtute qua erudimur ad afflictiones Christi causa patienter ferendum. Sed cum par sit ratio omnium eorum quæ ad religionem Christianam pertinent, evidens illum errare non posse, qui apud Deum, veræ sapientiæ unicum

cum fontem, eam quærit. Ab ipso petit Paulus, ut det Ephesiis *spiritum sapientiæ & revelationis, illuminatos oculos cordis, ut sciant quæ sit spes vocationis ejus*, &c. *Ephes.* I. 17. Quia autem qui petunt aliquid à Deo, debent uti mediis quæ præscripsit, si id velint impetrare, non vero expectare donec otiosis ipsis dona sua de cœlo infundat: consulendæ sunt ante omnia S. Scripturæ, quæ instar thesauri inexhausti omnia veræ sapientiæ præcepta continent. De his enim literis pronunciat Paulus, ipsas Timotheum *sapientem reddere* σοφίσαι *posse ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu*, 2 *Tim.* III. 15. Quod videtur quidem præcipue intelligere de libris Veteris Instrumenti, quia tempore infantiæ Timothei, cujus ibi fit mentio, pauci adhuc Novi Test. libri erant conscripti. Sed inde tanto evidentius colligitur, quanta sapientia hauriri possit ex his quibus continetur Euangelium, nobis è sinu Patris à Christo allatum & revelatum. De quo dicebat Paulus, *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, Coloss.* III. 16. Eratque Euangelium illud, cujus ipse præco constitutus fuerat à Deo. Ad quod respiciens dicit Corinthiis: *Sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*, &c. 1 *Cor.* II. 6. *& seqq.*

IV. Quæ sapientia non potest capi, nisi à modestis & qui demisse de seipsis sentiunt; ut discimus ex verbis Christi Deo Patri suo dicentis, *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: Ita Pater, quia sic fuit placitum ante te*; seu beneplacitum, εὐδοκία, *Matth.* XI. 25. Ubi per *sapientes & prudentes* non intellexit eos qui revera tales erant; sed qui opinione sapientiæ & prudentiæ suæ turgebant, licet in mysteriis divinis, quæ sensu suo carnali metiebantur, nihil omnino intelligerent. Ita apparet beneplacitum divinum, ad quod Christus istud refert, non esse decretum absolutum & inconditionatum; sed tale quod respectum aliquem haberet ad qualitates hominum; ab una quidem parte ad superbiam & præsumtionem, quæ impediebat quosdam ne intelligerent mysteria regni cœlorum, aut Christum *illa enarrantem audire vellent*: ab altera vero ad demissionem animi & humilitatem; qua præparabantur & quasi subigebantur animi aliorum, ut ea libenter à Christo audire & discere vellent. Et quod dicit *Patrem suum mysteria sua abscondisse sapientibus & prudentibus*, idem est ac, non revelasse; ne quis putet illos ἀγχινοίᾳ seu sagacitate sua eo potuisse quidem penetrare, sed Deum invidentem ipsis tantam cognitionem, id impedivisse. Præterea hæc Christi gratiarum actio respicit potius revelationem factam parvulis, quam occultationem à sapientibus. Eadem loquendi formula, qua videmus usum esse Paulum, cum dicit, *Gratias Deo quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis. liberati autem à peccato servi facti estis justitiæ*, *Rom.* VI. 17. 18. Ubi, ut existimo, nemo ita erit imperitus phraseos Scripturæ, ut putet Apostolum gratias agere Deo, quod Romani alias fuissent ante conversionem suam servi peccati; in quo nulla erat causa gratiarum actionis, sed potius deplorationis miseriæ; cum perinde id sit, ac si dixisset, Gratias ago Deo, quod cum alias servi fueritis peccati, nunc obedivistis in eam formam doctrinæ in quam traditi estis, &c. Similiter igitur in loco *Matth.* XI. Christus celebrat Deum, quod cum mysteria Euangelii, ad quæ revelanda humano generi venerat, essent abscondita sapientibus hujus sæculi, quos superbia impediebat ne ea caperent, Deus ex mera gratia ea revelasset humilibus & docilibus; & sic ab omnibus universim non contemnerentur, sed quidam saltem, licet pauci, illa avide amplecterentur, & salutariter intelligerent.

V. Hujus sapientiæ seu cognitionis diversi sunt gradus, secundum quos alia dicitur esse rudior, alia vero perfectior. Rudior cognitio est, cum aliquis tantum tenet rudimenta religionis Christianæ quæ ad salutem absolute necessaria. Ea lacti comparatur à Paulo, ubi dicit Corinthiis, *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis*, 1 *Cor.* III. 2. Item *Hebr.* V. 12. 13. Vocatur quoque *sermo initii Christi*, *Hebr.* VI. 1. Perfectior vero est, cum aliquis etiam abstrusiora religionis mysteria novit. Ad eamque toto conatu est aspirandum; ita ut quantum imbecillitas ingenii ferre potest, nihil nobis sit in Sacris literis revelatum, quod non intelligere laboremus. Non est quidem reprehendenda rudior illa cognitio in iis qui primo ad Christum accedunt. Fieri enim nequit ut statim atque incipiunt cognitione sint perfecti. Sed turpe est diu hærere in rudimentis; ut faciebant Hebræi illi, quibus Apostolus exprobrat, *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei; & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo*, &c. *Hebr.* V. 12. *& seqq.* Eaque de causa alibi dicit, *Nolite pueri effici sensibus; sed malitia parvuli estote; sensibus autem perfecti estote*, 1 *Cor.* XIV. 20.

VI. Sic autem requiritur perfecta cognitio mysteriorum fidei in Christianis, ut tamen excludatur omnis curiositas; quæ adversus sapientiam peccat in excessu, ut ignorantia in defectu. Hujus curiositatis variæ sunt species. Prima est cum illa scire cupimus quæ Deus in verbo suo non patefecit, ex. gr. ea quæ pertinent ad naturam Angelorum, aut ad statum futuri sæculi. Contra quam attendendum est ad istud Mosis monitum, *Abscondita, Domino Deo nostro*, supple relinquenda; *quæ manifesta sunt*, supple revelavit, *nobis & filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus*, *Deuter.* XXIX. 29. Et Salomonis, *Gloria Dei est celare verbum, & gloria regum investigare sermonem*, *Proverb.* XXV. 2. Altera est, cum illa scire volumus, quæ ad alios spectant,

ctant, ad nos nequaquam. Qua in re peccabat Petrus, cui cum Christus significasset ipsum aliquando pro nomine suo cruentam mortem oppetiturum, interrogavit de Joanne, *Domine hic autem quid?* Unde merito hoc responsum tulit, *Si volo eum manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere, Joan.* XXI. 18. *& seqq.* Tertia est, cum desideramus illa nosse, quæ nobis cognitu (saltem pro isto tempore) non sunt necessaria. Ut cum discipuli Jesu interrogabant eum paulo antequam ascenderet in cœlum, *Domine, an in tempore hoc restitues regnum Israël?* Quos isto responso compescuit, *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate, Act.* I. 6. 7. Quarta est, cum scrutamur ea quæ rixas pariunt, & magis necessaria negligimus. A qua Paulus deterret Timotheum, *Stultas & ineruditas quæstiones devita, sciens quia generant lites,* 2 *Tim.* II. 23. Et Titum, *Stultas quæstiones, & genealogias, & contentiones & pugnas legis devita: sunt enim inutiles & vanæ, Tit.* III. 9. Tales sunt multæ, de quibus acriter disputatur hodie, ut de natura Dei & de ejus decretis: præsertim ab iis, qui videntur parum pensi habere voluntati Dei obsequi, & pacem cum omnibus sectari. Quinta est eorum, qui non acquiescentes iis quæ Deus nobis de voluntate sua revelavit, inquirunt in ejus causas, aut etiam adversus ipsum quasi minus æque se gereret contendunt & murmurant. Quales erant Judæi, qui audientes ex Paulo & aliis Apostolis, Deum nolle eos justificare, qui justitiam suam quærebant ex operibus legis, sed eos solum qui in Christum credebant, sine discrimine sive Judæi, sive Gentiles essent, adversus eum murmurabant. Quos graviter Apostolus reprimit, *ô homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicet figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic?* &c. *Rom.* IX. 20.

VII. Proprietas primaria sapientiæ Christianæ hæc est, ut sit efficax, id est non consistat in nuda contemplatione, aut in sterili proposito faciendi ea quæ facienda esse novit, sed ea opere ipso exsequatur. Tunc autem solet esse efficax, cum assidue quæ sunt officii nostri ad cor revocamus, & ita profunde imprimimus, ut radices firmas agant, ex quibus deinde omnis generis boni fructus procedunt. Talis est quæ nobis commendatur à Christo in celebri illo loco *Joan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te* (Pater) *solum verum Deum cognoscant, & quem misisti Jesum Christum.* Nec enim tam excellens bonum atque est vita æterna alii cognitioni promissum est quam efficaci, quæ cum præceptorum Dei observatione conjuncta est, prout ipse alibi docet: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum, Matth.* VII. 21. Idemque inculcat Joannes; *In hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse Deum & mandata ejus non custodit, mendax est, & in eo veritas non est,* 1 *Epist.* II. 3. 4. Quibus adde *v.* 9. 10. 11. ubi is, qui fratrem suum odit, dicitur non esse in luce, sed in tenebris ambulare. Huic opponitur cognitio inefficax, nomine sapientiæ omnino indigna. Qualis est eorum, de quibus loquitur Paulus, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominandi, contumaces, & ad omne bonum opus reprobi, Tit.* I. 16. Item illorum, quibus Christus dicet in ultimo die, *Nunquam novi vos. discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, Matth.* VII. 22. 23. Quod autem cognitio ista in quibusdam hominibus est inefficax & sterilis, non inde semper proficiscitur, quod sit minor quam in aliis in quibus bonorum operum fructus producit. Interdum enim plane aliter se res habet, nimirum ut sint quidam qui multum habeant scientiæ, parum autem conscientiæ; & contra, quidam sint exigua cognitione præditi, qui alios se longe doctiores pietate antecellant. Cujus discriminis hæc unica est causa, quod alii firmam fidem divinis promissis & minis adhibeant, alii vero minime. Cognitio enim, quantumvis magna, absque ejusmodi fide nullarum plane est virium ad permovendam voluntatem; sed cum fide, etiam exigua cognitio, multum potest. Quod experientia quotidiana docet. Quare qui cognitione supra cæteros eminent, semper ejus debent meminisse quod Paulus dicit 1 *Cor.* XIII. 1. 2. *Si linguis loquar hominum & angelorum* &c. *Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Et cogitare illud Jacobi, *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi, cap.* IV. *v.* 17. Imo majus peccatum, & graviore pœna dignum; quia ut dicit Dominus Jesus, *Servus qui noverit voluntatem Domini sui & non fecerit eam, pluribus plagis vapulabit,* quam qui ignoravit. *Luc.* XII. 47. Quod Paulus etiam demonstrat exemplo Ethnicorum, *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificarunt aut gratias egerunt;* quos *Deus tradidit in desideria cordis eorum* &c. *Rom.* I. 21. *& seqq.* & Judæorum, qui *gloriabantur in Deo, & noverant voluntatem ejus, imo confidebant se esse duces cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt* &c. & tamen causa erant sua improbitate *ut nomen Dei blasphemaretur inter Gentes, Rom.* II. 17. *& seqq.* Cum autem tantum ex cognitione practica seu efficaci redundet bonum, & ex opposito tantum malum, quale videmus, & theoretica seu inefficaci, merito illi in S. literis dicuntur sapientes, qui id quod norunt in religione ad praxin deducunt, & insipientes qui id facere negligunt. Qua de re sufficiet inspicere verba illa Christi, quibus sermonem suum in monte habitum concludit, *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram,* &c. *Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam,* &c. *Matth.* VII. 24. *& seqq.* Vide etiam plura ejusmodi loca ex *Proverb. Salom.*

Salom. & nominatim *cap.* I. *&* II. ubi hujus sapientiæ utilitas & insipientiæ noxa prolixe declarantur.

VIII. Non tantum autem insipientia hæc practica sapientiæ est opposita, sed etiam ignorantia capitum fidei, sine quorum cognitione nemo ad salutem pervenire potest; qualia sunt præcipue, quæ nos Deus velit facere aut vitare; & quæ præmia obedientibus promittat, & pœnas rebellibus intentet. Ea distingui solet 1. in ignorantiam puræ negationis & pravæ dispositionis; quarum illa est, cum aliquis simpliciter ignorat quid sui sit officii, & quomodo se tum erga Deum, tum erga proximum, tum erga seipsum gerere debeat. Et reperitur in omnibus pueris antequam in religione sint instituti; item in quibusdam Ethnicis, qui nihil de Deo aut ejus cultu audiverunt; quanquam pauci ejusmodi sint. hæc vero est, cum quispiam falsa opinione est imbutus; ut si existimet idola gentium esse Deos, quibus cultus divinus debeatur, scortationem esse licitam, aut polygamiam, aut vindictam, aliaque ejusmodi plura. Quin vero posterior ignorantia, priore sit deterior, nullum est dubium; in illa enim habitus tantum novus est acquirendus; in hac vero vitiosus habitus est exuendus, antequam bonus & honestus indui possit. Et quemadmodum in pura charta non est difficile aliquid inscribere, in ea vero quæ jam scriptura est plena, vix aut ne vix quidem; ita hic se res habet.

IX. 2. Ignorantia distinguitur in simplicem ignorantiam & affectatam; quarum illa magnam affinitatem habet cum ignorantia puræ negationis; hæc vero cum ignorantia pravæ dispositionis. Simplex non caret quidem omni vitio, præsertim in iis qui potuerunt ab ea liberari, si eam quam par est diligentiam adhibuissent; & qui ingenii dotes à Deo acceptas in rebus ad hanc vitam pertinentibus, quam in divinis, collocare maluerunt. Sed est tamen quodammodo excusabilis, præ ignorantia illorum, qui oculos ad lumen quod ipsis præferebatur voluntarie clauserunt. Id enim aliunde quam ab insigni malitia non est profectum, quod veritatem, quæ ipsorum scelera redarguebat, odissent. Qualis objicitur à Jesu Christo Judæis; *Hoc est judicium quod lux venerit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim mala eorum opera* &c. *Joan.* III. 19. Ejusmodi erat quoque Ethnicorum illorum, de quibus Paulus dicit, *Eos non probavisse Deum habere in notitia, Rom.* I. 28. id est, quod non placuerit ipsis Deum & ejus voluntatem nosse; quod tamen propter excellentiam & utilitatem ipsis supra omnia mundana placere debebat. Ideoque gravi pœna à Deo sunt puniti, tradente eos in reprobum sensum, ut facerent ea quæ non conveniunt, sicut ibidem addit. Nec mirum. Nam etiam ad ejusmodi voluntariam ignorantiam ulciscendam Christus aliquando descendet de cœlo in flamma ignis, qua conflagrabunt ii *qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Euangelio,* 2 *Thess.* I. 8. nempe sibi annunciato, & malitiose contemto & repudiato. Quis ergo hic cum Salomone non exclamet; *usquequo simplices diligetis simplicitatem, & derisores derisionem desiderabunt sibi? & stulti odio habebunt scientiam, Prov.* I. 22. Quod in eos potissimum quadrat, qui de fortiori, quam sint vulgaria, ingenio gloriantes, omnem religionem contemnunt & irrident. Cujusmodi erant illi, quorum impios sermones Petrus refert, *Ubi est pollicitatio adventus ejus?* &c. Et graviter reprimit, dicens, *Illud sponte ipsos latet*, &c. 2 *Petr.* III. 4. 5. quasi digitum ulceri ipsorum admovens, & fontem mali detegens, nimirum voluntariam & affectatam ignorantiam eorum, quæ si attendere libuisset, facile poterant cognoscere. Hic etiam agendum foret de altero sapientiæ opposito, nempe de sapientia hujus mundi, terrena, animali, & de quibus fit mentio in Scripturis. Sed quia istud melius conveniet cum tractatione de prudentia, eo usque differendum existimavi.

X. Cum autem tantum in vera sapientia & cognitione situm sit, ut ex præcedentibus apparuit, addendum iis adhuc aliquid de modo eam comparandi. Igitur præterquam quod à Deo sit petenda, & in ejus verbi assidua meditatione quærenda, ut supra monuimus, pietatis oportet nos esse studiosos & Deum timere, ut eo pertingere queamus. Nam *secretum Domini timentibus eum, & pactum suum illis notum faciet*, *Psal.* XXV. 14. perinde videl. ut inter homines usu venit, qui arcana sua non patefaciunt nisi fidissimis amicis: quo pertinet Solomonis monitum *Proverb.* XVII. 9. Idem nos etiam docet D. Jesus, *Si quis voluerit voluntatem ejus* (Dei) *facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar, Joan.* VII. 17. tacite indicans, quænam esset causa cur Judæi ex sua doctrina nullam utilitatem caperent; nempe quia alii accedebant ad ipsum calumniandi studio, alii curiositatis explendæ causa; pauci vero admodum ex desiderio discendi, & voluntati Dei sibi cognitæ obediendi. Si quis ergo ita sit animatus, ut voluntatem Dei cupiat facere, Deus non permittet ipsum ignorare doctrinam eorsum necessariam; sed aperiet oculos intellectus ipsius, ut discernat inter doctrinas humanas, quæ in avia ducunt, & eam quæ à Deo est, per quam illi obtemperando salutem consequatur. Renunciandum etiam cupiditatibus carnalibus, avaritiæ, ambitioni, gulæ, libidini, & aliis similibus, quæ aditum obstruunt sapientiæ. Quoniam *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, Sap.* I. 4. Id erat vitium Gentilium, de quibus Paulus dicit, eos *ambulare in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum* &c. *Eph.* IV. 18. Unde fit ut sapientia comparatu sit facilis Deum timentibus, sed improbis inaccessibilis; *Quærit derisor sapientiam, & non invenit; doctrina prudentium facilis, Proverb.* XIV. 6. Item,

Excelsa

Excelsa stulto sapientia, in porta non aperiet os suum, *Ibid.* XXIV. 7. A fastu quoque cavere sibi oportet; qui ex scientia quidem oriri solet, secundum illud Pauli, *Scientia inflat*, 1 *Cor.* VIII. 1. sed tamen ejus profectui non parum obstat. Qui enim ista persuasione sunt imbuti se jam satis esse sapientes, seu sufficientem habere cognitionem rerum ad officium suum pertinentium, non facile inducentur ut de majore sibi comparanda laborent. Qualis erat ille Laodiceæ Antistes, qui dicebat, Dives sum & nullius egeo, nesciens se esse pauperem, & cæcum & nudum; & cui Christus suadet, collyrio inungere oculos ut videat, *Apoc.* III. 17. 18. id est, ut ex Dei verbo discat cognoscere defectus suos. Nam *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, & sapientiam præbens parvulis*, *Psal.* XIX. 8. 9. Item, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, *Psal.* CXIX. 105.

XI. Denique ad istam sapientiam comparandam id incitare nos debet, quod ea est oculus animæ, quo homo destitutus ambulat in tenebris, & nescit quo vadat; ut Jesus dicit *Joan.* XII. 35. Item cæcus est & manu tentans seu palpans, 2 *Petr.* I. 9. unde fit ut ubique impingat, id est, in omnis generis peccata, & tandem in æternum exitium ruat. *Similis est equo & mulo, quibus non est intellectus*, *Psal.* XXXII. 9. Imo illis longe est deterior & imprudentior. Nam hæc animalia persequuntur quæ ad commodum vitæ suæ faciunt, & contraria fugiunt; iste vero id quod ad beatitudinem futuri sæculi ducit, secure quasi rem nullius pretii aut momenti contemnit. Idque etiam exprobrat Deus per Prophetam populo Judaico, *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit*, *Esa.* I. 3. Item, *Milvus in cælo cognovit tempus suum; turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit judicium. Quomodo dicitis sapientes nos sumus?* &c. *Jerem.* VIII. 7. Pessimum in hac ignorantia est, quod aditum homini ad Dei fœdus præcludit. Nullam enim in eo partem habere potest is qui ex eorum numero non est, de quibus dicitur, *Cognoscent me omnes, à minimo eorum usque ad maximum*, *Hebr.* VIII. 11. Quod de cognitione voluntatis divinæ accipiendum esse, docet illud quod ibidem adjunctum est, de legum Dei in fœderatorum suorum cordibus inscriptione. Consequenter per eam etiam clauditur regnum cœlorum, ut D. Jesus innuit, quando exprobrat Legis interpretibus, quod sustulissent clavem scientiæ, & præterquam quod ipsi non introiissent, eos qui introibant prohibuissent, *Luc.* XI. 52.

CAPUT V.

De Prudentia.

I. *Prudentia quid.* II. *Ejus definitio & comparatio cum providentia divina.* III. *Ejus finis debet esse honestus, tam particularis cujusque actionis, quam universalis totius vitæ.* IV. *Media similiter non tantum debent esse honesta.* V. *Sed & ad finem obtinendum accommodata.* VI. *Distinctio prudentiæ in religiosam & civilem.* VII. *Præcepta prudentiæ religiosæ sunt.* 1. *Optima debentur optimo.* 2. *Futuri sæculi bona præstantiora sunt hujus sæculi bonis.* VIII. 3. *A diaboli laqueis cavendum.* IX. 4. *Non minor proximi quam propriæ salutis cura est gerenda.* X. *Quæ prudentia observanda circa proximum, qui veritatem salutarem vel ignorat, vel etiam odit.* XI. *Quæ circa proximum qui in peccatis ambulat.* XII. *Prudentia civilis quæ & quotuplex.* XIII. *Non debet prudentia civilis impedimento esse religiosæ.* XIV. *Variæ imprudentiæ species.* XV. *Qua ratione prudentia Christiana acquiri possit.*

I. HActenus de Sapientia, sequitur nunc ut de Prudentia, quæ altera est virtus sanctitatis directrix, agamus. Ea quidem nomine, Sapientiæ & scientiæ seu cognitionis nonnunquam insignitur in Sacris literis; sed tamen si propius ad ejus naturam quis attendat, non parum ab illis distare comperiet. Sapientia enim & scientia circa τὰ θεωρητὰ immediate versantur, prudentia vero circa τὰ πρακτικά. Cum autem prudentia alia sit naturalis, consistens in congenita mentis perspicacia, alia vero studio & exercitatione acquisita, prior non est hujus loci, nisi quatenus ad posteriorem facilius comparandum facit, ut postea apparebit. Ea dicta est à providendo, seu porro videndo, & Græce Φρόνησις à Φρὴν mens; quia requirit singularem mentis attentionem, ut provideat quid facto aut non facto sit opus.

II. Si rem ipsam spectes, prudentia est virtus intellectualis, quæ proposito sibi honesto fine, præscribit & sequitur honesta media, & ad istum finem obtinendum accommodata, observatis diligenter temporis, loci, personarum, aliisque ejusmodi circumstantiis. Quod si parva liceat magnis componere, eam dicemus providentiæ divinæ, quæ eodem modo in regimine mundi solet procedere, tenuem aliquam esse imaginem. Nam Deus proposito sibi optimo fine, ad eum semper per media convenientia tendit. Sed differentia in eo sita est, quod Deus nunquam suo fine frustratur, utpote qui semper ea eligit media quæ ad ipsum consequendum aptissima esse pro comperto habet, cum homines plerumque conjecturis tantum fallacibus in illorum electione nitantur, ideoque ab illo sæpe aberrent. Convenientiam tamen inter utramque esse apparet, quod ubi prudentiæ humanæ consilia deficiunt & sunt exhausta, ad divinam providentiam confugere soleamus, & dicere Deus providebit. Quod fecit Abrahamus cum se accingeret ad immolandum filium Isaacum, & ex objectione ab eo proposita expedire se nequiret, *Gen.* XXII. 8. 14. Sic fideles, qui in comitatu Pauli erant, cum persuadere ei non possent ne iret Hierosolymam, ubi monebatur à Spiritu vincula & tribulationes eum manere, quiescentes dixerunt, *Domini voluntas fiat*, *Act.* XXI. 14. Nunc definitionis allatæ partes resumamus & evolvamus.

III. Prudentia primo sibi debet honestum finem proponere, eumque perpetuo ob oculos habere. Absque eo media, quamvis honesta prima specie videantur, laude tamen sunt indigna. Quicquid enim in iis est eximium, finis vitio corrumpitur. Ut cum aliquis omnes actiones suas ad privatam gloriam & emolumentum refert, (quod ordinarie mundani homines faciunt) nihil vere boni ab eo expectari potest. Finis autem ad quem collimare debemus est vel universalis seu totius vitæ nostræ; vel particularis, seu singularum actionum seorsim. In quo hic primus & gravissimus adversus prudentiam error committitur, quod multi sunt qui accurate in singulis suis actionibus ad finem respiciunt, nullum vero sibi totius vitæ communem proponunt. Ex quo fit, ut eam nunquam bene & prudenter ordinent: quemadmodum si quis domo ad habitandum indigens, modo in uno conclavi, modo in alio exstruendo esset occupatus, & nunquam de tota domo cogitaret, fieri nequiret ut ædificium illud debitam symmetriam haberet, aut ad usum commodum esset. Finis universalis Christiani hominis alius esse non debet quam gloria Dei, & sua proximorumque æterna salus. Qui duo sunt quidem distincti fines, sed tamen ita arcte inter se cohærentes, ut ad unum collimari non possit quin ad alterum quoque respiciatur. Nemo enim ex animo gloriam Dei quærit, quin simul suæ fratrumque salutis rationem habeat. nemo similiter hanc expetit ut decet, quin ad illam pariter animum reflectat. De gloria Dei in omnibus nostris actionibus spectanda præclare monet Paulus, dicens, *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*, 1 *Cor.* x. 31. Itidem de salute nostra quærenda, cum dicit, *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*, *Philipp.* II. 12. De utraque vero conjunctim D. Jesus, in his verbis, *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus*, *Matth.* VI. 33. Quærendo enim regnum Dei, pariter ad Dei gloriam & ad nostram salutem tendimus. Particulares omnium actionum nostrarum fines hunc universalem semper præsupponere debent, etsi forte de eo specialiter & expresse semper non cogitemus cum aliquid aggredimur. Nam qui semel firme in animo suo constituit, nihil agere nisi ad Dei gloriam & suæ salutis promotionem, eo etiam reipsa tendit quotiescunque aliquid honestum facit, etiamsi in actu ipso de hoc fine non cogitaret; nempe quia natura honestæ actionis talis est ut eo referatur, præsertim ab eo profecta qui aliquando serio mentem istam habuit, & semper de eo cogitat.

IV. Sed non sufficit ut finis quem nobis proponimus sit honestus, nisi etiam media per quæ ad eum contendimus sint honesta. Ideoque ex mediorum natura de scopo agentis ordinarie judicari solet, ut si illa sint mala & turpia, hic pariter talis esse censeatur. Quod non tantum fit ab hominibus, quibus aliorum mens & intentio non est perspecta, sed etiam à Deo ipso. Indeque est quod dicit, se ab illis dedecore affici, qui ipsum imagine aliqua corporea repræsentant, *Rom.* I. 23. licet ipsi protestentur se id facere ut ipsum colant. Ex quibus animadvertere est quo loco haberi debeant piæ, quæ vocantur, fraudes, in religionis negotio; velut suppositio falsorum librorum, qualia sunt oracula vulgo dicta Sibyllina, ad defendendum Christianam religionem contra Paganos olim conficta: item suppositio falsorum miraculorum ad probandam invocationem Sanctorum mortuorum, purgatorium, transubstantiationem. Nam quamvis causa quæ his artibus propugnatur esset optima, (qualem non semper fuisse multis experimentis constat) non conveniret tamen iis uti; quod perinde foret atque adhibere tenebras ad Solis lucem illustrandam. Suspecta redditur veritas, statim atque ad ejus auxilium advocatur mendacium.

V. Non tantum autem media quibus ad finem contenditur debent esse honesta, sed etiam ad illum obtinendum accommodata. Hocque est maxime proprium prudentiæ munus. Nam etiam vir quilibet bonus, licet non admodum prudens, nonnisi honesta eligit. Sed is demum vere prudens censebitur, qui accommodatissima inveniet & adhibebit. Ea vero accommodatissima sunt, quæ cum temporis, loci, & personarum quibuscum vivimus circumstantiis recte conveniunt, ad quas proinde prudentis est diligenter attendere. Contingit enim non raro, ut una eademque genere actio, pro diversitate circumstantiarum, naturam mutet, & ex honesta turpis, aut contra, evadat. Ita liberalitas est virtus eximia; sed eam exercere erga improbum, quem possis conjicere abusurum ad scelus, ut scortationem, ebrietatem, proditionem, res est mala & prudentiæ adversa; & ita in plurimis aliis rebus; ubi in memoriam revocanda sunt illa quæ supra de circumstantiarum diversitate monuimus.

VI. Eodem quoque facit distinctio prudentiæ in religiosam & civilem; quæ non tam natura, quam objectis discernuntur, & ambæ in Christiano homine suo modo requiruntur, habita tamen semper vocationis aut muneris quod gerit ratione. Prudentia religiosa est, quæ docet quomodo oporteat in rebus ad religionem directe pertinentibus se gerere. Eaque est vel uniuscujusque privati; vel ejus qui munus aliquod Ecclesiasticum aut Politicum administrat, quo ad peculiarem religionis curam suscipiendum obligatur. Sed de posteriore hac prudentiæ specie non est hujus loci disserere. Id commodius tum fiet, cum de particularibus vocationibus tractandum erit.

VII. Quod ad priorem, ea in observatione variarum rerum consistit, sine quibus Deus recte coli aut glorificari non potest, aut salus æterna à nobis obtineri. Quales sunt sequentes. 1. Optima deberi optimo; ac proinde cum Deus sit

sit optimus, illum optimo & præstantissimo cultus genere, nempe animi, esse prosequendum, & supra omnia amandum; ita ut nullum sit in universo bonum, quantumvis carni & sensibus nostris jucundum, quo non libenter propter ipsum nos abdicemus, si ad præcepta ejus servandum nobis sit impedimento. 2. Invisibilia futuri sæculi bona longe esse præstantiora visibilibus præsentis, secundum illud Pauli, *Quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt*, 2 *Cor.* IV. 18. Quantum autem sit discrimen inter æterna & temporalia atque caduca, nemo ignorat, nisi qui mente bruti instar sit destitutus. Proinde neque divitias, neque honores, neque voluptates carnis, ullo modo cum beatitudine æterna nobis in cœlo asservata in comparationem venire, multoque minus præferri debere.

VIII. 3. Semper cavendum ne in laqueos quos nobis tendit Diabolus incidamus, memores moniti quod nobis suggerit Petrus, *adversarium nostrum Diabolum tanquam leonem rugientem circumire, quærentem quem devoret, cui oporteat nos resistere fortes in fide.* 1 *Epist.* V. 8. Duobus autem modis solet is nos invadere, vel à dextris, vel à sinistris: à dextris cum offert honores & divitias hujus mundi, sub hac conditione ut terga vertamus Deo; sicut olim Christo ostensis hujus mundi regnis & gloria, dicebat, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, *Matth.* IV. A sinistris, cum adversitatibus immissis nos à fiducia erga Deum avocare, aut ad blasphemandum ipsum inducere studet; sicut olim Jobum, ereptis ei bonis & liberis, & percutiendo eum pessimo ulcere à planta pedis ad verticem usque ejus. Adversus quas insidias præmunire nos oportet ne nos in autos opprimat, assumentes armaturam Dei; videl. *scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei; per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu*, *Ephes.* VI. 11. *& seqq.* Et ut cordis portam cupiditatibus nostris ei non aperiamus, non oportet diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, videl. concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, 1 *Joan.* II. 15. Et *attendere nobis ipsis, ne forte graventur corda nostra in crapula & ebrietate & curis hujus vitæ, & superveniat in nos repentina dies illa*, nempe judicii & vindictæ divinæ, *Luc.* XXI. 34. Et quia Diabolus utitur etiam seductorum & falsorum Prophetarum opera ad nos à doctrina fidei avertendum, prudentiæ Christianæ non minima pars est ab illis cavere; præsertim cum pelle ovilla tecti veniunt & intus sunt lupi rapaces, attendentes ad signa & γνωρίσματα quibus Christus illos describit, *Matth.* VII. 15.

IX. 4. Non minor proximi quam propriæ salutis cura nobis est gerenda. Id requirit amor quo lex jubet ut eum tanquam nos ipsos diligamus. Sicut enim nos æternum beatos esse cupimus, ita illum quoque debemus cupere, si dilectio nostra sincera sit & absque fuco. Nemo cum impio Caino debet dicere, *Nunquid fratris mei custos ego sum? Genes.* IV. 9. Charitas enim, quæ non quærit quod suum est, sed alterius, nos ejus custodes esse jubet. Cum autem proximus noster in eo statu possit esse constitutus, vel ut veritatem salutarem ignoret, aut etiam oderit, vel in aliquo peccato aut peccatis ambulet, eorum quæ scimus excludere ex regno cœlorum; in utroque nostrum est salutem ejus procurare. In primo quidem, secundum præceptum Pauli, *Servum Domini non oportet litigare; sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati; si quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis*, &c. 2 *Tim.* II. 24. *& seqq.* In secundo vero secundum mandatum Jacobi, *Fratres, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum; scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum. In fine Epist.*

X. Sed quia aliquando non parva difficultas in his occurrit, eam industria superare laborandum est. Quod ad eos enim qui à veritate salutari sunt alieni, cum illi in duplici sint differentia, & alii quidem eam simpliciter ignorent, alii vero insuper oderint, circa hos longe majore opus est cura, ne eam respuant, aut in docentes irruant. Ideo cum Dominus Jesus primo mitteret Apostolos ut prædicarent Euangelium per Judæam, jubet ut ingressi in aliquam civitatem aut pagum *inquirant quis illic dignus sit*, & apud eum divertant, *Matth.* X. 11. dignos illos censens, qui erant dociles, veritatis cognoscendæ avidi, & ad obediendum voluntati divinæ parati. Apud enim illos solos fere Euangelium cum fructu annunciari solet. Contra alibi vetat eos *sanctum dare canibus, & margaritas projicere coram porcis, ne forte conculcent eas pedibus, & conversi dirumpant* illos à quibus offeruntur, *Matth.* VII. 6. Per *porcos* intelligens homines profanos & veritatis contemtores, nullaque alia de re sollicitos, quam ut se in voluptatum cæno volutent; per *canes* vero, non solum tales, sed etiam Euangelium ejusque professores hostili odio prosequentes. Quid ergo, inquies, faciendum nobis est cum in ejusmodi homines inciderimus, an protinus deserendi sunt tanquam deplorati? Resp. Minime; sed omnia prius tentanda quam eo deveniamus. Si medico phreneticus forte sit curandus, non offenditur ejus sputo aut contumeliis; sed quacunque potest via eum ad saniorem mentem deducere laborat. Eoque tendit Pauli monitum, *Insta oportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*, 2 *Tim.* IV. 2. Quod etsi ad officium Pastorum peculiari ratione pertineat, ab aliis tamen qui idonei sunt non debet prætermitti. Nullus enim est cui fratrem suum in rectam viam reducendi munus non incumbat, si quo modo ac ratione id facere queat.

Bonum

Bonum ergo facientes non deficiamus, seu non segnescamus aut defatigemur, *tempore enim suo metemus, non deficientes*, *Gal.* VI. 9. Quod de beneficentia quidem corporali dictum est; sed non male ad spiritualem, qua nulla præstantior aut majoris fructus est, applicari potest, imo etiam debet. Nec alia mens est horum verborum, *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Coloss.* IV. 5. Item, *Videte quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt; propterea nolite esse imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei*, *Eph.* V. 15. In quo utroque loco vox καιρὸς, quam vulgatus interpres reddidit *Tempus*, potius significat occasionem vel opportunitatem; ad quam sapienti maxime attendendum est in rebus agendis, ne forte elabi sinat eam, quam postea nunquam recuperare possit. Nam, fronte capillata est, sed post occasio calva; ut eam poëta secundum sapientum symbola depingit. Captandæ sunt ergo omnes occasiones proximum aberrantem à via salutis in illam reducendi. Quod fecisse videmus Paulum, qui dicit, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*, 1 *Cor.* IX. 17. *& seqq.* Quod si proximus agrestis aut ferinis sit moribus, qui doctrinam parum curet, inde ejus institutio erit inchoanda, ut sic paulatim ulterior progressus fiat. Honestas enim civilis est primum pietatis principium; quo non prius bene firmato, frustra studebis illam implantare. Unde qui volunt cum fructu Euangelium annunciare barbaris illis Indianis, qui nudi incedunt, eos ab isto vitæ genere ad aliud civilius transferre debent, & dare operam ut discrimen honesti & turpis capiant prius, quam abstrusiora fidei capita iis proponant. Quibus vero cum populis cultioribus res est, quales sunt Sinenses, Japonenses, illi ut traducant eos ab idololatria ad veram fidem, amicitiam illorum prius sibi conciliare debent & eos beneficiis demereri. A nullis enim facilius homines persuadentur, quam ab iis quos benevolos erga se experiuntur. Qui itaque cum armis ad eos accedunt, & eo fine ut ipsorum spoliis se ditent, nunquam ista via permovebunt ut Christianismum velint amplecti.

XI. Nec dissimilis debet esse procedendi ratio in altero capite, id est, ut proximum à peccatis in quibus se volutare assuetus est, ad sanctius vitæ genus transferas. Reprehensiones tali lenitate & prudentia sunt temperandæ, ut agnoscat eas non ex odio aut malevolentia, sed ex solo salutis ipsius desiderio esse profectas. Captandæ sunt occasiones & tempora commoda quibus id facias; non in propatulo, sed clam, ut pudori ejus consulas, & observatis gradibus à Christo præscriptis *Matth.* XVIII. Imitanda est prudentia Nathanis in Davide reprehendendo, qui tanta cum dexteritate rem aggressus est, ut Davidem ad sui peccati condemnationem adegerit, antequam de suo negotio agi agnosceret. Sed præcipue danda est opera, ut illis exemplo præluceamus, quos à peccatis deterrere volumus. Nullum enim est magis efficax persuasionis genus, quam si primus facias ad quod alterum hortaris.

XII. Civilis prudentia est, quæ curat ea quæ faciunt ad vitæ præsentis conservationem & commoda. Eaque est triplex, monastica, œconomica, & politica. Monastica est singulorum seorsim consideratorum, in privatis actionibus quas edunt, sine relatione ad societatem œconomicam aut politicam cujus sunt membra. Oeconomica est eorum qui degunt in societate œconomica, quales sunt maritus, uxor, liberi, famuli, ancillæ. Quo referri possunt monachi, ita abusive dicti, qui cum multis sodalibus, simile vitæ genus sectantibus, in eadem domo sub aliquo Abbate aut Priore vivunt, à quo reguntur. Politica est eorum qui rempublicam regunt, quales sunt Magistratus, sive supremi, sive subalterni, & eorum consiliarii atque ministri. De istis prudentiæ speciebus non est locus hic agendi, ubi tradimus præcepta quæ ad religiosam pertinent.

XIII. Illud tantum in genere observandum est, prudentiam civilem non debere esse impedimento religiosæ; quod fit, cum ita ad præsentis vitæ negotia attenditur, ut ea quæ ad futuram pertinent negligantur, & major commodorum corporis quam animæ ratio habetur. Hæc non est vera prudentia, quamquam vulgo ita existimetur; sed potius insipientia summa. Nihil enim stolidius fingi potest, quam circa res parvi momenti perpetuo esse occupatum, & de iis, à quibus summa pendet felicitas aut miseria, non cogitare. Tales tamen sunt plerique hominum: quorum alii in corradendis divitiis dies noctesque desudant; immemores præcepti Christi, *Nolite thesaurizare vobis in terra*, &c. *Matth.* VI. 20. & Pauli, *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & laqueum Diaboli*, &c. 1 *Tim.* VI. 9. Alii vero toti sunt in consectandis corporis voluptatibus; *quorum Deus est venter, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, *Philipp.* III. 19. & non attendunt ad illud monitum, *Cavete ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa*, nempe judicii divini, *Luc.* XXI. 34. Alii denique similibus occupationibus continuo distinentur, & cultum Dei atque religionem susque deque habent; sine quo tamen salvi esse aut æternam damnationem effugere nequeunt: quod summam esse dementiam facile est attendentibus animadvertere. Quare recte Paulus, *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum*, &c. 1 *Cor.* III. 19. Et Jacobus, *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica, cap.* III. *v.* 15. Quod dicit quidem speciatim de sapientia mundana in sibi consulendo, unde oriuntur lites & contentiones; sed omnibus illis quæ diximus etiam convenit, cum nemo possit aut opibus coacervandis

vandis studere, aut voluptates sectari, aut ad honores & dignitates contendere, quin sæpe cum aliis, quos sibi obstare existimat, rixæ & discordiæ exoriantur.

XIV. Sed rursus aliæ sunt imprudentiæ species in negotio salutis. Nam quidam ita rerum secularium curis obruuntur, ut de isto fine ne quidem cogitent; qui etsi aliquando respectu finium vitæ particularium videantur prudentissimi, nihil eorum prætermittentes per quæ illuc perveniri possit, tamen quod ad vitæ finem universalem, quem negligunt, plane sunt desipientes. Quidam cogitant quidem de isto fine, sed media non sectantur quibus ad eum perveniant; sive quod ea non bene noverint, sive quod satis animi & constantiæ non habeant ut in iis ad finem usque perseverent. In priori ordine collocandi sunt superstitiosi, qui neglectis iis quæ religioni sunt essentialia, ut fide, justitia, in minimis quibusdam ritibus & ceremoniis, aliisque externis pietatem sitam esse, & ea se ratione Dei favorem optime promereri posse existimant. Item ii, qui salutem sibi per Christum crucifixum oblatam repudiant, sapientiæ thesauros qui in eo absconditi sunt non agnoscentes. de quibus vide 1 *Cor.* I. 18. &c. Et qui præsentibus propter futurorum spem, & visibilibus propter invisibilia renunciare absurdum esse existimant; cum tamen maxima sit prudentia, temporalia æternis permutare, 2 *Cor.* IV. 17. 18. Ad posterius pertinent, qui vel voluptatibus corrupti, vel rebus adversis fracti, ad finem quem sibi proposuerunt ea qua oportet generositate & animi magnitudine non contendunt, sed in medio cursu turpiter deficiunt. Quo spectat parabola Christi de turrim ædificaturo, qui prius computare debet an sumptus ad istud opus necessarios ferre possit; & de belligeraturo, qui copiis sufficientibus ad resistendum hosti debet esse instructus, *Luc.* XIV. 28, &c. Et certe magna prudentiæ est pars metiri vires suas, ne temere subeamus onus, cui non simus ferendo, & cujus pondere metuendum sit ne obruamur. Item pretia rerum recte existimare, ne ob res exiguæ utilitatis multum sumamus operæ, aut in discrimen absque necessitate nos conjiciamus. Quod cum in rebus ad hanc vitam pertinentibus observetur, non minoris debet fieri in iis quæ ad futuram prodesse aut obesse possunt. Cavendum hic etiam est à vitio, quod multis sub falsa prudentiæ imagine imponit; quod est astutia seu calliditas. Ea cernitur potissimum in negotiis quæ nobis cum aliis intercedunt, quos sub prætextu vel amicitiæ, vel alio quocunque decipimus, & facultatibus suis emungimus. Talis quoque est eorum, qui pietatem existimant esse quæstum, 1 *Tim.* VI. 5. magnam sanctitatis speciem præ se ferentes, ut ea ratione muneribus locupletentur; *qui penetrant domos & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis*, 2 *Tim.* III. 6. Ut Scribæ & Pharisæi, qui *comedebant domos viduarum, orationes longas orantes*, *Matth.* XXIII. 14. Atque illi, de quibus prædicit venturos *in vestibus ovium, sed intus lupos rapaces* futuros, *Matth.* VII. 15. Et multi Pseudo-Apostoli, de quibus passim videre est in Epistolis Paulinis, & 2 *Pet.* II. & *Juda.* v. 11. 16. Similes Simoni Mago, qui negociationem ex Spiritus S. donis exercere volebat, *Act.* VIII. & iis se plane indignum ostendebat, non habens cor rectum coram Deo.

XV. Superest ut videamus quo pacto acquiri possit prudentia Christiana, & imprudentia evitari. Et primo quidem notandum est naturæ bonitatem non parum ad eam conferre, & vix unquam contingere ut absque bona indole quispiam in illa excellat. Temperamentum autem melancholicum ad eam aptius est quam biliosum aut pituitosum. Biliosi enim solent esse præcipites in suis actionibus; & pituitosi sunt stupidi atque tardi; melancholici vero medium inter utrosque tenent. Sed nulla est tam singularis naturæ aut temperamenti bonitas, quæ absque Dei ope quicquam valeat. Et nisi animus sit probus, sagacitas omnis in astutiam & calliditatem degenerat, qua fraudes nectuntur & simpliciores decipiuntur. Pravitas enim pervertit judicium, & facit ut nec veri finis bonitatem sectetur, nec etiam recta & legitima media ad eum consequendum adhibeat. Ideo petendum est à Deo ut utramque, nempe sagacitatem ad judicandum de iis quæ expediunt, & probitatem animi largiatur. *Ab eo* enim *proficiscitur omnis bona donatio*, &, *si quis indiget sapientia, dat eam benigne cuilibet à se petenti*, *Jac.* I. 5. 17. Et *quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta*, &c. *Jac.* III. 17. Talem Paulus precatur Ephesiis, *ut daret eis spiritum sapientiæ & revelationis, & illuminatos cordis oculos*, *Ephes.* I. 17. Et quia dona sua Deus non largitur nisi iis qui media ab ipso præscripta adhibent, quærenda est prudentia nobis necessaria in ejus verbo. Nam *testimonium Dei fidele, & sapientiam præstans parvulis*, *Psal.* XIX. 8. Et *sacra literæ possunt sapientem reddere ad salutem*, 2 *Tim.* III. 15. Cum autem præsumtio propriæ sapientiæ sæpe impediat ne sapientiæ divinæ simus capaces, illa ante omnia exuenda est. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut fit sapiens*, 1 *Cor.* III. 18. Ubi *stultus fiat*, idem est ac sectetur sapientiam cœlestem & divinam, quæ apud homines mundanos pro stultitia habetur; & contra, humanæ prudentiæ & carnali renunciet, quæ stultitia est apud Deum, ut ibidem additur. Imo illa *est inimicitia in Deum, quia Dei legi non est subjecta, nec se subjicere potest*, *Rom.* VIII. 7. Exemplum ejus vide in Pharaone, dicente ad populum suum, *Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est, venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur*, &c. *Exod.* I. 9. Et ex ejusmodi prudentia profectum est, quod noluerit in illorum dimissionem consentire, nisi multis & gravibus plagis ante domitus. Vide etiam aliud in Achitophele, cujus consilium tanti æstimabatur, quasi si quis consu-

consuleret Deum, qui suasit Absalomo, ut cum Davidis patris concubinis nefario se incestu pollueret, 2 *Sam.* XVI. 21. ut agnosceret ex eo facto totus Israël nullam ipsius cum patre reconciliationis spem superesse. Talis quoque erat Cajaphæ sapientia, qua turgebat præ cæteris collegis, quibus dicebat, *Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit nobis ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat*, *Joan.* XI. 49. Indeque ortæ sunt omnes illæ machinationes, quibus ipse cum sociis profectum Euangelii impedire sunt conati. de quibus Lucas *Act.* IV. & V. *Matth. cap.* XXVII. 62. & XXVIII. 12. Quanto autem majores ingenii dotes sunt in pravis istis hominibus, tanto nocentiores esse solent. Sapientia enim cum improbitate conjuncta, est viribus armata malitia. Expediret istiusmodi homines esse stultos, ne dolos excogitare, aut excogitatos perficere possent. quo respiciebat David, cum orabat Deum, ut consilium sapientis illius improbi Achitophelis infatuaret, 2 *Sam.* XV. 31. Non parum etiam facit ad comparandam veram sapientiam lectio historiarum, & observatio eorum, quæ quotidie in mundo & ante oculos nostros accidere videmus; ubi varia & insignia occurrunt exempla tum benignitatis & patientiæ Dei, tum etiam severitatis & judiciorum ejus; quæ ad animum revocare oportet eos qui supra vulgus sapere volunt. Eo nos sæpe revocat Christus; ut cum exemplo illorum Galilæorum, quorum Pilatus miscuerat sanguinem cum sacrificiis, & decem octo Hierosolymitanorum, qui ruina turris in Siloe inopinatò fuerant oppressi, hortatur nos ad pœnitentiam, ne pariter pereamus, *Luc.* XIII. Et cum proponit securitatem profanam incolarum primi mundi, cum diluvium venit & perdidit omnes; & Sodomæorum, cum pluit ignem & sulphur de cœlo, quo omnes absumti fuerunt; & postea subjungit, *Memores estote uxoris Lot. Luc.* XVII. Similiter Paulus, allato Israëlitarum exemplo, qui propter scelera & incredulitatem in deserto prostrati fuerunt. *Hæc enim*, inquit, *in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, neque idololatriæ, nec fornicatores, nec murmuratores*, &c. *hæc omnia in figura* (vel in exemplum) *contingebant illis, & scripta sunt ad correptionem nostram*, &c. 1 *Cor.* X. Nec istud ignoravit Poëta ille Ethnicus, qui dixit, *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* Postremum in prudentia locum obtinet suo malo discere, prout est in proverbio, Piscator ictus sapit: Cujus qui non est capax, næ is non solum pro stultissimo, sed & pro desperato & incorrigibili est habendus, sibique deserendus.

CAPUT VI.

De Fide in Jesum Christum, ejusque necessitate.

I. *Variæ virtutum directarum divisiones & subdivisiones.* II. *De fide prius tractandum quam de resipiscentia.* III. *Fides sumitur vel active, pro dictorum & conventorum constantia.* IV. *Vel passive, denotatque* 1. *doctrinam Euangelii.* V. 2. *Fidem miraculorum.* VI. 3. *Fidem historicam.* VII. 4. *Totam obedientiam Euangelicam.* VIII. 5. *Præcipuam quandam obedientiæ Euangelicæ partem à reliquis distinctam.* IX. *Fidei in Christum definitio.* X. *Ejus differentia à fide in Deum quatenus creatorem.* XI. *Nemo absque respectu ad propitiationem Christi, & qui Euangelium sibi revelatum rejecit, salvabitur.* XII. *Quibus Christus non est revelatus, ii non condemnabuntur quia in eum non crediderunt.* XIII. *Fides in Christum non fuit necessaria ad placendum Deo antequam Christus in mundum venisset.* XIV. *Non est credibile Deum eos, qui sine sua culpa in Christum non crediderunt, à salute exclusurum.* XV. *Illi quibus Euangelium non est annuntiatum non fuere destituti mediis in Deum credendi eique ex fide obediendi. quod probatur ex Act.* 14. & 17. XVI. *Ex cap.* 1. *ad Rom.* XVII. *Ex ejusdem epist. cap.* 11. 4. XVIII. *Ex ejusdem capit. vers.* 7. XIX. *Occurritur objectioni ex Joann.* XVII. 3. XX. *Item ex Hebr.* XI. 6.

I. ET hæc de virtutibus sanctitatis directricibus, sequitur ut de directis seu gubernatis agamus, quæ ipsam universam & omnes ejus partes complectuntur. Eæ autem sunt duplicis generis. Nam vel circa res necessarias versantur, in quibus proprie & per se consistit sanctitas; vel circa adiaphoras, quæ improprie tantum & per accidens ad eam pertinent. Utræque rursum virtutes vel singulis sunt hominibus mandatæ, ut ab unoquoque eorum etiam seorsim exerceantur: Vel fidelium societati sunt præscriptæ, ut ab iis quando in cætus conveniunt conjunctim observentur. Virtutes quæ singulis sunt præscriptæ, vel omnes homines spectant in universum, vel quosdam tantum in specie, secundum ordinum & statuum vitæ societatisque humanæ, in qua singuli partes suas implere debent, diversitatem. Quæ omnibus communiter hominibus sunt imperatæ, rursum bifariam dividuntur. Sunt enim aliæ earum generales, aliæ vero speciales. Virtutes generales sunt quæ universum Christianorum officium summatim comprehendunt. Et sunt duæ, nempe Fides in Jesum Christum & Resipiscentia; quarum explicationem nunc aggredimur.

II. Sed antequam ulterius progrediar, breviter expendendum est cuinam istarum primatus debeatur. Posset enim non sine specie videri Resipiscentiam fidei esse anteponendam, seu priore de illa, posteriore de hac tractandum esse loco. Idque ipsius Domini nostri Jesu Christi exemplo, qui sic Propheticum suum munus est aggressus, *Resipiscite & credite Euangelio*, *Marc.* 1. 15. Similiter Joannis B. de quo Paulus dicit, *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, In eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum*, *Act.* XIX. 4. Item Petri ad Judæos, *Resipiscite, & baptizetur unusquisque in nomine Jesu Christi*, &c. *Act.* II. 38. per *baptismum*, fidei professionem intelligens. Vide etiam ejusdem libri *cap.* XX. *v.* 21. In quibus locis resipiscentia, tanquam præparatio ad fidem, prius quam fides recensetur & commendatur. Sed nos

alio

alio sensu *resipiscentiæ* & *resipiscendi* voces hic usurpamus, quam illic fit; nempe pro universo Christiani hominis officio, ut jam indicavimus, & non solum pro ejus aliqua parte, & quidem ad salutem insufficiente. In quo etiam præeuntem habemus D. Jesum, discipulis paulo ante suam in cœlum ascensionem, dicentem, *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die; & prædicari in nomine ejus resipiscentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes*, *Luc.* XXIV. 46. Ubi manifestum est, pœnitentiam quæ prædicari debet in nomine Christi, ordine naturæ sequi fidem in illum; sine fructu enim apud eos qui non credunt in ipsius nomine seu auctoritate mandaretur. Ut uno verbo omnia complectar, Resipiscentia, de qua in locis prius allatis agitur, quæ fidem in Christum anteire debet, est resipiscentia legalis & imperfectior: quia lex rudimenta tantum pietatis complectitur; quæ vero memoratur in posteriore, est Euangelica, sub qua omnia Euangelii præcepta continentur; & ex fide oritur: proinde in iis tantum qui Christum pro Salvatore suo amplexi sunt locum habere potest. Unde apparet prius de fide in Christum quam de illa agi debere.

III. Plurimæ occurrunt in Scripturis diversæ vocis *fidei* acceptiones, in quibus immorari non est animus. Non possum tamen quin nonnullas ex præcipuis, quæ ad ea quæ dicturus sum intelligenda conducunt, breviter annotem. Primo sumitur active pro dictorum & conventorum constantia atque veritate, quæ vulgo fidelitas appellatur; cui proprie convenit etymologia de qua Cicero *Offic.* I. quia fiat quod dictum est. Fides enim est quasi dicas *fies*. Hoc sensu præcipit Paulus, ut servi dominis suis subditi sint, *non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes*, *Tit.* II. 9. Nec male de ea exponuntur hæc Christi verba, *Quando filius hominis veniet, existimas eum fidem inventurum in terra? Luc.* XVIII. 8. Ea quoque Deo tribuitur, ut cum Paulus dicit, *Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? nunquid infidelitas eorum fidem Dei evacuabit? Rom.* III. 3. Talis fides non est præsentis considerationis, nisi quatenus effectum est illius de qua nobis nunc erit sermo.

IV. Secundo igitur passive usurpatur pro ea quæ alteri habetur, propter persuasionem de ipsius veracitate conceptam; qualis est inprimis ea quam in Deum & Jesum Christum collocare jubemur. Sed hæc rursus diversimode in Scriptura usurpatur. 1. Per metonymiam significat doctrinam Euangelii, cui fides à nobis adhibetur. Ita dicebant fideles Judææ de Saulo converso, *Qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem quam oppugnabat*, *Gal.* I. 23. Item in eadem *Epist. prius quam venisset fides*, id est, priusquam Euangelium esset revelatum; &, *postquam venit fides*, id est, postquam Euangelium fuit revelatum, *cap.* III. 23. 25.

V. 2. Denotat persuasionem de opere aliquo miraculoso per nos vel in nobis efficiendo virtute Christi; quæ fides miraculorum vulgo dicitur; & duplex est, alia ejus per quem Deus miraculum facit, alia ejus in quo efficitur. De priore dicebat Jesus discipulis, *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit; & nihil erit vobis impossibile*, *Matth.* XVII. 20. Hoc erat donum Dei extraordinarium, primis Ecclesiæ Christianæ temporibus concessum, ad doctrinam Euangelii, quæ tunc nova erat, & sine miraculis credita non fuisset, confirmandum. Cujus promissio exstat apud Marcum: *Signa eos qui crediderint hæc sequentur, In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; &, si mortiferum quid biberint, eis non nocebit; super ægrotos manus imponent & bene habebunt*, *cap.* XVI. v. 17. Eoque claruerunt, non tantum Apostoli, sed etiam multi alii, & amplius ducentis à Christo nato annis in Ecclesia duravit; quamvis post excessum Apostolorum in dies rarius fieret; an propter hominum incredulitatem, an alia de causa, non satis constat. Fides hæc sola, seu ab observatione mandatorum Jesu Christi separata, non servabat; ut docet Paulus, cum ait, *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, I *Cor.* XIII. 2. Unde Christus quibusdam qui in nomine suo dæmonia ejecerint, & virtutes plurimas fecerint, dicet in ultima die, *Nunquam novi vos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, Matth.* VII. 22. 23. Quæritur autem, an istiusmodi donum communicatum fuerit improbis & incredulis, & an tempore incredulitatis suæ eo adhuc gavisi fuerint. Hæc quæstio, ut apparet, duo habet membra; ad quorum prius respondeo; nullomodo esse credibile Deum donum tam eximium concessisse hypocritis & fidei quam non habebant simulatoribus. Id enim repugnat directe Christi verbis, quæ modo ex Euangelio secundum Marcum allegavimus; *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur*, &c. Illi autem qui simulant fidem, non credunt vere; & quamvis hominibus imponere possint sua hypocrisi, Deo tamen scrutatori cordium illa est omnino perspecta; quem viderentur decepisse, si donum quod credentibus promisit, ipsis quoque largiretur. Ad alterum dico, potuisse fieri, ut aliqui post donum miraculorum acceptum dantes operam iniquitati, atque ita fidei vim abnegantes, aliquamdiu adhuc miracula patrarent; Deo statim illud donum non auferente, sed eorum resipiscentiam patienter expectante, præsertim cum id ædificationi aliorum, quibus improbitas ista occulta erat, prodesse posset. Et tales forte esse illos de quibus Christus loquitur, loco ex *Matth.* VII. modo citato; qui nimirum initio quidem vere Euangelio crediderant, & bonorum operum fructus ipso dignos protulerant; sed postea primam suam charitatem reliquerant, ut dicitur de Ec-

clesia Ephesina, *Apoc.* II. 4. De posteriore fide, requisita in iis erga quos miraculum aliquod sive miraculosa sanatio fiebat, habemus varia testimonia. Cum ad Christum accessissent duo cæci petentes sibi restitui visum, dicit eis, *Creditis quia ego hoc possum facere vobis?* Et cum respondissent, *Utique Domine*; tetigit oculos eorum dicens, *Secundum fidem vestram fiat vobis*, *Matth.* IX. 28. Et cum pater quidam, cujus filius à Diabolo vexabatur, rogasset eum, *Si quid potes, adjuva nos, misertus nostri*; respondit illi, *Si potes credere, omnia sunt possibilia credenti*, *Marc.* IX. 23. id est, omnis generis beneficia, quantacunque sint, impetrare potest à Deo. Nimirum, ut qui invocant Deum, invocare eum in fide debent, de ipsius scientia & omnipotentia persuasi; ita ab iis qui accedebant ad Christum ut sanarentur à morbis & infirmitatibus suis, postulabat ut crederent se id posse facere; ut per sanationem corporum viam sibi sterneret ad sanationem animarum illorum à peccatis, & obsequentiores eos in iis quæ præciperet, haberet. Indeque est quod dicitur, eum *non potuisse* in patria sua, nempe Nezarethi, *virtutem ullam facere, propter ipsorum incredulitatem*, *Marc.* VI. 5. id est, non potuisse à se impetrare, ut illic faceret miracula, ubi nihil profutura sciebat: licet virtutem faciendi semper in se residentem haberet. Non videmus tamen eum semper ejusmodi fidem requisivisse, etiamsi cum adesset valde ea sit delectatus, sed nonnunquam etiam non rogatum gratias suas in miseros effudisse; ut in illo paralytico videre est, qui triginta octo annos decubuerat, apud *Joan. cap.* V. & cœco nato, *Joan.* IX.

VI. 3. Fides accipitur pro nudo assensu Jesum esse Christum, & Euangelium à Deo esse profectum, absque proposito, saltem efficaci, vitam secundum ejus præcepta componendi. Vulgo eam vocant historicam. De illa loquitur Jacobus *cap.* II. *v.* 19. *Tu credis quoniam unus est Deus. Benefacis; & dæmones credunt, & contremiscunt.* Et tribuitur à Joanne quibusdam ex principibus Judæorum, *cap.* XII. 42. ubi de gentis illius incredulitate questus, addit, *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum. Sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quam gloriam Dei.* Talis quoque videtur fuisse fides Simonis Magi, qui videns signa & virtutes maximas fieri à Philippo, stupens admirabatur: sed paulo post audit, *Cor tuum non est rectum coram Domino*; cum pecunia donum miraculorum sperabat sibi comparare posse, *Act.* VIII. 13. *& seqq.* & eò unice inhiabat.

VII. 4. Fides universam illam complectitur obedientiam quam Euangelio exhibere tenemur. Ut cum inobedientia illi opponitur; Sic *Joan.* III. 36. *Qui credit in filium habet vitam æternam; qui autem immorigerus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum.* Vel contra obedientia incredulitati, ut *Rom.* X. 16. *Sed non omnes obedierunt Euangelio. Isaias enim dicit, Domine quis credidit auditui nostro?* id est, prædicationi auditu perceptæ. Item cum dicitur *Gal.* V. 5. 6. *Nos spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus. Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per charitatem operatur*; id est, fides viva, ut apparet ex ejus effectis.

VIII. 5. Denique, ne plures significationes congeram, fides accipitur, pro præcipua quadam obedientiæ seu sanctitatis Euangelicæ parte, à qua cæteræ omnes virtutes, tanquam ex fonte perenni proficiscuntur, à quibus distincta quidem est quod ad essentiam, sed nunquam separata, quod ad existentiam, ubi illas exercendi oportunitas datur. Sic Paulus ad *Tit.* III. 8. *Fidelis est sermo; & de his volo te confirmare*, (supple, alios;) *ut qui crediderunt, curent bonis operibus præesse.* Et Joannes, *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus Jesu Christi; & diligamus alter alterum, sicut dedit mandatum nobis*, I *Epist.* III. 23. Similiter Jacobus, cum fidem vult ostendi ex operibus, *cap.* II. *v.* 18. in quibus locis cum fides distinguatur à bonis operibus, & dilectione, apparet ipsam bona opera non comprehendere. Et de fide in hac significatione accepta, quæ est maxime propria & vulgaris, deinceps acturi sumus.

IX. Ea sic describi potest, quod *non tantum sit certa cognitio & assensus Jesum Christum esse unicum Servatorem à Deo constitutum, omnium eorum qui vitam ex Euangelii præscripto instituunt, sed etiam vera animi fiducia, qua in eum ut talem recumbimus, persuasi nos, si ipsi sincere obedierimus, remissionem peccatorum & vitam æternam accepturos; simulque serium propositum ipsi reipsa ejusmodi qualem præscripsit obedientiam toto vitæ tempore exhibendi.* Et quia hæc Dei voluntas nobis est revelata in Sacris literis, præcipue Novi fœderis, fides eas debet tanquam divinas amplecti, seu pro infallibili credendorum & faciendorum norma, ad quam se componat, habere; ita ut de nulla re quam illic contineri agnoscit dubitare, nullique obedientiam denegare fas existimet.

X. Hinc apparet, quantum fides hæc differat ab ea quam in Deum cœli & terræ creatorem collocare tenemur, quæ longe simplicior est, & pauciora capita continet. Ejus descriptionem habemus *Hebr.* XI. 6. in his divini Auctoris verbis, *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Ubi ad duo capita revocatur, 1. Persuasionem quod Deus sit seu existat. 2. Quod remuneretur eos qui se colunt. Sub quibus tamen facile est videre comprehendi illa Dei attributa, sine quibus frustra istud ab eo exspectaretur, nempe omnipotentiam, omniscientiam, & alia ejusmodi. Sine tali fide nemo unquam placuit aut placebit Deo, & impossibile est ipsi veram obedientiam exhibere. Et concipi potest ex contemplatione operum Dei, seu mundi opificio & providentia qua Deus circa ipsum

ipsum versatur, sine ulla ulteriori revelatione; ut docet Paulus, cum dicit, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, *quod cognosci debet Dei, manifestum est in illis*, supple Gentilibus; *Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles*, &c. *Rom.* I. 19. 20. Ejusmodi fuit fides aliquorum qui celebrantur *Hebr.* XI. qui vixerunt ante legem datam, aut nullam habuerunt Dei revelationem verbo sibi factam. Sed quod ad illos attinet quos Deus alloquio suo dignatus est, ut Noachum, Abrahamum, & similes; item Israëlitas, quibus legem per Mosis ministerium dedit, ii longe majora fidei suæ fulcra habuerunt; & proinde plus ab ipsis repetetur, quam ab aliis qui naturam solam pro duce & doctore acceperunt. Deus enim qui æquissimus est, non colligit ubi non sparsit, nec metit ubi non seminavit, *Matth.* XXV. 24. 26.

XI. Unde decidi potest quæstio quæ sit, utrum aliquis sine fide in Jesum Christum possit salvari. Respondemus enim 1. Neminem absque respectu Christi, qui se propitiationem pro generis humani peccatis dedit, accessum habere ad Deum, & ipsum propitium experiri. Id quod intelligi debet non solum de iis qui post adventum ejus in mundum vixerunt; sed etiam de iis qui ante illud tempus diem suum obierunt. Quia virtus oblationis Christi est perpetuæ apud Deum efficaciæ, & eam tanquam præsentem intuitus est, ex quo præcognovit eum, seu decrevit mittere, ut ejus sanguine tanquam agni immaculati & incontaminati mundum redimeret à peccatis, 1 *Petr.* I. 18. &c. Quo applicari non incommode potest illud divini Scriptoris, *Jesus Christus heri & hodie idem ipse & in secula, Hebr.* XIII. 8. 2. Nullum eorum, quibus Euangelium revelatum est, aut qui occasionem facultatemve habuerunt cognoscendi Christum, salvatum iri absque fide in illum. Indigni enim sunt tanta Dei gratia, qui illam sibi oblatam respuunt, aut non eo quo par est studio ac cura illam quærunt. Quod significare voluit Petrus, cum principibus Judæorum dicebat, *Non est in alio quoquam* (nempe quam in Jesu Christo) *salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, Act.* IV. 12. Et Joannes, *Qui habet filium Dei, habet vitam; qui non habet filium Dei, non habet vitam*, 1 *Epist.* V. 12. Et hæc quidem duo capita extra controversiam posita esse existimamus.

XII. Sed difficultate non caret, quid iis futurum sit, qui de Christo nihil unquam audiverunt, ac proinde in eum credere non potuerunt; secundum illud Pauli, *Quomodo credent ei de quo non audierint*, *Rom.* X. 14. Et quæritur, utrum salvari possint absque fide in Christum; an vero omnes damnandi sint in æternum, etiamsi pro modulo cognitionis suæ Deum sincere coluerint, & secundum legem naturæ cordibus suis impressam, seu rationis rectæ dictamen, vitam instituerint. Et constat quidem Deum nullibi aperte declarasse in Sacris literis se tales homines vitæ æternæ participes facere velle; ideoque id non possumus tanquam omnino certum asseverare. Sed tamen quia nihil obstat, quominus Deus plura hominibus beneficia præstet quam expresse promiserit; videamus nunquid ulla hujus voluntatis indicia aut conjecturæ in Scriptura occurrant. *Primo* igitur dico, ejusmodi homines quales nunc descripsi, non adjudicatum iri ignis æterni supplicio. Id enim solis profanis Euangelii contemtoribus denunciatum est, aut iis qui naturæ lumen in cordibus suis fulgens suffocant, atque in injustitia detinent, ut liberius peccato indulgere possint; prout videre est in omnibus illis locis in quibus de tali supplicio agitur. Nec imputabitur eis in peccatum quod in Christum non crediderint. In eo enim nullum esse peccatum Christus ipse testatur, cum dicit de Judæis, credere in se nolentibus, *Si non venissem, & locutus essem eis, peccatum non haberent* (nempe incredulitatis, quod obstat ne cætera remittantur,) *nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, *Joan.* XV. 22. nempe quia ignorantiam prætexere non possunt. Nec increduli sunt; illis enim solis hoc nomen convenit, qui Euangelio sibi annunciato credere nolunt, de quibus Christus, *Hæc est condemnatio, quia lux venit in mundum, & dilexerunt magis homines tenebras quam lucem*, &c. *Joan.* III. 19. Isti ignorantes melius dicuntur, & medium tenent locum inter fideles & infideles. Quare si Deus eos vita æterna excludat, quam nec promisit nec dare tenetur, media conditio statuenda est à salute & damnatione omnino diversa, in quam recipiantur; forte ut in pulvere in quem redigendi sunt æternum maneant, nunquam inde suscitandi, secundum comminationem Adamo factam, *Gen.* II. 17. & III. 19. Objicies Paulum dicere, eos qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Jesu Christi, pœnas daturos in interitu æternas, &c. 2 *Thess.* I. 8. 9. Ad quod resp. Nos de iis non agere qui Deum non noverunt, ad cujus cognitionem & cultum natura sola homines deducere potest, sed de iis qui ignorant Jesum Christum, quem nullus absque divina patefactione agnoscit. Illi plane sunt inexcusabiles, & non est mirum si in ignis æterni supplicium sunt mittendi: hi vero excusationem legitimam afferre possunt quod non crediderint; nempe quod impossibile id sibi fuerit propter revelationis defectum. Et male ipsis applicatur quod Paulus pronunciat de iis qui non obediunt Euangelio, id est de rebellibus & contumacibus adversus Euangelium sibi annunciatum; quos nemo dubitat gravissimi sceleris esse reos, & solis inferni flammis expiandi. Quod

tamen de iis solis intelligi volo, quibus Euangelium pure est annunciatum aut communicatum, absque falsorum & absurdorum dogmatum, quæ ipsum suspectum redderent, admixtione.

XIII. *Secundo*, fides in Christum non fuit necessaria ad placendum Deo, antequam Christus venisset in mundum; ut constare potest ex aliquot exemplis ab Apostolo allatis *Hebr.* XI. Quæ duorum sunt generum. Quidam enim illic commemorantur, qui nihil plane audiverant de promisso adventus Christi. Qualis erat Rahab, mulier Cananæa, cujus fides celebratur tum ab isto divino Scriptore, tum à Jacobo, *cap.* II. Ea enim non respiciebat in Christum; sed tota in eo consistebat, quod ad animum revocans miracula in gratiam Israëlitarum facta, ut quod Deus siccasset aquas maris rubri quando egressi erant ex Ægypto, &c. colligebat Deum ipsorum esse verum Deum, qui plenam ipsis daturus esset victoriam de omnibus inimicis suis, & se occultando exploratores ab ipsis missos, Deo gratum opus facturam, quod remuneratione non esset cariturum; ut videre est illis locis, & præcipue *Josuæ cap.* II. Fuerunt alii, qui aliquid quidem audire potuerant de promisso adventus Christi; sed quorum tamen fides non collocatur in eo quod ipsum exspectassent, sed in rebus plane diversis. Ex. gr. Noachus, qui *divinitus admonitus de iis quæ adhuc non videbantur*, id est de diluvio imminente, *metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, & justitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus.* Item Gideon, Barac, Samson, Jephte, de quibus dicitur quod *fide fortes facti sunt in bello, & castra verterunt exterorum.* Unde evidenter probatur, fidem qua isti placuerunt Deo, non in eo constitisse, quod crederent Christum aliquando venturum in mundum, & se per ejus mortem ab omnibus suis peccatis purgatum iri. Nam quamvis aliqui illorum id sperare potuerint, (quod tamen non debet tanquam omnino certum asseverari) hæc tamen non fuit illa fides per quam justi apud Deum reputati sunt. Quemadmodum enim fides, qua credimus Christum jam venisse, non reddit nos justos; sic neque ea qua ipsum venturum antiqui exspectabant. Hæc enim est fides mere historica, quæ in multis impiis inventa est olim, & hodie adhuc invenitur; qui propter illam non magis accepti sunt Deo quam dæmones, qui credunt unum esse Deum, & contremiscunt. Imo vera fides in Christum, qualis præscribitur in Euangelio, non potuit habere locum etiam in piissimis illorum qui ejus adventum antecesserunt, ut Abrahamo, Davide & similibus. Ea enim, ut ex descriptione supra à nobis facta patet, requirit serium propositum parendi omnibus Christi præceptis, sub spe vitæ æternæ ab ipso promissæ obtinendæ. Nullus ergo illa præditus esse poterat, antequam præcepta & promissa sua promulgasset. Quare fides veterum illorum, propter quam obtinuerunt testimonium justitiæ, non fuit proprie loquendo fides in Christum, etiamsi comprehenderit spem adventus illius, in aliis quidem clarius, in aliis vero obscurius, pro modulo revelationis ipsis factæ, extra quam ultra progredi ut non poterant, ita neque tenebantur. Quæres qualis ea fuerit? Resp. in Deum creatorem universi, omnia providentia sua administrantem, & pios amore, impios vero odio prosequentem; comprehendens serium propositum pietatem & probitatem, quam ei gratam esse sciebant, sive ex lumine naturæ, sive ex patefactione orali, sive ex lege scripta, sectandi, sub spe amplæ remunerationis, & Deo dignæ, qualiscunque tandem illa esset futura. Objicies, Petrum tamen antiquis Patribus tribuere non obscure fidem in Christum; cum dicit iis qui circumcisionem Gentilibus ad Christum conversis necessariam esse putabant, *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum* (nempe Gentilium) *quod neque patres nostri* (nempe Israëlitæ) *neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi*, (scil. patres nostri crediderunt se per gratiam Domini Jesu Christi salvatum iri,) *Act.* XV. 10. 11. Sed responsio est facilis, verba ista ultima, *quemadmodum & illi*, in quibus vis argumenti consistit, non referri debere ad proxime antecedentia, *patres nostri*, sed ad discipulos ex Gentibus conversos, ibidem quoque commemoratos; & de quibus dixerat, *Deus qui novit corda, testimonium iis perhibuit, dans illis Spiritum S. sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.* Ex quibus apparet, de istis tantum discipulis, recenter ad Christum conversis, hoc loco agi, non de veteribus Israëlitis, de quibus nulla mota fuerat quæstio. Nec obstat quod vox *Patres* propior sit voce *discipulorum.* Nam relativa pronomina, hic, iste, ille, non semper referuntur ad id quod proxime antecessit; sed ad id de quo præcipue agitur in toto discursu; ut videre est in variis aliis locis. Duo ex hoc ipso libro exempla proferre suffecerit, *cap.* VII. *v.* 17. Stephanus dicit, *Crevit populus & multiplicatus est in Ægypto, quoadusque surrexit alius rex, qui non noverat Joseph. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros*, &c. ubi nullus adeo stupidus erit, ut ista ultima verba, *hic circumveniens genus nostrum*, velit referre ad Josephum proxime nominatum, cum evidens sit, ea de rege Ægypti esse intelligenda. Similiter *cap.* X. *v.* 6. Angelus dicit Cornelio Centurioni, *Accerse Simonem Petrum, qui hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cujus est domus prope mare, hic dicet tibi quid oporteat te facere.* Ubi etiam verba ista ultima, *hic dicet tibi*, non respiciunt ad proxime antecedentia de Simone coriario, sed ad paulo remotiora de Simone

Petro. Fac tamen in loco *Act.* xv. aliter se rem habere, & Judæorum majores credidisse se per gratiam Jesu Christi salvatum iri; nondum tamen probatum esset quod versatur in quæstione, nempe ipsos ea fide qua justificamur sub Novo fœdere præditos fuisse, quæ comprehendit notitiam præceptorum Christi & serium illis obediendi propositum, cum fiducia vitam æternam ab ipso promissam obtinendi. Imo nec dici potest illos credidisse se per Christi mortem & satisfactionem ab omnibus suis peccatis liberatum iri; id superabat temporum quibus vivebant captum. Et Apostoli ipsi, postquam diu cum Christo essent versati, & beati propter fidem suam prædicarentur, non credebant illud; ut apparet ex Petro, dissuadente Jesum ne iret Hierosolymam, ubi insidiæ ipsi struebantur à Judæis, *Matth.* xvi. *v.* 16. *& seqq.* Nihil ergo aliud credidissent veteres illi, quam se gratia Christi venturi, cujus modum ignorabant, salutem consecuturos. Nam etsi Prophetæ Spiritu Dei acti multa prædixissent ad passiones Christi pertinentia, ea tamen non bene intelligebant ipsi, ut colligimus ex 1 *Petr.* I. 12. tantum abest ut fidelium vulgus mysticum prophetiarum illarum sensum caperet.

XIV. *Tertio*, Si veteres illi qui ante Christi adventum vixerunt, salvati sunt absque fide in eum, non est credibile Deum sub Novo fœdere, in quo majorem erga genus humanum, quam sub Veteri, gratiam exserit, velle à salute excludere eos, qui nulla sua culpa in eum non crediderunt, quia ipsis revelatus non fuit. Atqui veteres illos non habuisse fidem in Christum modo demonstratum fuit. Salvos autem fore in die ultima, cum Deus unicuique rependet secundum opera sua, non est etiam cur aliquis dubitet. Id enim diserte testatur Christus, dicens multos ab oriente & occidente venturos, & in regno cœlorum cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo recubituros, *Matth.* VIII. 11. Item Apostolus, dicens, *Non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis civitatem*, *Hebr.* XI. *v.* 16. nempe illam *cœlestem fundamenta habentem, cujus artifex & conditor est Deus*, *v.* 10. Quid-ni ergo idem sentiamus de piis inter Gentes qui à temporibus Christi vixerunt, omnis illius cognitionis expertes? Nam quamvis nunc major sit fidei in Christum necessitas, quam antea; id tamen respectu tantum eorum debet intelligi, quibus Christus annunciatus est, & facultatem habuerunt ipsum cognoscendi. Id trahere ad alios, esset misericordiæ divinæ limites arctare; & quidem absque ulla probabili ratione; quos temporum ratio dilatare potius suadet.

XV. *Quarto*, Deus illos quibus Euangelium non est annunciatum, nunquam permisit esse destitutos iis mediis quibus in se credere & ex fide sibi obedire possent. Ergo qui illis mediis bene fuerunt usi salvabuntur absque fide in Christum, aut saltem ignis æterni supplicium, impiis & infidelibus paratum, effugient. Consequentia est manifestæ veritatis. Absurdum enim esset dicere eos, qui vere in Deum credunt, pœnam istam horrendam subituros propterea quod non crediderunt in Christum; quod tamen nec tenebantur nec poterant facere, quia ipsis non fuerat revelatus. Superest ergo tantum nobis probandum antecedens; quod factu est facillimum. Multa enim habemus Scripturæ loca quæ id diserte docent. Occurrit primo id quod Paulus Lystrensibus dicit, *Deus non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra*, *Act.* XIV. 16. Testimonium illud cujus nunquam expertes Deus homines est passus, est testimonium omnipotentiæ & bonitatis suæ; quod qui habent, sufficientibus sunt instructi mediis quibus in Deum credere & ipsum colere possint. Dices, pluvias & tempora fructifera, non docere quomodo Deus sit colendus. Resp. sufficere si doceant ipsum esse, & omni cultu & honore dignum. Recta enim ratio satis docet eos, qui illam audire volunt, Deum pia & proba vita, qua magis delectatur, quam ullis donariis, quibus non indiget, esse colendum. Quod si ista non forent sufficientia, male Paulus dixisset *Deum non se reliquisse ἀμάρτυρον*. Ad quid enim illud testimonium, si partem tantum, & quidem minimam, ejus quod scire oportet, nobis indicat? Esset-ne judicium bonitatis divinæ erga nos, id quo ad momentum solum frui liceret, ut postea in miseria æterna versaremur? Secundum habemus in oratione ad Athenienses, ubi idem Apostolus dicit, *Deum fecisse genus hominum, ut se quærant & inveniant; cumque non longe esse ab unoquoque nostrum; in ipso enim nos vivere, & moveri, & esse*, *Act.* XVII. 26. Quid enim sibi volunt ista, nisi Deum ita se patefecisse universis hominibus, ut possent eum colere, & propitium erga se experiri? *Deum* enim *quærere* idem esse ac ipsum cultu debito prosequi, docet illud Apostoli, *Deum esse remuneratorem iis qui quærunt se*, *Hebr.* XI. 6. Et *invenire* illum, esse favoris ejus esse participem, discimus ex Esaia, ubi dicit, *Quærite Deum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est*, *cap.* LV. *v.* 6.

XVI. Tertius longe insignior legitur *Epist. ad Rom. cap.* I. ubi Paulus dicit de Gentilibus, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, id est, id quod potest & debet cognosci de Deo, *manifestatum est in ipsis; Deus enim ipsis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatione mundi, videl. æterna ejus potentia & divinitas, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; ut sint inexcusabiles; quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias ei egerunt*, &c. Ex quo apparet eos, quibus Deus verbo legis aut Euangelii se non patefecit, non esse destitutos facultate Deum cognoscendi, & ad salutem perveniendi, si gratiæ sibi oblatæ non desint,

desint, aut eam in injustitia non detineant; veluti servus ille malus, qui talentum à domino acceptum ut ex eo negotiaretur, involvit linteo & defodit in terram, id est inutile reliquit, *Matth.* xxv. Quidam excipiunt, istam revelationem Dei quæ fit per opera creationis, non posse perducere homines ad salutem, sed tantum inservire ad eos inexcusabiles reddendum; eumque esse scopum Dei in iis quos majore aut efficaciore gratia non prosequitur. Sed resp. Dei gratiam per se & ex natura sua non reddere quemquam inexcusabilem, sed tantum quatenus contemnitur aut rejicitur. Quod si qui tali sorte sunt conditi, ut non possint ea bene uti, sed necessario illam respuant, non reddit eos inexcusabiles. Inexcusabilis enim ille tantum est, qui nullam justam excusationem afferre potest, cur non paruerit Deo. Quod in eos non quadrat, quibus Deus quidem manifestavit voluntatem suam, sed vires non dedit ad ei obtemperandum necessario requisitas. Nulla enim magis legitima est excusatio, quam ea quæ sumitur ab impotentia; cum nemo ad impossibile teneatur, ut natura docet. Nec potest dici iste Dei fuisse scopus in se manifestando Gentilibus, quin summa injuria bonitati ejus inferatur; quasi dona Dei tendant ad eorum perniciem quibus ea largitur. Tenderent autem, si nulla ipsorum alia esset efficacia, quam inexcusabiles illos reddendi. Qui enim sunt inexcusabiles, graviori sunt digni pœna, quam illi qui aliquid speciosum peccatis suis prætexere possunt. Eventus igitur manifestationis divinæ indicatur hac phrasi, *εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους*, non scopus Dei: quod recte intellexit vetus interpres, qui eam reddidit, *ita ut sint inexcusabiles*; quemadmodum etiam non raro videmus particulas *ἵνα* vel *ὅπως ut*, accipi pro *ὥστε*, id est, *ita ut.* ex. gr. *Rom.* v. 20. *Matth.* xxiii. 35.

XVII. Nec minor est vis ad intentum nostrum probandum in quarto loco, quem suppeditat *cap.* ii. ejusdem Epist ad Romanos; ubi Paulus dicit, *An divitias bonitatis ejus* (Dei) *& patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit?* &c. *v.* 4. Unde colligo; Si benignitas Dei illa, quam Deus erga omnes homines exerit, & patientia qua utitur in dissimulandis aut tolerandis eorum peccatis, adducit eos ad pœnitentiam; adducit eos quoque ad salutem, cum pœnitentia sit via ad salutem, nec Deus ulli unquam peccatori serio resipiscenti veniam admissorum denegarit. Iste locus adeo est clarus, ut nulla elabendi rima detur, nisi cum aliquibus negando de Gentilibus hic agi; id vero ajunt apparere ex initio capitis, ubi Paulus Judæos compellet, dicens, *Propter quod inexcusabilis es homo omnis qui judicas; in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis quæ judicas.* Quod putant nemini competere posse quam Judæis. Sed resp. Solum hujus capitis initium ostendere exceptionem istam esse ineptam. In eo Apostolus continuat sermonem præcedenti capite inchoatum, qui sine controversia ad Gentiles dirigitur. Nec hic ulla apparet personæ mutatio; sed contra conjunctio conclusiva, *Quare* aut *Propter quod*, indicat eosdem qui antea compellari; nimirum Gentiles, adversus quos toto primo capite disputavit. Volens enim eos omnes peccati convincere, & ea ratione necessitatem gratiæ in Christo oblatæ ostendere, incipit ab aperte impiis & profanis, quorum horrenda scelera redarguit. Deinde transit ad eos, qui simulabant se à vitiis abhorrere; & interim clam ea committebant quæ in aliis damnabant; ostendens eos sententiam condemnatoriam ita faciendo adversus se ipsos pronunciare. Tales autem erant Philosophi plerique, qui præclare de virtute disserebant, & tamen sanctius cæteris non vivebant; quos Lucianus passim in suis scriptis admodum salse perstringit: illique similiter, de quibus loquitur Satyricus, *Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.* Non enim existimandum est hypocritas solum inter Judæos repertos fuisse: istud vitium toto mundo obtinuit, ubi multi semper fuerunt qui simularunt pietatem, cujus vim abnegarant. Paulus incipit tantum *v.* 17. hujus capitis nominatim compellare Judæos, ubi dicit, *Ecce tu Judæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo*, &c. Quæcunque præcesserunt à *v.* 18. *cap.* 1. usque ad illum locum, Gentiles spectant, etiamsi obiter interdum quædam verba interserantur ad Judæos pertinentia. Et istud adeo clarum est, ut plerique omnes interpretes, quarumcunque sint partium, in eo consentiant. Cui adde, quod etiamsi Paulus hoc loco Gentiles speciatim non compellaret, tamen vis argumenti inde petiti, maneret illibata, dummodo fateamur Deum aliquoties erga illos patientia & longanimitate usum esse. Id autem adeo aperte constat ex universa Scriptura & experientia, ut neminem id ausurum negare existimem. Videatur solum locus modo citatus *Act.* xvii. ubi dicitur *Deum dissimulatis ignorantiæ temporibus, nunc omnibus ubique denunciare hominibus ut resipiscant*, *v.* 30.

XVIII. Sed quid opus est pluribus, cum quintum habeamus locum in hoc *cap.* ii. *ad Roman.* qui totam controversiam de salute Gentilium Christum ignorantium decidit? ubi Paulus *v.* 7. dicit, *Iis qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam*, supple, reddet Deus, ut apparet ex versu antecedente, cum quo hæc verba cohærent. De Gentilibus autem non minus quam de Judæis istud esse intelligendum, docet universa orationis series; & nominatim *versus* 10. & 11. *Gloria, honor, & pax, omni operanti bonum, Judæo primum, deinde & Græco; non enim est acceptio personarum apud Deum.* Non respici autem hic ad Græcos seu Gentiles per Euan-

Euangelium vocatos, sed in statu naturæ seu vocationis communis adhuc positos, evincitur ex iis quæ immediate sequuntur, *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*; quæ in eos qui notitiam Euangelii aliquam habuerunt, non quadrant. Cui adde interjecta verba, v. 8. & 9. *Iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio*, supple, erit. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum; Judæi primum, deinde & Græci.* Quibus comprehenditur severa comminatio Gentiles pariter & Judæos feriens. Absurdum autem esset existimare, in lege promissis & minis sancita, promissa ad eos omnes non pertinere ad quos pertinent minæ; seu non posse omnes promissorum bonorum esse participes, sub hac conditione, si illi pareant; sed tantum in pœnas quas continent minæ incidere. Relinquitur ergo, ut si qui ex Ethnicis operati fuerint bonum, & per boni operis patientiam quæsierint gloriam, honorem & incorruptionem, illi vitam æternam adipiscantur. Tales autem semper fuisse aliquos, etsi non magno numero, discimus ex Cicerone, Seneca, Plutarcho & aliis. Quibus adde elegantissimum librum Gallicum, *De la Vertu des Payens*, auctore la Motte le Vayer. Lutet. 1647. Et consentaneum est omnino doctrinæ Pauli, qui præcedentibus subjungit, *Cum Gentes quæ legem non habent, natura quæ legis sunt faciant, ejusmodi legem non habentes sibi ipsi sunt lex*, &c.

XIX. Sed objicitur 1. Christum in oratione sua ad Patrem *Joan.* XVII. 3. dicere, *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum verum Deum*, (id est summum seu altissimum) *& quem misisti Jesum Christum.* Unde colligitur non minus esse necessarium ad vitam æternam obtinendum cognoscere Jesum Christum, quam unum Deum Patrem; cum utriusque notitia, tanquam pariter requisita, hic simul conjungantur. Cum ergo absque fide in Deum Patrem nemo unquam salutem sit consecuturus, ita neque etiam absque fide in Christum. Talis enim hic notitia intelligitur, quæ cum vera fide sit conjuncta, non theoretica solum, sed etiam practica. Ad quod respondeo; multa adhuc alia proferri posse loca, quæ fidem in Christum requirunt in iis qui salutis æternæ participes sunt futuri; qualia sunt præcipue illa duo insignia quæ supra citavimus ex *Act.* IV. 11. 12. & 1 *Joan.* V. 12. Sed ex illis nihil aliud colligi potest, nisi religionem Christianam esse viam ordinariam perveniendi ad salutem; nullique alii promissionem ejus esse factam, unde illam obtinendi certa spes oriri possit. Non sequitur Deum extra ordinem eam non daturum iis qui pie & probe secundum naturæ lumen vixerint. Nihil enim obstat, quominus plus præstet quam promiserit: præsertim cum tot suæ voluntatis in hac parte indicia dederit, quæ in allatis supra à nobis argumentis & testimoniis habuimus.

XX. Affertur 2. *Sine fide impossibile esse placere Deo: fidem autem esse subsistentiam rerum sperandarum, & demonstrationem* seu argumentum *rerum non apparentium*, *Hebr.* XI. 1. 6. Eam vero non posse concipi ex contemplatione operum creationis, nisi aliqua adhuc alia revelatio accedat. Resp. Ex operibus creationis cognosci posse Deum esse; item ipsum esse potentissimum, sapientissimum, optimum; indeque concipi aliqua remunerationis spes si sancte vivendo ejus gratiam ambiamus. Cui si adjungatur observatio exemplorum providentiæ Dei in remunerandis probis, & puniendis improbis; istam spem validius adhuc fulcrum, cui innitatur, habituram. Nihilque obstare quominus ejusmodi fides dicatur esse subsistentia rerum sperandarum, & demonstratio non apparentium, etiamsi à cognitione Christi & promissorum Euangelii sejuncta sit. Nam respicere potest ad remunerationem & punitionem, quas oculis præsentes non videt, & hac ratione ad virtutem sectandam & vitium fugiendum induci, de bonitate & justitia Dei, ex iis quæ aliquando vidit & animadvertit persuasa. Si quis tamen pertendat, fidem in Christum ad salutem esse plane necessariam, propter loca superius adducta, quæ videantur ipsi expressiora, quam ut exceptionem qua usi sumus admittant; dicam Deum esse tam bonum & æquum, ut nunquam passurus sit perire eos in quibus ejusmodi, qualem descripsimus, fides inventa fuerit; & potius ad ipsos missurum Angelum de cœlo ut olim ad Cornelium Centurionem, *Act.* X. qui eos de via salutis edoceat, quam ut eos propter solum defectum cognitionis Christi, quam nec possunt nec tenentur habere, à se æternum rejiciat; vel si hac via progredi nolit, & pii illi aliquo sint numero, ad eos Deum ablegaturum Euangelii præcones, ut olim Corinthum, ubi populum multum habebat, *Act.* XVIII. 10. qui ipsis verba vitæ æternæ annuncient. Nam quod alias contigit, potest etiam hodie, rebus eodem modo se habentibus, evenire; cum id consuetudini & voluntati divinæ sit plane consentaneum, qui habenti dat, *Matth.* XXV. & vult omnes homines salvos fieri, & ad veritatis cognitionem venire, 1 *Tim.* II. Sed de hac materia satis.

CAPUT VII.

De partibus Fidem constituentibus.

I. *Fidei partes quatuor. prima cognitio.* II. *Refellitur Pontificiorum fides carbonaria.* III. *Fidem non esse viam ad notitiam.* IV. *Quomodo à notitia distinguatur.* V. *Quid sit, quod Paulus dicit 2 Cor. 10. se omnem intellectum in captivitatem redigere, &c.* VI. *Cognitio hujus vitæ inferior multo est ea quæ in futura locum habebit.* VII. *Objectum ejus est verum.* VIII. *Quomodo notitia hæc in Scriptura soleat describi.* IX *Secunda pars est assensus.* X. *Ejus discrimen ab assensu quem præbemus rebus sensu perceptis* XI. *Et ab opinione.* XII. *Quæ certitudo in hoc assensu requiratur.* XIII. *Cur fides non sit omnium.* XIV. *Quæ fides justifi-*

justificet. XV. *Tertia pars est fiducia.* XVI. *Ejus discrimen ab assensu.* XVII. *Est de essentia fidei.* XVIII. *Non respicit remissionem peccatorum, tanquam reipsa jam obtentam.* XIX. *Fides sedem habet partim in intellectu, partim in voluntate.* XX. *Quarta pars est propositum obedientiæ, sine qua fides est mortua.* XXI. *Bona opera non sunt fidei forma, sed indivulso nexu cum ea conjuncta.* XXII. *In hoc solo non consistit fides, ut credamus peccata nostra sanguine Christi esse deleta: quia ea inefficax est ad bona opera.* XXIII. *Quia multorum fides celebratur, qui nihil de hac deletione sciverunt.* XXIV. *Et quia incredulitas, quæ rebellio est adversus Deum, illi opponitur.*

I. JAm nobis propius est consideranda vera in Christum fides, & quid in ea requiratur explicandum. Ea non est simplex aliquis habitus aut actus, sed ex quatuor præcipuis partibus constat; nimirum cognitione, assensu, fiducia, & serio proposito vitam ad Euangelii normam componendi. Quod ad cognitionem attinet, ea est quasi fidei fundamentum, cui aliæ tres partes innituntur, & quo sublato eas corruere necesse est. Indeque fit ut non raro in Scriptura synecdochice pro tota fide usurpetur. Sic Deus ipse de Christo apud Esaiam loquitur, *Cognitione sui justificabit ipse justus servus meus multos*, *cap.* LIII. *v.* 11. Et Paulus fidem vocat, *agnitionem veritatis quæ secundum pietatem est*, *Tit.* I. 2. Hæc autem cognitio cum assensu debet esse conjuncta; quia cognitio ab assensu sejuncta non constituit fidem; qualis foret in eo, qui doctrinam Euangelio comprehensam recte quidem intelligeret, sed pro fabula illam haberet & irrideret. Hæc duo à se invicem debent esse indivulsa. Nam etiam assensus absque notitia, fidei nomine est indignus; imo neque verus assensus est, sed tantum umbra aut simulacrum illius. Quicunque enim alicui rei assentitur, debet aliquomodo nosse quænam illa sit. Nec fieri potest ut quisquam orationi, cujus sensum non capit, assensum præbeat, quantumvis id præ se ferat.

II. Unde falluntur illi ex Pontificiis, qui fidem carbonariam, ut vocant, qua creditur implicite id quod Ecclesia Romana credit, etiamsi quid illud sit ignoretur, veram esse fidem, & ad salutem sufficientem existimant. Inter quos tamen comprehendere nolumus illos, qui explicitam articulorum Symboli Apostolici cognitionem in omnibus adultis tanquam necessariam requirunt. Nam in isto Symbolo egregia credendorum summa continetur, quam quisquis arcte tenet, & cum ea mandatorum Dei observationem conjungit, nihil ei in Christiano requisitum deest. Non quod aliqua quæ in Scripturis nobis proponuntur impune contemni posse censeamus. Absit. Quotidie enim in illorum cognitione proficere debent, quibus ejus rei facultas datur. Sed ea illustrationes potius sunt dogmatum fidei, quam partes fidei essentiales; ideoque absque salutis jactura ignorari possunt à simplicioribus; & qui in illis intelligendis alicubi forte errant, tanquam infirmi debent à perfectioribus tolerari; alioqui nullus erit unquam contentionum & schismatum in Ecclesia finis. Sic ergo ab exigenda singularum doctrinæ fidei minutiarum cognitione abstinere debemus, ut in contrarium extremum non incidamus, & fidem per ignorantiam melius quam per notitiam definiri posse cum Bellarmino existimemus. Id quod toto cœlo distat ab eo quod passim in Scriptura præcipitur, *Fratres*, inquit Paulus, *ne estote pueri intelligentia; sed malitia pueri, intelligentia vero adulti estote*, 1 *Cor.* XIV. 20. Ideoque sæpe talem intelligentiam petit à Deo pro iis quos in fide instituerat, *Non desinimus pro vobis orare, & petere ut impleamini omni agnitione voluntatis ejus* (Dei) *in omni sapientia & intelligentia spirituali*, *Coloss.* I. 9. Cui gemina vide *Ephes.* I. 17. *Philipp.* I. 9. Et reprehenduntur illi, qui in notitia voluntatis divinæ & mysteriorum fidei non proficiunt. Quales erant mulierculæ illæ, de quibus dicit, *Semper discentes, sed quæ nunquam ad cognitionem veritatis venire possint*, 2 *Tim.* III. 7. Et merito; non enim id convenit cum fidei professione quam facere tenemur; de qua Paulus, *Corde creditur ad justitiam, & ore fit confessio ad salutem*, *Rom.* X. 10. Et Petrus, *Estote semper parati ad respondendum omni petenti rationem ejus spei quæ in vobis est*, 1 *Epist.* III. 15. Ad bene enim spei & fidei suæ rationem reddendum, non sufficit dicere quid credamus; sed etiam argumenta quibus nixi ita credamus sunt afferenda; ut, si fieri possit, alios etiam, à fide alienos, ad fidem adducamus.

III. Sed objicitur in contrarium, 1. Id quod est via & gradus ad notitiam, non est notitia ipsa; Atqui fides est via & gradus ad notitiam, ut docet Esaias, *Nisi credideritis, non intelligetis*, *cap.* VII. *v.* 9. Ergo, &c. Resp. ad minorem, Pontificios in loco Esaiæ allegando discedere à versione sua vulgari Latina, quam tamen pro authentica habendam sanxit Concilium Tridentinum. In ea enim sic legitur, *Si non credideritis, non permanebitis.* Quod longe melius cum textu Hebræo, quo utimur, convenit, quam id quod secundum LXX allatum est, qui habent ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδὲ μὴ συνῆτε. Sed fac LXX interpretes hunc locum bene reddidisse, nihil tamen ad rem faciet. Non enim ibi agitur de fide qua justificamur coram Deo; sed de ea qua rex Achaz & incolæ Hierusalem tenebantur credere promissioni divinæ per Esaiam propositæ, se liberatum iri ab oppugnatione Syrorum & Israëlitarum; cui si non crederent, ejus executionem non essent visuri, seu non intellecturi quam Deus fidelis sit in implendis promissis, quæ istam conditionem supponebant, si ea firma fide amplecterentur, & in Dei solius auxilio, non in viribus humanis, fiduciam collocarent.

IV. 2. Quod à notitia distinguitur, id non con-

consistit in notitia. Atqui fides distinguitur à notitia, 1 *Cor.* XIII. 2. ubi Paulus dicit, *Si noverim mysteria omnia, omnemque scientiam, & si habeam totam fidem, ita ut montes transferam*, &c. Resp. ad majorem, eam non esse universaliter veram. Nihil enim vetat totum à parte sua aliqua distingui; præsertim si pars illa talis sit, ut interdum extra totum istud reperiatur. Id quod in notitia videre est, quæ absque fide esse potest, ut supra monuimus. Deinde ad minorem dico, fidem de qua loco illo *ad Corinth.* agitur, non esse fidem justificantem; sed persuasionem de effectu aliquo miraculoso, quam nihil vetat sejunctam esse ab exacta cognitione mysteriorum salutis; quam neque in justificante requisitam esse putamus, etiamsi eam à cognitione fundamentalium capitum religionis nunquam separari posse contendamus.

V. 3. Ubi oportet captivare intellectum, ibi non requiritur notitia. Sed in fide oportet captivare intellectum, ut docet Paulus 2 *Cor.* X. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ergo, &c. Resp. Majorem esse falsam. Tantum enim abest, ut non requiratur notitia, ubi oportet captivare intellectum, ut contra non possit vere captivari intellectus, nisi prius sciatur quid sit illud in quod oportet eum captivare, alioqui captivatio ista foret bruta, & virtutis nomine indigna. Tunc rationaliter captivamus intellectum nostrum, cum propter Dei reverentiam, quem scimus aliquid præcepisse aut revelasse, illud humiliter amplectimur, etiamsi rationi nostræ id videatur absurdum. Ita Abraham, *cum Deus ei promisisset semen ipsius fore sicut stellas cœli & arenam maris*: (cujus promissi mentem facile capiebat, etsi qua ratione esset implendum nesciret) *non infirmatus est fide; nec consideravit corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum, nec emortuam vulvam Saræ; in promissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissime sciens quia quæcunque promisit, potens est & facere*, *Rom.* IV. 18. *& seqq.* Idemque sibi voluit in loco ex 2 *Cor.* X. ad minoris confirmationem citato; ubi dicit se *in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi.* Nam id præstabat, cum miraculorum efficacia trahebat in assensum doctrinæ Euangelicæ, ab iis quidem quibus proponebatur recte perceptæ; sed quam pro vera amplecti detrectabant, quia rationi carnali absurda videbatur; ut salutem æternam sperare per Jesum Christum crucifixum, & propter hanc spem omnibus terrenis commodis alacri animo renunciare; & similia, quæ absurda esse nemo existimat, nisi aliquo saltem modo intellexerit.

VI. Cæterum cognitio mysteriorum divinorum, etiam perfectissima quam in hac vita habere possumus, multis parasangis distat ab ea quam in futuro sæculo speramus. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*, &c. 1 *Cor.* XIII. Imo ibi proprie non erit fides, quatenus ea spem futurorum bonorum comprehendit, secundum descriptionem Apostoli, *Hebr.* XI. 1. Quia tunc illa nobis erunt præsentia, iisque fruemur.

VII. Sed quantulacunque sit hujus sæculi fides, ejus objectum, seu id quod Deus nobis credendum proponit, debet esse verum. Deus enim est ἀψευδὴς, *Tit.* I. 2. Ac proinde non potest jubere, nos amplecti pro vero, id quod est falsum; alioqui seipsum abnegaret, quod nequit facere, 2 *Tim.* II. 13. Et non potest quicquam absurdius fingi, quam istud, Deum sub pœna damnationis æternæ præcipere quibusdam ut credant mendacio; quod etiamsi pro veritate amplecterentur, damnationem tamen non essent evasuri; ut sequitur ex dogmate, unde occasionem sumserunt istud comminiscendi; nempe, Christum non esse mortuum pro reprobis; Et tamen omnes quibus Euangelium annunciatur, inter quos, ut ajunt, multi sunt reprobi, esse pro se mortuum teneri credere. Posito enim aliquos reprobos isti mendacio credere, & pro indubitata veritate habere, nihil ipsis prodesset, nec salutem ideo consequerentur, cum ea nemini obtingat, nisi per mortem Christi; quam pro reprobis ipsum obiisse negant. Sed de hoc impio dogmate, & quod universam Christianam religionem evertit & pessundat, alibi jam fusius actum est.

VIII. Notitia autem in fide requisita, non uno solet modo in Scriptura exprimi & describi. Aliquando enim tota in eo collocatur, ut credamus Jesum esse Christum, seu Messiam promissum. Id quod significat Joannes, cum enarratis aliquot Domini Jesu miraculosis post resurrectionem apparitionibus, ita infert, *Hæc scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*, *cap.* XX. *v.* 31. Et eo contentus est Philippus in Eunucho Reginæ Candaces, quem sub hac confessione, *Credo filium Dei esse Jesum Christum*, admisit ad Baptismum, *Act.* VIII. 37. 38. Aliquando exigitur præterea ut credamus eum suscitatum fuisse à mortuis; ut cum Paulus dicit, *Hoc est verbum fidei quod prædicamus; Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum excitavit à mortuis, salvus eris*, *Rom.* X. 9. Sed hæc duo in unum prope coïncidunt. Nemo enim potest credere Jesum esse Christum, Dei filium & mundi Salvatorem, qui non simul credat ipsum in vitam à Deo esse revocatum; cum absurdum sit cogitare principem vitæ, vinculis mortis adhuc retineri, *Act.* II. 24.

IX. Et istud est quod ad fidem constituendam pertinere jam antea monuimus; nimirum non cognitionem nudam, sed eam quæ cum assensu conjuncta est. Frustra enim audivissemus, Jesum esse Christum, & ipsum à mortuis

esse suscitatum, & sciremus id in Scripturis clare & aperte doceri, nisi dogmatibus istis assensum tanquam veris præberemus. Itaque cognitio, si accurato judicio rem expendamus, non tam est fidei pars, quam ejus antecedens necessarium, sine quo nullus verus & rationalis assensus dari potest.

X. Magnum autem est discrimen inter fidei assensum, & eum quem præbemus rebus sensu perceptis, aut demonstratione aliqua Philosophica probatis; qui aliquando tali evidentia nititur, ut nemo sanæ mentis ei possit reluctari; ideoque inter virtutes morales non computatur, nec præmio aut mercede ulla à Deo compensatur. Fides enim est assensus sola Dei revelantis auctoritate & veracitate subnixus; etiamsi res cui assentimur à sensibus plane sit remota, & nullis argumentis aut demonstrationibus è Philosophia vel Mathesi petitis fulciri possit. Quamvis enim illa nonnunquam ad fidem cum patefactione divina concurrant, non tamen eam proprie loquendo constituunt, sed solus assensus isti patefactioni adhibitus. Unde cum Thomas noluisset credere Christum esse à mortuis suscitatum, nisi in manibus ejus vidisset fixuram clavorum, &c. hoc responsum tulit, *Quia vidisti me Thoma credidisti; beati qui non viderunt & crediderunt, Joan.* XX. 24. *& seqq.* Quasi diceret; hæc tua fides non est magna laude digna, qua id credis quod ipse oculis tuis vidisti & manibus palpasti; & de quo, si velles, amplius dubitare non posses. Illorum longe est excellentior, qui postea me resuscitatum esse credent, licet id non viderint. Quod etiam significat Petrus, cum ad commendandam eorum ad quos scribit fidem, dicit, *Quem* (Jesum) *cum non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis*, 1 *Epist.* I. 8. Ita cum mundum à Deo esse conditum credere possimus, vel quia talibus argumentis id probatum est, quæ assensum à nobis extorqueant; vel quia Deus id in verbo suo testatur; istud posterius est proprie id quod vocatur fides, secundum Apostolum, qui dicit, *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*, *Hebr.* XI. 3. Quamquam fatendum est in hoc rerum genere, fidem, quam adhibemus Dei verbo, multum adjuvari à Philosophia, cum docet ea quæ à Deo revelata sunt, rationi esse consentanea. Non quod non debeamus magis credere Deo quam rationi nostræ; sed quia ex eo persuasi sumus patefactionem illam esse vere divinam, quam cum ratione, cujus ipse auctor est, consentire animadvertimus. Hinc videre est, quantum à se invicem differant fides & scientia, & cur illa magis quam hæc placeat Deo. Hæc enim ad summum nihil habet excellentius, quam quod arguat illum esse doctum & ingeniosum in quo reperitur; illa vero probi animi est indicium, qui Deum in reverentia habet. Multo ergo minus assensus, quem sensuum testimonium parit, habet aliquid laude dignum; nam in eo bruta nonnulla, si loquerentur, gloriari possent se nos anteire; quæ quo acrioribus sensibus pollent, tanto firmiorem assensum rebus quas sensu perceperunt præbere videntur.

XI. Nec tamen ideo fides cum opinione est confundenda. Opinio enim est assensus infirmus & cum dubitatione conjunctus. Fides vero est assensus firmus, qui dubitationem excludit; licet sit infirmior quam ille qui ex demonstratione aut sensu habetur. Itaque fidei assensus medium tenet locum inter opinionem & scientiam, aut cognitionem sensualem; eique sufficit ut in lucta adversus dubitationes prævaleat, etiamsi ne aliquando invadant ipsamque sollicitent non possit penitus impedire.

XII. Cum autem omnis verus assensus oriri debeat ex certa cognitione rerum quibus assentimur, talem quoque esse oportet fidei assensum, qui non ex subito aliquo animi impetu nascatur, sed prævium habeat diligens & accuratum rei credendæ examen inquisitionemque. Alioqui hic assensus non esset laudabilis, aut virtutis nomine dignus; nec in tentatione perdurare posset. Unde Christus dicit, eos qui subito & cum gaudio accipiunt verbum, & non habent in se radicem, πρόσκαιρους, id est temporales esse, factaque tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizari, *Matth.* XIII. 20. 21. Ante omnia ergo certos nos esse oportet, doctrinam quæ nobis credenda, tanquam ad salutem necessaria, proponitur, esse ex Deo. Non quod Deum ipsum loquentem audiverimus, ut olim Israëlitæ è monte Sinai, unde legem publicavit. Id enim facere amplius non solet, ex quo semel se plenissime in verbo Euangelii, per Christum & ipsius Apostolos enunciato, patefecit; sed quia accurata inquisitione adhibita, novimus istam doctrinam à Deo fuisse profectam. Nimirum, quod idoneis testimoniis, & adversus quæ nihil, quod alicujus sit momenti, excipi possit, confirmata fuit; & quod in se divinitatis suæ characteres seu notas habeat impressas, ut sanctitatem præceptorum, excellentiam promissorum, & alia ejusmodi. Quantacunque tamen sit rationum istarum validitas & robur, eæ semper evidentia cedunt sensuum experimentis, & demonstrationibus Mathematicis; ac proinde non trahunt necessario in assensum, ut illæ faciunt. Qui semel sensit ignem aut glaciem, dubitare non potest, etiamsi maxime vellet, quin ille sit calidus, hæc vero frigida. Qui intelligit significationem vocum totius & partis, item æqualis & inæqualis, nunquam impetrabit à se ut credat, partem suo toto esse majorem, vel si æqualibus æqualia addas totum fore inæquale, & alia ejuscemodi. Sed longe diversa est ratio argumentorum quibus fides Christiana innititur: oportet ut iis voluntas interveniat, & pondus addat, atque dicat, Volo credere

credere Jesum esse Christum, obtemperantes ejus mandatis vitam æternam obtenturos; item, mundum à Deo esse creatum & gubernari ejus providentia, etiamsi tam claras istorum enunciatorum non habeam probationes, ut nullum plane dubitationi locum relinquant. Istud enim alienum foret à natura fidei, quæ est *subsistentia rerum sperandarum, & demonstratio non apparentium*, *Hebr.* XI. 1.

XIII. Absque eo fides non foret virtus, aut ulla laude vel remuneratione digna. Nemo enim laudatur aut præmium accipit quod credat totum esse majus singulis suis partibus seorsim sumtis, vel ignem esse calidum, & glaciem frigidam. Sed fidem in Christum Deus ad justitiam imputat, quia voluntaria est, & animo concipi nequit nisi pietatis sis studiosus; cum improbi nunquam desint prætextus quibus incredulitatem suam excusent; nempe quia res quæ proponuntur credendæ, à sensibus sint remotæ; & quia ratio humana non capit, quomodo Deus olim eas sit executioni mandaturus. Quo respiciens Paulus dicebat, *Fides non est omnium*, 2 *Thess.* III. 2. id est, omnes non sunt apti ad credendum Euangelio; non vero (ut quidam putant) Deus omnibus donum fidei largiri non vult. Illis enim omnibus id offert, & largiri paratus est, quibus Euangelium annunciari curat, licet multi eorum ipsum propter malitiam suam contemnant & repudient. Fides enim vera, qualem Euangelium præscribit, non est absque obedientia mandatorum Christi, aut saltem absque serio ejus proposito. Quicunque enim credit Jesum esse Christum, Dei filium, simul quoque agnoscit doctrinam ejus veram esse atque divinam. Ejus autem summa in hoc consistit, quod quicunque renunciabit omni impietati & cupiditatibus mundanis, atque in hoc sæculo vivet temperanter, juste & religiose, vitam & felicitatem æternam consecuturus sit. Itaque qui ex animo huic doctrinæ adhæserit, impulsus vehementi desiderio potiendi summo isto bono, quod nemo sponte repudiare potest, ex totis viribus vitam & actiones suas ad ejus normam componet.

XIV. Ea autem est fides qua coram Deo justificamur, & quæ nobis toties in Sacris literis commendatur: Cui Joannes tribuit, quod sit *victoria quæ vincit mundum*, 1 *Epist.* V. 4. Hujus enim persuasionis ope, nos constanter in obedientia mandatorum Christi perseverando vitam & felicitatem æternam obtenturos, quemadmodum ipse promisit, victoriam reportamus de mundo & carne nostra, quæ illecebris suis nos ab ista obedientia avertere contendunt. Qua de causa Paulus fidem veram hoc elogio describit, quod sit δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, *per charitatem efficax*, *Gal.* V. 6. Sed si consistat in hoc primo gradu, ut tantum pro re probabili habeat Jesum esse Christum, mundi Servatorem, nec id apud se pro firmo & indubitato principio habeat, ut ipsum tanquam talem amplectatur, hæc est fides mortua, quæ nunquam imperatos bonorum operum fructus producet, ac proinde nullas ad vitam æternam perducendi vires habet. A qua fidei umbra non multum abludit ea quam vulgo Calvini & Lutheri sectatores proponunt; qui eam totam collocant in firmiter credendo Jesum Christum morte sua omnia nostra peccata delevisse. Quamvis enim nihil sit verius, dummodo recte intelligatur, quam nos ab omnibus nostris peccatis per Christi sanguinem ablui, & nos illud credere teneamur ut principium religionis, & rem maximi ad salutem nostram momenti; tamen in eo solo non consistit eximia illa fides quæ nos cum Christo conjungit, ut tanquam unum cum ipso corpus, omnium ejus bonorum participes reddamur: sed necessario adjungenda est illa conditio, sine qua mors Christi nobis prodesse nequit, videl. pœnitentia & vitæ emendatio; secundum id quod Joannes docet, *Si nos ambulemus in luce, quemadmodum Deus est in luce, communionem habemus cum ipso, & sanguis filii ejus Jesu Christi, nos emundat ab omni peccato*, 1 *Epist.* I. v. 7. Quod est idem ac si diceret, nisi sectemur bona opera, quæ sunt opera lucis, frustra Christi sanguine nos à peccatis ablutum iri speramus: nos adhuc pœnæ sumus obnoxii. Sed hæc obiter dicta sunto; de iis enim fusius postea tractandum nobis erit.

XV. Sicut notitiam assensus, ita assensum excipere debet fiducia, ut fides sit vera: id est, omnem nostram fiduciam, quæ est spes roborata, ut vulgo loquuntur, seu fidei summus qui concipi potest gradus, in Jesum Christum, tanquam perfectum Servatorem animarum nostrarum collocare debemus; sicut ipse nos docet, *Creditis in Deum, credite etiam in me*, *Johan.* XIV. 1. Sic autem credimus in Deum, ut toti in ipsum recumbamus, & nihil boni nisi ab ejus gratia expectemus; ita igitur in Christum credere nos par est; dummodo inter eum & Patrem, ut inter primam & inter secundam salutis causam discernamus; secundum illud Petri, *Qui per Christum creditis in Deo, qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra & spes esset in Deo*, 1 *Epist.* I. 21.

XVI. Discrimen quod est inter assensum & fiduciam, nonnulli significari putant per phrases, *credere Christo*, & *credere in Christum*; quarum illa significet assentiri Christo, tanquam veraci, & doctrinam divinam è sinu Patris proferenti; hæc vero idem sit, quod fiduciam in illo nostram, ut Servatorem eorum qui ipsi obtemperant, collocare. Sed quamvis illud sit verum, si ad verborum proprietatem attendas, non tamen observatur semper ab auctoribus sacris. Ut cum Moses dicit, *Credidit Abraham Deo*, *Gen.* XV. 6. non intelligit solum ipsum credidisse Deum esse veracem, (quod non adeo magna laude fuisset dignum) sed etiam fidu-

ciam in eo suam collocasse, ut apparet ex eo quod additur, *Et imputatum est ei ad justitiam*; quod solo suo assensu non fuisset consecutus. Rursus cum idem dicit, Israëlitas *credidisse in Dominum, & in Mosem servum ejus*, *Exod.* XIV. 31. Non intelligit ipsos in Mose fiduciam suam ut in Deo collocasse, quod nefas erat, sed veracem eum esse & Dei Prophetam credidisse. Ex personis ergo loquentibus judicium fieri potest, quando hæc vel illa significatio locum habeat. Nam si potestatem non habebant præstandi quod dicebant aut promittebant, fiducia in illis non debebat reponi; sed tantum eis fides debebat adhiberi tanquam veris Dei Prophetis. Si vero id poterant præstare, ut de Deo certum est, fiducia quoque in illis erat collocanda. Eadem autem est Christi hac in re ratio, quem Deus judicem vivorum & mortuorum constituit, & cui omnem in cœlo & in terra potestatem dedit, qui in se credentes è mortuis suscitabit, & vita æterna donabit; adeo ut ei tanquam veraci credere nequeamus, quin simul ei ut omnipotenti confidamus.

XVII. Præterea fiduciam esse de essentia fidei, inde quoque colligi potest, quod non raro πεποίθησις seu *fiducia* vox pro πίστι seu *fide* usurpetur; ut, *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum*, 2 *Cor.* III. 4. Item, *In quo* (Christo) *habemus fiduciam & accessum in confidentia.* Quanquam in his locis, & præcipue in secundo, ubi vocibus, *in confidentia*, subjungitur immediate, *per fidem ejus*; non tam fides ipsa per fiduciam significari videtur, quam aliquid fidem consequens. Sed quicquid sit de istis, præcedentia non sinunt nos dubitare, quin fiducia in vera fide requiratur.

XVIII. Id tantum cavendum est, ne fiduciam remissionis peccatorum, tanquam reipsa jam obtentæ, ut nonnulli faciunt, hic intelligamus. Talis enim fiducia non pertinet ad essentiam fidei salvificæ, nec eam constituit, sed constitutam sequitur; ut apparet, cum fidelis ita apud se ratiocinatur, Quicunque credit in Christum, ille obtinet remissionem peccatorum; Ego credo in Christum; Ergo peccatorum remissionem consequar. Ubi *credere* illud in minore propositione memoratum, non potest esse idem cum eo quod in majore habetur, & in conclusione subintelligitur; alioqui syllogismus iste esset vitiosus, & tautologicus, qui idem per idem probaret. Adde quod fides qua credimus in Christum, nobis præcipitur in Euangelio; illa vero qua credimus nos per ipsum habere remissionem peccatorum, non præcipitur nobis; sed ex præcedente ultro sequitur. Imo fieri nequit, ut qui modo allati syllogismi majorem amplectitur, & de minore ex propriæ conscientiæ testimonio certus est, non statim inde conclusionem eliciat. Quare hæc duo pro una eademque re habere, est causam una cum effectu confundere; & maxima cum absurditate causam effectu posteriorem, & effectum causa priorem statuere.

XIX. Ex his autem quæ de cognitione, assensu & fiducia in fide requisitis disseruimus, non est difficile judicare, quid de ista quæstione statuendum sit, Utrum fides sedem habeat in intellectu, an vero in voluntate. Qui enim respiciunt ad cognitionem & assensum, quæ sunt actiones intellectus, illam in intellectu collocant: qui vero ad fiduciam se convertunt, illam voluntati tribuunt. Quanquam, ut jam monui, assensus fidei, qui non nititur demonstratione sensuali, aut tali quales sunt Mathematicorum, & ideo non fit sine voluntatis imperio, satis ostendit eam non in solo intellectu esse collocandam. Quod qui faciunt, eo ipso ex virtutum moralium censu, quæ omnes in voluntate sunt, illam excludunt; & consequenter ab ea bonos non debere denominari qui credunt, sed tantum doctos, ingeniosos, aut quid simile, habitibus intellectualibus proprium, fateri coguntur. Quid ergo? inquies; nonne fides proficiscitur ab illuminatione intellectus? Omnino, inquam; sed non tanquam à causa solitaria, & necessario agente atque effectum producente. Nam si ita res se haberet, omnes quorum intellectus est illuminatus cognitione divinæ voluntatis fideles essent, id est, veram vivamque fidem haberent, per charitatem operantem. (de ea enim sola hic agitur, non de mortua, quæ veræ fidei umbra est tantum & simulacrum.) Id autem falsum esse multa sunt quæ evincant. *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum ejus voluntatem, vapulabit multis, Luc.* XII. 47. Item, *Scienti facere bonum, & non facienti, peccatum est illi, Jac.* IV. 17. Nec isti doctrinæ repugnat id, quod ait Joannes, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in eo veritas non est*, 1 *Epist.* II. 4. Duplex enim est Dei notitia; altera theoretica, altera practica. Theoretica in solo intellectu residet; Practica vero etiam voluntatem afficit, & Dei amorem complectitur. De hac, non de illa sunt intelligenda verba Apostoli. Sicut etiam Christi cum dicit, *Hæc est vita æterna ut te cognoscant solum verum Deum*, &c. *Joh.* XVII. 3. Quod in cognitionem theoreticam non quadrare inde patet, quod Dæmones credunt unum esse Deum, & tamen non habent veram illam fidem, quæ nos Deo gratos reddit, *Jacob.* II. 19. Si nobis Deus summum vitæ futuræ bonum clare videndum proponeret, difficile esset quin in ejus amorem raperemur; quia sua excellentia totam animam nostram repleret. Sed in tanta mentis caligine, qualis est nostra, quamdiu mortali hoc corpore circumdati sumus, mirum non est, si Deum imperfecte cognoscentes, imperfecte quoque diligimus; imo prodigiosum quid esset, si tenuis intellectus nostri lux, multis adhuc dubitationibus obscurata,

rata, voluntatem inevitabiliter in assensum traheret.

XX. Quod dixi fidem respectu assensus & fiduciæ actum esse voluntatis potius quam intellectus, quadrat etiam in ultimam ejus partem, nempe propositum parendi omnibus Jesu Christi mandatis: istud enim nemo est qui non videat solius voluntatis esse officium. Pertinere autem ad fidei essentiam inde probatur, quod absque tali proposito assensus quem Euangelio præbemus, & fiducia quam in Christum collocamus, vana essent futura. Cum enim vitæ & salutis æternæ bonum tam sit eximium, ut à nullo qui aliquam ejus notitiam habet, scienter contemni possit; inde sequitur, ut quicunque serio assentitur Euangelio, docenti eam alia ratione non obtineri quam per observationem mandatorum Christi, debeat statim propositum istud in animo suo formare; nec id tantum, sed prima quaque data occasione in actum deducere, & ita ostendere se revera fiduciam salutis totam in Christo collocare. Absque tali proposito, & actuali ejus exsecutione, omnis assensus & notitia sunt vana, & nihil emolumenti afferre possunt. Hæc est fides quam Jacobus in sui temporis Christianis reprehendit, *cap.* II. *à v.* 14. *usque ad finem*; Sic sermonem suum concludens, *Sicut corpus sine spiritu mortuum est; ita fides sine operibus mortua est.* Talis erat fides Simonis Magi, qui videns signa & virtutes quæ à Philippo in nomine Christi fiebant, stupens admirabatur; cor tamen rectum coram Deo non habebat, *Act.* VIII. *v.* 9. *& seqq.* Talis quoque quam Joannes tribuit multis ex principibus Judæorum; qui audito Jesu, & conspectis miraculis quæ faciebat *crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei, Joan.* XII. 42.

XXI. Bona quidem opera non constituunt fidei essentiam, seu non sunt ejus forma, ut quidam volunt; sed tamen immediato atque inseparabili nexu cum ea sunt conjuncta; ita ut nullus possit vera fide esse præditus, quin statim eam studeat operibus suis demonstrare, & (ut loquitur Jacobus) consummare; q. d. fidem non esse omnibus suis membris seu partibus absolutam, donec opera ad eam accesserint. Hinc est quod Petrus tribuit fidei, ipsam *purificare corda, Act.* XV. 9. quia nimirum statim aliquis ea est præditus, statuit renunciare omni impietati & mundanis desideriis, atque sobrie, juste & pie in hoc sæculo vivere, *Tit.* II. *v.* 12. Propter hunc arctum fidei & bonorum operum nexum, fides aliquando ita describitur in Scriptura, quasi ea nihil aliud esset nisi observatio mandatorum Dei; ut cum vocatur *obedientia fidei, Rom.* I. 5. Quod etiam colligitur ex eo, quod cum Paulus dixisset, *fidem* Romanorum *annunciari in toto mundo, Rom.* I. 8. idem repetiturus *cap.* XVI. *v.* 19. dicit, ipsorum *obedientiam in omnem locum esse divulgatam*; vel (quod sensu idem est) ad omnes pervenisse. Idemque significatur cum fidei opponitur contumacia seu inobedientia, *Joan.* III. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam; qui vero inobediens est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Nec enim fidei & obedientiæ voces possent inter se tanquam æquipollentes permutari; nec inobedientia fidei opponi, nisi illis in locis sub fide etiam obedientia mandatorum Euangelii comprehenderetur. Nolim tamen negare, hanc esse impropriam acceptionem fidei seu metonymicam, qua nomine causæ designatur effectus ab illa procedens. Quod autem disputatur an ita accipienda sit vox fidei in illis locis, ubi dicimur fide apud Deum justificari; id est ita ut universam obedientiam Euangelicam complectatur, non mihi videtur tanti esse momenti, atque nonnulli existimant. Eodem enim res redit, sive fides illic usurpetur in propria significatione, quatenus est distincta à bonis operibus; an vero in metonymica, quatenus illa in se comprehendit: cum certum sit nos alia fide quam viva & per charitatem operante apud Deum non justificari. Sed de his fusius alias, ubi de justificatione tractandum erit.

XXII. Ex iis autem quæ hactenus de natura & partibus fidei diximus, apparet eam non in hoc solo aut præcipue esse sitam, ut credamus omnia nostra peccata per mortem & passionem Christi esse deleta, ut vulgo eam definire solent. Quæ opinio cum impedire possit, ne quis rectam salutis viam insistat, non inutile erit aliquantulum in illa examinanda immorari. Primum igitur id pro certo habendum est, illam tantum esse veram fidem, in Euangelio nobis commendatam, quæ ex se bonorum operum fructus producit; non autem eam quæ nullam cum iis habet connexionem, nec an & quatenus præstitu sint necessaria ostendit. Fides autem, quam descripsimus, talis est, ut nemo ea possit esse vere præditus, quin bonis operibus continuo incumbat; cum sit persuasio quod hac sola via salus & beatitudo æterna obtineatur. Fides vero illa, per Christi mortem & passionem deleta esse omnia nostra peccata, non solum præterita, sed etiam futura, nullam vim nos ad bona opera impellendi habet; sed potius ab illis tanquam non admodum necessariis avocandi; præsertim si statuatur, ut vulgo fit, remissionem istam nulla unquam ingratitudine aut sequentibus peccatis rescindi posse. Dices, tam excellens beneficium, remissionis omnium peccatorum, natura sua obligare ad illa in posterum vitanda, & bonis operibus studendum. Fateor. Sed id ex illa fidei definitione quam examinamus non apparet; in qua nulla apposita est conditio à nobis præstanda, sub qua peccatorum remissionem obtineamus, aut jam obtentam retineamus. Deinde nihil est vulgarius inter

nter homines, quam acceptorum beneficiorum oblivisci, & malo bonum compensare. Sane experientia quotidiana docet, beneficii præteriti memoriam non esse tantæ efficaciæ ad continendum aliquem in officio, quam spem in posterum accipiendi, aut metum ne collatum auferatur. Id videre est in Israëlitis, quos insigne illud beneficium liberationis ex servitute Ægyptiaca non impediit quominus continuis murmuribus Deum adversus se irritarent.

XXIII. Secundo, multorum fides celebratur in Sacris literis, qui nihil de hac per Christi mortem peccatorum deletione sciverunt. Quales fuerunt omnes qui ante adventum ejus vixerunt, quibus mysterium istud non fuit revelatum; præsertim qui non erant ex populo Dei, & nullam de Christo promissionem acceperant; ut supra observavimus fuisse Rahabam Hiericuntinam, quæ fide sua placuit Deo & justificata est, *Hebr.* XI. 31. *Jac.* II. 25. Tales quoque fuerunt Ninivitæ, qui ad prædicationem Jonæ pœnitentiam egerunt, & imminens sibi exitium effugerunt. Dicitur enim diserte, *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum*, *Jon.* III. 5. Non autem crediderunt, peccata sua deletum iri per mortem Christi, sed se per conversionem illorum veniam apud Deum inventuros. Quod etiam exponitur in sequentibus, præsertim in fine capitis, ubi dicitur, *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala*, &c. qua conversione fidem suam ostenderunt; sicut ex effecto in oculos incurrente, necessario colligitur fuisse causa, à qua sola ille proficisci potest & solet. Imo idem quoque cernitur sub Novo fœdere, in quorundam exemplis qui credidisse dicuntur & propterea Deo placuisse, etiamsi adhuc ignorarent mysterium redemtionis per mortem Christi; ut publicani & meretrices, quorum Christus ipse fidem commendat, *Matth.* XXI. 31. & Principibus Sacerdotum atque senioribus populi anteponit; *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei; publicani autem & meretrices crediderunt ei; vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.* Quibus in verbis clarissime describit, qua in re constiterit, illorum quidem fides, horum vero incredulitas. Illi enim credentes prædicationi Joannis Baptistæ omnes eos veniam peccatorum consecuturos, qui illi renunciarent, pœnitentiam egerunt: hi vero fidem ei derogantes in peccatis perseverarunt. Dices forte, Joannem eos qui ad baptismum suum accedebant instituisse in fide in Christum, & dixisse de eo, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, *Joan.* I. 29. ac proinde eos non ignorasse peccata sua per mortem Christi delenda. Resp. Remisisse quidem Joannem suos discipulos ad Christum, tanquam perfectiorem veritatis magistrum; sed nihil esse unde constet, ipsum docuisse peccata hominum per mortem Christi deleri. Nec enim is necessario est verborum illius modo citatorum sensus; nec plura de hac re scivisse potuit quam ipsi discipuli Christi, qui licet ignorarent istud mysterium, nihilominus prædicantur beati. Nam cum Petrus esset confessus Jesum esse Christum, filium Dei viventis, audit ab eo, *Beatus es Simon*, &c. Et tamen post, cum Christus doceret discipulos, oportere se ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & Scribis & principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere; assumens eum Petrus cœpit increpare illum, dicens, *Absit à te Domine; non erit tibi hoc*, *Matth.* XVI. Contra vero sæpe ita describitur fides in Scriptura, ut nulla facta mentione mortis Christi, (cujus tamen efficaciam in peccatis delendis credere & confiteri debent omnes illi, quibus id patefactum est,) obedientia erga Deum & bona opera, vel tanquam ejus pars, vel tanquam effectum recenseantur. Sic legimus de Daniele, qui conjectus fuerat in foveam leonum, quod contra Darii edictum ad Deum preces fudisset, nullam læsionem inventam esse in eo, *quia crediderat Deo suo*, *Dan.* VI. 23. Ubi apparet fidem Daniëlis in eo constitisse, quod confisus Deum posse eripere è periculis eos qui pietati student, non veritus fuerit impium Regis edictum transgredi.

XXIV. Hanc etiam esse fidei naturam ostendit opposita ipsi incredulitas, quæ nihil aliud est, quam rebellio adversus Deum seu nolle ejus mandatis parere. Sic dicitur iram Dei accensam fuisse in Israëlitas, *Quia non crediderunt in Deo, & non speraverunt in salutari ejus*, *Psal.* LXXVIII. 21. 22. Incredulitatem enim eorum in eo constitisse, quod debitam Deo obedientiam non exhibuerint, liquet ex antecedentibus, ubi Propheta hortatur ipsorum posteros, ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei, & mandata ejus exquirant, neque imitentur patres suos, qui non custodierunt fœdus Dei, & in lege ejus noluerunt ambulare, *v.* 6. &c. Idemque etiam discimus ex illis Novi Testamenti locis, ubi de fide in Christum expresse agitur, ut *Joh.* III. *v.* 36. ubi fidei opponitur rebellio in Christum; quod non recte fieret, nisi fides obedientiam in se contineret. Et sub nulla alia conditione remissio peccatorum per mortem Christi nobis promittitur, ut docet dilectus Christi discipulus, *Si ambulaverimus in luce quemadmodum Deus est in luce, communionem habemus cum Deo, & sanguis filii ejus nos emundat ab omni peccato*, 1 *Joan. Epist.* I. 6. 7.

CAPUT

CAPUT VIII.
De Fidei causis.

I. *Fidei causa principalis est Deus.* II. *Ita tamen ut interveniat nostra obedientia.* III. *Fidem esse Dei donum non recte colligitur ex Eph.* II. 8. IV. *Nec ex Joan.* VI. 28. 29. V. *Non efficit eam Deus in nobis absque nobis.* VI. *Homo tamen propterea non habet materiam gloriandi.* VII. *Instrumentalis causa fidei est verbum Euangelii.* VIII. *Quomodo eam impugnent Spirituales, qui verbum Euangelii vocant literam mortuam.* IX. *Item illi, qui fidem nobis ingenerari putant per vim irresistibilem.* X. *Sacramenta non sunt causa fidei instrumentales.* XI. *Absurdum est statuere per baptismum fidem produci in infantibus.*

I. NUnc ut ad fidei causas accedamus, id pro fundamento ponendum est, Deum, ut omnis boni operis, ita etiam fidei, primariam esse causam. *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, Jacob.* I. 17. Sed diversi sunt generis Dei dona. Quædam enim Deus ex mera liberalitate ita largitur, ut nulla plane interveniat hominum accipientium opera. Talia sunt quæ in nativitate donat, ut sanum corpus, felix ingenium, &c. Item, quæ nonnullis extra ordinem communicat, ut dona miraculorum Prophetis & Apostolis. Alia ab ipsius quidem benignitate proficiscuntur, sed ita tamen ut simul laborem nostrum velit accedere in iis comparandis. Sic dat nobis panem quotidianum, & alia ad hanc vitam commode transigendam conducentia; sed sub hac conditione, modo strenue laboremus; secundum illud, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, &c. *Genes.* III. 19. Nec propterea existimandum est nos illa à nobis ipsis habere, quia non sine labore nobis obveniunt. Omnis enim labor noster foret irritus, nisi accederet Dei benedictio; ut Sacer vates docet, *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*, &c. *Psal.* CXXVII.

II. Alia denique Dei dona simul sunt obedientiæ nostræ actiones, ut fides, pœnitentia; quæ non ideo attribuuntur Deo, quod proprie ea faciat, (nec enim credit in se, aut pœnitet eum factorum;) sed ideo dicuntur Dei dona, quia non sine adjutorio ejus à nobis fiunt. Unde Paulus dicebat, *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, 1 *Cor.* III. 6. 7. Quorum verborum sensus non est, quod ministrorum Euangelii, per quos primum ad fidem adducti fuimus, inutilis sit aut nullius momenti labor; (Absit;) sed hic; fructum qui inde emanat, ipsis proprie non deberi, sed verbi Dei virtuti, quod est regenerationis nostræ spirituale semen. Est enim in hisce verbis hyperbolica locutio, quæ tamen valde conveniens est ad exprimendum ingens discrimen, quod est inter causam principalem & instrumentalem. Sic enim de scriptione non male aliquis loqueretur, qui diceret, neque penna est aliquid, neque atramentum, sed qui utroque utitur scriptor. Imo etiam ubi instrumenta sunt majoris efficaciæ, ut boves & equi ad arandum, non inepte dici posset, eos non esse aliquid, respectu agricolæ qui eos dirigit, & sine cujus ductu nihil agere possent. Quanto ergo magis in Deum & ejus verbum in collatione ad homines, id conveniet? Nam hic observandum est, verbum Euangelii, quod fidei & regenerationis causa instrumentalis est respectu Dei, revera tamen esse causam principalem collatum cum præconibus à quibus annuntiatur. Totum enim ipsorum præconium foret inane, & nullarum plane virium, nisi eas acciperet à verbo quod annuntiant, ac proinde ab ipso Deo qui illius est autor, & hanc ei efficaciam ad corda hominum permovenda indidit. Itaque si proprie loqui velimus, melius dicitur, nobis datum esse à Deo credere, quam fidem esse Dei donum, ut vulgo dicunt. Id videre est apud eundem Apostolum dicentem, *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, Philipp.* I. 29. Nimirum quia Deus pro sua paterna cura & amore, ut ad fidem adduceret, miserat ad eos Euangelii præcones, quod non fecerat præcedentibus sæculis, & multis aliis populis; non quod per insuperabilem suam potentiam, fidem in cordibus eorum genuisset. Aliter enim non dederat eis ut in Christum crederent, quam dederat ut pro ipso paterentur. Non dederat autem ut pro Christo paterentur per istiusmodi invincibilem potentiam: (potuissent enim crucem pro Christi nomine effugere, renunciando ejus doctrinæ;) sed quia per prædicationem Euangelii vocati fuerant ad salutem fide & afflictionum tolerantia adipiscendam.

III. Quod vero in eundem finem citatur ex *Ephes.* II. 8. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est*; non significat fidem esse Dei donum; (quod tamen recte explicatum, & eo quem modo indicavi sensu acceptum libenter admittimus:) sed hoc esse Dei donum, quod gratia per fidem salvati sumus; eximium enim sane Dei est donum, quod per & propter fidem nobis omnium peccatorum veniam, & consequenter salutem æternam largitur; nec id fides ullo modo meretur, sed ex mera Dei liberalitate & misericordia proficiscitur. Ita istud accipiendum esse patet ex constructione. Cum enim dixisset Apostolus, *Gratia salvati estis per fidem*, διὰ τῆς πίστεως, non addit, *Et hæc non est ex vobis*, καὶ αὕτη οὐκ ἐξ ὑμῶν, in fœminino genere, prout facere debebat, si id voluisset ad πίστιν referre; sed καὶ τοῦτο, in neutro genere, quod aliter quam de

toto isto complexo, *Gratia salvati estis per fidem*, accipi non potest.

IV. Multo adhuc minorem habent veri speciem ea quæ leguntur *Joan.* VI. 28. 29. ubi cum turbæ dixissent Domino Jesu, *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* Ipse respondit illis, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Fides enim ibi vocatur *opus Dei*, non quod Deus illam efficiat in nobis absque nobis; sed quod sit opus Deo gratum & ab ipso mandatum. Eodem enim modo accipi debet hæc phrasis *opus Dei* in responsione, quo accepta fuit in interrogatione. Evidens autem est turbas Christum interrogantes, nihil minus cogitasse quam de ejusmodi Dei opere; alioqui non fuissent dicturæ, Quid faciemus ut operemur opera Dei? sed, Quid faciemus, ut Deus in nobis opus suum operetur? Nec ab usu Scripturæ aliena est ejusmodi locutio. Sic enim canit David *Psal.* LI. 19. *Sacrificium Dei, spiritus contribulatus*; id est sacrificium quo Deus delectatur, & quod præcipit; non quod ipse offert; Deus enim nemini offert sacrificium. Item Christus *Matth.* VI. 33. *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus.* Ubi non vult nos quærere justitiam quæ subjective in Deo vel in ejus regno est; sed justitiam illam quæ nobis præscripta est, & qua ornati esse debemus, ut pateat nobis ingressus in regnum Dei.

V. Summatim, Deus id non potest efficere in nobis absque nobis, & quidem per vim irresistibilem, quod jubet ut ipsi faciamus. Mandatum enim & ejusmodi irresistibilis actio pugnant inter se, nec possunt simul consistere; Quatenus enim Deus præciperet nobis ut crederemus, vellet ut nos ipsi id faceremus; quatenus vero id in nobis insuperabili potentia efficeret, nollet ut à nobis fieret, sed à se tantum. Fidem autem præcipi nobis à Deo constat ex innumeris Scripturæ locis. Inde inchoavit prædicationem suam Christus, dicens, *Pœnitentiam agite & credite Euangelio*, *Marc.* I. 15. *Credere* autem *Euangelio*, est idem quod credere in Christum, qui nobis in Euangelio revelatus est. Id quod alibi diserte exprimitur, ut cum Paulus dicebat commentariensi, *Crede in Dominum Jesum, & salvus eris, tu & domus tua*, *Act.* XVI. 31. Et Joannes, *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus J. Christi*, 1 *Epist.* III. v. 23. Quare ista fides non potest aliter esse Dei donum aut opus, nisi quatenus viribus ab eo acceptis, Euangelio nobis ex gratia ipsius annunciato credimus; quod liberæ prorsus obedientiæ actio seu opus est.

VI. Objicitur, Hominem sic habiturum causam gloriandi quod crediderit; Deum autem velle nobis omnem gloriationem in negotio salutis adimere; ut videre est *Ephes.* II. 8. ubi Apostolus dicit, nos *gratia Dei salvari, non ex operibus, ne quis glorietur.* Resp. Illum nullam prorsus gloriandi causam apud Deum habere, qui totum id quod habet aut facit boni, ex ejus gratia accepit; non magis quam mendicum, qui ditatus fuisset alicujus principis eleemosyna, quam si voluisset poterat repudiare. Nec eadem hic est ratio fidei, quæ operum legis. Fides enim quæ peccatorum remissionem ex gratia præsupponit, omnem gloriationem excludit; non opera legis, quibus perfecta mandatorum Dei obedientia intelligitur. Sed, inquies, saltem habebit quod glorietur respectu illius, qui oblatam sibi ad credendum gratiam respuit. Resp. Fac ita esse. nihil in eo reprehensione dignum est. Non omnis gloriatio nobis prohibita est, sed tantum qua nobis id tribuimus quod Dei est. Contra dicit Apostolus, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, 1 *Cor.* I. 31. Item, *Opus suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, non in altero*, *Gal.* VI. 4. id est, ex suo ipsius bono opere gloriandi ansam habebit in Deo, cujus gratia illud perfecit; non vero ex comparatione tantum cum altero se pejore. Non enim magna laus est non esse de pessimis, & alios se longe deteriores multos animadvertere.

VII. Causa fidei instrumentalis est verbum Euangelii, in quo non tantum omnia ad salutem creditu necessaria sufficienter & clare proponuntur, sed etiam rationes multas habemus quibus ad credendum moveamur; & multis olim miraculis tum à Christo tum ab ejus Apostolis & primis præconibus confirmatum est, ut mundus nullam dubitandi causam haberet quin vere à Deo profectum esset. Unde Christus dicebat, *Opera quæ dedit Pater, ut ea perficiam, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*, *Joan.* V. 36. Quod etiam miraculis ab Apostolis & aliis Christi discipulis patratis applicari debet; quibus doctrinæ à se annunciatæ fidem conciliabant, quod esset divina. Verbum tamen Dei plus potest ad producendam fidem quam miracula; Solum enim aliquando eam producit, sed miracula sola nunquam. Indeque est quod Paulus dicit, *Fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi*, *Rom.* X. 17. Quod vero tribuit hic auditui, non male quadrat in lectionem verbi istius, quæ fidem non minus quam auditus ingenerare potest in cordibus eorum, qui reverenter & proficiendi animo ad eam se componunt; persuasi de ejus divinitate, tum ex argumentis insitis quæ illic deprehendunt, tum ex testimonio miraculorum, quibus scire possunt ex historia id olim fuisse confirmatum. Sed ita loquitur Apostolus, quia Euangelium primo viva voce per orbem propagatum est, antequam scripto consignaretur, prout fieri conveniebat ut ad omnium notitiam perveniret, & ut illis signis & miraculis, quibus Deus ejus præcones instruxerat, confirmari posset. Adde quod viva vox docentis aliquid habeat latentis energiæ, ad penetrandum in cor auditorum, quæ in solita-

solitaria lectione non ita animadvertatur. Sed cum utroque frui datur, neutrum absque periculo negligi potest. Eandem isti verbo tribuit virtutem seu efficaciam Petrus, dicens, *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi & permanentis in æternum*, 1 *Epist.* I. *v.* 23. Nec multum est, etiamsi quis ultima verba ad verbum referret, & interpretaretur, *vivum & permanens in æternum*, prout textus Græcus permittit; quandoquidem semen illud incorruptibile ex quo renascimur, non est *aliud quam Euangelium*, ut apparet ex iis quæ subjungit, *Hoc est autem verbum quod euangelizatum est in vobis*, id est, inter vos. Similiter Jacobus, *Voluntarie genuit nos* (supple Deus) *verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus*, *cap.* I. *v.* 18. Propter eandem causam ministri, per quos homines primum ad cognitionem Euangelii adducuntur, recte etiam inter fidei causas instrumentales recensentur. Ita legimus 1 *Cor.* III. 5. *Quis igitur est Paulus, quis Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & sicut unicuique Dominus dedit?* Imo *cap.* IV. *v.* 19. Non veretur idem Apostolus dicere, *Etsi decem millia pædagogorum haberetis in Christo, non tamen multos patres. Nam in Christo Jesu per Euangelium ego vos genui.* Et ad Galatas scribens; qui ab Euangelio in quo ipsos instituerat defecerant, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, *cap.* IV. *v.* 19.

VIII. Illam autem verbi efficaciam duo hominum genera impugnant; alii quidem aperte & directe; alii vero clam quodammodo & indirecte. Primi generis sunt, qui vulgo vocantur Spirituales, qui Euangelium dicunt nihil aliud esse nisi literam mortuam, nullarum plane virium ad hominis conversionem, quæ peragatur verbo quodam interno, seu afflatu Spiritus S. De quorum opinione supra locuti sumus, cum de Scriptura S. ageremus. Et satis refutatur vel unico illo modo allato Petri loco, ubi dicit *semen* illud *incorruptibile ex quo renascimur*, esse *verbum Euangelii quod nobis annunciatum est.* Quam vim fatemur quidem ei non inesse respectu literarum & vocum ex quibus constat; quæ per se & materialiter sumtæ nullam efficaciam spiritualem habent, & quæ penetret ad animam; sed quam patet ei competere ratione sensuum divinorum quos continet. Quo respicientes discipuli illi duo, quibus Christus Emmauntem proficiscentibus occurrit ipso resurrectionis suæ die, dicebant, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Luc.* XXIV. 32. Iste enim ardor quem sentiebant, promanabat ex evidentia rationum & vi divina verborum Christi & Scripturæ, quibus animi eorum in assensum trahebantur, ad credendum ea quæ cum præconceptis suis opinionibus pugnabant.

IX. Alterius generis sunt, qui putant fidem ingenerari nobis per vim irresistibilem, quam cum videant verbo Euangelii tribui non posse, quod rationibus tantum nobiscum agit, quibus plurimi nullo modo moventur, concludunt inde verbum istud inefficax esse ad talem effectum producendum. Imo nonnulli etiam eo usque progrediuntur, ut dicant perinde se rem habere, ut cum Christus dicebat Lazaro in sepulcro jacenti, & à quatuor diebus mortuo, *Lazare prodi foras:* quibus verbis nunquam excitatus fuisset à morte, nisi eis adfuisset vis divina, cadaveri isti vitam restituens, qua accepta prodire posset. Sed resp. hæc toto cœlo à se invicem distare. Quod Christus Lazaro dicebat, Prodi foras, non erat proprie præceptum; saltem non ejusdem generis cum aliis quibus additæ sunt promissiones & minæ; nec per verba ista conferebatur ei vis qua posset è sepulcro prodire; sed tantum comitabantur divinam illam virtutem quam Christus exserebat in vita ei restituenda, & ostendebant quid deberet facere postquam revixisset. Quod si major non est vis Euangelii ad suscitandos homines à morte spirituali peccati, quam nudi hominis qui alloqueretur mortuos jacentes in cœmeterio, & hortaretur ad resurgendum; sane nulla culpa esset eorum qui non parerent isti jussioni. Nemo enim tenetur facere miracula, aut pœnam meretur quod non fecerit. Nec verbum Euangelii recte diceretur instrumentum quo Deus ingenerat fidem; quippe quod nihil ad tale effectum contribueret. Solis enim rationibus & suasionibus agit, quas constat non habere vim insuperabilem, & cui homines resistere nequeant. Ergo illi non possunt ex animo agnoscere fidem proficisci ex auditu verbi Dei, qui tam parum efficaciæ isti verbo tribuunt, ut ipsum nihil agere posse dicant, nisi Deus præterea vim insuperabilem adhibeat.

X. Sed quid dicemus de Sacramentis, ut vocant, id est de sacris ritibus Baptismi & Cœnæ Dominicæ, an etiam pertinent ad causas fidei instrumentales? Resp. Minime: nam fides requiritur in iis qui usurpant. Nemini adulto Baptismus confertur, nisi prius fidem suam fuerit professus; ut ostendit manifeste exemplum Eunuchi, qui cum diceret, *Ecce aqua, quis me prohibet baptizari?* respondit Philippus, *Si credis ex toto corde licet*, &c. *Act.* VIII. 36. 37. Idem patet de Cœna Domini, ad quam nemo admittitur nisi baptizatus, & qui apertam fidei suæ professionem fecerit. Ergo ritibus istis non ingeneratur primo fides. Annon vero per eos augetur & corroboratur? Ita vulgo sentiunt. Sed nullibi video talem eis effectum tribui in Scriptura. Inspiciantur omnia loca quæ de illorum usu tractant, nihil tale in eis reperietur. Sane Baptismus cum semel tantum usurpetur, non multum potest ad id conferre. Memoria vero ejus, cum animo revolvimus ad quid nos obligaverimus eum suscipiendo, potest nos alacriores reddere ad exercitia pietatis, & ita fidem

nostram, ut aliæ omnes sanctæ actiones, aliquo modo firmare. Idemque sentiendum de Cœna Dominica, quæ non revocat nobis in memoriam mortem Christi, ut quidam putant; sed cujus profitemur nos probe meminisse cum ad illam accedimus, & gratitudinem nostram testamur; quod per eam à servitute peccati, & morte æterna, quæ illius est stipendium, liberati sumus; quem animi fidelis actum non diffitemur etiam fidem nonnihil corroborare. Aliam vero eis virtutem attribuere, distinctam à verbo eis adjuncto, superstitione non vacat.

XI. Hinc colligere est, quam absurda sit illorum opinio, qui putant per Baptismum fidem in infantibus recens natis & omni rationis usu destitutis, produci. Nam si Baptismus id non potest facere in adultis, multo minus in infantibus. Nec potest dici, nisi perabsurde, eos credere in Christum, vel in ejus Euangelium; cum nequidem vel minima fidei umbra in eis appareat. Illi non agnoscunt parentes, & nesciunt quod sit discrimen inter dextram & sinistram, quomodo ergo caperent vel minimum quid de mysteriis regni cælorum, quæ sunt fidei nostræ objecta? Illi nulli rei humanæ assentiuntur, an ergo assentirentur divinis? Illi nullum adhuc propositum animo formant, an ergo formarent istud propositum vitam secundum Euangelium instituendi? Nec multo sanior est illorum opinio, qui infantibus non quidem fidem actualem, sed tamen aliquod fidei semen tribuunt. Nam quodnam est istud semen? in semine latet tota vis & substantia rei aliquando inde orituræ. an tale quid est in infantibus? an hæc vis se exerit sponte in iis cum adolescunt? non sane, nisi instituantur in doctrina Euangelica. Sed, inquiunt, *Sine fide impossibile est placere Deo, Hebr.* XI. 6. Ergo statuendum est, aut infantes habere fidem, aut eos si moriantur in infantili ætate, æternum damnatum iri. Inepta consequentia. quasi vero non appareat illud, sicut & reliqua omnia Euangelii præcepta, ad adultos tantum, & institutionis seu virtutis ac vitii capaces pertinere, eosque solos obligare. Sane non est magis necessaria fides ad salutem, quam reliquorum Euangelii præceptorum observatio, & quam vivere secundum spiritum non secundum carnem. Cum igitur sine istis servari posse credant infantes, quidni etiam absque fide?

CAPUT IX.
De Fidei effectis.

I. *Effecta Fidei sunt primo bona opera.* II. *Secundo, justificatio.* III. *Qua ratione fides in negotio justificationis bona opera includat.* IV. *Quid statuendum de iis, qui conversionem ad vitæ usque finem differunt.* V. *De exemplo latronis in cruce.* VI. *Fides hæc est opus.*

I. HÆc de fidei causis, sequitur ut ejus effecta consideremus. Primum & immediatum sunt bona opera, seu obedientia Dei mandatis exhibita. Fieri enim nequit ut quis serio doctrinæ Euangelicæ assentiatur, in qua vita æterna promittitur omnibus iis, qui relicta veteri peccandi consuetudine vitam porro secundum Dei præcepta componunt, quin totis viribus in id incumbat. Qui effectus si non conspiciatur in omnibus iis qui fidem profitentur, certum est eam nondum tam profundas ac debet in cordibus ipsorum radices egisse. Nam vita æterna tale est bonum, quod à nemine mentis suæ compote scienter contemni potest. Cui si ab altera parte addas metum æternæ mortis, omnibus qui in peccatis perseverant in Euangelio denunciatæ, id longe majoris adhuc erit efficaciæ ad istum effectum producendum; cum pœna hæc tam sit horrenda, ut nemo ex animo credere possit eam omnibus impœnitentibus esse paratam, quin ad sanctimoniæ studium, unicum illius effugiendæ medium, se accingat.

II. Alterum fidei effectum est justificatio peccatoris resipiscentis coram Deo; de quo Paulus copiose tractat passim in suis scriptis, & præcipue in *Epist. ad Romanos & ad Galatas*; ubi hoc argumentum ex professo adversus Judæos, & Christianos Judaïzantes, qui legem cum Euangelio permiscere volebant, tractat. Non disputabimus hic quid per *justificationem* sit intelligendum; id alterius est loci. Uno verbo dicimus, nos eam non accipere pro justi factione, ut origo hujus vocis Latina suadet; quamvis fateamur eam, sicut & cognatum *justificandi* verbum, ita aliquando in Scriptura usurpari, ut *Apoc.* XXII. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc*; id est justus aut potius justior fiat. Nec tamen male hoc sensu justificatio fidei tribuetur, ut ex iis quæ modo dicta sunt apparet, nempe quod bona opera sint primus fidei effectus. Idque etiam colligitur evidenter ex verbis Petri, *Act.* XV. 9. ubi dicit Deum *fide purificasse corda Gentilium*; *purificare* enim *cor* hic nihil aliud est, quam ipsum à peccatis, quibus inquinatum est, emundare, ac proinde justum facere. Sed *justificationis & justificandi* voces accipimus sensu forensi, prout opponuntur condemnationi, & justificare significat justum pronunciare & tanquam justum tractare; ut, *Deus justificat, quis est qui condemnet? Rom.* VIII. 33. Hoc enim significatu existimamus eas ordinarie usurpari à Paulo, ubi de hac materia disputat.

III. Hoc posito, alia oritur difficultas, breviter expedienda; nimirum, an cum fidei justificatio tribuitur, ea in propria sua significatione accipi debeat, in qua eam definivimus, videl. pro assensu fiduciali, & proposito vitam secundum Dei præcepta instituendi; an vero in synecdochica, quatenus in se comprehendit bona opera, tanquam proprium suum effectum; quo sensu eam aliquando accipi in Scripturis supra annotavimus. Sed ejus solutio non est adeo ardua ut vulgo putatur. Nec istæ fidei acceptiones in negotio justificationis mihi videntur

tur esse divellendæ, sed potius in unum amice conjungendæ. Statim atque aliquis credit Euangelio, id est ei assentitur, & vitam secundum illud instituere proponit, is apud Deum justus reputatur, & si statim moreretur, antequam tempus habuisset veritatem fidei suæ per opera demonstrandi, is proculdubio vitam æternam, quæ est justitiæ præmium, à Deo reportaret. Perpetuæ enim est veritatis quod Deus ipse dicit per *Habacuc cap.* II. & ex eo repetit Apostolus *Rom.* I. *& Hebr.* X. *Justus ex fide vivet.* Sed qui tempus habet, postquam credidit, ad bona opera faciendum, is non justificatur apud Deum, nisi illis toto pectore incumbat; alioqui prodit fidem suam non esse vivam, sed mortuam, quam certum est Deo placere non posse. Unde concludo, quotiescunque agitur de justificatione eorum, qui fidei suæ professioni aliquamdiu supervixerunt, & tempus se in bonis operibus exercendi post conversionem suam sufficiens habuerunt, fidem semper debere considerari tanquam cum bonis operibus conjunctam, & utrisque simul justificationem tribui; secundum illud *Jacobi, cap.* II. *v.* 24. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Quare non displicet eorum sententia, qui existimant Apostolum Paulum, cum homines coram Deo justificari fide & non operibus contendit, nihil aliud intellexisse, nisi eos justificari per observationem doctrinæ Euangelicæ, quæ fidem per Christum in Deum præscribit, & remissionem omnium peccatorum præcedentium, ea derelinquentibus, deincepsque non secundum carnem, sed secundum spiritum viventibus, promittit; non per observationem legis Mosaïcæ, quæ nullam spem facit veniæ, nisi infirmitatum & peccatorum per ignorantiam commissorum; gravioribus autem sceleribus pœnam mortis absque misericordia denunciat, *Numer.* XV. 22. *& seqq. Hebr.* X. *v.* 28. *Act.* XIII. 38. 39. Hoc tamen semper præsupponendo, quod antea dixi, fidem sinceram in iis qui primum convertuntur sufficere ad justificationem & salutem, si in illo instanti ex hac vita decedant, etiamsi nondum illos bonorum operum fructus produxerit, qui in iis qui diutius vivunt requiruntur.

IV. Ne quis autem fallatur, id tantum intelligimus de iis quibus primo Euangelium annunciatum est, & illud vera fide amplectuntur; non vero de contemtoribus iis, qui toto vitæ suæ tempore aures suas ad ejus præcepta clauserunt, & tum demum cum jam jam sibi vident migrandum, de fide & conversione cogitant, quos solo illo proposito mutandi vitam in melius justificatum iri nullibi docent Sacræ literæ. Quid ergo? inquies; desperandum-ne est de salute illorum inter Christianos quibus hoc contingit? Nequaquam. Deus enim potest facere supra id quod cogitamus, & quod Euangelio promisit; præterea cum sit scrutator cordium, solus judicare potest an sincerum sit illud propositum quod sero resipiscentes faciunt; quod nobis non est datum; qui etiam nescimus quid Deus secundum extraordinariam suam misericordiam facere velit, & nihil aliud peccatoribus proponere possumus quam quod Euangelii verbo aperte continetur. Hortandi sunt ergo ut pristinam vitam detestantes serio ad Dei misericordiam confugiant, eamque ardentibus votis implorent. Sed iis tanta cum fiducia promitti nequit venia, atque illis qui diu ante extremam illam horam vitam in melius commutare cœperunt, licet sanctificationem suam prout oportet nondum perfecerint.

V. Nec exemplum latronis una cum Christo crucifixi in contrarium debet adferri: extraordinarium enim est, & regulam non facit. Præterea incertum est quando inceperit ejus fides & pœnitentia, in cruce-ne primum, an vero antea; item, an fuerit Ethnicus veri Dei & voluntatis ejus plane ignarus, an vero Judæus & in lege institutus. Denique fides ejus tam fuit excellens, ut nulla, cujus mentio fiat in Sacris literis, videatur cum illa conferenda. Quo enim tempore Christus in cruce tanquam facinorosus pendebat, morti vicinus, atque à Pontificibus & omnis generis hominibus irridebatur, Apostolos vero ejus pudebat, ipse vitam ab eo sperabat, rogans ut meminisset sui cum venisset in regnum suum. Quod in neminem eorum qui hodie inter Christianos vivunt, & in Euangelio sunt instituti, quadrare potest. Unde ita mirum non est, si tam extraordinariam fidem placuerit Christo extraordinaria quoque gratia & misericordia donare.

VI. Sed aliquis dicet; hæc fides, tali modo descripta, est opus; ergo per illam non justificamur apud Deum, cum Paulus neget quemquam operibus justificari. Potius igitur statuendum nos justificari per fidem correlative, quatenus ea justitiam Christi apprehendit, quæ nobis ad justitiam imputatur. *Resp.* Fidem aliter considerari non posse quam quatenus est opus aut actio aliqua, vel habitus ex crebris fidei actionibus comparatus. Nam etiamsi correlative, ut volunt, aliquando acciperetur, nihilominus esset actio; apprehendere enim est agere. Nec propterea sequitur eos qui opere vel actione fidei justificantur, operibus justificari. Justificari enim operibus, aliud nihil est apud Paulum, quam justificari lege Mosis, quæ opera præscribit, non fidem; & talia quidem opera, qualia supra descripsi, id est obedientiam legi per totum vitæ tempus præstitam, & nullis eorum scelerum interruptam, quibus illa pœnam mortis absque ulla misericordia denunciat; præterea magnam multitudinem operum ceremonialium & externorum jubet, in quibus certum est veram & Deo placentem sanctitatem non consistere, ut plurimis in locis docet Scriptura. Vide inter alia *Psal.* L. *v.* 8. *& seqq.*

Esa. I. 12. 13. 14 & LXVI. 3. *Jerem.* VII. 22. 23. *Mich.* VI. 6. 7. 8. *Osee* VI. 6. & inde repetitur *Matth.* IX. 13. & XII. 7. Quod vero ad correlativam illam, ut vocant, acceptionem fidei, pro fidei objecto, non debet ad eam recurri, nisi sensus qui inde elicitur sit certo verus, & jam aliunde sufficienter ex Scriptura probatus. Atqui nullibi docet Scriptura, Justitiam Christi nobis imputari. Et id absurdum est. Nemo enim in se injustus aliena justitia potest esse formaliter justus, non magis quam aliena albedine Æthiops esse albus. *Filioli, nemo vos seducat*, inquit Joannes, 1 *Epist.* III. 7. *qui facit justitiam, justus est; sicut & ille justus est*, nempe Christus.

CAPUT X.

De Fidei speciebus.

I. 1. Fides vel est in Deum creatorem, estque omnium temporum. II. Vel in Jesum Christum, & obtinuit à temporibus revelati Euangelii. III. 2. Alia est infirma, & quidem respectu cognitionis, assensus, fiduciæ, & operationis. IV. Alia est firma. V. Qua ratione fides possit crescere. VI. Quantulacunque sit, nos Deo acceptos reddit, modo sit vera. VII. Fides vel est incipientium. VIII Vel proficientium. IX. Vel adultorum. X. Quatenus priores duo pro veris fidelibus sint habendi. XI. 3. Fides vel est temporaria, vel perseverans. XII. Prior etiam est vera fides.

I. NUnc de fidei sive in species, sive in gradus, divisionibus aliquid dicamus. Prima est, qua fides distinguitur in eam quæ est in Deum creatorem universi, & omnia providentia sua moderantem, & eam quæ est in Christum mediatorem; de quibus speciebus jam supra per occasionem nonnihil attigimus, sed tamen adhuc quædam addenda restant. Sciendum est ergo de fide in Deum creatorem & gubernatorem, illam esse omnium temporum fidem, sine qua nullus unquam homo acceptus fuit illi, aut adhuc acceptus esse potest; secundum illud Apostoli, *Hebr.* XI. 6. *Sine fide est impossibile placere Deo*; nempe fide qua credimus non solum Deum existere; sed etiam eum remuneratorem esse illorum qui se quærunt, id est pietate & sanctimonia vitæ favorem ipsius ambiunt. Hæc quidem non fuit præcepta in lege, cujus hæc est summa, *Qui fecerit illa* (mandata) *homo, vivet in eis*, ut Paulus *Rom.* X. 5. repetit ex *Levit.* XVIII. 5. aliisque similibus locis. Sed tamen in lege fuit præsupposita & commendata. Præsupponit enim lex eos, quos alloquitur, notitiam aliquam Dei habere. Nulla autem potest esse vera Dei notitia absque fide. Cognitio enim vera omnipotentiæ, bonitatis, justitiæ, sapientiæ divinæ & aliarum ejusmodi virtutum, necessario fiduciam in Deum post se trahit. Commendat etiam illam in Abrahami exemplo, de quo Moses dicit *Genes.* XV. 6. *Credidit Abraham Deo, & ei reputatum est ad justitiam.* Hæc fuit fides omnium sanctorum, qui Christi tempora antecesserunt; quam ita describit Scriptura, & speciatim Apostolus *Hebr.* XI. ut appareat eam directe & proxime ad Deum creatorem & gubernatorem universi tantum respexisse. quod nominatim testantur exempla Noachi, Rahabæ; item Gideonis, Barac, Samsonis, Jephte, Davidis, &c. de quibus dicitur, quod *per fidem devicerint regna, obturaverint ora leonum, exstinxerint impetum ignis, fortes facti sint in bello, castra verterint exterorum*, & similia multa.

II. Fides in Christum Mediatorem est, quæ obtinuit à temporibus revelati Euangelii, & ad finem usque mundi duratura est. Ea comprehendit in se fidem in Deum creatorem & gubernatorem, sicut imperfectæ virtutes in iis quæ perfectiores sunt contineri solent. Nam *per Christum credimus in Deum, qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides nostra & spes esset in Deo*, 1 *Petr.* I. 21. Itaque fides in Christum nihil est aliud quam perfectio & complementum fidei in Deum creatorem & rectorem universi, seu ejus sublimissimus qui cogitari potest gradus. Diximus autem eam obtinuisse à temporibus revelati Euangelii, quia in eo demum descriptum est nobis Mediatorium Christi munus, & quomodo sit Ecclesiæ suæ summus Propheta, Sacerdos, & Rex, sine quarum rerum cognitione nulla est proprie fides in Christum. Non quod negem illas fuisse promissas & adumbratas in veteri lege. Dicit enim Paulus, *Deum promisisse Euangelium per Prophetas in Scripturis S. Rom.* I. 2. Sed aliud est rei alicujus promissio, aliud ejusdem actualis exhibitio. Pii illorum temporum, qui cognitionem habuerunt illius promissionis divinæ, omnino tenebantur ei fidem adhibere, & proculdubio adhibuerunt. Nimirum crediderunt Deum aliquando longe perfectiorem & pleniorem doctrinam revelaturum per Messiam qui venturus erat, quam contineretur in lege & Prophetis; sed quænam illa esset vix primoribus labris degustarunt, ut colligimus ex verbis Petri, 1 *Epist. cap.* I. *v.* 10. 11. 12. dicentis, *Prophetas* quidem *scrutatos fuisse Christi passiones & insecuturam gloriam*; sed *revelatum iis esse, quod non hæc sibi, sed iis quibus Euangelium postmodum esset annunciandum, ministrarent*, &c.

III. Altera fidei divisio ab ejus gradibus desumitur, secundum quos fides alia est exigua seu infirma & imperfecta; alia vero est magna, seu firmior & perfectior. In quo utroque ordine rursus diversi gradus tum infirmitatis & imperfectionis, tum contrariæ firmitatis & perfectionis considerari possunt. Sed nos sigillatim minutias istas non consectabimur, contenti generatim de iis aliquid attigisse. Dicitur autem fides exigua vel magna, firma vel infirma, perfecta vel imperfecta, quadruplici respectu, nempe quot supra fecimus ejus partes, cognitionem, assen-

assensum, fiduciam & operationem. Respectu *cognitionis* illa fides est exigua, infirma & imperfecta, quæ in primis initiis seu Christianæ religionis rudimentis adhuc hæret; qualis erat Apostolorum ante Christi passionem & acceptum Spiritum S. item Hebræorum, quibus à divino Scriptore exprobratur, quod *cum deberent esse magistri propter tempus, rursus indigerent ut docerentur quæ sint elementa exordii sermonum Dei, & lacte opus haberent, non cibo solido, Hebr.* v. 12. talis quoque est hodie multorum idiotarum inter Christianos, qui vix tenent aut intelligunt duodecim illos articulos fidei, quos vulgo Symbolum Apostolicum vocant; tantum abest ut magis ardua ejus mysteria capiant. Huc etiam pertinet id quod dicit Paulus *Rom.* XIV. 2. *Qui infirmus est, olera manducat*; nempe qui ignorat adhuc doctrinam libertatis Christianæ in usu ciborum, & mavult contentus esse oleribus, quam se contaminare esu carnium quas credit sibi ex lege Mosaica esse illicitas. Item *v.* 5. *alius judicat inter diem & diem*; id est putat dies inter se differre sanctitate, seu Sabbata, & alia festa lege constituta, longe esse sanctiora reliquis diebus. Quod procedebat ex ignorantia libertatis quam Deus nobis circa illa fecit sub Novo fœdere. Fides exigua & infirma *in assensu*, est quæ ægre assentitur iis quæ Deus revelat nobis in Euangelio, sive sint promissa, sive minæ, sive quid aliud à sensibus remotum: habetque locum non tantum in iis qui exigua cognitione sunt prædití; sed interdum quoque in aliis qui majores in ea progressus fecerunt, qui difficulter assensum præbent mysteriis magis arduis, potentiam Dei suis sensibus metientes. Talis erat soror Lazari Martha, quæ vix poterat credere fratrem suum suscitandum à morte, etiamsi Christus id ipsi non obscure promitteret, *Joan.* XI. 11. *& seqq.* 39. 40. Item Apostoli, quibus adeo difficulter persuaderi potuit resurrectio Christi, etiamsi Christus id sæpe iis prædixisset, & à piis mulieribus quæ ipsum redivivum viderant annunciaretur; præcipue Thomas, qui condiscipulis suis testantibus se vidisse Dominum, respondit, *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam, Joan.* XX. 25. In eodem ordine sunt collocandi Ebionitæ, seu Josephitæ, qui volunt Dominum Jesum aliorum hominum more conceptum, ex Josepho & Maria, quia conceptio ejus ex Spiritu S. eis nimis miraculosa videtur; ideoque rescecant ex Matthæo & Luca loca quæ de illa testantur. Fides exigua & infirma in *fiducia* est, quæ nonnisi ægre in Deum & Christum ejusque auxilium in adversis recumbit. Exemplo sint nobis discipuli Christi, tempestate magna in mari agitati ipso dormiente; qui metu correpti suscitaverunt eum, dicentes, *Domine salva nos, perimus*; ideoque merito objurgantur & ὀλιγόπιστοι vocantur, *Matth.* VIII. 24. &c. nempe quod vererentur, ne navicula, in qua erat cum ipsis unigenitus Dei filius, submergeretur. Item Petrus, cum cœpisset ambulare super aquas & venire ad Jesum, *Matth.* XIV. 28. &c. Nec non pater pueri cujusdam dæmoniaci, dicentis Christo, *Si quid potes, adjuva nos, misertus nostri*. Et cum audivisset ex ore ejus, *omnia possibilia esse credenti*, regerentis, *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*, *Marc.* IX. 22. &c. Denique fides exigua & infirma in *operatione* est, quæ non eos quos debet bonorum operum fructus producit. Cujus exempla non opus est alibi quærere, quam in quotidiana Christianorum vita & conversatione, qui fidem suam magnifice jactant, interim mundanorum hominum more vivunt, & carni obsequuntur in concupiscentiis suis. Istudque est quod Dominus significare voluit parabola seminantis, *Matth.* XIII. *v.* 3. *& seqq.* ubi dicit, partem seminis cecidisse juxta viam & à volucribus cœli comesam fuisse; aliam in petrosa loca, ubi non habebat terram multam, & sole orto exaruisse; aliam cecidisse in spinas, & ab iis fuisse suffocatam. Semen enim istud est verbum Euangelii, ex quo nascitur fides; sed quæ propter varia quæ occurrunt impedimenta, non est ita bonis operibus fertilis ut convenit.

IV. Istis exiguæ & imperfectæ fidei gradibus opponuntur totidem alii majoris & perfectioris. *Primus* est in cognitione, eorum qui magnos progressus fecerunt in doctrina Euangelii, adeo ut mysteria ejus etiam sublimiora norint, & alios docere possint; quos Apostolus *Hebr.* v. *v.* 14. dicit habere *sensus exercitatos ad discretionem boni & mali*, & 1 *Cor.* VIII. 10. dicit *habere scientiam*, & XIII. 2. *novisse mysteria omnia & scientiam omnem.* quanquam in priore loco potius de scientia loquatur quam aliquis jactat se habere, quam de ea quæ revera sit talis; & in secundo loquatur tantum ex suppositione, attamen rei possibilis, & quæ aliquando ita contingat. Sed magis ad rem facit quod in eadem Epist. extat *cap.* II. *v.* 5. *Sapientiam loquimur inter perfectos*, & *Philipp.* III. 15. *Quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus.* Ubi *perfectorum* nomine intelligit eos, qui majores in cognitione veritatis Euangelicæ progressus fecerunt. Non quod ullus mortalium proprie in ea perfectus dici queat. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus; videmusque nunc per speculum in ænigmate*, inquit idem, 1 *Cor. cap.* XIII. *v.* 9. 12. Comparate ergo vocantur perfecti cognitione, qui reliquos vulgares Christianos ea antecellunt; licet multa ipsis adhuc desint, & studere debeant ut quotidie in illa adhuc crescant. *Secundus* gradus majoris & perfectioris fidei, respicit assensum doctrinæ Euangelicæ & omnibus ejus mysteriis, quantumvis arduis, & rationis captum superantibus, præbitum; ut quod Deus omnipotentia sua condiderit mundum, quod suscitaturus sit mortuos, & similia. Iste tamen assensus non est unius generis: Nam vel talis est

qui

qui omnem dubitationem penitus excludat, vel talis saltem qui illi prævaleat: atque uterque suo modo est perfectus, quamvis hic ab illo longe superetur. *Tertius* consistit in fiducia; cujus varia habemus insignia exempla in Sacris literis. Primum est Abrahami, qui ob suæ fidei hac in parte præstantiam Patris credentium cognomen adeptus est. Nam cum ei dictum fuisset; *Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli, & arena maris; non infirmatus est fide; nec consideravit corpus suum emortuum*, &c. *in promissione* etiam *Dei non hæsitavit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, persuasus quia quæcunque promisit, potens est & facere*, &c. *Rom.* IV. 17. *& seqq.* Alterum est in illo Centurione, qui credebat Christum etiam absentem, solo verbo posse servum suum moribundum erigere. Cui hoc testimonium perhibet Christus, *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël*, *Matth.* VIII. 5. *& seqq.* Tertium habemus in muliere Cananæa, cujus filia à dæmone vexabatur; quæ repulsam passa à Christo, dicente, *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*; instantia sua obtinuit ut Christus ei diceret, *O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis*, *Matth.* XV. 22. *& seqq.* Cui non cessit etiam illa quæ fluxum sanguinis patiebatur à duodecim annis, quæ accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus; dicens intra se, *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Unde audiit consolatorium hoc verbum, *Confide filia, fides tua salvam te fecit*, *Matth.* IX. 20. *& seqq.* *Quartus* & ultimus gradus majoris perfectiorisque fidei respicit ejus effecta. Sicut enim arbor cognoscitur ex fructibus suis, & illa præstantior cæteris judicatur quæ præstantiores fructus producit, ita etiam de fide statuendum est. Fructus ejus sunt omnis generis bona opera, sive erga Deum, sive erga proximos, sive erga nosmet ipsos. Quam perfecta esset sua fides in Deum ostendit Abrahamus, cum non dubitavit ei offerre filium suum charissimum Isaacum super altare, *Genes.* XXII. *Hebr.* XI. Item Moses, *qui recusavit filius filiæ Pharaonis haberi, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*, &c. *Exod.* II. *Hebr.* XI. Sed præcipue Dominus noster Jesus Christus, *auctor & consummator fidei, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, ignominia contenta, atque in dextra sedis Dei consedit*, *Hebr.* XII. 2. Cujus vestigia presserunt Apostoli, aliique multi pii, qui *cum gaudio susceperunt rapinam bonorum suorum*, *Hebr.* X. 34. & *iverunt gaudentes à conspectu concilii, quod digni habiti essent pro nomine ejus contumeliam pati*, *Act.* V. 41. *non curarunt liberationem è tormentis & morte, ut meliorem invenirent resurrectionem*, *Hebr.* XI. 35. quod de fratribus Machabæis primo dictum, in millena aliquot fortium Christi martyrum quadrat. Ut jam nihil dicam de iis, qui virtute fidei crucifixerunt carnem cum ejus concupiscentiis, *Gal.* V. *v.* 24. & in terra ut municipes cœlorum vixerunt, *Philipp.* III. 20. quærentes quæ sursum sunt, & non quæ super terram, *Coloss.* III. 1. 2. Et ad postremum istum & excellentissimum fidei gradum perveniunt aliquando illi, qui in primo adhuc sunt valde infirmi, id est qui exiguam cognitionem habent, sed ferventem charitatem. Quamvis enim ordinarie pro modo cognitionis soleat esse major aut minor dilectio, interdum tamen aliter evenit, & indocti doctos fructibus fidei superant; secundum vulgatum dicterium, Quo doctior, eo perversior. quod proculdubio ad summam eorum coram Deo ignominiam cedet.

V. Cum ergo tot sint gradus infirmitatis & firmitatis fidei, apparet eam posse crescere, imo etiam aliquando decrescere. Quo respicientes Apostoli, rogabant Jesum, *Domine adauge nobis fidem*, *Luc.* XVII. 5. Eodem autem modo augetur fides, quo primum genita est in cordibus nostris; sicut medici docent corpora nostra ex iisdem rebus nutriri & incrementum capere, ex quibus constant. Cum ergo verbo Dei & ejus spiritui ortum suum fides debeat, per eadem quoque crescere quotidie debet, donec ad perfectionem suam perveniat. Proinde magno in pretio habendum est illud, in eoque die ac nocte meditandum; hic vero ardenter & constanter à Deo petendus, & postquam acceptus est retinendus, cavendo ne contristetur aut exstinguatur unquam vitæ impuritate.

VI. Quantulacunque autem sit fides, modo careat hypocrisi & simulatione, & sedulam demus operam ut augeatur & confirmetur, ea nos reddit acceptos Deo. Unde à Christo comparatur grano sinapi, *Matth.* XVII. 20. dicens, *Si habueritis fidem sicut granum sinapi, dicetis monti huic, transi hinc illuc; & transibit, & nihil erit vobis impossibile.* Quod de fide quidem miraculorum dictum esse, res ipsa docet; sed non incommode applicari potest aliis fidei generibus, cum eadem sit omnium ratio. Unde Christus alibi comparat regnum cœlorum (quod consistit præcipue fide) grano sinapi, *Matth.* XIII. *v.* 31. Modo enim fides constet partibus suis essentialibus vera est, etsi nondum adulta; sicut infans recens natus est verus homo, licet multum adhuc à perfectione virili absit. In grano enim sinapi latet tota vis illius plantæ, quæ sæpe in immensam crescit altitudinem. Hic tamen diligenter cavendum, ne quis decipiat seipsum, putans illam veram esse fidem, quæ talis non est, sed tantum ejus umbra aut simulacrum, vel potius cadaver, ut quæ nulla ex se bona opera producat; adversus quam disserit Jacobus *cap.* II. Sed longe crassius adhuc falluntur illi, qui dicunt desiderium habendi fidem, pro fide ipsa apud Deum acceptari. Istud enim desiderium si est sincerum, quid impedit quominus reipsa credant? cum fides magnam partem sit voluntatis opus, & nihil aliud requiratur in ea, sicut etiam in aliis spiritualibus operibus, quam

firmum

firmum animi propositum. Si vero non sit sincerum, vel adeo sit languidum ut nullam operationem exerat, sunt-ne adeo fatui, ut per illud putent se Deo placere posse? Certe nullibi Scriptura docet nos per desiderium credendi in Christum & ejus Euangelium salutem adipisci; sed ubique actualem fidem requirit, eamque vivam & cum aperta confessione conjunctam; quod evidens est à nudo & sterili desiderio, quod sufficere putant, toto cœlo distare.

VII. Respectu istorum fidei firmioris vel infirmioris graduum, præsertim postremi, in quo tota ejus vis & perfectio sita est, possunt & solent distingui fideles in tres ordines; quorum primus est Incipientium; alter Proficientium; ultimus Adultorum seu virorum Perfectorum. Istud videre est præcipue 1 *Joan.* II. *v.* 12. 13. 14. ubi Apostolus eos ad quos scribit vocat 1. τεκνία seu παιδία, id est, puerulos seu infantes; deinde νεανίσκους, id est juvenes; denique πατέρας, id est patres, seu viros adultos. Quod non de ætate animali, sed fidei intelligendum esse, circumstantiæ docent. Incipientes ergo seu puerulí in fide sunt illi, qui Euangelio sibi annunciato sincere quidem & ex animo assensum præbent; sed quia ante conversionem suam habitum peccandi contraxerunt, qui profundas in ipsorum cordibus radices egit, hinc fit ut non possint eum statim excutere, & nonnisi magna cum difficultate & lucta carnis adversus spiritum, seu mentem Spiritu divino per Euangelium illuminatam, affectus peccati comprimant & doment. *Caro enim* (inquit Paulus) *concupiscit adversus spiritum; & spiritus adversus carnem; hæc autem sibi sunt opposita, ut non quæcunque vultis, illa faciatis*, *Gal.* v. 17. Quod etsi in maxima parte fidelium locum habet, quamdiu hac mortali carne sunt circumdati; id tamen præcipue experiuntur ii, qui adhuc infantes sunt in Christo, in quibus caro majores habet vires quam in iis, qui ulterius in ejus cognitione progressi sunt. Si vero contingat ut in hoc certamine caro spiritu sæpius & plerumque fit superior, tum non potest dici eum, qui istud in se experitur, spiritu Dei agi & vere esse regenitum; à parte enim prædominante debet fieri denominatio: hic autem pars prædominans est caro, non spiritus. Id tamen non impedit, quominus inter ejusmodi homines alii aliis propiores sint regno Dei. Qui enim in lege Dei sunt instituti, & mente serviunt Deo, improbantes malum quod faciunt, meliore sunt statu & facilius ad sanctiorem vitam adduci possunt, quam qui laxatis habenis, & sine ullo prorsus renisu mentis, in omne peccati genus ruunt. Tales sunt quos sub sua persona describit Paulus *Rom.* VII. *à v.* 14. *ad finem*; qui ex Dei lege habent quidem cognitionem peccati, sed infirmiores sunt quam ut ejus jugum excutere queant. Et in hoc ordine collocandi videntur Corinthii illi, de quibus Apostolus 1 *Epist.* III. dicit, *Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis.* In iis quidem apparebant initia aliqua conversionis, (quia Euangelium amplectebantur, & se ei parere velle profitebantur;) sed ea adeo erant exigua, ut non audeam dicere illos in statu salutis fuisse. Meliore loco fuerunt Hebræi; quibus exprobrat quidem Apostolus exiguos profectus in fide; sed tamen non vocat eos aperte carnales, ut Corinthios. Dicit tantum, *cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei, & facti estis quibus opus est lacte non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ; parvulus enim est*, *cap.* V. *v.* 12. &c. Hi enim tantum indigebant confirmatione, ut possent ulterius progredi; non vero ut rursus jacerent fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum; quanquam non longe ab eo abessent, *cap.* VI. *v.* 1. 2. 3. Sed ille qui arundinem quassatam non confringit, & linum fumigans non extinguit, *Matth.* XII. 20. adhuc tolerabat eos. In isto incipientium ordine collocandi sunt etiam plerique in illis Asiæ Ecclesiis, ad quos nomine Christi scribit Joannes *Apoc.* II. & III. quos multorum & gravium peccatorum reprehendit, & serio ad pœnitentiam hortatur, & ni faciant exitium minitatur.

VIII. Proficientes seu juvenes aut adolescentes in fide sunt illi, qui jam aliquamdiu fidei suæ virtute peccati jugum excusserunt, ut non amplius illis dominetur, sed contra operibus spiritus se dedant & illis delectentur, etiamsi interdum, quia carnem non satis adhuc domuerunt, magnam difficultatem inveniant in bono suo proposito exsequendo, & resistentiam sentiant carnis adversus spiritum luctantis. *Hæc enim sibi invicem sunt opposita*, (inquit Apostolus in modo citato ex *Gal.* v. loco) *ut non quæcunque vultis ea faciatis*; id est, si particula *ut*, ἵνα, accipiatur finaliter, ut quæ vultis secundum carnem, ea opere non perficiatis; vel si accipiatur eventualiter, ut quæ vultis secundum spiritum, ea non reipsa exsequamini. Uterque sensus hic potest locum habere; licet prior videatur melius seriei orationis Apostolicæ convenire.

IX. Adulti seu viri Perfecti sunt illi, qui adeo in fide sunt roborati, ut ejus ope sanctimoniæ se alacriter dedant, & operibus spiritus longe magis quam carnis delectentur, quam *crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis suis*, *Gal.* v. 24. De quibus dicit Joannes, quod *non peccent*, imo nequidem *possint peccare*, 1 *Epist.* III. *v.* 9. nimirum quamdiu regenerationis semen, quod est verbum Dei, in illis manet, & ex

illo principio agunt & se regi sinunt. Alioqui interdum etiam contingit ut tales graviter impingant, quinetiam à fide totaliter deficiant; ut postea videbimus. Multo ergo magis per infirmitatem labi possunt, secundum id quod dicit Jacobus, *In multis offendimus omnes*, cap. III. v. 2. & Joannes, *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, 1 Epist. I. 8. Sed isti infirmitatis lapsus, ex quibus statim eriguntur pii, & à quibus studiose sibi cavent, non impediunt quominus dicantur perfecti; nimirum tali perfectione quæ in sæculo hoc locum habet, & quotidie nova incrementa capere debet. Et hoc sensu dicit Apostolus Philipp. III. 15. *Quotquot sumus perfecti, hoc sentiamus*, &c. etiamsi eodem loco satis indicet, quam perfectionem sibi aliisque tribuat, cum antea dixerit, *Ego me non arbitror comprehendisse: Sed unum hoc ago; quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brabium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Vera igitur perfectio est, ut quantumcunque in sanctimoniæ studio profeceris, ulterius semper pergas, & nihil actum existimes nisi in illo constanter usque ad finem perseveres, & quotidie novos majoresque progressus facere studeas.

X. Sed hic dicet quis, cum nemo inter Christianos adeo sit perfectus, quin ulterius adhuc tendere debeat; quid ergo statuendum sit de illis, qui in secundo aut etiam primo ordine credentium consistunt, an pro veris fidelibus sint habendi, qui certo fide sua salutem sunt consecuturi? Resp. Quemadmodum respectu vitæ animalis non veremur recens natos infantes veros homines dicere, quibus hominis definitio & omnia jura ac privilegia conveniant, licet functiones hominum proprias, quæ rationis usum & experientiam requirunt, nondum edere possint; ita suo modo in vita spirituali contingit. Simul atque aliquis per fidem in Christo est genitus, non potest esse perfectus; sed paulatim incrementum sumere debet, donec tandem suo tempore in virum adultum evadat. Unde Paulus vult, ut *crescamus per omnia in illo qui caput est, nempe Christo*, ut *non simus amplius parvuli, sed viri adulti*, Ephes. IV. 13. & seqq. Quod si infans aliquis, toto vitæ suæ tempore & per multos annos permaneret in eo statu in quo natus est, & nullum staturæ aut virium augmentum acciperet, id pro monstroso & contra naturam omnino haberetur: Pari ergo ratione, qui non cresceret in fide & pietatis operibus, ex quo per sermonem veritatis regenitus est in Christo, is merito abortivus partus esse censeretur. Incipientes ergo & proficientes pro veris fidelibus reputantur, quibus omnia jura & privilegia verorum fidelium competunt, quia fieri nequit ut quispiam simul atque natus est perfectus sit & adultus. Sed si illo imperfectionis suæ statu delectarentur, & non studerent ulterius tendere, indigni sane essent fidelium nomine & privilegiis. Interim hic observandum est, non omnibus æqualem esse facultatem crescendi in fide & ejus fructibus, & se ex illis impedimentis extricandi quæ profectum istum retardant; ita ut ab omnibus non debeat requiri, ut æquali tempore æquales in pietate progressus faciant. Facilius & felicius crescunt infantes quibus copia boni alimenti suppetit, quam ii quibus hæc desunt; ita etiam in vita spirituali se res habet. Nonnullis contingunt boni doctores, domestica ad virtutem exempla & incitamenta, temperamentum felix, & genus vitæ sectantur aut in tali loco degunt qui non tot habeat ad vitium irritamenta; aliis vero contraria omnia eveniunt. Quid ergo mirum est, si non par in utrisque profectus animadvertatur? Dummodo ergo omnes, qui nomina sua Christo dederunt, pro ratione virium quas status & conditio ipsis habere permittit, sedulo pietati incumbant, & impedimenta sibi à Satana, mundo & carne sua oblata superare studeant, non dubium est quin benignus Servator & Pontifex noster toleret infirmitates eorum, etiamsi ad talem perfectionem non ascendant atque alii quidam, majorem id faciendi facultatem misericordia divina consecuti.

XI. Tertio distinguitur fides in temporariam, quæ ad tempus tantum durat, & postea deficit; & perseverantem, quæ ad finem usque vitæ inconcussa manet. Cujus distinctionis veritatem Scriptura docet, & experientia quotidiana confirmat. Indeque est quod Apostolus ex Propheta Deum inducit dicentem, *Justus ex fide vivet; quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ*, Hebr. X. 38. Et de quibusdam scribitur, quod *repulsa bona conscientia, circa fidem naufragium passi sint*, 1 Tim. I. 19. Item, quod *postquam effugissent inquinamenta mundi per cognitionem Domini & Servatoris nostri Jesu Christi, his rursus implicati superentur*, 2 Petr. II. 20. Sed non perinde certum est apud omnes, unde fiat quod nonnulli in fide perseverent, alii vero ab ea deficiant. Proximæ quidem defectionis causæ sunt in propatulo, ut amor mundi sive ejus bonorum & voluptatum, & persecutionis metus; ut Dominus Jesus docet Matth. XIII. & Luc. VIII. in parabola seminis cujus pars cadit in viam & comeditur ab avibus; alia in petrosa loca, & æstu solis exuritur; alia inter spinas, & ab illis suffocatur; ita ut nullum fructum proferat qui ad maturitatem perveniat: cujus rei culpa nulla est in semine, quod bonum est, sed in recipiente illud terra.

XII. Hic autem quidam existimant, fidem illam quæ deficit, nunquam vere fuisse veram fidem, etsi illius speciem habuerit, sed tantum simulatam & hypocriticam; idque inde proficisci, quod ii qui illam habuerunt non fuerint ex numero electorum, quibus solis Deus veram & perseverantem fidem largiatur. Etsi autem

negare nolim, quosdam simulare fidem, qui illam non habent; qualis forte fuit Simon ille Magus, de quo *Act.* VIII. tamen istud in omnes non quadrat qui à fide deficiunt; quasi nullus eam reipsa habuerit, sed tantum simularit; (alioqui nulli forent proprie dicti apostatæ) certe non in eos quos Dominus Jesus in illa parabola dicit accipere verbum cum gaudio, sed facta persecutione propter verbum offendi & retro cedere. Item in eos qui sunt illuminati, gustaverunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus S. *Hebr.* VI. qui illic significantur ita prolabi posse, ut nunquam postea renoventur ad pœnitentiam. Et certe veritas rei non pendet à duratione. Ille infans non minus veram habuit vitam qui tres tantum aut quatuor annos vixit, quam qui ad senectutem pervenit. Ita etiam in virtutibus contingit; ille vere fuit temperans qui per aliquot annos à crapula & ebrietate sibi temperavit; etiamsi postea improborum consortio corruptus gulæ fræna laxet. Sed inquies, vulgo dicitur de amico, eum nunquam fuisse verum amicum, qui tandem desiit esse. Resp. Id non esse usquequaque & semper verum. Potest forsan id de aliquibus dici, sed non de omnibus: potestque aliquis justam dissuendæ amicitiæ causam habere, si videat amicum improbitati se dedere. Evidens est illam virtutem non esse adeo profunde radicatam in animo quæ deficit, ac si duraret; sicut illa arbor non est adeo profunde plantata in terra quam ventus eradicat, atque ea in quam ejus impetus nihil potest. Graduum ergo discrimen agnosco in fide perseverante & deficiente, sed non essentialem differentiam, quæ in diversa specie illas constituat. Et notandum Dominum Jesum in illa parabola non vocare fidem πρόσκαιρον, temporariam, (quod forte essentiale aliquod discrimen indicaret) sed προσκαίρους dicere illos qui non perseverant; ut significet discrimen potius esse in hominibus, quam in genere fidei. Cur ergo, dices, Christus apud Lucam vocat cor bonum & honestum illorum qui fructus ex semine accepto ferant? Resp. Id non facit, quod cor illorum qui deficiant non fuerit honestum & bonum quando crediderunt; sed quia nullum fidei suæ præmium à Deo reportant, qui tantum perseverantem usque ad finem coronare promisit fidem & pietatem. Quod vero ad absolutam illam prædestinationem, ex qua istud ingens fidei discrimen putatur oriri, ejus vanitatem satis supra ostendi.

CAPUT XI.

De Fidei oppositis.

I. *Fidei in genere opposita in defectu sunt dubitatio.* II. *Et incredulitas: quæ vel est eorum, qui non credunt in verum Deum: vel qui non credunt in Christum.* III. *Hæc est, vel eorum qui nunquam in Christum crediderunt, vel à fide rursus deficiunt.* IV. *Ejus causæ præcipuæ sunt, malitia.* V. *Et præjudicium.* VI. *Incredulitatis effectum est condemnatio.* VII. *Fidei in excessu opponitur nimia credulitas.* VIII. *Fidei pro fiducia acceptæ opponitur in defectu parva fiducia & diffidentia.* IX. *Quid statuendum de iis, qui propter peccata quibus sibi conscii sunt Deo confidere non audent.* X. *In excessu nimia confidentia.*

I. SUperest ut de fidei oppositis agamus. Ea autem duplicis sunt ordinis; nam vel repugnant fidei in genere consideratæ, vel speciatim illam respiciunt quatenus pro fiducia accipitur. Prioris generis opposita, alia sunt in defectu, ut dubitatio & incredulitas, alia in excessu, ut credulitas nimia. Dubitatio nihil est aliud nisi suspensio assensus, propter rationum quæ se utrinque animo offerunt æquilibrium. Ea in rebus humanis, nondum satis compertis, aliquando est laudabilis, & stimulus est ad diligentiorem earum investigationem. Nec improbarem illam omnino in divinis, præsertim in initio, quando nondum constat ea quæ credenda proponuntur à Deo esse profecta. Ita nemo unquam vitio vertit B. virgini Mariæ, quod non statim crediderit verbis Angeli, annunciantis ipsam filium parituram: sed objecerit illi, Quomodo istud fiet, cum virum non cognoscam? Ita enim obtinuit, ut sibi revelaretur arcanum miraculosæ ex Spiritu S. conceptionis. Sed quando dubitatio perseverat, est vitiosa, utpote fidei & omnis religionis pestis. Illam professi fuerunt Philosophi vulgo Sceptici dicti; quia videbant multa incerta de rebus naturalibus ab aliis asseri, in quibus præstitisset ἐπέχειν, seu assensum cohibere, donec major ipsis lux affulgeret. Sed longius quam oporteret sunt progressi, ut qui non solum omnem sensibus fidem derogarunt, sed etiam ἐποχὴν suam ad religionem usque seu Dei cultum extenderunt. Nam quamvis Dei natura sit supra res alias omnes cognitu difficillima, & nemo capiat quomodo sit æternus, immensus, omniscius, & similia; non tamen adeo est arduum scire Deum existere, & illum esse optimum, potentissimum, sapientissimum, cum mundus, qui ex se absque efficiente causa non potuit existere, id testetur apertissime; (inprimis cura quam Deus gerit hominum, omnia quæ ad hanc vitam commode & jucunde transigendam necessaria sunt ipsis abunde suppeditans;) ideoque ipsum cultu & devota animi veneratione esse prosequendum, & fiduciam in eum, tanquam beneficum eorum qui se quærunt remuneratorem, esse collocandam. Id quod sufficiebat illis quibus Deus plura de se non manifestaverat. Sed cum nunc in Sacris literis se clarius depinxerit, & voluntatem suam præceptis & promissis minisque constantem nobis aperuerit; nemo eorum, ad quos revelatio ista pervenit, de rebus divinis absque gravi peccato dubitare potest. Nam si objicias nos non audire Deum de cœlis loquentem, & verbum illud quod in Scriptura habemus

habemus suum esse testantem; dicam eum qui talem diligentiam adhibere voluerit ad hujus rei investigationem, quali uti solemus in gravioribus ad hanc vitam pertinentibus negotiis, & animum virtutis studiosum attulerit, non difficulter ex suis dubitationibus emersurum, & veritatem cogniturum; secundum Jesu Christi testimonium apud *Joan.* VII. 17. *Si quis voluerit Dei voluntatem facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex meipso loquar.* Quod vero nonnulli dubitatione sua delectantur, & ad eam fovendam argumenta undiquaque conquirunt, id non aliunde quam ab ipsorum improbitate proficiscitur. Nolunt sibi persuadere doctrinam Euangelicam esse divinam, ne postea conscientia ipsis dictet ex ejus præscripto vitam esse instituendam, & officium negligentes torqueat & lancinet. Cum Paulus coram præside Festo & rege Agrippa de fide in Christum dissereret, qui ambo erant improbi, non multum rationum suarum evidentia promovit, sed ille existimavit multas literas, seu profundam eruditionem, Apostolum ad insaniam adigere; hic vero, qui in doctrina Prophetarum erat institutus, non ulterius progressus est quam ut diceret, *Propemodum persuades mihi ut fiam Christianus*, *Act.* XXVI. Nimirum obstabant vitia quibus nolebat valedicere, ne penitius doctrinam istam in animum reciperet. Similis patri suo Herodi, qui reverebatur Joannem, & aliquando libenter eum audiebat, *Marc.* VI. 20. sed nolebat parere, cum de Herodiade Philippi fratris uxore dimittenda ipsum monebat.

II. Quod si quis diutius foveat suam de Euangelio dubitationem, & non det operam ut ex ea emergat, inde tandem in incredulitatem apertam abibit, aut saltem illa melior non erit. Perinde enim fere est, sive non credatur isti doctrinæ, sive de ejus veritate perpetuo dubitetur. Nam is cujus animus dubitationum fluctibus modo huc modo illuc impellitur, nunquam se ad ejus praxin serio accinget, ac proinde nullam ex ea utilitatem reportabit. Sicut autem fides alia est tantum in Deum creatorem & gubernatorem universi, alia vero praeterea in Christum mediatorem, & per illum in Deum; ita etiam duorum generum est incredulitas seu infidelitas. Quidam enim sunt increduli qui non credunt in Deum verum, ut Athei, Epicurei, & Gentiles, qui loco veri Dei idola colunt. alii vero sunt, qui etsi se in Deum mundi opificem & rectorem credere profiteantur, tamen non agnoscunt eum in Christo, seu ut ipse se per Jesum Christum patefecit; quales sunt hodie Judæi & Mahometani. Prius genus infidelitatis est longe pessimum, utpote quod fundamenta omnia religionis penitus evertit, & nullam plane, quæ aliquam speciem habeat, excusationem prætexere potest. Alterum genus est minus grave, & aliquomodo excusabile in iis quibus Christus non est revelatus, & nullam ejus cognoscendi facultatem habuerunt. Unde ipse dicebat de sui temporis Judæis, *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, *Joan.* XV. 22. Imo illi non sunt vere increduli, qui ideo quod de Christo nihil audierunt, in eum non credunt; nec enim est res quæ cognosci naturali ratione possit, ut Deum esse, & quæ sine peccato nequeat ignorari. Si proprie loqui velimus, isti homines sunt potius ignorantes vocandi: ignorantia autem invincibilis, id est quam in potestate alicujus non fuit excutere, excusat à peccato; idque vulgo nunc omnes Theologi confitentur. Sed quod ad illos attinet quibus Christus est patefactus, & in ipsum credere noluerunt, illi proprie sunt increduli, & ipsorum incredulitas omni excusatione caret. Nihil enim prætexere possunt peccato suo; imo (quod horrendum est) *& mendacem Deum faciunt; quia non credunt in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo*, *Joan.* V. 10. ideoque merito à salute æterna excluduntur, quæ in nullo alio est quam in Christo; & præter quem *aliud nomen sub cœlo non est datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri*, ut testatur Petrus *Act.* IV. 12. sicut enim *qui habet filium* (id est qui vere in eum credit) *habet vitam*; ita *qui non habet filium Dei*, (seu in eum non credit) *vitam non habet*, 1 *Joan.* V. 12.

III. Ista incredulitas eorum qui in Christum sibi annunciatum non credunt, rursus est duplex. Nam quidam nunquam ei nomina sua dant, aut in ipsum se credere profitentur; quidam vero postquam per aliquod tempus fidem in ipsum sunt professi, eum deserunt & abnegant, & apostatæ vocantur: qualis fuit olim Julianus Imperator, inde cognomen adeptus, & multi qui hodie ad Mahumetismum aut ad Judaismum deficiunt. Hæc posterior incredulitas priori vulgo longe deterior habetur, & revera etiam est; quia turpius est eum quem semel pro domino tuo agnoveris abnegare, quam nunquam ei adhæsisse; veluti fœdius est amicitiæ semel initæ vinculum abrumpere, quam nunquam eam contraxisse; illud enim liberæ electionis fuit, hoc vero debiti est officii. Attamen nullum est dubium, quin illi etiam gravissime contra Deum peccent, qui de veritate doctrinæ Euangelicæ in corde suo convicti & persuasi, eam pertinaciter repudiant. Unde nonnulli existimant in illos quadrare id quod dicit Dominus de blasphemia in Spiritum S. quæ neque in hoc, neque in futuro sæculo sit remittenda, *Matth.* XII. 31. 32. Id tamen non ausim tribuere omnibus, sed tantum iis qui doctrinam & miracula quæ agnoscunt à Spiritu S. seu virtute divina proficisci, blasphemant & impuro spiritui seu Diabolo tribuere non horrent. Hoc enim scelus longe enormitate superat illorum factum, qui à Christo nondum satis recte cognito

cognito recedunt; ut faciebant illi discipuli duritate sermonum ejus offensi, de quibus *Joan.* VI. 66. agitur; quorum occasione ipse dicebat duodecim illis magis familiaribus, *Nunquid & vos vultis abire?* quasi diceret, non retineo vos invitos; liberum vobis facio me deserere; etsi id non sine magno vestro damno futurum sit.

IV. Causæ autem incredulitatis sunt plures, sed quæ ad duas generales facile revocari possunt, nimirum malitiam & præjudicium. De prima sic loquitur ipse Christus: *Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; opera enim eorum erant mala. Omnis enim qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ipsius*, *Joh.* III. 19. 20. Lux ista quam oderunt improbi, est quæ splendet in Euangelio, à quo malefacta ipsorum damnantur. Speciatim ambitio facit ut multi detrectent illi credere, prout Dominus Jesus testatur, Judæis dicens, *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? Joh.* V. 44. Imo quamvis ea non posset impedire, ne lux Euangelii & miraculorum Christi præstringeret eorum oculos, & assensum aliquem extorqueret, reddebat tamen assensum istum infructuosum; ut contingebat in illis principibus, de quibus dicit Joannes, eos quidem credidisse in Christum, sed propter Pharisæos non fuisse ausos confiteri, ut è Synagoga non ejicerentur; addita hac turpis istius pudoris ratione; *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei*, *Joh.* XII. 42. 43. Nec dissimilem effectum habet avaritia. Cum enim Dominus Jesus diceret, neminem posse servire Deo & Mammonæ, id est divitiis, Pharisæi qui erant avari deridebant eum, *Luc.* XVI. *v.* 14. 15. Nimirum amor divitiarum est instar spinarum, quæ impediunt ne semen inter illas projectum fructificet. Ita etiam voluptates & cætera omnia vitia, quæ ab Euangelica doctrina redarguuntur, & cum sincera illius professione non possunt subsistere. His immiscet se Diabolus, & abutitur ad avertendos homines à fide. Quo spectant illa Pauli, *Si opertum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum, in quibus Deus hujus sæculi*, (id est Diabolus, *Joan.* XVI. 11. *Ephes.* II. 2. *&* VI. 12.) *excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Euangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei*, 2 *Cor.* IV. *v.* 3. 4. Nihil enim potest Diabolus adversus nos, nisi in cordibus nostris inveniat dispositionem ad ipsum recipiendum per vitiosi alicujus affectus dominium.

V. Magnæ quoque efficaciæ est præjudicium ad homines, etiam minime malos, à fide deterrendos; quale erat illud quod habebant Judæi de regno mundano Christi; cui directe adversabatur status ejus humilis in mundo, & ignominiosa mors quam subiit in adversariorum suorum manus traditus. Cum enim non possent hæc inter se conciliare, inde fiebat ut ipsum pro Messia sibi promisso agnoscere detrectarent. Quo respiciens, dicebat duobus illis discipulis quos Joannes è suis vinculis ad ipsum miserat, *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*, *Matth.* XI. 6. Imo Nathanael quoque, verus ille Israëlita in quo non erat dolus, ut testatur Christus, tanto erat occupatus præjudicio, ut nihil sublime posset credere de Christo, quia audiebat ipsum esse Nazarethanum. *A Nazareth*, inquiebat, *potest-ne aliquid boni esse? Joan.* I. 45. Talia sunt etiam præjudicia, quæ postea impedierunt Judæos ne accederent ad Christum, ut splendor promulgatæ legis, persuasio de ejus æternitate, & similia. Quæ Paulus comparat cum velamine quo Moses faciem suam radiantem tegebat; dicens, velamen illud remanere super cor eorum in lectione Vet. Test. & cum legebatur Moses; auferendum autem esse cum conversi fuerint ad Dominum, 2 *Cor.* III. 13. &c. Nec parum obsunt hodie præjudicia, quominus doctrina Euangelica pristino splendori restituatur, & gravissimi qui in religionem Christianam irrepserunt errores emendentur; qualia sunt eruditio & sanctitas veterum Patrum qui eos propugnarunt, auctoritas Conciliorum quæ illos sanxerunt; & numerus immensus omnis generis hominum qui illis nunc adhæret. Quæ omnia sunt instar crassæ nubis, per quam radii divinæ veritatis vix penetrare possunt.

VI. Effectum incredulitatis est damnatio & mors æterna, sicut fidei salus. *Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, *Joh.* III. 36. Item, *Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*, *Marc.* XVI. 16. Et sic passim in scriptis Novi fœderis; ubi de incredulitate, tanquam de unica aut præcipua damnationis causa, mentio fit; non quod cæteris omnibus peccatis gravior sit; sed quia impedit ne eorum remissio obtineatur; sicut fide justificamur non charitate, quia fidei beneficio peccatorum veniam consequimur, potius quam charitate aut aliis ullis virtutibus.

VII. Fidei in excessu opponitur nimia credulitas, qua proni sunt nonnulli ad temere credendum quibusdam rebus aut doctrinis, tanquam divinis, quæ nequaquam tales sunt, sed potius mera hominum figmenta & imposturæ. De ea Siracides dicit in *Ecclesiastico* XIX. 4. *Qui credit cito, levis est corde.* Proficisci solet ex imprudentia & imperitia. Unde in pueris, fœminis, & aliis ignaris maxime conspicitur. Ea sicut multum nocet in vita civili, ita præcipue in religione, ubi errores sunt periculosiores qui à salutis via abducunt, cum in vita civili fere tantum agatur de jactura pecuniæ, aut rerum parvi momenti, quæ per credulitatem periclitantur.

tantur. Comitem habet plerumque inconstantiam; adeo ut creduli *parvulorum instar* sint *fluctuantes*, & *omni doctrinæ vento circumferantur per nequitiam hominum in astutia ad circumventionem erroris*, *Eph.* IV. 14. licet aliquando etiam contrarium eveniat, & qui creduli sunt ad amplectendum falsa dogmata, quod ab iis quos magni faciunt propinentur, pertinacissime ea defendant; cum imperitorum hoc sit proprium, ut facile ab uno extremo ad aliud transeant. Cavendum inprimis hoc vitium circa miracula quæ ab impostoribus jactantur, & ad propugnandum superstitiones Papisticas afferuntur, cum incertum sit an unquam contigerint; saltem in illorum præsentia non sint facta, qui contrariæ sunt in religione sententiæ, apud quos, si vera forent, majorem allatura essent utilitatem. Dici enim vix potest, quantum hæc noceant Christianismo, & prudentium Judæorum aliorumque infidelium conversioni, qui putant miracula quæ narrantur de Christo & ejus Apostolis, ejusdem esse generis cum iis quæ ipsi falsa deprehenderunt. Qui ergo decipi nolunt, suspecta debent habere omnia hæc novitia miracula, nullo idoneo teste comprobata, ut non sinant se dimoveri à veritate Euangelii; sed ad ejus amussim examinent dogmata quæ istiusmodi tibicine fulciuntur; statuentes ex Pauli monito, ne Angelum quidem de cœlo audire, si aliud Euangelium præter id quod nobis olim traditum est afferret, *Galat.* I. 8.

VIII. Opposita fidei, quatenus pro fiducia accipitur, sunt etiam duplicis generis; alia in defectu, alia in excessu. In defectu sunt tum parva fiducia, tum diffidentia. Parva fiducia, quæ dicitur ὀλιγοπιστία, non tollit quidem universam hujus virtutis laudem, sed tamen multum de ea minuit; cum ii magna habent argumenta cur fiduciam suam in Deum & Christum collocent, non tamen in eum tali qua deberent πληροφορίᾳ recumbunt. Ejus exemplum habemus in Apostolis, qui tempestate gravi oborta dum navigant cum Christo, metuunt ne submergantur, & pavidi dormientem excitant, dicentes, *Domine salva nos, perimus*, *Matth.* VIII. *v.* 24. Non habebant enim causam timendi in comitatu Christi, cujus potentiam jam toties in miraculis faciendis experti erant. Laudabiles tamen in eo, quod animum non despondent, sed saltem ab eo expergefacto liberationem ab imminenti periculo sibi polliceantur. Diffidentia totam fidem in Deum tollit; qualis erat illius Ducis, qui Elizæo prophetante, cum Samaria obsessa gravi fame premeretur, *In tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, & duo modii hordei statere uno in porta Samariæ*; respondit, *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, nunquid poterit esse quod loqueris?* 2 *Reg.* VII. Qualis etiam erat regis Achaz, qui in obsidione Hierusalem diffidebat auxilio Dei, quod Esaias ipsi spondebat; & fidem simulans nolebat petere signum quod ipsi offerebatur, *Esa.* VII. Ab eodem quoque diffidentiæ fonte proficiscebantur crebra illa Israëlitarum murmura in deserto, quoties ipsis aliquid difficultatis aut molestiæ occurrebat. Hæc grave semper est peccatum, cum nunquam liceat Dei potentiæ aut bonitati diffidere. Sed tunc longe est maximum, cum nequidem in expressa ejus promissa recumbit, quasi vellet ipsum etiam mendacii redarguere.

IX. Hic quæres, nunquid istius peccati rei sint, qui in Deum spem suam non collocant, quia sibi conscii sunt se ejus cura esse indignos? Resp. Illi certe auxilium à Deo in rebus angustis expectare non debent, qui eum peccatis suis, in quibus adhuc absque pœnitentia pergunt, exacerbaverunt, sed contra iram & indignationem ejus metuere. Officii ergo ipsorum est, se ad Deum serio convertere, non tantum de ejus potentia, sed etiam bonitate persuasos, & neminem qui ad ipsius opem debita cum animi demissione confugerit repulsam passurum. Quod vero ad eos attinet qui in vocatione sua ambulant, & pro virili Deo placere student, non possunt de ejus paterna cura dubitare quin peccent; veluti qui anxio dicunt animo, Quid edemus, aut quo amiciemur? cum sciant Deum etiam pullis corvorum ad se clamantibus prospicere, & lilia agri tali pulcritudine vestire, ut ne regius quidem amictus cum illorum splendore sit conferendus.

X. In excessu adversus fidem peccat nimia confidentia; qualis est eorum, qui cum Deum sibi iratum timere debeant, & ejus vindictam exhorrescere, ab eo sibi omnia fausta nihilominus pollicentur. *Cum enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor parturienti, & non effugient*, 1 *Thess.* V. *v.* 3. In quorum numero non dubitarim reponere eos, qui dicunt, Licet me mea conscientia accuset quod adversus omnia Dei mandata graviter peccaverim, nec ullum eorum servaverim, ad hæc etiamnum ad omne malum propensus sim, nihilominus tamen (modo Christi beneficia vera animi fiducia amplectar) sine ullo meo merito, ex vera Dei misericordia, mihi perfecta satisfactio, justitia & sanctitas Christi imputetur & donetur, &c. *Catech. quæst.* 60. Quod enim veram animi fiduciam vocant, nihil aliud est nisi falsa persuasio, quamdiu tales erunt quales se describunt; monente serio Joanne, *Filioli nemo vos seducat, Qui facit justitiam justus est, sicut & ille justus est*, 1 *Epist.* III. *v.* 7. non qui alienam justitiam sibi injusto imputandam temere confidit.

CAPUT

CAPUT XII.

De Resipiscentia, ac primo de dolore, seu contritione.

I. *Nomina quibus resipiscentia in Scriptura appellatur.* II. *Discrimen inter ea.* III. *Convenientia inter resipiscentiam & regenerationem.* IV. *Quid sit resipiscentia.* V. *Requirit peccati odium, cujus foeditas describitur.* VI. *Odio isti accedere debet dolor de peccato.* VII. *Hic vulgo contritio vocatur.* VIII. *Conditiones in ea requisita.* IX. *Ad eam necessaria est peccati agnitio. Hac habetur ex lege tam naturali, quam revelata.* X. *Ad hanc actiones nostra sunt examinanda.* XI. *Quid statuendum de dolore, qui oritur ex solo metu pœna.*

I. HActenus egimus de fide, nunc ad resipiscentiam seu pœnitentiam accedemus, & de illa in tota sua latitudine accepta, prout complectitur universum Christiani hominis officium, disseremus. Pontificii scriptores (qui libentius pœnitentiæ quam resipiscentiæ vocem usurpant) dicunt eam duobus modis in Theologia esse considerandam, nempe tum quatenus est virtus, tum quatenus est Novi fœderis Sacramentum; & cum de illa in priore respectu tractant, multa non indigna lectu habent; sed in posteriore, non absurda solum, sed etiam perniciosa sunt pleraque quæ commentantur. Nos itaque eam uno inspicere modo contenti erimus; ad alterum non reflectemus oculos, nisi ut nobis ab erroribus qui sub ejus specie latent caveamus. Hæc virtus Græcis modo μετανοίας, modo μεταμελείας nomine insignitur. Inter quas duas voces nonnulli hoc discrimen esse putant, quod prior semper veram & sinceram resipiscentiam denotet; posterior vero de simulata & imperfecta usurpetur. Et verum quidem est de Juda dici, quod μεταμεληθεὶς reddiderit triginta nummos argenteos, quos ad prodendum Dominum Jesum acceperat, *Matth.* XXVII. 3. cui nemo veram resipiscentiam tribuere auderet. Sed tamen alibi hoc idem verbum μεταμέλομαι ad sinceram resipiscentiam designandum adhibetur, ut *Matth.* XXI. 29. 32. 2 *Cor.* VII. 8. *Hebr.* VII. 21. Nec ratio etymologiæ repugnat: μεταμέλεσθαι enim est quasi *post curare*; posteriores autem curæ, ut vulgo dicitur, solent esse sapientiores. Sicut μετανοεῖν, est *post intelligere.* Latinis *resipiscentia* vox semper in bonam partem accipitur, & veram virtutem significat. Sed *pœnitentia* vox est media, & aliquando in bonam, aliquando in malam partem usurpatur. Nam sunt aliqui quos pœnitet bene fecisse; qui sane non resipiscunt; imo potius desipiunt. Licet nonnunquam possit virum bonum absque culpa pœnitere beneficii in improbum & ingratum collati. Istoque sensu Deus dicit de gente quæ malum fecerit in oculis suis, & non audierit vocem suam; *Pœnitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei*, *Jerem.* XVIII. 10. Quod tamen θεοπρεπῶς intelligendum esse omnes norunt. Pœnitentia enim quomodocunque accepta, Deo nunquam proprie convenit, ut quæ semper imperfectionem aliquam arguat. Hebræis dicitur תְּשׁוּבָה, id est conversio, à שׁוּב redire seu convertere se: sicut Græce ἐπιστροφὴ ab ἐπιστρέφω; quo significatur eum qui se à Deo & virtute peccando avertit, ad eum debere reverti; quemadmodum viator qui aberravit à via, agnito errore solet ad illam redire.

II. Singulæ istæ appellationes propius inspectæ, non parum ad hujus virtutis naturam cognoscendum prosunt. Cum enim vocatur *pœnitentia*, eo significatur illam in dolore animi ob admissum peccatum consistere, qui est instar alicujus pœnæ quam sibi pœnitens infligit. Cum dicitur *resipiscentia*, seu, ut proprie Græca vox μετανοίας significat, mutatio mentis, eo indicatur nos perpensis vitæ præcedentis hallucinationibus, proponere aliter illam inposterum instituere. Denique cum appellatur *conversio*, eo profitemur nos à recta salutis via quam insistere debebamus aberrasse, & in eam redire velle.

III. Magna etiam est affinitas inter *regenerationem* & *resipiscentiam*; utriusque enim idem est scopus & effectum. Regeneratione prava nostra vivendi ratio reformatur in melius, illuminantur tenebræ intellectus, refrænantur immoderati affectus, & corriguntur omnes malæ actiones. Idem quoque præstat resipiscentia. Quid ergo, inquies, est discriminis inter utramque. *Resp.* Istud; quod regeneratio dicitur quatenus consideratur ut à Deo profecta; resipiscentia vero, quatenus à nobis, licet non absque Dei ope, effecta intelligitur. Quemadmodum enim nemo generationis suæ corporalis est auctor, ita neque etiam spiritualis regenerationis. Parentes carnales sunt illius, non quidem primi auctores, sed secundarii & Deo subordinati; hujus vero Deus solus est causa & principium. *Is voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creatura ejus*, *Jac.* I. v. 18. *Renati sumus, non ex semine corruptibili* (sicut in generatione carnali) *sed incorruptibili, per verbum Dei vivens & permanens in æternum*, 1 *Petr.* 1. 23. Non tamen est nimis urgenda hæc similitudo, quasi ea quæ aliqua in re sunt similia, in omnibus forent absque ulla exceptione. Quod illi existimare videntur, qui ita ratiocinantur. Quemadmodum homines ad suam carnalem generationem mere se habent passive, nihilque ad eam contribuunt, atque eam impedire non possunt; ita etiam contingit in spirituali regeneratione, qua ad novam vitam renascuntur. Sed crasse errant, non attendentes ad naturam similitudinum & metaphoricarum locutionum, quæ nunquam ita accurate quadrant rebus quibus applicantur, quin (ut vulgo dicitur) aliqua ex parte claudicent. Id clare est

est animadvertere in ea de qua nunc agimus. Nemini præcipitur ut generetur aut nascatur corporaliter; nemo promissis aut minis eo inducitur. Qui enim nondum est, nullius est mandati aut adhortationis capax. Sed hæc omnia adhibentur in regeneratione spirituali. Nobis enim edicitur, ut *si verbum Dei audierimus* (quod ejus est instrumentum) *non obduremus corda*. *Hebr.* III. 7. 8. Ergo aliquid ad eam conferimus, & si quod in nobis est conferre recusemus, eam impedimus. Tantum requiritur ut Deus nos Spiritus sui auxilio præveniat, sine quo nemo spiritualiter renasci potest. Sed illo pulsante corda, nostrum est aperire, alioqui contumacia nostra offensus abibit & non ingredietur. Ex adjunctione ergo actionis humanæ subsequentis ad divinam antecedentem perficitur regenerationis opus, & resipiscentia illa salutaris quæ à nobis requiritur. Ideoque hortatur nos Paulus, *Ne in vacuum gratiam Dei recipiamus*, 2 *Cor.* VI. I. Et, *ne quis desit gratiæ Dei*, &c. *Hebr.* XII. 15.

IV. His præmissis de vocibus, quæ tamen rerum non sunt plane inanes, rem ipsam propius consideremus. *Resipiscentia*, sive malis dicere *pœnitentia*, aut *conversio*, *est hominis à Dei gratia præventi actio, qua de peccatis à se perpetratis dolet, eis in posterum renuntiare Dei ope non tantum proponit, sed etiam actu & reipsa, quantum infirmitas humana patitur, renunciat, & operibus justitiæ in toto reliquo vitæ suæ cursu studet.* Unde apparet eam in duabus potissimum actionibus consistere, nempe aversione à peccato, & conversione ad justitiam: quæ ideo sæpe nobis in Scriptura commendantur; ut *Psal.* XXXIV. *v.* 15. *Diverte à malo, & fac bonum.* Et *Esai.* I. *v.* 16. *Quiescite agere perverse, discite benefacere.*

V. Sed quia nemo potest serio renunciare peccato, nisi illud oderit, & à se commissum doleat, ideo vera resipiscentia ab odio peccati, & dolore animi quod admissum sit, inchoare debet. Peccatum rem esse odio dignissimam apparet ex multis. Primum enim est res valde fœda, utpote rectæ rationi & Dei voluntati contraria; per quod nos à Deo separamus & Diabolo, omnis impuritatis auctori, adhæremus. Quod in singulis in specie peccatis perpendere valde expedit, v. gr. in idololatria, perjurio, iracundia, homicidio, adulterio, furto, gula, ebrietate, & aliis ejusmodi. Nam qui cogitationem profunde in eorum turpitudine defixam habebit, non facile à cupiditate se abstrahi sinet, ut peccato serviat. Secundo, peccatum est res magnopere noxia, non solum iis adversus quos patratur, ut videre est in homicidio, adulterio, furto & rapina; sed etiam illi ipsi, qui ut libidinem suam expleat id committit, qui in se omnium odium accersit, famæ & valetudini nocet, & se in plurima tali occasione incommoda & pericula conjicit. Quicunque ergo sapit, non potest illud non odisse, quod tot tantorumque malorum est causa. Tertio peccatum Dei in nos judicia accersit, & in mortem temporalem atque æternam præcipitat. Quæ ipsum nobis exosum reddere debent, nisi forte amentes simus, & felicitatis nostræ hostes atque inimici. Unde recte David *Psal.* XI. *v.* 5. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et Salomon, *Proverb.* XXIX. 24. *Qui cum fure participat, odit animam suam.* nempe quia in apertum illam amittendi periculum se conjicit.

VI. Non sufficit peccatum in genere consideratum odisse, sed etiam quando à nobis perpetratum est, dolere de eo oportet. Ex isto enim dolore apparet nos ipsum vere & ex animo detestari; alias videremur peccatum in aliis potius quam in nobis ipsis odio prosequi. Hæc est *tristitia illa secundum Deum, quæ resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nunquam pœniteat*, 2 *Cor.* VII. 10. Ex quibus verbis apparet, dolorem istum esse potius veræ pœnitentiæ antecedens & causam, quam ejus partem, cum dicatur illam operari. Quod autem ibidem adjicit Apostolus, *Tristitiam hujus mundi operari mortem*; non est referendum, cum quibusdam, ad illam tristitiam quam parit metus pœnæ. Quamvis enim ea sit imperfecta & in illa non oporteat subsistere, tamen non raro est valde utilis, & primus ad perfectiorem resipiscentiam gradus; tantum abest ut mortem pariat. Quod si aliquando contingit, id est per accidens, non ex ejus natura & per se. Tristitia ergo hujus mundi quæ operatur mortem, est, cum quis tristatur quod non possit cupiditates explere avaritiæ, ambitionis, vindictæ, libidinis, aut ob similes res mundanas quas immoderato amore prosequitur, & quando eas consequi non potest, aut casu aliquo amisit, dolore se macerat, & ad illicita media artesve se confert, quibus jacturam suam sarciat, aut voti compos fiat. Quod mortem parere non est mirum.

VII. Hic dolor est, qui vulgo contritio dicitur, sed metaphorico sensu. Contritio enim proprie est actio, qua corpus durum in minutas partes frangitur, ita ut quod antea resistebat tactui, non amplius resistat. Sic enim cor hominis, quod per peccatum obduratum erat & divinæ voluntati resistebat, dolore isto superveniente emollescit, & Deo fit obediens; imo etiam aliquando efficit ut homo corpus suum affligat & veluti contundat, ut ipsum habeat spiritui obsequens. Et petita videtur hæc appellatio ex verbis Davidis *Psal.* LI. 19. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Cum quo consonat adhortatio hæc *Joëlis cap.* II. *v.* 13. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum.* Et ejus præclarum habemus exemplum in Judæis illis, qui

audita

audita die Pentecostes prima concione Petri, qua ipsis cædem Jesu Christi exprobrabat, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos, *Quid faciemus viri fratrei?* Et responsum hoc acceperunt, *Pœnitentiam agite*, &c. *Act.* II. 37. 38. Quo etiam innuitur compunctionem istam cordis, quæ idem est quod contritio, fuisse tantum initium resipiscentiæ, aut præparationem quandam ad eam.

VIII. Variæ autem conditiones solent in contritione requiri; quales sunt, Ut doleamus de peccato commisso, quatenus est Dei offensa; & ut propositum habeamus illud in posterum vitandi, non qualitercunque, sed supra omnia. Et quod ad primam attinet, ut doleamus de peccato, quatenus est Dei offensa, ea omnino necessaria est. Nam qui doleret de peccato propter aliquam aliam causam, ut de gula & ebrietate, quod ea ratione læsisset valetudinem, aut facultates suas male prodegisset, & non respiceret ad Deum quem offendit, ejus dolor non esset laudabilis, nec Deo gratus; sed dolor hujus mundi, quem modo audivimus mortem parere. Altera, ut dolor iste sit conjunctus cum proposito vitandi inposterum peccati, est etiam optimo jure requisita. Neque enim quisquam vere dolet se peccasse, quin simul statuat apud se peccato nuncium mittere. Qui istud sibi non proponit, est hypocrita, & dolorem simulat quem non habet. Tertia, ut decernat peccatum supra omnia vitare, id est, potius omnia incommoda pati, imo mortem ipsam, quam se ullo peccato polluere; est quidem egregia & magna laude digna; sed superare videtur naturam contritionis, quæ veræ resipiscentiæ est tantum initium, non perfectio. Quod ergo dicunt, si aliqua conditio ex his desit, non esse veram contritionem, sed tantummodo attritionem, id est contritionem imperfectam, id quidem de duabus primis concedo, sed non de ultima, propter modo allatas rationes.

IX. Ad dolorem autem, qualem oportet, in nobis excitandum, necessaria est cognitio peccati. Sicut enim vulgo dicitur, quod ignoti nulla cupido est, ita etiam recte dici potest, ignoti nullam esse fugam. Quomodo ergo, inquies, cognoscitur peccatum? Resp. Ex lege divina, cujus est transgressio. *Per legem est cognitio peccati*, *Rom.* III. 20. Eoque nonnulli etiam referunt ista, *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nescivissem, nisi lex diceret, Non concupisces*, *cap.* VII. *v.* 7. Quasi Paulus illic significare vellet, se nesciturum concupiscentiam rei alienæ, quæ intra animum solum consistit, seu opere externo non se prodit, esse peccatum, nisi vidisset illam lege divina esse prohibitam. Quod verum quidem est; natura enim non docet talem concupiscentiam esse peccatum; saltem adeo grave ut iram Dei provocet. Sed non videtur hujus loci sensus; sed potius hic, Se non agniturum concupiscentiam peccati in se regnantem, nisi ea per legem irritata fuisset, prout sequentia aperte docent, *Peccatum occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat*, &c. Quod recte observavit Poëta, qui dixit, *Nitimur in vetitum semper cupimusque negata*, &c. Cum autem dicimus per legem cognosci peccatum, id intelligimus primo de lege naturæ, quæ docet quodnam sit discrimen inter honestum & turpe, & illud quidem faciendum, hoc vero omittendum. Hucque pertinent ista Pauli, *Cum gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*, *Rom.* II. 14. 15. 16. Sed tamen lex ista non docet agnoscere omnis generis peccata, prout de concupiscentia patet: nec etiam ostendit quantopere Deus illis offendatur, & quam pœnam in ejus judicio mereantur. Ad id expressiore aliqua voluntatis divinæ revelatione opus est, qualis habetur in lege Mosaica, & plenius adhuc in nova Christi lege, quæ ostendit peccatum latere in variis actionibus ad quas lex illa vetus connivebat; ut id in divortio extra causam adulterii, in studio vindictæ, in opum & honorum cupiditate, aliisque ejusmodi quæ Euangelium prohibet, conspici potest. Cui accedit, quod in illo tantum fit mentio ignis æterni & pœnæ post mortem corporis peccatoribus destinatæ. Quæ omnia ostendunt longe perfectiorem ex Euangelio haberi cognitionem peccati, & gravitatis ejus, quam ex ulla alia lege, quæcunque illa sit; ideoque merito *legem perfectam* ipsum nuncupari, *Jacob.* I. 25.

X. Sed non sufficit nos habere legem & normam perfectam, nisi ad illam actiones nostras expendamus. Examine igitur conscientiæ hic opus est, ut sciamus an vita nostra talis sit, qualem Deus in lege sua requirit, & num aliquid eorum commiserimus quæ in illa prohibentur, aut omiserimus, quæ præcipiuntur. Inde ad peccati cognitionem perveniemus per ejusmodi syllogismum, in quo lex divina faciet majorem propositionem, examen conscientiæ assumptionem; ex quibus facile erit conclusionem elicere; sic procedendo: Deus prohibet in Euangelio idololatriam, homicidium, adulterium, avaritiam, furtum, gulam, sub pœna exclusionis è regno cœlorum & supplicii gehennæ. At conscientia mea redarguit me quod talia patrarim. Ergo sum peccator, qui exclusionem è cœlo & supplicium ignis æterni commeritus sum. Unde orietur ingens dolor de peccatis admissis: sive dolor ille respiciat tantum ad pœnam imminentem, sive etiam ad turpitudinem peccati & Dei offensam.

XI. Qui oritur ex metu pœnæ, imperfectus quidem est, & veram resipiscentiam non parit per se. Potest enim esse evanidus, & qui illo affectus erat, cito redire ad ingenium suum. Qualis fuit in Achabo, qui cum ex Elia Propheta audivisset quam horrenda sibi & familiæ universæ pœna impenderet, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, &c. & sic à se pœnam promeritam avertit, 1 *Reg.* XXI. *v.* 17. *& seqq.* Nolim tamen cum quibusdam dicere, pœnitentiam hanc fuisse hypocriticam & simulatam. Deus enim cordium inspector non potest simulatione ullius hominis decipi; quem audimus dicentem Eliæ, *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus.* Imperfectam tamen fuisse indubium est. Metu enim isto, quo audita Dei comminatione correptus fuerat, brevi evanescente, ad pristinam vivendi consuetudinem redibat; quam tamen deserere, quamdiu duravit, propositum sibi habebat. Sed in aliis fuit initium veræ resipiscentiæ, & gradus ad eam; veluti in illis Judæis, qui agnito ex concione Petri gravi scelere quod commiserant Christum occidendo, & imminenti sibi judicio divino, compuncti fuerunt corde, & dixerunt, Quid faciemus? Unde tamen excipiendi sunt ii, qui solo humanæ pœnæ metu inducti de peccato admisso dolent, ut sæpe videre est in furibus & aliis ejusmodi maleficis, qui si nulli forent in terra judices, in quorum manus vererentur incidere, nunquam, quicquid de judiciis divinis audirent, sibi à sceleribus temperarent. Fide enim in Deum omnino destituuntur; quæ in illis aliqua est, qui in Dei vindicis iratas manus incidere formidant, & postea ipsis veræ resipiscentiæ adjumentum esse potest, quæ jam non adeo respiciat ad pœnam, atque ad Deum, benignum patrem, offensum, & ad turpitudinem peccatorum quibus se commacularunt. Facta ergo distinctione inter pœnæ quæ à Deo, & illius quæ ab hominibus infligitur metum, conciliari facile potest controversia quæ inter Theologos agitatur, utrum dolor ex metu pœnæ ortus aliquando veram pœnitentiam pariat, nec-ne; nimirum id affirmando de priore, qui cum fide aliqua, licet debili, est conjunctus, & negando de posteriore, in quo nulla omnino fidei vestigia deprehenduntur.

CAPUT XIII.

De Confessione peccatorum.

I. *Peccatorum coram Deo confessio est necessaria.* II. *Erronea Pontificiorum de Confessione auriculari sententia.* III. *Quæ Confessio peccatorum sit necessaria, aut admitti possit.* IV. *Auricularis Pontificiorum Confessio est inventum mere humanum.* V. *Multis incommodis & abusibus est obnoxia.* VI. *Locus Joan.* 20. *de potestate remittendi peccata, nihil facit pro auriculari confessione.* VII. *Nec Jacob.* 5. *confitemini erga alterutrum peccata.* VIII. *Nec quod* 1 *Joan.* 1. *Deus nobis peccata remissurus dicitur, si ea confiteamur.* IX. *Nec ex eo, quod accedentes ad baptismum Joannis peccata sua confitebantur.* X. *Et quod fideles Act.* 19. *confessi sunt actus suos.* XI. *Nec ex typis, qui ex Vet. Test. allegantur.* XII. *Utilitas quam Pontificii jactant inesse Confessioni auriculari minor est, quam damnum quod inde oritur.* XIII. *Quid & quam impie de silentio, quam Confessionis sigillum vocant, sentiant multi Pontificii doctores.* XIV. *Ostenditur illud esse valde periculosum; variaque circa id Pontificiorum fraudes deteguntur.*

I. EX agnitione ergo peccati procedit animi dolor quod à nobis sit commissum, & ejus detestatio. Ista rursus pariunt confessionem apud Deum quem offendimus; nisi malimus dicere, peccati confessionem nihil aliud esse quam detestationem ejus coram Deo. Confiteri enim id oportet apud Deum, non ut ipsi notum faciamus, (stultum esset tale quid cogitare de eo qui scrutatur corda & probat renes, & cujus oculis omnia sunt nuda & aperta, *Jerem.* XVII. 10. *Hebr.* IV. 13.) sed potius, ut ostendamus nos ipsum non ignorare, seu probe nosse, tum quod à nobis sit perpetratum, tum etiam quam turpe & fœdum sit, quantumque ab eo abhorreamus. Hanc confessionem nobis exemplo suo commendat regius Propheta *Psal.* XXXII. 5. *Delictum meum,* (inquit ille apud Deum) *cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi,* id est proposui apud me, *confitebor adversus me injustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Et quam id fuerit necessarium, indicat *v.* 3. *Quoniam tacui* (supple peccatum meum) *inveteraverunt ossa mea,* (id est pene ægritudine sunt consumta) *dum clamarem tota die;* seu rugirem, ut habet Hebr. textus, sentiens gravitatem pœnarum, quibus Deus à me quasi fidiculis peccati confessionem extorquere volebat. Totus etiam *Psal.* LI. nihil aliud est, quam confessio gravissimi illius peccati quod adversus Uriam & ejus uxorem David commiserat. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, v.* 6. ubi dicit, se Deo soli peccasse, non ad negandum quod alios etiam peccato suo læsisset; id per se patebat; sed ut ostenderet, Deum solum esse quem contemserat legem ejus transgrediendo, & quem ideo jure sceleris sui vindicem metuebat. Habemus etiam egregium confessionis exemplum apud *Daniel. cap.* IX. in quo tamen non tam sua privata, quam totius Israëlitici populi peccata confitetur; *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, & declinavimus à mandatis tuis ac judiciis,* &c. Similiter apud *Nehemiam* IX. qui itidem suo & populi, cujus ductor erat, nomine peccata quibus se polluerant coram Deo confitetur. Et in Novo Test. Dominus Jesus publicani, sive parabola sive historia, eam nobis commendat, *Luc.* XVIII. qui cum Pharisæus apud Deum jactaret sua bona opera, & se cæteris hominibus præferret, ipse ne quidem audebat

debat oculos ad cœlum attollere; sed percutiebat pectus suum, dicens, *Deus esto propitius mihi peccatori.* De quibus duobus tandem Jesus dicit, *Hic, nempe publicanus, descendit justificatus in domum suam potius quam ille*, nempe Pharisæus. Ubi non est existimandum, Christum hoc sibi velle, ad justificationem peccatoris coram Deo sufficere, si ille qui gravium scelerum est reus, id ingenue confiteatur & gratiam Dei imploret. Potest enim fieri ut statim post hanc confessionem redeat ad pristinos mores, & melior non sit quam ante. Quo in casu ridiculum foret existimare ejusmodi hominem acceptum esse Deo. Sed Christus tantum loquitur per comparationem, & ostendit humilem ejusmodi confessionem, qualem publicanus edebat, longe acceptiorem esse Deo, quam superbam præsumtionem Pharisæi alicujus, qui confideret se esse justum, quod jejunaret, decimas penderet, & à gravioribus sceleribus sibi temperaret, & interim alios despiceret & condemnaret, quos tamen non novisset. Confessio enim publicani erat veræ resipiscentiæ initium, cum Pharisæus operum opinione turgens videretur esse insanabilis. Nec parum ad confessionis utilitatem ostendendam faciunt hæc Joannis; *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus*, (nempe Deus) *ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos omni iniquitate.* 1 *Epist.* 1. 9. Quæ apparet dicta esse per oppositionem cum antecedentibus & consequentibus. Sic enim habet *versus* 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et *v.* 10. *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* Sed præterea synecdoche in illis verbis agnoscenda est ubi peccatorum confessio laudatur; nimirum per eam non solum significatur, oportere peccata ore confiteri, ut eorum remissionem à Deo consequamur; (quod non raro fit ab hypocritis qui in iis perseverant, nullamque proinde ex sua confessione utilitatem percipiunt:) sed etiam eis renunciare actu & reipsa, & deinceps in novitate vitæ ambulare. Hæc demum confessio est Deo grata, qui ideo quod fidelis est & justus (nempe in servandis promissis) nobis condonabit peccata nostra. Palam autem est id tantum promissum esse illis qui à peccando desistunt. Et hoc est quod Salomon sub lege cognovit, ubi dicit, *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*, *Proverb.* XXVIII. 13. Cujus rei declaratio apertissima extat *Ezech.* XVIII. *v.* 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor, in justitia sua quam operatus est vivet.*

II. Hæc apud omnes Christianos videntur esse extra controversiam, confessionem peccatorum talem apud Deum esse faciendam, quæ non solum cum sterili proposito ea deserendi conjuncta sit, sed etiam actualem vitæ emendationem in se complectatur. Sed præterea quæritur, an præter illam confessionem quæ fit Deo, alia etiam sit necessaria coram hominibus, ad obtinendum peccatorum suorum veniam. Istud est quod docent Pontificii, non sufficere confiteri Deo sua peccata, sed præterea oportere singulos fideles, qui post Baptismum acceptum peccarunt, omnia peccata quorum meminisse possunt, confiteri clanculum & in aurem cum omnibus suis circumstantiis, Sacerdoti alicui, à quo in nomine Christi absolutionem illorum accipiant; & absque tali confessione neminem, cui facultas ejus suppetat, à Deo remissionem peccatorum impetrare posse. Quibus nequaquam assentiri possumus, cum nullibi videamus in Sacris literis ejusmodi confessionem præcipi, aut potestatem ulli hominum concedi talem absolutionem peccata confessis dandi. Et in istorum errorum examine, quia graves sunt & periculosi, aliquamdiu nobis immorandum erit.

III. Quod ad primum attinet, de necessitate confessionis alteri præter Deum faciendæ, libenter largimur, debere eos, inter quos dissidia fuerunt, ut reconcilientur inter se, fateri alterum alteri se peccasse, & petere ab eo quem offenderunt ut sibi condonet. Istud enim præcipit Jacobus *cap.* V. *v.* 16. *Confitemini alii aliis offensas*, seu invicem aut mutuo. Præterea tenentur illi, qui gravi aliquo peccato offendiculum præbuerunt Ecclesiæ, ut testentur resipiscentiam deprecari ab illa veniam; quod severe exigebatur olim ab iis qui inciderant in idololatriam, aut se homicidio aliquo vel adulterio polluerant, qui non recipiebantur ad Sacram synaxin, nisi prius confessione publica sui peccati Ecclesiæ satisfecissent. Sed hic mos nullibi fere hodierno tempore obtinet. In quo non nego aliquando peccatum esse nimio rigore. Sed tamen in eo fundamentum habebat, quod nemo primitus admittebatur ad Baptismum, nec ad publicam nominis Christi professionem, quin vitæ præcedentis peccata confiteretur. Id videre est in Baptismo Johannis, quem qui recipiebant ab eo, confitebantur peccata sua, *Matth.* III. 6. Non enim putandum est ipsos tantum in genere confessos, se esse peccatores: hæc locutio amplius aliquid significat; nimirum ipsos etiam in specie recensuisse graviora peccata, quorum sensu gravabatur eorum conscientia. Idemque etiam observatum fuit in Baptismo ab Apostolis in nomine Christi administrato, ut testatur aperte locus *Act* XIX. 18. ubi dicitur Ephesi multos credentium venisse, confitentes & annunciantes actus suos, id est, peccata sua; ad nullos enim alios actus id referri potest, nec de generali solum confessione intelligi. Quod etiam docet speciale exemplum ibidem

ibidem additum, de iis qui curiosas artes fuerant sectati, qui contulerunt libros & combusserunt coram omnibus. Unde tamen nullum auriculari confessioni præsidium desumi potest. Nam præterquam quod ista erat publica & alterius plane generis, fiebat ab iis qui volebant recipi in Ecclesiam Christi, non ab iis qui jam illius erant membra; quam solam baptizatorum confessionem volunt esse Christianæ Ecclesiæ Sacramentum. Præterea confessionis hujus publicæ æquitas ex eo patet, quod qui scandalo aliquo gravi læserunt Ecclesiam, & se Christianorum nomine indignos præbuerunt, teneantur reparare scandalum istud, si pro Christianis velint agnosci, & ad Sacram communionem admitti. Optandumque foret morem istum postliminio inter nos restitui, ne Ecclesiæ nostræ propter aliquorum peccata male audirent, & ut constaret omnibus nos in illa non consentire aut connivere. Denique non improbamus ut illi, quorum conscientiæ premuntur graviorum peccatorum sarcina, consulant Pastores suos, aut alios viros pios & Sacrarum literarum peritos, à quibus post aperta ulcera sua discant quid in tali casu facere ipsos conveniat, & quomodo se à peccatorum onere exsolvere possint. Sed hæc confessio est mere voluntaria, & ab uniuscujusque arbitrio pendet utrum eam faciat, an vero potius omittat. De his ergo nulla est inter nos & Pontificios controversia.

IV. Sed cum auricularem confessionem velint juris esse divini, æquum sane esset ut nobis aliqua S. literarum aperta testimonia proferrent, unde nobis de jure illo constaret; quod cum nequeant facere, mirum illis videri non debet si tali jugo & invento humano nos subjicere detrectemus. Quod enim Paulus olim pronunciavit de ceremoniis legis Mosaicæ, quarum observationem à Gentilibus ad Christum conversis exigebant nonnulli zelatores Judæi, *Nolite iterum jugo servitutis contineri*, *Gal.* v. 1. item, *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomenia, aut sabbatorum*, *Coloss.* II. 16. multo magis quadrat in ea quæ ex sola auctoritate humana introducta sunt in Ecclesiam, qualis est confessio auricularis. Cum autem Pontificii eam velint maxime esse necessariam eo tempore quo ad Sacram synaxin acceditur, adeo ut piaculum foret apud ipsos Eucharistiæ participare, nisi ante confessi essent, notandum est tamen, Paulum nullam confessionis mentionem facere, ubi agit de præparatione ad S. Cœnam, ut oportuisset si vera esset illorum opinio; sed tantum dicere, *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, &c. 1 *Cor.* XI. 28.

V. Præterea cum experientia constet illam multis incommodis & abusibus esse obnoxiam, id causam sufficientem præbet ad eam abolendam, etiamsi diuturni temporis observatione vim legis obtinuisse videatur. Incommodum ejus apparet ex eo, quod conscientiarum intoleranda sit carnificina, quæ nunquam quietæ esse possunt, quamdiu hac persuasione sunt imbutæ, sibi necessarium esse ad salutem omnia peccata sua Sacerdoti alicui confiteri. Nam quidam oblivioni tradunt ea quæ commiserunt, ita ut impossibile ipsis sit ea cum omnibus suis circumstantiis particulatim enumerare. Nec liberantur angore ex eo, quod ipsis dicunt, sufficere si recenseant illa quorum post accuratum examen conscientiæ suæ recordabuntur. Nesciunt enim an satis magnam diligentiam adhibuerint, in qua Deus acquiescat. Adde quod cum multa sint peccata, quæ aut pudor aut metus prohibet eos aperire confessori, etsi probe illorum meminerint, periculum est ne in desperationem salutis incidant, si urgeatur illa necessario esse confitenda. Abusus sunt, quod multi Sacerdotes, occasione hujus confessionis, norint arcana aliorum, quibus deinde se formidandos præbent, sicut non male quidam dixit, *Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.* Si quis enim vel minimo nutu eos offenderit, in promptu habent unde se ulciscantur, fœda eorum ulcera revelando. Per confessionem etiam Sacerdotes possunt cognoscere quæ mulieres sint impudicæ, quibus ad libidinem suam abutantur. Ne jam dicam multos ex eorum numero esse aut improbos, aut saltem valde imprudentes, qui sub specie examinandi confitentes de peccatis quæ commiserunt, proponunt eis fœdas quæstiones, quibus potius concupiscentiam illorum irritant & docent peccare, quam odium peccati ingenerant atque ab eo deterrent; prout ex variis libris ad confessariorum instructionem scriptis videre est, ut Decreto Burchardi Episcopi Wormaciensis, Summa Benedicti, Instructione Sacerdotum Fr. Toleti, & aliis. Denique hac via possunt scrutari occultas inclinationes hominum, ut in dissidiis civilibus, quinam in has vel in illas partes propendeant; & sic incitare subditos ad rebellionem contra suos Principes & legitimos Magistratus, & totam Rempublicam turbare; ut olim factum est in Gallia tempore sanctæ quam vocabant unionis; ubi hac arte Confessores & concionatores avertebant populos ab obedientia regibus Henrico III & IV præstanda. Quæ inconvenientia & abusus tales sunt & tanti, ut propterea merito lex illa abrogari debeat, ex qua eos originem trahere, aut saltem iis fovendis non parum inservire sæpe deprehensum est; cum certum sit eam non à Deo & Christo, sed tantum ab Ecclesia Rom. esse constitutam, in Græca vero & aliis Orientis & Meridiei Ecclesiis nunquam fuisse receptam aut observatam.

VI. Sed hic graviter nobis contradicunt Pontificii, & varia afferunt fulcra ad confessionem istam sustentandam, quorum firmitas nunc est exploranda. Primum & quo maxime confidunt istud est, Quod Christus dederit pastoribus Ecclesiæ

Ecclesiæ suæ potestatem dimittendi & retinendi peccata omnibus illius membris, per Baptismum in eam receptis, ut videre est *Joan.* xx. 23. Non possint autem exercere istam potestatem, nisi cognita sint ipsis omnia & singula peccata cum suis circumstantiis, de quibus judicium ferre debeant. Quare oportere ut Christiani ea per confessionem auricularem ipsis aperiant, si velint remissionis beneficio frui. *Resp.* Si fundamentum quod assumunt esset firmum, nempe Dominum Jesum talem omnibus Ecclesiæ suæ Pastoribus potestatem dedisse, non inviti quoque admitteremus, id quod ipsi inædificatur manere debere. Sed ruinosum est. Illa Christi verba, quibus nituntur, nihil minus docent; ad Apostolos solos sunt dicta, non ad vulgares Ecclesiæ Christianæ Pastores; & quamvis iis aliquo sensu applicari possent, ubi agitur de peccatis quæ scandalum præbuerunt Ecclesiæ, id ad confessionem auricularem non pertineret; cum non sit necesse in aurem Pastoris sui ea confiteri, quæ jam omnibus innotuerunt, & propter quæ peccatori indicta est publica pœnitentia. Sed quia iste locus *Joan.* xx. proprie ad auctoritatem absolvendi pertinet, de qua nobis paulo post tractandum erit, eo usque accuratius examen veri ejus sensus differemus.

VII. Alterum palmarium suæ sententiæ argumentum desumunt ex *Jacobi* v. 16. *Confitemini erga alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini.* Dicunt autem apparere hic agi de confessione quæ fieri debeat Pastoribus, ex horum verborum connexione cum præcedentibus, videl. *Infirmatur quis inter vos? accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum,* &c. *Resp.* Non esse talem connexionem inter hæc verba, ut ex ea evinci possit omnia ad eosdem homines pertinere; sed tantum qualis conspicitur interdum inter illa, quæ parvam aliquam affinitatem habent, & quæ occasionem præbere potest ab una materia ad alteram commode transeundi. Apostolus egerat de remissione peccatorum, quam obtenturi essent ægroti per preces & intercessionem Presbyterorum Ecclesiæ. Huic sermoni commode subnectit alium ad peccata quoque pertinentem, nempe ut ea sibi invicem confiteantur fideles. Non agi autem de confessione Sacerdotibus facienda, inde manifeste apparet, quod vult eam esse mutuam, *ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, confitemini invicem,* seu alter alteri, *peccata.* Unde sequitur, ut Sacerdos quoque teneatur sua peccata confiteri illi cujus confessionem audiit, alioqui non esset reciproca, qualem requirit Jacobus. Hoc autem nolunt Pontificii Confessores, qui putant se solos habere jus confessiones laïcorum audiendi, & peccata iis remittendi, & se non teneri vicissim laïcis confiteri. Idemque ostendunt etiam verba sequentia, *καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, orate alii pro aliis:* quod charitatis officium omnes homines tenentur sibi præstare invicem, non tantum Presbyteri laïcis, sed etiam laïci Presbyteris, ut docent varia Epistolarum Pauli loca, ubi rogat eos, ad quos scribit, ut pro se Deum orent, ut 2 *Thess.* III. 1. *Coloss.* IV. v. 3. *Ephes.* VI. 19. Quod perpendentes nonnulli celebres Ecclesiæ Romanæ Doctores, ut Cardinalis Cajetanus, Melchior Canus, Gabriel Vasquez, aliique, non illibenter largiuntur, nullum esse robur in hoc loco ad confessionem auricularem probandum, & impertinenter eum in finem allegari. Sensus igitur ejus alius non est, nisi ut ii, qui se mutuo offenderunt, sibi etiam invicem confiteantur peccata ad redintegrandum pacem, & ita alter alteri satisfaciant; quia ubi sunt rixæ inter aliquos, vix unquam aliter evenit quin alter adversus alterum peccet, etiam qui justiorem causam habet, & condonatione alterius indigeat. Denique etiamsi concederemus adversariis Jacobum loqui solum de confessione quæ fit Presbyteris Ecclesiæ, non protinus evicissent, hanc esse auricularem confessionem omnium peccatorum absque exceptione, cum singulis suis circumstantiis, & eos potestatem habere judicialem peccata omnia confitentibus remittendi, seu eos in Dei judicio ab omni pœna liberandi.

VIII. Tertium argumentum inveniunt in verbis Joannis, *Si confitemur peccata nostra, fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate,* 1 *Joan.* I. 9. quæ putant de confessione auriculari esse intelligenda. Sed perperam, ut locum inspicienti apparet. Ibi enim agitur de confessione quæ fit Deo, non de ea quæ fit hominibus. Nec refert quod Deus ibi non nominetur. Nam ita describitur, ut nemo sit, nisi sponte cæcutiens, qui non agnoscat ea quæ dicuntur in eum solum quadrare, *Fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra,* &c. An ista cadunt in hominem peccatorem, & forte multo pejorem illo cujus confessionem audit? Nec id negant Pontificii Doctores; oporteret ergo frontem perfricuisse qui id facere auderet. Sed dicunt, Deum vocari ab Apostolo fidelem & justum ut remittat nobis peccata; nimirum quia vult nos confiteri peccata vicariis suis in terra, Ecclesiæ Pastoribus, & promisit se ratum habiturum in cœlo, quod illi fecerint in terra. Atqui illud τὸ πρῶτον ψεῦδος est quod Deus ullum hominem mortalem, & miserum sicut cæteri peccatorem, tali potestati donaverit, ut postea pluribus ostendemus. Sed etiamsi verum esset, in hunc locum non quadraret, ubi ne apiculus extat, qui suspicionem ingerere possit, Joannem de confessione alteri quam Deo facta locutum.

IX. Quartam objectionem petunt ex eo, quod Joannes Baptista similem confessionem exigebat ab iis, qui ad suum baptismum accedebant. *Exibat enim ad eum Hierosolyma & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur*

zabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua, *Matth.* III. 5. 6. & *Marc.* I. 5. Sed ista non erat confessio Sacramentalis, ut coguntur agnoscere ipsi Pontificii, qui dicunt Sacramentum pœnitentiæ primum institutum fuisse à Christo postquam resurrexit à mortuis, & potestatem remittendi & retinendi peccata Apostolis suis dedit. Adde, quod alia conditio ad confessionem Sacramentalem ab illis requisita hic deest, nempe ut fiat à baptizatis, & qui jam in Ecclesiam Christi recepti sunt. Unde non audent hinc directe probare confessionem auricularem; sed tantum dicunt se à simili argumentari, & ostendere æquum esse ut discipuli Christi peccata Pastoribus suis confiteantur, sicut discipuli Joannis Baptistæ peccata sua ei aperiebant. Atqui nulla hic est similitudo; saltem non tanta quæ ad controversiam quæ inter nos est dirimendam sufficiat. Similitudo sane esset, si ageretur de aliquibus primum in Ecclesiam Christi recipiendis, nimirum ab illis requirendam esse peccatorum confessionem, sicut Joannes Baptista exigebat ab illis qui se in ejus disciplinam dabant. Auricularem vero confessionem eum exegisse omnium peccatorum cum singulis suis circumstantiis, nullo indicio liquet; sed potius hanc fuisse confessionem publicam; nec omnium peccatorum particulatim, sed eorum quibus magis conscientia confitentium gravabatur, & propter quæ consilium ejus petebant, quomodo se in posterum gerere deberent. Quo pertinebant illæ populi, & publicanorum, & militum interrogationes, *Quid faciemus? Luc.* III. nempe ut venturam Dei in peccatores iram effugiamus. Quæ publice & coram omnibus eos dixisse historia indicat. Sicut etiam Joannes Pharisæis & Sadducæis ad suum baptismum accedentibus publice exprobrabat, *Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?*

X. Non majoris est roboris quinta objectio petita ex *Act.* XIX. ubi narratur, cum Paulus Ephesi Euangelium prædicaret & miraculis inclaresceret, *Multos credentium venisse confitentes & annunciantes actus suos.* Quod Pontificii contendunt de peccatis accipiendum, & nos ultro admittimus. Non enim probatur nobis eorum sententia, qui hæc de miraculis à credentibus factis accipiunt. Repugnat enim non solum vox *confitentes*, sed etiam totius narrationis series, præcipue quæ immediate subjiciuntur, *Multi autem ex iis qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Quæ ostendunt istos homines fuisse Ethnicos, qui primum Christi fidem amplectebantur, & in Ecclesiam recipi per Baptismum petebant; nec etiam confitebantur clam & in aurem Sacerdotis peccata sua, sed aperte & coram omnibus; ad testandum se illa detestari, & pristinæ quam in ignorantia egerant vitæ renunciare proposuisse.

XI. His confutatis, superfluum esset inhærere minutioribus objectionibus, quales sunt illæ quæ petuntur ex umbris & typis aut exemplis Vet. Test. ut Deum ab Adamo & Eva, itemque à Caino exegisse confessionem peccati, *Gen.* III. & IV. & sub lege illos qui peccaverunt debuisse offerendo sacrificium pro peccato suo, illud confiteri, *Numer.* V. & XV. leprosis mandatum fuisse ut se ostenderent Sacerdotibus, *Levit.* XIII & XIV. & Christum leprosos à se sanatos ad illos remisisse, *Matth.* VIII. 4. *Luc.* XVII. *v.* 14. Ad eas igitur sic paucis respondeo. 1. Ex typis, qui species sunt similitudinum, argumenta valida desumi non posse ad probandum dogma aliquod controversum, nisi præeuntes habeamus Novi Test. scriptores qui illorum applicationem ipsi faciant; & oportere prius aliunde constare de alicujus dogmatis veritate, antequam cum certitudine affirmari possit, illud tali vel tali typo fuisse præsignificatum. Neutrum autem hic dici potest. Nam nec habemus horum typorum ad confessionem auricularem, à viris θεοπνεύστοις factam applicationem; nec ea jam ita sufficienter aliis argumentis est comprobata, ut nihil restet nisi typos & figuras ad rei illustrationem afferre. 2. Quod ad Adamum & Evam attinet, item ad Cainum, nullum vel minimum indicium apparet ex quo colligi possit eos fuisse typos confessionis peccatorum, de qua hodie disputatur. Exemplum quidem præbent confessionis à Deo exactæ, & illi à pœnitentibus etiam sub N. F. faciendæ. Sed de ea nulla est inter Christianos controversia, sed tantum de auriculari, quæ fit Sacerdoti, occultorum peccatorum: cujus generis commemorata modo non erant. Idemque statuendum est de peccatorum confessione, quæ fiebat sub lege cum offerebantur sacrificia pro peccato. Sicut enim illa sacrificia soli Deo fiebant, ita etiam confessio, licet præsente & audiente Sacerdote; sed cui non enumerabantur omnia in aurem, sed illud tantum pro quo sacrificabatur. 3. Si ea quæ observabantur circa leprosos, velimus esse figuras confessionis peccatorum & absolutionis, non respicient ad confessionem auricularem hodiernam; sed ad eam quæ Deo & Christo debetur. Nullus enim alius in Ecclesia Christiana est Sacerdos, qui sacrificium expiatorium Deo offerat, præter Jesum Christum; nullus alius est à quo remissionem omnium peccatorum expectare nos oporteat præter ipsum; non ab hominibus nobis similibus & peccatorum multorum reis, à quibus non possunt nisi per Dei gratiam in Christo liberari.

XII. Sed forte momentosior est illa objectio, quæ ex auricularis confessionis utilitate depromitur. Dicunt enim illam efficacissimum esse medium ad homines à peccando deterrendos, quia enumeratio illa particularis omnium peccatorum non potest fieri absque magno confitentium pudore. Operam ergo sedulam daturos omnes,

omnes, ne illum subire cogantur, vitando peccata quæ tantam confusionem afferunt confitentibus. Item, per illam vere humiliari peccatores coram Deo, & contritionem in cordibus eorum excitari, qua detestentur peccatum & doleant à se commissum, carnemque & ejus appetitus mortificent. Item confessionis hujus occasione peccatores melius posse institui de multis fidei Christianæ capitibus & conscientiæ casibus, quam ulla alia via. Apparere ergo ex tot utilitatibus ipsam à Deo esse, non ab hominibus inventam, qui rem adeo ingratam carni nunquam recepissent, nisi Dei eos movisset reverentia. Hæc illi, cum aliqua, ut fateor, specie; propter quam nonnulli pii & docti viri postremis his temporibus censuerunt confessionem auricularem non esse penitus ex Ecclesia tollendam, sed tantum abusus ejus reformandos, & quæ bona sunt in ea retinenda; quorum in numero sunt Lutherani, qui eam adhuc hodie usurpant. Verum non capio quomodo reformatio ista in praxin deduci possit, & confessio auricularis retineri. Nam 1. Si statuatur ista confessio non esse juris divini, ut revera non est, non licebit ulli ipsam tanquam rem observatu necessariam commendare. Nec enim Ecclesiæ rectores hanc autoritatem habent, ut præscribant aliis leges, & gravent ipsorum conscientias onere quod Christus non imposuit. Et cum de eo constabit fidelibus, nemo erit qui isti jugo se sponte subjicere velit. Itaque statim observari desinet. 2. Cum res aliqua ex una parte utilis, ex altera vero noxia esse deprehenditur, videndum est utrum utilitas quæ inde speratur tanta sit, ut damno quod metuitur præponderet. Et nisi de eo plene constet, præstat eam abolere, quam retinendi desiderio se in manifestum periculum conjicere. E confessione autem auriculari plus est metuendum mali quam expectandum boni, ut ex ejus incommodis & abusibus supra recensitis clarum est. Et testantur id multi confessarii, qui longa experientia observarunt, longe plures per illam depravari quam emendari. Nam quod affertur, pudorem confitendi quæ turpiter sunt facta frænum esse quo retineantur homines in obedientia mandatorum Dei, & impediantur ne in peccatum ruant; id forte quidem verum est in initio, antequam aliquis isti confessioni assueverit; sed qui sæpius confessus est, tandem callum animo obducit, & omnem pudorem excutit. Contra, facilitas obtinendi confessorum peccatorum remissionem, facit ne quis ita studiose ab iis sibi caveat, ut alias facturus esset. Cur enim appetitui non indulgeat, qui hac persuasione est imbutus, se ab omni peccati labe purum fore, & à pœna merita immunem, statim atque illa in confessoris sinum exoneraverit? His adde, illum nunquam fore vere bonum, quem Dei timor à peccato non abstrahet; Quod si iste timor nullam erga aliquem vim & efficaciam habeat, an pudore hominum in officio contineretur? Valde fallitur qui id putat. Eadem ratio docet, non ita mortificari carnem, & cor dolore secundum Deum affici per confessionem, ut multi prætexunt. Perfunctorie enim fit à plerisque, & absque interiore animi commotione. Et qui non serio dolet cum Deum à se offensum cogitat, & ei confitetur, neque dolebit Sacerdoti confitendo. Nam ille majorem habet de peccatis dolendi causam, qui coram Dei tribunali se sistit, quem scit esse cordium scrutatorem, quam qui homini confitetur, quem sua simulatione & hypocrisi facile decipere potest. Et quod dicunt occasione confessionis erudiri multos in religione Christiana & casibus conscientiæ, vanus est prætextus. Alia enim ratione ista scientia longe facilius acquiri potest, quam per talem confessionem. Quin illud contingat aliquando iis qui in pios & doctos confessores inciderunt, ut erudiantur de iis quæ ipsos reddant meliores, nolim in dubium revocare. Sed contrarium sæpe accidit, ubi improbi aut ignari sunt confessores; qualis corruptis his temporibus maxima eorum pars est, qui confessione abutuntur vel ad turpe lucrum, vel ad explendam libidinem, vel ad turbas & motus in statu publico excitandas aut fovendas, aliaque ejusmodi. Unde concludimus, utilitates quas ista confessio afferre potest, aut interdum affert, non ita firmiter probare illam esse à Deo, ut damna quæ parit multo frequentius dant causam suspicandi illam potius esse à Diabolo, aut saltem esse hominum, auctoritatem quam in Ecclesia usurparunt stabilire studentium, inventum, quod sine periculo repudiari potest; cum experientia docet illius majorem esse abusum, quam usum legitimum. Nec omnia carni ingrata protinus à Deo originem ducere existimandum, cum Sacerdotes Baal etiam scalpellis cutim suam olim lacerarint, & idem hodie faciant monachi qui sunt inter Mahumetanos.

XIII. Quia autem infamiæ metus, aut pœnæ à Magistratu infligendæ, deterrere possunt eos qui graviorum peccatorum sunt rei, ne confessoribus suis illa aperiant, huic incommodo obviam ire voluerunt Ecclesiæ Romanæ Præsules, prohibendo severe, ne quis peccata aut crimina quæ in confessione audivit ulli mortalium revelet. Et hoc vocant sigillum confessionis. Quod videtur magna æquitate niti, nisi modum excedat, aut longè majus malum immineat ex isto silentio, quam ex detectione sceleris ab alio perpetrati vel meditati. Nec enim notariis publicis licet revelare arcana familiarum quæ ipsis indicata sunt; aut medicis morbos vitiaque occulta corporis quæ inspexerunt ut mederentur. Sed ut melius pateat, quomodo se in ejusmodi casu gerere oporteat, inspiciendum est quid de isto sigillo tradant Doctores. Dicunt igitur sigillum esse obligationem confessorum ad reticendum ea quæ in confessione audiverunt,

diverunt, sive sint venialia sive mortalia peccata, sive defectus aliqui ex quorum revelatione ignominia ad confitentem aut alios quosvis redire potest. Nec tantum confessores ad istud silentium servandum obligatos esse volunt, sed etiam laïcos & alios omnes qui aliquid de confessione forte audierint aut cognorint. Obligationem autem sigilli esse tantam, ut nulla prorsus de causa, neque etiam propter salvandam vitam propriam, nec propter salutem totius reipublicæ, liceat confessario peccatum pœnitentis revelare, ut diserte loquitur *Fr. Toletus, de Instruct. Sacerdot. lib. 3. cap. 16.* Excipiunt tantum duos casus; unum, si pœnitens licentiam dederit confessario patefaciendi peccata quæ ipsi revelavit; alterum, si agatur de hæresi; nam, ut habet vulgatus versiculus, *Hæresis est crimen, quod nec confessio celat.* Quamquam nec omnes Doctores in eo penitus consentiunt; celebriores volunt hæresin cui renunciavit confitens ad sigillum istud pertinere, alias vero non. Quicquid sit, non est valde tutum in locis, in quibus inquisitio viget, confiteri se opinionem aliquam, quæ hæretica judicatur, animo fovisse. Hæresis enim apud istos homines pro graviore crimine habetur, quam sit aut parricidium, aut incestus, aut quodvis aliud. In omnibus aliis quanti sigillum confessionis faciant, discere licet ex memorabili dicto cujusdam Jesuitæ, de quo testatur *Isaacus Casaubonus in Responsione ad Cardinalem Perronium*, nomine Jacobi Angliæ regis scripta; *Si Dominus noster Jesus Christus in terris versaretur morti obnoxius, & aliquis sibi in confessione dixisset, velle se illum occidere, prius quam confessionem revelaret, passurum se ut Christus occidatur.* Et alius, teste eodem *Casaubono in Epistola ad Frontonem Ducæum Societatis Jesu, præstare omnes reges occidi, quam vel semel sigillum confessionis revelari*; addita hac ratione, *Quia regum potestas est tantum juris humani, at confessio est juris divini.* Quæ tamen ratio manifeste falsa est in utroque membro. Nam etiam supposito, confessionem auricularem esse juris divini, non sequeretur sigillum ejus esse quoque à Deo præceptum, cum de eo ne apex in universa Scriptura reperiatur. Et regum potestatem esse à Deo aperte docet Paulus *Rom.* XIII. *Non est potestas nisi à Deo, & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ*, &c. Sed ausurus-ne fuisset dicere ille de Societate Jesu monachus, proditori Judæ improbitate non cedens, Domini Jesu munus esse tantum humani juris? Nam si agnoscebat esse divini, quomodo ei sigillum confessionis ut aliquid præstantius opponebat? Et miror Papam talem doctrinam tolerare, cum per eam periculum quoque ipsi non mediocre impendeat, secundum id quod Doctor Navarrus narrat, *de Pœnit. distinct. 6. Cardinalis* (inquit) *Sancti Xisti, cognomento Cajetanus, rogatus ab altero Cardinale, respondit, Confessarium cui manifestata est in confessione deliberatio occidendi regem vel Pontificem summum, cum proposito id ad effectum perducendi, non posse illud revelare.* An ergo isti Cardinali potestas Papæ visa fuit juris tantum esse humani, ut cedere deberet sigillo confessionis? Ut autem appareat, istos homines esse vere hæreticos αὐτοκατακρίτους, hoc tantum est observandum, Neminem unquam cordatum in Ecclesia Romana docuisse; confessionem sceleris, cujus confitentem non pœnitet, sed quod executioni mandare adhuc habet in animo, esse confessionem Sacramentalem. Ea enim cum nulla vel minima attritione est conjuncta. Nec Sacerdotes, etiamsi eam, quam sibi arrogant, à Christo accepissent potestatem remittendi & retinendi peccata, deberent illi remittere quem vident nulla pœnitentia tangi, sed in malo animi proposito perseverare. Nam ita participatio Sacramenti esset quasi incitatio ad scelus, non vero (ut debet) emendandæ in posterum vitæ protestatio. Et oportet illos esse perdite improbos, quibus committuntur arcana consilia tantorum scelerum: fidem quidem servant perduellibus & parricidis, sed in parentes, patriam, atque adeo Deum ipsum se summe perfidos exhibent.

XIV. Sed his relictis, quæ scio eos inter Pontificios, quibus vel mica bonæ mentis superest, improbaturos, cum sigillum, de quo agimus, nihil aliud sit nisi prudentiæ humanæ consilium, apparet non ita debere urgeri, ut non liceat illud resignare cum agitur de salute publica, quæ unius aut alterius non admodum probi hominis honori aut vitæ longe est anteponenda. Fac enim ex confessione alicujus Sacerdoti constare magnum periculum imminere reipublicæ, ex. gr. quale erat in conjuratione illa pulveraria ante quinquaginta annos in Anglia, reticebitne rem tanti momenti propter sigilli religionem, an potius id revelabit iis quorum interest, ut secundum prudentiam suam imminenti malo obviam eant? Silentium in tali casu, non potest à summæ nequitiæ & proditionis crimine excusari; & ei religionem prætexere, est illam scelerum omnium operimentum facere. Si forte vero confessarius in suspicionem veniat apud Magistratum, quod audierit confessionem reipublicæ perniciosam, & urgeatur ut patefaciat, dicunt ei licere æquivocatione deludere Magistratum seu Judices qui ipsum interrogant, & dicere, id quod à me petitis nescio: subintelligendo apud se, nempe ut vobis indicem; ut legere est apud Card. Toletum, loco supra citato. Quod si aliquando acciderit, confessarium ab iniquo judice compelli, ut revelet, & sub juramento; potest confessarius dicere, se nescire tale peccatum; quamvis etenim sciat, non tamen scit ut revelet. Quo præclaro effugio, si licitum foret, potuissent olim Martyres se liberare à morte. Nam interrogati ab Ethnicis, an essent Chri-

Christiani, dixissent, nim. cum tacita hac & mentali reservatione, Non sum Christianus, ut vobis cum vitæ periculo interrogantibus revelem.

CAPUT XIV.

De absolutione Sacerdotali.

I. Solius Dei & Jesu Christi est, peccata remittere. II. Nemo præterea illam habet potestatem, ne quidem subordinatam. III. Joan. 20. Christus alloquitur solos Apostolos: non tantum confert eis potestatem verbum annuntiandi. IV. Sed primos promittit fore Euangelii præcones, præcominumque miraculis confirmaturos. V. Deinde, spirituum discretionem. VI. Tum & peccatores à morbis liberandi, vel eos retinendi; & Euangelio refractarios puniendi. VII. Quid sit traditio in potestatem Satanæ. Non denotat excommunicationem. VIII. Sed pœnam quandam miraculosam. IX. Quid ad eam requireretur. X. Quæ potestas ordinariis Ecclesiæ ministris competat. XI. Quænam fuerit veteris Ecclesiæ in hoc negotio praxis.

I. SEd jam satis de confessione ejusque sigillo, accedamus ad absolutionem Sacerdotalem, propter quam obtinendam illa fit à peccatoribus. Dicunt igitur, Dominum Jesum dedisse potestatem Apostolis suis, & eorum successoribus usque ad mundi finem, remittendi omnia peccata illis qui cum debita contritione animi ea confessi fuerint, & pœnas satisfactorias sibi impositas subierint & impleverint. Hunc in finem allegant ea, quæ legimus *Joan.* XX. 23. Christum dixisse Apostolis, postquam à mortuis resurrexisset, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ad quæ resp. Illius proprie loquendo solius est remittere & retinere peccata, adversus quem commissa sunt, & qui potestatem habet à pœna quam meruerunt liberandi, aut eam infligendi. Atqui istud in nullum alium quam in Deum & Dominum nostrum Jesum Christum competit, qui à Patre omnem potestatem in cœlo & in terra accepit. Nam violatio legis divinæ, quæ fit peccato, in Deum ejus auctorem redundat. Non quod detrimentum aliquod inde accipiat; sed quia majestas ejus, quæ nobis in summa reverentia esse debet, vilipenditur. Quod non tantum accidit in peccatis, quæ adversus primam tabulam committuntur, quæ directe ad Deum respicit; sed etiam in iis, quæ sunt contra secundam, quæ directe quidem ad proximum nostrum spectant & illum lædunt; sed ita, ut in Deum quoque ipsum redundet offensa, cujus jussa contemnuntur. Propter quam causam Jacobus dixit, eum qui in uno Dei præcepto offendat, omnium violatorum factum esse reum, *cap.* II. *v.* 10. 11. nimirum quia ille, quem Dei reverentia non movet ut ab uno peccato abstineat, non verebitur aliis etiam se fœdare, si ad ea à cupiditate sua impellatur, & occasionem ea perpetrandi habeat. Quare Deus sibi soli auctoritatem peccata condonandi reservat. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*, dicit per *Esaiam cap.* XLIII. *v.* 25. Idemque Micheas directo ad eum sermone profitetur, *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? cap.* VII. *v.* 18. Similiter Judæorum Scribæ dicunt, *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Marc.* II. 17. Unde tamen male arripiebant occasionem Jesum accusandi blasphemiæ, quod dixisset cuidam paralytico, quem à morbo sanabat, *Fili dimittuntur tibi peccata*; ignorantes ipsum potestatem habere in terra dimittendi peccata, quemadmodum dicit *v.* 10. id est, morbos qui pœnæ sunt temporales peccatorum auferendi & sanandi. Qua longe majorem deinde per glorificationem suam consecutus est. Nam, ut inquiunt Apostoli, *Hunc Jesum Principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum*, *Act.* V. 31. Unde ipse sibi tribuit, quod habeat clavem David, atque aperiat & nemo claudat; ita quoque claudat, ut nemo aperiat, *Apoc.* III. 7.

II. Præter Deum ergo & Christum nemo talem habet potestatem, ne quidem subordinatam, & ab eo acceptam, ut tanquam judex sententiam de aliorum peccatis cum auctoritate pronunciet, & huic pro libitu remittat, illi vero retineat. Id ex re ipsa patet. Ille solus habet potestatem remittendi peccata, qui potest iis pœnas quas merentur infligere, & ab iis liberare. Pœna autem peccato debita est mors æterna, à qua nemo præter Deum & Christum liberare potest; quam nullus etiam alius infligere potest; ut docet Christus, cum dicit, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam*, *Matth.* X. 28. Et mirandum est eos, qui sibi gravissimorum peccatorum sunt conscii, à quibus nonnisi divina misericordia purificari queunt, audere sibi arrogare potestatem aliis peccata quæ admiserunt remittendi; quod est perinde, atque si aliquis ex numero facinorosorum carcere inclusorum, diceret sociis suis, Ego remitto vobis omnia crimina propter quæ estis in vincula conjecti; licet is neque se ipsum neque alios à merito supplicio posset liberare, sed trepidi expectarent omnes horam qua judex in eos damnatoriam sententiam esset pronunciaturus.

III. Sed, inquiunt, nos hanc nobis potestatem proprio ausu non arrogamus: Christus eam nobis largitus est. Resp. Nequaquam. Allocutus est solos Apostolos, qui nullos muneris & auctoritatis suæ successores in terris reliquerunt, qui privilegiis à Christo acceptis gaudere tanquam suis possent. Pastores omnes qui illos secuti sunt, & donis ejusmodi extraordinariis specialique Spiritus S. ductu destituti fuerunt, nullam aliam habent potestatem quam

verbum Dei, quantum in ejus cognitione profecerunt, aliis annunciandi, & eos de voluntate Dei edocendi. Possunt ergo & debent omnibus curæ suæ commissis declarare, hanc esse Dei voluntatem, ut quicunque credunt Euangelio, & ad normam ejus vitam & mores suos componunt, peccatorum omnium antecedentium veniam obtineant; eos vero qui in incredulitate & impœnitentia perseverarint, pœnas peccatorum graves in Dei judicio luituros. Et hanc Reformati vulgo mentem allegatorum Christi verborum esse putant. Sed si ita se res haberet, nulla foret prærogativa Pastorum super reliqua Ecclesiæ membra, imo nequidem Apostolorum super Christianos qui hodie vivunt. Nullus enim est nunc Christianus, qui in Sacrarum literarum cognitione recte sit versatus, qui non possit pari cum certitudine, quin etiam & authoritate atque Pastor aliquis, declarare hanc esse veram Dei voluntatem, omnibus in Christum credentibus peccatorum veniam indulgere, iram vero ejus super incredulos manere. Nihil enim vix est id quod quidam afferunt, Pastores ex muneris sui potestate applicare Christi verba credentibus & incredulis, quod privati alii non ita possint facere. Omnium enim Christianorum, qui in verbo Dei recte fuerint eruditi, est hodie par potestas in declarando quæ sit Dei voluntas. Et non raro accidit, ut privatus aliquis eum melius intelligat, & prudentius applicet, quam indoctus & imperitus qui Pastoris munere fungitur. Quod si ejusmodi Pastor magis specialem applicationem potestatis istius facere præsumat, continget non raro ut fœde decipiatur, pronuntians illis remissa esse peccata, quibus Deus vult retinere, & illis esse retenta quibus Deus vult remittere. Nec potest aliter fieri, ubi quis sibi auctoritatem humana majorem attribuit.

IV. Oportet ergo aliam Christi mentem in verbis allegatis fuisse, & ipsum aliquam potestatem Apostolis suis dedisse, qua non sunt præditi reliqui, quantumvis in S. literis bene instituti. Quænam ergo, inquies, illa fuit? Resp. Apostolos Christus primos Euangelii annunciatores per universum mundum constituit, cujus hæc est summa, Deum velle credentibus omnibus peccata remittere, incredulis retinere. Ea autem doctrina tunc temporis erat nova, & sæculis præcedentibus incognita; nec sine peculiari Dei commissione aut mandato annunciari poterat, secundum id quod dicit Paulus, *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Rom.* x. 15. quorum verborum mens non est, nemini licere Euangelium aliis annunciare, nisi peculiari aliqua missione & consecratione potestatem id faciendi acceperit. Sed hæc: fieri non posse ut quis voluntatem Dei, antea occultam, annunciet aliis hominibus, nisi sibi prius fuerit à Deo patefacta, & mandatum ab ipso acceperit illam promulgandi. Ista ergo fuit Apostolorum supra reliquos omnes qui postea fuerunt Christianos excellens prærogativa, ut essent primi doctrinæ Euangelicæ promulgatores. Nec id tantum, sed ut etiam eam variis miraculis possent confirmare, ex quibus constaret illos à Deo esse missos, & doctrinam quam annunciabant vere esse divinam. Ita intellecta Christi verba, tribuunt Apostolis potestatem, in qua tunc paucos admodum socios habuerunt, & nullos successores.

V. Præterea inter dona miraculosa, quibus supra reliquos eminuerunt, hoc fuit eximium, quod possent discernere spiritus, & cognoscere quis vere Euangelio crederet, quis simularet; quis peccaret ex ignorantia, qui vero ex malitia. Cujus insigne exemplum habemus in Petro, qui fraudem & hypocrisin in corde Ananiæ & Sapphiræ latentem detexit, *Act.* v. & in Paulo, qui Magi Bar-Jesu dolos & fallacias, quibus Euangelio Christi resistebat, animadvertit, *Act.* XIII. Apostoli ergo, qui dono isto discretionis spirituum instructi erant, cum certitudine generalem Euangelii doctrinam de remissione & retentione peccatorum applicare poterant iis, in quorum occulta penetrabant, & dicere huic, Peccata tibi sunt remissa, alii vero, *Non est tibi pars, neque sors, in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo*, ut Petrus Simoni Mago, *Act.* VIII. 21. Cum quibus comparata potestas, quam hodie nonnulli sibi Pastores vi muneris sui arrogant, nihil est nisi ludus & jocus. Quilibet enim ex vulgo, qui per Euangelii lectionem didicit quæ sit Dei voluntas, non minori cum certitudine quam Pastor potest dicere illi qui fidem & pœnitentiam præ se fert, Tibi remissa sunt peccata; & illi, qui se incredulum & impœnitentem ostendit, Nihil habes, quamdiu es in hoc statu, quod de Dei erga te gratia speres.

VI. Aliam quoque potestatem acceperunt Apostoli in remittendis & retinendis peccatis ægrorum, qui ad ipsorum opem confugiebant. Nam cum vim miracula patrandi, qua Christus ipsos instruxerat, erga ægrum aliquem exerebant, & sanitati eum restituebant, poterant ei dicere, sicut Christus paralytico, *Matth.* IX. Remissa sunt tibi peccata tua; illa nempe intelligentes peccata, propter quæ Deus istum hominem morbo afflixerat; quæ ipsi remissa esse ex eo constare poterat, quod illico à morbo liberabatur. Ex opposito, illius retinebant peccata, erga quem non judicabant consultum miraculum sanationis edere. Denique auctoritas remittendi & retinendi peccata quam Christus dedit Apostolis, in eo se patefaciebat, quod in promptu habebant ulcisci omnem inobedientiam, ut loquitur Paulus 2 *Cor.* x. 4. 5. 6. nempe eorum, qui malitiose repugnabant doctrinæ Euangelii; quod quando faciebant, hæc erat peccatorum retentio; quando vero non abstinebant

nebant facere, aut à pœna inflicta liberabant, hæc erat peccatorum remissio. Ita Petrus subitam mortem Ananiæ & Sapphiræ ex Spiritus Sancti impulsu denunciando, cujus effectum ex tempore conspiciebatur, retinebat eis peccata. Utrum vero temporalis tantum sit mors illis inflicta, quæ fuerit paterna Dei castigatio, qualis 1 *Cor.* XI. 30. an vero cum damnatione æterna conjuncta, istud inter Dei arcana relinquendum existimo. Similiter Paulus retinebat peccata Mago Bar-Jesu, cum denunciabat ei cæcitatem illico superventuram, eo quod doctrinæ Euangelii resisteret. Idemque Simoni Mago prædictum fuisse, indicare videntur verba, quibus Petrum & Joannem compellat; *Precamini vos pro me ad Deum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis*, *Act.* VIII. 24.

VII. Hucque etiam referendum est, quod Apostoli improbos quosdam in peccatorum pœnam Satanæ tradiderunt, ut legere est 1 *Cor.* V. *v.* 3. 4. 5. & 1 *Tim.* 1. 20. Quod video à nonnullis accipi de excommunicatione, & nominatim à Belgicis Bibliorum annotatoribus, qui *tradere* aliquem *Satanæ* putant idem esse atque ipsum *habere pro Ethnico & publicano*, *Matth.* XVIII. *v.* 17. addita hac ratione, quod extra Ecclesiam Christi, è qua ejiciuntur excommunicati, sit regnum Satanæ, 2 *Tim.* II. 25. 26. Et quod Paulus dicit de fine, ob quem incestuosum Corinthium volebat tradi Satanæ, nempe *ad interitum carnis*, *ut spiritus salvus sit in die Domini*, intelligunt de mortificatione veteris hominis, seu naturæ corruptæ, quæ voce *carnis* in Scriptura aliquando designatur; & ut novus homo, qui per affectus carnales peccati videbatur quasi mortuus & sepultus, excitetur & iterum superior fiat, donec in die ultimi adventus Christi plenum imperium solus obtineat. Quæ interpretatio longe est tolerabilior quam Tertulliani, qui *in lib. de Pudicit. cap.* 13. dicit Paulum, non in emendationem, sed in perditionem tradidisse Satanæ incestum fornicatorem; etsi id directe adversus hæc ejus verba pugnet, ut spiritus salvus fiat in die Domini; quæ ostendunt finem traditionis Satanæ fuisse salutem ejus qui ita castigabatur. Sed tamen est nimis coacta. Primum enim, nulla est affinitas inter has locutiones, *habere* aliquem *pro Ethnico & publicano*, & *tradere* eum *Satanæ*. Posterius enim hoc fuit gravis pœna, ut apparet ex verbis Apostoli, dicentis se tradidisse Hymenæum & Alexandrum Satanæ, ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν, id est proprie, non solum ut discant; sed ut castigati discant non blasphemare. Prius vero non est pœna, & exercetur à singulis privatis, qui nullam alios puniendi auctoritatem habent, cum se subducunt à conversatione eorum qui Ecclesiæ monita spernunt, & nihil cum iis commune amplius habere volunt, non magis quam cum Ethnicis & publicanis. Sicut enim Paulus non vult sibi judicium assumere de extraneis, 1 *Cor.* V. 12. ita neque ullius est nostrum, qui longe ipso inferiores potestate sumus, id facere; quamvis nobis liceat, imo etiam teneamur, eum qui admonitionem Ecclesiæ non audit pro Ethnico & publicano habere. Deinde vox *carnis* in hac locutione, *ad interitum carnis*, non potest accipi pro vetere homine, aut natura corrupta, sed tantum pro corpore hominis; quia per spiritum, qui illi opponitur, evidens est animam illius intelligi, *ut spiritus salvus sit in die Domini*; quod absurdum esset de novo homine intelligere. Supponit enim spiritum aliter salvum esse non posse, quam per istius remedii, licet acerbioris, usurpationem. Novus autem homo nunquam versatur in periculo amittendæ salutis; sed ille ipse est cui soli salus æterna promittitur in Euangelio. Adde quod hæc verba, *ut spiritus salvus sit in die Domini*, non significent, ut spiritus reportet victoriam de carne in adventu Christi. Quod etiamsi phrasis permitteret, non tamen conveniret illi tempori. Hic enim est locus pugnæ inter carnem & spiritum; hic debet spiritus victoriam reportare, aut de carne nunquam reportabit.

VIII. Melius itaque *interitus carnis* accipitur pro afflictione aliqua corporis illius, qui hoc fine traditus est Satanæ, ut vexatus ab eo resipiscat, & tandem animus ejus seu potius ipse totus, ut 1 *Petr.* I. 9. salvus fiat in ultimo die. Non quod negem, incestuosum illum debuisse excommunicari. Id enim apparet ex eo, quod Paulus reprehendit Corinthios ob istius disciplinæ neglectum, *Vos non potius luxistis, ut tollatur de medio vestri qui hoc opus fecit*, 1 *Cor.* V. 2. Non reprehendit autem eos, quod ipsum non tradiderint Satanæ: quod potestatem eorum superabat, & ab aliquo Apostolo solum fieri poterat. Consensum quidem Corinthiorum requirit, in illo homine tradendo Satanæ, ut appareat castigationis istius æquitas; sed ita, ut significet à se & nullo alio executioni mandatum iri: *Ego absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens*, &c. Quod etiam ostendit exemplum Hymenæi & Alexandri, quos nullorum aliorum sibi in hoc judicio adjunctorum mentione facta, dicit se tradidisse Satanæ. Et hæc erat virga, quam intentabat Corinthiis, dicens, *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* 1 *Cor.* IV. *v. ult.* Hæc erat potestas, quam dicit se in promptu habere ad ulciscendam omnem inobedientiam; quam tamen fatetur sibi Dominum dedisse, in ædificationem, & non in destructionem, 2 *Cor.* X. *v.* 6. 8. id est tantum ad peccatorum emendationem. Unde apparet, ridicule illos facere, qui hodie nullo miraculorum dono instructi, in formula excommunicationis, quam pronunciant adversus eum qui scelere aliquo manifesto scandalum præbuerit Ecclesiæ, dicunt, se illum Satanæ tradere; cum res ipsa

doceat, id vires eorum & potestatem longe exsuperare.

IX. Ad tradendum autem aliquem Satanæ (quod solis Apostolis licebat, sicut & Spiritum S. per manuum impositionem largiri) nihil aliud requirebatur, nisi ut permitteretur Satanæ ipsum ad certam usque mensuram vexandi & affligendi in corpore; quod pro suo infenso & hostili in genus humanum animo semper paratus est facere, modo possit; quemadmodum si cani venatico laxetur lorum quo retinetur, statim persequitur obviam sibi feram, secundum instinctum à natura sibi inditum, ita ut non sit opus ipsum incitare. Et ita videmus Deum ipsum aliquando fecisse, ad probandum servorum suorum fortitudinem & constantiam. Quod historia Jobi aperte docet, quem Deus limitibus quibusdam positis Satanæ vexandum permittit. Et in Paulo ipso, qui dicit, sibi *ne excellentia revelationum efferretur datum esse surculum carni infixum, Angelum Satan à quo colaphis cæderetur*, 2 Cor. XII. 7. Sed quod in piis fuit paterna castigatio, in impiis erat supplicium & pœna, quæ tamen ad eorum salutem tendebat, si ita vexati ab improbitate sua resipiscerent. Sicut autem Apostolica autoritate infligebatur, ita etiam per eandem solvi poterat, cum animadvertebant illam ad peccatoris emendationem profuisse. Et in eo consistebat illa solvendi & ligandi, seu peccata remittendi & retinendi potestas, quam à Christo acceperant Apostoli.

X. Denique tamen concedi potest, eam ordinariis Ecclesiæ Ministris & rectoribus aliquomodo competere; nempe ut relaxare possint à pœnis quas ipsi ex muneris sui autoritate inflixerant peccatoribus; quales sunt excommunicatio minor, ut vocant, in abstentione à Sacra Synaxi, & major in ejectione ex Ecclesia, seu declaratione publica, ipsos, quamdiu in peccatis absque pœnitentia perseverant, non posse amplius pro membris Ecclesiæ & nostris in Christo fratribus agnosci. Nam cum in excommunicatis deprehenduntur signa resipiscentiæ, qui ipsos vinculo isto ligarunt, possunt & debent illud relaxare; & tunc peccata quæ illius causa fuerant, iis in foro Ecclesiastico remittuntur. Si nihil aliud sibi assumerent Pontificii Sacerdotes, controversiam nullam eis moveremus de absolutione quam pœnitentibus concedunt. Sed apparet ipsos in Dei Christique jura involare, cum absolutionem suam ad omnis generis pœnas, etiam æternas, quas nec immittere nec remittere queunt, extendunt.

XI. Ut autem melius constet quomodo potestas hæc ab iis qui Ecclesiam gubernant exerceri possit, attexemus hic aliquid de praxi veterum in isto negotio. Si contigisset ut aliquis scelere quopiam gravi, quale erat idololatria seu Christi abnegatio, homicidium, adulterium, & similia, se polluisset, indicebatur iis publica & valde longa pœnitentia; quibusdam ad octo vel decem, quibusdam ad longe plures annos; hac tamen cautione adhibita, ut si periculum mortis ingrueret absolutionem ab excommunicatione acciperent, & ultimo, ut vocabant, viatico instruerentur, id est, ad Eucharisticam participationem admitterentur. Interea non permittebatur illis ingressus in templum; sed locus peculiaris separatus ab aliis extra assignabatur. Primum per aliquod temporis spatium ante fores Ecclesiæ consistere debebant, & illic cum reliqui intus sacris vacarent peccatum suum deflere; & istud vocabatur πρόσκλαυσις, id est, anteploratio. Postea uno aut altero anno in ejusmodi statu exacto, permittebatur pœnitenti ut ingrederetur in Ecclesiam ad verbum Dei audiendum; sed ita, ut prope fores maneret, procul ab altari ubi mysteria peragebantur, & precibus non interesset; quod vocabatur ἀκρόασις, id est auscultatio. Sic uno alterove, vel etiam pluribus annis iterum præteritis, admittebatur pœnitens ad participationem precum quæ fiebant in Ecclesia. Et id vocabatur ὑπόπτωσις, seu prostratio, quia procidens in terram Deum cum aliis orabat. Et cum sic suam adhuc per aliquot annos pœnitentiam probasset, permittebatur ei ut propius ad altare accederet, quod erat cancellis clausum, & inde communicantes Eucharistiæ intueretur, sed ipse non participaret. Et istud appellabatur σύστασις seu consistentia. Quibus pœnitentiæ gradibus rite absolutis, tandem peccator per impositionem manuum Episcopi dicentis ei, Absolvo te à peccatis tuis, & Clero atque populo toto pro ipso Deum orante, reconciliabatur Ecclesiæ & ad Sacram synaxin admittebatur. Quam pœnitentiæ formam descriptam primo legimus in Epistola Canonica Gregorii Neocæsariensis, dicti Thaumaturgi, qui circa annum Christi 230 floruit. Sed ibi nulla mentio fit peccatorum propter quæ exigebatur, nec temporis quo exercitia ejus durare debebant. Quæ sigillatim definita sunt in Concilio Nicæno, Can. 11. 12. 13. & in Epistola Basilii Cæsariensis ad Amphilochium; sed hæc non observabantur ita præcise semper, quin tempus pœnitentiæ ad intercessionem aliorum, & præsertim martyrum, aliquando contraheretur; & id Indulgentia appellabatur. Novatiani vero lapsis in grave aliquod peccatum & ab Eucharistiæ cummunione exclusis, denegabant restitutionem in integrum; non quod desperarent de vere pœnitentium salute; sed quia putabant Dei solius esse non hominum, eos in gratiam recipere. Propter summam hujus disciplinæ severitatem, cui tantum obnoxii erant baptizati, non vero ii qui in Catechumenorum ordine adhuc consistebant, factum est, ut multi differrent baptismum usque ad provectam ætatem, & donec se morti vicinos sentirent; unde ortus est baptismus Clinicorum, & ritus mergendi in aquam mutatus est in aspersionem: ut

ut apud Cyprianum videre est, *Epist. lib.* 4. *Epist.* 7. *ad Magnum*. Erat autem in singulis urbibus à tempore persecutionis Decianæ, A. 250 constitutus Presbyter pœnitentiarius, cui illi qui in idololatriam lapsi erant, aut conscientiam suam graviori aliquo peccato oneratam sentiebant, id clam confitebantur; ipse vero judicabat an peccatum illud tale esset, ut de eo pœnitentia publica agi deberet. Sed cum aliquando matrona quædam nobilis Constantinopoli confessa est huic Presbytero, se cum Diacono in Ecclesia rem habuisse; & illud in publicum emanasset, cum magno totius Ecclesiæ offendiculo, Nectarius Patriarcha munus Presbyteri Pœnitentiarii abrogandi inde cepit occasionem, voluitque ut omnibus liberum esset accedere Sacram Synaxin absque privata confessione peccatorum: quod deinde reliqui totius Orientis Episcopi in suis diœcesibus sunt imitati. Quæ historia fuse descripta extat apud *Socratem histor. Ecclesiast. lib.* 5. *cap.* 19. & *Sozomenum lib.* 7. *cap.* 16. Non tamen desierunt penitus Pœnitentiæ publicæ; quarum exempla inveniuntur etiam post tempora Nectarii, id est, post annum Christi 390. Sed rariores fuerunt, donec omnino in desuetudinem abierint, moribus Christianorum mollioribus istud tam severæ disciplinæ jugum ferre recusantibus. Ex quibus omnibus videre est, formam pœnitentiæ in Ecclesia Romana hodie observatam, nihil in Veteris Ecclesiæ praxi habere præsidii, à qua δὶς διὰ πασῶν distat. Nam quod jactant de Presbytero illo Pœnitentiario, quem diximus, non animadvertunt quantum inter ipsum & hujus temporis Confessarios sit discrimen. Ille unicus erat, etiam in majoribus urbibus, ut Romæ, Constantinopoli, ubi ne centeni quidem aliquot suffecissent, si moris fuisset, ut nunc, ut cuncti ipsis omnia sua peccata cum eorum circumstantiis sigillatim enumerarent. Sed quia graviores tantum casus ad ipsos referebantur, unus facile munus istud obire poterat. Cui adde multiplices abusus, qui deprehenduntur in confessione auriculari, de quibus supra, debuisse Ecclesiæ Romanæ Præsules movere ut illam abrogarent, ad exemplum pii illius Patriarchæ Constantinopolitani Nectarii; qui unius scandali occasione eam ita abolevit, ut deinceps & ad hodiernum usque diem in Ecclesiis Græciæ & Orientis plane sit incognita.

CAPUT XV.
De Satisfactione.

I. *Recensetur Pontificiorum sententia de Satisfactione.* II. *Quo sensu Satisfactio admitti possit.* III. *Deus aliquando peccata, quorum pœnam æternam remittit, punit in hoc seculo.* IV. *Deus totam culpam remittens, non retinet aliquam partem pœnæ.* V. *Pœna per se non purgat peccatorem.* VI. *Operibus à Deo mandatis nemo potest justitiæ divinæ pro peccatis præteritis satisfacere.* VII. *Nullius opera alteri inservire possunt, ad satisfaciendum pro peccatorum ipsius pœna.* VIII. *Quomodo sanctorum opera aliis prodesse possint ad salutem.* IX. *Nulli sancti plura sunt passi, quam ipsorum peccata requirebant.* X. *An Dominus Jesus plura passus fuerit, quam necesse erat ad redimendum mundum.* XI. *Contradictio aperta in sententia Pontificiorum.* XII. *Quo sensu Paulus Coloss.* 1. *dicat, se adimplere quæ desunt passionum Christi in carne sua, &c.* XIII. *Posito talem superfluarum passionum esse thesaurum, non tamen sequeretur eum in potestate Papæ esse.* XIV. *De indulgentiis, earumque variis abusibus.* XV. *De jubilæis.*

I. Cum autem absolutio à confessis peccatis non concedatur à Pontificiis Confessoribus, nisi sub conditione *Satisfactionis*, aliquid etiam de ea nobis est dicendum. Per satisfactionem intelligunt offensæ præteritæ quod ad pœnam recompensationem. *Tolet. Instit. Sacerd. lib.* 3. *cap.* 11. Existimant enim cum culpa remittitur pœnitenti à Sacerdote qui ipsum absolvit, non semper deleri totam pœnam; sed remanere pœnam temporalem in hoc mundo, aut in purgatorio solvendam. Tria autem esse docent per quæ potest fieri hæc recompensatio; primo per jejunia, id est, ut ipsi exponunt, non solum ciborum abstinentiam; sed etiam omnia opera pœnalia corporis, disciplinas, castigationes, peregrinationes, & alia ejusmodi. Deinde per orationes, id est non solum preces vocales, sed etiam omnia opera spiritualia, ut meditationes, lectiones, Missarum & Prædicationum frequentationes, & alia ejusmodi. Denique per eleemosynas, id est, non tantum pecuniarum largitiones, sed alia etiam opera misericordiæ corporalia, ut visitare infirmos, incarceratos, eis ministrare, & alia ejusmodi. His omnibus dicunt satisfieri Deo pro pœna temporali debita peccatis. Præterea volunt adverti esse duplicis generis satisfactionem; alteram quæ fiat per opera imposita à Confessario pro satisfactione; alteram quæ fiat per ea opera quæ quisque voluntarie sibi facienda assumit; illam autem longe hac esse præstantiorem & majoris efficaciæ. Item, Confessarium posse pro pœnitentia imponere, vel pœnitentem ad satisfaciendum sponte suscipere, opera alias debita Deo, & tunc ea duplicem valorem habere, nempe merendi præmium vitæ æternæ, & satisfaciendi pro pœna: quia tanta sit Dei benignitas, ut opus unum, multis titulis debitum & cui amplam remunerationem promisit, etiam acceptet in remissionem peccatorum. Ideoque in forma absolvendi utuntur his verbis, *Quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, & augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.* Ad hæc putant, bona opera unius, propter quæ vita æterna à Deo donandus est, posse alteri cuipiam in satisfactionem pro peccatorum pœna prodesse: & superfluas esse nonnullorum sanctorum passiones, qui plura perpessi fuerint quam ad satisfaciendum pro ipsorum peccatis requirebatur, quæ recondantur in Ecclesiæ thesaurum, ut deinde

aliis applicentur: hunc autem thesaurum esse in potestate Papæ, qui de eo unicuique quod libet & consultum judicat largiatur.

II. Hæc doctrina paucis jam est nobis expendenda. Primum ergo dicimus, si vox *satisfactionis* non accipiatur in rigida sua significatione, pro rei debitæ integra solutione, ut videmus vulgo fieri; sed tantum pro actione in qua acquiescit is cum quo nobis res est, etiamsi longe infra integram debiti solutionem consistat; nos eam non admodum improbaturos. Certum est enim tale quid Deum à nobis requirere. Nam quem vere peccatorum admissorum pœnitet, is debet vitam emendare, & qui gulosus aut ebriosus antea erat, sobrietatem sectari, qui libidinosus castitatem, qui mendax veracitatem, & ita de cæteris. Qua mutatione Deus delectatur, & ob eam peccatorem in gratiam suam recipit, eique admissa condonat. Istud est quod Joannes præscribebat iis qui ad Baptismum suum accedebant; *Facite fructum dignum pœnitentia*, *Matth.* III. 8. Et de quo Daniel Nebucadnezarem monebat, *Consilium meum, rex, placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum; forsitan ignoscet* (Deus) *delictis tuis*, *Daniel.* IV. 24. Idemque David non obscure innuit, qui postquam dixisset, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* deinde subjecit, *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*, *Psal.* CXVI. v. 12. 13. quasi dixisset Deo, video me tibi pro tot tantisque quæ à te accepi beneficiis alia ratione satisfacere quam per gratiarum actionem non posse: id ergo solum tibi offerre apud me proposui. Quod autem est gratiarum actio respectu beneficiorum à Deo acceptorum, idem videtur esse deprecatio respectu peccatorum admissorum, modo sit cum serio proposito illa deinceps vitandi conjuncta. Nam etiam solemus dicere, eum qui ab altero quem offendit, veniam & condonationem supplex petit, illi satisfacere.

III. Si igitur simile quid tantum sibi vellent Pontificii, nulla foret nobis cum ipsis de hac materia disputatio. Sed ex præcedentibus liquet, illorum mentem longe aliam esse; nimirum Deum strictam & rigidam compensationem à pœnitentibus requirere; quod non video quomodo conciliari queat cum gratuita peccatorum remissione, quam Sacræ literæ docent Deum omnibus qui vere resipiscunt largiri. Nam quod ad illud fundamentum attinet, cui hoc dogma superstruunt, Deum quidem pœnitentibus remittere totam peccatorum culpam, partem vero pœnæ quam meruerunt retinere, quæ ipsis necessario sit luenda; attendentibus apparebit esse nimis debile ad tantam molem sustinendam. Nolim quidem negare, Deum remissa pœna æterna, seu alterius sæculi, quam meretur peccatum, id interdum pœnis temporalibus in hac vita ulcisci. Id quod videre licet in exemplo Davidis, cui Nathan pœnitenti de gravi illo scelere in Uriam commisso, Dei nomine dicit, *Deus transtulit peccatum tuum, non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur*, 2 *Sam.* XII. 13. 14. Cum quibus jungi debent quæ paulo ante præcedunt, *Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum*, &c. Item, *Ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis*, &c. Quæ aperte ostendunt Deum, remissa Davidi mortis pœna, quam ipse secundum legem debebat subire, nihilominus eum in filiis & domesticis suis satis severe punivisse.

IV. Sed absurdum est quod dicunt, Deum totam culpam remittere, & tamen aliquam pœnæ partem retinere. Nam cui tota culpa remissa est, ille pro innocenti habetur, & in quo nulla sit culpa. Non potest ergo juste propter culpam suam, quæ jam abolita est, sive ex parte sive ex toto puniri. Cum remissione tamen totius culpæ peccati nihil impedit quin simul locum habeant Dei castigationes, quibus peccatorum lasciviam coërcet, ne facile in peccatum relabantur. Magnum enim est inter pœnas & castigationes discrimen; quod tamen sensu deprehendi nequit, sed sola Dei illas immittentis intentione. Pœna, quatenus est pœna, non spectat ad emendationem peccatoris, sed ad reparationem damni quod ad alios ex ejus peccato rediit, aut redire potest, ne qui vident aliquem impune peccatum tulisse, audaciores ad peccandum reddantur. Castigatio vero, quatenus est castigatio, habet pro fine correctionem ejus qui castigatur, ne rursus in peccatum prolabatur; sed diligenter ab eo sibi caveat. Proprie ergo castigatio versatur circa fideles, aut eos quorum peccata non sunt adeo gravia, ut Deus propter illa à sua gratia eos repellere proposuerit: Pœna vero circa infideles, aut eos qui ita graviter Deum offenderunt, ut Deus ipsos amplius pro filiis suis agnoscere & ad infirmitates eorum connivere nolit.

V. Deinde notandum est, pœnam proprie & per se non purgare peccatorem, ita ut melior sit postquam illam subivit quam ante. Id forte contingit interdum, cum inde aliquis occasionem sumit emendandi vitam. Sed sæpe contrarium evenit: ut ostendunt exempla tot sceleratorum, qui virgis à carnifice cæsi aut ferro candente inusti, statim ad ingenium redeunt. Falluntur itaque ii, qui putant opus esse purgatorio aliquo igne, in quo illi qui pro temporali peccatorum pœna non satisfecerunt justitiæ divinæ in hac vita, persolvant quod ei debent postquam hinc exierunt, ut ab omni peccatorum labe puri possint in regnum cœlorum ingressum habere. Incertum enim est, an post istarum pœnarum perpessiones, puriores & Deo acceptiores

ptiores

ptiores futuri essent, quam ante fuerunt. Quod etiam fatentur illi, qui doctrinæ purgatorii adhærent; dicunt enim ibi non esse amplius merendi aut demerendi tempus. Unde sequitur quoque pœnas istas ad aliorum exemplum nihil prodesse, ut videntes illas peccatis renuncient; cum in purgatorio emendatio vitæ sit nimis sera & impossibilis. Proinde cum istæ pœnæ neque iis qui patiuntur, neque iis qui inspiciunt sint utiles, non est verisimile Deum illas à miseris peccatoribus exigere velle; præsertim si jam totam peccatorum culpam iis gratuito condonarit.

VI. Nec firmius est alterum fundamentum quod superstruunt suo dogmati, nempe aliquem illis bonis operibus quæ tenetur hodie ex vi mandati divini facere, quibusque vitæ æternæ præmium meretur, ut precibus, eleemosynis, & aliis ejusmodi rebus, posse pro peccatis præteritis justitiæ divinæ satisfacere. Perinde enim id est, ac si dicerem, me una eademque pecuniæ summa, ex. gr. mille florenorum, satisfacturum creditori cui tantundem debeo, & præterea prædium aliquod ejusdem valoris mihi acquisiturum. Tribuunt quidem istud Dei benignitati, qui tanti & longe ultra valorem proprium vult fidelium suorum opera æstimare & compensare. Sed temere id faciunt, nisi prius eis constet de Dei voluntate. Nullo autem unquam indicio patefecit se tale quid facere velle. Verum quidem est, adeo gratam esse Deo peccatorum resipiscentiam, ut propter eam paratus sit omnia eis peccata remittere, & præterea ipsos vitæ æternæ præmio donare. Sed utrumque à mera ipsius gratia & liberalitate proficiscitur; nec magis quisquam proprie loquendo bonis suis operibus satisfacit pro pœna peccatorum, quam tenetur ferre, quam per ea vitam æternam ex condigno meretur. Adde quod magnus sit & insolens sermonis abusus, preces, eleemosynas, & alia ejusmodi pia exercitia, quæ alacri animo fieri debent, ut Deo sint grata, pœnas satisfactorias vocare. Nimirum sic ostendunt se non esse valde pios qui illis non delectentur, imo quibus supplicii sit genus, si non possint subterfugere quin faciant.

VII. Sed illud absurditatem omnem superat, quod existimant bona alicujus opera, propter quæ vitæ æternæ præmium à Deo adeptus est, posse insuper inservire alteri ad satisfaciendum pro pœna quam propter peccata subire debet. Et quod aliqui longe plura mala passi fuerint quam merebantur ipsorum peccata; ita ut ex superfluis suis meritis aliquid iis quibus deficiunt largiri possint. Utrumque, inquam, istud est plane absurdum. Prius quidem: Nam *Deus unicuique reddet secundum opera ejus*, *Rom.* II. 6. 1 *Petr.* I. 17. Et *unusquisque onus suum portabit*, *Galat.* VI. 5. Et quid evidentius hic potest afferri parabola virginum illarum decem, quarum quinque erant fatuæ & imprudentes, quæ non prospexerant sibi de oleo ad lampadas, quibus in occursum sponsi irent; nam cum peterent oleum mutuo à prudentibus, repulsam patiuntur, *Ne forte non sufficiat nobis & vobis*, &c. *Matth.* XXV. Quid enim aliud voluit significare Dominus Jesus, nisi bona unius opera, alteri qui nulla fecerit in ultimo judicio non profutura; & stultos esse illos qui in aliorum factis potius quam suis fiduciam collocant?

VIII. Quid ergo, inquies, nihil-ne possunt sanctorum bona opera aliis apud Deum & ad ipsorum salutem prodesse? Resp. Imo plurimum. Non tantum enim exemplo suo docent alios, quomodo se gerere debeant: Unde Christus jubet ut lux nostra luceat coram hominibus, ut conspectis nostris operibus bonis glorificent Patrem nostrum qui est in cœlis, *Matth.* V. 16. Item adhortationibus & institutionibus in pietate: Quo spectat istud monitum Jacobi, *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum; scire debet, quod qui converti fecerit peccatorem ab errore via sua, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum*, *cap.* V. *v. ult.* Sed etiam, quia Deus propter bonos aliquando parcit malis, quos alioqui deleturus esset. Ita si decem justi fuissent Sodomæ, non excidisset urbem illam quorum scelera vindictam clamabant ad cœlum, propter istos decem justos, *Gen.* XVIII. 23. & *seqq.* Et propter Lotum Deus pepercit urbi Segor, ut non subverteret illam, *Gen.* XIX. *v.* 18. &c. Imo, quod magis est, Deus habita ratione multitudinis infantum atque adeo bestiarum quæ erant Ninivæ, non exsecutus est excidii sententiam, quam illi per Jonam denunciari fecerat, *Jon.* IV. Præterea Deus propter bonos multa beneficia temporalia confert in improbos cum quibus versantur. Ita in gratiam Jacobi, benedixit pecori Labanis & multiplicavit illud, *Genes.* XXX. 27. & *seqq.* Et propter Josephum Deus benedixit domui Ægyptii Putiphar cui serviebat, atque etiam postea custodi carceris in quem conjectus erat, *Genes.* XXXIX. 2. &c. 21. &c. Quin etiam propter intercessionem piorum Deus impiis tempus ad resipiscendum concedit, nec eos subito in ira sua exterminat, prout alioqui facturus videbatur. Hic fuit effectus precum Christi orantis pro crucifigentibus se, & dicentis, *Pater ignosce illis; nesciunt enim quid faciant*, Luc. XXIII. *v.* 34. Nam indulsit Hierosolymæ adhuc 40 annos, antequam in eam judicia sua exerceret; intra quos plurimi conversi fuerunt, & qui dixerant crucifige, eum pro Salvatore suo agnoverunt. Tot modis piorum opera bona prodesse possunt impiis; sed tamen non ita ut ipsis in peccato permanentibus imputentur, & ut ille v. gr. qui abdomini servivit Deo gratus sit, quia alius pro ipso jejunavit, aut si quis Deum orare non curavit, preces quas alius pro ipso fudit exaudiantur. Istud enim est absurdum, & astu Diaboli ad homines in peccatis detinendos excogitatum.

IX. Nec

IX. Nec minus quoque posterius; videl. multos sanctos & martyres plura esse passos quam peccata ipsorum requirebant; item Dominum Jesum Christum longe plus esse perpessum quam necesse foret ad satisfaciendum justitiæ Dei pro totius mundi peccatis. Unicam enim sanguinis ejus guttulam satis fuisse ad decem mille mundos, si totidem forent, redimendos à morte æterna. Superabundantes ergo istas Christi & aliorum sanctorum perpessiones in thesaurum Ecclesiæ recondi, ut inde depromantur pro aliis qui indigent. Scire enim velim, quid de sanctorum perfectione & de peccati merito sentiant illi, qui docent aliquos esse sanctos qui plura passi sint quam oporteret ad satisfaciendum Deo pro suis peccatis. Nullos enim mortalium possunt pro perfecte justis & immunibus plane à peccato habere, quin Scripturæ contradicant, dicenti, *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, *Eccles.* VII. 21. Item, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, &c. 1 *Joan.* I. *v.* 8. Et quæ neminem ex hoc numero eximit, præter unicum Dominum Jesum Christum, qui κατ' ἐξοχὴν dicitur *justus*, 1 *Joan.* II. 1. Si ergo constet reliquos omnes fuisse peccatores, (etiam virginem Mariam, & Joannem Baptistam quos quidam excipiunt) credunt-ne passiones illorum temporales graviores fuisse, quam merita essent peccata ab iis commissa, ut ad satisfaciendum pro aliis possent inservire? Ignorant-ne ergo *peccati stipendium esse mortem?* *Rom.* VI. 23. Præterea si Deus nulla ratione habita peccatorum à sanctis perpetratorum, eos vitæ æternæ præmio donet, an dicent passiones ipsorum non satis amplam remunerationem accipere; & superesse quod aliis adhuc applicari possit? Aliter judicavit Paulus, dicens, *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in vobis*, *Rom.* VIII. 18. 2 *Cor.* IV. 17.

X. Et quod ad Christum attinet, unde habent sanguinis ipsius guttulam ad redemptionem tot mundorum quot ridicule supponunt, plus quam sufficientem futuram? illud-ne Scriptura uspiam docet? Imo diserte contrarium. *Nonne oportuit hæc Christum pati*, (nempe omnia quæ passus est) *& ita intrare in gloriam suam?* *Luc.* XXIV. 26. Mors ad tantum opus peragendum fuit requisita, hoc est, non unius tantum guttulæ, sed totius sanguinis Christi effusio. *Ideo* (inquit Apostolus) *Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*, &c. *Hebr.* IX. 15. *& seqq.* Adde quod effusio unius guttulæ sanguinis (qualis & multo amplius contigit in circumcisione Christi) non potuisset nobis ut debebat exemplo esse patientiæ, & ad ponendum animas pro fratribus nostris, 1 *Petr.* II. 21. *&c.* 1 *Joan.* III. 16.

Exaggeratio ergo hæc hyperbolica, quam putant ignari ad honorem Christi facere, è contrario vim & efficaciam mortis ejus deprimit, & Deum injustitiæ accusat, cujus justitiæ cum posset esse una sanguinis guttula satisfactum, totum in cruce tantis cum cruciatibus effundi voluit.

XI. Sed nota hic apertam contradictionem, Una sanguinis Christi guttula plus quam sufficiens est ad satisfaciendum pro totius mundi peccatis; & tamen necesse est ut singuli pro pœna temporali suorum peccatorum vel ipsi satisfaciant, vel alii ipsorum loco. Nam quamvis forte dici cum aliqua veri specie posset, oportere ut singuli, non obstante Christi satisfactione, aliquid etiam ad satisfaciendum Deo pro peccatis suis conferant, quia nimirum veræ pœnitentiæ natura id postulet; (quod etiam, si rem potius quam verba spectes, quæ valde impropria & periculosa sunt, supra admisimus;) id tamen nullo modo in aliorum satisfactiones quadrat, quæ admitti nequeunt, quin imperfectionis accusetur satisfactio Christi. Nam si *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, *Hebr.* X. 14. quid opus est ei attexere aliorum sanctorum satisfactiones?

XII. Atqui, inquiunt, Paulus scribit *Coloss.* I. *v.* 24. *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Ad quod resp. Apostolum vocare passiones Christi, id quod Christus in membris suis ex sapienti Dei constitutione pati debet. Nam *quos Deus præscivit, eos & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, *Rom.* VIII. *v.* 29. Conformitas autem hæc in eo consistit, ut quemadmodum Christus per passiones intravit in gloriam suam, ita etiam fideles non alia ratione regni cœlestis hæreditatem adeant, quam patiendo pro Christi nomine. Nam *si commortui fuerimus* (Christo) *& convivemus*; *si sustinuerimus, & conregnabimus*, 2 *Tim.* II. 11. Per passiones autem Christi, recte intelligi posse ea quæ fideles propter Euangelii professionem patiuntur, indicat id quod ipse Saulo de cœlis dixit, *Saule, Saule quid me persequeris?* *Act.* IX. 4. Alia enim ratione tunc persequi non poterat Christum in cœlo gloriose regnantem, nisi quia fideles propter nomen ejus & doctrinam persequebatur. Sic ipse Paulus postea dicebat, *Perpessiones Christi in se abundare*, 2 *Cor.* I. 4. & *se studere cognoscere communionem passionum Christi, configuratum morti ejus*, *Philip.* II. 10. Et Petrus, fideles *consortes esse afflictionum Christi*, 1 *Petr.* IV. *v.* 13. & easdem afflictiones *ab ipsorum quæ in mundo est fraternitate impleri*, *cap.* V. *v.* 9. ubi potest etiam subintelligi, impleri quæ desunt passionibus Christi in suis membris, aut aliquid simile. Hoc ergo sensu facile est videre, multa tunc defuisse & hodie adhuc deesse passionibus Christi; quia nimirum omnes vestigia ejus

sequi

sequi, & ad crucem ejus ferendam parati esse debemus, ut ita compleantur conservi & fratres martyrum, qui interficiendi sunt sicut & ipsi, *Apoc.* VI. 11. Istas autem passiones seu ὑστερήματα τῶν θλίψεων Christi, adimplebat Paulus pro corpore ejus, quod est Ecclesia; non ut se offerret in sacrificium propitiatorium pro ipsa: nullus id dixerit Christianorum qui oblationis Christi semel factæ perfectionem & sufficientiam agnoscunt; sed ad ædificationem illius, ut qui viderent Paulum libenter gravissima pati pro Euangelio quod annunciabat, confirmarentur in fide, & inde agnoscerent ipsum bona conscientia in isto opere versatum fuisse, & proprium commodum aut emolumentum non quæsivisse. Ex qua explicatione apparet, locum istum nullomodo favere opinioni de superfluis sanctorum meritis aut passionibus, quas in aliorum usum qui iis destituuntur impendere possint, aut ad supplendum ea quæ passionibus Christi desunt; quod qua ratione ab iis dicatur, qui tanti merita ipsius æstimare videri volunt, ego non capio; explicet qui intelligit.

XIII. Sed fac hæc omnia, quæ Pontificii de superfluis Christi & sanctorum passionibus afferunt, esse vera & indubia, quis ipsis indicavit, eas in thesaurum aliquem recondi, cujus Papa Romanus claves & administrationem habeat? Atqui, dicent, non est credibile illas otiosas & inutiles remanere, cum aliorum usibus magno cum fructu ad supplendam ipsorum indigentiam possint applicari. Esto. inde nondum est confectum, passiones istas esse in potestate Papæ, ut de iis faciat quod libet. Longe verisimilius foret, Christum earum dispensationem sibi reservasse, ne temere & absque fructu erga ingratos & impœnitentes prodigerentur: sicut videmus Papam sibi absolutionem à quibusdam peccatis gravioribus reservare, quam non possint inferiores Sacerdotes & Episcopi largiri, nisi per speciale ipsius privilegium. In eo enim Christus falli non posset, sicut reliqui homines, quibus abdita cordium sunt impenetrabilia, & sæpe externa pietatis specie quam hypocritæ simulant, decipiuntur. Nec pecuniam, qua non indiget, pro iis exigeret, sed gratis, sicut & reliqua sua dona, tam pauperibus quam divitibus distribueret. Papa vero, qui inexplebili habendi cupiditate laborat, pro imaginario thesauro, quem se in potestate habere jactat, divitum opes & facultates expilat; pauperes vero omni consolatione destitutos in purgatorio languere sinit; quos inde, si thesaurum istum aperire vellet, nullo negotio liberare posset; sic ostendens, se magis pecuniam, quam miserarum animarum, dira patientium, salutem sitire.

XIV. Hæ sunt indulgentiæ, quarum tam fœda negociatio exercetur in regno Pontificio, ut non possit magis. Ibi sunt, ut vocant, altaria privilegiata, super quæ qui curat Missam aliquam celebrari, obtinet indulgentias ad animam, quamcunque velit, purgatorio liberandam. Imo aliquando adeo se liberalem & munificum vult ostendere Pontifex, ut pro exigua pecunia det indulgentias in multa annorum millia, & quasi calculum cum Deo iniisset, dies ad quos indulgentiæ sunt valituræ exacte numeret. Ex. gr. in libro Italico indulgentiarum Romanarum legitur, *In mense Februario, Dominica septuagesima, statio est ad S. Laurentium extra muros, & indulgentia plenaria, & undecim mille anni indulgentia, & quadraginta octo quadragena, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum, & liberatur anima una è purgatorio.* Et in libro Gallico indulgentiarum funiculi S. Francisci, Lutet. 1604. *Singulis diebus* (mensis Augusti) *usque ad nativitatem Dominæ nostræ* (Septemb. 8.) *sunt octingenta & sexaginta millia annorum indulgentiæ, & ducenti sexaginta duo anni, & remissio tertiæ partis peccatorum, concessa in multis Ecclesiis.* Quibus alia multa similia exempla addi possent. Ubi nulla ratio apparet, cur post concessam plenariam omnium peccatorum indulgentiam, addatur præterea remissio tertiæ partis peccatorum, quasi tertia pars in toto non contineretur. Et cum statuant purgatorium totum evacuatum iri in die judicii, & post istud tempus neminem ibi amplius fore, vellem scire, cur ad tot centena annorum millia indulgentias suas extendant, quæ mundi duratio non attinget, curve Papa erga quosdam ita sit prodigus, ut ipsis superflua & inutilia largiatur; erga alios vero ita se parcum ostendat, ut nequidem necessaria concedat, sed absque misericordia ipsos in Purgatorio per multos annos ustulari sinat, è quo tam facile liberare eos posset. Quod vero pessimum est in indulgentiis, est quod eas donet non tantum pro peccatis præteritis, sed etiam pro futuris & nondum admissis. Sic enim gratiam divinam, cujus se dispensatorem esse dicit, in occasionem peccandi convertit. Imo aliquando largitur eas ista lege & conditione, ut scelus aliquod perpetretur; veluti si in aliquo Statu Rex aut Princeps non eam Papæ reverentiam exhibeat quam sibi deberi putat, subditos ad arma in ipsum capiendum, promissa omnium peccatorum remissione incitat, ut historia Galliæ sub regibus Henrico III & IV docet. Et ita olim ad bellum in Albigenses & Valdenses suscipiendum animavit milites, promissa eis omnium peccatorum indulgentia, & liberatione è pœnis purgatorii.

XV. Cum autem omni fere tempore in celebrioribus urbibus indulgentiæ istæ acquiri possint, tum præcipue Papa munificentiam suam exprimit Romæ in anno Jubilæo, quem vocant, ubi omnibus per portam Basilicæ in Vaticano (quam prius Papa aperuit magna cum pompa multisque ceremoniis) ingredientibus, largissimam statuit omnium peccatorum indul-

gentiam; inquilinis quidem urbis ea conditione, ut triginta ejus anni diebus, peregrinis vero & advenis ut quindecim diebus confessione, pœnitentia, & corporis Christi communione prius lustrati, ad sacra quæ ibi peraguntur religiose per eam accedant. Istam solennitatem primo instituit Bonifacius VIII, anno Christi 1300, & Jubilæum annum vocavit. Unde apparet novitas commenti, quod per tot sæcula incognitum fuit in Ecclesia; & ipsum se non admodum bono auctore probare, cum de eo vulgo inter Scriptores celebretur istud dicterium, Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis. Voluit autem ut centesimus quisque annus esset ei destinatus. Sed Clemens VI, qui Bonifacio quinquaginta annis fuit posterior, lucri avidus quod videbat ad antecessorem suum inde pervenisse; (non enim gratiæ istæ spirituales aliis solent dari quam manus porrigentibus adjutrices;) & non sperans se posse usque ad proximum centesimum annum vitam extendere, ut istius emolumenti esset particeps, Jubilæum ad quinquagesimum annum contraxit, prætexens quod Jubilæus Judæorum intra tot annorum circulum recurreret. Et revera id debebat facere, si fundamentum aliquod hujus instituti, vel saltem figuram in lege habere vellet. Nam quod Bonifacius constituerat, ad imitationem potius anni sæcularis veteris Romæ Ethnicæ factum videbatur, quam alicujus sacri exempli. Sed neque hic fixus mansit Jubilæi annus. Placuit enim Sixto IV, eum ad vigesimum quintum annum reducere; id quod factum est anno 1475, à quo deinceps usque ad nostra tempora est continuatum. Nisi quod interdum extraordinarii Jubilæi propter aliquas singulares causas à Papa concedantur. Et quia videt omnibus non suppetere facultatem se conferendi Romam anno Jubilæi, ex gratia speciali constituit, ut anno sequenti celebretur in præcipuis urbibus, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, &c. ut nemo habeat causam conquerendi quod in tanti thesauri distributione fuerit præteritus. Cum autem negare non possint, multum in negotio indulgentiarum à veteris Ecclesiæ disciplina circa pœnitentiam recessum esse, & Concilium Tridentinum velit abusus qui irrepserunt emendari, tamen Ecclesiæ Romanæ Præsules eos propter lucrum fovent & dissimulant. Nam cum olim Indulgentiæ nihil aliud essent, nisi relaxationes annorum pœnitentiæ publicæ, quæ fieri debebat ab iis qui graviorum peccatorum & offendiculorum erant rei; nunc dicunt, per eas animorum nexus solvi à peccatorum vinculis, amissamque cœli possessionem in libertatem assertis restitui. Et vulgo populus credit indulgentias in judicio Dei plurimum valere, & ad liberandum animas è purgatorio; cum peritiores agnoscant ad forum externum Ecclesiæ eas tantum pertinere. Cui hoc insuper accedit, quod Datarii Pontificii omnium peccatorum, etiam gravissimorum, pro certa pecuniæ summa remissionem vendunt. qua de re exstat peculiaris libellus, titulo Taxæ Cancellariæ Apostolicæ, in quo singulis peccatis constituitur suum pretium. Hincque orta est primo reformatio in Germania, Martino Luthero materiam Indulgentiarum in publica disputatione examinandam proponente. Quod cum non possent ferre Pontificis asseclæ, res tandem in apertum schisma erupit.

CAPUT XVI.

Pœnitentiam non esse Sacramentum.

I. *Pœnitentia non est Sacramentum, quia est virtus.* II. *Exponitur Pontificiorum definitio Sacramenti.* III. *Ea applicari non potest pœnitentia.* IV. *Nulla etiam hic ostendi potest convenientia inter signum & rem signatam.* V. *Habuit etiam locum in Vet. Test.* VI. *Praepostera agendi ratio circa pœnitentiam in Ecclesia Romana obtinet.*

I. HIs gravissimis Pontificiorum circa doctrinam Pœnitentiæ erroribus, iste denique addi debet, quod male ex Pœnitentia faciant Novi Testamenti Sacramentum; de quo alii Scriptores, tam Protestantes quam Pontificii primo loco agere solent, nos commodius postremo agi existimamus, quia hujus controversiæ decisio maximam partem ex præcedentium cognitione pendet. Primo igitur probamus Pœnitentiam non esse Sacramentum, quia, ut ipsi Pontificii agnoscunt, ea est virtus. Una autem eademque res non potest simul esse virtus & Sacramentum. Sic enim duplex haberet genus proximum, & quidem ex duobus diversis Prædicamentis petitum: nam virtus pertinet ad Prædicamentum Qualitatis, Sacramentum vero ad Relationis. Id autem absurdum est, & Logicæ præceptis repugnans. Adde quod virtus pertinet ad præcepta legis moralia, Sacramentum vero ad ceremonialia; id quod in unam eandemque rem simul quadrare nequit, saltem proprie & directe. Nam à potiori debet fieri denominatio. Eligant ergo ex his duobus quod malent: vel dicant Pœnitentiam proprie esse virtutem; sic pertinebit ad præcepta moralia, & non erit Sacramentum: vel asserant proprie esse Sacramentum; sic referenda erit ad præcepta ceremonialia, & non erit virtus; contra quam ipsi fatentur.

II. Secundo, quod majoris est momenti, definitio & proprietates Sacramenti ab ipsis Pontificiis traditæ, non conveniunt Pœnitentiæ; quare ea non est Sacramentum. Consequentia est evidens & firma: tantum ambigitur de antecedente: illud itaque nobis probandum jam incumbit. *Sacramentum* dicunt esse *invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum.* Ita definit Catechismus Concilii Tridentini, *part.* 2. *cap.* 1. §. 3. de qua definitione nolumus

sumus cum ipsis disputare; illud tantum observamus, cum dicunt Sacramentum esse ad nostram justificationem institutum, nos id eo sensu admittere, quod si institutum sit, (nempe à Christo, qui solum ejus rei potestatem habet) ad nostri justificationem faciat; quatenus omnis Christianus, qui justus apud Deum haberi vult, omnia Domini & Magistri sui præcepta, qualiacunque sint, in magno pretio habere debet, nullumque eorum vel minimum contemnere; ita ab ipsomet tum exemplo, tum verbis edoctus; nam ad Joannis Baptismum accedens, & à Joanne modeste impeditus, agnoscente se potius ut ab ipso baptizaretur indigere, respondit; *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam*, *Matth.* III. 15. Quicquid enim à Deo præceptum est debet observari, & ad justitiæ laudem ab eo reportandam conducit. Nullumque vel minimum absque periculo contemnitur, *Matth.* V. 20. Sed si putent Sacramenta justificare, quia per illa justitiæ habitus nobis infundatur, aut quia illorum participatio majorum sit virium ad nos coram Deo justificandos, quam præceptorum moralium obedientia, id nos plane improbamus. Nam quod ad primum spectat, nec Scriptura usquam docet justitiæ habitum nobis à Deo infundi; (is debet crebris actionibus cum ejus ope & spiritu acquiri:) nec si maxime id verum esset, ritus externus esset idoneum tantæ rei instrumentum. Et quod ad alterum, tantum abest ut Sacramenta magis conferant ad nostri justificationem, quam fides, charitas, & aliæ ejusmodi virtutes, ut contra Deus testetur ea sibi fastidio esse, nec posse ferre cum ab hypocritis & fide destitutis observantur, ut videre est *Esa.* I. 11. *& seqq.* & LXVI. 3. *Jerem.* VI. 20. *Amos.* V. *v.* 21. 22. & alibi sæpe.

III. His observatis, reliqua definitionis Sacramenti pars non displicet; sed quomodo in pœnitentiam quadret, non ita facile est dictu. Quodnam enim in ea est visibile signum invisibilis Dei gratiæ? Non sane confessio auricularis, neque satisfactio; quæ licet externe peragantur, non sunt alterius rei, quam ejus quam exhibent & præ se ferunt signa; confessio nimirum signum doloris de peccatis, & satisfactio signum propositi ea deinceps vitandi, non alicujus gratiæ divinæ. Dicent id convenire absolutioni Sacerdotali, in qua adhibetur visibile signum impositionis manuum, ad repræsentandum invisibilem gratiam remissionis peccatorum. Sed resp. Nullibi in Scriptura doceri ritum impositionis manuum à Christo ad significandum remissionem peccatorum esse institutum. Adhibebatur quoque in aliis rebus, ut in consecratione Pastorum, sanatione miraculosa ægrorum: itaque in eo non potest consistere formalis ratio Sacramenti pœnitentiæ, per quod ab aliis discriminetur; nam communia non discriminant, sed propria tantum. Nec ipsa absolutio est visibile signum invisibilis gratiæ; nam si legitime sit facta, non adumbrat gratiam, sed est gratia ipsa ad quam peccator anhelat. Quod si dicant absolutionem quæ fit à Sacerdote, esse signum illius quæ jam à Deo est data, aut mox est danda, eo ipso fatentur Absolutionem Sacerdotis non esse actum judicialem, & ipsum proprie non remittere peccata, sed tantum significare id à Deo esse factum aut faciendum; qua tamen potestate, ut supra vidimus, non sunt contenti.

IV. Præterea in omni Sacramento debet aliqua convenientia esse inter signum & rem signatam, alioqui non esset vere signum. Sic in Baptismo est convenientia inter aquam & ablutionem conscientiæ nostræ à peccatis; in Sacra Cœna est convenientia inter fractum panem & vinum fusum, & inter corpus Christi in mortem traditum & sanguinem ejus effusum; sicut etiam panis & vinum valde apta sunt ad repræsentandum alimoniam spiritualem quam in morte Christi animæ nostræ percipiunt. Sed nulla est convenientia inter ritum impositionis manuum, & absolutionem, ut ad illam adumbrandum institutus esse dicatur. Imo si maxime inter illud utrumque aliqua analogia & conformitas inveniretur, propterea in eo non consisteret Sacramentum Pœnitentiæ. Aliud enim plane & diversum est absolutio à pœnitentia; & melius ea inter Pœnitentiæ effectus seu consequentia, quam inter ipsius partes recensebitur. Pœnitentia enim non male his tribus quas volunt comprehenditur partibus, nempe contritione cordis, confessione oris, & satisfactione operis; modo illæ sensu à nobis supra indicato usurpentur, & confessio fiat potius Deo quam hominibus, & per satisfactionem non intelligatur debiti solutio, sed vitæ emendatio, in qua Deum ex benignitate & misericordia sua acquiescere docuimus. Quibus absolutis potest sequi absolutio, tanquam consequens aliquod; sed illa potius quam Deus dat & nunquam fallit, quam quæ à Sacerdote erroribus & affectibus obnoxio in incertum expectatur.

V. Quin etiam his omnibus concessis nondum sequetur Pœnitentiam esse Novi Testamenti Sacramentum. Nam ea jam locum habuit in Veteri Testamento, & sine illa Deus nemini unquam peccatorum veniam indulsit, ut tota lex & omnes Prophetæ testantur. Quod si respiciant ad illos peculiares actus in quibus essentiam pœnitentiæ collocare solent, neque ibi defuerunt, ut in Davide animadvertere licet. Primo enim fuit in illo vera & seria animi contritio de peccato in Uriam admisso, cujus tristis est historia 2 *Sam.* XII. & *Psalmus* LI. Deinde peccatum suum confessus est, non solum Deo, sed etiam Nathani Prophetæ, imo coram universa Ecclesia, ut apparet ex illo Psalmo qui publice decantatus fuit. Tertio, satisfecit pro peccato, etiam eo sensu, quem Pontificii intelligunt,

gunt, id est, animum afflixit suum mœrore, jacuit humi & jejunavit; quibus tamen nolumus eum vere & proprie Deo pro pœna suo peccato debita satisfecisse, sed pro indiciis tantum sinceræ contritionis ipsius accipimus. Quarto denique Nathan Dei nomine ei veniam seu absolutionem annunciavit; non quidem dicendo, Absolvo te à tuis peccatis; quod sciebat neminem alium præter Deum posse facere; sed his verbis, *Dominus transtulit peccatum tuum; non morieris.* Quæ certo & absque erroris periculo pronunciare poterat, cum speciale de eo mandatum à Deo accepisset; quod nullus Pontificiorum Sacerdotum sibi arrogare auderet. Cum ergo ipsi nihil amplius requirant in sua Pœnitentia, mirum est cur istam Davidis nolint pro vero Sacramento haberi. Sed neque illam quam Christus ipse in initio prædicationis suæ præcepit, dicens, *Resipiscite*, seu Pœnitentiam agite; *nam regnum cœlorum appropinquavit, Matth.* IV. 17. tali honore dignantur; quia nempe volunt istud Sacramentum à Domino Jesu post resurrectionem suam demum fuisse institutum. Imo in hunc ordinem non recipiunt Pœnitentiam ad quam Petrus adhortatus est Judæos post Christi resurrectionem & ascensionem in cœlum, dicens, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, Act.* II. 38. nempe quia illa præcedebat baptismum, & ab iis qui nondum in Jesum Christum credebant, & nomen ejus invocabant, exigebatur.

VI. Præterea ad Pœnitentiam è numero legitimorum Sacramentorum excludendam, sufficit præpostera agendi ratio quæ in Ecclesia Romana obtinet, ubi Sacerdos peccatorem absolvit à peccatis, antequam satisfactionem sibi injunctam præstiterit. Atqui sine satisfactione, ut ipsi agnoscunt, absolutio nulla est, & tum demum rata esse incipit postquam illa executioni mandata est. Unde sequitur, nunquam Sacerdotem eo tempore quo absolvit peccatorem, posse certum esse se ei verum conferre Sacramentum; quia nimirum ignorat an satisfactionem sibi mandatam impleturus sit. Neque sufficit promissio peccatoris; quia fieri potest, & revera sæpe accidit, ut negligat facere id quod promisit. Id quod etiam colligitur ex eo, quod Sacerdos ignorat an peccator talem habeat animi contritionem qualis in vero pœnitente requiritur, & an omnia sua peccata, nullo prorsus scienter & voluntarie omisso, sincere confessus fuerit. His autem ignoratis, quæ solus Deus καρδιογνώστης novit, nescit quid faciat cum absolvit. Denique nec ipse peccator, licet certus sit de vera cordis sui contritione & plena sinceraque confessione, certus esse potest se veram absolutionem, & quæ rata apud Deum sit futura, à Sacerdote accepisse; quia nimirum ignorat intentionem ejus, an vere sibi proposuerit confitentem absolvere à peccatis; sine qua intentione docent nullum posse verum & efficax administrari Sacramentum. Multos autem Sacerdotes non habere hanc intentionem absolvendi eos qui sibi peccata confitentur, inde liquet, quia non credunt se hanc potestatem habere, ut declarant illi qui muneri suo Sacerdotali renunciant, & sese Protestantibus adjungunt. Fieri autem nequit, ut quispiam mentis compos, intentionem habeat id faciendi, quod scit vires suas superare, & Deum solum posse.

CAPUT XVII.

De Subjecto resipiscentiæ.

I. Subjectum resipiscentiæ partiale, est anima cum suis facultatibus, itemque corpus. II. Totale est integer homo. III. An aliquis hic excipiatur. IV. Quid sit, quod Christus Matth. 9. dicit, se non venisse vocare justos ad resipiscentiam.

I. ET hæc de partibus resipiscentiæ; sequitur ut de ejus subjecto agamus. Idem est resipiscentiæ quod peccati subjectum; ideoque in bruta non cadit, quæ proprie peccare non possunt, & quibus nulla lex est posita. Sed ut distinctius illud consideremus, animadvertendum est subjectum resipiscentiæ esse vel partiale seu limitatum, vel totale seu absolutum. Partiale est anima cum suis facultatibus, nempe intellectu & voluntate. Quod ad intellectum attinet, sicut homines peccant cum aliter de rebus seu actionibus moralibus judicant quam oporteat, ut si quis putaret furtum esse rem honestam, quæ tamen est turpis & à recta ratione damnata; ita etiam resipiscentia consistit in emendatione pravorum judiciorum, quæ improbi de actionibus moralibus tulerunt, indeque initium suum capit. Ideo etiam dicta est Græcis μετάνοια, quod idem est ac si dicas post-cogitatio; non tantum quia peccatum admissum sequitur, sed etiam quia aliud & contrarium judicium de eo formatur, quam cum committeretur. Intellectum bene de qualitate actionum informatum, comitatur voluntas, in qua cum accensum est peccati odium & virtutis amor, id resipiscentia vocatur, saltem inchoata. Utraque hæc animæ facultas & præsertim posterior, cordis nomine in Scriptura designatur, cui proinde resipiscentia tribui solet. Sic Deus apud Joëlem *cap.* II. *v.* 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Contra Paulus reprehendit ἀμετανόητον καρδίαν, id est *impœnitens cor, Rom.* II. 5. Ad partiale ejus subjectum refertur etiam corpus, quatenus est animæ in actionibus suis edendis instrumentum; & inter membra corporis præcipue manus; unde per manuum puritatem intelligitur ipsa actionum sanctitas. Sic Abimelech reprehensus à Deo quod sumsisset Saram Abrahami uxorem, excusat se, dicens, *In simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc, Gen.* XX.

Gen. xx. 5. Et David, *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu ejus*, *Psal.* xviii. v. 25.

II. Totale subjectum resipiscentiæ est homo ipse integer, animo & corpore constans, quatenus se peccati reum agnoscit. Unde videre est eam infantibus ante rationis usum non convenire, qui etiam ante illud tempus peccati proprie dicti non sunt capaces. Definire autem ipsum præcise, & certo annorum numero, est difficile. Nam in quibusdam malitia prævertit ætatem; alii contra diutius in simplicitate infantina permanent. Sed nullus est adultus & rationis compos, in quo resipiscentia non requiratur; nempe quia nemo est peccati expers, testante id Scriptura diversis in locis, ut 1 *Reg.* viii. v. 46. *Eccles.* vii. 21. 1 *Joan.* i. 8. *Jac.* iii. 2. & experientia ipsa quotidiana, quæ docet leges divinas & rectæ rationis varie ab hominibus violari.

III. Utrum vero omnes, nullo plane excepto, alicujus saltem criminum illorum sint rei, quibus lex Mosis mortem absque misericordia intentabat, difficilius est dictu. Videtur quidem istud indicari à Paulo, cum ad convincendum omnes homines peccati, citat ista ex Veteri Testamento, *Non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum*, &c. *Rom.* iii. 9. *& seqq.* ubi non levia tantum peccata, sed etiam maxime enormia commemorat. Et tandem concludit, *Scimus quoniam quæcunque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat omnis mundus Deo.* Sed hæc potius generaliter & indefinite sunt accipienda, ad significandum quam late se extendat hominum pravitas, quam indicare neminem prorsus ex isto improborum numero excipi. Et sane in locis illis unde hæc descripsit Paulus, non obscure aliqui inde eximuntur; ut *Psal.* xiv. ubi David mentionem facit generationis justæ, & sceleratis illis quos ibi describit objicit, quod Dei populum devorent. Nec ausim dicere de Enocho, cui Scriptura testimonium perhibeat, quod *ambulaverit coram Deo*, *Gen.* v. 24. cum talem fuisse. Nec de Jobo, nec de Zacharia & Elizabetha, de Joan. Baptista, de Virgine Maria, de Apostolis, & aliis, de quibus dicitur eos fuisse *justos & ambulasse in omnibus mandatis & justificationibus Domini absque querela*, *Luc.* i. 6. aut simile quid. Non quod expertes fuerint infirmitatum, & peccatorum per ignorantiam perpetratorum, quorum expiatio sacrificiis legalibus fieri poterat. Nullus enim unquam talis repertus est præter unicum Jesum Christum. Ideoque ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram Deo, *Rom.* iii. 20. id est nullus homo prorsus. Quare omnes indiguerunt resipiscentia, & absque gratia Dei & misericordia in Christo Jesu salvari non potuerunt. Quod solum intendit probare Paulus in isto loco.

IV. Sed objicies; attamen Christus ipse dicit, *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*, *Matth.* ix. 13. Ubi innuere videtur, aliquos ita justos inter homines reperiri, ut pœnitentia non indigeant, imo qui absque ejus gratia salutem queant consequi. Quidam respondent, eum non locutum esse de vere justis (quales nulli reperiuntur) sed de iis qui præsumebant se esse justos, ut Scribæ & Pharisæi; quorum unus repræsentatur apud Deum glorians, *Deus gratias ago tibi quia non sum sicut reliqui hominum, raptores, injusti, adulteri*, &c. *Luc.* xviii. 11. Et revera circumstantiæ loci favent huic expositioni. Agitur enim illic de Pharisæis, qui offendebantur quod Dominus Jesus cum publicanis & peccatoribus ederet; licet non multo meliores essent illis à quibus ita abhorrebant; ut inter alia constat ex iis, quæ Christus illis exprobat apud *Matth. cap.* xxiii. Sed tamen mihi videtur nihil prohibere, quominus verba ista de vere justis, etsi non perfecte & absque ullo omnino defectu, accipiantur. Tales enim nonnullos Scriptura agnoscit, ut eos quos paulo ante commemoravi, aliosque similes. Distinguenda potius est pœnitentia. Ea enim duplicis est generis; alia quæ exigitur ab iis qui toto vitæ tempore nihil aliud fecerunt nisi peccare, & Deum sceleribus suis irritare. Illi novum vivendi genus instituere debent, quod cum præcedenti nihil habeat commune, & omnia quæ ante fecerunt detestari. Alia vero est, qua justi infirmitates quotidianas deplorant & emendare student. De priori intelligenda sunt verba Christi, cum dicit se non venisse vocare justos ad pœnitentiam. Illi enim qui pro viribus studuerunt secundum Dei mandata vivere, non opus habent universum vitæ institutum mutare, si quando lapsi fuerint; sed tantum attendere ne iterum simili aliquo peccato præoccupentur. Id quod significatur in conversi Manasse regis oratione, qui dicit, *Tu Domine Deus justorum, non posuisti pœnitentiam justis, Abraham & Isaac & Jacob, iis qui tibi non peccaverunt; sed posuisti pœnitentiam propter me peccatorem, quoniam peccavi super numerum arenæ maris*, &c. Quamvis enim hæc oratio inter Apocrypha recenseatur, nihil tamen habet à veritate alienum, & non parum ad mentem Christi illustrandum facit, qui ad ejusmodi totius vitæ pœnitentiam initio prædicationis suæ vocabat peccatores, (sicut & Joannes Baptista) ut postea capaces essent majoris illius perfectionis ad quam ipsos instituere proponebat. Sed quia, ut diximus, nemo est adeo perfecte justus, ut aliquando non labatur, etiam illis opus est aliqua resipiscentia, quos Scriptura justos vocat, ut, si fieri possit, ne in minimo quidem peccato permaneant. Unde sequitur, nullum plane esse hominem, qui non aliquatenus saltem pœnitentia & vitæ emendatione indigeat.

CAPUT XVIII.

De Causis, Effectis, Adjunctis & Oppositis Resipiscentiæ.

I. *Resipiscentiæ causa primaria est Deus.* II. *Causæ moventes sunt promissa & minæ, beneficia divina & exempla judiciorum divinorum.* III. *Dilatio resipiscentiæ valde est periculosa.* IV. *Resipiscentia adeo fere difficultas.* V. *Spes misericordiæ divinæ etiam est causa movens ad resipiscentiam.* VI. *De ea tamen peccatores nimium sibi polliceri non debent.* VII. *Resipiscentiæ effectum, seu potius consequens, est remissio peccatorum.* VIII. *Contra illos, qui docent, non remissionem acquiri per resipiscentiam, sed ejus sensum.* IX. *Expenditur locus Rom. 4. Deus justificat impium.* X. *Et Luc. 7. Cui minus dimittitur, minus diligit.* XI. *Cur remissio potius vocetur consequens resipiscentiæ, quam effectum.* XII. *Primum resipiscentiæ adjunctum est, ut non consistat in nudo proposito, sed sese actu ipso exserat.* XIII. *Secundum, ut agatur non de aliquibus tantum, sed omnibus peccatis.* XIV. *Tertium, ut emendentur peccata ad quæ maxime propendemus.* XV. *Quartum, ut non tantum de cognitis, sed & iis quæ per oblivionem exciderunt pœnitentiam agamus.* XVI. *Quintum, ut sit continua. Sensus loci Proverb.* XXIV. 16. XVII. *Resipiscentiæ oppositum est resipiscentia hypocritica.* XVIII. *Et impœnitentia.* XIX. *Ejus causa.* XX. *Et effecta.*

I. NUnc quænam ejus sint causæ, nobis edisserendum est. Extra controversiam primaria, sicut omnis boni operis, ita etiam resipiscentiæ, causa est Deus. Id sibi tribuit ipse per Prophetam, dicens, *Dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum; ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant, faciantque ea*, Ezech. XI. 19. 20. & XXXVI. 26. 27. Per *dationem* enim *spiritus novi & cordis carnei, ablationemque lapidei cordis*, immutationem illam animi & morum intelligi in qua vera resipiscentia consistit, nemo in phrasiologia Scripturæ vel mediocriter versatus ignorat. Qua de re si quis adhuc dubitet, apertam audiat Apostolorum Petri & Joannis declarationem de Christo dicentium, *Hunc Principem & Salvatorem Deus extulit dextra sua, ad dandam pœnitentiam Israëli*, Act. V. 31. & fidelium Hierosolymitanorum; *Ergo & Gentibus pœnitentiam Deus dedit ad vitam*, Act. XI. 18. nempe quando Cornelium una cum suis ad fidem vocavit, & Spiritu S. donavit: & Pauli, cum dicit oportere ut servus Dei sit mansuetus erga omnes, & corripiat cum modestia eos qui resistunt; *ecquando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem*, &c. 2 Tim. II. v. 25. Quo etiam referri possunt & debent ea, quæ supra diximus de causa fidei & sanctitatis Christianæ, cum eadem sit istorum omnium ratio. Unde intelligitur Deum non immediate & omnipotente sua virtute efficere resipiscentiam in hominibus, sicut nec fidem & sanctitatem. Nam illi in quibus ita operaretur non possent non resipiscere à suis peccatis; Et illi in quibus eam non operaretur, non possent ab iis resipiscere. Itaque neque primi vere & proprie essent Deo obedientes, neque secundi inobedientes; Contra id quod Scriptura passim docet, Deum præcipere omnibus pœnitentiam tanquam liberæ obedientiæ actionem. *Tempora ignorantiæ* (inquit Paulus) *dissimulans Deus, nunc annunciat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate*, &c. Act. XVII. 30. & Petrus, *Deus est patiens erga nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam tendere*, 2 Petr. III. 7.

II. Restat ergo videre quomodo Deus pœnitentiam in hominibus producat, & ipsi simul ad eam moveantur, ne tanquam trunci & stipites exspectent otiosi donec Deus in se insuperabili potentia pœnitentiam operetur. Utitur ad eam rem verbo suo, in quo variæ sunt rationes quæ pœnitentiæ utilitatem & necessitatem ostendunt, & inter alia promissiones & minæ; quarum ut magna est efficacia in variis rebus ad flectendum hominum animos, ita etiam in resipiscentiæ productione. *Cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit, inquit Deus* Ezech. XVIII. v. 27. Et Christus proposito illorum exemplo quos Pilatus inter sacrificandum occiderat, & eorum qui casu turris in Siloe obruti fuerant, addit utrobique, *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, Luc. XIII. Nec parum beneficia divina horsum prosunt, quibus corda etiam durissima emolliuntur ad obedientiam. Eoque respiciebat Deus, cum dicebat se ablaturum Israëlitis cor lapideum & daturum cor carneum, &c. Quia beneficia quibus eos afficere proposuerat in liberatione ex captivitate Babylonica, & postea in Christi ad eos missione, tam excellentia erant futura, ut nisi plane perditi essent & deplorati, eorum corda flectere debebant ad deserenda peccata, & Deo in justitia serviendum. Ideo etiam merito Dominus Jesus exprobrabat civitatibus in quibus fecerat plurimas virtutes, (id est miracula sanationum, quæ pura erant beneficia) quod non egissent pœnitentiam. *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida, &c.* Matth. XI. 20. Similiter Paulus, *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? Secundum autem duritiem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ & revelationis justi Dei judicii, qui reddet unicuique*, &c. Rom. II. 4. Exempla quoque judiciorum, quæ Deus olim in impœnitentes exercuit, movere debent ad vitæ emendationem. Qualia sunt adversus incolas primi mundi, qui cum Noachi præconis justitiæ admonitiones contempsissent, omnes simul in diluvii aquis perierunt: Sodomitas & Gomorritas, qui Lothum audire nolentes ipsos ad pœnitentiam revocantem, igne è cœlis misso consumti fuerunt: Hierosolymitanos temporibus Christi & Apostolorum, qui non agnito die visita-

visitationis suæ, aliquanto post horrendo & inaudito judicio deleti sunt.

III. Quia autem peccatores plerumque solent conversionem suam de die in diem differre, utile erit considerare quam illud periculosum sit. Juvenes spe longioris vitæ se pascentes, existimant sufficere si cogitent de resipiscentia cum ad senectutem pervenerint, & interim voluptatibus indulgendum, quarum sensu illa ætas magis afficitur quam provectior. Sed quam cogitatio hæc sit fallax, docere potest experientia quotidiana, ex qua constat ne unum quidem ex decem senilem ætatem attingere; longe plurimos vero in flore ætatis extingui. Nec male potest illis applicari, quod Dominus Jesus in Euangelio de avaro dicit, *Stulte animam tuam hac nocte repetent à te*, *Luc.* XII. 20. quomodo igitur pœnitentiæ propositum implere poteris? Præterea pœnitentiæ procrastinandæ hæc causa esse videtur, quod res sit admodum difficilis, & cui valde repugnat caro. Atqui quo magis differtur eo majores in illa difficultates occurrunt. Habitus enim peccatorum in dies roborantur, & tandem fiunt incorrigibiles. Recens plantatam tenellam arborem manu facile avellas; postquam tempore radices profundas in terra egerit, ne aliquot quidem robusti equi ad avellendam sufficient. Et istud est quod significare voluit Deus per Prophetam, dicens, *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum, Jerem.* XIII. 23. De habitu enim peccati per longam consuetudinem corroborato loquitur, non de natura ipsa. Itaque si difficile est in juventute vitiosos habitus exuere, longe adhuc difficilius id erit in senectute. Vitia forte quædam deseret senex, quia debilitas ætatis non permittit ut iis indulgeat; sed non est hæc vera pœnitentia; tunc peccatum illi potius valedicit quam ipse peccato. Et in aliis apparebit ipsum nihilo quam antea meliorem factum, ut in ebrietate, avaritia, odio, maledicentia & similibus, quibus videmus senes magis obnoxios quam juvenes. Stultum ergo est admodum pœnitentiam differre in illud tempus, quod non solum incertum est, & nescimus an unquam visuri simus, sed etiam in quo majora longe quam nunc illius obstacula & remoræ nobis occurrent. Adde quod non sufficiat Deo servire in senectute; nam omnis ætas ei debet obedientiam, quia nulla est quæ beneficiorum ejus multiplicium non sit particeps. Id quod ipse significavit olim in lege, ubi primitias frugum voluit sibi offerri. Nullusque pater invenietur adeo facilis, qui contentus sit ut liberi ipsi cum senes erunt obedientiam exhibeant: sed omnes urgent ipsos à prima statim infantia id facere. Aliter ergo de Deo sentire ratio non sinit. Vulgo dicitur, pœnitentiam nunquam esse seram; quod fateor quidem hoc sensu, quod præstet sero pœnitentiam agere quam nunquam, & quod nunquam de misericordia Dei sit desperandum. Sed addo, pœnitentiam seram raro esse veram; cujus unicum habemus exemplum in Scriptura in latrone cum Christo crucifixo; imo nequidem satis idoneum, cum non constet quando ipsa inceperit, etsi eo demum tempore, occasione data, illius mentio fiat. Fides enim illius, non potuit momento ad tantam excellentiam assurgere ut etiam superaret Apostolos; nisi forte miraculo, cujus exspectatione se pascere non foret sapientis, cum Dei promisso careamus.

IV. Adde quod omnino impossibile sit talem pœnitentiam agere sub vitæ finem, qualem Deus à nobis requirit. Non loquor tantum de iis quibus vi morbi mens turbatur, adeo ut ne quidem serio cogitare possint de rebus hujus vitæ, ut de condendo testamento, & aliis ejusmodi, quos liquet multo magis veræ resipiscentiæ esse incapaces; sed etiam de aliis, quibus ad extremum usque vitæ halitum mens satis constat. Nam plerumque tot occurrunt iis à rebus mundanis impedimenta, ut non liceat isti, quantumcunque necessariæ, vacare. Totum enim anteactæ vitæ tempus relegere oportet, & omnium suarum actionum examen instituere; quod quam difficile sit brevi temporis spatio exsequi, omnes facile vident. Et cum, ut multi existimant, non sufficiat dolere de peccatis & ea detestari; sed præterea contrariis actionibus ostendere oportet quantum pristina vita displiceat, seu illos pœnitentiæ fructus edere quos Joannes Baptista requirebat ab iis qui ad suum baptismum accedebant, ista sane in moribundum hominem non cadunt, qui tunc vix ullius veræ virtutis est capax. Nec illorum propositum, qui se tunc dicunt pœnitentiam acturos, potest esse serium. Res enim quæ nobis sunt cordi non solemus differre, sed illas primo quoque tempore aggredimur, verentes ne illas exsequendi oportunitas nobis è manibus elabatur. Improbi est debitoris, nectere moras, cum id quod debet, ex tempore potest solvere si velit, & nonnunquam contingit ut postea non sit solvendo. Ita se res habet cum resipiscentia, qui opem divinam, ad eam necessariam, contemnit cum offertur, non est certus se illam denuo postea consecuturum. Ideo hortatur nos Apostolus, ne *gratiam Dei in vacuum recipiamus*, 2 *Cor.* VI. 1. nimirum quia Deus dicit, *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te, Esa.* XLIX. 8. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*; nempe quo nos Deus ad pœnitentiam vocat. Et David *Psal.* XCV. 8. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Quod post ipsum valde serio inculcat Scriptor ad *Hebr. cap.* III. *v.* 7. *& seqq.* Nec sine causa; Deus enim gratiæ suæ contemtum non solet sinere inultum, & postquam aliquoties malitiose rejecta est, non offert eam denuo; sed contra non raro in ira sua exterminat contemtores istos

stos & procrastinatores; nullumque est vitæ nostræ momentum, quod (si ipsi libeat) non possit reddere ultimum, & sic resipiscentiæ tempus & facultatem præscindere. *In quamcunque autem partem ceciderit arbor, sive ad Austrum, sive ad Boream, ubi ceciderit, ibi erit*, Ecclesi. XI. 3. id est, in quocunque statu, sive virtutis, sive vitii, mors aliquem deprehenderit, ejus fructum postea metet, & non erit amplius pœnitentiæ tempus.

V. Inter causas ad resipiscentiam moventes etiam est spes misericordiæ divinæ; de qua qui desperant nunquam ex peccatorum luto emergere contendent. Id quod significat David *Psal.* CXXX. 4. *Apud te est propitiatio, ut timearis.* Cum enim vera resipiscentia sit res admodum laboriosa, & affectui carnis, quæ crucifigenda est, adversa, nemo de illa curam absque utilitatis alicujus magnæ fiducia suscipiet; hæc autem est, admissorum venia & gratiæ apud Deum redintegratio. Inde est quod Cain pœnitentiam fratricidii agere neglexit: *Major est*, inquit, *iniquitas mea, quam ut veniam merear*, seu consequar, *Gen.* IV. 13. Inde est quoque, quod Judas apud se perpendens quam gravi se scelere adversus Dominum Jesum obstrinxisset, non credidit se amplius apud eum gratiam invenire posse, sed desperans abiit, & suffocatus est, *Matth.* XXVII. 3. 4. 5. Existimarim etiam hanc esse causam cur Diabolus & Cacodæmones tanta cum obstinatione in peccato perseverent; nimirum quia sciunt damnationis suæ ad ignem æternum decretum esse peremtorium, & nulla pœnitentia revocari posse; non (ut vulgo putant) quod Deus ejus agendæ facultatem eis ademerit. Sic enim peccata, quæ committunt post primum illud propter quod rejectionem æternam meruerunt, non deberent ipsis imputari, sed Deo; nec ad supplicium eorum aggravandum quicquam facerent.

VI. Media tamen via hic est servanda. Nam ut non est desperandum de misericordia divina; ita nimium de illa sibi polliceri peccatores non debent, quasi quamdiu in peccatis adhuc hærent, illius possent esse participes. Propterea sæpe cogitandum est de suis novissimis, secundum Siracidis præceptum, *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, Ecclesi. VII. 40. Novissima autem ista vulgo quatuor esse statuunt, videl. mortem, judicium, vitam & mortem æternam; aut secundum Apostolum *Hebr.* X. 27. *Statutum est hominibus, semel mori; post hoc autem judicium.* Nam in judicio reliqua duo comprehenduntur. Quo proculdubio respiciebat David, cum diceret, *Horruit præ timore caro mea, & à judiciis tuis timui.* *Psal.* CXIX. 120. Eoque discipulos suos revocat Dominus Jesus, dicens, *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gebennam; ita dico vobis, hunc timete*, *Luc.* XII. 5.

VII. Et hæc de resipiscentiæ causis & motivis. Effectum ejus seu potius consequens, & quidem ex gratia divina, est remissio peccatorum. Cum quo adeo intime conjuncta sunt liberatio à Diaboli laqueis & morte æterna, vitæque æternæ adeptio, ut pro æquipollentibus aliquando accipiantur, licet, si formalem singulorum rationem spectes, non parum inter se differant. Id docent plurima Scripturæ loca; è quibus unum aut alterum insignius sufficiet afferre. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet & non morietur, &c.* Ezech. XVIII. 21. *Pœnitentiam agite & convertimini, ut deleantur peccata vestra*, *Act.* III. v. 19. Et ejus exemplum habemus memorabile in Davide, qui per pœnitentiam effugit mortis pœnam gravi suo peccato debitam. Item in Achabo & Ninivitis, quibus Deus propter pœnitentiam ad tempus pepercit, imo in perpetuum parciturus erat, nisi statim ad ingenium suum rediissent.

VIII. Falluntur ergo, qui dicunt remissionem peccatorum non acquiri per pœnitentiam, sed tantum ejus sensum. Quod etiam applicant his Christi verbis, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra*, *Matth.* VI. 14. id est, secundum istos Theologos, Si dimiseritis hominibus peccata eorum, certi eritis in cordibus vestris, testimonium ejus rei vobis perhibente Spiritu S. peccata vestra à Deo esse remissa. Quod est omnem vim & efficaciam resipiscentiæ & misericordiæ erga proximum detrahere, & spei aculeum quo ad ipsam peccatores excitantur plane obtundere. Clarissime autem falsam hanc interpretationem evertunt ea quæ legimus apud *Matth.* XVIII. de servo, cui Dominus decem millium talentorum debitum gratis remiserat; sed propter acerbitatem erga conservum ad meritam pœnam retrahitur. Concludens enim & applicans istud ad spiritualia debita Dominus, dicit, *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Id enim nulla ratione de sensu remissionis potest intelligi, sed tantum de ipsa remissione, cum ab ingrato servo repetatur totum illud debitum, quod antea ipsi humiliter supplicanti gratis condonatum fuerat. Sed tales Scripturæ detorsiones sunt absolutæ prædestinationis fructus, quæ aliter defendi non potest. Quos Deus ab æterno absque ullo fidei & resipiscentiæ intuitu ad vitam æternam elegit, iis simul omnia peccata quæ commissuri erant, non exspectata eorum rescipiscentia, condonavit, si vera est ista doctrina. Imo nunquam Deus iis iratus vere fuit, nec Christi propitiatione indiguerunt. Nam Deus ab æterno illos summo & immutabili amore dilexit.

IX. Quamvis autem hæc opinio Euangelium plane invertat & evertat, tamen eam quibusdam Scripturæ locis statuminare conantur. *Deus justificat*

ficat impium, *Rom.* IV. 5. quod putant idem significare, ac si dictum fuisset, Deus impium pronunciat justum, & ei omnia sua peccata remittit. Ad quod resp. Me largiri ultro voce *justificandi* id quod volunt intelligi. Controversia tantum restat de *impio*, utrum hac appellatione designetur is qui adhuc in impietate sua perseverat, an potius qui ab ea per veram resipiscentiam se avertit. Ego posteriori sensu illam accipio. Solet enim Scriptura denominare res, non solum ab eo quod sunt in tempore præsenti, sed etiam ab eo quod fuerunt antea. Ita serpens qui factus erat ex virga Aaronis, post metamorphosin istam vocatur adhuc virga, *Exod.* VII. 12. *Virga Aaronis devoravit virgas eorum*, nempe Magorum Ægyptiorum. Sic, *cæci vident*, *claudi ambulant*, *surdi audiunt*, *Matth.* XI. *v.* 5. id est qui antea cæci, claudi, & surdi erant, sed jam à Christo sanati. Sed inprimis appositum est quod Dominus Jesus Principibus Sacerdotum dicebat, *Publicani enim & meretrices precedent vos in regnum Dei*, *Matth.* XXI. 31. Non intelligit enim publicanos in sua rapina, & meretrices in sua impudicitia adhuc perseverantes, sed à malis suis viis jam conversos; ut liquet ex sequentibus ejus verbis; *Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ*, *& non credidistis ei* (id est vitam ex ejus præscripto non emendavistis) *publicani autem & meretrices crediderunt* (id est à peccatis resipuerunt;) *vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea ut crederitis ei.* Ita videre est non sequi ex eo quod Deus justificat impium, remissionem peccatorum non esse antecedens resipiscentiæ; sed contra potius consequens illius esse, cum de impio qui impietati suæ renunciavit id accipi debeat.

X. Sed forsitan plus est præsidii in altero loco ex *Luca* VII. 35. *& seqq.* ubi Christus signa dilectionis sibi à muliere peccatrice exhibitæ, comparans cum officiis à Pharisæo hospite suo acceptis, dicit, *Remittuntur ei peccata multa*, *quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur*, *minus diligit*. Hic sunt duæ enunciationes in speciem contrariæ. In prima enim videtur dilectio causa remissionis peccatorum statui; in altera vero poni tanquam effectum aut consequens. Quæ conciliari forte possent, dicendo duplicis generis esse dilectionem, unam quæ antecedat remissionem peccatorum, & sit conditio ad eam obtinendam requisita; altera quæ ipsam sequatur. Et sane vera fides, sine qua remissio peccatorum nunquam obtinetur, debet per dilectionem operari, *Gal.* v. 6. id est, eam producere, ac proinde non minus dilectio quam fides peccatorum remissionem antecedit, & ad eam acquirendam facit. Sed non puto hanc esse Christi mentem in loco allegato. In priore enim enunciatione per hæc verba, *Quoniam dilexit multum*, non significatur dilectionem istius fœminæ fuisse causam remissionis quam obtinuit; sed ex ea tanquam signo consequente Dominus vult colligere multa ipsi peccata esse remissa; alioqui posterior enunciatio, *Cui minus dimittitur*, *minus diligit*, non bene cum illa cohæreret, cum manifeste agat de dilectione quæ remissionis jam adeptæ sensum & cognitionem sequitur: tali locutione ac si quis diceret, Ignis est in ista domo, quia inde magna fumi copia erumpit. Ultro igitur concedimus, Christum hic non loqui de dilectione quæ remissionem antecedit, sed solum de consequente. Unde tamen non sequitur, nullam esse dilectionem quæ ad remissionem obtinendam sit necessaria, cum ea sit individua fidei comes & inseparabile effectum; quam constat remissionis peccatorum esse antecedens & causam. Quod etiam de resipiscentia dici debet, sine qua non potest esse vera fides, non magis quam absque Dei dilectione.

XI. Dixi autem remissionem peccatorum esse potius resipiscentiæ consequens quam proprie dictum ejus effectum. Sua enim vi resipiscentia illam non parit; sed est tantum conditio requisita ad eam ex divina gratia obtinendam, quam vocant causam sine qua non; nimirum quia Deus statuit nemini nisi resipiscenti peccatorum veniam indulgere. Sed resipiscentiam istud non mereri per se patet. Hæc enim enunciatio, Aliquem peccatorum remissionem mereri, contradictionem involvit & seipsam evertit. Omnis enim remissio ex gratia est; gratia autem & meritum inter se pugnant, *Rom.* XI. *v.* 6. *Ephes.* II. 8. 9. Istud in confesso est apud omnes recta ratione utentes. Nemo enim sceleris veniam putatur meritus, quod admissi pœnitentia tangatur; alioqui facinorosis facilis via esset aperta ad evadendum quod leges humanæ intentant supplicium. Nec aliter se res habet apud Deum. Paratus quidem est veniam largiri serio pœnitentibus; sed ita ut agnoscant id ex sola ejus impromerita gratia & benignitate proficisci; quia morte peccatoris non delectatur, sed ut convertatur à malis suis viis & vivat.

XII. Superest ut de pœnitentiæ adjunctis etiam aliquid dicamus. Primum est, ut non consistat in sterili proposito vitam emendandi, sed actu id quod animo proposuit exsequatur. Propositum enim illud non potest esse serium, quod nunquam in effectum deducitur. Velleitatem id vocant, seu remissam voluntatem, ortam vel ex pudore & fastidio quod aliquando peccatum affert, vel ex impendentis pœnæ metu. Sed Deus qui cor hominum intuetur in eo non acquiescit. Imo nullus creditor tam facilis invenietur, cujus non tentetur patientia, si obæratus ipsum inani spe solutionis lactet quam nunquam præstet. Quod significat Jacobus, dicens, *Estote factores verbi*, *& non auditores tantum*, *fallentes vosmet ipsos*, *cap.* I. *v.* 22. Qui enim contenti audire verbum Euangelii, secundum illud vitam non instituunt, sunt qui

proponunt pœnitentiam agere & nunquam agunt, vanis se cogitationibus, sive de illimitata Dei misericordia, sive de agenda aliquando pœnitentia, aut aliis ejuscemodi decipientes. Fructus pœnitentiæ sunt edendi ab eo, qui ut mala & inutilis arbor non vult exscindi & in ignem abjici.

XIII. Alterum est, ut non agamus tantum pœnitentiam de aliquibus peccatis, sed de omnibus. Nemo adeo perditus est ut simul omnibus vitiis indulgeat; imo sunt quædam inter se pugnantia, quæ non possunt eodem tempore exerceri. Herodes Joannem Baptistam libenter audiebat, & eo audito multa faciebat, *Marc.* VI. 20. nempe bona opera, aut quibusdam vitiis nuntium mittebat. Sed hæc non erat plena & sufficiens pœnitentia, quamdiu Herodiadem fratris sui uxorem, quam non licebat ipsi habere, adhuc retinebat. Multi sunt ei similes, qui Euangelio audito & cognito eo usque adducuntur ut aliquibus peccatis valedicant; sed interim aliquod, ad quod affectus eos magis inclinat, veluti charam Herodiadem retinent, & ejus se vinculis nunquam penitus exsolvunt. Hæc est dimidiata tantum & imperfecta pœnitentia, per quam nemo Dei judicium imminens unquam effugiet. Et veluti non sufficit ex multis portis urbis aliquas claudere & diligenter custodire, si una aperta & incustodita relinquatur, per quam hostis ingredi possit & eam occupare; ita neque satis est sibi ab aliquibus peccatis cavere, si vel uni indulgeatur, per quod Diabolus in cor nostrum ingrediatur, & ipsum sibi subjiciat.

XIV. Tertium adjunctum est, ut peccata ad quæ impetus naturæ nos incitat, & quorum committendorum occasio se offert, maxime fugiamus. Nemo tanquam sobrium & temperantem laudabit abstemium, quod vino se non ingurgitet; sed ille demum talis merito dicetur, qui cum vino valde delectetur & affatim in potestate sua habeat, imo ad bibendum compellatur, modum in usurpando non excedit. Nec servus pro fideli habebitur, cui dominus omnia quæ domi suæ sunt adeo diligenter claudit, ut etiamsi maxime vellet rapaces manus nulli rei injicere posset; sed ille tantum, qui cum apertam reperiet arcam in qua custoditur pecunia aut alia pretiosa suppellex, & facile aliquid domino surripere quibit, affectum compescet. Eodem se modo res habet cum omnibus aliis vitiis. Ideo se unusquisque explorare debet an per veram pœnitentiam eis serio renunciarit; quod ex eo deprehendet, si frænare appetitum tunc possit, cum facile & commodum erit ipsum explere.

XV. Quartum est, ut pœnitentiam agamus non tantum de peccatis distincte cognitis, sed etiam de iis quæ præsumere possumus nos per ignorantiam perpetrasse, aut quæ propter diuturnitatem temporis oblivioni tradidimus. Id exemplo suo nos docet David, sic Deum orans, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*, *Psal.* XIX. 13. Item, *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*, *Psal.* XXV. 7. Eodem quoque pertinet istud Joannis monitum, *Si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, & novit omnia*, 1 *Epist.* III. 20. Quo significat, Deum qui arcana cordium scrutatur, melius nosse peccata nostra quam nos ipsi; ideoque dolorem nostrum de peccatis, & studium ea vitandi, extendi etiam ad illa debere quæ nescimus an commiserimus. Nec si jamdudum ex memoria nostra sint elapsa, putare debemus Deum eorum non amplius recordari. In ipsum enim non cadit oblivio; *omnia sunt nuda & aperta oculis ejus*, *Hebr.* IV. 13. Summatim, totus vitæ nostræ cursus est relegendus, omnium quæ egimus, etiamsi bene non meminerimus, examen est instituendum; & cum in specie propter ignorantiam aut oblivionem pœnitentiam peccatorum agere non possumus, saltem in genere ea detestari, & cavere ne in posterum quicquam admittamus, cujus rationem Deo reddere non possimus.

XVI. Quintum est, ut pœnitentia nostra sit continua, seu ad extremum usque vitæ nostræ duret. Cum adeo infirmi simus, ut sæpe à peccato præoccupemur antequam serio cogitaverimus quid agamus, proximum est ut statim atque animadvertimus lapsum, resurgere ab eo nitamur. Imo fac regeneratum & sanctificatum quempiam tantos in pietate progressus fecisse, ut per aliquod temporis spatium, sive longum sive parvum, in nullum peccatum inciderit, officium tamen ejus esset præterita peccata (à quibus nemo prorsus mortalium est immunis) deflere, ut modo diximus, & à Deo ut sibi benigne condonet postulare. Falluntur enim qui putant justos & perfectos non amplius teneri hanc orationis Dominicæ particulam usurpare, Remitte nobis debita nostra. Quamdiu enim plenam eorum remissionem nondum obtinuimus, tamdiu tempestiva est hæc precatio. Plenam autem remissionem peccatorum non consequimur in hoc sæculo, sed in futuro, cum Deus nos à morte (quæ peccati stipendium est) suscitatos, vita æterna donabit. Utrum vero tam imperfecta sit etiam sanctissimorum regeneratio, ut nullus dies, imo nequidem etiam hora abeat, quin subinde peccent, non est hujus loci examinare. Tantum dico illud Solomonis pronunciatum, quod vulgo ad affirmativam partem probandum usurpari solet, nihil plane ad rem facere, *Septies in die cadet justus, & resurget*, *Proverb.* XXIV. 16. Primo enim voces illæ *in die*, non occurrunt in Hebraico textu, imo neque in correctioribus exemplaribus Latinis. Secundo, istud *cadere* de quo agit Salomon, non debet accipi de casu in peccatum, sed in infortunium, ut series orationis ostendit, & maxime sequentia, *Impii autem corruent in malum*, id est in adversitatem quæ ipsis ruinæ erit, quia

ex

ex ea non resurgent. Idque etiam indicat vox Hebraica יָּפֹל, quæ vix usurpata invenietur de lapsu peccati, sed tantum de calamitate aut infortunio aliquo. Ita ut sensus sit, justos esse quidem obnoxios variis adversitatibus, sed in illis non perire, sicut impios; quia Deus ipsos inde liberet. Sicut etiam profitetur David, dicens, *Multa tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus*, *Psal.* XXXIV. 20.

XVII. Restat nunc ut de resipiscentiæ oppositis aliquid adjiciamus. Ea duo sunt, Resipiscentia seu pœnitentia hypocritica, & Impœnitentia. Resipiscentia hypocritica est, cum quis simulat se de peccatis admissis dolere, & velle iis nuncium remittere; etiamsi non serio cogitet id facere. Ea decipi quidem possunt homines qui cor non intuentur; sed sperare se Deo καρδιογνώσῃ imponere posse, est tantum insani, & qui Deum non novit. Talis erat Pharao, qui Dei plagis pressus, confitebatur peccatum suum, agnoscebat Dei justitiam, & pollicebatur se dimissurum Israëlitas; sed statim atque relaxationem habebat cor suum aggravabat, *Exod.* VIII. IX. X. Talis quoque fuit Simon Magus, cui cum Petrus judicium Dei impendens denunciasset, quod esset in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis, territus dixit Apostolis, *Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis*, *Act.* VIII. Sed statim ad ingenium & imposturas suas rediit, ut veteres tradunt. Sed quid de pœnitentia Judæ dicemus, de quo *Matth.* XXVII. scribit, quod videns Jesum damnatum, *pœnitentia ductus, retulit* 30 *argenteos Principibus Sacerdotum, dicens, Peccavi tradens sanguinem justum.* Fuitne vera pœnitentia, an vero hypocritica? Veram non fuisse satis constat, quia veniam peccati sui non obtinuit; cum tamen Deus promiserit se omnibus pœnitentibus peccata condonaturum. Nec fuit etiam plane hypocritica. Multa enim sunt indicia illum nihil simulasse; præcipue illud, quod homo avarus sponte retulerit pecuniam quam pro mercede proditionis acceperat. Quid ergo in ea defuit quod Deo non placuerit? Videtur non satis firmum habuisse propositum vitam secundum omnia Christi mandata, quæ sæpe ex ejus ore intellexerat, emendandi. Non satis enim erat pœnitere de hoc graviori scelere, nisi etiam cæteris suis peccatis & carnis affectibus renunciaret. Cui accessit, quod desperando de Dei misericordia, non parum ipsum offendit. Etsi enim ea esset indignus, debebat tamen credere, ipsum vere pœnitentes nunquam abjicere. Quin tamen in eam justo Dei ipsum deserentis judicio inciderit, non est dubium, ne videl. pœnam quam meritus erat per pœnitentiam effugeret. Non sine causa enim à Christo vocatur *filius perditionis*, & *præstitisse ei ut nunquam natus esset*, quam Dominum prodere, *Joan.* XVII. v. 12. *Matth.* XXVI. 24. Nec omnino absimilis fuit pœnitentia Achabi, qui audiens ex Elia Propheta quam gravis sibi pœna ob occisum innocentem Naboth immineret, in sacco & cinere se coram Deo humiliavit, 1 *Reg.* XXI. & Deum aliquo modo placavit; quem tamen scimus hypocrisi non placari, sed potius offendi & irritari; sed quia timor Dei non erat satis in corde ejus radicatus, non multo post ad pristinos mores rediit. Eumque imitantur multi professione Christiani, qui in adversitatibus se coram Deo demittunt, & pœnitentiam spondent; sed postea non præstant. Qui hypocritæ, proprie loquendo, dici non debent; nam cum eos anteactæ vitæ pœnitet, credunt se omnino serio agere. Sed hypocritis non sunt multo meliores, quia illecebris peccati deliniti, cui à longo tempore assueverunt, non diu manent in illo sancto proposito, nec illud opere prout spoponderunt exsequuntur.

XVIII. Alterum pœnitentiæ oppositum est impœnitentia, quæ duplex est, vel temporaria, vel finalis. Impœnitentia temporaria est, cum aliquis diu quidem in peccatis suis securus absque judicii divini metu permanet; sed tandem evigilat, & se ex illorum laqueis, dum adhuc tempus est & Deus propitius inveniri potest, exsolvit. Qualis fuit Manasse regis Juda, qui post multa enormia scelera perpetrata abductus Babylonem captivus oravit Deum, & egit pœnitentiam; qui exaudivit eum & restituit in regnum suum, 2 *Paralip.* XXXIII. Item latronis cum Domino Jesu crucifixi, qui vera anteactæ vitæ pœnitentia ductus gratiam apud ipsum invenit. Finalis est, quæ ad finem usque vitæ perseverat, & quam proinde sequitur certa mors & condemnatio æterna, cum Deus nemini nisi pœnitenti peccata remittere decreverit.

XIX. Ex iis autem quæ de Pœnitentia egimus, facile est colligere quæ sit natura impœnitentiæ, ita ut in illa explicanda non opus sit diu morari. Sicut contrariæ sunt inter se pœnitentia & impœnitentia, ita evidens est contrarias earum esse causas, effecta & adjuncta seu proprietates. Quia tamen contraria juxta se posita magis elucescunt, non inutile aut superfluum erit adhuc pauca de hac adjicere. Impœnitentiæ causæ possunt esse multæ. 1. Atheismus & Epicureismus. Qui enim nullum esse Deum scelerum vindicem credit, aut qui putat ipsum non curare res humanas, nullumque fore judicium in quo unicuique rependat secundum opera sua, nihil habet quo moveatur ad pœnitentiam, ideoque in peccatis suis permanebit quamdiu à concupiscentia sua ad ea illicietur. Nam si quando ob hominum metum à quibusdam sceleribus desistat, hæc non est tamen vera pœnitentia, cum animus non sit mutatus, & voluntas permaneat morem concupiscentiæ gerendi cum occasio se offeret. Nolim tamen dicere omnes qui in peccatis absque pœnitentia perseverant esse reipsa Atheos & Epicureos. Potest

test enim fieri ut theoretice Deum & providentiam credant; sed quia istud ad animum non revocant, perinde se res habet quod ad praxin ac si istud non crederent; quia fides illorum est mortua & nihil operatur, nihiloque melior est Dæmonum fide, qui *credunt unum esse Deum, & contremiscunt*, *Jac.* II. 19. 2. Persuasio quædam vana de infinita & illimitata Dei misericordia; quasi Deus adeo sit clemens & misericors, ut nunquam iram suam in peccatores sit exserturus. Sed hac opinione nemo potest esse imbutus, nisi qui Sacras literas nunquam legit, aut pro fabulis habet; cum eæ testentur passim Deum esse zelotem, qui scelera non sinat impunita, imo peccata patrum vindicet in filios in tres aut quatuor generationes; & multa judiciorum ejus exempla commemorent, ut diluvium, Sodomæ & Gomorræ conflagrationem, & alia ejusmodi. 3. Peccandi consuetudo inveterata, quæ difficillimam reddit conversionem. Nam qui peccato per longum tempus assueti fuerunt, etsi interdum velint & apud se proponant ei nuntium mittere, talis voluntas & propositum irrita plerumque esse solent; & major est vis habitus profunde radicati ad conversionem impediendam, quam ejusmodi debilis propositi ad eam promovendam. Unde videre est quam periculosum sit differre pœnitentiam in futurum tempus, cum eo difficilior reddatur quo diutius differtur. 4. Violentia & impetus affectuum, facilitas cupiditatem explendi, conversatio cum improbis, impunitatis spes, & alia ejusmodi plura, solent homines vinculo peccatorum irretitos detinere, & ne unquam serio cogitent de se inde exsolvendo prohibere.

XX. Effectus impœnitentiæ sunt omnis generis pœnæ, tam spirituales quam corporales, quibus Deus hominum peccata tam in hoc præsenti quam in futuro sæculo ulciscitur; spirituales quidem, quod Deus justo judicio deserat, & sic excæcet atque induret eos qui ad tempus gratiæ sibi oblatæ non attendunt; quod immittat illis efficaciam erroris ut credant mendacio, *Rom.* I. *Ephes.* IV. 2 *Thess.* II. Corporales, ut bellum, fames, pestis, feræ; quæ Deus vocat *sua quatuor judicia pessima*, *Ezech.* XIV. 21. uno verbo, ira Dei, quæ poterat per pœnitentiam averti, super impœnitentes manet. Quod vel unicus eximius Pauli locus sufficienter docet, *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei*, &c. *Rom.* II. *v.* 4. 5. Cui consentaneum & æquipollens est quod legimus *Joan.* III. 36. *Qui credit filio*, (nempe ad pœnitentiam hortanti) *habet vitam æternam; qui autem non paret filio*, (id est in impœnitentia manet) *non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Et revera cum nihil æquius sit quam ut misericordia Dei alicubi sistat, ne si perpetuo eam exsereret, inde occasionem caperent homines peccatis indulgendi, oportet sane ut eam tum contrahat; cum frustra se eam explicasse videt, & peccatores ea abutentes ipsum ad finem usque irritare pergunt. Quare ineptum est quod nonnulli quærunt, annon Jesus Christus etiam pro finali impœnitentia, sicut pro reliquis hominum peccatis, Deo Patri satisfecerit. Nam ideo Dominus Jesus Deo satisfecit, seu in sacrificium pro peccatis se ipsi obtulit, ut peccato mortui, justitiæ vivamus, *Rom.* VI. 3. *& seqq.* 1 *Petr.* II. 24. Hunc autem finem non obtineret, si impœnitentibus etiam exposita esset Dei gratia. Instant, Ergo Christus non satisfecit pro omnibus peccatis, si non satisfecit pro impœnitentia quæ est gravissimum peccatum. *Resp.* Satisfecit pro omnibus peccatis, quia nullum adeo est enorme, cujus per pœnitentiam remissio obtineri non possit. Impœnitentia autem finalis non est species peccati ab aliis distincta, sed est tantum perseverantia in illis; quam si Deus condonaret, aut per sanguinem Christi expiari posset, gratia tam profusa in occasionem peccati verteretur; nec rem indignam facerent impii illi, qui gratiam Dei transferunt in lasciviam; quos adeo graviter reprehendit Apostolus, *Jud. v.* 4. & qui dicunt, *Permaneamus in peccato, ut gratia Dei abundet, quia ubi abundavit delictum, ibi superabundavit gratia*, *Rom* V. *in fine*, *&* VI. *initio*, *quorum condemnatio est justa*, *Rom.* III. *v.* 8. Neque enim nimis severa dici potest, nisi eadem opera asseratur, nunquam esse tempus ut Deus iram in peccatores exserat; cum iste sit supremus malitiæ gradus, in peccato usque ad finem sine emendatione permanere. Et hæc de impœnitentia satis. Qui plura cupit, eam sigillatim cum iis quæ de pœnitentia dicta sunt conferat, & secundum oppositorum naturam ratiocinetur; nihil quod ad ejus naturam cognoscendam faciat desiderabit.

CAPUT XIX.

De Pietatis objecto, & speciatim de cultibus superstitiosis Pontificiorum.

I. *Distributio virtutum.* II. *Quo nomine pietas in Scriptura describatur.* III. *Quid sit pietas.* IV. *Ejus objectum est solus Deus.* V. *Taxantur Ethnici falsa numina colentes.* VI. *Nec non Pontificii, circa varias res idololatriam committentes.* VII. *Consistit hæc in invocatione, fiducia, adoratione religiosa, juramento, voto, sacrificiis, templis & altaribus.* VIII. *Ad idololatriam non necessario requiritur, ut is, qui rem quamdam colit, eam pro Deo habere intendat.* IX. *Quo sensu Paulus dicat* 1 *Cor.* 8. *idolum nihil esse in mundo.* X. *De cultu latriæ, duliæ, & hyperduliæ.* XI. *De cultu quem Pontificii exhibent sanctis mortuis.* XII. *Virgini Mariæ.* XIII. *Angelis.* XIV. *Reliquiis.* XV. *Imaginibus.* XVI. *Cruci.* XVII. *Rebus consecratis.* XVIII. *Eucharistiæ.* XIX. *Papæ.* XX. *Pontificios speciem idololatriæ committere hisce cultibus; quod ostenditur in cultu sanctorum mortuorum.* XXI. *Angelorum.* XXII. *Reliquiarum, imaginum, crucis, rerum consecratarum.* XXIII. *Eucharistiæ.*

ristia. XXIV. *Papa.* XXV. *Reformatas Ecclesias justissimam à Pontificia secedendi causam habere.*

I. SEquitur nunc, ut postquam de virtutibus universum hominis officium comprehendentibus egimus, nempe fide & resipiscentia, accedamus ad eas quæ sigillatim ipsum explicant. Illæ secundum triplex objectum circa quod versantur, vid. Deum, alios homines, & nos ipsos, trifariam dividi possunt. Et hanc distributionem insinuat Paulus, cum dicit, *gratiam salutarem Dei apparuisse omnibus hominibus, quæ nos erudiat ut abnegata impietate & cupiditatibus mundanis, temperanter & juste & pie vivamus in præsenti seculo, Tit.* II. 11. 12. ubi temperantia refertur ad nos ipsos, justitia ad proximos, & pietas ad Deum. Alii divisionem bimembrem in Pietatem & Probitatem, ut magis ex arte, præferunt, & probitatem rursus in eam quæ ad alios, & eam quæ ad nos ipsos respicit, subdividunt. Sed parum in eo situm est. Accuratam sane & ad Logicæ leges exactam divisionem Apostolum noluisse tradere, apparet ex eo, quod pietatem, quæ primum sine controversia locum obtinere debet, ultimo nominat. Ab illa ergo incipiemus.

II. Pietas est virtus quæ Deo cultum debitum exhibet. Græcis vocatur *εὐσέβεια, εὐλάβεια, θρησκεία.* Sed magis adhuc proprie *θεοσέβεια*, ut 1 *Tim.* II. 10. legimus, de mulieribus *θεοσέβειαν ἐπαγγελλομέναις*, id est pietatem spondentibus, seu profitentibus: quia *θρησκεία* plerumque accipitur pro superstitione; *εὐσέβεια* vero & *εὐλάβεια*, sicut & Latinum Pietas, usurpantur etiam de officiis parentibus & patriæ debitis, qui secundum sibi post Deum locum vindicant. Sic Paulus de liberis, *Discant primum in propriam domum pietatem exercere, & vicem rependere parentibus*, 1 *Tim.* V. 4. ubi in Græco est *τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν*; quod vetus interpres reddidit, *domum suam regere*, &c. quasi pro *εὐσεβεῖν* legisset *εὐθύνειν*, quod melius quadrare videtur. Sed quicquid de hoc loco sit, constat de usu vocum *εὐσεβείας* & pietatis, & eas primario ad Deum referri, adeo ut universa Christiana religio interdum illis significetur. Nec sane aliud intellexit Paulus, commendans *agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est*, *Tit* I. v. 1. & cum dicit, *mysterium pietatis esse magnum*, 1 *Tim.* III. 16. Item, *Pietas ad omnia est utilis, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ*, 1 *Tim.* IV. 8. Quibus in locis nomine *pietatis* non solum comprehenditur cultus & observantia quæ immediate Deum respicit, & prima Decalogi tabula præscribitur, sed omnium in universum Dei mandatorum observatio. Deus enim in omnibus sibi vult obsequium ab hominibus exhiberi, sive quid præcipiat quod se directe spectet, sive quod ad proximos & nos ipsos referatur. Et hæc acceptio est laxior; nos vero hoc loco in strictiori *pietatis* vocem usurpamus; sed ita tamen, ut cum nos juste erga alios, temperanter erga nos ipsos gerimus, id propter Deum præcipientem & fidem erga ipsum faciamus. Quod significare voluit Jacobus, cum dixit, *religionem puram & immaculatam coram Deo & Patre hanc esse, visitare orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & impollutum seipsum conservare à mundo, cap.* I. *v.* 27. Nimirum ita Deo accepti erimus, si non tantum ritibus & ceremoniis aliquibus ipsum colamus, sed etiam præcepta quæ nobis dedit de charitate erga proximos, & directione nostri, studiose propter ipsum observemus.

III. Pietas ita accepta est præstantissimus tum animi tum corporis cultus qui Deo exhiberi potest, tanquam summo universi Domino & Rectori, & bonorum omnium quæ ad felicitatem præsentis & futuræ vitæ pertinent munificentissimo largitori. Deo autem tanquam universi Domino supremo debetur timor, obedientia & profunda animi demissio; tanquam bonorum omnium largitori, à quo hanc vitam & omnia quæ ad ipsam tuendam & jucunde transigendam faciunt accepimus, & aliam postea beatiorem expectamus, debetur amor, reverentia, gratiarum actio, celebratio nominis ejus, fiducia & invocatio assidua.

IV. Ex quo apparet, quod cum Deus nullum in his socium habeat, ea omnia illi soli exhiberi conveniat. Istud exegit Deus ab Israëlitis primo Decalogi præcepto, cum dixit, *Non erunt tibi Dii alieni coram me*, vel, non erit tibi Deus alienus. Parum enim refert sive in singulari numero, sive in plurali vocem Hebr. *Elohim* hic reddamus; cum certum sit Deum non tantum plures socios repudiare in hoc cultu, sed nequidem unum adjungi sibi velle. Hoc significat nomine *zelotis*, quod sæpe sibi tribuit. Sicut enim maritus nullum prorsus in thori conjugalis consortium admittit, ita neque Deus ad participandum honorem sibi soli debitum. Id protestatur diserte, dicens, *Ego Dominus, hoc est nomen meum; Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus*, *Esa.* XLII. 8. & XLVIII. *v.* 11. ubi *non dabo*, idem est, ac, non permittam ut sibi vindicet. Sicut *Psal.* XVI. 10 *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, id est, non permittes ut videat seu sentiat.

V. Peccarunt igitur graviter Ethnici, qui falsa Numina, ut Solem, Lunam, impuros dæmones, homines mortuos, imo interdum bruta animantia & plantas, divino honore affecerunt, quo creaturæ istæ omnino indignæ erant, & qui supremum mundi Dominum imagine aliqua corporea repræsentare præsumserunt, coram qua se prosternerent, & omnia quæ ad Dei cultum pertinent exhiberent. Quæ Deus severissime in lege sua vetuit. *Non ibitis post Deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt; quoniam Deus zelotes Dominus Deus in medio tui est; nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & au-*

& auferat te de superficie terra, *Deuter.* VI. 14. 15. Item, *custodite sollicite animas vestras*, &c. *Ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ, similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram*, &c. *nè forte elevatis oculis ad cœlum, videns Solem & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt*, *Deut.* IV. *v.* 15. *& seqq.* Id sæpe reprehendit per Prophetas: ex. gr. vide *Esa.* XL. *v.* 18. *& seqq.* *cap.* XLI. *v.* 22. 23. & infinitis aliis locis. Nec dissimularunt Apostoli cum iverunt ad Gentes idololatras; ut videre est *Act.* XVII. 29. ubi Paulus dicit, *Cum Dei genus simus, non debemus æstimare numen esse simile auro aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis & inventionis hominum.* Et ad *Rom.* I. 23. de omnibus gentibus in genere, *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium*, &c. *qui commutaverunt veritatem in mendacium, & servierunt creaturæ*, &c.

VI. Sed non soli Ethnici ejusmodi peccati fuerunt rei. Videmus enim post abolitam ipsorum per Euangelii prædicationem idololatriam, aliam non absimilem inter Christianos, præsertim in Ecclesia Romana, esse exortam, qui cultum divinum exhibent diversis rebus creatis, ut Sanctis mortuis, & ante alios omnes B. Virgini Mariæ, Angelis absentibus, Reliquiis Sanctorum, Imaginibus, Cruci & rebus consecratis, Sacramento Eucharistiæ, & denique ipsi Pontifici Romano. Conqueruntur quidem illi sibi gravem injuriam fieri cum accusantur idololatriæ à Protestantibus, à qua dicunt se toto corde abhorrere. Idololatriam enim esse, cum divinus cultus exhibetur alicui creaturæ sicut Deo. Se nullam autem istarum rerum, quibus honorem aliquem exhibent, habere pro Deo, aut Deo æquiparare velle. Ostendendum ergo est nobis, facta ipsorum evincere, eos culpæ isti esse affines. Id hinc apparet, quod istas, quas diximus, invocant creaturas, fiduciam in iis collocant, adorant eas, jurant per eas, vota ipsis faciunt, sacrificia offerunt, consecrant iis templa & altaria, præter quæ nihil superest quo Deus coli possit. Non dicimus quidem eos omnia ista singulis creaturis modo enumeratis exhibere. Id non est necesse ut possint rei idololatriæ peragi. Sufficit si vel unum istorum exerceant erga creaturam cui non competit. Quanquam certum, illos Sanctis suis & Eucharistiæ omnes istas cultus species simul exhibere. In iis autem consistere honorem divinum, qui soli numini supremo debetur, facile est probatu.

VII. Primum quod ad *invocationem* attinet, Scriptura docet eam soli Deo competere. Id intelligimus de tali invocatione, per quam tribuitur illi qui invocatur gloria salutis nostræ, scrutatio cordium & omnipotentia. *Invoca me* (inquit Deus) *in die angustiæ, & ego exaudiam te, & glorificabis me*, *Psal.* L. 15. Ad eum solum docet nos Christus preces dirigere, & dicere, *Pater noster qui es in cœlis.* De illa dicitur, *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit*, *Joël.* II. 22. *Act.* II. 21. *Rom.* X. 13. Nullus autem Sanctorum vel Angelorum, multoque minus ullæ aliæ creaturæ, potestatem habent salutem æternam nobis largiendi; nec eam ab illis expectare licet, quin id quod solius Dei est proprium iis tribuatur. Sicut etiam cum creditur ipsos preces mortalium audire, discernere quo animo ipsum invocent, sincerone an hypocritico, & potestatem habere omnia quæ ab ipsis petuntur donandi. Quicunque enim ista de creatura aliqua sentit, revera illi honorem divinum exhibet, & idololatra est, licet contra protestetur. 2. *Fiduciam* in solum Deum oportet collocare, secundum illud Jeremiæ, *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Contra, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus*, &c. *Jerem.* XVII. 5. *& seqq.* Quicunque ergo in alio confidit, ei divinitatem reipsa, si non verbis, attribuit. 3. *Adoratio religiosa* soli Deo debet exhiberi; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, *Deut.* VI. 13. Ita enim citat hunc locum Dominus Jesus cum Diabolo pugnans, *Matth.* IV. 10. quamvis Hebraica vox proprie *timere* significet. Item, *vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo*, *Esa.* XLV. 23. *Rom.* XIV. 11. Discernitur autem adoratio religiosa à civili in eo, quod civilis præsentibus solis exhibetur, cum quibus conversamur. Statim autem atque ad absentem dirigitur, quem non videmus, & à quo non conspicimur, religiosa censeri debet, quia nihil habet commune cum civili, & alterius plane est generis. *Juramentum* per solius Dei nomen est præstandum, *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen ejus jurabis*, *Deut.* VI. 13. & X. 20. Et revera is, per cujus nomen juratur, illud debet audire & cognoscere, ac potens esse ad perjurium ulciscendum. Quæ res tanti est momenti, ut nomine juramenti aliquando universus Dei cultus in Scriptura comprehendatur, ut *Esa.* XIX. 18. *In die illa* (nempe liberationis Ecclesiæ per Messiam) *erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes linguam Canaan, & jurantes per Dominum exercituum.* 5. *Votum* facere est actus religionis, qui ad solum Deum debet dirigi, *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*, *Psal.* L. 14. 6. *Sacrificia* quoque soli Deo sunt offerenda. Quod sub lege mortis pœna erat sancitum, *Qui immolat Diis occidetur, præterquam Domino soli*, *Exod.* XXII. 20. Nihil enim est sublimius sacrificio quo divina Majestas coli possit; adeo ut nemini possit offerri quin pro Deo agnoscatur. 7. Denique *templa & altaria*

soli

soli Deo sunt exstruenda & consecranda, tanquam loca ubi supremus sacrificiorum honor ei exhibeatur. Vide *Exod.* XXV. *& seqq.* ubi Deus vult sibi tabernaculum exstrui, & formam ejus præscribit. Contra jubet Deorum delubra & aras dirui. *Subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos & colles, & subter omne lignum frondosum; Dissipate aras earum, & confringite statuas, lucos igne comburite,* &c. *Deut* XII. 2. 3.

VIII. Nunc quod dicunt, idololatriam esse cum divinus cultus exhibetur alicui creaturæ sicut Deo; Nos respondemus, hæc verba, *Sicut Deo*, male isti definitioni addi, & vitiosam illam reddere. Nam aut nihil novi addunt præcedentibus, & quod sub cultu divino non comprehendatur; & sic est tautologica. Aut limitandi vim habent, & significant tunc solum committi idololatriam, cum is qui cultum divinum exhibet alicui creaturæ, illam pro Deo habet, aut ipsi æquiparare intendit. Et sic reddunt definitionem falsam. Sufficit enim ad constituendam idololatriam, si cultus divinus exhibeatur alicui creaturæ, etiamsi is qui illum exhibet non habeat eam pro Deo, nec ipsi æquiparare intendat. Nam si ad rem ipsam attendas, qui cultum divinum exhibet creaturæ, illam Deo æquiparat tali facto, quicquid sit de animo aut intentione ipsius. Ideo videmus in Scripturis, illos idololatriæ accusari, qui cultum divinum exhibuerunt imaginibus, quamvis non haberent eas pro Deo, nec ipsi æquiparare intenderent. Quales erant Israëlitæ, qui colebant vitulos collocatos à Jeroboamo in Dan & Bethel: de quibus dicebat, *Ecce Dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, 1 *Reg.* XII. 28. id est, repræsentant illum Deum. Non erat enim tam insanus Jeroboam, ut putaret idola recens fabricata, & quidem gemina, esse illum ipsum Deum, qui circiter quingentos annos ante liberaverat Israëlitas ex servitute Ægyptiaca. Sed hoc non prohibuit quin Deus ipsum pro vero idololatra haberet & gravissime ei succenseret. *Tu fecisti tibi Deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares; me autem projecisti post corpus tuum*, 1 *Reg.* XIV. 9. Nec alia fuit mens Achabi & aliorum regum Israël, qui coluerunt imagines Baal. Non intendebant enim abnegare Deum qui majores suos ex Ægypto eduxerat, sed potius sub illa quoque figura ad vicinorum populorum exemplum ipsum colere. Ea tamen de causa dicitur Achab *irritasse Dominum Deum Israël, super omnes Reges Israël qui fuerunt ante eum*, 1 *Reg.* XVI. 33. Et de idololatris, qui ex eodem ligno unde se calefaciunt, formant sibi imagines; *Reliquum ejus Deum fecit & sculptile sibi. Curvatur ante illud, & adorat illud, & obsecrat, dicens, Libera me, quia Deus meus es tu*, *Esa.* XLIV. 17. Item, *dicentes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti, Jerem.* II. 27. Mens tamen eorum non erat, se pro Patre agnoscere imagines ligneas aut lapideas, & ab illis liberationem è periculis expectare. Sciebant enim hæc vera non esse nec posse fieri. Sed quia cultum iis divinum, quo plane erant indignæ, exhibebant, ita loquentes introducuntur. Et Deus ex actionibus idololatrarum, quas expresse in lege sua prohibuerat & sibi displicere testatus fuerat, merito de animo ipsorum judicat.

IX. Nec sanius est effugium quod quærunt in voce *Idoli*, allegantes illud Pauli dictum, *Scimus quia nihil est idolum in mundo*, 1 *Cor.* VIII. 4. Quod non quadret in sanctos & sanctas, Eucharistiam, crucem, & alia quæ colunt, sed in Ethnicos tantum, qui Deos fingebant nusquam in rerum natura existentes. *Resp.* enim ipsos mentem Apostoli non percipere. Noluit enim significare idola prorsus nihil esse. Sciebat enim & omnium oculis patebat ex ligno, aut lapide, aut aliquo metallo esse conflata. Nec etiam ea nihil reale repræsentavisse. Pauca enim erant ejusmodi idola. Pleraque facta in honorem rerum existentium, ut Solis, Lunæ, & aliorum astrorum. Vel saltem quæ existentiam antea habuerant, ut Reges & principes defuncti. Qua in re nullum aliud est discrimen inter Ethnicos & Pontificios, nisi quod magnam partem hi pios colunt, illi vero impios. Imo Pontificii nonnullos colunt sanctos qui nunquam exstiterunt, ut Christophorum, & sic ex confessione sua propria sunt idololatræ. Cum ergo Paulus dixit, *Idolum nihil esse in mundo*, intellexit tantum ipsum Deitatem nullam habere, falsoque ipsi eam tribui ab suis cultoribus. Quod recte etiam quadrat in pleraque eorum quæ coluntur à Pontificiis, quæ nulla Deitate aut potentia sunt prædita qua possint bene aut male facere, cultores suos remunerari, contemtores ulcisci; non tantum imagines qualescunque, crux & reliquiæ sanctorum, sed etiam sancti ipsi demortui, qui nec preces quæ ad ipsos diriguntur audiunt, nec ea quæ petuntur largiri queunt.

X. Utuntur etiam distinctione inter cultum latriæ, duliæ, & hyperduliæ; & primum dicunt soli Deo deferri debere; sed secundum & tertium multis creaturis convenire. Sed resp. 1. Distinctionem istam esse commentum mere humanum, ad idololatriæ excusationem excogitatam, nullumque in Scriptura fundamentum habere, quæ nusquam ullius hyperduliæ meminit, & voces latriæ & duliæ promiscue usurpat, & ad designandum cultum Deo debitum adhibet. Vide ex. gr. *Gal.* IV. 8. *Iis qui natura non sunt Dii serviebatis.* ubi in Græco est vox ἐδουλεύσατε, ejusdem cum δουλεία originis. Et 1 *Thess.* I. 9. *Conversi estis ab idolis ad Deum*, δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, *ut serviretis Deo vivo & vero.* ubi Apostolus (si hæc distinctio recipiatur) non satis magnifice de Deo loquutus fuerit, de ejus cultu usurpans vocem quæ creaturis etiam conveniat. Imo si ad propriam earum significationem attenda-

tendamus, dulia quæ est servitus, videtur plus aliquid & submissius innuere quam latria, qui est honoris cultus. Talem autem cultum homines in terris non illibenter exhibent, quibus tamen servire nollent. Sed hic nolo immorari. Scio Græcos scriptores ad istud minutum discrimen non attendere. Illud tantum est cavendum, ne, cum creator & creaturæ adeo magno intervallo inter se distent, inter se honore æquentur, tribuendo aliquid creaturis quod solius Dei creatoris sit proprium. Quo posito, faciles in usu vocum erimus, nec offensam inde capiemus, si honor qui legitime creaturis deferri potest, non solum δουλείας, sed etiam ὑπερδουλείας appellatione designetur. Sunt enim excellentiæ inter creaturas gradus, quorum ratione major uni honor quam alteri debetur. Ex. gr. majori honore prosequi conveniret Prophetam aliquem à Deo immediate missum, & miracula patrantem, ut olim fecerunt Prophetæ & Apostoli, quam vulgarem aliquem Euangelii præconem; & majori adhuc Angelum, si forte nobis aliquis cum mandatis à Deo acceptis appareret. Modo tamen semper magnum inter Dominum & servum discrimen statueretur, non solum in animo aut intentione, sed etiam in externa honorandi ratione.

XI. His in genere de creaturarum cultu præmissis, dicamus in specie aliquid de illo qui Sanctis mortuis, & aliis quarum supra mentionem fecimus creaturis, in Ecclesia Romana exhibetur. Sanctorum memoriam, de quorum pietate ex testimonio fide dignorum historicorum constat, veneratione aliqua prosequendam concedimus. Quæ in duabis hisce rebus potissimum consistit; 1. Ut nunquam de iis nisi honorifice, tanquam de eximiis Dei servis, loquamur. 2. Ut exempla virtutum quibus illustres fuerunt nobis sæpe ob oculos proponamus, & pro viribus imitari studeamus. Nec improbaremus, ut constantia Martyrum certis quibusdam diebus publice celebraretur, dummodo id fieret absque omni superstitione, & nihil ex putidis vulgarium Legendarum lacunis, sed tantum ex autoribus probatis desumeretur. Quicquid ultra hæc illis honoris exhibetur, vix ab idololatria, aut saltem insigni superstitione, excusari potest. Non licet ergo eos invocare in necessitatibus, sive ut tanquam intercessores apud Deum pro nobis ipsum aliquid rogent; sive ut id pro sibi tributa potestate ipsi largiantur. Non constat enim ipsos preces nostras audire, aut aliqua omnino potestate nobis quicquam donandi esse præditos; sed contrarium potius, neutrum iis competere. Id satis docet status mortis in quo nunc sunt, qui non est capax actionis viventium. Nec refert, quod eorum anima non sit mortua. Anima enim est tantum pars hominis, quæ in separatione sua à corpore non potest idem facere quod cum illo conjuncta. Adde quod etiamsi Sancti anima & corpore rapti essent in cœlum, & glorificati, ut post resurrectionem, non tamen cognoscerent ea quæ fiunt in terra ab hominibus, nec possent scrutari eorum corda, ut viderent quo animo invocentur, & discernere pios ab hypocritis; prout requiritur in iis qui preces aliorum exauditurі sunt; alioqui fieri posset ex ista ignorantia, ut exaudirent preces hypocritarum, & piorum contra repellerent. Quanto igitur minus nunc, cum Scriptura testetur, *mortuos nihil novisse amplius*, *Eccles.* IX. 5. imo *neque laudare Deum*, *Psal.* VI. *v.* 6. & CXV. 17. Quæ tamen esset occupatio qua sanctæ animæ maxime delectarentur, & quæ eis dum à corpore suo separatæ sunt conveniret. Quare qui animabus Sanctorum preces faciunt, cum supponant eas tanta cognitione & potestate esse præditas, iis reipsa divinitatem aliquam affingunt, quicquid contra verbis protestentur. Pontificios vero id facere, non opus est demonstrare. Quotidiana praxis, tum publica Ecclesiæ Romanæ tum privata singulorum, sufficiens contra ipsos testimonium præbet. Imo multi fervidiores se ostendunt in Sanctis invocandis, quam in Deo ipso. Quod docent eorum, ut vocant, rosaria, in quibus preces annumerant, & decies Virginem Mariam invocant, dum semel tantum Deum. Si quid beneficii è cœlo acceperint, ipsam potius celebrant & gratias ei agunt quam Deo. Collocant etiam in illis fiduciam suam, non tantum quatenus invocant, cum invocatio à fiducia separari nequeat, sed etiam id diserte in precibus profitendo; *O gloriose Sancte Petre, aut Sancte Paule, in quo fiduciam meam reposui.* Unde Cardinalis Hosius non veretur dicere, oportere credere in Sanctos. Solenne quoque est iis jurare per sanctos, non tantum in usu vulgari, ubi audimus illos dicentes, per Sanctum Petrum, Paulum, Dominam nostram; quod forte Ecclesiæ Antistites non probant; sed etiam in publicis & maxime solennibus juramentis; quale est quod Papa præscribit Imperatori cum eligitur, *Juro Deo & Sancto Petro, me fore protectorem & defensorem Summi Pontificis, & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ*, ut legitur in *Ceremoniali Rom. lib.* I. Vota ad sanctos dirigunt; quod præcipue fit ab iis qui Monasticæ se vitæ addicunt: Ita Dominicani, *Voveo Deo & B. Virgini, & S. Dominico, & omnibus sanctis, me superiori meo obtemperaturum*, &c. Templa etiam & altaria sanctis exstruunt. Quamvis enim nonnulli dicant illa in honorem Dei proprie exstrui, & quod Sanctorum nomina iis imponuntur, id fieri tantum ad conservandam eorum memoriam; longe tamen ulterius progrediuntur; adeo ut Bellarminus approbet illorum opinionem, qui dicunt ædes sacras vere construi martyribus, & non tantum Deo in memoriam Martyrum. Sic in consecratione Ecclesiæ hac utuntur formula, *In nomine Patris, & Filii & Spiritus S. hæc Ecclesia sanctificetur & consecretur in honorem Dei, & gloriosæ virginis*

ginis Mariæ, & omnium sanctorum, & nomini ac memoriæ Sancti N. Pontificis R. Idem quoque observatur in consecratione altarium. Nam præterquam ipsis hujus vel illius sancti nomen imponitur, dedicantur etiam & consecrantur honori omnium Sanctorum, his verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. sanctificetur & consacretur hic lapis in honorem Dei, gloriosæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & nomini ac memoriæ Sancti N. Ibid.* Et cum Papa aliquem mortuum canonizat, ut vocant, seu in catalogum sanctorum refert, simul constituit ut Ecclesiæ & altaria in ejus honorem ædificentur. Denique Sanctos mortuos adorant; quod negant quidem à se fieri, & venerandi voce uti malunt. Sed res ipsa convincit eos. Procumbunt enim in genua cum invocant eos; idque etiam coram ipsorum imaginibus faciunt. Quod certe aliud non est quam adorare. Nec possunt excipere, hanc adorationem esse civilem, qualis etiam Principibus & Regibus in quibusdam locis exhiberi solet. Hæc enim nunquam nisi ad præsentes dirigitur; statimque atque adorantur absentes, seu cum quibus non versamur, illa civilis modum excedit, & fit religiosa. Præterea adoratio civilis est tantummodo externa, in corporis prostratione tota consistens; cum qua si interna cordis jungatur, ea non potest esse nisi religiosa. Jungi autem eam à Pontificiis in cultu Sanctorum, ostendunt invocatio, fiducia, vota, quæ ad illos diriguntur. Tandem quam non sint à creaturarum adoratione alieni, quicquid contra protestentur, liquet ex ipsorum Indicibus expurgatoriis, ubi jubent has enunciationes deleri, *Deus solus debet adorari, Scriptura adorationem soli Deo tribuit, Martyres non adorantur, Sancti debent honorari, sed non adorari,* aliasque ejusmodi. Quæ tantopere eis non displicerent, nisi sibi conscii essent se contrarium facere.

XII. Hæc autem omnia cultus genera quæ deferunt Sanctis, eminentius adhuc erga Virginem Mariam usurpant. Quod voce hyperduliæ exprimunt, cum alios sanctos dulia tantum honorari velint. Idque sub hoc prætextu, quod sit à morte excitata, in cœlos gloriose assumta, & ibi tanquam regina ubique dominans coronata. Quod tamen nullo idoneo & antiquo teste probant. Quin etiam Deæ titulo eam verius onerant quam honorant, & ipsi tot templa in terris exstructa esse, quot stellæ sint in cœlo gloriantur; aliaque adhuc sublimiora attribuunt, ut videre est in multis devotionum libellis, quos Pontificiorum vulgus loco Bibliorum sibi prohibitorum legit

XIII. Eodem quoque modo se gerunt erga Angelos, præcipue erga illum quem singuli sibi à Deo custodem assignatum esse putant. Quod forte speciem aliquam æquitatis haberet, si fundamentum cui cultum suum substernunt solidum foret. Tunc enim non illicite rogari posset ille Angelus, ut potestatem quam habet ad nostri tutelam & conservationem usurparet, Deo nos commendaret, aliaque ejusmodi quæ honorem eximiæ alicui creaturæ præsenti debitum non excederent. Sed illud est plane incertum; an singuli homines vel fideles Angelum habeant custodem, qui semper ipsis præsens adsit. Nullibi Scriptura id aperte docet. Legimus quidem Angelos esse *Spiritus administratorios, in ministerium missos, propter eos qui hæreditatem salutis accipient, Hebr.* I. 14. Item, *Castra metatur Angelus Domini circum timentes eum, & eripit eos, Psal.* XXXIV. 8. Et, *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis,* &c. *Psal.* XCI. 11. aliaque ejusmodi. Sed hæc loca ostendunt tantum Deum Angelorum ministerio uti ad pios è periculis eripiendos; utrum vero id faciat ordinarie vel extraordinarie in magna aliqua necessitate, non docent. Quod tamen oporteret certo scire, antequam ad eos preces aliquæ dirigerentur. Nam *quicquid fit absque fide est peccatum, Rom.* XIV. 23. Fides autem ut non vacillet revelatione divina niti debet; quæ hic nulla est. Sed præterea quamvis constaret Angelum aliquem custodem semper fidelibus adesse, non tamen deberet fiducia in illum collocari, nec alia deferri quæ Dei solius sunt propria. Contra quæ quam graviter peccent, docet inter alia Jesuitæ Altini libellus de Angelo custode, in quo caput peculiare occurrit de fiducia quam in Angelos nostros custodes reponere tenemur. Consecrant etiam ipsis templa & altaria. Unde in Indicibus suis expurgatoriis jubent istas enunciationes deleri, *Non oportet construere templa Angelis, non ædificamus Angelis templa, Angeli non debent adorari,* & similes.

XIV. Sed turpior adhuc est superstitio quæ erga Sanctorum reliquias exercetur; si tamen certum sit veras Sanctorum esse reliquias: ubi quam multiplices fraudes committantur, docent multorum inter Pontificios cordatiorum, ut Erasmi, Vivis, Wicelii, querelæ. Omnis qui potest iis licite deferri cultus in eo consistit, ut honeste asserventur & sepulcris condantur. Quicquid supra illud fit, superstitione non vacat. Fœdum sane illud est, quod nullum altare exstruunt, sub quo aliquas reliquias non collocent, nimirum ut illas solennes preces, quæ in Missa extant, possint pronunciare, *Oramus te per merita Sanctorum, quorum reliquiæ reconditæ sunt sub hoc altari.* Sed quis possit ferre quod ossa, lac, capillos, veteres vestes & calceos, pluraque ejusmodi, colunt honore qui nequidem Sanctis vivis deferendus esset. Osculantur eas devote (vitro tamen interposito) affricant ad illas rosaria, quasi inde singularem aliquam virtutem hauriant, procumbunt coram illis, invocant & fiduciam reponunt. Nihilque usitatius est in Ecclesia Romana, quam per Sanctorum reliquias jurare. Quod etiam approbat Catechismus Concilii Tridentini, dicens, *Est etiam illud*

illud jusjurandum, cum ad fidem faciendam per res creatas juramus, ut per sacra Dei Evangelia, per crucem; per Sanctorum reliquias & nomen, & cetera id genus. Et ejus rei memorabile habemus exemplum in jurejurando quod Papa ab Imperatore exigit, cum Romam venit ad Imperiale diadema ex ejus manu accipiendum, *Sanctiss.mo Domino nostro, Domino nostro N. Papa divina providentia, ego Romanorum rex juro, per Patrem, & Filium, & Spiritum S. & per lignum vivificæ crucis, & per istas Sanctorum reliquias*, &c. In secundo etiam Concilio Nicæno dicitur, *Adoro, colo & amplector reliquias Sanctorum.* Quo vix major & sublimior cultus concipi mente potest. Bellarminus conqueritur suis cultum reliquiarum falso exprobari, neminem enim unquam audivisse ipsos in precibus aut Letaniis suis dicentes, Sanctæ reliquiæ, orate pro nobis. Quod nos scimus quidem. Sed alia non minus absurda, imo adhuc absurdiora proferri audiuntur. Reliquias enim directe invocant, quasi Christum ipsum alloquerentur, & ab ipsis res petunt quæ nonnisi à Dei solius omnipotentia & gratia exspectari debent. ex. gr. compellant ferrum lanceæ quo latus Christi mortui est perfossum, *Felix hasta, nos amore per te fixi saucia.* Quæ ad Christum directa esse nequeunt, cum hastam illam ab eo quem transfixit aperte distinguant. Item, Veronicam, quæ est linteum, ubi dicunt veram Christi effigiem fuisse impressam, cum mulier Veronica abstersisset ejus sudantis faciem quando crucifigendus abducebatur,

Salve sancta facies nostri Redemtoris,
Impressa panniculo nivei candoris,
Nos ab omni macula purga vitiorum,
Atque nos consortio junge beatorum,
Nos deduc ad patriam, ô felix figura,
Ad videndum faciem quæ est Christi pura,
Horum auge meritum, qui te credunt fane
Illius effigiem qui Rex fit ex pane.

Quæ præcatio tanti fit in Ecclesia Romana, ut Papa Joannes XXII concesserit decem mille dierum indulgentias omnibus qui eam recitarint. Hæc effigies ostenditur Romæ in Ecclesia S.Petri in Vaticano, & tunc Romani qui sunt præsentes obtinent trium millium annorum indulgentias, Itali sex millium, & remotiores 12 millium. Denique, ne plura coacervem, ad lacrymam Christi talem habent orationem, *O lacryma gloriosa, Christi præclarissima, Gemma cæli pretiosa, à Christoque nata, Angelo collecta*, &c. *Interna & externa conserva lumina, Gratia sempiterna corda illumina*, &c. Et ne quis demiretur vulgus eo superstitionis devenire potuisse, Thomas Aquinas, quem vocant Doctorem Angelicum, eis viam præivit, dicens omnia quæ Christi corpus tetigerunt cultu latriæ, qui est supremus, esse afficienda. Et licet velit hunc honorem non terminari in illis creaturis, sed in Deo propter quem coluntur, id tamen nullius est momenti. Nam sub hoc prætextu nihil esset tam vile quod adorari non mereatur. Sic possent adorare asinum quo aliquando Dominus Jesus vectus est, & os Judæ quo ipsum osculatus est, vel reliquias eorum, si superessent.

XV. Sed vix dici potest quam graviter peccent circa imagines. Ubi primum illud est notandum, quod ipsum Deum, contra disertam quam fecit prohibitionem, effigie corporea exprimere non verentur. Nec sufficit ad eos excusandum, quod dicunt, se id non facere ad repræsentandum ejus essentiam, sed tantum apparitiones. Nullius enim creaturæ essentiam pictores aut sculptores efformare possunt; nihil aliud pingunt quam id quod oculis cernitur. Præterea illi repræsentant Deum sub imaginibus in quibus nunquam apparuit; ut quando depingunt S. Trinitatem sub figura senis cum triplici corona vestibus Aaronicis, & viri juvenis, atque columbæ. Et cum Virginis Mariæ effigiem faciunt ita elaboratam ut venter retegi possit, eoque facto, apparet senex ille, & in sinu ejus juvenis exanimatus, spinis coronatus, & clavis confixus, cum columba desuper volitante. Quod horrendum est, & ignaræ plebi ingenerare potest hanc impiam cogitationem, Virginem Mariam esse totius S. Trinitatis matrem. Nec si aliquando Deus apparuit Prophetis in visione, ideo licet eum ita repræsentare. Istæ enim apparitiones fuerunt momentaneæ & spirituales, factæ imaginationi dormientium aut in exstasin raptorum, non sensibus, & viris divinis de voluntate Dei bene edoctis, quos non erat verendum ut iis abuterentur. Sed imagines quas faciunt sunt corporeæ, & pascunt oculos, atque spectandæ in perpetuum proponuntur vulgo imperito, quod inde occasionem accipit aliter longe de Deo sentiendi, quam ejus Majestati conveniat. Quod ad creaturarum imagines, fatemur quidem esse licitas, modo sint honestæ, & ad colendum non proponantur. Si quando vero id fiat, pii Magistratus officium est eas abolere, ne occasionem præbeant idololatriæ; ad exemplum regis Ezechiæ, qui confregit serpentem æneum quem fecerat Moses jussu divino, quia Israëlitæ adolebant ei incensum, 2 *Reg.* XVIII. Et quia videmus circa statuas magis quam circa imagines pictas vulgus superstitionem suam exercere, ab iis plane foret abstinendum, & tabulis esse contentum, in quibus depingerentur non effigies solæ Sanctorum & Sanctarum, sed integræ historiæ sacræ; ubi, si quando opus esse videretur, nomen Dei nubi circumdatum, loco alterius figuræ, scriberetur. Quam fœde vero hac in re peccent Pontificii, omnes vident, & cordatiores inter ipsos conqueruntur, atque emendatum vellent. Patres in Concilio II Nicæno congregati dicunt, *Colo, veneror & adoro sanctas & pretiosas imagines. Anathema dico omnibus iis qui illas non adorant; nec habeo eos pro membris Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ. Illi sunt hypocritæ qui dicunt oportere quidem venerari imagines,*

sed

sed non adorare. Indices expurgatorii volunt deleri has enunciationes, *Imagines sanctorum sunt tantum ut memoriam eorum refricent, Christiani non adorant imagines.* Qui indices ex Concilii Tridentini præscripto, ab Inquisitionis magistris sunt confecti; ita ut Concilio illi tribui jure possit quod isti faciunt, licet adeo crasse non loquatur. Nam & Concilium II. Nicænum approbat expresse, & ita hac de re loquitur, ut appareat superstitionem quæ circa imagines exercetur sibi non admodum displicere. Sancit enim, ut imagines Christi, Deiparæ virginis, & aliorum sanctorum, in templis præsertim habeantur & retineantur, iisque debitus honor & veneratio deferatur; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab iis aliquid sit petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda; sed quoniam honos, qui illis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, &c.

Effigiem Christi dum transis semper honora;
Non tamen effigiem, sed quod designat, adora.

In quo plane conveniunt cum Ethnicis & Israëlitis sub Jeroboamo & ejus posteris, quorum sapientes non aliud senserunt de suis simulacris, quæ signa vocarunt; & tamen merito idololatriæ fuerunt accusati, & quod *dicentes se esse sapientes stulti sint facti,* &c. *Rom.* 1. Quod si excipiatur, Ethnicos virtutem aliquam divinam iis tribuisse; idem quoque faciunt Pontificii quibusdam imaginibus, quas miraculosas vocant, ad quas ex dissitis locis currunt opem quærentes, licet apud se eorundem Sanctorum imagines habeant; quemadmodum videre est in imagine Virginis Mariæ Lauretanæ, ad quam ex universa Europa peregrinationes suscipiuntur, videntibus id & approbantibus Ecclesiæ Romanæ Præsulibus. Inter quos sunt, qui asserant imaginem Jesu Christi adorari debere adoratione latriæ, quæ secundum ipsos summa est & soli Deo debita, ut Thomas Aquinas, Alexander Alez, & Cardinales Bonaventura & Cajetanus. Quorum opinionem rejicit quidem Bellarminus *lib.* 2. *de Imag. cap.* 19. sed ita ut id quod ipse statuit in seqq. capp. non multo sanius sit. Primo enim dicit, Imagines Christi & Sanctorum venerandas esse, non solum per accidens & improprie, sed etiam per se & proprie, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum ut vicem gerunt exemplaris. Secundo, quantum ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum, non esse dicendum imagines ullas adorari debere, sed è contrario non debere sic adorari. Tertio, si de re ipsa agatur, admitti posse, imagines coli posse improprie, vel per accidens, eodem genere cultus quo exemplar ipsum colitur. Quarto, Imaginem per se & proprie non esse adorandam eodem cultu quo ipsum exemplar, & proinde nullam imaginem esse adorandam cultu latriæ per se & proprie. Quinto denique, Cultum qui per se & proprie debetur imaginibus, esse cultum quendam imperfectum, qui analogice & reductive pertineat ad speciem ejus cultus qui debetur exemplari. Habemus ergo confitentem reum, qui rem ipsam sibi objectam non improbat, sed tantum phrasin in allocutionibus ad populum, qui offendi posset. Relabitur enim ad opinionem quam videri voluit improbasse, adeo ut nihil sit discriminis inter ipsum & alios Ecclesiæ Romanæ doctores, nisi quod paulo obscurius loquatur, & idololatriam, quæ circa imagines committitur, terminis intricatioribus quam illi defendat & excuset. Sed quanto magis præstitisset, doctum istum virum candide & aperte rejicere rem, quæ tantum offendiculum fidelibus & infidelibus parit; quam eam solum verbis incrustando, ostendere se non veritatem & honorem Dei serio quærere, sed Ecclesiæ suæ turpitudinem veluti ficulneis foliis tegere.

XVI. Dicamus jam aliquid de cultu crucis; qui refertur vel ad veram crucem, cujus Pontificii jactant se habere incorruptas reliquias, & quidem tanta copia, ut ad non mediocrem navem onerandam sufficerent, quia multiplicatur quotidie, & quantum de isto ligno aufertur, tantundem illico ei accrescit; vel ad ejus imagines, quæ ex omni materia fiunt, ligno, lapide, ære, argento, auro, & gemmis. Quanquam illa in longe majore existimatione quam hæ apud ipsos sit; nempe quia Jesu Christi membra tetigit, & ejus sanguine irrigata fuit; & propterea, ut docet Thomas, digna est quæ latriæ cultu afficiatur. Sed aliæ etiam sunt istius honoris participes. Invocant enim omnes cruces promiscue. De vera dicit iste Angelicus Doctor, *Crucem alloquimur & deprecamur, quasi ipsum crucifixum.* Ubi cum distinguatur crux à crucifixo, non potest locum habere quorundam effugium, in crucis præsentia vel coram cruce Dominum Jesum compellari. Istud vero extendit Cardinalis Cajetanus ad omnis generis alias cruces, dicens, *Et propterea allocutio fit etiam ad crucem in omni materia, & non ad illam tantum in qua Christus pependit.* Nec tantum crucem invocant, sed etiam fiduciam in ea collocant. nulla enim est invocatio religiosa absque fiducia. Idque etiam probat aperte hymnus qui decantatur Dominica in passione, cujus hæc sunt verba, *O crux ave, spes unica; hoc passionis tempore auge piis justitiam, reisque dona veniam.* Quod ad Christum per metonymiam aliquam referri non posse, ostendunt sequentia verba, *Arbor decora & fulgida, ornata regis purpura, electa digno stipite tam sancta membra tangere,* &c. Juramentum est invocationis species. Audivimus autem supra Catech. Concil. Trident. docere licitum esse per crucem jurare: & in juramento quod Papa ab Imperatore exigit dici, *Promitto & juro per lignum vivificæ crucis,* &c. De adoratione res est manifesta. Contendit enim *Thomas*

Aquinas Part. 3. *quæst.* 25. *de cultu imag. cruc. & reliquiar.* veram crucem debere adorari latria, imo etiam quamlibet ejus effigiem. Quod ne quis putet privatam esse hujus Doctoris sententiam, quam alii non probent, notandum est quod Peresius Episcopus Gaditanus dicit, *Omnes fere Scholastici in hoc sunt, quod imago Christi & sanctorum adorari debent eadem adoratione qua & res quæ repræsentantur.* Ideo imagini Christi & signo crucis sanctissimo, in eo quod Christum repræsentant latriæ adorationem deberi affirmant. Nec refert utrum adoratio in signo terminetur, nec-ne. Nam Bellarminus *lib.* 2. *de Imagin. cap.* 30. videtur istud parvi facere, cum dicit; *Pingimus & adoramus crucem etiam sine Christo crucifixo.* Oscula quæ ei deferuntur sunt adorationis testimonia. Sic enim Ethnici devote suorum Deastrorum imagines osculabantur. Et cum objectum quod adorabant procul à se remotum erat, ut Sol, Luna, manum suam osculabantur, & ad ipsum extendebant. Ideoque S. Job, ut ostenderet se ab idololatria esse alienum, dicit, *Si aspiciendo lucem cum splenderet, aut lunam preciosum ambiens, pellectum est in occulto cor meum, & osculata est manus mea cum ore meo, cap.* XXXI. *v.* 26. Indeque ortum est verbum *adoro*, ex manus ad os admotione, sicut & Græcum προσκυνέω, à simplici κυνέω, quod significat osculor. Nihil etiam usitatius inter Pontificios, quam procumbere in genua coram crucibus, quæ multis in locis & viis publicis sunt erectæ, adeo ut quandoque periculo non vacet inadoratas præterire. Præterea virtutes quæ illis tribuuntur, non solidis tantum & materialibus, sed & crucibus quæ manu in aëre signantur, sunt internæ adorationis testes. De quibus consuli potest Bellarmin. loco modo citato, ubi dicit tres esse effectus crucis mirabiles; primo, terrere & fugare dæmones; idque non tantum ex opere operantis, quemadmodum oratio, quæ cum fide fit; sed etiam ex opere operato, sine ulla fide in Christum: secundo, pellere morbos & omnia mala: tertio, sanctificare ea quibus imprimitur. Quæ cum à solo Deo fieri possint, apparet crucibus divinitatem quandam tribui. quod fœdum est & excusari non potest.

XVII. Superstitiones quoque intolerandas exercent circa res consecratas, quas vocant, ut aquam lustralem benedictam, oleum, chrisma, sal, cineres, rosas, enses, & alia ejusmodi multa. Duo tantum in exemplum proponam, videl. Agnos Dei, & cereum Paschalem; ex quibus de cæteris judicium fieri poterit. (De Agnis Dei, vide *Ceremon. Rom lib.* 1. *Sect.* 7. *cap.* 8. *Durand. Ration. lib.* 6. *cap.* 79.) Agni Dei sunt imagunculæ cereæ, figuram agnorum præferentes. Offeruntur Papæ consecrandi primo Pontificatus sui anno in pelvibus argenteis, & postea singulis septenniis; qui multis crucis signationibus, aqua lustrali, balsamo, chrismate, & diversis orationibus eos consecrat, & ut habent expressa verba ceremonialis Romani, baptizat eos. Et per talem consecrationem dicuntur acquirere virtutem occultam adversus grandinem, turbines, tempestates, fulgura, fulmina, tonitrua, morbos, mulierum abortus, & tandem adversus peccatum & potentiam Diaboli atque inferorum; & qui gestant eos secum immunes perhibentur à peste, incendio, naufragio, & omnibus adversis casibus seu infortuniis; docenturque orare ut agnorum istorum veneratione & honore, crimina sua abluantur, peccatorum maculæ deleantur, venia impetretur, & gratiæ spirituales conferantur. Et non obscure sanguini Christi æquantur, ut indicat iste versus, *Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit.* (De cereo vide *Durand. lib.* 6. *cap.* 80.) Cereus Paschalis est lucerna ex cera confecta in festo Paschatis, seu potius in Sabbatho ipsum præcedente; ex quo cum per annum fuit asservatus aliquando conficiunt illos Agnos Dei, de quibus modo diximus; qui proculdubio longe sanctiores & efficaciores esse debent illis qui ex cera nova sunt formati, cum geminæ benedictionis privilegio gaudeant. Antequam vero paretur cereus, omnia luminaria quæ sunt in Ecclesia exstinguuntur, & novus ignis ex petra chalybe percussa excutitur, qui benedicta aqua super aspersa consecratur. Cereus autem iste eadem præstare creditur in Ecclesia Christiana, quæ columna *nubis & ignis* Israëlitis, nocte eos illuminans, & de die adversus Solis ardorem protegens & refrigerans. Et sicut illa columna præcessit populum ad mare rubrum in quo baptizati fuerant, & deinde usque ad terram promissam; ita hic cereus neophytos ad baptismum, & postea in patriam cœlestem deducit. Quod à piis mentibus absque horrore audiri non potest, cum vident lumini externo tribui id quod est proprium Christi, qui verum est *mundi lumen, quod qui sequitur non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ, Joan.* VIII.

XVIII. Sequitur ut de cultu qui Eucharistiæ Sacramento exhibetur etiam aliquid dicamus. Ubi primo dispiciendum est nobis quænam sit publica & communis Ecclesiæ Romanæ super hac re sententia. Quod melius fieri non potest, quam allatis ipsis Concilii Tridentini verbis. Ea sic sonant: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant.* Quorum mens ut bene perspiciatur, attendere oportet ad conjunctionem illativam *Itaque*, à qua incipiunt; quæ hujus materiæ cum præcedenti connexionem ostendit. Ante autem fuit actum de transubstantiatione, seu, ut ipsi loquuntur, totius substantiæ panis & vini in corporis & sanguinis Christi substantiam conversione. Quæ si nulla sit, & in Eucharistia remaneat integra panis & vini

vini substantia, cultum divinum quem se Christo deferre putant, istis elementis nudis re ipsa deferent, & excusare se non poterunt quin vere sint idololatræ. Rem autem esse plane commentitiam multis possemus ostendere, si locus permitteret. Uno verbo dicimus, fieri non posse transubstantiationem in corpus jam existens. Contradictionem enim istud implicat; nec minus est absurdum putare id quod est rursus fieri, quam id quod non est destrui posse. Quin autem corpus Christi existat nemo inter ejus discipulos dubitat. Cui adde, sensus omnes testari, nullam fieri substantiæ panis & vini conversionem. Manent enim qualia erant ante, etiam post verba consecrationis, per quæ dicunt eam fieri, pronunciata; nemoque est qui in illis mutationem ejusmodi esse factam animadvertere queat. Testimonio autem sensuum fides derogari non potest, quin simul in dubium revocetur Christiana religio, cujus præcipuus & fundamentalis articulus, nempe Christum à mortuis suscitatum fuisse, inde probatur, quod Apostoli constanter usque ad mortem asseverarint, se eum redivivum vidisse, & cum eo versatos esse. Nam si sensus bene se habentes falli queunt, incertum est illud de quo testati sunt. Fundamento igitur cui Pontificii divinum Eucharistiæ cultum inædificant collabente, ipsum quoque corruere necesse est tanquam illegitimum, & nulla solida ratione nixum. Non negamus tamen Dominum Jesum in Eucharistia esse adorandum. Isto enim fine illam instituit, ut ipsi pro beneficiis ad nos ex ejus morte redundantibus publice in cœtu fidelium gratias agamus: quod absque adoratione fieri non potest. Sacra etiam symbola panis & vini magna cum reverentia sunt tractanda; nam qui indigne illa usurpat reus est corporis & sanguinis Domini, & sibi judicium manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini, 1 *Cor.* XI. nempe quod injuria afficit irreverenti signorum sumtione. Sed Pontificii hoc non sunt contenti. Volunt enim ipsum Sacramentum, tanquam in quo Christus corporaliter sit præsens, à nobis cultu divino affici. Sacramentum autem est panis fractus, & vinum fusum, quibus mors Jesu Christi adumbratur: vel (si Pontificiorum sententiam recipere velimus) panis & vini accidentia; non Christus ipse: quamvis enim illic esset corporaliter præsens, non tamen foret Sacramentum; quia nihil est sui ipsius signum & repræsentatio. Quare cum jubent cultum latriæ exhiberi Sacramento, non possunt effugere, quin fateantur se velle creaturam aliquam, (sive panem & vinum, sive illorum species & accidentia) honore divino esse colendam. Quanto autem viliores sunt hæ creaturæ & hujusmodi cultu indignæ, tanto fœdior est eum ab homine, qui est Dei imago, exerceri. Quare Jesuita Costerus fatetur in Enchiridio suo, *nullam unquam visam aut auditam fuisse in universo mundo idololatriam similem ei quam Ecclesia Romana committeret, si verum Jesu Christi corpus in Eucharistia Sacramento non contineretur.* Nemo autem inter Pontificios potest hac de re esse certus. Statuunt enim ad Transubstantiationem requiri Sacerdotis consecrantis intentionem. Ea autem est incognita omnibus hominibus, qui non sunt καρδιογνῶσαι. Unde sequitur, eos omnes qui adorant Eucharistiæ Sacramentum incertos esse debere, utrum id quod adorant sit Christi corpus vel frustum panis. Cum igitur Christus hanc adorationem non præceperit, longe præstat ab ea abstinere, quam in periculum idololatriam committendi se conjicere. Neque enim adoratio debet fieri sub conditione, ut si quis diceret hostiæ quam Sacerdos extollit in Missa, Adoro te si tu sis Christus; quod tamen voluit Papa Adrianus VI. Talis enim adoratio non esset facta in fide, nec proinde grata Deo. Probabile est autem, plurimos Sacerdotes inter Pontificios non habere intentionem, transubstantiandi panem & vinum Eucharistiæ in corpus & sanguinem Christi: quia plurimi sunt qui non credunt se id posse facere. Nemo autem mentis compos potest habere intentionem id faciendi quod credit esse impossibile. Imo, quod amplius est, nequidem Sacerdos ipse, qui talem habet intentionem, & credit se vere panem & vinum in corpus & sanguinem Christi transmutare posse, certus esse potest de ista transubstantiatione, nisi certo sciat se esse vere Sacerdotem. Id autem scire nequit; quia ad conferendum Sacerdotii gradum, sicut in aliis omnibus Sacramentis, requisita est conferentis intentio. Sacerdos autem non potest scire utrum Episcopus qui ipsum consecravit illam habuerit. Quin etiam neque Episcopi, neque Papa ipse possunt esse certi se esse Christianos; quia credunt neminem fieri Christianum, nisi per Baptismum. Ignorant autem, an qui baptizavit eos habuerit intentionem verum Sacramentum ipsis administrandi. Proinde cum sunt ad Ecclesiasticas dignitates promoti, nesciunt an vera Sacramenta aliis conferant, imo nequidem de sua salute sunt certi, ad quam & veritatem Baptismi, & absolutionis in Sacramento pœnitentiæ, requisitam esse credunt. Adeo ridiculum istud commentum omnia apud Pontificios incerta & suspensa tenet. Cum autem cultus iste Eucharistiæ exhibitus tam sit absurdus, tamen id præcipue quadrat in eum, qui ipsi defertur cum gestatur per plateas ad ægrotos, aut in processionibus; qualis est illa quæ fit quotannis in festo Sacramenti corporis Christi, decem post Pentecosten diebus; quæ satis novitiæ est inventionis, utpote instituta demum anno Christi 1264 ab Urbano IV, hortatu cujusdam monialis Evæ, ex agro Leodiensi. Non est enim verum Sacramentum, nisi in legitimo usu, qui est ut panis & vinum sumatur à fidelibus in commemorationem mortis

 Christi,

Christi, non vero ut ita ad ostentationem circumferantur; in quo ne umbra quidem superest primæ illius institutionis ab Euangelistis nobis descriptæ.

XIX. Ultima divini cultus circa creaturas in Ecclesia Romana exerciti species est ea qua Papa afficitur. Statim enim atque novus aliquis Papa à Cardinalibus electus est, defertur ipsorum manibus super altare, & ibi ab omnibus in genua procumbentibus suppliciter adoratur; prout illud descriptum habemus in *libro Sacrarum ceremoniarum, lib. 1. sect. 1. cap. 6.* (Imponunt novo Pontifici pluviale rubeum pretiosum, & mitram auro & gemmis ornatam; illumque sedere faciunt super altare, cui Cardinales omnes reverentiam exhibent per ordinem, pedes, manus, & os osculantes) & testatur historia aliquot recentiorum Pontificum scriptis publice mandata. Unde vulgatum illud apud ipsos usitatum, *Eamus ad adorationem.* Nec potest excusari iste cultus, dicendo eum civilem esse, non religiosum. Non enim solent super altare extolli Reges aut magnates hujus mundi, qui civiliter à subditis adorantur. Quippe ille est locus supremæ adorationi divinæ destinatus; ut apparet ex eo, quod sub lege sacrificia uni supremo Deo supra altare offerebantur; & quod inter Pontificios hostia Eucharistica, quam pro Deo habent, supra altare collocata adoratur. Legimus quidem in historia Romana quosdam Imperatores voluisse Deos appellari, & sibi templa & altaria exstrui, pedesque suos, ut Papa quotidie facit, ad osculandum porrexisse; quales fuerunt Caligula & Domitianus; quorum ille etiam jusserat statuam suam in templo Hierosolymitano collocari: sed non fuerunt supra altaria deportati ut ibi adorarentur. Cui adde, quod neque Ethnici ipsi, idolis adorandis assueti, hanc suorum Imperatorum superbiam æquo animo ferre potuerunt. Quidam nuperus scriptor Pontificius, ut colorem aliquem isti rei det, sic loquitur, *Exprobrant nobis in ordinatione Papæ ipsum supra altare collocari, ut instar Christi adoretur. Sed collocatur supra altare, ut inde discat se debere esse simul & Sacerdotem & victimam, & seipsum pro suo grege ad exemplum Christi sacrificare, & colitur supra altare tanquam hostia quæ pro nobis se tenetur immolare, quemadmodum sancti in Paradiso adorant Agnum occisum ab origine mundi.* Qua in re Papa Christo plane exæquatur, qui est Sacerdos & victima pro peccatis nostris, & quem Sancti in cœlo tanquam agnum occisum adorant, *Apocal.* v. Eoque ab iis respici docet *Ceremoniale Rom. l. 1. Sect. 1. cap. 3.* ubi agens de Cardinalibus qui Papam eligunt, dicit esse *collegium 24 Senatorum ex Presbyteris & Diaconibus Romanæ urbis, instar 24 seniorum, quos Agnus Dei Christus salvator, in Apocalypsi Joannis astantes habere perhibetur.* Sed in eo solo non consistit honor divinus Papæ delatus. Longe plura habemus ejus testimonia. Vocatur enim à suis, Princeps supremus Monarchiæ Christianæ, Et *Stapletonus*, Jesuita Anglus, *Præfat. in suum librum de Principiis doctrinæ fidei*, vocat Gregorium XIII supremum, plane supremum in terris numen. Tribuitur ei quod Sapientia Dei de se dicit *Proverb.* VIII. Per me reges regnant. Et imponitur supra ipsius caput triplex corona aurea, multis gemmis magni pretii interstincta, ad significandum triplex imperium quod sibi arrogat, nempe in cœlo, in terra, & in inferis. Ubi tamen non satis certum est, utrum per inferos intelligat purgatorium, an vero gehennam; cum ex illo liberare dicatur, ex hac vero non itidem. Imo aperte satis vocatur Deus à suis adulatoribus. Sic enim legimus in *Decreto Gratiani, distinct. 96. Satis evidenter ostenditur à seculari potestate nec solvi prorsus, nec ligari Pontificem, quem constat à pio Principe Constantino Deum appellatum*, &c. Quod tamen falsum est. Constantinus quidem in Concilio Nicæno omnes præsentes Episcopos alloquens, iis dicebat, Vos estis dii. Sed nunquam istud speciatim de Romano Episcopo protulit. Et quamvis id fecisset, nullum tamen jus daret Papæ. Verba enim *Psal.* LXXXII. ad quæ respexit, non agunt de Pontificibus, sed de Principibus & Magistratibus; quibus in genere Scriptura aliquoties nomen Dei tribuit, sed nunquam huic aut illi. Nusquam enim legimus Deus David, aut Deus Ezechias. De Mose tantum Deus dicit, *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus, Exod.* VII. Unde apparet, quam male in Decreto dicatur, Papam à nullo homine posse judicari; cum esset subjectus dominio Imperatorum antequam Romam usurpasset, & ea quoque ab ipso, tanquam injusto possessore, jure possit repeti. In porta urbis Tolentinæ in Italia hæc inscriptio legitur, *Paulo* III *optimo Maximo in terris Deo.* Et in Concilio ultimo Lateranensi de Papa dicitur, *Est universis populis adorandus, & Deo simillimus.* Quod ne accipiatur de adoratione civili, impedit citatio verborum *Psalmi* LXXII. statim subjecta, *Adorabunt eum omnes Reges terræ*: nempe Jesum Christum, ut omnes Christiani interpretes exponunt. Quin etiam major defertur Papæ honor quam hostiæ Eucharisticæ, cum Papa equitat in Pontificalibus. Qua de re operæ pretium erit audire *Ceremoniale Rom. lib. 1. Sect. 12. cap. 1.* (Vide & *Cerem. lib. 1. Sect. 2. cap. 3. De consecratione novi Pontificis.*) Si Romanus Pontifex velit de loco ad locum in solenni pompa, id est Pontificalibus, equitare, hic ordo servetur. Primi equitabunt valisarii Cardinalium cum familiis ipsorum & aliorum prælatorum. Tum per ordinem sequuntur tonsor & sartor Papæ cum valisiis rubris in quibus sunt vestes Pontificis, familiares & scutiferi Papæ, nobiles & barones minores. Scala Papæ lignea panno rubro cooperta, quam equus albus phaleratus portat. Scala ista quæ tres gradus continet

equo

„ equo Pontificis apponitur, per quam equum „ suum ascendit, si equitat, deinde reponitur super equum. Post scalam equitant XII cursores „ Papæ cum vexillis rubris; inde vexilliferi viri nobiles cum vexillis civitatis. Deinde XII equi albi phalerati freno ducentur sine sessoribus. Tum „ quatuor nobiles portantes quatuor pileos ex cramesino supra baculos quosdam mensuræ trium „ aut 4 palmorum. Hi scutiferi honoris vocantur. Incedunt post hos procuratores regum, „ principum, advocati, secretarii. Post cubicularii & auditores rotæ. Inde proceres, & barones „ majores, & oratores regum & principum. Inter quos omnes senator præcipuum locum tenebit, cedetque tantum oratori Cæsaris. Subdiaconi Apostolici postea equitabunt cum rochettis & cappis, & ille qui fert crucem Papalem pileum in capite gestabit ab extra nigro panno, „ ab intus serico cum cordulis & mappulis cærulei coloris. Ante crucem duo magistri ostiarii „ cum suis virgis sericis. Immediate incedent „ post crucem duodecim pedites, qui accensa funalia deferent: & juxta hos equitabunt duo „ Clerici capellæ, laternas duas argenteas præsentes, in quibus candelæ perpetuo lucent. Ducitur post hos equus albus phaleratus, mansuetus & pulcher, cum tintinnabulo ad collum „ bene sonante, qui capsulam vehit cum sacratissimo Christi corpore; supra quod cives nobiles portabunt baldachinum. Post Sacramentum Sacrista Apostolici Palatii cum suo habitu „ & baculo in manu equitabit, & post eum si quis „ aderit Princeps qui in scamno Cardinalium sedeat. Præcedent deinde Cardinales Diaconi, „ Presbyteri, Episcopi. Duo tantum antiquiores Diaconi Pontifici semper assistunt, & ante „ eum immediate incedunt. Procedet deinde Pontifex cum pluviali & mitra pretiosa, sive cum „ regno, id est tiara triplici corona ornata, vectus „ equo albo, sive sella, sub baldachino. Equum „ fræno ducent primum majores principes, deinde „ alii inferiores. Sellam humeris etiam à principio „ principes & alii portabunt. Post Pontificem cubicularii duo secreti, & inter eos Diaconus rotæ qui servit de mitra cum habitibus suis sequuntur. Inde duo Medici cum Secretario Papæ, si non est Prelatus. Consuevit inter hos equitare Eleemosynarius Papæ, & aliquando, cum „ videt pressuram circa Pontificem, spargere pecunias. Deinde serviens armorum firmatus omnibus armis præter galeam equitat portans umbellam crocei rubeique coloris. Aliorum autem „ servientium armorum cum suis argenteis baculis pars equitat ante crucem, alii vero discurrunt per pompam sursum & deorsum curantes „ ut pompa ordine procedat; parafrenarii & cursores turbam semoventes, & custodes corporis „ cum baculis Pontificis pedites circumstant. Post „ umbellam sequuntur Prælati cum suis cappis „ amplis & pileis: primum Patriarchæ si qui adsunt, tum assistentes Papæ Oratores, Prælati, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates; postremo Curiales togati mixtim pompam „ claudunt. Ex qua narratione duo animadverti possunt, 1. Nulli unquam Regi aut Principi terreno tantum honorem fuisse delatum atque Papæ. 2. Multo majorem Papæ in ista pompa, quam Eucharistiæ reverentiam exhiberi. Et cum Papa personaliter missam celebrat in Natali Christi, idem etiam observare licet, *lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 14. Adde ex eodem Ceremoniali *cap.* 2. *lib.* 3. Quod Pontifex Romanus nemini omnino mortalium reverentiam facit neque Imperatori, neque Regibus, quos ad osculum pedis, manus & oris admittit sedens: nisi quod Imperatori aliquantulum assurgit cum osculatur os, & aliquando idem facit magnis regibus.

XX. Expositis superstitiosis istis cultibus, qui in Ecclesia Romana creaturis deferuntur, superest ut videamus, an propterea merito accusari possit idololatriæ, & quidem ejus quæ absque ulla spe veniæ è regno cœlorum excludat. Quem in finem breviter omnes ejus supra enumeratæ species nobis erunt resumendæ. Prima est cultus qui Sanctis mortuis defertur, ubi mentionem non faciam vulgi, (cujus tamen peccata imputari possunt Pastoribus, si ipsius superstitiones eo quo tenentur fervore zeli non redarguant. De quo *Lud. Vives in Comment. suis in Augustinum de Civitate Dei lib.* 8. *cap.* 27. dicit, *Multi Christiani in re bona plerumque peccant, quod divos divasque non aliter venerantur quam Deum. Nec video in multis quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis, & id quod Gentiles putabant de diis suis.* Quod præsertim quadrat in cultum qui B. Virgini Mariæ defertur. Non ausim tamen illum æquiparare cultui Dæmonum qui obtinuit inter Ethnicos. Sancti enim viri, & qui pro testimonio veritatis mortem subierunt, ea qua supra diximus veneratione sunt digni. Sed Dæmones, Dei & piorum jurati hostes, execrationi omnibus esse debent. Longe ergo abominabilior fuit hæc Ethnicæ idololatriæ species, quam ea quæ circa Sanctos mortuos in Ecclesia Pontificia exercetur. Præterea ii qui concedunt Sanctos istos jam in animabus suis esse glorificatos, visioneque Dei beatifica in cœlis frui, & pro viventibus in terra preces apud Deum fundere (quod vulgo faciunt Protestantes) non videntur adeo debere improbare, si alii longius progressi ad Sanctorum opem confugiant, & rogent ipsos ut quod sponte jam faciunt pro mortalibus in genere consideratis, id pro se in specie & suis necessitatibus facere non dedignentur. Sed quicquid sit de hac opinione, quæ speciem aliquam præbet cultui qui defertur sanctis mortuis, veluti id quod credunt Judæi de astris, ipsa rationali anima esse prædita, fundamentum fuit cultus quem majores eorum ipsis exhibuerunt; certum est Pontificios sanctis proprietates & potentiam divinam tribuentes, licet à Deo acceptas, ac proinde

proinde ei ſubordinatas, aliquid idololatriæ valde affine committere. Quod qua ratione Deus ſit vindicaturus in iis qui ex ignorantia faciunt, ipſi ſoli relinquendum eſſe puto, nec facile quicquam in alterutram partem, id eſt vel abſolutionis vel condemnationis, pronunciandum. Illi vero qui hac in re contra conſcientiam peccant, aut alios ad peccandum incitant, quales ſunt nonnulli ex Paſtoribus, qui norunt quam ea ſit mala & verbo Dei adverſa, ſuam proculdubio ferent condemnationem.

XXI. Angelorum cultus majori cum ſpecie poſſet excuſari, quos à piis ſub Vet. Teſt. adoratos fuiſſe conſtat, niſi improbatus eſſet à Paulo *Coloſſ.* II. 18. *Nemo vos ſeducat volens in humilitate* καὶ θρησκείᾳ Ἀγγέλων, id eſt *cultu* vel religione *Angelorum*. Quem exhibent Angelo cuſtodi, nititur incerto plane fundamento, quaſi aliquis talis omnibus perpetuo adſit; de quo ex Scriptura nihil conſtat. Loca enim quæ innuere illud aliquomodo videntur, de piis tantum agunt, non de omnibus hominibus, quos tamen indifferenter ad Angelum ſuum cuſtodem invocandum hortantur: qui ſi aut nullus ſit, aut præſens non ſit, indubium eſt quin iſta in re ſuperſtitio ad idololatriam accedens committatur.

XXII. De reliquiis Sanctorum, idem fere quod de Sanctis ipſis ſentiendum eſſe exiſtimo; niſi quod in illis majores ſint abuſus, propter reliquiarum incertitudinem, aut etiam manifeſtas fraudes. Quicquid afferant ad excuſandum imaginum cultum, certum eſt ipſos non eſſe extra gravem culpam. De columnis Eccleſiæ Pontificiæ id præcipue intelligo, qui cum norint quam is ſevere prohibitus ſit à Deo, non tamen dant operam ut aboleatur, ſed contra defendunt, & occaſionem præbent plebi divinum mandatum tranſgrediendi. Et ut iſtud non animadvertat, in recenſione præceptorum Decalogi omittunt illud quod eſt de imaginibus. Quod fit in Officio B. Virginis, Catechiſmis, & aliis libellis in locum S. Scripturæ, à qua laïcos arcent, ſubſtitutis. Non me latet multos eſſe in Eccleſia Romana qui ipſi in cultu imaginum non peccant; ſed tamen quia non proteſtantur aperte adverſus abuſum iſtum, quem quotidie coram oculis ſuis committi vident, non ſunt plane immunes à culpa. Neque cæteri, qui imagines colunt, excuſabiles ſunt, dicendo, ſe id non facere propter ipſas, quas ſciunt tali honore eſſe indignas, ſed in gratiam eorum qui repræſentantur, qui ſui cultus ſint objectum & terminus. Quia Deus ipſe in verbo ſuo his ſuperſtitionis integumentis obviam ivit, & diſerte improbavit, ſupra quem ſapere velle eſt manifeſte deſipere. Idem judicium ferri debet de cultu crucis & rerum conſecratarum, viribuſque divinis quæ iis attribuuntur. Vix enim major animo fingi poteſt ſuperſtitio quam quæ circa illas exercetur, adeo ut videantur rationi nuntium remiſiſſe qui ſe illa fœdant. Sed quia propter Deum ſe id facere profitentur, qui tali res iſtas virtute donaverit, (licet nullas aſſertionis ſuæ idoneas imo neque probabiles rationes afferant) non puto pro illa idololatriæ ſpecie habendum, qua Deus alienus loco veri colitur. In ſumma, qui veritatem norunt, ab ejuſmodi ſuperſtitionibus diligenter ſibi cavere debent, ne Deum offendant, tardi tamen eſſe in judicando de imperitis qui eas exercent.

XXIII. In cultu Euchariſtiæ aliquanto major eſt difficultas. Si Sacramentum, ſecundum Concilii Tridentini præſcriptum, latria afficiatur, vix iſtud excuſari poteſt à crimine idololatriæ, & quidem ſupremæ, quia falſus Deus in locum veri ſubſtituitur. Nam quod tranſubſtantio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti antea facta ei prætexitur, nihil eſt. Scimus id prodigioſum eſſe errorem, quo turpis idololatria circa panem & vinum exercita velatur. Antea autem audivimus celeberrimos Doctores confitentes, ſi tranſubſtantio nulla ſit, cultum qui Euchariſtiæ defertur eſſe vere idololatriam. Ita ut proprio ore ſint damnati. Sed quia in Concilii Tridentini Canonibus non feriuntur anathemate, qui non adorant Sacramentum, ſed, qui dicunt in Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium cultu latriæ non eſſe adorandum, videtur adhuc aliqua porta patere ad elabendum. Nullus enim eſt Chriſtianus, qui neget Chriſtum in hujus ritus celebratione cultu divino eſſe afficiendum. Nos ipſi cum ad Sacram Synaxin accedimus eum adoramus, & invocamus, eique cum Patre pro noſtræ redemptionis per ipſius mortem beneficio gratias devote agimus. Vulgo autem in Concilio Tridentino diſtinguunt explicationem doctrinæ à Canonibus; ad his ſubſcribendum omnes ſub anathematis oppoſiti pœna obligari, ſed non ad illam approbandum. Satisfieri itaque poſſe hujus Concilii intentioni, ſi modo Chriſtus ipſe in Euchariſtia adoretur, & Sacramentum, ſive id ſit panis & vinum, ſive eorum tantum ſpecies & accidentia, pro Symbolo præſentiæ ejus habeatur, veluti arca fœderis olim in tabernaculo, coram qua Iſraëlitæ procumbere ideo tenebantur. Hac ſe defendunt ratione cordatiores inter Pontificios, qui ad tranſubſtantiationis abſurditatem aut ſaltem incertitudinem paulo propius attendunt; & ſe unicum Jeſum Chriſtum, cui omnis cum Patre honor & gloria debetur, in Euchariſtia adorare profitentur. Neſcio tamen an iſti homines ſatis religioſi ab aliis exiſtimentur. Sed quicquid de eo ſit, contentus eſſem, dummodo mihi permitteretur adverſus tranſubſtantiationis dogma aperte proteſtari, & dicere me in Euchariſtia ſolum Jeſum Chriſtum Dominum meum & Salvatorem adorare. Talis enim actio nihil amplius idololatriæ affine haberet, nec quemquam pium merito offendere poſſet. Quod ſi ab Eccleſiæ Roma-

Romanæ rectoribus obtineretur, magna ad Schismatis quo Ecclesia Christiana in partes inimicas scinditur, sanationem præparatio esset facta, & forsan non adeo difficile foret de reliquis convenire.

XXIV. Superest Romani Pontificis cultus, quem miror quomodo illi, quibus aliquid est adhuc bonæ mentis, admittere non exhorrescant. Si Petri successores, ut jactant, se esse meminissent, puderet ipsos coram se prostratos videre alios ad oscula pedibus suis figenda. Et quemadmodum ille se erga Cornelium Centurionem gessit, protinus erigerent eos & dicerent, *Surgite, Et ego ipse homo sum*, *Act.* x. 25. 26. Cogitarent etiam, quomodo ira Dei exarserit adversus Herodem Antipam, qui longe minus, quam ipsi ordinarie solent, semel peccaverat. Nam cum aliquando dum concionaretur ad populum, acclamaret adulatorie populus, vox Dei, & non hominis; illico eum percussit Angelus Domini, eo quod non tribuisset gloriam Deo, & erosus à vermibus animam efflavit, *Act.* XII. 21. Sed quia ejusmodi judicia quotidie non conspiciuntur, nemo illa metuit, cum tamen ad aliorum institutionem literis sint consignata, ne quis simili modo peccet. Quamvis ergo illi non sint extra culpam, qui ita fœde se ad Pontificis Romani pedes abjiciunt, ille tamen longe se graviori scelere obstringit, qui cultum majorem homine non repudiat.

XXV. Ex quibus omnibus simul junctis videre est, justissimam nos habere causam de Ecclesiæ Romanæ multiplicibus superstitionibus conquerendi, & ab ejus communione abhorrendi, quamdiu illas emendare pertinaciter, spretis omnibus monitionibus, recusat. Quicunque enim scientes Dei voluntatem eis participant, non effugient ejus judicium. Non est necesse hic anxie inquirere, an idololatriæ illius capitalis, qua falsus Deus pro vero colitur, sit rea. Sufficit si ea peccato isti sit affinis, ut cum illa communicare vereamur. Nam etiam ab omni specie mali abstinere nos vult Apostolus 1 *Thess.* v. 22. Quanto magis ab eo, quod malum omnino esse constat, licet de gradu malitiæ disputetur? Nolim quidem Ecclesiam istam idololatriæ Ethnicæ accusare, multoque minus suadere ut adversus eam usurpentur Mosaicæ leges de idololatria Cananæorum una cum idololatris exscindenda, ut quidam præposteri zelatores hodie faciunt; non considerantes in se multa etiam jure culpari posse adversus Dei legem perpetrata, quæ nollent summo jure & absque misericordia contra se vindicari. Sed puto eam merito conferri posse cum decem tribubus Israëlis, quæ sub Jeroboamo defecerunt à domo Davidis, & verum Dei cultum deseruerunt, seque coram vitulis ab ipso in Dan & Bethel erectis prostraverunt, habentes eos pro imaginibus Dei, qui majores suos è servitute Ægyptiaca liberaverat. Quos quidem Deus noluit exscindi, aut bello oppugnari, secundum leges adversus idololatras terræ Canaan latas; sed tamen sæpe per Prophetas suos testatus est quantopere cultus iste sibi displiceret, & cum videret in eo sine pœnitentia perseverare, tandem in captivitatem abduci permisit, & toto orbe in judiciorum suorum in contemtores legis exemplum dispersit. Eademque sors futura est, si non gravior, propter majorem Euangelii lucem, eorum qui Pontificiæ Ecclesiæ superstitionibus adhærent. Quibus tandem hoc colophonis instar accedit, quod bene monentes aut secum peccare nolentes, oderunt & crudeliter persequuntur, & sic idololatriæ & superstitionum suarum crimen immani tyrannide adeo aggravant, ut nihil aliud præter horrendam Dei vindictam, nisi mature resipiscant, expectare possint.

CAPUT XX.

De cultu Jesu Christi Mediatoris.

I. *Status controversiæ de cultu Christi Mediatoris.* II. *Cultus hic evincitur ex titulis divinis Jesu Christo Mediatori tributis, nam Dei & Filii Dei.* III. *Et Domini nostri.* IV. *Ex loco Philipp.* II. 9. 10. 11. V. *Ex variis locis quibus exaltatio ejus describitur, Eph.* 1. *Hebr.* 2. *&c. & quia Pontifex noster est, Hebr.* 4. VI. *Ex eo quod fiduciam in eum collocare tenemur.* VII. *Ex Eucharistia.* VIII. *Ex Apoc.* 5. IX. *Occurritur objectioni ex Esa.* 42. *quod Deus gloriam suam alteri non sit daturus.* X. *Et ex Jerem.* 17. *quod maledictus sit qui in homine confidit.*

I. QUanquam autem merito, ut ex ante dictis constat, omnes creaturas à cultu divino excluserimus, hoc tamen ad Jesum Christum Dominum nostrum, Dei & hominum Mediatorem, nequaquam est referendum. Ille quidem qua homo est, creatura est etiam; sed ratione divini hujus muneris longe supra reliquas omnes creaturas eminet, & dignus est quem honore divino prosequamur. Quod nobis nunc probandum est adversus eos, qui hunc ipsi honorem invident, & idololatriæ non verentur accusare nos quod eum ipsi deferamus. Dicunt quidem se libenter adorare, & cultu divino afficere Jesum Christum qui Mediator est, quia Deus est, unius cum Deo Patre suo essentiæ, sed non qua Mediator est, & propter hoc munus quod olim exercuit in terris, & adhuc in cœlo ad dextram Dei Patris exaltatus exercet. Quod perinde est, ac si aliquis diceret, se honorare regem qui proceræ est staturæ, ex. gr. Saulem; nam satis appareret ipsum non propter staturam honorare Saulem, sed quia Rex est. Ita se ergo isti homines erga Christum Mediatorem gerunt, ut officium Mediatoris non ingrediatur in rationem cultus quem ei exhibent. Qua in re videntur mihi directa fronte adversus Sacras literas pugnare, quæ istud suadent, & habent multos fratrum suorum qui veritatem hanc agnoscunt sibi adversos.

II. Pri-

II. Primum ergo observandum est titulum istum sublimem Dei & filii Dei, Christo etiam ratione muneris sui Mediatorii convenire. Nam cum Judæi dicerent se velle ipsum propter blasphemiam lapidare, & quia cum homo esset, seipsum faceret Deum: Respondit eis Jesus, *Nonne scriptum est in lege vestra*(nempe *Psal.* LXXXII. *v.* 6.) *quia Ego dixi, dii estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas; quia dixi, filius Dei sum? Joan.* X. 30. *& seqq. octo.* Hic manifeste apparet Dominum Jesum ratione muneris, propter quod à Patre fuerat sanctificatus & in mundum missus, se vocare filium Dei & Deum, & dixisse illa verba, *Ego & Pater unum sumus*; unde Judæi occasionem sumserunt ipsum tanquam blasphemum lapidandi: Et postea adjecisse, *Pater in me est, & ego in Patre.* Idem quoque ostendit Apostolus, dicens, *Christus non glorificavit seipsum ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu; ego hodie genui te, Hebr.* V. 5. 6. ex *Psal.* II. 7. Ubi etiam luce clarius apparet, Jesum Christum ratione Sacerdotalis muneris quo fungitur nunc in cœlis, in novam vitam à Deo suscitatus & glorificatus, filium Dei appellari. Quidni igitur honore divino, tanquam unigenitus Dei filius, censeretur esse dignus?

III. Eadem quoque est ratio tituli istius sublimis, videl. Domini nostri, quo Jesum Christum vulgo compellamus. Ideo enim est noster Dominus, quia nos sanguine suo à tyrannide peccati & mortis redemit, & in peculium sibi acquisivit. *In hoc*, ut Paulus ait, *Christus & mortuus est & resurrexit, ut & mortuis & vivis dominetur, Rom.* XIV. 9. Et Petrus, *Certissime sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos crucifixistis, Act.* II. 36. Si factus est Dominus post crucifixionem & mortem, ergo ratione muneris sui Regii, & potestatis sibi in cœlo & terra datæ, *Matth.* XXVIII. 20. Et in Apocalypsi, Is qui Joanni apparuit veste aspersa sanguine indutus, & cujus nomen vocatur Verbum Dei, paulo post dicitur habere in vestimento & in femore suo scriptum, *Rex regum & Dominus dominantium, cap.* XIX. 13. 16. Si Dominus est cœlestis & supremus, quidni etiam honor tali sublimitati conveniens ipsi deferatur? Idque sibi vult ipse Christus cum dicit, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium sicut honorant Patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem qui misit illum, Joan.* V. 22. 23. Quod ne quis intelligat de honore qui ei naturæ divinæ respectu debetur, (quanquam hæc verba, *qui misit illum*, nempe ad exercendum Mediatoris munus, hunc sensum non ferant) sequentia clare obstant; *Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso*, (id est potestatem dandi vitam æternam omnibus credentibus in se) *& potestatem dedit ei etiam judicium facere, quia filius hominis est, v.* 26. 27. Quod idem est, ac si dixisset, Dominum eum fecit, quia filius hominis est, ac proinde ratione muneris Mediatorii quod ut homo exercuit. Quis autem ausit negare coram Domino tanto, qui judex vivorum & mortuorum est constitutus, & unicuique secundum opera sua aliquando rependet, omne genu flecti debere? Vide etiam *Act.* XVII. *v.* 31. *Deus statuit diem quo juste judicaturus est orbem terrarum, per eum virum quem desinivit, fide facta omnibus, illo a mortuis excitato.* Quod etiam in Jesum hominem & Mediatorem proprie quadrare verba satis ostendunt.

IV. Sed quid evidentius est hoc Pauli testimonio, *Humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est supra omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus, ad gloriam Dei Patris, Philipp.* II. 8. 9. 10. 11. Ubi series verborum, & conjunctio causalis, *Propter quod*, adeo manifeste evincit ista omnia de Christo homine, & ratione muneris Mediatorii quod exercuit esse intelligenda, ut mirum sit aliquos adhuc subterfugia hic quærere. Is qui humiliavit seipsum est homo. Nam Deus altissimus semper talis manet, nec se unquam humiliare potest, (quod idem esset ac Majestatem suam abnegare) etiamsi aliqui id ridicule sint imaginati. Sed si superesset aliquod dubium, id sequentia immediate verba tollere deberent, *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: quæ nemo mentis compos ad Deum altissimum retulerit. Nam quod nonnulli per communicationem idiomatum, quam vocant, istud ei attribuunt, id nomine tenus & figurato loquendi genere fit, non proprie; alias Deus passioni & morti foret obnoxius; quod omnem absurditatem superat. Is ergo qui obediens factus est usque ad mortem, ille ipse est qui propterea à Deo (nempe Patre) exaltatus est, & donatus nomine quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, &c. Quæ verba aliud significare non possunt, nisi honorem vere divinum, quem Deus Pater vult filio suo ut humani generis Salvatori per mortem suam deferri. Sed iste honor, inquiunt, non est supremus; major enim adhuc debetur Deo. Ita est. Nam honor qui exhibetur Christo, ad Dei Patris gloriam refertur; qui ista filii sui exaltatione gloriam supremæ potestatis manifestavit. Sed id non impedit, quominus honor qui ipsi exhibetur sit vere divinus, licet ei quo Patrem, ut omnis divinitatis fontem, & eatenus filio majorem, prosequimur, sit subordinatus. Quod etiam agnoscere tenentur ii cum quibus nobis res est, qui duo tantum cultus seu adorationis genera vulgo admittunt, nimirum civilem & religio-

religiosam. Non enim, ut opinor, dicturi sunt adorationem illam esse civilem, qua omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum, in nomine Jesu flecti tenetur. Ergo necesse est ut fateantur religiosam esse, sed tamen ad Dei Patris gloriam relatam; nimirum ut Christum honorando, magis adhuc honorent illum qui tantam ei contulit gloriam & potestatem, ut propter illam dignus sit qui ab omnibus creaturis colatur. Vide etiam in hunc locum quæ docte ab Erasmo, Calvino, & Piscatore annotantur.

V. Magnum etiam est robur in his ejusdem Apostoli verbis, *Secundum operationem virtutis ejus* (Dei) *quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextram suam in cœlestibus: supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur*, *Ephes.* I. 20. &c. Cui consentanei sunt plurima alia Scripturæ loca, ubi de exaltatione & summa Christi potestate agitur, ut *Hebr.* II. 7. 8. *1 Cor.* XV. 25. *& seqq. Philipp* III. 21. *1 Petr.* III. *v.* 22. *Apoc.* I. 5. 6. *&* III. 21. Sane tanta gloria & potestas data Christo à Patre propter passionem mortis, ac proinde ut Mediatori, (neque enim alia cogitari potest ratio aut causa cujus gratia illam acceperit) summo quoque honore digna est, & qui nulli, præterquam ei qui Patri exhibetur, sit inferior, nempe adoratione religiosa & invocatione in omnibus nostris necessitatibus atque angustiis. Propterea enim ita exaltatus est Dominus Jesus, qui tentatus est per omnia pro similitudine, id est similiter ut alii fideles, ut ad ejus opem angustiis pressi confugeremus. Hæc non est nostra consequentia, sed Apostoli, qui occasione sumta ex eo quod habemus Pontificem magnum in cœlis, qui possit compati infirmitatibus nostris, nos ita adhortatur, *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*, *Hebr.* IV. 14. 15. 16. Quid igitur? nonne ille cujus ambimus gratiam & misericordiam ut salvi simus, nobis est summo cultu & honore prosequendus? Auxilium enim Pontificis istius magni ad quod confugimus, non est liberatio à periculis aut incommodis aliquibus vitæ præsentis, sed ab ipsa morte æterna, & salutis æternæ acquisitio: ut docet idem Apostolus, dicens Christum *participasse carni & sanguini*, *ut reliqui pueri Dei*, id est infirmitatibus quæ corpus ex carne & sanguine compactum comitari solent, *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium*, (seu mortiferum) *id est diabolum; & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*, *Hebr.* II. 14. 15. Et, *qui cum esset filius, didicit ex iis quæ passus est obedientiam*, (id est experimento proprio agnovit quam gravis & ardua res sit Deo usque ad crudelissimam & ignominiosissimam coram mundo mortem justitiæ & Euangelii causa obtemperare) *& consummatus* (nempe per passiones) *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*, *cap.* V. *v.* 9.

VI. His adde, quod fides illustrissima sit cultus divini pars. Ei enim in quo fiduciam collocamus tribuimus gloriam summæ bonitatis, potentiæ & sapientiæ. Unde *benedictus* dicitur ille *vir qui confidit in Domino, & cujus Dominus est fiducia*, *Jerem.* XVII. 7. *Psal.* II. 13. Ea est invocationis fundamentum. frustra enim invocaretur in quem non creditur, & cui non tribuuntur sapientia, bonitas & potentia ad preces audiendum & exaudiendum requisita. Quod significare voluit Paulus, cum dixit, *Quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt? Rom.* X. *v.* 14. Atqui in Jesum Christum Mediatorem credere tenemur, ipso dicente Apostolis, *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.* Quod ut Mediatorem locutum, ostendunt quæ immediate sequuntur, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Sin minus, dixissem vobis, Quia vado parare vobis locum*, &c. *Joan.* XIV. *v.* 1, 2. Istud enim ad Mediatoris officium, non ad Deum ipsum, pertinebat. Sicut & id quod supra *cap.* XII. *v.* 44. dixerat, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Ubi ista verba, *Non credit in me*, ita debent accipi, quasi dixisset, is non proprie aut solum in me credit, sed potius in Deum qui me misit, cujus sum legatus, & cujus nomine omnia dixi quæ locutus sum vobis. Idque inde præterea probatur, quod fides in Christo collocata, non terminatur in ipso, sed in Deo Patre, *qui suscitavit ipsum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides nostra & spes esset in Deo*, *1 Petr.* I. 21. id est, eo fine ut crederemus & speraremus Deum, si vestigia Christi sequeremur, & iis quæ nomine Patris nobis promisit fidem haberemus, nos è morte suscitaturum & vita æterna & gloriosa donaturum, sicut Christum fecit fidei nostræ auctorem & consummatorem, *Hebr.* XII. 2.

VII. Eodem quoque pertinet Eucharistia, quam Christus in commemorationem suæ mortis instituit, ut quotiescunque edemus ex pane sacro, & calicem bibemus qui in illa nobis exhibentur, mortem ejus annunciemus. Nam hæc annunciatio cum gratiarum actione, & nominis Christi celebratione conjuncta, est honor vere divinus, nec sine adoratione esse potest. Ad Christum vero quatenus est Mediator illum respicere res ipsa indicat, quia propter mortem quam pro nobis passus est ipsi defertur.

VIII. Denique ne omnia huc loca congeram in quibus exaltationis Christi in summam gloriam & dignitatem mentio fit, quæ propemodum sunt innumera, concludam eximio illo qui occurrit *Apoc.* V. *v.* 9. *& seqq.* ubi scribitur, quatuor animalia & viginti quatuor Seniores cecidisse coram Agno, & novum Canticum

 cecinisse,

ceciniſſe, dicentes, *Dignus es accipere librum & aperire ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua & populo & natione; & feciſti nos Deo noſtro reges & Sacerdotes*, &c. & millies mille Angelos dixiſſe voce magna, *Dignus eſt Agnus ille mactatus accipere virtutem & divitias*, (Vulg. divinitatem pro voce divitias legit) *& ſapientiam & fortitudinem, & honorem & gloriam & benedictionem*, &c. & omnes creaturas dixiſſe, *Sedenti in throno & Agno benedictio & honor & gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Hic apertiſſimam & ſolidiſſimam habemus aſſertionis noſtræ confirmationem. Nam per Agnum occiſum, quin intelligatur Chriſtus Mediator, qui pro ſalute noſtra mortem ſubiit, nullum eſt dubium, & convenit inter omnes Apocal. expoſitores. Dicitur autem eſſe dignus accipere honorem & gloriam, id eſt cultum adorationis & invocationis, ideo quia nos redemit; quod alia ratione non fecit niſi quatenus Mediator. Ergo habemus quod volumus. Nec quicquam hic excipi poteſt, niſi forte hæc omnia non cohærere immediate inter ſe, ſeu non dici uno tenore, Agnum eſſe dignum accipere honorem & gloriam, quia nos redemit; ſed hanc rationem præcedere, celebrationem vero illam ſequi. Quod nullius momenti eſſe inde liquet, Quia Angelorum celebratio aperte tendit eo, ut oſtendatur merito animalia & Seniores memoratos coram Agno procubuiſſe ut eum adorarent.

IX. Nunc quid pro contraria ſententia afferatur nobis eſt videndum. Illam quidam irrefragabiliter ſtabiliri poſſe putant his Scripturæ teſtimoniis: *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum; Gloriam meam alteri non dabo*, *Eſa.* XLII. 8. Item, *Maledictus homo, qui confidit in homine*, *Jerem.* XVII. v. 5. Unde concludunt, honorem divinum quem Chriſto exhibere tenemur, non reſpicere ad munus ejus Mediatorium, quod ut homo exercuit, ſed ad naturam divinam cum humana in unitate perſonæ conjunctam. Itaque per accidens tantum adorari Chriſtum hominem, quemadmodum adoratur purpura una cum rege, ab iis qui civilem ipſi adorationem exhibent; licet nullomodo eorum mens aut intentio ſit purpuram regis honore proſequi. Sed quam indigna ſit hæc comparatio, & erga Chriſtum, qui nobis morte ſua ſalutem acquiſivit, ingratitudinis plena, patet ſatis ex ſuperioribus, ut merito ejus pudere debeat Chriſtianos, qui ſciunt quantum Servatori ſuo debeant. Supereſt ergo tantum breviter allata Scripturæ loca expendere. In primo ex Eſaia producto inſpicienda tantum ſunt verba immediate ſequentia, & illico patebit ſolutio. Ita enim habet, *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.* Unde apparet hanc ſolum eſſe Dei mentem, idola excludere ab honore ſibi debito. Idolis autem Dominum Jeſum æquiparare, aut ulla ratione conferre, quis pius audeat? Sed inquiunt, Deus dicit expreſſe *gloriam meam alteri non dabo*: Ergo exiſtimandum non eſt ipſum Chriſto homini eam communicare voluiſſe. Reſp. Ipſos phraſin hanc, *non dabo*, male intelligere. Senſus enim ejus non eſt, Deum nunquam voluntarie in conſortium honoris creaturam aliquam poſſe accipere? Quid enim prohiberet ipſum id facere? Principes ſane & magiſtratus, licet admodum gloriæ & poteſtatis ſuæ zelotypi, alios tamen nonnunquam participes ejus reddunt, ut Pharao Joſephum. Imo ipſe Deus Reges & Principes terrenos, *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes*, *Pſal.* LXXXII. 6. idque propter poteſtatem ad quam eos in terra evexit. Quidni ergo magis Jeſum Chriſtum, cui omnem in cœlo & in terra poteſtatem dedit? Nihil ergo aliud ſibi voluit his verbis, niſi ſe non permiſſurum, ut honor qui ſibi debetur, impune in idola ab hominibus conferatur. Sic enim accipi poſſe oſtendit locus *Pſal.* XVI. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, quod ſignificat, non permittes; ut liquet ex iis quæ immediate cohærent, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* Sed quamvis Deus non ſit permiſſurus ut idolis tribuatur honor quem ipſi debemus, quia id ad ipſius ignominiam & vilipendium vergeret, non ſequitur eandem eſſe Chriſti unigeniti Dei filii rationem, quem qui honorat, Deum ejus Patrem honorat; qui contemnit, Deum etiam Patrem contemnit; & cujus honor in ipſo non terminatur ultimo, ſed ad gloriam Dei Patris, qui ipſum exaltavit, refertur.

X. Alter locus ex Jeremia minus adhuc ad rem facit. Qui inſpexerit eum totum, mirabitur afferri ad impugnandum honorem Chriſto Mediatori debitum. Ita legitur, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus. Ponere* enim *carnem brachium ſuum* nihil aliud eſt niſi fiduciam collocare in hominibus infirmis, qui poteſtatem non habent juvandi, (ii enim nomine *carnis* in Scriptura deſignari ſolent, ut videre eſt *Eſa.* XL. 6.) Quare Propheta væ denunciat Judæis, *qui deſcendebant in Ægyptum ad auxilium, in equis, & habentes fiduciam ſuper quadrigis, & ſuper equitibus, & non confidebant ſuper Sanctum Iſrael, & Dominum non requirebant.* Et quidem addita hac ratione, *Ægyptus homo & non Deus, & equi eorum caro & non ſpiritus*, *Eſa.* XXXI. 1. 2. 3. Unde dicitur alibi, *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, *Pſal.* CXLVI. 2. 3. Ita culpatur rex Aſa ab Hanani Propheta, qui dixit ei, *Quia habuiſti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco evaſit Syriæ regis exercitus de manu tua.* Item, quod *in infirmitate ſua non quæſiviſſet Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſſet*, 2 *Chron.* XVI. 7. & *ſeqq.* Quæ quam male applicentur Chriſto Mediatori, cui Pater dedit poteſtatem omnis carnis, &

cujus

cujus pedibus omnia subjecit, nemo est qui non facile animadvertere possit. Præterea eorum, qui in Christo fiduciam collocant, cur non recedit à Domino. absit. Sed potius magis accedit; quia ipse est via per quam venitur ad Patrem, *Joan.* XIV. 6. Et qui credit in Christum, non tam in ipsum credit, quam in Patrem qui misit eum, *Ibid.* XII. 48. Ideoque Petrus dicit, *Nos per Christum credere in Deum, qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides nostra & spes esset in Deo*, 1 *Epist.* I. 21. nimirum, quia credendo in Christum Dei nomine loquentem & præcipientem nobis, in ipsum Deum revera credimus.

CAPUT XXI.
De Pietatis Proprietatibus.

I. Pietatis proprietates sunt. Devotio. II. Et Spiritualitas. III. Ea passim in Novo Testamento commendatur. IV. Illi maxime contraria est hypocrisis.

I. ET hæc de Pietatis objecto sufficiant. Sequitur jam ut de ejus proprietatibus agamus; quæ ad duas præcipuas revocari possunt, nempe devotionem & spiritualitatem. Devotio est pietatis affectio seu proprietas, qua fit ut omnia quæ ad ipsam pertinent magna cum reverentia & attentione tractemus. Ea potissimum quidem in animo consistit, & ab eo tanquam fonte proficiscitur; sed tamen etiam in actionibus quibusdam externis spectatur, internæ animi dispositioni accommodatis & convenientibus. Sic devote aliquis dicitur audire vel legere verbum Dei, qui in hoc sancto exercitio magna quantum fieri potest cum animi attentione versatur, & totus in eo est, diligenter sibi cavens ne animus ad alias cogitationes divagetur: hoc semper sibi proponens, istud non esse verbum aliquod humanum, sed Dei ipsius oracula; ac proinde ab omni gestu, actionis istius sanctitati non satis conveniente, etsi alio tempore licito, esse abstinendum. Eodem quoque pertinet, ut affectum à verbo Dei in corde excitatum, sive lætitiæ, ex sensu bonitatis divinæ, sive doloris ex peccatorum conscientia, interdum vultu, oculis vel aliis externis signis exprimat. Similiter ille devote Deum orat, qui cum magno cordis ardore id facit, semper cogitans quis & quantus sit Deus cum quo sibi res est, & quis sit ipse qui eum compellat, nempe pulvis & miser peccator, beneficiis ejus indignus; ideoque seipsum coram tam excelsa majestate totum animo & corpore demittit & humiliat, parem ei quæ verbi divini auditioni aut lectioni convenit attentionem, aut etiam si fieri queat majorem afferens; quod præcipue in deprecationibus requiritur, ubi rogamus ut nobis velit esse propitius, & pœnas quas meriti sumus clementer à nobis avertat. Eademque est gratiarum actionis ratio, ubi spirituale gaudium interdum lacrymis testari solent sancti ex beneficiorum Dei erga se sensu; sed tamen privatim potius, quam in precibus publicis, ubi studiose omnis ostentatio & singularitas est vitanda, quæ aliorum oculos ad se trahit, & ab eo quod agendum est mentem ipsorum avertit. Hæc devotio extendi etiam debet usque ad privatos nostros sermones cum de rebus divinis tractamus, ut appareat nos serio, prout in corde affecti sumus, & non extremis tantum labiis loqui. Sed maxime in concionatore requiritur, ut talem pronunciationem & gestum adhibeat, qui dignitati rerum, de quibus verba facit, respondeat; non vero histrionium & ad pompam ostentationemque comparatum; quæ devotionem potius auditorum refrigerant, quam excitant & incendunt. Summatim, in his omnibus levitas & negligentia vitari debet, quæ sunt devotioni opposita, dandaque est opera ut res divinas majori semper cum reverentia & attentione quam ullas humanas, cujuscunque sint momenti, exsequamur. Hujusque rei neglectum Deus olim sub lege vindicavit, ut in Bethsemitis, qui ex curiositate inspexerant arcam, 1 *Sam.* VI. 19. & in Oza, qui extenderat manum, ut sustineret eam, 2 *Sam.* VI. 6. 7.

II. Spiritualitas est pietatis affectio, requirens ut omnia quæ ad illam pertinent ex spiritu seu mente pura proficiscantur. Quamvis enim pietas, ut postea dicemus, recte in internam & externam distribuatur, sciendum tamen est externam ab interna separatam Deo placere non posse. Quod etiam ostendit olim sub lege, ubi cultus quem Israëlitis præscripserat magnam partem erat carnalis. Nam sæpe testatus est se non delectari sacrificiis quæ ab impiis, quorum polluta erat mens sceleribus, sibi offerebantur: ut videre est *Esa.* I. 11. *& seqq. Jerem.* VI. 19. 20. *Amos.* V. 21. 22. Imo neque voluit laudes suas celebrari ab illis; *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum*, *Psal.* L. 16. 17. Maxime vero id locum habet sub Novo Fœdere, quod fere totum est spirituale. Paucæ enim illæ Baptismi & Cœnæ ceremoniæ, quas nobis Christus præscripsit, non impediunt quin à potiori parte fieri debeat denominatio. Imo quod in illis Deo acceptum est, non tam externus est ritus, quàm devotio cordis, quæ ad eorum celebrationem affertur. Unde Petrus agens de Baptismo quo servamur, dicit diserte, eum *non esse depositionem sordium carnis, sed conscientiæ bonæ interrogationem in Deum per resurrectionem Jesu Christi*, 1 *Epist.* III. 21. Quod etiam in Cœna Domini observandum est, cujus externa actio ingrata est Deo, si ab interna & spirituali separetur. Ideoque Corinthiis immisit morbos, & quosdam è medio sustulit, quod irreverenter eam celebrarent, 1 *Cor.* XI. v. 29. 30. Et quæ pietatis officia corporis ministerium requirunt, à corde tamen tanquam à

fonte proficisci debent. Sicut enim ex abundantia cordis os loquitur, *Matth.* XII. 34. videl. aut bene aut male; ita etiam in cæteris actionibus contingit. Id quod significare voluit Dominus Jesus, cum dixit, *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem*, *Matth.* XV. 11. Quod cum discipuli non intelligerent, ipse explicat iis, dicens, *Quæ procedunt de ore, illa de corde exeunt*, nempe velut è scaturigine, *ut malæ cogitationes, adulteria, homicidia*, &c. Ex opposito igitur, è corde honesto & puro proficiscuntur honestæ & sanctæ actiones. Ideoque opera est danda ut primum bene à vitiis repurgetur. Tunc enim ex eo nihil nisi honestum exibit.

III. De hac pietatis spiritualitate monet nos Scriptura variis in locis. Sic Paulus, *Nos spiritu ex fide spem justitiæ expectamus*, *Gal.* v. 5. id est speramus nos per cultum Dei spiritualem ex fide proficiscentem coram Deo justificatum iri. Spes enim proprie non expectatur, cum ipsa nihil aliud sit nisi boni alicujus absentis expectatio; & usurpatur hic metonymice pro suo objecto, seu re quæ speratur. Item, *Nos sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo*, *Philipp.* III. 3. id est, nos Christiani sumus populus vere circumcisus, potius quam Judæi, non quidem carnali circumcisione, quæ non magis valet in Christo quam præputium, sed spirituali, qua ex corde vitiorum radices avulsæ sunt. Sic enim spiritu servitur Deo, cum totus ejus cultui consecratur, & omnes actiones, etiam externas, dirigit. Sed magis adhuc expresse Dominus Jesus, Samaritanam mulierem alloquens, *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*, *Joan.* IV. 23. 24. Significans umbras illas legis & corporalem cultum; qui tunc obtinebat inter Judæos, brevi abolendum, nec amplius certo alicui loco, qualis erat Jerusalem, veros Dei in spiritu cultores alligatum iri. Nec ignorarunt Ethnici hanc esse præstantiorem Dei colendi rationem, ea quæ in sacrificiis & aliis externis ritibus versabatur. Ita Dionysius Cato, *Si Deus est animus*, &c. & Persius Satyr. 2. *Quin damus id superis*, &c.

Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto:
Hæc cedo admoveam templis, & farre litabo.

IV. Quod si corporales ceremoniæ non bene conveniant cum pietate quam Deus sub Novo Fœdere requirit, multo minus hypocrisis, quæ corde vacua, in externis tota est occupata. Ideoque Deo semper exosa fuit, etiam tunc cum carnalem cultum non repudiabat. *Populus iste*, inquit de Judæis, *appropinquat ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est à me*, *Esa.* XXIX. Quod etiam Jesus exprobrat sui temporis Pharisæis, *Matth.* XV. Et fœdum est omnino, quasi isti homines putarent se pietatis larva qua sunt induti, Deo non minus quam hominibus imponere posse; & non crederent omnia esse nuda & aperta oculis ejus cum quo nobis res est, *Hebr.* IV. 13.

CAPUT XXII.

De amore Dei.

I. *Pietas vel est interna, vel externa.* II. *Amor Dei aliquando sumitur late.* III. *Hic stricte: & quid proprie sit.* IV. *Ad eam excitare nos debet, 1. ejus excellentia & perfectio.* V. *2. Amor Dei erga nos, variaque ejus beneficia: quorum quædam communia sunt toti humano generi.* VI. *Alia Christianis propria.* VII. *Alia singularia & unicuique propria.* VIII. *3. Dei promissa si in ejus amore perseveremus.* IX. *Signa amoris divini sunt: 1. potius mundo renuntiare, quam quicquam voluntati divinæ adversum facere.* X. *2. Libenter Deum precari.* XI. *3. Zelus erga Dei gloriam.* XII. *4. Proximi nostri dilectio.* XIII. *Oppositum amoris Dei est illius odium: quod consistit in transgressione mandatorum Dei.* XIV. *Et non in sola idololatria.* XV. *Aliquando fertur in religionem, & quidem vel in genere.* XVI. *Vel speciatim in religionem Christi.*

I. NUnc ad pietatis partes accedamus. Eæ sunt duæ, inde petitæ, quod pietas, cujus vera sedes est cor sive animus hominis, externis etiam actionibus aliquando demonstrari debet. Idcirco in internam & externam distribuitur, quæ tamen potius sunt membra seu partes pietatis integrantes, quam species. Nam species seorsim singulæ possunt subsistere; non autem partes. Quod usu venit in pietate; ubi etsi interdum non sit necesse ut actiones externæ comitentur internum animi motum, iste tamen cordis affectus ab externis corporis actionibus abesse nequit, quin degenerent in hypocrisin, & pietatis nomine & laude indignas se reddant. Interna pietas consistit, partim in amore & honore quo Deum oportet prosequi; partim in spe & fiducia quæ in ipsum collocatur, & timore cum quo ad ipsum accedendum est, metuendo ne qua ratione offendatur.

II. *Amoris, dilectionis* & *charitatis* erga Deum voces significatione à se invicem non differunt, sicut neque Græcæ ἀγάπης & φιλίας, quanquam illa longe usitatior est quam hæc. Late aliquando accipiuntur, ita ut comprehendant universum Dei cultum prima Decalogi tabula mandatum. Quod Dominus Jesus significat, cum dicit, ex dilectione Dei & proximi pendere universam legem & Prophetas, *Matth.* XXII. 40. Sed latius adhuc cum hæ voces omnia Dei mandata, tam ad Deum quam ad proximos nostros pertinentia, complectuntur. Sicut usurpat Joannes, dicens, *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*, 1 *Epist.* V. 3. nempe omnia & absque ulla exceptione.

III. Nos hic stricte & in propria significatione

tione illas accipiemus, ut debet fieri cum de singulis virtutibus tractatur in specie. Dicimus igitur amorem, seu charitatem & dilectionem erga Deum, esse affectum illum, quo cupimus ut ea quibus Deus delectatur eveniant, & non solum à nobis sed etiam ab aliis omnibus perficiantur, atque sic ad intimam cum ipso conjunctionem aspiramus. Natura ejus non melius explicari potest, quam per comparationem amoris erga res mundanas, qui interdum vehementissimus in hominibus deprehenditur, v. gr. divitiarum, vel honorum aut voluptatum. Nam qui hoc affectu correpti sunt, continuo dies noctesque integras cogitant quomodo eum explere possint, in eoque cor suum semper defixum habent. Sed præcipue in amore quo juvenes puellas complectuntur, qui miros interdum effectus producit. Nihil enim est tam arduum aut difficile, quod non alacriter suscipiant, si gratum ipsis esse noverint, ut eas ad mutuum amorem compellant. Omnia studiose vitant quæ displicitura vel ex tenui conjectura suspicantur, & aliis affectibus & propensionibus vim faciunt, ut isti uni obsequantur. Unde Salomon merito dicit, *Fortis ut mors dilectio*, *Cant*. VIII. 6. Nam sicut mors omnia etiam fortissima domat & vincit, ita etiam amor. Cui etiam concinit poëta, dicens, *Omnia vincit amor.* Ideo lex amoris divini modum significare volens, dicit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, *Deuter*. VI. 5. Quem locum sic eleganter explicant Rabbini Judæorum, Hic est summus gradus colendi creatorem, ut servias ei ex dilectione, & non solum propterea ut mercedem accipias. Dilige, inquit, ex toto corde, quod solum opus tuum bonum facit. Deinde, ex tota anima, ut etiam, si causa requirat, non trepides pro eo exponere animam. Et tertio, ex tota virtute, ut scilicet potius omnium rerum tuarum dispendium incurrere velis, quam ab amore Dei deflectere. Hæc ergo virtus non consistit in mediocritate. In diligendo enim Deo nihil potest esse nimium. Modus ipsum diligendi, est diligere sine modo.

IV. Tres sunt præcipue causæ quæ incitare nos debent ad Dei amorem. Prima est excellentia & perfectio ipsius. Bonum est quod omnia appetunt & desiderant. Cùm ergo Deus sit summum bonum, summo ipsum amore prosequi oportet. Cætera omnia sunt idcirco tantum amabilia, quia aliquis bonitatis divinæ radius in ipsis refulget & animadvertitur. Ergo nihil nisi propter ipsum est diligendum, & longe infra ipsum. Nam aliquid Deo æquare est idololatria, simul & stultitia summa: quid dicam præferre? Quod non æstimandum est solum ex aperta professione: (Raro enim quispiam ad eum dementiæ gradum venit, ut dicat se creaturam aliquam æquare aut præferre Deo) sed ex factis; cum ut illa fruatur magis est sollicitus quam de Dei amore, aut etiam propter eam non veretur Dei mandata transgredi. Præstantia rerum occulta quadam vi amorem trahit, ut non possimus non illas diligere. Id cernere est in pulcritudine corporea, quæ vel primo intuitu plus valet ad excitandum sui amorem, quam ullæ literæ commendatitiæ. Item in animi pulcritudine, quæ consistit vel in morum probitate, vel in virtutibus intellectualibus, quales sunt scientiæ & artes. Solemus enim diligere non solum viros insigniter probos, sed etiam eos quos videmus in aliqua arte vel scientia supra cæteros excellere. Sed ista nihil aliud sunt nisi tenues umbræ perfectionum quas Deus in se habet. Lux est prima pulcritudo, sine qua frustra aliæ omnes forent, quia à nemine conspicerentur; ideoque Deus ab ea creationis universi exordium sumsit. Ipse autem *habitat lucem inaccessam*, 1 *Tim*. VI. 16. nempe quamdiu mortali hoc corpore induti sumus. Nec dubium est quin mirabilem sui amorem accensura sit in nobis olim, cum ad eam propius admittemur, & Deum videbimus sicut est. Idemque facere debet consideratio sanctitatis & justitiæ ejus summæ; cognitionis cui omnia patent, etiam cordium latebræ, non tantum præsentia aut præterita, sed etiam futura; potentiæ, cui nihil est impossibile, nemo potest resistere. Et alia ejusmodi multa, quæ quia imperfecte in hoc sæculo cognoscimus, inde fit ut amor noster erga Deum longe semper infra perfectionem & excellentiam ad quam assurgere debet subsistat. Sed danda interim nobis est opera, ut continua perfectionum divinarum meditatione, is quotidie nova sumat incrementa.

V. Secunda causa est, amor Dei erga nos, & innumera inde procedentia beneficia. Amor solet amorem in alio accendere, sicut candela accensa aliam quæ prope admovetur: & recte dicitur, nullum φίλτρον esse potius ad sui amorem excitandum, quam amare eum à quo volumus amari. Sed quia amor in corde latens nihil operatur erga eos qui ipsum non intuentur, ii qui ab aliis amari desiderant, solent amorem suum beneficiis aut officiis conspiciendum præbere; in quibus quanta sit vis ad alterius animum sibi deviciendum nemo ignorat; occultis enim velut catenis trahunt eum, ut non possit quin eat quo trahitur. Sed quæ beneficia aut officia cum divinis comparari queunt? Maxima sunt quibus boni parentes prosequuntur liberos suos; adeo ut merito dicatur liberos progenitoribus suis nunquam paria referre posse. At divina erga nos infinitis ista partibus antecellunt; tantum nimirum quantum Deus parentes nostros carnales bonitate, potentia & sapientia superat. Ea triplicis sunt ordinis; alia enim sunt toti humano generi communia, alia Christianis propria, alia denique singularia quæ unusquisque in se privatim expertus est. Ad primum genus

genus pertinet quod Deus mera sua bonitate motus, non solum ex nihilo nos eduxit & esse dedit, sicut aliis multis creaturis; sed etiam ad imaginem & similitudinem suam creavit nos, ut essemus sicut dii in terra, & imperium haberemus in aves cœli, pisces maris, & omnia animantia reliqua; ratione nobis data instar sceptri, qua omnia, etiamsi essent robustiora, agiliora, aut latebras habitarent nobis inaccessas, subjicere possemus, & cogere ut obsequerentur & usibus nostris servirent. imo in astra quoque & elementa Deus nobis potestatem dedit, ut ea quodammodo nobis essent subdita, quatenus prout lubet ea vel admittimus vel excludimus, repagulaque ponimus quæ non transiliant, aliaque ejusmodi. His adde curam & providentiam Dei paternam, qua de omnibus iis quæ ad vitam hanc jucunde transigendam necessaria sunt abunde hominibus prospicit, ut de victu, amictu, & similibus; quæ, nisi plane ingrati sumus, amorem ejus in cordibus nostris tanquam erga benignum patrem debent accendere.

VI. Sed longe adhuc præstantiora sunt secundi generis beneficia, nempe Christianis propria. Cum enim homines propter peccatum morti & maledictioni æternæ essent obnoxii, Deus filium suum unigenitum in mundum misit qui nos ab ea liberaret per tria sua munera; quæ in usum quidem totius humani generis partim exercuit olim in terra, partim & etiamnum in cœlis exercet: sed ita tamen, ut ii soli qui ipsum agnoscunt gratiarum ejus sint participes. Ad cognitionem autem Christi pervenimus per Euangelium, cujus proinde manifestatio præstantissimum est Dei beneficium quod nobis queat contingere. Nam Deus per Euangelium *benedixit nobis omni benedictione spirituali in cælestibus*, *Ephes.* I. 3. Et quod id nobis annunciatur debemus puræ Dei gratiæ, qua nos dignatus est supra multos alios populos, quibus lux ista salutaris non affulsit, & adhuc in tenebris ignorantiæ & mortis jacent. Non enim istud factum est quod meliores aut digniores cæteris essemus. Æqualis enim erat omnium hominum conditio extra Euangelium; nec Deus invenit in nobis causam cur ipsum nobis patefaceret, sed in sola sua bonitate. Quo pertinent ista Pauli, *Deus servavit nos & vocavit vocatione sancta; non ex operibus nostris, sed secundum propositum suum & gratiam quæ data nobis est in Christo Jesu ante tempora secularia*, 2 *Tim.* I. 9. Item, *Eramus quondam & nos amentes, rebelles, &c. sed postquam bonitas & amor erga homines Servatoris nostri Dei apparuit, non ex operibus justitiæ quæ fecerimus servavit nos, sed secundum suam misericordiam*. &c. *Tit.* III. 3. 4. 5. & 1 *Joan.* IV. 10. aliaque ejusmodi plura.

VII. Quibus denique si addantur singularia Dei beneficia erga nostram gentem, parentes, tempora nostra, & nos ipsos, v. gr. quod Deus dederit nobis sanum corpus, ingenium, memoriam, facultatem & occasiones ut melius institueremur in pietate quam multi alii cum quibus quotidie versamur, mirum quam multas habebimus causas Deum amandi. Quæ ne frustra nobis sint oblatæ, officii nostri est ipsas continuo animo recolere, & nobis veluti ob oculos ponere, ut sint instar stimulorum qui tarditatem nostram excitent.

VIII. Tertiam diligendi Deum causam habemus, bona quæ nondum largitus est, sed apud ipsum reposita sunt fidelibus, præcipue in futuro sæculo, & quod nos in vitam immortalem resuscitare promiserit, si in ejus amore perseveremus. Nam si interdum fidimus promissis hominum, ut magnatum & Principum, longe majori jure in Deo confidendum est, qui non est mutabilis aut viribus destitutus, quemadmodum ipsi, ut expectationem nostram fallat. Sic dicebat David, *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*, *Psal.* CXIX. 112. Quod si vitæ hujus, multo magis futuræ. Ita quoque Moses respiciens ad Dei remunerationem, contemsit esse filius filiæ Pharaonis, & opprobrium Christi divitiis Ægypti prætulit, *Hebr.* XI. 24. Nec id mercenarium esse putandum est; cum Deus ipse, cui mercenaria dilectio non placet, hac nos spe ad sui amorem excitet. Sic Christus, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, *Joan.* XIV. 23.

IX. Sed quia multi decipiunt seipsos inanibus cogitationibus, existimantes se Deum amare, cum tamen non ament, aut saltem non tanto cum fervore ut oportet, non inutile erit hic signa quædam proponere, ex quibus unusquisque queat agnoscere an eo quo debet modo Deum diligat. Primum amoris Dei signum est, si mundum & ejus cupiditates oderimus, aut saltem libenter renunciemus illis potius quam ut quidquam voluntati Dei contrarium admittamus. Sicut, teste Domino Jesu, nemo potest duobus dominis simul servire, ita neque duos hostes simul amare. Deus autem & mundus sunt inter se hostes, & qui nos ad studia contraria trahunt, Deus ad sanctimoniam, mundus ad impuritatem & omnis generis vitia. Unde recte Jacobus, *Amicitia hujus mundi est inimicitia adversus Deum*, *cap.* IV. *v.* 4. Similiter Joannes, *Si quis diligit mundum charitas Patris non est in eo*, 1 *Epist.* II. 15. Amor autem mundi cernitur in amore voluptatum, divitiarum & honorum; quæ ibidem vocantur, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; quæ sunt omnium vitiorum fontes & scaturigo. Quicquid enim peccant homines adversus Dei mandata, id fere ex aliqua ex his tribus causis proficiscitur. Si quis ergo carnis voluptatibus fervit, comessationibus, potui & aliis ejusmodi dat operam, quicquid in contrarium

rium profiteatur aut jactet, certum est ipsum non diligere Deum. Sed qui propter mandatorum Dei reverentiam refrænat eas, in cibo & potu modum non excedit, impudicis amoribus non indulget, in eo demum amor Dei est vere radicatus. Item, si quis totus in eo sit ut accumulet opes, cum anxietate illas custodiat, & cum immodico dolore amissionem illarum ferat, ne credas ipsum diligere Deum; amor pecuniæ primas in ejus corde tenet; proinde Dei amor simul illic habitare nequit. Vide quomodo avarus diligat pecuniam: eodem modo dilige Deum, & non parum in pietate profeceris. Amor iste turbat ejus quietem, nec patitur eum placide somnum carpere, & statim atque excitatur de pecunia cogitat. fac ergo similiter, Dei amor somnum tuum interrumpat, & simul ac expergefactus es cogita quomodo ei placere possis. Toto die in eo te exerce & meditare; & sicut avari cor inclusum est in arca unà cum divitiis, sic cor tuum sit affixum cœlo ubi Deus habitat, ut secundum Christi monitum, ubi thesaurus tuus est, ibi quoque sit cor & cogitatio tua. Tandem si quis tanta hujus mundi honorum cupiditate ardeat, ut in magna felicitate reputet ad eos extolli, neque in eo verus Dei amor locum habet; nam ut iis potiatur non verebitur mandata Dei velut pedibus proculcare; prout etiam in amore voluptatum & divitiarum contingit. Sed qui pro nihilo ducit mundi honores, præ dignitate filiorum Dei, & totus in eo est ut se dignum tanto Patre filium exhibeat, is est qui vere Deum diligit: cujus gratia etiam omnibus carnis suæ cupiditatibus fibulam imponit, iræ, vindictæ, cupiditati, invidiæ & cæteris, & nihil aliud quærit nisi quod Deo gratum & acceptum esse novit.

X. Alterum amoris Dei indicium est, libenter cum eo communicare, & suas illi supplicationes offerre. Delectarisne ergo precibus? id certo signo est te Deum amare; quemadmodum enim amicus verus magnam percipit voluptatem ex colloquio cum amico, & semper in ejus consortio esse quærit; ita quoque qui Deum amat, indesinenter preces, gratiarum actiones, tam pro se quam pro aliis fundit, nomen & laudes ejus celebrat; quod multis piorum exemplis comprobari potest, qui in hoc sancto exercitio nunquam lassari se siverunt. Sed tepor & negligentia in precibus, talem quoque erga Deum amorem esse convincit, etiamsi forte contrarium verbis jactemus, aut etiam nobis persuadeamus.

XI. Tertium est zelus erga Dei gloriam; si quis magis indignatur audiens nomen Dei blasphemari, quam propter convitia quæ in ipsum privatim conjiciuntur; & majore studio quærit regni Dei promotionem, quam ut domestica negotia prospere & ex voto succedant. Talis erat Apostoli Pauli zelus, qui urbem Athenas considerans idololatriæ deditam, & falsa numina atque adeo dæmones impuros veri Dei loco adorari & coli, *irritabatur spiritus ejus in ipso*, *Act.* XVII. 16. id est, indignatione accendebatur propter fœdum istum Dei contemtum. Exemplumque ejus admodum eximium habemus in nuru Heli, & Phinees uxore, quæ audito arcam fœderis captam esse à Philistæis, doloribus partus instantis correpta exhalavit animam, dicens, *Translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei*, 1 *Sam.* IV. & sic Dei gloriam sibi majori curæ quam privatas suas & domus suæ calamitates ostendit. Nullus etiam bonæ indolis filius invenietur, qui injuria aut contumelia alique Patri quem diligit illata, non intime in animo suo commoveatur, eamque longe majore cum impatientia ferat quam si seipsum feriret. Quod videre est in filio Crœsi muto, cujus vinculum linguæ solutum est animadverso periculo in quo pater versabatur, ne à milite qui non noverat ipsum percuteretur, ut diceret, Miles ne occide Regem. Ita ergo in iis quæ gloriam Dei spectant se geret is qui sincere ipsum amat, & quantum muneris aut sortis ratio permittit impediet ne ab impiis & profanis vilipendatur.

XII. Quartum amoris Dei signum est proximi nostri dilectio, secundum id quod dicit Joan. es; *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*, 1 *Epist.* IV. 20. Istud est minime fucatum indicium, & quod nunquam fallit. Simulari potest zelus gloriæ Dei, ut à Saule, 1 *Sam.* XV. 9. 20. à Jehu, 2 *Reg.* X. 16. *& seqq.* Simulari potest ardor precum, ut à Pharisæis, *Matth.* VI. 5. & XXIII. 14. 15. Sed dilectio proximi simulari non potest; nempe si ex effectis probetur, non ex sola professione externa; secundum Joannis monitum; *Filioli mei, non diligamus lingua, sed opere & veritate*, 1 *Epist.* III. 18. Cain proculdubio dicebat se diligere Deum, & putabat se id sufficienter ostendere sacrificiis & oblationibus quibus eum colebat. Sed hypocrisis ejus inde patefacta fuit, quia fratrem suum Abelem non diligebat; quod proculdubio fecisset, si vere Deum amasset. Deus cultu & muneribus nostris non indiget, nullumque inde commodum & emolumentum percipit: sed frater inops inde levari potest. Ostende itaque te Deum diligere, fratri aperiendo viscera misericordiæ, & de iis quæ tibi abundant largiendo. In summa, ut appareat te diligere Deum, serva ejus mandata. *Hæc enim est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt*, 1 *Joan.* V. 3. Alia id ratione demonstrare non potes; hanc itaque insiste, si teipsum & alios nolis decipere. Pacifice vivito cum proximis, condona iis offensas, participes fac eos qui

qui indigent facultatum tuarum, & teipsum conserva immaculatum ab hoc mundo, *Jacob.* I. *v.* 27. & sic constabit te Deum diligere, & pacatam apud ipsum habebis conscientiam, nec cor tuum te condemnabit, quod alius foris videri velis, quam sis revera intus & in corde; quod stultum est putare ipsi occultum esse posse.

XIII. Oppositum amoris Dei directum est ejusdem odium, indirectum vero superstitio; sed de hac alio loco, de illo nunc paucis agendum. Quanto Deus est dignior qui ab hominibus ametur, tum propter naturæ excellentiam, tum propter beneficia multiplicia quæ in nos aut jam contulit, aut conferre promisit, tanto fœdius est ejus odium, adeo ut animum omni honesto plane vacuum arguat. Sed quomodo, inquies, potest aliquis Deum odisse, cum sit summe bonus, & nihil plane in eo odibile inveniatur, sicut in reliquis bonis quæ malis sunt admixta, aut ubi bona jucunda, utilia & honesta inter se pugnant? Resp. Nemo odit Deum quatenus est summum bonum & pro tali ipsum apprehendit. Id nequidem in pessimos aut dæmones ipsos cadere potest. Sic enim sui ipsorum essent inimici, & voluntas eorum ferretur in malum qua malum; quod est contra naturam. Sed Deus alio modo etiam consideratur, nempe quatenus præcipiens ea quæ affectibus carnis repugnant, & vetans ea ad quæ affectus propendent. Sic non apparet amplius, ut summum bonum, sed potius ut illi adversus; quatenus retrahit ab illis in quibus homines mente corrupti beatitudinem suam collocant. Hinc videre est, quinam illi sint qui Deum oderunt, nempe omnes qui mandata ipsius transgrediuntur; quod etiam ex iis quæ de amore Dei dicta sunt facile colligitur. Sicut enim is proprie consistit in observandis ipsius præceptis, ita contra odium in violandis.

XIV. Quod Deus aperte declarat in Decalogo, ubi cum dixisset, se esse Deum fortem & zelotem, qui visitaret iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt se; deinde istis sui osoribus opponit eos qui se diligunt & præcepta sua custodiunt, iisque dicit se facere misericordiam in millia. Quod alii accipiunt tanquam ad totam legem pertinens; alii vero tanquam sanctionem qua peculiariter transgressioni primi & secundi mandati caveatur; ita ut hic qui diligunt Deum sint proprie illi qui puros se conservant ab idololatria, etsi forte in cæteris non sint ab omni labe immunes; de idololatris vero dicatur speciatim in lege quod Deum oderint, potius quam de homicidis, adulteris, furibus; ad ostendendum quantum idololatria, qua honor Deo debitus transfertur ad idola, gravitate cætera omnia peccata superet. Sed tamen alibi appellatio ista, aut saltem æquipollentes, ad quoslibet peccatores significandos usurpantur. Ita Apostolus dicit, *nos cum inimici essemus reconciliatos esse Deo per mortem filii ipsius*, *Rom.* V. 10. ubi inimicos vocat omnes peccatores pro quibus Christus est mortuus; pro omnibus autem est mortuus, non solum pro idololatris. Item, *cum essetis aliquando alieni & inimici sensu in operibus malis, vos nunc reconciliavit, &c. Coloss.* I. 21. quod similiter de omnis generis peccatoribus dicitur. Et Jacobus, *Adulteri & adulteræ an nescitis quod amicitia hujus mundi, inimicitia Dei est? cap.* IV. *v.* 4. ubi tamen phrasis *inimicitiæ Dei* tam potest intelligi de inimicitia Dei adversus peccatores, quam peccatorum adversus Deum; quæ etiam à se invicem sunt inseparabiles. Hæc observatio autem eo tendit, ut ab omni peccato adeo abhorreamus, atque à formali, ut ita dicam, Dei odio. Nam si pro enormi scelere & contra naturam habemus Deum, qui summum est bonum, odisse; similiter judicare oportet de omnibus aliis peccatis & operibus carnis quibus amicitia Dei violatur.

XV. Est & alia odii in Deum species, quæ fertur directe in religionem & Dei cultum, indirecte vero in Deum ipsum. Rursusque odium religionis est vel generale cujuslibet, vel speciale Christi & religionis Christianæ. Sub prima classe comprehenduntur ii qui ab omni religione seu cultu numinis abhorrent; nempe quod toti immersi sint mundanis curis & voluptatibus, & eas religionis studio impediri aut interrumpi vereantur; ideoque nolunt audire sermones de Deo aut rebus piis, & ægre ferunt tales coram se misceri; & omnia devotionis exercitia non solum despiciunt, sed etiam tanquam molesta aversantur. Tales sunt quos Paulus vocat Θεοστυγεῖς, *Rom.* I. 30. id est Dei osores. Et quales prædicit multos ultimis diebus futuros, *magis voluptatis quam Dei amantes*, 2 *Tim.* III. 4. φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι. nimirum qui præ studio ventri & libidini indulgendi, omnem Dei cultum & religionem susque deque habebunt. Et reperiuntur non minus hodie inter Christianos, quam olim inter Gentiles; quamvis interdum larva hypocriseos tecti, simulent pietatem, ne in odium aliorum ob profanitatem incurrant, cum tamen omnem vim ejus abnegaverint. Sed sunt etiam alii Dei & religionis veræ osores, propter superstitionem cui sunt dediti, ut olim idololatræ Ethnici, legis per Mosem latæ & observatorum ejus persecutores; quales fuerunt Philistæi, & alii populi Israëlitarum vicini, ab ipsorum lege & cultu abhorrentes; de quibus intelligendum est quod Nathan dicit Davidi, *Quia blasphemando blasphemare fecisti inimicos Domini*, 2 *Sam.* XII. id est, tuo peccato dedisti iis occasionem istius faciendi, sive sapientiam & potentiam Dei in dubium revocandi aut etiam impugnandi. Item Antiochus ille Epiphanes, qui totis in id viribus incubuit, ut libros sacros aboleret, & cogeret Judæos ad violandam legem, idolumque

que supra altare Dei in templo Hierosolymitano erexit, ut videre est *Mach. lib.* 1. *cap.* 1. & *lib.* 2. *cap.* V. VI. VII.

XVI. Ultimo loco sunt Christi & religionis Christianæ osores; quales erant olim Judæi primum, deinde etiam Ethnici. Quomodo se Judæi erga Christum gesserint docet historia Euangelica. Unde ipse merito iis exprobrat, quod se odissent. Sed malitia excæcati putabant se tantum hominem aliquem è vulgo odisse, licet filium Dei unigenitum odissent, & simul etiam Deum Patrem, cujus erat legatus & negotium agebat. *Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum*, *Joan.* XV. 23. 24. Nec terminatum est aut exsaturatum istud odium in Christo, sed in ejus discipulos & religionem magis adhuc postea exarsit, ut testatur totus liber *Act. Apost.* interque illos osores initio fuit Paulus, zelum Dei habens, sed non secundum scientiam, ut ipse de popularibus suis dicit *Rom.* X. 2. nam suum confitens peccatum, dicit se compulisse discipulos Christi blasphemare, *Act.* XXVI. 11. qui extremus videtur fuisse furoris indomiti gradus. Ad quem etiam progressi sunt postea Ethnici, qui præter crudelia supplicia, quibus innumeros Christianos, omnis sexus, ætatis, conditionis è medio tollebant; hoc etiam postremum sævitiæ suæ addebant, ut cogerent eos Christum blasphemare. Cujus rei testimonium habemus memorabile in Epistola Plinii ad Trajanum, qui narrat quosdam de religione accusatos ab indice, primo fassos se esse Christianos, & mox negavisse, & ut negationi suæ fidem facerent, omnes imaginem Cæsaris, Deorumque simulacra veneratos esse, & Christo maledixisse; nempe, sicut ab illis exigebatur, *lib.* 10. *Ep.* 97.

CAPUT XXIII.

De Honore Dei.

I. *Varia Honoris Dei acceptiones.* II. *Definitio ejus specialissime accepti.* III. *Causa quibus ad honorem Dei excitamur.* IV. *Honoris Dei opposita.*

I. NUnc de *honore* Dei nobis tractandum est; qua voce, sicut & *amoris* de qua modo egimus, aliquando universaliter totus Dei cultus intelligitur, sive omnium ejus mandatorum observatio. Et hoc significatu accipitur à Domino Jesu, cum dicit, *Ego honorifico Patrem meum*, *Joan.* VIII. 49. Non enim unum tantum aut alterum Patris mandatum custodiebat, sed omnia absque exceptione. Specialius accipitur pro obedientia præceptorum quæ immediate Deum spectant, seu quæ prima Decalogi tabula comprehenduntur. Et hoc sensu Deus conquerens de Sacerdotibus, qui cultum suum non satis reverenter tractabant, dicit; *Filius honorat Patrem, & servus Dominum suum. Si ergo Pater sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum? Malach.* 1. 6. Et hoc significatu distingui solet honor Dei in internum & externum. Quod nos supra de Pietate fecimus; alii vero de cultu Dei. Sed parum in eo situm est, modo ad rem ipsam recte attendatur: quia voces sunt πολύσημοι. Specialissime sumitur Dei honor pro interno animi affectu erga Deum, propter ejus excellentiam & majestatem supra omnia; qui etiam nomine gloriæ frequenter solet denotari. Sic Paulus, *Regi seculorum, immortali, invisibili, soli Deo sit honor & gloria in sæcula seculorum*, 1 *Tim.* 1. 17. Sic quatuor animalia & 24 seniores apparent Joanni dicentes, *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt*, *Apoc.* IV. 9. 11. Ita Seraphin assistentes coram Dei throno, & clamantes alter ad alterum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus*, *Esa.* VI. 3. Quamvis enim vox *honoris* hic non usurpetur, res tamen ipsa significatur. Veluti etiam in Psalmis, ubi sæpe occurrunt istæ adhortationes, *Laudate Dominum, celebrate nomen ejus, Benedic anima mea Domino*, & aliæ similes.

II. Ita acceptus *Dei honor* definiri utcunque potest, si dixerimus ipsum esse, *actum internum officii hominis erga Deum, quo in corde suo debitum excellentiæ & virtutibus operibusque Dei præmium reddit.* Nimirum quale in potestate ejus est. Nam stultum esset cogitare nos proportionatum aliquem summæ Dei excellentiæ honorem & gloriam exhibere. Id omnium creaturarum vires exsuperat. Sed nihil à nobis supra vires exigitur. Sufficit si anima nostra, & omnia quæ intra nos sunt, benedicant sancto Dei nomini, ut loquitur David *Psal.* CIII. 1.

III. Eædem propemodum sunt causæ, propter quas nos honorem, & gloriam, Deo reddere tenemur, & ipsum amare; ita ut quæ de amore Dei supra sunt dicta commode huc possint referri; licet secundum peculiarem, quo ista concipimus animo, modum distincte considerari debeant. Prima igitur causa propter quam Deum honore & gloria prosequi tenemur est naturæ ejus summa excellentia supra omnia, ita ut nihil in universo sit quod cum ea conferri, multoque minus æquiparari debeat aut possit. Ea enim ita mentes nostras quoties de Deo cogitamus rapere debet, ut nunquam in ipso in corde nostro exaltando & magnificando nobis satisfaciamus, sed semper altius atque altius ascendere contendamus. Nam cum, ut Philosophi docent, honor sit præmium alterius excellentiæ redditum, sicut excellentia Dei eminet supra omnia, ita honorem & gloriam quæ ei redduntur summa esse oportet quæ à nobis proficisci possunt. Ita Beata Virgo Maria in Cantico

tico suo, *Magnificat anima mea Dominum*, id est, quantum potest extollit eum & celebrat ipsius laudes. Et ad amplificandum istam materiam præcipua Dei attributa essent recensenda, & eorum excellentia describenda, per oppositionem eorum quæ in creaturis conspiciuntur. Deinde ad opera ejus esset veniendum, nempe creationis & providentiæ, & ostendendum quam sint admirabilia, nihilque esse tam vile aut contemtum in universo, in quo si id prout oportet consideremus, non possint summæ Dei bonitatis, potentiæ, & sapientiæ vestigia deprehendi. Et multo magis si ad ea quæ nos aliquanto propius spectant attendamus. Quod à Galeno, quamvis Ethnico, factum videmus, qui observata excellenti corporis humani structura, præcipue manuum & oculorum, in laudes opificis erumpit, & dicit se putare sacrificium istud laudum ipsi esse gratius, quam si hecatombæ offerrentur. Nam sacrificium laudis omnibus semper est in promtu, sed hecatombæ tantum à ditissimis offerri queunt, & ex ambitione potius quam animo devoto & erga Deum prout oportet affecto. Accedere deinde debet consideratio beneficiorum Dei erga nos, sive jam acceptorum, sive quæ ab illo adhuc expectamus, quemadmodum de amore agentes explicavimus.

IV. Opposita honoris divini sunt varia. *Primum* consistit in omissione, & eorum est qui terrena tantum sapientes & cupiditatibus carnis suæ immersi quas explere student, nunquam aut raro admodum de Deo honorando cogitant. Quibus metuendum est id quod Deus dicebat Heli, qui plus filios suos quam Deum honoraverat, *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, 1 *Sam.* II. 30. à qua non procul abest hypocrisis, cum quis appropinquat ad Deum ore suo, & labiis suis celebrat eum, cor autem ejus longe inde est remotum, *Esa.* XXIX. 13. Qualibus exprobrat Deus, *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum in ore tuo*, *Psal.* L. 16. *Alterum* est blasphemia, quæ directe honorem Dei impetit, cum impii in ipsum convicia jaciunt, & vel omniscium, vel omnipotentem, vel optimum aut justissimum audent negare; de qua suo loco, cum de impietate agemus. Cum qua affinitatem habent peccata eorum qui se Deum melius cæteris nosse profitentur, quibus occasionem dant incredulis blasphemandi nomen Dei. Sicut Judæis exprobratur, *Nomen Dei propter vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est*, *Rom.* II. 24. *Esa.* LII. 5. *Ezech.* XXXVI. 20. *Tertium* est præposterus honor, qualis est eorum qui erigunt Deo imagines aut statuas in quibus ipsum colant; cum tamen eas prohibuerit; aut qui honorant Deum non sicut mandavit, sed secundum traditiones hominum, *Matth.* XV. 9.

CAPUT XXIV.

De Dei Timore.

I. *Variæ timoris Dei acceptiones.* II. *Timoris Dei causa Majestas Dei.* III. *Demonstratio potentiæ Dei in puniendis iis qui ipsum offenderunt.* IV. *Dei beneficia.* V. *Castigationes.* VI. *Promissiones Dei.* VII. *Media ad timorem Dei sunt meditatio omnipræsentiæ Dei, & novissimorum nostrorum.* VIII. *Timoris Dei signa.* IX. *Effecta varia.* X. *Species timoris Dei.* XI. *Non omnis timor, quem divinæ comminationes excitant, est servilis.* XII. *Deus nos ad sui timorem comminationibus suis moveri vult.* XIII. *Discrimen primum & secundum inter timorem servilem & filialem.* XIV. *Discrimen tertium.* XV. *An timor filialis solis electis, servilis reprobis sit proprius.* XVI. *Timori Dei in defectu opponitur carentia timoris; quæ vel est in iis qui Deum plane non noverunt.* XVII. *Vel quibus se revelavit. Et apparet vel in idololatria.* XVIII. *Vel quod homines magis metuunt quam Deum.* XIX. *Vel in securitate carnali.* XX. *In excessu superstitiosus timor.*

I. SEquitur Dei *timor*. Qua voce, sicut jam de amore & honore annotatum est, sæpe in Scriptura omnium Dei mandatorum observatio generaliter comprehenditur. Hoc sensu dicebat Moses, *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus*, &c. *Deut.* X. 12. Et David, *Venite filii, audite me, timorem Dei docebo*, *Psal.* XXXIV. 12. Et Salomon, *Deum time & mandata ejus observa; hoc est enim omnis hominis*, *Eccles.* XII. 13. Denique Angelus, *Timete Dominum & date ei honorem*, *Apocal.* XIV. 7. Eodemque significatu, Timentes Dominum sunt qui custodiunt mandata ejus. Sic Job dicitur *timens Deum*, initio libri nomine ejus inscripti, & Cornelius Centurio, *Act.* X. 1. Cujus appellationis hæc est ratio, quod si quis vere timeat Deum, is ullum vel minimum ejus mandatum transgredi verebitur, & nihil magis commendatum habebit, quam omnia illa vitare, quibus sciat ipsum offendi posse. Specialius sumitur pro studio custodiendi ea Dei mandata, quæ cultum ejus immediate spectant; qualia sunt ea quæ prima Decalogi tabula continentur & quæ iis annexa sunt. Ita Moses, *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen ejus jurabis*, *Deut.* VI. 13. Specialissime & maxime proprie usurpatur pro illo metu, quo omnes corripi oportet cum cogitant quantus sit Deus, quam sublimis ejus majestas, quam immensa potestas, ut coram ipso sollicite ambulent in timore & tremore. Et definiri potest, *actus internus officii hominis erga Deum, quo omnem Dei offensam, quæ per mandatorum ejus observationem incurritur, studiose vitat, & id in omni vita actionibusque suis cavet ne ab ejus dilectione separetur unquam.* Cujus nobis nunc sunt declarandæ causæ, signa, effectus, species, & opposita.

II. *Causæ* unde oritur Dei timor sunt variæ.

Prima

Prima est summa Dei majestas, & potestas, quam habet in nos, ut præcipiat quicquid vult, & transgressores mandatorum suorum puniat. Unde dicit per Prophetam, *Me ergo non timebitis, ait Dominus, Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit*, &c. *Jerem.* v. 22. Et *si Dominus sum*, (nempe tam magnus & tam potens) *ubi est timor meus*, *Mal.* I. *v.* 6. id est, quo me prosequi tenemini. Qui enim istud serio ad animum revocat, non potest quin terrore corripiatur, nihil magis veritus quam ut ne quid committat aut omittat quo Deum à se alienet, & ipsum minus propitium faventemque experiatur.

III. Ad eam accedit altera, nempe demonstratio potentiæ Dei in puniendis iis qui ipsum offenderunt, cujus exempla cum aliquando incurrunt in oculos hominum, magnæ sunt efficaciæ ad timorem Dei in ipsis accendendum. Unde Deus dicebat Pharaoni, *In hoc posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*, *Exod.* IX. 16. id est, ut omnes agnoscant ex pœnis quas de te sumam, quam potens sim ad ulciscendum mei contemtum, & timeant me. Et Moses in Cantico gratiarum actionis pro liberatione Israëlitarum ex illius manibus, dicebat, *Dolores obtinuerunt habitatores Philistiim. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Canaan*, *Exod.* XV. 14. 15. Cui simile accidit, cum Deus demonstravit se infensum esse Israëlitis, prodigiosa cœlo sereno tempestate in momento excitata. Effectus enim ejus fuit, quod omnis populus timuit valde Dominum & Samuëlem; & dixit Samuëli, *Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ne moriamur*, &c. 1 *Sam.* XII. 16. *& seqq.* Et nautæ, qui viderunt propter Jonam tempestatem in mari excitatam, & eo in mare projecto sedatam ilico, *Timuerunt timore magno Dominum*, *Jon.* I. 16. Similiter cum Ananias & Sapphira subita morte propter hypocrisin sublati fuissent ad verbum Petri, *Factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc*, *Act.* V. 11. Commemoratio etiam istorum judiciorum quæ fit in historia sacra eodem tendit, licet propter incredulitatem nostram minorum sit virium quam ea quæ oculis nostris usurpamus, vel quæ temporibus nostris & in vicinia contigerunt, ut de iis nullus dubitandi sit locus. Tale est diluvium, conflagratio Sodomæ & Gomorræ, plagæ Ægypti, ultio sumta de Cananæis, abductio Israëlitarum in captivitatem; sed præcipue horrenda Jerusalem ultimo facta destructio, cujus historia legi aut audiri vix potest quin tremore toti corripiamur. Utile quoque est valde cogitare sæpe de ultimo judicio, cum Dominus Jesus *revelabitur de cœlo, comitatus Angelis virtutis suæ, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini Jesu Christi; qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini & à gloria virtutis ejus*, 2 *Thess.* I. Et alibi, *Scientes timorem Domini, hominibus suademus*, 2 *Cor.* V. 11. nempe timorem illum quem debemus habere, cogitantes oportere nos omnes manifestari ante tribunal Christi, &c. Quod etiam monet Christus dicens, *Timete eum qui potest & animam & corpus mittere in gehennam*, *Matth.* X. 28.

IV. Sed & Dei Beneficia non parum prosunt ad Dei timorem in nobis excitandum, quemadmodum de amore & honore supra dictum est. Nullus enim est verus amor quem non metus offendendi eum quem amamus comitetur. Sic neque honor; unde is reverentiæ nomine, tanquam æquipollenti, sæpe designatur. Ideo reprehenduntur Judæi, Quia non dixerunt in corde suo, *Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam & serotinam in tempore suo; plenitudinem annuæ messis custodientem nobis*, *Jerem.* V. 24. Quod multo magis in spiritualibus fieri debet, ut remissione peccatorum. Unde David dicit, *Quia apud te est remissio, ideo timeberis*, *Psal.* CXXX. 4. Cui etiam accedere debet ista consideratio, quod Deus qui beneficia ista contulit, ea potest & solet ab ingratis auferre, qui se dignos iis non exhibent. Quod minatur Dominus Jesus Judæis, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*, *Matth.* XXI. 43. Quo pertinet etiam parabola servi improbi, qui non eadem misericordia erga conservum qua Dominus erga se usus fuerat, *Matth.* XVIII. & in vincula conjicitur donec totum debitum persolverit.

V. Castigationes quoque quibus Deus fidelium suorum lapsus & negligentiam aliquando excitat, eo tendunt ut cum timore & tremore coram eo ambulemus. Quod indicat Paulus, dicens, *Quod si nos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*, 1 *Cor.* XI. *v.* 31. nimirum metus judicii istius facit ut fideles diligentius ad vias suas attendant, & ne à mandatis Dei recedant.

VI. Denique promissiones Dei aptæ sunt ad timorem ejus ingenerandum: *Quis est homo qui timet Deum? Anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hæreditabit terram*, *Psal.* XXV. 12. 13. Item, *Timete Dominum omnes sancti ejus; quoniam non est inopia timentibus eum*, *Psal.* XXXIV. 10. *Tob.* IV. 25. Rursus, *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur*, *Proverb.* X. 27. Contra iis qui magis homines quam Deum timent, non ingredientur in ejus regnum. *Timidis & incredulis*, &c. *pars erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda*, *Apoc.* XXI. 8.

VII. Istæ timoris Dei causæ sunt etiam media quibus in corde nostro excitatur. Sed præcipui inter illa momenti est semper cogitare Deum omnibus nostris actionibus præsentem interesse, ita ut nihil facere aut dicere, imo nequidem mente agitare possimus quod ipsum lateat. *Omnia* enim *nuda & aperta sunt oculis ejus*

cum quo nobis res est, *Hebr.* IV. 13. Ideo David dicebat, *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Psal.* CXXXIX. 7. *& seqq.* Istud est fundamentum adhortationis Paulinæ, *Cum timore & tremore operamini salutem vestram*, *Philipp.* II. *v.* 12. nam addit, *Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Ac proinde qui semper adest nobis & præsto est omnibus quæ molimur. Quod si viri gravis præsentia, imo aliquando etiam pueruli, avertere potest à peccato, præ pudore quem incutiunt, quanto magis Dei? Cui alterum adjungi debet ex consilio Syracidis, *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & nunquam peccabis*, *Eccles.* VII. 40. Novissima autem ista sunt quatuor, nempe mors, judicium, paradisus, & infernus. Quorum si quis perpetuo recordetur, & ea metuat, magnam vim habebunt ad pravas ejus cupiditates frænandum; sciens mortis horam esse incertam, post eam sequi judicium, & unumquemque congrua factis suis reportaturum, sive præmium, sive pœnam æternam.

VIII. Nunc videndum est ex quibus *indiciis* nos possimus deprehendere nos vere Deum timere. Eorum *primum* est, si plus timeamus Dei judicium quam omnes hominum comminationes & mala quæ nobis possunt inferre; secundum Christi monitum, *Ne terreamini ab iis qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quod faciant*, &c. *Luc.* XII. 4. 5. Vide etiam 1 *Pet.* III. 14. Id fecerunt martyres, qui maluerunt subire mortem quam Deum offendere, ex. gr. tres illi Hebræi principes, qui nolentes adorare statuam Nebucadnezaris conjecti sunt in fornacem ignis ardentem. Et Daniel, qui non adeo metuit abjici in fossam leonum, ac abstinere à publice invocando Deo & profitendo ejus nomine: aliique plurimi, præcipue sub Novo Fœdere. *Alterum* est, si propter Dei metum solum & conscientiam quam habemus erga ipsum abstineamus à peccando, etiamsi apud homines id possimus impune facere. Id præcipit lex, dicens, *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum, sed timebis Dominum Deum tuum*, *Levit.* XIX. 14. Et videre est in Josepho, qui cum haberet fratres in potestate sua & facile ipsi esset ulcisci injuriam ab illis acceptam, dicit illis, *Deum timeo*, *Genes.* XLII. 18. & Job, *Qui non levavit super pupillum manum suam, etiam cum videret se in porta superiorem; sed semper quasi tumentes fluctus timuit Deum, Job.* XXXI. 21.

IX. *Effecta* timoris Dei sunt multiplicia. *Primum* est, quod parit odium peccati, dicente Salomone, *Timor Domini odit malum, Prov.* VIII. *v.* 13. Nec aliter fieri potest si sincerus sit. Nam cum Deus oderit peccatum, & puniat ipsum, idem quoque affectus esse debet in eo qui timet Deum. Quod significat etiam Siracides, dicens, *Timor Domini expellit peccatum*, *Eccl.* I. 27. Cum quo cohæret ut faciamus quod Deo placet. Nam *qui timent Deum inquirent quæ beneplacita sunt ei*, *cap.* II. 19. *Secundum* est, quod *timor Domini sit initium sapientiæ*, *Proverb.* I. 7. *Psal.* CXI. 10. quod alii accipiunt de capite seu præcipua parte sapientiæ. Et utrumque verum est. Nam qui veram sapientiam vult adipisci, debet à timore Dei initium capere. *Secretum Domini est timentibus eum, & pactum suum illis notum faciet*, *Psal.* XXV. 13. Sed etiam ille non parum profecit in sapientia, qui timet Deum; cum ex hoc timore immediate procedat peccati odium & virtutis amor. Nam *qui timent Deum custodiunt mandata illius*, *Eccl.* II. 21. *Tertium* est, quod ex Dei timore oriatur constantia in tentationibus, secundum illud Salomonis, *In timore Dei fiducia fortitudinis*, *Prov.* XIV. 26. Item, *Qui timet Deum nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus*, *Eccles.* XXXIV. 16. Quod supra vidimus martyres animasse ad fortitudinem & omnia adversa propter veritatem ferendum. *Quartum* est, quod timor Dei causa est ut Deus exerat misericordiam suam & favore prosequatur. Nam *misericordia ejus à progenie in progeniem timentibus eum*, inquit Beata Virgo in Cantico, *Luc.* I. 50. Ex misericordia autem Dei & favore procedunt omnes ejus benedictiones tam ad hanc vitam quam ad futuram pertinentes. Nam si misericordiam Deus exercet erga indignos, & qui ipsum non timent, *Tit.* III. 5. quanto magis erga timentes & diligentes se, *Joan.* XIV. 23. & XV. 14.

X. Sequuntur timoris Dei species; quæ duæ sunt, ut vulgo tradunt Theologi, nempe servilis & filialis. In quo præeuntem habent Beatum Paulum, qui dicit; *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*, seu potius, *ad timorem*, *εἰς φόβον*, *sed accepistis spiritum filiorum adoptionis, in quo clamamus Abba, Pater*, *Rom.* VIII. 15. Ubi vox *spiritus* in priori membro nihil aliud significare potest quam affectum, cum indecens sit, ut spiritus divinus metum servilem ingeneret in hominum cordibus. Ac proinde in posteriori quoque eodem significatu accipiendus est, ut requirit lex oppositionis. Sic à Salomone reprehenditur *vir* qui non potest in loquendo *cohibere spiritum suum*, *Proverb.* XXV. 28. id est, affectum quo possidetur, sive amoris, sive odii, aut similem.

XI. Sed non omnes idem sentiunt de natura timoris Dei servilis & filialis. Quidam enim existimant omnem illum timorem quem divinæ comminationes excitant, habere aliquid servile; & eum solum ac proprie filialem esse dicendum, qui ad illas non respicit. Nimirum quia servi imperata à dominis faciunt potius ex metu verberum, quam ex amore quo ipsos prosequantur; filii vero bonæ indolis contra, qui metuunt parentes offendere, quia amant eos, etiamsi norint nullam ex offensa sibi pœnam imminere. Sed quamquam certum sit obedientiam illam mandatorum Dei, quæ ex amore proficiscitur, longe nobiliorem & præstantiorem

tiorem esse ea quam plagarum timor producit; hæc tamen non est semper tanquam servilis & Dei filiis indigna damnanda, si sit sincera. Ea tantum proprie servilis dicitur, quæ in rituum quorundam externorum observatione occupatur, à quibus cor est aversum; veluti mali servi solent, qui præsente quidem domino jussa ejus exsequuntur, sed si sperent se ipsum latere & verbera effugere posse, non multum curant. Sed si quis servus verberum metu primo quidem impellatur ut domino pareat; sed tamen postea id sincere & ex animo faciat, etiamque absentem revereatur, is timor non est amplius servilis, sed bono quoque filio non plane indignus. Atque ita in timore Dei se res habet. Cum aliquis metu pœnarum, quas contumacibus intentat, aut conspectis judiciorum ejus in impios exemplis, movetur ad peccato renunciandum, & vitam secundum Dei mandata instituendum, iste timor non est culpandus, aut Deo minus gratus existimandus.

XII. Moveri enim ad pietatem & mandatorum Dei obedientiam iis argumentis quæ Deus ipse in verbo suo adhibet, non est indignum aut male conveniens bono Dei servo. Videmus autem ipsum minis sæpe uti, non tantum in lege, sed etiam in Euangelio. In lege exstant duo prolixi catalogi plagarum, quas Deus rebellibus Israëlitis immissurum minatur, nempe *Levit.* XXVI. & *Deut.* XXVII. XXVIII. Quibus subjicitur Deum misericordia usurum erga eos qui pœnitudine cordis ducti reversi fuerint ad eum, & conversurum plagas quibus ipsos percusserat in illorum inimicos, *Deuter.* XXX. Unde apparet metum & sensum judiciorum Dei, eo tendere ut peccatores ad pœnitentiam adducantur, & Deum postea propitium experiantur. In Euangelio quoque Dominus dicit discipulis, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehenna*, *Matth.* X. 28. Eodemque tendit toties facta judicii ultimi, ignis æterni, stagni ardentis igne & sulphure mentio. Unde Paulus cum dixisset, oportere nos omnes comparere coram tribunali Christi, ut præmium aut pœnam secundum facta reportemus; addit, *Scientes timorem Domini, hominibus suademus*, nempe fidem & resipiscentiam, 2 *Cor.* V. 11. Item, *Timeamus ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse*, *Hebr.* IV. 1. Et sic plurimis aliis in locis, quæ superfluum foret congerere. Cum igitur Deus hac ratione homines ad sui cultum adducere studeat, non potest dici servile minis ejus moveri; quia ipse culpetur quod non satis prudenter ea media adhibeat, quæ nihil aliud nisi timorem servilem, sibi ingratum, producere possint. Istud solummodo observandum est, obedientiam nostram non debere in isto primo gradu subsistere, sed ulterius progredi, ut non tantum ex metu, sed etiam ex amore proficiscatur; atque adeo vitæ sanctimonia tantopere delectemur, ut etiamsi pœnarum metus abesset, ab ejus tamen studio nos abduci non pateremur. Raro tamen aliter quam à metu initium ducit, unde is initialis dici solet, secundum illud, *Timor Domini initium sapientiæ*, *Prov.* I. *Psal.* CXI.

XIII. Quid ergo, inquies, discriminis est inter timorem Dei servilem & filialem? Resp. Id jam ex parte indicavimus, cum servilem illum esse diximus qui externam solum & umbratilem obedientiam producit; filialem vero qui internam, & ex sincero animi motu. Huic adde alterum, quod metus Dei alius sit qui sequatur peccatum admissum, alius qui præcedat, & impediat quo minus committatur. Ille proprie est servilis, hic vero filialis. Nam cum aliquis postquam Dei mandata transgressus est, metuit pœnas quas minatus est, & non curaret ab eo offendendo abstinere, si speraret se illas effugere posse, is se instar improbi servi erga Deum gerit. Tales erant primi nostri parentes, qui postquam comedissent ex fructu prohibito, latebras quæsiverunt à facie Dei inter arbores Paradisi, *Gen.* III. 8. & Cain, qui dicebat Deo, *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*, *Gen.* IV. 13. Talis quoque fuit timor Saulis, Achitophelis, Judæ, & multorum aliorum impiorum, qui in peccatis perseverarunt. Sed si iste timor cum aliqua veniæ spe sit conjunctus, licet non omnino firma, attamen tali ut qui illo correptus est consilium ineat vitæ mutandæ & sanctimoniæ operam dandi, idque opere ipso exsequatur, tunc non est amplius servilis timor, quamvis forte ab initio talis fuisset, & non dubium est illum omnem Deo esse acceptum qui talem effectum pariat. Filialis vero est ille maxime proprie qui antecedit peccatum & nos ab eo deterret; qualem nobis commendat Paulus, dicens, *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*, *Philipp.* II. 12. Et Petrus, *Si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini*, 1 *Epist.* I. 17. Sed quia nullus est adeo perfecte justus, ut non interdum labatur, ideo fideles qui timore Dei à peccato patrando abducuntur, etiam aliquando cum in ipsum inciderunt, verentur ne ex ejus gratia excidant; scientes justum quidem ex fide victurum, sed si se subtraxerit, animæ Dei non placiturum, *Hebr.* X. 38. Ita ut istæ duæ timoris Dei species fere inter se commixtæ sint, & altera cum altera concurrat.

XIV. Tertia differentia est, quod servilis timor sibi proponat Deum tanquam severum & inflexibilem judicem, qui rigide omnia hominum facta examinet, & absque misericordia peccata, præsertim graviora, ulciscatur. Et quia se talem in veteri lege descripsit, & factis aliquando exhibuit, hinc est quod ea timorem servilem in animis eorum qui ipsi suberant progignebat. Quod significavit Paulus in loco paulo

paulo ante ex *Rom.* VIII. adducto, *Non accepistis iterum spiritum servitutis ad metum.* Intonabat enim illa, *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit, Deut.* XXVII. *v.* 26. Cum quo consonat Apostolus, *Irritam quis faciens legem Mosis, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, Hebr.* X. 28. Quod executioni mandatum est in eo qui collegerat ligna Sabbatho, *Numer.* XV. 32. Et in Nadab & Abihu filiis Aaronis igne à facie Dei prodeunte occisis, quod in thuribulis ad offerendum Deo incensum, ignem alienum sumpsissent, *Levit.* X. 1. & aliquot aliis. Cum quo conjungendum est, quod lex illa, si cortici verborum inhæreas, & ad mysticum sensum non penetres, promissa tantum temporalia & ad hanc vitam pertinentia continebat, & longe plures gravioresque pœnarum comminationes, quæ ad timorem servilem gignendum faciebant. Unde Apostolus statum Judæorum sub illa lege cum servili comparat, dicens, *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit dominus omnium;* &c. *ita & nos cum essemus parvuli sub elementis mundi eramus servientes, Gal.* IV. 1. Contra, filialis timor sibi proponit Deum tanquam Patrem misericordem, qui ad infirmitates suorum connivеat & eas resipiscentibus benigne condonet. Quod quia potissimum facit sub Euangelio, inde est quod ipsum timorem filialem producat, ut significat Apostolus in locis ex *Rom.* VIII. & *Galat* IV. modo adductis. Et Joannes cum dicit, *Lex per Mosem data est, gratia & veritas per Jesum Christum, Joh.* I. 17.

XV. Quare vanum est quod nonnulli docent, timorem filialem esse proprium electorum, servilem vero reproborum. Nam quamvis appellationes electorum & reproborum intelligerentur, ut oportet, de fidelibus & infidelibus, non autem de electione aut reprobatione absoluta, quas Scriptura ignorat, id tamen non esset absolute verum; cum sub Veteri Fœdere fideles & electi etiam timore servili, quem lex producebat, correpti fuerint; & sub Novo quando in peccatum aliquod, præsertim gravius, labuntur, iram ejus merito timeant, licet de misericordia obtinenda non omnino desperent. Summatim talis esse debet noster Dei timor, ut licet comminationes ejus severas metuamus, magis tamen adhuc doleamus si quid admiserimus vocatione nostra & filiorum Dei titulo indignum, à quo ipsum abhorrere noverimus; qui est vere filialis timor.

XVI. *Opposita* timoris Dei sunt alia in defectu, alia vero in excessu. Timori Dei in defectu opponitur carentia timoris, cum aliquis nullo Dei & minarum ejus metu impeditur quominus carnis suæ cupiditatibus morem gerat. Tales sunt impii, de quibus dicit Paulus, *Non est timor Dei ante oculos eorum, Rom.* III. 18. ex *Psal.* XXXVI. 2. Quod vel in eos quadrat, qui omni veri Dei cognitione sunt destituti; vel in eos qui ipsum quidem aliquo modo noverunt, sed tamen mandata ejus observare non curant. De primis qui Deum non norunt, mirum non est si ipsum non timeant. Nesciunt enim quam sublimis ejus sit majestas, quam insuperabilis potentia ad sui contemtum ulciscendum. Exemplum ejus habemus insigne in Pharaone, cui cum Moses & Aaron nomine Dei denunciarent ut Israëlem dimitteret, respondit, *Quis est Dominus ut audiam vocem ejus, & dimittam Israël? nescio Dominum, & Israël non dimittam, Exod.* V. *v.* 1. 2. Item Rabsaces, Regis Assyriorum legatus, qui non credebat Dominum quem colebant Israëlitæ posse Jerusalem eruere de manu sua, 2 *Reg.* XVIII. 32. &c. Sic Abraham peregrinans in Geraris cogitabat apud se, *Forsitan non est timor Dei in isto loco, Gen.* XX. 11. Quanquam fallebatur. Abimelech enim, loci illius rex, non erat adeo impius ut putabat.

XVII. Quod ad eos quibus Deus se per verbum suum revelavit, ac proinde ipsum ita ignorare non possunt ut illi qui solam naturam pro doctore habuerunt, prodigiosum est si Deum non timeant. Nam si est omniscius, nihil eum latet eorum quæ in occulto moliuntur: si est omnipotens, nullus est qui effugere possit ejus manus. Sed quamvis hac de re satis in animo suo convicti sint, & negare non audeant, tamen non attendunt, & affectuum vehementia abrepti ita se gerunt quasi Deum plane non timerent. Quales sunt illi, quibus tribuitur quod Deum irritent aut Christum, ejusque adversus se iram provocent; ut Israëlitæ de quibus sæpe conqueritur Deus per Prophetas. Vide inter alia loca *Psal.* LXXVIII. 40. 41. 56. 57. 58. Et Christiani illi, quorum nomine Paulus dicit, *Num provocamus ad æmulationem Dominum? num validiores ipso sumus?* 1 *Cor.* X. 22. Quod propter participationem idololatriæ, quam Deo summopere exosam esse sciebant, pronunciavit. Nullum enim est peccatum quod Dominum magis ad iracundiam provocet. unde se Deum zelotem vocat, qui instar mariti rivalem ferre nequeat, qui eodem secum honore colatur. Imo carentia metus Dei talis esse potest, ut Deus id pro sui irrisione accipiat. Nam etiamsi qui ipsum offendunt de eo non cogitent, ex factis de intentione judicat. A quo peccato Paulus volens avocare Galatas dicit, *Nolite errare; Deus non irridetur, Gal.* VI. 7. q. d. ne existimate vos opera carnis patrando, & secundum spiritum vivere negligendo, (quod est perinde ac si Deum & ejus mandata irrideretis) pœnam quam meriti estis effugituros.

XVIII. Ad hos accedunt ii qui magis homines quam Deum metuunt, id est qui mandata Dei transgredi non verentur, ne in hominum offensam incurrant, ut aliquid incommodi inde accipiant. Contra quos loquitur Dominus Jesus, dicens, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere,* &c. *Matth.*

Matth. x. 28. Hæc fuit causa lapsus Petro & abnegationis Domini sui. Nempe plus timebat homines & malum ab iis imminens quam Deum. Sed postea robustior factus in fide, alios ad eandem animi fortitudinem hortatur, *Timorem eorum ne timueritis, & non conturbemini*, &c. 1 *Petr.* III. 14. id est, nihil metuite vobis ab iis qui persecutionem propter justitiam & Euangelii veritatem intentant. Quod si gravi reprehensione digni sunt, qui in tali casu plus mortem corporis quam Dei offensam timent; quanto magis qui honorum, opum, aut voluptatum jacturam tantopere metuunt, ut ea de causa veritatem Dei abnegent aut profiteri non audeant?

XIX. Istuc quoque pertinet securitas carnalis, cum aliquis peccatis & carnis suæ cupiditatibus indulgens, vivit tamen sine cura aut ullo judicii divini metu, sibique persuadet nihil esse cur ab ejus ira timeat. Qui affectus tanto est periculosior, quo minus animadvertitur, & adversus eum muniendus est animus meditatione præcepti Sapientis, qui dicit, *Beatus homo qui semper est pavidus, qui vero mentis est duræ corruet in malum*, *Proverb.* XXVIII. 14. Nec existimandum est miserum hunc esse statum, cum impediat ne in æternum infortunium incidamus. Et veluti qui lethargo laborant pungendo & vellicando solent excitari, ne somnus ipsis mortem afferat, ita utile est metu iræ Dei continuo percelli eos qui mandata ipsius non observant. Non solum autem impii & omni timore Dei vacui, sed etiam pii quoque interdum nimium securi sunt. De illis accipiendum est quod dicit Paulus, *Cum dixerint, pax & securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus, sicut dolor parturienti, & non effugient*, 1 *Thess.* v. 3. Talisque erat primi mundi status, cum diluvii aquis ex improviso decidentibus obrutus fuit; item Sodomæ & Gomorræ, cum igne & sulphure cœlitus delapso consumtæ fuerunt. De his vero monet Christus in parabola virginum sapientum & fatuarum, cum dicit moram faciente sponso omnes pariter dormitasse & dormiisse, *Matth.* XXV. 5. Quod nonnulli subtilius distinguunt, somnum de fatuis, dormitationem vero de sapientibus intelligentes. Et Deus ad istam securitatem excutiendam à fidelibus eos castigare solet. Qua de re vide *Hebr.* XII. 5. & *seqq.* sed præcipue 1 *Cor.* XI. 32. ubi Apostolus dicit, *Dum judicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

XX. Timori Dei in excessu opponitur superstitiosus timor, qui est duplicis generis. Unus Idololatrarum, qui falsa numina colunt & timent; quales erant Athenienses, quibus Paulus testimonium perhibet quod essent δεισιδαιμονέστεροι, id est superstitiosiores, in eo quod aram etiam ignoto Deo exstruxerant, *Act.* XVII. v. 22. 23. quem proinde nesciebant, utrum esset Deus nec-ne, potentiaque ulla juvandi vel lædendi instructus. Alter est Christianorum, qui magnam pietatis partem collocant in observatione rituum externorum, ab hominibus sine ullo Dei mandato institutorum; quales sunt plerique inter Pontificios, qui existimarent se magnum aliquod scelus admisisse, si festo die non interfuissent Missæ, vel in confessione omisissent scientes peccati alicujus enumerationem, vel in quadragesima aliisque jejunii temporibus modicum carnis degustassent; & propterea animo anguntur quasi Deum sibi iratum haberent. In quo certum quidem ipsos conscientiæ suæ vulnus inflixisse: sed operam dare debuissent ut melius esset de voluntate Dei informata, & sic nullo nisi justo metu teneretur.

CAPUT XXV.

De Dei Fiducia, & Spe.

I. *Discrimen inter Fidem, & Fiduciam, ejusque definitio* II. *Causa cur in Deum confidere pii debeant.* III. *Fiducia in solo Deo est collocanda.* IV. *Contra hanc peccant, qui confidunt opibus.* V. *Et viribus propriis.* VI. *Quique se operum meritis salutem consequi posse credunt.* VII. *Quomodo opera bona necessaria sint ad salutem.* VIII. *Quomodo Sancti ad opera sua bona respicientes Deo confisi fuerint.* IX. *Discrimen inter spem & fidem.* X. *Spei causa efficiens primaria est Deus.* XI. *Objectum omnia Dei beneficia nobis promissa.* XII. *Ejus opposita sunt spes nimia, & desperatio.* XIII. *Huc refertur tentatio Dei, cujus natura ostenditur ex loco Deut.* VI. 16. XIV. *Et ex responso Domini quo diabolum repellit, Matth.* 4. XV. *Et ex historia Achasi, Esa.* 7. XVI. *Quo sensu accipiatur Judith.* 8. XVII. *Quomodo licitum sit, aliquando nova experimenta voluntatis Dei petere.*

I. SUperest ex partibus interni cultus Dei fiducia. Ea ut plurimum cum fide, de qua supra egimus, confunditur, & multa habet cum ipsa communia. Sed tamen proprie loquendo differt ab ea tanquam effectum à sua causa; Ideo enim confidimus Deo, quia ipsum veracem esse credimus; & nisi fidem istam pro fundamento substraverimus, fieri nequit ut veram in illum fiduciam unquam collocemus. Magnam etiam cum spe affinitatem habet, & sæpe unius vox pro altera ponitur. Proprie tamen loquendo spes ex fiduducia nascitur. Græce dicitur πεποίθησις à πείθω persuadeo, unde πίστις vox etiam originem habet. Quodnam vero inter ipsam & fidem discrimen collocandum sit discimus ex Paulo, dicente, *in Christo nos habere προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ, aditum cum fiducia per fidem ipsius*, *Ephes.* III. 12. Præcedere ergo debet fides, & deinde fiducia sequi. Quæ definiri potest, *actus pietatis internus, quo homo qui Deum novit in eum solum recumbit, ab eo omnia certo sperans & exspectans quæ salutaria sibi sunt, & ut à malis sibi imminentibus,*

præsertim saluti æternæ noxiis, conservetur & liberetur.

II. Causæ cur in Deum confidere omnes pii debeant sunt cognitio bonitatis, potentiæ & sapientiæ ipsius; quibus sæpe accedit præcedentium ejus beneficiorum & liberationum experimentum. Ex præteritis enim argumentum sumunt quid de futuris sperandum sit. Id quod faciebat David, dicens, *Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum, &c. Psal.* XVIII. *v.* 2. 3. & sæpe alibi.

III. Fiducia autem nostra in solo Deo collocanda est, quia in nullo alio præter ipsum sufficientia ejus fulcra reperimus. Inter homines potentissimi sunt Reges & Principes, in quibus tutissime confidi posse videtur. Sed tamen id nobis diserte prohibetur; *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus ejus & revertetur in terram suam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, Psal.* CXLVI. 3. 4. Item, *Bonum est confidere in Domino quam in homine. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in Principibus, Psal.* CXVIII. *v.* 8. 9. Imo *Maledictus* pronunciatur generatim homo *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, Jerem.* XVII. 5. Nimirum quia confidendo in homine, cor ejus à Domino recedit, ut ibidem additur. Alias maledicti non sunt qui Prophetis tanquam Dei legatis confidunt, quia per ejusmodi fiduciam cor eorum non recedit à Domino, sed arctius ipsi adhæret. Unde laudantur Israëlitæ, quod *timuerint Dominum, & crediderint Domino, & Mosi servo ejus, Exod.* XIV. *v.* 31. Et Josaphat pius rex hortatur viros Juda & omnes habitatores Jerusalem: *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: Credite Prophetis ejus, & omnia evenient prospera, 2 Paralip.* XX. 20. Ex quo etiam videre est, quam male applicetur illa Jeremiæ maledictio iis qui in Christum Mediatorem, qui homo est, fiduciam collocant, cum per ipsum *fideles sint in Deo, qui suscitavit Christum à mortuis, & dedit ei gloriam ut fides nostra & spes esset in Deum*; ut loquitur Petrus 1 *Epist.* 1. *v.* 21. Sed istud manet firmum, soli Deo esse confidendum, cum nemini nisi propter ipsum, & quia ejus personam sustinet, fidere liceat. *Benedictus* enim est *vir qui confidit in Domino, & cujus Dominus erit fiducia, &c. Jerem.* XVII. 7. *& seqq.* Item, *Beati omnes qui confidunt in eo, Psal.* II. 13. Et ita fecerunt omnes sancti, ut David, qui id sæpe de se profitetur, *Psal.* III. 6. 7. *Psal.* XI. 1. & XIII. 6. & XVI. 1. & XXV. 2. & XXVI. 1. & LVII. 2. multisque aliis locis. Ipse Dominus Jesus, cui in cruce pendenti exprobrant hostes, *Confidit in Deo; liberet nunc eum, si vult eum, Matth.* XXVII. 43.

IV. Non sufficit autem quomodocunque Deo confidere; sed fiducia illa firma esse debet & stabilis, præsertim cum nos omnibus aliis humanis præsidiis destitutos esse videmus. Multi enim sunt, qui cum abundant opibus, & omnia ipsis ex animi sententia succedunt, se Deo confidere jactant; sed deficientibus istis præsidiis statim animum despondent. Unde apparet vanam fuisse fiduciam quam in Deo se reponere jactabant, ipsosque non vere in Deo, sed in iis quibus affluebant opibus sperasse. In quo sibi non raro imponunt etiam virtutis & pietatis studiosi, sed qui se nondum satis bene norunt & quanta sua sit infirmitas; ideoque tanto studiosius caveri debet ab iis, qui non umbram tantum pietatis, sed ipsum corpus & efficaciam ejus possidere & in vita sua exprimere desiderant.

V. Nec minus suspectæ nobis esse debent vires nostræ ad resistendum peccati tentationibus, adeo ut nunquam in iis confidamus, sed in Dei gratia, quæ est robur confugientium ad eam. Hæc fuit causa lapsus Petro, quod se fortiorem esse crederet quam erat revera. Jactabat se apud Dominum Jesum, *Animam meam pro te ponam.* Qui respondit ipsi, *Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi, non cantabit Gallus, donec ter me neges, Joh.* XIII. 37. 38. Quod etiam evenit, quia nequidem monitus sibi cavit. Exemplo igitur alieno discamus sapere & nobis diffidere.

VI. Huc quoque pertinet ne salutem operum meritis consequi speremus, sed unica Dei gratia & misericordia, peccata vere pœnitentibus condonantis, & ad infirmitates atque ignorantias nostras conniventis; prout Scriptura diversis in locis docet. *Gratia*, inquit Paulus, *salvati estis per fidem, (& hoc non ex vobis, Dei enim donum est) non ex operibus, ut ne quis glorietur, Ephes.* II. 8. 9. Item, *Si ex gratia, jam non ex operibus; alioqui gratia jam non est gratia, Rom.* XI. 6. Imo etiamsi quis plane immunis foret à peccato, non adipisceretur salutem æternam vi operum, ut Christus docet, *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus, Luc.* XVII. 10.

VII. Sed tamen istud non ita accipiendum est, quasi absque serio bonorum operum studio possimus certam & minime fallacem vitæ æternæ spem concipere, cum non alia conditione nobis sit promissa. In quo multi graviter errant, quia nesciunt hæc duo inter se conciliare, quomodo non servemur vi aut merito operum, & tamen necessaria sint ad salutem consequendam, tanquam causa sine qua non, ut loquuntur Logici. Et istud est quod docet Joannes, *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus*, 1 *Epist.* III. 21. Ubi cum dicit, *Si cor nostrum non reprehenderit nos*, id non est referendum ad statum vitæ præteritum. Nam *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*,

est, 1 *Joan.* I. 8. 10. Sed intelligi debet de conditione fidelium & eorum qui veritatem agnoverunt, qui alia ratione fiduciam apud Deum non possunt habere, quam si à conscientia non redarguantur, quod adhuc scientes volentes in aliquibus peccatis aut operibus carnis maneant; sed contra, mandata Dei custodiant, & quæ placita sunt coram eo faciant.

VIII. Et ita semper senserunt sancti, quorum Scriptura meminit. Ut David, qui dicit, *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi: quia custodivi vias Domini, nec impie gessi à Deo meo*, *Psal.* XVIII. 21. 22. Nec refert, sive vertas in futuro *retribuet*, una cum vulgata, vel *retribuit* in præterito, una cum recentioribus quibusdam interpretibus. Quod enim Deus fecit in præterito, nos quoque possumus merito sperare ipsum in futuro esse facturum. Alii hic distinguunt inter justitiam causæ & justitiam personæ, & dicunt Davidem quidem confisum fuisse quod justior esset causa sua quam adversariorum à quibus persecutionem patiebatur; sed justitiam istam nihil contulisse ad personæ ejus justificationem coram Deo. Sed quamvis fatear Davidem hic potissimum respexisse ad causam istam, id tamen non infringit argumenti nostri vim. Eadem enim est ratio totius vitæ hominis, & partis alicujus. Si fiduciam concipimus opis divinæ in aliquo particulari negotio, quia conscii nobis sumus bonitatis & justitiæ causæ nostræ; ita in judicio quod olim de tota nostra vita est laturus, si certi simus nos serio peccatis renunciavisse, & totis viribus in studium bonorum & Deo placentium operum incumbere. Quod *si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, & novit omnia*, 1 *Joan.* III. 20. id est, longe plura in nobis peccata deprehendit quam nos ipsi, quia melius cor nostrum novit, & omnes ejus latebras scrutatur. Si ergo non debeamus esse plane securi quando cor nostrum non condemnat nos, quia forte ipsum satis diligenter non excussimus, quanto magis si reprehenderit nos, scientes Deum longe plures in eo defectus quam nos ipsos invenire posse? Ita etiam Ezechias, qui morbo lethali laborans, & se ad comparendum coram Dei tribunali præparans, dicebat; *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim*, *Esa.* XXXVIII. v. 3. Non quod negare vellet quod reus esset multorum peccatorum coram Deo, propter quæ posset secum in judicium intrare; sed quia sibi conscius erat veræ pœnitentiæ, & quomodo deinde sincero corde, procul ab omni hypocrisi, studuisset pro viribus mandata Dei observare. Et Nehemias, Judaici populi gubernator post reditum ex captivitate Babylonica, commemorato quomodo non abusus esset potestate quam habebat, audet Deo dicere, *Memento mei Deus meus in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic*, *Nehem.* v. 19. Denique Paulus sub vitæ suæ finem, alacritatis plenus dicit, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; quod superest reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex*, &c. 2 *Tim.* IV. 8. Non potuisset autem coronam justitiæ à justo judice tanta cum fiducia expectare, nisi conscius sibi fuisset se post conversionem ad Dominum, seu fidem Christo & Euangelio ejus habitam, totis viribus justitiam Deo placentem sectatum fuisse.

IX. Cognata fiduciæ Dei est spes. Unde fiducia à quibusdam definitur spes roborata. Male confunditur cum fide, quasi plane eadem cum ipsa foret. Magnam quidem inter se habent affinitatem, quia utraque promissis Dei nititur & ad futura bona respicit. Qua de causa Apostolus fidem definire volens eam vocat *ἐλπιζομένων ὑπόστασιν*, *substantiam eorum quæ sperantur*, *Hebr.* XI. 1. Differunt tamen à se invicem, & potissimum in hisce duobus. 1. Spes circa futura tantum occupatur; fides vero etiam præsentia & præterita respicit. Sic fide credimus Deum esse hujus mundi architectum, & ipsum etiamnum providentia sua conservare & regere: Jesum Christum esse natum, mortuum, revixisse, ascendisse in cœlos, & ibi coram Patre pro nobis comparere. 2. Spes non versatur circa mala. Impropria enim est locutio, sperare dolorem, pro metuere. Sed fides ea non minus amplectitur quam bona. Unde fides Noæ tribuitur, quod metuens apparavit arcam in salutem domus suæ, *Hebr.* XI. 7. Et fidei est officium, metuere judicium futurum, ne quid committamus cujus rationem reddere nequeamus quando coram tribunali Christi sistemur; licet hic metus in piis cum spe sit conjunctus.

X. Cæterum de spe non est necesse pluribus agere, cum reliqua de fide & fiducia tractata maximam partem in ipsam quoque quadrent. Eandem habent causam efficientem primariam, nempe Deum & ejus promissa. Ideoque eum merito celebrat Petrus, dicens, *Benedictus sit Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam suam misericordiam regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*, 1 *Epist.* I. 3. Nam cum Christus nomine Patris sui pollicitus esset se Euangelio credentes suscitaturum in vitam æternam, Deus hanc spem in nobis corroboravit, Christum ipsum à morte excitando. unde Paulus ipsum vocat *Deum spei*, *Rom.* XV. 13. quia nempe veram spem in cordibus nostris accendit & fovet. Proinde in Deum & Christum nobis sperandum est, in quibus habemus omnia quæ ad spem nostram fulciendum requiruntur; præcipue veracitatem & potentiam. Hæc est demum spes quæ non pudefacit, *Rom.* v. 5. cum spes in hominibus collocata sæpe confundat; maximè

illa quam superstitiosi reponunt in Sanctis mortuis, ut in Virgine Maria, cui dicunt in suis hymnis, *Spes nostra salve*, &c.

XI. Objectum spei sunt omnia Dei beneficia, sed præcipue quæ in Euangelio ad spiritualem & æternam vitam facientia sunt promissa; quorum colophon cum sit salus in cœlis nobis reposita, ad illam præcipue intuetur spes. Unde 1 *Thess*. v. 8. vocatur *spes salutis*, quæ instar galeæ caput nostrum protegit in certamine quod nobis est cum Diabolo. Item *spes vitæ æternæ*, *Tit*. III. 7. Et *ancora animæ*, *Hebr*. VI. 19. quia sicut ancora firmat navem adversus tempestates; ita spes in Deum collocata adversus tentationes. Cujus ipse qui nos hæc docet Apostolus egregium est exemplum, dicens, *Habentes talem spem multa fiducia utimur*, 2 *Cor*. III. 13. Item, *spem habens in Deum*, *resurrectionem futuram justorum & injustorum: in hoc ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere erga Deum & erga homines semper*, *Act*. XXIV. 15. 16. Hujus virtutis excellentia in eo consistit, quod versatur circa res absentes & adhuc inconspicuas; secundum istud ejusdem Apostoli, *Spe salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes*, &c. *Rom*. VIII. 23. 24. 25. Cedit tamen dignitate charitati, sicut & fides. Nam fides & spes in futuro sæculo abolebuntur, cum fruemur gloria nobis promissa, sed charitas permanebit in æternum, 1 *Cor*. XIII. 8. &c.

XII. Ejus oppositum est partim spes nimia, partim desperatio. Spes nimia, cum ii qui vivunt adhuc in peccatis sperant eorum remissionem & vitam æternam, decipientes se vanis cogitationibus; sicut ante diximus de fiducia. Qui status est periculosissimus, & à quo tanquam peste animæ cavere sibi debent qui salutem suam in tuto esse cupiunt. Desperatio est aliquando peccatum, aliquando pœna. Peccatum est, quando illi desperant de bonitate Dei qui de illa bene sperare jubentur, & comes est infidelitatis, seu potius idem cum ipsa plane est; & cum impediat conversionem peccatoris, perniciosissima est. Impedire autem eam inde apparet, quod qui immersi sunt peccatis, & longa assuetudine habitum alterius naturæ instar contraxerunt, nunquam de iis deferendis serio cogitant, nisi veniæ spes affulgeat; quia frustra & incassum id suscipere nolunt. Unde Propheta *Psal*. CXXX. 4. *Siquidem apud te est remissio, ideo timeberis*. Desperatio vero est pœna, quando Deus talem iræ suæ sensum peccatoris impœnitentis animo imprimit, ut veniam amplius sperare non audeat. Nempe quia ad misericordiam Dei non confugit cum tempestivum adhuc erat, & sivit tempus gratiæ elabi. Non sine causa enim dicit Apostolus, *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; Ait enim tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis*, 2 *Cor*. VI. 2. ex *Esa*. XLV. 8. Proinde cum tempus illud est elapsum, nullum firmum superest sperandi argumentum. Et in eo statu est Diabolus cum dæmonibus; qui scit veniam se à Dei misericordia frustra exspectaturum. Videturque etiam Cain fuisse, qui occiso fratre dicit, *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear*, id est, obtineam, *Gen*. IV. 13. Et Judas, de quo Dominus Jesus dicit, *Bonum ei, si non fuisset natus*, *Matth*. XXVI. 24. unde in desperatione vitam finiit.

XIII. Ad opposita spei & fiduciæ in Deum pertinet tentatio Dei, quæ in defectu peccat, atque etiam, ut vulgo putant, quodammodo in excessu. Tentatio Dei fiduciæ in defectu opposita est, cum homines non contenti iis quæ habent omnipotentis ipsius providentiæ & curæ experimentis, alia insuper, & quidem cum murmure adversus ipsum desiderant. Ea prohibetur *Deut*. VI. 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis*. Respicit autem potissimum ad historiam quæ legitur *Exod*. XVII. ubi narratur, Israëlitas cum appulissent in Raphidim, & destituerentur aqua ad bibendum, murmuravisse contra Mosen & tentavisse Dominum, dicentes, *Est-ne Dominus in nobis, an non?* vocatumque fuisse nomen illius loci *Tentatio*, propter jurgium filiorum Israël, sive *Massah* & *Meribah*. cui affinia vide *Numer*. XX. & XXI. Præter tentationem illam magnam, cum territi relatione exploratorum quos miserant in terram Canaan, voluerunt sibi constituere ducem, ut reverterentur in Ægyptum, *Numer*. XIII. & XIV. Quam injuste enim conquererentur de Deo, & dubitarent an in medio sui esset, nec-ne, ostendit paterna illa cura quam de iis gesserat, alendo eos pane de cœlo, & nocte eos ducendo per columnam ignis, die vero per columnam nubis, omniaque illa miracula quæ in ipsorum gratiam fecerat in Ægypto & in transitu maris rubri. Adeo ut sine fœdissima incredulitatis & ingratitudinis nota non possent nec de ejus potentia, nec de benevolo erga se affectu, ullam vel minimam dubitationem animo fovere.

XIV. Ex hoc igitur vel solo exemplo natura tentationis Dei satis elucet, nimirum nihil aliud esse, nisi voluntatem ipsum explorandi, quid possit aut quomodo erga nos affectus sit, quia testimoniis quæ hactenus dedit potentiæ & bonitatis suæ nondum eo usque roborata est fides nostra, ut in eum securi recumbamus, deponentes in ejus sinum omnem nostram sollicitudinem. Sed quia Dominus Jesus in repellenda Diaboli tentatione, qui ipso supra pinnaculum templi collocato, dicebat, *Si filius es Dei mitte te deorsum. Scriptum est enim, Angelis suis mandabit de te*, &c. attulit hoc interdictum, *Non tentabis Dominum Deum tuum*; inde occasio est vulgo accepta, existimandi eos tentare Deum, qui temere & nimium in ipsum confidunt, spernentes media quibus ad sui tutelam & conservationem

vationem uti possent. Sic tempore pestis dicunt illos tentare Deum, qui temere & absque necessitate in loca infecta irruunt, dicentes Deum si velit posse se conservare ne malum ipsos attingat. Et ita de aliis periculis, in quæ aliquis sub auxilii divini, cujus nullam promissionem habet, spe se conjicit, id existimant esse tentare Deum. Sed observandum est, scopum Diaboli, cum hortatus est Dominum Jesum ad se ex pinnaculo templi præcipitandum, non fuisse in ipso excitare temerariam de ope divina fiduciam; sed potius diffidentiam; quasi dixisset ei; Quamvis scriptum sit, Deus mandabit Angelis tuis de te, & in manibus attollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; quod proculdubio in charos Dei filios præcipue quadrat, tu tamen non auderes te hinc præcipitem dare. Ergo fiducia quam tu concepisti te esse Dei filium, summopere ipsi dilectum, est vana, ac proinde tu debes illam abjicere, & potius in me credere, qui potestatem habeo te ad summas hujus mundi dignitates evehendi. Quare ex responsione Domini Jesu non potest colligi, tentare Deum esse nimium in ipso confidere; sed potius contrarium, diffidere testimoniis quæ de paterno Dei erga se amore plurima habebat, & nova ejus experimenta postulare antequam id animo suo persuaderet. Quæ ordinaria est hujus phraseos, Deum tentare, significatio, ut apparet ex loco Deuteronomii quem citavit. Alias dicendum foret, ipsum præpostere & in contrario plane sensu quam usurpatur à Mose illam accepisse.

XV. Idemque alio etiam exemplo confirmari potest, quod legitur *Esa.* VII. Cum dixisset Deus Regi Achaz, nempe per Prophetam suum, ut peteret sibi signum à Domino, quo certior redderetur Jerusalem secundum id quod promiserat liberatum iri ab hostibus, respondit, *Non petam, & non tentabo Dominum*; id est, non cupio nova experimenta habere potentiæ Dei & propensæ erga populum suum voluntatis, quod esset ipsum tentare, cum illa quæ jam dedit sufficiant. Verum quidem est ipsum per hypocrisin aut etiam ironiam istud dixisse, ut ostendunt sequentia Esaiæ verba, & plane de auxilio divino desperasse. Sed hæc Achazi impietas aut illusio non impedit quominus sensus phrasis, qua usus est, recte intelligatur.

XVI. Aliud tamen plane diversum ejus significatum occurrit in libro *Judith*, *cap.* VIII. Cum enim Bethulienses statuissent civitatem suam tradere Assyriis, si intra quinque dies non venisset ipsis adjutorium; consilium istud graviter reprehendit Judith, dicens, *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet & furorem accendat, &c.* Ubi ostendit tentationem esse Domini, ipsi certum tempus præscribere intra quod liberet ex angustiis. Sed hinc etiam apparet, Judith voluisse civibus suis diffidentiam de Dei ope tacite exprobrare; quasi hæc esset illius propositi mens, Nos Dei opem quinque dies adhuc expectabimus; sed si intra illos non eripiat nos è manu hostium, non amplius in eum sperabimus.

XVII. Sed, inquies, est-ne plane illicitum nova quædam experimenta aut testimonia Dei voluntatis petere, præter ea quæ jam habemus, ut certi simus ipsum nobis adfuturum, & favore suo in iis quæ aggredimur prosecuturum? Resp. Nequaquam, si res illa plane sit extraordinaria, & de qua nullum Dei promissum exstet cui innitatur fides. Non improbavit illud in Gideone, qui Domino dicenti, *Ego ero tecum & percuties Madiam quasi unum virum*, respondit, *Si inveni gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me*, &c. *Jud.* VI. *v.* 16. &c. Obtinuit enim à Deo quod petebat, qui postulato ejus non est offensus, utpote magis ab infirmitate quam diffidentia profecto. Et sane magnam habebat Gideon, si se solum respexisset, diffidendi verbis Angeli causam, & opus ipsi erat ut certior redderetur, quinam esset ille qui ipsum compellabat.

CAPUT XXVI.

De Confessione.

I. *Quid sit Confessio.* II. *Est vel unius veri Dei, mundi creatoris & rectoris.* III. *Vel Jesu Christi.* IV. *Quid statuendum sit de dogmatum inter Christianos controversorum confessione.* V. *Discrimen observandum inter dogmata necessaria, utilia, & alia non necessaria neque valde utilia.* VI. *Quid faciendum, si Magistratus ejusmodi dogmatum confessionem exigat.* VII. *Quid illis faciendum, qui inter Pontificios habitant, ubi cultus divinus exhibetur Eucharistiæ Sacramento.*

I. HActenus de Pietate interna, sequitur ut de externa agamus, quæ in quatuor actibus præcipue se conspiciendam præbet, videl. confessione, adoratione, invocatione, obsequio. Primus est *Confessio*, quam hic non accipimus eo sensu quo videmus sæpissime in Psalmis usurpari, pro laudatione & celebratione nominis divini; illa enim invocationis est pars, & quotidianum fidelium tam publice quam privatim exercitium. Confessio nunc nobis est, qua profitemur apud infideles ore & omnibus nostris actionibus, nos agnoscere unum solum verum Deum, cœli & terræ creatorem, qui omnia providentia sua gubernet, piosque diligat & remuneretur, impios vero oderit & puniat. Hæc enim omnia confessione nominis Dei continentur. Nam fingere cum Epicuro Deos otiosos, qui res humanas non curent, & nec ad probos nec ad improbos respiciant, æquipollet Atheismo; perindeque est tales Deos confiteri, ac penitus Deum abnegare. Quod etiam saniores ex Ethnicis agno-

agnoverunt, ideoque Epicureos pari cum Atheis loco habuerunt.

II. Quia autem unus solus est verus Deus mundi conditor & rector, ut tum natura, tum Scriptura docent, id confiteri est primus pietatis externæ actus; cujus gratia videmus pios olim Israëlitas inter populos infideles commorantes, non dubitasse omnis generis opprobria, damna, & mortes quoque crudelissimas adire, ut historia Daniëlis & Machabaïca testantur. Imo existimarim hodieque eos qui Christum ignorant, & pro unius veri Dei professione persecutionem patiuntur, ipsi acceptos esse, & sua mercede non cárituros. Contra Philosophi Gentiles, qui unum quidem Deum esse credebant, sed id publice profiteri non audebant, graviter reprehenduntur à Paulo, quod *veritatem detinerent in injustitia, & cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificassent aut gratias egissent*, &c. *Rom.* I. 18. *& seqq.* Quod communiter omnes faciebant. Nam ii quoque qui privatim inter amicos unum Deum confitebantur, publice una cum reliquo populo idola colebant. Etiam Plato, quem divinum vocant, qui in Epistola 13 ad Dionysium dicit, *Hinc disces scribamne ego serio nec-ne; cum serio scribo, ordior epistolam ab uno Deo; cum secus, à pluribus.* Nempe territus exemplo Socratis præceptoris, cui cicutam propinaverant Athenienses, quod diceret eos quos civitas colebat non esse veros Deos, tutius esse putabat hanc veritatem publice dissimulare. Sed qui vere est pius, & cui gloria divina est cordi, nunquam & nusquam, ubi occasio id requiret, à confitendo uno Deo abstinebit. Id docet exemplo suo Daniel, qui videns Darium edixisse, ne quis intra dierum 30 spatium ad Deum aut hominem quemquam præterquam ad ipsum solum preces dirigeret, ter ut consueverat singulis diebus aperiens versus Jerusalem conclavis sui fenestras, adorabat & confitebatur coram Deo suo, *Dan.* VI. Illicitum existimans vel ad exiguum tempus dissimulatione uti, & minus malum esse in foveam leonum conjici, quam Deum suum ut obligatus erat non glorificare. Ista confessio tum maxime est laudabilis & Deo grata cum absque periculo fieri nequit. Nam confiteri Deum in medio eorum qui in ipsum credunt, & ubi abnegatores ejus puniuntur, virtutis nomen non meretur. Qui itaque degunt apud Ethnicos, ubi πολυθεότης viget, quales sunt Sinenses, Japonenses, aliique, obligati sunt ex officio fidem suam de uno vero Deo quotiescunque ejus rei occasio datur, & absque divinæ gloriæ præjudicio silere nequeunt, aperte profiteri.

III. Huc pertinet etiam confessio Jesu Christi, ut eum pro unico Dei filio, Domino & servatore nostro agnoscamus, aut, ut unico verbo dicam, religionem Christianam profiteamur. Id commendatur nobis sæpe in Sacris Novi Fœderis literis. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, *Rom.* X. 9. 10. Quod aliquoties etiam inculcat ipse Dominus Jesus. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus; confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo qui est in cœlis*, *Matth.* IX. 32. Cui parallela loca vide *Marc.* VIII. 38. *Luc.* X. 26. & XII. 8. Et illi reprehenduntur qui crediderant quidem in eum, conspectis signis quæ fecerat, sed propter Pharisæos non audebant confiteri, ne ejicerentur è Synagoga. Et dicitur de iis, quod *dilexerunt magis gloriam hominum quam gloriam Dei*, *Joan.* XII. v. 42. 43. Talis confessio tunc præcipue à nobis requiritur cum versamur inter hostes nominis Christi. Nam inter Christianos eum confiteri, ubi professio ista gloriosa est, imo ad opes & honores viam sternit, nihil habet singulare & quod laude sit dignum. Sed olim cum solum Christiani nomen, absque ullo prorsus alio crimine, capitale erat, ut discimus ex Tertulliani Apologetico, & aliis veterum monumentis, se ejus discipulum profiteri singularis erat virtus. Erat enim vera illa sui ipsius abnegatio, quam in iis qui se volunt sequi requirit, *Matth.* XVI. 24.

IV. Sed quid statuendum est, inquies, de confessione dogmatum fidei inter Christianos hodie controversorum? est-ne perinde necessaria ut religionis Christianæ professio? Sunt qui ita existimant, quia Petrus dicit, *Parati semper estote ad defensionem, omni poscenti rationem de ea quæ in vobis est spe*, I *Epist.* III. 15. Sed ista Petri verba non debent prorsus universaliter accipi, & absque ulla exceptione. Qua de re sententiam meam paucis aphorismis exponam. 1. Certum est nunquam licere nobis dicere nos id credere quod revera non credimus, aut non credere, quod revera credimus. Nam si omne mendacium est prohibitum in rebus humanis, quanto magis ubi negotium fidei agitur? Nec periculum excusat quemquam. Præstat enim pati innocentem, quam mendacio se tegere. 2. Non tamen obligamur semper ad profitendum seu aperte declarandum omne id quod credimus. Sed antequam id faciamus, considerandum est prudenter quid circumstantiæ locorum, temporum, personarum, præcipue vero dogmatum requirant, ne talis professio plus detrimenti & nobis & veritati afferat quam emolumenti. 3. Neque omnia loca, neque omnia tempora apta sunt ad fructuose differendum de rebus divinis. ex. gr. solent quidam in popinis, & postquam cerebrum potu incaluit de controversiis religionis differere, imo etiam interdum rixari, quod non tantum ad ædificationem non prodesse, sed etiam maxima offendicula parere intelligentes norunt. 4. Neque consultum est indifferenter coram omnibus personis confessionem

nem ejusmodi edere, monente Christo ipso, *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi lacerent vos*, *Matth.* VII. 6. Ubi duo hominum genera significat; quorum alii sunt profani rerum sanctarum contemtores, qui ut porci pedibus suis eas conculcant; alii vero sunt furiosi veritatis persecutores, qui instar canum irruunt & lacerant eos à quibus sibi offertur. Cum ergo ex probabilibus indiciis deprehendemus aliquos tales esse, præstat coram illis tacere, quam temeraria professione veritatis illam contemtui, nos vero periculo exponere.

V. 5. Præcipue hic est habenda ratio dogmatum, de quorum confessione agitur. Sunt enim ea in triplici genere, alia ad salutem plane necessaria, alia non quidem omnino necessaria, sed tamen valde utilia, alia denique quæ neque necessaria, neque valde utilia sunt. Quod ad prima, de illis idem judicium ferri debet quod de religionis Christianæ, seu nominis Christi confessione, quam obligati sumus facere, etiamsi cum periculo sit conjuncta, & exigua spes affulgeat fructus ex ejusmodi professione. Agitur enim de Dei & Christi gloria, quæ vita præsenti & omnibus ejus commodis charior esse debet. Et constantiæ nostræ in veritate confitenda exemplum aliquando longe plus prodesse potest quam ipsi existimemus. Quicquid sit, eventum debemus commendare Deo, & interim officio nostro non deesse. In secundis, paulo circumspectiores esse non est prohibitum. Quandoquidem enim supponimus ea non esse præcise necessaria, prudentiæ Christianæ est expendere, an illorum confessio utilitatis aliquid habitura sit nec-ne, an vero in periculum aut damnum quodpiam ingens nos aut etiam veritatem ipsam sit conjectura. Cum enim probabiliter conjicimus confessionem nostram ad aliorum institutionem, & veritatis divinæ promotionem aliquid prodesse posse, obligati sumus ad eam edendam, etiamsi non plane certi simus de eventu. Charitas siquidem proximi, & divinæ gloriæ zelus id à nobis exigit. Et in ejusmodi casu dissimulatione uti arguit animum nimis timidum, cui proximi ædificatio, & divinæ veritatis promotio sit res indifferens. Sed si contraria plane habeamus indicia, nempe confessionem nostram plus damni nobis quam utilitatis aliis allaturam esse, prudentia, cujus unicus scopus est ædificatio, suadet eam in aliud tempus, & locum atque occasionem oportuniorem differre. In tertii generis dogmatibus, quæ neque sunt omnino necessaria, neque etiam valde utilia, major adhuc circumspectio requiritur. Quamvis enim de eorum veritate simus persuasi, non tamen facile sunt profitenda, si animadvertamus animos auditorum non esse paratos ad ea in bonam partem accipienda, & quosdam inde graviter offensum iri, & alieniores redditum iri à nobis, ut deinceps utiliorem defensionem ex ore nostro vix audire sustineant. In tali casu longe præstat silere quam loqui.

VI. Sed quid si Magistratus à nobis dogmatum, quæ in secundo & tertio genere reposuimus, confessionem exigat, quid in isto casu est faciendum? Resp. Majorem quidem illius rationem habendam quam privatorum, non tamen teneri eam edere, si ipsum à nobis aut à veritate alieniorem cognoscamus. Nec locus Petri supra allegatus quicquam ad rem facit. Non enim agit de confessione dogmatum hujus generis, sed primi tantum, id est de Christiana religione, quam nunquam dissimulare licet, ut ostendit gravis Christi comminatio, *Quem puduerit mei & verborum meorum in generatione ista adultera & peccatrice, & filium hominis pudebit ejus, cum venerit in gloria Patris sui cum sanctis Angelis*, *Marc.* VIII. 38. Si Magistratus urgeat, modesta excusatione utendum & rationes afferendæ cur mentem nostram illi aperire detrectemus. Si non acquiescat, & minas intentet, metuamusque ne quid sinistri de nobis statuat, tunc veritatem profiteri oportet, & eventum Deo committere. Nunquam enim mentiri licet, multoque minus coram Magistratu, cui Deus vult omnem reverentiam exhiberi.

VII. Quæritur etiam quid sit faciendum iis qui versantur inter Pontificios, ubi cultus divinus exhibetur Eucharistiæ Sacramento, in quem si quis non consentiat manifestum vitæ discrimen adibit. Resp. Longe tutius esset vitare ejusmodi loca, quam in tales angustias redigi, ut aut contra conscientiam aliquid affine idololatriæ committas, aut te mortis aut alii gravi periculo objicias. Sed quia id non est in omnium potestate, nec semper, videndum est quomodo in ejusmodi casu, si forte occurrerit, se gerere conveniat. 1. Nemini suaserim imitari exemplum cujusdam Angeli, cujus mentio fit in Martyrologio Reformatorum, qui hostiam quam Sacerdos Pontificius manu tenebat, & pro more populo ostentabat, ipsi eripuit, & pedibus conculcavit coram omnibus. Unde factum est ut postea ad vivicomburium fuerit damnatus. Zelus quidem iste fuit pro Dei gloria, sed non satis prudens, & qui à paucis probatur. Nec ejusmodi actione, qua tantum sibi malum accersivit, quicquam apud alios profecit. Consultius multo fecisset, si populum ab ejusmodi Eucharistiæ cultu gravibus adductis rationibus dehortatus esset. Nec scio an satis bene ab eo factum, quod Symbolum ad commemorationem mortis Domini Jesu institutum, cui indigne participare magnum est crimen, & quod iram Dei accendit, ut ostendit Apostolus 1 *Cor.* XI. tam irreverenter tractavit. Semper enim distinguendum puto inter institutionem divinam, & abusum qui in illam hominum vitio & ignorantia irrepsit. Illa in pre-

tio

tio ubique est habenda; hic vero graviter & modeste carpendus. 2. Non putarim illicitum esse coram ejusmodi hostia caput aperire, (si modo isto honore contenti forent Pontificii) considerando eam ut symbolum & memoriale mortis acerbæ & ignominiosæ quam Dominus Jesus pro peccatis nostris subiit; improbando tamen in corde meo quod Christiani cultum æquo majorem ipsi deferrent, & id tempore & loco conveniente non dissimulando. Non eadem enim est cultus hujus ratio atque idololatriæ Ethnicæ, in qua nihil erat sanum, sed omni ex parte abominatione erat digna; cum indubium sit quin Eucharistiæ Sacramentum ab omnibus Christi discipulis coli seu in honore haberi debeat, & tantum vitare oporteat ne in ejusmodi cultu & honore modus excedatur, quasi ibi Jesus corpore suo præsens foret.

CAPUT XXVII.

De Adoratione.

I *Quid sit Adoratio.* II. *Est vel civilis.* III. *Vel religiosa.* IV. *Hæc vel est interna vel externa.* V. *Externa adorationis necessitas.* VI. *Adoratio etiam debetur Domino Jesu Christo Mediatori nostro apud Deum.* VII. *Non autem ullis aliis.* VIII. *Qualis exhiberi possit angelis mandata Dei ad nos ferentibus.*

I. SEcundus externæ pietatis actus est *Adoratio*; qua voce significatur profunda corporis inclinatio & demissio coram eo quem honorare volumus; adeo ut non solum in genua, sed & toto corpore proni in terram procumbamus. Ea, prout etiam Græca προσκυνεῖν, qua Sacri scriptores utuntur, à gestu adorantium desumta. Adorare enim est ad os admovere, id est osculari, nempe manum. In deorum enim salutatione eminus stantes manum porrigebant, eamque statim ad os suum relatam suaviabantur. Cujus idololatrici ritus mentio fit *Job.* XXXI. 26. Et à κυνέω seu κύω osculor, fit προσκυνέω adoro. Vox Hebraïca שחה inclinationem seu prostrationem corporis designat.

II. Sacræ literæ adorationis duorum generum meminerunt; alterius nempe civilis, alterius religiosæ. Adoratio civilis est honor qui Magnatibus, quales sunt Reges & Principes, corporis inclinatione, seu prostratione in terram, ut mos est Orientalibus, exhibetur. Sic *Genes.* XXIII. 7. legimus, *Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ*, filios videl. Heth. Et de Jacobo obviam fratri Esau irato eunti dicitur, *Ipse progrediens adoravit pronus in terram septies donec appropinquaret frater ejus, Genes.* XXXIII. *v.* 3. Et ita sæpe alibi. Quemadmodum etiam aliqui Dominum Jesum in terris versantem, cujus ignorabant divinitatem, adorantes, civilem tantum ei exhibere cultum intenderunt; ut leprosus quidam, *Matth.* VIII. 2. & Princeps ille, cujus filia in extremis erat, *Matth.* IX. 18. & mulier Cananæa cujus filia à Dæmone vexabatur, *Matth.* XV. 25.

III. Adoratio religiosa est, qua Deum cœli & terræ creatorem prosequimur. De qua Dominus Jesus Satanæ dicit, *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, Matth.* IV. 10. ex *Deuter.* VI. 13. Ubi tamen legitur nunc in Hebraïco vox quæ significat *Timebis*, non vero *Adorabis*. Sed aut ita olim habebatur in Bibliis, aut Dominus Jesus vocem Adorandi, loco Timendi usurpavit, quia ubi de Deo agitur Timor adorationem tanquam ejus signum sibi adjunctam habere solet. Distinguitur autem Adoratio Deo debita in duas species, nempe internam & externam.

IV. Adoratio interna est illa animi summa reverentia, qua nos coram ipso demittimus ex consideratione majestatis, potentiæ, bonitatis & sapientiæ ejus. Et comprehenditur actibus illis quatuor pietatis internæ, de quibus supra egimus, videl. Amore, honore, timore & fiducia. Quicunque enim eos Deo exhibet, is vere ipsum in corde suo prout debet adorat. Adoratio vero externa, est illius internæ indicium & significatio, requiritque ut corpus nostrum coram Deo reverenter demittamus, sive in genua procumbentes, sive proni in terram decidentes; linguaque nomen ejus & laudes celebrantes & pro acceptis multiplicibus beneficiis gratias ei devotissimas agentes; quanquam hæc postrema duo peculiares pietatis externæ actus constituunt, sed ita arcte cum præcedentibus connexos, ut absque illis nulla vera Dei adoratio esse posse videatur. Summatim adoratio externa comprehendit omnia signa & actiones in sensus incurrentes, quibus nostram erga Deum reverentiam, & quam sublimiter de ipso sentiamus in corde nostro, testemur & demonstremus.

V. Talem Deo cultum deberi nullus est qui dubitet. Nam cum à nobis postulat, *Glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei*, 1 *Cor.* VI. 20. Utrumque fecit Deus, corpus & animum nostrum, utrumque à servitute peccati & mortis redemit; ergo in utroque ipsum colere oportet. Nec refert quod externis indiciis non indigeat ad cognoscendum quomodo erga ipsum corde affecti simus, ipse qui animum intuetur, & corda ac renes scrutatur. Nam si eum sincere in animo colamus, cur signis externis id testari dubitaremus? Prætextus ergo sunt, quibus impietatem suam occultant, qui dicunt non esse opus Deum externe in corpore nostro colere, quia omnes intimi animi nostri recessus optime ei sunt cogniti. Si jam ipsi animum suum totum vere consecrarunt, cur corpus in societatem animi assumere verentur? Cur utroque conjunctim, creatori quam debent gloriam & honorem exhibere nolunt?

VI. Non solum autem Deum & Patrem omnium

omnium religiosa adoratione prosequi convenit; sed etiam Jesum Christum filium ejus unigenitum Mediatorem nostrum apud eum, ut patet ex iis quæ supra diximus. Scriptura enim hic expressa. *Cum Deus introducit primogenitum suum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei*, *Hebr.* I. 6. Si istud pertinet ad officium Angelorum, qui participes non sunt partæ per ipsum redemtionis, quanto magis hominum, in quorum gratiam se ipse pretium redemtionis dedit? Et quod ad orbem terrarum quem memorat, terram illam novam intelligit ubi justitia habitat, in quam post suam suscitationem à mortuis ingressus est; ut apparet ex collatione *cap.* II. *v.* 5. *Non enim Angelis subjecit orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Ubi respicit proculdubio ad verba quæ citavimus, cum alibi orbis terræ futuri nullam mentionem fecerit. Huic adde celebrem locum ex *Philipp.* II. *Deus donavit illi nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur quod Dominus est Jesus Christus, ad gloriam Dei Patris.* Nihil expressius esse potest his verbis. Per genuflexionem enim adoratio intelligitur, propterea quod soleant homines genua flectendo Deum adorare, quamvis id Angelis nonnisi metaphorice tribui possit. De adoratione vero Mediatori debita illic agi, id ostendit, quod Paulus dicit, Deum ipsi donavisse nomen super omne nomen, & quidem propter obedientiam quam ipsi ad mortem usque crucis exhibuit, & quod adoratio ista referatur ad gloriam Patris, tanquam ad suum ultimum finem: indicio manifesto, quod non sit plane suprema, sed adorationi qua Patrem prosequimur, tanquam causam & fontem omnium bonorum & gloriæ in quam Christus exaltatus est, subordinata.

VII. Sed quæritur, an adoratio religiosa nulli alii debeatur, præterquam Deo & Domino nostro Jesu Christo? Resp. Mentionem quidem fieri *scabelli pedum Dei*, *Psal.* XCIX. 5. & CXXXII. 7. & juberi ut ipsi se *inclinent* fideles. Ubi per *pedum Dei scabellum*, intelligitur vulgo arca fœderis, vel templum, quod erat quasi Dei habitaculum, & ubi quæri se à populo suo volebat. Illa tamen per se adorationis incapacia fuisse, utpote creaturas vitæ & intelligentiæ expertes, planum est. Quare malim vertere in istis locis, *Inclinate vos*, vel *adorate*, *ad scabellum pedum ejus*; quam, *adorate scabellum pedum ejus*; ut linguæ Hebrææ periti fieri posse annotant. Quod si quis tamen pertendat, præceptum illic fuisse pedum Dei scabellum adorare, propter peculiarem Dei præsentiam in isto loco, veluti Moses & Josue jussi fuerunt solvere calceamenta de pedibus, quia locus in quo stabant, & Deus ipsos compellabat, sanctus erat, *Exod.* III. 5. *Jos.* v. 15. Non tamen sequitur, imagines arbitrio humano, imo contra Dei interdictum, erectas, adorari, aut aliquo religioso cultu affici debere; cum longe dissimilis sit utrorumque ratio.

VIII. De Angelis beatis, si forte cuiquam apparerent mandata Dei ferentes, alibi diximus, & ostendimus non esse illicitum ipsos, tanquam Dei legatos, adoratione religiosa, sed inferioris gradus quam ea quæ Deo & Christo defertur, prosequi. Ratio enim manifesta docet, simul cum Scriptura, legatum Dei cœlestem majore esse honore dignum quam ullum Regum aut Principum terræ. Quod omnes fatentur, licet quidam adorationem istam malint civilem quam religiosam appellare; cum quibus de verbis contendere nolo. tantum moneo civilem proprie esse illum cultum, qui defertur iis qui nobiscum in terris versantur, & sunt veluti ejusdem reipublicæ mundanæ cives; quod in beatos Angelos nequaquam quadrat.

CAPUT XXVIII.

De Juramento.

I. *Quid sit juramentum.* II. *Per solius veri Dei nomen fieri debet.* III. *Juramentum Christiano non esse plane illicitum.* IV. *Christus Matth.* 5. *non solum prohibet juramenta quæ per creaturas fiunt.* V. *Nec præcise omnia juramenta promissoria.* VI. *Sed quæ in sermone communi de rebus interdum levibus fiunt.*

I. TErtius Pietatis externæ actus est *Invocatio* Dei, quæ fit vel in Juramento, vel in Precibus, vel in Gratiarum actione. *Juramentum est religiosa invocatio Dei, qua ipsum tanquam cordium scrutatorem appellamus in testem veritatis dictorum nostrorum, ad omne dubium tollendum ex animis eorum cum quibus nobis res est.* Ad quem usum respiciens Apostolus, dicit, *Hominibus omnis controversiæ finis est juramentum ad confirmationem adhibitum*, *Hebr.* VI. 16.

II. Unde sequitur id non debere fieri nisi per veri Dei nomen, aut sub Novo Fœdere, etiam per Jesu Christi nomen. Nemo enim præterea est cordium scrutator. Id lex diserte præscribit, *Dominum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis*, *Deuter.* VI. 13. & X. 20. Sic etiam accipi potest id quod dicit David, *Non assumam nomina eorum* (idolorum) *super labiis meis*, *Psal.* XVI. 4. nempe ita ut illa invocem in juramentis meis. Et ad ostendendum omnem falsorum numinum cultum abolitum iri sub Novo Fœdere, Prophetæ dicunt, *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Canaan, & jurantes per Dominum exercituum*, *Esa.* XIX. 18. *Et erit, si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo, Vivit Dominus, sicut docuerunt populum jurare in Baal, ædificabuntur in medio populi mei*, *Jerem.* XII. 16. Imo voce *jurandi* aliquando universus Dei cultus intelligitur, ut, *Laudabuntur omnes qui jurant in eo*. *Psal.* LXIII. 12. Et, *jurabit mihi omnis*

lingua, *Esa.* XLV. 23. Quod Paulus reddit, ἐξομολογήσεται, id est, *confitebitur Deo*, *Rom.* XIV. v. 11. Huc pertinent quoque imprecationes quibus aliqui sibi malum vel infortunium à Deo exoptant si mentiantur. Ita Jonathan promittens monere Davidem de bono aut malo adversus ipsum proposito patris Saulis, dicebat, *Hæc faciat Dominus Jonathæ & hæc addat, nisi statim misero ad te & notum tibi fecero*, 1 *Sam.* XX. 13. Et David Hamasæ munus præfecti militiæ spondens, *Hæc* (inquit) *faciat mihi Dominus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab*, 2 *Sam.* XIX. 13.

III. De juramento magna hodie est controversia, utrum id Christianis licitum sit, necne; quibusdam affirmantibus id esse illicitum, quia Christus dicit, *Ne jurate omnino. Sit autem sermo vester, est, est; non, non: quod autem his abundantius est, à malo est*, *Matth.* v. 34. & *seqq.* Et *Jac.* v. 12. Sed tamen alii putant hæc non esse simpliciter & absque omni exceptione accipienda. Et certe durum videtur illud, in quo præcipua cultus divini pars consistebat sub Veteri Fœdere, ita abrogatum esse sub Novo, ut jam prorsus sit illicitum; præsertim cum, ut vidimus, Prophetæ prædixerint juramentum per Dei nomen usurpatum iri à populis ad verum Deum conversis sub regno Messiæ. Deinde nulla causa apparet cur prohiberi debuerit, cum tendat ad Dei honorem, & ipsi gloriam tribuat quod sit scrutator cordium & perjurii vindex. Denique videmus Apostolum Paulum, qui optime mentem Christi intellexit, non dubitasse aliquoties jurare, & quidem in Epistolis suis, quas ad aliorum in fide institutionem scripsit; ut cum dicit, *Testis est mihi Deus*, *Rom.* I. 9. *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo non mentior*, *Gal.* I. 20. *Ego testem Deum invoco in animam meam*, 2 *Cor.* I. 23. *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, scit quod non mentior*, 2 *Cor.* XI 31. Non possunt sane his expressiores jurandi formulæ dari. Nam illud puerile est quod nonnulli ad hæc loca excipiunt, ibi voces jurandi aut juramenti non haberi. Quasi vero absque illis nullum esset verum juramentum, & non sufficeret Deum in testem invocare. Quod etiam praxis multorum locorum docet in publicis judiciis fieri, ubi Judex qui jusjurandum exigit, his utitur verbis, Tu promittis coram Deo te dicturum veritatem. Et assentiente qui interrogatur, id pro vero juramento accipitur. Ergo Christi verba non debent universaliter prorsus & absque exceptione intelligi.

IV. Sunt qui putent ipsum non prohibere omnia juramenta, sed tantum ea quæ Judæi faciebant per cœlum, per terram, per Hierosolymam, & alia similia, existimantes se non esse perjurii reos si per ista solummodo jurassent, & nomen Dei in juramentis suis non usurpassent. Sed ipsius verba adeo expressa & generalia non admittunt istam exceptionem; ex iis enim apparet ipsum non tantum revocare voluisse à perjuriis, aut à juramentis quæ per creaturas fiunt, sed etiam ab iis quæ de rebus veris per nomen Dei fiunt.

V. Alii igitur censent, Dominum Jesum respexisse ad juramenta promissoria, quibus nos in futurum ad aliquid faciendum aut non faciendum obligamus. Et verum quidem est, ea quæ in sermone Christi antecedunt favere huic expositioni; nempe, *Audistis quia dictum est antiquis, Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis*, &c. Sed quia apud Jacobum, ubi hoc mandatum reperitur, non occurrit ejusmodi circumstantia quæ ipsum restringat, apparet id latius accipi debere. Certum quidem est, in voluntariis promissionibus de rebus ad quas alioqui obligati non sumus, magna circumspectione opus esse, nec Deum in testem facile invocandum. Quia enim multa intervenire possunt quæ eorum impletionem impediant, is qui juramento fidem suam obstringit, non ea qua debet cum reverentia, aut saltem prudentia nomen Dei usurpat, & in periculo versatur ne se aut in magnas aliquando conjiciat angustias, aut perjurio affinis reperiatur, non exsequendo quod promisit. Alia ratio est eorum ad quæ ex officio tenemur, qualia sunt fœdera & pacta, quæ juramento confirmari solent; sed quæ, etiamsi non intervenisset, violare illicitum foret. Ad ea enim trahi non debere Christi interdictum, ostendit locus legis ad quem respexit, qui solum de voluntariis promissis, & quæ ab arbitrio hominum pendebat facere aut non facere, agit. Quare neque hæc responsio difficultatem omnem tollit.

VI. Existimo igitur mentem Domini Jesu fuisse prohibere omnia juramenta quæ in sermone communi, de rebus interdum levibus, & ut Dei nomen usurpetur non merentibus, fiunt. Qualia sunt ubi agitur tantum de pecuniola, quæ viro probo ita chara esse non debet, ut ad eam acquirendum aut retinendum, Deum in testem appellare audeat. Et hæc est unanimis sententia, non tantum veterum & religiosorum Christianæ fidei professorum, sed etiam honestiorum inter Ethnicos, qui longe majore in reverentia habuerunt juramenta quam hodie sunt. Isocrates in Orat. ad Demonicum vult ut duas solum ob causas jusjurandum nobis à judice impositum admittamus, aut ut infamiam fugiamus, aut ut amicum è magno aliquo periculo liberemus: sed propter pecuniam fieri vetat. Qua in re justiorem se multis Christianis ostendit. Quod si in rebus ejusmodi jurare non licet; neque etiam à proximo exigere ut juret. Eadem enim est utriusque ratio; & quod nobis turpe esse existimamus, ejus necessitatem alteri absque injuria imponere nequimus.

CAPUT

CAPUT XXIX.
De Precatione.

I. Quo sensu Precatio, seu Invocatio Dei accipi soleat. II. Quid sint 1 Tim. 2. δεήσεις, προσευχαὶ, & ἐντεύξεις. III. Precatio proprie dicta quid. Objectum ejus est Deus. IV. Sancti mortui non sunt invocandi. V. Quomodo Joan. 5. Moses dicatur Judaeos Domino Jesu incredulos accusare. VI. Quidam necessitatem precum tollunt, statuendo absolutum Dei de omnium rerum eventu decretum. VII. An preces possint esse media quibus Deus absolutum decretum exsequitur. VIII. Alii eandem tollunt, quia Deus omnia cognoscit quibus indigemus. IX. In lege nullum de precatione exstat disertum praeceptum. X. In Evangelio multa exstant praecepta & incitamenta ad precandum. XI. Praesertim promissa exauditionis, quibus tuto fidere possumus. XII. Praeterea indigentiae nostrae sensus. XIII. Et exempla fidelium. XIV. Finis precum. XV. Earum impedimenta.

I. IN *precibus* quoque, imo etiam præcipue Dei nomen invocatur, adeo ut *Precatio* & *Invocatio Dei* passim in Scriptura tanquam synonymæ voces usurpentur. Et aliquando accipiuntur generaliter, aliquando vero particulariter, sive late & stricte, ut etiam antea de aliis cultus Dei partibus supra annotavimus. Invocatio Dei seu Precatio generaliter accepta universum Dei cultum comprehendit; ut cum legimus, *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit*, *Act.* II 21. *Rom.* X. 13. ex *Joël.* II. Et ex opposito de impiis qui Deum non colunt, dicitur eos *non invocare nomen Domini*, ut *Psal.* XIV. 2. 5. & LIII. 3. 6. Particulariter vero sumta, implorationem opis divinæ significat.

II. Hic quæritur quid sibi Apostolus voluerit, cum præcipit ut δεήσεις, προσευχαὶ & ἐντεύξεις fiant pro omnibus hominibus, 1 *Tim.* II. *v.* 1. & quid tres istæ voces à se invicem differant. Sed difficile id est dictu, cum Græci interpretes, ut Theophylactus, Oecumenius, quibus linguæ suæ idioma melius quam nobis potuit esse cognitum, nesciant quid statuere debeant; an Paulus diversis his vocibus solum usus sit majoris emphaseos aut perspicuitatis causa ad unam eandemque rem significandum, an vero diversas etiam res illis indicare voluerit. Probabilius nobis videtur ipsum tot voces temere non congessisse, sed singulis aliquid peculiare, quod aliis non comprehendatur, innuisse. Itaque δεήσεις recte verti *deprecationes*, id est, preces quibus petimus ut Deus malum à nobis avertat, qualecunque id sit, sive peccatum, sive pœna aut adversitas aliqua προσευχὰς vero *orationes* seu precationes, quibus ut Deus bonum aliquod nobis largiatur, obsecramus. Quod innuere videntur loca ubi duæ istæ voces conjunctæ inveniuntur, ut *Act.* I. 14. *Ephes.* VI. 18. *Philipp.* IV. 6. ἐντεύξεις denique esse *intercessiones* seu preces pro aliis, vel etiam contra alios, ut *Rom.* VIII. 34. & XI. 2.

III. Quod ad rem ipsam attinet, *Precatio est sermo ad Deum directus, quo aliquid nobis utile aut necessarium ab ipso confisi ejus bonitate vel promissis petimus.* Objectum ejus est solus Deus, & Dominus noster Jesus Christus, ut constare potest ex iis quæ initio hujus capitis disputata fuerunt. Deus est qui dicit nobis per Davidem, *Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me*, *Psal.* L. 15. Ad eum solum nos Christus amandat, cum jubet dicere, *Pater noster qui es in cælis.* Nec possumus alium invocare quam eum in quo fiduciam collocamus, *Rom.* X. 14. In alium autem fiduciam non licet collocare nisi in Deum & Christum, *Joan.* XIV. *v.* 1. *Jerem.* XVII. 5. *& seqq.* Hic autem de sola invocatione religiosa agimus; alias nihil impedit quin civiles preces offeramus etiam hominibus in quorum societate degimus. Discrimen autem inter orationes religiosas & civiles in his duobus potissimum positum esse videtur. 1. Preces illæ pro religiosis sunt habendæ, in quibus aliquid petitur quod creaturis impossibile est dare, ut si quis petat Spiritum S. vitam æternam, aut simile quid; quas proinde nefas est ad alium quam ad Deum aut ad Christum dirigere. 2. Preces illæ etiam sunt religiosæ, quibus aliquid ab absentibus petimus, qui nos audire nequeunt aut postulata largiri; ut si quis Beatam Virginem Mariam aut S. Nicolaum in periculo naufragii invocet; quod tamen liceret precatione civili petere ab iis qui adessent, & facultatem liberandi nos forte haberent.

IV. Mos invocandi sanctos mortuos est satis antiquus in Ecclesia Christiana; sed non idcirco tolerabilior, cum certum sit incognitum fuisse temporibus Apostolorum & nunquam àb illis traditum. Nullum enim habemus in Scriptis eorum, nec in universis Sacris literis mandatum invocandi Sanctos mortuos, sive generale omnibus factum, sive particulare huic aut illi traditum. Unde colligimus id saltem non esse necessarium. Nihil enim ad salutem observatu est necessarium, præter id quod Deus in verbo suo aperte & expresse præcipit. Alias Scripturam imperfectionis accusare oporteret, & dicere illam non esse à Deo, quæ cum in exigui momenti rebus abundet, in necessariis deficiat. Et inde factum esse arbitror, quod Concilium Tridentinum non ausum fuerit pronunciare, ad salutem esse necessarium sanctos mortuos invocare, sed tantum bonum atque utile; licet postea affirmet impie sentire illos qui cultum istum damnant; in quo videntur propemodum eum facere necessarium. Nullum etiam promissum exstat iis factum qui sanctos mortuos invocaverint, unde colligi queat istud utile aut salutare esse, & eos qui ad ipsorum opem confugiunt spe sua frustratum non iri. Nulla denique ejus rei exempla approbata in Scripturis occurrunt. Nusquam enim legimus ullum Prophetarum aut Apostolorum, vel aliorum

Sanctorum virorum, quorum pietas in Veteri aut in Novo Testamento commendatur, quemquam mortuum in necessitatibus suis invocavisse. Indeque ulterius evincitur istud esse illicitum. *Quicquid* enim *fit absque fide*, id est absque certa cognitione id non displiciturum Deo, *est peccatum*, *Rom.* XIV. *v. ult.* Cum igitur nullum in Scriptura habeamus mandatum, aut promissum, aut exemplum istius invocationis, sequitur eam fieri absque fide. Præter ista enim nullum nobis superest voluntatis Dei indicium, unde certi esse queamus eam ipsi acceptam esse, aut saltem Deum ea offensum non iri. Quod certe sine causa non metuitur, cum Deus reprehendat eos qui mortuorum opem implorant, *Esa.* VIII. 19. Et testetur Salomon, mortuos nihil amplius novisse, nec ullam habere partem in hoc sæculo, & in opere quod sub sole geritur, *Eccl.* IX. 5. 6. Adde quod cum sufficientissimum habeamus apud Deum advocatum, & intercessorem Jesum Christum, 1 *Tim.* II. 5. 1 *Joan.* II. 1. *Rom.* VIII. 34. *Hebr.* VII. 25. non possumus ad alios absque ipsius offensa confugere, quasi non esset satis benevolus & ad nobis opitulandum propensus. Ne jam quicquam de illa superstitione attingam, qua unus Sanctus tanquam huic vel illi regioni, professioni, morbo, alius alii præpositus, etsi ne γρῦ quidem de eo in Scripturis extet, invocatur.

V. Objicitur contra à quibusdam id quod Christus dicit Judæis, *Nolite putare quia accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui accuset vos Moses, in quo vos speratis*, *Joan.* v. 45. unde sic concludunt; Quandoquidem Dominus Jesus probat spem quam Judæi in Mose habebant, & dicit ipsum illorum accusatorem apud Patrem futurum, oportet ut sancti mortui nostrarum actionum, miseriarum & necessitatum cognitionem habeant. Sed turpiter hallucinantur, existimantes nomine Mosis ipsam Prophetæ illius personam à Domino Jesu intellectam fuisse, cum de ejus scriptis illud dixerit; ut ea quæ subjicit satis aperte indicant; *Si crederetis Mosi, crederetis etiam mihi; nam ille de me scripsit.* Eodem sensu quo Abrahamus diviti epuloni petenti ut Lazarus ad suos fratres mitteretur, respondet, *Habent Mosem & Prophetas, audiant illos*, *Luc.* XVI. 29. Non poterant autem illos aliter audire, quam in scriptis suis loquentes, cum multis ante sæculis diem suum obiissent. Sic Jacobus Apostolus, *Act.* XV. 21. *Moses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* Jesus Christus ergo per prosopopœiam tribuit scriptis Mosis, quod Judæos in Dei judicio accusatura essent; quia per illa improbitatis & incredulitatis suæ convincendi erant: quemadmodum etiam alibi dicit, *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die*, *Joan* XII 48. Sicuti ergo Christi sermo incredulos ultimo die judicabit, ita etiam Moses, id est, lex quam scriptam Israëlitis tradidit, accusatura est illos. Imo fac id de ipsa Mosis persona debere intelligi, inde tamen non sequeretur ipsum post mortem cognoscere actiones Israëlitarum; sed tantum eas in ultimo die cogniturum, cum libri aperti erunt, *Apoc.* XX. 12. & Dominus revelabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1 *Cor.* IV. 5. Quod Dominus Jesus dicit etiam Judæos sperasse in Mose, nihil aliud significat, nisi ipsos sperasse obtinere salutem per observationem legis Mosaicæ; non quod ita crasse ignari essent & imprudentes, ut à Mose, qui ipsos in terram Canaan non potuerat introducere, vitam æternam expectarent. Eodemque modo hunc locum exponit Maldonatus; *At quomodo accusaturus Moses? Quia ex ipsius libris in judicio convincentur, Christo cui credere debebant non credidisse*, &c. Et paulo post, *Unde colligitur Mosem hoc loco Scripturam Mosis appellari, in qua illi dicuntur spem suam positam habuisse, quia existimabant se ceremoniarum & legalium mandatorum observatione vitam æternam consecuturos*, &c.

VI. Nunc de precum necessitate agendum, quam duo hominum genera impugnarunt. Primi fuerunt illi, qui sub prætextu absoluti Dei decreti de omnium rerum eventu, superfluum putarunt aliquid ab ipso petere. Quia aut potemus quod Deus nullo habito ad preces nostras respectu jam decrevit nobis dare; aut contra, quod decrevit non dare. Sed in utroque casu preces minime sunt necessariæ; in illo quidem, quia fieri nequit quin Deus decretum suum executioni mandet; in hoc vero, quia Deus nihil unquam decreto suo contrarium concedet.

VII. Hic multum laborant absoluti decreti defensores, quomodo hunc nodum solvere possint. Et respondent vulgo, Deum decretum suum per certa quædam media, inter quæ sunt etiam preces, exsequi solere; quæ proinde non debeant ei opponi, cum tanquam subalterna cum illo optime conveniant. Sed responsio ista nihil ad rem facit. Nam aut preces, sicut & reliquæ omnes hominum actiones, sunt absoluto Dei decreto definitæ ut fieri debeant, vel non fieri; aut non sunt ita definitæ, sed in libera hominis potestate relictæ, ut iis, prout videbitur, vacet vel non vacet. Si prius dicatur, preces non erunt amplius medium ad aliquid à Deo obtinendum, de quo deliberari possit an ei offerendæ sint vel non; sed prout decretum fuerit, oportebit nos vel precari vel non precari. Si posterius malint, jam absolutum suum decretum evertent, quod consistere nequit cum mediis contingentibus, quæ in hominis arbitrio sit usurpare vel non usurpare. Nam si Deus decreverit absolute aliquid mihi dare, & simul constituerit ut id petam ab ipso, an mihi daturus est etiamsi petere negligam?

gam? Et, si decreverit quippiam denegare, v. gr. reprobo facultatem credendi Euangelio & à peccatis resipiscendi, an aliquid precibus suis contra Dei decretum promovebit? Posito itaque absoluto de omnibus rebus decreto, orandum quidem erit, si quis ad illud se impelli sentiat, sed nemo debebit esse de eo sollicitus tanquam de officio suo, in cujus omissione sit peccatum, nec tanquam de medio à cujus usurpatione aut neglectu pendeat precum suarum exauditio, vel contra rejectio. Unde videre est, quam periculosum sit illud dogma, quod efficaciam omnem veram precibus detrahit, ac proinde natura sua segnes reddit ad orandum, fervoremque quo preces animatæ esse debent tepescere facit. Sic etiam Deus proprie non poterit dici fidelium preces exaudire, & iis ad beneficia sua largiendum moveri; sed tantum exsequi id quod semel statuerit; deceptique fuerunt omnes illi qui aliquid precibus suis se obtinere posse aut obtinuisse existimarunt.

VIII. Alteri qui necessitati precum se opponunt, sunt qui dicunt, Deum cognoscere omnia quibus indigemus, proindeque frustra ipsi exponi; & pronum esse ad dandum probis quod petunt, improborumque preces ipsi displicere; utrosque igitur inutili se labore fatigare. Sed facile est istis respondere. Non petimus à Deo quibus indigemus, quasi ignoret: (quis vel Ethnicus tam abjecte de illo sentiret?) sed potius ut testemur nos indigentiam nostram sentire, & ab illo solo opem expectare. Nam licet proclivis sit ex se ad piis largiendum quæ iis opus sunt, vult tamen preces eorum intervenire antequam det, ipsique se donis ejus indignos ostenderent, si petere ea negligerent. Quod ad impios attinet, certum est quidem eos quamdiu in impietate sua perseverant Deo exosos esse, & mereri ut preces suas aspernetur; sed tam bonus est, ut aliquando solus de peccatis admissis dolor, & serium iis renunciandi propositum, ipsum flectat ad misericordiam, ut preces eorum exaudiat & largiatur quod petunt. Nam si sponte omnibus indifferenter donat ea quæ ad vitam hanc temporalem spectant, solem suum oriri faciens & pluviam immittens super justos & injustos, quanto magis rogatus? Nullum igitur est hominum genus quod ex suis ad Deum precibus magnam capere non possit utilitatem, modo ipse sibi obstaculo non sit.

IX. Forte etiam moti fuerunt aliqui ad precum necessitatem in dubium revocandum, quod nullum ea de re viderent exstare disertum in lege Mosis mandatum. Scio quidem nonnullos id elicere ex verbis *Exod.* XXIII. 25. *Servietis Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medeo tui.* Sed aliud est expressum mandatum, qualia multa ista de re habemus in Euangelio, ita clara & aperta ut nemo de iis dubitare queat; aliud id quod per consequentiam non omnibus obviam educitur; quod vix pro mandato haberi potest, cum præcipuum legis requisitum sit perspicuitas, ut facile ab omnibus, etiamsi non admodum ingenio valeant, intelligatur; ne quis prætextus ulli supersit quo suam contumaciam excuset. Quin tamen & ante legem & sub lege usitatum fuerit Deum invocare, nullum est dubium, ut multa exempla, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Mosis, Davidis & aliorum piorum docent. Sed quia natura, aut traditione patrum & usu id omnibus satis erat notum, non visum est Deo quicquam expresse in lege veteri Israëlitis ista de re tradere. Præterea cum assuevissent sacrificiis Deo offerendis, & nulla sacrificia fierent absque precibus, supervacaneum videbatur quicquam amplius de iis monere. Sed quia major est precum necessitas sub Novo Fœdere ad auxilium divinum implorandum in arcta salutis æternæ via, quam olim ad externam legi obedientiam, qua terrena felicitas obtinebatur, exhibendam; ideo expressius nobis mandatæ fuerunt; licet, ut dixi, à nemine Dei timente ullo unquam tempore neglectæ sint, utpote sufficienter de officio suo rationis lumine & indigentiæ suæ sensu admoniti.

X. Nunc vero in nova & perfectiore lege quam Christus de cœlo attulit, plurima alia habemus ad preces Deo offerendas incitamenta. Et primo expressum & apertum mandatum. *Petite, & dabitur vobis; quærite & invenietis; pulsate & aperietur vobis*, &c. *Matth.* VII. 7. Oportet semper orare & non segnescere, ut docet Dominus Jesus apud *Lucam* XVIII. allata parabola viduæ quæ à judice iniquo assiduitatate sua quod petebat obtinuit. Vide etiam *Ephes.* VI. 18. *Philipp.* IV. 6. *Coloss.* IV. 2. 1 *Thess.* V. v. 17. & alibi. Hic est præstantissimus animi cultus quem Deo exhibere possumus; quem sapientes non solum inter Israëlitas, sed etiam inter Ethnicos ipsis hecatombis prætulerunt. Et merito. Nam bonis terrenis Deus non indiget, &, si indigeret, est omnium possessor, ut non oporteret ipsum quicquam de manu hominum accipere vel expectare, *Psal.* L. 8. &c. Adde quod impii divites, qui abominationi sunt Deo, plura ejusmodi possunt ei dare quam pii pauperes, quibus Deus maxime delectatur, etiamsi nihil habeant præter sincerum cor quod ipsi offerant in precibus suis. Sed majore in pretio id habet omnibus thesauris auri & gemmis. Hac enim ratione tribuitur ei laus summæ bonitatis, sapientiæ & potentiæ; bonitatis quidem, quod pronus sit ad dandum fidelibus quæ petunt; sapientiæ, quod norit animum ex quo preces fundunt atque eorum statum & indigentiam, ut det quæ maxime ipsis profutura sunt; potentiæ, quod facile ei sit & in momento effectum dare quicquid illis est opus.

XI. Quod maxime autem nos ad hujus præcepti obedientiam permovere debet, est quod diversæ plane sit indolis à plerisque aliis quibus vult à nobis coli. Existimare enim forsan aliquis posset ipsum sui causa illa mandare, sicut domini terreni solent servis suis, qui suam non famulorum utilitatem quærunt. Sed ideo præcipit Deus ut ipsum oremus, quia nos vult per preces benedictionum suarum participes reddere: adeo ut id non tam sit jussum herile, quam amica invitatio qua nos ad se vocat, ut bonis suis onustos dimittat; veluti si dives aliquis homo aut princeps diceret pauperi, Pete à me confidenter quicquid voles, tu id certo obtinebis. Id apparet ex amplis & magnificis promissis quæ Deus mandato orandi se adjungit. *Dico vobis, si duo ex vobis consenserint in terra, de omni re quam petierint, fiet iis à Patre meo qui in cœlis est*, *Matth.* XVIII. 19. Item, *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabitur vobis*, *Joan.* XVI. 23. Vide etiam *Matth.* VII. 7. *&* *Luc.* XI. 5. *& seqq.* ubi Dominus Jesus ad omnem dubitationem à cordibus nostris avellendum certo id futurum pluribus confirmat. Etsi videri possit non admodum necessarium, quia nullam vel minimam diffidendi promissis Dei causam habemus. Alia enim est plane ejus ratio quam hominum. Illi, etiam potentissimi, non semper dare possunt quod promiserunt: casus aliquis superveniens omnia eorum consilia turbat & irrita reddit; ut & mors imprævisa: inconstantes sunt, & aliquando sine justa causa ex mera suspicione, aut aliorum calumniis inducti, incipiunt alieno animo esse ab iis quos antea dilexerant. Nihil tale de Deo metuendum est.

XII. Sed quia hæc etiam non semper ad excitandam hominum socordiam sufficiunt, accedere debet indigentiæ nostræ sensus, qui ut ad Dei misericordis opem confugiamus, nos vel invitos compellat. Indigentia hæc duplicis est generis; vel enim est rerum ad animalem hanc vitam pertinentium, vel earum quæ ad spiritualem & æternam nobis opus sunt. Res ad vitam animalem pertinentes variæ sunt; nempe depulsio morborum, liberatio à periculis quæ aut intentant hostes, aut quibus alioqui vita nostra, etsi nullum externum hostem haberemus, solet esse abnoxia; petitio eorum quæ ad vitam sustentandam faciunt, ut alimenti, vestis, habitationis, & similium. Quarum omnium plura exempla habemus in libro Psalmorum, qui est instar thesauri precum; unde quomodo nos in omni casu & statu gerere conveniat discere ex aliis possumus. Sed potissima indigentia est rerum quæ spiritualem & æternam vitam concernunt, qualis est illuminatio mentis in cognitione divinæ voluntatis, directio in via mandatorum Dei, liberatio à tentationibus, vel ne ingruant, vel ne nos opprimant, donatio Spiritus S. remissio peccatorum & vita æterna; quæ tanti sunt momenti, ut perpetuo animam fidelem occupatam tenere debeant. Nam veluti æger non solet ad medici opem confugere, nisi morbum suum sentiat; ita vix unquam ullus de auxilio divino implorando cogitabit, nisi ipsum indigentiarum suarum sensus compellat. Et quemadmodum thus & aromata tunc optimum odorem emittunt, cum in ignem conjiciuntur; ita fideles tunc devotissime orant, cum angustiarum veluti igne cruciantur. Ideo lethargus, ut in corpore, ita etiam in anima, periculosissimus est, & nemo, nisi ab eo excitetur, salutem æternam unquam consequetur.

XIII. Inter causas ad precandum excitantes, sunt etiam exempla fidelium, quos videmus quanto majores in pietate progressus fecerant, tanto frequentius huic exercitio vacasse, ut Prophetas, Apostolos, & præcipue Dominum Jesum, de quo observat *Lucas cap.* VI. ipsum aliquando in oratione pernoctasse. Verum est, majus ipsi onus, nempe totius humani generis salus, incumbebat, quam nobis; sed nos infirmiores sumus, & tanto magis divina ope indigemus. Inspice etiam Acta Apostolorum, & ipsorum scripta, animadvertes quam assidui in orando fuerint. Nullius rei crebrius ibi quam precum quas fuderunt mentio fit.

XIV. Finis precum ex causis ad orandum moventibus, & maxime ex indigentiæ sensu colligitur, nempe ut ab ea liberemur, & quæ nobis opus sunt à Deo obtineamus. Quo accedere debet ultimus actionum omnium nostrarum scopus, videl. gloria Dei, quæ per preces nostras illustratur, cum ei laudem bonitatis, sapientiæ & potentiæ tribuimus, & exauditi nomen ejus nostris gratiarum actionibus celebramus, sicut Deus per Davidem *Psal.* L. 15. eo nos hortatur.

XV. Utile quoque est cognoscere quænam sint illa quæ preces impediant, ut inde nos expedire laboremus. Ea in genere sunt peccata. Qui enim sibi conscii sunt se illis adhuc indulgere, timidiores redduntur ad appropinquandum Deo & aliquid ab eo petendum, cum noverint ipsum peccata & peccatores abominationi habere. In specie, precum remoræ sunt lites & rixæ; cum fieri nequeat ut qui cum fratre inimicitias exercet, Deum sibi precibus propitium reddat. Nec etiam ad communem Patrem accedere quispiam auderet, & aliquid ab eo postulare, interea dum fratrem odio prosequitur & malum ejus quærit. Ideo Christus vult ut qui offert munus ad altare, & recordatur sibi aliquid cum fratre esse dissidii, relinquat ibi suum munus, & prius reconcilietur cum fratre quam id Deo offerat, *Matth.* V. 24. Quod de precibus nunc est intelligendum. Nullum enim Christiani habent aliud altare præter Christum, per quem preces suas Deo, & gratiarum actiones ut sacrificium laudis offerunt. Eoque spectat

Apostoli

Apostoli mandatum, *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione*, 1 *Tim.* II. 8. Nec sine causa observatur Spiritum S. fuisse de cœlo Apostolis missum, cum omnes unanimiter in eodem loco congregati essent, *Act.* II. 1. Sic enim docemur, ut si quis illius particeps esse velit, pacis & concordiæ sit studiosus. Voluptates carnis & deliciæ sunt quoque inter precum impedimenta. Fieri enim nequit ut illis immersus, animam ad cœlestia attollat, & cum Deo Sancto colloqui & illi appropinquare sustineat dum se impurum sentit. Ideo Paulus probat ut conjuges se ad tempus ab invicem separent, ut vacent jejunio & orationi, 1 *Cor.* VII. 5. Et Petrus præcipit ut viri scienter versentur cum uxoribus, ne orationes ipsorum impediantur, 1 *Epist.* III. 7. nempe quibus tum simul, tum singuli separatim benedictionem divinam tam sibi, quam familiæ universæ, & liberis precabantur, ad Jobi exemplum, qui pro liberis suis holocausta offerebat Deo, quibus eos à peccatis sanctificaret & propitiaret.

CAPUT XXX.
De Materia Precationis.

I. *Materia precum sunt personæ & res.* II. *Precans pro se ipso primo & præcipue orare debet.* III. *Imprecatio contra seipsum in quibusdam juramentis est licita.* IV. *Quando fit ex charitate, est laude digna.* V. *Quando fit ex impatientia est vituperanda.* VI. *Quando fit ad ostendendum innocentiam suam est licita.* VII. *Etiam pro aliis Deus est orandus.* VIII. *Exempla precum pro aliis.* IX. *Præcipue munus est pastorum orare pro grege sibi commisso.* X. *Deo gratissimæ sunt, quæ pro inimicis fiunt.* XI. *Non licet inimicis perditionem imprecari.* XII. *Quo sensu Paulus Gal.* 5. *optet, ut turbatores Ecclesiæ abscindantur.* XIII. *Quomodo* 2 *Tim.* 4. *optet, ut Deus Alexandro ærario reddat secundum sua opera.* XIV. *Licet tamen orare, ut Deus consilia eorum disturbet.* XV. *Et ut eos afflictione aliqua temporali castiget, ut emendentur.* XVI. *Quomodo* 1 *Joan.* 5. *dicatur, non orandum pro eo qui ad mortem peccat.* XVII. *Pro mortuis non sunt facienda preces, quia non sunt præcepta.* XVIII. *Nullum earum exstat in Scriptura exemplum.* XIX. *Quid statuendum de facto Judæ Machabæi*, 2 *Machab.* 12. XX. *Nulla est earum utilitas.* XXI. *Sancti mortui non orant pro vivis.* XXII. *Non id probatur ex Apoc.* 6. XXIII. *Res de quibus orandum sunt omnia quibus indigemus, tam corporalia quam spiritualia.* XXIV. *Licet etiam corporalia à Deo petere.* XXV. *Qua ratione corporalia, qua vero spiritualia petenda sint.* XXVI. *Licet alia formula in precando uti quam Oratione Dominica.* XXVII. *Non tamen preces ex formula ordinaria sunt illicitæ.*

I. NUnc ad precum materiam accedamus, per quam cum intelligi soleat, tum objectum ad quod preces sunt dirigendæ, tum subjectum seu personæ pro quibus est orandum, tum denique res de quibus est orandum, & jam de primo tanquam majoris momenti statim ab initio egerimus, supersunt reliqua duo perstringenda.

II. Personæ igitur pro quibus preces ad Deum fundere oportet, sunt tum ipsi qui precantur, tum alii. Quin eos qui orant pro se primario & præcipue orare conveniat, nulla est dubitandi causa. Ipsi enim sibi, & suus status optime potest esse cognitus, ut sciant quænam precandi necessitas se urgeat. Et id ostendunt omnia mandata & promissa supra allata, ad eos præcipue directa qui pro se orant. Idcirco Christus, qui tam frequenter pro aliis precatus est, etiam pro se ad Deum Patrem in angustiis confugit. *In diebus* enim *carnis* suæ, (id est infirmitatis cui obnoxius erat sicut reliqui homines qui ex carne & sanguine constant,) *preces supplicationesque obtulit cum clamore valido & lacrymis ad eum qui poterat ipsum salvum facere à morte, & exauditus est a metu*, ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, *Hebr.* v. 7. Non tamen pro delictis, quæ nulla habuit; quamvis id videatur innui his verbis, *Talis nos decebat Pontifex, qui non haberet necessitatem quotidie, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel, se offerendo*, *Hebr.* VII. 26. 27. Verba enim, *Hoc fecit semel*, non est necesse referre ad utrumque membrum antecedens; sufficit si ad posterius. Si quis tamen etiam velit referre ad prius, ἁμαρτίαι Christi accipientur metonymice pro infirmitatibus, quæ peccatum in aliis hominibus comitari solent: sicut alibi id quod convenire debet omni Sacerdoti, ut quantum satis est possit miseratione tangi eorum qui ignorantia & errore tenentur, quandoquidem & ipse circumdatus est infirmitate, *Hebr.* v. 2. Christo non obscure applicatur.

III. Jam quæritur an liceat aliquando imprecatione adversus seipsum uti. Ad quod respondeo, diversa esse imprecationum genera. Illa occurrit primo qua veteres sæpe in juramentis usos fuisse videmus, *Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, si* &c. ubi malum quod sibi optabant, non exprimebant quidem, sed facile subintelligebatur ab audientibus. Quin illa fuerit licita in legitimis juramentis, nullum est dubium. Quale erat quod præstabat Ruth socrui suæ Noëmi, se nunquam ipsam deserturam, *Ruth* I. 16. 17. Et Jonathas in fœdere cum Davide inito, 1 *Sam.* XX. 12. Nam cum in omni juramento Deus in testem invocetur, etiam tacite petitur ab eo ut vindictam de perjuris sumat. Sed hæc formula est illicita in juramentis de re turpi. Quale erat Saulis de interimendo filio suo Jonatha, quod contra interdictum suum aliquid mellis degustasset, 1 *Sam.* XIV. *v.* 44. Et ut existimo, etiam Salomonis de occidendo fratre suo Adonia, 1 *Reg.* II. 23. quia quamvis reus esset Adonias regni affectati, longe melius fecisset Salomon si ei pepercisset. Ne jam afferam juramentum Jezabelis per Deos suos de interimendo Propheta Elia, propterea quia ejus jussu interfecti fuerant Sacerdotes Baal, 1 *Reg.* XIX. 1. 2.

IV. Alia

IV. Alia imprecatio est facta ex charitate erga proximos. Qualis erat illa Davidis, qui videns populum Israëliticum peste percussum peccati sui occasione, orabat, *Domine Deus meus, vertatur obsecro manus tua in me, & in domum patris mei; populus autem tuus non percutiatur*, 1 *Paral.* XXI. 17. Quæ magna est laude digna, & magni erga populum amoris testimonium; cui parem hodie in terris reperire difficile foret. Talis quoque fuit imprecatio Mosis, *Obsecro Domine, aut dimitte iis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti*, *Exod.* XXXII. *v.* 32. Et Pauli, *Optarim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. Rom.* IX. 3. De quibus duobus disputatur, an sibi damnationem æternam imprecati fuerint, ut verba ipsorum præ se ferre videntur. Ego vero id non existimarim. Sic enim Christum ipsum charitate superassent, qui mortem quidem maledictam pro salute nostra adire non recusavit; sed respiciens ad propositum sibi gaudium, post certamen istud exantlatum, *Hebr.* XII. 2. Mosis ergo petitio de sola morte temporali debet intelligi, ut nimirum deleretur de libro viventium, quemadmodum David loquitur *Psal.* LXIX. 29. existimans præstare & magis ad gloriam Dei cessurum, si ipse solus, quam universus populus Israëliticus interiret. Similiter Paulus nihil aliud optavit nisi tanquam maledictus aliquis mortem subire, si forte ea ratione Israëlitas à perditione æterna liberare posset. Cui interpretationi favet varia lectio nonnullorum codicum, nimirum, *ηὐχόμην αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ*, cum in vulgatis habeatur ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, quod separationem à Christo significat, & occasionem dedit interpretationi illi quam refutamus.

V. Denique alia imprecatio fit ex impatientia, cum aliquis doloribus aut gravi quapiam angustia in animo pressus sibi mortem exoptat; ut Moses, qui populi murmuribus fatigatus, Deo dicebat, *Obsecro ut interficias me, &c. Numer.* XI. 10. *& seqq.* Similiter Job, *Quis det ut veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus; & qui cœpit ipse me conterat, &c. Job.* VI. *v.* 8. 9. Et Tobias, qui auditis postquam amisisset oculos uxoris exprobrationibus, dicebat, *Domine præcipe in pace recipi spiritum meum; expedit enim mihi mori, magis quam vivere, Tob.* III. 6. Et Jonas, qui sentiens ardorem solis post exarefactum ricinum, dicebat, *Melius est mihi mori quam vivere, Jon.* IV. 8. In quibus omnibus magna infirmitas & doloris impatientia apparet; præsertim in ultimo, quem ideo graviter Deus reprehendit. Nec ab humana infirmitate immune fuit Eliæ votum, qui Jesabele ipsum persequente, petivit anima sua moreretur, &c. 1 *Reg.* XIX. 3. 4.

VI. Attamen ad ostendendum innocentiam suam, licet aliquando sibi malum sub conditione imprecari, dicendo, Si hoc feci, si reus sceleris cujus accusor, puniat me Deus, & similia. Cujus exemplum habemus in Davide, dicente, *Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, &c. persequatur inimicus animam meam, & conculcet in terra vitam meam, &c. Psal.* VII. 4. 5. 6.

VII. Fideles autem non tantum pro se Deum debent orare, sed etiam pro aliis. Qua de re multa habemus præcepta universalia; ut, *Alii pro aliis orate, Jac.* V. 16. *Orate pro omnibus sanctis, Ephes.* VI. 18. *Hortor primum fieri orationes, deprecationes, intercessiones, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate*, 1 *Tim.* II. *v.* 1. 2. Ubi quæritur quomodo accipienda sint ultima ista verba, *Ut quietam & tranquillam vitam agamus*, &c. utrum exprimant finem propter quem orare debeamus pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt; an vero cum ad quem Deus respexit cum eos in istam dignitatem extulit. Ad quod respondeo, Non multum id referre, cum uterque sensus sit bonus; licet prima connexio, quæ de fine orantium ea accipit, mihi planior & minus coacta videatur. Nec absurdi quicquam est in eo, si in precibus quas pro aliis facimus, etiam aliquam utilitatis inde ad nos rediture rationem habeamus. Sic enim Jeremias jubet Judæis, qui captivi in Babylonem abducti fuerant, *Quærite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci; & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis, Jerem.* XXIX. 7. Imo ita putarim accipi posse Pauli mandatum de orando pro Regibus & Magistratibus, ut conversionem quidem & salutem eorum pro scopo habeat; sed si ea nequeat obtineri, saltem Deus illorum consilia ita dirigat, ut fideles quietam & tranquillam vitam sub ipsorum imperio & protectione possint agere.

VIII. Superfluum hic foret referre innumera pene exempla particularium precum quas alii pro aliis facere jussi sunt & fecerunt. Sic Deus mandat Abimelecho ut ad Abrahami preces confugiat, *Genes.* XX. 7. & amicos Jobi ut preces ejus expetant, *Job.* XLII. 8. Nec id tantum vulgo aut minus gratia apud Deum valentibus præceptum est; sed etiam videmus Apostolos sæpe petiisse à fidelibus ut pro se orarent Deum. *Orate pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelii, &c. Ephes.* VI. 19. Cui similia loca vide *Rom.* XV. 30. *Coloss.* IV. 3. 1 *Thess.* V. 25. 2 *Thess.* III. *v.* 1. *Hebr.* XIII. 18. Imo Christus ipse in summa illa animi angustia quam expertus est mortem aditurus, discipulorum suorum vigilia & precibus cupiit adjuvari, *Matth.* XXVI. 38.

IX. Sed præcipue hoc est muneris Pastorum, orare pro grege sibi commisso. Sic Christus oravit pro discipulis, & pro omnibus iis qui per ipsorum sermonem credituri erant Euangelio,

Joan.

Joan. XVII. Paulus testatur se *absque intermissione mentionem facere fidelium in orationibus suis*, *Rom.* I. 9. 10. *ut Deus det ipsis spiritum sapientiæ & revelationis, & illuminatos oculos cordis sui*, &c. *Ephes.* I. 16, 17. 18. Sic *Philipp.* I. 3. 9. 10 *Coloss.* I. 3. 9. 1 *Thess.* V. 23. 2 *Thess.* I. 11. & II. 16. & III. 5. 16.

X. Sed nullæ preces sunt Deo gratiores iis quas pro inimicis offerimus; siquidem summæ charitatis sunt indicium; præsertim cum beneficentia sunt comitatæ, & quod ipsis optamus, etiam pro virili efficere studemus. Eas nobis commendat Christus; *Benedicite iis qui devovent vos, & precamini pro iis qui vobis infesti sunt*, *Matth.* V. 44. Similiter Paulus *Rom.* XII. 14. & Petrus 1 *Epist.* III. 9. Et præit nobis exemplo Christus, orans pro iis qui se crucifigebant, *Pater ignosce illis; nesciunt enim quid faciunt*, *Luc.* XXIII. 34. Et Stephanus dicens cum lapidaretur, *Domine ne imputes illis istud peccatum*, *Act.* VII. 60. Nec non Paulus 1 *Corinth.* IV. 12. Imo exempla illius habemus sub lege, ubi tam perfecta erga inimicos charitas non erat præcepta atque in Euangelio; ut in Davide *Psal.* XXXV. 13. 14.

XI. Sed nunquid etiam aliquando contra inimicos orare fas est, seu malum aliquod ipsis imprecari? Resp. Distinctione hic opus est. Primum nunquam licet inimicos devovere seu perditionem ipsis imprecari. Id directa fronte pugnat adversus charitatem, qua Christus jubet ut ipsos prosequamur, *Matth.* V. 44. Nec refert quod David id fecerit, ut testantur aliquot ejus Psalmi, & nominatim LXIX. & CIX. Nam videtur ad id à Spiritu Sancto impulsus fuisse, & non tam suis privatis quam Dei inimicis maledixisse: ut argumento est quod maledictiones istæ Judæ Christi proditori à Petro applicentur, *Act.* I. Deinde sub alia nunc & perfectiore lege vivimus quam David, adeo ut quod ipse absque peccato facere poterat, nos jam non possimus. Et, si quis eum ista in re imitari præsumeret, merito regereretur ei quod Christus discipulis, cupientibus ut ignis de cœlo consumeret Samaritanos, sicut olim ad preces Eliæ factum erat; *Nescitis cujus spiritus estis*, *Luc.* IX. 55.

XII. Paulus tamen, inquies, jam Spiritu Dei plene illuminatus, non veritus est inimicis imprecari, *Utinam abscindantur qui conturbant vos*, *Gal.* V. 12. Item, *Alexander ærarius multa mihi mala intulit: reddat ei Dominus secundum opera ejus*, 2 *Tim.* IV. 24. Resp. ad 1. locum, Turbatores isti quos Apostolus exscindi optat, non erant inimici ejus privati, sed Ecclesiæ; & id ipsi ita perspectum erat propter donum discretionis spirituum, ut falli non posset in suo judicio. In hoc autem casu quin longe plus liceat, quam in privata injuria, quis dubitet? Deinde, quid per *abscissionem* istam intelligat videndum est. Quidam id referunt ad vitam temporalem, ut Deus filum ejus abscindat, ne ejus Ecclesiam porro turbare pergant. Longe enim satius erat ut pauci aliquot incorrigibiles veritatis hostes è medio à Deo tollerentur, quam ut fides totius Ecclesiæ labefactaretur. Sed per *abscissionem* malim excommunicationem significari, qua ut membra putrida è corpore Ecclesiæ resecentur, ne contagio suo partem sanam inficiant. Ita alias de incestuoso dicebat Corinthiis, *Auferte malum ex vobis ipsis*, 1 *Epist.* V. v. 13. Cur igitur, dices, non suadet ut illi abscindantur quemadmodum de impuro isto fecerat, sed tantum id optat? Fieri potest ut id non auderet propter nimiam istorum hominum potentiam, & quia in magna erant apud Galatas existimatione; ita ut tacite innuere maluerit quid facere deberent, quam id aperte præcipere. Quicquid sit, ista non sunt temere imitanda iis qui spiritu Apostolico non sunt præditi, & studiose cavendum ne id nobis eveniat, quod multis aliis qui sub prætextu zeli pro veritate divina, & incolumitate Ecclesiæ, affectibus privatis odii, ambitionis, iræ, & similibus, inserviunt.

XIII. Quod ad 2. locum attinet, observandum est 1, in quibusdam exemplaribus legi *ἀποδώσει*, in futuro, non vero *ἀποδῴη* in optativo; ita ut non contineat votum ejus quod Apostolus cupiebat fieri, sed denunciationem pœnæ quam videbat scelerato isti veritatis persecutori ex justo Dei judicio imminere. Imo quamvis retineatur vulgata lectio *ἀποδῴη reddat*, potest dici Paulum non imprecatum esse aliquod malum adversario, sed tantum voluisse committere causam suam Deo, qui aliquando juste de ea pronunciaturus esset, sicut Petrus de Domino Jesu dicit 1 *Epist.* II. 23. Adde quod cum improbi istius animum cognosceret, licitum fuit illi, quod nobis non est; qui in ejusmodi casu optime faciemus si regulam à Christo præscriptam sequamur, orantes pro conversione inimicorum, &, si incorrigibiles se præbeant, relinquentes Deo ut eos pro meritis tractet. Ita nihil adversus charitatem peccabimus, ut forte faceremus talia exempla temere imitando.

XIV. Secundo tamen notandum est, posse nos absque violatione charitatis, quam inimicis debemus, orare, ut Deus consilia quæ adversus nos & bonam nostram causam capiunt disturbet, & impediat ne ea exsequantur. Sic David audito Achitophelem prudentia celebrem consiliarium cum Absalomo adversus se conjuravisse, precatus est, *Infatua quæso Domine consilium Achitophelis*, 2 *Sam.* XV. 31. Et cum Herodes & Pontius Pilatus, una cum Judæorum primoribus convenissent ad opprimendum Euangelium, Apostoli orant, *Domine respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum*, &c. *Act.* IV. 28. 29. Qui hoc faciunt, nihil mali imprecantur adversariis, sed

contra. Bonum enim est illis, etsi id forte non intelligant, impediri in proposito, quod non possunt absque injustitia & quin iram Dei in se accersant exsecutioni mandare.

XV. Tertio, neque adversus charitatem pugnat petere à Deo, ut inimicos nostros afflictione aliqua temporali castiget, qua ipsos ex veterno expergefaciat, & ad peccati agnitionem & veram resipiscentiam adducat. Tale enim votum proficiscitur ex salutis eorum desiderio. Sic faciebat David, dicens, *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*, *Psal.* LXXXIII. 17. Et illi quem videremus paratum ad scelus aliquod patrandum, possemus optare morbum, quo impediretur facere quod meditabatur, & interea tempus haberet ad saniorem mentem redeundi. Hic est etiam excommunicationis ab Ecclesia finis, ut peccator pudefactus, ab improbitate recedat, & salvetur, 1 *Cor.* V. 2 *Thess.* III.

XVI. Sed sunt-ne aliqui pro quibus nobis Deum orare non liceat? Ita existimant nonnulli, propterea quod Joannes dicit, *Si quis viderit fratrem suum peccare peccato quod non est ad mortem, petet* (supple à Deo) *& dabit illi vitam; peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget*, 1 *Joan.* V. 16. Hic tamen nullum interdictum animadverto, quod ejusmodi orationes illicitas reddat. Istis enim verbis, *Non pro illo dico ut roget*, significat solum, non obligari nos ad orandum, & preces nostras fore irritas & absque effectu. Non autem semper is peccat qui facit aliquid ad quod non tenetur; sed contra aliquando magna laude est dignus, ut in operibus charitatis indebitæ videre est. Quinam autem sint illi qui *peccant ad mortem*, non facile est dictu. Vulgo id referunt ad blasphemiam in Spiritum S. de qua Christus dicit, *neque in hoc neque in futuro sæculo remissum iri*, *Matth.* XII. 32. Sed rursus de ejus natura non consentiunt interpretes, & multi putant eam certo cognosci non posse ab iis qui non præditi sunt dono discernendi spiritus, quod desiit hodie inter Christianos. Hic autem Apostolus dicit, *Si quis viderit*, significans tale peccatum esse cognitu facile. Malim itaque dicere, illum peccare ad mortem, qui in peccato aliquo gravi, qualia sunt opera carnis, de quibus 1 *Cor.* VI. *Gal.* V. Paulus loquitur, spretis omnibus admonitionibus contumaciter perseverat. Tali enim via in mortem æternam certo incidet, adeo ut frustra preces pro illo, utpote efficacia cariturae, fiant. Ita nolebat Deus ut Samuel lugeret Saulem, quem ipse abjecerat, 1 *Sam.* XVI. 1. & ut Jeremias oraret pro Judæis, *Tu ne oraveris pro hoc populo, quia non exaudiam te*, &c. *Jerem.* VII. 16.

XVII. De precibus pro mortuis etiam aliquid hic addendum, sint-ne necessariæ, aut saltem valde utiles, ut in Romana Ecclesia vulgo docetur. Nos utrumque negamus, propter has rationes. Primo, nullum de ejusmodi precibus exstat mandatum in universa Vet. & Novi Test. Scriptura. In lege diversa sacrificiorum genera præscribuntur, pro multis hominum conditionibus & peccatis, imo quoque pro externis pollutionibus, quæ vere peccata non erant; sed ne verbo quidem precum pro mortuis fit mentio. Sic neque in Apostolorum scriptis, ubi toties precum exercitium commendatur. Unde certo colligimus, eas in necessariarum rerum censum non esse referendas, cum Scripturæ perfectio non permittat ut quidquam istius generis plane silentio prætereatur.

XVIII. Secundo, nullum etiam ibidem ejusmodi precum habemus exemplum; neque in libro Psalmorum, qui tam multas earum continet formulas, neque in toto Novi Fœderis codice, ubi tam frequenter Spiritus Dei nos ad orandum incitat. Unde rursus colligimus, eas non admodum esse utiles; cum fieri nequeat ut Sancti viri, quorum virtutes illic nobis imitandæ proponuntur, isti exercitio, si admodum utile foret, incumbere neglexerint; aut scriptores Sacri, si in usu vulgo fuisset, id plane dissimulassent. Præclaræ enim multæ ibi se occasiones offerunt istud saltem obiter commemorandi, ubi historia mortis, luctus, & sepulturæ illustrium virorum recensetur, ut Saræ, Abrahami, Jacobi, Josephi, & aliorum. Præsertim notatu dignum est quod narratur de Davide, qui filio quem pepererat ei uxor Uriæ ægrotante, deprecatus est Dominum pro illo, jejunavit & jacuit super terram, & cum mortuum audivisset lugere & orare desiit, 2 *Sam.* XII. v. 15. *& seqq.* quo tamen tempore & occasione solet maxime nunc inter Pontificios precibus vacari.

XIX. Sed objicitur in contrarium factum Judæ Machabæi, & Judæorum qui in ejus exercitu erant, qui precati sunt & sacrificium obtulerunt pro iis qui interfecti fuerant in prælio, 2 *Mach.* XII. 39. *& seqq.* Ad quod resp. 1. Librum istum esse Apocryphum, ut alias ostendimus, ac proinde inde peti nequire idoneas probationes ad dogmata fidei controversa confirmandum. 2. Distinguendum est inter factum Judæ Machabæi, Judæorumque, & historici qui illud narrat judicium. Factum potest esse rectum & laudabile, si ad mentem auctorum & circumstantias attendatur. Cum inventa essent sub tunicis interfectorum donaria idolorum, à quibus lex prohibet Judæos, videl. *Deut.* VII. v. 25. 26. omnibus manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt justum judicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Atque ita ad preces conversi, rogaverunt ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur. At vero fortissimus Judas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt, & facta colla-

collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccato sacrificium, &c. (in Vulgata versione Latina legitur *Pro peccatis mortuorum*; sed Græci codices, etiam Romanæ editionis, constanter legunt περὶ ἁμαρτίας, nulla mortuorum facta mentione.) Dico igitur preces istas & sacrificium oblata quidem fuisse Deo, occasione idololatriæ vel sacrilegii, ab iis qui in prælio interemti sunt admissi, ne ira Dei ob istud scelus effervesceret in exercitum universum, ut olim contigerat in sacrilegio Achanis, propter quod 36 Israëlitæ cæsi fuerunt coram Hai, & coacti fuerunt reliqui obsidionem solvere & se fugæ dare, *Josu.* VII. toto. Facta enim ista erant omnino similia quod ad peccatum; licet ratio puniendi fuerit diversa. Sic Judas Machabæus, & isti qui cum eo erant Judæi, in suis precibus & sacrificio, non respexerunt ad mortuos, ut eos juvarent apud Deum; sed ad superstites tantum, ne eadem pœna involverentur cum impiis istis legis transgressoribus, qui in peccato suo mortui erant. Sed fac eos etiam de mortuis in suis precibus cogitasse, id eo tantum fine factum fuerit, ne peccatum quod admiserant beatæ ipsorum resurrectioni impedimentum afferret; ut significat historicus, cum de Juda dicit, *Bene & religiose cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* Unde apparet quam impertinenter afferatur iste locus, ad probandum recte preces & sacrificia Deo offerri ad liberandas animas in purgatorio laborantes. In iis enim nulla habetur resurrectionis ratio. Itaque sunt superfluæ & vanæ secundum hujus auctoris testimonium. Sed miror quod aliqui niti illo audeant, cum ejus imperitia manifeste se prodat. Cum enim dixisset milites istos sacrilegii circa idola commissi fuisse reos, ideoque merito & justo Dei judicio in prælio interemtos; subjicit tamen postea, *quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Quomodo enim dicit, eos *cum pietate dormitionem accepisse*, cum antea propter crimen eos fuisse occisos agnoverit? quis hæc directa fronte inter se pugnare non videt? Jesuita Menochius affert ad eum excusandum, dixisse milites istos cum pietate dormitionem accepisse, quia pro vera religione pugnantes occubuerant, & ante mortem pœnitentia sacrilegii sui in corde tacti fuerant. Sed hæc sunt inania commenta. Illi enim pro vera religione non pugnabant, qui anathemate tam severe interdicto se polluebant. Nec ipse aut quisquam alius mortalium poterat esse certus de veritate pœnitentiæ quam animam exhalantes egerant, ut posset asserere eos cum pietate dormitionem accepisse, posteaquam dixerat manifestum fuisse omnibus ipsos propter scelus suum corruisse. Sic ergo nullum orationum pro mortuis probatum exemplum ex Sacris literis peti potest.

XX. Tertio nulla est precum istarum utilitas. Nam ii pro quibus offeruntur, aut in pietate obierunt, & beati sunt, ac proinde iis non indigent; aut in peccatis ceciderunt, vitamque amplius emendare non possunt, ut preces viventium iis prosint, & judicii divini dilationem impetrent. Nam si, ut supra vidimus, pro iis qui peccant ad mortem superfluum est orare, etiamsi adhuc vivant, quanto magis pro iis qui in peccatis mortui sunt? In quem sensum accipiuntur verba Sapientis allegorica, *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*, *Eccles.* XI. 3. id est, quo in statu (sive pietatis sive impietatis) mors hominem deprehenderit, in eo erit perpetuo: Menochius in hunc locum. Quæritur tantum de iis qui in statu medio moriuntur, seu cum peccatis venialibus solum, non mortalibus, obeunt, an vivorum precibus post mortem juvari possint. Sed iste status medius primum solide esset probandus, antequam cum fiducia pro iis qui in tali statu obierunt precari audeamus. Unde restat, ut preces pro mortuis nonnisi pro superstitione, nullo solido fundamento subnixa, haberi possint & debeant.

XXI. Sed nunquid sancti mortui, quorum animæ apud Deum in cœlis quiete fruuntur, pro iis qui in terra vivunt Deum orant? Ita vulgo statuunt tam Pontificii quam Protestantes; sed cum hoc discrimine, ut Pontificii existiment sanctos mortuos audire preces viventium, & eas Deo commendare; Protestantes vero id negent, & eos solum in genere pro necessitatibus quibus vivos fideles obnoxios esse meminerunt Deum orare sentiant. Illorum opinionem supra refutavimus breviter; horum nobis non videtur admodum certa; imo potius Sacris literis adversa, quam consentiens. Diserte enim David dicit, *Mortui non laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in sepulcrum*, &c. *Psal.* CXV. v. 17. 18. Vide etiam *Psal.* VI. 6. & LXXXVIII. v. 12. 13. *Esa.* XXXVIII. 18. 19.

XXII. Affertur tamen in contrarium locus ex Apocalypsi, ubi Joannes dicit, se *vidisse sub altari animas interfectorum propter verbum Dei, quæ clamabant voce magna, Usquequo Domine non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra*, &c. *cap.* VI. v. 9. 10. 11. Sed totus hic locus est figuratis locutionibus plenus, & visionem continet animo oblatam, non oculis corporis; incertum an de re tali qualis apparebat, an vero qualem libebat Spiritui Dei Apostolo objicere. Altare in cœlo revera fuisse, nescio an quis ausurus sit dicere: clamare voce magna non convenit animabus separatis à corpore, & organis corporeis destitutis: nec vindictam expetere est sanctorum qui in charitate consummati sunt. Potius itaque existimarim,

rim, animos interemtorum propter veritatem Euangelii, dici clamare ad Deum pro vindicta, eodem sensu quo de sanguine Abelis Deus dicebat Caïno, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, *Genes.* IV. 10. quia nimirum tam injusta cædes requirebat ut Deus universi judex, & qui unicuique rependit secundum opera, severam de illa vindictam sumeret. Sed de hac re sentiat unusquisque ut volet, modo nihil tribuat mortuis quod occasionem præbeat cultui superstitioso, qui ipsis vulgo inter Christianos exhibetur. Et hæc de iis pro quibus est orandum.

XXIII. Res de quibus est orandum, sunt in universum omnes quibus indigemus, sive ad corpus, sive ad animum, sive ad præsentem, sive ad futuram vitam pertineant. Sub quibus etiam comprehenduntur mala, quæ cupimus ut Deus à nobis avertat, vel ut nos ab iis liberet. De his enim omnibus pii habent Dei promissiones, quibus ad precandum cum fiducia incitantur. *Pietas*, inquit Paulus, *promissionem habet vitæ quæ nunc est & futuræ*, 1 *Tim.* IV. 8. De quibus est intelligendum Christi mandatum, *Petite & dabitur vobis*, *Matth.* VII. 7. Illa tamen majore studio & ante alia petenda sunt quæ ad Dei gloriam & salutem nostram æternam spectant; secundum Domini Jesu monitum, *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & cætera omnia adjicientur vobis*, *Matth.* VI. *v.* 33. Observandum enim hic est discrimen, quod est inter Vetus & Novum Fœdus. Vetus habebat promissa multorum bonorum temporalium, parciora & obscuriora spiritualium & æternorum. Novum contra, ampliora spiritualium, pauciora corporalium. Et secundum illa preces nostræ nunc sunt formandæ. Nec dubium est quin spiritualium petitio longe gratior sit Deo quam corporalium, & quin illa libentius det. Ostendunt enim pium petentis pectus. Unde videmus olim Deo valde placuisse, quod cum Salomoni optionem fecisset postulandi à se quod vellet, Salomon non petierat *nec dies multos*, *nec divitias*, *nec victoriam de inimicis*, *sed sapientiam ad discernendum judicium*, &c. 1 *Reg.* III. 5. *& seqq.* Quanto ergo magis nunc, cum *illuminavit vitam & immortalitatem per Euangelium*, 2 *Tim.* I. 9. & cum tam sæpe nos hortatur ad petendum ab ipso Spiritum suum? Id etiam docet formula precationis quam Dominus Jesus dedit discipulis, ubi inter sex aut septem petitiones quas continet, una tantum est quæ de corpore & vita animali intelligi possit, nimirum, *Da nobis hodie panem nostrum quotidianum*; quam etiam celebres quidam interpretes non de alio quam animæ pane accipiendam esse putant. Sed nos verba hæc in tota sua latitudine accipere malumus, de utroque pane, corporis & animæ, quam ad hunc solum restringere, cum causam non habeamus quæ nos id facere cogat. Nam si licet nobis à Deo petere corporalia, negare non debemus panem, qui primo & in propria sua significatione rem corporalem significat, in hoc etiam sensu in precatione Dominica accipi posse.

XXIV. Illud autem licere apparet primo ex eo, quod cum Dominus Jesus in terris versaretur, tam libenter exaudiverit eos qui ab ipso beneficia sanationum corporalium petebant. Non enim minus est misericors nunc quam olim fuit, ut miseriarum nostrarum sensu non tangatur. Imo ideo tentatus est per omnia in similitudine excepto peccato, ut misericors fieret & fidelis Pontifex quem adiremus cum fiducia, *Hebr.* II. 17. 18. & IV. 15. 16. & V. 1. 2. 3. Unde Paulus non dubitavit ab eo petere, ut liberaretur ab Angelo Satanæ qui ipsum colaphizabat, 2 *Cor.* XII. 7. 8. 9. quamvis enim non obtinuerit quod petebat, non tamen displicuerunt ejus preces Domino, à quo hoc gratiosum tulit responsum, *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Et Jacobus præcipit; *Ægrotat quis inter vos? advocet presbyteros Ecclesiæ & orent super eum; & ratio fidei salvabit infirmum*, &c. *cap.* V. 14. 15. Eadem autem est & reliquorum corporalium ratio. Similiter etiam ut Deus nos vel alios à periculis corporalibus liberet docent exempla fidelium. Cum enim Petrus carceri inclusus esset ab Herode, *Oratio fiebat sine intermissione ad Deum pro eo Act.* XII. *v.* 5. Quanquam in his precibus videntur pii non tantum respexisse ad liberationem corporalem Petri à morte; sed etiam & præcipue ad utilitatem, quam diuturnior ejus vita allatura esset promotioni regni Christi. Sicut etiam cum Apostoli videntes conspirationes improborum adversus Euangelium, dicunt, *Respice Domine in minas eorum*, &c. *Act.* IV. 29. In quo simul cum spirituali bono, etiam corporalem à persecutionibus respirationem intenderunt. Nec mirum; cum infirmitas humana sit tanta, ut diuturnior aut gravior afflictio eos, qui minus in fide radicati sunt, interdum ad defectionem sollicitet. Unde Paulus; *Tentatio vos non apprehendit nisi humana. fidelis autem est Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed dabit etiam cum tentatione eventum, ut possitis sustinere*, 1 *Cor.* X. 13. Quod autem cupimus ut Deus nobis det, id ab eo debemus petere; cum nonnisi precibus intervenientibus largiri soleat.

XXV. Sed hic discrimen adhibendum est in petitione corporalium & spiritualium, ut spiritualia quidem absolute petamus & absque conditione, ut gratiam qua Deus nos adjuvet in bono, Spiritum S. remissionem peccatorum, & vitam æternam; quia scimus absolute esse bona, & Deum ea nunquam recusare devote à se petentibus. Corporalia vero petamus sub hac conditione, si Deo ita visum fuerit, si ad ejus gloriam & nostram salutem id profuturum est; alias contenti simus iis carere. Qua in re præivit nobis exemplo Dominus Jesus, qui cum petiisset,

tiisset, *Pater, si fieri possit transeat iste calix à me*, continuo subjicit; *veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*, *Matth.* XXVI. 39. Et eorum quæ nobis utilia futura sunt delectum Dei sapientiæ relinquere debemus, qui id melius novit quam nos ipsi. Sicut mater infanti cultrum aut ignem petenti non dat, quia veretur ne lædat se. Nam *quid oremus sicut oportet nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus*, *Rom.* VIII. 26. Quod etiam Ethnici sagaciores cognoverunt, ut Plato, qui sic orabat, Jupiter rex da nobis bona sive ea petamus, sive non; sed mala nunquam etiamsi ea petiverimus. Similiter Juvenalis, qui dicebat,

Orandum est ut mens sit sana in corpore sano.

Et irridet Horatius vulgus precans,

Pulcra Laverna,
Da mihi fallere; da justo sanctoque videri;
Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.

Epist. lib. 1. *Epist.* 16.

Illis autem multo meliores non erant Christiani, quibus Jacobus objicit, *Petitis, & non accipitis; eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris impendatis*, *cap.* IV. 3. Et si liceret intueri aliorum corda & vota, forsan multi hodie à tali insania non valde alieni invenirentur.

XXVI. Hic ubi de precum materia agimus, videretur locus esse Orationem Dominicam explicandi; sed quia id jam à pluribus, quorum libri in manibus omnium sunt, accurate est præstitum, isto labore supersedebimus; ne, ut aiunt, post Homerum Iliada scribere velle putemus. Tantum hoc obiter monebimus, Dominum Jesum quando illam formulam dedit discipulis, non fecisse istud ad alligandos ipsos verbis, quibus concepta est, aut ut necessitatem imponeret eam semper precibus aliis adjungendi. Nihil minus. Hoc unum sibi propositum habuit, docere quid potissimum in precibus nostris à Deo petere oporteret; id duobus capitibus complectens, uno rerum ad gloriam Dei directe spectantium, altero earum quibus semper indigemus, tam ratione vitæ animalis quam spiritualis. Relinquens nobis libertatem ista quibus visum fuerit verbis & locutionibus exprimendi; prout factum est ab Apostolis, in quorum scriptis occurrunt quidem multæ precationes, sed ista nunquam repetitur. Proinde neque intendit nos alligare ad illam quotidie sive solam, sive cum aliis precibus recitandam.

XXVII. Sed ab altera parte illicitum non est istam formulam publice in Ecclesia, & privatim domi nostræ usurpare, ut quidam hodie existimant, repudiantes omnes preces quæ ex formula ordinaria, qualiscunque illa sit, fiunt; quasi nullæ Deo essent acceptæ nisi quæ ex tempore & impræmeditato funduntur. Etiamsi enim fatear illud utile esse ad excitandam attentionem, & impediendum ne animus noster inter precandum ad alias cogitationes vagetur, nusquam tamen à nobis requiritur in Scriptura: nec omnes apti sunt ad ejusmodi preces extemporaneas formandum; & frustra Dominus Jesus dedisset istam formulam, si nunquam illa liceret uti. Ita sane non crediderunt Apostoli, qui rogarunt ipsum ut doceret eos precari, sicut Joannes docuerat discipulos suos, *Luc.* XI. Quod si recte eam tunc usurparunt, quid ni & nos hodie? Ita semper observavit Ecclesia Christiana, cujus unanimi consensui se velle absque gravi ratione opponere, nimiam αὐθάδειαν sapit.

CAPUT XXXI.
De circumstantiis Precum.

I. *Privatæ preces nulli unquam loco alligatæ fuerunt.* II. *Publicæ in Veteri Testamento erant alligatæ Templo Hierosolymitano.* III. *In Novo ubique possunt fieri.* IV. *Preces privatæ in Pontificiorum templis Deo non sunt gratiores, quam domi effusæ.* V. *Pontificiorum templa quando in Protestantium potestatem veniunt possunt ad cultum divinum adhiberi.* VI. *Qua ratione licitum aliquando sit cum Pontificiis in ipsorum templis orare.* VII. *Expenditur exemplum Naamanis Syri.* VIII. *Quædam preces fiunt extraordinariæ qualibet oblata occasione.* IX. *Quædam ordinariæ, quæ certo tempori sunt alligatæ.* X. *In publicis precibus magis oportet attendere ad tempus.* XI. *Sub Novo Testamento omne dierum discrimen est abolitum.* XII. *Septimi diei sanctificatio non videtur à creatione mundi fuisse semper observata.* XIII. *Quid in præcepto quarto sit ceremoniale.* XIV. *Quid morale.* XV. *Diem Dominicum ab Apostolis conventibus sacris fuisse destinatum solide probari non potest ex Joan.* 20. XVI. *Nec ex Act.* 20. 1 *Corinth.* 16. *Apoc.* 1. *recte tamen dies ille observatur.*

I. ABsolutis ergo iis quæ ad precum materiam spectant, transeamus ad circumstantias. Eæ duæ sunt præcipuæ, Locus & Tempus. Quod ad locum, oportet primum distinguere inter privatas uniuscujusque fidelis, vel etiam familiæ, & publicas totius Ecclesiæ orationes. Privatæ nulli unquam loco alligatæ fuerunt, sed potuerunt ubique absque discrimine semper fieri.

II. Sed in publicis diversimode considerandus est precum locus ratione Veteris & Novi Testamenti. Nam in Veteri ille erat ita Dei mandato circumscriptus, ut non liceret alibi absque peccato precibus publicis vacare. Quod intelligimus de illis quæ sacrificia comitabantur. De quibus Moses dicit Israëlitis; *Cave ne offeras holocausta in omni loco quem videris: sed in eo quem elegerit Dominus, in uno tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi*, *Deuter.* XII. 13. 14. Ratio hujus mandati erat, quia preces & sacrificia debebant fieri ad arcam testimonii, quæ erat symbolum præsentiæ Dei gratiosæ inter Israëlitas, & de qua ipse dixit Mosi, *Inde præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium, & de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo*

per te filiis Israël, *Exod.* xxv. 22. Cui cohæret, quod arca etiam erat typus Jesu Christi, summi Ecclesiæ Sacerdotis, per quem oblatæ orationes nostræ placent Deo, *Hebr.* xiii. 15. Sed quia arca ista, una cum tabernaculo in quo asservabatur, in parte Sanctum Sanctorum dicta, nullum fixum & determinatum habuit locum usque ad tempus Salomonis qui templum illi construxit, ideo precum & conventuum publicorum locus erat ille ubi tabernaculum erectum erat; quod toto illo tempore quo Israëlitæ commorati sunt in deserto, ubi ultra quadraginta stationes habuerunt, tricies saltem mutavit locum, ut videre est *Numer.* xxxiii. postea ingressis in terram Canaan primo collocatum fuit in Schilo, deinde in Cariatijarim, postea in Nob, & alibi; donec templo à Salomone exstructo, extra illud cultus publicus exerceri non debuit, 1 *Reg.* ix. 3. collato cum *Deut.* xii. 13. 14. & culpantur qui in excelsis post illud tempus sacra faciebant. Imo durante pædagogia legali, quanquam preces privatæ ubique legitime fieri possent, tamen etiam sæpe fideles in templum ascendebant, ut in illo loco privatas suas preces Deo offerrent, supra quem Deus promiserat oculos & cor suum cunctis diebus futurum, 1 *Reg.* ix. 3. adeo ut qui Babylonem abducti fuerant captivi se versus locum illum precaturi converterent, *Dan.* vi. 10. de quo Deus ipse dixerat, *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis*, *Esa.* lvi. 7.

III. Sed post adventum Christi publicæ preces in quovis loco indifferenter fieri possunt. Quo spectavit Paulus, dicens, *Volo viros orare in omni loco, levantes manus puras, sine ira & disceptatione*, 1 *Tim.* ii. 8. Nimirum advenerat tempus de quo Dominus Jesus locutus fuerat mulieri Samaritanæ, veros adoratores Patrem ubique adoraturos in spiritu & veritate: non ut ante Samaritani in monte Garizim, Judæi in Hierusalem, *Joan.* iv. 20. &c. Paulus tamen post illud tempus ascendit adorandi causa in Jerusalem, *Act.* xxiv. 11. quia licet id tunc non amplius teneretur facere ex officio, tamen non erat illicitum, & ad Judæos zelatores legis facilius convertendos faciebat.

IV. Sed superstitionem sapit, quod Pontificii hodie privatas suas preces acceptiores putant esse Deo in templis factas quam domi; cum tamen de templis suis non habeant ejusmodi promissionem ut Judæi: & illud sapiat hypocriticam ostentationem, quam Jesus Christus vult abesse à precibus nostris, *Tu cum oras intra in conclave tuum*, &c. *Matth.* vi. Nam quod consecrationem templorum suorum prætexunt, ea cum ritibus superstitiosis & nusquam à Deo præceptis fiat, sanctitatem templis nullam conciliat.

V. Quæritur autem de illis Pontificiorum templis, in quibus varii cultus superstitiosi, & idololatriam resipientes exercentur, quo loco sint habenda; & primum, ubi in Protestantium veniunt potestatem, an possint legitime ad cultum divinum adhiberi. Mirum autem est istud quæri, cum in eo nulla sit difficultas. Cultui enim divino, & quidem Christiano ab iis qui construxerunt dicata fuerunt, non idolorum Gentilium. Perperam itaque iis applicatur quod mandatum est in lege de delubris, excelsis, lucis, aris & statuis Cananæorum subvertendis & igne comburendis, *Deut.* xii. 1. 2. 3. Quod Judæi ipsi tempore Machabæorum non observarunt circa templum Hierosolymitanum, quod abominando idolo super altare Dei ab Antiocho erecto pollutum fuerat; sed contenti sunt, cum tribus annis post in ipsorum potestatem rediit, purificare secundum legem, ut videre est 1 *Machab.* iv. 36. *& seqq.* Adeo ut ab insania non multum distet, quod nonnulli nunc existimant cultum illum esse pollutum & Deo abominationi, qui exercetur in templis ubi olim Missa celebrata est, aut ubi cruces in fastigio in memoriam mortis Domini Jesu erectæ sunt; quasi ideo quod Pontificii istis crucibus abutuntur ad superstitionem, nullus amplius earum legitimus usus in Ecclesia Christiana esse possit. Sane excessit medicina modum, & istud non tam est superstitionum abolitio, quam earum in oppositas commutatio, prout vulgo contingit, ut Dum vitant stulti vitia, in contraria currant.

VI. Sed alia majoris momenti movetur quæstio, Utrum iis qui veritatem noverunt, absolute illicitum sit una cum Pontificiis in ipsorum templis aliquando orare. Resp. Non putarim; suppositis his conditionibus; 1. Ut preces illæ dirigantur ad unum Deum, per Dominum Jesum Christum. 2. Ut nihil superstitionis aut cultus creaturarum iis immixtum sit. 3. Ut qui interest illis precibus, linguam Latinam qua vulgo fiunt intelligat. Quando ergo in Vesperis, quas vocant, Psalmos aut alia sacra cantica solum canunt, posset quispiam bona conscientia iis se sociare. Modo tamen caveret ne scandalum ad infirmos rediret, occasionem dans credendi tali actione se universum illum cultum, qui in istis Ecclesiis exercetur, approbare.

VII. Hunc in finem quidam exemplum Naamanis Syri afferunt, qui cum petivisset ab Elizæo Propheta, ut quando rex Syriæ dominus suus ingrederetur in templum idoli Remmon ut adoraret, condonaret sibi Deus si ingrederetur illuc simul cum rege, qui solebat inniti super manum ejus, & ibi adoraret; tulit hoc responsum, *Vade in pace*, 2 *Reg.* v. 17. 18. 19. Sed non est appositum. Nam inde sequeretur Elizæum ad idololatriam Ethnicam connivisse. Quod absit. Nec petivit Naaman ut istud sibi à Deo per Elizei intercessionem condonaretur, si idolum Remmon coleret. Nam diserte protestatur,

statur, *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino.* Quod erat omni Deorum alienorum cultui renunciare. Hac suæ fidei declaratione facta, petit solum ut officii civilis, quod Regi suo debebat, obeundi causa liceret sibi ingredi cum illo in templum idoli, & ibi adorare, non idolum, sed Deum Israëlis; vel simpliciter in genua procumbere, ut Rex ipsi inniti posset. Quod videtur concedere Propheta rationem habens infirmitatis ejus. Nullum tamen est dubium quin longe melius facturus esset, si generose muneri suo renunciasset, quam ullam occasionem præbere aliis suspicandi quod adhuc idololatriæ faveret. Unde apparet istud male trahi ad excusandam dissimulationem eorum, qui cognita veritate sacris Pontificiis intersunt, & ea se approbare simulant. Quod non fecit Naaman, nec probavit Elizæus.

VIII. Sequitur altera precum circumstantia, nempe Tempus. Quo non referemus illud Christi mandatum, quod oportet semper orare & non deficere, *Luc.* XVIII. I. quia id pertinet ad perseverantiam in precibus, de qua postea. Hic observandum est duo esse orationum genera; quædam fiunt extraordinarie qualibet occasione oblata, ut quando sentimus nos à spiritu ad precandum impelli, cui motui pium est obsequi, etsi non necesse sit id facere ilico, si tunc in publico versemur, aut in cœtu illorum simus qui ob alia negotia convenerunt; quod ostentationem hypocriticam resiperet: sed oportet in tali casu se abdere in conclavi, secundum Christi monitum, & ibi sancto isti exercitio vacare, *Matth.* VI. 6. Si tamen cum in cœtu aliquo sumus, subito periculum aliquod ingrueret, in quo ad opem divinam confugere oporteret, nihil alienum à decoro faceret qui ex templo in genua procumbens Deum precaretur, maxime si occasio hæc ad omnes qui ibi sunt congregati communiter pertineret; alias melius esset differre, cum res moram pateretur, donec nos in privatum domicilium recepissemus.

IX. Aliæ preces sunt ordinariæ, quas nobis ipsis ad præcavendam oblivionem & neglectum indicimus, ut cum in lectum nos conferimus, vel ex eo surgimus, item ante & post pastum. Illæ, ut apparet ex occasione propter quam instituuntur, certo tempori sunt alligatæ; ad quod etiam exactius attendendum est si in familia numerosa fiant, ut omnes absque impedimento illis possint interesse. Vespertinas autem & matutinas preces minime esse negligendas suadet indigentia nostra, & pericula quæ nos noctu atque die circumstant, à quibus ut Deus nos liberet petimus; & cum liberati sumus, pro paterna ejus cura gratias agere tenemur. Id faciebat David, qui dicit, *Ego ad Deum clamabo, & Dominus servabit me. Vespere & mane & meridie loquar & tumultuabor & exaudiet vocem meam*, *Psal.* LV. 17. 18. Sic etiam Daniel consueverat tribus temporibus in die flectere genua sua coram Deo, & ipsum adorare, *Dan.* VI. 10. Vide etiam *Psal.* LXXXVIII. I. 10. 14. Item VI. 7. & CXLIII. 8. & CXIX. 62. & LXXVII. 3. Dominus Jesus nobis etiam præbet exemplum precandi cum cibum sumimus; de quo sæpe narratur eum tali occasione Deo benedixisse & gratias egisse; non solum cum voluit miraculose multiplicare panes, ut *Matth.* XIV. 19. & XV. 36. sed etiam alias, ut cum instituit S. Cœnam, *Matth.* XXVI. 26. 27. 30. & Paulus, *Actor.* XXVII. 35. qui ejusmodi precum usum nos docet, scribens sanctificari cibos per verbum Dei & orationem, I *Tim.* IV. 5.

X. Sed in publicis precibus magis oportet attendere ad tempus quam in privatis, alioqui non posset evitari confusio, seu ordo requisitus in Ecclesia servari. Id factum est olim sub Veteri Testamento, ubi singulis Sabbathis conveniebatur ad audiendam legis lectionem, quæ absque precibus non videtur inchoata fuisse nec finita. Et ter singulis annis viri saltem tenebantur venire in locum quem Deus elegisset, & ibi preces cum sacrificiis suis Deo offerre, nempe festo Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum, *Exod.* XXIII. 17. *Deuter.* XVI. 16. Præterea die decimo mensis septimi, qui etiam Propitiationis vocatur, jejunium solenne celebrabant, *Levit.* XXIII. 27. *& seqq.* quod absque precibus gratum Deo non fore omnes norunt. Sed etiam singulis diebus offerebantur jugiter duo holocausta, unius agni anniculi, alterum mane, alterum vesperi, *Exod.* XXIX. *v.* 38. & hora qua id fiebat vocabatur hora precationis, ut videre est *Act.* III. I. cum quo confer *Luc.* I. 10. Quin Sabbatho quoque solennes Deo fierent preces non est dubitandum, etsi nullum ea de re expressum habeatur in lege mandatum. Quies enim diei illius accepta Deo absque hoc spirituali cultu non fuisset.

XI. Sub Novo Fœdere omne dierum discrimen est abolitum, ita ut unum altero sanctiorem per se habere superstitionem resiperet. Et Christiani non sunt jam obligati ad observanda Israëlitarum festa; videl. instituta in memoriam liberationis ex Ægypto, ut Pascha; datæ legis in monte Sinai, ut Pentecoste, & peregrinationis in deserto per 40 annos, ut festum Tabernaculorum. Nimirum advenit tempus, de quo Deus ipse prædixit, *Non dicetur ultra, vivit Dominus qui eduxit filios Israël de terra Ægypti*, &c. *Jerem.* XVI. 14. Quia majora beneficia quæ Deus sui cultoribus collaturus erat, præcedentium memoriam quodammodo obliterare debebant. Nulla autem in comparationem venire possunt cum iis quæ per Christum accepimus. De abolitione autem discriminis dierum quod ad cultum Dei publicum testatur Paulus, cum dicit; *Alius æstimat diem præ die*,

præ die, alius autem peræque æstimat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet, Rom. XIV. 5. Item, *Ne quis vos judicet respectu diei festi, aut novilunii, aut sabbathorum*, &c. Coloss. II. 16. Rursus, *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Metuo de vobis, ne frustra laboraverim apud vos*, Gal. IV. 10. 11. id est, ne frustra vos instituerim in doctrina de libertate à jugo legis, quam Christus nobis sanguine suo acquisivit; quandoquidem vultis adhuc servituti subesse, & istorum temporum observationem necessariam esse vobis à Pseudoapostolis persuaderi finitis.

XII. Sed de septimi diei religione major est difficultas, an ab illa plane liberi simus sub Novo Fœdere. Septimum autem diem intelligo unum ex hebdomade, qualiscunque is sit, non septimum à creatione mundi, seu illum quo Deus requievit ab omni opere suo quod fecerat, *Gen.* II. 2. 3. Nam incertum est quinam ille sit dies, an Sabbathum quod hodie celebrant Judæi, an vero aliquis alius ex septem hebdomadis diebus. Oportet enim supponere diem istum perpetuo & absque ulla interruptione observatum fuisse à piis, à mundo condito usque ad legem per Mosem promulgatam. Atqui nulla hujus rei satis firma habemus argumenta; imo conjecturæ in contrarium aliquot sunt non improbabiles. *Primo* enim non consentiunt inter se interpretes, utrum ista *Genes.* II. verba, ubi mentio fit quietis Dei & sanctificationis diei septimæ, contineant mandatum jam ab initio mundi observandum de omni laboris abstinentia. Quidam enim satis verisimiliter existimant ea per πρόληψιν seu anticipationem, quales multæ occurrunt in libris historicis, à Mose esse adducta, ut ostenderet Deum quando præcepit Israëlitis Sabbathi observationem, ad quietem primi istius Sabbathi respexisse, ut majore ipsum cum reverentia colerent. Quæ opinio ex eo firmatur, quod si Deus jam ab initio mundi quietem Sabbathi præcepisset hominibus, aliqua observationis ejus vestigia apparerent in actis Patriarcharum, sive illorum qui ante, sive qui post diluvium vixerunt; præcipue ubi recensentur variæ peregrinationes Abrahami, Isaaci, & Jacobi; quas obligati fuissent intermittere Sabbatho. Sed ne γρῦ quidem ista de re in libro Geneseos reperias. Adde quod durante Ægyptiaca servitute, non permissum fuisset Israëlitis septimo quoque die feriari; intereaque primi Sabbathi memoria, si qua adhuc superesset, tam longo tempore plane periisset. *Secundo* huc facit, quod quietis Sabbathi nulla mentio fiat nisi post exitum ex Ægypto, cum manna pluere inciperet; de quo vide *Exod.* XVI. 13. *& seqq.* Tunc enim præcepit Deus ut sexto die colligerent quantum necesse foret in duos dies, quia septimo nullum in agris inventuri essent. Et manna sexto die collectum non putrefactum est, nec vermes inde nati, ut præcedentibus diebus fiebat si asservaretur. Edixitque ut deinceps Sabbathum colerent, & ab omni labore abstinerent. Hæc prima quietis Sabbathi fuit institutio; quam septimo creationis diei respondisse affirmari nequit, nisi supponendo ipsum continua serie & non interrupta à creatione mundi observatum fuisse: in quo tamen nulla plane est certitudo. Quidam objiciunt, duplex in Decalogo haberi præceptum de Sabbatho, alterum recordandi ejus; *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*: alterum quiescendi in eo; *Septimo autem die non facies omne opus*, &c. Et dicunt primum à piis jam ab initio mundi observatum fuisse, qui isto die recoluerunt memoriam creationis, & Deum ob opera sua celebrarunt, secundum id quod ex *Genes.* II. paulo ante retulimus: secundum vero datum esse Israëlitis post liberationem ex Ægypto, & ea occasione quam modo ex *cap.* XVI. *Exod.* recensuimus. Sed hæc distinctio nobis magis subtilis videtur quam solida. Nam quod urgent vocem *Memento*, est procul quæsitum. Aliam Deus potuit habere causam populum suum ad recordationem istius diei excitandi; nempe quod videret ipsos jam aliquoties mandatum de Sabbathi quiete transgressos esse, & in agros ad colligendum manna, contra expressam prohibitionem, exivisse. Quod si nudam & simplicem memoriam creationis mundi requisivisset, facile fuisset eam etiam inter operandum conservare. Et qui Sabbathum statim à mundi initio institutum esse putant, non collocant ipsum in sola recordatione creationis, sed etiam in quiete ab hujus vitæ laboribus, ad exemplum Dei, qui absoluto mundi opificio intra sex dies, septimo requievit ab omni opere quod fecerat. Quare incertum est an Sabbathi dies, quem Judæi hodie ex præscripto legis celebrant, illi diei respondeat quo Deus post absolutam mundi creationem quievit, an vero isti quo cessavit à pluendo manna in deserto: quod longe est verisimilius; etiamsi Deus ut sanctior adhuc esset in eo memoriam creationis recoli voluerit. Et, si ita se res habeat, apparebit facilius ad solos Israëlitas, sicut & reliquos ritus ceremoniales & positivos, pertinuisse; non ad omnes in universum mundi incolas: ac proinde nos ad eum sub Novo Fœdere observandum obligatos non esse.

XIII. Verum tamen quia istud preceptum relatum est in Decalogum, quod moralia tantum continet, quibus omnes homines devinciuntur, & creatio universi est res tam illustris & magnifica, ut propterea Deus perpetuis laudibus celebrandus sit; quod pro dignitate recte fieri nequit nisi in cœtibus piorum, & à laboribus hujus vitæ requiescendo, existimo nos illius vi obligari, non quidem ad Sabbathum Judaïcum, sed ad unum è septem diebus cultui Dei solenni consecrandum. Distinguendum est igitur inter ceremoniale & morale hujus præcepti.

cepti. Ceremoniale est, quod Israëlitæ ad illum diem celebrandum erant obligati quo Deus à manna pluendo cessabat in deserto, & quod debebant sibi exacte temperare, non tantum ab eo quod cultum divinum impediisset, sed etiam ab omni alio labore, nisi plane necessarius foret; adeo ut illo ne liceret quidem ignem accendere aut cibum præparare, *Exod.* xvi. 23. & xxxv. 3. Et ad ipsos peculiariter, non ad alios populos pertinebat, quod dicitur *Deut.* v. 15. *Memento quod & ipse servieris in Ægypto*, &c. *idcirco præcepit tibi Deus ut observares diem Sabbathi*, &c. nempe in quo requiescerent servi & ancillæ à suis laboribus. Ideo Sabbathum vocatur signum inter Deum & Israëlitas, *Exod.* xxxi. 13. videl. fœderis perpetui quod cum ipsis privatim non cum aliis populis pepigerat.

XIV. Sed morale est, quod cultui divino publico dies unus è septem dicatus esse debet, & ad recolendum creationis memoriam, & alia Dei erga nos beneficia. Ut jam non dicam nos minore humanitate non debere prosequi servos nostros & ancillas, quam Israëlitæ suos, ut iis è septem diebus indulgeamus unum quietis, ne sub assiduo labore fatiscant; etiamsi id non faciamus, ut ipsi, in memoriam liberationis ex servitute Ægyptiaca. Nec propterea quod discrimen dierum sit abolitum sub Novo Fœdere, ut unus dies alio sanctior non habeatur amplius, ut sub lege, ideo licet id quod in Decalogo ut ad omnes homines pertinens mandatur negligere. Sicut ergo errant qui existimant non opus esse ullum diem peculiariter cultui publico consecrare, sub eo prætextu quod singulis diebus Deo servire debeamus, cum ordo publicus in Ecclesia non possit recte observari, nisi conventibus solennibus certus dies sit constitutus; ita peccarent illi qui ex. gr. vel è decem diebus unum vellent eligere, protrahendo quietis publicæ tempus; vel unum è quinque, contrahendo ipsum. Primi quidem, quod minus se religiosos erga Deum & humanos erga servos ostenderent quam Deus constituit; secundi vero, quod libertatem coarctarent quam Deus nobis indulsit ad vacandum hujus vitæ negotiis. Itaque veteres Christiani, quamvis scirent nos amplius ad Sabbathum Judaicum observandum non esse obligatos, tamen sponte in eo diu ad cultum divinum convenerunt, ut docet Grotius Annot. in Decalogum. Prætereaque in resurrectionis Christi memoriam primum diem hebdomadis conventibus sacris jam à temporibus Apostolorum dicaverunt, ut ostendit perpetua praxis Ecclesiæ huc usque continuata, & antiquissimorum scriptorum testimonia, ut Justini Martyris in Apol. 2. Clement. Alex. Strom. 7. Origenis Hom. 7. in Exod. Tertulliani Apologet. cap. 16. & aliorum.

XV. Sed quod ad Scripturæ loca, quæ in hunc finem citantur, fateor omnia non esse ita clara, ut ex iis possimus certi esse de praxi Apostolica, nisi accederent hæc quæ diximus veterum testimonia. *Primum* affertur Dominum Jesum suscitatum fuisse ex mortuis prima die hebdomadis, illaque se manifestasse Apostolis, & octiduo post, *Joh.* xx. 19. 26. ita ut videatur in more habuisse tali die convenire cum Apostolis, & exemplo suo ostendere voluisse, sibi placere ut is conventibus sacris destinaretur. Sed hic neque est præceptum, quod omnes fatentur; neque exemplum satis expressum. Nec enim ex eo quod Christus præter diem resurrectionis iterum octiduo post tali die se manifestavit discipulis, sequitur eum consuetudinem istam ordinarie observasse per 40 illos dies quibus post resurrectionem in terra remansit. Nam ex illis nullus præteriisse videtur quo Apostolos non compellaret; cum narret Lucas *Act.* 1. 3. ipsum per 40 dies apparuisse iis, & locutum de regno Dei. Sed peculiaris est ratio cur mentio fit speciatim octavæ post resurrectionem diei, nempe ad ostendendum quantum temporis spatium Thomas in incredulitate sua perseverasset. Interim certum est, ut dixi, veteres Christianos occasionem inde sumsisse primum diem hebdomadis conventibus suis solennibus dicandi, ut in eo memoriam recolerent simul veteris creationis, & novæ, quæ potissimum resurrectioni Christi debetur, per quam validissime confirmata est doctrinæ Euangelicæ veritas, & regeniti sumus in spem vivam, 1 *Petr.* 1. 3.

XVI. *Secundo* citatur Paulum cum discipulis convenisse Troade una Sabbathi ad frangendum panem, *Act.* xx. 7. Ubi movetur quæstio, an per unam Sabbathi intelligatur primus dies hebdomadis, vel tantum aliquis indefinite: Sed concesso quod præsupponitur, & verisimile omnino est; dico non sequi ex eo, quod semel narratur discipulos primo die hebdomadis convenisse, ipsos perpetuo istud observasse. Fieri enim potest ut extraordinarie isto die, propter instantem Pauli abitum, convenerint. *Tertio* urgetur Paulum præcipere Corinthiis ut collectæ fierent pro sanctis per unam Sabbathi, & quemadmodum ordinaverat in Ecclesiis Galatiæ, ita & ipsi facerent, 1 *Cor.* xvi. 1. 2. Ubi quidam respondent, ex eo quod vult collectas illa die fieri, non sequitur tunc convenire consuevisse Christianos; cum forte alio non respexerit certæ diei præscriptione, nisi ad tanto melius refricandam ipsis officii memoriam. Agnosco tamen locum istum esse præcipuum, ex quo maxime verisimiliter ostendi potest jam tempore Pauli consuevisse Christianos ista die conventus suos agere, præsertim cum ipsam non solum Corinthiis, sed etiam Ecclesiis Galatiæ commendavit. *Quarto* denique observatur Johannem dicere *Apoc.* 1. 10. se fuisse in Spiritu, supple raptum, κυριακῇ ἡμέρᾳ. Ubi certum est dies resurrectionis Christi intelligi, licet quidam in dubium revocent an is qui singulis annis, an vero qui singulis hebdomadibus recurrit. Sed

de postremo isto accipiendum esse apparet ex ea quam dixi veterum praxi. Itaque etsi nullum de hujus diei observatione præceptum exstet in Novo Fœdere, propter quod dici debeat ipsum in Sabbathi Judaici locum successisse, & æque rigide cum illo observandum; quod Christianæ libertati adversaretur: tamen quia loca ista duo postrema docent tunc solitos Christianos una convenire, agnoscimus id recte fieri, imo etiam debere, nisi schismatici esse velimus, nos tam unanimi & perpetuo Ecclesiæ consensui, Apostolicæque traditioni, temere & sine ulla justa causa, in re observatu facillima, opponentes.

CAPUT XXXII.

De Precationis adjunctis, & requisitis in precante.

I. *Adjunctum primum precationis est fides.* II. *Fides in Christum non fuit requisita in precibus eorum qui ante Christum vixerunt.* III. *Fiducia exauditionis requiritur in precibus nostris, si secundum Dei voluntatem petamus.* IV. *Quomodo eam possimus cognoscere.* V. *Alterum adjunctum est reverentia.* VI. *Hæc consistit in animo, verbis, & gestibus, qui varii sunt.* VII. *Tertium est ardor, qui se aliquando prodit vehementi clamore.* VIII. *Potest tamen is abesse.* IX. *Huic repugnat, orare ignota lingua, & ex consuetudine.* X. *Quanto animi ardore sancti oraverint.* XI. *Quartum est perseverantia.* XII. *Quo sensu jubeamur indesinenter orare.* XIII. *Quid sentiendum de quotidianis precibus Monachorum in Ecclesia Romana.* XIV. *Requisitum in precante est, ut sit pius.* XV. *Quid dicendum de peccatoribus, qui pœnitentia ducti implorant Dei misericordiam.* XVI. *Et in specie, ut facile condonet, & sit misericors.* XVII. *Precationis effectum est exauditio.*

I. SEd ut è diverticulo redeamus in viam, de precationis adjunctis seu proprietatibus nunc agendum est. *Primum* est, ut fiat in fide. Qua de re celebre exstat mandatum Apostoli Jacobi, qui de sapientia in afflictionibus ferendis à Deo petenda tractans, ait; *Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quod aliquid accipiat à Deo, Epist.* I 6. 7. Ubi videndum est quid *fidei* nomine, cujus diversæ sunt acceptiones in Scriptura, hic intellexerit: evidens autem est ex eo quod illi hæsitationem seu dubitationem opponit, usurpasse eam pro fiducia in Deum, quæ facit ut toti in eum recumbamus, & omnia quibus indigemus ab ipso accepturos nos speremus. Ad quam varia requiruntur. Non enim oportet solum hanc fidem generalem habere, Deum esse & remuneratorem eorum qui ipsum quærunt, *Hebr.* XI. 6. quæ omnis religionis & pietatis fundamentum est; sed etiam in specie persuasos esse Deum preces nostras audire, & statum indigentiamque cognoscere. Non enim similem esse idolo Bahal, de quo Elias illudens Sacerdotibus, dicebat, *Clamate voce majore. Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur*, 1 *Reg.* XVIII. *v.* 27. Deinde Deum esse omnipotentem, ut nobis possit in quovis periculo opitulari, & omnia quæ nobis opus sunt tum ad vitam animalem, tum ad spiritualem, facile esse ipsi dare. Non enim ei impossibile esse ullum verbum, ut dicebat Angelus Gabriel, *Luc.* 1. 37. De quo quia non erant persuasi Sadducæi, & Philosophi Gentiles, ideo irridebant doctrinam resurrectionis, *Matth.* XXII. 29. *Act.* XVII. *v.* 32. Sed longe aliter Abraham, qui fide obtulit Isaac filium suum unigenitum, de quo acceperat promissiones, nempe in ipso vocatum iri sibi semen; ratiocinatus apud se, quod & à mortuis suscitare potens est Deus, *Hebr.* XI. *v.* 17. 18. 19.

II. Quæritur hic, an necesse sit, non solum in Deum, sed etiam in Christum credere eum qui preces suas exaudiri velit? Resp. Omnino: si de iis intelligatur quibus Euangelium fuit annunciatum, & qui sine peccato ipsum non possunt ignorare. *Non enim est in alio aliquo salus; nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, Act.* IV. 12. Sed quod ad eos qui vixerunt ante ejus adventum, & quibus non fuit revelatus, quis dubitet quin fides in Deum universi Creatorem & gubernatorem suffecerit? qualis erat Enochi, Noæ, Rahab, & quorundam aliorum quos celebrat Apostolus *Hebr.* XI. ut docet ejus descriptio quam ibi facit. Et quodnam præclarius ista de re exemplum habere possumus quam Cornelii Centurionis, ad quem cum adhuc Ethnicus esset & Christum ignoraret, missus est Angelus à Deo qui ipsi diceret, *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, Act.* X. 4. Unde apparet, quam impertinenter afferatur in contrarium istud Pauli testimonium, *Quicquid non est ex fide, peccatum est, Rom.* XIV. *v. ult.* cum ex serie textus facile sit intelligere, ista de fide in Christum non esse dicta, sed de persuasione quam unusquisque in conscientia sua debet habere, illud quod facit aut molitur non displiciturum Deo. Quod invicte probatur ex verbis istis quæ paulo ante præcedunt: *Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo.* Ostendunt enim fidem istam posse, imo aliquando debere, coram hominibus dissimulari; quod de fide in Christum est nefas; cujus confessionem ore ad salutem facere oportet, *Rom.* X. 10.

III. Sed major superest difficultas enodanda, an preces nostræ non possint Deo esse gratæ, nisi illam fidem habeamus, nos omnia quæ ab ipso petimus accepturos. Id enim innuere videntur ista Christi verba, *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis, Marc.* XI. 24. Et difficultatem auget id quod præcedit, *Habete fidem Dei. Amen*

dico

dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti, Tollere & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Sed quamvis hæc verba sint valde generalia, ea tamen sunt restringenda ad illa tempora quibus donum miraculorum vigebat in Ecclesia. Etiamsi enim quis hodie inter nos haberet hanc persuasionem, non tamen sequeretur effectus; quia Deo non placet perpetuo Euangelii doctrinam signis & miraculis confirmare. Volumus ergo scire quæ fides in precibus requiratur? id nos Joannes docebit, dicens; *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus audit nos*, &c. 1 *Epist.* v. 14. 15. Jacobus quoque explicat, cum ait, *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis; ut in concupiscentiis vestris insumatis*, IV. 3. Oportet igitur inquirere in Dei voluntatem, ut scientes quid ipsi nobis largiri placeat, fidem istam precibus nostris pro fundamento substernamus.

IV. Sed quomodo eam poterimus cognoscere? Resp. Non difficulter, si distinguamus inter duo rerum genera; quarum aliæ sunt necessariæ ad salutem nostram æternam, aliæ vero non. Nam quod attinet ad primas, cum Deus salutem fidelibus & Euangelio obedientibus donare constituerit, nunquam recusat quæ ad eam obtinendum requisita sunt, modo illa debita cum reverentia & ardore petamus. Et huc pertinent hæc promissa generalia, *Petite & dabitur vobis*, &c. *Si vos igitur qui estis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum S. petentibus ab eo? Luc.* XI. Quod vero ad alteras, possumus quidem eas à Deo petere, sed non cum hac fiducia, nos infallibiliter obtenturos; sed sub conditione si Deus judicet expedire nobis, & non jam aliter constituerit. Itaque conditio ista semper iis est apponenda, aut certe subintelligenda; licet fiducia in bonitatem divinam à precibus nostris nunquam abesse debeat. Nam si forte non videatur ipsi dare quod petimus, nos destitutos tamen non relinquet. Sic Christo petenti, ut transiret à se mortis acerbæ calix, quia Deus aliter constituerat, mittitur Angelus de cœlo eum confortans, *Luc.* XXII. 42. 43. Et cum Paulus rogaret ut Angelus Satanæ qui ipsum colaphizabat à se discederet; quia non videbatur Deo ita expedire, datur ei gratia ad sustinendam istam tentationem requisita, quæ ipsi sufficiebat, 2 *Cor.* XII. 8. 9. Ita si non placuerit Deo nos liberare à morbo, aut aliqua alia gravi afflictione, sed per eam explorare nostram fidem & patientiam, certi esse debemus ipsum nunquam gratiæ suæ auxilium nobis denegaturum, quo sufferre & de ea victoriam reportare possimus. Et qui hanc fiduciam in bonitatem Dei recumbentem non affert in precibus suis, indignus est qui à Deo exaudiatur.

V. *Alterum* precationis adjunctum, est Reverentia. Nihil est quod magis conveniat supplicibus, & iis qui aliquid ab altero petunt; & quo major est is quem adimus, eo majore cum reverentia & demissione solemus eum compellare; ut si rex sit aut princeps, vel in magna aliqua dignitate constitutus, & quo longe inferiores simus. Cum ergo Deus sit tantus, & nos ejus respectu tam viles, id nos sufficienter docere potest quanta cum reverentia supplicationes nostras ipsi offerre debeamus. De qua Dei sublimitate & nostri parvitate eximius est locus apud Prophetam: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt; ecce insulæ quasi pulvis exiguus.* Item, *Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores ejus sunt quasi locustæ*, &c. *Esa.* XL. 15. 22. Id semper cogitare nos oportet, quando ad Deum accedimus. Ista enim nostri demissione delectatur. *Hæc dicit excelsus & sublimis habitans æternitatem, & sanctum nomen ejus, in excelso & sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu; ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum*, *Esa.* LVII. 15. Rursus, *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem ad sermones meos?* *Esa.* LXVI. 2. Et revera non potest respicere neque ad superiorem, neque ad parem, cum nullus reperiatur talis. Sed quia homines, licet Deo infinitis partibus minores, aliquando per superbiam se illi æquant, vel etiam præferunt, ideo vult ut quicunque aliquid ab ipso obtinere desiderat vilitatem suam agnoscat.

VI. Hæc reverentia primum consistit in animo, qui recte norit Dei magnitudinem & suam parvitatem recte æstimare. Deinde etiam se patefacit in verbis quibus Deum alloquimur, & in gestibus quando coram ipso supplices comparemus. Quod ad verba attinet, videmus Abrahamum pro Sodomæ incolis intercedentem dicere, *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis*, *Genes.* XVIII. 27. Jacobus similiter, *Domine minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam explevisti servo tuo*, *Genes.* XXXII. 10. Quod gestus spectat, videmus Esdram dicentem, *Deus meus confundor & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt supra caput nostrum, & delicta nostra creverunt usque ad cælum*, *Esd.* IX. 6. Et in Euangelio proponitur nobis publicanus à longe stans, & oculos ad cœlum levare non audens, qui percutiebat pectus suum, dicens, *Deus propitius esto mihi peccatori*, *Luc.* XVIII. v. 13. Solebant etiam antiquitus cilicio vel saccis se induere, seu vilissimo aliquo operculo se tegere, & pulverem super caput suum aspergere, ad magis commovendum Deum ad misericordiam. Ita David conspiciens Angelum se accingentem ad percutiendum peste & vastandum Jerusalem, cecidit tam ipse quam Seniores proni in terram, vestiti ciliciis, 1 *Chron.* XXI. 16. Et Ezechias auditis Rabsaces in Deum blasphemiis, scidit vestimenta sua, & obvolutus sacco intra-

intravit in domum Domini, nempe ad orandum, *Esa.* XXXVII. 1. Itidem Achab, audita judicii divini sibi imminentis denunciatione, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite. Itaque factus est sermo Domini ad Eliam, dicens, *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus*, &c. 1 *Reg.* XXI. 27. Toto quoque corpore prostratos coram Deo precatos fuisse legimus. Ita Moses & Aaron proni in faciem ceciderunt & corruerunt proni in terram ad avertendam Dei iram ab Israëlitis, *Numer.* XVI. 20. & XX. 6. Imo ipse Dominus Jesus instante passione procidit in faciem suam in terram orans, *Matth.* XXVI. *v.* 39. *Marc.* XIV. 35. Et quid mirum si homines ita se coram Deo humiliaverint, cum etiam aliquando erga sui similes ita se composuerint? Abraham enim dicitur adorasse filios Heth, *Gen.* XXIII. 7. 12. Et Jacob ad placandum fratrem suum Esau iratum, progrediens in ejus occursum, adoravit pronus in terram septies, *Genes.* XXXIII. 3. Sed orantium situs magis ordinarius est procumbere in genua. Quod fecit Salomon, 1 *Reg.* VIII. 54. Esdras, IX. 5. Petrus, *Act.* IX. 40. Paulus, *Act.* XX. 36. Christus Dominus, *Luc.* XXII. 41. Aliquando tamen etiam stantes orabant, ut observatur de publicano, *Luc.* XVIII. 13. Et publicanus à longe ἑστὼς, stans. quanquam fatendum est ita posse istud accipi, quasi dictum esset consistens, & non respiciat ad situm corporis; quanquam cum videamus servos coram Dominis stare, & alios inferioris conditionis coram magnatibus à quibus aliquid petunt, etiam stando reverentiam erga Deum nostram ostendere nihil vetat. Pertinet quoque istud ad reverentiam in precando, ut viri aperto capite orent, quia imago & gloria Dei sunt, mulieres vero velato capite, ad ostendendum subjectionem suam, ut Paulus pluribus docet 1 *Cor.* XI. 3. *& seqq.* Judæi nunquam aperiunt caput suum in Synagogis, & putant istud ad majorem Dei honorem cedere, & profundiorem coram ipso demissionem ostendere. Sicut etiam Summus Sacerdos caput tiara redimitus sacra peragebat, *Exod.* XXVIII. *v.* 37. In hac diversitate gestuum & rituum, videndum est quid pro maxime decoro habeatur illo tempore & loco ubi degimus. Nam signa reverentiæ externæ qua Deum colimus desumta sunt omnia ex iis quæ erga Principes & Magnates observantur: quæ cum secundum loca & tempora variare videamus, neminem offendi oportet diversitate gestuum in precando, aut positus corporis; nisi forte cum aliqua consuetudo nimis à decoro recedit. Præcipua enim reverentia à corde proficiscitur; reliqua omnia externa simulare possunt hypocritæ, à quibus vere pii animi puritate & demissione differre debent.

VII. *Tertium* precationis adjunctum est Ardor, consistens in eo ut animus noster sit inflammatus vehementi desiderio obtinendi à Deo id quod ipsum rogamus. Qualem precationem Jacobus vocat ἐνεργουμένην, & dicit plurimum valere apud Deum, *cap.* V. *v.* 16. Unde apparet hanc vocem non esse reddendam *efficax*, ut facit Beza. Sic enim locutio tautologica tribueretur Apostolo, quasi dixisset, Deprecatio efficax est valde efficax. Neque etiam satis commoda est versio vulgata, quæ habet *assidua*. Malim vertere, quæ cum laboriosa contentione fit, & ex totis animi viribus. Cum qua conjuncta est interdum vehementia in clamando. Nam sicut ex abundantia cordis os loquitur, ita ex ardore quo inflammatur, fit sæpe ut precatio magna cum vehementia pronuncietur. Unde David aliquoties in Psalmis dicit se clamare ad Deum, se attollere vocem suam, & similia.

VIII. Possunt tamen hæc à se invicem separari, ita ut precatio quidem fiat cum vehementi ardore animi, nulla tamen in voce aut pronuntiatione appareat. Talis videtur fuisse precatio Mosis pro Israële, cum inclusus esset inter exercitum Pharaonis & mare rubrum. Deus enim dicit, Quid clamas ad me? *Exod.* XIV. *v.* 15. & tamen non videtur ullum labiis suis verbum pronunciasse, tantum abest ut alta voce clamarit; sed hic clamor cordis intelligitur, non gutturis. Contra potest fieri ut aliquis valde alta voce clamet, & cor non clamet, id est nullo ardore inflammatus sit. Qualis erat Prophetarum Baal, qui à mane usque ad meridiem clamabant, *Baal exaudi nos*, 1 *Reg.* XVIII. *v.* 26. Quanquam aliquis forte existimabit, illos magna cum animi contentione orasse, quia incidebant se cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine. Sed quia non orabant istud idolum in fide, neque etiam verus erat ille animi ardor. Nullus pariter erat ardor in Israëlitis, de quibus Deus dicit, *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est à me*, *Esa.* XXIX. 12.

IX. Quibus similes sunt illi, qui Psalmos alta voce decantant, sed ad id quod dicunt nullam attentionem afferunt. Quod præcipue fit ab iis qui lingua à se non intellecta orant. Et miror ad ejusmodi preces excusandum dici, majorem esse devotionem in illis, quam in aliis. Quæ enim devotio potest eas comitari, nisi superstitiosa? Nam veræ devotionis dux est animus attendens ad ea quæ dicit. Unde Paulus precibus quæ fiebant in Ecclesia lingua quam populus non callebat, objicit, *Is qui implet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam gratiarum actionem? Nescit enim quid dicas*, 1 *Cor.* XIV. *v.* 16. Nihil etiam est quod magis ardori precum repugnet, quam orare ex consuetudine, & animo alibi vagari. Quod nunquam faceremus, si cogitaremus serio quantum nobis sint necessaria

necessaria ea quæ à Deo petimus, ut remissio peccatorum, sine qua nemo potest evadere gehennam; & similia. Nullus enim est criminis capitalis reus, qui petens à Principe veniam seu abolitionem, ut vocant, inter petendum alia de re cogitet. Sed animus ejus totus est defixus in eo quod petit. Et merito Deus illi diceret, qui non cogitat quid petat, Quomodo vis ut te exaudiam, cum ipse te non audias? Istud non est honorare Deum, sed irritare. Et tantum abest ut per ejusmodi precationem obtineatur remissio, ut contra illa peccatum sit & remissione indigeat. Nec frigidæ preces habentur apud Deum pro precibus. Qua de causa Propheta dicebat de toto populo Israël, *Non est qui invocet nomen tuum*, *Esa.* LXIV. 7. licet sacrificia illa quæ quotidie bis offerebantur, mane & vesperi, semper preces adjunctas haberent.

X. Sed vide omnes sanctos quanto cum animi ardore oraverint. Moses pro Israëlitis intercedens, qui idololatria sua circa vitulum aureum iram Dei provocarant; *Procidi*, inquit, *ante Deum, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens & aquam non bibens propter omnia peccata vestra*, &c. *Deuter.* IX. 18. &c. Qui precandi ardor eo usque processit, ut diceret, *Aut dimitte iis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*, *Exod.* XXXII. 32. Elias similiter, *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini, filii Israël*, 1 *Reg.* XIX. 10. Sed quis ardor comparandus cum eo quem Dominus Jesus ad preces suas attulit; unde natus sudor instar grumorum sanguinis cadens in terram? *Luc.* XXII. 44. Quantam etiam putamus fuisse vehementiam Apostolorum pro successu Euangelii orantium, & dicentium, *Respice Domine in minas hostium, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum*, &c. *Act.* IV. 29. Quæ talem effectum habuerunt, ut motus sit locus in quo erant congregati, & repleti sint omnes Spiritu S. Ideo huc nos hortatur Apostolus, dicens, *Orate in spiritu*, *Ephes.* VI. 18. utpote sine quo spiritu, seu ardore, preces sunt instar cadaveris omni motu & actione destituti.

XI. *Quartum* adjunctum est Perseverantia, præcedenti ex quo nascitur adeo affinis ut unum idemque esse videatur. Nemo enim potest cum debito ardore precari, quin in sancto isto exercitio perduret. Et ad id nos hortatur pluribus Dominus Jesus, *Luc.* XI. 5. &c. & XVIII. 1. &c. Et Paulus, dicens, *Indesinenter orate*, 1 *Thess.* V. 17. Item, *Orate omni tempore*, *Ephes.* VI. 18. Sed, inquies, Dominus Jesus prohibet battologiam in precibus; *Ne sitis loquaces ut Ethnici, qui putant quod in multiloquio suo exaudiantur*, *Matth.* VI. 7. Videtur autem indesinens orandi studium absque loquacitate esse non posse. Ita est, si mens à precibus absit; sed quando preces fiunt cum debito ardore & attentione nunquam nimis prolixæ sunt. Alias damnandæ essent pleræque Davidis, & aliorum sanctorum preces in libro Psalmorum contentæ, quæ plenæ sunt repetitionibus eorundem aut æquivalentium verborum. Imo Domini Jesu, qui pernoctabat in oratione Dei, *Luc.* VI. 12. Et ter repetebat istas preces, *Pater, si fieri potest, transeat à me iste calix.*

XII. Sed istud tamen de indesinenter orando præceptum non ita debet accipi, ut factum dicitur olim à quibusdam, qui inde nomen Euchitarum & Psallianorum adepti sunt, quod totos dies & noctes vacarent huic exercitio, nihil aliud agentes, nisi quod corporis cura necessario requirebat. A quibus non multum absunt aliqui Monachorum ordines in Ecclesia Romana, qui fere nihil aliud agunt die & nocte, quam quod preces & Psalmos cantillant: ut & illi qui ad numerum super sphærulas quasdam, quas Rosarium vocant, precantur. Sed quamvis hoc exercitium sanctum admodum sit & maxime nobis commendatum esse debeat, alia tamen quæ non minus sancta sunt impedire non debet, ut lectionem ac meditationem Scripturæ, officia charitatis, & alia quibus vita hominis carere non potest. Indesinenter ergo orandum, quia nullum est tempus cui oratio non conveniat, non tantum cum adversa fortuna premimur, sed etiam cum fruimur secunda; non tantum in morbo, sed etiam cum optime valemus; non tantum pro nobis, sed etiam pro aliis; item quia nobis constituenda sunt certa orationis tempora quibus ordinariè vacemus, ut cum nos conferimus in lectum, & quando ex eo surgimus, ante & post cibum, aliaque ejusmodi, præter extraordinarias orandi occasiones quæ nobis sæpe occurrere possunt. Quo sensu dicitur de Mephiboseth, ipsum comedisse semper panem in mensa Davidis, 2 *Sam.* IX. v. 7. 10. quia horis ordinariis & constitutis cibum cum Davide sumebat.

XIII. In eum finem videmus constitutum in Ecclesia Romana, ut Monachi octies in spatio 24 horarum ad precandum conveniant, nempe quinquies de die & ter de nocte, secundum veterem morem horarum inæqualium, quarum prima semper incipiebat ab ortu Solis. Istæ horæ precum vocantur ab ipsis primo nocturni, qui sunt hymni media nocte decantati; deinde laudes, ineunte crepusculo matutino; postea prima, statim ab ortu Solis; tertia, tribus horis post; sexta in meridie, nona, tribus horis post; vespera paulo ante occasum Solis; & denique completorium, ante finitum crepusculum. In quo nihil desiderarem, si preces istæ ab iis fierent cum intelligentia & attentione, & nullum in eo meritum collocaretur; sed præcipue si nulla superstitione forent fœdatæ, aut ad sanctos sanctasve mortuas dirigerentur. Nam ita videtur satis commode satisfieri præcepto indesinenter orandi. Quod tamen

sciendum est non obligare solum Monachos & eos qui beneficia Ecclesiastica possident, sed omnis generis Christianos: qui etiam ex illis precibus, quæ in Ecclesiis Monachorum fiunt, majorem utilitatem percipere possent, si fierent lingua ab omnibus intellecta, & totus populus, saltem quantum unicuique vacaret, simul cum illis laudes Deo caneret.

XIV. Et hæc de precationis adjunctis, restat ut dicamus qualis ille esse debeat qui preces suas à Deo exaudiri cupit. Oportet ergo ut sit pius & Deum timens; quod aliquomodo quidem comprehenditur in enarratis ante adjunctis, sed distinctius adhuc ostendendum est. Istud Johannes diserte docet, cum dicit, *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, & quæ sunt placita coram eo facimus*, 1 *Epist.* III. 21. 22. Et Petrus, *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini* (iratus) *super facientes mala*, 1 *Epist.* III. 12. ex *Psal.* XXXIV. *v.* 16. 17. 18. Unde apparet, neminem qui pius non sit posse certam & minime fallacem fiduciam concipere preces suas exauditum iri. Quod etiam recte sensit cœcus ille natus, cui Dominus Jesus visum restituit, *Scimus quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit*, *Joan.* IX. 31. Idcirco Deus dicebat Judæis impiis, *Cum extenderitis manus vestras*, (ad precandum) *avertam oculos meos à vobis; & cum multiplicaveritis orationem non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, *Esa.* I. 15. Item, *Non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat; sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret*, &c. *Esa.* LIX. 1. 2. Cui similia alibi multa occurrunt, ut *Jerem.* XIV. 12. *Proverb.* I. 28. 29. & XXI. 13. & XXVIII. 9. Et David eo respiciens dixit, *Iniquitatem si vidissem in corde meo, non exaudivisset Dominus. Vere exaudivit Deus, attendit voci orationis meæ*, *Psal.* LXVI. *v.* 18. 19.

XV. Quid igitur, inquies, fiet peccatoribus, qui pœnitentia ducti implorant Dei misericordiam, ut publicanus ille qui orabat, *Deus propitius esto mihi peccatori*, *Luc.* XVIII. 13. repulsam-ne patientur? Resp. Minime, modo pœnitentia ipsorum sit seria, & non in verbis tantum consistat, sed reipsa nuncium mittant peccato, & deinceps in novitate vitæ ambulent. Promissum enim ea de re expressum Dei ipsius habemus apud *Ezech.* XVIII. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet*, &c. Et Christus jussit Apostolos *prædicare in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes*, *Luc.* XXIV. 47. Etiam *peccatorum à quibus non poterant* Israëlitæ *per legem Mosis justificari*, *Act.* XIII. 38. 39. Illa enim leviorum tantum peccatorum remissionem promittebat, non graviorum, & scelerum, pro quibus nulla fiebat expiatio, *Numer.* XV. 18. & *seqq. Hebr.* X. 28. Ergo statim atque aliquis resipiscit à peccatis & se ad Deum convertit, certo veniam obtinet; ea tamen lege, ut in sancto illo proposito perseveret, & fructus pœnitentia dignos faciat; alias non est rata illa venia quam obtinuit; ut docet Dominus Jesus in parabola servi immisericordis, *Matth.* XVIII. quam ita concludit, *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Sed quamdiu alicujus pœnitentia est tantum inchoata, & aliquid ad vitam præsentem pertinens petit à Deo, non potest ita certus esse se exauditum iri. Promissio enim exauditionis in ejusmodi rebus, non est facta aliis quam revera piis, qualis nondum est. Quod tamen non impedit, quin Deus aliquando plura largiatur quam promisit. Nam videmus ipsum pœnitentia Achabi, quamvis valde imperfecta, motum fuisse ut non induceret super eum malum quod comminatus fuerat, 1 *Reg.* XXI. Similiter Ninivitæ humiliatione sua effugerunt excidium à Jona ipsis denunciatum, etiamsi multum abesset ut vitam prout oportebat emendassent. Hæc & ejusmodi alia exempla docent quidem quid extraordinarie de misericordia Dei sperare liceat, sed non quid certo ab illa obtenturi simus; cum nullo se promisso, quo niti fides nostra queat, ad id dandum obligaverit.

XVI. Sed præcipuum quod in iis requiritur, qui orationes suas à Deo exaudiri cupiunt, est ut faciles sint ad condonandum aliis qui in ipsos peccarunt. Sic enim Christus, *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra*, *Marc.* XI. 25. *Matth.* XVIII. 35. Et ut erga indigentes misericordiam exerceant. Nam *qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum indigere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo*, &c. 1 *Joh.* III. 17. &c. Nec potest fiduciam concipere preces suas exauditum iri. Sed contra, *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*, ut docet Salomon in *Proverb. cap.* XXI. *v.* 13.

XVII. Restat orationis effectum, nempe exauditio, qua à Deo impetrant fideles quicquid secundum ejus voluntatem petunt. Cujus promissiones multas attulimus in præcedentibus, ut *Matth.* VII. 7. 1 *Joh.* III. 21. 22. Et plena est Scriptura exemplis benedictionum tam corporalium quam spiritualium, quas precibus suis sancti obtinuerunt; adeo ut merito dixerit Jacobus, *Multum valet deprecatio justi intenta*, *v.* 16. David hac ratione è morbo convaluit, *Psal.* XXX. Ezechias, *Esa.* XXXVIII. David liberatus fuit è manu Saulis, Absolomi, Ezechias à Senacheribo, Manasses è captivitate, 2 *Paral.* XXXIII. Cum Moses elevabat manus vincebant Israëlitæ; si

vero

vero deprimeret Amalechitæ superiores erant, *Exod.* XVII. 11. Israelitæ in penuria saturati sunt, *Psal.* CV. 40. & CVII. 5. Daniel è lacu leonum salvus evasit, socii ejus è fornace Babylonica. Sed quod præcipuum est, obtinetur precibus remissio peccatorum, ut docet mulier peccatrix, *Luc.* VII. latro in cruce, *Luc.* XXIII. donum Spiritus S. *Luc.* XI. *Act.* II. Imo aliquando plus obtinent fideles à Deo quam petierunt. Salomon petebat à Deo sapientiam; Deus ipsi præterea ingentes divitias largitur, 1 *Reg.* III. 13. Et antequam absolverint precationem suam exaudiuntur: *Eritque antequam clament exaudiam, & adhuc illis loquentibus, ego audiam*, *Esa.* LXV. 24. Exauditionem precum reipsa tollunt, etiamsi non verbis, qui docent Deum de omnibus rebus ab æterno decreta absoluta, nullo ad actiones hominum respectu, fecisse.

CAPUT XXXIII.
De Gratiarum actione.

I. *Quid sit gratiarum actio.* II. *Pro quibus personis,* III. *& de quibus rebus Deo gratias agere oporteat.* IV. *Ad gratiarum actiones movere nos debet, earum præstantia.* V. *Beneficia Dei varia.* VI. *Quotuplicia ea sint.* VII. *Propria gratiarum actionis.*

I. HActenus de precibus, sequitur ut agamus de gratiarum actione, quæ etiam vocibus *benedicendi*, *confitendi*, *laudandi*, *celebrandi*, & similibus exprimitur. Ideoque ea vel generaliter accipitur, vel specialiter. Significatio generalis est, cum per gratiarum actionem intelligitur laudum Dei celebratio, sine particulari respectu ad beneficia ab eo accepta: ut cum Dominus Jesus dicit, *Confiteor*, id est, gratias *tibi* ago *Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*, &c. *Matth.* XI. 25. Particularis est, cum gratiarum actio respicit ad beneficia à Deo accepta, pro quibus gratitudinem nostram testari debemus. Ea proprie hujus loci, & sub nominis divini invocatione una cum precibus est comprehensa. Et propterea Deus nos exaudit ut ipsum celebremus, *Invoca me in die tribulationis & eruam te, & honorificabis me*, *Psal.* L. 15. id est *gratias ages*.

II. Hic considerandæ sunt primo personæ pro quibus gratias agere convenit: deinde res ob quas agere oportet. Personæ sunt omnes homines; quia inter omnes est cognatio quædam, propter communis naturæ communionem, quæ efficere debet, ut beneficia aliis collata, ad nos quoque aliquomodo pertinere existimemus. Ideo Paulus jubet ut non modo preces, sed etiam *gratiarum actiones fiant pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt*, &c. 1 *Tim.* II. 1. id est, ut Deum celebremus pro beneficiis quæ audimus ipsum contulisse in aliquos homines, qualescunque illi sint, noti aut ignoti, amici aut inimici. Sic fideles ex circumcisione, audito ex ore Petri quomodo Deus Cornelium ad sui cognitionem vocasset, *Glorificaverunt Deum, dicentes, Ergo & Gentibus pœnitentiam Deus dedit ad vitam.* Sunt etiam beneficia quædam toti humano generi collata, in quibus partem cum cæteris habentes Deum non solum propter id quod nos privatim spectat, sed etiam propter usum ad alios redeuntem glorificare oportet. Ut quod Deus *omnibus det vitam, & respirationem & omnia*, *Act.* XVII. 25. Et quod *faciat oriri solem super bonos & malos, & pluat super justos & injustos*, *Matth.* V. 45. Cum autem gratias agere debeamus pro omnibus hominibus, maxime tamen pro regibus aut magistratibus sub quibus vivimus, in quos collata beneficia in nostrum etiam bonum cedunt: speciatim pro illis gratias agere oportet, qui nos propiore aliquo vinculo attingunt, sive illud sit corporale, sive spirituale. Vinculum corporale est inter consanguineos, aut ejusdem reipublicæ cives; quibus cum beneficium aliquod contingit, etiamsi nihil inde ad nos privatim redeat, tamen gaudere debemus, & gratias pro illis agere. Inde etiam, est quod Paulus præcipit, nos *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus*, *Rom.* XII. 15. Sic enim testamur benevolum nostrum animum erga eos quibus compatimur in tristibus, partem omnis eorum, si fieri queat, ferre parati; & erga eos quibus congaudemus in lætis, ipsorum bonum, nostrum esse reputantes. Vinculum spirituale est fides, quæ facit ut omnes fideles pro unius corporis mystici membris haberi debeant. Sicut autem cum patitur unum membrum, compatiuntur cum illo omnia membra, ita cum glorificatur unum membrum, congaudent cum illo omnia membra, 1 *Cor.* XII. v. 26. Indeque prorumpunt in gratiarum actiones pro illis. Sic Paulus, *Gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in universo mundo*, *Rom.* I. 8. Item, *Non cesso gratias agere pro omnibus vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis*, &c. *Ephes.* I. 16.

III. Res de quibus Deo gratias agere oportet sunt non tantum lætæ & prosperæ, sed etiam tristes & adversæ. *Gratias agite semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri*, *Ephes.* V. 20. Item, *In omnibus gratias agite. Hæc enim est voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis*, 1 *Thess.* V. 17. Sed inter illa primum locum obtinent beneficia, quæ à Deo nos aut alii accepimus. Ea enim sunt proprium & directum objectum celebrationis nominis Dei. Et ea de re nullum est dubium. Ita nos oportet gratias Deo agere, cum è gravi aliquo morbo aut periculo, vel amici nostri liberati sunt. Si quis à mala via aut ignorantia conversus fuerit ad Deum, *Luc.* XV. 10. *Gal.* I. 24. Et cum

cum videmus regnum Dei incrementa capere inter homines: Nam sicut pro felici ejus successu orandum est, dicentes, *Adveniat regnum tuum*, 2 *Thess.* III. 2. ita cum advenit gratiæ ei sunt agendæ, *Rom.* I. 8. *Ephes.* I. 15. Deinde celebrare ipsum oportet ob ea quæ videntur nobis tristitia. Unde Job in omnibus suis afflictionibus dicebat, *Sit nomen Dei benedictum*, I. 21. Et ratio hujus rei est, quia *omnia*, etiam adversa, *cooperantur in bonum diligentibus Deum*, *Rom.* VIII. 28. Veluti medicina, etiamsi amara, conducit valetudini restituendæ, ita afflictiones ad sanitatem animæ faciunt. Et sicut aurum igne probatur an sit ab omni scoria aut alio metallo purum, pariter etiam tentationes inserviunt ad sinceritatem fidei nostræ explorandum, 1 *Petr.* 1. 7. Ideo Jacobus dicit, *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis*, &c. I. 2. *Quem diligit Dominus castigat; flagellat omnem filium quem recipit*, *Hebr.* XII. 6. Cum ergo castigationes Dei sint testimonia amoris quo suos prosequitur, pro illis etiam gratias ipsi agere oportet. In hoc tamen ordine non sunt recensendæ plagæ, quibus Deus rebellium mandatis suis populorum contumaciam punit, quales sunt pestis, bellum, fames; Vide *Ezech.* XIV. 21. Nec pestis cum vulgo Dei donum est vocanda; sed potius orandus est ut eam à nobis velit avertere. Quanquam certum sit, in his omnibus longe aliam esse conditionem fidelium & infidelium: quod enim infidelibus est gladius unde mortalia vulnera accipiunt, est fidelibus instar scalpelli quo vena aperitur aut vomica, ut melius se habeant; tantum est inter utrosque discrimen, etiam cum eadem plaga percutiuntur. Fidelium quoque est officium, glorificare Deum & ei gratias agere, propter judicia quæ exercet in impios sui nominis hostes & osores. Sic de Babylone mystica, *Exultate super eam cæli, & sancti Apostoli & Prophetæ, quoniam judicavit Deus vestrum judicium de illa*, *Apoc.* XVIII. 20. Cavendum est tamen, ne temere judicemus de afflictionibus quibus aliquis exercetur, ut amici Job, qui putabant ipsum propter scelera sua puniri. Vide *Psal.* XLI. 1.

IV. Multæ autem & graves sunt rationes, quæ nos continuo ad Deo gratias agendum stimulare debent. Primo enim hic est præstantissimus animi cultus, quem exhibere ei possumus pro omnibus ipsius beneficiis. Magnitudo enim ejus non requirit ut quicquam de bonis nostris ipsi offeramus, quibus non indiget; nec parvitas nostra id permittit; delectatur solum animo grato & bonorum acceptorum memoriam conservante. Ideo dicebat David, *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*; item, *tibi sacrificabo hostiam laudis*. *Psal.* CXVI. *v.* 12. 13. 17. Vide etiam *Psal.* L. *v.* 8. & *seqq.*

V. Secundo, cum gratitudo omnibus beneficiis & benefactoribus debeatur, adeo ut sine injustitia non possit omitti, id in Deum præcipue quadrat, à quo longe plura & majora quam à quoquam alio accepimus. Obligatio liberorum erga parentes tanta est, ut quicquid faciant semper debitores ipsis maneant. Sed quod parentes nobis contulerunt nihil est, respectu bonorum quibus munificentia divina nos cumulat. Parentes instrumenta fuerunt quibus Deus usus est ad dandam nobis vitam; sed ipse est ejus causa principalis. Parentes magnam quidem curam & laborem adhibuerunt ad nos educandum; sed absque ejus benedictione omnis ista cura & labor fuissent irrita. Plato gratias agebat naturæ, seu Deo naturæ auctori, primum quod homo natus esset potius quam mutum animal: deinde quod mas potius quam fœmina; quod Græcus quam barbarus; postremo quod Atheniensis, non Thebanus, & quod temporibus Socratis: *Lactant. lib.* 3. *cap.* 19. qui istud Platonis dictum supra modum exagitat: *Ego*, inquit, *plane contenderim, nunquam quicquam in rebus humanis dictum esse delirius.* Aliter tamen mihi videtur, licet certum sit multum abesse quin Dei beneficia æqua lance expenderit. Quid enim, nonne hoc summum est beneficium, quod Deus nos homines, ad imaginem suam condiderit, potius quam bruta animantia, quæ creatorem suum agnoscere nequeunt? Nonne etiam mares, quos nobilioris sexus esse voluit, qui dominium haberet in alterum, & ad magnas res gerendas esset aptior, magis ipsi sunt devincti quam fœminæ? licet *in Christo Jesu*, & respectu æternæ salutis, *neque mas sit, neque fœmina*, *Gal.* III. 28. sed *nova creatura*, *Gal.* VI. 15. Nec plane deliravit quod pluris fecerit natum esse Athenis & temporibus Socratis, quam in alio loco & tempore, ubi tam commodam occasionem non esset nactus proficiendi in Philosophia, & mores suos virtute excolendi & poliendi. Nam quis dubitet, quin plurimum divino erga nos amori debeamus, quod nos nasci fecerit illis locis & temporibus, ubi optime possemus institui, non tantum in Philosophia & disciplinis humanis, sed etiam in cognitione sui & Jesu Christi?

VI. Sed nimis prolixum foret hic recensere sigillatim omnia quæ à Dei liberalitate accepimus, & propter quæ ei gratias agere tenemur. Considerare enim oporteret non tantum generalia, & quæ cum reliquis hominibus aut omnibus aut multis nobis sunt communia; sed etiam omnia illa quæ toto vitæ tempore nobis contigerunt, unde testimonia habemus paternæ Dei erga nos curæ, & quod de omnibus, quæ ad corpus & ad animum, ad præsentem & futuram vitam requisita sunt abunde prospexerit, è variis periculis animæ & corpori imminentibus liberaverit; quæ uniuscujusque est privatim apud se recensere, ut se meditatione illorum

rum ad gratitudinem erga Deum exsuscitet. Ideo reprehenduntur qui ad hæc non attenderunt, præsertim si majores habuerint ejus rei causas & occasiones cæteris; ut Israëlitæ olim, de quibus Deus dicit, *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit*, *Esa.* I. 3. Eodem quoque spectat parabola vineæ, *cap.* V. & de puella statim à nativitate exposita, *Ezech.* XVI. & alia de vinea à Domino Jesu proposita *Matth.* XXI. quam hac insigni adversus ingratitudinem sententia claudit, *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*, *v.* 43. Imo quoque Ethnici, quos Paulus dicit *esse inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, *Rom.* I. *v.* 21. Licet enim accepissent tantum unum talentum, Judæi plura, ex eo tamen negotiari eos oportuerat, non veritatem in injustitia detinere. Plura autem acceperunt Christiani cæteris omnibus terræ populis, erga quos Deus omnes bonitatis & gratiæ suæ thesauros in Christo explicuit. De quibus vide *Ephes.* I. 3. &c. & alibi passim. Quare tanto magis ad gratias ei agendum obligati, & fœdioris peccati rei si ad officium suum non attenderint. *Omni enim cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*, *Luc.* XII. *v.* 48. Et Jesus Christus minatur Ecclesiæ Ephesinæ, *Movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*, *Apoc.* II. 5. Sunt autem præter beneficia omnibus Christianis communia, pro quibus Deus unigenitum filium suum tradidit in mortem, quos participes Spiritus Sancti facit, quædam certis locis & temporibus, & personis peculiaria, quæ jugi memoria sunt recolenda, ut pro illis debitas Deo gratias agamus; non extremis labiis, sed ex intimo corde, vivo beneficiorum Dei sensu perfuso.

VII. Propria autem veræ & Deo acceptæ gratiarum actionis sunt. 1. Ut summa cum animi demissione & reverentia fiant, agnoscentes nos beneficiis ejus esse indignos, & omne quod ab eo accepimus ex mera ejus & indebita liberalitate esse profectum. Ad exemplum Jacobi qui dicebat, *Minor sum Domine cunctis miserationibus tuis, & veritate quam explevisti servo tuo*, *Genes.* XXXII. 10. Hoc Deus jubebat profiteri Israëlitas, cum offerebant primitias frugum suarum in terra Canaan, *Deuter.* XXVI. 5. *& seqq.* Multo magis ergo id debemus facere, cum agitur de redemptione nostra à servitute peccati & mortis, & de beneficiis spiritualibus & ad æternam beatitudinem pertinentibus, quæ omnibus hujus mundi opibus & thesauris præstantiora sunt; cum quibus nullæ ex periculis liberationes conferendæ unquam veniunt. Ita ut nihil fingi queat quo ista mereri potuerimus. Quare non placuerunt Deo gratiarum actiones Pharisæi, qui superbe se supra reliquos efferebat, & bona sua opera quasi fuissent indebita coram Deo jactabat, *Luc.* XVIII. 2. Ut agnoscamus nullas nos Deo gratiarum actiones rependere posse, quæ respondeant magnitudini eorum quæ ipsi debemus. Quicquid enim dicamus, quicquid faciamus, id semper longe inferius est eo ad quod obligati sumus. *Quis enim prior*, inquit Apostolus, *dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, *Rom.* XI. 35. 3. Veræ gratiarum actiones non tantum in verbis, sed etiam in factis consistunt. De verbis nullum est dubium; aliter enim gratiarum actiones fieri non solent, quanquam verba semper ex vero corde debent proficisci; ne Deus nobis exprobret, sicut olim Judæis, *Populus iste appropinquat ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est à me*, *Esa.* XXIX. 13. Et id requirit à nobis Scriptura; *Per Christum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum, confitentium nomini ejus*, *Hebr.* XIII. 15. Sed de factis non est minus certum: de quibus accipiendum est illud Pauli, *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, &c. *Rom.* XII. *v.* 1. 2. Item, *Empti estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei*, 1 *Cor.* VI. 20. Eoque etiam pertinet aliud ejusdem monitum, *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, 1 *Cor.* X. 31. Quare diligenter cavendum, ne factis nostris professioni sanctæ non respondentibus, occasionem demus ignorantibus veritatem eam blasphemandi. Quod exprobratur Judæis, *Esa.* LII. 5. *Ezech.* XXXVI. 20. *Rom.* II. 24. *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Et Davidi speciatim, *Blasphemare fecisti inimicos Domini*, 2 *Sam.* XII. 14. nempe per peccatum adversus Uriam.

Caput XXXIV.
De Obedientia.

I. *Quid sit obedientia.* II. *Ejus necessitas.* III. *Nullius hominis mandata eam impedire possunt.* IV. *Hæc obedientia nullam omnino exceptionem admittit.* V. *Quomodo Deus præceperit Esaiæ, ut incederet nudus, cap.* 20. VI. *Et Ezechieli, ut sibi paret panem de stercore humano, cap.* 4. VII. *Et Hoseæ, ut sibi sumat uxorem fornicationum, cap.* 1. VIII. *Debet etiam hæc obedientia esse prompta & alacris.* IX. *Et continua.*

I. Restat inter pietatis externæ partes *Obsequium*, sive *obedientia* mandatorum Dei; quæ sæpe designatur hac phrasi, *Audire vocem Dei, servare ejus mandata*, & similibus, ut *Deuter.* XIII. 4. & XXVII. 10. & XXX. 20. Quo nomine etiam, sicut de aliis observavimus, universus Dei cultus comprehenditur. Et merito; cum enim Deus in verbo suo declaraverit quomodo à nobis velit coli, nihil superest nisi ut id executioni

mandemus, seu opere præstemus. *Obedientia est virtus qua nos in omnibus, quantum fieri potest, voluntati Dei mandatis declaratæ subjicimus, et quoties occasio detur implemus.* Quamvis autem obedientiam pietatis externæ partem faciamus, pro certo tamen habendum est, nullam esse Deo acceptam, nisi quæ à corde proficiscatur, alioqui mera esset hypocrisis. Unde summam officii nostri indicare volens dicit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima*, &c. Diligere autem Deum, est mandata ejus observare, 1 *Joh.* v. 3.

II. Hanc obedientiam Deus commendat Israëlitis sæpissime in lege, in Prophetis, sicut & nobis omnibus in Novo Fœdere; & præfertur omnibus holocaustis & sacrificiis, id est, quibuscunque operibus quæ nos sponte & arbitratu nostro susceperimus facienda; ut olim Samuel dicebat regi Sauli, qui accepto mandato de exterminandis Amalekitis, & omnibus quæ ipsorum erant, servaverat regem vivum, & optimas pecudes ad sacrificium; *Melior est obedientia, quam victima, & auscultare, magis quam offerre adipem arietum*, &c. 1 *Sam.* xv. 22.

III. Quamvis autem debeamus obedientiam iis quos Deus supra nos constituit, ut subditi magistratibus, servi dominis, liberi parentibus; tamen Deo ante illos omnes parere oportet; adeo ut cum Dei & hominum mandata inter se pugnant, non sit deliberandum quo nos vertamus, sed incunctanter Deo parendum. Unde Apostoli, cum ipsis interdictum esset à Principibus Judæorum, ne amplius docerent in nomine Jesu, responderunt intrepide, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, *Act.* v. 29. & iv. 19. Et cum Paulus præcipit servis ut obediant dominis, & liberi parentibus, solet addere hanc restrictionem, *In Domino*, *Ephes.* vi. v. 1. &c. *Coloss.* iii. 20. &c. quasi vellet dicere, Eatenus tantum illis debetis parere, quatenus secundum Dei voluntatem legitime potestis. quamquam hæc phrasis, *in Domino*, significare etiam potest, Propter Dominum, nempe, qui id mandavit, ut *Rom.* xvi. 2. 1 *Cor.* i. 31. & alibi. Sed quicquid de hac phrasi sit, constat homines semper Deo cedere debere. Et hoc est quod vulgo dicunt, Amicus usque ad aras, id est, ita ut propter amicum nihil adversus cultum Deo debitum fiat. Cum autem dicimus, non esse parendum hominibus in eo quod mandatis Dei adversatur, id ita accipiendum est, ut si quid nobis factu sit injustum, seu quod repugnet obedientiæ quam Deo debemus, in eo non pareamus; sed potius patiamur nobis inde persecutionem aut aliquod aliud incommodum evenire. Sed quædam sunt quæ jubentibus quidem sunt illicita, ut magistratui gravare subditos oneribus immodicis, & domino servos; ubi tamen quia conscientia obsequentis non læditur, obsequi debet, & in eo laus maxima est, ut docet Petrus 1 *Epist.* ii. 18. &c.

IV. Debita vero Deo obedientia nullam plane exceptionem admittit. Sunt quidam inter Monachorum præfectos, qui cæcam à sibi subditis obedientiam exigunt, sua mandata nolentes examinari, utrum sint justa nec-ne, & dicentes multum de obedientiæ perfectione per ejusmodi examen deteri: (quod tamen impium & Antichristianum est.) Sed quod ad Deum attinet, nefas est de ejus mandatorum justitia dubitare; quia nihil potest iniquum præcipere, & voluntas ejus, cum de illa nobis bene constat, pro justitiæ norma debet haberi. Ita videmus fecisse Abrahamum; & quidem sæpe. Primo cum Deus ipsi præcepit, ut exiret de patria & de medio cognationis suæ, exiit prompte, nesciens quo iret, *Hebr.* xi. 8. Deinde, cum Deus ipsi dedit mandatum circumcisionis; quamvis enim ridiculum posset videri, & dolorem magnum afferret, non tamen dubitavit jam centenarius existens se circumcidere, *Genes.* xvii. Denique cum Deus jussit ut sibi unigenitum filium Isaacum offerret in holocaustum. Quamvis enim Deus videretur sibi contradicere, præcipiens illum occidi, per quem promiserat se ei daturum semen numerosum instar arenæ maris, & stellarum cœli; & res esset à qua supra quam dici potest bonus iste pater abhorreret, libentius se exenteraturus, & proprium cor altari impositurus, si istud in ejus arbitrio relictum fuisset, quam filium attingere; tamen non disceptavit de mandato Dei, sed abnegata voluntate & inclinatione sua naturali se ad parendum accinxit. Quam perfecta etiam fuit Domini Jesu Christi obedientia, *quia cum esset in forma Dei, demisit seipsum, & formam servi assumpsit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*? *Philipp.* ii. v. 7. 8. Quem imitati sunt plurimi Martyres, qui ut Deo obsequerentur contemserunt vitam, & omnes ejus delicias, & mortes ignominiosas crudelissimasque adierunt.

V. Sed quæritur hic de quibusdam rebus, absurdis in speciem, quas legimus Deum servis suis Prophetis præcepisse: ex. gr. quod jusserit Esaiam prodire in publicum nudum & discalceatum, *cap.* xx. 2. 3. Ezechielem parare sibi panem de stercore humano, vel saltem bubulo, *cap.* iv. 12. &c. & Hoseæ, ut sibi sumeret uxorem fornicationum, *cap.* i. 2. 3. De istis, inquam, quæritur, quo sensu sint accipienda; an ut litera sonare videtur, an sensu aliquo figurato, an vero duntaxat in visione, ut multa alia Prophetis contigisse scimus? Resp. Non parvam hic esse difficultatem, quam ostendunt discrepantes interpretum opiniones. Rabbini Judæorum eo magis propendent, ut in visione facta esse dicant; sed Christiani contra reipsa. Distinguendum tamen hic arbitror. Et quod ad illud attinet quod Esaiæ præceptum fuit, ut incederet *nudus & discalceatus*, ibi vox *nudus* nihil aliud significat, quam absque veste superiore,

riore, quam honestioris conditionis homines solent semper gestare cum prodeunt in publicum. Cum enim eam deponunt dicuntur nudi esse. Sic dicitur de Saule, *Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetavit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa & nocte*, 1 *Sam*. XIX. 24. Quod etiam magis apparet ex Davidis exemplo, qui lineo Ephod accinctus saltabat coram Arca Domini, & tamen audivit ideo uxorem Michol exprobrantem, *Quam gloriosus fuit hodie rex Israëlis discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est quasi nudetur unus de scurris*, 2 *Sam*. VI. 14. 20. nempe quia pallium regale ad saltandum deposuerat. Vide quoque de Petro, *Joan*. XXI. 7. Nec refert quod illud mandatum est Esaiæ ad significandum Ægyptios & Æthiopes ab Assyriorum rege *abductum iri nudos, & discalceatos, discoopertis natibus*. Hæc enim verba innuunt solum miseram conditionem eorum, qui instar mancipiorum cum laceris vestibus in captivitatem abducendi erant. Et moris erat Prophetis, ut non verbis tantum, sed etiam actionibus & gestibus suis res futuras repræsentarent. Sic Jeremias ex Dei mandato gestavit in collo jugum, *Jerem*. XXVII. *v*. 2. & XXVIII. 10. & Ezechiel capillos & barbam sibi detondit, & pilos partim combussit, partim dissecavit gladio, partim in aërem dispersit, *Ezech*. V. 1. &c. Sic Sedecias filius Chanaana faciebat sibi cornua ferrea, 1 *Reg*. XXII. 11. Eaque de causa Prophetæ habebantur pro insanis, 2 *Reg*. IX. 11. nimirum propter gestus insolitos quibus Deo jubente hæc aut illa repræsentabant.

VI. Unde etiam tam mirum videri non debet, quod mandatum est Ezechieli de stercore humano. Non enim jussit Deus ut ex illo sibi conficeret panem, sed tantum, ut coqueret; pro quo ipsi postea concessit fimum boum. Istud enim tendebat ad significandum omnium rerum penuriam Hierosolymis durante obsidione, ita ut deessent ipsis ligna ad coquendum id exiguum quod supererat frugum, & fimo uti cogerentur.

VII. Sed major est difficultas in eo, quod præceptum fuit Hoseæ de uxore fornicaria ducenda, & putant in eo futurum peccatum si re ipsa factum esset, ideoque dicendum contigisse tantum in visione. Accedit, quod nativitas filii & filiæ ex illo conjugio, non poterat fieri, nisi longo tempore, & non poterat ita commode servire in signum scortationis spiritualis Israëlitarum, cui adumbrandæ conjugium istud erat destinatum. Hæ tamen rationes non videntur esse sufficientes, ad dicendum istud contigisse solum in visione. Non erat quidem honestum Prophetæ, secundum honestatem civilem, ducere uxorem impudicam; sed tamen non erat peccatum contra legem Dei. Præcipiebatur quidem Sacerdotibus, ut non ducerent scortum, aut eam quæ repudiata erat à marito, *Levit*. XXI. *v*. 7. nimirum quia consecrati erant Deo & panes propositionis offerebant. Ideo majorem sanctitatem, etiam externam, debebant colere quam alii; ita ut non liceret ipsis accedere ad mortuum, & ceremonias in luctu aliis communes usurpare. Præterea observandum est, non præcipi Hoseæ ut accipiat uxorem quæ constante matrimonio cum ipso fornicetur. Absit. Lex jubebat tales interfici, & saltem eas repudiare licebat. Sed intelligitur illa quæ ante conjugium quidem impudice vixerat, postea autem fidem conjugalem marito servabat; quæ tamen respectu temporis antecedentis vocetur adhuc fornicaria, & proles filii fornicationis. Quod clarius indicatur *cap*. III. ubi alteri etiam ex jussu divino assumendæ, dicit Hoseas, *Dies multos exspectabis me, & non fornicaberis*, &c. Nullius etiam est momenti, quod de longitudine temporis objicitur. Non enim hæc uno die facta esse dicuntur: sed quemadmodum Hoseas per multos annos prophetavit, ita ipsius actiones durantibus illis in signum esse debuerunt Israëlitis. Quare Hoseas recte propter hoc factum in exemplum admirandæ obedientiæ esse potest; qui ut voluntati divinæ pareret, non dubitavit rem coram hominibus parum honorificam facere, per quam se contemtui aliorum exponeret.

VIII. Nec tantum in omnibus Deo est obediendum; sed etiam promte & alacriter. Hæc est altera obedientiæ proprietas, sine qua virtutis nomine non est digna. Etiam mancipia obsequuntur tandem dominis suis metu plagarum. Sed quod ex animo non proficiscitur Deo placere non potest. Non quod ex metu pœnæ, sicut etiam præmii spe, ad Deo parendum moveri turpe sit. Nam si Deum non dedecet his argumentis in verbo suo nos ad mandatis suis obediendum incitare; nec etiam turpe erit nobis illis ad officium nostrum excitari. Atqui utraque frequenter adhibet. Non tantum promissa, quibus generosiora ingenia magis affici solent; sed etiam pœnæ comminationes. De quibus utrisque vide in lege integra capita *Levit*. XXVI. & *Deuter*. XXVII. XXVIII. item in Euangelio, *Matth*. V. *à v*. 3. *usque ad* 13. item X. 38. *Hebr*. X. *v*. 26. &c. Sed hoc pro certo est tenendum, nisi ista tum promissa, tum minæ, eo usque nos permoveant ut alacriter & ex animo obediamus, omnia nostra opera, quantamcunque speciem extrinsecus præ se ferant, non pro filiorum, sed tantum pro mercenariorum aut mancipiorum obsequio habitum iri. Deus solum cor nostrum requirit. Nihil aliud ei dare possumus. Si ipsum habet, totum habet; si non habet, nihil habet. Vult diligi ex toto corde & ex tota anima nostra. In eo summa officii erga ipsum nostri consistit.

IX. Tertia obsequii nostri proprietas est perseverantia. Nihil est bene incipere, nisi ad finem usque perseveres; nullum enim incipientibus

tibus promissum est præmium, sed tantum perseverantibus. *Qui usque ad finem perseveraverit, salvus erit*, *Matth.* XXIV. 13. Imo præstaret nunquam incepisse, quam in medio cursu deficere. *Iis enim qui aufugerunt inquinationes hujus mundi per cognitionem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt posteriora prioribus deteriora*, &c. 2 *Petr.* II. 20. &c. In fine stadii tantum, non in principio aut medio repositum est præmium. Eo usque progrediendum est, si quis eo potiri velit. Remoræ quidem aliquæ in via occurrunt & difficultates; sed omnes perrumpendæ sunt. Si nihil esset difficultatis in isto cursu, immerito coronarentur qui eum decurrunt. Omnis virtus versatur in arduo; præcipue Christiana, quæ majus habet præmium sibi repositum. De necessitate aut utilitate obedientiæ nostræ, non est necesse ut quidquam adjiciam. Promissa & minæ, quas recensui, id sufficienter demonstrant. Qui his permoveri non potest, nulla unquam alia re permovebitur. Frustra illi cura adhibetur, qui remedia abjicit. Ista semper ob oculos habere oportet, ad illa omni tempore respicere; ita nullæ carnis illecebræ, aut mundi & diaboli tentationes, nos ab obsequio quod Deo debemus unquam poterunt avertere.

CAPUT XXXV.

De Impietate, & speciatim de blasphemia in Spiritum Sanctum.

I. *Generale pietatis oppositum est impietas.* II. *Ejus supremus gradus est atheismus.* III. *Secundus, negatio providentiæ divinæ.* IV. *Tertius, vita impia ac profana.* V. *Species impietatis maxime horrenda est blasphemia.* VI. *Summus illius gradus est blasphemia in Spiritum S. quæ distingui debet à peccato in Spiritum S. generaliter accepto.* VII. *Quid sentiendum de Scholasticorum sex peccati in Spiritum S. speciebus.* VIII. *Quid Dominus Jesus Matth. 12. & Luc. 12. per blasphemiam in Spiritum S intelligat.* IX. *Quinam præterea istius criminis legitime accusari queant.* X. *Cur singulariter blasphemia illa vocetur in Spiritum S.* XI. *Quomodo hoc peccatum dicatur irremissibile tam in hoc, quam futuro seculo.* XII. *Impossibilitas conversionis à tali peccato illustratur ex Hebr. 6. & 10.*

I. ET hæc de Pietatis partibus tam internis quam externis. Superest ut aliquid de ejus oppositis adjiciamus. Quamvis enim multa de iis dixerimus in partium tractatione, non erit inutile, veluti in synopsi, seu in uno prospectu, illa simul intuenda proponere, ut tanto magis ab eorum fœditate abhorreamus. Generale oppositum pietatis est *impietas*. Quæ vox usurpatur quidem de crimine adversus eos commisso, qui nobis secundo post Deum loco colendi sunt, ut patria, parentes. Sic impius fuit Absolon, qui adversus patrem insurrexit. Sed maxime proprie impietas, Græce ἀσέβεια, committitur adversus Deum, si non exhibeatur ipsi cultus ille tam internus quam externus, quem hactenus descripsimus, & qui prima Decalogi tabula summatim comprehenditur.

II. Supremus ejus gradus est ἀθεότης, cum aliquis nullum agnoscit numen; quod flagitium est tam enorme, ut vix in hominem rationis compotem cadere posse videatur. Tot enim testimoniis Deus se patefecit hominibus, ut cæcum plane esse oporteat qui illa non animadvertit. Repertæ sunt tamen nostro sæculo aliquæ gentes in India occidentali adeo barbaræ, ut nullus iis divinitatis sensus inesset. Ut sileam veteres, Diagoram Melium, Theodorum Cyrenæum, Protagoram, Euhemerum Messenium, & alia ejusmodi monstra, quæ etiam Gentiles detestati sunt. Quanquam non sit omnino certum, an universaliter omnem Deitatem abnegarint, an vero solum commentitia illa numina quæ vulgo coli videbant. Scriptura quoque meminit atheorum, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*, *Psal.* XIV. 1. & LIII. 1. Licet quidam interpretes existiment ista potius de practice atheis, id est, qui Deum non colunt, quam de theoretice atheis, id est, qui nullum Deum credunt, accipienda esse. Ad eos impugnandum, vel cavendum ne ipsorum veneno inficiamur, considerare & usurpare oportet argumenta quibus in initio institutionis hujus Deum esse adstruximus, aliaque ejusmodi, quæ passim magno numero occurrunt apud varios auctores.

III. Proximus huic impietatis gradus est eorum qui abnegant Dei providentiam, præsertim eam quæ circa homines & ipsorum actiones versatur, ut unicuique secundum opera rependat; quales sunt Epicurei, tam veteres quam novi. Ea non multum distat ab eorum crimine, qui nullum plane Deum esse agnoscunt. Eodem enim res redit, sive Deum in universum abneges, sive talem confitearis, qui nullas Dei proprietates habeat nullasque ejus actiones exerceat. Unde fuerunt qui de Epicuro dicerent, ipsum nomine tenus Deos admisisse, & reipsa sustulisse. Nihil enim prodest Deum aliquem agnoscere, nisi simul eum mundi hujus rectorem & gubernatorem esse credamus, qui ad facta hominum attendat, ut ea vel remuneretur ex liberalitate sua, vel ex severitate puniat. Id autem, etsi non adeo clarum sit, ut Deum esse, quia Deus in hoc sæculo aliquando probos opprimi sinit, & improbos contra florere; tamen si quis non sit plane stupidus, & ad ea attendat quæ veteres historiæ recensent, aut experientia quotidiana docet, ille poterit plurima providentiæ Dei argumenta deprehendere, præter ea quæ Dei natura suppeditat; ut ejus sapientia, qua omnia videt & cognoscit; ejus sanctitas & justitia, qua delectatur probitate, & abhorret ab improbitate; & potentia, qua unicuique potest reddere secundum id quod commeruit, ut nemo

manus

manus ipsius ultrices effugiat. Quicunque hæc considerat, fieri nequit ut providentiam divinam in controversiam vocet. Sed impii sibi Deum imaginantur qualem esse vellent, nimirum qui ad scelera ipsorum non attendat, ut tanto securius cupiditatibus suis indulgere possint. Quicquid autem faciant, impedire nequeunt quin subinde conscientia quasi ex somno expergiscens eos lancinet & torqueat, & ipsis quam horrendum sit in Dei irati manus incidere repræsentet. Nam, ut docet Paulus, *Revelatur ira Dei de cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent*, &c. *Rom.* I. 18. & *seqq.*

IV. Tertius impietatis gradus est eorum, qui Deum quidem & ejus providentiam confitentur, sed ita se in vita & actionibus gerunt, quasi non agnoscerent. De quibus Paulus, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominabiles, increduli, & ad omne opus bonum reprobi*, *Tit.* I. 16. Talibus semper plenus fuit mundus, non solum inter Ethnicos, sed etiam olim inter Israëlitas, de quibus vide *Rom.* III. *v.* 10. &c. & hodie inter Christianos, secundum prophetiam 2 *Tim.* III. I. &c. licet se populum Dei esse jactent. Cum autem cor ipsorum eos redarguat & damnet, debent cogitare Deum esse majorem corde suo, & videre omnia, 1 *Joan.* III. 20. nihilque plane tam occultum esse quod ipsum lateat.

V. Cum autem inter omnes impietatis species maxime horrenda sit blasphemia, de ea jam aliquid specialius attexemus. *Blasphemia*, Latine maledicentia, seu famæ læsio, ἀπὸ τοῦ βλάπτειν τὴν φήμην, tanto fœdior est, quanto ille major est in quem conjicitur. Sic maledicere Patri aut Principi majus est crimen, quam si privatus aliquis impeteretur. Cum ergo tanta sit Dei supra omnes creaturas eminentia, ut nulla major mente concipi queat, & præterea in eo nihil sit culpabile aut reprehensione dignum, apparet quantum crimen sit ipsum blasphemare.

VI. Summus blasphemiæ gradus est, quæ committitur in Spiritum S. Dico blasphemiam in Spiritum S. non autem peccatum in Spiritum S. prout vulgo plerique Theologi vocant; quia existimo multa peccata committi in Spiritum S. quæ blasphemia in Spiritum nominari non debeant. Ista autem in duo summa genera distribui possunt. Nam in Spiritum S. peccatur tam ab iis qui non acceperunt illum, tum ab iis qui acceperunt. Illi qui Spiritum S. non acceperunt, peccant in eum, quando ad ostium cordis sui pulsanti aperire nolunt, sive occultis ejus suggestionibus resistant, sive monita sanctorum virorum ab illo afflatorum contemnant. Quales erant Judæi, quibus Stephanus exprobrat, *Vos semper Spiritui S. resistitis; sicut patres vestri, & vos*, *Act.* VII. 51. Cujus rei plurima commemorantur exempla *Psal.* LXXVIII. toto. Illi qui Spiritu S. donati fuerunt peccant, quando ex illius præscripto vitam non instituunt. Quo spectat illud monitum Pauli, *Nolite contristare Spiritum S. Dei, in quo signati estis in diem redemtionis*, *Ephes.* IV. 30. Item, *Spiritum nolite exstinguere*, 1 *Thess.* V. 19. Certum autem est, neminem Spiritum S. peccatis suis contristare, multo minus exstinguere eum posse, quin gravis se criminis reum reddat. Nolim tamen omnes eos quibus id contigerit, blasphemiæ in Spiritum S. accusare. Unde apparet, longe aliud esse in Spiritum S. peccare, aliud eum blasphemare. Item non omne peccatum ex malitia aut contra conscientiam patratum, debere blasphemiam in Spiritum dici.

VII. Quibus expensis, facile erit videre quid sentiendum sit de illis sex peccati in Spiritum S. speciebus, quas vulgo Scholastici statuunt; nempe, desperatione, præsumtione de divina misericordia, impœnitentia, obstinatione in peccato, impugnatione veritatis agnitæ, & invidentia fraternæ gratiæ. Hæc enim omnia, quantumvis enormia scelera, videntur toto genere distare ab illa blasphemia in Spiritum S. de qua Servator noster loquitur *Matth.* XII. *v.* 31. 32. & *Luc.* XII. 10.

VIII. Cujus natura ut intelligatur, attendere oportet tum ad occasionem quæ ipsum in talem sermonem deduxit, tum ad verba quibus eam describit. Occasio hæc fuit, quod cum Dominus Jesus sanasset dæmoniacum cæcum & mutum, ita ut loqueretur & videret; & omnis populus ad istius miraculi magnitudinem obstupesceret, & diceret, *Numquid hic est filius David?* id est, Messias nobis promissus; Pharisæi ex adverso factum illud calumniabantur, & dicebant, *Hic non ejicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Cujus calumniæ absurditate rationibus aliquot ostensa, tandem subjungit, *Ideo dico vobis, omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Ex quibus verbis aliud elici non potest, quam Christum reos blasphemiæ in Spiritum S. habuisse Pharisæos, eo quod miracula quæ ipse Spiritus S. in se habitantis virtute patrabat, non vererentur ad Beelzebub principem dæmoniorum, tanquam auctorem, referre. Unde thesis ista generalis formabitur, Quicunque diabolo tribuunt miracula, quæ nonnisi virtute Dei fieri posse constat, illi blasphemant in Spiritum S.

IX. Hic autem quæritur, Annon ergo nulli alii blasphemiæ in Spiritum S. accusari legitime queant, præter eos qui tale quid faciant? Resp. Nolim id absolute negare. Possunt enim adhuc alia peccata huic blasphemiæ esse affinia, & non minori quam ipsa est execratione digna. Qualia ex. gr. erant dogmata nonnullorum veterum

 hæretico-

hæreticorum, ut Marcionitarum & Manichæorum, qui mundum hunc, in quo infinita divinæ bonitatis documenta relucent, mali dæmonis esse opus dicere non verecundabantur. Sed circumspecte admodum procedendum est in hoc judicio, & inprimis cavendum, ne blasphemiæ tribuatur, quod forsitan ex ignorantia profectum est. Summatim, blasphemia hæc in Spiritum S. vix locum habere videtur alio tempore, quam quo miracula à servis Dei extraordinarie missis patrantur; ac proinde nemini hodie, quo donum istud cessavit inter Christianos, objiciendum esse. Si tamen aliquod sit peccatum quod in eundem censum referri debeat, videtur hoc solum esse, cum quis veritatem Euangelii cognitam ex mera animi malitia impugnat. Quod sane horrendum esse scelus, & omni venia indignum, nemo bonus dubitat; an tamen sit illa proprie dicta in Spiritum S. blasphemia, de qua Dominus Jesus loquitur, controverti potest. Magnum enim semper est discrimen inter evidentiam rationum, quibus doctrinæ Euangelicæ veritas probatur iis qui Christum aut ejus Apostolos non viderunt nec audiverunt; & splendorem miraculorum quo præstringebantur olim oculi illorum, quibus initio annunciatum est; ac proinde majus scelus opera ista divinæ potentiæ tribuere diabolo, quam simpliciter de doctrinæ illius veritate ac divinitate dubitare; aut etiam aliquo affectuum æstu abreptum eam hostiliter impugnare.

X. Vocatur autem singulariter istud peccatum *blasphemia in Spiritum*, quia adversus propriam Spiritus S. qui virtus Dei est, operationem, seu miracula quibus veritatem Euangelii confirmat evibratur. Alias certum est, neminem peccare in Spiritum S. quin pariter peccet in Patrem & in Filium, quorum is est Spiritus. Sed quia ex ignorantia in utrumque peccari potest, ideo non habetur pro blasphemia irremissibili quod sic perpetratur. Idque videtur voluisse innuere Christus, inquiens, *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei.* Hoc titulo enim *filii hominis*, abjectam suam & humilem speciem designavit, adversus quam multi tunc temporis præjudicio regni Messiæ mundani excæcati peccabant, qui non erant rei blasphemiæ in Spiritum. Qualis fuit Paulus, qui agnoscit quidem se fuisse blasphemum, sed misericordiam Dei consecutum, quia ignorans fecerat in incredulitate, 1 *Tim.* I. 13. In blasphemia autem contra Spiritum hoc est proprium, ut qui ejus rei sint, non tantum sciant se blasphemare, ut sciebat Paulus, sed etiam sciant se in illum blasphemare qui nullo modo id meritus fuerit; quod ignorabat Paulus. Istud autem quam enorme sit scelus, unicuique patet.

XI. Quæritur tamen, an verba Christi quibus id neque in hoc neque in futuro sæculo remissum iri pronunciat, ita universaliter sint accipienda ut nullam exceptionem admittant. Resp. 1. Quod ad phrasin attinet, illam proprie significare scelus istud nunquam remissum iri. Nam cum oporteret illud condonari aut in hoc sæculo, antequam peccator in vivis esse desierit; aut in futuro, quando Christus venturus est judicatum vivos & mortuos; si in neutro remittatur, nunquam remissum iri apparet. De tempore intermedio & expiatione in purgatorio, nihil necesse est dicere, cum ejusmodi purgatorium merum sit humani ingenii commentum; & qui illud commenti sunt, non alia in eo peccata quam venialia, qualis non est blasphemia in Spiritum S. expiari doceant.

XII. 2. Quod ad rem ipsam spectat, cum nullum paulo gravius peccatum unquam nisi sub resipiscentiæ conditione hominibus remittatur, certum est istud, quod omnium gravissimum est, nunquam remittendum fore, nisi de eo valde seria & diuturna pœnitentia agatur. Sed incertum est, utrum ii qui eo usque impietatis sunt prolapsi, ut tam atrox scelus perpetrarint, talem gratiam à Deo possint expectare qua inde resurgant. *Deus* enim *non patitur se irrideri*, *Gal.* VI. 7. Cum aliquis diu sprevit ejus gratiam, non facile illam denuo adipiscitur; sed Deus tradit eum in sensum reprobum, ut laxatis habenis in omne sceleris genus ruat, *Rom.* I. 21. *& seqq.* Ideoque Apostolus hortatur, *ne quis desit gratiæ Dei*, *Hebr.* XII. 15. Qui antea dixerat, *Impossibile esse eos qui semel fuerunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus S. gustaveruntque bonum Dei verbum, virtutesque futuri sæculi, Et prolapsi sunt, rursus renovari* (ἀνακαινίζειν) *ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibi filium Dei, & ostentui habentes*, *Hebr.* VI. 4. 5. 6. Ubi *impossibile* illud videtur potius intelligendum respectu hominum, & gratiæ Dei ordinariæ, quam ejus quod Deus per omnipotentiam suam & raro facit. Constat enim Deo nihil esse impossibile, dummodo id velit. Et qui ex lapidibus posset suscitare filios Abrahæ, ut dicebat Joannes Baptista, cur non etiam convertere eos qui malitia diabolo sunt pares? Absolutam autem hic non debere intelligi renovationis impossibilitatem, ostendit correctio qua paulo post utitur, dicens, *Confidimus autem de vobis dilecti, istis meliora, & viciniora saluti, etiamsi ita loquimur*, *v.* 9. Et pro istius confidentiæ ratione affert, *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & laboris dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius*, *v.* 10. Quo etiam modo accipi possunt quæ dicit infra, *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam cognitionem veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam exspectatio judicii, & ignis fervor qui consumturus est adversarios*, *Hebr.* X. 26. 27. Uterque autem iste locus accipiendus est de apostatis, qui à religione Christiana, de cujus veritate sunt persuasi, deficiunt;

ficiunt, quamvis forte id non faciant ex malitia mera, sed aut ad vitandas persecutiones, quibus eam profitentes sunt obnoxii; aut (quod minus est excusabile) ut ad honores & dignitates mundanas evehantur. Rarissime enim contingit ut ejusmodi homines serio de peccato isto pœnitentiam agant. Quod tamen quando contingit, non dubitamus quin Deus misericors illud eis condonet. Idemque de blasphemia in Spiritum S. statuendum videtur, cujus omnes illi apostatæ non sunt rei, sed illi demum qui ex malitia veritatem sibi cognitam impugnant & persequuntur. Impossibilitas enim illa, quam Jesu Christi verba innuunt, est potius pœnitentiæ quam remissionis. Ubi illa præcedit, de hac bona est spes concipienda, propter factas pœnitentibus promissiones. De sinceritate autem illius, solius est Dei, qui arcana cordium novit, judicare. Nos de ea secundum charitatem, quæ non est suspicax, & omnia credit, judicium ferentes, facile decipi possumus.

CAPUT XXXVI.
De Idololatris, Hæreticis, & Blasphemis.

I. *Sententia Joan. Kuchlini de idololatris, hæreticis, & blasphemis, eorumque pœnis.* II. *Professores Leydenses in Synopsi purioris Theologia ostendunt se approbare hæreticorum capitalia supplicia.* III. *Etiam author quidam anonymus, in Historia tumultuum Angliæ, de multitudine sectarum.* IV. *Expenditur Kuchlini sententia, quod idololatra, &c. ut à Magistratu puniantur, non clam, sed palam tales esse debeant.* V. *Qui vice unius veri Dei fictum aliquem habuerint, sunt idololatræ, non tamen eos jubentur Christiani occidere.* VI. *Similiter, qui præter unum Deum creaturam aliquam ipsi quasi sociam adjungentes colunt. Hic tamen cautio est adhibenda.* VII. *Non est idololatra qui verum Deum solum colit, sed non legitimo modo.* VIII. *Omnis cultus ab hominibus proprio arbitrio excogitatus Deo displicet.* IX. *Non tamen omnis illegitimus cultus est idololatria, & ut talis puniendus.* X. *Quod comprobatur cultu vitioso à Jerobeamo introducto.* XI. *Cum eo affinitatem habet cultus imaginum, &c. qui in Ecclesia Romana & Græca viget.* XII. *Circumspectum admodum esse oportet in definitione hæretici tradenda.* XIII. *Hæresis proprie rem bonam denotat, sed postea in malam partem est usurpata.* XIV. *Per hæreticum doctores communiter intelligunt eum qui errorem fundamentalem tuetur; Scriptura vero rixosum.* XV. *Absurdum est, dicere pertinaciam esse de formali ratione hæreseos.* XVI. *Pontificii salvo suo principio de pertinacia possunt judicare, Reformati nequaquam.* XVII. *Blasphemus est, qui blasphemandi intentionem habet, aut saltem scit illud quod profert esse blasphemum.* XVIII. *Nequaquam vero qui per errorem aliquid blasphemiæ affine Deo tribuit.* XIX. *Dici non potest, omnem qui facto impio cultum verum divinum impedit esse blasphemum.* XX. *Septem classes eorum, qui perperam de mysterio SS. Trinitatis sentiunt.* XXI. *Ostenditur illos non posse haberi pro blasphemis.* XXII. *Alios neque Reformatos se à blasphemiæ crimine posse purgare.*

I. PRæter peculiarem illam in Spiritum S. blasphemiam, aliæ plures blasphemiæ in Deum species sunt. Cum autem ea gravissimum sit crimen, videndum est accurate, in quo consistat, ne quem excusemus qui ejus reus sit, aut contra ejus accusemus qui reus non sit; in primo adversus Deum, in altero adversus proximum peccantes. Verum quia *Joan. Kuchlinus olim Collegii Theolog. Ordinum Hollandiæ Leydensis Regens, Disputat. in Catechesin de homicidio legitimo* agens, idololatras, & hæreticos, cum blasphemis conjungens, multa adversus veritatem & æquitatem dicit, puto operæ pretium fore totum ejus discursum paulo accuratius hic examinare. *De Idololatris*, inquit, *Hæreticis & Blasphemis major hodie ventilatur quæstio. Sed tamen quia tam expresse Deus eos è medio tolli præcepit, quicunque ex populo Dei alienos coluerint Deos, vel populum ad falsos Deos seduxerint, vel nomen divinum blasphemaverint, omnino cum S. literis, quicquid humana contra strepat ratio, sentiendum judicamus. Verum cautio hic diligens adhibenda erit; non enim quilibet Idololatra, aut hæreticus, aut blasphemus in Deum ejusque cultum, ultimo supplicio à Magistratu puniendus est, ut leges docent, ratio & usus persuadent. Nam qui his vitiis est inquinatus, is aut occulte & clam, aut manifeste & palam peccavit. Qui occulte & privatim, is minime Magistratui pœnas tenetur dare; quoniam de his cognitio pertinet, non ad forum (ut loquuntur) humanum, sed ad cælestis tribunalis Præsidem, qui solus occultorum cognitor, eoque & solus judex est. Qui vero manifeste & publice, is continuo etiam non plectendus morte, sed vivus (ex arbitrio tamen Magistratus pro rei circumstantia castigatus) dimittendus. Nempe si non, 1. Data opera, sponte, sciensque peccaverit. 2. De hoc crimine antea fuerit accusatus. 3. Monitus, obstinate scelus scelere cumulans, in viis impiis perrexerit ambulare. 4. Ecclesiæ pacem turbare fuerit conatus. 5. Alios ad idem factum sollicitaverit. Quo autem melius constet, quisnam morte dignus Idololatra, hæreticus, blasphemus, sit judicandus, singulorum definitionem proponemus: deinde qui tales reperientur, quales descriptio exigit, eos occidendos esse, rationibus ex jure divino humanoque, & saniorum hominum testimonio petitis, probabimus. Capitali supplicio dignus Idololatra est, qui palam, data opera, neglectis admonitionibus, obstinate, ut turbet Ecclesiam, & alios seducat, vice unius veri Dei fictum aliquem habuerit; aut præter unum illum, creaturam aliquam ipsi quasi sociam adjungens, coluerit; aut denique verum quidem Deum solum, sed non legitimo in Sacris literis præscripto modo, honoraverit. Hæreticus est, qui ab Ecclesia, cujus se membrum antea externa professione declaravit, seipsum separans, errorem fundamentis fidei, & Propheticæ Apostolicæque doctrinæ in Scripturis traditæ adversantem tuetur: de quo tamen sæpe & rite admonitus convictusque ex verbo Dei, tam publice quam privatim, contemtis admonitionibus non vult desistere, nec veritatem in Scriptis Apostolorum & Prophetarum revelatam agnoscere; sed potius invicta & pertinaci impietate ei resistens, Ecclesiæ pacem & concordiam lacerare contendit, suæque perfidiæ ludum publice & privatim aperiens, pestiferi dogmatis*

factio-

factionem & gangranam scriptis concionibusque suis, quantum in se est, vel in Ecclesiam Dei invehere, vel ab aliis invectam fovere. Blasphemus est, qui publice, deliberato animo, neglectis admonitionibus, præfracte, vel maledica lingua, contumeliose de Deo vero indignum quippiam effutit, tum tribuendo ei quod ipsi non competit, tum adimendo quod ei proprium est, tum transferendo in creaturam quod est Dei solius; vel facto impio cultum divinum verum impedit, conculcat, aut impedire & conculcare conatur. Quicunque igitur alicujus horum criminum, eo quo diximus modo, reus fuerit deprehensus, eum à Magistratu puniendum esse, &c. Hactenus Kuchlinus, cujus locum, quamvis prolixiorem, integrum describere visum fuit, quia in eo statum quæstionis de hæreticorum & blasphemorum capitalibus suppliciis, quem alii involvere solent, satis dilucide proponit.

II. Nec multum à Kuchlini opinione absunt *Professores Leydenses* in sua *purioris*, quam vocant, *Theologiæ Synopsi*, & in *Censura Confessionis Remonstrantium*. Quamvis enim videri velint mitiores, & non probare ut quis *ob simplicem & nudam heresin* capitali supplicio afficiatur, tamen cum eo dignos judicent *blasphemos contumacesque hæreticos ac reipublicæ turbones*; satis patefaciunt quo tendant; utpote qui blasphemiæ accusare consueverint etiam parvi momenti opiniones, imo interdum Philosophicas potius quam Theologicas; veluti si quis paulo aliter quam ipsi faciunt Dei simplicitatem, aut æternitatem, aut immensitatem definiat, aut S. Trinitatis mysterium consideret, aut operibus hominis in justificatione coram Deo aliquid tribuat, aliaque ejusmodi. Si enim blasphemiæ crimen ipsis ita extendere liceat, nulli prorsus erunt, præter pauca opinionum suarum mancipia, Christiani, quos ejus reos non possint habere, & ad rogum damnare. Quod etiam mentionem faciant Reipublicæ turbonum, aut ad rem nihil facit, aut merum est crudelitatis velamen & latibulum. Ad rem nihil facere apparet, quia nemo est inter eos, quibus hæreticorum & similium pœnæ corporales displicent, qui patrocinetur homicidis, latronibus, seditiosis, aliisve qui gravibus ejusmodi sceleribus Reipublicæ pacem sub religionis prætextu turbant, aut eos supplicio à legibus constituto exemptos velit; quales erant olim Circumcelliones in Africa, & patrum nostrorum memoria Anabaptistæ Monasterienses. Crudelitatis velamen esse evincit, quod semper objectum fuerit veritatis præconibus à tyrannis ejus adversariis, ipsos turbare Rempublicam. Ita rex impius Achab dicebat Eliæ Prophetæ, *Nonne tu es ille qui conturbas Israëlem?* Cui recte respondit Elias, *Non ego turbavi Israël, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini & secuti estis Baalim*, 1 *Reg.* XVIII. 17. Idemque etiam crimen impingebatur Apostolis & veteribus Christianis, & præcedente sæculo Protestantibus, quod contemtis Principum Edictis & prohibitionibus, divini cultus causa in cœtus convenirent. Sed apertius adhuc se produnt isti Professores, cum privata quoque religionis à sua diversæ exercitia per Magistratus impediri cupiunt, dicentes: *Monendi sunt* (Magistratus) *ne subditis suis à vera religione alienis, falsam publice profitendi licentiam indulgeant, & quibuscunque possint rationibus, privata quoque hujus exercitia impediant. Synops. disp.* 50. *thes.* 64. Nec *falsæ religionis* appellatio quemquam hic movere debet, quasi solam falsam exterminatam velint. Scimus enim solenne esse istis hominibus, quamlibet sententiam in religione, à sua dissidentem, quamvis forte saniorem & veriorem, hoc nomine infamare. Si autem Magistratus quibuscunque possunt rationibus privata illa religionis exercitia impedire teneantur, quidni etiam Inquisitione introducta, si nullum aptius ipsis esse videatur? quidni adversus illa utantur non tantum carcere, exilio, mulctis pecuniariis, sed etiam capitalibus suppliciis? Istæ enim sunt rationes, quibus Antichristi spiritu afflati existimarunt hactenus optime impediri posse, ne ulla ab ipsis improbata religio exerceatur.

III. Præcedentibus testimoniis adjungam adhuc unum Auctoris anonymi, è libello paucis ab hinc annis Belgico sermone edito, cui titulus est, *Historia tumultuum Angliæ, de multitudine Sectarum*, &c. Is ut prudentiæ suæ Politicæ specimen exhibeat, quamvis, ni me conjectura fallit, professione sit Theologus, magno studio in libri sui præfatione variorum populorum leges & sapientum monita colligit ex profanis Scriptoribus, quæ novas & peregrinas religiones arceri jubent, quod illæ soleant turbas in republica parere, & qui ad veterem receptamque Sacrorum formam constanter retinendum hortantur. Quale est consilium à Mæcenate Augusto Cæsari datum, quod iste Euangelii Minister commendat, & Christianis Principibus ac Magistratibus imitandum proponit: *Dei numen semper ita cole ut moribus patriis est receptum, & ad eundem cultum alios compelle; peregrinarum vero religionum auctores odio & supplicio prosequere; non Deorum modo gratia, quos qui contemnit, haud dubie nihil quoque aliud magni faciet; sed propterea etiam quod qui nova numina introducunt, multos ad legum peregrinarum studium pelliciunt. Inde conjurationes, coitiones, & conciliabula existunt, minime unius principatui commoda res, Dio lib.* 52. Si consilium illud sanctum & justum fuit, ut Theologus reformatus conatur persuadere, magna sunt digni laude succedentes Augusto Romani Imperatores, qui totis viribus allaborarunt, ut idololatriam & superstitiones Ethnicas in æternum retinerent, & religionem Christianam, quæ tum per orbem promulgari incipiebat, veluti in cunis opprimerent; eumque in finem decem illas horrendas à Scriptoribus Ecclesiasticis memoratas persecutiones

secutiones, quibus innumeri, omnis ætatis, sexus & conditionis homines crudelissimis mortibus sunt absumpti, adversus Christi cultores excitarunt. Pie etiam prudenterque faciunt hodie Chinenses, Japonenses, aliique Ethnici, quod non permittunt ut ulla fiat innovatio in antiquis suis sacris, & omnia popularium suorum sanguine replere malunt, quam profitendæ Christianæ religionis libertatem illis concedere. Pie denique & prudenter fecerunt Carolus V Imperator, & ejus filius Philippus II, Franciscus I, Henricus II, & Carolus IX Galliæ reges, aliique istorum temporum Christiani Principes, qui Reformationi religionis à Luthero, Zuinglio, aliisque Doctoribus susceptæ, magno se animo opposuerunt, & centena aliquot hominum millia trucidare non dubitarunt, ad impediendum ne qua innovatio in receptis ritibus & doctrina Ecclesiæ Romanæ fieret.

IV. Nunc Kuchlini definitiones paucis examinemus. Ille in omnibus idololatris, hæreticis, & blasphemis, ut morte digni sint, requirit ut palam & manifeste peccarint; quia qui occulte & privatim, ii Magistratui pœnas dare non teneantur. Sed istud est ambiguum, & ideo evolvendum. Certum est Magistratum occultorum criminum, quorum cognitionem habere nequit, idoneum non esse judicem. Nemo unquam sanæ mentis illa ad suum tribunal trahere est conatus. Si nihil aliud sibi voluit, operam lusit. Quid ergo? intellexit-ne eum qui peccavit in occulto non esse puniendum, etiamsi per idoneos testes criminis fuerit convictus? Non puto. Sic enim legi divinæ adversaretur, quæ dicit, *Si tibi voluerit persuadere frater tuus*, &c. *clam dicens, Eamus & serviamus Diis alienis*, &c. *non parcat ei oculus tuus ut miserearis & occultes eum*, &c. *Deuter.* XIII. 6. *& seqq.* Nec ulla ratio id suadet. Si enim ea sola crimina punirentur à Magistratu, quæ in propatulo & coram omnibus committuntur, plerique facinorosi debitam sibi pœnam effugerent. Et causam non video, cur aliter cum idololatris, hæreticis & blasphemis agi debeat, quam cum aliorum criminum reis, quibus non parcitur etiamsi occulte peccarint, modo legitime facinorum admissorum convicti fuerint. Quæ igitur ipsius mens fuit? an ista, non esse à suspectis extorquendam confessionem vi cruciatuum, nec tam diu pædore carceris esse fatigandos, donec ipsi sponte se accusent, ut observatur in Inquisitione Hispanica? Si hoc sensit; recte omnino sensit. Nam crudelis iste agendi modus, nemini paulo æquiori probari potest, ut ille puniatur tormentis, morte forsan non levioribus, de cujus crimine nihil adhuc constat. Adde, quod hæc ratio ad inveniendam veritatem non satis sit apta. Cum experientia doceat, quosdam robustiores omnia tormenta contemnere: infirmiores vero & delicatiores ex doloris impatientia confessos esse crimina quorum plane erant innocentes. De reliquis conditionibus à Kuchlino requisitis, dicemus quantum materia requiret in singulorum criminum tractatione.

V. Tria facit idololatrarum genera, quos judicat è medio tollendos. Primum est eorum, *qui vice unius veri Dei, fictum aliquem habuerint*, id est, ut interpretor, coluerint, nempe immolando, invocando, aut aliis ejusmodi externis actibus religionis soli supremo Numini debitis. Nam si quis id faceret duntaxat in corde suo, hominum jurisdictioni non subjaceret, sed solius Dei. Adversus tales apostatas à vero Deo, & idolorum cultores, quin lex mortis pœnam constituat nullum est dubium. Aperta enim ea de re sunt ejus verba, *Deuter.* XIII. toto & XVII. 2. 3. &c. & *Exod.* XXII. 20. ubi legitur, *Qui immolat Diis, præterquam Domino soli, occidetur.* Sed non minus apertum est ex iis quæ *Deut.* XII. 1. 2. 3. & XIII. 12. *& seqq.* dicuntur, legem istam in solius terræ Canaan usum fuisse latam, Israëlitasque illius vi obligatos non fuisse ad idololatras alibi terrarum, etiamsi forte illic rerum potirentur, morte plectendos, & urbes eorum solo æquandas. Sufficiebat ut sibi à populorum, inter quos vivebant, idololatria caverent, ne qua inde labe aspergerentur. Tantum abest ut Christianos, quibus lex Mosis non est lata, devinciat ad idololatras in sua ditione delendos, aut bellum aliis populis idololatriæ exterminandæ causa inferendum.

VI. Alterum genus idololatrarum est eorum, qui *præter unum illum Deum, creaturam aliquam ipsi quasi sociam adjungentes coluerint.* Quin istos etiam lex capitali supplicio affici voluerit non illibenter admittam; si modo quinam sint recte intelligatur; nimirum aperte profitentes, se præter illum unum Deum colere aliquam creaturam, quam ipsi collateralem faciant, & æquali prorsus cum ipso honore prosequantur. Tales enim, licet minus graviter prioribus peccent, qui ab uno illo Deo deficiunt; tamen quia illi socium aut socios aliquos adjungunt, eorum etiam numero qui serviunt Diis alienis comprehenduntur. Sed Kuchlinum istud ad alios quoque velle extendi docet particula *quasi*, quam suæ definitioni inseruit; eo tantum fine, ut videtur, ut posset includere Pontificios, qui creaturas aliquas, nempe Angelos beatos, & Sanctos homines mortuos, religioso cultu afficiunt; licet diserte protestentur se non habere illos pro Diis, sed solummodo pro Dei servis & amicis; neque æquali eos cum ipso cultu atque honore prosequantur, sed longe inferiore. At quis ferat ut lex, pœnam mortis decernens, ad eos extendatur, qui non sunt vere & proprie rei criminis quod illa damnat, sed tantum *quasi*? Hæccine est æquitas quam in legibus interpretandis

clementes & humanos judices observare oportet? Vellet-ne Kuchlinus se cum tali severitate à Deo, cum unicuique secundum facta rependet in ultimo die, judicari? Lex Euangelica dicit, *Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt*, 1 *Cor.* VI. 10. Fac nullum istorum criminum posse ipsi vere & proprie impingi, (ut me charitas Christiana jubet credere de viro qui vulgo probus audiit:) Sed tamen eum fuisse quasi furem, aut quasi avarum, aut quasi ebriosum, aut quasi maledicum, aut quasi rapacem; quia forte aliquid perpetravit quod cum ejusmodi vitiis, vel uno aut altero eorum, affinitatem habebat; An ideo æquum esse putaret se è regno cœlorum excludi? Cur ergo quod sibi in re pari fieri nollet, in alios tam inclementer decernit, ut quasi idololatras, tanquam si vere essent idololatræ, morti adjudicet? Apage istam feritatem, quæ si vires voluntati pares nacta esset, maximam Europæ partem internecione totali deleret!

VII. Tertium genus idololatrarum est eorum *qui verum quidem Deum solum, sed non legitimo, & in Sacris literis præscripto modo honoraverint*. Quid audio? Omnesne illi sunt idololatræ, & pari cum iis supplicio afficiendi, qui in Dei cultu aliquantulum à legis præscripto recesserint? Absit ut id putemus. Sic vix ullus mortalium ab idololatria foret immunis, aut pœnæ adversus eam constitutæ eximere se posset. Quod Israëlitis præcipue metuendum erat, propter illum ingentem numerum rituum quem lex Mosaïca præscribebat. Difficulter enim admodum fieri poterat, quin aliquando perperam, & aliter quam Deus mandaverat, quippiam agerent.

VIII. Non est quidem dubium, quin omnis cultus ab hominibus ex proprio arbitrio excogitatus Deo displiceat; contraque nihil gratius ipsi esse quam ut cuncti ad amussim, & quam accuratissime fieri potest, mandata ejus sequantur & observent. Ita enim Moses admonebat Israëlitas, *Non facietis ibi* (in terra Canaan) *quæ nos hic* (in deserto) *facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur*, *Deut.* XII. 8. Item, *Observa & audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi & filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est, & placitum in conspectu Domini Dei tui*, *ibid.* v. 28. Rursus, *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas*, *ibid.* v. 32. Scio etiam Deum voluisse, ut qui irritam reddidisset legem Mosis, sine ulla miseratione moreretur, *Hebr.* X. v. 28. Eoque pertinet istud legis sancitum; *Anima quæ per superbiam* (Hebr. elata manu) *aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus; quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum; idcirco delebitur, & portabit iniquitatem suam*, *Numer.* XV. 30. Nec nimia videri debet hæc severitas, cum versaretur in ulciscendo crimine quod idololatriam & apostasiam gravitate æquabat, ut Samuel Sauli dicebat; *Quoniam quasi peccatum ariolandi, est repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere*, 1 *Sam.* XV. 23.

IX. Sed non eodem habebatur apud Deum loco omnis illegitimus cultus, & qui aliquo modo à norma præscripta discedebat. Ejus enim lex non est similis legibus Draconis, de quibus vulgo dicebatur, illas non atramento, sed sanguine, fuisse scriptas. Imo Deus connivebat sæpe ad peccata satis gravia, dummodo per superbiam non essent admissa. Præceperat diserte Israëlitis ut in uno tantum loco, quem designaturus esset, sibi victimas & holocausta offerrent, *Deuter.* XII. 5. Qui locus primo fuit ubi tabernaculum ex Dei nutu erigebatur. Deinde tempore Davidis elegit in istum usum montem Sion, *Psal.* CXXXII. 13. & domum à Salomone illic ædificatam sibi sanctificavit, 1 *Reg.* IX. 3. Nihilominus toleravit postea magna lenitate populum sacrificantem in excelsis; qui secundum sanguinariam Kuchlini Theologiam totali internecione delendus fuisset, tanquam idololatra, quod Deum legitimo, & in Sacris literis præscripto modo, non honoraret. Sed cum in historia Regum sacra reprehendantur aliquot reges Juda, quod non sustulissent excelsa, ut ex officio facere tenebantur, nunquam iis vitio vertitur quod subditos holocausta sua ibi offerentes impunitos dimisissent. Quales fuerunt Asa, 1 *Reg.* XV. 13. 14. & 2 *Paral.* XV. 17. Josophat, 1 *Reg.* XXII. 43. 44. & 2 *Paralip.* XX. v. 32. 33. Joas, Amasia, aliique religiosissimi Principes, quorum insignem erga Deum pietatem ista labes non obscuravit.

X. Aliud majoris longe momenti exemplum afferam. Extra controversiam est nunc apud omnes, tam Judæos quam Christianos, cultum vitulorum à Jeroboamo institutum in Dan & Bethel, fuisse idololatricum, in lege damnatum, Deoque summopere exosum. Quia tamen Israëlitæ profitebantur se in vitulis illis verum Deum, à quo majores sui educti fuerant ex Ægypto, colere, noluit ut Judæi, qui in puritate cultus lege præscripti perseverabant, eos bello impeterent, ut videre est 1 *Reg.* XII. Quod tamen obligati fuissent facere secundum legem, *Deuter.* XIII. si Jeroboamus & Israëlitæ repudiato vero Deo, Ethnicorum idola coluissent. Et ne quis excipiat, interdictum illud de Israëlitis bello persequendis, præcessisse lapsum Jeroboami in idololatriam, (de quo tamen non satis constat) observandum est, quando postea à piis regibus Juda ereptæ fuerunt bello Israëlitis aliquot civitates, non delevisse eas, sicut lex mandabat, si quæ ad Ethnicam idololatriam defecissent. Tantum narratur de Josia, 2 *Reg.* XXIII. eum cum Bethlehem occupasset, altare quod ibi erat, & excelsum quod fecerat Jero-

Jeroboam destruxisse, & combustis hominum ossibus super altare polluisse ipsum; præterea Sacerdotes excelsorum (qui dubio procul, sicut plerique antecessorum suorum, Bahalim & aliis Ethnicorum falsis numinibus serviebant) universos interemisse; omnia secundum prædictionem nominatim de se 350 circiter annos ante factam, 1 *Reg.* XIII. 2. Quod multum distabat à legis præscripto, jubentis ut omnes qui idololatriæ fuissent convicti, absque exceptione, tam viri quam mulieres, morte afficerentur. Unde discimus Deum idololatriam Israëlitarum, qui nomen suum adhuc confitebantur, longe alio habuisse loco quam idololatriam Ethnicam.

XI. Cum Israëlitarum autem idololatria magnam habet affinitatem ea quæ ab aliquot jam sæculis in Ecclesia Græca & Latina viget in cultu imaginum, Eucharistiæ, &c. ita ut si liceat à simili argumentari (quidni autem liceat in causa favorabili?) à mente Dei, etiam in lege Mosis expressa, nedum postea in Euangelio revelata, censeam plane alienum, quemquam propter ejusmodi idololatriam interficere, aut ulla corporali & politica pœna afficere. Cujus tamen contrarium suasisse Kuchlinum, nimis aperte patet. Imo etiam ejus verba ita sunt generalia, ut illorum ambitu comprehendi possint omnes quæ in istis Ecclesiis vigent superstitiones in Sacramentorum administratione, precibus, jejuniis, votis Monasticis, &c. Hunc enim non esse legitimum Dei cultum, in verbo Dei præscriptum, Reformati omnes constanter credunt; & res ipsa non obscure docet, cum illi ipsi qui observant, ultro fateantur se ista, non omnia ex Scriptura habere, sed magnam partem ex traditione Ecclesiæ accepisse. Conclusio jam fiat: Ergo illi omnes, qui Ecclesiæ Græcæ & Romanæ adhærent, seu maxima Christianorum pars, tanquam idololatræ, absque ulla miseratione trucidandi sunt. Quis aliquo humanitatis sensu præditus ad tantam crudelitatem non exhorrescat? Quis istius Doctoris væsaniam non exsecretur, qui adeo detestabile Magistratibus consilium audeat suggerere, quod totius orbis odium in Reformatos accendat, & Pontificios incitet, ut conspiratione facta Sectam, à qua imminere sibi vident exitium, antequam viribus magis creverit, exterminent?

XII. Pergamus nunc ad hæreticos, & definitionem eorum Kuchlinianam expendamus. Ubi primo occurrit notandum, hunc Doctorem non satis attendisse ad prudens monitum Jurisconsultorum, qui dicunt, Quamlibet definitionem in jure esse periculosam. Quod præcipue tunc locum habet, cum per falsæ alicujus definitionis errorem, innocentum vita in discrimen adducitur. Veluti si quis inter læsæ Majestatis crimina, extremo supplicio expianda, referret, ut quondam factum est, à Rege suo tributorum immodicorum sublevationem supplici libello postulare. Talis autem est, ut patebit ex sequentibus, hæretici definitio jam examinanda, quæ plurimi sanguinis innoxii effundendi causa esse posset, si Magistratus Christiani ejus præscriptum sequi vellent. Quanto sapientius hic se gessit Augustinus, qui considerata hujus materiæ perplexitate, scribere non dubitavit; *Quid faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillime potest. Præf. lib. de Hæres.* Probationes autem, in causis criminalibus, luce meridiana debent esse clariores, ut Jurisperiti docent. Quod etsi de probationibus, quibus aliquis peragitur sceleris reus, ab iis dicatur; ratio tamen suadet, multo magis oportere de illis intelligi, quibus factum aut dictum quodpiam criminibus capitalibus accensendum esse arguitur. Præsertim cum de hæresi est quæstio, cujus solenne est multis quoslibet à se circa fidei dogmata vel minimum dissentientes accusare. Istos enim omnes in carnificis manus tradere, non simplex iniquitas, sed furor esset. Itaque miror, quomodo Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius, alias laudatæ memoriæ, tam fœde lapsi sint in quadam Constitut. ut dicerent; *Hæreticorum vocabulo continentur, & latis adversus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel levi argumento à judicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare. Cod. de hæret. l. 2.* Sed multo minus excusandi sunt Theologi, quorum proprie est de hæresi judicare, quod tam temere, ut fieri vulgo videmus, odioso isto nomine abutantur. Exemplo nobis sit Philastrius Brixiensis Episcopus, Augustino paulo antiquior, qui in suo hæresion Catalogo, inter hæreticos refert eos, qui existimabant totum Psalterii librum non esse Davidis. Item eos, qui dicebant hæc Dei ad Cain verba, *Tu ipsius dominaberis*, *Gen.* IV. 7. significare, Tu eris dominus fratris. Cum eorum, ut ipse putat, mens sit, Tu dominaberis cogitationi tuæ malæ utique, quæ est in arbitrio tuo, ut cujusque hominis arbitrio atque voluntate; aut projiciat de corde suo malam cogitationem immissam à diabolo, aut non projiciendo crimen incurrat perpetuum. Quod certus sum Dordracenos Bibliorum interpretes pro hæresi supplicio digna non habituros, quorum hæc est ipsissima opinio. Et plura ejusdem commatis & futilitatis, quæ apud istum auctorem aliosque hæresiographos legere licet. Totus etiam non semel exhorrui in istius legis ab Honorio & Theodosio contra Anabaptismum latæ lectione. *Si quis rebaptizare quempiam de Ministris Catholicæ sectæ fuerit detectus, una cum eo qui piaculare crimen commisit, (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur. Cod. ne S. Baptisma iteretur, l. 2.* Quamvis enim fatear, inutile & superfluum esse eum rebapti-

 zare

zare qui semel rite fuerit baptizatus; tamen non possum capere, quomodo iteratio sancti ritus à Domino Jesu Christo instituti, quam nusquam fieri prohibuit, scelus sit morte dignum. Quod si ita se haberet, quot mortes, quæso, erant commeriti Hemerobaptistæ, de quibus refertur ipsos singulis diebus se baptizasse?

XIII. Secundo observandum est, hæreseos vocem non significare enorme aliquod facinus, quod unusquisque statim agnoscere queat esse capitale; veluti est blasphemia nominis divini, homicidium, & similia; quæ nemo bonus absque animi commotione audit nominari. Sed contra, id eximiam & laude dignam rem denotat. *Hæresis*, inquit Isidorus Hispalensis, *Græce ab electione vocatur; quod scil. unusquisque id sibi eligat, quod melius sibi esse videtur*, ut Philosophi Peripatetici, Academici, Epicurei, & Stoici. *Orig. lib.* 8. *cap.* 3. Sectam Latini dicunt à sequendo, quia est societas hominum certam quandam doctrinam sequentium. Et in bonam plerumque partem accipitur apud scriptores profanos. Ita *Cicero Præf. in Parad. Cato perfectus mea sententia Stoicus, & ea sentit quæ non sane probantur in vulgus, & in ea est hæresi quæ nullum sequitur florem orationis.* Similiter in Sacris Nov. Test. libris; & apud Josephum, ubi de Pharisæis, Sadducæis, & Essenis agitur. Unde Paulus dicit se vixisse Pharisæum, *κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν*, *secundum exquisitissimam hæresin* vel sectam religionis Judaicæ, *Act.* XXVI. 5. & religionem Christianam non ægre fert *hæresin* appellari, *Act.* XXIV. 14. Verum postea occasione, ut existimo, contentionum quas æmulatio inter Philosophos excitabat, hæreseos nomen cœptum est in malam partem usurpari. Quod aliquoties in Novo Test. videre est, ut 1 *Cor.* XI. 19. *Gal.* V. 20. *Tit.* III. 10. & 2 *Pet.* II. 1. & æquipollet vocibus *σχίσματος*, *scissuræ*, 1 *Cor.* I. 10. & XI. 18. & *διχοστασίας*, *dissensionis*, *Rom.* XVI. 17. & 1 *Cor.* III. 3. nisi quod illarum generalitatem contrahit ad dissidia quæ opinionum contrarietas parere inter homines solet. Hoc significatu vocis *hæreseos* nihil est in Christianorum scriptis frequentius. Ita Isidorus, loco modo citato, *hæreticos* dicit vocari eos, *qui perversum dogma cogitantes arbitrio suo de Ecclesia recesserunt.*

XIV. Tertio videndum est, qua in re formalis, ut vocant, ratio hæreseos consistat, sive quid hæreticum esse aliquem proprie faciat. Kuchlinus in sua definitione duo ejusmodi affert. Unum, ut hæreticus *errorem fundamentis fidei, & Propheticæ, Apostolicæque doctrinæ in Scripturis traditæ adversantem tueatur.* Alterum, *ut etiamsi rite admonitus convictusque ex verbo Dei fuerit, nolit ab isto errore desistere, nec veritatem in Scriptis Prophetarum & Apostolorum revelatam agnoscere; sed potius invicta & pertinaci impietate ei resistens, Ecclesiæ pacem & concordiam lacerare commendat*, &c. De primo, nec Kuchlino, nec cuiquam alii controversiam movere est animus. Nemo ignorat voces hæreseos & hæretici ita vulgo accipi tam à veteribus quam à recentioribus Theologis. Quamvis merito dubitari posset, an id Scripturæ S. usui satis sit consentaneum. Nam Paulus diverso sensu illis utitur; cum hæreseon & schismatum titulo notet contentiones Corinthiorum, qui dicebant, *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi*, 1 *Cor.* I. & dissensiones quæ inter ipsos erant de externa forma celebrandæ Cœnæ Dominicæ, 1 *Cor.* XI. quibus nullum fidei dogma evertebatur, aut in controversiam vocabatur. Errorem vero illum gravissimum negatæ à quibusdam resurrectionis ex mortuis, à quo universæ religioni Christianæ exitium imminebat, nusquam hæresin vocet, 1 *Cor.* XV. quia nullæ, ut puto, ea de causa obortæ erant inter ipsos contentiones, quæ charitatis mutuæ vinculum abrumperent. Quod etiam colligitur ex eo, quod inter opera carnis, quibus Galatæ indulgebant, recenset *hæreses & contentiones*, *Gal.* V. 20. Sed nomen hæreseos non tribuit pernicioso illi errori in quem lapsi erant, Neminem absque observatione legis Mosaicæ coram Deo justificari posse; quem tota illa Epistola refutat. Et cum jubet Titum, *αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτεῖσθαι*, *hominem hæreticum post unam aut alteram admonitionem evitare*, vel rejicere, *Tit.* III. *v.* 10. satis indicat se de eo qui in fide erret non loqui. Admonitiones enim frustra adhibentur erga illum, qui putat se veritatem tenere, utpote quæ conscientiam ejus movere non possint: Erudiendus est, & ostendendum quantopere fallatur, si velis eum in viam reducere. Sed contentiosus, qui propter rem quam novit exigui esse momenti turbas movet in Ecclesia, potest aliquando, si non sit plane deploratus, gravis alicujus viri aut plurium admonitione, semel atque iterum repetita, à pravo animi proposito revocari. Talem hæreticum à Paulo fuisse intellectum, ostendit etiam epitheton *αὐτοκατακρίτου*, *à semetipso condemnati*, quod ad ejus malitiam exaggerandum usurpat. Id enim non quadrat in hominem qui opiniones tuetur quas verissimas esse credit, alias libenter iis renunciaturus; (quales plerique eorum sunt, qui nunc pro hæreticis habentur;) sed optime in ejusmodi qualem dixi rixosum, qui aut scit, aut facile scire potest, id de quo disputat indignum esse ut propterea funem contentionis cum aliis trahat, & Ecclesiam in partes scindat.

XV. De altero hæretici requisito, propter rei gravitatem, paulo accuratius est disserendum. Kuchlinus post multos alios existimat pertinaciam esse id quod proprie hæreticum constituit, ut etiamsi rite admonitus convictusque

ex verbo Dei fuerit, nolit ab errore suo desistere. In quo mihi videtur iis quæ ante dixerat, non obscure contradicere: Qui occulte & privatim peccat, is minime Magistratui pœnas dare tenetur, quoniam de his cognitio pertinet, non ad forum (ut loquuntur) humanum; sed ad cœlestis tribunalis Præsidem, qui solus occultorum cognitor, eoque & solus Judex est. Recte. Sed an aliquis erroris convictus sit, res est longe reconditior & cognitu difficilior, quam an occulte & privatim crimen in sensus externos incurrens perpetrarit. Scelera enim, quantumvis occulte & privatim commissa, non raro admirabili Dei providentia, qui non vult impunita manere, in lucem protrahuntur. Sed quis alterius cogitationes, nisi unus Deus cordium scrutator, novit? Talis est autem convictio, quæ facit ut propria conscientia hæreticum erroris damnet, etiamsi coram hominibus id confiteri nolit. Conscientiæ enim illius cognitio non pertinet ad forum humanum, sed ad solum cœlestis tribunalis Præsidem. Tu putas ipsum à conscientia sua redargui; sed nullo idoneo nixus fundamento. Nam contra forte excusat, & innocentem pronunciat. Quomodo igitur audes pro convicto habere? Dices-ne te rationes ad eum convincendum sufficientes attulisse? Quid si ille idem tibi objiciat, & suas rationes tuis præponderare asserat? Sed fac tuas revera esse meliores. Nondum tamen erit convictus, quamdiu earum robur in animo suo non senserit. De alterius autem animo tuum non est judicare. Quicunque id aggreditur, in Dei solium involat, & temeritatis suæ graves ipsi pœnas dabit. Hic nonnulli nos ad absurdum deducere volentes, dicunt; Si ita se res habeat, nemo maleficus qui pertinaciter crimen suum negabit, illius unquam convinci poterit. Sed istud est plane impertinens. Quasi vero non sit diversa ratio criminis in sensus incurrentis, & ejus quod in animi secreto abditum latet. In illo, si idonei testes adsint, qui affirment se vidisse, id sufficit ad convictionem: quanquam magna hic opus sit prudentia in testibus examinandis, cum aliquando contingat ut testes qui idonei putantur, non sint revera tales. Sed quos testes producere poteris, qui arcanos recessus conscientiæ hæretici, quem dicis esse convictum, perspexerint? Malam, inquies, conscientiam suam satis aperte prodit. Quo pacto? Confitetur-ne se esse convictum, sed cedere veritati nolle? Nequaquam; sed ex aliis indiciis id colligitur. Quid? ista-ne indicia, quæ dicis, probationes sunt luce meridiana clariores, quales in causis criminalibus requiruntur? Si non sint, quomodo hominem de cujus scelere tibi nondum constat, morte, imo vel minima pœna, dignum pronunciare non cohorrescis? Cur non potius ipsum Dei judicio relinquis, cui omnia cordis humani arcana patent, & aliquando unicuique secundum id quod fecerit boni aut mali est redditurus? Sane cum res ista maximi sit momenti, ratio omnino postularet, ut certa proferrentur documenta, ex quibus appareret aliquem esse vere pertinacem, qui de errore convictus in suo corde gloriam Deo veritatem confitendo nollet dare, prius quam hæreticus pertinax & mortis reus à nobis pronuntiaretur. Sed nulla hactenus talia audivi à quoquam afferri.

XVI. Pontificii, quorum Kuchlinus & alii ὁμόψηφοι vestigia premunt, existimant illum demum pro pertinaci & hæreseos convicto haberi debere, qui judicio Ecclesiæ, cui edoctus est opinionem suam repugnare, non acquiescat. Quod veri specie non careret, si fundamentum cui innituntur solidum esset, nimirum Ecclesiam suam non posse in fide errare, & judicium ejus infallibilis esse veritatis. Hac enim hypothesi admissa, is se à pertinaciæ culpa defendere nequit, qui sciens & volens Ecclesiæ determinationibus se opponit. Exemplo recenti & memorabili istud illustrabo. Qui vocantur Jansenitæ in Belgio Hispanico, eo quod adhæreant sententiæ Cornelii Jansenii, Episcopi nuper Iprensis, de absoluta Dei prædestinatione, profitentur se credere Pontificem Romanum in fide esse ἀναμάρτητον, ut patet ex libello, cujus titulus est, Planctus veritatis Augustinianæ in Belgio patientis; ubi diserte dicunt, Infallibilitatem sedis Apostolicæ in rebus fidei decernendis agnoscimus & confitemur. Ideoque ad Innocentium X, qui tunc sedem istam occupabat, detulerunt judicium controversiæ quam de illo fidei capite habebant cum Jesuitis. Is autem constitutione sua ante triennium facta, tulit sententiam pro Jesuitis contra Jansenitas, quorum opiniones pronunciavit esse falsas, hæreticas, blasphemas, & ut tales diro anathemate percussit. Si ergo Jansenitæ eas post solenne istud judicium tueri pergant, non video quomodo se à crimine hæreseos purgare possint. Pertinaciam enim suam prodent, & se αὐτοκατακρίτους esse, opponendo se judicio Pontificis Romani, quem pro infallibili controversiarum religionis judice agnoverunt. Sed Reformati nullum ejusmodi infallibilem judicem in terris inveniri credunt. Quamvis enim multum auctoritatis tribuant Synodis suis, non tamen eo usque processerunt, ut judicium illarum infallibile esse dicere audeant. Nihil ergo ipsis superest, quo possint demonstrare eum qui tali judicio non acquiescat, pertinacem esse, & legitime erroris convictum. Ac proinde longe absurdius & iniquius se gerunt quam Pontificii, cum sub prætextu hæreseos, de qua ipsis ex suis principiis constare nequit, aliquem vel capitali supplicio afficiunt, vel ulla ratione persequuntur. Quæ iniquitas tanto clarius patebit, si consideremus quinam hodie hæreticorum nomine à quibusdam nimium præcipitis judicii zelotis infamari soleant. Non enim, ut

 olim

olim primis Christianismi sæculis id tribuitur impostoribus, qui doctrinæ Apostolicæ palam contradicant, Scripturam S. rejiciant, opiniones bonis moribus & honestati civili repugnantes invehant; quales erant Gnostici, Carpocratiani, Manichæi, & aliæ ejusmodi pestes: Sed hominibus simplicibus, qui irreprehensibiliter coram mundo vivunt, Sacras literas in magna veneratione habent, & pro unica fidei atque morum norma agnoscunt; verum propter judicii imbecillitatem à genuino earum sensu aberrant, quantumvis in eum quanta potuerint diligentia & studio inquisiverint. Et quia opiniones suas ad salutem creditu esse necessarias persuasi sunt, nec labori parcunt, nec pericula defugiunt, ut eas ad quam plurimos propagent; non turbandi Ecclesiam causa, (quamvis inde aliquando per accidens turbæ oriantur;) sed potius ædificandi, & alios doctrina sua in viam salutis introducendi. Talibus hæreticis (si ita vocari debeant) dico nullam propter errores, licet forte graves, molestiam exhibendam, sed cum omni mansuetudine in veritate instituendos.

XVII. Restant Blasphemi, & eorum definitio à Kuchlino tradita. De qua primo memoria recolendum est, quod antea ex Jurisperitis observabam, Omnem definitionem in causis criminalibus esse valde periculosam. Quod præcipue usu venit in obscuris & ambiguis definitionibus. Eas enim malevolus & crudelis judex pro libidine sua in miserorum perniciem torquere facile potest. Talis autem est ista, adeo perplexa, ut Oedipo opus sit interprete qui mentem ejus explanet. Sane si blasphemus dici meretur *quicunque de Deo vero indignum quippiam effutit*, &c. pauci admodum immunes erunt ab isto crimine. Natura enim Dei tam sublimis est, & difficilis cognitu miseris mortalibus, ut vix quisquam cavere sibi possit quin verba de illo faciendo interdum impingat, & aliquid Majestate divina non satis dignum ipsi excidat. Inquirendum igitur est accuratius, quid proprie blasphemum constituat. Illud autem non erit difficile cognitu, si attendatur ad loca Scripturæ S. quæ blasphemiæ aut blasphemorum mentionem faciunt. Inter quæ primus occurrit celebris ille *Levit.* XXIV. ubi pœna mortis in blasphemos decernitur. *Ecce egressus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israël, jurgatus est in castris cum viro Israëlite. Cumque blasphemasset nomen Domini, & maledixisset ei, adductus est ad Mosem*, &c. *Miseruntque eum in carcerem, donec nossent quid juberet Dominus. Qui locutus est ad Moysem, dicens, Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus. Et ad filios Israël loqueris; Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini morte morietur*, &c. Hic nota obiter Kuchlinum cum hoc loco, ex quo probat blasphemos esse interficiendos, quasi ad eum illustrandum conjungere alium ex *Matth.* XXVI. ubi narratur Principem Sacerdotum, audita Domini Jesu confessione, se esse Christum Dei Filium, scidisse vestimenta sua, dicendo, *Blasphemavit. Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur?* Et Scribas & Seniores illi respondisse, *Reus est mortis*. Ubi libenter ex eo percontarer, An ergo credat Senatum Judæorum, jure secundum legem mortis sententiam in Jesum Christum tanquam blasphemum pronunciasse? Si neget, ut proculdubio facturus est omnis Christianus, cur ergo citat eum, cum nihil ad rem faciat, & non legis divinæ observatæ, sed impie à sceleratis hypocritis conculcatæ, exemplum contineat? Eodem jure potuisset afferre exemplum Naboth, qui sub testimonio duorum filiorum Belial, dicentium, Benedixit (id est maledixit, blasphemavit) Naboth Deum & regem, lapidatus est, 1 *Reg.* XXI. Et B. Stephani, de quo falsi testes dixerunt, se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysem & in Deum, & pariter lapidibus fuit obrutus, *Act.* VI. & VII. Sed condonemus ei hallucinationem istam, quæ levis est præ indignis aliis Scripturæ abusibus, de quibus postea. Alterum insignem locum habemus 2 *Reg.* XVIII. & in parallelis 2 *Chron.* XXXII. *Esa.* XXXVI. & XXXVII. ubi referuntur horrendæ Rabsacis legati Sennacherib Assyriorum regis adversus Deum Israëlis blasphemiæ. *Nolite audire Ezechiam qui vos decipit, dicens, Dominus liberabit nos. Nunquid liberaverunt Dii gentium terram suam de manu Regis Assyriorum? Ubi est Deus Enath & Arphad? Ubi est Deus Sepharvaim, Ana & Ava? Nunquid liberaverunt Samariam de manu mea? Quinam illi sunt in universis Dii terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu mea?* consule etiam *Exod.* V. 2. de blasphemia Pharaonis in Deum, & *Matth.* XII. 24. &c. XXVII. 39. &c. iterumque *v.* 36. de Judæorum in Jesum Christum blasphemiis. Ex quibus locis aliisque similibus videre est, eos tantum pro blasphemis in Deum aut Christum esse reputandos, aut qui blasphemandi intentionem habent, aut saltem qui sciunt illud quod proferunt esse blasphemiam. Omnia enim allata exempla, Pharaonis, Sennacherib, Israëlitæ illius in deserto, Scribarum & Pharisæorum, evidenter demonstrant eos non inscios, sed data opera Deum & Christum blasphemasse. Quia tamen aliquando accidit ut nonnulli, non ex animo, sed præ metu, ad vitandam mortem, blasphemarent; ideo addidi, oportere saltem ut qui hujus criminis sunt rei sciant illud quod proferunt esse blasphemiam. Tales erant illi Christiani, quos Saulus adhuc infidelis & blasphemus compellebat Chri-

Christum blasphemare, ut ipse confitetur *Act.* XXVI. 11. Item qui Plinio jubente, imaginem Cæsaris Deorumque simulacra venerati sunt, & Christo maledixerunt, *Epist. ad Trajan.* Sicut etiam Antiocho Epiphane regnante quidam Judæi Deum & ejus legem abnegare compulsi fuerunt, 2 *Machab.* VI. Quos certum est gravi se adversus Deum scelere obstrinxisse, cum acerbissimam potius adire mortem tenerentur, quam aliquid tale perpetrare. Non putarim tamen illos, postquam Judæi Machabæorum ope se in libertatem asseruerunt & cultum Dei instaurarunt, supplicio Apostatis & blasphemis debito affectos fuisse, aut etiam affici debuisse, cum ipsorum peccatum non fuerit plane spontaneum, nec elata manu commissum, sed aliquid ex coactione admixtum habuerit, proindeque per sacrificia, quæ lex præscribebat, expiari potuerit. De quo vide *Numer.* XV. 22. &c.

XVIII. Multo ergo minus, posito quod lex Mosis duraret adhuc, Magistratus Christianus obligaretur pœna in blasphemos constituta omnes illos afficere, qui per imprudentiam *aliquid Deo indignum* effutirent; ex. gr. qui dicerent Deum esse corporeum, aut affectibus amoris, odii, spei, metus, iræ & similibus, quos Scriptura ipsi ἀνθρωποπαθῶς tribuit, esse obnoxium. Item, qui *tribuerent Deo quod ipsi non competit*; ex. gr. qui existimarent quod Deus impuros dæmonas, & diabolum ipsum, postquam aliquamdiu igne infernali fuissent puniti, tandem in gratiam recepturum, & beatitudinis cœlestis participes redditurum. Item, *qui adimerent Deo quod ipsi proprium est*; ex. gr. qui putarent Deum providentia sua non versari circa res abjectas & viles, ut circa singula insectorum individua, vel circa singulas olerum & herbarum stirpes. Item, *qui transferrent in creaturam quod est Dei solius*; ut faciunt Pontificii, qui docent Angelos & Sanctos mortuos, præsertim Beatam Virginem Mariam, preces nostras audire, & nobis in omnibus angustiis opitulari. Et Lutherani, qui censent Christo homini communicatam esse omnipræsentiam, omnipotentiam, & alias divinas proprietates. Etiamsi enim omnes isti, erroneas opiniones de Deo & de rebus divinis foveant, non tamen sunt blasphemi, saltem ex illorum genere quos lex Mosis capitis supplicio affici jubebat. Neque etiam amici Jobi, Eliphaz Temanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, (nam de Elin nihil tale refertur) quibus Deus objicit quod non essent coram se locuti rectum, &c. *Job.* XLII. 7. 8. 9. inter blasphemos sunt recensendi. Quamvis enim Deus dicat, furorem suum in eos esse iratum, modum tamen quo placari possit ipsis indicat, si ad Jobi intercessionem recurrant. Rationes autem cur supra memoratos errores de Deo, & iis similes, pro blasphemiis capitalibus non sint habendi, sunt istæ. 1. Qui iis adhærent nesciunt esse blasphemos; alias statim essent rejecturi. 2. Quia non docent eos animo Deum blasphemandi; sed contra, ut ipsum honorent, doctrinam quam pro divina & salutari habent aperte profitendo, & quam latissime possunt propagando.

XIX. Kuchlinus suam blasphemi descriptionem his claudit verbis: *vel facto impio cultum verum divinum impedit, conculcat, aut impedire & conculcare conatur.* Quorum mentem non satis capio. Cum enim multæ impiorum ejusmodi factorum dentur species, & non declaret ad quam respiciat, id non nisi conjectura mihi assequi licet. Intelligit-ne impios illos, qui profitentes se Deum nosse, factis ipsum abnegant, impuraque sua vita occasionem dant infidelibus & à veri numinis cognitione alienis, nomen Dei blasphemandi? quales erant olim Judæi, quibus Paulus istud exprobrat, dicens, *Nomen Dei propter vos blasphematur inter Gentes*, *Rom.* II. 24. Sed ita longe maximus, sæculo hoc corrupto, & moribus quibus nunc vivitur, blasphemorum inveniretur numerus; quos Kuchlinus nimis crudele, aut etiam perniciosum censeret, omnes carnifici interimendos tradere, præsertim inter eos conspiciens aliquos, qui putantur Ecclesiæ esse columina. An potius vult innuere eos qui se veræ religioni, sive aperta vi, sive dolosis consiliis opponunt, & exercitium ejus, quantum in se est, impediunt? quales fuerunt olim Antiochus, Nero, Diocletianus, Julianus apostata; & nostro Patrumque tempore principes & magnates reformationis adversarii. At blasphemi isti, viribus & potestate sunt armati, ut non tantum sententiam damnationis in se latam contemnere, sed etiam in Judices à quibus emanavit retorquere, supplicioque sibi intentato eos facile afficere queant. Imprudenter itaque Kuchlinus clausulam istam videtur descriptioni suæ addidisse, quæ in suorum perniciem possit cedere, adversus quos Pontificios & Lutheranos irritat, consilium de ipsis exterminandis, quod premere adhuc debebat, intempestive patefaciendo. Quod forte prævidens, mentem suam styli tenebris occultavit, ne ab omnibus statim deprehenderetur.

XX. Sed quia ii, qui in mysterio S. Trinitatis, personæ Christi, & Spiritus Sancti intelligendo errant, non solum hæreseos, sed etiam atrocis in Deum blasphemiæ, imo quoque idololatriæ, accusari, ac proinde tanquam humani generis pestes, digni qui quovis supplicio è medio tollantur, pronunciari vulgo solent, operæ pretium mihi visum fuit aliquid, antequam ulterius pergerem, ista de re dicere. Septem eorum, qui receptis publice inter Christianos opinionibus hic contradicunt, classes possunt constitui. Prima est Sabellianorum, qui recusant tres in Deo personas confiteri, quia nesciunt quomodo id cum ejus unitate, toties in

in Sacris literis prædicata, & pro veræ religionis fundamento substrata; conciliari possit. Secunda est Arianorum, qui putant Filium Dei non esse absolute æternum, sed tempus, vel exiguum saltem momentum fuisse quo non erat, quia non capiunt quomodo aliquis sit Patri à quo genitus est, coævus. Et Dei Filium non esse dicendum ὁμοούσιον seu coëssentialem Patri, quia id nusquam in Scripturis legatur. Tertia est Paulianorum seu Photinianorum, qui non aliam agnoscunt in Christo Deitatem, quam Spiritum S. ex quo conceptus est, & ab eo nunquam toto vitæ tempore recessit; muneris Dei legati quod in terris gessit sublimitatem, & imperium quod post resurrectionem & ascensionem in cœlum, ideo quod obediens fuerat Patri usque ad mortem crucis, obtinuit, exaltatus ad dextram Dei, & data ipsi omni in cœlo & in terra potestate, ut ad nomen Jesu omne genu se flectat, cœlestium, ac terrestrium, & subterraneorum, omnisque lingua confiteatur Dominum esse Jesum Christum, ad gloriam Dei Patris. Quarta est Nestorianorum, qui unionem divinæ naturæ cum humana in Christo videntur solvere, quia negant Beatam Virginem Mariam vocandam esse θεοτόκον, seu Deiparam, quod Christum non ratione Deitatis ejus, sed tantum humanitatis genuerit; ideoque præstare illam appellare χριστοτόκον seu Christiparam. Quinta est Eutychianorum, qui dicunt humanam Christi naturam in ejus glorificatione, à divina quasi fuisse absorptam, ita ut nunc potius Deus quam homo sit existimandus. Sexta est Macedonianorum, qui non credunt Spiritum S. peculiarem esse Deitatis personam, à Patre distinctam, sed ipsum habent pro Dei virtute qua cœlum & terram condidit, Prophetas & Apostolos afflavit, Ecclesiam regit, fideles sanctificat, & omnia quæ libet operatur. Septima est Græcorum, qui putant Spiritum S. à Patre solo procedere, repudiantes Ecclesiæ Latinæ sententiam, asserentis Spiritum S. à Patre Filioque simul, tanquam ab unico principio, emanare.

XXI. Quæritur ergo an is qui assensum præbet, vel uni harum opinionum, vel pluribus, (neque enim ullus omnes simul probare potest, cum aliquæ sint quæ se mutuo evertunt) pro blasphemo in Deum sit habendus. Quod nego, his nixus rationibus. 1. Quia omnes qui istis opinionibus adhærent Scripturam S. Veteris & Novi Testamenti tanquam divinam, & unicam fidei & morum normam amplectuntur, cujus judicio se stare aut cadere, paratos profitentur; eaque sola de causa illas propugnant, quod Scripturæ consentaneas esse credant, protinus repudiaturi si contrarium ipsis demonstraretur. 2. Quia in omni vera & proprie dicta blasphemia, oportet ut qui eam profert, sciat se blasphemare, atque adeo intentionem habeat blasphemandi; etiamsi forte per ignorantiam in persona aberret: falso putans se illam in aliquem qui meritus sit vibrare. Ita Saulus, cum adhuc esset persecutor Ecclesiæ Christi, probe sciebat se Christum blasphemare, & quæ in ipsum effutiebat convitia, illa non alio quam blasphemandi animo proferebat, quamvis in eo falleretur, quod putaret Christum, tanquam apostasiæ à lege Dei auctorem & ducem, tali contumelia esse dignum. Sed qui recensitas à nobis opiniones sequuntur nec pro blasphemis illas habent, nec animo Deum blasphemandi eas profitentur; sed contra Deo valde honorificas, & Ecclesiæ ædificationi utiles esse existimant, ultro statim damnaturi, si quid blasphemiæ affine continere suspicarentur. 3. Quia nihil est revera in istis opinionibus, si (ut charitas jubet) ex æquo & bono ponderentur, quod blasphemiam sapiat. Id enim quod in plerisque earum censetur pessimum, nempe quod Filium & Spiritum S. Patre inferiores statuant, non est probrosum Filio & Spiritui S. nec ullo modo blasphemum, sed certo quodam sensu verum. Ubique enim Sacræ literæ præeminentiam Patri in divinitate tribuunt, in quibus Dei nomine absolute posito, Pater semper intelligitur; ut cum Deus Filium suum in mundum misisse, & à mortuis suscitasse dicitur, Christique caput & Deus vocatur. Et post eas celeberrimi quique Ecclesiæ Doctores, qui Patrem asserunt esse principium, causam, & fontem Filii & Spiritus Sancti, unde essentiam & Deitatem suam acceperint. Adeo ut controversia, quæ est inter utramque partem, non versetur proprie in eo, An Filius & Spiritus S. possint dici Patre minores; quod omnes concedunt; sed, Qua in re & qua ratione sint minores. Cæterum tum Ariani, tum Photiniani, tum Macedoniani, ut ostendant quantum absint à blasphemia, profitentur se credere Christum esse unicum mundi Servatorem, qui obedientia sua usque ad mortem crucis, & Sacrificio proprii corporis quod Patri obtulit, plenissimam peccatorum remissionem omnibus in se credentibus, & digne Euangelio viventibus, impetrarit, quos tandem ex mortuis suscitatos vita æterna donaturus sit. Spiritui vero Sancto tribuunt, quod per ipsum fideles magis ac magis in Dei obsequium sanctificentur, & in spem hæreditatis cœlestis obsignentur; ideoque ipsum à Deo ardentibus & indefessis precibus exposcunt. Denique Baptismum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sicut alii omnes Christiani administrant & suscipiunt. Et à tribus istis sectis, nullæ quod sciam aliarum supra memoratarum dissentiunt. Ne quis autem novam aut privatam meam opinionem esse censeat, quod dixi errores istos circa dogma SS. Trinitatis, pro blasphemiis in Deum non esse habendos, audiatur Salvianus Massiliensis Episcopus,

ſcopus, de Arianis ſui temporis loquens; *Hæretici ergo ſunt, ſed non ſcientes*, &c. *de Gubernat. Dei lib.* 5. non procul ab initio: quem citavimus in Theſibus de SS. Trinitate.

XXII. Si autem, quæ attuli, non ſufficiant ad opiniones iſtas ab intentata blaſphemiæ accuſatione abſolvendas, neſcio qua ratione multi celebres inter Reformatos Doctores ab ea ſe purgaturi ſint, quibus cæteræ omnes Chriſtianorum Sectæ, Pontificii, Lutherani, Mennonitæ, Remonſtrantes, Sociniani, imo ipſimet interdum ſibi invicem objiciunt, quod dogmatibus ſuis de Providentia, Reprobatione abſoluta, & Peccato originis, Deum peccati auctorem conſtituant. Ipſi enim horrendam iſtud eſſe blaſphemiam non diffitentur. Et res adeo eſt manifeſta, ut demonſtratione non indigeat. Quid enim Deo optimo, juſtiſſimo, & ſanctiſſimo indignius poteſt fingi aut cogitari, quam ipſum homines ad peccata, quæ ſe abominari teſtatur, & tam expreſſe prohibet, tamque ſevere punit, impellere aut neceſſitare? Ne diabolus quidem, infenſiſſimus Dei hoſtis, ſi directe gloriam ejus oppugnare propoſuiſſet, fœdiorem aut atrociorem ullam in ipſum calumniam evomeret. Nulla etiam perniciosior unquam hæreſis ab Apoſtolorum tempore inter Chriſtianos exorta eſt; cum ea non unum tantum aut alterum, ut pleræque aliæ, religionis caput corrumpat, ſed univerſam funditus peſſundet. Fruſtra enim laborabimus in excutiendo peccati jugo, in quo vera erga Deum religio tota conſiſtit, ſi Deus directione ſua arcana & inſuperabili potentia, aut deſertione ab ortu noſtro, ad ipſum nos adigat, aut inevitabilem committendi neceſſitatem imponat. Sed gravem ſibi injuriam fieri clamant, quod ipſis tribuatur opinio à mente ſua plane aliena, quam blaſphemam eſſe agnoſcant, & toto corde deteſtantur. Scio; nec velim ipſos ejus accuſare. Dico tamen ipſos per imprudentiam poſſe Deum peccati auctorem facere, atque inſcios contra animi ſui propoſitum blaſphemare. Cum ergo ea de re ab aliis omnibus Chriſtianorum Eccleſiis, quamvis non communicatis inter ſe conſiliis, tamen unanimi conſenſu moneantur; ipſorum eſſet ſerio diſpicere, Num in ſua doctrina quidpiam tali blaſphemiæ affine inveniretur, & id emendare, potius quam pertinaciter, ne erraſſe videantur, defendere. Cogitare deberent, ſe non ſolos oculatos & ſapientes eſſe; ſed illos, quorum judicia tam parvi faciunt, etiam aliquid videre & intelligere. Et valde eſſe turpe, feſtucam in proximi oculo videre, ſed in ſuo nequidem trabem animadvertere. Quamvis enim nonnullo ex ante memoratis, circa SS. Trinitatis dogma, erroribus ſatis ſint craſſi & periculoſi, ſi in ſe conſiderentur, & eos excuſare aut extenuare nullatenus velim, nihil tamen impedit quominus cum blaſphemia aperta collati, pro feſtucis habeantur. Et certe nemini occaſionem præbere poſſunt in Epicuriſmum prolabendi, ut de opinione, quæ Deum peccati auctorem facit, nimis crebro eſt compertum. Nec ideo extra culpam ſunt Doctores iſti, quod proteſtentur ſe ei nequaquam favere; cum videamus multos ex auditoribus ipſorum, magis attendentes ad ſequelam dogmatum, quam ad ejuſmodi proteſtationes, eam inde magno ſuo malo elicere, atque etiam interdum non erubeſcere profiteri. Meminiſſe igitur deberent illius væ à Domino Jeſu iis denunciati qui offenderint vel unum ex minimis qui in ipſum credunt; à quo non erunt immunes etiam qui per imprudentiam id faciunt; præſertim ſi de periculo toties admoniti, ſanioribus conſiliis obtemperare detrectent.

CAPUT XXXVII.
De Hæreticorum pœnis.

I. Hæretici capitali ſupplicio non ſunt afficiendi, 1. Quia involuntarie peccent. II. 2. Quia pœna non poteſt tendere ad ipſorum emendationem. III. Nec in exemplum aliorum adhiberi. IV. Nec licitum eſt ſub prætextu quod tollantur pernicioſi homines, quorum converſatio aliis exitioſa eſſe poteſt. V. Quæ omnia etiam locum habent in pœnis levioribus. VI. 3. Quia majus inde periculum probis viris quam improbis imminet. VII. 4. Quia religio non poteſt propagari vi externa. VIII. Qui metu pœnarum religionem ſimulant, poſtea rariſſime ipſi ex animo adhærent. IX. Etiam Magiſtratus Reformati vi agentes veritatem opprimere poſſunt, & contra religionis Chriſtianæ genium agunt. X. 5. Nullis rationibus idoneis fulcitur. Non legibus Moſis contra pſeudoprophetas, idololatras & blaſphemos: quia iis non tenemur. XI. Et quia tantum agunt de idolis gentilium. XII. Quod comprobatur facto Danitarum Judic. 17. & 18. XIII. Habet tamen Magiſtratus Chriſtianus poteſtatem abolendi idola, & aperte blaſphemos puniendi. XIV. Non etiam locis Scripturæ, quibus hæretici comparantur lupis rapacibus, furibus, &c. XV. Nec exemplo Chriſti, qui vendentes flagello ejecit ex templo, & Petri, qui Ananiam & Sapphiram verbo ſuo occidit, & Pauli, qui Elymam cæcitate percuſſit. XVI. Nec quia Magiſtratui occidere falſarios & homicidas. XVII. Neque etiam, quia hæreticos licet excommunicare. XVIII. Nec quia Magiſtratus eſt Dei miniſter, qui non ſine cauſa gladium portat. XIX. Nec tandem fulciri poteſt edictis Imperatorum contra hæreticos.

I. NUnc oſtendamus, nec hæreticos à nobis deſcriptos, nec iſtos falſo blaſphemos appellatos, qui Scripturam quidem pro unica ſuæ Religionis regula habent, ſed eam in aliquibus magni momenti capitibus prave intelligunt aut exponunt, propter erroneas ſuas opiniones, morte, aut ulla ex iis pœnis quæ à Magiſtratu delinquentibus irrogantur eſſe dignos. Primo igitur pro axiomate ſeu indubiæ veritatis regula habetur apud Philoſophos, Juriſperitos, Theologos, imo omnes in univerſum homines, tam politis moribus quam incultos & barbaros, neminem propter involuntarium factum ſupplicio aut pœna eſſe afficiendum. Ideo ſtatim

atque constat voluntatem ab aliquo facinore absfuisse, is qui admisit, etiam à rigidissimis Judicibus absolvitur & innocens pronunciatur. Cujus æquitatis Deus ipse exemplum præbuit, admissa excusatione Abimelechi regis Gerar, afferentis se inscium sumsisse Saram Abrahami uxorem, quod sororem esse credidisset, quemadmodum ex Abrahamo ipso audiverat, *Genes.* xx. Et in lege, ubi à pœna contra homicidas lata excipi vult eos, qui per imprudentiam aliquem occiderint, & in ipsorum gratiam sex urbes in Cananæa, ad quas fugiant ut tuti sint à vindice sanguinis, constitui, *Numer.* xxxv. *Deuter.* xix. Nihil autem magis involuntarium est errore in disciplinis & scientiis, à quo omnes natura refugiunt. Appetitus enim cognoscendi hominibus innatus non acquiescit, nisi in eo quod intellectus examine facto verum esse judicat. Qui tanto diligentius in veritatem inquirere solet, quanto eam novit majoris esse momenti; qualis est quæ res divinas & mysteria fidei concernit, ubi errores sunt valde noxii, & à salutis via facile possunt abducere. Quis ergo sponte iis vellet adhærere? quis eos defendendi gratia se in tam evidens discrimen vellet conjicere? Tanta vesania in hominem mentis suæ compotem non cadit. Amentem autem quis, nisi ipse amens aut furibundus sit, interimi sustinebit?

II. Secundo: Omnis pœna tendere debet aut ad ejus cui infligitur, aut aliorum, utilitatem. Ita Plato in Protagora; οὐδὲ μετὰ λόγου ἐπιχειρῶν κολάζειν, οὐ τοῦ παρεληλυθότος ἕνεκα ἀδικήματος τιμωρεῖται, (οὐ γὰρ ἂν τό γε πραχθὲν ἀγένητον θείη) ἀλλὰ τοῦ μέλλοντος χάριν, ἵνα μὴ αὖθις ἀδικήσῃ μήτε αὐτὸς οὗτος, μήτε ἄλλος ὁ τοῦτον ἰδὼν κολασθέντα. *Qui ratione punire aggreditur, non præteriti sceleris causâ punit, (quod enim factum est, infectum reddere nequit) sed futurum respicit, ne iterum aut ipse, aut quisquam alius exemplo pœnæ ejus deterritus peccet.* Et ex eo Seneca: *Nemo prudens punit quia peccatum est, sed ne peccetur. Revocari enim præterita non possunt; futura prohibentur. lib.* 1. *de Ira, cap. ult.* Item, *In injuriis vindicandis hæc tria lex secuta est, quæ Princeps quoque sequi debet; aut ut eum quem punit, emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut ut sublatis malis, securiores cæteri vivant. de Clement. lib.* 1. *cap.* 22. Quod A. Gellius aliquanto fusius explicat *Noct. Attic. lib.* 6. *cap.* 14. *Pœniendis peccatis tres esse debere causas existimatum est. Una est quæ* νουθεσία, *vel* κόλασις, *vel* παραίνεσις *dicitur; quum pœna adhibetur castigandi atque emendandi gratia, ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat correctiorque. altera est quam ii, qui vocabula ista curiosius diviserunt,* τιμωρίαν *appellant. Ea causa animadvertendi est, cum dignitas auctoritasque ejus, in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemtum ejus pariat, & honorem levet; idcircoque id ei vocabulum à conservatione honoris factum putant. tertia ratio vindicandi est, quæ* παράδειγμα *à Græcis nominatur, quum pœnitio propter exemplum est necessaria; ut cæteri similibus à peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. idcirco veteres quoque nostri exempla pro maximis gravissimisque pœnis dicebant. Quando igitur aut spes magna est, ut is qui peccavit, citra pœnam ipse sese ultro corrigat, aut spes contra nulla est emendari eum posse & corrigi; aut jacturam dignitatis in quam peccatum est, metui non necessum est; aut non id peccatum est, cujus exemplo necessario metu succurrendum sit; tum, quicquid ita delictum est, non sane dignum esse imponendæ pœnæ studium visum est.* Jam ut hæc, quæ adeo manifestæ sunt veritatis ut ratio ipsa dictasse ea videatur, ad propositum applicem; Si nulli ex his finibus hæreticorum pœnæ conveniant, sequitur male adversus eos ipsas usurpari. Atqui certum est eas neque ad hæreticos ipsos revocandum ab errore, neque ad impediendum ne alii in eundem errorem incidant, esse idoneas. De capitalibus id est probatu facile. Ejusmodi enim pœnæ illos quibus infliguntur non emendant, utpote quæ una cum vita omnem pariter tam bene quam male de fide sentiendi facultatem eripiunt. Nec est quod speres eos, saltem cum mortem ob pravas suas opiniones sibi adeundam videbunt, ad saniorem mentem redituros. Quomodo enim istud posset iis contingere, qui putant se tanquam Dei Christique martyres pro divina veritate pati, & eos à quibus occiduntur in pernicioso errore versari? Alios quidem sceleratos, cum ad supplicium rapiuntur, audies sæpe crimina sua detestari, & sicut ille latro cum Christo crucifixus dicere, Digna factis recipimus. Hæretici contra, de hæresi sua tanquam de invento thesauro, aut quasi de præclaro aliquo facinore gloriantur. Indeque fit ut priores pœnitentia scelerum ducti, ad Dei misericordiam confugiant, & veniam suppliciter orent: hi vero quamvis se miseros peccatores agnoscant, hæresin tamen sibi à Deo condonari non petant; sed contra, se tum demum gratiam apud ipsum certo inventuros putent, si in ejus defensione constanter ad extremum usque vitæ habitum perseverent. Quare non desperamus de salute grassatorum & sicariorum, in quibus cum ducuntur ad supplicium resipiscentiæ signa deprehendimus; sed hæreticorum qui ab opinione abduci non potuerunt deplorata salus vulgo creditur. Quod si pari modo res se habeat apud Deum, & hæresis quam sectantur eos revera cœlo excludat & in tartarum præcipitet; quanta, quæso, est crudelitas miseros istos homines, quos ignis æterni pœna certo manet, festinato supplicio vita temporali & æterna simul privare? fingi-ne quidnam potest inhumanius, aut à Christiana mansuetudine & charitate alienius?

III. Sed, inquies, crudele non est unum aut alterum incorrigibilem & perditum nebulonem exemplum statuere, ut ii quos ratio forsan

in

in officio non contineret, saltem pœnæ metu à flagitio deterreantur. Ita enim paucorum aliquot damnum, plurimorum fit remedium: & quod inhumanum esse videtur, si in se inspicias, tale revera non esse constat quando utilitate publica rependitur. Fateor. Hic est alter finis cur supplicia de facinorosis sumi leges decernant. De quo *Quintilian. declamat.* 274. *Quoties noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu possint. Omnis enim pœna, non tam ad delictum pertinet quam ad exemplum.* Sed nego istud causæ hæreseos recte applicari. Exempla enim pœnarum ad institutionem aliorum nihil valent, nisi prius liquido de crimine in quod decretæ sunt constiterit. Quare si suspicio sit adversus innocentes sævitum fuisse, tantum abest ut id aliquam publico utilitatem afferat, ut contra nihil queat esse perniciosius. Primum enim nascitur inde commiseratio & favor erga eos qui putantur injusta passi; indignatio vero & odium adversus judices & reipublicæ rectores. Deinde, ut curiosum est hominum genus, inquiritur in dogmata quæ supplicium commeruisse visa fuerint; & ita in vulgus dimanant quæ præstitisset ipsum ignorare. Quod si præterea magna cum alacritate mortem illi subierint, & protestati sint se pro Christo & ejus veritate pati, Martyres esse existimantur, quorum vestigia omnes pios sequi oporteat. Doctrinam enim illam proculdubio esse sanctissimam & præstantissimam, pro cujus confessione tot se malis exponere non dubitarint. Ita accidit contra persecutorum mentem, ut hæresis non opprimatur, sed contra ad longe plures propagetur, quam si non tam acerbe in eam inquisitum fuisset. Quod nonnulli animadvertentes, huic incommodo alia obviam eundum ratione censuerunt, nimirum lupato hæreticorum qui ad mortem ducebantur ori indito, aut lingua abscissa, vel ferro candente adusta, impedientes ne ad populum verba facerent. Sed cum barbarus hic procedendi modus bonis omnibus summopere displiceret, & curiositatem hominum magis accenderet, ad cognoscendum quænam illa esset doctrina quam tanta cura Judices opprimere studebant, aliud consilium à sapientibus quibusdam, ut sibi videbatur, Politicis est suggestum, videlicet ut hæretici occultis suppliciis noctu in carcere è medio tollerentur. Ita J. Lipsius libro de una Religione adversus Cornhertium: *Arcanum aliquid audi, mors* (qua afficiuntur hæretici) *sit arcana. Reliqua scelera cum castigamus, ostendi expedit; hoc flagitium occuli & tegi. Causa in promptu, ut miserationem detrahas & minuas sermones.* At, mi Lipsi, cur tantopere sollicitus es de miseratione detrahenda, si hæretici in quos ferale istud, *Ure, seca,* usurpari suades, totius populi odium sunt promeriti? Cur de minuendis sermonibus, si nihil nisi probrosum de iis dici queat? Nam si constaret hæresin esse verum crimen morte dignum, hæc incommoda in hæreticorum suppliciis non magis deberent metui, quam ubi de aliis facinorosis agitur; quorum misericordia etsi tangantur qui sunt paulo humaniores, imo interdum crimina elevent aut excusent, id tamen non impedit quominus publice in omnium exemplum puniantur. Cum ergo hic unus sit è præcipuis finibus propter quos pœnæ scelerum capitales sunt institutæ, ut alios à peccando deterreant, manifestum est hæreticorum esse injustissimas, quæ, fatentibus earum auctoribus, ad illum finem obtinendum non solum nihil omnino prosunt, sed etiam contrarium effectum producunt.

IV. Dicent ad alium esse utiles, nempe ut mundum repurgent à pestiferis hominibus quorum conversatio cæteris omnibus exitiosa esse potest. Resp. 1. Duos istos fines ita arcte inter se conjunctos esse, ut qui unum eorum repudiat, alterum non debeat admittere. Cujus rei exemplum est malum, ejus praxis nequit esse bona. Quare ut recte argumentabitur qui dicet, Alea & comessationes aliis exemplo nocent; Ergo non sunt usu salutares: Sic etiam qui inferet, Supplicia hæreticorum exempli sunt perniciosi; Ergo perniciosum est quoque de illis supplicium sumere. 2. Quod prætenditur, hæreticorum conversationem cæteris hominibus esse perniciosam, etiamsi verum esset, non tamen sufficeret ut juste de medio tolli possent; quia contra ipsorum mentem illud accideret. Scopus enim ad quem collimant est eos quibuscum versantur in veritate salutari instituere. Ergo non protinus mererentur mortem, quamvis per ignorantiam & infirmitatem, à qua nemo mortalium est immunis, à scopo aliquantum aberrarent. Alias etiam Medici morte forent digni, qui, volentes sanare ægrum, pharmacum ei propinant ex quo deterius se habet, aut ad plures abit. Cui accidit, quod hæretici nonnisi volentibus nocent, quibus liberum est doctrinam eorum mature examinare, & ab ea amplectenda sibi cavere si perniciosam vel etiam dubiam esse deprehenderint.

V. Sed nunquid licet in hæreticos leviores pœnas decernere, quæ usque ad sanguinis effusionem non procedant, quales sunt fustigatio, carcer, mulctæ pecuniariæ, exilium, & similes? Resp. Videri quidem in iis minus esse crudelitatis, ideoque tantum vulgo horrorem non incutere, aut odium in persecutores accendere. Iniquas tamen esse inde evincitur, quod ad tres supra memoratos pœnarum fines non magis inserviant quam capitales. Primo corporis pœnas hæreticis ad errorum suorum emendationem non prodesse, ex natura rei patet. Nihil enim affine habet dolor corpori illatus, cum morbo animi, qualis est omnis hæresis, ut eum sanare queat. Dicitur quidem *vexatio intellectum*

 dare

dare auditui, *Esa.* XXVIII. 19. Sed id tunc solum usu venit, cum afflictiones, quibus Deus aliquem ob peccata castigavit, mentem ei aperiunt ad cognoscendum stultitiam, quod virtutis tramite relicto vitiis se applicuerit. Alia est ratio hæresium, quæ in aberratione à vero Scripturæ sensu consistunt. Nulla corporis vexatio dat intellectum auditui, ad earum falsitatem agnoscendam. Metu quidem illius interdum adiguntur infirmiores ad simulandum: sed nisi aliud accedat, frustra speratur ipsos unquam ad saniorem mentem redituros. Institutione hic opus est placida, & ab animo benevolo profecta, non plagis aut verberibus; quæ tantum abest ut alicujus sint efficaciæ ad revocandum ab errore hæreticum, ut contra eum potius irritent, & à veritate & ejus doctoribus alieniorem reddant. Principue autem abstinere oportet à pœnis quæ infamiam afferunt, si quem ad meliorem frugem revocare tibi proposueris. Sicut enim is, cujus vestes cœno jam totæ sunt conspurcatæ, cœnum vitare non amplius curat; ita cujus honori magna labes est aspersa, non retinetur postea infamiæ metu quominus cupiditati obsequatur, & in omne flagitii genus ruat. Quod Seneca etiam monet, dicens; *Ipsos* (qui in te peccarunt) *facilius emendabis minore pœna. Diligentius enim vivit, cui aliquid integri superest. Nemo dignitati perditæ parcit. Impunitatis genus est, jam non habere pœnæ locum. de Clement. lib.* 1. *cap.* 22. In quo imprudenter admodum se gerit inquisitio Hispanica, quæ hæreticos, quibus vitam non eripit, pileo infami, quem Sanbenito vocant, capiti imposito publice in catasta traducit, ut apud omnes male audiant. Cui non absimile est id quod dicitur nuper observatum in Anglia (in fine anni 1656) adversus quemdam Enthousiastam Jacobum Naylor, qui se pro Messia venditabat. Sic enim illorum resipiscentia, quando vere sunt hæretici, impeditur aut retardatur quam maxime. De finibus pœnarum alios respicientibus non est opus quicquam addere ad ea quæ jam à nobis de capitalibus dicta fuerunt. Evidens enim est illas quæ sanguini parcunt, non esse iis efficaciores quæ ipsum effundunt, vel ad cæteros meliores reddendos, vel ad procurandam iis securiorem vitam. Cum igitur illæ non recte usurpentur adversus hæreticos, sequitur etiam neque istas tolerabiliores esse.

VI. Tertio: Æqui & prudentis Magistratus officium est, manus suas à pœnis infligendis continere in illis casibus & causis, unde prospicit majus periculum probis viris quam improbis imminere. Dei enim minister est, & gladium gestat non ut sit terrori bonis operibus, sed malis solum, *Rom.* XIII. adeo ut potestate sibi à Deo data turpius abuti nequeat, quam si improbis arbitrio suo vivere permissis, probos vexet, & legum pœnalium mucronem, qui sceleratis coërcendis inservire debet, in viros honestos vitæque inculpatæ stringat. Nec excusabilis est, quod inscius & præter mentem id faciat. Obligatus enim est ex officii, quod gerit, debito in meritum causæ, propter quam alium punit, quam diligentissime fieri potest inquirere. Si perplexam & dubiam invenerit, cogitare debet fori humani non esse de omnibus peccatis sententiam ferre; quædam judicio Dei relinquenda; & memoria sæpe recolere vulgatum illud apud Jurisconsultos, Præstare decem nocentes impunitos dimittere, quam unum innocentem condemnare. Ex pœnis autem quæ in hæreticos decernuntur, majus periculum creari piis & honestis viris, quam improbis, tribus rationibus confirmari potest. 1. Quia illi soli pœnam incurrunt qui maxime Deum timent, & adversus conscientiæ dictamen sententiam, quam sibi veram esse persuaserunt, abnegare nolunt. Improbi vero, qui conscientiam susque deque habentes, non verentur opinioni quam veram esse credunt anathema dicere, pœnam evadunt. Quamvis enim forte doctrinæ alicui quæ hæretica esse judicatur adhæserint, non poterunt tamen tanquam hæretici pertinaces & in errore obstinati condemnari, cum statim atque admoniti fuerunt, ei metu periculi renuncient. 2. Quia verbi Dei Ministri & Theologiæ Professores, qui muneris sibi à Deo demandati rationem habentes, S. Scripturæ lectioni diligenter incumbunt, & verum ejus sensum quanto possunt studio investigant, accusationi hæreseos magis quam cæteri sunt obnoxii. Cum enim crassos & perniciosos errores sibi videantur deprehendere in vulgatis Interpretum & Theologorum opinionibus, quibus conscientia vetat ne acquiescant, inde fit ut pro hæreticis reputentur. Contra vero qui Scripturæ S. lectionem negligunt, aut eam perfunctorie tantum tractant, vel tanquam stupida pecora antecedentium gregem sequuntur, parum pensi habentes utrum bene an male ejus sensum percipiant, illi nunquam in periculo versantur ne hæretici audiant. 3. Quia præteritorum temporum historia docet, longe plures bonos & pios sub hæreseos aut blasphemiæ prætextu persecutionem esse passos, quam malos & impios. Id nunc agnoscunt omnes de primis Christianis, quos Judæi atque Ethnici propter fidem in Christum morti tradiderunt. Et Protestantes quotidie audimus conqueri de crudelissimis persecutionibus, quas Pontificii in suæ sententiæ addictos intentarunt, aut adhuc quibusdam in locis intentant. Paucissimi vero inveniuntur, quos Reformati dicere audeant merito ob hæreses suas punitos fuisse. Ecclesia enim Christi olim semper abhorruit ab hac crudeli, in causa fidei, agendi ratione; adeo ut etiam maxime impios hæreticos maluerit impunitos dimitti, quam manus suas illorum sanguine maculare. Quod Sulpitius Severus, de

Priscil-

Priscilliani & Sectatorum ejus supplicio loquens testatur: *Hoc fere modo, homines luce indignissimi, pessimo exemplo necati, aut exiliis multati. Histor. sacra lib. 2. sub finem.*

VII. Quarto; Qui naturam religionis, præcipue Christianæ, quæ tota spiritualis est, bene perspectam habuerit, facile animadvertet vim aut coactionem non esse idoneum ad eam propagandam medium. Nec enim equulei, aut fidiculæ, nec gladii, nec cruces, nec rotæ, nec ignes, quibus corpora cruciantur, quicquam in animos valent. Ista quidem efficiunt interdum ut aliquis infirmior, qui tormenta ista ferre nequit, simulet se id credere quod non credit, aut dissimulet se id credere quod credit. Sed veram fidem in corde nunquam plantabunt, nec errorem ibi latentem eradicabunt. Aliam plane viam inire oportet eum qui in isto negotio aliquid promovere velit. Rationes sunt adhibendæ ad persuadendum religionem, non tortores aut carnifices. *Ingenia nostra, ut nobiles & generosi equi, melius facili fræno reguntur: Senec. de Clem. lib.* 1. Religio, non est amplius vera & Deo accepta religio, si ejus professio pœnarum aut suppliciorum minis fuerit extorta. Id enim in quo præcipua religionis dignitas & excellentia consistit, nimirum ut sit voluntaria, inde abest. Veri & genuini Messiæ subditi hoc commendantur elogio, quod sint populus spontaneus, *Psal.* cx. 3. Quod ipse Dominus Jesus facto suo ostendit. Cum enim multi discipulorum, offensi ejus doctrina, abiissent retro, & jam cum illo non ambularent, duodecim suis Apostolis optionem istos imitandi ultro fecit, inquiens, *Numquid & vos vultis abire? Joan.* vi. 66. Quasi diceret; Ego vos invitos in mea disciplina non retineo: liberum vobis relinquo quemcunque alium volueritis magistrum & præceptorem consectari. Videant ergo Principes & Magistratus, qui zelum gloriæ Dei à se postulare existimant, ut coactionem in causa fidei usurpent, quid tali via sint profecturi. Nimirum multos hypocritas efficient, qui metu pœnæ religionem, à qua corde adhorrent, simulabunt. Facilis autem est ab hypocrisi in Epicureismum, seu omnis religionis & cultus divini contemtum, lapsus. Qui enim religionem quam probat non audet profiteri, & ad illius quam improbat professionem adigitur, fastidio religionis solet capi, & sic omnem ejus curam paulatim ex animo suo abjicere. Ejusmodi autem hominibus nihil est in Republica & Ecclesia perniciosius. In Republica quidem, quia qui semel religionis frænum ex animo excussit, nihil amplius habet quo in officio contineatur, aut ne turbas cieat, occasione data, impediatur. In Ecclesia vero, quia veneni sui contagione eorum cum quibus versantur mores inficiunt; adeo ut longe satius sit ipsos inde eliminare, quam vi aut minis ad intrandum compellere. Etiamsi ergo religio, quam ista ratione propagare student, verissima foret, longissime tamen à scopo sibi proposito aberrarent. Pios enim aut probos non redderent illos quos metu ad eam simulandum inducerent; sed potius impios & improbos, compellendo contra conscientiæ dictamen agere. Si enim omne quod non est ex fide, (id est, quod fit hæsitante conscientia, an sit licitum nec-ne) peccatum est, *Rom.* xiv. 23. quanto magis id quod fit repugnante conscientia, & illicitum esse diserte judicante? Quomodo autem is qui alios ad peccandum impellit, immunis à culpa esse posset?

VIII. Atqui, inquiunt, contingit interdum ut qui metu adacti veram religionem simulate amplexi fuerunt, postea ei serio & ex animo adhæreant, & sic coactio ista fiat ipsis salutaris. *Resp.* 1. Fac ita aliquando evenire; non ideo tale consilium probaverim. Non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona, *Rom.* iii. *v.* 8. Malam autem esse omnem in causa fidei coactionem modo evici. 2. Istud admodum est anceps atque incertum. Non oportet autem sub dubia boni eventus spe id facere quod scias indubie esse malum. 3. Longe sæpius accidit contrarium, nempe ut qui ad periculum capiti imminens effugiendum religionem aliquam hypocritice simularunt, postea non solum illam quæ nunquam ipsis placuit, sed etiam omnem aliam flocci faciant, & in corde suo derideant. Quis autem pius & religiosus Princeps vel Magistratus non exhorresceret ad ejusmodi impietatem vel minimum quid conferre? Quod si adeo malum & periculi plenum sit etiam ad veram religionem cogere, quanto magis ad falsam? Id docet horrendum Dei judicium in Jeroboamum & universam ejus domum, quæ totali internecione deleta fuit, quod erigendo vitulos in Dan & Bethel, non solum ipse peccasset, sed etiam peccare fecisset Israëlem, 1 *Reg.* xiv. Quod frequenter exprobratum legimus aliis quoque Israëlitarum regibus qui Jeroboami vestigia presserunt, & allatum tanquam causam cur plerique omnes in suæ ætatis flore misere perierint. Ut sint in exemplum cunctis Regibus & Magistratibus qui tale aliquid attentare præsumpserint; & terrorem iis incutiant; inde discentes, se ultrices Dei manus non evasuros, si imperium in conscientias subditorum, quod sibi soli reservatum voluit, usurpaverint. Nec dubium quin, præter alia multa peccata, hoc etiam speciatim oppressarum conscientiarum, iram Dei accenderit in Imperatores Romanos, qui olim Ecclesiam Christianam persecuti sunt, sicut & in illos qui postremis hisce temporibus se ejus reformationi opposuerunt. Quod historias tam veteres quam recentes cum judicio & attentione evolventi facile apparebit.

IX. Sed hic excipientes aliquos audio; Nihil tale esse metuendum à Principibus & Magistratibus qui non tantum sunt Christiani, sed

etiam nomine Euangelicorum, Reformatorum, vel aliquo ejusmodi gloriantur. Eos enim veritatem quam profitentur nunquam oppressuros, aut mendacio patrocinium suum commodaturos. Ita est, inquam, si omnes vere tales essent, quales se jactant. Sed quid si Reformatio cui favent sit adhuc valde manca & imperfecta, & totis viribus obsistant ne defectus ejus emendentur; amice de iis monentes mulctis pecuniariis exhauriant, in exilium pellant, incarcerent, aut etiam interficiant, an immunes erunt à peccato? Vellem eos non oscitanter ad istam Jesu Christi prædictionem attendere, *Venit hora ut quisquis trucidabit vos, existimet cultum se præstare Deo*, *Joh.* XVI. 2. Ea proprie & proxime quidem respicit persecutiones olim à Judæis in Apostolos & Christi discipulos excitatas. Sed nihil prohibet, quin hodie quoque simile aliquid contingat inter Christianos. Imo non semel jam contigisse Euangelici conqueruntur, cum Principes Romano-Catholici, antiquæ religionis propugnandæ studio abrepti, eos qui Ecclesiam reformare volebant ferro & igne sunt persecuti. Sicut Judæi antiquus Dei populus, zelum quidem Dei habentes, sed non secundum scientiam, machinabantur exitium Apostolis qui Euangelii lumen ipsis præferebant; ita potest fieri ut qui se perfecte doctrinam Christi cognovisse putant, oderint atque infestent eos, qui residuas in ipsorum cordibus ignorantiæ tenebras majore luce accensa discutere cupiunt. Id omnes qui suæ infirmitatis sibi sunt conscii cavere summo studio debent, apud se dicentes, Quod aliis multis, quantumvis doctis & prudentibus viris, accidit, ut in judicio fallerentur, & mendacium pro veritate inscientes amplecterentur, idem nobis quoque contingere potest: homines sumus, nihil humani à nobis alienum putare debemus. Sic ad damnatoriam in religionis causa sententiam pronunciandum non properabunt, veriti ne per ignorantiam peccent, & aliquid admittant cujus ipsos postea pœniteat. Cogitabuntque se ab omni persecutione sibi religiose temperando, nunquam manus suas innocentium sanguine maculaturos; sed fieri posse ut præ immodico impios & hæreticos exterminandi zelo, Christum ipsum, quemadmodum Saulus olim, in membris suis persequantur, vinciant & trucident. Ideo Gamaliel, deterrere volens Judæorum Senatores ab Apostolis morti tradendis, recte monebat, *Cavete ne forte etiam cum Deo pugnare inveniamini*, *Act.* V. v. 39. Quasi diceret, Animadverto vos istos homines pro impostoribus habere, & officii vestri esse putare eos quamprimum è medio tollere, ne alios seducant, & rempublicam turbent. Sed fieri potest ut erretis in opinione vestra, & non sint quales putatis, sed potius Dei legati, quos impugnando bellum Deo infertis, & vobis ipsis exitium accersitis. Itaque auctor vobis sum ut illæsos dimittatis, ne pœna quam in eos decernetis, in caput vestrum recidat. Falluntur que vehementer, qui aiunt consilium Gamalielis ex sola prudentia humana fuisse profectum, & temere à Magistratu Christiano in imitationem trahi non debere. Erat enim vere divinum, utpote doctrinæ Christi consentaneum, qui prohibet servis suis ne avellant zizania, quæ una cum tritico creverunt, *Ne forte colligentes zizania, eradicent simul cum eis & triticum*, *Matth.* XIII. Longeque tutius est illud in re simili, id est, ambigua, sequi, quam audire eos qui hortantur ad hæreticos exterminandum, ne doctrinam veritatis corrumpant, religionemque pessumdent. *Non est enim ista sapientia superne descendens, sed terrena, animalis, dæmoniaca*; (si Jacobi verba in materia affini usurpare mihi liceat.) *Quæ enim superne est sapientia, primum quidem pura est, deinde pacifica, moderata, tractabilis, plena misericordiæ & fructuum bonorum*, *Jac.* III. Eandem quippe viam insistunt cum Oza, qui manum extendit ut arcam Domini sustentaret, quam nulli mortalium nisi Sacerdotibus solis attingere licebat. Quare iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate; qui mortuus est ibi juxta arcam Dei, 2 *Sam.* VI. & 1 *Paral.* XIII. In exemplum iis, qui putantes de religione actum fore, nisi eam bracchii carnalis vi defendant, ad illicita & Deo improbata consilia, persecutiones videlicet, recurrere non verentur. Qui etiam meminisse deberent, quomodo Dominus Jesus intempestivum duorum è suis discipulis zelum corripuerit, qui optabant ut ignis de cœlo descenderet & Samaritanos consumeret, quod recusarent ipsum hospitio excipere. *Nescitis*, inquit, *cujus spiritus sitis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*, *Luc.* IX. 55. Quasi dixisset, Cum deletos optatis Samaritanos mei contemtores & inimicos, existimatis vos eodem spiritu seu zelo gloriæ Dei agi cum Elia, qui ignem in quinquagenarios Ochosiæ ad ipsum comprehendendum missos, de cœlo elicuit. Sed fallimini opinione vestra; affectus qui vos impellit est plane alius, nempe carnalis; ardetis toti vindictæ cupiditate adversus istos homines barbaros & inhospitales. Id non convenit meis discipulis & imitatoribus. Non enim veni in mundum ut mei osores & inimicos exterminarem, sed ut servarem, & animam meam ad redimendum eos à perditione æterna impenderem. Componite vos igitur ad meum exemplum, & amentium istorum misereremini, qui superstitione sua excæcati à me abhorrent, & salutem quam ipsis allaturus eram inscii repudiant.

X. Quinto denique ad hanc praxin iniquitatis arguendum, vel id solum potest sufficere, quod nullis idoneis rationibus fulciatur. Cum enim sit res maximi admodum momenti, & in

qua

qua lapsus æque facilis est ac periculosus, aliquem ob errores in religione capite vel alia quacunque corporali pœna mulctare; nemo justi & veri amans in eam debet consentire, nisi prius evidentissimis & luce meridiana clarioribus argumentis probatum fuerit, non tantum illam esse licitam, sed etiam plane necessariam, adeo ut absque gravi Dei offensa & reipublicæ pernicie nequeat intermitti. Talia autem hactenus nulla sunt allata, ut ex illorum quibus vulgo defendi solet examine mox patebit. *Primo* igitur pugnatur locis *Deuter.* XIII. *toto.* XVII. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Exod.* XXII. 20. *Levit.* XXIV. 10. *& seqq.* quæ supra ex lege Mosaica attulimus; ubi Deus præcipit ut pseudoprophetæ, idololatræ, & blasphemi de medio tollantur. Ad quæ nolo respondere, quod alioqui jure possem, legem istam politicam de scelerum pœnis alios non obligasse quam Israëlitas, & Magistratus Christianos non teneri hodie illam in ditionibus suis observare. Oporteret enim me ad istud probandum nimis longam ingredi disputationem. Verbo tantum dicam, celeberrimos quosque Theologos id agnoscere. Ex. gr. Calvinus, qui dicit, *singulis gentibus relictam esse libertatem condendi leges quas sibi conducere providerint, quæ tamen ad perpetuam charitatis regulam exigantur. Instit. lib. 4. cap. 20. sect.* 5. Sed præcipue vide *sect.* 16. *Quod jactatur à quibusdam fieri contumeliam legi Dei per Mosem latæ, cum abrogata illa novæ aliæ proferuntur, vanissimum est*, &c. Similiter *Musculus in locis commun. tit. de Magistrat. Mea sententia est, ad leges judiciales Mosaicas neminem Magistratum obligari:* Sic *Aret. Probl. Leges ceremoniales & forenses abrogatæ sunt, quia pertinebant ad Rempubl. Mosaicam proprie. Itaque simpliciter abrogatæ sunt, ut nec obedientiam his legibus debeamus præstare.* Et inter Pontificios *Bellarminus: Est autem*, inquit, *hoc loco breviter annotandum, legem Mosis, quoad præcepta ceremonialia & judicialia simpliciter abrogatam esse: quoad moralia præcepta, & doctrinam fidei, mutatam esse, non abrogatione, sed profectu. de Iustif. lib. 1. cap. 4.* Denique vide *Wilhel. Zepperum* copiose de hoc argumento tractantem, in explicatione legum forensium, *lib. 1. cap.* 2. 3. 4. 5. Et Magistratus Christiani hodie ubique locorum satis ostendunt se in eadem quoque esse sententia, cum fures morte afficiunt, quos lex Mosis tantum damnat ad dupli aut quadrupli restitutionem; contra, adulteros impunitos dimittunt, quos illa jubet interimi. Adeo ut legis divinæ reverentia, qua se moveri dicant ad persequendos ferro & igne hæreticos, nihil aliud sit quam affectuum velamen & larva, quam pro libitu modo assumunt, modo deponunt.

XI. Sed fac nos adhuc sub illa lege vivere, nihil tamen promoveris. Ibi enim ne γρὺ quidem de hæreticis legitur, sed tantum de pseudoprophetis, & idololatris, qui à vero Deo ad Ethnicorum idola deficiunt; ut apparet ex istis verbis, *Quia locutus est ut vos averteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo servitutis, Deuter. cap.* XIII. *v.* 5. *Eamus & serviamus Diis alienis cunctarum in circuitu gentium*, &c. ibid *v.* 7. Item, de eo qui immolaverit Diis alienis, *Exod.* XXII. 20. qui locutus fuerit in nomine Deorum alienorum, *Deuter.* XVIII. 20. aut qui falso promiserit signum in nomine Dei & quasi ab ipso missus, quod non evenerit. *Ibid.* Nihil autem istorum quodrat in hæreticos, qui hoc sæculo aut præcedente interfecti sunt inter Christianos sub hæreseos prætextu. Omnes enim agnoverunt Deum Israëlis pro vero Deo; nullus suasit defectionem ab eo ad Gentilium idola; nullus sacrificium falsis istis numinibus obtulit; nullus jactavit se miraculum aliquod facturum in ejus nomine, quod spem fefellerit. Et non licet pœnales leges ultra eos quos directe feriunt extendere. Nam si detur consequentiis, præsertim remotioribus & obscurioribus, locus, prætextum sæpe habebunt inclementiores judices adversus innocentes, aut minus noxios sæviendi. Ideo Mosaïcæ istæ non possunt recte applicari apostatis illis qui à Christiana religione ad Judaïsmum aut ad Mahometismum deficiunt. Utraque enim hæc religio, unum Deum cœli & terræ creatorem agnoscit, qui Israëlitas olim ex Ægypto eduxit. Utraque à cultu Deorum gentilium abhorret. Nec magis perverti potest lex Mosaïca, quam si torqueatur in eos, qui ipsi soli adhærere volunt Christianismo repudiato. Quod minori longe cum specie fit hodie à nonnullis Christianis, quam olim à Judæis factitatum in Christianos. Judæi enim verba legis saltem pro se habebant, etsi non sensum. Christianis vero tum verba, tum sensus ipse adversatur. Et vidimus antea, quomodo Christus discipulis suis liberum fecerit à se abire si vellent. Etsi enim id facturi essent cum jactura salutis æternæ, nullum tamen propterea damnum temporale incurrissent, *Joh.* VI. *v.* 66. &c.

XII. Imo eo tempore quo respublica Israëlis vigebat, applicatæ non sunt leges illæ de idololatris adversus omnes qui idololatriæ lege damnatæ aliquo modo erant participes; sed tantum contra eos quos disertis verbis jubebat interimi. Nullum est dubium quin Danitæ graviter admodum peccaverint, qui sculptile Michæ ereptum tanquam Dei imaginem coluerunt, & Sacerdotes sibi peculiares constituerunt per quos cultus ille exerceretur, ut legere est *Judic.* XVII. & XVIII. Istud enim erat adversus expressum Decalogi mandatum, *Non facies tibi sculptile*, &c. Quia tamen intendebant per tale idolum colere Deum qui se eduxerat ex Ægypto, non reputati fuerunt inter apostatas, qui dicebant, *Eamus & serviamus diis alienis*, &c. Nec reliquæ tribus conspirarunt adversus eos, ut idololatriam istam de medio sui exterminarent,

rent, quemadmodum præcipit lex de apostatis & iis qui colebant numina gentilium. Verum quidem est, tunc temporis omnia fuisse valde perturbata inter Israëlitas. Dicitur enim, *In diebus illis non erat rex in Israël, sed unusquisque quod rectum videbatur hoc faciebat*, *Judic.* XVII. 6. Sed erat tamen Senatus magnus ex LXX judicibus constans, per quem administrabatur respublica. Et istud non duravit solum ad exiguum tempus: sed idolum Michæ mansit apud Danitas omni tempore quo domus Dei fuit in Silo, & Jonathan filius Gersom, filii Mosis, Sacerdotio apud eos fungebatur, *Jud.* XVIII. 30. 31. Nempe per 300 annos aut circiter, incipiendo 20 aut 30 annis à morte Josuæ, & pergendo usque ad tempus Samuelis, sub quo verisimiliter creditur idolum istud fuisse sublatum. Captivitas enim de qua ibi mentio fit, est quæ contigit sub Heli summo Sacerdote, cum arca Domini de Silo in castra Israëlitarum allata, & à Philistæis cum magna Israëlitarum strage capta fuit, ut narratur 1 *Samuel.* IV. Interea autem fuerunt aliquot pii Judices à Deo immediate suscitati, qui non sivissent scelus istud inultum si credidissent officii sui esse id armorum vi ulcisci. Nec defuissent sibi reliqui Israëlitæ, qui istius sceleris non erant participes, non magis quam in vindicanda injuria à Benjamitis quibusdam Levitæ uxori illata, de quo *Jud.* XIX. 20. 21. aut in proposito puniendi defectionem à Deo quam putabant meditatos Rubenitas, Gaditas & mediam tribum Manasse, quorum hæreditas erat trans Jordanem, quia erexerant sibi altare in ripa Jordanis, præter illud quod erat in tabernaculo, ut videre est *Josua.* XXII. & videtur contigisse circa ultimos annos regiminis Josuæ, non diu ante historiam Michæ de qua agimus. Danitarum facto non absimile fuit id quod Jeroboam postea molitus est, erectis duobus vitulis, uno in Dan, altero in Bethel, ut in iis Israëlitæ colerent Deum; quod erat etiam adversus expressam legem. Sed tamen Deus prohibuit à Judæis, qui in fœdere suo perstabant, bello in Israëlitas suscepto vindicari; *Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israël*, &c. 1 *Reg.* XII. 24. Hic objiciet aliquis, nonne obligati erant Israëlitæ ad Micham & Danitas delendos, qui in imagine Deum colebant, cum peccatum non esset minus grave quam id quod majores commiserant in deserto circa vitulum aureum; quod Deus tam graviter punivit, & cujus causa minitabatur toti isti populo excidium, nisi Mosis precibus placatus fuisset? *Exod.* XXXII. Ita est. Sed non quicquid Deus facit in punitione peccatorum, licet hominibus imitari, nisi legem expressam & perpetuam ista de re tulerit. Quæ hic nulla est. Id quod argumento ex opposita peccati remissione desumto colligi potest. Non licebat populo, nec Magistratibus, condonare idololatris, aut homicidis, quos lex interfici jubebat. Sed Deus tamen interdum eos in gratiam recipiebat. Sic potuit etiam Deus eos qui se imagine aliqua repræsentabant exterminare. Sed idem non licuit Magistratibus, qui nullam ea de re legem habebant. Ratio hujus discriminis est manifesta; quia homines errare potuissent in applicatione legis, quod de Deo ne quidem suspicari fas est. Cæterum Judæi nunquam applicarunt hæreticis, id quod lex decrevit adversus apostatas & idololatras. Ut videre est in exemplo Sadducæorum, qui dicebant *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum*, *Act.* XXIII. 8. Neque tamen propter istos errores, qui erant fœdissimi, unquam vocati in jus fuerunt, aut pœna affecti. Nempe quia legem pro divina agnoscebant, etiamsi sensum ejus non caperent aut etiam fœde pervertercnt.

XIII. Sed nunquid Magistratus Christianus debet quiescere cum videt ejusmodi idola in regione sua ad colendum publice erecta, & unumquemque vivere arbitratu suo permittere? Resp. Nequaquam. Nullam quidem subditorum conscientiis vim inferre ipsi est licitum, in quas non accepit à Deo imperium. Sed tamen potestatem habet abolendi idola; & qui ea colunt, non possunt conqueri de vi conscientiis suis illata, quia non credunt sibi illa esse necessaria, quasi absque iis Deus recte coli nequiret. Eo usque nondum à veritate deviarunt, ut id statuant. Magistratus ergo recte & laudabiliter facient, si imagines Dei, Virginis Mariæ, & alias circa quas per superstitionem graviter peccatur à Christianis, ex omnibus publicis locis auferant & aboleant. Majore id jure facere queunt quam Ezechias, qui contrivit serpentem, quem fecerat Moses, quia ad illud usque tempus filii Israël adolebant ei incensum, 2 *Reg.* XVIII. 4. Serpens enim ille æneus erat figura Christi in cruce pendentis, & erectus fuerat Dei jussu in deserto, ut qui demorsi fuerant à serpentibus ardentibus, in ipsum intuentes sanarentur. Sed tantum abest ut afferri aliquod mandatum queat ejusmodi imaginum fingendarum, ut contra generali interdicto de ullis ad cultum fabricandis imaginibus, nullus qui attendere volet prohibitas esse ignorare possit. Similiter Josias contrivit statuas, & succidit lucos; replevitque loca eorum ossibus mortuorum, &c. 2 *Reg.* XXIII. 14. nimirum ut contaminaret ea, & illicitum deinceps haberetur ibi sacra facere. Nec etiam contradicimus ut Magistratus Christiani blasphemos ad imitationem legis quæ habetur *Levit.* XXIV. 10. pœna aliqua severa coërceant: quin etiam id ad ipsorum officium pertinere existimamus, quod absque peccato negligere non possint; non quidem ut eos interimant, quod lenitas Christiana vix permittit; sed convenienti aliqua ratione reprimant, ne impune cum magno piorum scandalo blasphemare iis Dei nomen liceat. Ubi tamen summo

summo studio cavere debent, n cui per consequentiam blasphemiæ crimen impingant, sed eos tantum pro blasphemis habeant, qui (ut supra diximus) non ignorantes se blasphemare, os suum adversus Deum aperire non verentur. In quo numero non sunt accensendi qui in cognitione Dei aberrant, & ei quædam minus convenientia tribuunt, quæ vera esse credunt & ad ejus honorem tendere. Quod etiam piis contingere aliquando potest, & nihil cum blasphemia commune habet.

XIV. *Secundo*, Affertur, Scripturam hæreticos comparare lupis rapacibus, *Matth.* VII. 15. *Act.* XX. 29. lupos autem rapaces optimo jure occidi. Item furibus & latronibus, *Joh.* X. 1. fures autem & latrones solere in crucem mitti, & de medio tolli. Sed resp. 1. In his locis non agi de hæreticis qui aberrant in Sacrarum literarum intelligentia; sed de impostoribus, qui avaritia aut ambitione exstimulati perversa dogmata fingunt, aut se à Deo missos jactant, etiamsi ab ipso nullum mandatum acceperint. 2. Non sequitur lupos & fures spirituali sensu intellectos, eodem modo tractari debere quo corporales. Nam quamvis aliqua in re inter se conveniant, in aliis tamen valde sunt dissimiles, nec proinde una eademque ratione reprimi possunt. Christus aliquando se comparat furi, *Apoc.* III. 3. & XVI. 15. An ergo idem de ipso atque de fure sentiendum erit? Salomon dicit de meretrice, *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit interficiet*, *Prov.* XXIII. 28. Quisquam-ne inde concludet eas omnes exterminandas? Non tamen minus perniciosæ sunt hæreticis, qui nihil pejus facere possunt quam insidiari in via ut latrones, & incautorum animas occidere. Nec magis appositum est, quod hæresis comparatur cancro, 2 *Tim.* II. 17. qui ut dicunt, non potest curari medicamentis, sed ferro exscindi debet, alioqui perpetuo serpit, & totum corpus corrumpit. Nam ut non respondeam, inveniri medicos aliquos adeo peritos, ut sine dolore & periculo cancros sanent; non ferro, sed lenibus medicamentis: quos imitari deberent qui cancros spirituales curare volunt; dico etiam diversam plane methodum in utrisque observandam esse docere nos exemplum Apostolorum, qui nunquam ferrum materiale exseruerunt ad extirpandos animæ cancros, sed tantum gladium verbi Dei, qui parcendo corpori, efficax est ad animæ sanationem.

XV. *Tertio*, Objicitur Dominum Jesum fecisse flagellum ex funibus, quo vendentes & ementes ejiceret è templo, *Joh.* II. Petrum Ananiam & Sapphiram ob ipsorum mendacium occidisse, *Act.* V. Paulum cæcitate Elymam magum percussisse, *Act.* XIII. Ergo expedire etiam quandoque pœnis corporalibus compescere hæreticos. Resp. 1. Negotiatores illos quos Christus expulit è templo non fuisse hæreticos; quamvis Simoniaci, qui munera Ecclesiastica vendunt aut emunt, in illorum ordine soleant recenseri. Quos Christus expulit, commercium exercebant licitum de animalibus quæ Deo in sacrificium offerebantur, & in eo tantum peccabant quod in atrio templi id facerent, cum alia in urbe commoda loca non deessent. Nec videtur usus flagello ad homines percutiendum, quod cum ipsius lenitate perpetua non satis bene consentit, sed ad abigenda animalia quæ illic venalia prostabant ubi non decebat. Imo etiamsi percussisset negotiatores istos flagello suo, inde non posset colligi, vitam hæreticis juste eripi, cum percussio potius tenderet ad eos pudefaciendum, quam lædendum. Cui adde factum istud extraordinarium fuisse, & quod temere in consequentiam trahi non debeat. Non enim quicquid licuit Christo, protinus aliis hominibus licitum est, qui non eodem quo ipse spiritu aguntur, nec cordium scrutatores sunt, ut latentem intus malitiam videre possint, & debita pœna afficere. Exempla etiam Petri & Pauli omnino impertinenter allegantur. Ananias enim & Sapphira non erant hæretici, qui perverso aliquo dogmate fundamentum fidei everterent; nec putabant se mendacio & hypocrisi sua cultum Deo præstare, ut quibusdam hæreticis contigit. Elymas etiam magus probe scivit se Deo adversari, & spiritum illum, cujus ope præstigias agebat, non esse bonum & divinum; & in summa, non erravit per ignorantiam in Scripturæ sensu percipiendo; quod est hæreticorum hodiernorum crimen. 2. Fac Ananiam & Sapphiram, item Elymam, fuisse hæreticos, & licere nobis hodie Apostolorum facta imitari, non repugnamus ut cum ipsi hæreticum aliquem pertinacem deprehenderint, qui veritati sibi clare indicatæ cedere nolit, eum pari modo interimant, aut cæcitate percutiant. Quod si possint facere, nemo eorum procedendi modum calumniabitur, aut tanquam crudelem & injustum reprehendet; sed omnes Dei virtutem per ipsos operantem cum stupore agnoscent & celebrabunt. Iste enim gladius spiritus nunquam errat, aut immerentes percutit, ut gladio materiali sæpe contingit, qui exseritur adversus innocentes, & vita privat qui ea erant dignissimi.

XVI. *Quarto*, Licet Magistratui occidere falsarios & adulteratores monetæ, item eos qui veneno alium interficiunt. Ergo multo magis falsarios & corruptores verbi Dei, quod omni argento & auro longe pretiosius est, & cujus corruptio est periculosior: Item eos qui falsæ doctrinæ veneno animas hominum occidunt, & ipsis perditionis æternæ causa sunt; quia jactura animæ majori studio impediri debet, quam corporis. Resp. 1. Nullam esse consequentiam à pœna externorum ejusmodi criminum, & quæ in sensus incurrunt, ad pœnam qua castigari debent spiritualia, propter ingentem quæ inter

 utra-

utraque est differentiam. Sic enim facile contingeret, ut pœna quæ apta est ad illa coërcendum, hæc magis exacerbaret & augeret. 2. Leges civiles non omnes falsarios, aut qui aliis venenum propinant, capitali supplicio affici jubent; sed tantum eos qui data opera id faciunt; non qui per imprudentiam peccant. Nam medici impune medicamenta noxia & mortifera pro salutaribus aliquando ægris exhibent. Sævius ergo non debet tractari hæreticus qui insciens falsaverit verbum Dei, & pro salutari doctrina noxiam & pestiferam proposuerit. Cum enim scopus ejus fuerit bonus, ut ex charitate credere tenemur, & apparet ex eo quod non veretur se in periculum conjicere, ut doctrinam suam propaget, non est æquum ut error ipsi in crimen imputetur.

XVII. *Quinto*, Hæretici possunt jure excommunicari & anathemate percuti, ut constat inter omnes; Ergo etiam occidi. Consequentia probatur, quia excommunicatio per quam aliquis è regno cœlorum excluditur, gravius est supplicium quam mors temporalis. Unde Augustinus dicit, *Horribilius esse tradi satanæ per excommunicationem, quam gladio feriri, flammis absumi, ferisve objici ad devorandum.* Contra adversarium legis & prophetarum, *lib.* 1. *cap.* 17. Resp. Etiamsi mors temporalis minor sit pœna, quam excommunicatio, non licet tamen illum interimere, quem excommunicare licet; quia hæ pœnæ diversi plane sunt generis, & inter se nihil commune habent. Utrarumque etiam scopus est contrarius. Qui morte corporali alium afficit, vult eum perdere, qui vero excommunicat, istud sibi proponit, ut spiritus illius sit salvus in die Domini Jesu, 1 *Cor.* v. 5. Interim certum est, non facile veniendum esse ad excommunicationem, aut anathema alicui denunciandum. Non quod excommunicatio injusta noceat ei qui excommunicatur: sed quia ille qui fratrem suum temere damnat, periculo se exponit, ut eodem judicio, quo alium judicavit, ipse quoque aliquando judicetur, *Matth.* VII. 1. In quo graviter sæpe peccatum est à Conciliis, quæ anathemata vibrarunt in eos qui nequaquam erant meriti, & in quos nihil juris habebant.

XVIII. *Sexto*, Affertur id quod Apostolus dicit, *Magistratus est Dei minister, qui non sine causa gladium portat; sed vindex est in iram ei qui malum agit*, *Rom.* XIII. 4. Resp. Magistratus quidem est vindex in iram ei qui malum agit: sed debet prius constare id quod tanquam malum vindicare vult, esse vere malum, antequam adversus illud gladium exserat. Leges adversus crimina latæ, docent quam circumspecte in eo se gerere debent, etiam in actionibus quæ in sensus incurrunt, & de quibus non adeo difficile est judicare, modo prudentia debita adhibeatur. Quamvis autem falsum docere, species sit malæ actionis, ea tamen non comprehenditur sub illis adversus quas Magistratus gladium stringere debet. Instituendi sunt qui errant; & verbi divini gladius in errores est stringendus; hæc est sola vera ratio eos debellandi; gladius materialis hic nihil potest, imo sæpe malum exacerbat, & facit ut error qui animose defenditur, pro veritate ab imperitis habeatur. Ne jam repetam, quod supra dictum est, experientiam docere sæpius adversus veritatem & ejus doctores, quam contra, hactenus usurpatum fuisse, & pium Deique timentem Magistratum nihil majori studio cavere debere quam ne in innoxios sæviat, aut eos quos officii sui est protegere persequatur.

XIX. *Septimo*, Hæreticorum carnifices legibus Imperatorum pugnant, qui capitalem adversus eos pœnam decreverunt; qualis est illa Valentiniani & Marciani adversus Apollinaristas & Eutychianos, *Cod. lib.* 1. *tit.* 5. *de hæreticis*. Hæc est prima lex, in qua ultimo supplicio affici jubentur hæretici, post annum Christi 451, in quo habitum est Concilium Chalcedonense adversus Eutychem, lata. Antea deportatione & mulctis pecuniariis puniebantur hæretici. Sed Antichristi spiritu prævalente in Ecclesia, longius ac longius progressum est, donec nullum sævitiæ genus est omissum, quod adversus eos qui judicati fuerunt hæretici non sit exercitum. Cum autem ex sacris literis probari nequeat id esse æquitati consentaneum, apparet nullius prorsus esse ponderis quod ex Constitutionibus humanis affertur, & Imperatores illos graviter peccavisse, qui sibi imperium in conscientias subditorum, à Deo non datum, pravis consiliis inducti, usurpaverunt. Quod si tamen aliqui inveniantur qui sub prætextu religionis seditiones excitent in republica, homicidia committant, aut alia ejusmodi scelera, adversus quæ capitis pœna est constituta, ut olim Donatistæ, Circumcelliones, & patrum memoria Enthusiastæ Monasterienses; non repugnamus quominus, pro gravitate criminum quæ patraverint, merito supplicio afficiantur. Modo tantum id caveatur, ne turbatæ reipublicæ accusentur, qui nihil aliud fecerunt, nisi quod, contra Magistratuum edicta, doctrinam quam veram esse crediderunt propagare studuerunt. Qui fuit prætextus quo olim adversus Christum & ipsius discipulos, tam à Judæis, quam à Gentilibus, sævitum est; & nullo potiori jure induitur, postremis hisce temporibus, ab iis qui ne reformetur Ecclesia ab erroribus qui invaluerunt in ea, impedire volunt. Ita ergo debet obviam iri perturbationi Reipublicæ, ut nulla tamen conscientiis eorum vis fiat, qui credunt officii sui alios monere de erroribus & abusibus qui obtinent in Ecclesia, & eos placide emendare contendunt. Quamvis enim contingat non raro ut fallantur, & pro erroribus habeant quæ veritati sunt consentanea, præstat tamen

tamen judicio Dei eos relinquere, quam ulla vi externa coërcere.

CAPUT XXXVIII.

De Charitate.

I. Discrimen inter charitatem & justitiam. II. *Charitatis definitio.* III. *Illius norma est dilectio nostri.* IV. *Et præcipue dilectio qua Jesus Christus dilexit nos.* V. *Charitatis proprietates.* 1. *Patiens est.* VI. 2. *Benigna est.* VII. 3. *Non invidet.* VIII. 4. *Nihil perperam agit.* IX. 5. *Non inflatur.* X. 6. *Non agit indecore.* XI. 7. *Non quærit ea quæ sua sunt.* XII. 8. *Non irritatur.* XIII. 9. *Non cogitat malum.* XIV. 10. *Non gaudet super injustitia.* XV. 11. *Gaudet veritate.* XVI. 12. *Omnia tegit.* XVII. 13. *Omnia credit.* XVIII. 14. *Omnia sperat.* XIX. 15. *Omnia sustinet.* XX. 16. *Nunquam excidit.* XXI. *Objectum ejus est proximus.* XXII. *Etiam inimicus.* XXIII. *Supremus charitatis gradus est, animam ponere pro fratribus. Quomodo Christus hic nobis proponatur in exemplum.* XXIV. *Quo sensu Paulus dicat Coloss.* 1. *se adimplere ea quæ desunt passionum Christi, &c.* XXV. *Gradus hic charitatis non est consilium, sed præceptum.* XXVI. *Per fratres intelliguntur non tantum Christiani, sed omnes omnino homines.* XXVII. *Quibus in casibus nos teneamur animas pro fratribus ponere.* XXVIII. *Quomodo* 1 *Joan.* 4. *dicatur non esse timor in charitate. Non innuitur, servile esse metu pœnæ Deo obedire.* XXIX. *Verus verborum Joannis sensus.* XXX. *Charitas est testanda non lingua & verbo, sed opere & veritate.* XXXI. *Varia eorum genera, qui sterili solum voluntate & verbis diligunt.*

I. HActenus de Pietate; sequitur nunc ut de Probitate agamus. Ea est virtus homines respiciens. Quos autem respicit, sunt vel alii à nobis, vel nos ipsi. Probitas quæ circa alios homines versatur, aliquando in Sacris literis nomine Justitiæ, aliquando Charitatis seu benignitatis, aliisque affinibus insignitur. Justitiæ quidem, seu paronymi juste, cum Paulus dicit, *Apparuisse gratiam Dei salutarem omnibus hominibus, ut sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc seculo*, *Tit.* II. 11. 12. ubi vox *sobrie* probitatem ad nos ipsos relatam, *juste* vero, ad alios denotat. Vide etiam *Luc.* I. 75. *Ephes.* IV. 24. 1 *Joh.* II. 29. & III. 7. 10. Sed *charitatis*, Græce ἀγάπης, appellatio est magis usitata. Quia autem utraque peculiarem suam habet rationem formalem, unde illius natura innotescit, operæ pretium erit seorsim & distincte de iis tractare. Formalis justitiæ ratio in eo consistit, quod actiones designet ad quas jure communi obligati sumus; charitatis vero, seu χρηστότητος, benignitatis, eas quæ ex indebita secundum leges civiles benevolentia proficiscuntur. Unde apparet, justitiam quidem absque charitate esse posse, sed non charitatem absque justitia.

II. A charitate, quæ nobilior est, & omnia præter fidem & spem, Christiani hominis officia summatim comprehendit, initium ducemus. Ea definiri potest *virtus qua non tantum proni sumus ad proximo benefaciendum, sed etiam ei reipsa, quotiescunque occasio id requirit, pro viribus benefacimus.*

III. Modus autem, seu norma ad quam componere debemus proximi dilectionem, est ut eum diligamus, *Sicut nos ipsos.* Id requirit lex vetus, *Levit.* XIX. 18. quam Jesus Christus confirmat, *Matth.* XXII. 39. & alibi. Quod autem diligere jubemur proximum sicut nos ipsos, id de nostri legitimo amore intelligendum esse ratio docet. Est enim aliquis vitiosus sui amor, à Græcis φιλαυτία dictus, quem passim tam sacri quam profani scriptores damnant. Sic Paulus ultimorum temporum corruptionem describens, dicit, *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati*, &c. 2 *Tim.* III. 2. Iste amor in eo consistit, quod homines in quibus dominatur, omnia hujus vitæ commoda, ut voluptates, opes, honores, ad se solos trahere, & nihil aut minimum aliis relinquere volunt. Unde Apostolus loco modo citato addit, illos φιλαύτους, voluptatum amatores magis fore quam Dei. Amor vero nostri honestus, qui nobis pro regula amoris erga proximum proponitur, in bonos viros tantum cadit. Et in eo situs est quod bonus vir 1. Se beatum esse maxime cupit. 2. Cum beatitudinem collocet in animi bonis, ut sapientia, pietate & probitate, potius quam in aliis externis, ideo ad ista vera bona totis viribus aspirat; alia vero non concupiscit, aut sectatur, nisi modice & quantum hæc vita animalis id postulat. Unde sequitur ut qui se ita diligit, proximum etiam beatum esse desideret, & ad beatitudinem consequendam quantum potest adjuvet; nec corporis ejus commoda unquam impediat aut retardet; sed potius promoveat, prout, si in simili statu esset, sibi fieri ab aliis desideraret. Deinde hic in considerationem venire debent proprietates amoris quo homines seipsos prosequi solent, ut eas ad proximi amorem applicemus. 1. Iste amor est sincerus & absque ulla simulatione, nec consistit in nudis verbis, sed in reipsa & factis. 2. Est ita constans, ut nunquam, quamdiu nostri compotes sumus, desinat. Talis etiam esse debet proximi dilectio, 1. ἀνυπόκριτος, ut docet Paulus *Rom.* XII. 9. 2 *Cor.* VI. 6. 2. βεβαία, firma & perseverans, ut nunquam in bono ejus procurando defatigemur, multoque minus oderimus.

IV. Sed Dominus Jesus præterea requirit à suis discipulis, ut se invicem diligant, sicut ipse dilexit eos, *Joan.* XIII. 34. Hæc est norma adhuc perfectior quam nostri ipsorum amor, in quo fere semper aliquid vitii adhæret. Nam Christus dilexit discipulos, sicut à Patre dilectus fuerat, *Johan.* XV. 9. id est, perfectissima charitate. Qua in re igitur constitit ista dilectio, & quis illius fuit modus? 1. Christus dilexit discipulos, cum ii nondum ipsum diligerent, imo ne nossent quidem. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, &c. *Joh.* XV. 16. id est, in disci-

discipulos, & amicos familiares, potius quam ullos alios assumpsi. Hæc est sinceræ charitatis, quæ alienum, non suum commodum quærit, nota, & quæ raro inter homines reperitur. Qui bonæ sunt indolis, illi solent redamare eos à quibus prius sunt dilecti. Natura id docet, quæ ingratitudinem damnat. Sed altius debet assurgere Christiani virtus. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?* &c. *Matth.* V. 46. 47. Eximium & divinum est aliquid, alios charitate prævenire; beneficiis prosequi non vulgaribus, (nam leviora in ignotos quandoque conferri solent) eos qui nullo ante officio nobis cogniti sunt; condonare iis à quibus offensi fuimus, antequam petant veniam; reconciliationem cum ipsis quærere, etiamsi de ea non cogitent. 2. Christus qui erat omnium maximus & potentissimus, nullaque re indigens, dilexit homines abjectos & infirmos, à quibus nullum redhostimentum sperare poterat. Contingit quidem aliquando inter magnates & divites, ut amicitiam tenuioris sortis hominum expetant, quia norunt eos industrios, & in consiliorum promotione adjuturos sperant. Sed nunquam factum est ut eos, à quibus nullam utilitatem aut voluptatem expectant, favore & beneficentia (ut fecit Christus) complectantur. Idem ergo nobis faciendum est, si genuini ipsius discipuli esse velimus, ut diligamus abjectos, & infirmos, à quibus nullam ἀντιμισθίαν unquam accepturi sumus. Qua de re vide egregium Christi monitum, *Luc.* XIV. 12. 3. Quod amplius est multo, Christus dilexit nos cum adhuc peccatores essemus, & inimici ipsius in malis operibus, *Rom.* V. 6. &c. *Coloss.* I. 21. 22. Ergo non tantum eos qui nos amant diligere debemus, sed etiam inimicos nostros, & à quibus graviter offensi fuimus, ut postea pluribus ostendam. 4. Christus constans est in charitate qua suos prosequitur, nec eos facile abjicit, quamvis ipsum subinde offendant, modo ex malitia non peccent, sed aliquid adhuc boni esse videat. Non enim *arundinem quassatam confringit, nec linum fumigans exstinguit, Matth.* XII. 20. Et cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, *Joan.* XIII. 1. nempe illos, quibus tam sæpe exprobravit ὀλιγοπιστίαν, & alios defectus. Similiter perseverare debemus in dilectione fraterna, nec protinus eos abjicere qui nos aliqua in re offenderint, sed libenter ipsis propter Christum & ad ejus exemplum, condonare. 5. Denique Christus non vulgari amore nos est complexus, sed omnium maximo qui cogitari potest. Nam, ut inquit ipse, *majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, Joan.* XV. 13. Superavit tamen istam dilectionem, omnium, quæ inter mortales unquam inventæ sunt, excellentissimam, quando pro inimicis mortem oppetere non subterfugit. Ergo pariter charitas nostra erga proximos vehemens esse debet, nec in communibus beneficiis acquiescere, sed ad summa quæque contendere, ut pro ipsis etiam animam, si opus sit, libenter quibuslibet periculis, & morti ipsi exponamus.

V. Sed ad melius adhuc naturam charitatis intelligendum, expediet sigillatim considerare proprietates quas Paulus ipsi tribuit 1 *Cor.* XIII. *Charitas*, inquit, *patiens est*, *benigna est*, &c. In his omnibus est metonymia quædam, vel subjecti, vel effecti. Subjecti quidem, si de homine charitate prædito illa accipiamus: effecti vero, si dicamus habitum charitatis in corde radicatum causam esse ut aliquis sit patiens, benignus, &c. Utro sensu verba Apostoli exponantur, parum refert: res enim eodem redit. *Primum* igitur dicit, ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, id est, *patiens est*, vel non statim irascitur. Nam ille qui charitate est præditus, non illico prorumpit ad iram, aut ultionem meditatur, cum à proximo suo læsus est, sed patienter expectat ejus resipiscentiam, & ut à Domino liberetur: secundum quod alibi præcipit Apostolus, *Non ulciscentes vosmet ipsos, sed date locum iræ*, &c. *Rom.* XII. 19. Quod etiam faciebat Dominus Jesus. Nam *cum malediceretur ipsi, non maledicebat vicissim; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem se judicanti juste*, 1 *Petr.* II. 23. vid. Deo. Sed non ita servus ille malus, de quo Christus loquitur in parabola, qui unum è conservis suis, centum denariorum debitorem, tenens suffocabat, dicens, Redde quod debes; quamvis is supplex ad ejus genua accideret, rogans, μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί, *Matth.* XVIII. 28. id est, ira deposita patienter me exspecta. In quo etiam graviter peccavit David, qui offensus à Nabale, statim dicebat militibus suis, *Accingatur unusquisque gladio suo. Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent, usque mane, mingentem ad parietem*, 1 *Sam.* XXV. 13. 22. Sed longe melius se gessit alias erga Saulem, etiamsi haberet ipsum in potestate ut ei malefaceret, ut videre est 1 *Sam.* XXIV. & XXVI. Exemplo vere memorabili charitatis supra temporum illorum conditionem, ut ipse Saul agnoscit.

VI. *Secundo*, charitas χρηστεύεται, id est, *benigna est*, seu delectatur aliis benefacere, non tantum amicis, (in quo nihil est eximium, & quod homines hujus sæculi non aliquando faciant, *Matth.* V. 46. 47.) sed inimicis quoque & iis qui ipsos injuria affecerunt, quæ est virtus supernaturalis & vere Christiana; quam observare est in Josepho *Gen.* XLV. 1. &c. L. 18. &c. Nec tantum indigentibus opem fert, sed etiam vultu amico & hilari: *hilarem enim datorem diligit Deus*, 2 *Cor.* IX. 7. Sunt qui perdunt sua beneficia, torvo aspectu & exprobrationibus; quod à charitatis genio alienum est, in qua nihil asperum, sed omnia suavia esse debent.

VII. *Tertio*, charitas οὐ ζηλοῖ, id est, *non invi-*

invidet. Nihil enim est tam adversum benignitati modo commendatæ quam invidia, quæ æquo animo bonum alterius ferre nescit, tantum abest ut procuret. Talis erat Caïn, qui animadvertens fratris Abelis oblationes magis Deo placere quam suas, id tam ægre tulit, ut tandem vitam ipsi eriperet, *Gen*. IV. 1 *Joan*. III. v. 12. Tales quoque erant Josephi fratres, quibus ejus virtus oculos præstringebat, ideoque machinantur exitium, *Gen*. XXXVII. Tales denique erant Judæi tempore Apostolorum, qui Euangelium respuentes, non poterant ferre propter invidiam ut Gentibus annunciaretur, *Act* XIII. 45. 46. & XXII. 21. 22. Gentiles enim tali odio prosequebantur, ut putarent crimen esse illis benefacere. Merito igitur Apostolus zelum *amarum* vocat *Jac*. III. 14. ut significet affectum istum instar fellis esse. Nam sicut fel amaritudine sua bonos cibos corrumpit & esui inutiles reddit; ita zelus amarus, seu invidia, ejus actiones quem possidet. Omnia quæ ab hac infecta scaturigine proficiscuntur, pariter sunt inquinata & corrupta.

VIII. *Quarto*, Charitas οὐ περπερεύεται, id est, *nihil perperam agit*, seu præcipitanter & inconsulto. Prudens enim est & circumspecta, vereturque ne dum studet prodesse alteri noceat. Alii reddunt, *nihil agit nequiter & proterve*, id est, non curans utrum inde aliquid damni vel incommodi ad proximum rediturum sit, nec-ne; aut etiam licet sciat id ipsi fore noxium. Alii vertunt, *non est levis & inconstans*, nempe ita ut benefaciendo delassetur, aut pœniteat eam beneficiorum quæ in alterum contulit, etiamsi comperiat ipsum ingratum & indignum. Basilius regula 49 inter breviores, quærit, Quid est περπερεύεσθαι; Et respondet, Omne quod non ob usum necessarium, sed διὰ καλλωπισμὸν, id est ornatus superflui causa assumitur, περπερείας accusationem habet. Quod vere quidem est dictum, sed nescio an huic loco satis convenienter. Sunt enim multi docti viri, qui existimant Græcam vocem qua usus est Paulus, è Latina fluxisse, & ex illa exponendam esse; quod etiam initio fecimus.

IX. *Quinto*, Charitas οὐ φυσιοῦται, id est, *non inflatur*, vel intumescit, ut bullæ vento plenæ, nempe arrogantia & præsumptione, in proximi contemtum quem aliqua in re inferiorem se esse videt, ut honoribus, divitiis, scientia, imo etiam aliquando virtute; ut faciebat Pharisæus ille quem Christus repræsentat dicentem Deo, *Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri; velut etiam hic publicanus*, *Luc*. XVIII. 11. Huc non pertinet superbia eorum, qui se adversus Deum extollunt, quasi illa quæ habent, & quibus supra alios eminent, non ab ipsius liberalitate accepissent, sed suæ tantum industriæ deberent. Qualis erat rex Chaldæorum, qui prospero consiliorum successu elatus *immolabat sagenæ suæ, & sacrificabat reti suo*, *Hab*. I. 16. id est, omnia sibi, nihil Deo tribuebat. quanquam qui se superbe erga Deum gerunt, nunquam modestiam erga proximos, quam debent, servaturos certum sit. Hic agitur de fastu quo homines se alii supra alios, quasi longe se inferiores, attollunt; cum tamen nos honore invicem prævenire debeamus *Rom*. XII. 10. & præ humilitate superiores alios nobis arbitrari, *Philipp*. II. 4. quod non solum extremis labiis, ut quidam faciunt, in humilitatis speciem profiteri, sed etiam corde ut verum sentire oportet. Nullus enim est adeo magnus, ut non aliquibus in rebus iis quos tanquam viles spernit inferior sit. Vera igitur Christiani excellentia in eo consistit, ut se infra alios abjiciat. *Omnes vicissim subjicimini; modestia ornati estote: nam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, 1 *Petr*. V. 5. Quod Hamanis & Mardochæi apud Estherem exempla (ut de aliis similibus multis nunc sileam) verum esse aperte comprobant.

X. *Sexto*, Charitas οὐκ ἀσχημονεῖ, id est, *non agit indecore*; abstinet enim ab omni re quæ aliquam turpitudinis speciem habeat, ne aliis sit offendiculo. In verbis, gestibus, indumentis, & generaliter in omni conversatione, vitat id quod se minime decere animadvertit. Proinde non est sordidus in vestibus, quasi in eo, ut quidam putant, consisteret modestia. Sordes enim aliorum ludibrio nos exponunt, & causa sunt ut salutaria nostra monita contemnantur; quod prudentiæ est Christianæ cavere. unde Apostolus inter requisita in Episcopo ponit ut sit κόσμιος, id est, *ornatus*, 1 *Tim*. III. 2. Sed multo magis sermones & gestus omnes lascivi, qui bonos mores corrumpere possunt, à nobis fugandi sunt. *Fornicatio & omnis immunditia, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ non decent, ne quidem nominentur in vobis, sicut decet sanctos*, *Ephes*. V. 3.

XI. *Septimo*, Charitas οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς, id est, *non quærit ea quæ sua sunt*; seu non ita studet suæ privatæ utilitati, ut alterius negligat, aut ut inde detrimentum aliquod ad proximum redire queat; sed contra ostendit in omnibus proximi commodum sibi non minus curæ esse quam suum; imo etiam aliquando magis; veluti patres & matres facere solent, qui de liberorum prosperitate plus solliciti sunt quam de sua, & parce vivunt de bonis suis, ut aliquid ipsis relinquere possint. Id Paulus faciebat, non quærens quod sibi utile erat, sed quod multis, 1 *Cor*. X. 33. Et vult ut omnes similiter observent; *Nemo quod suum est quærat, sed quod est alterius*, *Ibid*. v. 24. id est, non ita quærat privatum commodum, ut negligat publicum. Nam alias suum quærere aliquando licet & necesse est, modo id non fiat cum aliorum damno, & neglectu. Id quod in duobus rerum generibus observandum; primo in usu

 liber-

libertatis Christianæ circa res medias & indifferentes, ubi fidelis qui aliorum ædificationem quærit, abstinere debet à rebus alias sibi licitis & commodis, ne quemquam infirmum offendat. Quo respiciunt loca modo ex 1 *Cor.* x. citata; quanquam illic Paulus adeo generalibus utitur verbis, ut appareat ipsum voluisse monitum suum, ultra rem de qua loquebatur extendi. Secundo in artibus & negotiationibus quibus homines sibi bona ad hanc vitam pertinentia comparant; ubi gravissime sæpe peccatur à quibusdam, qui omne emolumentum ad se solos trahere conantur, aliisque exiguam etiam lucri partem invident; cum charitas postulet ut contrarium faciant. Summatim, in omni professione & occasione ob oculos versari debet ejusdem Apostoli exemplum, dicentis Corinthiis, *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos,* &c. *ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris,* 2 *Cor.* XII. 14. 15.

XII. *Octavo*, Charitas οὐ παροξύνεται, *non irritatur*, aut ira effervescit. παροξυσμὸς enim est excandescentia, exacerbatio. Difficile quidem admodum est sibi ab omni ira temperare; quia multæ incidunt quotidie in vitæ nostræ cursu irascendi occasiones. Id contigit etiam sanctis illis viris Paulo & Barnabæ, ut narratur *Act.* XV. 39. ubi tamen justior videtur fuisse Pauli causa. Sed qui alios vere diligunt, ita cohibent istum affectum, ut non temere aut levibus de causis irascantur: nec etiam diutius aut gravius quam convenit; ita ut ira nunquam in vindictam erumpat, aut nos ad aliquid vocatione nostra indignum dicendum aut faciendum incitet. Perpetuo itaque recordari oportet præcepti istius, *Irascimini & ne peccate*, (id est, si accidat ut irascamini, cavete vobis à peccato:) *Sol non occidat super iracundiam vestram; neque date locum Diabolo*, *Ephes.* IV. v. 26.

XIII. *Nono*, Charitas οὐ λογίζεται κακὸν, non cogitat malum; id est non facile quicquam mali de proximo suspicatur: sed ea quæ dubia sunt in meliorem partem interpretari solet. Si offensus fuerit ab aliquo, id potius incogitantiæ tribuet quam malitiæ; ideoque faciliorem se ad condonandum quam suspicaces solent, exhibebit. Sed hæc phrasis, οὐ λογίζεται κακὸν, potest etiam reddi, *non imputat malum*, id est, non exprobrat proximo malum quod commisit, vel injurias quas ab eo accepit, ut facere solent qui rixantur inter se, qui si quid mali noverint de alio, id statim ipsi objiciunt, ut animum suum expleant, & ægre ipsi faciant: quæ vindictæ species valde est inter homines vulgaris; licet à charitatis indole quam longissime dissideat.

XIV. *Decimo*, Charitas οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, *non gaudet super injustitia*; id est, non applaudit peccatis aliorum, ut si vindictam de inimico sumserint, aut per fraudem & malas artes divitias sibi compararint, vel aliquod felix, ut putant, scelus admiserint. Hoc perditi est hominis, non solum malum perpetrare, sed etiam facientibus consentire, *Rom.* I. 32. Nec delectatur etiam qui charitate est præditus, si videat inimicum suum in aliquod peccatum incidere quod ipsi infamiam sit allaturum, aut possit ei exprobrare; nam quærit ejus emendationem & salutem, non confusionem & opprobrium.

XV. *Undecimo*, Charitas συγχαίρει τῇ ἀληθείᾳ, *gaudet veritate*; ubi nomine *veritatis*, secundum linguæ Hebraicæ usum, intelligitur justitia & sinceritas; sicut etiam oppositio inter hoc membrum & præcedens requirit. Lætatur ergo qui diligit proximum, cum videt ipsum justitiam sectari, & alienum esse ab omni simulatione & hypocrisi. Nam sicut ipse bonus est, ita cuperet omnes alios esse; & congratulatur eorum recte factis.

XVI. *Duodecimo*, Charitas πάντα στέγει, *omnia suffert*, vel *tegit*. Quidam codices pro στέγει legunt στέργει, *amat*, ut sensus sit, charitatem omnibus quæ ipsi fiunt à proximo contentam esse & in iis acquiescere, etiamsi forte id non præstet quod debet; quia nimirum qui diligit proximum non est morosus in censendis ejus actionibus, aut asper in exigendo id quod facere tenetur. Vulgo autem vertunt πάντα στέγει, *omnia suffert*; quod potest intelligi vel de offensis adversus nos commissis, vel in genere de quibusvis peccatis. Sed si postremo hoc sensu accipiatur, necessario restringi debet ad ea quæ aliquo modo sunt tolerabilia. Scelera enim vir pius tolerare non debet, sed acriter pro merito reprehendere. Unde laudi vertitur Angelo Ecclesiæ Ephesinæ, quod *non posset ferre malos*, *Apoc.* II. 2. Malim tamen vertere, *omnia tegit*, quod vox Græca non minus permittit quam alterum. Et huic loco videtur melius convenire; alias erit ταυτολόγος Apostolus, qui hoc ipso commate dicit πάντα ὑπομένει, quod idem significat, nempe suffert, sustinet. Et præclarus erit sensus, si vertatur, *omnia tegit*. hoc enim est charitatis proprium, aliorum peccata, quantum fieri potest, tegere & occultare. Quod etiam præcipit Salomon, dicens, *Odium suscitat rixas & universa delicta operit charitas*, *Proverb.* X. 12. Et repetitur à Petro, sed alio sensu, cum dicit, *Charitas operit multitudinem peccatorum*, 1 *Epist.* IV. 8. Id enim commodius exponas de peccatis propriis, quorum veniam facile à Deo impetrant qui sunt misericordes erga proximos, *Matth.* VI. 14. 15. quam de alienis; quamvis & de his nonnulli interpretes illud accipiant. Ergo qui diligit proximum, non revelat occulta ejus peccata, nisi quantum ad ejus emendationem necesse judicat. Non enim delectatur confusione alterius, sed salute, & eo omnia sua concilia & facta refert, ut eum possit à perditione liberare; quod modo obtinet

tinet peccata ipsius tegendo, ut pudori consulat; modo revelando, si aliter ab iis abstrahi nequeat.

XVII. *Decimo tertio*, Charitas πάντα πιστεύει, *omnia credit*, id est, non indulget suspicioni, sed quæ à proximo dicuntur aut fiunt in bonam quantum fieri potest partem accipit, credens ipsum revera talem esse qualem se esse profitetur. Mavult enim decipi bene de alio sentiendo, quam suspicari malum, cujus nullam adhuc habet idoneam probationem. Alias charitas non est stulta, ut contrarium ejus quod videt, audit, palpat credere velit. Si quem enim videat comessationibus esse deditum, non habebit eum pro sobrio; si quem in manifestis mendaciis aliquoties deprehenderit, non credet esse veracem; & ita de aliis similibus. Sed ... est ambigua, in meliorem potius par... m in deteriorem inclinabit. Maligni ... est & charitate vacui, malum sen...re, quæ bonum æque facile ad...t. Sicut ergo offendimur cum ... aut actiones in pravum aliquem ...quentur, ita si proximum nostri ...nstar diligamus, non accipiemus in ...artem quæ ipse dicit aut facit, & ...us bene de ipso quam de nobis sen...

...III. *Decimo quarto*, Charitas πάντα ..., *omnia sperat*; id est, etiamsi videat alium ... esse deditum, non desperabit tamen quin meliorem frugem rediturus aliquando sit, ... omnia de ipsius conversione sibi spondebit, præsertim cum videbit ipsum salutaria monita libenter audire. Imo etiamsi eum comperiat refractarium, non tamen protinus omnem spem abjiciet, quasi ipsius salus conclamata sit; sed omne studium & diligentiam adhibebit ut eum à malo animi proposito avertat; imitatus eos qui amicos ægrotantes curant, quibus ad extremum usque halitum adsunt, & nunquam remedia adhibere desinunt donec aliquid vitæ & respirationis superest.

XIX. *Decimo quinto*, Charitas πάντα ὑπομένει, *omnia sustinet*. Quæ phrasis exponi quidem posset de patientia, qua proximi qui ab officio deflexit emendationem expectat. Sed quia hic sensus jam in præcedente proprietate comprehensus fuit, ne Apostolo ταυτολογίαν impingamus, præstat eam accipere de tolerantia injuriarum nobis ab aliis illatarum. Significat igitur, pectus charitate prædium non moveri injuriis à proximo acceptis, ut ad vindictam prosiliat, & vinculum fraternitatis abrumpat. Sed sicut ipse libenter vellet se tolerari, si forte alium offendisset, ita non invitus sustinet quod alii in se peccarunt. Comprehendi hic quoque potest tolerantia onerum, quæ nobis ad alios juvandum in necessitate sustinenda sunt. Quemadmodum enim nemo paulo humanior ali... ...b onere fatiscentem, quin accurrat ut ipsum sublevet, & partem etiam oneris, si opus sit, in humeros suos attollat; ita facere quoque oportet ubi alii paupertatis onere premuntur, partem ejus in nos suscipere, & ipsos facultatibus nostris juvare.

XX. *Decimo sexto* & ultimo, Charitas οὐδέποτε ἐκπίπτει, *nunquam excidit*. Quidam istud interpretantur etiam de officio ejus, sicut præcedentia attributa, quasi dictum esset, nunquam excidere debet. Et hoc quidem verissimum est. *Nunquam* enim oportet *deficere bonum faciendo*, *Gal.* VI. 9. Eoque pertinet vulgatum istud dictum, nunquam fuit verus amicus qui desiit esse amicus. Sed istud ab Apostoli mente alienum est. Neque etiam significare voluit, veram charitatem nunquam posse deficere. Sic enim contrariaretur Christo dicenti, *Quoniam abundabit iniquitas* (nempe ultimis temporibus) *refrigescet charitas multorum*, *Matth.* XXIV. 12. & Angelo Ecclesiæ Ephesinæ exprobranti, *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam deseruisti*, &c. *Apoc.* II. 4. Sed sensus planus est, charitatem perpetuo usum suum habere, non tantum in hac vita, sed etiam in futura. Id evincunt quæ immediate sequuntur, *sive prophetiæ, evacuabuntur*; *sive linguæ, cessabunt*; *sive scientia, destruetur*. Quibus significatur, in beato illo sæculo, quod expectamus, neque enarrationes obscurorum, aut prædictiones futurorum, neque linguas peregrinas, neque cognitionem illam imperfectam, quam ex verbo Dei aut ratione atque experientia nobis comparare possumus, in usu futuras; quia perfecta Dei & divinorum mysteriorum cognitione tunc donabimur, ita ut nihil amplius scire desideremus. Sed quod ad charitatem attinet, tam erga Deum, quam erga proximos, illa perpetuo vigebit: licet fatendum sit, alia plane tunc futura ejus officia quam in hac vita. Tunc enim non erunt condonandæ injuriæ, quæ nullæ inferentur, neque distribuendæ facultates ad aliorum indigentiam sublevandam, ubi omnes bonis ex thesaurorum Dei inexhausta scaturigine promanantibus satiabimur. Hæc sunt præcipua charitatis officia & proprietates, sub quibus aliæ, si quæ adhuc supersint, facile comprehendi possunt.

XXI. Nunc dispiciendum est quodnam sit ejus objectum. Id voce *proximi* generatim designatur, cum Deus jubet ut *proximum diligamus*. Sed non eadem est, aut æque late patens ejus significatio sub lege & sub Euangelio. Nam in lege illi solum vocantur Israëlitarum proximi, qui erant ex eadem gente oriundi, & iisdem sacris participabant. Id manifeste apparet ex istis verbis, *Non ulcisceris te, & non servabis odium cum filiis populi tui. Et diliges proximum tuum sicut te*, *Levit.* XIX. 18. ubi *filii populi tui*, & *proximus tuus*, pro æquipollentibus accipiuntur. Quod nonnulli interpretes disertius exprimere volentes, pro verbis, *Et diliges*, verterunt,

Sed diliges; ut ostenderent unicam in hoc commate esse enunciationem compositam, & idem omnium ejus partium esse subjectum. Nec Israëlitæ erant semper actu sibi invicem proximi. (Non enim sic vocari proprie possunt quibus nullum est inter se commercium, ut cum unus habitat Hierosolymis, alter vero Romæ:) sed tales evadere poterant, cum sibi occurrebant, & alter alterius opera indigebat. Sed sub Novo fœdere omne populorum discrimen sublatum est. *Non est Judæus aut Græcus, circumcisio aut præputium, & in omni gente qui timet Deum & operatur justitiam acceptus est illi*, *Gal.* III. 28. & v. 6. *Act.* x. 34. Similiter ergo nemo nunc alteri ita peregrinus esse debet, ut cum occasio ei benefaciendi se offert non pro proximo habeatur. Id quod Dominus Jesus valde significanter ostendit in historia vel parabola illius qui in manus latronum inciderat, & à Sacerdote atque Levita neglectus, Samaritanum erga se misericordem expertus fuerat. Hic enim Samaritanus officium vere proximi vulnerato & semineci viatori exhibuerat, & nobis ad imitandum proponitur, *Luc.* x. 29. &c. Quicunque ergo sit qui ope nostra indiget, sive Asiaticus, sive Americanus, sive Gentilis, sive Turca, aut Judæus, ille tunc sit noster proximus, cui pro viribus benefacere obligati sumus. Quod tamen non impedit quin discrimen hic aliquod facere liceat, & alium alio proximiorem ducere; cum multi simul nobis occurrunt quos non possumus omnes juvare. Idque significat Paulus his verbis, *Dum tempus habemus, bonum operemur erga omnes, maxime autem erga domesticos fidei*, *Gal.* VI. 10. Ubi per *domesticos fidei*, non debimus solum intelligere eos qui ad eandem Christianorum sectam pertinent, sed omnes promiscue qui nomen Domini Jesu invocant: quanquam propter inhumanam illam aversionem, quam hodie conspicimus inter diversorum cœtuum Christianos, cogamur interdum charitatis mutuæ officia ad illos qui nos propiore vinculo contingunt, & ab aliis negliguntur aut etiam persecutionem patiuntur, restringere. Sicut etiam ratione societatis naturalis & civilis filius plus debet patri, & pater filio, maritus uxori, & uxor marito, quam aliis hominibus. Ordinarie enim accidit in hac vita, ut propter facultatum defectum non possimus omnibus quibus vellemus opem ferre. Et tunc prudentia Christiana suadet ut illos præferamus aliis, quos pluribus & gravioribus de causis amplius diligere obligati sumus.

XXII. Sed nulli plane à nostra dilectione excludendi hodie sunt, nequidem inimici. Nullos enim Christianus inimicos habere debet. Et cum evenit contra ejus voluntatem, ut aliquos male erga se affectos experiri cogatur, charitas requirit ut illos sibi beneficiis conciliare nitatur. Non enim sumus jam sub illa lege, quæ dicebat, *Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum*, *Matth.* v. 43. Nec ullæ sunt gentes de quibus præcipiatur nobis ut olim Israëlitis de septem Cananæis, *Percuties eas usque ad internecionem, nec misereberis earum*, *Deuter.* VII. v. 2. 3. Sed debemus audire cœlestem nostrum magistrum, qui jubet, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, *Matth.* v. 44. Verum quidem est, istud homini animali valde esse difficile: oportet enim crucifigere affectus qui repugnant. Sed fides omnes istas difficultates superat. *Mandata Christi non sunt gravia; quoniam omne quod natum est ex Deo vincit mundum; & hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra*, &c. 1 *Joan.* v. 3. 4. Hæc est quæ amplectitur *maxima & preciosa illa promissa, per quæ divinæ naturæ consortes efficimur*, 2 *Petr.* 1. 4. N‥
hil concipi potest adeo eximium ut filium
esse: qui enim filius est, omnium e‥
rum est hæres, seu omnibus ejus ‥
cipat. Id autem adipiscimur dilig‥
cos. Sic *filii sumus* (aut potius sim‥
patris nostri qui in cœlis est, qui sol‥
facit super bonos & malos, & pluit
injustos, ut inquit Christus loco ex ‥
modo citato. Ubi cavenda est falsa ‥
eorum, qui hæc verba, *ut filii sitis*, i‥
tantur, Ut appareat vos esse. quasi sin‥
dem revera filii Dei antequam diligan‥
micos, nimirum si simus ex electorum
ro; sed id demum appareat, seu ejus re‥
sum in animis nostris habeamus, quando in‥
micos diligimus. quod est omnem vim dilectionis inimicorum evacuare, & stimulum quo ad eam excitamur hebetare & retundere. Falluntur etiam, qui existimant sufficere Christiano si amicos suos diligat. Id quidem faciendum est, & qui rem tam æquam non præstant, vix hominum nomine digni sunt, ut qui naturæ bellum indicant. Sed altius debet ascendere nostra dilectio, si aliquod ejus præmium consequi à Deo velimus. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si complexi fueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* inquit Christus *ibid.* Illi autem ex naturæ instinctu hoc faciunt, & nullam inde sperant post hanc vitam remunerationem. Cur ergo obtinerent Christiani, quibus remuneratio cœlestis est quidem revelata, sed non nisi sub conditione diligendi inimicos promissa?

XXIII. Jam quis sit supremus dilectionis gradus nobis dispiciendum est. Sic enim supplebitur quod forte deest in proprietatibus ejus, modo ex 1 *Corinth.* XIII. recensitis & expositis. Id autem discere possumus ex Apostolo, qui dicit, *Et nos debemus animas pro fratribus ponere*, 1 *Joh.* III. 16. Ubi 1. explicare oportet quis sit sensus hujus phraseos, *ponere animam pro aliquo*. Ea proprie qu‥ ‥ ‥um

amittere ad eum à morte liberandum. Et ita accipienda videtur hoc loco, quia præcessit de Christo, *In hoc cognovimus charitatem, quod ille animam suam pro nobis posuit*, &c. Certum est autem ipsum actu pro nobis mortem oppetiisse. Verum tamen non est prorsus eadem Christi ratio hac in re & nostri. Ille non satisfecisset mandato à Patre accepto, nisi mortuus revera fuisset. Debebat enim se in victimam expiatoriam offerre pro totius mundi peccatis. Omnis autem victima mactatur seu interimitur antequam supra altare Deo offeratur. Nos vero possumus officio nostro recte defungi, etiamsi actu pro fratribus non moriamur, modo non dubitemus in manifestum mortis periculum pro iis nos exponere. Eodem modo quo Christus dicit, *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis*, *Joan.* x. 11. Non est enim necesse ut actu pro iis moriatur, quasi in ipsius morte consistat earum conservatio. Nam mortuus, nihil amplius ovibus utilitatis afferre potest, sed contra relinquit eas in prædam lupis. Sufficit si adveniente lupo non fugiat, quemadmodum mercenarius solet, sed animose pro illis contemto mortis discrimine pugnet, ut fecit David, qui gregis paterni quem pascebat arietem è leonis & ursi faucibus eripuit, & ipsos adversum se insurgentes interfecit, 1 *Sam.* XVII. *v.* 34. Id imitandum est Christiano, non quidem ut armis corporalibus pro fratribus pugnet, & eos à morte liberet: aliud militiæ genus hic intelligitur: sed ut promovendæ eorum salutis causa in quælibet pericula se conjiciat, mortemque etiam, si opus sit, subeat; eodem zelo quo Paulus, qui optabat *anathema esse pro Judæis fratribus suis & cognatis secundum carnem, ut eos Christo lucrifaceret*, *Rom.* IX. 3. id est, mortem ignominiosam & maledictam perpeti, si hac ratione posset eos à damnatione æterna, cui propter incredulitatem subjacebant, eripere. Deinde etiamsi id omnino requireretur, ut non tantum in mortis discrimen nos conjiceremus pro fratribus, sed etiam actu pro illis moreremur, quemadmodum Christus pro nobis mortuus est; tamen quidam sunt mortis Christi fines & usus, qui nullo modo in eam quam pro aliis subiremus quadrare possent; ex. gr. quod sit sacrificium quo peccata nostra expiantur, & novum gratiæ fœdus quod Deus iniit cum universo genere humano sancitur & confirmatur. Istud enim mortis Christi solius est peculiare privilegium. Unde Paulus Corinthios objurgans ob schismata quæ inter ipsos erant, & quod unus gloriaretur quod esset Pauli, alius Apollo, alius Cephæ, dicit, *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?* 1 *Cor.* I. 12. 13. Quamvis enim hæc scribat antequam mortem subiisset, tamen eadem quoque dici potuissent post ejus passionem à Joanne aut alio Apostolo qui ei superstes fuit. Mors enim ejus cruenta pro Christi nomine, non fuit sacrificium expiatorium pro peccatis nostris, nec ea obsignatum est gratiæ fœdus.

XXIV. Cui non adversatur quod Colossensibus scribit, *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia*, *Coloss.* I. 24. Non enim tribuere vult eandem vim & efficaciam suis atque Christi passionibus. Absit. Id solum indicat, illas ad Ecclesiæ ædificationem prodesse posse; quemadmodum etiam cum dicit, *Scire vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii; ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus*, &c. *Philipp.* I. *v.* 12. Nam exemplo constantiæ suæ multum serviebat ad infirmiores in fide animandos & corroborandos. Et hic est usus maximus persecutionum quas fideles propter Euangelium patiuntur. Sed, inquies, Paulus longe plus sibi tribuit, cum dicit se *adimplere ea quæ desunt passionum Christi*, &c. quasi mors Christi sola non sufficeret ad peccata nostra expiandum, & nobis ostium cœli aperiendum, sed oportuerit ut Paulus, & similiter reliqui Apostoli, (eadem enim omnium foret ista in re ratio & potestas) supplerent quæ illi deerant. Ad quod resp. Eos toto errare cœlo, qui ita verba ejus accipiunt. Nihil enim aliud intendit, nisi significare, se pro sua parte adimplere quod Christus in suo corpore mystico, quod est Ecclesia, & singulis ejus membris, qui sunt fideles, perpeti debet. Nam Deus prædestinavit eos conformes fieri imagini filii sui, *Rom.* VIII. 29. nempe ut quemadmodum ipse tanquam dux per passiones intravit in gloriam suam, ita quoque illi sequentes ejus vestigia beatitudinis æternæ participes fiant; secundum id quod alibi scriptum est, *Omnes qui pie vivere volunt in Christo Jesu persecutionem patientur*, 2 *Tim.* III. 12. Et sic etiam id quod deest passionibus quas Christus in fidelibus, qui corporis sui membra sunt, subire debet usque ad sæculi consummationem, adimplebunt. Nam qui eos persequitur, Christum ipsum persequi censetur, sicut ipse declarat Saulum alloquens, qui spirans minarum & cædis in discipulos Domini, ibat Damascum ut eos vinctos abduceret in Jerusalem, *Saule, Saule quid me persequeris?* Et, *Ego sum Jesus quem tu persequeris*, &c. *Act.* IX. licet tunc eum proprie persequi amplius nequiret, cum è terra sublatus, gloriose in cœlis regnaret. Christus ergo sub alia ratione consideratur, cum Joannes eum nobis ad imitandum proponit; nempe quatenus in sua morte summam erga nos charitatem exhibuit. In ea enim, sicut etiam in patientia, fiducia erga Deum, & obedientia perfecta, reliquit nobis exemplum, quod non tantum possumus sed etiam debemus sequi.

XXV. Istud non est consilium perfectionis, ut quidam volunt, in nostro arbitrio relictum,

lictum, si gradum gloriæ in regno cœlorum supra piorum vulgus obtinere desideremus, sed mandatum expressum quod negligere non possumus quin ejus indignationem incurramus. Verum quidem est, Christum nobis mandata sua interdum sub nomine consiliorum dare, ut cum Angelo Ecclesiæ Laodicensis dicit, *Suadeo tibi emere à me aurum igne probatum, ut locuples sis*, &c. *Apoc.* III. 18. Sed quemadmodum vulgo dicitur, preces magnatum & principum esse instar mandatorum, quia eas parvi facere non est satis tutum; multo magis id de Christi consiliis sentiendum est, qui authoritate jubendi, & jussorum suorum comtemptores puniendi, omnes terræ reges superat; sed ut amore nos alliciat ad parendum, mandata aliquando sub nomine consiliorum amici fidelis nobis commendat. Sed hic aperte loquitur Joannes, nec locum ullum dubitandi relinquit, quin id quod præscribit verum sit Christi mandatum, *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere.* Alioquin pro genuinis suis discipulis non agnoscet nos. Discipulorum enim est præceptoris vestigia premere. Hic est summus charitatis gradus quo nobis contendendum est, ut veri Christi imitatores simus. *Hoc est*, inquit ille, *præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quomodo vero & quousque? *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei eritis, si feceritis quæcunque ego præcipio vobis*, *Joan.* XV. 12. 13. 14. Non ergo in quibusdam tantum Christo parendum est, sed in omnibus quæ præcipit; non tantum in mandatis observatu facilioribus, sed etiam in difficillimis, ubi majorem sentimus carnis nostræ resistentiam; quale est istud animam pro fratribus ponendi.

XXVI. Sed hic quæritur, quinam sint illi quos per *fratres nostros* intelligit Apostolus. Et in eo nulla videtur esse difficultas, quia ubique in Scriptis Novi Fœderis illi tantum sibi invicem fratres esse dicuntur, qui eandem fidem profitentur, eundemque habent Deum pro patre, Christum pro fratre, & eandem cœlestis hæreditatis spem. Non quidem angusto illo significatu, quo nunc Christianis in varias & sibi invicem inimicas divisis sectas, illi se solos mutuo pro fratribus agnoscunt qui ad eandem sectam pertinent, & simul Dominicæ Cœnæ in eadem mensa participant; sed omnes eos universim qui Domini Jesu nomen invocant, etiamsi in quibusdam opinionibus, fundamentum religionis non subvertentibus, à se invicem discrepent seu diversum sentiant. Nullibi autem, quod sciam, nomen *fratris* illic tribuitur infidelibus, præsertim Ethnicis & à veri Dei cognitione alienis. Alioquin Paulus Judæos, qui in Christum non credebant, vocat quidem aliquando suos fratres, verum non absolute & simpliciter, sed plerumque cum hac limitatione, *secundum carnem*, quatenus omnes ab Abrahamo & Jacobo, tanquam communi stirpe, oriundi erant. Et tamen videtur non minus esse certum, Christianos obligari ad ponendum animos suos non solum pro fratribus in Christo, sed etiam pro omnibus hominibus absque discrimine, quando spes aliqua affulget eos tali ratione Christo lucrifaciendi. Nam Christus hic nobis à Joanne proponitur in ista re imitandus. Ille autem animam suam posuit, non tantum pro fratribus suis, aut secundum carnem, quales erant Judæi, aut secundum communem fidem, quales tunc paucos admodum habebat, sed pro omnibus absque exceptione hominibus. Qui enim dicunt ipsum nonnisi pro quibusdam absolute & irrevocabiliter ad salutem æternam electis mortem obiisse, illi multis disertis Scripturæ textibus redarguuntur, ubi dicitur Christum pro omnibus mortuum esse, ut 1 *Tim.* II. 6. *Hebr.* II. 9. 1 *Joan.* II. *v.* 2. etiam pro iis qui pereunt, *Rom.* XIV. 15. 1 *Cor.* VIII. 11. *Hebr.* X. 29. 2 *Petr.* II. 1. Sed relicta hac controversia, quæ non est præsentis loci, & alibi à nobis satis fuse tractata est, attendere solum oportet ad id quod Paulus scribit *Rom.* V. Christum mortuum esse pro impiis & inimicis suis, *v.* 6. &c. item *Coloss.* 1. *v.* 21. 22. Cui adde eundem Paulum optasse anathema fieri pro Judæis, qui fratres quidem sui erant secundum carnem, sed à fide Christi alieni, & adeo acerbi ejus inimici, ut sæpe ipsum è medio tollere annixi fuerint. Ex quo sequitur, oportere nos non tantum pro fratribus nostris animas ponere, sed etiam pro iis qui ejusdem fidei in Christum non sunt consortes, & qui nos propter illam prosequuntur. Proindeque per *fratres* in loco Joannis de quo agimus, intelligendi sunt omnes homines, quos fraterna dilectione complecti oportet ad Christi exemplum, adeo ut animam nostram pro iis ponere non dubitemus, ad eos à peccatis & infidelitate sua convertendum; secundum id quod dicit Jacobus, *Fratres, si quis ex vobis aberraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte*, (vel suam, ut habent quædam exemplaria) *& operiet multitudinem peccatorum*, *Epist.* *v.* *ult.* Quid autem præstantius ista re, & vero Christiano dignius cogitari potest, alterius & suam etiam animam servare à perditione æterna? & qua in re melius collocari vita hæc temporalis, quam homines mundani etiam propter res nullius momenti aliquando prodigunt? Forte aliquis hic objiciet, id quod modo Christum dicentem ex *Joan.* XV. audivimus, *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sed responderi potest, 1. Christum hic loqui de dilectione qua homines mundani alios prosequuntur; eam enim

nunquam

nunquam altius ascendere certum est quam ut animas ponant pro suis amicis. Nam pro inimicis eas ponere supernaturalis est dilectionis, quæ in ejusmodi homines non cadit. 2. Christus facto suo ostendit majorem ea dilectionem dari posse, cum ipse animam pro inimicis ponere non recusavit. 3. Recte etiam dicitur, Majorem hac dilectionem neminem habere, quam si ponat animam pro amicis. Nihil enim vita præstantius habemus quod pro alio possimus impendere; & quando id facimus, reipsa ostendimus nos eum summo dilectionis gradu tanquam amicissimum diligere; etiamsi forte is dilectioni nostræ, quam ignorat, aut parvi facit, pari amore non respondeat.

XXVII. Nunc videndum est quando, seu quibus in casibus nos teneamur animas pro aliis ponere. Res enim tam pretiosa, & qua nihil majus habemus, non est temere in periculum amissionis adducenda. Id autem discimus, saltem in genere, ex Christi exemplo, qui nobis ad imitandum ab Apostolo Joanne proponitur. Is enim animam suam pro nobis posuit, ut nos à morte æterna liberaret, & in æternam vitam introduceret. Similiter Paulus, qui sæpe se in discrimen vitæ conjecit propter Euangelium. Quare ita loquitur, *Neque habeo animam meam pretiosam mihi ipsi, ut consummem cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi à Domino Jesu*, &c. *Act.* XX. 24. Item, *Ego libentissime impendam & expendar pro animabus vestris*, 2 *Cor.* XII. 15. Et sic omnes, excepto Joanne, pro Euangelio Jesu Christi, & salute eorum quibus id prædicabant, mortes cruentas subierunt. Ipseque Joannes pluries ejus periculum adiit. Quod primo ab Euangelii ministris, deinde etiam ab omnibus aliis Christianis præstari debet persecutionis tempore, & in aliis casibus, ubi salus fratrum æterna in periculo versatur, nisi aliorum adhortationibus & officiis ad animose certandum corroborentur. Sint enim aliqui fideles captivi propter Euangelium, aut sollicitentur ad defectionem à veritatis hostibus, & verendum sit ne tentationi succumbant, invisere eos oportet & animare ad perseverandum in fide, etiamsi dum id facimus nos ipsos in apertum vitæ amittendæ discrimen conjiciamus. Similiter grassante peste aut aliquo contagioso morbo, sit aliquis quem novimus non satis esse præparatum ad Christiane moriendum, tunc negligere oportet periculum ut ipsum officii sui commonefaciamus. Imo in tali casu, si nullus sit propinquior qui ægro opem quam ex officio tenetur exhibere offerat, inhumanum est & charitati adversum, ei corporale ministerium quo indiget denegare. Nam etiamsi forte salus ejus æterna id non requirat, charitas tamen nostra, cui alioqui urgente necessitate deessemus, istud omnino à nobis postulat. Sunt qui monent hic attendendum esse, an illius vita pro qua nos in periculum conjicimus sit nostra publico & ædificationi Ecclesiæ utilior, aut minus utilis. Si enim utilior sit, incunctanter adeundum esse periculum, & nos providentiæ divinæ committendos; si vero minus utilis, posse nos secura conscientia majorem nostri quam illius rationem habere. Sed ista comparatio difficilis admodum est factu, & à φιλαυτίᾳ non raro corrumpitur. Adde quod oportet, ut quisque ex modestia alium se præstantiorem existimet, *Philipp.* II. 3. Hic eminet in una re, ille in alia; & is cui te in quibusdam non injuria præfers, forte in aliis te antecellit. Quicquid sit, non potes melius Ecclesiam ædificare, quam ei tam eximiæ charitatis exemplum relinquendo, ut vitam tuam in gratiam fratris, quicunque is esse queat, etiam secundum speciem te vilior, generose contemnas. Omissa igitur ejusmodi nostri cum aliis collatione, præstat solum attendere ad officia quæ charitas à nobis exigit. Ea enim sub prætextu periculi non licet intermittere. Famelicus est cibandus, nudus vestiendus, ægrotus aut captivus invisendus, peregrinus excipiendus, etiam tunc cum id fieri absque discrimine nequit; alias magna laude non sunt digna ejusmodi ministeria, & non raro etiam ab infidelibus præstantur. Sed ubi charitas id non postulat, vitam suam pro alterius salute temporali, multo minus propter alias leviores causas, periculo exponere, non tantum laudem nullam meretur, sed etiam vituperium; ut faciunt illi, qui pro gloria principis, aut patriæ, ut dicunt, in bellum ex ambitione susceptum proficiscuntur; aut qui ut amico opem ferant in ulciscenda injuria, vel etiam opinione injuriæ, duello decertant. Sunt enim non aliorum solum, sed etiam sui ipsorum homicidæ, qui tam temere vitam suam ob nullius pretii aut valoris res prodigunt; quam conservare deberent, ut alio tempore & occasione eam gloriæ Dei propagationi, & salutis fratrum æternæ promotioni impenderent. Exemplo tamen nobis esse possunt, ut videntes quam animose isti homines propter honoris mundani umbram in quævis discrimina ruant, sciamus nos omni excusatione carituros, si idem facere recusemus cum gloria Dei aut salus fratrum id à nobis postulabunt. Indignum enim foret professione nostra, non ostendere parem zelum pro causa omnium optima, quem illi pro mala, aut saltem exigui momenti afferunt. Quod si eo usque ascendere debet charitas erga fratres, ut vitam pro illis profundamus, facile est colligere nihil esse quod iis in necessitate denegare liceat, non facultates, non ministeria etiam vilissima, ut lotionem pedum, ad quam videmus Dominum Jesum se demisisse erga discipulos, qui ipsum omni honore prosequi tenebantur. Id enim ad ipsorum & nostri institutionem fecit; *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*, *Joan.* XIII. 15.

XXVIII. Restat adhuc una charitatis proprietas, quam idem Joannes proponit, φόβος οὐκ ἔστιν ἐν τῇ ἀγάπῃ, *timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet; qui autem timet non est perfectus in charitate*, 1 *Epist.* IV. 18. Quæ verba nobis sunt paulo accuratius expendenda, quia non eodem sensu ab omnibus accipiuntur. Sunt enim qui putant illis significari, Non debere nos ad mandatis Dei parendum moveri timore pœnæ quam minatur contumacibus, sed sola qua eum prosequimur charitate: Sed ista expositio, nec cum serie & scopo orationis Apostolicæ, nec cum veritate convenit. Sane non cum serie contextus. Nam in præcedenti commate Joannes dixit, *In hoc perfecta est charitas in nobis, ut* (vel quod) *fiduciam habeamus in die judicii; quia sicut ille est* (nempe Christus) *& nos sumus in hoc mundo.* Quomodo autem cum fiducia quam habent in die judicii, qui tali charitate sunt præditi sicut Christus, cohæreret, non oportere nos ad obediendum Deo incitari metu pœnarum quas immorigeris intentat, sed solo erga Deum amore? Nec id etiam verum est. Non enim indecens est illis rationibus nos moveri ad obsequendum Dei mandatis, quas Deus ipse in verbo suo usurpat. Nihil autem frequentius minis occurrit in libris tam Veteris quam Novi Testamenti. Vide ex. gr. in Veteri, *Levit.* XXVI. & *Deuter.* XXVIII. In Novo audi Christum dicentem discipulis, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna*, *Matth.* x. 28. Et Apostolum, *Timeamus ne quando derelicta promissione introeundi in requiem ejus, videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus*, *Hebr.* IV. 1. & plurima similia loca. Quin etiam fidei officium est timere Dei judicia, ut ostendit exemplum Noachi, de quo scriptum est, *Per fidem Noachus oraculo admonitus de iis quæ nondum videbantur, metuens apparavit arcam in salutem domus suæ*, *Hebr.* XI. 7. & Pauli, qui de se dicit, *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus fiam*, 1 *Cor.* IX. 27. & omnium fidelium est, *cum metu & tremore salutem suam operari*, *Philipp.* II. 12. Istud ergo non est servile, ut quidam existimant, sed etiam verorum Dei filiorum proprium. Servile foret, metu pœnæ ad externam aliquam obedientiam moveri, à qua corde abhorreas. Sed ubi metus iste tantum in te potest, ut cor ad obsequium Dei flectat, adeo ut deinceps ultro & libenter facias quod ante nonnisi ægre faciebas, in eo nihil amplius desiderarem.

XXIX. Alii verba ista, *Timor non est in charitate*, interpretantur de timore damnationis æternæ; quasi Joannes dixisset, eum qui vera charitate proximum diligit, sicut Christus dilexit nos, nihil sibi à Dei judicio metuere, sed contra se gratiam & misericordiam apud ipsum inventurum confidere. Quod verum quidem est, dummodo charitatem erga proximum cæteræ quoque virtutes, sine quibus non patet aditus in regnum cœlorum, comitentur. Non enim sicut vel unum gravius peccatum damnationem affert, ita unica virtus, quantumvis eximia, salvare potest; sed requiruntur omnes, saltem quas exercendi occasio non defuerit. Nec id videtur ab Apostoli scopo & iis quæ tractat alienum. Optime enim cohærent ista inter se, ut fiducia apud Deum excludat illum timorem qui pœnam seu cruciatum habet. Sed tamen existimarim Joannem alio collineasse, & nihil aliud sibi voluisse dicendo, *Timor non est in charitate*, &c. nisi eum, cujus cor dilectio fraterna possidet, nullum metuere periculum in quod possit incidere opera charitatis exercendo; adeo ut istud præceptum quodammodo æquipolleat cum eo quod ante exposuimus de ponendo animam pro fratribus. Tantummodo, si hanc interpretationem sequamur, duo erunt observanda, 1. Hæc verba v. 17. ἵνα παῤῥησίαν ἔχωμεν, non esse vertenda sicut vulgo fit, *ut fiduciam habeamus*, *sed*, *quod fiduciam habeamus*, ut Piscator in Scholiis probat verti posse. 2. *Diem judicii* non debere accipi de ultimo & universali judicio, sed de particulari, quo Deus aliquando fideles in hoc mundo visitat, cum eos castigat propter peccata, aut calamitatibus fidem & patientiam ipsorum exercet; quomodo sumitur à Petro, cum dicit, *Tempus est ut judicium incipiat à domo Dei*, &c. 1 *Epist.* IV. 17. Sequentia enim verba, *Si justus vix salvatur, impius & peccator ubi comparebunt?* manifeste ostendunt istud de judicio afflictionum, in quas fideles Deo ita ordinante incidunt, debere intelligi. Nam quod ad judicium ultimum, ex illo non evadunt difficulter. *Nulla enim est condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu, qui non ambulant secundum carnem, sed secundum spiritum*, *Rom.* VIII. v. 1. quibus decreto immutabili, ante mundi constitutionem, regnum cœlorum est præparatum, *Matth.* XXV. 34. Significare ergo vult Joannes, tum perfectam in nobis esse charitatem, cum in die judicii seu afflictionis qua visitatur frater seu proximus noster, unde verisimile est ipsum non posse absque magno periculo aut difficultate eripi, nos tamen fiduciam concipimus ipsum juvandi; nihil metuentes mali quod nobis accidere queat, dummodo ipsi opem in necessitate & angustia qua premitur feramus. Tunc enim ostendimus nos esse tales in hoc mundo, qualis Christus fuit cum ipse animam pro nobis posuit. Et hæc perfecta charitas expellit omnem metum ex corde nostro. Non dicit apud se, Si fratri opem ferre velim, ego me ipse in periculum conjiciam aut difficultatem cujus nullum video exitum. Qui enim isto metu angitur, is non est perfectus in charitate. Sed Deo committit eventum, & de nulla alia re sollicitus est, quam de suo erga

fratrem,

fratrem officio, ut eum cum facultatum & vitæ etiam ipsius detrimento adjuvet. Hic mihi videtur genuinus esse verborum Joannis sensus. Si quis tamen secundam, cujus mentionem feci, expositionem præferat, per me licet. Præclaram enim etiam doctrinam continet, & nihil habet incommodi, nisi quod in ea omnia non ita apte fluant, præsertim hæc postrema verba; *Perfecta charitas mittit foras timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate*, &c. quæ longe commodius adaptari possunt timori qui impedit ne fratri succurramus, quam metui judicii divini aut damnationis æternæ, quam incurrunt ii qui in charitate perfecti non sunt.

XXX. Præter attributa charitatis huc usque à nobis enarrata, est adhuc unum quod non oportet omittere. Id etiam à Joanne proponitur, *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*, 1 *Epist.* III. 18. quod quanti sit momenti ostendit, subjiciens immediate, *In hoc cognoscimus quod ex veritate sumus, & in conspectu ejus secura reddemus corda nostra.* Quasi vellet dicere, reliqua omnia, quæ de charitate docui, in hoc suum habent implementum & perfectionem, & inde possumus cognoscere an vera illa & ἀνυποκρίτῳ dilectione prædidi simus, quæ nostram apud Deum conscientiam tranquillare idonea sit. Id nobis paulo alia forma proponit Jacobus, sed eodem plane sensu, *Si frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis, illis, Ite in pace, calefacimini & saturamini; non dederitis autem quæ necessaria sunt corpori; quid proderit? Jac.* II. 15. Non quod charitas non debeat esse comis, & alloquii suavitate aliorum miseriam, quantum est in se, lenire. Id enim laudabile est, imo etiam necessarium, adeo ut beneficium, alias non contemnendum, omnem suam amittat gratiam & valorem, si quis cum verborum asperitate aut exprobratione illud exercuerit. Debent enim beneficia ab hilari corde proficisci, quod aliter ab hominibus cognosci nequit, nisi ex amica & blanda compellatione. Sed in verbis non est hærendum, ad facta progredi oportet. Cum ergo charitas sedem suam in corde habeat, id primo necesse est commoveri intimo affectu & desiderio, proximis ope nostra indigentibus, pro virium modulo subveniendi. Nam sine ejusmodi affectu, nihil laudabile perfici potest; illud est principium & causa movens omnium bonarum actionum. Unde Paulus, *Si voluntas prompta est; secundum id quod habet accepta est; non secundum id quod non habet*, 2 *Cor.* VIII. 12. Deus ex modo quo affecta est voluntas, judicat de actionibus hominum; si bona est, reputat eas pro bonis; si contra mala est, pro malis. Æquissimus enim est judex & æstimator; nihilque supra vires à nobis requirit. Voluntas autem, etiamsi cætera omnia deessent, semper est in nostra potestate. Et Deus qui cordium est scrutator, ad illam præcipue attendit. Homines qui corda aliorum non possunt inspicere, de voluntate eorum judicant ex effectibus; & plerumque non male; licet etiam sæpe fallantur, quia non est semper in nobis positum ut voluntatis consilium exsequamur, multaque intervenire possunt & solent quæ illud impediant. Sed in voluntate, sicut neque in verbis, sistere non debet nostra charitas. Sunt qui propensum animum semper testantur, imo etiam aliquomodo habent, proximis benefaciendi, sed tamen nihil unquam, quod alicujus momenti sit, efficiunt; nimirum quia ille affectus non est satis serius, licet id forte sibi persuadeant, quia non ita accurate ut debent cordis sui arcanos recessus scrutantur. Vellent quidem juvare eum quem vident in necessitate, & ope sua indigere, modo id fieret sine ullo suo incommodo, aut facultatum diminutione; & quia id fieri nequit, in nuda & inefficaci velleitate consistunt. Hi non sunt meliores illis qui verbo aut lingua tantum diligunt. Quamvis enim forte intimam aliquam in visceribus suis commotionem sentiant ex alienæ miseriæ intuitu, quæ non est in quibusdam hypocritis, qui ore præ se ferunt affectum quo ipsorum cor nullo modo est commotum; in re ipsa tamen conveniunt, deficientes ubi ad opus deveniendum, & verborum suorum fides liberanda esset.

XXXI. Istorum autem hominum, qui sterili solum voluntate & verbis diligunt, multa sunt genera. Quidam satis se promptos ostendunt ad miseros in angustia sua consolandos, jubent eos in Deo fiduciam collocare, qui suos nunquam in necessitate derelinquit, aut si hujus mundi bonis destitui aliquando permittit, illis præstantiora in cœlis reservat, aliisque ejusmodi sermonibus affectum suum testantur; cum tamen etiam opere aliquid subsidii afferre possent, nisi opes suas & vitæ commoda plus quam fratres diligerent. Quidam etiam bona consilia afflictis non illibenter impartiuntur, & ostendunt qua ratione ex miseria sese liberare queant. Quod etsi sit laudabile, non sufficit tamen ad eos excusandos, si amplius aliquid præstare queant & non curent; nec impedit quominus in eorum ordine maneant qui verbo tantum & lingua diligunt. Quidam denique sunt qui totam in eo operam suam collocant, ut alios oratione pathetica ad misericordiam erga indigos commoveant. Et istud est charitatis opus non contemnendum. Sic enim interdum procurant ut miseris illis melius sit; præsertim ubi unus oneri ferendo non sufficit, & multorum conjunctim subsidium requiritur. Sed si interea id quod suarum est virium & facultatum conferre negligant, non sunt vera charitate præditi, & ultra classem eorum qui verbo & lingua diligunt non progrediuntur. Videant ergo omnes isti, & qui iis similes sunt, an per ejusmodi charitatem

tatem secura possint reddere corda sua in conspectu Dei, quando judicium de factis hominum exercebit, & unicuique secundum opera bona quæ fecerit aut omiserit rependet. Et hic memoria recolere debent id quod Apostolus initio XIII. *cap.* 1 *Corinth.* ubi illas charitatis proprietates recenset quas supra examinavimus, de ejus necessitate pronunciat; tantam eam faciens, ut etiam præstantissima Dei munera, quale est donum linguarum & prophetiæ, mysteriorumque Dei omnium cognitio, fides per quam miracula patrantur, imo etiam eximiæ illæ virtutes, quibus omnia bona pauperibus distribuuntur, & corpus urendum propter Euangelium traditur, absque ea nullius coram Deo sint pretii & utilitatis. Si quis vero quærat, quomodo hæ duæ virtutes à charitate separari possint, quæ videntur perfectissimæ charitatis esse effecta; respondebo verbo, id tum demum fieri, cum aliquod gloriæ mundanæ desiderium iis adjunctum est; quod mirum videri non debet, cum plerique mortalium ita sint natura comparati, ut vix unquam aliquid sincere bonum faciant, ubi isti aut similes affectus non intercurrant, qui, veluti cantharides suavem rosarum odorem, sacrificiorum nostrorum fragrantiam corrumpant.

CAPUT XXXIX.

De Odio.

I. *Neminem odisse licet.* II. *Respondetur ad exemplum Davidis, qui oderat osores Dei, Psal.* 139. *& angeli Ecclesiæ Ephesinæ, qui non poterat sustinere malos, Apoc.* 2. III. *Summus odii gradus est homicidium.* IV. *Diversi in cædibus voluntariis malitiæ gradus.* V. *Ad odium pertinet ultio. quæ fit à Magistratu in emendationem ejus qui punitur est bona.* VI. *Ultio privatorum est illicita.* VII. *Imo nec per Magistratum privato eam petere licet.* VIII. *Quousque se patientia Christiana extendere debeat.* IX. *Etiam odii species est invidia.* X. *Alia species eorum; quos Scriptura dicit quod proximos oderint.*

I. HActenus de charitate, sequitur ut de *odio* illius opposito agamus. Sicut ergo charitas est affectus unionis, ita odium est separationis. Sed non perinde ut vera charitas requirit, ut non tantum proni simus ad proximo benefaciendum, sed etiam ei reipsa quotiescunque se offert occasio benefaciamus; ita omne odium istis duabus partibus constat, 1. Ut pronus aliquis sit ad proximo malefaciendum. 2. Ut ei reipsa cum se occasio offeret malefaciat. Sufficit ut prima adsit; etiamsi negandum non sit quin ille violentius oderit in quo secunda etiam reperitur. Quæritur autem, an aliquando liceat Christiano homini alium odisse. Et responsio est facilis ex iis quæ de charitate dicta sunt. Cum enim ostenderimus illam ad omnes debere extendi, etiam inimicos nostros, apparet nullum odio locum esse relictum.

II. Sed objicitur hic Davidis exemplum, qui de se dicit, *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos; inimici facti sunt mihi*, *Psal.* CXXXIX. v. 21. 22. Et ne quis excipiat illud pertinuisse tantum ad tempus legis, non vero Euangelii, affertur etiam Christum laudare Angelum Ecclesiæ Ephesinæ, quod *non posset sustinere malos*; *Apoc.* II. 2. Nam id ab odio malorum inseparabile esse videtur. Verum hæc loca nihil ad rem faciunt. Aliud enim est regis seu Magistratus, qualis erat David, item Episcopi, qualem Christus alloquitur; aliud privatorum officium. Conveniunt quidem in eo, quod omnes debent improbos odisse, quatenus improbi sunt & Deo ipsi exosi; & quantum in se est, studere improbos ad meliorem frugem reducere. Sed erga contumaces & cum nihil lenioribus remediis proficitur, diversimode pro ratione muneris & status eos se gerere oportet. Magistratus est tranquillitati publicæ prospicere, & turbantes eam omnibus legitimis mediis, quæ Deus in ejus manu posuit, coërcere; ita ut aliquando etiam, si pax aliter constare nequeat, & atrocitas criminum requirat, ad sanguinis effusionem venire non dubitet. Quod cum facit, privato odii affectu adeo non indulget, ut libentius abstineret, si liceret; sed tanti æstimat publicam utilitatem, & proborum conservationem, ut ei etiam contra propriam inclinationem sceleratorum vitam impendat. Vide *Psal.* CI. *Rom.* XIII. Episcopi autem est arcere ab Ecclesia & subducere se ab illorum communione, qui profana vita ostendunt se non esse Christi membra, & aliis offendiculum præbent. Sed de utrorumque officiis alio nobis loco dicendum erit. Hic agitur solum de privatis, quomodo se erga improbos gerere debeant, & an nunquam eos odisse licitum sit. Et resp. 1. Unicuique incumbere de aliorum, etiam perditissimorum, salute sollicitum esse, & totis viribus ut à mala sua via convertantur laborare, secundum Jacobi præceptum *Epist. v. ult.* & *Judæ v.* 22. 23. 2. Si nullum dent locum privatis monitionibus nostris, aut etiam publicis Ecclesiæ, tunc bene facere si illorum consortium vitemus, ne videamur probare malum, aut ejus contagione ipsi inficiamur: sed interim si quando accidat, ut ope nostra in iis quæ ad hanc vitam pertinent indigeant, nunquam ipsis plane eam denegemus. Summatim odio prosequi licet improbitatem, imo etiam oportet, sed semper humanitatis misereri; seu ita odisse vitia & fugere, ut tamen vitiosos, pro quibus Christus mortuus est, & nos ipsi ad ejus exemplum diligamus, & omnibus officiis quæ charitas postulat, quantum in nobis est, prosequamur.

III. Ut autem jam aliquid de diversis gradibus & speciebus odii attingam, quemadmodum charitas altius non potest ascendere quam

ut

ut quis pro alio moriatur, ita hic summus est odii gradus alteri vitam eripere. Quod quantum sit crimen declarat Joannes, cum Cainum, qui fratrem interemit, dicit fuisse ἐκ τοῦ πονηροῦ, 1 *Epist.* III. 12. id est, ex diabolo; qui, ut inquit Dominus Jesus, homicida erat ab initio, *Joan.* VIII. 44. nempe, quia ipsius pravis suasionibus factum est, ut primi parentes peccarent & morti subjicerentur, & consequenter omnes ex iis prognati. Deinde homicidii enormitas inde patescit, quod sit imaginis Dei destructio. Hanc rationem affert ipse Deus cum illud prohibet, dicens, *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo*, *Genes.* IX. 6. Imo cædem quoque involuntariam, & à qua videtur omne crimen abesse, Deus noluit esse plane impunem. Edixit enim ut quicunque ea se contaminasset, fugeret in unam ex urbibus refugii in eum finem constitutis, & ibi quasi in exilio maneret usque ad obitum summi Sacerdotis, indeque exiens à vindice sanguinis occidi posset, *Numer.* XXXV. *Deuter.* XIX. Apud Ethnicos quoque mos non dissimilis erat, ut qui per imprudentiam aliquem occidissent, non prius in aliorum hominum consortium admitterentur, quàm solenni alicujus sacrificii ritu expiati fuissent, ut docet historia Adrasti qui fratrem ita occiderat, *Herodot. lib.* I. *cap.* 35. Unde postea adeo impatienter tulit, quod expiatoris sui Crœsi unicum filium in venatione interemisset, ut aliis ipsi parcentibus, ipse propria manu se apud occisi sepulcrum confoderit, *ibid. cap.* 45. In homicidio tamen fortuito alius alio gravius peccat. Nam qui non adhibet eam quam oportet diligentiam ad illud cavendum, magnæ est culpæ reus; ut si explodens sclopetum igniarium, aut projiciens lapidem, non attendat an aliquis eo lædi forte possit. Tam chara enim nobis esse debet proximi vita & incolumitas, ut omnem possibilem prudentiam afferre oporteat ne ei noceamus. Si vero casus talis incidat qui humana providentia evitari nequeat, infortunio quidem illud deputandum est, sed tamen ita ut tristitia saltem & dolore animi summo, quatenus fieri potest, expietur. Nullum enim certius indicium est plane involuntarii facti, quam ejusmodi pœnitentia. Qui enim in sinu gauderet sibi casu evenisse ut inimicum aliquem occideret, si non apud homines, certe apud Deum, qui cor intuetur, vere esset homicidii reus.

IV. In cædibus etiam voluntariis sunt diversi malitiæ gradus. Nam qui per fraudem & insidias alium interimit, atrocius peccat quam si aperto Marte ipsum adoriretur, & defendendi sui facultatem non eriperet. Quod tamen de privatis insidiis est intelligendum; nam qui in bello publico & legitimo hostem dolo aggreditur, id ei vitio verti non solet. Et ejus rei exempla approbata habemus in Sacris literis, ut Josue in occupanda urbe Hai, *Jos.* VIII. Huc etiam pertinent venena, quæ semper apud æquiores in detestatione fuerunt, & nequidem adversus hostes licere existimata. Unde Joannes φαρμακοὺς seu veneficos inter eos qui ex Jerusalem cœlesti excludentur recenset, *Apoc.* XXII. *v* 15. Medici vero & similes qui per imperitiam artis quam profitentur aliis causa sunt mortis, gravi se apud Deum crimine obstringunt, etiamsi ordinarie manus hominum evadant. Homicidia etiam ante nativitatem à matribus procurata, non parva sunt crimina; unde Hippocrates à suis discipulis juramentum exigebat, ne medicamenta eum in finem porrigerent. Item infantium recens natorum expositiones; quamvis apud Ethnicos sine scrupulo, & sine pœna quoque, in usu fuisse constet.

V. Ad odium quoque pertinet *vindicta* seu ultio, quæ sæpe ad cædes usque progreditur, etiamsi non raro infra eas subsistat. Ea est cum malum malo rependitur, sive id fiat eadem mensura, quod habet aliquam justitiæ speciem; sive majore, quod iniquum esse ratio docet. Sed ut melius intelligatur quid sit vindicta, attendendum est duo illius esse genera. Unum est cum accipitur pro castigatione aut pœna ejus qui peccavit, eo tendens ut emendetur, aut saltem ut ex ista pœna qua afficitur utilitas aliqua ad alios redeat. Absque ejusmodi vindicta non possunt consistere familiæ nec imperia. Nisi enim pater aut mater castigarent aliquando liberos qui ipsos offenderunt, mera esset in domo confusio. Et nisi Magistratus compesceret pœnis improbos, respublica incolumis manere nequiret. Cum ergo adeo sit necessaria, non est ponenda in vitio, nec ullam reprehensionem meretur. Dummodo ad sequentia monita attendatur. 1. Hæc vindicta seu castigatio, nunquam gravitate offensam excedere debet, sed potius levior esse. Sic enim moderatione sua se approbat apud æquitatis studiosos, & ex solo justitiæ amore profecta esse agnoscitur. 2. Debet inservire, si fieri possit, ad emendationem ejus qui castigatur; ac proinde contumelia & infamia vacare, quæ exacerbare solent animos, & impedire ne vitio nuntium mittant. Quod observandum est quotiescunque facinoroso vita non eripitur. Cum enim ei spatium emendandi se concedatur, iniquum est tali ipsum pœna afficere, quæ salutari isti fini obstaculum afferat. 3. Si gravius sit crimen, & vindicta usque ad capitale supplicium extendenda esse videatur, id solum facere oportet cum utilitas publica exemplum requirit, & non potest securitas, quæ debetur probis, aliter præstari quam vitam eripiendo iis qui tranquillitatem publicam turbant. Alias si compesci possent crimina absque sanguinis effusione, id longe anteponendum esset, tanquam lenitati Christianæ magis conforme, & charitati etiam pessimis debitæ, quæ requirit ne pœnitentiæ tem-

tempus ipsis præscindatur. Sed ista sunt muneris Magistratus, de quo alias agendum erit.

VI. Alterum vindictæ genus est, cum is qui offensus est id unum quærit ut animo suo satisfaciat, & odium in adversarium exerceat, etiamsi pœnam offensæ æqualem tantum exigat, aut etiam aliquanto minorem; ut si ei qui cultro vulneravit, alapam impingere sit contentus. Ista ultio si privato arbitrio sumatur, non expectata judicis sententia, semper damnata fuit à sapientibus, etiam inter Ethnicos. Qua de re vide eximium Juvenalis locum, Satyra 13. *At vindicta bonum vita jucundum ipsa*, &c. Hic enim plurima sunt reprehendenda. 1. Quod ii qui talem vindictam exercent, judices sunt in propria causa. Sapienter autem omnium æqui amantium populorum leges constituerunt, ne id unquam fieret. Amor enim cæcus quo plerique mortalium laborant, corrumpit eorum judicium, & impedit ne justitiam agnoscant aut sectentur, ubi agitur de propria ipsorum causa. Sibi semper jus tribuunt in iis de quibus cum proximo disceptant, etiamsi non raro contingat ut pejorem causam habeant; imo ut nihil plane sint læsi, ubi se gravissime læsos judicant. Quod ii demum bene judicare queunt, qui extra partes sunt, & quorum nihil interest uter litigantium superior evadat. 2. Quod vix unquam evenit ut illi modum servent quibus se ulcisci propositum est. Unde fit ut si aliquis iis mendacium exprobrarit, aut alapam impegerit, id existiment nonnisi offendentis sanguine expiari posse. Quod manifestam esse injustitiam, omnes qui eodem morbo non laborant facile agnoscunt. 3. Quod in ultione privata non possint intendi illi fines, ad quos modo dicebamus publicam Magistratus respicere debere; nempe emendationem illius qui castigatur, & utilitatem quæ inde ad alios redit. Nam irritatur magis qui ita punitur, atque inimicior quam erat antea redditur. Et talis vindicta nocet aliis malo exemplo; neque per eam tranquillitas publica procuratur, sed contra perturbatur. 4. Quod pusilli sit animi injuriam ferre non posse; ut videre est ex eo, quod nulli magis in vindictam proni sunt quam pueri aut fœminæ. Contra viri fortes generose solent contemnere offensas quibus ab aliis impetuntur, scientes illos solum iis lædi qui se læsos existimant. Nam virtuti eorum non obstant, imo amplum eam exercendi argumentum offerunt. Cui adde incommoda in quæ se vindictæ cupidi conjiciunt. Magna iis dum ira ardent voluptas videtur affectui isti morem gerere; sed postquam eum expleverunt agnoscunt demum quot mala brevis & immoderata voluptas post se trahat. Non potuerunt ferre leve aliquod damnum aut injuriam; postea vicibus mutatis cum se ulti sunt, graviora ab adversario aut ab iis qui illius partes defendunt perpeti coguntur: facultatibus exuuntur, patria pelluntur, corpore mutilantur, vitam amittunt, & quidem sæpe cum infamia. Ne jam de mala conscientia loquar, quæ tanquam tortor eos dies noctesque cruciat, quod divinis & humanis legibus contemtis, passioni suæ indulserint.

VII. Sed inquies, nonne lex Mosaica Israëlitis vindictam sumere de iis qui ipsos læserant permisit? Quid enim sibi aliud volunt hæc ejus verba? *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore*, *Exod.* XXI. 24. & in parallelis locis, *Levit.* XXIV. 20. *Deut.* XIX. 20. Resp. Hæc non sunt privatis dicta, sed Magistratui, cujus munus erat decernere, ut qui injuriam alteri fecerat, æquali offensæ pœna plecteretur. Cæteris omnibus præceptum erat, *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*, *Levit.* XIX. 18. id est Israëlitarum; quod vero ad alienigenas, non fuit prohibita, ut ante ostendi: sententiam tamen judicis videtur sub lege privatis etiam exsequi non fuisse illicitum. Eo enim referuntur verba quæ extant *Numer.* XXXV. 27. de ultore sanguinis, qui absque noxa erat si occidisset eum qui alterum etiam per imprudentiam interemerat, cum extra urbes refugii illum inveniebat. Nam iste ultor sanguinis erat aliquis interempti cognatus aut consanguineus, cui lex permittebat cædis quocunque modo perpetratæ vindictam, legitimis tamen mediis, persequi. Nec imprecationes adversus inimicos in lege erant prohibitæ, ideoque à sanctis etiam sine scrupulo usurpatæ, ut alias dixi. Sed sub Novo Fœdere omnis vindicta est prohibita, nec licet Magistratum adire ad eam postulandum. Quod significat aperte Dominus Jesus, cum suum mandatum Mosaïco opponit; *Audistis quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, &c. *Matth.* V. 38. 39. Verbis enim istis, *non resistere malo*, eam resistentiam intelligit quæ fit ulciscendo se; & vult nos adeo ab illa abhorrere, ut potius parati simus secundam injuriam perpeti, quam ei qui nos læsit par pari referre, vel Magistratum ut id pro auctoritate sua faciat interpellare: quod lex vetus non improbabat. Non quod ille peccet qui Magistratus opem implorat, ut se à gravi aliqua injuria tueatur, vel quod ereptum est recuperet; modo id non spectet ut dolorem suum ei à quo offensus est reponat, sed contra malit damnum aliquod ferre quam illum in periculum conjicere.

VIII. Quousque autem hæc Christiani hominis patientia se debeat extendere disputatur. Et indubium quidem est eam quo major est, Deo esse acceptiorem; dum tamen non sit conjuncta cum injuria eorum quos officii nostri est protegere. Etiamsi ergo recte faciam, si facultates meas omnes injusto possessori potius relinquam

quam quam de iis litigem; non tamen idem mihi licebit facere de bonis pupilli, cujus sum tutor constitutus. Teneor enim ipsum in judicio defendere, alioqui infidelis ero. Ita si latrones uxori, liberis, aut parentibus, bona, vitam, pudicitiam eripere niterentur, existimo non esse viri boni hic quiescere. Deberet potius Magistratus opem, aut aliorum quorumcunque implorare. Si vero nulli præsto sint, ut contingit in sylvis, in mari, vitam suam periculo exponere ad eis succurrendum. A proditione enim non videretur procul abesse necessarios suos aut itineris socios in tali casu deserere. Si charitatem erga latrones exercere laudabile est, multo magis erga eos qui nos propiori & arctiori vinculo contingunt. Quare ubi erga utrosque simul exerceri nequit, ille væcors foret qui hos illis præferre dubitaret. Cum vero de privata nostra tantum causa agitur, non nego quin eximiæ sit charitatis, latronem plus quam seipsum diligere, & malle ab illo interimi quam ipsum interimere, aut omnibus facultatibus spoliari quam vim vi ut natura suadet repellere. Sed nos ad id faciendum ex Christi præcepto obligatos esse non liquet. Verba quidem illius sunt generalia, & quæ nullam restrictionem admittere videantur. Dicit enim simpliciter & absolute, *ne resistite malo.* Sed exempla quæ adjicit satis ostendunt mentem ejus non fuisse, ut nunquam & nullo in casu resistere malo liceret; nempe, *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram; & ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; & quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo.* Non dicit, si quis te velit occidere, aut omnia quæ possides eripere, permitte ut illud faciat; prout debuisset dicere, si nequidem in gravissimo ejusmodi casu vellet nos malo resistere. Quod enim minus est, comprehenditur in majori; ideoque non fuisset opus illa rerum minoris momenti exempla afferre. Sed non vicissim majus includitur in minori, ita ut ex eo quod Dominus Jesus nobis id quod minus est præcepit, colligere necessario debeamus ipsum majus quoque præcepisse. Imo videretur aliquando vir bonus erga se iniquus esse si malo non resisteret; ut si atroci calumnia impetitus quæ famam ejus turpi macula aspergeret, & impediret ne cum fructu munus suum, quale est pastorale, aut aliud grave, obire posset, non se defenderet in judicio, quamvis id non impune adversario cessurum prævideret. His adde oppositionem quæ est inter Christi mandatum, & legis permissionem, sufficere ad intelligendum quo sensu vetuerit, ne resistamus malo; nempe ne nos ulciscamur, petentes ut illi qui forte oculum effoderit, oculus vicissim effodiatur, ei qui dentem excusserit, dens vicissim excutiatur, eo tantum fine, ut expleamus animum vindictæ cupidum, quamvis ex adversarii pœna nullum ad nos emolumentum redeat. Alias æquitas omnino postulat, ut qui proximum mutilavit, ut non possit amplius victum sibi labore suo comparare, resarciat illi damnum ex suis facultatibus. Et id à Magistratu peti potest absque ulla vel minima vindictæ cupiditate, aut violatione præcepti, de non resistendo malo. Christus enim istas æqui boniquc leges, quas natura cordibus hominum indidit, non abolevit, sed potius perfecit. Cæterum præter rationes quas natura adversus vindictam suppeditat, habemus quoque diserta in verbo Dei interdicta, *Ne ulciscimini vosmet ipsos, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindicta; ego retribuam. Sed si esurierit inimicus tuus ciba illum; si sitit, potum da illi. hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus*, &c. *Rom.* XII. 19. Ejus exemplum præbuit nobis eximium Dominus Jesus, *Qui conviciis affectus non vicissim conviciabatur; cum malis afficeretur, non minabatur, sed committebat se ei qui juste judicat*, 1 *Petr.* II. 23. Imo ante legem habemus Josephum, qui cum posset fratres ulcisci, fovit eos; & sub lege Davidem, qui cum occasionem esset nactus vindictam sumendi de Saule, ei pepercit, 1 *Sam.* XXIV. & XXVI. Cum autem multæ sint ultionis species, ea non minus frequens quam fœda est quæ fit in duellis; adversus quæ præter rationes generales supra allatas, observa adhuc has duas particulares. 1. Qui impetunt alios singulari certamine, omnes offensas æquales judicant, putantes eas non nisi adversarii sanguine expiari posse. 2. Illud est immanissimum in his pugnis, quod secundi, tertii, &c. adjunguntur, quos interdum vanus honoris prætextus, adversus amicos, à quibus nunquam læsi sunt, decertare cogit.

IX. Post homicidium & ultionem, agendum etiam est de *invidia*, quæ inter odii gradus & species refertur, & ejus aliquando est causa. Hæc vox duobus modis usurpatur, active & passive. Sed tamen, Cicerone auctore, melius invidentiam dixeris active, quam invidiam. Sicut ex opposito conjugatum invidiosus passive, invidus vero active semper accipitur. *Invidentia ergo est tristitia de alieno bono.* Ea maxime inter æquales, aut qui gradu à se invicem non multum distant conspici solet, qui alterius lucrum & commodum, suum reputant esse damnum. Sic, ut inquit Hesiodus, Et figulus figulo, & cantor cantori invidet. Fratres quoque & sorores invidia adversus se invicem accenduntur, si contingat ut parentes unum majore benevolentia quam alterum complectantur. Inde factum est ut filii Jacobi Josepho fratri inviderent, *Genes.* XXXVII. 3. 4. Sed non videmus aliquem ex fæce vulgi fortunæ regis invidere, nempe quia scit se ad eam ascendere non posse. Observandum etiam est, nunquam alteri invideri virtutem, sed tantum alia bona,

præcipue opes, honores, aliquando etiam ingenium, formam, robor, valetudinem. Virtus enim est nimis nobile bonum, ut invideatur; nec est causa cur id fiat, quia penes nos illam acquirere, si modo serio contendamus. Non est autem invidus qui sibi simile bonum optat ei quod à proximo possidetur, si ejus naturæ sit ut plures in sui consortium admittat, & unius commodum, non sit alterius incommodum. Huc pertinet æmulatio seu zelus, qui facit ut artifices aut literarum studiosi, &c. se invicem industria superare studeant. Eaque est stimulus ad egregia aggrediendum. Est alia invidentiæ species longe fœdior, cum quis de alterius bono dolet, quamvis id pro se non desideret, aut nullum inde quod ab altero possideatur detrimentum ipse sentiat. Hæc vulgo diabolica vocari solet, quia Diabolus primis nostris parentibus invidit felicem statum in quo à Deo erant collocati, etiamsi id sua nihil interesset, atque ut inde deturbaret eos ad peccandum sollicitavit. Quo respexit auctor libri Sapientiæ, cum dixit, *Invidia Diaboli mortem introisse in orbem terrarum*, II. 24. Ab ea non multum absuisse videntur Judæi, qui rejicientes Euangelium Christi, & eos à quibus annunciabatur persequentes, non poterant ferre ut Gentilibus prædicaretur, & in Paulo pro crimine irremissibili habent, *Act.* XXII. 21. 22. Non ex charitate erga illos, ut aliquis cogitare posset, quasi metuissent ne ab Apostolis seducerentur; sed ex summo odio, quo indignos judicabant vel ut exiguis aliquibus divinæ gratiæ micis fruerentur, nisi circumcisione suscepta se ad legem rituum observandum obligarent, Judæique fierent. Sic canis impedire conatur ne asinus fœnum comedat, quo ipse tamen vesci non vult. Cum invidia affinitatem habet *nemesis* seu *indignatio*, quæ inde concipitur, quod improbi prospera fruantur fortuna, divitiis abundent, & ad honores sint evecti, etiamsi meriti sint ut contraria omnia iis eveniant. Sed tamen multum ab illa differt, & non est per se culpabilis, dummodo eo usque non progrediatur ut adversus Deum murmuret, absque cujus justa & sapienti directione hæc non eveniunt. Quantum autem ab invidentia abhorrere debeamus, id vel solum docere potest, quod sit charitati, quæ nos Dei & Christi veros imitatores facit, directe contraria: deinde quod nullo prætextu, ut odium, velari queat; cujus aliquando tam justæ se offerunt causæ, ut nisi Deus diserte prohiberet, tolerabile esset ei indulgere. Hinc fit ut sint multi quos non pudeat odium suum fateri; sed nulli qui non erubescant agnoscere se invidiæ morbo laborare. Denique, ne plures nunc congeram rationes, invidiam fugere oportet, quia ea quæ passionem istam accendunt, opes & honores hujus mundi, indigna sunt quæ tanto studio persequamur, cum neminem beatum reddant, aut à morbis aliisque sæculi præsentis miseriis, multoque minus à morte, liberare queant.

X. Sed sunt etiam alii præter invidos, quos Scriptura dicit proximos odisse; de quibus nobis aliquid postremo hujus capitis loco attexendum est. Tales sunt qui optant ut ipsis aliquod infortunium eveniat, aut diris devovent; de quibus in tractatu de Precatione egimus, & nullum habere in exemplis Sanctorum Vet. aut Novi Test. præsidium ostendimus. Tales sunt quoque qui obtrectationibus suis bonum fratribus nomen eripere student, & delectantur cum vident eos apud alios male audire; quod nonnisi ab odio vehementi in corde latente proficiscitur. sed de fœditate calumniæ, non est hujus loci disserere. Tales sunt etiam qui impediunt, quantum in se est, ne proximi ea quibus ad sui suorumque sustentationem indigent sibi facile comparare possint; quod est odii cum invidia conjuncti effectum, & nonnisi in pessimas animas cadit; in quibus ne mica quidem est charitatis, & omnem humanitatis sensum exuerunt. Tales adhuc sunt qui circumveniunt proximum, & fraudibus atque rapinis bona ejus ad se trahunt; qui veri sunt fures apud Deum, qui pravas ipsorum artes animadvertit, etiamsi eas variis justitiæ prætextibus velare noverint, ne hominibus patescant. Sunt denique alii, qui nihil mali proximo faciunt aut optant; ideoque vulgo pro honestis hominibus habentur; sed quia non opitulantur illi in necessitate, nec officia charitatis præstant quæ possent, merito inter osores referuntur. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 1 *Joan.* III. 17. *Nam si non diligit fratrem suum quem videt; Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum diligat & fratrem suum*, 1 *Joan.* IV. v. 20. 21. Et talis homo est homicida, quia per eum non stat quominus frater suus indigentia pereat, cum tamen id possit impedire. Loquitur enim Apostolus de eo qui substantiam hujus mundi habet & fratri pauperi de ea nihil largitur. Quemadmodum autem ille causa est ut lampas extinguatur, non solum qui eam exsufflat, sed etiam qui nihil olei infundit; ita de proximi vita sentiendum est. Et ne nos inanibus cogitationibus seducamus, Christus repræsentans ultimi judicii formam, significat se ignis æterni supplicio addicturum, non homicidas, non fures, & latrones aliosque ejusmodi, de quibus nullum est dubium, sed qui esurientem aut sitientem proximum non cibarint, nudum non vestierint, &c. *Matth.* XXV.

CAPUT

CAPUT XL.

De Justitia, variisque ejus distributionibus.

I. *Duplex vocis justitiæ acceptio.* II. *Justitia vel est universalis, vel particularis.* III. *Universalis consistit in omnium Dei mandatorum observatione.* IV. *Etiam legum humanarum, modo divinis non repugnent.* V. *Quid sit æquitas, spectata in Magistratibus.* VI. *Et quid, spectata in privatis.* VII. *Quid sit justitia particularis.* VIII. *Dividi vulgo solet, in distributivam & commutativam.* IX. *Ab aliis commodius in Attributricem, & Expletricem.*

I. HActenus de charitate; sequitur nunc ut de *Justitia* agamus. Ista vox quemadmodum & *juris*, à qua derivatur, duo significat, nempe vel licentiam aliquid agendi, Græcis ἐξουσίαν; seu id quod honeste aut absque alterius injuria facere possumus. Sic jus habeo rem meam donandi, repetendi, vendendi, & justum est cum id facio. Vel obligationem ad aliquid præstandum, præsertim alteri, seu id quod honeste aut absque alterius injuria omittere non possumus. Sic jus requirit ut quod debeo alteri persolvam, & justus esse nequeo nisi id faciam. Prior acceptio justi est negativa, significat enim id quod non est injustum facere; posterior est affirmativa, significat enim id quod omnino oportet facere.

II. Justitiam hic in posteriore tantum significatu explicare propositum est. In quo rursus tribus modis accipitur. Nam 1. Justitia aliquando universum Christiani officium tam erga Deum, quam erga homines, & seipsum quoque comprehendit. Ideoque eam ratione amplitudinis sui objecti Justitiam universalem appellant. De qua celebratur illud Theognidis, ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι, id est, *Justitia in sese virtutes continet omnes.* Et Aristoteles dicit, neque hesperum, neque luciferum adeo atque illam, admirabilem esse. 2. Usurpatur paulo angustius, ut significet tantum hominis erga alios homines officia. Et sic magnam cum charitate habet affinitatem, ut initio præcedentis capitis monuimus. 3. Accipitur strictissime pro virtute quæ unicuique homini id reddit ad quod jure communi obligati omnes invicem sumus. De justitia in secunda significatione accepta non est necesse ut aliquid amplius dicamus, cum omnia quæ ad eam pertinent sub charitate complexi fuerimus.

III. Restat igitur tantum ut eam in primo & tertio sensu acceptam consideremus, id est, de Justitia tam universali quam particulari, & de hac quidem potissimum, tractemus. Nam cum justitia universalis à virtute in genere reipsa non differat, de qua jam actum est, pluribus in ea explicanda immorari velle superfluum foret. Nihilominus non est omnino prætereunda, cum certum est sæpe in Scripturis justitiæ & ejus conjugatorum vocibus justitiam istam universalem intelligi. Ex. gr. cum Dominus Jesus dicit discipulis, *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*, *Matth.* V. 21. & Joannes, *Qui facit justitiam, justus est; sicut & ille* (nempe Deus vel Christus) *justus est*, 1 *Epist.* III. 7. Et ita in aliis plurimis locis. Ea versatur in observandis omnibus Dei mandatis, nullo prorsus excepto. Nec alia possemus ratione apud Deum justificari, seu pro justis censeri & tractari, si nobiscum summo jure agere vellet. Justitia enim perfecta non consistit tantum in unius aut alterius mandati observatione, sed in omnium. Scriptum est enim, *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*, *Deuter.* XXVII. 26. Item, *Qui fecerit ea, vivet in eis*, *Levit.* XVIII. 5. Non facit autem ea, qui partem aliquam transgreditur. Perniciosus itaque est Judæorum error, qui putant se vel unius præcepti accurata per totum vitæ tempus observatione salutem consequi posse, nec obstare quod reliqua omnia neglexerint. Imo quamvis Deus in Euangelio longe mitius erga nos quam sub lege se gerat, & promittat credentibus in Christum omnium antecedentium peccatorum, etiam gravissimorum, remissionem, *Act.* XIII. 38. 39. *Hebr.* VIII. *v.* 12. id tamen non alia conditione facit quam ut conversi in posterum omnia sua mandata custodiant. Quod significat Dominus Jesus cum discipulis dicit, *Amici mei estis, si feceritis quæcunque præcipio vobis*, *Joan.* XV. 14. Quod si quis ambigat an universaliter accipiendum sit, id discere poterit ex iis quæ habentur *v.* 10. *Si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego Patris mei mandata servavi, & maneo in dilectione ejus.* Quin enim Dominus Jesus omnia Dei mandata, nullo prorsus excepto, servarit non est dubium; alioqui non fuisset insons à peccato & perfecte justus. Horsum etiam facit quod docet Jacobus, *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit &, non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis*, *Jacob.* II. *v.* 10. 11. Id tamen intelligendum non est de peccatis ignorantiæ aut infirmitatis in quæ interdum fideles labuntur, ad quæ Deus pro benignitate sua connivere solet; sed de iis solum quæ elato brachio, ut loquitur Scriptura, committuntur. Qui enim per Dei & legum ipsius contemtum, in uno aliquo, ad quod impellebat cupiditas, peccaverit, non verebitur alio tempore, si offeratur occasio, cætera etiam mandata transgredi. Et ejusmodi homo, si antea Dei voluntatem cognovit, in pessimo est statu. *Melius enim fuisset illi non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod traditum est ei sancto mandato*, 2 *Petr.* II. 20. 21. 22.

 IV. Cum

IV. Cum autem dixi justitiam universalem consistere in observatione omnium Dei mandatorum, id intelligendum est non solum de iis quæ ipse in Veteri & in Novo Testamento diserte præcepit; sed etiam de legibus humanis quæ obtinent in locis ubi degimus; nempe si non sint impiæ & Dei mandatis contrariæ. In tali enim casu meminisse oportet responsi quod Apostoli dederunt Judæorum principibus, qui vetabant ne amplius docerent in nomine Christi, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, *Act.* v. 29. Ita recte fecerunt obstetrices Ægyptiæ, quæ recusarunt obedire Pharaoni, præcipienti ut Israëlitarum mares interficerent, *Exod.* I. Et satellites Saulis, qui noluerunt extendere manus suas in Achimelechum, & alios Domini Sacerdotes, 1 *Sam.* XXII. Excepto ejusmodi casu, omnibus Principum & Magistratuum edictis, etiam durioribus, quibus tributa & vectigalia imperant, sine cunctatione parendum est. Nam qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, à quo omnis est in terris potestas, *Rom.* XIII. Idemque docet Petrus, *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive regi*, &c. 1 *Epist.* II. 13. *& seqq.* Ubi Magistratus vocantur *creatura humana*, quia ab hominibus creantur seu constituuntur. Etsi enim Deus velit ut mundus per aliquos Magistratus regatur, & *ἀναρχίαν* omnem improbet, in singulorum tamen populorum arbitrio reliquit, eam quam maxime probant regiminis formam, sive Monarchicam, sive Aristocraticam, sive Democraticam, aut aliquam ex illis mixtam, apud se constituere; præter subalternos & inferiores Magistratus, qui ubique locorum à suprema potestate, prout ipsi lubet, erigi solent.

V. Ad justitiam universalem pertinet etiam *æquitas*, seu æquum bonum, Græcis *ἐπιείκεια*, quæ est *virtus correctrix ejus in quo leges propter universalitatem suam deficiunt.* Necessariam autem esse ejusmodi virtutem inde probatur, quod leges quibus regitur hominum vita generalibus verbis concipi solent, quasi ea omnia complectentes de quibus controversia aliqua incidere potest; & tamen de iis tantum loquantur quæ ut plurimum usu veniunt, multique quotidie casus occurrant in quibus circumstantiarum ratio postulat ut à verbis legis discedatur, & rigor earum benigna aliqua interpretatione molliatur. Hic enim potius attendendum esse ad mentem legislatoris, quam ad nuda ejus verba, quando nonnisi injuste proposito alicui casui applicari possent, ratio manifesta docet. Ex. gr. sit lex quæ vetet peregrinum sub pœna capitis ad urbis muros accedere: factum autem sit ut aliquis peregrinus hostem adventantem cernens ad muros accurrerit & ipsum repulerit. Iste si ad verba legis attendas, reus erit mortis: sed nullomodo si inspicias quæ mens fuerit legislatoris in ejusmodi lege condenda; cum certum sit ipsum nihil aliud nisi securitatem urbis sibi proposuisse. Itaque si adesset, legem suam ipse emendaret, seu aliqua benigna interpretatione aut limitatione emolliret, nec permitteret, ut in perniciem benefactoris, qui potius remunerationem esset meritus, exsecutioni mandaretur. Indeque profectum est istud inter Jurisconsultos vulgatum, Summum jus, summa injuria. Ubi summum jus vocatur, non id quod est accuratissimum, in quo usurpando nulli potest fieri injuria, sed id quod æquitate neglecta in nudo verborum cortice inhæret. Et ideo dicebat Dionysius Cato in distichis moralibus, *Ipsæ etiam leges cupiunt ut jure regantur*; ubi jus pro æquitate sumsit. Aliud sit exemplum; Lex est quæ jubet depositum reddere, & mulctam irrogat ei qui cunctatus fuerit restituere statim atque reposceretur. Accidit ut aliquis apud me deposuerit gladium, qui aliquanto post furiosus evadit. Tunc repetit depositum: ego denego, veritus ne gladio ad alterum, vel etiam semetipsum interimendum abutatur. Quæritur an ideo mulctam persolvere tenear, & videtur quidem si nudis verbis legis inhæreas; sed alienum est prorsus ab intentione conditoris ejus; æquitasque jubet ut ad illam potius quam ad sola verba, in ejusmodi judicio respiciamus. Quamvis autem æquitas plerumque versetur in moderatione rigoris legum, contrarium tamen aliquando accidere potest. Verbi gr. sit lex quæ homicidii pœnam viginti annorum præscriptione aboleri vult. Contigit autem ut aliquis patrem interemerit; fructurne hujus legis beneficio? Ita; si verbis ejus inhæreas; sed si in mentem legislatoris penitius inquiras, non videtur tam atroci facinori impunitatem voluisse dare, & æquitas requirit, utilitasque publica, ut exemplum in parricidam, quocunque tempore deprehendi poterit, neglecta præscriptione quæ minoribus sceleribus favorabilis est, statuatur.

VI. Quod ad privatos autem spectat, æquitas in duobus potissimum consistit. Unum est, ne id omne semper ab alio exigamus quod jure facere liceret, sed propter quasdam circumstantias quæ id suadeant, de nostro jure malimus cedere, quam rigorem à legibus concessum sectari. Non ago hic de charitate Christiana, quæ vult ut proximis nostris ad paupertatem redactis, id quod mutuo à nobis sumpserunt condonemus; secundum id quod Christus jubet, *Mutuum date nihil inde sperantes*, *Luc.* VI. 35. quod rigide ab illis exigere non possumus absque legis Euangelicæ violatione, & quin judicium Dei in nos sine misericordia accersamus, *Jacob.* II. & *Matth.* XVIII. Loquor solum de justitia quæ locum habet in commerciis quæ cum mediocrium facultatum hominibus inimus. V. gr. dedi alicui mutuo centum aureos ducatos eo tempore quo singuli quatuor florenis æstimabantur, & ea lege ut in iisdem speciebus mihi

totidem

totidem nummos post annum cum usura ordinaria, ut 5 in 100, redderet. Accidit autem interea ut ducatorum æstimatio usque ad quinque florenos ascenderet. Isto casu secundum pactum possum quidem intra annum lucrum 125 florenorum ex 500 percipere. Sed quia talis usura foret enormis & valde gravaret proximum, æquitas à me postulat ut aliquid inde detrahi permittam, & minori lucro contentus sim. Sic in locis ubi lex vel consuetudo omnia parentum bona, vel maximam eorum partem primogenitis addicit, si primogeniti sint æqui, relaxabunt aliquid de suo jure. Idem quoque observari debet in juris nostri persecutione adversus eos à quibus offensi fuimus. Cujus exemplum habemus eximium in Josepho Beatæ Virginis sponso, qui ideo quod vir esset justus, noluit ignominiæ exponere sponsam gravidam, quam adulterii suspectam probabiliter habere poterat, sed de illa occulte dimittenda cogitavit. Hic enim ἀνὴρ δίκαιος idem est quod ἐπιεικής, seu qui rigide jus suum non persequitur. Alterum æquitatis officium est, ne subducamus nos ab oneribus publicis ferendis, etiamsi aliquo immunitatis privilegio frui possemus, si propter immunitatem nostram alii tenuiores nimium graventur: v. gr. potest aliquis esse immunis à tributis pendendis, vel ab excubiis agendis: sed si videat necessitatem publicam opem suam desiderare, & se privilegio concesso absque gravi aliorum damno non posse frui, æquitas vult ut in ejusmodi casu privilegio suo renunciet, & partem suam cum reliquis civibus de publicis oneribus ferat.

VII. Nunc ut de Justitia particulari disseramus, eam Justinianus, seu potius Tribonianus, in Institutis juris definit, quod sit *constans & perpetua voluntas suum unicuique tribuendi.* Quam ut minus accuratam reprehendunt quidem Logici, quia constans & perpetua voluntas, quæ designat habitum, ad virtutis, quæ est Justitiæ genus, definitionem pertinet, & id quod in definitione generis jam est dictum non debeat repeti in speciei definitione; tamen, si rem ipsam spectes, nihil in ea merito desiderare possis. Omnia ejus officia non minus concinne quam breviter complexus est Dominus Jesus his verbis, *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc enim est lex & prophetæ*, *Matth.* VII. 12. *Luc.* VI. 31. Quod negative, sed eodem sensu, commendavit Tobias filio suo, dicens, *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*, *Tob.* IV. 16. Istamque sententiam, quam ab aliquibus sive Judæis sive Christianis audierat, adeo dilexit Alexander Severus (referente Ælio Lampridio in ejus vita) ut in palatio & in publicis operibus perscribi juberet; & per præconem, cum aliquem emendaret dici jubebat, Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Cavendum tamen est ne quis ea male intellecta abutatur. Nam 1. Mens Christi non fuit confundere hominum diversæ sortis officia, ex. gr. ut domini, quia volunt sibi obedientiam à servis præstari, vicissim servis suis parere teneantur. Sed hoc tantum requirit, ut consideremus quomodo nobiscum agi vellemus aut nollemus, si aliorum, cum quibus nobis negotium intercedit, loco essemus. Quemadmodum enim si servus essem, cuperem dominum habere æquum, & qui me nimis dura servitute non premeret, ita ergo oportet ut me geram erga eos qui meo imperio subsunt. 2. Non intellexit istud de voluntate injusta, id est v. gr. ut quia fures, adulteri & similes, cupiunt ab aliis in suis facinoribus adjuvari & defendi, ita etiam nos improborum conatibus faveamus, & patrocinium præstemus. Sed restringi debet ad honesta & licita; v. gr. quemadmodum si penuria laborarem, cuperem mihi subveniri à divitibus; ita igitur quia opibus abundo, debeo egenis opem ferre. Item, sicut moleste tuli persecutionem religionis causa à Pontificiis rerum potientibus; ita si dominium alicujus regionis obtineam, nec Pontificiorum necullorum aliorum à me dissidentium conscientiis vim inferre debeo.

VIII. Sed ut enucleatius de Justitia tractem, observandum est eam vulgo in duas species dividi solere, quarum una διανεμητική, id est distributiva, altera συναλλακτική, id est commutativa appellatur. Et à se invicem duobus modis secernuntur, nempe tum materiæ circa quam versantur, tum formæ quæ illarum essentiam constituit, ratione. Materia in qua justitia distributiva est occupata sunt bona & onera communia; commutativa vero in privatis bonis & oneribus exercetur. Forma justitiæ distributivæ in eo consistit, quod ad dignitatem & statum personarum sit accommodata, & secundum ea bona & onera communia partiatur. Commutativa vero non respicit ad personas, nisi per accidens, sed eas æquales esse supponens, res etiam ipsas quantum fieri potest ad æqualitatem redigit. Ideo dicunt munus Justitiæ distributivæ esse ut servet proportionem Geometricam; commutativæ vero ut Arithmeticam. In proportione autem Geometrica spectatur æqualitas rationum; in Arithmetica vero magnitudinum. Ex. gr. cum dico, ut se habent 3 ad 9, ita 4 ad 12, est proportio Geometrica; sed cum dico ut se habent 3 ad 5, ita 7 ad 9, est proportio Arithmetica. In primo enim exemplo, ut 9 ter continet 3, ita 12 ter continet 4; & æqualitas est rationum, non magnitudinum. In posteriore vero ut 5 superat 3 binario, ita etiam 9 duobus excedit 7, est æqualitas magnitudinum, sed non rationum. Sed quia hæc paulo obscuriora sunt in numeris, applicare ea oportet materiæ propositæ. Sit Rex aliquis qui remunerari sibi proposuerit tres exercitus sui duces, qui se in prælio fortissime gesserint, singulos pro ratione fortitudinis suæ; & secundus

se duplo fortiorem primo exhibuerit, tertius secundum triplo antecelluerit; quæritur quid unicuique ipsum dare conveniat. Resp. Supponendo primum mille ducatos aureos accepturum, secundus debebit habere bis mille, & tertius sex mille, ut justa proportio servetur inter fortitudinem, & præmium ei promissum. Rursus, sint tres mercatores qui inter se societatem inierint, & primus ad eam contulerit bis mille aureos, secundus quater mille, tertius sex mille, & post sex menses lucrati sint ex illa pecunia mille aureos, vel contra jacturam fecerint mille aureorum; quæritur quid unicuique de lucro vel de damno obvenire debeat pro ratione summæ à se collatæ. Resp. primo $166\frac{2}{3}$, secundo $333\frac{1}{3}$, tertio 500 aurei sive de lucro sive de damno, secundum proportionem Geometricam obventuri sunt. In justitia commutativa res est facilior intellectu, quamvis non minus sit ardua observatu. Requiritur enim tantum ut res rebus, vel pretia mercibus æquentur. Prius locum habet in permutationibus, quales usitatæ erant olim ante usum nummorum inventum, & hodie inter quosdam barbaros populos qui eos adhuc ignorant. Tunc si agricola indigebat vestibus, oportebat eum tantum tritici dare sartori ut æquaret vestium valorem, & sic in aliis rebus. Quod erat valde incommodum; quia ii qui aliqua re indigebant non semper inveniebant cum quibus permutarent quæ sibi supererant. Posterius nunc sufficit, videl. ut pretium pecunia æstimatum merces acceptas æquet. Pecunia enim instar sponsoris est, quæ certum reddit mercatorem ipsum alio tempore omnia quibus indigebit sibi comparare posse, aliis qui istis abundant pecuniam pro mercibus dando, sicut antea merces pro pecunia dedit. Quod magnam commerciis commoditatem affert. In contractibus involuntariis qui ex injuria illata oriuntur, (ut eos, sed valde improprie, vocat Aristoteles) oportet ut satisfiat illi qui injuriam passus est, & lædens pœna gravitati delicti proportionata afficiatur. Cum autem pœna alia sit pecuniaria, alia corporalis, privato qui offensus est aliter satisfieri nequit quam per pœnam pecuniariam, etiam cum in corpore damnum tulit. Pœna enim corporalis ejus qui læsit, nihil prodest læso, & ejus dolorem aut incommodum non mitigat. Attamen injuria quam accepit aliquatenus pecunia compensari potest. Et in eo justitiæ officium consistit ut inter res adeo diversas, quale est damnum quod in corpore accepi, & pecunia ejus qui damno afficit, æqualitas inveniatur. Pœnæ vero corporales delinquentibus inferuntur ut publico satisfiat, cujus interest ut delicta coërceantur. Nemo enim de vita aut bonis securus esset, si potentioribus liceret debiliores impune offendere; & pœnæ metus efficit ut improbi, quos justitiæ amor in officio non continet, cupiditati morem gerere, in peccando & alios lædendo, non audeant. Et ita vulgo differere solent in genere Philosophi de utriusque quam constituerunt Justitiæ, nempe distributivæ & commutativæ, natura.

IX. At quia hæc non sunt semper & universe vera, ut debent esse artium præcepta, sed plerumque tantum; & deinde quia justitiæ, sicut neque aliarum virtutum forma non proprie consistit in mediocritate, sed in conformitate cum lege, ut alias ostendi; nec proportio Geometrica in Justitia distributiva, aut Arithmetica in commutativa perpetuo observari potest aut debet; sunt alii qui malunt in Attributricem & Expletricem distinguere, ut fecit *Grotius, de jure belli & pacis lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 8. quarum illa respondet quidem distributivæ, hæc vero aliquomodo commutativæ; sed tamen aptioribus terminis seu vocibus effertur. Nam sane pœnas quæ delictis debentur ad justitiam commutativam referre, & delicta contractuum involuntariorum nomine insignire, adeo improprium est, ut non possit magis. Nos tamen nemini de vocibus aut methodo controversiam movere intendimus, contenti si de rei summa, & iis quæ majoris sunt momenti, inter nos conveniat. Attributrix igitur seu distributiva justitia est, quæ unicuique pro ratione status aut meritorum id quod æquum est de communibus bonis & oneribus assignat; & ad eam pertinent liberalitas, gratitudo, cæteræque ejusmodi virtutes. Expletrix vero est, qua unusquisque officio suo erga alios satisfacere obligatus est, & ubi deficit, auctoritate publica compellitur. Et ad eam pertinet fidelitas per quam pacta & promissa absque ulla fraude observantur. Unde apparet, Justitiam distributivam non esse tantum eorum qui rempublicam regunt, ut quidam opinantur, sed etiam privatorum; quod etiam supra exemplo mercatorum societatem inter se ineuntium ostendi. Neque etiam Justitiam commutativam solum esse privatorum. Eam enim servare debent Reipublicæ rectores erga eos cum quibus contrahunt; ut si architectis ædificia publica exstruenda dederint, eodem modo cum eo agere tenentur atque si privati essent; & omnibus cujuscunque sint status aut conditionis promissam fidem servare.

Caput XLI.

De Prosopolepsia & Talione.

I. *Prosopolepsia quid. Est illicita.* II. *Quo casu sit licita.* III. *Quo sensu olim Deus Talionem præscripserit in Lege.* IV. *An omnis talio à Domino Jesu Matth.* 5. *prohibita sit.*

I. AD utriusque naturam recte intelligendum oportet scire quid sit *Prosopolepsia*, & quid *Talio*, de quibus disputari solet inter Ethnicos & Jurisconsultos. *Prosopolepsia*, id est personæ acceptio, est, cum Judex non tam attendit in judicando ad

ad meritum causæ quam ad personas litigantes, & illi victoriam adjudicat qui est ditior aut potentior, aut amicitia vel propinquitate conjunctus, contraque damnat inimicum, extraneum, pauperem & contemtum, & à quo sibi nihil sperat nec metuit. Ejusmodi prosopolepsia sæpe in lege reprehenditur. Sic Moses alloquens judices quos ipse inter Israëlitas constituerat, dicit, *Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est*, *Deuter.* I. 17. Vide *Proverb.* XVIII. 5. & XXIV. 23. & XXVIII. 21. & præcipue *Jac.* II. *à v.* 1 *usque ad* 9 *inclusive.* Imo adeo oportet judices abhorrere à personarum acceptione, ut nequidem ex misericordia absolvant pauperem. *Non consideres*, inquit Deus, *personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo*, *Levit.* XIX. 15. Quod eis commendatur Dei ipsius exemplo, qui *personam non accipit* ait Moses *Deut.* X. 17. Et ἀπροσωπολήπτως judicat secundum uniuscujusque opus, ut Petrus inquit 1 *Epist.* I. 17. & *Act.* X. 34. Et ita religiose observatur in omnibus bene ordinatis tribunalibus, ut litiganti fas sit recusare judicem quem probabiliter suspicatur adversario quam sibi faventiorem fore, ut si ejus amicus aut affinis fuerit, aut secum inimicitias aliquando gesserit, aliaque ejusmodi. Judicesque qui norunt quippiam tale objici sibi posse, solent sponte istarum causarum judicio, ad vitandum omnem suspicionem, abstinere. Et certe nihil adeo justitiæ, quæ unicuique quod suum est tribuere debet, adversatur atque personarum acceptio. Ista enim directa fronte inter se pugnant, & unum cum altero subsistere nequit. Quod symbolice significare voluerunt illi, qui justitiam cum libra in manu, ut causarum merita ponderet, & velatis oculis, ne personas intueatur, depinxerunt.

II. Quæritur tamen an omnis personarum acceptio in universum damnanda sit, adeo ut nunquam liceat amicum, vel divitem, aut nobilem alteri præferre qui talis non sit. Resp. 1. Id licere in iis quæ à mero nostro arbitrio pendent, & cum iis nulla fit injuria qui cæteris postponuntur; imo aliquando crimen foret ejusmodi prosopolepsia non uti; ut si agatur de beneficio prorsus gratuito conferendo in aliquot æqualiter indigentes, non tantum fas mihi est, sed etiam obligatus sum patrem, aut fratrem vel amicum, aliis præferre. Ideo etiam Deus non est prosopoleptes, cum in gratiarum suarum quas nulli debet distributione, hos illis pro arbitrio præfert, ut eos, qui orti sunt ex pijs parentibus, aliis, quemadmodum Israëlitas propter Abrahamum majoribus quam alios terræ populos beneficiis cumulavit. 2. Cum agitur de muneribus reipublicæ, & leges sunt quæ postulant ut ad ea divites & nobiles assumantur, illi in quorum potestate istud est tenentur legibus parere, & eos anteponere tenuioris fortunæ & ignobili loco ortis hominibus, quamvis forte divitibus & nobilibus ad rempublicam administrandam capaciores essent. Posset tamen alicujus plebei tam eminens virtus esse, & tam insignia in publicum merita, ut injuria ipsi & reipublicæ fieret, nisi ad munus de quo agitur potius quam alii ex patriciorum ordine, sed longe minus apti, eveheretur. Sed inter eos qui ratione census & familiæ ad publica officia assumi queunt, nullum est dubium quin probi & periti, longe imperitis aut improbis anteferri debeant, & turpis foret prosopolepsia si electores ad propinquitatem aut amicitiam, magis quam ad æquitatem & reipublicæ commodum in ejusmodi casu respicerent.

III. Quod ad *Talionem* attinet, alii eam oppugnant, alii vero propugnant. Qui oppugnant partim inutilem, partim absurdam & injustam, partim denique observatu impossibilem esse dicunt. Inutilem quidem, quia si dedero proximo frumenti modium, & ille mihi eadem hora alium reddat, id nec danti, nec retribuenti quicquam proderit. Absurdam vero & injustam, si is qui calumniam passus est, alia calumnia offensorem ulciscatur, & cujus uxor adulterio corrupta est, cum adulteri uxore vicissim mœchetur. Impossibilem denique observatu, ut si cæcus alteri oculos effoderit, eidem pœnæ nullus amplius erit locus. Sed isti homines legis æquissimæ mentem non capiunt, aut sophisticantur data opera ut eam ridiculam reddant. Nihil minus cogitarunt ejus authores, & Deus ipse qui eam per Mosem Israëlitis dedit. *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione*, &c. *Exod.* XXI. 24. *Levit.* XXIV. 20. *Deuter.* XIX. 20. Hoc enim sibi tantum Deus & gentium legumlatores voluerunt, ut justitia commutativa sive expletrix in omnibus, quantum fieri posset & honestas permitteret, æqualitatem servaret; non ut à verbis legis nunquam vel minimum discederetur. Non ergo ad illam observandam oportet ut si modium frumenti ab alio mutuo acceperim, tantumdem etiam ipsi eodem momento retribuam. Sufficiet, si post messis tempus, & cum agrorum meorum reditum accepero, id faciam. Quales contractus pauperes agricolæ non raro nunc cum mercatoribus urbanis ineunt. Vel oportebit modium tritici pecunia æstimare, & justum ejus pretium solvere; sicut nummorum usu invento fieri ubique consuevit. Nec voluerunt legislatores ut scelus scelere pensaretur, v. gr. mendacium mendacio, adulterium adulterio. Id enim honestas satis indicat turpe & iniquum esse. Sed si quis ejusmodi crimina patraverit, pœnam vel in ære, vel in corpore æquivalentem secundum æstimationem legum vel prudentis judicis pendere debet. Quod etiam locum habebit, ubi vel talio est prorsus impossibilis, quemadmodum in exemplo allato cæci

qui

qui alteri oculos eruisset; vel non potest observari quin pœna major aut periculosior sit delicto; ut si luscus cuipiam oculum effoderit, injustum foret ipsi oculum qui superest effodere. Sic enim cæcus redderetur, cum læsus cocles tantum sit factus. Nec satis tutum esset ei qui proximo brachium amputavit, vicissim brachium amputare, cum posset fieri ut ex illo vulnere interiret, is vero quem læsit superstes adhuc sit. Iniquum quoque foret pauperi qui manuum labore se & familiam numerosam sustentare debet manum resecare, quia alteri qui ex reditibus suis vivit resecuisset. Et, si quis ignem admovisset alterius ædibus, non esset consultum ipsius ædes vicissim cum vicinorum multorum detrimento incendere. In ejusmodi ergo casibus, non tam verba legis quam sensum & legislatoris intentionem sequi oportet; id tantum spectando, tam in commerciis quam in pœnis, ut æqualitas debita servetur, & ubi inveniri nequit in rebus ipsis, quæratur in pecunia. Quod etiam Judæorum sapientes testantur observatum olim fuisse in gente sua, & raro accidisse ut secundum verba legis oculus pro oculo, manus pro manu, alicui adempta sit; sed plerumque damnum acceptum ex sententia judicum pecunia æstimatum fuisse. quamquam ubi talio facile & sine majore detrimento servari poterat, permisisse vindictæ cupidis ut eam exigerent, & voluisse ut judices ipsorum postulato assentirentur. Idque passim hodie obtinet in pœna homicidii, cui satisfieri non posse creditur, nisi homicida etiam propria morte luat; licet interdum circumstantiæ suadeant ut mitigetur, ut si cædes commissa sit per imprudentiam, aut in se à vi aliena defendendo, & ut Jurisconsulti loquuntur, servato moderamine inculpatæ tutelæ.

IV. Sed hic major difficultas enodanda occurrit, An non omnis pœnæ talio Christianis hodie sit illicita, Dominusque Jesus eam prohibuerit, cum verbis legis quæ dicit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, &c. opposuit suum mandatum, *Ego vero dico vobis, Ne resistite malo*, &c. *Matth.* v. 38. Sed hic observandum est, Christum non compellare Magistratus, sed privatos. Quod manifeste apparet ex eo quod dicit, *Nolite putare quod venerim solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere, Matth.* v. v. 17. Quod verum non fuisset, si judicia publica & magistratus munus hæc dicendo abolere intendisset, cum maxima legis pars in his consistat. Prohibet igitur tantum ne sui discipuli, quos ad perfectiorem sanctitatem vocabat quam lex Mosaica exigeret, accepta aliqua injuria talionem adversus eum qui læserat à Magistratu reposcerent; quod absque vindictæ cupiditate fieri non poterat; eam vero à suis omnino abesse volebat, ut Capite de charitate docui. Inde autem fiet quidem, si privati jus suum adversus eos qui injuriam intulerunt apud Magistratum non persequantur, ut Magistratus talionis pœna non afficiat multa minora delicta, de quibus nemo conqueretur. Sed non propterea interdictum est ipsi ne puniat, cum erunt qui petent; imo istud ex officio ei incumbit, quod negligere nequit quin violatæ legis & muneris sui reus sit. Præsertim in gravioribus criminibus, quæ publicæ tranquillitatis interest ut coërceantur. Quamvis enim nemo privatim læsus id ab ipso postularet, teneretur tamen ratione muneris quod sustinet non sinere impunitum. Privatis ergo solis, qui se veros Christi discipulos præbere volunt, prohibitum est ne talionem injuriarum sibi factarum reposcant; sed non Magistratui; qui quotiescunque id aliquis ab ipso petit non potest inultum permittere; imo quamvis nemo petat, si boni publici intersit ne dissimuletur.

CAPUT XLII.

De Mercatura, Cambio, & Fœnore.

I. *Mercatura an sit licita.* II. *Quæ in mercatura observanda circa pecuniam.* III. *Quæ circa ipsam mercaturam.* IV. *Inter gravissima quæ in mercatura committuntur peccata est annona flagellatio.* V. *Sed & in venditione rerum superfluarum variæ injustitiæ species committuntur.* VI. *Quid sit Cambium, illudque esse licitum.* VII. *Argumenta quibus aliqui probant usuram omnem esse illicitam.* VIII. *Usura in se non est iniqua.* IX. *Quomodo modus in ea excedi possit.* X. *Quid sentiendum sit de trapezitis.* XI. *Magistratus est fœnori modum ponere.* XII. *Et quam in eo normam sequi debeat.* XIII. *Usura usuræ est illicita.* XIV. *Respondetur argumentis quibus omnem usuram esse illicitam quidam contendunt; & primo ad testimonia Ethnicorum.* XV. *Ad interdicta Legis Mosaicæ.* XVI. *Ad interdictum Christi Luc.* vi. 35.

I. EX iis quæ dicta sunt de æqualitate quam justitia postulat in commerciis, sumitur occasio quærendi, an mercatura sit licita, quæ lucro inhians, nihil aliud spectat quam ut vilissimo pretio emat, & deinde carissimo vendat; ut præteream innumeras fraudes quas in ea committi quotidie videmus. Quo respiciens Siracides non obscure eam damnat, dicens, *Vix eximitur mercator è delicto, neque justus est à peccato caupo.* Et paulo post: *Inter compages lapideas figitur clavus, & inter emptionem & venditionem peccatum ultro citroque teritur*, *Eccles.* XXVI. *v. ult.* & XXVII. *v.* 2. Imo minus honesta ab Ethnicis ipsis existimata, ut apparet ex Cicerone, qui dicit, Emere ut mox vendas, sordidum est, Offic. lib. 2. Addunt etiam, ope mercaturæ afferri è longinquis regionibus merces quibus melius est carere quam abundare, quia tantum ad mores corrumpendos faciunt, utpote luxui & gulæ explendæ inservientes. Unde observatur populos, apud quos nullus est mercaturæ usus, longe sanctioris esse vitæ aliis qui eam exercent. Talesque erant olim Scythæ, & multi etiamnum in America. Verum tamen discernendum est inter finem merca-

mercatorum & mercaturæ, & inter legitimum mercaturæ usum illiusque abusum; nec propterea quod vitia quædam illi adhæreant statim est eliminanda, sed potius studendum est ut ab iis repurgetur. Constat enim esse rem humanæ vitæ utilissimam, & qua regiones quædam, necessariis ad victum aut amictum minus instructæ, vix, imo ne vix quidem, carere possunt: ex. gr. Hollandia nostra, quæ absque mercatura incolas suos alere nequiret. Nec sine causa Deus voluit ut omnis tellus non ferret omnia; ut ita occasionem haberent homines, dum aliis ea quibus abundant distribuunt, & ab iis vicissim quibus indigent accipiunt, amicitiam inter se nectendi, & ignaros in cognitione veræ religionis instituendi.

II. Itaque operæ pretium erit præcepta hic quædam de iis quæ in mercatura observanda sunt tradere, ne adversus justitiam peccet & criminationibus minus sit exposita. Et quia pecunia præcipuum est instrumentum quo uti solet, de ea primo loco nobis est dicendum. Ubi non puto opus esse multis ostendere quam graviter illi delinquant qui nummos adulterant, & pro bonis mercibus falsam pecuniam reddunt. Id enim merum esse furtum constat, cum nullius ea aut exigui sit valoris; ideoque in omnibus principatibus & rebuspublicis bene institutis puniri rigide solet. Nam præter injuriam qua publicum afficit, etiam in jura dominantium involat, quorum est solorum monetam cudere. Sed istius criminis etiam sunt participes, qui cum per imprudentiam falsos nummos acceperint, postea errore agnito eos pro legitimis expendere non dubitant. Quamvis adeo non sint rei ut qui cuderunt, & leges adversus eos nullas decernant pœnas, non tamen sunt excusabiles, utpote qui scienter peccent & proximum fraudent. Nec refert quod primi id non faciant. Exiguum enim est discrimen inter eum qui peccandi initium facit, & eos qui ipsum sequuntur. Qui ergo conscientiam illæsam servare vult, patienter debet ferre jacturam in quam per ejusmodi casum incidit, & sive id ipse deprehendat, sive ab alio fuerit admonitus, damnum cujus proximo causa fuit incunctanter resarcire. Ad pecuniæ adulteratores accedunt etiam qui illam accidunt; quanquam fraude tanto minus periculosa, quanto animadversu & vitatu facilior est. Appende enim (si per reipublicæ moderatores liceat) & à damno tutus eris. Ab hoc autem delicto non plane immunes sunt mercatores qui nummorum pretium supra legitimum valorem augent. Inde enim fit ut cum Magistratus huic confusioni modum ponere, & omnia in legitimum ordinem restituere vult, multi inevitabiliter detrimentum ingens patiantur.

III. In ipsa etiam mercatura pluribus modis peccatur, quos referre singulos mei non est instituti; nec facultatis quamvis maxime cuperem, cum fraudes istæ plerumque iis solis qui exercent cognitæ sint. Inprimis damnanda est opinio, qua maxima mercatorum pars imbuta esse videtur, licere sibi merces minimo emere pretio & longe infra legitimum earum valorem, & contra vendere maximo, & longe supra quam valeant, cum tamen id iniquissimum sit & cum aliorum detrimento conjunctum, nec multum à latrocinio abeat. Minimo autem pretio emere aliquid contingit in duobus casibus. 1. Propter ignorantiam vendentium, qui imperiti sunt & justum rerum suarum valorem nesciunt. 2. Propter urgentem aliquam necessitatem, quæ cogit eos sua vendere ut præsentem habeant pecuniam, ex. gr. ad se liberandum à servitute. In primo casu æquitas postulat ut emptor venditori declaret pretium eorum quæ vendit, nec simplicitate ejus abutatur ad suum commodum. Cujus eximium habemus exemplum in Q. Mutio Scævola, quantumvis Ethnico. Is enim cum fundum aliquando empturus pretium legitimum sibi indicari jussisset, idque venditor fecisset, aperte & ingenue dixit, se fundum pluris æstimare, addiditque præterea centena millia, Cicer. lib. 3. de offic. p. 527. Vix talem inter Christianos hodie reperias. Cicero huic narrationi subjicit, Nemo est qui hoc boni viri fuisse neget, sapientis negant, &c. Sed an vera sapientia ab honestate est sejuncta? De utriusque comparatione vide insignem locum apud Lactant. lib. 5. cap. 17. In altero casu non est minus iniquum indigentia vendentis abuti, ut ei sua quasi pro nihilo extorqueas; sed si res ejus, si domus aut fundus quem exponit venditioni tibi commodus sit, non licet tibi eum multum infra ordinarium valorem emere. Unde leges Romanæ concedunt restitutionem in integrum ei, qui in venditione ultra mediam legitimi pretii partem fraudatus fuerit. Vir autem bonus sibi ipsi lex esse debet, & sponte facere quæ sui novit esse officii, non expectans donec à judice cogatur. Eadem etiam æquitas in vendendo est observanda, nec mercatori fas est simplicitate vel indigentia emtoris abuti ad mercium suarum pretium in immensum augendum. Verum quidem est, difficillimum esse modum lucro certum statuere quem prætergredi non liceat. Circumstantiæ enim, præsertim temporum & locorum, tantam hic diversitatem afferunt, ut quod in hoc tanquam justum approbatur, in illo tanquam injustum merito damnari queat. In genere illud obtinet, ut ubi est copia aliquarum rerum ibi vili pretio vendantur; ubi penuria, cariori. Quod postremum tamen non laxat frænum avaris pretia in immensum augendi. Non est enim æquum ut calamitas publica in paucorum aliquot gurgitum emolumentum cedat. Sed si quis divitiis supra modum non inhiet, si eam conscientiæ rationem habere velit quam Christianum decet, & auream illam æquitatis normam, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, perpetuo ob oculos

habeat, facile sciet quomodo se in vendendo gerere conveniat, & qui sint termini quos excedere non debet. Convenit inter omnes, & ratio ipsa docet, æquum esse ut mercatores ex suo labore & pecunia lucrum sibi honestum comparent, quo se & suos sustentare queant. Deinde pericula quibus se exponunt, & damna quæ frequenter patiuntur, non permittunt ut præcise definiatur, quantum ex singulis quæ vendunt emolumentum ad eos redire debeat. Nullus enim, opinor, erit adeo rigidus, qui non ipsis interdum jacturam, quam in uno mercium genere fecerunt, in alio data occasione resarcire concedat. Ipsi, modo inexplebili opum siti non laborent, quæ est instar idololatriæ & à regno cœlorum excludit, illud optime nosse queunt. Interea quia facile accideret, ut pauci aliqui omnium opes ad se traherent, si unicuique quantum vellet merces suas vendere concederetur, iste mos obtinet in omnibus bene constitutis Principatibus & Rebuspublicis, ut pretium certum statuatur rebus maxime ad vitam necessariis, quod mercatorum avaritiæ impune excedere non liceat, ut tritico, pani, aliisque ejusmodi; & optandum esset ut in aliis quoque multis id fieret. In Hispania moris est etiam libris pretium præfigere, & in fronte illorum excudere quanti singula folia vænire debeant, ne lucripetæ mercatores studiosos expilent. Quod etiam Genevæ antea observatum est in Bibliis Gallicis.

IV. Sed inter gravissima peccata merito recensetur flagellatio annonæ, cum observatur tempus penuriæ frumenti, ut id venum exponatur. Quod Deus exprobrat per suum Prophetam Israëlitis, quos introducit dicentes, *Quando transivit novilunium, & venum dabimus merces, & Sabbathum, & aperiemus frumentum, &c. ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus.* Quam ob causam Dominus ipse jurat, *Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum*, &c. *Amos* VIII. Objicitur Josephum id fecisse, qui tempore gravissimæ famis, pro frumento emit Pharaoni, non tantum pecora Ægyptiorum, sed etiam agnos, & populum ipsum, ut essent ejus mancipia, *Genes.* XLVII. 15. &c. Et tamen agunt ei gratias, tanquam pro ingenti beneficio, quod eis servasset vitam. Resp. Ita quidem est. Sed Josephus non observaverat tempus famis ut care venderet Ægyptiis frumentum; imo forte non vendebat carius quam alio tempore ordinarie solebat. Verum quia per septem annos duravit fames, terra infrugifera manente, inde factum est ut opibus exhausti essent. Non enim consilium suum celavit illos, cum tempore abundantiæ frumentum emeret & colligeret in horrea publica; & verisimile est eos, qui ipsius prædictioni crediderunt, aut potuerunt, recondidisse quoque sibi commeatum in tempus angustiæ venturæ. Denique etsi Josephus, tanquam minister regius, paulo quam par est attentior fuisset fisci opibus cum aliquo subditorum detrimento augendis, non sequitur id consentaneum esse charitatis legi, quam præscripsit nobis Christus in Novo Fœdere, ut mercatoribus idem erga fratres egenos usurpare liceat. Qua occasione memorabile afferam exemplum, in omnem posteritatem celebrandum, primarii cujusdam civis Rupellani, qui tempore obsidionis & asperrimæ famis, quæ accidit anno 1628, & supra duodecim hominum millia absumsit, cum haberet horrea frumento plena, & inde maximam pecuniæ vim posset colligere, si voluisset currenti pretio illud vendere (nam modius tritici, qui alio tempore triginta aut quadraginta stuferis æstimabatur, tunc centenis, imo etiam ducentis florenis vænibat) contentus fuit indigentibus mutuo dare, ea lege ut obsidione soluta & messe facta, tantumdem sibi redderent. Fateor tamen mercatores ad factum istud imitandum non esse obligatos: æquum enim est ut ex sua pecunia & industria lucrum aliquod capiant. Sed inde videre possunt ponendum esse cupiditati suæ modum, nec licere id omne pro mercibus exigere, quod forte emtorum urgens necessitas dare cogeret. Sic crudelis foret & inhumanus, qui habens medicamentum sedandis gravibus calculi doloribus idoneum, nollet ægro nisi pro omnium suarum facultatum pretio dare; & ita in aliis similibus.

V. In superfluis aliquid amplius indulgere sibi possunt mercatores; sed ita, ut proportio semper aliqua inter valorem mercium quas vendunt, & pretium quod accipiunt servetur. Quod si modus hic certus & perpetuo observandus poni nequeat, saltem nemo, qui aliquam æquitatis habere volet rationem, audebit excusare fraudes quæ in contractibus committuntur. Qualis est illa cujus meminit Cicero lib. 3. de Offic. de Pythio argentario Syracusano, à quo Caius Canius eques Romanus deceptus hortos multo majore pretio quam valerent emit, cum ipsi falso persuasisset omnes pisces qui Syracusis venderentur illic capi. Quo pertinent omnia quæ fiunt ut merces meliores appareant quam revera sunt, seu vitia earum occultentur: ut cum incrustatur vetus & ruinosa domus, ut nova & integra appareat; & decrepiti equi aut vitio aliquo laborantes, pro juvenibus & in quibus nihil desideretur venduntur. Quæ fraus adeo vulgaris est hodie inter eos qui mangonium equorum exercent, ut si imprudentem aliquem decipere potuerint, tanquam de insigni facinore palam gloriari soleant. Nihil est necesse attingere eas quæ circa res esui aut potui destinatas, item medicamenta, ubi sunt perniciosissimæ, atque pannos & reliquam suppellectilem committuntur, cum de similibus idem debeat fieri judicium, & ea quæ in uno genere iniqua & illicita sunt, in alio affini probari non possint. Huc pertinent quoque quæ delinquunt mercatores

circa

circa pondera & mensuras, cum in emendo majoribus, & in vendendo minoribur utuntur. Contra id quod præcipit lex; *Nolite facere aliquid iniquum in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius*, &c. *Levit.* XIX. 35. 36. vide etiam *Deuter.* XXV. 13. 14. 15. *Proverb.* XI. *v.* I. & XX. 10. 23. Quod etiam in eos quadrat, qui etsi mensuras aut pondera iniqua non habeant, norunt tamen in mensurando aut ponderando incautiores & minus attentos arte aliqua decipere. Plura non addo, quia fraudum genera infinita sunt, quæ etiam in iis exercitati vix enumerare possent. Hic unusquisque conscientiam suam excutiat, & videat num erga proximos æquitatem illam servet, quam erga se vellet. Hæc melior est norma quam omnia quæ leges præscribere queunt. Externa enim solum facta dirigunt, animi insatiabiles cupiditates non coërcent, multoque minus tollunt.

VI. Ad mercaturam pertinent *cambium* & *fœnus*, quia in iis negociatio exercetur. Cambium est pecuniæ permutatio, à cambire, quod significat rem cum re permutare. Et magnam societati humanæ utilitatem affert, modo fraudis sit expers. Cum enim orbis terrarum dominium sit in diversos Principatus & Respublicas distributum, & in singulis peculiaria nummorum genera cudantur, quæ non ejusdem ubique sunt valoris: (nam inter summi imperii propria collocatur jus fabricandæ pecuniæ, unde ad dominantes non exiguum lucrum redire solet:) nullum posset inter diversos populos commercium exerceri, nisi essent collybistæ seu numularii, qui pro peregrinis nummis darent alios, inter loci ubi negotiandum est mercatores cursum habentes. Ad tractandum autem cambium opus est justa exæquatione diversorum nummorum, & pretii quo singuli in variis regionibus æstimantur. Nam ordinarie valor nummorum est major in dominantibus ubi cuduntur, minor vero in aliis; propter emolumentum quod inde percipere volunt Principes qui fabricandos curant; adeo ut nummis qui ejusdem sunt ponderis & bonitatis, non ubique pro eodem pretio exponantur. Est etiam aliquid cambii genus quod fit per literas, & valde commodum est peregrinantibus, atque iis qui extra patriam suam negotiantur. Cum enim propter pericula viarum à latronibus obsessarum, item maris, fluviorum, aliaque ejusmodi plura, non satis tutum sit magnas secum pecuniæ summas circumferre, hæc omnia incommoda per literas cambii facile evitantur. Nemo autem est qui non animadvertat æquitatem postulare, ut ii, qui aliis sive in hac sive in illa cambii specie inserviunt, utilitatem aliquam ex suo labore & pecunia percipiant. (Non loquor hic de minuto cambio, ubi ex permutatione unius aut alterius nummi sive aurei sive argentei, in minorem monetam, aut contra, lucellum captatur; quod ab omnibus honestis mercatoribus sordidum existimatur.) Istud ergo negociationis genus quod in permutanda pecunia consistit, æque honestum est & licitum in se, atque alia omnis generis mercium quæ vulgo exercentur; dummodo nulla fraus aut injustitia in eo committatur; quales sunt si pro bonis nummis reddantur adulterini, aut qui non sint justi ponderis; item si nimium exigatur pro permutatione, ut plerumque contingere videmus. Extra hos casus, qui accidentales sunt cambio, & ab eo separari facile possunt, si campsores nimis lucro non inhient, non video cur id turpe existimari debeat. Non enim propter rei alicujus abusum damnari statim oportet omne ejus exercitium; præsertim si constet ipsam alias utilem esse, & valde negotiantibus peregrinantibusque commodam, quaque vix carere possint. Quod autem afferunt Dominum Jesum ingressum in templum Hierosolymitanum, inde numularios expulisse, æsque eorum effudisse & mensas subvertisse, *Matth.* XXI. 12. 13. *Joan.* II. 14. &c. nullius est momenti. Non enim sequitur ex eo quod non potuerit ferre talem negociationem exerceri in domo cultui divino consecrata, ipsum penitus improbasse, adeo ut nusquam alibi honeste aut bona cum conscientia illi vacare liceat. Instant: Cur ergo dixit eis, *Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur: Vos autem fecistis illam speluncam latronum?* Nonne sic ostendit se numulariam pro latrocinio habere? præsertim cum istud applicari non possit iis qui oves aut columbas vendebant, quod omnes licitum esse norunt. *Resp.* Omnem quidem negotiationem fraudulentam & injustam instar esse latrocinii, ideoque summopere ab omnibus piis fugiendam. Sed ea in ovibus & columbis æque locum habere poterat atque in cambio. Proinde non apparet hinc ipsum Domino Jesu magis quam alia mercaturæ genera improbatum fuisse, quasi absolute malum; cum nihil aliud reprehenderit, nisi quod sacro loco, & fraudulenter atque inique tractaretur.

VII. Sed major est difficultas circa *fœnus*, quod in Sacris literis prohibitum fuisse constat, & multi ex sanioribus Ethnicis improbarunt, omnesque Pontificii Doctores & non pauci ex Reformatis damnant, an aliqua id ratione defendi aut excusari possit. Nam quod ad Scripturam attinet, multa illic habentur hac de re diserta loca. Qualia sunt hæc: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes*, *Exod.* XXII. 25. Item, *Si attenuatus fuerit frater tuus, - ne usuras accipias ab eo, nec amplius quam dedisti, - Pecuniam tuam non dabis ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges*, &c. *Levit.* XXV. 35. &c. Rursus, *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet*

libet aliam rem: sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id quo indiget commodabis, &c. *Deut.* XXIII. *v.* 19. 20. Vide etiam *Jerem.* XV. 10. *Ezech.* XVIII, *v.* 8. & XXII. 12. ubi usura tanquam ingens scelus culpatur. Sic etiam *Nehem.* V. videmus reprehendi Judæos, qui usuras à fratribus suis accipiebant. Et prædici à Salomone calamitatem illis qui *multiplicant divitias suas usura & fœnore*, *Proverb.* XXVIII. 8. Contra, commendatur à Davide is *qui pecuniam suam ad usuram non dedit*, *Psal.* XV. 5. Denique Dominus Jesus Christus jubet nos *mutuum dare, nihil inde sperantes*, *Luc.* VI. 35. Sic inter Ethnicos, Cato interrogatus, Quid esset fœnerari, nimirum ad rem familiarem augendam; respondit, Quid hominem occidere! Cic. 2. de Offic. Et Plutarchus fœneratores confert cum vulturibus, qui non occidunt quidem, sed occisa invadunt; dicens eos sic alienos sudores in usus suos convertere. Unde fuere leges, quæ cum dupli pœnam furi irrogarent, fœneratores ad quadrupli restitutionem damnarunt; ita significare volentes se eos furibus longe pejores existimare. Plerique etiam Patres plane fœnus improbant, ut Lactantius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus inter Latinos; Basilius, Gregorius Nyssenus, aliique inter Græcos. Indeque factum est, ut in jure Canonico expresse & absque exceptione damnetur. Vide *Clement. lib.* 5. *tit.* 5. *de Usuris.* Ubi etiam fecernitur eum, qui pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum, velut hæreticum esse puniendum. Affertur quoque fœnus proximi charitati repugnare. Charitatis enim hoc esse proprium, ut non quærat quod suum est, 1 *Cor.* XIII. id est emolumentum suum privatum, sed potius quod est alterius, 1 *Cor.* X. 24. 33. Fœneratores autem sua tantum quærere, & quomodo magnas corradant opes; nullam vero proximorum rationem habere quos usuris suis exhauriunt. Item esse injustum, quia id quod alterius est sibi vindicat: nempe non tantum lucrum quod alieno labore & industria factum est, sed etiam quod ex alterius pecunia provenit; pecuniam enim quæ mutuo data est, non amplius ejus esse qui dedit, sed ejus qui accepit; secundum vulgarem Jurisconsultorum sententiam, qui dicunt mutuum esse alienationem; cui favet etymologia vocis: mutuum enim dicitur quia de meo fit tuum. Præterea fœnus esse crudele, quia sub beneficentiæ prætextu interimantur illi quibus pecunia mutuo datur. Similem enim esse fœneratoris pecuniam morsui aspidis. Nam veluti is qui ab aspide morsus est, quasi dulci somno corripitur, sed qui ad interitum ducit, veneno se per omnia ejus membra occulte & sensim diffundente. Ita illum qui pecuniam ad usuram accepit, initio inde quasi levamen percipere; sed temporis progressu fœnus ad quod solvendum se obligavit facultates suas omnes consumere, nihilque aliud superesse ei nisi ut misere pereat. Denique affertur fœnus esse aliquid monstrosum & cum pecuniæ natura pugnans. Ejus enim usum isto tantum fine fuisse introductum, ut esset negociationis mutuæ instrumentum; cum alioqui permutatio sæpe admodum difficulter fieri possit, si ille cujus merces desidero meis non indigeat, aut contra. Non convenire ergo ei ut aliam ex se pecuniam pariat, cum sit res sterilis. Eaque de causa Aristotelem agnoscere fœnus, quod Græci τόκον νομισμάτων appellant, id est nummorum fœtum, ex omnibus modis quibus homines pecunias acquirere solent, esse maxime præter naturam. Politic. lib. 1. cap. 10. Non enim ut fundus aut ager fruges producunt, aut equæ, vaccæ, oves genus suum multiplicant, ita se res habet cum nummis; nam etiam summa cura asservati, nihil tamen ex se generant; & tamen oportet eum qui fœnore accepit, plures post aliquod tempus reddere, quasi alios peperissent.

VIII. Sed non obstantibus omnibus hisce rationibus, non existimarim tamen omnem usuram promiscue quasi æquitati adversam jure damnari posse. Quod ut appareat sciendum est primo quid sit fœnus aut usura. Ea est merces quæ pro accepta mutuo pecunia ex pacto datur. De hac sola disceptatur hodie, an sit licita, necne. Nam quod ad omnes alias res attinet quæ aliis utendæ traduntur, nunquam in controversiam vocatum est, utrum pro iis mercedem aliquam accipere fas sit. Sive enim agrum, sive domum, sive pecora alteri locem, omnes agnoscunt æquum esse ut inde emolumenti quippiam ad me redeat, nec id infami usuræ aut fœnoris nomine culpari solet. Quia enim omnia ista utilitatem accipienti afferunt, qua is qui tradidit interea temporis se privat; ratio docet oportere ut rei dominus istius commodi certa quadam proportione fiat particeps, ne omne lucrum sit penes alienum accipientem, damnum vero penes dominum tradentem. Certum autem est ista omnia, nempe agros, domos, pecora, aliaque ejusmodi pro quorum locatione mercedem accipimus, pecunia comparari posse. Quod ille forte fecit cui pecuniam meam mutuo dedi, aut eam in mercaturam sibi lucrosam impendit: egoque pariter facere potuissem, nisi illa me privassem. Cur ergo mihi non liceret mercedem aliquam mediocrem accipere pro usu illius pecuniæ, ex qua nisi alteri tradidissem, facile erat res tam utiles & lucrosas comparare? Et sic responsum est ad ultimum argumentum; quo dicebatur pecuniam esse rem sterilem, qui nihil ex se pariat; proindeque iniquum esse ab eo cui mutuo dederis plus quam tuam sortem repetere. Etsi enim pecunia, in se considerata, sit res sterilis; agri tamen, pecora & similia quæ pecunia emimus, non sunt sterilia, sed valde fœcunda. Itaque id non magis monstrosum est & contra naturam exigere mercedem pro

pro usu pecuniæ, quam pro usu domus, aut fundi, prout quotidie nemine culpante fieri videmus. Unde constat in genere usuram in se non esse iniquam, aut cum natura pugnare, adeo ut omnis promiscue sit damnanda & ex Christianorum commerciis prorsus, ut nonnulli majore forsan zelo quam scientia contendunt, eliminanda.

IX. Quin tamen in ea sæpe graviter peccetur, non est negandum, sive eos consideres quibus pecunia ad usuram datur, sive usuræ modum, aut potius excessum. Nam quod ad primum attinet, cum aliquis ad extremam paupertatem redactus, & nihil habens unde emat quæ ad victum quotidianum sunt necessaria, pecuniam à divite mutuam accipit, non ex qua negocietur, aut lucrum faciat, sed tantum ut se suosve sustentet, ne fame aut frigore pereant, in tali casu charitas non permittit fœnore ipsum gravari. Et eo potissimum respexit Deus in lege quam Israëlitis dedit, ut ostendunt diserta ejus verba, *Si pecuniam dederis mutuam populo meo pauperi*, &c. *si attenuatus fuerit frater tuus*, &c. Non loquitur de iis qui pecuniam suam fœnori collocant apud mercatores, qui ea ad divitias suas augendas utuntur: sed tantum constituit quomodo se unusquisque erga pauperes in danda ipsis mutuo pecunia gerere debeat: nullaque eos pro mutuo usura esse gravandos. Eadem quoque fuit mens Domini Jesu, cum præcepit, *Mutuum date, nihil inde sperantes.* N[illegible] quamvis istis verbis, *nihil inde sperantes*[illegible] excludat directe usuram, tamen per con[illegible] tiam necessariam improbavisse colligitur. [illegible] enim de extreme pauperibus, iisque vult [illegible] tuo dari quo indigent, etiam cum incertu[illegible] est, an id unquam restituendi facultatem sint habituri. Si ergo jubet ut sortem nostram amittendi periculo potius exponamus, quam ut pauperem in sua angustia deseramus, quanto magis usuram ipsi remitti?

X. Sed, inquies, si ita se res habeat, quid statuendum erit de trapezitis, quos Lombardos vulgo vocant, qui nullo discrimine facto inter pauperes & divites, omnibus promiscue qui ad ipsos accedunt, pecuniam sub pignore mutuam fœnori dant? an negociatio illorum est licita, & inter Christianos ferenda? Resp. Optandum quidem esset, ut ea carere posset respublica, & ut divites atque opibus valentes tam prompti essent ad succurrendum gratis indigentiæ pauperum, ut non cogerentur ad trapezitas confugere. Sed quandoquidem istis temporibus, ubi charitas adeo refriguit, id sperare non licet; nec tamen æquum est pauperes ope necessaria destitutos manere; longe præstat ipsos etiam sub aliquanto graviore conditione subsidium quo indigent invenire, quam prorsus nullum. Tale autem est quod trapezitæ pecunia mutua sub mediocris emolumenti spe data præbent. Ipsique qui ista lege accipiunt pauperes fatentur id longe sibi conducibilius esse, quam si nullus dare vellet, adeoque sponte eo recurrunt cum aliqua necessitas premit. Nullus autem dixerit trapezitas magis obligatos esse quam cæteros divites, pecuniam suam gratis pauperibus & sine fœnore mutuo dare. Quid-ni enim iis liceat ex illa negotiari, aut fundos emere è quorum reditibus vivant? Et, si id faciant, non habebunt unde omnibus à se petentibus mutuo dare queant. Cum ergo ipsis pecunia sit instar mercium, ex quibus alii mercatores quæstum facere solent, non magis tenentur rationem habere, an quibus eam mutuo fœnori dant sint pauperes vel divites, quam illi qui vendunt triticum aut pannos. Nam in exercitio justitiæ commutativæ nulla status aut personarum habetur ratio, sed tantum æqualitatis, id est ut justa sit inter ea quæ dantur & accipiuntur proportio.

XI. Verum tamen quia valde proclive est peccare in commercio pecuniæ, & magis quam in aliis mercaturæ generibus, Magistratus qui est justitiæ in republica custos, solet fœnori modum certum statuere, quem transgredi non liceat, non tantum privatis, sed etiam iis qui trapeziticam publice exercent. Nam mensas fœneratorias nemini erigere absque ejus auctoritate & consensu permissum est, aut in iis recedere vel minimum à constitutionibus de usura factis. Imo in quibusdam civitatibus Magistratus ipse per suos ministros ex publica pecunia is[illegible]m negociationem facit, & providet ne quid [illegible]i admittatur. Scio quidem objici, il[illegible]s magis quam divites usura gravari, [illegible]a pecuniæ sum[illegible]na, qualem solent [illegible]auperes, [illegible]us exigitur pro pro[illegible] ex majore. Sed illud aliter fieri nequ[illegible] ministri secundum suum la[illegible]n reditibus sustentandi sunt; plus [illegible]eræ iis impendendum est in multis minoribus summis numerandis & in codices rationum referendis quam in una magna; & multa parva pignora quæ pro earum securitate dantur, plus molestiæ in asservando facessunt, quam unum aut alterum magni pretii.

XII. Quam autem normam sequi debeat Magistratus in constituendo usurarum modo, non ita facile est dictu. Non enim pro mero arbitrio eum statuere ipsi fas est, sed æquitatis summam tenetur habere rationem, ut ne quid in detrimentum faciat vel pecuniam fœnori collocantium, vel accipientium. Sunt ergo qui existiment oportere Magistratum attendere quid lucri facere possint ex pecunia qui eam mutuo accipiunt, ut secundum illud modum fœnori ponant. Sed id præcise fieri nequit, quia non tantum pendet à negotiantium industria, quæ in uno major est quam in alio, sed etiam ab occasionibus, quæ faciunt ut lucrum sit valde inæquale, etiam ubi par industria & labor adhibitus

hibitus est. Constituendus autem est certus in fœnore modus, qui universalis sit, & ad quem omnes se componere obligati sint. Sic tamen vitari nequit, quin interdum emolumentum majus æquo ad hunc redeat, ille vero damnum patiatur. Sed istud est omnium constitutionum generalium inevitabile incommodum, quod eas perpetuo comitatur, & impedire non debet quominus fiant, cum respublica iis absque longe majore incommodo carere nequeat. Sufficit enim ut leges generales ut plurimum sint utiles; nec propterea à ferendis abstinendum est, quod huic aut illi per accidens in quibusdam extraordinariis & impravisis casibus detrimentum aliquod offerre possint. Istud in genere de usurarum modo certum apud omnes est, talem constituere allaborandum esse, qui utrique negociantium parti æque faveat. Nam neque totum emolumentum debet esse penes collocantem pecuniam. Sic enim accipiens gravaretur immodice, & nihil aliud esset nisi fœneratoris mancipium, qui nequidem debitam laboris sui mercedem acciperet; quod omnes injustum esse agnoscunt. Neque ab altera parte totum lucrum debet ad accipientem pecuniam redire. Æquum enim est ut dominus qui ea se interea privat, & collocare non potest in emtionem fundi, aut utilem atque fructuosam sibi negociationem, partem in illo aliquam habeat. Faciendum igitur hic est quod in aliis mercium generibus usurpari solet, ut pretium iis statuatur pro ratione copiæ aut inopiæ. Nam ea quorum abundanti[illegible] est viliori pretio venire consueverunt, [illegible] mus quotidie fieri in iis quæ ad vi[illegible] nent. Contra vero carius vendunt[illegible] penuria est seu raritas. Non po[illegible] regula ad quam se componat M[illegible] do generali usurarum constit[illegible] est quam hic & alibi passim qua[illegible] [illegible]ni consensu obtinere videmus. [illegible] [illegible]uavis aliquid iniqui habere videatur, nempe ut ubi minor est abundantia pecuniæ, major pro ea pendatur usura; aliter tamen fieri nequit, cum ab altera parte ii qui pecuniam quæ rarior est possident, eam pluris æstiment, & ex ea majus lucrum percipere queant, si in emtionem fundorum aut mercaturam impendant, quam cum major est ejus abundantia. Aliquando tamen leges permittunt ut ab hac norma discedatur, ubi qui pecuniam collocat majori amittendæ periculo se exponit; ut in fœnore mantico, cum aliquis hac conditione paciscitur, ut ex. gr. recipiat decem aut duodecim pro centum cum navis incolumis redibit, si vero pereat nihil de mutuo data pecunia repetere possit. Æquum enim esse putatur ut periculum quod est in ejusmodi negociatione, compensetur majori aliquo lucro quam alias percipere licitum foret.

XIII. Hic etiam observandum est, usuram usuræ, quam ἀνατοκισμὸν Græci vocant, recti amantibus nunquam fuisse probatam. Ea est cum singulis annis accumulatur usura quam aliquis debet sorti ipsi, ut ex ea deinde usura nova percipiatur: ex. gr. si quis pro 2000 fl. accipiat centum fl. annuos, secundo anno illos centum fl. adjiciat sorti, eoque elapso exigat 105, & ita deinceps. Nam quamvis liceat ei cui certa pecuniæ summa pro fœnore quotannis debetur, eam mutuo alteri ad usuram dare, iniquum tamen censetur si illi ipsi det à quo accipere debebat, quia inopia ejus abutitur ad ipsum gravandum, & hac ratione opes ejus intra breve tempus fœnore consumit. Nec rationi consentaneum esse putatur, ut pecunia eo ipso momento quo nata est, parere incipiat. Unde qui paulo sunt æquiores, non ita rigide usuram statim atque tempus solvendæ advenit exigere solent, sed spatium aliquod sive longius, sive brevius debitoribus suis ad satisfaciendum concedunt: quod in ἀνατοκισμῷ non fit.

XIV. Hinc videre est, quomodo respondere oporteat ad argumenta illorum qui omnes usuras indiscriminatim damnant. Nam quod attinet ad testimonia Ethnicorum, quæ ideo magni putantur esse ponderis, quod à lege naturæ seu recta ratione dictata fuerint; observandum est ipsos tantum damnasse usuras suo tempore in locis ubi vivebant usitatas: nempe quibus pauperes, qui pecuniam ad urgenti necessitati subveniendum mutuo accipiebant, supra modum gravabantur. Ubi dupliciter pec[illegible]ur, tum quod ab iis exigebantur usuræ [illegible] gratis mutuari oportebat; tum quod [illegible] non servabatur, sed longe graviori usu[illegible]atur pecunia quam æquitas permittebat, [illegible] ubi ad diem dictum non solvebatur usura, pro ea usura alia exigebatur. Unde seditiones sæpe ortæ sunt, quia pauperes à divitibus opprimebantur, qui exiguum quod iis supererat malis ejusmodi artibus ad se trahebant. Sed usuræ inter mercatores, & alios qui mutuo pecuniam accipiunt ut conditionem suam meliorem reddant, nunquam fuerunt damnatæ; tantum illis modus legibus est positus, ne æquitatis limites excederent, & plus lucri ad collocantes pecuniam rediret, quam ad accipientes commodi, etiamsi labori non pepercissent, & omnem sibi possibilem industriam in bene utenda pecunia adhibuissent.

XV. Verum major hic difficultas superest ex parte legis Mosaïcæ quæ Israëlitis omnem erga populares suos usuram exercere prohibet. Quamvis enim, ut ante annotavi, prohibitio illa facta sit præcipue in gratiam pauperum, tamen adeo generalibus verbis concepta fuit, ut omnes cujuscunque sortis homines ea comprehenderentur, solis alienigenis exceptis. Id autem sapienti consilio proculdubio factum est, ad obviam eundum omnibus litibus & altercationibus quæ inde oriri possent, si aliquibus sub fœnore mutuari permissum fuisset, aliis vero mini-

minime; propterea que omnes æquati fuerunt. Sed Chistiani hodie ad hujus constitutionis observationem obligati non sunt. Nam ut supra, cap. XXXVIII. §. 10. ostendi, leges Politicæ Mosis nullos alios præter Israëlitas quibus latæ erant devinxerunt. Unde nullus dixerit illicitum esse Christiano agrum quem à parentibus hæreditate accepit alienare, sicut illis erat, & Nabothi exemplum docet, 1 *Reg.* XXI. Quod si usura æquitati naturali omnino esset contraria, Deus non permisisset Israëlitis eam ab extraneis accipere, ut diserte facit *Deuter.* XXIII. 19. Nam quod in se turpe & iniquum erat, nemini unquam perpetua lege indulsit. Sic non licebat Israëlitis alienigenarum thorum adulterio violare, nec facultates eorum furto aut rapinis ad se trahere. Excipiunt Deum non concessisse populo suo ad usuram mutuari aliis quam Cananæis, qui internecioni erant destinati; mirum autem non esse si eos quos mandaverat trucidare, licuerit occasione data usuris expilare. Sed resp. supponi tanquam verum, quod nequaquam est. Verba enim concessionis sunt generalia, *Non fœnerabis fratri tuo*, &c. *sed alieno*. Comprehendunt ergo omnes qui ex Israëlitarum genere non erant, cujuscunque gentis forent, sive Ægyptii, sive Moabitæ, sive Idumæi, aliique, in quorum regiones aut possessiones Deus nullum jus Israëlitis dederat. Instant, in aliis Scripturæ locis, quæ supra citavi, usuras universaliter & absque ulla prorsus limitatione aut restrictione damnari. Sed facilis est responsio, debere ea secundum legis mentem exponi. Non enim arctioribus adstringunt vinculis quam illa, aut prohibent quod secundum eam permissum erat. Quare si ad circumstantias locorum attendatur, statim apparebit nullos illic reprehendi nisi legis transgressores, nempe qui fœnori dabant Israëlitis, & quidem tenuioris sortis; in quo geminum erat grave peccatum. Nusquam autem culpantur qui ab extraneis usuras accipiebant, secundum legis indultum. Id enim requirebat æqualitas in commerciis observanda. Quemadmodum alii populi cum Israëlitis negotiantes ab iis fœnus accipiebant, ita quoque vicissim poterant Israëlitæ illis pecuniam suam fœnori dare; alias lex deteriorem fecisset Israëlitarum conditionem, quam erat gentium à fœdere Dei alienarum.

XVI. Sed urgent præcipue verba Christi, quæ ita generalia sunt, ut omnem prorsus usuram, à quibuscunque sine exceptione accipere prohibeant; *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Nam quod dixi supra, Christum ad usuram non respexisse, sed præcipere dare indigentibus, etiamsi nulla spes esset ab iis sortem suam aliquando recipiendi, putant non convenire cum ejus verbis; quia non dicit δότε sed δανείζετε, unde fit δάνειον, fœnus, & δανειστὴς, fœnerator. Verum hæc observatio nullius est momenti. Nam, ut præteream verbum δανείζω derivatum esse à δάνος, quod non tantum mutuum, sed etiam donum prorsus gratuitum significat; nemo nescit quædam interdum ita mutuo dari pauperibus, ut potius donum sint quam mutuum proprie dictum, cum is qui dat non credit se unquam debitum suum recuperaturum. Sunt tamen qui putent istud respicere ad spem quam ille qui mutuo dat, posset habere eum qui accipit sibi aliquando par pari retributurum, seu futurum ut τὰ ἴσα ἀπολάβῃ, sicut ibidem dicitur: adeo ut Christus velit ut etiam absque tali spe mutuum petentibus demus. Cui adde Christi verba, μηδὲν ἀπελπίζοντες, verti posse & forte debere, non ut vulgo fit, nihil inde sperantes, sed potius *nihil desperantes*. Id enim significat proprie vox ἀπελπίζω, imo nescio an alio sensu unquam accipiatur apud bonos auctores. Sic autem sensus non foret minus egregius; nempe Christus ad tanto efficacius movendum nos ut benefaciamus pauperibus, dixisset; Ne desperate quin Deum sitis remuneratorem habituri, sive in hoc, sive in futuro sæculo, qui non permittet ut cum facultates vestras in eleemosynas erogaveritis, rebus necessariis postea destituamini. Sic accepta hæc phrasis, nihil prorsus adversus usuras faciet, & nobis liberum relinquetur de iis sentire quod æquitati maxime consentaneum existimabimus.

CAPUT XLIII.
De Fidelitate.

I. *Quid sit fidelitas.* II. *Requirit ne quis verbis ambiguis deludat alterum.* III. *Licet tamen dissimulatione uti.* IV. *Servanda sunt promissa, si facta sint de re licita.* V. *Etiam hæreticis est servanda fides.* VI. *Pontificios contrarium docere probatur.* VII. *De decreto Concilii Constantiensis in negotio Joannis Hussi.* VIII. *Aliis testimoniis idem confirmatur.* IX. *Qua fides hostibus sit servanda.* X. *Qua latronibus & piratis.* XI. *Etiam est servanda, quando plus damni ad nos est rediturum, quam boni ad eum cui illam dedimus.* XII. *Non vero, quando ejus impletio nocitura est ei cui data est.* XIII. *Aut quando quis ignorat, quid polliceatur.* XIV. *Aut quando is cui promissum fit ignorat quid à nobis postulet.*

I. Ad justitiam quoque pertinet ut promissa impleantur; & veracitati in omnibus dictis & sermonibus studeatur. Illud primum speciali nomine fidelitas vocatur, quæ est virtus per quam homo constanter & absque ulla fraude cum altero pacta eique promissa servat. Et revera fides est justitiæ fundamentum, quo labascente ipsam quoque corruere necesse est. Id ... vi-ro justo & æquo summæ ...
non tantum fidei violatæ ...
quatenus fieri potest, suspi...

II. In ea primum id req...
biguis verbis deludat alterum ...
ter & data opera, est mera fra...
Nos enim non loquimur nobis ...
propterea que non licet alio sensu ve...

quam vulgo accipi novimus, maxime ab eo cum quo nobis res est. Unde non potest excusari ille dux, qui cum aliquot dierum inducias cum hoste pepigisset, noctu populabatur agros; quasi nox, ubi agitur de supputatione temporis, sub diei appellatione comprehendi non soleret. Item ille, qui cum promisisset se hosti restituturum dimidium navium quas eripuerat, omnes medias diffindi curavit, & laceras partes reddidit, cum satis constaret pactum nonnisi de integris & usui aptis accipiendum esse. Et hoc nomine vulgo male audiunt Jesuitæ, & aliquot alii celebres Ecclesiæ Romanæ Doctores, quod per doctrinam de æquivocationibus & reservationibus mentalibus viam sternant ad omnis generis fraudes. Pleni enim ista de re sunt eorum libri. Sic Mart. Navarrus Azpilcueta probat S. Francisci Assisiensis factum, qui interrogatus à lictoribus homicidam persequentibus, An illac, ubi S. Franciscus erat, talis homicida transiisset? immissis manibus intra manicas, respondit, Hac non transiisse; nempe per illas manicas. Imo Sylvester Prieras non veretur ejusmodi doctrinam ad Christum auctorem referre. Quando aliquis, inquit, interrogatur de aliquo, quod dicere non expedit, dicere potest se illud nescire, subintelligendo, ut revelandum: exemplo Filii hominis, qui juxta Marcum dixit se nescire diem judicii: quod secundum Doctores ideo dicit, quia illud non sciebat ut revelandum nobis, &c. Tunc autem maxime licitum esse docent ejusmodi ἀμφιβολίαις uti, cum aliquis Ecclesiasticus vocatur in jus coram Magistratu, & ab eo interrogatur; & quidem hoc prætextu, quod Ecclesiastici Principum & Magistratuum sæcularium non sint subditi, ac proinde bona conscientia eos deludere possint ambiguis responsis, tanquam illegitimos imperii quod eis non competit usurpatores. Sed hic geminum est crimen: 1. In eo quod attentant se eximere suorum Principum dominationi. Omnis enim homo, absque exceptione, est illius Principis aut Magistratus subditus in cujus territorio est, pro eo saltem tempore quo illic est, nec licet cuiquam exceptione fori uti, ad declinandum ejus jurisdictionem. Pontifex quidem Romanus præsumit Ecclesiasticos, tanquam suos subditos, imperio omnium aliorum Principum & dominorum eximere. Sed hæc est mera usurpatio; nec sibi unquam Dominus Jesus tale quid tribuit, nec ejus Apostoli. Ille enim comparuit ultr[illegible] coram summo Sacerdote & Judæorum [illegible] Ethnico judice Pontio Pi[illegible]: & tantum abest ut Pau[illegible]nem declinaverit, ut con[illegible]vocarit, *Act.* XXV. 2. Etiam[illegible]ilegium aliquod haberent, [illegible]dicum sæcularium exemti es[illegible]et tamen apud eos mentiri cum [illegible] de aliquo facto. Hæc autem verborum ambiguitas, de qua disputamus, nihil aliud est nisi merum mendacium, quocunque prætextu veletur: nec unquam vir æqui amans sibi tantum indulgebit ut ad ejusmodi artes obliquas confugiat.

III. Sed, inquies, nunquam-ne ergo licet dissimulatione uti, præsertim ad grave aliquod periculum vitæ imminens, effugiendum? Resp. Aliud esse non dicere totam veritatem, aliud mentiri: hoc nunquam est licitum; sed illud aliquando. Potest enim fieri ut de veritate aliqua interrogeris ad quam patefaciendam non es obligatus, imo quam celare debeas si boni viri officio fungi velis. Ex. gr. tempore persecutionis pro Euangelio, si judex veritati inimicus interroget aliquem ubi lateat verbi divini minister, vel quinam cœtui sacro interfuerint, is non tenetur in conscientia illud aperire, sed potius omnibus viribus laborare ut occultum maneat. Non tamen propterea ad mendacia, aut æquivocationes mendaciis æquipollentes recurrendum est, sed aperta via agendum, & obsequium iniquum ad quod nullo jure obligaris recusandum. Partem autem veritatis aliquam reticeri aut dissimulari posse, dummodo nihil falsi dicas, Deus ipse in instructione quam dat Samuëli docet. Nam cum ipsum mitteret Bethlehemum ad ungendum Davidem in regem super Israële, loco Saulis quem rejecerat; & Samuel diceret, *Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me:* Dominus ei respondet, *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices, Ad immolandum Domino veni,* &c. 1 Sam. XVI. Quamvis enim id quod jubebatur dicere verum esset, non tamen erat ille unicus finis, imo forte nec præcipuus, ob quem veniebat; & Deus sufficere judicavit si parte aliqua veritatis patefacta aliam reticeret: exemplum nobis præbens, quomodo cum innocentia columbina, prudentiam serpentis conjungere oporteat, ne nos temere, & ubi opus non est, in periculum vitæ amittendæ conjiciamus.

IV. Nunc de fide data amplius videamus, an ad eam servandam omnes ita obligati sint ut vinculum istud nunquam solvi possit aut debeat. Hic primum supponimus promissum esse factum de re licita, & quæ in nostra sit potestate. Nam quod alterius est generis nullam vim obligandi habet, etiamsi jurejurando fuerit confirmatum. Hinc Herodes culpatur ab omnibus, quod sub juramenti prætextu non ausus fuerit resilire à temerario promisso quo se erga Herodiadis filiam obstrinxerat, daturum se ei quicquid petitura esset. Nam cum petiisset sibi Joannis Baptistæ caput confestim in patina afferri, poterat respondere, se vi promissi ad nihil obligatum esse quod non foret honestum; turpia enim, quæ absque violatione juris exsequi nequimus, in nostra secundum leges potestate non esse. Imo si de aliquo facinoroso qui mortem esset meritus actum fuisset,

fuisset, Herodis dignitatem minime decuisset saltatricis istius voto annuere, & ad crudele ejus ingenium oblectandum humano sanguine convivium fœdare: quanto ergo minus tanti viri, quem Herodes non tantum justum & innocentem, sed etiam Prophetam divinitus missum agnoscebat? Cum igitur in promisso nullus est ejusmodi defectus, dubium non est quin vir bonus illud implere debeat.

V. Unde judicari potest quid de hac quæstione inter Christianos à paucis retro sæculis agitari cœpta, An hæreticis fidem datam servare oporteat, sentiendum sit. Non repetam hic quod alibi observavi, quam injuste hæreticorum nomine infamari soleant qui nihil minus sunt quam hæretici. Concedamus illos, quibus promissum aliquod securitatis est factum, seu salvus conductus, ut vocant, est datus, vere esse tales, & perniciosa dogmata quæ fundamentum religionis evertant tueri, hoc non obstante fides illis data religiose est servanda. Non propter eos de isto argumento disputamus, qui credunt hæreticos nulla corporali pœna esse afficiendos, & sufficere eos vitare, secundum monitum Pauli, *Tit.* III. 10. aut ab iis sibi cavere, sicut Christus jubet de pseudoprophetis, *Matth.* VII. 15. Demus etiam id licitum esse, quamvis nequaquam sit; tamen ubi fides exemtionis ab omni pœna ipsis est data, nullo prætextu licet eam violare. Id quod his duabus rationibus probo. 1. Fides hæreticis potest dari: Ergo debet servari. Antecedens est verum. Nam etsi Pontificii dicant non esse facile cum hæreticis paciscendum, concedunt tamen ea interdum incidere tempora ut necessario id oporteat facere. Quod autem necessarium est, id quoque est licitum. Hucque pertinet id quod dicit Apostolus, *Scripsi vobis, Ne commisceamini fornicariis: non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idololatris: alioquin deberetis de hoc mundo exivisse*, 1 *Cor.* V. 10. Eadem autem est hæreticorum ratio, qui ubique aliis admixti sunt, ut vitari non possit omne cum iis commercium, quod fide data & accepta constat. Consequentia etiam est bona. Nam cur daretur hæreticis fides, nisi ut iis servaretur? An ut decipiantur fallacibus verbis? Sed quam id turpe, & Christiano indignum? Promittis enim te fore fidelem, eo fine ut tutius possis esse infidelis, & alii minus sibi à fraudibus tuis caveant. 2. Oportet fidem servare Ethnicis & idololatris: Ergo etiam hæreticis. Consequentia certa est. Nulla enim causa afferri potest cur hi deteriore loco sint quam illi. Sit hæresis tam grave crimen ut voles, non est tamen gravius cultu dæmonum. Gentiles autem erant cultores dæmonum, ut Paulus docet, *Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo*, 1 *Cor.* X. 20. Antecedens patet ex Gabaonitarum exemplo, qui non tantum erant Gentiles, sed etiam ex illis Cananææ populis quos Deus internecioni devoverat; præterea fraude & mendaciis usi fuerant ad permovendum Josuam & Principes Israëlitarum ut fœdus secum pangerent. Nihilominus paulo post fraude ista deprehensa non ausi fuerunt à pactis discedere, aut durius quicquam adversus eos statuere; *Josu.* IX. Et cum Saul postea zelo præpostero accensus exterminare eos vellet, Deus est graviter iratus, & fame triennali Israëlitas afflixit, à qua liberari non potuerunt nisi septem de Saulis filiis cruci affixis, 2 *Sam.* XXI. Istud illustre exemplum sufficit ad ostendendum quantopere perfidia omnis, quocunque prætextu velata, Deo displiceat. Afferam tamen etiam alterum. Sedecias Judæorum rex à Nebucadnezare constitutus, juraverat se ei fidelem fore. Nihilominus postea consilio mutato deficit. Propterea Deus eum tradit in manus Nebucadnezaris, qui Hierosolymam & templum incendit, populum Babylonem captivum abducit, Sedeciæ liberos coram patris oculis jugulat, deinde ipsum excæcat, catenisque æreis vincit, & in miseram servitutem transfert, 2 *Reg.* XXIV. & XXV. 2 *Chronic.* XXXVI. *Jerem.* XXXVII. & XXXIX. & LII. Tertium producam recentius Vladislai Hungariæ regis, qui pace facta cum Amurathe Turcarum Imperatore, & juramento firmata, occasionem præclaram, ut putabat, nactus Amurathem imparatum invadendi, prælio cum illo decertat. Is se in angustia videns & multos suorum cæsos, exclamasse fertur, Christe, si Deus es, ut Christiani tui perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contra pacta jurata bello invadunt. Mox alea prælii mutata, Vladislaus vincitur, & equo excussus vitam amittit, una cum Juliano Cardinale, qui perfidiæ auctor ipsi fuerat. Et ab eo tempore magna Hungariæ pars in potestate Turcarum remansit.

VI. Vulgo autem Protestantes objiciunt Pontificiis illos in hac esse sententia, hæreticis non esse fidem servandam, quam in scriptis suis doceant, & factis atque praxi comprobent. Verum conqueruntur gravem sibi fieri injuriam, & se ab ea plane esse alienos. Inter alios Martinus Becanus Jesuita peculiari libello de hac quæstione, & in Manuali controversiarum, lib. 5. cap. 15. Ubi tamen ita disputat, ut videatur potius id facere ad amoliendam tam detestandi facinoris invidiam, quam quod vere & ex animo ita sentiat, adeo multa ipsi excidunt, quibus mentem suam prodit. Vult enim pacta cum hæreticis facta esse illicita, Ecclesiæque perniciosa. Quæ autem talia sunt putant bona conscientia non solum rescindi posse, sed etiam debere; quia juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis; secundum illud vulgare, In malis promissis rescinde fidem. Item, Frangenti fidem, fides frangatur eidem. Dicunt autem omnes hæreticos fidem Deo datam frangere; itaque posse absque peccato fidem iis à Catholicis cum quibus contraxerunt frangi.

Certum est nihilominus non paucos probos & honestos viros in Ecclesiæ Romanæ communione inveniri, qui ab ista doctrina serio abhorrent; quibus ista quæ adversus alios rigidos Papæ asseclas dico applicari nolim. Primo igitur illud notatu est dignum, quod Cardinalis Ossatus, Epist. 87. ad Villaregium Galliæ Secretarium, anno 1597 scribit: Papa (nempe Clemens VIII) mihi dixit, juramentum factum esse hæretico (nempe Elizabethæ Angliæ Reginæ) Regem autem (videl. Henricum IV, qui cum illa recenter fœdus pepigerat) aliud juramentum fecisse Deo & sibi Papæ. Deinde addidit quod alias mihi dixerat, & in præcedenti audientia, Reges & alios summos Principes sibi omnia permittere quæ in utilitatem suam vergerent: & rem eo usque devenisse, ut istud illis non imputaretur, nec improbaretur: allegavitque dictum Francisci Mariæ Ducis Urbinatis, qui solebat dicere, Nobilem & Principem non supremum si promissum non servaret, infamem fore, & ab omnibus culpatum iri; sed Principes supremos propter rationes status posse absque magno vituperio tractatus facere & violare, fœdera inire & ab iis discendere, mentiri, prodere, & omnia alia ejusmodi. Unicuique intelligenti pensitandum relinquo, quantum hæc verba capitis Ecclesiæ, qualem se jactat, infallibilis, perjuriis faveant. Illud majus est quod Gregorius IX in Epistola ad Archiepiscopum Mediolanensem scribit; Absolutos se noverint à debito fidelitatis & totius obsequii, quicunque lapsis manifeste in hæresin, aliquo pacto, quacunque firmitate vallato, tenebantur obstricti. Circa annum 1230.

VII. Sed audiamus præterea quid Concilium Constantiense, anno 1414 celebratum, Sess. 19. decreverit. Ejus titulus est: *Quod non obstantibus salvis conductibus Imperatoris, Regum, &c. possit per judicem competentem de hæretica pravitate inquiri.* Et verba decreti sic habent: *Præsens sancta Synodus ex quovis salvo conductu per Imperatorem, Reges, & alios sæculi Principes, hæreticis, vel de hæresi diffamatis, putantes eos sic à suis erroribus revocare, quocunque vinculo se astrinxerint, concesso, nullum fidei Catholicæ vel jurisdictionis Ecclesiasticæ præjudicium generari, vel impedimentum præstari posse, seu debere, declarat, quominus dicto salvo conductu non obstante, liceat judici competenti & Ecclesiastico, de hujusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire, quantum justitia persuadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint; etiamsi de salvo conductu confisi ad locum venerint judicii, alias non venturi; nec sic promittentem, cum alias fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.* In margine vero annotatur, *Hæreticis suas hæreses pertinaciter defendentibus salvum conductum non patrocinari.* Disputatur autem quænam vera sit hujus decreti mens, & an declaraverit Catholicos ad fidem hæreticis servandum non esse obligatos, ut Protestantes existimant; an vero aliud sibi voluerit, ut asserunt hodie multi ex Pontificiis, quos tam infamis doctrinæ merito pudet, & inter alios Becanus supra memoratus. Ego vero dico, non aliunde melius de ea constare posse quam ex praxi. Joannes Hussus, salvo conductu quem ab Imperatore Sigismundo acceperat confisus, venerat Constantiam ad reddendam coram Concilio ibi congregato doctrinæ suæ rationem. Sed non obstante illo salvo conductu ad rogum damnatus est, tanquam hæreticus, & vivus exustus. Similiterque postea Hieronymus Pragensis, propter eandem causam. Sed de isto non habemus adeo certa ex historiis testimonia utrum ei datus fuerit salvus conductus, ut de Husso, de quo omnes consentiunt. Becanus dicit duo hæc in Concilio illo fuisse decreta; Primo, quod sæcularis potestas nullo modo possit impedire Ecclesiasticam potestatem à suo legitimo exercitio; ac proinde si quis sæcularis Princeps det alicui hæretico salvum conductum, hoc non debere obstare, quominus liceat Ecclesiastico judici suum officium exercere, id est examinare reum, & secundum allegata & probata procedere. Secundo decernit, quod Princeps sæcularis, qui promittit alicui securitatem, si fecerit quod in se est, non maneat in aliquo obligatus. Sed resp. ad primum, omisso in præsens examine auctoritatis quam Ecclesiastici sibi arrogant judicandi infallibiliter de hæresi & hæreticis, cum ipsi sint pars adversa qui ab aliis de corrupta religione accusantur, & parti in alteram partem nullum competat jus; mihi valde mirum videri, quod se non tantum Imperatoris & aliorum Principum jurisdictioni eximant, sed etiam supra eos se efferant, & sub eo prætextu quod *superior legibus & pactis inferioris non ligatur*, ut dicunt in Jure Canonico, *Can. Cum inferior. Extrav. de majoritate & obedientia*, sibi licentiam arrogant ab iis constituta rescindendi. Sed demus adhuc illis quod volunt, Ecclesiasticam potestatem à nulla sæculari in suo legitimo exercitio impediri posse; nihil aliud inde sequetur, nisi Constantiensibus Patribus licuisse non obstante Imperatoris salvo conductu, judicare Joannem Hussum esse hæreticum, eumque ab omni Ecclesiastico officio removere & excommunicare. Id si tantum fecissent, nullus eos violatæ Husso fidei accusaret. Secuti enim fuissent aliorum quæ ante celebrata fuerunt Conciliorum consuetudinem, & usi jure quod vulgo Canones Ecclesiastici legitimis Conciliis tribuunt. Sed non contenti eo, postquam judicarunt Hussum esse hæreticum, tradiderunt ipsum brachio sæculari plectendum; addito quidem fortasse pro forma, id quod nunc vulgo solent, ut illius vitæ parceret; nimirum ut præ se ferrent se ab omni humani sanguinis effusione valde esse alienos, cum eum non minus quam hirudines sitirent. Nam ut histo-

historia docet, Concilii instigatu factum est quod Hussus ad vivicomburium sit condemnatus, repugnante quidem ab initio Imperatore, cui fœdum videbatur salvi sui conductus fidem ita aperte violare, sed tandem ab illis persuaso ut assentiretur: hoc prætextu quod Hussus esset hæreticus & apud Deum fœdifragus, proindeque indignus cui fides data servaretur. Resp. itaque ad secundum, Imperatorem non fecisse quod in se erat, qui non obstante securitate quam promiserat Husso, permisit eum Constantiæ, quæ in sua ditione erat, igni tradi. Debebat enim totis viribus repugnare quominus id fieret, ut se ab omni perjurii crimine immunem præstaret. Sed forte ausus non est, sicut olim Pilatus, timens ne Patres isti subditos suos adversus se incitarent, qui ipsum tanquam fautorem hæreticorum solio deturbarent. Nisi enim Principes carnificum instar in eos, quos Ecclesiastici hæreticos judicarunt, gladium potestatis suæ stringant, in periculo versantur eandem pœnam subeundi. Quod non ita pridem contigit Henrico III. Galliæ Regi, qui licet acerrimus esset Protestantium hostis, & eos ubique ferro & igne persequeretur, tamen quia minus fervide facere videbatur Catholicis zelotis, quos Sanctam ligam seu unionem vocabant, ab iis ut hæreticorum fautor Lutetia & aliis regni sui urbibus pulsus, tandem cultro à Jacobo Clemente, Monacho Dominicano percussus, anno 1589 interiit, cum Sorbona declarasset populum regni Galliæ solutum & liberatum esse à juramento fidelitatis cui ipsi obstricti erant. Et huic parricidio Pontifex Sixtus V. applausit.

VIII. Unde videre est, non immerito objici Pontificiis regidioribus, qui doctrinam & facta Concilii Constantiensis probant, ipsos sentire fidem hæreticis non esse servandam. Quod etiam nonnulli celebres inter ipsos Doctores aperte profiteri non verentur, ut inter alios Jacobus Simancha, Pacensis Episcopus, de Cathol. Institut. cap. 46. n. 52. dicit: *Ad hæreticorum istorum* (nempe Luther. & Sacram.) *pœnam & odium etiam pertinet, quod fides illis data servanda non sit, non obstante juramento. Nam si non est servanda tyrannis, piratis, & aliis latronibus qui occidunt corpus, multo minus hæreticis qui occidunt animas.* Item, *Cum hæreticis nullum commercium, nec pax ulla esse potest, ideoque fides illis data, etiam juramento firmata, contra bonum publicum, contra salutem animarum, contra jus divinum & humanum, nullo modo servanda est.* Deinde addit, *Sæpe id à nobis dictum; necesse est tamen incessabiliter iterari, & tamdiu non tacere, quamdiu pacis illud nomen obtenditur.* Sed non opus est verbis ubi factorum testimonia adsunt. Pontifices Romanos nullam fidei datæ rationem habere, non tantum in hæreticorum, sed etiam in Catholicorum causa, Catholici multi conqueruntur. Extant inter acta & recessus Imperii duo Maximiliani I. programmata, ubi Julium II. fidem sibi & regi Galliæ datam violasse dicit, & eum insignis perfidiæ accusat. Dominicus Trevisanus Senator Venetus dicebat Leonis X. promissis non posse tuto credi, Ni datæ fidei majorem rationem haberet, quam Pontificum mos esset. Sixtus V. excommunicavit Henricum Navarræ regem & Principem Condæum sub hæreseos prætextu, & subditos eorum absolvit à debito obsequii & fidelitatis quo erant obstricti.

IX. Hinc judicari potest quomodo cum inimicis gerere se conveniat. Publicos intelligo populi nostri aut civitatis in qua degimus hostes. Privatos enim Christianis nullos habere licet, & si aliquis nos immerito oderit, non est vicissim odio prosequendus, sed si fieri possit benefactis potius nobis conciliandus. Publici autem hostes duorum sunt generum; vel enim nobis intercedit cum iis justum bellum, id est, quod secundum jus gentium licitum existimatur, & per feciales consueto more indictum antea fuit. Vel sunt hostes qui gerendi adversus nos belli, nec jus ullum, nec prætextum habent, quales sunt latrones & piratæ. Ut à primis incipiamus, nondum expendimus an ullum bellum lege Christiana permissum sit, & quando, sive quibus de causis id esse queat; sed supponimus nunc ex plerorumque opinione aliquod esse tale, nempe id quod ad justam nostri defensionem prorsus est necessarium & inevitabile; & disquirimus quomodo in ejusmodi casu cum hostibus sit agendum. Dicimus igitur aut nullum cum illis pactum esse initum, aut aliquod. Si prius, evidens est nos illis obligatos non esse, ac proinde nec posse fidem fallere. Tunc ergo licitum esse existimatur ambiguis verbis & factis eos deludere, quibus in errorem inducantur. Et huc pertinent stratagemata; in quorum numero non sunt postrema, quibus aliud quam facere propositum est simulatur. Et in eo creditur nihil adversus justitiam peccari; imo pluris fieri solet dux qui ejusmodi artibus hostes irretire, & in casses suos impellere novit, quam si eos aperto Marte expugnasset. Sed quando cum hoste pactum fuit factum, sive suspensionis armorum, sive pacis, sive captivorum commutationis, aut aliquod ejusmodi, omnes religiose servandum esse consentiunt. Itaque cum captivus fide data se λύτρον persoluturum dimittatur, is omnino promissis stare obligatus est; & laudatur M. Attilius Regulus, quod maluerit ad Carthaginenses redire, quibus id promiserat, si non posset à Senatu Romano commutationem captivorum impetrare, etiamsi eorum crudelitatem non ignoraret, quam fidem fallere. Nec fas est verbis ambiguis promissi sui vim eludere; ut faciebant Romani illi, qui cum Regulo dimissi, in Carthaginensium castra quasi aliquid essent ibi obliti redibant; sic fidem de reditu datam se fer-

servavisse præsumentes; quos Senatus Romanus ab ejusmodi perjurio abhorrens vinctos hostibus tradi jussit. Multo ergo magis bona fide cum hostibus agendum est, ubi per inducias aut pacem amici quodammodo sunt redditi, seu reconciliati.

X. Sed major est difficultas circa secundi generis hostes, nempe latrones & piratas, qui secundum commune gentium jus ad societatem civilem non amplius pertinent, utrum ad ea quæ ipsis quocunque modo promisimus servanda simus obligati. Et primo quidem nullum est dubium, quin id quod cum latrone pactus sum antequam id vitæ genus sectaretur, bona fide solvere tenear; non solum cum scelerum venia impetrata redit in societatem civilem, (tunc enim & omnia jura quæ antea habebat reviviscunt;) sed etiam durante tempore quo ab ista societate exclusus manet, & ipsi promissum in judicio repetere non licet. Non enim propterea fide mea liberatus sum, quod in tali statu est, ut ad eam præstandam cogere me nequeat. Sed de promissis quæ latrones per vim extorserunt, disputatur an obligent, & quousque. Qua de re diversæ sunt Jurisconsultorum & Theologorum, cum quibus Philosophi faciunt, opiniones. Illi enim judicant promissa ista nullius plane esse momenti, & eum qui fecit non obligari ad solvendum. Quod his rationibus probant. 1. Quod latrones tanquam generis humani hostes, nullam amplius partem in societate civili habeant, non magis quam feræ, cum quibus nemo paciscitur. 2. Quod promissa metu mortis extorta à libera voluntate non procedant. Cum autem in aliquo contractu constat vim adhibitam, solet Magistratus, si ad ejus præsidium confugiatur, illum rescindere. 3. Quod damnosum sit publico ejusmodi promissa implere. Sic enim prædones in sceleribus suis aluntur, quos oporteret de medio tollere, & facultas eis datur aliis nocendi: præsertim cum aliquis iis promittit, ut vulgo exigunt, se eos apud Magistratum non revelaturum, aut ut puniantur non moliturum. Sed non obstantibus istis Theologi existimant, si fides latronibus data jurejurando sit confirmata, omnino eam esse servandam. Pluris enim oportere facere juramenti in quo Deum testem adversus nos ipsos appellavimus religionem, quam pecuniæ detrimentum. Ejusmodi homines non sunt quidem amplius societatis civilis membra; ideo promissa iis facta non obligant in foro externo; sed Dei sunt creaturæ, quamdiu eos lucis usura frui sinit, & apud ipsum, deserendo istud vitæ genus, gratiam invenire possunt, Christusque pro iis, non minus quam pro unoquoque nostrum, est mortuus, ut ipsos à perditione æterna liberaret. Sic nobis considerandi sunt, cum de fide promissionis ipsis factæ liberanda agitur. Nec prætexere merito possumus eam per vim fuisse extortam. Nam etiamsi minarum terrorem adhibuerint, eæ tamen voluntatem nostram non coëgerunt; sed libera mansit. Omnibus enim expensis satius judicavimus ad redemtionis pretium solvendum nos jurejurando obligare, quam vitam amittere. Ista ergo promissio est de genere actionum mixtarum, veluti cum mercator tempestate coactus merces suas in mare conjicit, quia eas minoris quam vitam facit; tales autem actiones Philosophi, ut alias diximus, magis ad voluntarias quam ad invitas accedere statuunt. Nam etiamsi optaremus nulla necessitate ad illas adigi, tamen cum facimus, electionem habemus, utrum ex duobus incommodis alteri præferre malimus. Inde factum est ut quidam inter Ethnicos, qui forte non tanti faciebant ejusmodi juramenta, ut se iis obligatos crederent, generosius duxerint illa implere, quam prætextum fidei violandæ aliquem quærere. Ita cum Cæsar incidisset in manus piratarum, & iis pro redemtione sua promisisset quinquaginta talenta, bona fide illa persolvit. Sed postea instruxit classem, & eos persecutus est, captosque omnes cruci affixit; ut narrat Plutarchus in ejus vita.

XI. Quod si ergo fidem servare tenemur, non solum gentis nostræ, sed etiam communibus generis humani hostibus, multo magis iis cum quibus nulla nobis inimicitia intercedit. Quæritur tamen, an nulla prorsus exceptio hic locum habere possit. Sunt enim qui existimant, tunc aliquem ad impletionem promissi sui non esse obligatum, cum inde plus damni ad eum qui fecit rediturum est, quam utilitatis ad eum cui factum est. ex. gr. si architectus promiserit alteri se die certa ipsum in constructione domus suæ adjuturum, & interim domus ipsius propria in periculo ruinæ sit, nisi confestim fulciatur; quorum illud exigui est momenti ei cui promissum est; hoc vero promittenti irreparabile damnum allaturum esset. Et hanc afferunt assertionis suæ rationem, quod justitia sit velut anima societatis civilis, injustitia contra sit ejus pestis & mors. Hac autem in re injustitiam esse plane manifestam, & eum cum quo pepigimus nequidem ausurum fuisse id à nobis postulare si eventum prævidisset. Præterea quod cum justitia in certa quadam æqualitate consistat, quæ facit ne unus habeat plus quam par est, alter vero minus; justum non sit ut in hoc casu omne lucrum sit ab una parte, & omne detrimentum ab altera. Quæ vera quidem sunt si in genere considerentur: sed hic applicari nequeunt. Nam etiam perpendere oportet, primum justitiæ præceptum esse, unicuique tribuere quod ipsi debetur. Quod egregie ostendit Xenophon sub persona præceptoris Cyri. Nam cum Cyrus adhuc puer assumptus esset judex inter duos ex suis sodalibus; quorum unus sub prætextu quod majoris esset staturæ eripuerat alteri sagum longius, & ejus loco suum brevius ipsi dederat; & Cyrus nulla habita ratione cujus

cujus sagum esset proprium, adjudicavisset longius ei qui majoris erat staturæ, brevius vero ei qui minor erat; existimans istud æquum esse ut quisque vestem corpori suo convenientem haberet: Reprehensus fuit à præceptore, qui monuit eum non oportere spectare cui sagum aptius foret, sed quis vere ejus esset dominus seu proprietarius; justitiamque istud ante omnia requirere, ut unicuique id quod suum est attribuatur, nulla ratione habita an forte alteri, cujus non est, melius conveniat. Quare cum constat nos ex pacto nullum amplius in aliquam rem jus habere, sed alterum cui promisimus; non est disputandum, an plus sit habiturus, nos vero minus; sed relinquendum est ipsi quod suum est. Nec refert quod iniquum sit, ut totum lucrum ex aliquo contractu, quem duo æquales inter se fecerunt, ad unum solum redeat, & totum detrimentum ad alterum, qui deteriore quam is cum quo contraxit conditione esse non debebat. Fac enim in eo aliquam injustitiæ speciem esse, illa privatum hominem tantum spectat, & nullum inde ad publicum redit damnum. Sed si ob aliquam ejusmodi causam promissionum obligationem relaxares, januam omni injustitiæ aperires, dando licentiam malæ fidei hominibus à conventis & pactis suis, cum detrimentum aliquod sibi afferrent, resiliendi. Summopere autem interest reipublicæ, ut unusquisque credat nunqûam id sub ullo damni prætextu licitum esse. Verum quidem est talem casum incidere posse, in quo vir bonus & æquitatis studiosus, qui videbit se rigide promissi sibi facti executionem exigendo, non tantum inde emolumenti percepturum, quam proximum damni, sponte à juris sui persecutione desistere debeat. Hic enim usu venit quod etiam sæpe alibi, ut nimis rigida juris nostri repetitio, in summam injustitiam convertatur. Sed ejus est de suo remittere, non alterius qui ipsi obligatus est remittendi necessitatem imponere. Nihil enim absurdius est aut magis justitiæ contrarium, quam permittere debitori ut judicet, an creditori satisfacere teneatur, nec-ne. Quod si æquum non putaretur ut ejusmodi controversiæ judicium ab ulla partium quarum interest penderet, quia ut plurimi reperirentur debitores malæ fidei, sic non multo pauciores essent creditores parum æqui; saltem decisio ejus prudentiæ & autoritati Magistratus relinquenda foret, qui sic emendaret talis contractus, quo notorie læditur aliquis, injustitiam, ut nihil in præjudicium societatis publice fieret; cujus major semper habenda est ratio, quam damni ad privatum aliquem redeuntis.

XII. Sed alia plane ratio est, cum promissi executio illi ipsi nocitura est in cujus gratiam est factum. ex. gr. si te promisso obligaveris ad restituenda alicui arma qui servanda deposuerit in manus tuas, quando repetierit; intereaque in amentiam inciderit, justaque vendi sit causa ne iis in suam aut aliorum perniciem abutatur. In tali casu recta ratio docet non debere restitui. Nam cum omnium contractuum fundamentum sit consensus voluntarius; in amente autem non sit proprie dicta voluntas, quæ est appetitus rationalis, apparet non esse ei indulgendum in postulato iniquo aut periculoso. Quod si tamen promissum esset de re utili, ut de suppeditando ei alimento aut vestibus, justitia requirit ut impleatur, quamvis non postularet.

XIII. Ad amentes accedunt illi qui ignorant quid polliceantur, & de quibus certum est eos nequaquam se obligaturos si intellexissent: ex. gr. si promiserim alicui indefinite me ipsi daturum quicquid à me petiisset, petat autem domum qua carere nequeo; crediderim vero ipsum non fore tam inverecundum ut rem adeo iniquam à me postularet; alioquin recusaturus. Certum est hujusmodi promissi tantam non esse obligationem, atque si ejus vim intellexissem. Nam quod obligat nos est liber voluntatis actus verbis expressus. Non presumitur autem ullum fuisse talem actum, nisi ubi debita intellectus consultatio præcessit, de argumento de quo statuendum fuit: ea vero non fuit qualis debuit, si argumentum ipsum de quo deliberavimus erat ignotum. Si ergo manifestum sit ignorantiam non fingi, promissio videtur non obligare, quia non fuit vere voluntaria, sed invita.

XIV. Multoque magis id locum habet, ubi is, in cujus gratiam aliquid promittimus, nescit quid à nobis postulet. Si enim sit ipsi noxium, non tenemur implere, imo etiam non debemus; quod foret charitatem sub fallaci justitiæ apparentia violare. Exemplum ex poëtarum fabulis affert Cicero, de Theseo, cui Neptunus avus dicitur promisisse indefinite se tria ei quæ vellet daturum. Nam cum petiisset Hippolyti filii interitum, quem calumniis Phædræ instigatus mortali odio prosequebatur; Neptunus sub specie implendi promissi concessit quod petierat: ipse vero postea falsitate accusationis comperta, frustra postulati sui imprudentiam accusavit. Sed Dei illius fuerat tam temerario voto non assentiri; præsertim cum Hippolyti innocentia ipsi non foret incognita, & eum tanquam pronepotem favore complecti oportere natura doceret. Poëtæ vero nobis tam stultos & scelestos aliquando depinxerunt suos Deos, ut actiones eorum sapientibus pudorem incuterent: quanquam apud vulgus tantæ hæc forent efficaciæ, ut plus ad corrumpendos ipsius mores possent quam sana Philosophorum monita ad emendandum. Hincque etiam apparet, nullas quantumvis juratas promissiones vim obligandi ad scelus aut turpe aliquod factum habere, ut antea contra Herodem asseruimus. Proindeque nec eas quæ Deo sunt factæ, qualis erat Jephthæ; ut

ut absurdum sit existimare tantum virum, cujus fides commendatur *Hebr.* XI. filiam suam in holocaustum obtulisse: quod sciebat, aut ex Sacerdotibus discere poterat, Deo abominationi esse. Nec ullus inter ipsos reperiri potuisset, quo tempore nondum desierat legis reverentia, qui ad ejusmodi scelus manus suas illi commodare non exhorreret.

CAPUT XLIV.

De Injustitia.

I. *Quid sit Injustitia.* II. *Est vel universalis, vel particularis.* III. *Hæc vel est lædens, vel deserens.* IV. *Vel peccat contra justitiam distributivam, vel contra commutativam.* V. *Vel fit dolo & fraude, vel vi aperta.* VI. *Huc etiam refertur furtum, cujus definitio explicatur.* VII. *Variæ furti species.* VIII. *An sit furtum pœna dignum, in extrema necessitate alteri eripere escam ut vitam sustentes.* IX. *An furtum committat materfamilias, quæ clam marito aliquid de bonis communibus surripit?* X. *An filii, qui parentibus insciis aliquid eripiunt?* XI. *An famuli, qui credentes dominum sibi non persolvere mercedem debitam, domino eripiunt quod ad supplendam debitam summam requiritur?* XII. *Furtum quod fit vi aperta est rapina & latrocinium.* XIII. *Pœna furti, pro ejus diversitate, varia est.* XIV. *De pœna plagii.* XV. *Sacrilegii.* XVI. *Furis nocturni, ac in specie, eam non debere esse capitalem.* XVII. *Pœna divina est exclusio è regno cœlorum.* XVIII. *De restitutione, ejusque necessitate.* XIX. *Quid faciendum illi, qui bona quæ furatus est non amplius habet in sua potestate.* XX. *Quomodo restitutio in aliis injuriis locum habeat.* XXI. *A quo, & cui restitutio fieri debeat.* XXII. *Quo casu necessaria non sit.*

I. ET hæc de justitia; restat ut aliquid de injustitia adjiciamus; quamvis enim ejus natura ex antecedentibus intelligi possit, tamen quia contraria juxta se posita magis elucescunt, non inutile aut supervacaneum erit utramque inter se conferre. Ea à celebri quodam & doctissimo I.C. definitur, constans & perpetua voluntas jus suum nemini tribuendi. Sed male. Nam inde sequeretur eum tantum pro injusto esse censendum, qui constantem & perpetuam habeat voluntatem jus suum nemini unquam tribuendi; qualem inter homines nunquam conspectum crediderim, licet multi omni tempore injusti exstiterint. Est quidem hic summus injustitiæ gradus qui mente concipi queat; sed non opus est eum attingere ut quis dicatur injustus. Non enim eadem est ratio vitiorum quæ virtutum. Illa quidem non est vera virtus, quæ aliquid vitii admixtum habet; quia vel exiguum quid vitii ejus sinceritatem corrumpit; sed illud est verum vitium quod adhuc incrementum capere potest, seu in quo residuæ sunt aliquæ virtutis scintillæ. Ergo ille vere est injustus, qui habitum contraxit alteri quod suum est non tribuendi; etsi quibusdam & subinde id tribuat. Nullus enim judex aut privatus adeo injustus unquam repertus est, qui non interdum aliquibus jus suum tribuerit; imo ipsi sceleratissimi latrones justitiæ quandam speciem inter se exercent, cum æqualiter prædam dividunt, alias ipsorum consociatio dissolveretur. Quod observatu est valde utile, ne quis sibi in nequitia sua blandiatur, & putet se non esse injustum, quia aliquando quippiam justi facit, aut credat se in gratia apud Deum esse, cum ipsum sibi infensum habeat.

II. Sicut autem justitia alia est universalis, quæ omnes in se virtutes complectitur, alia particularis, quæ in tribuendo unicuique quod suum est occupatur; ita etiam dividi potest injustitia, & illa dici injustitia universalis, cum aliquis leges divinas & humanas flocci facit, & nullo honesti aut æqui amore tenetur, sed contra omni turpitudine & iniquitate delectatur. Qualem nobis repræsentat judicem Jesus Christus, qui aperte profitebatur se Deum non timere, nec hominem revereri, *Luc.* XVIII. 2. 5. Quamvis enim forte pauci sint qui ita proloqui audeant, si tamen animum intueri nobis liceret, reperiremus etiam inter eos, qui probi videri volunt, quorum consilia & cogitationes omnes id solum resiperent. Injustitia particularis est, cum quis aliis id quod debet tribuere non curat; sive sit judex qui id facere obligatus est ex munere quod gerit; sive privatus, qui in commercio cum aliis eam æquitatem non observat, quam leges & recta ratio præscribunt, alterique facit quod sibi, si ejus loco esset, fieri nollet, & sic à propria conscientia iniquitatis redarguitur & condemnatur.

III. Ea dividitur non incommode, primo in lædentem & deserentem, quarum illa vulgo magis cognita est, & fere sola pro injustitia habetur; licet hæc quoque vere sit talis, cum quis officium suum erga alium negligit. Lædere sane seu injuria quempiam afficere nemini unquam licitum est; nec fit nisi ab iis quorum mentes perturbatio aliqua vehemens, ut est iræ, interdum etiam metus, vel ambitio aut avaritia excæcavit. Hi enim sunt veluti fontes unde injustitia derivatur; quos obturare nos oportet, si ab illa puros nos servare velimus. Injustitia deserens est magis eorum qui in munere aliquo publico sunt constituti, & tueri oppressos debent, ut pauperes, orphanos, viduas, peregrinos, quam aliorum; & proficiscitur magnam partem ab amore perverso, aut metu eorum qui alios injuria afficiunt, quos nolunt vel non audent reprimere; vel inde quod laborem aut sumptus fugiunt qui sustinendi essent ad aliis opem ferendam. quanquam postremum istud privatos potius spectat, qui deserunt eos quos adjuvare deberent, quia in illorum gratiam impensas aliquas facere, aut laborem suscipere gravantur. Nam prospectum est judicibus, ut non necesse sit iis suis sumptibus protegere innocentes; quod privati interdum facere coguntur, si afflicto deesse nolint, & præcipue si meminerint quid charitas Christiana, quæ est justitiæ

justitiæ velut complementum & perfectio, à se exigat.

IV. Deinde quemadmodùm justitia particularis distingui vulgo solet in distributivam & commutativam, ita injustitiæ quoque duæ assignari possunt species; quarum una in eo consistit, quod unicuique non tribuatur id quod æquum est de communibus bonis & oneribus, pro status aut meritorum ratione. ut quando is qui dignus est ut ad munus aliquod publicum evehatur, aut remunerationem pro opera publico præstita accipiat, negligitur, & indignus assumitur aut præmio afficitur: item cum aliquis plus gravatur publicis oneribus quam vires suæ aut facultates ferre valeant; alius contra sublevatur cui illa sustinere facile foret. Altera in eo versatur, quod aliquis officio suo erga alios satisfacere non curet, vel ubi deficit, auctoritate publica non compellitur; ut cum aliquis debita non solvit, aut contractuum fidem non servat, vel in iis imprudentes decipere & fraudare studet; item, quando id accidit, judices & qui in potestate constituti sunt, non dant operam ut emendetur, & damnum læso resarciatur.

V. Tertio injuria vel dolo & fraude, vel vi aperta committitur. Per dolum intelligimus illum quem vulgo malum vocant. Nam est etiam dolus bonus, cum quis alium in ejus commodum benevolo animo decipit; ut si medicus persuadeat ægro medicinam non esse amaram aut insuavem, ut ad eam sumendam inducat, quam alias repudiaturus esset. Dolus malus est quo vafra ratione aut illicitis modis alius inducitur, ut faciat vel patiatur fieri non invitus, quod re melius & ex veritate cognita factum nollet; ut inde alii quidem sua malitia sit lucrosa, læso vero sua simplicitas damnosa; quales sunt artes cujuscunque generis, quibus commoda nostra cum alterius detrimento augemus. De quo vitando præclarum habemus Apostoli monitum, *Ne quis circumveniat aut fraudet in aliquo negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus omnium istorum*, 1 *Thess.* IV. 6. Dolo autem proxima est culpa quam latam vocant, & sub eo comprehendi solet. Lata vero culpa est supina & nimia seu affectata negligentia in rebus proximi quæ nostræ curæ demandatæ fuerunt: diciturque etiam culpa malitiæ. Et deprehenditur duobus modis, primo quando aliquis ignorantia sua non intelligit, aut non vult intelligere quod omnes intelligunt. Ut si quis custodiendam alterius pecuniam aut κειμήλια accepisset, & non clauderet cistam in qua reposita sunt, quod nullus sanæ mentis faciendum ignorat. Judicaretur enim data opera id fecisse, ut in furium manus venire possent. Secundo, quando aliquis non eodem modo in re aliena ac in sua versatur, hoc est non utitur consueta solitaque diligentia. Ut si quis relinqueret candelam accensam in horreo palea pleno, unde incendium obortum esset. Videretur enim id invito illo non accidisse. Sed aliud præterea est culpæ genus, quod dicitur culpa levis, quæ est quando quis non adhibet in alienis rebus eam diligentiam & curam, qualem paterfamilias, neque socors, neque diligentissimus, sed solummodo attentus præstare solet. Ut si quis agrum colendum accepisset, & inde malas herbas non avelleret. Ea etsi sub dolo non continetur, tamen qui admisit tenetur resarcire damnum quod inde provenit. Est denique culpa levissima, quando quis in rebus alienis eam diligentiam non præstat, quam diligentissimus paterfamilias supra communem hominum consuetudinem suis adhibet. Ea nihil dolo affine habet, & vulgo reprehendi non solet.

VI. Ad injurias quæ dolo inferuntur pertinent furta, de quibus cum res vulgares sint hic aliquid dicendum. *Furtum* commode potest definiri, *Ablatio rei alienæ mobilis occulta & fraudulenta, invito domino.* Primò vocamus *ablationem*; licet alii malint dicere acceptionem vel contrectationem. Nam furtum non tantum est acceptio vel contrectatio rei alienæ, sed etiam ejus apud se detentio, & possessio. Deinde furtum per ablationem distinguitur ab aliis injuriæ speciebus quæ proximo in suis bonis inferuntur, ut si quis incenderet ejus domum, vel conculcaret segetes, aut supellectilem frangeret. Ubi qui damnum infert nihil accipit, nihilque emolumenti ad eum redit, ideoque non vocabitur proprie fur. Item discriminatur ab injusta rei alienæ detentione, ut cum aliquis non solvit creditori debitum, aut depositum non restituit; quamvis enim hæc contineant injuriam furto affinem, non sunt tamen furta proprie ita dicta. Deinde nomen *rei* in hac definitione latius accipi debet, ut etiam rei usum comprehendat. Quare si commodatarius, vel depositarius, aut qui pignus accepit, contra rationem conventionis, adeoque sine domini expresso vel præsumpto consensu, re commodatâ, aut deposita, vel pignore accepta, utantur, quasi furtum committunt. Similiter qui commodatarium, conductorem, vel creditorem, privat usu, vel possessione, & asservatione pignoris, aut rei commodatæ, vel conductæ, is injuriam furto affinem facit. Attendere etiam oportet ad vocem *alienæ rei*, quæ in definitione usurpatur, & significat rem ad alterum jure pertinentem. Nam si quis rem suam, vel sibi liquido debitam, quam alter injuste detinet, ei clam eripiat, facit quidem id quod non debet, & quod aliquando gravem reprehensionem meretur, nemo enim in propria causa idoneus est judex; sed tamen non est vere furti reus. Dicitur *rei mobilis*, qualis est pecunia, vestis, suppellex, aut aliquid ejusmodi. Nam domus, aut fundus per furtum alteri eripi nequit; sed alio injustitiæ genere, quod tamen

furto

furto æquipollet, aut etiam gravius est; ut cum Achabus Nabotho per calumniam vineam eripuit, 1 *Reg.* XXI. quamvis vitam non ademisset. Additur vox *occulta*, per quam furtum differt à rapina & latrocinio, quæ aperta vi exercentur. Dicitur etiam esse injusta ablatio, ut distinguatur ab ea quæ fit bono fine; ut si uxor eripiat clam marito pecuniam quam imnensurus erat in aleam aut comessationem, ut inde familiam alat. Item cum fit jussu Dei, qui omnium rerum est dominus, & ea cui vult dare potest, ut olim Ægyptiorum bona Israëlitis. Nam furtum absque furandi affectu non committitur. Id autem Israëlitæ non intendebant, sed solum frui beneficio divino. Neque affectus solus furandi furtum apud homines constituit; ut cum quis existimat se aliquid invito domino accipere, quod tamen ipso occulte volente & consentiente facit: ut cum Booz præcipiebat servis ut quasi per incuriam relinquerent manipulos tritici quos Ruth colligeret & auferret secum, *Ruth.* III. 15. 16. licet dubium non sit, quin homo furandi animum habens, apud Deum, qui non solum externa facta, sed etiam concupiscentiam cordis prohibet, vere sit fur. Denique furtum fieri dicitur *invito domino*. Nam cum dominus de suo sponte aliquid dat & se eo privat, is qui aufert non committit furtum.

VII. Furti variæ sunt species. Nam 1. aliud est principale, aliud minus principale. Furtum principale est ablatio rei alienæ, quæ fit directe & immediate ab ipso fure. Ejusque est reus qui rem inventam, cum scire potest cujus sit, retinet; multoque magis qui repetenti domino restituere recusat. Item qui naufragorum bona in usum proprium convertunt. Et judices, qui fure damnato, furtum penes ipsum inventum fisco addicunt & dominum legitimum re sua privant. Quibus convenit id quod dicit Salomon, *Qui cum fure participat, odit animam suam*, *Proverb.* XXIX. 24. nempe quia ei causa est exitii. Et Esaias, *Principes tui socii furum, & omnes diligunt munera*, &c. *cap.* 1. 23. Furtum minus principale est, cum quis non directe & immediate rem alienam aufert, sed furem principalem adjuvat; quod fit corpore vel animo. Ille corpore adjuvat, qui instrumenta ad furtum faciendum præbet, ut ferramenta quibus confringatur ostium, scalas quibus ad fenestras ascendatur. Item qui res furtivas occultat, vendit. Animo juvat furtum, qui persuadet, impellit, mandat, vel instruit quomodo sit faciendum, & commoditatem furi præbet: ut qui panno rubro ostenso pecus alterius fugat ut in manus furum incidat; aliisve ejusmodi utitur dolis. De quibus Psaltes loquitur, *Si videbas furem, currebas cum eo*, *Psal.* L. 18. nempe ad opem ei ferendam, & participandum ejus sceleri. 2. Furtum aliud est manifestum, aliud non manifestum. Furtum manifestum est, quando fur ἐπ' αὐτῷ φώρῳ deprehenditur dum adhuc furatur; vel cum re quam furto aufert, antequam in locum quo destinaverat eam detulerit, etiamsi postquam se detectum vidit, furtum abjecerit, vel in alterius manus tradiderit. Tunc enim quia nulla probatione indiget, manifestum vocatur. Non manifestum est, in quo fur non ita deprehenditur, ideoque ad eum convincendum aliqua alia probatione opus est. 3. Furtum est vel simplex, vel qualificatum. Simplex est, quale huc usque descripsimus, & nulla peculiari circumstantia, quæ ipsum aggravet, ab aliis distinguitur. Qualificatum est, vel plagium, vel sacrilegium, vel peculatus, vel abigeatus, vel quod fit cum effractione. Plagium est furtum hominis; quod fit vel quando liberi parentibus suis eripiuntur, & servituti addicuntur, ut Josepho olim contigit; vel quando servi à dominis suis legitimis abstrahuntur. Sed plagium non erat, quando Josaba, filia regis Joram, furata est Joasum filium regis Ochoziæ de medio fratrum suorum qui interficiebantur ab Athalia, 2 *Reg.* XI. Istud enim furtum erat pium, tendens ad ei regnum & vitam conservandum. Sacrilegium est, cum res sacra, seu cultui Dei dicata, è loco sacro vel profano aufertur: vel cum res profana in loco sacro, ut in templo, & dum religionis officiis vacatur, alicui eripitur. Hucque referuntur ei qui eleemosynas pauperibus destinatas surripiunt, præcipue si illarum administrationi præfecti sint, ut Diaconi Ecclesiæ. Tale etiam erat factum Achan, qui de anathemate Jerichuntino surripuit, *Jos.* VII. Peculatus est furtum pecuniæ, quæ ad fiscum Principis aut reipublicæ pertinet; maxime quæ fit ab iis qui illam colligunt aut asservant; ut sunt publicani & vectigalium redemptores, & qui ærario præsunt. Abigeatus est, cum animalibus quæ alterius sunt insidiæ tenduntur & abiguntur, sive sint pecudes, sive jumenta, sives aves, ut columbæ quæ oblata esca in aliena columbaria alliciuntur. Furtum cum effractione est, cum ad ingrediendum in alienas ædes & ibi furandum januæ vel parietes effringuntur. 4. Furtum aliud est diurnum, aliud vero nocturnum. Furtum diurnum est, quod Sole lucente committitur, ita ut fur agnosci possit. Nocturnum est quod fit de nocte, ita ut fur agnosci nequeat; & sæpe conconjunctum est cum effractione, & ab armatis perpetratur. Differt tamen à latrocinio, de quo postea, quia fures nocturni latere cupiunt, & armis vulgo non utuntur nisi ad se defendendum; cum latrones aperta vi grassentur, & in alios etiam non lacessiti irruant. Summatim, tot sunt furum genera, quot reperiuntur homines qui in sua vocatione infideliter se gerunt erga alios, & ipsorum facultates malis artibus ad se trahunt, ut servi, ancillæ, opifices, qui perfunctorie opera sua faciunt, & non ea cum accuratione ut obligati sunt.

VIII. De

VIII. De furto autem & furibus quædam solent quæri. Primum an sit furtum pœna dignum, eripere alicui panem vel escam aliquam ad se in extrema necessitate sustentandum, alias fame perituro. Nam ad id excusandum affertur quod dicit Salomon, *Non spernent furem, cum furatus fuerit ad implendum animam suam cum esurierit*, *Proverb.* VI. 30. Resp. Casum istum esse rarissimum; & quando evenit, considerandum esse an ille cui panis suus eripitur in pari necessitate sit; & tunc manifesta est injustitia, imo homicidium, ei adimere quod suum est. Non licet enim commodum nostrum sectari cum detrimento alterius; multoque minus ad conservandum vitam nostram proximo suam eripere. Sed si necessitate non prematur, rogandus potius erit ut nobis sponte succurrat, quam ab invito quod suum est auferre. Si quis tamen id faceret, imo vi ab inhumano eriperet, non putarem id fore peccatum. Tunc enim in naturæ jus restitutus videtur, quale erat omnibus in omnia antè introductam jure gentium rerum & possessionum divisionem. Sed de hac extrema necessitate non loquitur Salomon; sed de vulgari indigentiâ, in quam incidunt nonnunquam pigri qui laborem detrectant. Quæ proinde non excusat eorum furta. Ideoque additur illic: *Et inventus reddet septuplum: omnem substantiam domus suæ dabit*. Quæ gravissimorum furtorum erat pœna. Sed comparative locutus est Salomon, & voluit solum ostendere, quanto gravius scelus adulterium esset furto; præsertim quod aliquis ad explendam famem perpetrat; ut sequentia ostendunt. Illa autem necessitas incidere quidem posset semel atque iterum, & in ejusmodi extraordinariis casibus excusare quod alias non liceret. Sed ubi furtum in consuetudinem versum est, & indigentia ex ignavia oritur, nullo prætextu defendi potest; & ibi debet applicari quod dicit Paulus, *Si quis non vult operari, nec manducet*, 2 *Thess.* III. 10. Non enim oportet homines esse instar fucorum, qui melle apum satiari volunt, ipsi interim in otio viventes. Quare *qui furabatur, jam non amplius furetur, magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti, Ephes.* IV. 28.

IX. Quæritur secundo, An materfamilias, quæ clam & invito marito aliquid surripit de bonis quæ communiter secundum connubii leges una cum ipso possidet, furtum committat. Resp. per distinctionem finis quo ad istud faciendum movetur; qui potest esse bonus vel malus. Bonus quidem, si habens maritum dilapidatorem, ea velit aliquid reservare quod in ipsius & communium liberorum sustentationem, aut alios necessarios usus, impendat. In tali enim casu nihil reprehensione dignum admittit, sed contra, ob prudentiam laudari meretur, quod necessitati instanti commode prospicere novit. Ita nemo Abigaëlem culpaverit, quæ ad præcavendum imminens toti domui ab irato Davide exitium, clam marito pretiosum ad eum munus detulit, 1 *Sam.* XXV. Malus vero esset finis, si destinaret aleæ, comessationibus, emendis superfluis ornamentis; imo etiam ad largitiones quas charitas non exigit faciendum. Tunc enim dubium non est quin graviter peccet. Nam quamvis prætendere jure possit partem istorum bonorum esse suam, non est tamen communitatis domina, ut maritus, nec potestatem habet ipso inscio aut invito quicquam de ea statuendi. Ne jam dicam, eam quotiescunque aliquid ista ratione surripit, mediam saltem marito partem eripere. Maritus quidem majus habet jus in communitatis bona. Sed tamen non minus quam uxor peccat, si in aleam, aut compotationes impendat, quæ sustentandæ honeste familiæ, & aliis necessariis impensis reservare deberet.

X. Tertium quæsitum est, an filiifamilias furti sint rei qui parentibus insciis aliquid surripiunt? Ad quod etiam respondeo per distinctionem, eamque geminam; alteram status parentum, qui vel divites sunt, vel pauperes; alteram rei surreptæ, quæ vel magni vel exigui est momenti. Si igitur parentes opibus abundent, & id quod à liberis clam eripitur tam parvi sit momenti, ut nullum detrimentum familiæ afferat, quamvis procedendi modus probari nequeat, (quia petere potius ab iis deberent, quam insciis eripere) furti tamen nomine vocandum non videtur. Hic tamen rursus distinctio est adhibenda. Nam id exiguum quod à liberis ereptum est parentibus, est aliquid liberis utile, quod tenaces nimium parentes gravate darent; vel est superfluum quo carere facile possunt, aut quo ad lusum, vel alia ejusmodi abutuntur. In primo casu aliquid surripere excusabile est; & parentes non sunt omnino extra culpam qui tale quid faciendi occasionem liberis suis præbent, non prospicientes eis sufficienter de iis quæ status decorum postulat. In secundo liberi peccant. Quicquid enim possint prætendere, non sunt domini paternarum facultatum, nec licet invitis parentibus eripere. Ad ipsos quidem hæreditas spectat, sed non nisi post obitum parentum. Imo accidere potest ut non tantum parentibus, sed etiam consortibus suis fratribus & sororibus, injuriam aliquam faciant. Et parentes qui liberis prodigis tenaces videri possunt, aliquando justissimas habent rationes cur eorum cupiditatibus non indulgeant, etiamsi absque facultatum detrimento id facile iis esset; nimirum ne indulgentia sua eos corrumpant. Nam sæpe evenit ut pecunia juvenibus improvidis peccandi ansam suppeditet; qua proinde carere valde utile ipsis foret. Si vero id quod liberi parentibus, alioqui divitibus, surripiunt majoris sit momenti, dubium non est quin verum sit furtum. Vivis enim adhuc parentibus nullum plane in id jus

habent, ut sibi vindicare queant. Tale erat furtum Michæ, qui mille & centum argenteos nummos matri suæ surripuerat; sed postea, redarguente ut videtur conscientia, ultro restituit, *Judic.* XVII. Denique si quis liberorum ab indigentibus parentibus id auferat quo ad se in senectute sustentandum indigent, id sine controversia gravissimum est furtum & severa dignum punitione. Eripit enim iis quibus secundum divinas & humanas leges alimoniam suppeditare obligatus est, adeo ut ipsos sine enormi peccato deserere nequeat; quanto ergo minus suum eripere? Dominus Jesus reprehendit Pharisæos, quod auctores essent liberis transgrediendi mandatum divinum, de honorandis parentibus, per traditionem istam, præstare Deo offerre dona sua, quam parentes indigentes alere; sub hoc prætextu, quod oblatio Deo facta à liberis in parentum utilitatem esset cessura, *Matth.* XV. Cum igitur existimarit præstare in Dei cultum dona sua non conferre, quam parentes in necessitate deserere, satis ostendit quantum scelus sit id exiguum quod habent iis surripere; quod non est simplex furtum, sed sacrilegii instar: parentes enim liberis quasi parva numina esse debent, à quorum rebus tanquam sacris manus suas abstineant. Et huc quoque pertinet dictum istud Salomonis: *Qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*, *Proverb.* XXVIII. *v.* 24. nempe quia eripit id quo ad vitam sustentandam indiget. Alii tamen malunt ex Hebraïco vertere, *is socius est viri vastatoris*, quam homicidæ. Sed parum id refert. Nam etiam filius vastator, patre accusante, tanquam homicida morte plecti debebat secundum legem, *Deuter.* XXI. 18, &c. Idque Ethnici natura duce noverunt; ut ostendit juvenis quidam apud Plautum in Pseudolo. Ego-ne patri surripere possim quicquam, cauto seni? Atque adeo si facere possem, pietas prohibet.

XI. Quarto quæritur, An furtis accensendum sit, si servus aut ancilla, qui existimat dominum aut dominam suam, non dare sibi sufficientem mercedem pro labore suo, ipsis tantum clam surripiat quantum ad summam debitam implendam requiritur. Ad quod resp. id tam manifestæ esse iniquitatis, ut mirer patronos invenire potuisse. Et tamen sunt inter Jesuitici ordinis Theologos, ex. gr. Laymannus, Bannius, & alii qui id probant. Nam id fenestram aperit infinitis furtis domesticis, quæ nunquam speciosis prætextibus carebunt, si istud licitum esse statuatur; cum tamen leges ea tanto rigidius puniri velint, quanto difficilius est ab iis sibi cavere; licet modum excedere non diffitear. Ut jam non dicam sic servos constitui judices in causa sua adversus dominos, ut sibi pro arbitrio qualem velint mercedem attribuant: quod iniquissimum esse omnes quibus mens non est læva vident.

XII. Et hæc maximam partem pertinent ad furta, quæ dolo potius quam vi exercentur. Ubi vero vis & coactio adhibetur generali rapinarum nomine vocantur; quarum variæ etiam sunt species. Nam latrones appellantur qui cum armis in alios irruunt, eosque spoliant, sive id faciant domi ipsorum effractis januis aut fenestris, sive in viis publicis, sive in mari. Sed qui in viis publicis stant, & itinera violenter cum armis obsident, grassatores proprie dicuntur; qui vero in mari grassantur, piratæ à περάω trajicio, quod maria percurrant & navigantibus assiduo insidientur. Cum autem in ingentem numerum excreverunt, & exercitus habent aut terrestres aut maritimos, quæritur quid discriminis sit inter eos & Principes qui injusta bella gerunt. Et Jurisconsulti quidem definiunt eos esse grassatores, piratas & latrones, qui nullam regionem possident cujus sint domini; statim vero atque aliquam sibi armis subjecerunt, posse principum titulum assumere. Sed apud Deum omnes eodem pariter loco sunt qui injuste in alios armis sæviunt. Non enim est acceptor personarum, ut id toleret in rege quod damnat in privato. Unde pirata quidam ab Alexandro Magno interrogatus, qua auctoritate maria infesta redderet? non inscite respondit; Quia tu magna classe instructus id facis Rex diceris; ego vero quod unicam navem habeam pirata vocor. Et revera Alexander majus non habebat jus in populos, interdum sibi de nomine ignotos, quibus bellum inferebat, quam iste pirata in mercatorum & navigantium opes. Dubium ergo non est, quin gravis peccati rei sint quicunque armata manu aliena invadunt, sive Principes, sive alii. Nec quia principes speciosis prætextibus facta sua defendere norunt, quæ alii non ita facile inveniunt, ideo melior eorum causa est coram Deo.

XIII. Jam igitur dispiciendum est, quam pœnam tam furta quam latrocinia mereantur, sive in foro humano sive in divino. Et quod ad humanum attinet, nunquam ulla fuit controversia inter eos qui Magistratui potestatem facinorosos plectendi concesserunt, quin latrocinia capitali pœna affici mereantur. Nisi enim illa severe coërcerentur, societas humana à paucis sceleratis tota everti posset. Et adversus eos qui armis invadunt, nulla alia est se defendendi via quam si vicissim Magistratus, qui subditorum est protector, arma iis opposuerit. Sunt enim communes generis humani hostes, cum quibus nec pacta nec fœdera intercedere possunt. Quod ad alias furti species, Jurisconsulti hodierni diversas pœnas secundum eorum gravitatem ex circumstantiis constituunt. Generalis & perpetua ipsis est restitutio rei furtivæ, una cum damno, interesse & expensis, conjuncta cum infamia: quæ debet fieri illi qui furto læsus est, si de eo constet, aut hæredibus & jus ab eo haben-

habentibus, non fisco. Sed præter eam volunt ut fur quandoque puniatur pœna pecuniaria, pœna confiscationis omnium bonorum, pœna arbitraria judicis existimatione, pœna fustigationis, relegationis, mutilatione membri, inustione ferri candentis, & quandoque pœna capitali; quam in septem casibus locum habere dicunt. 1. In furto magno. 2. In famosis furibus qui tria vel plura furta fecerunt. 3. In fure qui tria furta commisit, etiam in diversis territoriis, quamvis de duobus prioribus satisfecisset, aut accusatus non fuisset. 4. Si fur se telo defenderit. 5. In abigeatu & peculatu interdum. 6. In piratis. 7. In eo qui officio publico commissus est, ut thesaurarius principis vel reipublicæ. Sed hic multa mihi æquitati & charitati Christianæ videntur esse adversa, de quibus breviter sententiam meam dicam. Existimo igitur non licere Magistratui Christiano sub Novi Testamenti tempore, quo Deus adeo se benignum præbet omnibus hominibus, ut gratuito remittat etiam gravissima peccata iis qui vere resipiscunt, & vitam suam & mores ad Euangelii normam componunt, majori rigore uti in puniendis delictis, quam lex Mosaica, quæ rigidissima erat, olim faciebat. Sic enim Magistratus impediret ne peccatores fructum sentirent benignitatis illius quam Deus ipsis offert: Quod quam fœdum sit Christiano non opus est dicere. Id autem accidit quando capitis pœnam decernit adversus delicta quæ lex ista mitius castigabat. Sic enim directa fronte cum Dei intentione pugnare videtur, intendendo pœnas sub tempore gratiæ, quæ potius minuendæ erant. Nec ad rem facit, quod nonnulli excipiunt, eos qui ob gravius aliquod delictum è medio tolluntur, posse adhuc gratiæ divinæ esse participes si ad Deum serio se converterint, quia mors corporis non eripiat salutem animæ. Nam quamvis id verum sit; tamen cum salus animæ absque vera resipiscentia obtineri nequeat, & ea non sit unius aut alterius horæ opus, sed longum requiratur tempus ad inveteratum habitum in malo exuendum; inde sequitur eos qui facinorosos, non concesso ipsis sufficiente spatio ad istud faciendum, interimunt, una cum vita temporali, salutem quoque æternam iis adimere: quod crudele esse & Christiano indignum omnes agnoscunt.

XIV. Sed hæc, licet à proposito non prorsus aliena, aliquanto longius abeunt quam præsens locus postulet; ubi quæritur solum de furti pœna, & an illam supra legis veteris constitutionem aggravare fas sit. Cum autem furti multæ sint species, & valde inter se inæquales, ut supra vidimus, non omnes eodem modo vindicari jussit, sed alias gravius, alias vero mitius. Adversus plagium capitis pœnam decrevit, *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur*, *Exod.* XXI. 17. Quod aliqui factum existimant, quia si Israëlita venditus fuisset alienigenis & idololatris, periclitata foret salus animæ ipsius. Sed verba interdicti sunt generaliora, & omne plagii genus comprehendunt, nec restringere licet ubi nulla restrictione utitur. Et res ipsa docet longe enormius esse crimen hominem furto, sive parentibus, sive domino eripere, quam bovem aut ovem, pro qua fieri potest compensatio, cum aliquando in homine nequeat.

XV. Sacrilegium morte punitum fuisse colligunt aliqui ex historia Achan, *Josua* VII. Sed sacrilegii diversa sunt genera, & alia aliis fœdiora, quæ proinde graviorem pœnam merentur. Non potest atrocius cogitari quam fuit Achanis, ut omnes ejus circumstantiæ docent. Deus per Josuam jusserat urbem Jerichuntenam anathemate percuti, ita ut de præda nihil liceret Israëlitis accipere, sed omne aurum, argentum, æs & ferrum in ea inventum Dei esset ejusque cultui consecratum, cætera vero supellex igne consumeretur. In utroque peccavit Achan. Nam ex præda sibi sumpsit pallium coccineum valde bonum, quod igni erat destinatum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, quæ in usum debebant asservari, seu in thesaurum sacrum recondi. Quis non videt quam enorme istud fuerit peccatum? Transgreditur expressum & particulare Dei mandatum, eo tempore quo Deum glorificare oportebat tum ore, tum factis, ob insignem & miraculosam victoriam quam dederat de ista urbe. Non tantum pallium surripit, quod non licebat ei appetere, quia Deus volebat comburi. Sed Deo etiam sua bona furatur, quasi ex altari sacra abstulisset. Non potest igitur pœna in Achanem statuta in consequentiam trahi, quin simile detur factum, & in quo eædem circumstantiæ concurrant. quod certum est secundum ordinariam Dei providentiam nunquam factum iri. Imo est amplius. Non Josua, neque judices Israëlis proprie damnarunt morte Achanem: sed potius Deus ipse, qui ita propter scelus Achanis exarserat ira in universum Israëlem, ut deseruerit eos in obsidione urbis Hai, quam alias non minore cum facilitate capturi fuissent quam Jericho; ita ut terga verterint coram hostibus, & triginta sex viri ex ipsis perierint. Necesse fuit ergo ut Josua ad avertendam Dei iram à populo, ita ut fecit in Achanem animadverteret. Existimo igitur non fuisse licitum Israëlitarum Senatui ex isto exemplo regulam seu legem generalem facere, quam observaret in puniendis sacrilegis qui aliquid de bonis cultui divino consecratis, aut de thesauro sacro, vel de vasis aureis & argenteis templi surripuisset; nisi Deus speciali revelatione declarasset se velle eos ita plecti. Nam ubi agitur de suppliciis capitalibus, non tutum est consequentiis indulgere, quæ ex rebus dissimilibus petuntur, præstatque longe verbis legis adhærendo mitius punire reos, imo

infra meritum, quam modum in puniendo excedere, & Dei eos relinquere judicio, quam inhumanum se ostendere. Unde videre est quam graviter peccent, qui ex isto Achanis crimine & pœna extraordinaria adversus ipsum decreta, colligunt oportere morte plectere eos qui hodie inter Christianos sacrilegi esse putantur. Nam ex quo tabernaculum & templum Hierosolymitanum esse desierunt, & cultus ille ceremonialis à Deo institutus, ad quem requirebatur aurea & argentea suppellex, abrogatus est, nemo potest eo modo esse sacrilegus ut olim inter Judæos. Nam duas sacrilegii species constituunt, quæ nihil habent commune cum iis qui de thesauro templi aliquid furati essent, aut vasa sacrificiis destinata surripuissent. Una est cum furtum committitur in loco sacro, ut si quis in templo ubi congregati sunt Christiani ad sacra pietatis exercitia auferat alteri crumenam. Ubi certum quidem est circumstantiam loci addere aliquid gravitati criminis, quia ille prodit suam impietatem, & se nullo Dei timore teneri, qui, ubi alii vacant precibus aut verbum Dei audiunt, occasionem captat eos expilandi. Sed id non sufficit ad faciendum ut crimen quod alias capitale non esset, fiat capitale. Altera species sacrilegii est, cum vasa & suppellex cultui divino consecrata, qualis est magna copia in Pontificiorum Basilicis, ut ciboria, calices, surripitur. Et in eo etiam fateor magnum esse religionis contemtum; sed quia hæc non sunt ex peculiari Dei mandato ejus cultui destinata, sed tantum voluntate hominum, imo sæpe cum superstitione magna, ille divina non furatur qui ista furatur: & si alterius rei simile furtum non puniatur pœna capitali, neque istud etiam videtur puniri debere. Nihil est quod magis hodie ad sacrilegium Achanis accedat, quam si bona pauperum alimoniæ consecrata, præsertim ab iis qui administrant, expilentur.

XVI. Fur nocturnus in effossione deprehensus morte dignus esse censetur, quia ita habent verba legis, *Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis*, *Exod.* XXII. 2. Resp. Immunitas à pœna, quam lex ei præstat qui talem furem occiderit, non arguit ejusmodi furtum morte fuisse plectendum. Hic enim non consideratur fur simpliciter qua fur, sed qua grassator, qui vim intentaturus præsumitur, quam propter noctis tenebras effugere non sit facile. In tali periculo legislator maluit innocenti consulere quam furi. Sed periculo elapso non præcepit furem occidi, imo contra. Nam ibidem additur, *Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Tantum ergo abest ut ex hoc loco recte colligatur fures nocturnos in effractione inventos morte punitos fuisse, ut contra appareat prohibitum fuisse, si nullum amplius innocenti periculum immineret. Sunt etiam qui colligunt furtum aliquando capitali pœna fuisse affectum, ex eo quod David, audito ex Nathane divitem quendam, qui abundabat pecore, unicam oviculam pauperi eripuisse, dixit, *Vivit Dominus, quia filius est mortis qui fecit hoc*, 2 *Sam.* XII. Resp. Non ex Davidis, sed ex legis verbis erat argumentandum. Non enim semel David, quamvis alias Dei timens esset, injustum pronunciavit judicium, ut in Mephiboseth adversus Sibam causa videre est, 2 *Sam.* XIX. 24. &c. Deinde non agitur hic de simplici furto, sed de vi & rapina, qua David existimabat divitem illi pauperi agnam suam unicam eripuisse. Omnes autem concedunt ejusmodi latrocinia mortem mereri; sed quæritur tantum de simplici furto, absque vi commisso, an recte & consentanee legi morte plectatur. Tandem ergo alii dicunt, etiamsi istud lex Mosaica non præceperit olim, tamen hodie propter furum multitudinem non male usurpari, quia crescentibus delictis, æquum sit pœnas pariter crescere. Sed ista ratio non tanti esse momenti videtur, ut propterea à lege divina discedatur, quæ ut videre est *Exod.* XXII. furem tantum damnat ad restitutionem dupli, & quadrupli, aut ad summum quintupli; & vult ut venundetur, si summam illam persolvere nequeat. Deinde ambiguitas est in phrasi, Crescentibus delictis, quæ vel de uno eodemque homine intelligi potest, ut si quis primo furatus sit gallinam, post ovem, deinde equum. Vel de diversis, ut si delinquentium numerus crescat, & major est hodie, quam erat olim. Sed quod ad primum sensum attinet, nihil ad hoc argumentum facit, & concedi potest incorrigibiles fures, quorum malitia quotidie crescit, severius compescendos esse quam alios; unde tamen non sequitur ad pœnam capitalem deveniendum esse cum aliæ non profecerunt. Quod ad alterum vero sensum, is quidem est hujus loci; sed magna est dubitandi causa, utrum major hodie furum sit numerus quam olim. Unde enim id colligi potest? quibus testimoniis & documentis probatur? Totum ex mera conjectura desumitur, quæ tantas vires habere non debet ut nos quod iniquum est facere adigat. Imo posito id verum esse, alius contrarium inde concludat, & majori adhuc cum specie, cum tantus sit furum numerus, benignitate potius erga eos utendum, cum res sit crudelis tot homines è medio tollere. Et sic argumentantur nonnulli ad excusandos ebriosos, scortatores, atque etiam adulteros. Idque solent observare principes cum magna subditorum pars rebellionis est rea, ut potius veniam obtineant quam si unus aut alter tantum peccasset. Deinde concesso licere aucto furum numero graviores iis pœnas intentare, dicam non protinus transeundum esse ad capitales, & posse intendi pœnas, etiamsi ad vitæ usque ereptionem non ascendant. Objicies. Quid ergo fiet tanto furum numero, quantus est hodie, an impune grassari

grassari permittentur? nam si statutis in eos capitalibus suppliciis tam multi inveniuntur, quid futurum esset si mitiori pœna coërcerentur? Resp. Sunt ergastula quibus includantur, sunt opera publica, munitiones urbium, triremes, & alia ejusmodi in quibus occupari possunt, ut ex labore suo satisfaciant iis quos læserunt, & tempus pœnitentiæ & emendationis vitæ ipsis non præscindatur; ad quod præcipue attendere debent Magistratus.

XVII. Et hæc de pœnis humanis: divina est exclusio à regno Dei. *Fures* enim, inquit Paulus, *& rapaces, regnum Dei non possidebunt*, 1 *Cor.* VI. 9. 10. Deus enim qui nemini vitæ æternæ est debitor, propter quamcunque causam inde excludere potest peccatores, & de ejus rigore nemo habet conquerendi jus: Sed homines erga suos conservos non ita se oportet gerere, ut præcipitata pœna ipsos æterna beatitudine privent. Adde quod pœnitentia effugi potest Dei vindicta, qui nihil aliud quærit nisi ut peccator à mala sua via convertatur & vivat.

XVIII. Quia autem ad veram pœnitentiam requiritur restitutio, seu ut damnum proximo illatum resarciatur, & ea non tantum locum habet in furto, sed in multis aliis injuriarum generibus quibus alii sunt læsi, de illa jam nobis erit paulo distinctius agendum. Moris est Theologis, præsertim Pontificiis, pœnitentiam, sub cujus conditione peccatorum remissio nobis est promissa, in tres partes dirimere, contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis. quæ divisio non est ita exagitanda ut à nonnullis fit, sed potius in bonum sensum, cujus capax est, trahenda. Nam quod ad contritionem cordis, quin ea necessaria sit veræ pœnitentiæ pars, nemo dubitare potest. Pœnitentia enim initium sumere debet à dolore de peccatis admissis, qui quanto major est, & profundius cor afficit, tanto pœnitentia est perfectior Deoque acceptior. Confessionem etiam oris in pœnitentia requiri, ostendunt Scripturæ loca quæ nobis eam commendant, ut *Psal.* XXXII. 5. 1 *Joh.* I. 9. Sed facienda est Deo qui potest servare & perdere, non hominibus, qui istud nequeunt. Denique quod ad satisfactionem operis, illa tanti est momenti, ut absque ea nulla sit seria pœnitentia. Nam est mutatio vitæ in melius, qua id quod in actionibus nostris fuit vitii, quatenus in nobis est, resarcimus. Non quidem quod Deo, secundum justitiæ rigorem, id quod debemus persolvamus, (quod certum est fieri non posse, neque Deum exigere) sed quod ille in fructibus pœnitentiæ quos edimus, benignus acquiescat. Unde Daniel suadebat Nebucadnezari, *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis Deus*, *Dan.* IV. 24. Sed quod ad homines attinet, non est impossibile ipsis pro offensis aut injuriis illatis satisfacere. Quod factum est, infectum quidem reddi nequit; sed tamen damnum quod ex vitioso facto ad alios rediit aliqua ratione sarciri & compensari potest. Et id est quod vocamus satisfactionem, restitutionem, compensationem, & aliis æquipollentibus vocibus. Ea ex cordis dolore necessario sequitur. Qui enim vere in animo suo est mœstus quod peccavit, & factum nollet, quia est res turpis, Deo odiosa, proximis noxia, is quod superest amplectetur, ut resarciat malum quod alteri fecit, & in eum statum omnia restituat quasi nihil mali contigisset. v. gr. qui furtum commisit, is non vere dolet de peccato, nisi id quod furatus est proximo restituat, & pro interesse satisfaciat. Ut si furatus esset instrumentum quo utitur opifex, in operibus suis conficiendis, quo privatus non potuerit operari; fur non tantum obligatus est ad instrumentum illud restituendum, sed etiam pro jactura temporis, quo nihil facere potuit, satisfacere. Quod Zachæus publicanus exemplo suo docet. Nam ut vitæ anteactæ seriam pœnitentiam ostenderet, dicit, *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*, *Luc.* XIX. 8. Eaque de causa Dominus ei salutem promittit. Quare non sufficit divitibus, qui ex fraudibus & rapinis sibi thesauros accumularunt, dicere sub vitæ finem, Pœnitet me eorum quæ injuste feci, quæ aliis præter jus & fas eripui; & interea omnia ista retinere, aut hæredibus suis relinquere. Imo istud vix est veræ pœnitentiæ umbra, & Judæ pœnitentia deterius, qui Sacerdotibus restituit 30 illos argenteos nummos quos ad prodendum Dominum Jesum acceperat. Qui enim sic se gerit, in sinu gaudet de suis furtis, nec habet illam cordis contritionem quæ in vera pœnitentia requiritur, cum qua subsistere nequit tam iniquarum divitiarum possessio.

XIX. Sed quid faciet ille qui multa quidem aliis eripuit, sed quæ non amplius sunt in sua potestate, ut veris dominis restituat, an obligatus manet ad restitutionem, ita ut si non defungatur in æternum ipsi pereundum sit? Non auderem id præcise dicere. Qui aliquid de alieno retinet, manet quidem ita obligatus ad restituendum, ut non possit unquam id omittere cum facultas faciendi, sive totum, sive particulam aliquam, se offert; sed non ita ut teneatur supra vires agere. Quamvis enim culpa ejus factum sit quod non possit restituere, ut si abligurierit; tamen impossibilitas videtur eum quadantenus excusare, nec Deus ab ipso plus reposciturus est quam possit, dummodo animus & voluntas adsit faciendi; de quo Dei solius, qui scrutatur corda & cogitationes hominum, est judicare, non nostrum, qui externa tantum inspicimus, & de iis bene ex charitate sperare tenemur qui pœnitentiam seriam profitentur, etiamsi spes ista nos possit decipere.

XX. Nec in isto tantum rerum genere, id est, cum aliis facultates suæ injuste sunt ereptæ, necessaria est satisfactio, sed etiam in omni alia injuria qua proximus est læsus. Vulneravit quispiam alium, non potest pœnitentia tangi, quin media suppeditet quibus offensus in integrum restitui queat, quin satisfaciat pro eo quod sibi aut suis prospicere interea nequivit. Et quidem secundum legem quæ ita statuit, *Operas ejus & impensas in medicos restituet*, *Exod.* XXI. 19. Si autem ita mutilaverit, ut non amplius ex labore suo possit se sustentare; qui læsit debet eum in reliquum vitæ tempus alere. Qui alterum interemit, non potest restituere vitam quam ademit, sed tamen propinquis ejus, quorum intererat ut viveret, ut viduæ, liberis, tenetur pecunia satisfacere, quantum probabiliter æstimatur ipsorum ex occisi conditione interesse. Est-ne aliquis qui proximi famam læserit, & doleat ipsum admissi, etiam in integrum restituere obligatus est, & efficere quantum in se est, ut qui male antea culpa sua audierat, postea in meliori sit existimatione; & si ex detractione sua passus sit aliquod in re familiari detrimentum, id resarcire; v. gr. cum impedivit ne opifex posset ex labore suo familiam & domesticos sustentare. Huc quoque pertinet qui puellæ aut viduæ alicujus castitatem violarit. Nam quamvis pudicitia semel læsa, non magis in integrum restitui possit quam vita amissa, damna tamen inde emergentia aliqua ratione resarciri queunt. Idque triplici potissimum ratione. Prima est, ut qui fœminam violavit, eam in uxorem ducat, modo proximitas sanguinis, aut alia gravia incommoda non prohibeant. De quo vide *Exod.* XXII. 16. Altera est, ut si parentes fœminæ nolint, aut non possit eam ducere, saltem det dotem, *Ibid. v.* 17. & *Deut.* XXII. 17. 28. Tertium est, ut si proles aliqua ex illegitimo congressu procreata fuerit, eam alat & pro sua agnoscat. Sic enim ratione aliqua damnum acceptum reparatum esse videtur. Lenones vero & lenæ parentibus puellæ quam ad impudicitiam pellexerunt, pecunia satisfacere debent. Si vero aliquis proximum malo suo exemplo, aut etiam suasione, in peccati imitationem traxerit, quomodo damnum spirituali ejus vitæ illatum restituet ac reparabit? Resp. Nullo alio istud fieri potest modo, quam si contrariis exemplis & suasionibus ipsum à peccando retrahat, & pietatis atque justitiæ sectatorem reddere studeat. Quod tamen forte difficilius ipsi erit quam alterum, quia in peccatum via est præceps, ad virtutem vero ardua, & in qua sibi ipsi vim facere oportet, qui promovere aliquid velit. Sic necessariam omnino esse restitutionem apparet.

XXI. Sed à quo, & cui fieri debet? Resp. Id facile est scitu. Qui enim peccavit, ad restitutionem obligatus est. Omnis qui alteri damnum quacunque ratione intulit, sive per dolum & fraudem, sive per vim & rapinam, sive per supinam negligentiam, aut qui non impediit cum in potestate sua esset facere & ex officio teneretur; hos omnes, inquam, damnum cujus aliis causa exstiterunt, reparare oportet. Sed aliquando istud etiam est hæredum, si in manus eorum furtum aut res per fraudem & injustitiam acquisita devenerit. Quod enim aliis injuste rapere non licuit, neque ipsis possidere fas est. Et nisi restituant, ipsi socii furum sunt, ne pilo quidem iis meliores. Proinde eos qui alienas hæreditates adeunt, explorare diligentur oportet, juste-ne an injuste acquisitæ fuerint, ne injuste acquisitas retinendo, aliorum peccatis participent, & anathema in domum suam accersant. Sunt enim ista bona instar pennarum aquilinarum, quæ cum aliis inclusæ & mixtæ eas consumere feruntur. Deinde qui jusserunt aut suaserunt aliquod scelus, vel adjuverunt, aut inde emolumentum perceperunt, omnes ad damnum emergens reparandum obligantur, utpote sceleris complices & socii, & eandem cum illo qui ipse manibus suis patravit pœnam commeriti. Ille cui restitutio fieri debet, non tantum est qui damnum accepit, sed etiam ejus hæredes, si res talis sit quæ ad alios hæreditate transeat, ut sunt omnes divitiæ & facultates externæ. Sic Nehemias præcipiebat divitibus inter Judæos qui fratres suos oppresserant & opes eripuerant, *Reddite eis hodie agros suos, & vineas suas, & oliveta sua, & domus suas*, &c. *Nehem.* V. Si vero ignoretur cujus sint opes injusto titulo possessæ, aut ipse non amplius exstet, aut quisquam qui ejus nomine sibi vindicare illas queat, tunc Dei cultui, aut pauperum alimoniæ consecrandæ erunt. De primo mandatum habemus expressum in lege; *Vir sive mulier qui peccaverint, confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei in quem peccarint. Si autem non fuerit qui recipiat, dabit Domino, & erit Sacerdotis*, &c. *Numer.* V. 6. 7. 8. De altero Zachæus exemplum præbet, qui Domino Jesu dicebat, *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*, &c. *Luc.* XIX. 8. nempe ad satisfaciendum pro bonis injuste acquisitis, quorum dominos & proprietarios ignorabat. Nam quod ad alios quos nosse poterat, aut qui de ipso conquesturi essent, addit, *Si quid aliquem defraudavi*, (nempe qui ostendere id possit) *reddo quadruplum.*

XXII. Fieri tamen potest aliquando, ut restitutio minus necessaria judicetur. Ut 1. Si constet de voluntate ejus qui injuriam est passus, ipsum non desiderare sibi reparari. Voluntatem autem suam vel expresse vel tacite declaravit. Quando expresse, tunc nullum superest dubium quin omnis ad restituendum obligatio cesset. Sed illa declaratio plane libere absque ulla coactione, metu, vel fraude facta esse debet; alias à vinculo non solvit. Tacita præsumitur declaratio in modicis damnis quibus liberi

parentes

parentes nonnunquam afficiunt. Nam si ad majora soleant connivere, aut ea sponte etiam ipsis condonent, inde colligere est ipsos neque ad alia minora respecturos, & restitutionem petituros. 2. Si ille cui restitutio facienda est alias à lædente æquivalens noxæ commodum gratuito accepit, videtur lædens à restituendi obligatione solutus esse, ut salva conscientia negligere possit. 3. Si is qui ad restituendum obligatus est, tali penuria laboret, ut ipsi plane impossibilis sit, tunc non tenetur, etiamsi in talem penuriam culpa sua inciderit. Sed remanet obligatio restitutionis in posterum, ut si quando facultatem eam faciendi recuperet, officii sui non sit immemor.

CAPUT XLV.
De Benevolentia, & speciatim Pacis studio.

I. *Benevolentia quid.* II. *Spectatur primo in adversa alterius fortuna, ejusque officium est compati alterius miseria.* III. *Et pro viribus allaborare ne affectus misericordia sterilis sit.* IV. *Secundo in prospera alterius fortuna.* V. *Huic opponitur invidentia.* VI. *Ejus dua species.* VII. *Tertio in pacis studio.* VIII. *Hoc vel est civile, hanc vitam concernens.* IX. *Et demonstrari potest mansuetudine & patientia.* X. *Beneficiis.* XI. *Et abstinentia ab injuriis.* XII. *Vel est religiosum, cum omnibus iis qui Dominum invocant in puro corde.* XIII. *Quinam illi sint.* XIV. *Quid requiratur in eorum fide.* XV. *Quid in moribus.* XVI. *Studio pacis in excessu repugnant, qui sub pratextu pacis ea in fide & moribus tolerant, qua toleranda non sunt.* XVII. *In defectu illi adversantur dissensiones; qua sunt noxia in vita civili.* XVIII. *Sed maxime in Ecclesia.* XIX. *Ha sunt vel schismo, vel haresis.* XX. *Varia schismatum species.* XXI. *Quid sentiendum de schismate qua Ecclesias Reformatas à Romana divisit.* XXII. *Quid de separatione qua est inter Remonstrantes & Contraremonstrantes.*

I. CHaritatis atque etiam aliquomodo Justitiæ geminus est fœtus, nempe Benevolentia & Beneficentia, aut si velis sunt earum partes & officia. Sed propter materiæ amplitudinem seorsim visum est de iis agere. *Benevolentia est virtus qua inclinamur ad aliis favendum, ita ut iis non tantum omnia fausta & prospera optemus, sed etiam quantum in nobis est procuremus.* Cum autem ista fausta & prospera vel animum vel corpus respiciant, & illa his præstantiora sint, majori laude digna est benevolentia quæ alterius bonum spirituale quam quæ corporale solum promovet. Talisque erat benevolentia quam Joannes erga Gaium profitebatur dicens, *Charissime de omnibus orationem facio prospere te ingredi & valere, sicut prospere agit anima tua*, 3 *Joan.* 2. In ejusmodi bonis non est metuendum ut unius commodum alterius sit detrimentum. Usu enim & communicatione non deteruntur, sed potius accessionem capiunt. Sed quando ex benevolentia prosperitatem alterius temporalem intendimus, tunc ad ista duo respicere oportet. 1. Utrum ad animæ ejus salutem sit cessura. Nam si nocitura prævideatur, crudelis foret benevolentia illam promovere. 2. Videndum est ne dum uni prodesse studemus, alteri noceamus. quod plerumque evenit in bonis corporalibus, quæ à plurimis simul possideri nequeunt, & ubi, sicut in Physicis, unius generatio ex alterius corruptione ortum ducit.

II. Benevolentia autem erga alios in tribus potissimum rebus spectatur. 1. In adversa ipsorum fortuna. 2. In prospera. 3. In pace & concordia cum iis colenda. Quod ad primum attinet, si videamus fratrem, vel quemcunque alium hominem in afflictione aliqua constitutum, benevolentiæ est, 1. compati ejus afflictioni & miseriæ. Quod commendat nobis Paulus, dicens, *Flete cum flentibus*, *Rom.* XII. 15. & Petrus, cum vult nos esse *compatientes & misericordes*, 1 *Petr.* III. 8. Quod notandum est adversus Stoicos, & qui eorum rigiditatem imitantur, qui probant quidem ut succurratur miseris; sed turpe esse existimant sensu miseriarum quibus torquentur affici, easque immoto corde esse spectandas. Sed fonte benevolentiæ & συμπαθείας obstructo, frustra inde rivuli sperantur defluxuri. Perinde id est, ac si aliquis tempestate arida optaret quidem pluviam ad agros irrigandum; sed nollet cœlum nubibus obduci. Qua ratione enim ad succurrendum misero movebitur, quem nullo ejus sensu, non magis quam stipitem aut saxum, tangi volunt? Id toto cœlo à Philosophia Christiana distat. Inde factum est ut Deus Pontificem, quem constituebat ad expiandum peccata nostra, & succurrendum miseriis nostris, voluerit iisdem nobiscum afflictionibus exerceri, ut posset compati infirmitatibus nostris, *Hebr.* II. v. 17. 18. & IV. 15. Idque significavit ipse Dominus Jesus, cum proponeret exemplum ejus qui inciderat in latronum manus, & ab iis semimortuus relictus erat. Cum enim Sacerdos & Levita illac iter facientes illo viso præteriissent, Samaritanus misericordia motus ipsi opem tulit, *Luc.* X. 30. &c. Cur alii duo non idem fecerunt? quia sensu miseriæ ejus in corde suo tacti non fuerunt. Quare non sine gravi causa nos hortatur Apostolus, ut *induamus viscera misericordiarum*, σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, *Coloss.* III. 12. & ut simus εὔσπλαγχνοι, id est, in visceribus commoti, *Ephes.* IV. *ult.* Nempe, quia aliter ad misericordiam erga alios exercendam flecti non possimus, quam si ipsorum miseriam tanquam nostram propriam existimemus. Ad quod faciendum præcipue obligati sunt fratres, id est, qui ejusdem corporis mystici, cujus Christus est caput, membra sunt. Nam sicut in corpore humano naturali, cum unum membrum patitur, omnia membra debent ei compati, 1 *Cor.* XII. 26. imo fieri nequit quin compatiantur, quia unius totius continui sunt partes; ita in societate spirituali, quæ nobis invicem in Christo

Chriſto intercedit, fieri neceſſe eſt; afflictiones & miſerias fratrum noſtrorum, cum quibus *σύσσωμοι*, id eſt concorpores ſumus, noſtras ipſorum reputare, & prompti eſſe ad iis ſuccurrendum, quaſi ipſi in corpore noſtro pateremur. idque communio ſanctorum requirit, ut non tantum bona omnia, ſed etiam mala cum iis habeamus communia, & ut ſi corpore nequeamus, ſaltem animo in ferendis ſuis oneribus & ærumnis adjuvemus.

III. 2. Benevolentiæ eſt pro viribus laborare ne affectus iſte miſericordiæ ſit ſterilis & intra inania vota aut verba conſiſtat. *Nam ſi frater aut ſoror nudi ſint & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis, illis, Ite in pace, calefacimini & ſaturamini; non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?* Jac. II. 15. 16. Huc pertinet igitur. 1. Ut ſi quem injuſte ab aliis affligi cernamus, illi præcipue opem feramus. Nam cum omnis aliorum miſeria in nobis miſericordiæ affectum excitare debeat, tum maxime id locum habet ubi quis immerens ab improbis patitur. Sed cum iſtud in omnium poteſtate non ſemper ſit, ſed tantum eorum qui opibus & auctoritate valent, attendere ii debent ne fruſtra miſeri ad ſuum auxilium & protectionem confugiant. Quales ſunt judices & Magiſtratus, quorum eſt officium viduarum & orphanorum, qui præſidio humano ſunt deſtituti, cauſam ultro ſuſcipere & eos ab oppreſſoribus liberare. Unde redarguuntur Principes Iſraëlis qui id non curabant; *Pupillo non judicant & cauſa viduæ non ingreditur ad illos,* Eſa. I. 24. Et merito. Nulli enim ſunt qui tam ſtudioſe commendentur omnibus in Scriptura, ut Exod. XXII. v. 22. Deuter. XVI. 14. & XXIV. 17. Jac. I. 27. & alibi. 2. Eſurientes & ſitientes cibandi ſunt & potandi, nudi veſtiendi, exules & extranei hoſpitio excipiendi. Secundum enim hæc opera aut præſtita, aut omiſſa, ſententiam tum abſolutionis tum condemnationis pronunciabit Chriſtus in ultimo die, Matth. XXV. Supra cætera hoſpitalitatis magna eſt habenda ratio, erga eos qui propter veritatem Euangelii patria ſunt pulſi & facultatibus exuti. Quæ nobis ſæpe commendatur, ut Rom. XII. 13. *Hoſpitalitatem ſectantes;* 1 Petr. IV. 9. *Hoſpitales eſtote alii erga alios.* & Hebr. XIII. 2. *Hoſpitalitatis ne eſtote immemores. Per hanc enim quidam neſcientes exceperant Angelos hoſpitio*; ut Abraham Geneſ. XVIII. 1. &c. Lothus, Geneſ XIX. v. 1. 2. 3. Imo Chriſtum ipſum excipere poſſumus; quia qui alium recipit propter ipſius nomen, Chriſtum ipſum recipit. 3. Spiritualis quoque alterius miſeria nos ad miſericordiam movere debet, etiamſi qui in ea conſtituti, plerumque non ſentiant, nec aliorum opem implorent, ſed potius oblatam repudient. Ergo ſi quis in errore verſetur, ipſum erudiamus; ſi peccet, ipſius peccatum quantum bona conſcientia id permittit tegamus, & clam abſque ejus confuſione emendare laboremus. *Univerſa enim delicta operit charitas,* Prov. X. 12. 1 Cor. XIII. v. 4. 1 Petr. IV. 8. *& qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus* (vel ſuam) *à morte, & operiet multitudinem peccatorum,* Jac. V. 19. 20. Hanc virtutem commendat nobis Chriſtus, dicens, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt,* Luc. VI. 36. Et ejus exemplum præbet, cum ruinam Jeruſalem prævidens flevit ſuper ea, & optavit ut cognoſceret quæ ad pacem ſuam faciebant, Luc. XIX. v. 41. 42. Et Apoſtolus Paulus, qui optavit anathema eſſe Chriſti cauſa pro Judæis fratribus ſuis ſecundum carnem, ut ſalutis æternæ eſſent participes, Rom. IX. 3. Sicut Moſes pro ipſorum majoribus petebat à Deo ut de libro vitæ deleretur, Exod. XXXII. Item Jobus, *Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi,* Job. XXX. 25. Item *potentes in Sion, qui bibebant vinum in phialis, & optimo unguento delibuti erant; ſed nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph,* Amos VI. 6. id eſt, quod tribus Ephraim & Manaſſe è Joſepho oriundæ patria pulſæ, & in miſeram captivitatem ab Aſſyriis eſſent abductæ. Et damnatur dives epulo, qui ſe quotidie ſplendide excipiebat, & ne fruſtum quidem panis Lazaro ad fores ſuas jacenti largiebatur, Luc. XVI. 19.

IV. Alterum benevolentiæ officium ſpectat proſperam aliorum fortunam, & requirit ut de ea lætemur & gratias Deo agamus. *Gaudete cum gaudentibus,* Rom. XII. 15. Quod ſecundum carnem eſt quidem jucundius quam flere cum flentibus. Unde fit ut hujus mundi homines libenter accurrant ad felices ut cum eis exultent; fugiant vero miſeros & infelices, quaſi infortunii & calamitatis ipſorum contagionem metuentes.

Aſpicis ut veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas ſordida turris aves.

Sed lætari in Domino de alterius proſperitate ſpirituali & gratia in eum collata eſt longe diverſa res. Ibi enim qui congaudet alteri, nullam privati commodi rationem habet, ſed ſolum proximi ſui. Tale eſt gaudium Angelorum in cœlo ſuper peccatoribus pœnitentiam agentibus, de quo teſtatur Chriſtus, Luc. XV. 7. Ad iſtud hortatur nos Deus ipſe dicens, *Lætamini cum Jeruſalem, & exultate in ea omnes qui illam diligitis,* &c. Eſa. LXVI. 10. nempe cum videbitis eam gratia mea ab inimicis liberatam, & gloria ornatam. Exemplum ejus nobis ſuppeditat ſæpe Paulus in Epiſtolis ſuis, gratias agens Deo pro beneficiis in alios collatis, & oſtendens quanto inde gaudio perfunderetur. Sic Rom. I. 8. *Gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in univerſo mundo,* &c. Sic 1 Cor. I. 4. &c. Philipp. I. 3. Similiter 1 Theſſ. III. 9. *Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Deum noſtrum,* &c. Sed nunquid lætari etiam licet de corporalibus bonis quæ proximis collata eſſe videmus? Omnino.

Omnino. Sed non ita ut de spiritualibus, quibus nemo unquam abuti potest, cum illa sæpe occasio ruinæ & perditionis sint iis qui acceperunt, ut in divitiis & honoribus contingit, qui mores hominum mutant, & ex temperantibus luxuriosos, ex modestis superbos & arrogantes reddunt. Itaque qui lætatur & gratias agit Deo quod hæc alteri obvenerint, simul precari debet ut gratiam bene utendi & ad gloriam suam largiatur.

V. Huic virtuti opposita est invidia, sive potius invidentia, qua quis dolet & tristatur de bonis quibus Deus alios ditavit. Ea non solet respicere dona spiritualia. Nemo enim alteri invidere solet quod sit justus, benignus, temperans, modestus, aut aliis ejusmodi virtutibus ornatus. Sed tamen aliquando invidentur per accidens ejusmodi dona, quatenus commodum aliquod temporale post se trahunt. Sic potest invideri alteri eruditio, per quam ad magnam æstimationem pervenit, & sibi divitias atque honores comparare potest. Sic Josue, cum audivisset de Eldado & Medado quod prophetarent, istum honorem illis invidit, & dixit Mosi, *Domine mi Moses prohibe illos*, *Numer.* XI. 27. 28. metuebat quippe, ne si donum Prophetiæ pluribus communicaretur, Moses & reliqui jam eo donati in minore existimatione essent. Ita discipuli Joannis Baptistæ moleste ferebant quod Jesus baptizaret, & omnes ad eum venirent, *Joan.* III. 26. quia putabant inde aliquid Magistri sui honori decessurum. Quali affectu ducebatur quoque Joannes Apostolus, qui dicebat Christo, *Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur (te) nobiscum*, *Luc.* IX. 49. nempe se & condiscipulos inde honoris aliquam diminutionem sensuros timebat, si donum miraculorum aliis quoque conferretur qui non essent ex Domini Jesu comitatu. Ita ut isti omnes inviderent aliis bona spiritualia propter adjunctum eis aliquod emolumentum temporale. Alias, ut dixi, nemini invidetur quod sit pius, Dei timens, & aliis ejusmodi virtutibus præditus: quanquam exosus esse queat, quia probitas ipsius est tacita quædam aliorum ipsi dissimilium accusatio.

VI. Cæterum invidentiæ duæ præcipuæ sunt species. Prima est, cum aliquis contristatur quod alius eodem secum bono fruatur, sive quod inde aliquam boni sui diminutionem metuat, sive simpliciter quod ex malignitate quadam doleat aliquem habere ejusdem secum boni consortem, etsi non sit ex eorum genere quæ per communicationem aliis factam deteruntur & consumuntur. Illo priore modo solent sibi invicem invidere qui eandem artem exercent, quia unius commodum in alterius vergit detrimentum. Sic figulus figulo & cantor cantori invidet, ut habet vetus proverbium, imo etiam mendicus mendico. Et istud inter homines carnales, & solis temporalibus bonis inhiantes aliqua cum specie defendi potest, quia natura est insitum omnibus; ut sibi potius quam aliis bene esse cupiant. Hoc posteriore modo ii tantum aliis invident, qui pravæ omnino sunt indolis. Quales repræsentantur in parabola à Domino Jesu operarii illi, qui murmurabant adversus patremfamilias, quod iis, qui unam tantum horam in vinea sua operati erant, tantumdem mercedis daret atque sibi qui portaverant pondus diei & æstus, *Matth.* XX. 11. 12. Sed pejores adhuc istis hominibus erant Judæi, qui rejicientes gratiam Euangelicam sibi ab Apostolis oblatam; nolebant tamen Gentiles illius participes fieri. Ut accidit Antiochiæ Pisidiæ, ubi cum Judæi vidissent magnam Gentilium turbam convenisse ad audiendum Euangelium, *repleti sunt zelo*, (id est, invidia) *& contradicebant his quæ dicebantur à Paulo blasphemantes*, *Act.* XIII. v. 44. 45. & Hierosolymis, cum audirent Paulum referentem Christum sibi dixisse, *Vade, quoniam in nationes longe mittam te*; levaverunt vocem suam dicentes, *Tolle de terra hujusmodi* (hominem:) *non enim est fas eum vivere*, *Act.* XXII. v. 21. 22. Altera invidentiæ species est, cum quis dolet proximum potiri aliquo bono quod ipse habere vellet, sive illud tale sit ut plures ejus participes esse queant, sive non sit. Prioris modi exemplum habemus in Caino, qui fratri Abeli invidebat favorem Dei, *Genes.* IV. 3. 4. 5. licet ipse quoque benefaciendo extolli apud Deum posset, ut ibidem additur, *Nonne si bene feceris erit elevatio?* v. 7. Item in fratribus Josephi, qui invidebant ipsi quod plus se à patre diligeretur, *Act.* VII. 9. ex *Genes.* XXXVII. quamvis si probi fuissent, non minorem in optimi parentis dilectione quam Joseph partem habere possent. Posterioris modi speculum præbent omnes illi, qui ad aliquas dignitates aspirant quæ plus quam uni obvenire nequeunt. Quales erant Satrapæ Medi & Persæ, qui Danieli invidebant, quod ipsis prælatus apud Regem Darium esset, & quod ipsum super totum regnum constituere cogitaret, *Dan.* VI. 1. 2. &c. Ita inter Romanos Cnejus Pompejus & Julius Cæsar, quorum uterque imperio solus potiri cupiebat. Unde Lucanus ambitionem eorum describens dicit, Nec jam ferre potest Cæsarve priorem, Pompejusve parem; tacite tamen innuens affectum Cæsaris aliquanto Pompeji fuisse tolerabiliorem. Et inde oriuntur tot scelera inter homines regnandi cupidos; ex quibus tanquam ex fructibus quam prava sit invidiæ arbor quæ eos producit facile est judicare; ut pluribus id exaggerare supervacaneum sit. Ad eam autem eradicandum opus est solum charitate, quæ non tam sua quærat quam alterius, & animo qui forte sibi à Deo assignata contentus sit, ut ægre non ferat videns alterum quippiam habere quo ipse destituatur, si interim necessaria affatim suppetant.

VII. Restat concordiæ seu *pacis studium*, *quæ est virtus qua boni inter se unanimes sunt*, *& alii aliorum commoda quærunt*, *& mala à se invicem avertunt*. Dico illam inter *bonos* esse, quia ii soli ad hanc virtutem colendam sunt apti. Quæ inter malos aliquando cernitur, ejus tantum habet umbram, nec diuturna esse potest, quia nullum solidum habet fundamentum. Non loquor de illa qua improbi in aliquo scelere perpetrando consentiunt: hæc enim est detestanda conspiratio, quæ nequidem, si recto oculo inspicias, virtutis apparentiam habet; ideoque omnibus bonis exosa esse debet. Sed eam intelligo, quam colunt inter se mundani homines, propter negotia quæ ipsis invicem intercedunt, & statim dissolvitur cum alter alterius commodis obstat. Hæc enim licet vera virtus non sit, aliquam tamen ejus speciem habet. Verum tamen huc non pertinet, ubi de virtutibus Christianis tractamus. Concordiæ ergo studium quod proprie hujus est loci, est vel reciprocum, vel non reciprocum. Reciprocum est, cum ii inter quos concordia vigere debet, omnes à sua parte afferunt quod ad eam colendam & fovendam requiritur. Et hæc est vera & perfecta concordia. Non reciprocum est, cum ab una tantum parte eo collimatur, altera vero pars aut nullo modo, aut non satis, ad suum officium attendit; unde fit ut nulla plane sit mutua concordia, aut saltem imperfecta. Sed quia sufficit ut unusquisque actiones suas bene regat, nec ad spondendum pro alienis, quæ à se non pendent, est obligatus, ejus qui vere pacis & concordiæ est studiosus, est attendere ne qua in re officio desit.

VIII. Quod ut faciat, animadvertere primo debet, istud studium vel concernere res ad hanc, civilem vitam pertinentes vel quæ ad religionem, seu esse vel civile, vel religiosum. De civili studio accipiendum est istud Apostoli monitum, *Pacem sectamini cum omnibus*, *& sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum*, *Hebr.* XII. *v.* 14. Ubi vox illa *omnibus*, quemadmodum universalis est, ita universaliter accipi debet, ut nemo prorsus excipiatur. Quamvis enim Christianus omnium hominum instituta & actiones probare nequeat, cum multa sæpe in iis improbanda occurrant, cum nemine tamen contendere aut inimicitias gerere ipsi licet. Nihil enim prohibet, quominus pacem & concordiam colamus etiam cum iis qui inordinate se gerunt, modo peccatis eorum non participemus. Ubi quia facile est labi, ideo divinus scriptor sanctimoniam cum pace conjunxit; ut significaret, se nullam aliam pacem commendare, nisi eam cui bene cum sanctitate conveniat. Verum tamen id non est semper etiam in maxime pacificorum potestate. Multi enim reperiuntur illis similes de quibus conqueritur David, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*; *cum loquebar illis* (supple de pace) *impugnabant me gratis*, *Psal.* CXX. *v.* 7. Ideo Paulus fideles ad pacem cum aliis colendam adhortans, limitatione quadam utitur, *Si fieri potest*, *quantum in vobis est*, *cum omnibus hominibus pacem habete*; *Rom.* XII. 18. Iniqua enim admodum esset nostra sors, si cum iis etiam qui pacem omnem repudiant, pacem habere teneremur: quod absit ut Deus judex æquissimus à nobis exigat, aut ipsum exigere opinemur. Verissimum est enim vulgatum proverbium, Nemo diutius pace frui potest, quam vicino placeat. Nam si turbare velit, non est positum in nobis animum ejus mutare. Nihilominus quantum in nobis est laborare debemus ut eum ex malevolo benevolum reddamus. Quod variis modis fieri potest.

IX. *Primo* mansuetudine & patientia, caventes ne ipsum ad iram & injuriam quo propendet provocemus. Istud enim mollissimum est pharmacum quo animum alterius ægrum sanemus. Rixanti ergo responde placide, & rixa cessabit. Istud ex Salomone discere possumus, qui dicit, *Responsio mollis frangit iram*; *sermo durus suscitat furorem*, *Prov.* XV. 1. Nam veluti ignis cui nullum fomentum adjicis, sponte extinguitur, ita ira quam durioribus responsis non inflammas. Nec curandum est id quod vulgo dici solet, Veterem ferendo injuriam, invitas novam. Nam contrarium sæpe accidit, ut veterem ferendo injuriam vites novam. Injuriæ enim acceptæ retaliatio, aliam post se injuriam plerumque trahit. Si vero dissimules, saltem ex isto te præsenti periculo patientia redimis. Reliqua committe Deo, cui curæ erunt. Non enim sine causa Petrus monet, *Quis est qui vobis noceat*, *si boni æmulatores fueritis?* 1 *Epist.* III. 13. Veluti enim vehementissimi maris fluctus contra arenam mollem placide franguntur, in duras rupes vero illisi horrendum mugitum edunt, ita contingit in ira, quæ mollibus verbis & patientia placatur, asperioribus recrudescit. Ergo vel nostræ solius quietis causa à vindictæ cupiditate cavendum esse, ratio etiam animales homines docere potest. Quid si illuc accedat voluntatis divinæ cognitio, qui sibi omnem vindictam reservavit, & nobis dicit, *Mihi est vindicta*, *& ego retribuam?* *Rom.* XII. 19. ex *Deuter.* XXXII. *v.* 35. Nihil enim isto mandato est æquius; cum natura doceat, neminem in propria causa idoneum esse judicem; quia cæcus sui amor lancem justitiæ non in quam oportet partem, sed quo affectus suadet impellere consuevit.

X. *Secundo*, beneficia plurimum in flectendis male erga nos affectorum animis possunt; adeo ut hæc sit efficacissima persuadendi ratio quæ pro argumentis benefacta usurpat. Unde recte monet Sapiens, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*; *si sitierit*, *da illi aquam bibere*; *prunas enim congregabis super caput ejus*, *& Dominus reddet tibi*, *Prov.* XXV. 21. *Rom.* XII. 20. Ubi ultima hæc verba, *Prunas congregabis super caput ejus*, quidam in hunc sensum exponunt, Si pergas inimico

mico benefacere; & is non resipiscit, cumulatior erit ira Dei contra eum ita ut per carbones ignitos ultio divina significetur, atque adeo æternum gehennæ supplicium. Ignis enim prunarum vehementius urit quam flamma, *Psal.* XVIII. & CXL. Sed quia istud est charitati contrarium, ut pii qui nihil aliud quam aliorum hominum emendationem & salutem quærere debent, in hunc finem beneficia iis conferant ut gravioribus tormentis afficiantur, putant per modum prophetiæ esse accipiendum, qua declaretur quid improbis & ingratis illis eventurum sit, non quid pii eis exoptent. Malim tamen per *prunas* hic ardorem charitatis intelligere, quasi dictum esset, accendetur charitate mutua, & ex inimico fiet amicus. Alii vero (quod fere eodem redit) ita accipiunt, Adduces inimicum tuis beneficiis ad pœnitentiam mali quo te affecit. Torquebitur enim animo, & dolebit ei, quod te læsit, ac seipsum accusabit. Sicque ad mutuum amorem incendetur, & beneficiis tecum certabit. Ita ut per *carbones ignitos* anxietas illa animi intelligatur, qua hostem mali alteri inflicti pœnitet. Vix enim aliquis est tam durus, qui beneficiis non mitescat, & agnoscat se peccasse. Cujus exemplum habemus in Saule, qui beneficiis Davidis impulsus, fatetur ipsum esse justum, se vero injustum, 1 *Sam.* XXIV. & XXVI.

XI. Omitto hic, quod omnibus notum est, pacis & concordiæ studiosum omnia quæ eam turbare possunt studiose vitare debere, quales sunt injuriæ cujuscunque generis, sive verbis, sive factis, illatæ; quæ etiam ex amicis inimicos reddere solent. Quam enim pacem cum illo sperare potes quem bonis suis fraudas, quem pulsas, quem conviciis impetis, aut cui alio modo noces? Nam etiamsi forte ut Christianus patienter & æquo animo ista perferat, & longe ab omni vindictæ cupiditate absit; tamen quantum in te est vinculum pacis abrumpis, nec te pro amico habere potest quamdiu inimici actiones edis. Superbia quoque, qua se quispiam supra alios extollit, eosque contemnit, & dominationem in eos nititur usurpare, odiosum ipsum vulgo reddit. Nemo enim facile se ab alio sperni patitur, aut se subjicit ei cui dominium legitime non competit. Summatim pacis studiosus non debet alteri facere quod sibi fieri nollet. Hæc est conversationis mutuæ certissima regula, ad quam quicunque se componit aut nullos aut paucissimos habebit inimicos, paceque illa imperturbata, cum omnibus hominibus, quam Apostolus commendat, fruetur.

XII. Religiosum pacis & concordiæ studium est quod cum fratribus & eandem nobiscum in Christum fidem profitentibus colimus. Istuc pertinet Pauli monitum, *Sectare pacem cum omnibus iis qui invocant Dominum de corde puro*, 2 *Tim.* II. 22. Ubi vox *omnibus* non reperitur quidem in vulgatis exemplaribus, sed nihilominus addendam, aut saltem subintelligendam esse ex re ipsa constat. Quæ enim ratio posset dari ullum ex iis qui invocant Dominum de corde puro, id est verum Christianum, excludendi à pace, quæ nobis si fieri queat cum omnibus hominibus intercedere debet? Hæc igitur religiosa pax est illius civilis complementum & perfectio, eam non solum in se comprehendens, sed etiam ad plures actus extendens, & quod ei deest adjiciens. Quod enim omnibus hominibus quantum in nobis est præstare tenemur, multo magis iis qui tam arcto ejusdem Christianæ fidei vinculo nobiscum juncti sunt, non tantum in iis quæ civilem conversationem, sed etiam quæ religiosam respiciunt. Itaque ea quæ modo diximus de civili pace & de omnibus ejus obstaculis pro virili removendis, huc quoque pertinent & observari debent.

XIII. Sed quæritur quinam sint illi qui invocant Dominum de corde puro, an illi tantum qui fidem ab omni errore immunem profitentur, & tam sanctam degunt vitam, ut nihil in ipsorum dictis aut factis reprehensione dignum occurrat? Resp. Si ita se res haberet, pauci essent cum quibus pacem colere obligaremur. Quotusquisque enim est mortalium qui alicubi in fide non erret, aut in moribus non labatur? Qui hanc perfectionem in aliis requirunt, ipsi non habent, imo neque de ea recte judicare semper sunt idonei. Omnes sibi persuadent se veritatem tenere, & alios à se dissentientes in errore versari; & tamen id falsum esse experientia docet. Sic enim unus idemque homo, eodem tempore, & de eadem re, bene & male sentiret, quod absurdum est. Ergo etiamsi nesciamus nos errare, tamen ita animati esse debemus, ut credamus id quod aliis contingit, nobis quoque contingere posse, & cum homines simus, nihil humani à nobis alienum putare; ideoque valde suspenso gradu in aliis judicandis procedere, ne judicium quod de illis ferimus, in nos ipsos inscii tulisse comperiamur, qui paribus, aut forte etiam gravioribus quam ipsi erroribus sumus implicati. Quare si prudenter hic nos gerere velimus, nihil ab aliis præter consensum in capitalibus fidei articulis, in quibus nemo absque gravissima culpa errare potest, debemus requirere; in cæteris vero, in quibus existimamus ipsos decipi, libenter eos tolerare, quemadmodum nos quoque, si in eorum loco essemus, tolerari cuperemus. Quicunque hanc viam insistet, non facile pacem cum fratribus alicubi à se dissentientibus violabit.

XIV. Sed quæritur ulterius, quænam sint illa capitalia fidei dogmata, præter quæ nihil ab aliis tanquam omnino necessarium requirere debeamus, ut in pace & concordia religiosa cum iis vivamus. Valde enim diversimode de eo judi-

judicant hodie Christiani. Omnes enim fere in eo consentiunt, pacem esse colendam cum iis qui de fundamentalibus recte sentiunt; sed quænam fundamentalia sint acriter disputatur, & in illorum censum multa annumerari solent quæ alii pro talibus non agnoscunt. Resp. Decisionem istius quæstionis ad hunc locum non pertinere: jam aliquid ante de illa dictum, & in sequentibus adhuc dicendum restare. Uno verbo dixerim, fundamentum fidei Christianæ, quatenus à Judaica distinguitur, & unum Deum universi conditorem & gubernatorem præsupponit, esse credere Jesum esse Christum seu Messiam promissum. *Quicunque enim* hoc *credit, ex Deo natus est*, 1 *Joan.* v. 1. Omnes autem istud credere, ex charitatis judicio agnoscere tenemur, qui se credere aperte profitentur, & in quorum dictis & factis, seu conversatione externa nihil ejusmodi professioni contrarium deprehenditur. Nam cum Joannes testetur eos qui istud credunt ex Deo esse natos, seu esse Dei filios, nos quoque ipsos pro nostris in Christo fratribus agnoscere & pacem religiosam cum iis colere obligati sumus; quamvis in nonnullis aliis errare putemus. Non ergo existimare debemus cum quibusdam illos omnes esse fundamentales articulos, qui de Deo aut de Christo tractant. Nam etiam de illis multa minuta disputantur, quæ neque scire valde utile est, neque ignorare perniciosum, & in quibus propter magnam obscuritatem difficile est sibi ab errore cavere. Sed præcipue pro fundamentalibus habenda sunt ea, sine quibus neque possumus verum & debitum Deo Christoque honorem exhibere, neque promissis fidere, neque mandatis obedire. Hujus doctrinæ consequentia sunt tria. 1. Ut qui inter se conveniunt in capitibus fidei fundamentalibus, non damnent se invicem propter dissensum in aliis quæ tanti non sunt momenti. *Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem*, &c. *Rom.* XIV. 4. *& seqq. Unus est legislator & judex qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es qui judicas proximum? Jac.* IV. 12. 13. Item, *Ne judicate, ut ne judicemini, Matth.* VII. 1. Quod de rebus & dogmatibus ambiguis, utrum bona aut mala sint, intelligi debet, non de iis ubi nulla est dubitandi causa. Grave autem est quemquam damnare, quem Deus non damnat, & charitati contrarium. 2. Qui ita inter se conveniunt, obligati quoque in unum cœtum cum simul habitant congregari, precibus alii aliorum participare, ritus sacros baptismi & cœnæ dominicæ una obire, & aliis ejusmodi sacris exercitiis simul vacare, secundum monitum Apostoli, *Non deserentes congregationem vestri mutuam, Hebr.* X. 25. *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, Eph.* IV. 3. 3. Majore se invicem charitate prosequi quam alios. Omnibus enim benefaciendum est quidem, cum opportunitatem habemus, *sed maxime domesticis fidei, Gal.* VI. 10. &c.

XV. Quod ad mores etiam attinet, quicunque Christi præcepta saltem externe observant, & nulla opera carnis patrant quæ ex regno cœlorum excludunt, de quibus Paulus *Gal.* v. 19. 20. 21. cum iis quoque tanquam cum fratribus concorditer vivere oportet, etiamsi non sint ab omnibus nævis & lapsibus immunes. Non quidem quod ad eorum vitia connivere sit laudabile. absit. admonendi sunt officii, & redarguendi in quibus peccant, sed fraterne & amice, ut appareat nos solum eorum emendationem & salutem quærere, non confusionem & opprobrium, multoque minus privato affectui satisfacere. Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, &c. *Gal.* VI. 1. 2. Imo de iis qui gravius adhuc peccant, quorum consortium oportet fugere, ut pudifiant, idem Apostolus dicit, Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem, 2 *Thess.* III. 14. 15. In summa sive quis erret in fide, sive in moribus, modo non lethaliter, meminisse oportet istius præcepti, Suscipite infirmos, 1 *Thess.* V. 14. alter alterius onera portate, *Gal.* VI. 2. Item, Debemus nos qui firmiores sumus, inbecillitates infirmorum sustinere, & non placere nobis, *Rom.* XV. 1. Ad quod maxime attendere tenentur, qui variarum infirmitatum sibi sunt conscii, ubi à proximis tolerari cupiunt. fœdum est enim ab alio exigere quod ipse non habeas, & in eo illum damnare, in quo ipse damnandus sis. Quibus merito exprobratur vulgare illud, Medice cura teipsum. Turpe est doctori, &c. Et convenit illud Apostoli, *In quo judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, qui judicas*, &c. *Rom.* II. 1. 2.

XVI. Opposita huic quod commendamus concordiæ studio sunt duplicia, alia quidem in excessu, alia vero in defectu. In primo peccant ii, qui sub pacis prætextu ea etiam quæ toleranda non sunt, tolerare possunt, & volunt, sive fidem, sive mores spectent. Quod fieri semper non oportere, id vel solum docere potest quod Angelus Ecclesiæ Ephesinæ eo nomine laudatur, quod *non posset tolerare malos*, *Apoc.* II. 2. de quibuscunque malis id intelligatur. Certum enim est, quod ad fidem attinet, nos eos pro fratribus agnoscere non debere qui Christum nobiscum non colunt, quales sunt non tantum Judæi, Mahumetani, Ethnici, aut alii manifeste infideles; sed etiam qui perniciosa dogmata in religionem invehunt, quæ cum fundamento consistere nequeunt; ut si quis resurrectionem mortuorum allegorice intelligens, aliam postea expectandam negaret. Quales erant Hymenæus & Philetus, quos Paulus dicit à veritate excidisse, & quorundam fidem subvertere. Item, qui bonorum operum studium damnaret, Deum aperte auctorem peccati faceret, imperium in aliorum conscientias sibi arrogaret,

rogaret,

rogaret, & alia ejusmodi abominanda. Nullum enim pacis studium debet efficere ut ad talia conniveamus. Ubi enim aliorum salutem periclitari videmus, crudelis foret misericordia dissimulatione uti; veluti si quis proximum in aquam aut ignem lapsum ibi perire sineret, ne unco ipsum extrahendo vulneraret. Quare Paulus, qui pacis tam erat studiosus, ut *omnibus omnia factus esset, Judæis tanquam Judæus, & iis qui sine lege erant, quasi ipse sine lege esset*, 1 Cor. IX. v. 19. &c. tamen separavit se & suos discipulos à Judæis contradicentibus & blasphemantibus. Nam excutiens vestimenta sua dixit ad eos, *Sanguis vester super caput vestrum; mundus ergo, ex hoc ad gentes vadam, & migrans inde*, &c. Act. XVIII. 6. 7. Item, cum quidam indurarentur & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, &c. Act. XIX. 9. Nec id tantum nos exemplo suo docuit, sed etiam in simili casu facere præcepit, *Rogo vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis*, Rom. XVI. 17. Et revera qui tam patientes sunt in omnibus tolerandis ut nunquam se opponant doctrinæ Christi corruptoribus & inimicis ostendunt se carnales esse, & religionem non curare, sive nullo gloriæ Dei studio, nullo alienæ salutis desiderio teneri. Eadem quoque morum est ratio est. Cum iis qui vitam Christiano indignam degunt, non possumus familiare consortium exercere quin operibus eorum malis communicemus, & reos coram Deo nos ipsos reddamus. *Si is qui frater nominatur, est fornicator aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere*, 1 Cor. V. 11. Item, *Si quis non obedit verbo nostro, ne commisceamini cum illo, ut confundatur*, 2 Thess. III. 14. Quod multo magis observandum est erga illos qui extra Ecclesiam sunt, quatenus id per hujus vitæ negotia licet, quæ aliquando requirunt ut cum illis conversemur quorum mores minime probamus. Alioqui exeundum nobis esset de hoc mundo si cum nullo fornicario, aut avaro, aut rapace, aut idolis serviente commisceri vellemus, 1 Cor. V. 10. quod fieri non posse manifestum est. Huc pertinent Principum & Rerumpublicarum fœdera cum aliis, quæ in hoc mundi corrupto statu nunquam tam arcta esse debent, ut non solum eosdem habeamus cum ipsis amicos, (quod laudabile est) sed etiam eosdem inimicos; quod illicitum, & eos bellis non necessariis & facile alias evitabilibus implicat. Unde reprehenditur Josaphat, alias pius rex, quod fœdus cum impio Achab iniisset; *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris?* 2 Chron. XIX. 2. Sed mutuæ defensionis causa, non est veritus Abrahamus fœdus pangere cum Aner, Eschol & Mambre, & vires suas cum iis jungere, ad Lothum à captivitate in quam abductus erat liberandum, Gen. XIV. v. 13. 24. Summatim omnes, tum privatos, tum qui ad clavum reipublicæ sedent, meminisse oportet ejus quod dicit David, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*, &c. Psal. I. Et videre ne illis exprobrari queat, *Si videbas furem currebas cum eo*, &c. Psal. L. 18. Quia sicut qui picem tangit inquinatur ab ea, ita qui conversatur cum impiis, vix cavere sibi potest, ne aliquid vitii inde contrahat. *Corrumpunt enim bonos mores consortia prava*, 1 Cor. XV. 33. ex Menandro.

XVII. In defectu concordiæ studio adversantur dissensiones & rixæ inter eos qui unanimes esse debebant, sive id in civilibus rebus contingat, sive in Ecclesiasticis. In quibus omnibus observandum est, quod sicut concordia parvæ res crescunt, ita ex opposito, discordia dilabantur & pessundentur. Id docet Dominus Jesus refutans Pharisæorum calumniam, qui dicebant ipsum dæmones ejicere per Beelzebub dæmonum principem, quasi dæmones sibi invicem essent contrarii, *Omne regnum contra se divisum desolabitur, & omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit*, Luc. XI. 17. Huc possent afferri exempla potentissimorum imperiorum, quæ cum viribus humanis invincibilia esse viderentur, divisionibus obortis & bellis intestinis sunt eversa. Quale fuit olim Romanum, quod in Occidente primo in exiguas particulas divisum, vix tenuem sui umbram reliquit: deinde in Oriente à Turcis Christiani nominis hostibus oppressum, nunc sub misera servitute gemit. Idem quoque in domibus & familiis observare est, quæ dissensionibus mariti & uxoris, parentum & liberorum, vel fratrum & sororum inter se consumantur, & ex opulentis atque florentibus miserrimæ evadunt, sicut etiam quando se litibus cum aliis temere & absque necessitate implicant. Ne jam iræ divinæ mentionem faciam, quæ præter damna ista temporalia, quæ dissidentibus inter se evenire justo judicio sinit, in perpetuum adversus eos arsura est donec penitus sint deleti. Non sine causa igitur dicuntur *abominationi esse Domino qui rixas inter fratres seminant aut fovent*, Proverb. VI. 16. &c. nimirum quia tot malorum est causa ut vix majorum esse queat. Et Paulus *contentiosos & fœdifragos* in numero eorum qui *omni iniquitate repleti sunt* collocat, Rom. I. 29. &c. sicut & eos qui sunt *sine affectione & sine pace*, 2 Tim. III. 2. &c.

XVIII. Sed nusquam discordia tantum malorum producere est nata quantum in Ecclesia. Quo enim arctiori vinculo corporis Christi membra inter se colligata esse oportet, eo perniciosior esse solet ruptura cum à se invicem dissiliunt. Nam primo, non possunt habere Deum faventem & propitium qui dissensionibus delectantur. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis;

pacis, 1 *Cor.* XIV. 33. Quod in figura significavit olim Eliæ. Nam cum vellet se ei manifestare ad montem Horeb, præcessit spiritus, seu ventus, grandis & fortis subvertens montes & conterens petras ante Dominum; non autem in spiritu Dominus; & post spiritum commotio; non in commotione Dominus; & post commotionem ignis; non in igne Dominus; & post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audivisset Elias, agnovit adesse Dominum, 1 *Reg.* XIX. 11. &c. Spiritus enim ille grandis, & commotio, & ignis, adumbrabant dissensiones quibus tunc Ecclesia Israëlitica conflagrabat, & Deum à se alienum reddebat. Ideo præcipit Dominus Jesus, ut qui offert munus suum ad altare, & ibi recordatur fratrem aliquid adversus se habere, relinquat ibi munus suum, & abeat reconciliari fratri suo, & tum demum munus suum offerat, *Matth.* v. 24. Nam qui dissidet cum fratre, non est bene dispositus ad impetrandum à Deo beneficium quod petit. Manus puræ sunt ad ipsum levandæ, sine ira & disceptatione, inquit Paulus, 1 *Tim.* II. 8. Periculum à discordia imminens graviter repræsentat idem, cum dicit: Quod si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini, *Gal.* v. 15. Dissidia autem erant inter Galatas, propterea quod nonnulli volebant ut circumciderentur, & alios Mosaicæ legis ritus observarent; alii vero pro retinenda libertate per Christum acquisita pugnabant. Unde animi magis ac magis à se invicem alienabantur.

XIX. Cæterum discordia, quæ in Christianorum religiosis cœtibus oboritur, duplici potissimum nomine solet designari; vel enim vocatur σχίσμα vel αἵρεσις. quanquam sunt nonnulli, qui duas has voces aliquando tanquam Synonymas usurpari in Scriptura existimant. Certum quidem est eas diversæ admodum esse significationis: σχίσμα enim nihil aliud est quam scissio aut ruptura; præsupponitque eos inter quos existit unum antea corpus fuisse, aut saltem esse debuisse. Qualia schismata erant olim in Ecclesiis Corinthiorum, Galatarum, & aliis, quæ reprehendunt Apostoli. Vide 1 *Cor.* I. v. 10. & XI. 18. *Gal.* v. *fere toto*, & *Judam* v. 14. ubi de auctoribus schismatum dicit, *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Hæresis autem aliquando accipitur in bonam partem, adeo ut Paulus ipsam religionem Christianam non dubitet nomine hæreseos insignire, *Act.* XXIV. 14. & in laude de Pharisæis dicat ipsos esse ἀκριβεστάτην αἵρεσιν. Sed sumitur etiam in malam, ut cum Petrus dicit, fore Pseudoprophetas qui introducant αἱρέσεις ἀπωλείας, *hæreses perditionis*, 2 *Epist.* II. 1. Nec repugnat significatio vocis. αἵρεσις enim est electio, quæ potest tam bonorum esse, quam malorum, & indifferentium, nempe dogmatum. Pro eodem accipi σχίσμα & malam αἵρεσιν probant ex eo quod Paulus *Gal.* v. 20. recensens opera carnis, διχοστασίας, quæ idem sunt quod σχίσματα, cum hæresibus conjungit, & 1 *Cor.* XI. 18. 19. dicit, *Audio schismata inter vos esse, & partem aliquam credo: oportet enim & hæreses inter vos esse*, &c. Sed ista duo loca non evincunt has voces idem prorsus significare; sed tantum res iis designatas esse affines & sæpe conjunctas inveniri in Ecclesia, ubi schismata & hæreses simul sint. in posteriori enim videtur Paulus argumentari à majori ad minus, & hæreses schismatibus graviores facere. Alias schisma vulgo accipitur pro scissura & dissidio quod oritur ex rebus minoris momenti, quæ dissensionis causa nequaquam esse deberent; quale erat inter Corinthios, quorum unus dicebat, *Ego sum Pauli, alius ego sum Apollos, alius ego sum Cephæ*, &c. 1 *Cor.* I. 12. quasi aliqua magni momenti diversitas inter istos Doctores esset, propter quam uni potius quam alteri adhærere deberent; qui tamen non erant Paulus, Apollos & Cephas, sed alii quorum nominibus parcit. Quanquam enim vinculum unionis nondum plane abruptum erat inter eos, ita ut in diversos cœtus convenirent, tamen eo manifeste tendebant, & nisi Apostolus pro viribus obstitisset, proculdubio tandem accidisset. Hæresis vero est doctrina prava, & fundamentum religionis evertens, quam aliquis ex contentionis studio fovet; unde postea schismata oriuntur, sive ii qui pravæ isti doctrinæ adhærent, se ab aliis sponte separent; sive illi qui saniores sunt in fide eos à se arceant, ne totum gregem pestifero suo dogmate inficiant. Quo spectat Pauli monitum, *Tit.* III. 10. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*, &c. ubi tamen quidam putant intelligi illum, qui etsi scire possit rem de qua contendit non esse tanti momenti ut propterea turbas movere debeat, nihilominus in malo suo proposito pergit. Sive ergo schisma cum hæresi conjunctum sit, sive ab ea separatum, constat esse malum & summopere fugiendum, utpote unitati Ecclesiæ repugnans, quam omnia ejus membra sollicita esse debent servare in vinculo pacis, *Ephes.* IV. 3. Quod si milites inconsutilem Christi tunicam veriti sunt dividere, multo magis obligati sumus cavere, ne ipsius corpus dissensionibus nostris scindamus, & istud totum, cujus salus in unitate consistit, violemus. Nec id fieri solet nisi ab animis, quos ambitio, propriæ opinionis nimius amor, aut similis affectus excæcavit. Itaque cum Ecclesiæ contemptu est conjunctum omne schisma, quod non esse leve peccatum docet Paulus, cum Corinthiis inter se dissentientibus exprobrat, *An contemnitis Ecclesiam Dei?* 1 *Cor.* XI. 22. Nam superbiæ intolerabilis indicium est, & ejus qui nihil probat, nisi quod ipse facit. Tales erant olim Coré, Dathan & Abiron, qui Aaroni Sacerdotium quo Deus ipsum honoraverat invidentes

tes, seditionem in deserto excitarunt, *Numer.* XVI. idque à Juda Ecclesiæ Christianæ perturbatoribus applicatur. Nec solum Ecclesiam spernunt schismatici, sed etiam damnant; quæ etiamsi aliqua in re esset damnabilis, tamen ab iis qui se pro membris illius venditant, minime omnium damnari conveniret. *Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi*, *Rom.* XIV. 10.

XX. Schisma autem non unius est generis. Nam 1. vel est inter eos qui conjuncti aliquando fuerunt, deinde se ab invicem contentione oborta separarunt; vel inter illos qui nunquam conjuncti inter se fuerunt, sed nihilominus esse deberent, si ad officium suum attenderent. Primi exemplum præbent Ecclesia Græca, & Ecclesia Romana, quæ usque ad 600 A. C. optime unitæ fuerunt; postea dissidio paulatim gliscente tandem mutuæ fraternitati renunciarunt, & nihil inter se commune habere voluerunt. Item Ecclesia Romana, & Reformatæ, quæ circa superioris sæculi initium à se invicem separari cœperunt. Secundi habemus in Reformatis ipsis, (quo nomine comprehendo omnes qui ab Ecclesia Romana discessionem fecerunt, Lutheranos, Calvinistas, Mennonitas, Socinianos) qui nunquam quidem unum corpus constituerunt inter se, ex quo Ecclesiæ Romanæ communionem deseruerunt; sed tamen ad se invicem propius accedere tenentur, si Christi præceptum observare velint, cum in fundamentalibus fidei capitibus conveniant, & dissidium inter eos sit fere tantum de subtilioribus quæstionibus & decisu difficilibus, ubi unus non habet jus alteri quicquam præscribendi, aut renuentem excommunicandi; sed se, donec Deus errantibus veritatem revelarit, tolerare invicem fraterne debent, interimque *in eo ad quod pervenerunt idem sapere, & in eadem permanere regula*, *Philipp.* III. 15. 16. Sed nescio quis divisionis spiritus ita eos dementavit, ut non animadvertant, se in se invicem hostiliter incurrendo fundamenta reformationis, cujus zelo duci videntur, subruere, & Pontificis Romani tyrannidem firmare. 2. Schisma aliud omnem Ecclesiæ unionem abrumpit, aliud vero non abrumpit. Primi iterum præbent exemplum Ecclesia Græca, & Ecclesia Romana; item Ecclesia Romana, & Reformatæ; nec non Lutherani, Calvinistæ, Mennonitæ, aliique. Secundi vero Ecclesia Romana, quæ unita in se manet, licet opinionibus & institutis multum discrepent ejus membra; nonnullis summam dirimendi controversias fidei potestatem tribuentibus Episcopo Romano, aliis vero Concilio generali; nonnullis asserentibus Virginem Mariam absque peccato esse conceptam, aliis vero eam cæteris hominibus hac in parte æquantibus. In quo se longe prudentiorem ostendit quam sint Reformatæ, quæ in multo minoris momenti dissidiis se mutuo tolerare abnuunt, & Domini Jesu dictum facto suo comprobat, *Quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*, *Luc.* XVI. 8. 3. Schisma aliud est bonum, aliud malum. Bonum est, cum veritatis salutaris amantes se ab illis separant qui eam corrumpunt. Vidimus enim supra Paulum Apostolum talis auctorem fuisse, *Act.* XVI. 6. 7. & XIX. 9. imo quoque præcepisse, *Rom.* XVI. 17. Sic Joannes testatur se audivisse vocem de cœlo, dicentem; *Exite de Babylone populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis*, *Apoc.* XVIII. 4. Et revera magnum est periculum in communicando cum improbis, ne ab ipsis in eandem impietatis viam abripiamur; imo fieri nequit, quin eorum sceleribus nos inquinemus. Malum vero est schisma de quo initio egi, quod ab ambitione, avaritia, & contendendi libidine originem ducit, aut cui perniciosa hæresis occasionem præbet. Quale schisma est inter Ecclesiam Græcam & Ecclesiam Romanam, sub prætextu controversiæ de processione Spiritus S. sed revera propter auctoritatem quam sibi Papa Romanus in cæteras omnes totius orbis Ecclesias arrogat. Item, inter Lutheranos, Calvinistas, Mennonitas & alios, qui sine satis gravi & necessaria causa à se invicem disjuncti manent, imo alii alios oderunt & execrantur, nec tantum ex Ecclesiis suis diversum sentientes excludunt, sed etiam cœlo proscribere audent.

XXI. Hac occasione duæ quæstiones nobis breviter sunt excutiendæ; una in quo genere collocandum sit schisma quod Ecclesias Reformatas à Romana dirimit; altera, an Contraremonstrantes merito schismatis Remonstrantes accusent, quod ad Ecclesias suas, à quibus fuerunt damnati & expulsi, redire nolint, etiam cum libertas sententiæ quam probant retinendæ ipsis benigne indulgetur. Ad primam ergo respondeo, Protestantes bona conscientia non posse fidei cultusque communionem cum Ecclesia Romana colere, propter multas gravissimasque causas quas ea separationi dedit. Nam primo, quamvis nullam aliam haberent præter istam, quod Ecclesia Romana usum linguæ Latinæ pertinaciter retinet in cultu Dei publico, qui non facit ad ædificationem maximæ partis populi qui illam ignorat, non possent reprehendi quod separatos cœtus instituerent, in quibus omnia lingua unicuique genti vernacula peragerentur. Sed quot aliæ ad hanc accedunt? Eas sigillatim enumerare tædiosum esset, quanto magis explicare & defendere? Duas aut tres speciminis gratia tantum recensebo. Idololatria quæ in Ecclesia Romana exercetur, nullo prætextu excusari potest. Conqueruntur quidem sibi gravem fieri injuriam cum illius accusantur. Sed res ipsa loquitur. Nam contra expressum Dei interdictum fabricantur imagines tum Dei, tum creaturarum, quas vene-

venerantur, & ad quas peregrinationes longas opis poscendæ causa instituunt. Quod non facerent, nisi quid divinum illis inesse crederent; cum Dei auxilium ubique præsto sit, & non opus sit id procul quæsitum ire. Cultus etiam quem sanctis mortuis deferunt est idololatricus, cum tribuunt eis quod Dei Christique est proprium, nempe in omnibus necessitatibus tum corporis, tum animi, opitulandi. De pane Eucharistico fatentur se illi supremum cultus genus, quod latriam vocant, deferre, eo quod non sit amplius panis, sed ipsum Jesu Christi corpus. Sed cum Scriptura, sensus & ratio eos refutent, apparet prætextum istum esse inanem, & illos, quicquid ad se excusandum afferant, vere esse ἀναπολογήτους. In hæresibus non insistam, quæ plurimæ sunt, ut quod præter verbum Dei scriptum, aliud sit non scriptum, quod pari cum reverentia suscipere oporteat; & præter Jesum Christum aliud sit Ecclesiæ caput, videl. Pontifex Romanus, qui supremam habeat potestatem omnes fidei controversias absque provocatione judicandi. Denique his instar colophonis accedit, quod Ecclesia Romana hæreses, idololatriam, & omnes abusus qui in religionem irrepserunt cum tyrannica potentia defendit, adeo ut nemini liceat absque vitæ, fortunarum, honorisque jactura illis obsistere. Hæ, ut existimo, plus quam sufficientes causæ sunt Romanæ Ecclesiæ communionem deserendi. Non affero controversiam de Justificatione, utrum homines coram Deo sola fide, an vero etiam ex operibus justificentur; quam nonnulli Protestantes capitalem faciunt, & propter quam unicam oporteat ab ista Ecclesia se separare. Nam immerito id facere videntur, & sensus Ecclesiæ Romanæ esse tolerabilior, modo benigne explicetur, quam quorundam ex Reformatis, qui putant homines adhuc in peccatis & impietate perseverantes, coram Deo pro justis pronunciari.

XXII. Ad alteram quæstionem dico, Remonstrantes admodum injuste ab adversariis suis schismatis accusari. Omnes enim, qui volunt, scire possunt quantum operæ & sollicitudinis adhibuerint ante Synodum Dordracenam, ut controversia de Prædestinatione & annexis capitibus per mutuam tolerantiam sopiretur, & per ipsos non stetisse quominus cum Contra-remonstrantibus uniti manerent: illos vero per vim & seditionem, invitis, imo etiam munere deturbatis Magistratibus, & Pastoribus Rem. schisma fecisse. Sed, inquies, nunc pœnitet eos facti. Revocant enim nos ad suam communionem, & paratos se ostendunt nos admittere, etiam sententia nostra retenta. Resp. Omnes id non facere, nec communi consilio; sed quosdam tantum; plurimos vero contra, nos in perpetuum à communione sua secludere, nisi palinodiam canamus, & fidei nostræ renunciemus. Præterea qui nos admittunt iniquis conditionibus id faciunt, ut nimirum de sententia nostra perpetuo sileamus, & audientes eam oppugnari dissimulemus. Quis autem de veritate & gravitate ejus persuasus id facere audeat? Nonne istud foret mendacio applaudere, & sinere id triumphare, & veritatem divinam, quæ nobis vita charior esse debet, indefensam relinquere, atque adeo turpiter prodere? Nec existimandum est parvi momenti istam esse controversiam, quia rebus adhuc integris nostri adversarii mutuam tolerantiam obtulerunt. Nam id non fecerunt absolute, sed sub hac conditione, si modo abrupta & extrema vitarent, & se intra quosdam terminos decreto Ordinum Hollandiæ præscriptos continerent; libertatemque Contra-remonstrantibus parem suæ sententiæ propugnandæ haberent. Nunc cum damnata est sua sententia à Synodo Dordracena, & tanquam intolerabilis rejecta, status quæstionis est mutatus, nec possunt Remonstrantes ad oppugnationem dogmatum, quæ pro veris & salutaribus habent, connivere, quin se magni adversus Deum & ejus veritatem peccati reos reddant.

Caput XLVI.

De Beneficentia.

I. *Beneficentia quid. Versatur vel circa animi.* II. *Vel circa corporis emolumenta.* III. *Discrimen inter liberalitatem & magnificentiam.* IV. *Quæ nos ad liberalitatem hortentur.* V. *Quis finis esse debeat liberalitatis.* VI. *Et quodnam ejus objectum.*

I. Sequitur *Beneficentia*, quæ *est virtus proximorum utilitati se impendens in iis ad quæ politicæ leges non obligant, sed liberum unicuique relinquunt quod libet facere aut omittere.* Ea duplicis est generis: versatur enim vel circa animi, vel circa corporis bona & emolumenta. Beneficentia quæ occupatur in procurandis alteri animi emolumentis est multiplex. Nam aut erudit ignaros, aut ab erroribus revocat iis præoccupatos, aut hortatur ad virtutem, aut dehortatur à vitio, aut consolatur pusillanimes. Quæ sunt etiam utilitates ad nos communiter ex Scriptura θεοπνεύστῳ redeuntes, 2 *Tim.* III. 16. 17. *Rom.* XV. 4. Et hujus virtutis exercitium sæpe nobis illic commendatur. *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo; sed adhortamini vosmet ipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati, Hebr.* III. 12. 13. Item, *Consideremus invicem in provocationem charitatis & bonorum operum; non deserentes collectionem nostram, sed consolantes,* &c. *Hebr.* X. 24. 25. Rursus, *Rogamus vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes*, 1 *Thess.* V. 14. Verum quidem est hæc officia plerumque accepta non esse iis quibus præstantur, & pro gratia quam inire æquum esset exhibentes, in odium aliorum incurrere. Sed propterea animum despondere non oportet,

oportet, imo tanto animosius adversus omnes offensas pugnare, considerantes quanta tum ad eos quos officii admonemus, tum etiam ad nos ipsos inde reditura sit utilitas. *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum; scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus,* (vel suam) *à morte, & operiet multitudinem peccatorum, Jacob.* v. *v.* 19. 20. Nulla igitur erga proximum utilior est beneficentia quam ejusmodi, quæ ipsum à perditione liberat, & salutem æternam parit, quamvis vulgo non magni fiat, & potius odiosa sit.

II. Sed tamen sub ejus prætextu non est negligenda corporea quando occasio se offert & in potestate nostra est eam alteri exhibere. Corpoream autem voco etiam eam, qua in rebus corporeis & ad vitam animalem pertinentibus salutaria consilia suppeditantur indigentibus, ut in lite, in morbo, aliisque ejusmodi; quod quanto facilius est factu, tanto turpius est si pauperi, qui non habet unde solvat, denegetur. Eo quoque pertinet quæ opera, vel pecunia, rebusve pecunia æstimabilibus exhibetur. Opera quidem, ut si quis ministret ægro, aliave officia corpore præstet. In quo tantumdem, imo plerumque magis possunt pauperes robusti & industrii, quam divites; ita ut nullum sit hominum genus quod tenuitas sua excuset, quominus erga alterum potentiorem se quandoque beneficum ostendat. Et ita placuit Deo dona sua distribuere hominibus, ut qui destituitur una re, abundet alia qua proximo inservire queat, non solum divitiis, sed etiam opera, & prudentia, ut sic universa hominum societas mutuis officiis sibi invicem obligetur; quemadmodum videmus in corpore nostro unum membrum alteri opem ferre, & omnia simul quod possunt ad incolumitatem totius corporis conferre. In beneficentia autem quæ opera & labore exercetur ad duo præcipue attendendum est. 1. Ne dum uni benefacere studes, ut amico, aut consanguineo, alterum offendas, & in ejus odium incurras. 2. Si tamen videas pauperem, & imbecillem, ut orphanum, aut viduam, à potentiore injuste oppressum, ne metuas offensam aut periculum quod in succurrendo illis subeundum erit. Quod faciebat Job, *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum, Job.* XXIX. 17. Ad quod hortatur etiam David, *Psal.* x. 14.

III. Sed quia beneficentia illa vulgo magis est cognita quæ fit pecunia, aut rebus quæ certo pretio æstimantur, liberalitasque vocatur, in ea describenda nobis paulo diutius est immorandum. Aristoteles ἐλευθεριότητος seu liberalitatis appellatione comprehendit etiam virtutem quæ in accipiendo modum servat, hoc nixus fundamento, quod nisi accipias prius, non habes unde postea eroges. Sed istud alienum est à recepta vocum significatione. Nemo enim liberalem vocare solet eum qui in accipiendo se gerit ut honestum virum decet, sed potius justum, aut αὐτάρκη, id est sua sorte contentum. Ideo de ejusmodi officio partim jam egimus, partim in sequentibus aliquid dicturi adhuc sumus; & hic tantum liberalitatem quatenus in erogando versatur considerabimus. Nec etiam de liberalitate & magnificentia tanquam de virtutibus specie distinctis disseremus, sed ut gradu solum, qui speciem, fatentibus vulgo Peripateticis, variare non solent. Liberalitas enim circa parvos aut mediocres sumptus occupatur; magnificentia vero circa magnos; in quibus tamen plerumque ostentatio magis quam vera & proprie dicta virtus locum habet: ut in populo conviviis excipiendo, theatris & aliis ejusmodi operibus ad oblectationem publicam exstruendis. Fateor tamen vere magnificum simul & Christianum esse templa, scholas, xenodochia, orphanotrophias, nosocomia condere, in quibus peregrini, orphani & ægroti sustententur; quanto enim hujus liberalitatis fructus ad plures se extendit, tanto pluris est facienda; licet non sit diversa specie virtus à liberalitate, & aliquando pluris apud Deum æstimetur parva liberalitas quam pauper de exiguo quod habet exercet, quam magna divitum, qui de ingenti opum suarum acervo longe plura largiuntur, ut docet Dominus Jesus occasione pauperis illius viduæ, quæ duo minuta quæ habebat in Dei gazophylacium miserat, *Marc.* XII. *v.* 41. &c.

IV. Ad liberalitatem autem, sive magnam sive parvam, pro facultatum quas à Deo accepimus ratione, sunt multa quæ nos hortentur. Nullum enim est charitatis officium quod adeo urgeat & commendet Scriptura. *Bonum facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus bonum operemur ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, Gal.* VI. *v.* 9. 10. ubi nomine *domesticorum fidei* intelliguntur quidem omnes Christiani promiscue, quos fides in Christum in unum corpus compingit. Sed quia Christiani, proh dolor! sunt hodie in contrarias sectas divisi, quarum sunt quædam quæ cæteris exitium intentant & totis viribus moliuntur, certum est in charitate exercenda præferendos esse qui bene erga nos sunt affecti, iis in quibus ejusmodi hostilis animus deprehenditur. Quamvis enim non statim iis denegandus sit fratris titulus, & studendum sit charitatis officiis eos ad saniorem mentem reducere, tamen cum aliter se fratres non ostendant quam ut Cain Abelis erat, non possunt à nobis eodem loco cum veris fratribus haberi. Quod ad eos vero qui dissident quidem opinionibus, sed animo à nobis non sunt alieni, pro domesticis fidei in Christum communis reputandi sunt, quam minuta quædam sententiarum divortia non tollunt, nec possumus eos à charitate

nostra excludere, quin graviter adversus Christum, qui eos pro corporis sui mystici membris agnoscit, peccemus. Sunt enim revera nostri in Christo fratres, quamvis ferventiores nonnulli aliter de ipsis judicent. Ergo fraterno à nobis amore diligi debent. *Qui* autem *habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 1 *Joan.* III. 17. id est, num sincere, prout debet, Deum patrem communem diligit? *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? cap.* IV. *v.* 20. quasi diceret, Qui non habet amorem naturalem, quem conversatio mutua alit & fovet, multo minus consentaneum est ipsum habere supernaturalem erga Deum, cum quo nobis nulla est consuetudo. Quanquam non repugnem, ut *charitas Dei* in priore loco accipiatur de ea qua ipse prosequitur homines, quæ firma manere nequit, nisi ipsum vicissim redament, & mandata ejus custodiant, quorum præcipuum est dilecto fraterna, *in quo tota lex adimpletur*, *Galat.* V. 14. *Si* autem *frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis, Ite in pace, calefacimini, & saturamini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Jac.* II. 15. 16. Iste amor enim solum consistit in lingua. Joannes autem jubet ut *non diligamus verbo, neque lingua; sed opere & veritate, cap.* IV. *v.* 18. Multa alia præterea quæ ad hanc charitatis speciem incitent affert Paulus argumenta, 2 *Corinth.* VIII. ut exemplum Ecclesiarum Macedoniæ, quæ ad subveniendum pauperibus in Judæa, in altissima paupertate & supra virtutem voluntarias se ostenderant: & Christi ipsius, qui cum esset dives, propter nos factus est egenus, ut illius inopia divites essemus. Et in sequenti capite magnam remunerationis à Deo spem proponit; *Potens autem est Deus omnem gratiam facere abundare in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum*, &c. id est, fructus justitiæ ejus, seu eleemosynæ, sicut vocatur *Matth.* VI. 1.

V. Sed ut Beneficentia vere hoc nomine sit digna, attendendum est ad diversas circumstantias. Prima est finis, qui honestus esse debet; nimirum Dei gloria, & ejus cui aliquid largiris utilitas, sive temporalis, sive æterna. De Dei gloria nullum est dubium, ad quam ut in aliis rebus omnibus, ita in hac quoque collimare Christianum oportet. Itaque qui eam non spectant, sed suam privatim, nihil egregii faciunt, unde remunerationem à Deo sibi polliceri possent. Unde Christus monet, *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab iis; alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est*, *Matth.* VI. 1. Et pronunciat ibidem de hypocritis, qui hominum applausum quærunt cum aliquam faciunt eleemosynam, *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*; id est, gloriam quam ab hominibus quæsiverunt jam habent; nullamque à Deo aliam mercedem expectare debent. Neque finis ille est honestus, cum quis erga alium liberalis est, ut habeat unde cupiditates carnales explere possit, ut luxui, gulæ, libidini, & similibus. In quo sæpe parentes nimium indulgentes sunt erga liberos suos, præcipue matres, quæ instruunt eos pecunia unde exitium sibi accersant. Nam pecunia in manibus juvenum imperitorum, & ad sectandas voluptates pronorum, est instar gladii in manu furiosi, qui illo ad sibi aliisque nocendum abutitur. In beneficiis etiam conferendis non oportet spectare privatum suum commodum; quemadmodum illi faciunt, qui exiguum aliquod munus offerunt iis quos liberales esse norunt, ut ab iis longe majus recipiant, veluti piscatores, qui hamo gobium induunt, ut capere possint percam aut lucium. Unde recte dicuntur beneficia illa hamata, quia sunt instar hami cum esca, per quem major præda petitur. Non quod semper illicitum sit benefacere alteri ut ab eo lucrum aliquod reportes. Sed tunc istud non est proprie dictum beneficium; sed magis ad negociationis naturam accedit. Beneficium enim respicit solum ad id quod alterius est; negociatio vero etiam ad privatum commodum & utilitatem, quæ absque vitio spectare licet, modo nemini injuria fiat.

VI. Secunda est beneficentiæ objectum, seu illi erga quos exercetur; in quibus ad tria hæc attendendum est, Quanta illorum sit indigentia, Boni-ne sint, an mali; & Num aliqua cum iis nobis intercedat conjunctio, vel nulla prorsus.

Reliqua author morte præventus non absolvit.

TRA-

TRACTATUS DE ECCLESIA JESU CHRISTI.

CAPUT I.

De Ecclesia in genere.

I. Varia Ecclesiæ significatio. II. Quid sub V. T. quid sub N. soleat denotare. III. Designat aliquando solum populum fidelem. IV. Nunquam vero pastores solos. V. Nec etiam ædificium in quod fideles conveniunt. VI. Distributio tractationis de Ecclesia. VII. Ecclesia est cœtus. VIII. Et quidem hominum, non Angelorum. IX. Responsio ad argumenta quibus quidam Angelos ad Ecclesiam Jesu Christi pertinere contendunt. X. Vocatorum per verbum Euangelii. XI. An pii ante Christi adventum mortui proprie ad illam pertineant.

I. DE Ecclesia Jesu Christi acturo, visum est à vocis consideratione ordiri. Nam cum in omni accurata tractatione locum habeat vetus illud pronunciatum, περὶ τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, præcipue id observatu hic necessarium est, ubi error in voce sæpenumero errores in rebus ipsis peperit. *Ecclesia* dicta est ab ἐκκαλεῖν, id est evocare, & proprie cœtum à præcone evocatum significat. Illi respondet Latina vox Concio, à concieo, id est convoco, derivata. Quanquam veteres Romani Ecclesiæ nomenclaturam non plane repudiarunt, ut videre est apud Plinium juniorem, cujus hæc verba sunt, *lib.* 10. *epist.* III. *& bule & ecclesia consentiente*, id est, Senatu & populi cœtu. Hac voce LXX interpretes Hebraïcam קָהָל reddiderunt: quamvis etiam frequenter pro eadem nomen συναγωγῆς usurparunt: ut & cum vocabulum עֵדָה exponere voluerunt: licet synonymum sit τῷ קהל & cœtum seu congregationem significet. Aliquando autem ἐκκλησία apud Græcos collectam temere turbam denotat, ut cum turba illa quæ clamabat, *Magna est Diana Ephesiorum*, *vocatur* ἐκκλησία συγκεχυμένη, *concio confusa*, *Act.* XIX. 32. eique opponitur ἔννομος ἐκκλησία, *legitima concio*, *v.* 39. Sumitur etiam pro conventu improborum, ut *Psal.* XXVI. 5. ἐμίσησα ἐκκλησίαν πονηρευομένων. Sed in libris Novi Fœderis hoc vocabulum ordinarie de cœtibus Christianorum usurpatur, qui è mundo per Euangelii præconium ad salutaris Dei gratiæ participationem sunt evocati. Idque ad distinctionem à Judæorum conventibus, qui *Synagogæ* vulgo dicuntur. Licet etiam Auctor ad Hebræos hortetur fideles *ne deserant* τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, *aggregationem suam*, *cap.* X. *v.* 25. & Jacobus dicat *cap.* II. *v.* 2. ἐὰν εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν: quod vulgatus interpres Latine reddidit, *Si introierit in conventum vestrum.* Unde factum est ut quidam magni nominis Theologi, qui Novum Testamentum Latine tantum legerant, ausi fuerint affirmare Synagogæ vocem nunquam ibi de Christianorum conventibus usurpari. Cujus rei etiam ridiculam rationem reddiderunt, dicentes, Synagogæ vocem melius convenire congregationi pecorum, quorum proprie sunt greges, & quæ non vocantur sed coguntur in unum, quam cœtui hominum ratione utentium. Ergo secundum hos piorum sub Veteri Testamento conventus, brutorum congregatio esset dicendus. Sed tamen Ecclesia Christiana vocatur etiam à Christo ipso, Grex & Ovile; & pastor dicitur vocare oves suas, non cogere, *Luc.* XII. 32. *Joan.* X. 3. 16.

II. Notandum autem Ecclesiæ & Synagogæ voces non solere in Veteri Testamento usurpari, nisi de cœtu populi certo in loco congregato: in Novo vero non tantum ad Christianorum cœtus significandos adhiberi, sed etiam societatem aut communionem spiritus quæ inter ipsos intercedit, sine ullo ad congregationem aut locum respectu: ut cum Christus dicit, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam*, *Matth.* XVI. *v.* 18. & Paulus, *Christum dilexisse Ecclesiam, & seipsum dedisse pro ea*, *Ephes.* V. 25.

III. Duplici præterea sensu Ecclesiæ appellatio usurpatur; primo, ad significandum populum & pastores simul, ut in duobus locis modo citatis. Secundo ad populum solum designandum, ut cum Paulus ait, *Si quis propriæ domui præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?* 1 *Tim.* III. 5. Et cum presbyteris Ephesinis dicit, *Spiritus S. vos constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei*, *Act.* XX. 28. Et similiter in omnibus illis locis, ubi inter Ecclesiam & Pastores fit oppositio: ita ut hæc significatio sit vulgatissima.

IV. Sed quæritur an etiam aliquando Pastores soli & seorsim à populo Christiano Ecclesia vocentur: & vulgo respondetur affirmative,

 allato

allato ad id comprobandum celebri illo loco *Matth.* XVIII. 17. *Dic Ecclesiæ.* Mihi vero nihil videtur obstare, quominus istud de toto cœtu ex pastoribus & populo simul constante, intelligatur, ad quem Christus jubeat illum deferri qui privatis monitionibus obtemperare noluit. Id enim antiquitus observari solitum ostendit, 1. Exemplum incestuosi Corinthii, quem Paulus *à pluribus* increpatum fuisse perhibet, 2 *Cor.* II. *v.* 6. Pastorum enim synedrium valde improprie *plurium* voce designaretur, cum raro multi in illo sedeant. Et si ex duobus aut tribus tantum constaret, Ecclesiæ ejusmodi monita non essent majoris ponderis, quam illa duorum aut trium correptio quæ præcessit: quod est contra Christi mentem. 2. Præceptum Paulinum, 1 *Tim.* V. 20. *Eos qui peccant coram omnibus argue, ut & reliqui timeant.* In quo illa, *coram omnibus,* Et, *ut reliqui timeant*, ad presbyterium restringi nullo modo possunt. Imo in Ecclesia pastore destituta, & in qua nullum esset synedrium, quales nonnunquam sunt tempore persecutionis, posset nihilominus Christi mandatum *Dic Ecclesiæ*, observari, & æque facile atque in florentissima: deferendo nempe ad cœtum fidelium, illum qui privatas duorum aut trium admonitiones contempsisset: ut ita auctoritate plurium ad agnoscendam culpam adduceretur. Verum de hoc loco copiosius postea disputabitur.

V. Quæritur quoque, an appellatio Ecclesiæ recte tribuatur loco in quem Christiani cultus divini causa conveniunt. Respondeo, Quin id fieri possit nullum est dubium. Nec enim repugnat Græcæ linguæ usus. Pro loco certe accipitur apud Demosthenem in Orat. pro Corona, ubi inquit: *οἱ μὲν πρυτάνεις τὴν βουλὴν ἐκάλουν εἰς τὸ βουλευτήριον ὑμεῖς δ᾽ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπορεύεσθε.* Et jam antiquitus ita usurpatam fuisse inter Christianos ostendit titulus Codicis Justinianei, De Sacrosanctis Ecclesiis, in quo multa ad sacras ædes spectantia tractantur, & vulgaris Veterum Scriptorum, quos Patres vocant, usus. A pari etiam licet argumentari. Synagogæ vox, quæ proprie congregationem significat, nonnunquam pro loco congregationi destinato accipitur. Quidni ergo Ecclesiæ itidem posset? Antecedens patet ex *Luc.* VII. 5. ubi Seniores Judæorum, pro Centurione quodam apud Dominum Jesum intercedentes, dicunt, *Diligit gentem nostram, & Synagogam ædificavit nobis.* Eodem sensu Lucas *Act.* XVI. 16. dicit: *Euntibus nobis εἰς προσευχὴν*, quod vulgatus interpres reddidit, *Ad orationem.* Sed non minus commode verti potest ad oratorium, aut retinendo vocem Græcam, tunc vulgo pro loco usitatam, *Ad proseucham.* Ita enim Juvenalis Satyra 3.

Ede ubi consistas, in qua te quæro proseucha.

Et Philo sæpe in libro de legatione ad Caium. Belgici quoque interpretes ad verba textus, *tot het gebedt*, annotant, *Dat is, tot de plaetse daer men het gebedt dede, ofte tot het bede-huys.* Verum nullibi, quod sciam, in Sacris literis vox Ecclesiæ in hac significatione accipitur. Profert unum locum Bellarminus ex libro *Judith. cap.* VI. *versu ultimo*, ubi vulgata editio sic habet, *Et per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt.* Sed merito hic locus est suspectus, non quod ex Apocrypho libro sit desumptus, (illud enim ad rem non facit, ubi de usu vocis tantum est quæstio) sed quod nulla fiat Ecclesiæ mentio in Græcis exemplaribus; & ejusmodi pervigilia non fuerint in usu apud Judæos. Unde verisimile est istud posterioribus temporibus insertum fuisse, ex quo Christiani ad imitationem Ethnicorum vigilias in templis suis celebrare cœperunt. Afferuntur præterea duo loca ex 1 *Cor.* XI. ad ipsum probandum, videl. *Quum convenitis in Ecclesia*, *v.* 18. Et, *Num domos non habetis ad edendum aut bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? v.* 22. Verum non minus commode de cœtu fidelium quam de æde possunt exponi: præsertim cum non constet Christianos illis temporibus habuisse templa aut ædes in quas ordinarie convenirent; sed propter persecutionum acerbitatem nocturnos congressus modo hic, modo illic agerent. In primo enim loco, *convenire in Ecclesias* seu in Ecclesiam, per enallagen casus, non insusitatam in Novo Testamento, idem esse videtur, atque, ita convenire ut cœtus bene compositus, qualem decet esse Christianorum, inde exsistat; quemadmodum dicimus Senatores convenire in Senatum, vel Pastores in Synodum, id est, ita ut Senatum vel Synodum constituant: siquidem possunt aliter & in alium finem convenire, v. gr. in funus vel in convivium. Et scopus Apostoli hunc sensum requirit, qui est, ostendere indignum esse sacro fidelium conventu, ut in eo dissidia appareant. In secundo vero, *An Ecclesiam Dei contemnitis*, melius cœtus quam domus intelligitur; cum major reverentia debeat haberi fidelium cœtui, quam ædificio, quantumvis sacro. Nec contrarium probatur ex eo, quod Ecclesia privatis domibus opponitur. Perinde enim est locutus Paulus, ac si quis comessanti in publico, diceret; Non tu habes domum in qua genio si libet indulgeas? an ita civitatem parvi facis? Ubi per civitatem nullus intelligeret plateas urbis; ora enim civium tali locutione significari apertum est. Et ita accipienda esse ejus verba, probatur ex iis quæ immediate subnectit, *Et pudefacitis eos qui non habent?* Isti enim non habentes, seu pauperes, membra erant illius Ecclesiæ, quæ contemnebatur ab iis qui privatam cœnam sumebant in publico fidelium conventu, non expectantes alii alios. Sed de hac levicula quæstione & de nomine Ecclesiæ satis.

VI. Nunc ut ad rem ipsam accedamus, nobis primo de Ecclesiæ natura, secundo de regimine ejus agendum est. Sub hisce enim duobus capitibus

capitibus comprehendi potest, quicquid de ea cognitu necessarium aut utile est. Rursus ad naturam Ecclesiæ explicandum tria requiruntur. Ante omnia enim definienda est; postea in partes distinguenda; denique proprietates ejus sunt considerandæ.

VII. Quod ad primum attinet, *Ecclesia Jesu Christi est cœtus sive societas hominum per verbum Euangelii ad sancte in terris vivendum vocatorum, sub spe æterna felicitatis post mortem in cœlis obtinendæ.* Dico Ecclesiam esse *cœtum*, quia vox Ecclesiæ nunquam de uno homine usurpatur, sed ad eam constituendum pluralitas aliqua requiritur. Quo respiciens Apostolus, dicebat, *Unum corpus multi sumus*, 1 *Cor.* x. 17. Sed non necesse est hanc multitudinem esse magnam ut nomen Ecclesiæ obtineat: quantuluscunque numerus ad id sufficit. Judæi ad faciendum Synagogam requirunt ad minimum denarium. Id quod suo more subtiliter ex *Numer.* XIV. 27. exsculpunt; ubi Deus dicit, *Usque quo congregationem* ע *istam malam audiam?* Putant enim ipsum loqui de exploratoribus missis à Mose in terram Canaan, quorum decem relatione sua auctores fuerunt populo murmurandi: (ab ipsorum enim numero Josua & Caleb excipiuntur.) Itaque Deum decem hominibus nomen cœtus seu Synagogæ tribuere. Cum tamen ex ipso loco appareat, Deum omnes illos murmurantes Israëlitas alloqui. Sed melius in jure Romano definitum est, tres collegium facere, *Digest. de Verborum signif. l.* 85. Et Christus videtur non plures requirere ad constituendam Ecclesiam sibi acceptam, cum dicit, *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum*, *Matth.* XVIII. 20. Idcirco Paulus non dubitat fidelium familias nomine Ecclesiæ cohonestare, *Rom.* XVI. 5. *Philem.* 2. Sed Ecclesia non tantum est cœtus, verum etiam *societas*. Nam extra cœtum nomen suum adhuc retinet, ut supra annotavi, dummodo membra illius communione spiritus inter se juncta sint.

VIII. Est autem hæc societas *hominum*, non Angelorum: quos tamen quidam volunt una cum hominibus unum Ecclesiæ corpus constituere; sed male. Nam 1. Non sunt membra illius Ecclesiæ, quam Deus sive Christus sibi acquisivit proprio sanguine, ut Paulus loquitur *Act.* XX. 28. Non est enim mortuus pro Angelis Apostatis, quos Deus sub caligine vinculis æternis judicio magni illius diei reservavit, *Jud.* v. 6. Et sancti Angeli, qui in veritate perstiterunt, non indigent expiatione per sanguinem Christi facta. Qua de causa divinus scriptor ad Hebræos ait, *Christum non assumere Angelos sed semen Abrahæ*, *cap.* II. v. 16. Nec est ut excipias, Christum etiam Angelos sibi acquisivisse suo sanguine, quatenus propter obedientiam usque ad mortem crucis donatus est à Deo summo imperio in Angelos, tum bonos tum malos, ut legere est *Philipp.* II. 8. &c. *Ephes.* I. 20. &c. *Hebr.* I. 6. 1 *Petr.* III. 22. & aliis locis. Nam quando Apostolus dicit Christum acquisivisse sibi Ecclesiam proprio sanguine, circumstantiæ omnes ostendunt, illum de hominibus tantum loqui, quos acquisivit sibi per redemptionem à servitute peccati. *Dedit* enim *seipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum*, *Tit.* II. 14. Et Deus voluit eum vocari *Jesum*, *quia servaturus erat populum suum*, id est Ecclesiam, *à peccatis ipsius*, *Matth.* I. 21. 2. Non pertinent Angeli ad Ecclesiam illam, de qua Paulus scribit, *Christum ipsam dilexisse, & semetipsum tradidisse pro ea: ut eam sanctificaret, purgatam lavacro aquæ per verbum*, &c. *Ephes.* V. 25. 26. 27. 3. Neque ad illam, de qua Christus Petrum alloquens dicebat, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. *Matth.* XVI. 18. Et quæ est *fundata super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, &c. *Ephes.* II. 20.

IX. Objicitur tamen contra, 1. Angelos etiam ad Jesu Christi Ecclesiam pertinere, quia vocantur *filii Dei*, *Angeli electi*, *Angeli lucis* & *Angeli gloriæ*. Sed nullam hic animadvertere possum consequentiæ speciem. Nisi forte, quia aliquando ista epitheta fidelibus tribuuntur, qui membra sunt Ecclesiæ ipsius, eandem Angelorum rationem esse quispiam concludere velit. Quod quam coactum sit & procul petitum nemo non videt. Longe enim diversam ob causam Angeli nuncupantur filii Dei, electi, lucis & gloriæ, quam homines. Illi sunt *filii Dei* beneficio primæ seu veteris creationis, à qua non degenerarunt: hi vero novæ creationis sive regenerationis, quæ fit per semen incorruptibile verbi Dei. Angeli qui originem suam servarunt sunt *electi*; homines vero non ante tales sunt quam à peccatis per fidem in Christum sint conversi. Denique beati illi Spiritus vocantur *Angeli lucis & gloriæ*, quia coram facie Dei comparent, qui lucem hominibus inaccessam habitat, & gloriæ illius jam participes sunt: fideles vero sunt filii lucis propter bona opera quibus aliis hominibus prælucent. At nondum sunt filii gloriæ, sed exultant sub spe gloriæ Dei, id est quam à Deo aliquando consequentur. Affertur 2. Christum qui est caput Ecclesiæ fidelium, vocari etiam *caput Angelorum*: ac proinde utrosque ad idem Ecclesiæ Christianæ corpus pertinere. Ad quod respondeo, me nullibi in sacris literis legere Christum esse caput Angelorum. Duobus quidem locis putant quidam id dici, *Ephes.* I. 20. &c. & *Coloss.* I. 16. &c. Sed qui propius illa inspexerit, videbit ibi Christum dici caput tantum respectu corporis sui, quod est Ecclesia ex humano genere collecta. Instabis, *Ephes.* I. 10. dici, *Deum voluisse in dispensatione pleni temporis omnia in Christo ἀνακεφαλαιώσασθαι*, id est, *sub uno capite collocare, tum quæ in cœlis tum quæ in terra.* Ubi per illa *quæ sunt in cœlis* sine controversia beati Angeli intelliguntur. Resp.

Ita est. Et quamvis ἀνακεφαλαιοῦν proprie significet recolligere in unam summam, nolo tamen negare, quin possit hic exponi recolligere sub uno capite Christo Angelos & homines. Nam cum antea inter ipsos essent inimicitiæ, placuit Patri pace per sanguinem crucis Christi facta, reconciliare sibi omnia per eum, tum quæ in terra tum quæ in cœlis, *Coloss.* I. 19. 20. Ubi illa verba, *reconciliare sibi*, Græce εἰς αὐτὸν, non significant reconciliare secum, sed sub imperio suo reconciliare. Ut cum in aliquo regno pars subditorum adversus regem suum insurrexit, aliis in officio remanentibus, si postea rebelles, agnita culpa, à Principe in gratiam recipiantur, eadem opera cum illa parte quæ perpetuo fidelis fuit reconciliabuntur. Libenter etiam agnosco Christum esse Angelorum caput, quatenus est illorum Dominus, & ipsi tanquam milites ad omnia jussa exsequenda paratissimi ejus imperio subsunt. Sed alia longe ratio est Ecclesiæ quæ est Christi corpus, & cum qua idcirco arctiore multo necessitudinis vinculo quam cum Angelis conjunctus est. Quemadmodum ergo cum unius Principis dominationi duo regna antea inimica subjiciuntur, ideoque inter se reconciliantur & amica fiunt, non propterea in unum regnum coalescunt: ita ex eo quod Christus Angelorum & hominum Dominus sit constitutus, non sequitur ex utrisque unum Ecclesiæ Christi corpus factum esse: præsertim cum tantum natura dissideant, ut non possint communibus legibus gubernari. 3. Objicitur locus *Hebr.* XII. 22. 23. ubi divinus ille Auctor fidelibus dicit, *Accessistis ad montem Sion & civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem, & ad myriadas Angelorum, ad conventum & ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis.* Sed respondeo, Ex accessu isto fidelium ad Angelorum myriadas non sequi utrosque unam tantum Christi Ecclesiam constituere. Accesserunt enim ad eos, 1. Quatenus cum iis reconciliati sunt, cum antea essent inimici, ut modo videbamus. 2. Quatenus Angeli sunt *ministratores Spiritus, qui ministerii causa emittuntur, propter eos qui hæredes erunt salutis, Hebr.* I. 14. 3. Quatenus Christiani sperant se aliquando ἰσαγγέλους futuros, promittente id Christo, *Luc.* XX. 36. 4. Affertur, quod ipsi Angeli se *conservos nostros* vocent, & *fratrum nostrorum qui habent testimonium Jesu, Apoc.* XIX. v. 10. Resp. 1. Angelum de quo isto loco agitur non vocare se omnium fidelium conservum, sed tantum Joannis & fratrum ejus qui habebant testimonium Jesu, id est Apostolorum, qui Christi testes erant, ut vocantur *Act.* I. 8. 2. Posito id omnibus piis sine discrimine convenire, Angeli erunt ipsorum conservi, quia utrique Christo serviunt. Sed cum ille duas domos habeat, unam cœlestem alteram terrestrem, quarum valde diversæ sunt leges & regimen, nihil facit illud ad probandum Angelos esse membra Ecclesiæ, quam Christus in terris per verbi sui ministerium colligit. Alio vero sensu vocem Ecclesiæ accipere, ambiguo est ludere & præter oleas evagari.

X. Addidi in definitione, illam esse *vocatorum per verbum Euangelii*, ut significarem omnes promiscue homines Ecclesiæ Christi non esse membra: cum certum sit multas eorum myriadas nunc esse & olim vixisse, quæ gratiosæ istius vocationis non fuerint participes. Per *vocatos* autem, ex more Sacrarum literarum, intellexi eos qui vocationi divinæ parent, aut saltem parere se velle profitentur. Ita enim passim accipitur hæc vox, ut videre est *Rom.* I. 6. 1 *Cor.* I. 2. 24. *Apoc.* XVII. 14. & alibi. Quod vero vocationem Dei quidam duplicem faciunt, aliam externam & internam simul, per quam vere fidelium Ecclesia constituatur, aliam externam tantum, quæ nihil aliud quam hypocritarum turbam, fidem ore profitentium sed factis abnegantium, efficere valeat, à veritate longe est alienum. Euangelium enim, quod vocationis hujus est instrumentum, non tantum extrinsecus hominum aures ferit, sed etiam vim habet in corda ipsorum penetrandi, eosque ad fidem adducendi. Nam fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei, *Rom.* X. 17. Et hac de causa Euangelium vocatur *ministerium Spiritus*, 2 *Cor.* III. 8. Jacobusque asserit *insititium* illum *sermonem posse servare animas nostras, cap.* I. *v.* 21. Nec mirum, cum in eo nobis proponantur *maxima illa & pretiosa Dei promissa, per quæ efficimur naturæ divinæ consortes, elapsi ex corruptione quæ est in mundo per cupiditatem,* 2 *Petr.* I. *v.* 3. 4. Adde quod sine summa adversus Dei φιλανθρωπίαν & sinceritatem injuria dici nequeat, ipsum extrinsecus quosdam vocando, simulare se salutem eorum expetere, & tamen nolle eis largiri internam illam Spiritus gratiam, sine qua neminem vocationi divinæ obedire & servari posse statuunt. Sed hæc fusius persequi alterius est loci.

XI. Cum autem Ecclesia Christi per Euangelium è mundo colligatur, apparet pios, qui ante ipsius adventum vixerunt, ad illam proprie loquendo non pertinere. Christus enim, per quem Deus ultimis hisce diebus locutus est nobis, fuit primus Euangelii inter homines præco, *Hebr.* I. 1. & II. 3. Promiserat quidem illud Deus antea per Prophetas suos in Scripturis Sanctis, *Rom.* I. 2. Sed tamen erat mysterium à temporibus sæcularibus tacitum, donec per Christum manifestum fuit factum, *Ibid.* XVI. *v.* 25. 26. Adeo ut *Prophetis scrutantibus quas per Spiritum obventuras Christo prævidebant perpessiones & glorias, revelatum sit eos non sibi sed nobis ista administrare*, &c. 1 *Petr.* I. 11. 12. Ergo non Christi Mediatoris, sed Dei tantum Ecclesia dicendi sunt. Objicies, Christum à Davide *Dominum suum* vocari, *Psal.* CX. 1. Christo ipso ita exponente, *Matth.* XXII. 41. *& seqq.* eandemque esse reliquorum omnium Veteris Testamenti

ſtamenti fidelium rationem: Illos igitur Eccleſiæ Chriſtianæ eſſe membra. Reſp. Chriſtum *Dominum* illorum poſſe dici & revera eſſe, nullomodo me dubitare. Nam 1 Sacerdotii ipſius efficacia à morte æterna, cui alioquin propter peccata fuiſſent obnoxii, liberabuntur. 2. Ipſemet eos per acceptam à Deo poteſtatem aliquando in vitam ſuſcitaturus & immortalitate donaturus eſt. Sed iſtud non ſufficit ut aliquis ad Eccleſiam Chriſti pertineat: requiritur præterea ut per Euangelium annunciatum, & fidem ei adhibitam, illius membrum factus fuerit: quod Veteribus illis, qui tempora revelati Euangelii anteceſſerunt, non convenire palam eſt. Et hæc de definitione.

CAPUT II.
De partibus Eccleſiæ.

I. *De Eccleſia militante in terris.* II. *Laborante in purgatorio.* III. *Triumphante in cœlis.* IV. *Repræſentante & repræſentata.* V. *Catholica & particulari.* VI. *Particularis Eccleſiæ quadruplex ſubdiviſio.* VII. *De Eccleſia Viſibili & Inviſibili.* VIII. *Adſtruitur contra Pontificios Eccleſia inviſibilis.* IX. *Diluitur primum ipſorum argumentum, quod Eccleſia ſemper cœtum viſibilem denotet.* X. *Et ſecundum, quod dicatur valde ſplendida fore.* XI. *Et tertium, quod comparetur areæ, ſagenæ.* XII. *Et quartum, quod ſit ſocietas hominum.* XIII. *Et quintum, quod in ea celebrentur concilia, &c.* XIV. *Et ſextum, quod omnes Eccleſiæ nos adjungere teneamur.* XV. *Quinam ad Eccleſiam non pertineant.* XVI. *An ad eam pertineant occulte infideles.* XVII. *Non baptizati, injuſte excommunicati.* XVIII. *An Eccleſia conſtet ſolummodo ex electis.* XIX. *An tantum ex perfectis.*

I. NUnc quæ ſint Eccleſiæ partes videndum. Ubi primum occurrit celebris illa Pontificiorum diviſio, in Eccleſiam militantem in terris, laborantem in purgatorio, & triumphantem in cœlo. Quam ut breviter expendam, dico de primo ejus membro nullam eſſe controverſiam. Quod enim Jobus de omnibus in genere hominibus aſſerit, *Militia eſt vita hominis ſuper terram, cap.* VII. *v.* 1. id peculiari ratione in fidelibus, ex quibus Chriſti Eccleſia conſtat, verum eſſe comperitur. Militia autem hæc non eſt carnalis ſed ſpiritualis, prout Paulus docet; *Non eſt nobis lucta adverſus ſanguinem & carnem, ſed adverſus imperia, adverſus poteſtates, adverſus mundi principes, tenebrarum ſæculi hujus, adverſus ſpirituales malitias quæ ſunt in cæleſtibus*, *Epheſ.* VI. 12. *& ſeqq.* Et ad ſpiritualem hanc militiam hortatur Timotheum, *Decerta præclarum illud certamen fidei*, 1 *Epiſt.* VI. 12. Ipſe quoque non ſegnis in ea fuit miles, ut ex toto vitæ ejus curſu apparet; ideoque remigrationis ſuæ tempore inſtante profiteri non veretur, *Certamen illud præclarum decertavi*, &c. 2 Tim. IV. 7. Solatur etiam in ea fideles ſpe felicis eventus; *Deus pacis conteret Satanam ſub pedes veſtros cito*, *Rom.* XVI. 20. Itidem *Jacob.* IV. 7. *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.* Eodemque ſpectant hæc Chriſti verba, *Confidite: ego vici mundum*, *Joan.* XVI. 33. id eſt, ſicut ego vici mundum, & ejus principem Diabolum, ita vos quoque ipſos vincetis, ſi ſtrenue ad exemplum meum decertetis: Non vero, ut nonnulli exponunt, Ego vici mundum pro vobis, ſeu veſtro loco, ita ut vobis eum vincere non ſit neceſſe. Hæc enim expoſitio cum ſuperioribus ad militiam ſpiritualem adhortationibus conſiſtere non poteſt. Et ſi non ſit neceſſe fidelibus vincere mundum, poſſunt ab eo abſque ſalutis periculo ſuperari, id eſt mundanis cupiditatibus indulgere & carnis opera patrare. Quod manifeſte falſum eſt & adverſum Pauli doctrinæ 1 *Cor.* VI. 9. 10. *Gal.* V. 19. 20. 21. An vero Eccleſia recte dicatur militans, propter luctam inter carnem & ſpiritum quam fideles adhuc in ſe experiuntur, parum refert definire. Nam cum hæc appellatio non reperiatur expreſſe tributa Eccleſiæ in Sacris literis, ab arbitrio eorum, qui uſurpant, pendet illam vel in latiore vel in anguſtiore ſignificatu accipere. Quin tali lucta frequenter exerceantur pii, non ſinit nos dubitare Paulus, dicens, *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus vero adverſus carnem*, *Gal.* V. 17. Sed non minus certum eſt, illam imperfectionem ſapere, & aliquando deſinere in perfectis, de quibus dicitur quod non peccent, imo ne *poſſint* quidem *peccare*, 1 *Joan.* III. 9. & V. 18. quod *carnem crucifixerint cum affectibus & concupiſcentiis*, *Gal.* V. 24. quod *mortui ſint peccato*, *Rom.* VI. 11. aliaque ſimilia. Hoc tamen facto, ſupereſt adhuc grave certamen adverſus Diabolum & mundum, qui nullo non tempore ſanctos infeſtant & perſequuntur, ut videre eſt *Apocal.* XII. 17. Itaque ab hac militia deſumpta appellatio Eccleſiæ eſt glorioſior, quam ab illa quæ ipſam nævis & infirmitatibus implicitam eſſe arguit.

II. Alterum hujus diviſionis membrum eſt plane fictum. Nullius enim Eccleſiæ in purgatorio aliquo laborantis ſit mentio in Scripturis divinis, è quibus ſolis certa hujus rei poteſt haberi notitia. Nam quæ horſum afferuntur inde loca, tam ſunt obſcura & è longinquo petita, ut evidenter appareat opinionem illam ex iis primam ſuam non habere originem; ſed cum aliunde eſſet hauſta, puta ex Philoſophia Platonica, illi fulciendæ poſtmodum fuiſſe quæſita, eoque per vim contra Sacrorum Scriptorum mentem tracta, ut prolixe ab aliis oſtenſum eſt. Si quid enim Spiritus Sanctus nos docere voluiſſet de purgatorio iſto, ſive igneo, ſive glaciali, ſive cujuſcunque alius generis, in quo fidelium animæ poſt exceſſum à corpore, ob peccatorum venialium reliquias torqueantur, & viventium precibus ſacrificiiſque juvari queant, id proculdubio illis locis feciſſet, ubi agitur de obitu fidelium, & de variis ſacrificiorum generibus, precibuſque quas alii pro aliis fundere jubentur. Verum in illis omnibus ne γρῦ quidem de commen-

mentitio isto purgatorio reperitur. Contra plurima in Sacris libris occurrunt, quæ cum illa opinione conciliari nullo possunt modo: verbi gratia, ut pauca inde delibem; *Qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transivit à morte in vitam, Joan.* v. 24. *Nulla damnatio est iis qui sunt in Christo Jesu, Rom.* VIII. 1. *Nunc dimittis servum tuum in pace, Luc.* II. 29. *Sanguis filii Dei purgat nos ab omni peccato* 1 *Joan.* I. *v.* 7. Quare non potest aliud sine Christi injuria purgatorium fingi. Et quod ad nos attinet, pœna non purgat nec sanctiores reddit; alioquin fur postquam virgis cæsus aut ferro candente inustus est, pro sancto viro esset habendus. Fides tantum & inde manantia juste facta id possunt; quibus (fatentibus adversariis) in purgatorio nullus amplius est locus. De animarum autem è purgatorio redeuntium apparitionibus, quas statuminando isti ædificio adhibent, nihil necesse est ut dicam. Quis enim nescit meras esse fabulas, turpis lucri causa excogitatas, sæpiusque falsi convictas, & quarum jam prudentiores Pontificios pudet; aut saltem dæmonum fuisse ludibria, dementandis superstitiosis qui à veritate aures avertebant, & ad fabulas divertebant? Sane Deum ea nos ratione instituere noluisse inde constat, quod cum epulo rogaret Abrahamum, ut Lazarum mitteret ad fratres suos, responsum tulerit, *Habent Mosem & Prophetas, audiant illos:* & instanti rursus sit dictum, *Si Mosem & Prophetas non audiunt, ne siquidem aliquis ex mortuis resurgat, assentientur, Luc.* XVI. 27. *& seqq.*

III. Restat Ecclesia in cœlis triumphans, cui nos aliquando divina misericordia aggregatum iri speramus. Sed an aliqua talis sit ante mortuorum resurrectionem & judicium ultimum, merito dubitatur. Ego, si quod sentio eloqui libere fas sit, non video quomodo fideles triumphare dici possint, antequam ultimus ipsorum hostis mors, prout à Paulo 1 *Cor.* XV. *v.* 26. vocatur, sit abolita. Illi enim, qui sub mortis imperio adhuc premuntur, non triumphant. Et cum nemo triumphaturus sit quin victoriæ coronam è Dei manu accipiat, idem tamen Apostolus justitiæ coronam sibi redditum iri asserit in illo die, videl. illustris Christi adventus ad judicandum vivos & mortuos, quo unicuique secundum opera sua retribuet, 2 *Tim.* IV. 8. De statu vero animarum intermedio curiosius inquirere inutile est, cum de eo sileant aut parce & obscure admodum loquantur Sacræ literæ, extra quas sapere hic velle, desipere est. Sufficit si credamus justorum animas in manu Dei esse, & tormentum illas non attingere, ut legitur Sapientiæ Salomoni tributæ *cap.* III. *v.* 1. Sed illam de nunc in cœlo triumphante Christi fidelium Ecclesia quæstionem obiter attingere operæ pretium duxi, quia fundamentum est superstitionis & idololatriæ, quæ circa Sanctorum defunctorum animas in Ecclesia Romana exercetur: quam evertere difficile est quamdiu illud inconcussum manet.

IV. Secundo partiuntur Ecclesiam in Repræsentantem & Repræsentatam. Et huic divisioni favent non tantum Pontificii, verum etiam Reformati plerique. Per Repræsentantem autem intelligunt vel Pastores solos, vel una cum ipsis, etiam Seniores istos laïcos, qui hodie regendæ Ecclesiæ inter nos adhibentur, & cum Pastoribus Synedrium Ecclesiasticum seu Presbyterium constituunt. Repræsentatæ vero Ecclesiæ nomine integros insigniunt Christianorum cœtus, sive unum sive plures, seorsim à Pastoribus consideratos. Et istam divisionem hac ratione firmant; quod cum tota Ecclesia non possit semper commode congregari, quoties deliberatio instituenda est de aliqua re communi, quæ omnia ejus membra ex æquo spectat, expediat ut Pastoribus & Senioribus id negotium demandetur, qui universum Christianorum cœtum repræsentent; ideoque hi repræsentata, illi vero repræsentans Ecclesia dicantur. Et de hujusmodi repræsentante Ecclesia putant accipienda esse Christi verba, *Dic Ecclesiæ, Matth.* XVIII. 17. Sed nos supra, cum ageremus de variis vocis Ecclesiæ acceptionibus, evicimus illic per Ecclesiam solos Pastores aut Synedrium non debere intelligi, verum universum fidelium cœtum. Itaque cum nullum aliud Scripturæ testimonium, muniendæ isti Ecclesiæ divisioni afferatur, apparet eam non esse divinæ auctoritatis, & absque peccato posse in controversiam vocari. Non quod negare velim, in aliquibus minoris momenti rebus quæ externum regimen spectant, Presbyterium recte totam Ecclesiam repræsentare; & quin Ecclesia quosdam deputare possit, qui suo nomine res ad totam Societatem pertinentes curent. Nam decorum illud & bonus ordo, quem Paulus 1 *Cor.* XIV. 40. commendat, vix retineri posse videtur in Ecclesia, nisi Pastores aut delecti aliqui Seniores universi cœtus nomine communia ejus negotia curent. Cujusmodi v. gr. fuit impositio illa manuum presbyterii, qua Timotheus muneri sacro inauguratus est, 1 *Tim.* IV. 14. Sed ubi de fide agitur, nullo istud modo admittendum est. Christianus enim populus absque salutis periculo, hanc Pastoribus suis demandare provinciam non potest, ut de rebus ab ipso credendis pro arbitrio suo statuant: Et si istud sibi sumpserint, eorum decretis stare non tenetur. Verum unusquisque in id proprio Marte incumbere debet; ut veritatem investiget & noxios pietati errores fugiat. *Cavete vobis à Pseudoprophetis*, inquit Christus, *Matth.* VII. 15. & Joannes, *Ne cuivis spiritui credite, sed probate spiritus an ex Deo sint*, 1 *Joan.* IV. 1. & Paulus, *Omnia probate, quod bonum est retinete*, 1 *Thess.* V. 21. Insulsi ergo sunt & temerarii illi Pastores, qui animam suam pro auditoribus oppignorare se dicunt,

eunt, si falsam illis proponant doctrinam: sed dementiores multo auditores, qui in re tanti ponderis sine ulteriori examine fidem ipsis adhibent. Sed hæc copiosius persequi alterius est loci.

V. Tertio dividitur Ecclesia in Catholicam seu universalem, & Topicam seu particularem. Catholicæ autem appellatio, quæ in Sacris literis non reperitur, sed tantum in Symbolo Apostolico & Veterum Doctorum scriptis, diversimode valde usurpatur. Nam 1. quidam ita late eam sumunt, ut non tantum Christianos, sed Veteris quoque Testamenti fideles, imo etiam beatos Angelos comprehendat: quod supra refutavi, ostendens neutros ad Ecclesiam Christi, de qua tractamus, proprie loquendo pertinere. 2. Alii omnium temporum & locorum Christianos in Ecclesia Catholica includunt. 3. Alii omnium quidem locorum Christianos, sed temporis tantum unius & qui simul in vivis sint, illa voce designant. Quæ duæ acceptiones æque commodæ & propriæ esse videntur, ita ut modo hanc modo illam usurpare liceat: hoc tantum in illarum usu attendendo, ut omnis homonymia, quæ erroris mater esse solet, studiose vitetur. 4. Denique nonnulli per Catholicam Ecclesiam intelligunt Orthodoxam: quæ acceptio valde abusiva est, & nulla ratione defendi, sed ex vulgari tantum consuetudine excusari potest. Nam cum errores in Ecclesia ubique obtinent, ut superioribus sæculis contigisse plerique fatentur, illa quidem Catholica est, sed nullo modo Orthodoxa: nisi forte de Orthodoxia ex Catholicismo seu multitudine judicare aliquis velit: quod quam absurdum sit alias Deo volente ostendetur. Unde concluditur, ineptos esse tum Pontificios tum Reformatos illos, qui Catholicorum titulo, quod cum pestiferis hæresibus subsistere nihil repugnat, superbe gloriari solent. Ecclesia Topica dicitur, quæ in particulari aliquo terrarum loco collecta est, ut Hierosolymis, Ephesi, Romæ, &c. Nam quod Pontificii Ecclesiam Romanam vulgo Catholicam appellant, absurdum & contradictorium est: siquidem vox Romana particularem significat: idem autem particulare & universale simul esse nequit. Respondent se eam Catholicam vocare, quia fidem Catholicam profiteatur, quam cæteræ omnes Ecclesiæ amplecti teneantur. Sed hoc nihil ad rem facit. Nam etiamsi verum esset (quod minime ipsis concedimus) Romana Ecclesia non magis Catholica esset vocanda quam quævis alia quæ eandem fidem tenet, ut Lugdunensis, Burdegalensis & similes; Pontificiusque æquo se jure Catholicum Lugdunensem vel Burdegalensem dicere posset, atque Romanum. Particulares autem Ecclesiæ nulla re à Catholica nisi sola extensione sive amplitudine differunt. Omnes enim tituli & excellentiæ notæ quæ huic tribuuntur, illis quoque conveniunt: videl. quod Christi sanguine sint redemptæ, quod portæ inferorum adversus eas non sint prævalituræ, quod Christus cum iis futurus sit usque ad consummationem sæculi, quod sint columna & firmamentum veritatis, & similia, quæ primo de particularibus dicta sunt, & propter illas Catholicæ adaptantur. Tantumque abest ut hæc præ illis aliqua assistentiæ divinæ privilegia habeat, ut vel minima particularis Ecclesia à Christo Catholicæ æquetur, cum inquit, *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum*, *Matth.* XVIII. 20. Quod probe adversus Pontificios notandum est, qui cum negare non possint Ecclesias particulares in gravissimos quandoque errores incidere, imo totaliter à fide deficere, Catholicam ab istis periculis immunem esse volunt, cum tamen eadem sit ipsius hac in re & illarum conditio. Totum enim corpus sanum esse non potest, quamdiu singula ejus membra cum morbis conflictantur, nec incorruptibile si ipsa sint corruptioni obnoxia.

VI. Rursus Ecclesiæ particulares quadrifariam subdividuntur. Nam 1. ratione doctrinæ fidei, aliæ sunt Orthodoxæ, aliæ Hæreticæ. Orthodoxæ Ecclesiæ sunt, quæ sanam fidei doctrinam incontaminatam retinent, ita ut in nullo ad salutem creditu necessario capite errent. Nam ut aliquæ ab omni prorsus erroris labe in cæteris immunes dentur, non permittit humana conditio. *Ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetamus*, 1 *Cor.* XIII. 9. 12. Sed dummodo fundamentum quod est Christus inconcussum retineatur, cætera salva sunt, etsi non absque ingenti periculo, ut docet Paulus 1 *Cor.* III. 12. *& seqq.* Hæreticæ vero Ecclesiæ sunt, quæ hæreses seu errores cum fidei fundamento pugnantes sectantur & defendunt: qualis olim erat Corinthiaca, in qua nonnulli resurrectionem mortuorum negabant. 2. Ratione cultus divini, Ecclesiæ sunt vel Idololatricæ, vel Deum & Christum rite colentes. Idololatricæ sunt, quæ Deum vel Christum in imagine colunt, aut quæ cultum divinum qui ipsis solis debetur creaturæ alicui deferunt. Qui enim imaginem aut creaturam aliquam cultu divino afficiunt, ex iis idola faciunt, ac proinde idololatræ sunt, quicquid in contrarium de intentione sua protestentur. Nam Deus de tali facto ex intentione non judicat, sed contra intentionem ex facto metitur, ut inter alia testatur historia vitulorum Aaronis & Jeroboami: de qua vide *Exod.* XXXII. & 1 *Reg.* XII. Rite vero Deum & Christum colere censentur Ecclesiæ, in quibus ejusmodi idololatria non viget; etiamsi forte in aliis rebus religio ipsarum omni vitio aut superstitione non careat. Et hinc fit ut de regibus illis, qui Ecclesiam Judaicam ab idololatria repurgarunt, dicatur cor eorum fuisse perfectum coram Deo, & fecisse quod placitum erat Deo, ut de Asa, Joa, Azaria & Joathane legimus 1 *Reg.* XV. 14. & 2 *Reg.* XII. 2. & XV. 3. 34. licet excelsa non diruerint, ut ibidem additur. 3. Ratione mo-

rum, Ecclesiæ sunt vel puræ vel impuræ, aut comparative aliæ aliis puriores vel impuriores. Puræ sunt illæ, quæ quantum humana permittit infirmitas, sancte coram Deo vivunt, & gravioribus vitiis vulgo non sunt inquinatæ: Et si quando grande aliquod peccatum à suis perpetrari contingat, severa illud disciplina castigant, juxta præceptum Apostoli, *1 Cor.* V. 7. *& seqq.* *2 Thess.* III. 6. *1 Timoth.* V. 20. & alibi. Impuræ contra quæ secus faciunt. 4. Denique ratione unionis, Ecclesiæ particulares vel sunt schismaticæ, vel communionem cum vicinis servant. Schismaticæ sunt, quæ levi de causa ab aliis cum quibus antea unitæ fuerant se separant, & nullam cum ipsis deinceps cultus divini communionem habere volunt. Levis autem omnis est causa præter hæresin, idololatriam, impietatem & tyrannidem. Ubi nulla harum intervenit, injusta est separatio, & schismatis sunt rei qui illam promovent aut tuentur. Nam ab iis separare se nefas est, quos Deus à sui communione non arcet, & quibus repudii libellum nondum misit. Distinguendum tamen est inter eos qui schisma ipsi faciunt, & eos qui in schismate ab aliis facto, quod emendare non possunt, manent. Illi gravis peccati sunt rei; hi non item, modo schisma non foveant. Graviter ergo peccant ii, qui ob controversias de disciplina Ecclesiastica, aut de articulis creditu ad salutem non necessariis, spiritualis unionis vinculum cum aliis abrumpunt. In ejusmodi enim rebus Christiani mutuo se tolerare tenentur juxta præceptum Apostoli, *Rom.* XIV. *toto*, & XV. 1. *Ephes.* IV. 2. 3. 4. 5. 6. *Philipp.* III. 15. 16. & alibi. Schismaticis oppositæ sunt Ecclesiæ quæ quantum possunt cum aliis secum junctis unitatem Spiritus servant in vinculo pacis: eaque de causa, si dissidium aliquod inter se oriatur, omni illud studio componere allaborant; libentiusque omnia quæ plane intolerabilia non sunt tolerant, quam schisma faciant aut in illud consentiant.

VII. Quarto & ultimo distinguitur Ecclesia tam Catholica quam particularis in visibilem & invisibilem. Ecclesia visibilis est cœtus seu societas eorum qui sanctam Jesu Christi doctrinam aperte & publice profitentur: etsi omnes qui illius membra sunt revera & ex animo isti doctrinæ non credant, nec ex ejus præscripto vitam suam componant. Visibilis autem dicitur, non tantum quia ex hominibus constat, qui omnes & singuli sub aspectum cadunt; sed præcipue quia professio ista quam facit, cœtus in quos convenit, Pastorum & auditorum ordo, Baptismi & Cœnæ usurpatio, & morum censuræ exercitium, in sensus incurrunt, & ab omnibus, ipsisque adeo infidelibus qui nullam cum ea communionem colunt, facile animadverti possunt. Ecclesia invisibilis est societas eorum qui vere in Christum credunt, & Euangelio ipsius, quod ore profitentur, sincere atque ex animo adhærent & obsequuntur. Dicitur vero invisibilis, quia fides & vera pietas, quæ essentiam ejus constituunt, à nobis conspici nequeunt, & soli Deo ac Jesu Christo καρδιογνώμῃ aspectabiles sunt. Nec externa quam facit Christianismi professio impedit quominus vere sit invisibilis, quia illa hypocritis cum piis communis est, atque ex ea constare non potest quænam sint vera mystici corporis Christi membra. Quod autem quidam Ecclesiam Catholicam invisibilem appellari debere putant, quia universalia in sensus non incurrunt, absurdum est & nihil ad rem facit. Absurdum est, quia cum Catholicæ appellatio Ecclesiæ tribuitur, non eodem sensu accipitur quo τὰ Logicorum καθόλου, quæ sunt entia rationis, & fiunt per abstractionem mentalem à singularibus extra quæ non subsistunt: sed Catholica seu universalis dicitur, quia omnia orbis terræ loca, & omnia à Christo nato ad nos usque tempora complectitur. Et quamvis universa ista omnium Christianæ fidei professorum multitudo, simul & eodem tempore sub aspectum non cadat, non tamen propterea recte invisibilis vocaretur, cum diversis temporibus & locis per partes conspecta sit & conspici possit. Idem enim hic propemodum contingit quod in orbe terrarum, quem nemo hactenus invisibilem esse putavit, etiamsi totus simul conspici nequeat, sed tantum successive modo hæc, modo illa pars lustrari. Nihil quoque ad rem facit, quia non solum Ecclesia Catholica, verum etiam particularis eo quo nunc dicebam sensu est invisibilis. Vera enim fides & pietas non magis in sensus incurrunt in particulari Ecclesia, quam in universali. Cæterum invisibilis Ecclesia tota in visibili latet, cum nusquam veri Christi fideles extra cœtum Euangelium ipsius publice profitentium reperiantur, aut saltem siquando alibi sint id valde rarum & extraordinarium sit. Unde apparet hanc divisionem non constare ex partibus vere oppositis, & proinde rigidum Logicorum canonum examen ferre non posse. Sed tamen id non obstat quominus satis commoda sit, cum diverso respectu Ecclesiæ visibilis & invisibilis sit; visibilis quidem quatenus Christi doctrinam publice profitetur; invisibilis vero, quatenus ei vere & ex animo adhæret atque obsequitur. Quod sufficit ad divisionem istam ab omni justa reprehensione vindicandam. Non enim est divisio generis in species, sed subjecti per adjuncta. Si tamen accurate loqui velimus, Ecclesia quatenus cœtus est seu societas non debet dici invisibilis. Nulla enim potest esse societas inter eos qui se mutuo non norunt. Tota ergo hæc quæstio de Ecclesia visibili & invisibili, melius refertur ad tractationem de membris Ecclesiæ, ibique ostendetur vera Ecclesiæ membra sub aspectum hominum non cadere.

VIII. Sed gravior hic multo nobis est cum Pontificiis controversia, qui nullam Christi Eccle-

Ecclesiam præter aspectabilem agnoscunt, inaspectabilem vero tanquam figmentum & Ideam Platonicam rejiciunt ac irrident: cum nos contra hanc solam esse veram Christi Ecclesiam asseramus: illam autem etsi secundum charitatis judicium, quæ omnia credit, omnia sperat, pro tali habeamus, quamdiu non videmus ipsam alienam à professione sua vitam degere; tamen cum cor non intueamur & hypocritas à veris fidelibus discernere non valeamus, certa fidei πληροφορίᾳ talem esse asserere non audemus: imo aliquando talem non esse certi sumus, cum videl. opera carnis, quæ Paulus *Gal.* v. 19. manifesta esse dicit, perpetrantem ipsam animadvertimus. Itaque sententiæ istius veritas probanda nobis jam incumbit; quod his argumentis facimus. *Primum:* Ecclesia est corpus Christi, *Ephes.* I. 22. 23. I *Cor.* XII. 12. 27. At quinam vera corporis istius membra sint corporeis oculis videre non possumus. Illi enim sunt nova creatura, 2 *Cor.* v. 17. Sed nova creatura, qua talis, sub sensum non cadit. Neque omnes qui se tales esse profitentur, reipsa sunt. *Si quis Christi Spiritum non habet, is non est ejus*, *Rom.* VIII. 9. Et Christus aliquando dicet iis qui Patris sui voluntatem non fecerunt, etiamsi in nomine suo prophetarint & miracula multa ediderint, *Nunquam novi vos*, *Matth.* VII. 21. 22. 23. *Secundum:* Ecclesia est domus spiritualis, constructa ex veris fidelibus tanquam lapidibus vivis, I *Petr.* II. 4. 5. At domus spiritualis inconspicua est. Et vivos istos lapides, ex quibus constat, nemo nostrum absque erroris periculo discernere potest à mortuis. Multi enim decipiunt pietatis specie, confitentes se Deum nosse quem factis abnegant, *Tit.* I. 16. Nam, *Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est*, I *Joan.* II. 4. *Tertium:* Apostolus idem non obscure docet, cum *Hebr.* XII. 18. *& seqq.* opponit montem Sion & civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, id est Ecclesiam Christianam, monti Sinai contrectabili, è quo olim lex Israëlitis promulgata est. Inde enim sequitur, montem istum spiritualem Sion non perinde esse palpabilem ac sensibilem, atque illum Sinai: seu non eandem esse Judæorum & Christianorum Ecclesiæ rationem quod ad visibilitatem & splendorem externum. Illi enim erant & manebant Dei populus, & variarum temporalium benedictionum in lege promissarum participes, quamdiu ipsos Deus in terra Canaan ferebat, etsi mandata ejus non observarent: isti vero non sunt Dei populus nisi per fidem, quæ in corde latet, & ab hypocritis simulari potest atque aliquando solet. Excipiunt Pontificii, locum istum intelligendum esse de Ecclesia triumphante. Sed non tantum ex verbo præteriti temporis, *Accessistis*, verum etiam ex omnibus circumstantiis apparet Apostolum loqui de statu fidelium in terris. Nec obstat *Jerusalem cælestis* appellatio. Ecclesiam enim militantem illa designari, non magis mirum videri debet, quam id quod de se & aliis fidelibus Paulus dicit, *Conversatio nostra in cælis est*, *Philipp.* III. 20. Siquidem vera Christi Ecclesia est origine cœlestis civitas, & quamvis in terris degat, cœlestem tamen vivendi rationem observat. *Quartum:* Visibilitati quoque Ecclesiæ adversatur responsio quam Christus facit ad Pharisæorum interrogationem de tempore adventus regni Dei: Nimirum *non venturum cum observatione*, *Luc.* XVII. 20. 21. Sic enim significat Ecclesiam suam non esse regnis mundanis similem, quorum splendor omnibus est conspicuus; ita ut possit dici, Hic est regnum Græcorum, illic Romanorum, &c. Quod magis adhuc confirmatur ex verbis sequentibus, *Ecce regnum Dei in vobis est.* Non quod iis velit innuere; regnum suum in corda Pharisæorum advenisse; procul enim id est à vero, cum essent infideles & Christum respuerent; Sed quod cum Christus regnaret in medio eorum per Euangelium suum, cui multi pii parebant, ipsi tam stupidi erant, ut id non possent animadvertere; ut sine dubio fecissent, si regnum ejus æque sensibus expositum fuisset, atque mundana. *Quintum:* Solus Deus & Dominus Jesus Christus agnoscunt veros fideles ex quibus Ecclesia constat, Ergo illa non est hominibus visibilis. Antecedens patet ex his Pauli verbis, *Novit Dominus qui sunt sui*, 2 *Tim.* II. 19. quæ idem ac solus Dominus valere, apparet ex eo, quod aliquid ei singulare & eximium tribuere velit. Quo sensu etiam Christus dicit, *Ego cognosco oves meas, & meæ cognoscunt me*, *Joan.* X. 14. Ideo certo norunt quinam sint veri illi adoratores, quos Deus requirit, qui nimirum Patrem adorent in Spiritu & veritate, *Joan.* IV. 23. 24. Nos autem qui cor non intuemur sæpe in eo fallimur. Unde etiam Paulus dicit; *Non qui in propatulo Judæus est, nec ea quæ in propatulo in carne, circumcisio est; sed qui in occulto Judæus est, & circumcisio carnis in Spiritu; cujus* Judæi *laus non est ex hominibus, sed ex Deo*, *Rom.* II. 28. 29. Ex quo efficitur, eam non esse semper veram Ecclesiam, quam homines, externa pietatis larva decepti, pro tali habent; sed tantum quam Deus, qui cor intuetur, approbat, & pro sua agnoscit. Quidam *denique* ex Reformatis, ad astruendam veræ Ecclesiæ invisibilitatem, Symbolum Apostolicum, in quo nos profitemur credere Sanctam Ecclesiam Catholicam, proferunt, dicentes; Cum fides non sit rerum visibilium sed invisibilium, inde constare Ecclesiam quam credimus à nobis non conspici. Excipiunt vero Pontificii, Ecclesiam aliquam dari esse fidei articulum, quia non videamus sed credamus illam esse veram Christi doctrinam quæ in visibili Ecclesia docetur. Sed utrique à scopo aberrant. Nam etsi id quod credimus, (si vulgata vocis credendi significatio attendatur) corporis oculis non videamus, attamen animi oculis intue-

intuemur: ſides enim eſt animi oculus. Et ideo veram Chriſti doctrinam in aliqua viſibili Eccleſia tradi credimus, non propter ipſius id aſſerentis auctoritatem; ſed quia ex collatione cum ſacris literis talem eſſe comperimus. Vere autem fidelium Eccleſia nullo modo hominibus, nec ſenſu nec fide eſt conſpicua. Poſſumus enim credere illam dari, & tamen penitus quinam ad eam pertineant ignorare, cum id ſoli Deo cordium inſpectori notum ſit. Præterea verborum Symboli Apoſtolici ſenſus non videtur eſſe, nos tantum credere dari aliquam Eccleſiam, ſed potius ad eam, cum novimus quænam ſit, aggregare nos debere, & communionem cum ipſa colere, ut divinorum beneficiorum ipſi promiſſorum participes ſimus. Si vero nulla talis nobis cognita ſit, ſufficit in Chriſtum credere: per hanc enim fidem membra Catholicæ ipſius Eccleſiæ ſimus, etiamſi in nulla particulari Eccleſia verſemur.

IX. Nunc præcipuæ adverſariorum objectiones paucis nobis ſunt diluendæ. *Prima* eſt, quod ubicunque in Scriptura nomen Eccleſiæ invenitur, ſemper eo viſibilis congregatio ſignificetur, nec ullus proferri poſſit locus ubi id inviſibili congregationi tribuatur. Ex. gr. cum Chriſtus *Matth.* XVI. 18. Petro dicit, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, inde colligitur, Sicut petra Eccleſiæ ſeu fundamentum, nempe Apoſtolus Petrus viſibilis erat, & in ſucceſſoribus ſuis adhuc videri poteſt; ita ædificium, nempe Eccleſiam Catholicam, viſibilem eſſe oportere. Idemque patet ex illis *Matth.* XVIII. 17. *Dic Eccleſiæ: Si autem Eccleſiam non audierit*, &c. quorum neutrum ſervari poſſet ſi Eccleſia eſſet inviſibilis. Et cum Paulus *Act.* XX. 28. presbyteris Eccleſiæ Epheſinæ dicit, *Spiritus S. conſtituit vos Epiſcopos ad regendam Eccleſiam Dei*, & 1 *Tim.* III. 15. *Hæc ſcribo ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi:* Eccleſiam de qua loquitur viſibilem eſſe ſupponit; cum nemo regere poſſit Eccleſiam, nec in ea verſari, niſi ipſam noverit. Sed reſp. 1. Nos libenter admittere, Eccleſiam fidem Chriſti profitentium eſſe viſibilem; cum non ſolum homines ex quibus conſtat, ſed etiam profeſſio quam faciunt in ſenſus incurrant; Ideoque ſupra Eccleſiam diſtinxiſſe in viſibilem & inviſibilem. Quod autem nullus proferri poſſit locus, qui de inviſibili Eccleſia agat, falſum eſſe arguunt illa omnia quæ ad ipſam adſtruendam modo adduximus. Et ſolos ex animo in Chriſtum credentes veram Eccleſiam conſtituere, ex eo apparet, quod nulli præter ipſos vera ſint corporis Chriſti membra, & ſalutis per eum acquiſitæ participes futuri. Nam quis dicat infideles occultos, quos nunquam Chriſtus pro ſuis agnovit, & tandem in æternum ignem cum diabolo & angelis ipſius abjiciet, ad myſticum ipſius corpus pertinere? Illine vero ab errandi in fide periculo immunes erunt, qui nec veram fidem, nec Spiritum Chriſti habent? Hic enim eſt Pontificiorum ſcopus, cum Eccleſiam veram viſibilem eſſe tanto cum apparatu probare contendunt, nimirum ut ab illius judicio tanquam errare neſciæ, in omnibus religionis controverſiis pendeamus. 2. Ut ſigillatim aliquid de allatis locis dicam: tantum abeſt ut primus ex *Matth.* XVI. deſumptus, Eccleſiam viſibilem eſſe probet, ut contra nulli alii quam inviſibili conveniat. Adverſus enim illam ſolam portæ inferorum prævalere non poſſunt; cum multi fidem ore profitentium, à morte æterna, quæ per inferni portas intelligitur, ſint abſorbendi. Nec ex eo quod Petrus, qui primus fundamenta Eccleſiæ Chriſtianæ jecit, viſibilis fuit, ſequitur viſibile quoque eſſe quinam illi fundamento ſint inædificati: cum vivos lapides, ex quibus ſpiritualis Chriſti domus conſtructa eſt, 1 *Petr.* II. *v.* 4 5. à mortuis, qui ad illam proprie non pertinent, diſcernere nemo poſſit mortalium. Secundus locus, *Dic Eccleſiæ*, de viſibili quidem agit: ſed non evincit omnes qui ad eam pertinent vera Chriſti membra eſſe: cum etiam illi qui fidem in ore potius quam in corde habent, id quod ibi præcipitur aliquo poſſint modo præſtare, nimirum litem inter duos fratres obortam componere, aut eos ad pacem & concordiam cohortari. Similis eſt ratio tertii & quarti loci, in quibus itidem de Eccleſiis particularibus viſibilibus diſſeritur; ad quas cum veris fidelibus, etiam hypocritas, qui nullam cum Chriſto communionem habent, aggregari ſolere quotidiana experientia docet. Quinam autem veri fideles ſint, nemo præter eum qui corda ſcrutatur videt & certo cognoſcit.

X. *Secunda* eſt petita ex illis Scripturæ locis, quæ Eccleſiam valde ſplendidam & externis ſenſibus expoſitam eſſe teſtantur: qualia ſunt, *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, *Pſal.* XIX. 6. id eſt, ut ibidem explicat Auguſtinus, In manifeſtatione poſuit Eccleſiam ſuam, non in occulto. Item *Eſa.* II. 2. 3. *Mich.* IV. 1. 2. & *Dan.* II. 35. ubi Eccleſia Chriſtiana comparatur monti magno & valde conſpicuo, qui nullo modo latere poteſt, ad quem omnes mundi nationes ſunt concurſuræ. Quo ſpectat etiam illud Chriſti, *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam*, &c. *Matth.* V. ubi per *civitatem quæ abſcondi non poteſt*, & per *lucernam quæ omnibus lucet* intelligi putant Eccleſiam Chriſti. Ad quæ reſp. 1. *Pſalmo* XIX. de Eccleſia non agi: Et ita locum illum ex Hebraico verti debere, *Soli poſuit tabernaculum in eis*, nimirum cœlis, de quibus in præcedentibus actum eſt. Itaque allegorica Auguſtini ſive expoſitio ſive alluſio literali ſenſui cedere debet, nullamque vim probandi habet. Sed poſito de Eccleſia Pſalmiſtam locutum, non favebit tamen iſte locus ſententiæ adverſariorum. Non enim oſtendit Eccleſiam illam quæ ex ſolis veris fidelibus conſtat, de qua una inter nos quæritur, conſpicuam

eſſe.

esse. Et quod ad Ecclesiam fidem Christi externe profitentium attinet, lubentes ipsis concedimus, eam non tantum visibilem esse, sed etiam aliquando valde conspicuam; ita ut à nemine quænam & ubi sit ignorari queat. 2. Dico, tria illa loca ex Esaia, Michea & Daniele citata, nihil aliud probare, quam Christianorum cœtus valde conspicuos & late diffusos fore: itaque perperam ad vere credentium Ecclesiam trahi; ut apparebit illi qui singulorum circumstantias attente consideravit. 3. Resp. Locum *Matth.* v. de *civitate supra montem posita*, ad presentem controversiam nihil facere. Agitur enim ibi speciatim de Apostolis, & similibus Ecclesiæ Christianæ luminibus; quorum ministerium tam illustre & splendidum per singularem Dei gratiam esse debebat, ut nullo modo occultari posset. Male itaque ad totam Ecclesiam trahitur: quæ etiam quatenus ex fidem ore profitentibus constat, non semper ita splendida & illustris est. Nam temporibus persecutionis, qualia à nato Christo usque ad Constantinum M. fuerunt per trecentos annos, & sub Antichristi regno futura dicunt Pontificii, interdum ita latere cogitur, ut nequidem ab ipsis fidelibus ubi sit cognoscatur; quemadmodum olim in Israële sub Elia contigit; qui putabat se solum esse relictum inter veros Dei cultores, quamvis adhuc superessent septem millia virorum qui non flexerant genua ante Bahal, ut divino responso edoctus fuit 1 *Reg.* xix. 10. 14. 18. *Rom.* xi. 3. 4. Quod si quis ad omnes Christianos, sine exceptione, citata Christi verba pertinere contendat, ne sic quidem causam Pontificiam juvabunt. Nam potius officium ipsorum, quam quid certo & semper eventurum sit designabunt: ut & sequens *versu* 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, &c. quem adhortationem esse non prædictionem futuri eventus, nemo est qui non videat. Idque adeo verum est, ut Apostolis etiam & primariis illis quæ dixi Ecclesiæ luminibus conveniat, qui non erant ita ab omni deficiendi periculo immunes, ut cohortatione ad perseverantiam non amplius indigerent.

XI. *Tertia.* Ecclesia comparatur areæ paleas simul & triticum continenti, *Matth.* iii. 12. Et sagenæ, bonos simul & putres pisces comprehendenti, *Matth.* xiii. 47. &c. Item convivio nuptiali, in quo non omnes convivæ veste nuptiali amicti sunt, *Matth.* xxii. 1. &c. Denique cœtui virginum, partim prudentium, partim fatuarum, *Matth.* xxv. 1. &c. Quæ omnia de vera Ecclesia dicuntur, & non nisi visibili cœtui conveniunt. Unde sequitur veram Ecclesiam necessario visibilem esse debere. Resp. 1. Per aream commodius posse intelligi totum mundum, qui est instar Dei areæ, in quam homines veluti fruges congregati sunt, quam Ecclesiam speciatim. Et per sagenam non Ecclesiam sed Euangelium repræsentari; quod à Christo hic & in diversis aliis locis vocatur regnum cœlorum, quia cœlestem vivendi rationem nobis præscribit; regnum pro lege sumendo, per Hebraismum. Idque ita esse apparet, quia Ecclesia non congregat homines, ut sagena ista facere dicitur pisces, sed ad eam homines per Euangelii prædicationem congregantur. Idcirco mare in quod sagena conjicitur non aliud est quam mundus, in quo boni malis sunt permixti. 2. Pone per aream, sagenam, &c. Ecclesiam designari, nihil aliud inde sequetur, quam in Ecclesia visibili, non solum vere fideles, sed etiam hypocritas qui pietatem simulant reperiri: quod nemo est qui in controversiam vocet. Instabis, Ecclesia ista visibilis est vera Christi Ecclesia. Resp. Nullibi, quod sciam, in Sacris literis ita vocari. Et etiamsi vocaretur, non sequeretur infideles qui in ea sunt communionem cum Christo habere. Nam posset dici vera propter veræ fidei professionem, licet ei omnes qui in illa sunt vita & factis non respondeant; vel propter aliquot veros fideles, qui cœtum illum ornant & Deo commendabilem reddunt: ita ut denominatio fiat à meliori parte, potius quam à majori.

XII. *Quarta.* Societas hominum est visibilis; At Ecclesia est talis societas, Ergo est visibilis. Resp. Ecclesiam Christi non esse quamlibet hominum societatem, Pontificii quoque ipsi agnoscunt. Ab illa enim excludunt non tantum Ethnicos, Turcas, Judæos aliosque apertos infideles, sed etiam hæreticos, schismaticos, quocunque modo excommunicatos, & catechumenos. Volunt ergo ut Ecclesia sit societas illorum qui fidem Christianam aperte profitentur, iisdemque Sacramentis participant, & sub legitimorum Pastorum, præcipue Romani Pontificis, obedientia vivunt. At neque ista omnia sufficere ut quis verum Ecclesiæ Christianæ sit membrum, inde patet, quod non omnes fidem profitentes communionem cum Christo habeant & salutem æternam sint adepturi. Horsum ergo requiritur, ut quam quis fidem ore profitetur corde quoque teneat & factis exprimat: quod soli Deo certo notum est. Quamvis itaque materiale Ecclesiæ nobis sit visibile, tamen formale, in quo ipsius essentia proprie consistit, est invisibile. Urgent, Nullam inter ignotos, quales sunt qui se mutuo non vident, intercedere posse societatem. Sed resp. 1. Instantiam istam non bene convenire cum principiis adversariorum, qui tam arctam volunt esse communionem inter Ecclesiam militantem in terris, & illam partem quæ triumphat in cœlis aut cruciatur in purgatorio, ut alii aliorum precibus atque suffragiis multum juvari queant. 2. Dico, Etiam si nobis certo atque infallibiliter non constet quinam sint vera Ecclesiæ Christi membra, nos tamen omnes Christianos, quamdiu vita professioni ipsorum aperte non repugnat, pro talibus ex judicio charitatis habere teneri, ac proinde communionem cum illis colere, omnibusque

benevolentiæ & amoris Christiani officiis prosequi. Deceptio enim cui ejusmodi judicium obnoxium esse solet, nemini nocere, imo contra multis prodesse potest. Instant iterum & dicunt, Eandem esse rationem Ecclesiæ atque reipublicæ Venetæ aut civitatis Viennensis in Austria, quas visibiles esse omnes concedent. Sicut enim tria spectari possunt in Ecclesia, 1. Multitudo seu collectio hominum qui in ipsa sunt. 2. Externum regimen quo prælati Ecclesiæ gubernant suos subditos docendo, hortando, judicando, puniendo, Sacramenta administrando. 3. Interna fides & charitas qua inter se uniuntur: Ita quoque in republica Veneta vel civitate Viennensi considerari posse, 1. Multitudinem seu collectionem eorum hominum qui in republica vel civitate sunt. 2. Externum regimen quo Magistratus politicus gubernat suos subditos. 3. Internam affectionem qua inter se uniuntur. Et duo quidem priora tam in Ecclesia quam in republica vel civitate esse visibilia, tertium vero utrobique esse invisibile. Sicut enim externis oculis non possumus videre, an Christiani qui in Ecclesia sunt habeant internam fidem & charitatem, sed propter externam fidei professionem id credimus: sic etiam res se habet in Republica vel civitate. Videmus cives qui in ea sunt, nec-non externam politiam & gubernationem, sed non videmus internum affectum quem quisque habet aut habere debet. Si ergo, eo non obstante, civitas vel respublica vere dicitur esse visibilis, cur idem de Ecclesia dici non possit? Resp. 1. Diversam plane esse Ecclesiæ & rerumpublicarum aut regnorum mundanorum rationem; hocque esse adversariorum πρῶτον ψεῦδος, & cæterorum circa istam materiam errorum fontem, quod ad hierarchiam suam, quam vocant, stabiliendum, res tam dissimiles inter se componere studeant. Cum regnum Christi non sit hinc, ut profitetur apud Pilatum *Joan.* XVIII. 36. stultum est putare omnia quæ regnis mundanis conveniunt Ecclesiæ ipsius quoque tribui posse. 2. Dico internum affectum quo cives inter se uniantur non pertinere ad essentiam reipublicæ, sicut interna fides & pietas ad essentiam Ecclesiæ pertinent. Nam respublica sine illo constare potest, & tolerabiliter saltem se habere; hæc vero necessario in Ecclesia requiruntur. Quamdiu cives officia mutua ad quæ singuli tenentur sibi invicem externe exhibent, respublica salva manet, etiamsi interne implacabilibus odiis laborant: imo qui animo proditores sunt, sed metu legum retinentur ne proditionem exsequi audeant, civitatis adhuc sunt membra, & bonorum quæ ex consociatione politica oriuntur participes. Sed non perinde se habet res in Ecclesia. Sola externa cum ipsa communio non facit ut quis communionem cum Christo habeat & ab eo diligatur; imo sine ista communione veri fideles, qui dissitis locis habitant, tum Christi, tum Ecclesiæ ipsius membra sunt; contra quam in republica terrena fieri vulgo solet, ubi absentes ad longum tempus jura civitatis amittunt, aut saltem iis non fruuntur. Itaque tota aliqua respublica mundana simpliciter est atque recte vocatur visibilis, etiamsi aliquid invisibile, quod non tam ad ejus esse absolute quam ad bene esse requiritur, ei desit. Sed vera Ecclesia, cujus tota essentia & formalis ratio in re hominibus invisibili consistit, male propter quædam visibilia, quæ ipsi cum falsa & æquivoce dicta Ecclesia communia sunt, visibilis simpliciter esse statueretur.

XIII. *Quinta.* Illa Ecclesia necessario est visibilis, in qua publice indicuntur & celebrantur Concilia, sanciuntur Canones, dirimuntur controversiæ de fide ac religione. Hæc autem omnia fiunt in vera Christi Ecclesia. Nam Apostoli indixerunt Concilium Hierosolymitanum, in quo hæc constitutio facta est, *Visum est Spiritui S. & nobis*, &c. *Act.* XV. 28. Et post tempora Apostolorum celebrata sunt Concilia generalia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, quæ etiam ab adversariis tanquam legitima admittuntur. Resp. Ad plene solvendam hanc objectionem, de Conciliorum auctoritate nobis disserendum esset, quod non est præsentis loci. Breviter itaque dico, 1. Non parem esse rationem Ecclesiæ Apostolicæ & ejus quæ tempora ipsorum subsecuta est; nec Concilii primi Hierosolymitani, & eorum quæ postea celebrata sunt. Quin primitiva illa Ecclesia vera fuerit Christi Ecclesia, nullum est dubium. Spiritus Sancti dona, quæ in ea tam copiosa & vulgaria erant, id abunde comprobant. Itaque jure Concilii sui decreta ad Spiritum S. tanquam auctorem referre potuit. Sed tamen quod ad essentiam suam, quæ in vera fide & pietate consistebat, non minus erat invisibilis quam hodierna. Nam in ea piis admixti erant hypocritæ, veluti Ananias & Sapphira, & antea in cœtu Apostolorum Judas, quos nemo sine revelatione Spiritus ab aliis discernere poterat. 2. Dico, Nulla Concilia, in quibus alii quam viri divini & à Spiritu S. afflati præfuerint, habere potestatem decreta de rebus fidei condendi, quæ omnes in conscientia obligent & sub pœna damnationis æternæ: indeque tot turbas superioribus sæculis nostroque etiam esse natas, quod aliqui eam sibi temerario ausu arrogarint. Quare Reformatorum nemo Concilii Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini aut Chalcedonensis decreta amplectitur, nisi quatenus credit ipsa cum Sacris literis convenire, paratus rejicere statim atque dissensionem aliquam animadverterit. Tantumque abest ut ejusmodi prætoria decreta veram esse Ecclesiam demonstrent quæ ipsa condidit, ut contra non leve inde argumentum desumatur, ad eam tyrannidis & apostasiæ à sinceritate fidei convincendum.

XIV. *Sexta.* Tenemur omnes sub æternæ

mortis

mortis periculo nos adjungere Ecclesiæ: Ergo visibilis esse debet, quia invisibili cœtui nemo adjungere se potest. Antecedens autem probatur: Quia Ecclesia est mater omnium nostrum, *Gal.* IV. 26. Et ut Cyprianus, Augustinus aliique ex veteribus docent, Nemo potest in cœlis Deum habere patrem, qui Ecclesiam in terra matrem non habuerit. *Resp.* Adjunctio ad Ecclesiam est duplicis generis, alia nempe externa, alia interna. Externa est, qua ad Ecclesiam visibilem adjungimur; & fit cum per publicam fidei in Christum professionem cœtui alicui Christiano inserimur, in quo verbum Euangelii prædicatum cum aliis audimus, Sacramentis participamus, & alia Christianæ pietatis officia, quæ non nisi in cœtu peragi solent, exercemus. Interna est, per quam ad Ecclesiam invisibilem adjungimur; & fit per solam veram in Christum fidem. Statim enim atque aliquis ex animo in Christum credit, membrum evadit corporis ipsius mystici quod est Ecclesia, etiamsi forte nullam particularem Ecclesiam noverit, quæ nomen Christi profiteatur, cui se adjungere possit; quemadmodum contingeret, si quis inter infideles procul à Christianis degens, per lectionem Sacrorum voluminum, aut alicujus peregrini institutionem, ad cognitionem Christi pervenisset. Ita Æthiops ille Eunuchus, cum per Philippi prædicationem in Christum credidisset, ab eoque in via baptizatus fuisset, repente membrum Ecclesiæ Christi invisibilis factus est; & tamen nulli particulari cœtui adjunctus fuit, antequam institutione sua alios ad fidem in patria adduxisset, ibique Christianam Ecclesiam collegisset. Hæc interna ad Ecclesiam Christi adjunctio absolute est necessaria, quia nemini sine fide in Christum promissa est salus, *Joan.* III. 36. *Act.* IV. 12. Sed externa non est præcise necessaria. Aliquando enim est impossibilis; ut si quis Christianus captivus detineretur inter infideles, vel habitaret cum iis in insula unde exire non daretur. Æquitas autem Dei non permittit ut salutem conditioni impossibili alliget. Tum demum tantummodo Ecclesiæ visibili nos adjungere tenemur, cum illa nobis nota est, & ab ejus communione nullo invincibili impedimento arcemur. Ita tenentur liberi parentes colere, sed si noverint eos, aut cum ipsis versari permittatur. Eaque est omnium præceptorum affirmativorum natura, ut etiamsi semper obligent, non tamen obligent ad semper, ut loquuntur, sed tunc solum, cum occasio & facultas illa ad praxin revocandi datur. Idque hic locum habet, & in illo tantopere jactato, *Dic Ecclesiæ.* Quod ergo afferunt, Ecclesiam esse fidelium matrem, & illum Deum in cœlis Patrem non habiturum, qui Ecclesiam in terris matrem non habuerit, non est omni modo verum, ideoque nonnisi cum limitatione admittendum. Nam 1. Paulus loco citato non dicit Ecclesiam esse matrem nostram, sed *Jerusalem quæ sursum est.* Per Jerusalem autem quæ sursum est, vel potius de sursum, seu è supernis, (nam ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ videtur dictum esse pro ἡ ἄνωθεν) non intellexit Ecclesiam, sed fœdus novum quod nobis filius Dei è cœlo attulit, & è Hierusalem primum prodiit. Ita enim exponit ipse *v.* 24. præcedente, dicens Agarem & Saram apud Mosem allegorice significare duo fœdera; Agarem nempe ancillam fœdus vetus, quod ex monte Sina generabat prolem ad servitutem, cui respondeat Jerusalem sui temporis incredula, & cum suis filiis serviens; Saram vero liberam designare novam Jerusalem de sursum, quæ sit mater omnium nostrum. Fœdus autem Dei figurate mater nostra vocatur, quia illius vi regeniti sumus in Dei filios. Nec videtur convenire ut Ecclesia mater nostra dicatur, cum Pastores qui multos Christo per Euangelium genuerunt, Ecclesiæ sint patres, 1 *Cor.* IV. 15. Sic enim matris suæ patres essent; quod absurdum est. Sed pone Ecclesiam hic ab Apostolo matrem nostram appellari, non sequitur, Deum illos, qui matrem istam non agnoverint, protinus è filiorum suorum numero exclusurum. Nullibi enim istud docent divinitus inspirati Scriptores; nec verisimile est quemquam ob inculpabilem ignorantiam tam dure à Deo tractatum iri. Id tantum metuendum esset iis, qui superbe Ecclesiam contemnerent. Instabit Pontificius: Ecclesiæ visibili adjungere nos tenemur cum occasio id faciendi datur, ut confitemini: At nemo falsæ Ecclesiæ adjungere se tenetur: Ergo Ecclesia visibilis est vera Ecclesia. *Resp.* Aliqua quidem Ecclesia visibilis dici potest vera, tum propter veræ doctrinæ professionem, tum propter veros fideles qui in ea sunt, ut ante monebamus: Sed inde non sequitur omnem visibilem Ecclesiam esse veram, aut licet quadantenus talis sit, ipsam esse verum illud & mysticum Christi corpus, in quo nulla putrida aut mortua membra sunt. Privilegium hoc Ecclesiæ tantum invisibili competit, quæ ex solis veris fidelibus & Dei mandata sincere observantibus, constat. Et hæc sufficiant ad ostendendum præter Ecclesiam visibilem dari etiam invisibilem, eamque solam esse veram & proprie dictam Christi Ecclesiam.

XV. Ex quo facile est concludere, quinam ad Ecclesiam pertineant aut non pertineant. Primo enim omnes aperti infideles, quales sunt Ethnici, Mahometani, & hodierni Judæi, sive nunquam religionem Christianam fuerint amplexi, sive postmodum ab ea defecerint, ad illam non pertinent, ut manifestum est. Visibilis enim Ecclesiæ non sunt membra, & multo minus invisibilis; cum neque fidem habeant neque profiteantur. Secundo, neque hæretici, qui fundamentale aliquod fidei caput oppugnant; neque schismatici, qui absque justa & necessaria causa se ab Eccle-

Ecclesiæ communione separant; neque ob scelera excommunicati, quamdiu in iis absque pœnitentia perseverant. Nulli enim illorum vere retinent doctrinam Christi, quicquid contra jactent.

XVI. Sed quæritur 1. de occulte infidelibus, scelestis & impiis qui religionem Christianam externe profitentur, an sint membra Ecclesiæ. Nos negamus, propter supra allatas rationes cum de invisibili vere credentium Ecclesia ageremus. Pontificii contra affirmant, putantes externam fidei professionem ab interna pietate sejunctam, sufficere ut quis ad Ecclesiam Christi pertineat. Sed nos ibidem id quoque abunde refutavimus. Concedunt quidem impios istos & scelestos non esse viva Ecclesiæ membra, attamen vera esse pertendunt. Sed absurda est hæc distinctio: Nullum enim potest esse verum corporis vivi, quale est Ecclesia, membrum, quod non ipsum quoque vivum sit. Mortua membra, sive arida sive putria sint, non sunt vere & proprie dicta membra, quandoquidem membrorum functiones non exercent, sed tantum æquivoce, ut cum hominis cadaver homo vocatur. Et cum Ecclesia sit corpus Christi, quod ejus Spiritu animatur, cujusque vi spiritualis vitæ actiones obit, apparet mortua ista membra, Spiritu Christi destituta, ad ipsum non pertinere. Nec video cur tantopere Romanenses sceleratos Ecclesiæ septis includere laborent, nisi forte quia verentur ne plerique suorum Pontificum, Cardinalium, aliorumque Prælatorum, quos tales fuisse norunt, ab ea exclusi maneant. Sed fac in Ecclesia fuisse, instar carcinomatum aut apostematum fuerunt, quæ id quod adhuc sani atque integri erat in illo corpore, corruperunt. Nec ullus nisi vecors putare potest eorum, qui fide erant destituti, decreta de fide, divina & infallibilia fuisse.

XVII. Quæritur 2. de non baptizatis, injuste excommunicatis, iisque qui pro hæreticis & schismaticis vulgo habentur, & tamen vere in Christum credunt, an ad Ecclesiam pertineant. Pontificii negant, nos affirmamus. Nam quod ad baptismum aquæ attinet, is non facit quemquam esse membrum Christi, cum nullus ad eum recipiendum sit idoneus qui jam talis non sit, utpote quod gratiæ divinæ sigillum & professionis nostræ testimonium est. Idque ostendit exemplum Cornelii & domesticorum ejus, in quos Spiritus S., arrhabo communionis ipsorum cum Christo, delapsus est antequam baptizati essent, *Act.* x. 44. &c. Eademque est omnium adultorum ratio, qui veram in Christum fidem ad baptismum afferunt. Statim enim atque in Christum credunt membra fiunt Ecclesiæ invisibilis; licet forte visibilis ipsos ante susceptum baptismum pro suis agnoscere nolit. Injuste ab Ecclesiæ rectoribus excommunicatos, à Christi communione excludere, est ipsum, qui ἀπροσωπολήπτως judicat, in alienæ injustitiæ consortium trahere. Nec contra faciunt illa ejus verba, *Quacunque ligaveritis super terram, ligata erunt & in cœlo, & quacunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*, *Matth.* XVIII. 18. Nam pone istam potestatem omnibus promiscue populi Christiani Pastoribus esse datam, & non Apostolis speciatim, ut verisimilius est; necessario tamen cum ista limitatione debet intelligi; Si secundum Dei voluntatem ligaverint aut solverint. Absurdum enim est putare, illa vere ligata & soluta esse in cœlo, quæ homines præter jus & fas, adeoque contra Dei leges, in terra ligaverint aut solverint: siquidem id esset divinam auctoritatem humanæ subjicere. Neque omnes, quos Ecclesia Romana hæreticos aut schismaticos esse pronunciat, revera tales sunt. Scimus enim quam leviculas sæpe ob causas ipsa alios istis nominibus infamet: v. gr. sub Victore Episc. Rom. circa annum Christi 200, Orientis Ecclesias, quod Pascha decima quarta Luna celebrarent; & ab aliquot sæculis Græcas, propter quæstionem de processione Spiritus Sancti. Fac enim ista veros esse errores, non tamen sunt exitiales hæreses quæ à salute excludant. Et possunt pii in aliquibus errare, & tamen vera fide esse præditi. Imo plerique eorum, quos Ecclesia Romana pro hæreticis aut schismaticis habet, ipsa saniores sunt in fide, ut plurima hujus temporis exempla testantur: neque quia illos à sua communione excludit, ideo alieni à Christo censendi sunt.

XVIII. Quæritur 3. an Ecclesia constet tantum ex electis. Ad quod respondeo per distinctionem. Si enim electorum appellatione, secundum usitatum Scripturæ stylum, intelligantur fideles qua tales, nullum est dubium ex ante dictis, quin soli electi illam constituant. Sed si ista vox trahatur ad aliquos ante sæcula absolute ordinatos ad salutem æternam, aut saltem ad illos qui salutem istam aliquando adipiscentur, nego Ecclesiam ex solis talibus electis constare. Nam quod ad primos attinet, nullos tales esse agnoscimus; & quod ad alteros, antequam credant non sunt Ecclesiæ membra, veluti Paulus cum adhuc Ecclesiam Christi persequeretur, quantumvis ab utero matris suæ segregatus ad Euangelium annunciandum, ut ipse loquitur *Gal.* 1. 15. 16. Ideoque illi qui ex solis electis Ecclesiam constare docent, ad electorum appellationem, limitationis ergo vocatorum addere solent: Et tamen ne sic quidem propositio illa universaliter vera est; cum multi qui ad tempus credunt & ad Ecclesiam pro illo tempore pertinent, propter defectionem suam à fide salutis æternæ non sint participes futuri: quos tamen aliquando vera corporis Christi membra fuisse, colligitur ex ejus verbis, cum inquit; *Pater meus omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit*. Et, *Nisi quis in me manserit*,

serit, *abjectus extra statim ut palmes arescet*, *Joan*. XV. 1. 2. 6. Quare ad vitandam homonymiam vocis electorum, quam pepererunt controversiæ de Prædestinatione, satius est dicere, Ecclesiam ex solis fidelibus, quam ex solis electis, constare.

XIX. Quæritur 4. an Ecclesia constet tantum ex perfectis. Ad quod respondeo negative. Omnes enim veri fideles non sunt perfecti, sed quidam tantum. Quod ut melius intelligatur, notandum est perfectorum appellationem, quæ aliquando ipsis in Sacris literis tribuitur, duobus modis accipi posse. Vel enim illi perfecti dicuntur, qui etsi non fuerint immunes ab infirmitatibus, prout nemo est qui non peccet aut labatur interdum, 1 *Joan*. I. 8. 9. 10. *Jacob*. III. 2. Nullo tamen unquam crimine seu graviore peccato, toto vitæ tempore se contaminarunt; quales fuerunt Noachus, Jobus, Daniel, Zacharias, Elizabetha, aliique. Vel perfecti appellantur, qui jam tantos in sanctificatione progressus fecerunt, ut alacriter & sine lucta, saltem molestiore, mandata Dei observent, sive ipsorum anteacta vita ab omni scelere immunis fuerit sive non. Et hi opponuntur infantibus in Christo, seu recenter conversis; qui etsi sincere in ipsum credant, tamen propter inveteratam peccati consuetudinem, magna cum carnis nondum domitæ lucta officium faciunt. De quibus vide *Matth*. V. 48. *Philipp*. III. 15. *Jacob*. III. 2. & alibi. Ex neutro ergo perfectorum genere tantum constat Christi Ecclesia. Ad eam enim admittit etiam magnos peccatores, modo vere ad Deum fuerint conversi; utpote qui non venit vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam, *Matth*. IX. 13. Item eos qui nondum sunt ab omnibus infirmitatibus immunes, modo sincere credant Euangelio, & se ab ipsis exsolvere pro viribus nitantur; ut docent exempla Corinthiorum, Galatarum, Hebræorum, & illarum Asiæ Ecclesiarum ad quas scriptæ sunt Epistolæ II. & III. *Apocal*. Christus enim illas pro suis agnoscit, etiamsi multa adhuc in iis essent reprehensione digna.

CAPUT III.
De attributis Ecclesiæ.

I. *Attributa Ecclesiæ sunt, domus Dei.* II. *Ovile Christi.* III. *Corpus Christi, & plenitudo ipsius.* IV. *Sponsa Christi.*

I. ET hæc de definitione & partibus Ecclesiæ sufficiant. Accedamus jam ad ipsius proprietates. Huc pertinent primo quædam epitheta, seu potius elogia præstantiam ejus indicantia, quæ ipsi in Sacris literis tributa inveniuntur: ut quod sit *domus Dei vivi*, *columna & firmamentum veritatis*, 1 *Tim*. III. 15. quod *portæ inferorum non prævalitura sint adversus eam*, *Matth*. XVI. 18. Itemque *sit ovile Christi*, *Joan*. X. 16. Imo etiam *corpus & plenitudo ipsius*, *Ephes*. I. 22. 23. & V. 23. Denique *sponsa Christi*, *Ephes*. V. 22. *& seqq*. usque ad finem. Et *nova Hierusalem* vocatur *sponsa*, *uxor agni*, *Apoc*. XXI. 2. & 9, 10. Quæ paucis nobis sunt explicanda. Ecclesiam figurate *domum Dei* vocari nemo est qui non animadvertat. Nam præterquam quod per eam non intelligamus hoc loco ædem sacram, cultui Dei & fidelium conventibus dicatam, ut aliquando fit: manifestum est Deum, qui immensus est, adeo ut cœli cœlorum ipsum non capiant, docente Salomone 1 *Reg*. VIII. 27. nulla proprie domo contineri. Verumtamen Sacræ literæ, quæ de Deo humano more & sermone loquuntur, solent ipsi domum & habitaculum tribuere; præcipue in cœlis: Ita David, *Qui habitat in cœlis irridebit eos*, *Psal*. II. Et Dominus Jesus docet nos ipsum compellare, *Pater noster qui es in cœlis*. Quod ita accipiendum est, ut ipsemet apud Esaiam declarat, *Cœlum sedes mea*, *terra autem scabellum pedum meorum*, *cap*. LXVI. *v*. 1. Ideoque etiam aliquando in terris domicilium ei tribuitur. Sic dicitur *sedere super Cherubim*, 1 *Sam*. IV. 4. & 2 *Reg*. XIX. 15. quia nimirum Deus ex propitiatorio, supra arcam fœderis posito, quod Cherubim alis suis tegebant, responsa consulentibus se dabat. Eademque de causa tum tabernaculum in quo arca illa collocata erat, tum templum Hierosolymitanum quod illi successit, domus Dei vocantur. Qua de re vide *Jerem*. VII. 10. *& seqq*. *Matth*. XXI. 13. & alibi. Sed excellentiori adhuc ratione Deus inter illos habitat quos suo favore & præsidio tegit. Hocque est quod Israëlitis promittit si legem suam observarent; *Ponam tabernaculum meum in medio vestri*, *& non abjiciet vos anima mea: ambulabo inter vos*, *& ero Deus vester*, *vosque eritis populus meus*, *Levit*. XXVI. 11. 12. Quo respiciens Paulus, fideles *templum Dei vivi* vocat, 2 *Cor*. VI. 16. Et *Apoc*. XXI. 3. dicitur, *Ecce tabernaculum Dei est cum hominibus & habitabit cum eis*; *& ipsi populus ejus erunt*, *& ipse Deus cum iis erit*, *Deus ipsorum*. Deus enim qui est Spiritus, in spiritu coli debet, & augustius multo in cordibus fidelium sibi elegit palatium, quam tabernaculum aut templum illud vetus, quod in desolationem æternam dedit. Hunc in sensum Ecclesia, quæ est fidelium societas, domus Dei viventis appellatur. Cum autem omnis domus ab aliquo construatur, hæc ab ipso Deo, qui in ea sibi domicilium parare voluit, condita est, ut docet Apostolus *Hebr*. III. 2. 3. 4. 5. 6. quod est eximium præstantiæ illius argumentum: Quam excellens enim & magnificum oportet esse illud palatium, quod non homo mortalis, non Angelus, sed ipse summus rerum omnium opifex Deus, & quidem in suum usum, ut in eo æternum habitaret, construere dignatus est? Sed ut id melius appareat, materia istius ædificii, & modus quo constructum est, nobis consideranda sunt. Hicque primo

 occurrit

occurrit fundamentum cui tota moles innititur; quod quale sit docet nos Paulus, dicens; *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, 1 *Cor.* III. 11. Alibi tamen Apostolos & Prophetas etiam in consortium istius fundationis Ecclesiæ vocat; sed ita ut Christum tanquam præcipuam fundamenti partem pro angulari lapide statuat, qui duos ædificii parietes, Judæos videlicet & Gentiles, inter se conjungat, & cum ipsis, seu doctrina ab ipsis annunciata, totam illius molem sustineat. *Superstructi estis*, inquit, *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cum imus angularis lapis sit ipse Jesus Christus: In quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit ut sit templum sanctum in Domino: In quo & vos una ædificamini, ut sitis domicilium Dei per Spiritum*, *Ephes.* II. 20. 21. 22. Isti autem Prophetæ qui Apostolis adjunguntur, & simul cum illis fundamentum Ecclesiæ appellantur, non sunt Prophetæ Veteris Testamenti, sed Novi; quos nimirum Christus, postquam in cœlos ascendit, dedit Ecclesiæ suæ, una cum Apostolis, Euangelistis, Pastoribus & Doctoribus, *Ephes.* IV. 11. Et de quibus expresse dicitur, *Quosdam posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas*, &c. 1 *Cor.* XII. 28. Nam si Paulus de Prophetis Veteris Testamenti id intellexisset, eos dubio procul, ut temporis ratio requirebat, ante Apostolos nominasset. Ne jam dicam Ecclesiam Christianam super illos non posse dici fundatam, qui præcipua Christianæ religionis mysteria ignorarunt; quæ etiam ipsis Angelis per Ecclesiam innotuerunt, *Ephes.* III. 9. 10. Ideo autem quod super Apostolos, sive (quod eodem redit) super Euangelium ab ipsis prædicatum, fundata est Ecclesia, dicitur à Joanne, murus novæ Jerusalem habuisse fundamenta duodecim, in quibus erant inscripta duodecim nomina Apostolorum agni, *Apoc.* XXI. 14. Et quia Petrus, tanquam collegii Apostolici princeps, insignem præ cæteris operam, in jaciendis Ecclesiæ Christianæ fundamentis, navaturus erat, Christus ei speciatim dicit; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, *Matth.* XVI. 18. Quod tunc impletum videtur, cum ejus ministerio, post Christi ascensionem & acceptum Spiritum S., tum Judæi tum Gentiles primum ad Euangelii communionem vocati sunt, ut videre est *Act.* II. & X. Lapides super hoc fundamento extructi sunt fideles, quos eam ob causam Petrus vocat *lapides vivos* & *domum spiritualem*, 1 *Epist.* II. 4. &c. Modus vero quo id fit, est Euangelii prædicatio, per quod homines ab erroribus & vitiis suis revocantur, & in fide radicati crescunt in templum sanctum in Domino, *Ephes.* II. 21. Propterea que qui Euangelium annunciant Architecti quoque vocantur. *Secundum gratiam quæ data est mihi*, inquit Paulus, *ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem ædificat*, 1 *Cor.* III. 10. Item, *Sic contendens Euangelizare, non ubi nominatus esset Christus, ut ne super alienum fundamentum ædificarem*, *Rom.* XV. 20. Ubi per alienum fundamentum, non aliud à Christo intelligit, (quod nefas fuisset) sed ab alio Apostolo vel Euangelista positum. Et in eadem ædificii metaphora pergendo, doctrina ab Euangelii præconibus annunciata, dicitur quoque instar materiæ, Christo fundamento & angulari lapidi inædificari. Quo spectant illa ejusdem Apostoli, 1 *Cor.* III. 12. *Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum fiet.* Nunc dicendum quoque esset quo sensu Ecclesia *columna & firmamentum veritatis* vocetur, quod ad eandem domus allegoriam pertinere videtur, cum soleant domus & basilicæ super columnas exstrui, iisque fulciri. Sed quia commodius id fiet infra, ubi disputabitur, An Ecclesia errare possit, eo usque illius explicationem differemus; ut & alterius Ecclesiæ elogii, *Quod portæ inferorum non prævalituræ sint adversus eam.*

II. Sequitur ergo ut consideremus cur Ecclesia *ovile Christi* appelletur. In quo primo notandum *ovilis* vocem, & Græcam αὐλῆς cui respondet, proprie quidem significare caulam seu stabulum ovium; sed hoc sensu hic non usurpari, ubi nulla habitaculi ovium Christi ratio habetur; verum per metonymiam continentis pro contento, pro ποίμνη seu grege ovium accipi: nimirum quia sicut oves septis seu stabulis suis inclusæ in iis tutæ sunt tam ab aëris injuria, quam à vi luporum aliarumque ferarum quæ ipsis insidiari solent, ita fideles sub Christi custodia nihil habent, quod timeant. Ecclesia igitur ovile seu grex ovium dicitur, quia constat ex veris fidelibus, qui instar ovium sunt mansueti, dociles, vocem Christi pastoris sui audiunt, non alieni, & improborum persecutioni, qui sunt instar luporum rapacium, obnoxii sunt. Eadem enim est singulorum fidelium hac in re sors quæ Apostolorum, quibus Christus dicit, *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, *Matth.* x. 18. Interdum etiam aliqui, qui nondum in Christum credunt, ovium ipsius titulo donantur, ut in citato *Joannis* x. loco: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Pastor.* Sed ita tantum appellat illos qui bonæ sunt indolis, & apti ad credendum Euangelio quando ipsis annunciatur; ideoque per anticipationem oves Christi vocari possunt, quia aliquando ad ipsius ovile sunt accessuri. Si autem fideles sunt Christi oves, ergo ex vi relatorum, quæ se mutuo ponunt & tollunt, Christus est ipsorum Pastor. Et cum duo sint Pastorum genera, alii qui proprias oves pascunt, ut antiqui illi Patriarchæ qui magnos ovium greges possidebant, alii qui mercede conducti alienos greges curant, Christus in priori ordine sine

sine controversia est reponendus. Non tantum enim Patris oves sibique ab illo donatas pascit, sed etiam illas sanguine suo redemit, atque ita sibi in peculium acquisivit. Ille enim est bonus Pastor qui animam suam ponit pro ovibus, cum mercenarius veniente lupo fugiat ovesque deserat. Ille etiam oves suas ad bona & salutifera verbi sui pascua ducit, ita ut nihil ipsis desit ad animæ vitam necessarium. Deque eo gloriari possumus ut de Deo David, *Psal.* XXIII. Ipse sanat eas ab omnibus infirmitatibus, *Esa.* LIII. *v.* 5. 6. Contra quam mali pastores faciebant; de quibus vide *Ezech.* XXXIV. 5. *& seqq.* Et quamvis dederit aliquos Ecclesiæ suæ ut sint ipsius Pastores, *Ephes.* IV. 11. iste pastoratus tantum est ministerialis & sine imperio, cujus aliquando rationem illi redditur i sunt: ipse vero manet Pastorum princeps, ut vocatur 1 *Petr.* V. *v.* 4. & *magnus ovium Pastor, Hebr.* XIII. 7.

III. Præterea Ecclesia est *corpus Christi & plenitudo ipsius.* Per *corpus* autem intelliguntur membra quatenus à capite sunt contradistincta illique opposita, & cum ipso unum integrum & perfectum corpus constituunt: alioqui similitudinis ratio non constaret. Ecclesiam autem mysticum & spirituale Christi corpus esse, non crassum & materiale, nemo est qui ignoret. Itáque appellatur, quia sicut membra à capite, in quo præcipua animæ sedes est & origo nervorum, vitam, sensum & motum accipiunt, & ab eo separata non possunt vivere; ita à Christo in Ecclesiam derivatur omnis vita, sensus & motus spiritualis, mediante Spiritu quem membris suis communicat, quo destituta arescunt & deficiunt. Quo pertinet illud *Joan.* XV. *v.* 5. *Sine me*, vel extra me, χωρὶς ἐμοῦ, *nihil potestis facere*; nempe sicut palmes à vite resectus, à qua succum illum, per quem vivit & fructum profert, accipit. Et quemadmodum in corpore humano diversa sunt membra quæ varias habent functiones & officia, alia honoratiora, alia minus honorata, & cum unum gaudio aut tristitia afficitur, alia similiter gaudent aut dolent, & omnia simul totius corporis incolumitati student; ita etiam in hoc corpore mystico. Qua de re vide *Rom.* XII. 4. &c. 1 *Cor.* XII. 12. &c. *Ephes.* IV. 4. &c. Unicum autem est in hoc corpore caput, nimirum Christus, qui etiam est supremus ovilis sui Pastor, & fundamentum domus Dei, vel illius angularis lapis. Nam omnes istæ similitudines eodem tendunt, & unam eandemque rem significant, quanquam dissimili ratione. Unde sequitur male Pontificios duo ipsi capita tribuere, unum quidem supremum, alterum vero ministeriale, non solum præter sed etiam contra Sacras literas, ut infra visuri sumus. Sed quid sibi vult id quod Paulus ad titulum corporis Christi Ecclesiæ tributum, loco citato *Ephes.* I. 23. addit? τὸ πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου. Difficilis est locus, & qui diversimode admodum ab interpretibus exponitur; aliis hæc verba active, aliis vero passive, aliis denique partim active partim passive accipientibus; quod vox πλήρωμα *plenitudo* seu complementum, possit tam de eo quod implet, quam de eo quod impletur, intelligi, & participium πληρουμένου, si mediæ sit vocis, *implentis* verti queat, si vero sit passivæ, *impleti* significet. Si ergo active ista accipias, sensus erit, Christum esse plenitudinem seu complementum Ecclesiæ, 1. Quia Ecclesia quæ est corpus Christi sine capite suo est imperfecta & velut truncus iners. 2. Quia ipsam donis suis implet & locupletat, *Rom.* XII. 3. *& seqq.* 1 *Cor.* XII. 11. &c. *Ephes.* IV. 7. &c. Si vero passive intelligas, sensus erit, Christum perfici per adjunctionem Ecclesiæ quæ est ipsius corpus. Nam veluti corpus sine capite esse non potest, ita neque caput sine corpore, & hæc se mutuo perficiunt atque adimplent. Sed tunc illud τὰ πάντα adverbialiter pro πάντως accipietur, Christusque omnino in omnibus membris suis adimplebitur, quando ea variis donis replebuntur; cum tam bona quam mala quæ corpori suo contingunt, pro suis reputare soleat. Unde illud, *Saule Saule quid me persequeris? Act.* IX. 4. Item, *adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus quod est Ecclesia, Col.* 1. *v.* 24. Eodemque sensu Paulus optat ut Christus in Galatis formetur, *Gal.* IV. 19. Si vero passive ista exponas in priore membro, active vero in posteriore, elegans erit ἀντανάκλασις, ut *Joan.* II. *Multi crediderunt in eum visis signis quæ edebat. Ipse autem Jesus non credebat se iis.* Quocunque accipiatur modo parum refert, cum omnes isti sensus sint boni, & à proposito Apostoli non alieni. Si tamen optio detur, ultimum cæteris prætulerim.

IV. Postremo Ecclesia est *sponsa* Jesu Christi, & ipse illius *sponsus*, ut docet Paulus *Ephes.* V. 22. *& seqq.* ubi copiose allegoriam hujus spiritualis matrimonii explicat & persequitur: Eodemque referuntur hæc ejusdem verba, *Aptavi vos, quos uni viro Christo ut virginem puram sistam*, 2 *Cor.* XI. 2. Et Joannis Baptistæ, *Qui habet sponsam sponsus est; amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, Joan.* III. 29. Et in *Apocal.* XXI. 2. Joannes dicit se vidisse sanctam illam civitatem Hierusalem novam (quæ erat figura Ecclesiæ Christi ut apparet ex *v.* 9. & 10.) descendentem à Deo è cœlo, paratam ut sponsam ornatam viro suo. Et ad eam videndam hortatur ipsum Angelus dicens, *Venio, ostendam tibi sponsam, uxorem agni.* Conjugium quoque istud repræsentatum fuit per Salomonis nuptias cum filia Pharaonis, ut discimus ex applicatione *Psalmi* XLV. qui literali sensu de Salomone intelligendus est, facta ad Christum *Hebr.* I. Eodemque referri solet totus iste libellus qui inscribitur Canticum Canticorum, licet nullibi ab Apostolis in scriptis Novi Fœderis ipsi applicetur. Simili ratione

dicitur Deus olim iniisse matrimonium cum Ecclesia Israëlitica, quando fœdus cum ipsa contraxit; ideoque violatio fœderis istius per idololatriam frequenter adulterium & scortatio vocatur, ut videre est *Ezech.* XVI. toto, & alibi. Quemadmodum ergo per matrimonium corporale vir & fœmina fiunt unum corpus; ita etiam se res habet in isto spirituali Ecclesiæ cum Christo. Membra enim sumus corporis ejus, de carne ejus & de ossibus ejus, *Ephes.* V. 30. Eademque tam bonorum quàm malorum communio, quæ inter maritum & uxorem intercedit, hic quoque locum habet. *Conformes oportet nos esse Christo in passionibus ut participes simus ipsius gloriæ, Rom.* VIII. 17. *& seqq.* 2 *Tim.* II. 12. Et sicut viri ardenti amore uxores suas prosequi solent, adeo ut sæpe nullum damnum & incommodum, imo ne mortem quidem ipsam subire refugiant, ut illas ab injuria aut periculis tueantur & immunes præstent; ita Christus protegit & fovet Ecclesiam suam, quam tanto amore dilexit, ut seipsum pro ea in mortem tradere non fuerit veritus, *Ephes.* V. 26. Et vicissim, quemadmodum uxores debent viris suis esse subjectæ, iisque parere, & ante omnia ab adulterio puras se conservare; ita officium Ecclesiæ est Christo capiti & marito suo subesse, illique in omnibus parere, ab omni idololatriæ specie diligenter sibi cavere, & nullum alium sponsum præter ipsum agnoscere. Non est necesse hic agere de titulo matris quem aliqui Paulum Ecclesiæ tribuere putant *Gal.* IV. 26. Supra enim ostendi *Jerusalem* illam *de sursum*, quæ *mater nostra* dicitur, non esse Ecclesiam, sed fœdus novum. Nec obstat quod in modo citato *Apoc.* XXI. loco, per *novam Jerusalem descendentem à Deo*, Ecclesia intelligitur. Figuratas enim ejusmodi appellationes pro locorum circumstantiis in diversum sensum accipere non est apud bonos interpretes insolens.

CAPUT IV.

An Ecclesia possit errare.

I. *Status controversiæ.* II. *Ecclesia Catholica in fide potest errare, quia omnes particulares errare possunt.* III. *Quia errare potest in moribus.* IV. *Quia omnes antistites errare possunt.* V. *Respondetur ad argumenta Pontificiorum:* 1. *quod Ecclesia vocetur columna & firmamentum veritatis,* 1 *Tim.* 3. VI. 2. *Quod portæ inferorum dicantur non prævalituræ adversus eam, Matth.* 16. VII. 3. *Quod Christus promittit se illi adfuturum usque ad consummationem sæculi, Matth.* 28. VIII. 4. *Quod Christus nos remittat ad Ecclesiam, Matth.* 18. *Agitur de privata injuria.* IX. *An contineant præceptum, an vero permissionem.* X. *Quid per Ecclesiam intelligatur.* XI. *Non ostendit hic locus Ecclesiam esse visibilem, & perpetuo talem mansuram.* XII. *Agit etiam de Ecclesia particulari.* XIII. *Quomodo omnes Ecclesiæ judicio stare teneantur.* XIV. 5. *Quod Christus sit caput & sponsus Ecclesiæ.* XV. 6. *Quod Ecclesia in Symbolo appelletur Sancta.* XVI. *Quod alias multa fidei dogmata essent incerta.*

I. SEcundo ad Ecclesiæ proprietates pertinet disquirere, Utrum nulli prorsus errandi periculo sit obnoxia; Item, Utrum nunquam possit obscurari, aut totaliter à fide deficere, ut Pontificii affirmant. Et cum duæ hic sint quæstiones, separatim de utraque aliquid dicendum. Cum disputatur, Utrum Ecclesia errare possit, nec-ne, diligenter imprimis attendendum est ad varias vocis Ecclesiæ acceptiones, & diversas errorum species, ne homonymia decipiamur, & (ut quidam faciunt) Andabatarum more in tenebris pugnemus. Memoria ergo recolere oportet quod supra traditum est, Ecclesiam aliam esse Catholicam, aliam particularem, & per Ecclesiam Catholicam intelligi vel omnium temporum & locorum Ecclesiam, vel omnium quidem locorum, sed unius tantum temporis. Item, quosdam solere distinguere inter Ecclesiam repræsentantem & repræsentatam. Et aliam esse Ecclesiam visibilem eorum qui fidem externe profitentur, aliam vero invisibilem verorum fidelium. Rursus errores alios esse fidei, alios morum, alios fundamentales, alios vero minime. His observatis, sciendum est, Pontificios quidem concedere Ecclesiam Catholicam errare posse in moribus, sed non in fide, in qua ne minimo quidem errori eam obnoxiam esse pertinaciter defendunt. Id quod etsi de universa Christianorum uno tempore viventium multitudine dicere videantur; præcipue tamen de Episcopis & aliis Prælatis, qui Ecclesiam repræsentantem constituunt, intelligi debet. Nam cum de fidei controversiis dirimendis agitur, ubi istam Ecclesiæ infallibilitatem apparere dicunt, privatorum, qui Ecclesiam repræsentatam faciunt, suffragia nunquam exquiruntur: imo nequidem Pastorum & Doctorum. Particulares vero Ecclesias omnes, sive repræsentantes sive repræsentatas, tam in fide quam in moribus, nec tantum in rebus leviculis, sed etiam adversus fundamentum, errare posse agnoscunt. Ecclesiæ invisibilis, quam non agnoscunt, nullam in hac quæstione rationem habent. Nos vero Ecclesiam tam Catholicam quam particularem, tam repræsentantem quam repræsentatam, tam vere credentium quam vulgarium Christianorum, credimus errare posse in fide & moribus, non tantum in levioribus, sed etiam in articulis ad salutem necessariis. Sed tamen hac distinctione adhibita, ut veræ Ecclesiæ nomen non amittat, quando solum in non necessariis errat; amittat vero & desinat esse talis, quum contra facit. Item ut statuamus Ecclesiam Catholicam omnium temporum & locorum, nunquam adeo graviter labi, ut Ecclesia Christi esse desinat, sed tantum eam, quæ certo aliquo temporis articulo vivit. Nam si id perpetuo contingeret, Christus nullam haberet Ecclesiam, & sponsus esset fine sponsa, caput sine corpore; quod absurdum est. Denique ut tota Ecclesia Catholica errare dicatur, non putamus necesse esse ut omnes & singuli qui ad eam pertinent, nemine prorsus excepto, erroribus sint impliciti, sed sufficere, si errores publice

publice obtineant & à Pastoribus defendantur. Idemque judicium faciendum de particularibus; quæ tunc gravissime & lethaliter errant, cum erroribus se opponere & veritatem profiteri sine acerbæ persecutionis periculo non licet. Sententiam hanc nostram sequentibus argumentis probamus.

II. 1. Si omnes Ecclesiæ particulares possunt errare in fide & moribus, etiam Ecclesia Catholica poterit errare. At verum est prius: Ergo & posterius. Consequentia majoris probatur, quia qualis est omnium partium natura, talis necessario debet esse totius. Cum ergo Ecclesia Catholica sit totum quod ex particularibus tanquam partibus constat, iisdem quoque affectionibus quibus ipsæ obnoxia erit. Sicut corpus illud est sanum, cujus omnia membra bene valent, morbidum contra cujus omnia membra ægrotant. Nec potest concipi, qua ratione fieri possit ut omnibus Ecclesiis particularibus in errores lapsis, Catholica ab iis immunis maneat. Excipiet forte aliquis, impossibile esse ut omnes Ecclesiæ particulares simul eodemque tempore in errores labantur. Sed respondeo, nullam istius impossibilitatis rationem apparere, aut dari posse. Imo contra, quemadmodum errores sunt contagiosi, fieri facile potest, ut Ecclesiæ erroribus inquinatæ vicinas sanas progressu temporis inficiant, & hæ alias; & sic tandem corruptio ad omnes pervadat. Et quidni idem contingere queat in Ecclesia Christi, quod olim in orbe universo tempore diluvii, ubi Noacho solo excepto, qui justus repertus est coram Deo, cæteri omnes corruperant viam suam? Sane istud significare velle videtur Christus, cum ait, *Filius hominis cum veniet num repertures est fidem in terra? Luc.* XVIII. 8. Quod ad assumptionem attinet, omnes Ecclesias particulares in fide & moribus errare posse, ea nobis conceditur à Pontificiis: nisi quod quidam Ecclesiam Romanam ex hoc numero excludere volunt. Sed alii fere omnes fateri non verentur, illam tanquam particularem diœcesin consideratam eidem errandi periculo atque aliæ omnes obnoxiam esse. Nec est causa cur excipiatur; cum nullum præ cæteris acceperit non errandi privilegium; imo Paulus diserte minetur ei, fore ut abscindatur, nisi permaneat in benignitate Dei, *Rom.* XI. 22. Ecclesias etiam omnes particulares errandi periculo esse obnoxias sua luce patet, & demonstratione non indiget. Nam constant ex hominibus, quorum cognitio est imperfecta, ut docet Paulus 1 *Cor.* XIII. 9. *& seqq.* At quid magis pronum est, quam ejusmodi homines in errores labi? contra miraculi instar esset, si id sæpius non contingeret. Multis quoque istud exemplis probari potest. Nam ut Ecclesiæ Israëliticæ mentionem non faciam, quæ sæpius idololatria se polluit, Dominum Jesum occidit, & Euangelium ejus falsitatis damnavit, Ecclesiæ Corinthi, Galatiæ & Asiæ in Sacris literis perniciosorum errorum, & cum fidei fundamento pugnantium, redarguuntur. Vide 1 *Cor.* XI. & XV. *Gal.* III. & V. *Apoc.* II. & III. Et post Apostolorum excessum catervatim in Dei domum irruentibus Gnosticorum, Marcionitarum, Sabellianorum, Manichæorum, Arianorum hæresibus, paucæ fuerunt Ecclesiæ quæ Euangelii puritatem illibatam servarent. Hodieque cum Pontificii Protestantes, & hi vicissim illos, aliosque à se opinionibus dissidentes cœtus erroris arguunt, thesin istam confirmant.

III. 2. Si Ecclesia Catholica potest errare in moribus, in fide quoque errare poterit. At verum est prius, Ergo & posterius. Consequentia majoris probatur, quia qui graviori peccato se potest obstringere, multo magis potest leviori: gravius autem est errare in moribus, quam in fide; cum hoc sæpe contingat per simplicem & involuntariam intellectus hallucinationem; illud vero non nisi à malitia & perversitate voluntatis procedat. Præterea Deus illos qui peccatis indulgent, & vitam impuram degunt, deserere solet, & ab iis Spiritum suum auferre, *Psal.* LI. *v.* 13. 14. Ideoque monet fideles Paulus, *Ne contristent Spiritum Sanctum Dei*, Et, *ne eum extinguant*, nimirum secundum carnem ambulando, *Ephes.* IV. 30. 1 *Thess.* V. 19. Et Christus dicit, *mundum*, id est, profanos & impios, *Spiritum veritatis non posse accipere*, *Joan.* XIV. 17. Qui autem cœlesti ista luce sunt destituti, postea præcipites in omnes errores ruunt. Nec ullus nisi amens pro Spiritus Sancti decretis habere potest, quæ ab illis sunt constituta, in quibus ne mica quidem Spiritus Christi apparet. Assumptionem concedunt ultro Pontificii, & pleni sunt eorum libri querelis de corruptione Ecclesiæ tam in capite quam in membris, & adhortationibus ad eam in moribus reformandam. Ac sane res est vel cæcis ipsis manifesta *In multis enim labimur omnes*, *Jacob.* III. 2. *Nec homo est justus in terra qui faciat bonum & non peccet*, *Eccles.* VII. 21. Et de Ecclesia Israëlitica dicit Propheta, *A planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas*, *Esa.* I. 6. Et de ultimorum temporum Christianis dicit Paulus, *Homines erunt seipsos amantes, superbi, blasphemi, scelesti*, &c. *habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*, 2 *Tim.* III. 1. *& seqq.* Et sæculum hodiernum, ut de præcedentibus sileam, veritatem hujus prophetiæ nimis clare comprobat. Ita ut nulla Ecclesiæ Christianæ pars aut tempus possit ostendi, quod multis vitiis (licet in diverso gradu) non laboraverit, aut etiamnum laboret. Quales autem sunt partes, tale etiam totum esse necessum est.

IV. 3. Ecclesia tota repræsentans, id est omnes Præsules, Episcopi & Pastores, errare possunt: Ergo etiam repræsentata, id est, populus Christianus. Consequentiam, ut puto, non illibenter nobis concedent Pontificii, qui non tantum omne privatis in fidei controversiis diri-

dirimendis suffragium adimunt, sed etiam cæca illos obedientia quæcunque sunt ab Antistitibus decreta amplecti volunt. Inde enim fieri necesse est, ut si Antistites Ecclesiæ errent, cæteros omnes continuo secum in errorem trahant, & ita tota Ecclesia erret. Præterea, etiamsi quandoque privati Christiani saniores sint in fide suis Pastoribus, tamen id rarum est, & difficulter admodum fieri potest, ut cum Præsules (qui cæteros ordinarie doctrina & auctoritate antecellunt) unanimi consensu errores propugnant, privati magno numero se ab iis puros conservent. Antecedens etiam manifestum est, nimirum nullum esse Ecclesiæ Præsulem ab errandi in fide periculo immunem. Nihil dicam de improbis & sceleratis, quales olim fuerunt multi in Israëlitico populo, de quibus Prophetæ conqueruntur: *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam*, &c. *Esa.* LVI. 10. 11. Item, *Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum. Confusi sunt sapientes, verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis: à Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium*, *Jerem.* VIII. 8. 9. 10. Et Sacerdotibus exprobrat Deus, *Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi*, *Malach.* II. 8. Unde apparet verba immediate præcedentia, *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus*; non continere Prophetiam rei necessario aut infallibiliter implendæ, ut volunt Pontificii; sed tantum, quodnam esset ipsius officium, declarare. Excipiunt, Debebat populus requirere legem ex ore ejus; Ergo non erat errandi periculo obnoxius. Respondeo ad antecedens: fidelium quidem officium fuisse consulere Sacerdotes, si alicubi in legis divinæ intelligentia hærerent, ut ab iis instituerentur: sed non ita ut ab illis absolute penderent; verum ut auditis ipsorum rationibus, statuerent apud se quid ad mentem divinam magis accederet: Et tantum abest ut tenerentur obedire si contra legem manifestam aliquid præciperent, ut contra potius mortem & quamlibet persecutionem subire deberent, quam à lege Dei recedere: Ita cum Dominus Jesus diceret, *Supra cathedram Mosis sedent Pharisæi, Omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate & facite*, *Matth.* XXIII. 2. 3. alibi tamen monet discipulos, ut *sibi caveant à fermento* doctrinæ falsæ *Pharisæorum & Sadducæorum*, *Matth.* XVI. 6. 12. Et sic ostendit præceptum illud non esse absolute accipiendum, sed cum hac limitatione, Quatenus sedent supra cathedram Mosis, id est legem per Mosem datam fideliter docent & exponunt. Pii etiam Præsules & Dei timentes errandi periculo sunt obnoxii; licet quamdiu in pietate perseverant ab omni pernicioso & lethali errore sint liberi. Id patet in Apostolis, qui ante acceptum Spiritum Sanctum multis in rebus errarunt; speciatim in eo, quod regnum Christi mundanum fore putarent, *Luc.* XVIII. 34. *Act.* I. 6. Imo postea nonnihil adhuc hæsitarunt in negotio vocationis gentium ad gratiam Euangelii, sine observatione rituum Mosaicorum; & in usu libertatis Christianæ: ut videre est *Act.* X. 14. &c. *Act.* XI. 2. &c. *Gal.* II. 11. &c. Unde apparet, quam à veritate sit alienum, quod jurata quædam Pontificis Romani mancipia docent; ipsum in fide errare non posse & hæreticum fieri, nulla istius immunitatis ratione allata, assertione sola contenti. Sed illis merito multi alii, qui saniorem constituunt Ecclesiæ Romanæ partem, se opponunt, & variis allatis exemplis probant, Romanos Pontifices non minus quam alios Ecclesiæ Præsules graviter sæpe in fide erravisse. Nec tantum singuli separatim errare possunt, sed etiam in Conciliis multi simul congregati; ut in sequentibus videbitur.

V. Nunc quid contra Pontificii objiciant, paucis videndum est. *Primum* in aciem producunt insignem illum ex I *Tim.* III. 15. locum; ubi Paulus *Ecclesiam* vocat *columnam & firmamentum veritatis*. Putant enim ex eo solide evinci eam in fide errare non posse, alioqui non futuram columnam & firmamentum veritatis, sed erroris. Sed resp. Locum istum aliter interpungi posse quam vulgo fiat; ita ut hæc verba, *Columna & firmamentum veritatis*, non pertineant ad præcedentia, ac proinde de Ecclesia non pronuncientur; sed novum sensum inchoent, hoc modo: *Columna & firmamentum veritatis, & sine controversia magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus in carne*, &c. Nec est quod quis urgeat consensum codicum in contrarium. Nam Novi Testamenti interpunctiones non sunt adeo antiquæ & constantes in omnibus, ut religioni ducere oporteat eas interdum mutare, si sensus id postulare videatur. Id autem contingit hoc loco. Sensus enim apertus & planus est, si verba ista eo quo dixi modo cum sequentibus connectantur. Ita namque Apostolus mysterium pietatis & columnam ac firmamentum veritatis de una eademque re intelliget. Alioqui hiulca & suspensa erit ejus oratio, si ita ut vulgo fit eam distinguamus; *Hæc tibi scribo, ut scias quomodo oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis. Et sine controversia magnum est pietatis mysterium*, &c. Nam quomodo ista verba, *sine controversia*, tam subito cum præcedentibus, cum quibus nihil habent commune, per conjunctionem copulativam *Et* annectit? Adde quod ii, qui in Rabbinorum lectione sunt versati, Hebræorum morem esse testentur, ut cum aliquid magni momenti proferre volunt, incipiant ab hoc elogio, *Columna & firmamentum veritatis*, vel *sapientiæ*. Id videre est apud R. Maimonidem in tractatu de Fundamentis legis, quem ita inchoat; *Fundamentum fundamentorum & columna sapien-*

sapientiæ est cognoscere esse primum Ens. Quidni ergo Paulus ex more Doctorum suæ gentis, cum vellet doctrinam Euangelicam commendare, usus sit hoc procemiolo, *Columna & firmamentum veritatis & sine controversia magnum est pietatis mysterium?* Sed ne videamur hanc distinctionem esse commenti, ad eum quem nobis Pontificii nectunt nodum abscindendum potius quam dissolvendum; age demus illis, Paulum Ecclesiæ hic tribuere quod sit *columna & firmamentum veritatis.* Inde tamen quod volunt nunquam extundetur. Istis enim figuratis elogiis nihil aliud voluerit indicare, quam veram Christi Ecclesiam, salutarem Euangelii veritatem tenere, istamque veritatem ab Ecclesia sola defendi atque propagari. Nam hic per veritatem, ex more Sacrarum literarum (cujus exempla habemus *Joan.* VIII. 31. 32. & XVIII. 37. & 1 *Tim.* II. 4.) salutaris veritatis doctrina intelligitur, sine qua vita æterna obtineri non potest. Illam autem vera Christi Ecclesia, quamdiu talis esse perseverat, absque ullo errore tenet; alioqui non esset vera Ecclesia, nec salvari posset. Nec tantum tenet, sed etiam defendit & propagat; adeo ut si ulla sit in mundo, apud eam reperiatur; & alibi nusquam. Quemadmodum ergo columnæ ædificia fulciunt & sustentant; ita Ecclesia veritatem divinam, ne in terris intercidat: Hoc enim est ipsius munus & officium, à quo discedere non potest quin vera Ecclesia esse desinat. Unde apparet Pontificios in istis verbis nullum habere sententiæ suæ præsidium. Nam 1. de Ecclesia particulari agunt, nimirum Ephesina, cui præfectus erat Timotheus, quam nunc multis fœdis erroribus esse inquinatam, non fatentur tantum sed etiam contendunt. Proinde nulla ipsi hic infallibilitas promissa esse potest. 2. Non sunt intelligenda de Ecclesia repræsentante, cui soli istud non errandi in fide privilegium tribuitur; sed de repræsentata, id est privatis Christianis; ut apparet ex eo, quod Apostolus Timotheum hic doceat quomodo debeat in Ecclesia versari. Ecclesia autem à Pastoribus suis contradistincta, solos quos vocant laïcos comprehendit.

VI. *Secundo* afferunt, Christum promittere, *Portas inferorum non prævalituras adversus Ecclesiam suam, Matth.* XVI. 18. Unde concludunt, eam in nullum errorem incidere posse; quia alioqui Portæ inferi, id est potentia Diaboli, contra ipsam prævalerent. Sed respondeo, absurdum esse, *Portas inferi* interpretari de potentia Diaboli, & contra phraseos istius usum. Nam quod ajunt, Munimenta & robur urbium solere esse in portis, ac proinde per portas inferi intelligi debere ejus potentiam, nihil ad rem facit. Portæ enim tantum ad defensionem prosunt, scil. ut iis impetus hostilis arceatur. Hic vero ex Pontificiorum sententia de armis, ut vocant, offensivis agi debet, quibus Diabolus Ecclesiam oppugnet. Quod aliqui animadvertentes, malunt *Portas inferi* de astutia Diaboli exponere; quia, ut dicunt, olim consilia de rebus agendis in portis urbium capiebantur. Sed non minori absurditate: Judicia quidem in portis apud quosdam populos exerceri solita, non abnuerim; sed consultationes de modo hostes invadendi ibi fuisse institutas, ab omni verisimilitudine alienum est; cum earum præcipuum robur in silentii arcano consistat. Adde quod vox Græca, κατισχύειν, ab ἰσχὺς vis, robur, non permittat ut istud ad dolos aut consilia fraudulenta referatur. Demus tamen adversariis, per urbium portas aliquando earum potentiam aut consilia intelligi; inde tamen quis inferat, *Portas inferi*, Diaboli robur aut fraudes significare? Nulla enim vel minima hic fit diaboli mentio: nec vox ᾅδυ *inferi*, qua utitur Euangelista, unquam pro diabolo accipitur; sed ex perpetuo Sacrarum literarum usu, nihil aliud quam *sepulcrum*, *mortem*, aut *statum mortuorum* designat. Nec ex eo quod diabolus *imperium mortis habere dicatur*, *Hebr.* II. 14. sequitur id quod vulgus putat, diabolum tanquam Principem, seu mavis tortorem, imperium habere in locum aut ignem illum æternum cruciandis reprobis destinatum. Siquidem ipsi & Angelis ejus est præcipue paratus, primique adeo in illum conjicientur, *Matth.* XXV. 41. Sed per *imperium* seu robur, κράτος θανάτου, Hebraïca phrasi, intelligitur imperium aut robur diaboli mortiferum; quia pro implacabili suo in homines odio totus in eo est, ut ipsis mortem perniciemque afferat: Per ᾅδυ igitur πύλας, quæ θανάτου quoque πύλαι vocantur, mortis seu sepulcri portæ intelliguntur, ut ex variorum locorum, in quibus phrasis ista apud LXX interpretes occurrit, collatione apparet. Vide inter alia *Psal.* IX. 14. ὁ ὑψῶν με ἐκ τῶν πυλῶν τοῦ θανάτου: & CVI. seu CVII. 18. καὶ ἤγγισαν ἕως τῶν πυλῶν θανάτου: *Job.* XXXVIII. 17. ἀνοίγονται δέ σοι φόβῳ πύλαι θανάτου, πυλωροὶ δὲ ᾅδου ἰδόντες σε ἔπτηξαν: *Esa.* XXXVIII. v. 10. περιλείψομαι ἐν πύλαις ᾅδου, *Sapient.* XVI. 13. καὶ κατάγεις εἰς πύλας ᾅδου καὶ ἀνάγεις, ubi hoc, quem dico, sensu sine controversia accipitur. Item apud Homerum Odyss. ξ.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

Id est:

Odi illum sicut inferni portas,
Qui aliud corde premit, quam ore promit.

Cum ergo Christus dicit, *inferi portas adversus Ecclesiam suam non prævalituras*, significare vult, mortem in vere fideles, qui soli proprie, ut supra ostendimus, Ecclesiam ejus constituunt, in tantum non prævalituram, ut ab ea absorpti maneant, id est, ut æternæ & nunquam finiendæ morti sint obnoxii; sed se illos potentia à Patre accepta ultimo die ad vitam immortalem suscitaturum, *Joan.* VI. 40. Quare nullum verba ista Ecclesiæ repræsentantis privilegium continent; in qua multi semper fuerunt impii,

qui

qui vita ista beatâ quam Christus nobis peperit nunquam fruentur, sed in ignem æternum abjicientur. Et si quod illis cuipiam Christianorum cœtui privilegium promittatur, id etiam ad Ecclesias particulares pertinere oportebit; cum nullum hic indicium appareat Christum de Ecclesia Catholica tantum loqui, & verba ejus tam commode de illis quam de hac intelligi possint. Unde si ex illis Ecclesiarum particularium ab errandi periculo immunitas non bene infertur, neque Catholicæ inferri potest. Denique etiamsi concederetur Pontificiis, hic significari Diabolum nec vi nec dolis suis ullos unquam in Ecclesiam Catholicam errores introducere posse, inde tamen non sequeretur illam esse ἀναμάρτητον. Nam omnes errores non habent originem à diabolo, sed plurimi ab humana ignorantia & infirmitate, quibus proinde implicari possunt homines, absque ulla Satanæ tentatione. Verum quidem est, inimicum illum hominem, id est diabolum, hominibus dormientibus solere zizania seminare in agro Domini, ut docet Christus in parabola *Matth.* XIII. 24. &c. Sed non raro etiam ipsi Jesu servi, sine impulsu diaboli, pro vanitate sua fœnum & stipulam, loco auri & argenti gemmarumque super fundamentum ædificant, I *Cor.* III. 12. Et licet Satana instigante id facerent, non tamen adhuc prævaluisset Ecclesiæ, quamdiu verum salutis fundamentum immotum retineretur; cum ejusmodi leviores errores salutem non adimant.

VII. *Tertio* dicunt Pontificii, Christum promisisse Ecclesiæ suæ, *se illi adfuturum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, *Matth.* XXVIII. *v. ult.* Cum ejusmodi autem particulari assistentia errores, qui potius à divina desertione proveniant, obtinere non posse. Resp. Hoc loco nihil promitti Ecclesiæ, sed Apostolis, ut omnes narrationis circumstantiæ ostendunt. Excipiunt, ulterius quam ad Apostolos verba ista necessario extendi debere, nempe ad omnes ipsorum successores; quia mentio in illis fit *consummationis sæculi*, id est finis mundi, ad quem Apostoli non pervenerunt. Sed quod volunt inde non sequitur. Sensus enim est, Christum Apostolis perpetuo affuturum, donec ministerii sui cursum absolvissent, etiamsi contingeret eos ad finem usque mundi pervenire; ut de Joanne inter discipulos sermo percrebuit, *Joan.* XXI. 23. Illis enim temporibus finem sæculi tanquam valde propinquum expectabant. Unde illa Pauli, *Nos qui vivimus & residui erimus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormiunt*, I *Thess.* IV. *v.* 15. Qua de causa Timotheum hortatur, ut *servet mandatum, & sine macula, atque irreprehensibilem se gerat usque in adventum Domini nostri Jesu Christi*, I *Tim.* VI. 14. Nec potest hæc de Christi assistentia promissio ad Apostolorum successores pertinere: 1. Quia Apostoli nullos in munere suo successores habuerunt. Apostolatus enim functio erat plane extraordinaria, & privilegia quædam habebat, quæ in alios transmitti non poterant: Verbi gratia, quod primi essent Euangelii inter gentes præcones, immediate à Christo missi, miraculorum dono ita pollerent, ut opera ipsis Christi operibus majora facerent, *Joan.* XIV. 12. & tanta divini Spiritus copia forent instructi, ut ab omni errandi periculo essent immunes, ac proinde non minor ipsorum quam Christi verbis fides adhiberi deberet. 2. Posito Apostolos successores aliquos reliquisse, non sequetur inde ipsorum infallibilitas. Nam isti successores vel erant illi tantum qui docuerunt in Ecclesiis ab Apostolis plantatis, & ubi extremum suum diem obierunt; vel in universum omnes Euangelii ministri. Ut primo sensu successores dicantur, nulla ratio est. Nam cum Apostolicum munus nulli particulari loco esset alligatum, non videntur privilegiorum suorum hæredes potius constituere voluisse illos qui hic, quam qui alibi verbum Dei annunciaturi essent. Si quis aliter sentiat, proferat testamenti tabulas, & adstipulabimur. Sed fac ita se rem habere, ne sic quidem Pontificiorum causam quicquam juvabit, imo contra valde oberit. Non enim admittent omnes Pastores, qui iisdem in locis in quibus olim Apostoli docuerunt Euangelium prædicant, Apostolicæ auctoritatis esse hæredes. Non tribuent ἀναμαρτησίαν in fide Episcopo Hierosolymorum, in qua Jacobus prædicavit Euangelium & obiit. Non Epheso, in qua Joannes; non Patrarum in Achaja, in qua Andreas; non Hierapoli in Phrygia, in qua Philippus, & ita de cæteris. Quid ergo? Petrine successor tantum Apostolicæ infallibilitatis hæres erit? Atqui ista Christi promissio est universalis, & nullus in eam majus alio jus sibi vendicare potest. Secundus sensus est multo verisimilior, ut si aliqui Apostolis successores tribuantur, illi omnes hac dignitate polleant, qui ad Euangelium prædicandum vocati sunt. Sed Pontificii omnes istos in Apostolicæ auctoritatis consortium nunquam admittent. Forte enim prætendent se non singulis illorum seorsim, sed conjunctim omnibus infallibilitatem Apostolicam tribuere. Atqui, inquam ego, Christus non tantum omnibus conjunctim Apostolis promittit se illis adfuturum, sed etiam seorsim singulis. Si quod ergo hinc Euangelii ministrorum privilegium elicitur, ad singulos sine exceptione pertinebit. Sed præterea notandum est, ex Christi assistentia errandi in fide immunitatem certo concludi non posse. Nam etiam promittit, ubi duo aut tres fuerint in nomine suo congregati, se ibi in medio eorum futurum, *Matth.* XVIII. *v.* 20. Unde sequeretur, non errandi privilegium non tantum Ecclesiæ Catholicæ aut Conciliis Oecumenicis competere, sed etiam particularibus Ecclesiis & Conciliis provincialibus; imo duobus aut tribus privatis seu laïcis Christianis. Siquidem hi non minus quam illi in Christi nomine congregati esse possunt, ac secundum

cundum dictam promissionem Christum in medio sui habere. Quod tamen Pontificii nunquam concedent. Si quis igitur illam ad finem usque mundi extendi velit, cum aliqua conditione accipienda est: Nimirum Christum in medio piorum sui cultorum futurum. Neque enim operariis iniquitatis adest, quantumvis in nomine ipsius prophetent aut etiam miracula edant, cum se eos nunquam novisse profiteatur, *Matth.* VII. 22. 23. Denique, etiamsi Christus fidelium & Dei timentium cœtibus Spiritu suo intersit, non tamen eos ab omnibus prorsus etiam levissimis erroribus immunes præstat, sed tantum à perniciosis, qui saluti ipsorum obesse possint. Alioqui dicendum esset, illos non esse Christi, & ad ejus Ecclesiam non pertinere, qui vel minimo errore essent impliciti. Quod absit.

VIII. *Quarto* citant celebrem illum ex *Matth.* XVIII. 17. locum, *Dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Unde non tantum concludunt, Ecclesiam Catholicam errare non posse in fide, sed etiam ipsam fore perpetuo visibilem, & potestatem habere leges condendi quæ in conscientia obligent. Quæ ut solide simul & semel refutemus, altius nobis res tota resumenda est. Dicit ergo Christus, *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Ubi primum observandum est, Christum hic omnes suos discipulos generatim alloqui, non Apostolos privatim. Nam quamvis præcedentia ipsis solis dicta videri possent, occasione quæstionis ab iis propositæ, tamen responsio Christi generalis est, & ad omnes, qui ipsum pro Magistro agnoscunt, pertinet; ut non tantum ex natura præcepti, quod ad omnium sine status aut muneris discrimine institutionem datum est, constare potest; sed etiam ex forma orationis singulari. Nam ubi Apostolis solis leges præscribit, solet eos in plurali numero alloqui: hic vero singulari utitur, ut singuli qui ista audiunt aut legunt tanquam sibi dicta accipiant. Unde apparet, nihil hinc posse colligi quod spectet peculiariter munus Postorum, aut eorum qui se Apostolorum successores esse dicunt; quomodo nimirum se gerere debeant in gubernatione Ecclesiæ quæ ipsis commissa est. Nisi quod in ejusmodi rebus, sicut & in aliis omnibus, se debeant gerere ut exemplaria gregis in fide & charitate. Sed quid sibi vult hæc phrasis *In te*, Si peccaverit in te frater tuus? Sunt qui putent idem significare, ac si Christus dixisset, Te conscio, vel te animadvertente; ita ut peccato illo quod ad tuam notitiam pervenit sis offensus, licet adversus te privatim non sit commissum. Sed non est verisimile Christum hoc voluisse: quia jubet ut si frater reprehensus audire noluerit, id est admonitioni parere, assumantur duo aut tres testes. Nam cui fini advocare testes in peccato occulto? Tu affirmabis factum; ille negabit. Utri vestrum potius credetur? Certe hæc non est apta ad peccatorem lucrifaciendum via. Nec sperandum est eum, qui privatim de peccato occulto monitus, emendare se noluit, id potius facturum si factum ad plures deferatur. Ne dicam illum adversus charitatem & prudentiam peccare, qui propalat peccata sibi soli cognita, & quorum fratrem idoneis probationibus convincere non potest. Qua de causa Judices ipsi aliquando reos impunitos dimittunt, quos sciunt esse nocentes, cum desunt ipsis testes aut argumenta quibus eos legitime convincant. Præterea phrasis *In te*, vix ejusmodi expositionem admittit. Dicit quidem David *Psal.* LI. 6. *Tibi soli peccavi & malum coram te feci.* Sed his verbis non significat, se Deo solo conscio peccavisse. Mentitus enim fuisset. Nam etiamsi forte ad populum nondum dimanasset peccatum Davidis, tamen Joabo & aliis ministris, quibus in committendo adulterio & cæde Uriæ usus fuit, incognitum non erat. Cur ergo dicit, *Tibi soli peccavi*, cum constet eum vel maxime adversus Uriam peccasse? Respondeo, id ipsum facere ad exaggerandum scelus suum. Nam cum sine controversia majora sint peccata quæ adversus Deum, quam quæ contra homines perpetrantur, ostendere vult his verbis David, se multo gravius adversus Deum, cujus legem violaverat, quam contra Uriam peccavisse: ita ut quodammodo dici posset isto facto Deum solum & immediate fuisse offensum. Hoc ergo exemplo non potest probari, in fratrem peccare, idem esse atque conscio illo peccare. Quare restat, ut de peccato proprie adversus ipsum perpetrato, & quod ipsi damnum aliquod attulit, accipiatur. Id quod evincit collatio loci huic paralleli *Luc.* XVII. *v.* 3. *Si peccaverit in te frater tuus increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi*, &c. Nam cum nullius hominis sit remittere peccatum adversus alium quempiam, sive is Deus sit, sive homo, commissum, apparet illud, *Si peccaverit in te*, intelligi debere de peccato quo is quem Christus alloquitur, læsus fuit. Et clarius adhuc ex interrogatione Petri eique subjuncta Christi responsione, eodem *Matth.* XVIII. *cap. Domine, Quoties in me peccavit frater meus, & dimittam ei, usque septies? Dicit illi Jesus, Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies, v.* 21. 22. Nam hic de privatis offensis agi nemini est dubium; in quarum remissione difficiles vulgo solemus nos ostendere, præsertim cum frequentius recurrunt. Unde ulterius sequitur; illud, *Si peccaverit frater tuus in te*, non debere trahi ad hæreses, aut peccata adversus fidem, quibus Deus immediate offenditur, cum ea præter Deum nemo possit condonare. Similiter nec de peccatis contra Ecclesiam posse intelligi; nam cum postea dicit, *Dic Ecclesiæ*, sensus foret, Tu Ecclesia dic Ecclesiæ, id est tibi ipsi, quod absurdum est. Proinde totus iste locus nihil facit

ad controversiam de Ecclesiæ infallibilitate in materiis fidei; cum de peccatis tantum morum agat, & quæ privati adversus privatos committere solent. Scopus enim Christi est discipulos suos adhortari ad moderationem in injuriis adversus se à fratribus admissis corrigendis, ne impatientia abrepti indignum aliquid vocatione sua faciant. Itaque certos quosdam gradus præscribit ipsis observandos, antequam fraternitati eorum à quibus læsi sunt renuncient. Ulterius tamen extendi posse Christi monitum non negaverim: sed tunc ex ipsius scopo argumentatio non ducetur, & probabilem potius quam necessariam consequentiam pariet, ut ex sequentibus apparebit.

IX. Nunc expendenda verba, *Dic Ecclesiæ*, (nam cætera quæ interjecta sunt ad propositum nostrum nihil faciunt.) Ubi primo quæri potest, utrum illud *Dic* vim præcepti habeat, an vero permissionis tantum. Etsi enim imperandi modo sit propositum, aliter tamen accipi posse ex multis similibus exemplis constat, quæ passim in Scriptura occurrunt; qualia sunt, *Ex omni arbore Paradisi comede*, *Gen.* II. 16. *Omne quod in macello venit manducate*, 1 *Cor.* X. 24. ubi nemo non videt, verbis imperativi modi permissionem solam designari. Sicut & in præcepto de dando libello repudii uxori in qua aliquid displiceret, *Deuter.* XXIV. 1. *Matth.* XIX. 7. Et de non fœnerando fratri suo sed alieno, *Deut.* XXIII. *v.* 19. Item, *sex diebus in hebdomade operaberis & facies omne opus tuum*, in Decalogo. Item in eo, quod respondit Deus Dæmoni pollicenti se fore spiritum mendacem in ore omnium Prophetarum Achabi, ut caderet in Ramoth-Galaad quam obsidere cogitabat, *Egredere & fac ita*, 1 *Reg.* XXII. 21. 22. Et quod Christus Jesus dixit Judæ proditori, *Quod facis fac cito*, *Joan.* XIII. *v.* 27. Ista enim non possunt esse proprie dicta mandata, cum de malo agant, quod Deus nunquam jubet, sed vetat & abominatur, licet interdum justis de causis id permittat. Ut ergo sciamus an hæc Christi verba, *Dic Ecclesiæ*, contineant præceptum, an nudam permissionem, animadvertendum est duplicem posse esse scopum illius qui accepta à fratre injuria eum ad Ecclesiam defert, postquam privatas admonitiones contempsit, usque morem gerere recusavit: Vel enim hoc spectat tantum ut frater Ecclesiæ auctoritate impulsus, damnum sibi illatum resarciat: Vel nulla aut exigua istius damni ratione habita, hoc sibi potius proponit, ut fratrem ad culpæ-agnitionem adducat, & sic eum salvum faciat; sciens eum *qui averterit peccatorem ab errore viæ suæ, servaturum animam à morte, & obtecturum multitudinem peccatorum*, *Jacob.* V. *v. ult.* Si posteriorem hunc finem intendat, eumque nulla alia se posse assequi ratione putet quam fratrem ad Ecclesiam deferendo, illud *Dic Ecclesiæ*, proculdubio in tali casu erit præceptum. Omni enim modo & quantum in nobis est allaborare debemus, ut fratrem à via salutis aberrantem in rectam viam reducamus, & animam ejus à perditione æterna liberemus. Sed si læsus nihil aliud per Ecclesiam obtinere intendit aut sperat, nisi damni accepti compensationem, & vel, ut sæpe fit, de salute fratris non cogitet, vel saltem ipsi alia ratione prospici posse putet; tunc ista verba *Dic Ecclesiæ*, erunt potius ipsi instar concessionis aut indulgentiæ quam præcepti; poteritque hanc viam ad recuperandum sua pro arbitratu inire vel relinquere. Unicuique enim quantum vult de jure suo remittere licet. Imo aliquando id fieri expedit, ubi spes est moderatione & patientia, beneficiisve fratrem qui injuria affecit potius lucrifactum iri, quam rigida juris sui persecutione; secundum illud Apostoli, *Si esurit inimicus tuus ciba eum, si sitit da ei potum: hoc enim si feceris carbones ignis acervabis in caput ejus*, *Rom.* XII. 20. id est, mollies ejus animum, ut caro igne mollitur, & ad resipiscentiam adduces. Quonam autem hic spectarit Christus, facile dici non potest; utrum nimirum hanc fratris peccantis delationem ad Ecclesiam præceperit tanquam medium ad ipsius emendationem faciens, an vero concesserit tantum in gratiam offensi, ne impatientia abductus quicquam contra charitatem faciat. Saltem certum est in postrema hac interpretatione non minorem esse verisimilitudinem, quam in prima, & ulterius hæc Christi verba, *Dic Ecclesiæ*, neminem obligare posse, quam quatenus omnibus circumstantiis prudenter expensis, judicat se istam viam ad fratrem peccantem corrigendum inire debere.

X. Postea videndum quænam sit *Ecclesia* ad quam Christus amandat. Ubi tres diversas expositiones reperio. Prima est Thomæ Erasti in disputatione sua adversus excommunicationem, qui de Magistratu interpretatur, dicens: « Propositum Christi non fuit in hoc capite novam « gubernationem, aut exercendæ excommunica- « tionis formam instituere, sed discipulos erudi- « re, quomodo in depellendis privatis injuriis of- « fensionem caverent. Quoniam enim qui jus « suum mox persequuntur apud Magistratum « (præsertim Gentilem & profanum, quali tum « suberant Judæi) sæpenumero infirmos offen- « dunt, primum eos hortatur, ut condonent « potius injurias, quam in qualibet causa ad Ma- « gistratum accurrant. Hac in parte nihil aliud « facit, quam quod mandatum Mosis *Levit.* XIX. « *v.* 17. 18. (quod *Syracides cap.* itidem XIX. « *v.* 19. &c. fusius repetivit) in memoriam re- « vocat, *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super ipso peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ego Dominus.* Deinde præcipit, si forte ad magistratum « deferre causam cogantur, ne fratres suos Judæos « apud Romanos accusent, priusquam proprii « Magistratus auxilium frustra imploraverint: si «

modo

„ modo scandalum evitare velint. Præceptum si-
„ mile tradit Corinthiis Apostolus in 1 *ad Cor.* VI.
„ (qui locus præsentis est velut expositio quæ-
„ dam) ne videl. temere inter se litigent Chri-
„ stiani apud Gentiles. Ergo genuinus hujus loci
„ & capitis sensus talis est: Cum frater, hoc est
„ Judæus, injuriam tibi facit, solus eum tibi re-
„ conciliare studeto. Si solus nihil profeceris, duo-
„ bus aut tribus aliis assumptis idem tentato. Si
„ ne sic quidem te liberare ab injuria poteris, Sy-
„ nedrio, id est, tui populi aut tuæ religionis
„ Magistratui indicato. Quod si hunc etiam au-
„ dire nolit, sic adversus eum citra cujusquam
„ offensionem agere poteris, quomodo adversus
„ publicanum aut Gentilem injuriam tibi inferen-
„ tem, (qui ad aliud quam Romanorum tribu-
„ nal se pertrahi non patiuntur) ageres. Hactenus
ille. Ad quæ respondeo, hanc interpretationem esse absurdissimam, in eaque totidem propemodum errata occurrere quot sententias. Sed singula examinare non est hujus loci. Tota uno ictu subverti potest, negando usquam vocem *Ecclesiæ*, sive apud Sacros, sive apud profanos scriptores, accipi pro Magistratuum cœtu aut conventu. Proferatur vel unicum exemplum & dabo manus. Contra semper usurpatur de cœtu populi à Rectoribus suis contradistincto. Nec refert quod Dominus Jesus non sit usus voce *Ecclesiæ*, utpote qui Syriace non Græce est locutus. Nam qui Matthæi Græcam editionem authenticam esse agnoscunt, fateri quoque debent Christi mentem ab ejus interprete non tantum fideliter, sed & vocibus idoneis & in propria atque usitata significatione acceptis esse expressam. Objicitur tamen *συναγωγῆς* appellationem, quæ *τῆς ἐκκλησίας* voci æquipollens est & synonyma, in aliquot Veteris Testamenti locis apud LXX interpretes, pro cœtu judicum accipi; ut *Psal.* LXXXI. vel LXXXII. *v.* 1. *ὁ Θεὸς ἔστη ἐν συναγωγῇ θεῶν.* Item *Numer.* XXXV. 12. ubi dicitur de eo qui per imprudentiam sanguinem fuderit, & abierit in unam ex urbibus quæ ad fugitivorum subsidia separandæ erant, non fore in potestate cognatorum occisi eum interimere, *ἕως ἂν στῇ ἔναντι τῆς συναγωγῆς εἰς κρίσιν*, id est, *donec steterit coram Synagoga ad judicium*; & similiter *v.* 24. & 25. ejusdem capitis. Sed respondeo 1. In illis locis non adhiberi in Hebraico textu vocem קהל, quæ proprie voci *Ecclesiæ* respondet, sed עדה quæ per vocem *Synagogæ* reddi solet; & has voces non esse plane synonymas, sed in tantum differre, ut illa de solo populi cœtu accipiatur, hæc vero ad conventum quoque judicum, qui Græcis *συνέδριον* dicitur, possit referri. 2. Tamen dico vix unquam absolute & simpliciter vocem עדה aut *τῆς συναγωγῆς* pro Magistratuum conventu usurpari, sed adjuncta tantum aliqua alia, quæ significationem generalem restringat ad specialem: ut in citato *Psalmi* LXXXII. loco, non simpliciter dicitur *Deus stetit in Synagoga*, sed *stetit in Synagoga Deorum*, id est, judicum. Apud Matthæum autem Christus simpliciter dicit, *Dic Ecclesiæ*, nihilque occurrit in toto illo sermone, quod ostendat de alia quam populi Ecclesia verba ista esse accipienda. Et quod ad loca *Numer.* XXXV. merito dubitari posse an ista vox ibi de cœtu judicum sit accipienda. Saltem ita intellecta non fuit à vulgato interprete Latino, qui *v.* 12. eam reddit per vocem *Multitudinis*, & *v.* 24. per vocem *Populi*. Sed qui contra sentiunt, instant hic agi de judicio cædis, quod non erat populi sed Magistratuum. Ad quod respondeo, ex hoc loco & aliis quibusdam apparere, populum judiciis capitalibus interfuisse; eaque ipso non tantum conscio, sed etiam approbante peragi debuisse, & ab eo executioni mandari. Sed demus *Synagogæ* & *Ecclesiæ* voces pro cœtu judicum aliquando posse accipi, an inde sequetur, cum Christus dicit, *Dic Ecclesiæ*, illum Magistratum Christianum aut fidelem intelligere; Et cum addit, *Sit tibi velut Ethnicus & publicanus*, id de infideli Magistratu esse exponendum? Quibus fidiculis aliquis tandem ejusmodi sensum extundet? Et quis credet Christum tam excellentis patientiæ magistrum, ut velit eum qui in dextra maxilla cæsus est obvertere aliam, & ire duo millia cum illo qui ipsum angariaverit ad unum, & dimittere pallium illi qui velit cum ipso judicio contendere, & tunicam ab eo tollere, nunc quasi sui oblitum ad Magistratum remittere eum qui à suo fratre aliqua affectus est injuria? Non quod putem adversus Christi legem pugnare in gravioribus injuriis; & ubi non de nobis tantum agitur, sed etiam de uxoribus, liberis aut pupillis, quorum curam sine inhumanitate aut perfidia abjicere non possumus, ad Magistratus opem & præsidium quandoque confugere, ut fecit Paulus appellando ad Cæsarem; & insidias vitæ suæ structas tribuno Romano patefaciendo. Sed Christum ad id discipulos suos hortari voluisse, in quod plus æquo proni sunt homines & fræno potius quam calcari indigent, ab omni verisimilitudine alienum est. Ne jam dicam, eundem Paulum fidelissimum Magistri sui doctrinæ interpretem, tam graviter objurgare Corinthios, quod inter se litigarent apud iniquos & non apud sanctos; imo reprehendere eos qui ullo modo inter se judicio contendebant. *Jam omnino*, inquit, *delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* &c. 1 *Cor.* VI. Unde videre est, Erastum nihil solidi, aut quod alicujus sit ponderis attulisse, ad evertendum disciplinæ exercitium, quæ in hoc loco fundamentum suum præcipuum habet. Tantummodo in illius usu animadvertendum est (quod ipsum videtur male habuisse) ne adversus quoslibet in doctrina errores gladius iste spiritualis stringatur, & prætextu disciplinæ nova in Ecclesiam tyrannis invehatur. Secunda expositio est illorum, qui hic per *Ecclesiam*

Presbyterium, seu Ecclesiam, quam vocant, repræsentantem, intelligi volunt. Sed adversus illam objici potest, nusquam hoc sensu vocem istam usurpari. Nulla enim video ejusmodi significationis exempla adduci ex S. Literis, quæ aliquam veri speciem habeant, præter hoc unum. Instabunt, unicum apertum locum sufficere fulciendæ bonæ interpretationi, & talem istum esse; ubi Ecclesia non potest accipi pro cœtu populi; cum absurdum sit ipsi tribuere judicium de controversiis inter Christianos obortis, utpote qui nullo modo ad id sit idoneus; & hoc facere nihil aliud esse quam ὀχλοκρατίαν, id est confusionem pro legitimo regimine in Ecclesiam introducere. Sed respondeo, nihil esse hac in re absurdi, si per peccata, quæ ad Ecclesiam deferri jubentur, non intelligantur errores in fide aut intelligenta Scripturæ, quorum certum est promiscuam plebem non esse idoneum judicem; sed tantum peccata morum, conjuncta cum manifesta adversus proximum aut Deum injuria. Talia enim publice reprehendi jubet Apostolus, inquiens, *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*, 1 *Tim*. v. 20. Et id solitum usurpari ostendit illud ejusdem Pauli de incestuoso Corinthio loquentis, *Sufficit istiusmodi homini ista increpatio à pluribus profecta*, 2 *Cor*. II. 6. Ubi tamen observandum est, quamvis ista disciplina exerceretur in conspectu totius Ecclesiæ, imo etiam quodammodo à tota Ecclesia, nihilominus directionem illius fuisse penes Pastores seu Presbyterium, quod in illo Ecclesiæ conventu præsidebat; eaque ratione sufficienter fuisse cautum, ne qua confusio in domum Dei irreperet. Superest itaque tertia expositio, quæ vocem *Ecclesia* de particulari Christianorum cœtu, qui in aliquem locum convenire solent, intelligit. Hoc significatu passim illam in Sacris literis accipi solere initio ostendi. Quare ad defendendam hanc interpretationem, non est necesse, ut alii faciunt, vim inferre verbis, & ad novas inusitatasque ipsorum acceptiones confugere. Illa etiam est petita ex usu veteris Ecclesiæ Judaicæ, quæ in Synagogis suis minores lites inter populares suos obortas dirimere solebat. Qua de re vide H. Grotium docte & copiose disserentem Annotationibus suis in hunc locum.

XI. Unde colligimus, nihil illum facere ad ea probanda quæ inde Pontificii elicere solent. Nam 1. non ostendit Ecclesiam veram esse visibilem & perpetuo talem mansuram. Siquidem non tantum veri fideles, qui veram illam Ecclesiam, quæ Christi corpus & sponsa est, constituunt, possunt judicium ferre de manifestis peccatis & disciplinam exercere adversus eos qui illorum convicti sunt, sed quilibet etiam professione externa Christiani. Et Pontificii confitentur Ecclesias particulares, ad quas Christus hic à fratribus suis læsos amandat, à fide posse deficere, ac proinde inconspicuas fieri. Instant: Atqui absurdum est Christum nos remittere ad Ecclesiam quæ conspici non possit. Quis enim ejusmodi præcepto pareat? Respondeo, Etsi vera Ecclesia, quæ ex solis fidelibus & vivis Christi membris constat, invisibilis sit, ut supra est probatum; alio tamen sensu cœtus illos, qui veram Christi doctrinam profitentur, faciunt propter ejusmodi professionem veram Ecclesiam appellari, & quia nos ex judicio charitatis ipsos pro talibus habere debemus, quamdiu in maxima saltem parte contrarium non apparet. Ad illam autem Ecclesiam Christum non remittere, sed ad hanc, ipsamque quamdiu in ista professione perseverat satis idoneam esse ad controversias de rebus hujus vitæ, inter aliquos ex suis membris coortas, dirimendum: etiamsi omnes qui ipsam constituunt non sint veri fideles, sed illis multi hypocritæ sint admixti. Instabunt rursus: Fac ita rem se habere; tamen necesse est ut illa Ecclesia exsistat ad quam nos Christus remittit; cum absurdum sit nos remittere ad cœtum quem nusquam reperire sit. Proinde talis aliqua visibilis Ecclesia, quæ sanam Christi doctrinam incorrupte profiteatur, ad finem usque mundi est permansura. Resp. Si hæc Christi verba, *Dic Ecclesiæ*, ita possint exponi, ut permissionem contineant non præceptum, ea nihil factura pro adversariis. Atqui supra ostendi, illam expositionem si non omnino necessariam, saltem admodum verisimilem esse. Id autem sufficit ad solvendam illam instantiam: cum opponentis sit expositionis suæ necessitatem probare. Deinde, concesso hic esse verum præceptum, observandum erit illud esse affirmativum. Talis autem est natura præceptorum affirmativorum, ut etiamsi semper obligent, non tamen obligent ad semper, sed tantum quando occasio & facultas occurrit illa ad praxin deducendi. Ita quamvis præceptum sit ut pauperes eleemosynis sublevemus, tamen si aliquando vel nulli pauperes mihi sint cogniti qui ope mea indigeant, vel nihil habeam unde ipsis possim benefacere, eo tempore illud præceptum observare non tenebor. Similiter qui nullos parentes habet, ad illud præceptum, *Honora patrem tuum & matrem tuam*, observandum non obligatur. Idem autem quod ad Ecclesiam evenire posse, Pontificii, ut opinor, non diffitebuntur. Fac enim Christianos aliquot in insulam appulisse, quæ vel deserta sit vel ab Ethnicis incolatur, & dissidia inter ipsos oboriantur, quomodo poterunt illa Ecclesiæ dijudicanda offerre? Si dicant id facturos quando redierint inter Christianos: Respondebo, posse contingere, atque adeo sæpe contigisse navigantibus, ut omnis ad suos redeundi facultas ipsis deesset. Proinde in ejusmodi casu nullus erit istius præcepti observationi locus. Nec est ut quis excipiat, istud esse de raro contingentibus, quæ regulam generalem infringere non valeant. Nam agnoscunt ipsi, temporibus

ribus persecutionis Arianorum, aliquando ita obscuram & ad tam exiguum numerum fuisse redactam Ecclesiam Orthodoxam, ut difficilis admodum inventu esset: idemque dicunt eventurum sub Antichristo. Quod autem ipsi tanquam futurum expectant, alii jamdudum accidisse contendunt. Sed sive id acciderit, sive non, quandocunque fiet, Ecclesia adiri non poterit. Indeque apparet, mentem Christi non fuisse nos aliter ad hujus præcepti observationem obligare, quam quatenus id in nostra potestate erit, & à nobis commode fieri poterit.

XII. 2. Non probat hic locus, Ecclesiam in fide errare non posse. Agit enim de Ecclesia particulari, ut probatum est. Et è re ipsa id constat; cum non soleat adiri Ecclesia Catholica, aut Concilia Oecumenica convocari ad sopiendas lites inter Titium & Mævium obortas. Omnes autem Ecclesiæ particulares, fatentibus Pontificiis, errori sunt obnoxiæ. Et tamen si quis ex hoc loco contrarium probare vellet, nimirum nullam Ecclesiam particularem errare posse in fide, majori cum specie id faceret quam qui ad Catholicam trahunt. Aut enim nihil ad ejusmodi infallibilitatem pertinet, aut probat tantum primo & immediate illam Ecclesiis particularibus competere: ac proinde non nisi secundario & mediate Ecclesiæ Catholicæ adaptari posse, quatenus ex particularibus constat quæ hoc privilegio sunt donatæ. Pone ergo quempiam adversus Pontificios tueri hanc thesin, illas Ecclesias quas erroris arguunt neque de facto erravisse in fide, neque etiam potuisse errare; hoc argumento quod Christus nos ad Ecclesias particulares remittat, idque facturus non esset nisi forent ab omni errandi periculo immunes. Vellem admodum scire quid responsuri essent. Sed proculdubio aqua illis hæreret. Nobis vero non est difficile hunc nodum dissolvere. Dicimus enim hic non agi de controversiis fidei, in quarum decisione omnes Ecclesiæ particulares errare possunt; ac proinde universalis etiam quæ ex illis constat, nullaque in re nisi sola extensione differt: sed de dijudicatione alicujus injuriæ, vitæ præsentis negotia spectante, qua quispiam à fratre suo affectus fuerit. Quamvis enim hic quoque Ecclesia errare possit, atque adeo sæpe erret; ille tamen, qui ipsius judicio injuste damnatus est, potest in eo sine conscientiæ læsione acquiescere; imo etiam debet, cum multo satius sit injuriam pati, quam Ecclesiæ pacem turbare. Idem enim hic contingit quod in aliis judiciis mundanis, præsertim quæ à supremis curiis proficiscuntur. Etsi enim nemo dubitet quin errori sint obnoxia, tamen legibus sancitum est ut sint ἀνεύθυνα; adeo ut omnes illorum decisionibus se subjicere teneantur, etiam quando judices recti & æqui metas transilierunt: quia interest reipublicæ ne lites indecisæ maneant, & præstat judicia aliquando esse injusta quam nulla. Sicut tamen illis, qui ab inferiore judice læsi sunt, licet ad superiorem provocare: ita qui in alicujus particularis judicio injuria affecti sunt, ad plures in unum congregatas possunt appellare, siquidem ejusmodi conventus detur copia: alioqui in patientia animas suas possidere, & jus suum Deo justo judici commendare debent. Pergunt Pontificii & dicunt; Si Christus ejusmodi tribunal erexerit in Ecclesia ad decidendas minoris momenti lites inter fratres obortas, non esse verisimile illum voluisse relinquere Ecclesiam sine judicio aliquo publico, ad sopiendas fidei controversias; cum istæ sint multo majoris momenti aliis, in iisque de æterna animarum salute agatur. Quis enim est prudens paterfamilias, qui minimis suæ domus negotiis prospiciat, maxima omnium negligat, & uniuscujusque in illa arbitrio permittat? Sed respondeo ita quidem videri, verum ex hoc loco id non elici, sed ex alio fundamento deduci; ac proinde nos habere quod volumus, nimirum illos in istis Christi verbis nullum habere sententiæ suæ præsidium. Tantum enim inde colligitur, Si Christus hic præscripsit quomodo lites inter duos fratres obortæ dirimendæ sunt, verisimile esse illum id quod ad fidei controversias attinet non neglexisse. Monstretur ergo ex aliis locis quid illud sit, & nos regulam ab ipso præscriptam non inviti sequemur. Concedimus sane Deum non reliquisse nos destitutos mediis necessariis ad componendas fidei controversias. Sed illud medium non est Ecclesiæ aut Conciliorum infallibilis auctoritas, multo minus Pontificis Romani: Verum S. Scriptura, quæ nobis data est ut esset norma & tanquam lapis Lydius, ad quem exploraremus omnium dogmatum veritatem vel falsitatem. Indeque est quod Paulus vult nos omnia probare, & quod bonum est retinere, 1 *Thess.* v, v. 21. Et Joannes vetat nos omni spiritui credere, sed probare spiritus an ex Deo sint. Quod non superfluum tantum sed etiam periculosum esset, si loquentem aliquem judicem Deus instituisset, quem in rebus dubiis consulere possemus. Atqui, inquiunt, nihil est pronius privatis Christianis, præsertim simplicioribus, quam falli in ejusmodi examine; ut apparet ex eo, quod illi, qui istam viam insistere se profitentur, in tam diversas de religione sententias abeunt. Ita est: sed errores in quos incidunt non sunt adeo periculosi, atque illi qui publica auctoritate introducuntur ab iis qui se spiritum infallibilitatis habere jactant. Deus enim non permittit illos, qui veritatem ex animo quærunt, labi in necessariis: secundum illud Christi. *Si quis voluerit voluntatem Patris facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar*, *Joan.* VII. 17. ubi illud *cognoscet*, nihil aliud est quam poterit cognoscere, Deo piis ejus conatibus opitulante.

XIII. Sed, instant adhuc Pontificii, apparet Ecclesiam esse ἀναμάρτητον in fide, ex eo quod

omnes ipsius judicio stare teneantur, alioqui excommunicandi & Satanæ tradendi. Nam, inquit Christus, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Ubi non respondebo cum Erasto, illum qui Ecclesiam, id est Magistratum Christianum, audire recusaverit, posse in jus vocari coram Ethnico, seu alieno à religione Christiana, sicut Ethnici & publicani, qui Magistratum Judaicum agnoscere aut se ei subjicere nolebant, ad Romanum vocabantur. Hæc enim expositio est absurdissima, ut supra aliquot rationibus ostendi. Quibus nunc addo, illam non posse consistere, si Magistratus Christianus eandem auctoritatem habeat mandatis suis parere nolentes coërcendi, atque Ethnicus, ut hodie per totam Europam habet. Nam qui injuria fratrem affecerit & ad illum vocatus fuerit, sive velit sive nolit, acquiescere cogitur ejus judicio; ita ut qui læsus est non opus habeat de alio tribunali cogitare, ubi causa sua disceptetur. Ergo aliquem nobis esse instar Ethnici & publicani, nihil aliud est quam pro alieno à religione Christiana habere, vel saltem pro peccatore, cum quo ut cum fratre familiariter conversari illicitum sit; secundum illud Pauli, 1 *Cor.* v 9. *Si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumite.* Cui similia habentur, 2 *Thess.* III. v. 14. 15. Idemque evincitur ex immediate sequentibus Christi verbis, *Amen dico vobis, quæcunque ligareritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* In quibus redditur ratio, cur qui Ecclesiæ monita aspernatur, pro Ethnico & publicano sit habendus, nimirum quia Deus in cœlo eum quoque pro tali reputat, Ecclesiæque sententiam ratam habet. At si loco Ethnici & publicani habere, exponas vocare in jus apud Magistratum Ethnicum, nulla erit in verbis Christi cohærentia, sed erunt veluti scopæ dissolutæ: quod nemo sani judicii admiserit. Nec ullius est momenti quod in contrarium objicit Erastus, Publicanum posse esse virum bonum, & munus illud non magis esse illicitum quam Magistratus, cum sine illo nulla respublica consistere possit. Ideoque Joannem Baptistam quærentibus à se publicanis quid facturi essent ad effugiendum judicium Dei, non respondisse ut se abdicarent illo munere, sed tantum, ut nihil amplius quam quod constitutum erat exigerent, *Luc.* III. 12. 13. Imo nec Dominum Jesum quidquam tale Zachæo præcepisse, etiamsi abusus fuisset isto officio ad avaritiam, sed contentum fuisse ejus pœnitentia, & restitutione opum quas fraude acquisierat legitimis dominis, *Luc.* XIX. Nam quamvis ista vera sint, & à nobis libenter admittantur, nihil tamen ad rem faciunt. Christus enim hac loquendi formula, *sit tibi velut Ethnicus & publicanus*, cum vulgo usus est; & ejus quod plerumque fieri solebat potius rationem habuit, quam raro contingentis. Nemo autem est qui ignoret publicanos communiter male audiisse inter Judæos, sive quod ipsis invisum esset imperium Romanum, cujus publicani erant ministri, sive quod isti homines propter rapacitatem suam vulgo exosi essent. Qua de causa eos semper Christus in exemplum peccatorum & profanorum assumit. Vide exempli gr. *Matth.* v. 46. 47. & XXI 31. 32. *Luc.* XV. 1. & *seqq.* & XVIII. 9. & *seqq.* Mirum ergo videri non debet, si in isto quem præ manibus habemus loco concedit, ut illum qui monitis Ecclesiæ morem gerere recuset, instar publicani aut Ethnici habeamus, ad ostendendum familiare illius consortium, quale cum fratribus in Christo nobis intercedit, vitandum esse. Non tamen putandum est Dominum permittere, ut ejusmodi hominem odio habeamus, quemadmodum Judæi oderant Ethnicos & publicanos. Nihil minus. Paulus contrarium diserte præcipit, loco modo cito 2 *Thess.* III. 14. 15. *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hanc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* Sed talis disciplina adversus eum qui Ecclesiæ refractarius est exercetur, tum ut pudefiat, prout hic ab Apostolo dicitur, tum ne contagium peccati ipsius ad alia Ecclesiæ membra transeat, eaque inficiat, sicut modicum fermenti totam massam corrumpit, 1 *Cor.* v. 6. & *seqq.* tum denique ne nomen Domini & doctrina blasphemetur apud extraneos, si ii qui dissolutæ sunt vitæ impuniti relinquantur, ut innuitur 1 *Tim.* VI. 1. *Tit.* II. 5. & 8. Ergo illius bono qui peccavit, siquidem adhuc sanabilis sit, vitatur ejus consortium. Sed an à nobis hodie Satanæ tradi aut possint aut debeant peccatores, merito dubitatur. Id quidem legimus à Paulo factum erga incestuosum, 1 *Corinth.* v. 5. & Hymeneum atque Alexandrum 1 *Tim.* I. 20. Sed alia ratio fuit Pauli & Ecclesiæ illius temporis, alia nostri. Tunc vigebat donum miraculorum, & Apostoli auctoritate divina erant armati, ad pœnis subjiciendos illos qui proterve se erga Euangelium gerebant. Eaque usus est Paulus non tantum adversus istos, sed etiam adversus Elymam magum, quem cæcitate percussit, *Act.* XIII. 6. & *seqq.* & Petrus adversus Ananiam & ejus uxorem Sapphiram, qui ad illius vocem mortui in terram ceciderunt, *Act.* v. Videntur ergo Apostoli illos quos Satanæ tradiderunt, impuro isti spiritui velut tortori ad tempus cruciandos & affligendos permisisse, non in eum finem ut æternum perirent, sed *ad interitum carnis*, seu veteris hominis mortificationem, *ut spiritus salvus esset in die Domini nostri Jesu Christi*, 1 *Cor.* v. 5. & *ut discerent non blasphemare*, 1 *Tim.* I. 20. Qua ratione Deus olim, non ad pœnam, sed ad probationem fidei & patientiæ, Jobum Satanæ affligendum concesserat; nec non etiam Saulem regem videtur eadem ratione puniviffe, de quo legimus

legimus spiritum nequam à Domino eum exagitasse, 1 *Sam.* XVI. 14. Sed cum hodie nemo potestate hac sit præditus, neque etiam quemquam Satanæ tradere liceat. Traditio enim illa pro fine non posset habere afflictionem aliquam corpoream, quæ in manu nostra non est; æternam autem animæ ejus qui traditus esset perditionem intendere, res charitati plane inimica foret. Quare si quis ex corpore Ecclesiæ, propter vitæ impuritatem, tanquam membrum putridum rescecandus est, præstat omnino ea formula tradendi Satanæ abstinere, quam uti; ne aut contra charitatem peccare, aut id quod in potestate nostra non est facere velle videamur. Præterea sciendum est aliter Ecclesiam, aliter privatos erga manifestarios peccatores gerere se debere. Illa enim cum auctoritate ipsos à corpore suo segregat; his vero sufficit si ipsorum consortium vitent. Christus autem de privatorum potius quam de Ecclesiæ officio hic agere videtur; cum non dicat, Qui Ecclesiam non audierit, sit Ecclesiæ Ethnicus & publicanus, sed, *sit tibi*, nimirum qui injuria ab eo es affectus. Nunc ut propius Pontificiorum argumentum expendam, dico aut inde concludi nullas particulares Ecclesias in fide errare posse, aut ad rem nihil facere. Quandoquidem enim Christus, ut supra probatum est, de solis particularibus Ecclesiis loquitur, istud, si quod sit, non errandi privilegium primo & per se iis competere debet. Sed illud nolunt Pontificii, & recte. Cum enim Ecclesiæ duæ particulares contraria dogmata tuentur, verbi gratia Romana & Genevensis, alterutram errare necesse est. Ergo oportet ut admittant istum locum pro Ecclesiæ infallibilitate nihil facere. Atqui, inquiunt, absurdum est Christum sub excommunicationis, imo & exclusionis à regno cœlorum pœna, præcipere ut erroneo judicio pareamus. Ita est, si de dogmatis fidei ad salutem creditu vel factu necessariis loqueretur. Juberet enim sub pœna æternæ salutis amittendæ, actionem ex qua sequeretur illius salutis amissio. quod seipsum evertit & plane ἄτοπον est. Sed antea evici, locum istum esse intelligendum de controversiis, quæ inter privatos oriuntur propter hujus vitæ negotia. Quin autem sine absurditate præcipi possit, ut nos in ejusmodi rebus erroneo, aut saltem fallibili, judicio subjiciamus, nullum est dubium. Eadem enim hac in re est ratio Ecclesiæ & aliorum omnium tribunalium mundanorum. Graves autem pœnæ sunt constitutæ adversus illos, qui supremarum curiarum decretis, quæ fallibilia esse omnes confitentur, parere nolunt. Idemque olim obtinebat sub lege Mosaica, ut videre est *Deuter.* XVII. 8. *& seqq.* ubi privatis præcipitur, ut faciant quodcunque dixerint judices, & ab eorum sententia nec ad dextram nec ad sinistram declinent: mortisque pœna statuitur adversus eum, qui sacerdotis imperio obedire noluerit. Quem locum Pontificii male trahunt ad controversias fidei, cum ibi agatur tantum de judicio inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram. In talibus autem rebus illæsa conscientia iniquo judicio parere possumus, cum præstet multo injuriam, quantumvis gravem, pati, quam turbas in republica concitare. Quanto ergo magis pacis amore nos convenit Ecclesiæ judicio acquiescere, unde nullum aut perexiguum damnum est metuendum? Et quis dubitet eum, qui hac in re non tam Ecclesiæ, quam Christo hujus ordinis auctori, immorigerum se præbet, merito pro Ethnico & publicano haberi, & à regno cœlorum excludi? In summa, si attendatur ad hæc duo, Christum agere de litibus inter privatos obortis propter hujus vitæ negotia, & de Ecclesiis particularibus quarum illi membra sunt, omnes quos Pontificii magno molimine ex hoc loco nodos nectunt, nullo negotio dissolventur.

XIV. *Quinto* objiciunt, Christum esse Ecclesiæ caput & sponsum, qui eam tanquam suum corpus & sponsam perpetuo Spiritu suo gubernet, & in omnem veritatem ducat, quemadmodum ei promittit *Joan.* XVI. 13. Arctissimam autem istam unionem, quæ inter Christum & Ecclesiam est, non permittere ut ea in fidei aut vitæ dogmatibus erret; alioqui errores isti essent tribuendi Christo & ejus Spiritui à quibus regitur. *Resp.* Christum esse tantum caput & sponsum Ecclesiæ verorum fidelium, non vero omnium fidem ipsius quoquomodo profitentium, ut supra probatum est. Concedimusque ipsum veros fideles, quatenus & quamdiu tales sunt, ab omni pernicioso errore, cum quo salus æterna consistere non potest, immunes præstare. Ex iis autem solis constat illa Ecclesia, adversus quam inferorum portæ prævalituræ non sunt. Ac proinde hinc potius probaretur, parvam aliquam Ecclesiam particularem, quam ex paucis veris fidelibus solum aliquando componi nihil vetat, esse infallibilem, quam magnum quempiam Christianorum cœtum, nedum Catholicam fidem profitentium Ecclesiam, in qua semper piis admixti sunt hypocritæ. Istud autem Pontificiorum sententiæ adversatur. Deinde quod attinet ad Spiritus Sancti promissum, qui deducat in omnem veritatem, illud solis Apostolis factum est, ut ex inspectione loci apparet. Et, si ad alios extendi possit, saltem ad mundanos homines non debet, de quibus dicitur, eos *non posse Spiritum veritatis accipere*, *Joan.* XIV. 17. Ex illis autem magnam partem constat externa Ecclesia. Quare falso de perpetua illa Spiritus Sancti assistentia gloriatur; nec inde probare ulla verisimilitudine potest, sua decreta esse Spiritus Sancti decreta.

XV. *Sexto* objiciunt, Ecclesiam in Symbolo Apostolico *sanctam* appellari. hanc autem sanctitatem in professione dogmatum potissimum consistere. Quare Christianam professionem nihil

nihil nisi sanctum continere, hoc est, nihil nisi verum quod ad fidei doctrinam, & nihil nisi justum quod ad præcepta morum. Unde sequitur, ut quicquid Ecclesia tanquam certum fidei vel vitæ dogma constanter amplectitur, in eo ipsa errare non possit. Resp. Ecclesiam, quæ vocatur sancta, non esse proprie externam & visibilem, sed internam & invisibilem, quæ ex solis veris fidelibus constat. Et, si quando visibilis ita appelletur, tunc denominatio fit à meliore & præstantiore illius parte. Pone etiam ita appellari à doctrinæ Euangelicæ professione, quæ vere sancta est, utpote à Deo profecta; tamen eo nomine venire non possunt dogmata quæ nullum in Scripturis fundamentum habent: aut saltem id ita certum non est, ut inde concludi debeat, Ecclesiam quæ illa profitetur esse sanctam. Deinde absurdum est, & contra Scripturæ usum, sanctitatem in cognitione collocare, quæ potius in vita & moribus legi divinæ conformibus consistit. Sic enim improbi illi, qui se in nomine Christi prophetasse jactabunt, possent dici sancti; quos tamen à se rejecturus est. Sed cur sanctitatem Ecclesiæ in cognitione ponant Pontificii, non est obscurum; nimirum, quia sibi conscii sunt suam esse moribus corruptissimis. Adde quod illi, qui vere sancti sunt & pii, non carent omni prorsus peccato. *In multis enim labimur omnes*, ut inquit *Jacob. cap.* III. etsi non iis quæ ad salutem prorsus sunt necessaria. Itaque non continuo pro vero aut sancto amplectendum est, quidquid illi credunt aut faciunt, cum in eo possint errare per ignorantiam aut infirmitatem.

XVI. *Septimo* ita argumentantur: Si Ecclesia errandi periculo esset obnoxia, tunc multa fidei dogmata essent prorsus incerta ac dubia, utpote quæ Ecclesiæ auctoritate vel sola, vel saltem præcipue nituntur; verbi gratia, quænam Scripturæ sint Canonicæ. Resp. Nos libentissime admittere, omnia illa dogmata, quæ in Ecclesiæ auctoritate vel unicum vel præcipuum suum fundamentum habent, prorsus esse dubia atque incerta; ideoque optaremus ut nemo iis, tanquam necessariis, fidem & conscientiam suam alligaret. Id enim non fit sine periculo, & Scripturam imperfectionis arguit; de qua tamen dicitur, eam *nos posse sapientes reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu*, 2 *Tim.* III. 15. Deinde quod ad Scripturæ Canonem attinet, etsi res magni sit momenti, scire qui libri eo pertineant, & qui non; tamen non est prorsus necessarium. Quod enim tale est, semper & omnibus tale est. At antequam scripta Prophetica & Apostolica relata essent in Canonem, non erat necessarium credere illa ad Canonem pertinere. Imo indubium est, quin etiamnum hodie multi simplices Christiani salventur per veram in Christum fidem, qui ignorant quid sit Canon, aut qui libri sint Canonici, qui vero apocryphi. Sufficit enim ad salutem, doctrinam libris Sacris contentam amplecti & observare: nec est necesse scire exacte ubi contineatur, multoque minus omnes nodos posse solvere qui circa horum vel illorum auctoritatem nectuntur. Itaque qui nullos alios libros aut doctrinam novisset, præter Euangelicam historiam, posset nihilominus per illorum fidem servari, cum Joannes dicat, illa esse *scripta ut credamus Jesum esse Christum filium Dei, & ut credentes vitam habeamus in nomine ejus, cap.* XX. *v.* 31. Postremo falsum est, nos ex sola Ecclesiæ auctoritate habere quis sit Scripturarum Canon: imo nulla ad id Ecclesiæ auctoritas prorsus requiritur. Nec enim ideo credimus hunc librum esse Matthæi, illum Petri aut Joannis, &c. quia Ecclesia pronunciat istud esse credendum: sed quia veteres, qui id recte sciverunt, communi consensu id tradunt. Adeo ut propter infidelium aliquot testimonium, sed cætera virorum proborum & qui Apostolorum manum probe novissent, ipsos librorum qui iis tribuuntur vere esse auctores, potius crediturus essem, quam toti Concilio Tridentino, aut alicui ejusmodi cœtui eorum, qui diu post tempora Apostolica vixerunt.

CAPUT V.

An Ecclesia possit deficere.

I. *Status controversiæ.* II. *Dependet hæc à præcedente.* III. *Ecclesia Catholica deficere potest, 1. Quia omnes particulares deficere possunt.* IV. 2. *Quia ante tempora Christi sæpe nulla visibilis exstitit Ecclesia.* V. 3. *Quia à Spiritu S. prædictum est Ecclesiam defecturam.* VI. 4. *Quia singuli fideles deficere possunt.* VII. *Respondetur ad argumenta Pontificiorum.* 1. *Quod Christus dederit Apostolos, &c. ad consummationem sanctorum, &c. Ephes.* 4. VIII. 2. *Quod Ecclesia comparetur arcæ, sagenæ, &c.* IX. 3. *Quod in Veteri Testamento continua ejus duratio promittatur.* X. 4. *Quod regnum Christi promittatur fore æternum.* XI. *Occurritur tribus aliis ratiunculis Pontificiorum.*

I. HActenus de infallibilitate Ecclesiæ, sequitur ut etiam aliquid dicamus de ejus indefectibilitate, hoc est, explicemus, An vera Ecclesia nunquam possit à veræ fidei professione deficere, atque ita obscurari ut amplius conspici nequeat. Ad quod bene intelligendum, id quod supra docuimus, de distinctione Ecclesiæ in visibilem & invisibilem, memoria repetendum est. Hic enim non disputatur de Ecclesia invisibili, seu vere credentium cœtu, qui soli Deo & Christo cordium scrutatori notus est; sed de visibili seu fidem externe profitentium societate, in qua ordinarie veris fidelibus admixti sunt hypocritæ, qualem Pontificii, quibuscum nobis res est, solam agnoscunt. Præterea, non disputatur de Ecclesiis particularibus, quas utrinque in confesso est à veræ fidei professione deficere posse; sed de universali tantum quæ per totum orbem est dispersa: ita ut sensus quæstionis sit, Utrum Ecclesia Catholica, quæ veram Christi fidem

fidem & religionem externe profitetur, aliquando possit ab ista professione totaliter deficere, & ita obscurari, ut nullibi locorum amplius reperiantur ulli cœtus, qui professionem istam sinceram & illibatam retineant, quorum splendore moveri possint extranei ut se ei adjungant.

II. Quid autem de ea sentiendum sit, non difficile est judicare ex iis quæ antea disputavimus de erroribus, non solum in moribus, verum etiam in fide, neque levibus tantum, sed etiam gravioribus, in quos omnes omnino Christianorum cœtus incidere possunt. Cum enim illud contingit, Catholica etiam Ecclesia à veræ fidei professione deficit, nullusque potest ostendi cœtus, in quo professio illa incorrupta servata sit. Nec tamen inde sequitur, ut quispiam putare posset, Christum tunc nullam in terris veram Ecclesiam habere. Nam cum, ut antea ostendimus, sola invisibilis, seu verorum fidelium, Ecclesia sit Christi corpus & sponsa, ille non erit sine Ecclesia, etiamsi omnes fidem externe profitentes ab ista professione defecerint. Nec refert quod *corde credatur ad justitiam, ore vero fiat confessio ad salutem*, ut Paulus docet *Rom.* X. 10. cum illi, qui confessionem istam faciunt, propter persecutiones possint esse dispersi, ac proinde in cœtus convenire nequeant qui omnium oculis sint expositi, ut postea pluribus dicturi sumus. Verumtamen ut tota ista res manifestior evadat, age distincte etiam ostendamus, totam Catholicam visibilem Ecclesiam à veræ fidei professione deficere posse, eaque tempora incidere, in quibus nullos fidem Christi incorruptam servantium cœtus reperire sit.

III. *Primum* ergo dico, Si omnes Ecclesiæ particulares possunt à veræ fidei professione deficere, idem quoque contingere potest Ecclesiæ Catholicæ. At verum illud est, ut Pontificii nobis ultro largiuntur. Ergo & hoc. Nec majoris consequentia in dubium revocari potest, cum eadem sit totius natura quæ singularum est partium, ut supra evicimus, in primo argumento quod adversus Ecclesiæ infallibilitatem attulimus; unde quæ huc pertinent facile est repetere, & paucis mutatis ad præsentem materiam accommodare.

IV. *Secundo*, Olim ante tempora Christi sæpius nulli exstiterunt toto orbe visibiles cœtus hominum veram religionem & cultum Dei profitentium. Ergo idem quoque post Christi adventum contingere potest. Consequentiæ veritas sua luce manifesta est. Nulla enim ratio diversitatis, quæ vel minimam speciem habeat, affertur. Iidem sunt homines qui olim, nempe in lapsum proni, mutabiles, inconstantes. Eadem quoque est veræ religionis natura in genere ante Christum & sub Christo; ut si tunc nihil impedierit quominus deficerent homines ab ejus professione, neque nunc quoque quicquam tale sit. Nam quod Pontificii objiciunt, majora privilegia habere Christianum populum quam veterem, falsum est eo sensu acceptum quo intelligunt, ut in progressu apparebit. Antecedens vero plurimis exemplis probari potest. Nihil dicam de Adamo & Eva, qui cum soli adhuc essent in mundo, à vero Dei cultu defecerunt: ne quis excipiat aliam fuisse rationem fœderis operum, quod perpetuam & nulla peccati labe interruptam obedientiam toto vitæ tempore requirebat, & fœderis gratiæ, in quo post lapsum residua est pœnitentiæ tabula, qua iram Dei effugiamus; atque ab illo deficere quidem homines potuisse, ab hoc vero minime. Quamvis enim hoc gratis, & sine probatione afferatur, nec cum Pontificiorum principiis conveniat, qui homines ad peccandum proniores factos esse agnoscunt post primorum parentum transgressionem, quam ante illi erant; nolo tamen istud exemplum urgere, cum alia multa non controversa nobis suppetant. Noachi certe tempore, quo omnis caro corruperat viam suam, & Deus ob impietatem ubique sine ullo fræno grassantem, orbem terrarum diluvio delevit, omnes homines à vero Dei cultu defecerant, nec ulla poterat ostendi Ecclesia Catholica quæ fidem in Deum illibatam retineret. Nam si Noachum & ejus familiam afferas, illa ex octo tantum animabus constabat, quæ Ecclesiam quidem particularem, si velis, constituebant, sed nullatenus Catholicam. Abrahami item temporibus, cum ille eductus est ex Ur Chaldæorum, è medio gentis idololatræ, maxima pars orbis à Deo defecerat, nullique erant illustres cœtus veram religionem profitentium, ut apparet ex *Genes.* XI. & XII. & *Josu.* XXIV. Nam pauci forte hic illic dispersi, qualis Melchisedech erat, non sunt Ecclesia Catholica, quæ suo splendore reliquos mortales allicere possit ad se ei aggregandum, ut Pontificii intelligunt. Imo etiam cum posteri ejus excreverunt in gentem magnam in Ægypto, non servarunt fœdus Dei. Nam cum dixisset iis, *Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, & in idolis Ægypti nolite pollui; noluerunt audire ipsum, unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit, nec idola Ægypti reliquerunt*, ut ipse conqueritur *Ezech.* XX. 7. 8. Intuere etiam post legem latam populum Israëliticum, quo cum Deus fœdus inierat, & solus erat in orbe terrarum qui veram religionem profiteretur, *Non enim Deus fecit ita omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*, *Psal.* CXLVII. 20. sed *permisit* omnes *gentes ingredi vias suas*, *Act.* XIV. 15. In deserto maxima pars se polluit idololatria circa vitulum aureum, *Exod.* XXXII. id est Catholica Ecclesia. Nam qui puri se ab ea conservarunt pauci erant præ reliquis. Et sub judicibus postquam ingressi sunt in terram Canaan, multoties à vero Deo ad idola defecerunt: ut videre est *Jud.* II. toto & III. 5. 6. 7. Item XVII. 6. ubi dicitur, *In diebus*

illis non erat rex in Israël, sed unusquisque quod rectum sibi videbatur hoc faciebat. Quod de idololatria passim vigente, quam nullus rex coërceret, intelligi debere, loci circumstantiæ evincunt. Tempore quoque Eliæ turpis idololatria velut torrens aliquis universum regnum Israëlis inundaverat; adeo ut Elias se solum inter veros Dei cultores superesse putaret. Nam quamvis *Deus sibi reservasset in Israël septem millia virorum, quorum genua non erant incurvata ante Baal, & omne os quod non adoravit eum osculans manum*, ut scribitur 1 *Reg.* XIX. 9. &c. *Rom.* XI. 4. tamen non constituebant Ecclesiam aliquam fulgore visibili splendentem, cum Eliæ ipsi incogniti essent, sed metu persecutionis latere cogebantur. Si quis excipiat, de decem tribubus hæc dici, in regno autem Judæ verum Dei cultum publice obtinuisse; respondebo primum, decem illas tribus fuisse maximam partem populi Israëlitici, & Ecclesiam Catholicam constituisse. Secundo, neque in regno Juda sæpe melius se res habuisse, de quo dicebat Azarias, *Transibunt multi dies in Israël absque vero Deo, & absque Sacerdote doctore, & absque lege*, 2 *Paralip.* XV. 3. Nomine enim *Israëlis* intelligi regnum Juda, arguit id quod immediate ibidem additur, *Cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israël, & quæsierint eum, reperient eum.* Nam decem tribus nunquam se converterunt ad Deum, sed in apostasia sua perseverarunt. Et illud tum sæpe antea, tum præcipue sub Achazo, & sub longo regno Manasse quinquaginta quinque annorum contigisse constat; ut videre est 2 *Reg.* XVI. v. 10. &c. ubi legimus, summum sacerdotem Uriam, ex mandato Achaz, fecisse altare ad exemplar Damasceni, & ita à lege Dei aperte descivisse: & 2 *Reg.* XXI. ubi narratur quomodo Manasses, nemine repugnante, ubique idololatriam instaurarit; adeo ut Juda & Jerusalem facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus à facie filiorum Israël, 2 *Paralip.* XXXIII. 9. Quo tempore liber legis fuit amissus, & demum postea repertus sub Josia ab Helcia sacerdote, 2 *Paral.* XXXIV. 14. Nam id restringendum non esse ad exemplar propria manu Mosis scriptum, ut nugantur Judæi, & post eos Belgici nostri interpretes in notis suis ad hunc locum, quasi multa alia nihilominus haberent exemplaria legis, in quibus legerent quotidie, apparet ex toto illius historiæ contextu. Nam cum liber ille lectus esset à Sapham scriba præsente rege, novitate incognitæ sibi rei motus rex, scidit vestimenta sua, metuens furorem Domini, eo quod non custodiissent patres sui verba in illo scripta, & mittit ad Holdam prophetissam, ut disceret quid sibi esset faciendum. Nec refert quod ibidem fiat mentio manus Moysi, *Reperit Helcias sacerdos librum legis Domini, per manum Moysi*; quasi illud idem esset ac, per manum Moysi *scriptæ*; cum æque commode suppleri possit vox *datæ*; ut plurimis aliis in locis, ubi voce *manus* instrumentum vel opera significatur. Sic *Exod.* XXXV. 29. *Quæ jusserat Dominus per manum Moysi.* & *Levit.* X. 11. *Quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.* & XXVI. v. 45. *Hæc sunt judicia quæ dedit Dominus in monte Sinai per manum Moysi.* *Numer.* IV. 37. 45. *Jos.* XVII. v. 4. & XXI. 2. 8. & XXII. 9. *Nehem.* VIII. 14. *Invenerunt scriptum in lege præcepisse Dominum in manu Moysi.* & IX. 14. *legem præcepisti eis in manu Moysi.* Nec purius cultum fuisse Deum in regno Juda quam Israëlis, apparet ex scriptis Prophetarum, qui Judæis idololatriam exprobrant. Vide inter alia *Esa.* I. *Jerem.* II. & V. & VII. sed præcipue *Ezech.* XVI. ubi dicitur, *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit*, &c. quod de idololatria intelligi debere totum caput ostendit. Hæcque fuit præcipua causa, ob quam primum decem tribus, deinde etiam & Benjamin, in captivitatem Babylonicam abductæ sunt. Denique temporibus Christi, etiamsi idololatræ non fuerint Judæi, tamen in cæteris omnia ita corrupta erant, ut apostasiæ à vera fide & religione merito accusari possint. Indeque profectum est odium, quo Dominum Jesum prosecuti sunt, decernentes ut si quis eum confiteretur esse Christum, ἀποσυνάγωγος fieret; & tandem eum tanquam impostorem ad supplicium rapientes, ejusque Euangelium omnibus modis opprimere tentantes. Excipiunt hic Pontificii, non eandem esse rationem populi Judaici & populi Christiani: nam populum Judæorum non fuisse Ecclesiam universalem, ut est populus Christianorum, sed particularem tantum, & propterea extra illum populum multos inventos fuisse fideles & justos, ut Melchisedechum, Jobum, Cornelium Centurionem & alios. Imo non verentur asserere, Ecclesiam Veteris Testamenti nunquam defecisse à vera religione & cultu Dei usque ad tempora Christi. Sed respondeo, 1. Me supra ostendisse, id quod Ecclesiæ particulari evenit, à Catholica alienum censeri non debere, cum nulla in re differat Ecclesia Catholica à particulari, nisi amplitudine & extensione, in cæteris vero eædem sint utriusque proprietates, & id quod omnibus partibus competit, toti etiam conveniat quod ex illis constitutum est. 2. Dico temporibus Veteris Testamenti nullam fuisse toto terrarum orbe Ecclesiam visibilem, quæ veræ religioni adhæreret, præter Israëliticam. Nam pauci illi fideles huc & illuc dispersi, qui commemorari possunt, Ecclesiam non fecerunt; præsertim ejusmodi, qualem adversarii nostri intelligunt, quæ externo suo splendore in sensus infidelium incurreret, eosque ad veri Dei cultum amplectendum permovere posset. De ista enim tantum Ecclesia nobis cum ipsis disputatio est. Adde quod necesse non sit, ut Ecclesia Catholica defecisse merito dici possit, ut nullus superfuerit verus in toto orbe fidelis. Nam etiam sol & luna deficere dicuntur, etiamsi

etiamsi totum suum lumen non plane amittant. Sufficit si impietas publice obtineat, & pii latere cogantur aut numerum non faciant. Itaque impudens est assertio, dicere, Ecclesiam Veteris Testamenti nunquam à vera religione descivisse ante tempora Christi; contrariumque supra adeo evidenter probatum est, ut evidentius non possit.

V. *Tertio*, prædictum est à Spiritu S. Ecclesiam Novi Testamenti defecturam à fide: Ergo id pro impossibili non est habendum. Consequentia firma est, nisi Spiritum divinum arguere velimus non tantum mendacii, sed etiam insipientiæ, qui prædixit futurum quod nullomodo evenire queat. Antecedens vero probatur ex variis Scripturæ locis, inter quos insignis est imprimis ille Pauli 2 *Thessal.* II. de apostasia ventura ante ultimum Christi diem, & revelando homine peccati, &c. Cui adde alium ex *Apoc.* XIII. ubi dicitur omnes incolas terræ, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni, bestiam adoraturos. Nam quin his locis universalis quædam defectio describatur, circumstantiæ omnes dubitare nos minime sinunt. Et Pontificii ipsi diffiteri non audent, quin talis debeat Antichristi temporibus contingere. Atqui viventibus Apostolis jam erant multi Antichristi, 1 *Joan.* II. 18. & jam operabatur mysterium iniquitatis, 2 *Thess.* II. 7. id est, defectio illa magna, quæ sub primario Antichristo futura est, incipiebat fieri. Mirabimur-ne ergo si sequentibus statim sæculis ingentes progressus fecerit? Sed quid clarius est illis Christi verbis, *Filius hominis cum venerit, an putas eum fidem in terra esse inventurum? Luc.* XVIII. 8. Nam quod Bellarminus excipit, id non de omni fide simpliciter esse intelligendum, sed tantum de eximia; nullo fundamento nititur. Nam præterquam quod nullibi vox *fidei* ita accipitur in Scripturis, etiam hoc loco non debere sumi id arguit, quod alioqui non futura essent corruptiora ultima tempora primis, in quibus pauci fuerunt eximia fide præditi, & vix totidem quot Thebarum portæ aut divitis ostia Nili. Quare illi responsioni diffisus aliam addit, Christum paucos quidem in suo adventu reperturum fideles, sed tamen non ita exiguo numero quin Ecclesiam constituant. Sed si pauci admodum sint futuri, quomodo Ecclesiam Catholicam constituent? cum Catholici notio magnum ex se numerum designet? Imo si latere cogantur propter Antichristi persecutiones, & in desertum fugere, prout mystice prædicitur *Apoc.* XII. sub figura fœminæ quæ peperit masculum, quomodo tunc Ecclesia erit similis civitati supra montem positæ, quod de Apostolis à Christo dictum *Matth.* V. perperam ad splendorem Ecclesiæ perpetuo visibilem Pontificii trahunt? Præterea eventus ipse prophetiarum istarum veritatem manifeste comprobat; cum certum sit multas Ecclesias, etiam ab ipsis Apostolis plantatas, à religione Christiana ad Mahumetismum descivisse; prout variæ, in Asia præsertim & Africa, enumerari possunt, ubi vix tenuia Christianismi vestigia supersunt. Vide inter alias septem illas, ad quas sunt scriptæ nomine Domini Jesu Epistolæ, quæ II. & III. *Apocal.* continentur, & minarum de candelabro ab iis auferendo nisi resipiscerent exsecutionem animadvertes. Et ut nihil de postremis hisce sæculis dicam, quæ religionis reformationem antecesserunt, in quibus Papismus Ecclesiæ Christianæ faciem ita fœdaverat, ut Euangelium in ea fere esset obliteratum; temporibus Arianorum Orthodoxi ad tantam paucitatem erant redacti, ut Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos dicat, Ingemuit totus orbis & se Arianum esse miratus est. Et Constantius Imperator Liberio Romano Episcopo exprobrabat, ipsum cum suo Athanasio orbis Christiani pacem turbare velle, ut videre est apud Theodoret. histor. Eccles. lib. 2. cap. 16. *Quota*, inquit, *pars tu es orbis terrarum, qui solus facis cum homine scelerato, & orbis terrarum ac mundi totius pacem dissolvis?* Cui Liberius non objicit multitudinem eorum qui à se starent, sed respondet, *Non diminuitur solitudine mea verbum fidei. Nam & olim tres solum inventi fuere qui edicto resisterent.*

VI. *Quarto*, denique ratio manifesta ostendit Ecclesiam Catholicam ita à vera Christi fide & religione deficere posse, ut nulli amplius visibiles cœtus ullibi extent, qui eam puram & illibatam, seu nullis exitialibus hæresibus contaminatam retineant. Nam & singuli veri fideles, ut diserte agnoscunt Pontificii, à fide veræque religionis professione, ad impietatem aut falsos atque idololatricos cultus non tantum deficere possunt, sed etiam reipsa sæpe deficiunt. Et quamvis id non contingeret, in verorum tamen fidelium morte exstinctorum locum succedere possunt infideles atque impii, qui majorum pietatis obliti, veram Domini nostri religionem pedibus conculcent: unde fiat lapsu temporis, ut nulla ibi amplius vera Ecclesia conspiciatur, ubi antea Deus pure cultus fuit. Idque est quod accidisse videmus veteri Ecclesiæ Judaicæ, de qua conqueritur Propheta, *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua, Esa.* I. 21. 22. Idemque Ecclesiæ Romanæ, quæ se Catholicam esse jactat, contingere potuisse docet Apostolus, dicens, *Tu fide stas, noli altum sapere sed time. Vide in te bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris, Rom.* XI. 19. &c.

VII. Nunc paucis expendenda sunt nobis præcipua argumenta, quibus contrariam thesin astruere Pontificii laborant. Cum autem horsum afferant, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, inferorum portas adversus eam non prævalituras, Christum ei adfuturum

rum usque ad consummationem sæculi, ipsumque jubere ut qui à fratre suo offensus fuerit, dicat Ecclesiæ, & similia, quæ in præcedenti quæstione de infallibilitate Ecclesiæ sufficienter tractata sunt, ad alia nobis progrediendum est. Hic *primus* nobis occurrit insignis Pauli locus, ubi dicit Christum *dedisse Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, donec occurramus omnes in unitatem fidei*, &c. *Ephes.* IV. 11. 12. 13. unde concludunt, externum verbi ministerium pure ad finem usque sæculi in Ecclesia esse duraturum, ac proinde Ecclesiam visibilem nunquam totaliter à veræ fidei professione defecturam. Respondeo vero, Apostolum hic tantum docere Christum ministerium Euangelii eum in finem instituisse, ut fideles tum inter se tum cum suo capite spirituali vinculo cohærerent & compingerentur: sed non promittere id in sua puritate perpetuo perseveraturum, aut ad finem usque mundi duraturum. Et sane nulla hic fit mentio finis vel consummationis sæculorum: imo nec potuit fieri, cum Apostoli, Prophetæ & Euangelistæ, de quibus agitur, non sint Ecclesiæ dati ut illi perpetuo adsint usque ad secundum Jesu Christi adventum, sed tantum ad jacienda prima illius fundamenta. Excipere eos Ecclesiæ adesse doctrina sua, quæ perpetuo in illa conservatur; est ridiculum & ἀπροσδιόνυσον, siquidem doctrina Apostolica, Ecclesiam quæ ad eam se non componit non reddit visibilem, aut facit ut apostasiæ immerito accusetur. Imo possunt esse ad finem usque sæculi pastores & doctores, qui de religione Christiana glorientur, & tamen Ecclesia visibilis deficere à vera Christi fide; sicut apud Judæos perseverabat Pontificum & Sacerdotum non interrupta successio, eo ipso tempore quo à lege Dei defecerant, & horrenda idololatria erant penitus contaminati. Nam quis nescit lupos interdum in gregem Domini irrepere, & se pro veris pastoribus venditare, cum nihil minus quam pastorum officium faciant? Qua de re vide *Matth.* VII. 15. &c. *Actor.* XX. v. 29. 30.

VIII. *Secundo*, afferunt Ecclesiam in Euangelio comparari areæ quæ paleas simul cum tritico complectitur, *Matth.* III. 12. Et sagenæ seu reti, in quo boni & putres pisces simul includuntur, *Matth.* XIII. 47. &c. Item agro in quo frumentum una cum zizaniis mixtum est, *Matth.* XIII. 24. &c. Nec non convivio, in quo boni simul cum malis discumbunt, *Matth.* XXII. v. 1. &c. Denique ovili, in quo oves sunt una cum hœdis, *Matth.* XXV. & *Joan.* X. Porro cum hisce in locis affirmetur talia hæc omnia permansura usque ad tempus messis, hoc est, usque ad consummationem sæculi, hinc apparere Ecclesiam externam, utpote similibus illis adumbratam, perpetuo in hoc sæculo duraturam esse; imo licet aliqua interdum ejus membra impura sint, ipsam tamen una cum puritate splendorem quendam externum ac visibilem semper habituram esse. Respondeo, nos jam supra hanc objectionem expendisse, cum afferretur ad probandum veram Ecclesiam semper esse visibilem: ibique ostendisse, per aream & agrum non intelligi Ecclesiam, sed mundum universum; & per sagenam Christum Euangelium designare voluisse. Sed posito omnibus his similibus Ecclesiam fuisse repræsentatam, non sequitur tamen veram Ecclesiam semper fore in terris, & quidem cum externo splendore. Nam quod in quibusdam illorum mentio fit ignis, extremi judicii, & consummationis sæculi, id arguit tantum plenam bonorum à malis segregationem ante illud tempus factum non iri. Sed fac per aliquot sæcula nullos fuisse in terris veros Christi fideles, qui simul juncti Ecclesiam constituerent, & interruptam fuisse veræ religionis successionem, nihilominus illa separatio in fine sæculi fieri debebit, cum certum sit talem aliquando fuisse hic Ecclesiæ conditionem, ut in illa mali cum bonis fuerint admixti. Præterea in area vel in agro potest tanta esse paleæ & zizaniorum copia, ut bonum frumentum non appareat; item in sagena, in ovili & in convivio, possunt boni malorum multitudine obrui. Ita ut ex his parabolis nulla cum specie concludatur, veram Ecclesiam ad finem usque mundi in visibili & splendido statu permansuram, & ab Euangelii sinceritate nunquam defecturam.

IX. *Tertio*, pugnant quibusdam Veteris Testamenti locis, in quibus putant Ecclesiæ perpetuam durationem promitti; qualia sunt, *Deus fundavit eam in æternum*, *Psal.* XLVII. vel XLVIII. secundum Hebr. v. 9. Item, *Et fœdus perpetuum feriam eis. Et scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus*, *Esa.* LXI. 9. Sed resp. 1. Loca ista proprie & directe de Ecclesia Judaica esse intelligenda, & non nisi per accommodationem & sensu allegorico ad Christianam trahi posse. Attamen certum est, ut antea probavi, populum Judaicum sæpius à vero Dei cultu ad idola & impietatem defecisse. Ergo aut Deus non stetit promissis suis, quod blasphemum esset cogitare, aut potius populus ille in fœdere Dei non permansit, ideoque promissa quæ conditionalia erant non obtinuit. Eadem autem omnino Christianorum est ratio hac in parte. Saltem ex istis locis non potest colligi, plus competere eis juris in hæc promissa, quam Judæis quibus directe & primario facta fuerunt. 2. Ut sigillatim aliquid de utroque isto loco dicam, apparet *Psalmum* XLVIII. totum non loqui nisi de Hierusalem, quam Deus elegerat olim ut esset sedes cultus sui publici & veræ religionis. Perpetuo enim in eo mentio fit *civitatis Dei & montis Sionis*, in quo illa erat extructa. At non ita se devinxerat urbi illi, quin liberum sibi servasset eam rejicere si legem suam transgrederetur.

retur. Qua de re egregius est locus apud *Jeremiam*, *cap.* VII. toto. *Faciam*, inquit, *domui huic in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, sicut feci Silo; & projiciam vos à facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim.* Id quod eventus postea luculenter comprobavit. Non nego tamen Psalmum hunc mystico sensu posse applicari Ecclesiæ Christianæ, quæ est vere civitas & domus Dei: verum ita, ut dicam *fundationem ejus in æternum*, non obstare quominus in ea vera religio possit contemni & rejici ad tempus aliquod. Cum nihilominus veri fideles, qui ipsam antea constituerunt, maneant fundati in charitate Dei, à qua nihil est quod separare eos possit. At forsitan major est vis in loco Esaiæ, quia initium illius capitis sibi applicat Christus in Synagoga Nazarethana loquens, *Luc.* IV. & quia in eo fit mentio *Seminis*, quæ vox videtur denotare propagationem; & quia dicitur cognitum iri in gentibus eos esse semen benedictum, ad designandum propagationem illam fore obviam oculis & gentibus notam. Sed hæc omnia non impediunt, quominus promissio ista conditionate sit accipienda. Nimirum fœdus illud cum Israële futurum erat perpetuum ex parte Dei, cujus dona & vocatio sunt ἀμεταμέλητα, *Rom.* XI. 29. siquidem ipsi in eo perstitissent. *At quia ipsi non permanserint in testamento meo, ideo ego neglexi eos*, inquit Dominus, *Hebr.* VIII. ex *Jerem.* XXXI. Deinde quantum id Ecclesiam Novi Testamenti spectat, & semen Abrahami spirituale, non denotatur eo successio non interrupta. Statim enim aliquis credit Euangelio fit Abrahami semen, etiamsi forte ante eum per aliquod tempus nulli tales fuissent. Nec necesse est semen illud semper esse conspicuum gentibus, sufficit si aliquando id contingat. Credo enim adversarios nostros non fore tam iniquos, ut velint negare ibi esse Ecclesiam, ubi ob persecutionem latere cogitur, & in oculos exterorum non incurrit: quippe hac ratione nullam habituri essent Ecclesiam apud Persas, Japonenses, Sinas, Scotos, aliosque populos qui Christianorum aut Pontificiorum sacra non tolerant.

X. *Quarto*, citant Scripturas quæ loquuntur de regno Christi, ut *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Et, *Ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli*, *Psal.* LXXXIX. *v.* 30. 38. Item, *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur*, &c. *Dan.* II. 44. Et, *regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*, *Luc.* I. 33. Quæ loca, inquiunt, non possunt intelligi nisi de vera & visibili Ecclesia nunquam interitura. Nam regnum Christi sine dubio est vera ejus Ecclesia. Neque regnum dici possunt aliquot homines occulti & dispersi, & separati ab invicem, qui se non noverunt. Regnum enim est multitudo hominum congregatorum qui se invicem noverunt. Sed respondeo 1. ad locum *Psal.* LXXXIX. in eo secundum sensum literalem agi de Davide, & de regno quod Deus firmaverat in familia ejus, adeo ut non esset ab eo auferendum, sicut factum erat à Saule: prout id ipsi promittitur 2 *Sam.* VII. 15. Sed id tamen non impediit, quominus regnum illud primo discerperetur sub Roboamo, deinde everteretur cum multiplicatæ sunt iniquitates successorum Davidis. Id quod etiam innuitur ibidem, ubi Propheta addit, *Tu vero repulisti & despexisti: distulisti Christum tuum. Evertisti testamentum servi tui*, &c. *v.* 39. *& seqq.* Psalmus enim iste compositus est postquam Judæi abducti fuerunt in captivitatem Babylonicam, & Propheta in eo commemorat pactum cum Davide initum, ut commoveat Deum ad misericordiam erga populum suum: *Ubi sunt*, inquit, *misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in veritate tua? Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum*, &c. Unde apparet promissa ista, respectu posterorum Davidis carnalium, non fuisse omnino absoluta, ita ut quomodocunque se erga Deum gererent, permansuri essent in regno suo; sed cum hac exceptione accipienda, si fœdus Dei servarent, ut eventus optimus prophetiarum interpres docuit. Verumtamen non negamus hæc sublimiore & mystico sensu ad Christi regnum referri debere; cum non tantum habeamus Apostolum præeuntem in hac interpretatione, *Hebr.* I. 5. sed etiam verba prophetiæ istius sublimiora sint, quam ut complementum suum habere potuerint in carnalibus Davidis posteris. Sed ad Christum relata, cujus regnum non est de hoc mundo, ut ipse coram Pilato profitetur, *Joan.* XVIII. 36. mundano quoque more non sunt intelligenda. Thronus ejus sicut sol & luna in conspectu Dei stabit in æternum, etiamsi in oculos mundanorum hominum non incurrat. Nam qualia fuerunt Christi regni initia, talis quoque progressus futurus est. Atqui de initiis dicebat ipse Christus, *Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent, Ecce hic, aut Ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est*, *Luc.* XVII. 20. 21. Quemadmodum ergo tunc regnum Christi erat in medio Judæorum, & tamen à Pharisæis non agnoscebatur; ita mirum videri non debet, si idem quoque post ipsius in cœlos ascensum contigerit; nempe regnaverit quidem spiritualiter super veros suos fideles, sed tamen non ea ratione ut semper in oculos hominum carnalium incurrerit, sicut mundana regna solent. Idem quoque dicimus de duobus aliis locis, ex *Daniel.* II. & *Luc.* I. petitis, quæ sine controversia de Christi regno loquuntur. In quibus tamen *æternitatis* vox non ita accipienda est, ut repugnet iis quæ Paulus nos docet, Christum videl. in fine sæculi regnum suum Deo & Patri traditurum, 1 *Cor.* XV. 24. &c. Vere enim cœli regnum, quod Christus administrat, in æternum non

dissipabitur; siquidem permansurum est quamdiu sol & luna in firmamento lucebunt; & alteri populo non tradetur; sicut sæpe in hoc mundo contingit, ubi populi & reges, qui in alios imperium obtinuerunt, vicissim aliis se subjicere coguntur. Sed regnum istud nunquam à Christo auferetur, & populus ejus qui sunt fideles semper eum pro rege suo agnoscent. Hæc est domus Jacob in qua regnabit in æternum, nempe spiritualis domus, quæ à Paulo Israël Dei vocatur, *Gal.* VI. 16. Nam quod ad carnalem domum Jacob, quæ regem suum non agnovit, alia debebat esse ipsius conditio, secundum Christi prædictionem, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus, Matth.* XXI. *v.* 43. Prophetiæ itaque istæ non probant Christum semper visibile & splendidum regnum in his terris habiturum; cum possit & soleat alio modo inter fideles suos regnare, qui tantum abest ut splendidam aliquam aulam constituant, ut contra tanquam mundi purgamenta & fordes vulgo habeantur, 1 *Cor.* IV. 13. Imo etiamsi contingeret ut aliquo tempore nulli essent veri Christi in terris fideles, (quod tamen credimus Deum pro sua misericordia hactenus prohibuisse & deinceps quoque prohibiturum) non propterea regnum Christi finem haberet aut interruptioni esset obnoxium. Nam ut nihil dicam de eo, quod in medio inimicorum suorum dominetur, ut habetur *Psal.* CX. *v.* 2. in Angelos bonos imperium semper habet, qui alacres ejus jussa exsequuntur, 1 *Petr.* III. 22. & in animas piorum defunctorum, qui morientes se ipsi commendant, ut videre est in Stephano, dicente cum lapidaretur, *Domine Jesu suscipe spiritum meum*, *Act.* VII. 59. Et quo se jure Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi Deum nuncupat diu post ipsorum mortem, quia eos aliquando à mortuis suscitare decrevit, eodem quoque Christus est rex & dominus suorum fidelium, quos promisit se resuscitaturum in novissimo die, *Joan.* VI. *v.* 39. 40. Sed non est necesse nos eò confugere, cum credamus nunquam adeo infelicia fuisse aut fore Ecclesiæ Christianæ tempora, quin Christus aliquos in terris habuerit veros sui cultores, & saltem duo, id est paucissimi testes inveniantur qui veritati ejus testimonium perhibeant, *Apoc.* XI. 3. &c. sed qui tamen splendidum ejusmodi regnum non constituant, quale Pontificii sibi imaginantur, quod fulgore suo mundano oculos omnium perstringat; cum hoc ad spiritualis regni Christi naturam & essentiam nullomodo pertineat, imo ei plane accidentarium sit.

XI. *Quinto*, utuntur quibusdam ratiunculis, ex ipsa (ut eis videtur) rei natura petitis, quibus sententiam nostram ad absurdum deducere conantur. Earum *prima* est, quod si visibilis Christi Ecclesia perit, tum nulla vera Ecclesia remanet; quia de formali ratione Ecclesiæ est ut sit visibilis. At nullam esse veram Ecclesiam dicere absurdum est. Ergo nunquam visibilis Christi Ecclesia perit aut perire potest. Ad quod respondeo, negare me consequentiam majoris. Nec enim sequitur, ut si visibilis Ecclesia perit, Ecclesia universa funditus intereat; cum præter Ecclesiam visibilem, quæ est cœtus hominum Christianam fidem & religionem externe profitentium; sit quoque invisibilis, constans ex iis qui vere in Christum credunt; quorum fides soli Deo & Christo cordium scrutatoribus conspicua est, ut supra pluribus probavi, ubi fundamentum istius objectionis everti, nempe de essentia Ecclesiæ esse ut sit visibilis. Præterea, ut modo vidimus, nihil absurdi est in eo, ut vera Christi Ecclesia ad aliquod tempus in terris interruptionem patiatur, vel esse desinat: longeque satius esset id concedere, quam id quod adversarii nostri volunt, confiteri; Ecclesiam veram etiam ex impiis constare, qui Deum quem profitentur se nosse factis abnegent. Qua assertione nihil absurdius excogitari potest. *Altera* ipsorum ratio est; Si aliquando sola maneret in mundo Ecclesia invisibilis, aliquando etiam impossibilis esset salus iis qui sunt extra Ecclesiam. Nam non possunt salvari nisi in Ecclesiam ingrediantur; quemadmodum tempore Noë peribant necessario qui non habebant aditum ad arcam. At non possunt ingredi in Ecclesiam quam ignorant. Nullum igitur habent medium quo ad salutem perveniant, vel ad damnationem æternam effugiendam remedium. Sed respondeo, majoris consequentiam hic quoque esse falsam. Non enim sequitur, populos qui sunt extra Ecclesiam fore destitutos omnibus salutis mediis, si nulla vera visibilis Ecclesia in terris superesset. Nam ut sileam eamdem esse horum temporum rationem, atque eorum quæ Christum præcesserunt, in quibus Deus nunquam se reliquit expertem testimonii, benefaciens de cœlo, &c. *Act.* XIV. 16. Et id quod de Deo cognosci potest, æternam videl. ipsius potentiam & divinitatem, manifestam esse gentibus, ita ut sint inexcusabiles, &c. *Rom.* I. *v.* 19. 20. Ne, inquam, hoc afferam, Scripturæ S. semper de Deo & de ejus voluntate testabuntur omnibus eas consulere volentibus, & viam ad salutem ducentem ipsis indicabunt. Factum est autem antehac singulari Dei providentia, etiam corruptissimis Ecclesiæ Christianæ temporibus, ut incolumes illæ conservatæ sint, & idem ad finem usque mundi futurum non sine ratione confidimus; ita ut nullus, quamdiu illæ durabunt, juste dici queat omnibus salutis mediis esse destitutus. Sed, inquies, nemo poterit esse de illarum veritate & divinitate certus, si testimonio Ecclesiæ destituatur. Resp. Multo certior erit hac de re si diligentem operam adhibere voluerit, & qualem salutis suæ studiosum decet, quam de auctoritate Ecclesiæ ex solo ipsius testimonio. Nam præter notas internas & Scripturis insitas, quæ ipsarum divinitatem

tatem arguunt, Scriptorum sacrorum historia, quæ ex antiquitatis monumentis haberi potest, omne de illis dubium tollere capax est. Sed cur infidelis potius credat Christianorum cœtum veram Dei esse Ecclesiam & ipsi caram, quam Judæorum, aut Mahumetanorum, aut Gentilium cœtus, nulla est sufficiens ratio, nisi id ipsi Scripturæ testimonio probetur. Cur enim id affirmantibus Christianis potius assensum præbebit, quam aliis contrarium asserentibus? Perpetua ergo Ecclesiæ Christianæ visibilitas non persuadebit Ethnico, ut se ei aggreget ad salutem æternam obtinendum, quamdiu mente ex Scripturis illuminata eam non aspiciet ut cœtum Deo gratum, sed tantum ut hominum congregationem, quales aliæ profanæ sunt. Præterea falsum est neminem extra Ecclesiam posse salvari, si per Ecclesiam intelligatur externus hominum religionem Christianam profitentium cœtus. Injuste enim excommunicatus ab Ecclesia non propterea extorris est à regno cœlorum, nec qui inter infideles captivus degit, ita ut nulli Christianorum cœtui se adjungere possit. Illud effatum tantummodo verum est quando per Ecclesiam mysticum Christi corpus intelligitur. Certum enim est neminem posse salvari qui non sit illius membrum. Sed ut quis talis evadat, sola vera & viva in Christum fides sufficit. Externa aggregatio ad aliquem cœtum non requiritur, nisi quando cœtum aliquem veram istam Christi fidem profitentium agnoscimus, cui nos adjungere possumus. *Tertia* Pontificiorum ratio est, Homines illi occulti qui Ecclesiam invisibilem constituunt, vel palam profitentur fidem suam, & abstinent ab idolorum cultu, vel non. Si profitentur, non est Ecclesia invisibilis. Si non profitentur, nulla est Ecclesia. Nam non est Ecclesia vera in qua nulli sunt boni & qui salventur. Non sunt autem boni, nec salvantur qui non confitentur fidem, sed ea in corde retenta exterius profitentur idololatriam. Respondeo, Veros Christi fideles proculdubio puros se ab omni idololatria conservare debere, alioqui nomine isto indigni sunt, & partem nullam in Christo habent. Sed non semper omnes cum vitæ periculo fidem suam palam confiteri tenentur, sufficit si de illa interrogati non abnegent aut dissimulent. Publicam enim illam fidei confessionem, quæ nemine interrogante fit, Christus ab omnibus non exigit, sed tantum ab illis quos aliis docendis præficit. Et non semper tamen; cum dicat, *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus, & conversi lacerent vos, Matth.* VII. 6. Præterea veri isti fideles possunt ita esse propter persecutionem dispersi, ut nullos visibiles cœtus constituant; ut contigit fidelibus in Israële temporibus Eliæ. Nam quamvis Deus sibi reservasset septem millia, qui non curvaverant genua ante Baal, erant tamen illi incogniti Eliæ, & putabat se solum ex veris Dei cultoribus superesse, 1 *Reg.* XIX. *Rom.* XI. Sed isti fideles dispersi regnum non constituunt. Fateor non constituere regnum mundanum, quod ex membris constat quæ mutuam inter se societatem colunt: sed quominus regnum cœleste & divinum constituant, nihil impedit; cum omnes Christum pro suo rege agnoscant, & parati sint ad omnia caritatis officia exercenda ergà alios ejusdem regni cives, ubi ad ipsorum notitiam pervenerint.

CAPUT VI.
De Notis Ecclesiæ.

I. *Varia notarum species.* II. *Nulla dantur externa nota Ecclesia invisibilis.* III. *Nec etiam visibilis.* IV. *Expenduntur nota Reformatorum.* V. *Recensentur Pontificiorum nota.* VI. *Expenditur prima, qua est Nomen Catholica.* VII. *Secunda, antiquitas.* VIII. *Tertia, perpetua & non interrupta duratio.* IX. *Quarta, multitudo & varietas credentium.* X. *Quinta, continua Episcoporum successio.* XI. *Sexta, conspiratio doctrina cum Ecclesia antiqua.* XII. *Septima, unio membrorum inter se & cum capite.* XIII. *Octava, sanctitas doctrina.* XIV. *Nona, efficacia doctrina.* XV. *Decima, sanctitas vita auctorum.* XVI. *Undecima, gloria miraculorum.* XVII. *Duodecima, lumen prophetia.* XVIII. *Decima tertia, confessio adversariorum.* XIX. *Decima quarta, infelix exitus eorum qui Ecclesiam oppugnant.* XX. *Decima quinta, felicitas temporalis eorum qui Ecclesiam defendunt.*

I. AD doctrinam de Ecclesiæ proprietatibus, pertinet quoque disputatio de ejus notis. Per notas autem intelligunt vulgo signa quædam externa & in sensus incurrentia, per quæ in rei occultæ cognitionem devenitur; unde Græcis dicuntur γνωρίσματα. Eaque variorum sunt generum; Primo enim alia sunt necessaria, Græcis τεκμήρια; quæ res certo atque infallibiliter indicant, ut fumus ignem, pulsus & respiratio vitam: alia vero contingentia, Græcis εἰκότα, quæ res incerto & fallibiliter indicant, ut rubedo cœli vespertina postridianam serenitatem, pallor morbum. Secundo alia sunt communia, alia propria: quorum illa pluribus rebus conveniunt, ut horror corporis qui vel febrim indicat vel metum, hæc vero uni tantum rei conveniunt, ut cicatrix vulneris. Quod si semper conveniant, adeo ut cum re ipsa reciprocentur, maxime propriæ dicuntur notæ. Talesque esse debent quæ vere & omni tempore Ecclesiam indicent. Tertio cum plura sunt unius rei signa, vel singula per se & solitarie considerata vim habent illam notificandi, vel omnia simul ad id requiruntur. Sic febris, respirationis difficultas, dolor lateris, sputum cruentum conjunctim tantum arguunt pleuritidem: sed sola ursi vestigia in terra impressa indicant ursum illac transisse.

II. His præsuppositis observandum præterea, quæri notas vel Ecclesiæ invisibilis, vel visibilis: Et eum qui istas notas quærit, vel nosse

quæ

quæ sit veritas salutaris quæ Ecclesiæ essentiam constituit, vel id ignorare, & per eas ad illius cognitionem pervenire velle. Et quod ad Ecclesiam invisibilem attinet, quæ ex solis veris fidelibus constat, nullæ dari possunt notæ necessariæ quæ nobis eam certo atque infallibiliter indicent. Contingentes tantum quasdam habemus ex quibus probabiliter conjicimus quinam illius membra sint; quales sunt doctrinæ Christi professio & mores cum ea congruentes. Sed quia pietas simulari potest, 2 *Tim.* III. 5. & non sumus καρδιογνῶσται, sæpe in conjecturis nostris fallimur, cum secundum judicium charitatis eos pro veris Christi fidelibus habemus, quorum improbitas latet. Verum de istius Ecclesiæ notis pauci sunt solliciti; nec etiam necesse est prolixius de illis disputare, cum ad arcana Dei pertineat certo nosse quinam sint sui.

III. Quod vero Ecclesiam visibilem spectat, doctrinæ Christi professio eam sufficienter indicat, & à cœtibus infidelium distinguit, quales sunt Ethnici, Mahumetani, Judæi: ita ut supervacuum sit notas isti fini inservientes operose velle investigare. Sed quæritur an aliquæ sint hodie sensibiles notæ, ex quibus agnosci possit utrum veritas divina sit à partibus Christianorum potius quam Ethnicorum, Judæorum, Mahumetanorum; item ex quibus deprehendatur quinam Christianorum cœtus salutarem Christi doctrinam incorruptam retineant, qui vero non. Et hic affirmativam partem tuentur tum Pontificii, tum Reformati, nos vero negativam. Tantum dicimus, ex charitate fraterna & studio bonorum operum, quod in Ecclesia aliqua vigere animadvertitur, probabiliter admodum concludi doctrinam quam profitetur esse saniorem, quam alterius ubi tales fructus non conspiciuntur: secundum illud Christi, *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, *Joan.* XIII. 35. Miracula etiam sunt veræ Ecclesiæ nota, & propter ea quæ fecerunt olim Christus & Apostoli credimus Euangelium esse divinum. Sed incertum est an ulla unquam miracula facta sint ad confirmandum peculiare aliquod dogma religionis, de quo Christiani inter se dissentiant. Sententiam autem nostram hoc defendimus argumento, Quod quæ ab illis afferuntur notæ, aut revera non sunt notæ quales quærimus, sed ipsa res controversa, aut quæ Ecclesiæ veræ non sint propriæ, sed illi cum falsa communes, imo quædam melius huic quam illi conveniant; aut denique quod falso eas jactent. Id quod ex singularum examine apparebit.

IV. Incipiemus à notis Reformatorum. Illi duas Ecclesiæ notas vulgo proferre solent, nimirum puram verbi divini prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem. Sed ut non dicam eos inconcinne in duas notas dirimere, quod sub una commodius comprehendi potest, cum Sacramentorum administratio sit prædicationis verbi appendix, quod etiam quidam ex ipsis agnoverunt, notæ istæ variis modis peccant. Primo enim non sunt notiores reipsa notificanda, quales veræ notæ esse debent, sed æque obscuræ. Nam æque obscurum est infideli aut hæretico quænam sit pura verbi divini prædicatio & legitima Sacramentorum administratio, atque quænam vera sit Ecclesia; ita ut illud ad hujus notitiam acquirendam nihil plane faciat. Secundo hæ notæ reipsa non differunt ab eo quod in controversiam vocatur. Qui enim quærit quænam vera sit Ecclesia, nihil aliud scire intendit, quam ubinam verbum divinum pure prædicetur & Sacramenta legitime administrentur; ac proinde hoc illius notam facere est principium petere. Tertio Pastorum solorum actio non potest esse Ecclesiæ nota, quæ est grex ovium Christi: At pura verbi prædicatio est solorum Pastorum actio; ut constat. Ergo, &c. Quarto, vera Ecclesia esse potest ubi neque verbum Dei prædicatur, neque Sacramenta administrantur; & contra falsa Ecclesia ubi verbum Dei pure prædicatur & Sacramenta legitime administrantur. Ergo istæ notæ non sunt rei notificandæ adæquatæ, sed ea partim angustiores, partim latiores. Prius autem probatur ex eo, quod vera in Christum fides non minus concipi potest ex privata verbi divini lectione, quam ex publica ejus prædicatione: alioqui falsum esset quod docet Paulus, *Sacras literas posse nos reddere sapientes ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu*, 2 *Tim.* III. 15. Ibi enim de privata lectione agit. Nec obstat quod idem dicit, fidem esse ex auditu verbi Dei, illud autem audiri non posse absque prædicante, *Rom.* X. v. 14. 17. Nam apparet illud restringendum esse ad tempora quibus verbum Euangelii literis nondum erat consignatum. Tunc enim fieri non poterat ut quis in Christum sibi incognitum crederet, nisi essent qui illum annunciarent. Si vero quis ad sequentia tempora extendere id velit, nihil aliud significabit, quam prædicationem Euangelii esse ordinarium & commodissimum medium, quo multi simul ad fidem in Christum adducantur, non vero eam plane absque illa per Sacrarum literarum privatam lectionem concipi non posse; quod ipsarum sufficientiæ & perfectioni adversaretur. Sed prior interpretatio magis mihi placet. Statim autem atque aliquis vere in Christum credit, ipsius membrum evadit & ad Ecclesiam ejus pertinet. Posterius quoque non minus certum est. Nam pura verbi Dei prædicatio esse potest inter infideles qui illud aperte irrident & rejiciunt, aut inter profanos nomine tenus Christianos, qui nihil minus quam vitam suam & mores ad ipsum componere student. Ejusmodi autem homines Reformati pro veris Ecclesiæ Christi membris non agnoscunt.

V. Nunc ut ad Pontificiorum notas expendendas accedamus, sciendum est alios quatuor tantum

tantum Ecclesiæ notas afferre, videl. quod sit una, sancta, Catholica & Apostolica, inter quos est Jesuita Wadingus, quem doctissime & solidissime refutatum vide à D. Episcopio p. m. responsione ad binas ejus Epistolas. Alios vero, inter quos agmen ducit Bellarminus, quindecim Ecclesiæ notas statuere, nimirum nomen Catholicæ, antiquitatem, durationem perpetuam, amplitudinem maximam, continuam Pastorum & auditorum successionem, consensionem cum antiquis doctoribus, unitatem seu concordiam, doctrinæ sanctitatem, doctrinæ efficacitatem, vitæ sanctitatem, miraculorum gloriam, prophetiæ lumen, confessionem adversariorum, infelicem exitum eorum qui ipsam oppugnarunt, & denique felicitatem temporalem eorum qui ipsam defenderunt. Has omnes breviter expendere nobis nunc est propositum.

VI. *Prima* est *Catholicæ* nomen, quod vulgo Ecclesiæ suæ tribui gloriantur Pontificii, cum alii cœtus à primis suis auctoribus soleant denominari, ut sunt Arianorum, Nestorianorum, Lutheranorum, Calvinistarum & similium. Sed resp. 1. Male controversæ rei notas à nomine desumi, cum impositio nominum non solum sit arbitraria, sed etiam sæpe ab omni ratione prorsus aliena. Præsertim vero ineptum est ex nomine quod sibi quisque tribuit, colligere velle eum talem esse qualem vox illa significat. Nam exprobratur quibusdam quod se vocent Judæos cum non sint, sed mentiantur & sint Synagoga Satanæ, *Apoc.* II. 9. & III. 9. Et festive *Polidorus Virgilius lib.* 4. *cap.* 10. agens de mutatione nominis Papis usitata, inquit, *Si quis antea homo maleficus fuerit, appellatur Bonifacius, si timidus Leo, si rusticus Urbanus, si improbus Innocentius, si ferox Clemens, si male audierit Benedictus.* Non ergo æquum est ut ideo, quia Pontificii se Catholicos vocant, credatur hanc appellationem probe iis convenire. Perinde enim id est, ac si cum quæritur an aliquis equus sit bonus, respondetur mangonem ita illum appellare. At, inquiunt, non tantum Pontificii sibi Catholicorum nomen tribuunt, sed etiam sæpe hæretici & schismatici sic eos nuncupant. Ita est, sed per concessionem, & quia de voce rixari nolunt; non vero quod recte eis convenire putent. Nam quod hæretici non ex animo & serio nomen Catholicorum aliis tribuant, apparet ex eo quod illud ipsi sibi vindicent. Id quod testatur *Lactant.lib.*4.*cap.*30. inquiens, *Singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos & suam esse Catholicam Ecclesiam putant.* Et *Salvianus* de Arianis agens *lib.* 5. *de Provident. In tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ pravitatis infament.* Atque hodie Chamierus in sua Panstratia, suos semper vocat Catholicos, & adversariis Papistarum nomen tribuit. Neque Pontificii concedere volunt Calvinistis, eos ideo vere reformatos esse, quia Reformatorum nomen sibi assumunt. Quod autem in aliena causa iniquum esse censent, non est cur in sua æquum esse statuant. At hæretici, inquiunt, ab hæresium suarum auctoribus cognominari solent, ut Ario, Luthero, &c. Respondeo, A quibus fit illud, an ab ipsismet, an vero ab adversariis? Si ab ipsismet, ut à Luthero quidam Lutherani denominari gaudent, non immerito forsan inde concludas illos potius tali nomine quam Christianorum dignos esse. Atque ita monachi qui se Benedictinos, Augustinianos, Dominicanos, Franciscanos vocari volunt contra disertum Apostoli monitum 1 *Cor.* I. *v.* 12. 13. Catholicorum & Christianorum titulo renunciare videntur. Sed si ab adversariis ita vocentur, id fraudi magis eis non esse debet, quam Pontificiis, quod vulgo à nobis Papistæ dicantur, à Papa Ecclesiæ suæ capite, & variarum hæresеum si non primo auctore, saltem acri defensore. 2. Alicujus rei notæ ut eam vere indicent ab ejus essentia debent esse petitæ, & aliquid præ se ferre quod ei reipsa conveniat. At istud non facit Catholici nomen. Nam si dicas Ecclesiam Romanam Catholicam vocari, quia doctrinam amplectatur quæ ubique, & semper & ab omnibus credita est, ut Catholicum definit Vincentius Lyrinensis; præterquam quod hoc à nobis non conceditur, non est argumentum à nomine petitum, sed à re. Et ita hæc nota cum sequentibus, antiquitate, multitudine, successione concurret, maleque separatum ordinem occupabit. 3. Notæ debent semper & ubique convenire illi rei ad quam indicandam adhibentur. At istud non facit Catholici appellatio, quæ non conveniebat nascenti Ecclesiæ Christianæ, & cum adhuc Hierosolymorum pomœriis contineretur; eam enim semper aut ubique fuisse nemo sanæ mentis dixerit.

VII. *Secunda* Bellarmini nota est *Antiquitas*, quam ex eo probat, quod cum Deus antiquior sit diabolo, oportuerit veram Ecclesiam falsam præcessisse. Item ex eo, quod prius bonum semen, deinde zizania in agro Domini sata sunt, *Matth.* XIII. 24. 25. Nec non ex eo, quod Ecclesia Christi Catholica vocatur, quod non tantum locorum sed etiam temporum omnium respectu intelligendum est. Item ex eo, quod Apostolica dicitur, utpote ab Apostolis initio prædicationis Euangelicæ fundata. Resp. Nos minime negare antiquitatem competere veræ Ecclesiæ; siquidem ante falsam originem suam habuit; & Deus veritatem suam prius hominibus revelavit, quam diabolus admixtione mendacii eam corrumpere aggressus sit. Sed inde non sequitur, antiquitatem esse proprie dictam Ecclesiæ notam, ex qua certo & infallibiliter demonstrari possit. Quod ut recte intelligatur, animadvertendum est, cum disputatur de antiquitate Ecclesiæ, non agi de antiquitate hominum qui illam constituunt, aut templorum in quæ convenit, aut cathedrarum in quibus docetur, sed de antiquitate doctrinæ

quam profitetur. Nam quod ad homines ex quibus componitur, illi subinde mutantur, & quotidie in demortuorum locum novi succedunt. Quod ad templa attinet, nihil impedit quominus in vetustissimo ædificio nova personet doctrina; & denique quod ad cathedras, qui in illis sedent prædecessorum suorum doctrinam mutare possunt. Restat ergo solum ut ad antiquitatem doctrinæ veniamus, si de antiquitate Ecclesiæ recte judicare velimus. Hinc autem colligitur, antiquitatem non esse talem Ecclesiæ notam, qualem Pontificii nobis venditant, nimirum ex qua, licet doctrina ignoretur, certo atque infallibiliter agnosci possit quænam sit vera Ecclesia. Nam ad recte de alicujus doctrinæ antiquitate judicandum, necesse est illam penitus perspectam habere: neque cujusvis è vulgo est id facere, ut jactare solent, sed doctissimorum tantum; qui etiam ex controversiis historicis, quas scriptorum penuria aut contradictiones pepererunt, vix se expedire queunt. Præterea antiquitatem non esse veram Ecclesiæ notam ex eo apparet, quod non semper ei competiit. Quo enim tempore nascebatur non erat antiqua. Atqui veras & necessarias rei alicujus notas ei semper competere necesse est; alioqui non infallibiliter illam indicabunt. Ab ipsa etiam rei essentia procedere debent, ut omnia adjuncta propria. Sed tempus & anni non sunt de Ecclesiæ aut doctrinæ alicujus essentia. Id enim si ita se haberet, quo antiquior esset Ecclesia tanto melior quoque foret, ac proinde hodierna præstaret illi quæ fuit temporibus Apostolorum; & mendacium lapsu temporis in veritatem converteretur. Excipient forte, sufficere ut vera doctrina prior sit falsa, licet non admodum sit antiqua. Sed ut non dicam illos sic notam quam proposuerunt deserere, cum antiquum & prius plurimum inter se differant; respondeo difficile admodum esse & nonnisi exercitatissimorum, de prioritate dogmatum judicare, siquidem extra Scripturas abeamus, ut volunt adversarii, & tam popularem non fore hanc notam, ut illi nobis polliciti sunt. Multi enim errores sunt antiquissimi, & jam à temporibus Apostolorum initium sumpserunt, ut ex Epistolis Pauli & Joannis constat, ubi de falsis Apostolis conqueruntur, & jam tum multos fuisse Antichristos dicunt. Et licet zizania in agro Domini post bonum semen fuerint seminata, utraque tamen simul conspici cœperunt, adeo ut ex externo aspectu dignosci non posset, quodnam prius satum esset. Imo si ad solam antiquitatem sit attendendum, causa cadet religio Christiana præ Ethnica, quæ nulla re se magis quam antiquitate defendere solita fuit. Qua de re vide Symmachi Epistolam ad Christianos Imperatores, Valentem, Theodosium & Arcadium, in qua ipsos orat ut religionem Ethnicam propter antiquitatem venerentur. *Jam*, inquit, *si longa ætas auctoritatem religionis faciat, servanda est tot seculis fides, & sequendi nobis parentes qui feliciter secuti sunt suos*, &c. Propterea vetat Deus Judæis ne antiquos idolorum cultus sectentur, dicens, *In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodite, nec in idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate, & judicia mea custodite & facite ea*, *Ezech.* xx. 18. 19. Nulla igitur alia vera antiquitas est præter Sacrarum literarum antiquitatem; quicquid cum eis consonat pro antiquo est recipiendum, etiamsi forte nunc primum nobis innotescere inciperet: contra quicquid ab eis discrepat pro novo est habendum, quamvis annos Mathusalæ jactaret. Hæc est antiquitas ad quam provocamus, & ex qua stare aut cadere nobis statutum est; sed cujus lucem reformidant adversarii. Unde facile est respondere ad id quod nobis de antiquitate Ecclesiæ Romanæ, & novitate cœtuum qui ab illa discesserunt, objicere solent; dicentes in omni insigni mutatione religionis semper ista sex demonstrari posse, 1. auctorem ejus. 2. dogma aliquod novum. 3. tempus quo cœpit. 4. locum ubi cœpit. 5. quis eam oppugnaverit. 6. exiguum aliquem cœtum, qui paulatim aliis accedentibus crescere cœperit. Idque optime competere Ecclesiis nostris, sed nullomodo suæ. Ex istis enim sex capitibus unicum tantum est necessarium ad recte de hac controversia judicandum, nimirum secundum; reliqua quinque nihil aut parum admodum ad rem faciunt. Si ergo probaverimus multa dogmata in Ecclesiam Romanam fuisse invecta, quæ temporibus Apostolorum erant incognita, & ex Sacris literis probari non possunt; contra vero nos nihil pro fidei articulo admittere, quod cum illis optime non conveniat, habebimus quod volumus. Istud vero cum ex speciali omnium controversiarum quæ nobis cum illis sunt tractatione elucescat, non est cur in eo nunc immoremur. Unico ergo verbo dicimus, nova esse dogmata, Laïcos, quos vocant, à Sacræ Scripturæ lectione esse arcendos, sacra & preces in Ecclesia lingua peregrina & maximæ Christianorum parti incognita esse peragendas, Pontificem Romanum esse caput totius Ecclesiæ, illum in fide errare non posse, dari ignem aliquem purgatorium in quo animæ fidelium post excessum à corpore torqueantur, illas inde liberari posse Missis & indulgentiis quas Papa depromit ex thesauro Ecclesiæ, composito ex superfluis Christi & sanctorum meritis, quem in sua potestate habeat; sanctos mortuos & Angelos absentes à nobis pie in omnibus nostris necessitatibus invocari posse, licitum esse Deum imagine aliqua corporea effingere, imagines Dei & sanctorum religiose colere & coram ipsis procumbere, panem & vinum in Sacra cœna in corpus & sanguinem Christi substantiari, qui ibi corporaliter sit præsens, & ab omnibus sub speciebus panis & vini sit adorandus, & in sacrificium

tium propitiatorium offeratur pro peccatis vivorum & mortuorum, aliaque ejusmodi plura. Hæc, inquam, omnia sunt nova, & pro talibus à nobis habebuntur, quoad usque eorum antiquitas ex Sacris literis probabitur. At non possumus demonstrare quisnam illorum sit auctor, quo tempore & loco cœperint, &c. Imo id non admodum difficile est antiquitatis Ecclesiasticæ perito, & à multis jam præstitum est, quos longum esset enumerare. Vide inter alios Polydorum Virgilium Pontificium scriptorem, qui in libro de Inventoribus rerum, originem & auctores variorum dogmatum Papalium satis accurate recenset. Et ex Reformatis Plessæum in libris de Institutione Eucharistiæ, & Mysterio iniquitatis, item Molinæum in opere quod inscripsit, De novitate Papismi. Sed fac impossibile nobis esse ista ostendere; an sequetur nullam mutationem in religione esse factam, cum illa, recepta hodie dogmata cum Scriptura conferenti, ad oculum appareat? Id sane inpleris-que rebus tum Physicis tum moralibus usu venire solet, ut prima mutationum initia difficile sit demonstrare, & tamen nullus qui sanæ mentis sit de iis vel minimum dubitet. Ita canus senex, & faciem rugis deformatam habens, non poterit dicere quando primum hæc mutatio in corpore suo fieri cœperit. Sed an propterea inde concludes illum adhuc talem esse qualis erat in flore suæ adolescentiæ? Mores etiam Ecclesiæ & curiæ Romanæ, fatentibus ultro Pontificiis, sunt valde corrupti; sed nec auctores, nec tempora istius corruptionis in promptu ipsis esset annotare. Eadem autem est doctrinæ: illa non est simul & semel depravata, sed sensim & insensibiliter. *Cum dormirent homines, venit inimicus, & seminavit zizania in medio tritici & abiit*, *Matth.* XIII. 25. Ergo nemo id animadvertit, nisi postquam zizania crevissent. Ecclesia Judaica temporibus Christi præbet nobis luculentum ejus rei exemplum. Ea multum desciverat à pristina sua puritate, & Pharisæi traditionibus suis irrita fecerant multa & magni momenti Dei præcepta. Nemo tamen potest ex historiis præcise annotare circumstantias præcipuas ingentis istius mutationis. Quis ideo factam negaverit? Perinde id esset, ac si furto apud aliquem deprehenso, fur putaret ad justificationem sui sufficere, quod legitimus rei dominus, non posset locum, tempus, modum indicare quo sibi surrepta fuisset. Æquum non est ut fides nostra, quæ unico Dei verbo inniti debet, ex historiis humanis stet aut cadat. Nec enim omnia quæ contigerunt in Ecclesia memoriæ prodita sunt, aut ita fideliter, ut in eis secure acquiescere possimus; nec quæ scripta fuerunt ad nos omnia, aut incorrupta pervenerunt; nec denique quamvis omnia plene & integre extarent, tamdiu suspendenda esset fides, donec omnia illa antiquitatis monumenta, quibus legendis vix integrum sæculum sufficeret, pervoluta fuissent.

VIII. *Tertia* Bellarmini nota est *perpetua & non interrupta Ecclesiæ duratio*; quam potuisset cum præcedente conjungere, nisi magno notarum numero se jactare delectatus esset. In eo enim tantummodo inter se differunt, quod illa tempus præteritum, hæc vero futurum respiciat. Eam vero propriam esse veræ Ecclesiæ notam inde probare contendit, quod regnum Christi in æternum duraturum sit, & nunquam finem habiturum, ut prædicitur *Dan.* II. 44. & VII. 14. *Luc.* I. 33. Contra hæreticorum cœtus non sint admodum diuturni, ut constat ex eo, quod Paulus dicit, illos non ultra esse profecturos, imo quod eorum amentia omnibus manifesta futura sit, 2 *Tim.* III. 9. Quod utrumque complectitur Gamaliel, dicens de Apostolis Domini Jesu, *Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere*, *Act.* V. 38. Sed respondeo 1. ex eo quod de æterna regni Christi duratione affert, non posse colligi Ecclesiam aliquam visibilem, qualem semper intelligit, in terris perpetuo & sine ulla interruptione permansuram, ut supra sufficienter ostendimus. 2. Duratio sola non est propria & reciproca veræ Ecclesiæ nota; nam sicut ab initio eam non poterat indicare, ita neque postea infallibiter indicabit, & falsis Ecclesiis, quæque doctrinam Christi non habent, etiam convenit. Id quod apparet ex parabola zizaniorum, *Matth.* XIII. ubi illa non minus quam bonum triticum ad tempus usque messis in agro Domini crescere dicuntur: & ex eo quod hædi ab ovibus non omnino separabuntur ante diem ultimi judicii, *Matth.* XXV. Itaque quod Apostolus in modo citato loco dicit de falsis doctoribus, quamvis plerumque verum esse comperiatur, non est tamen prorsus universaliter accipiendum, quasi id omnibus sine exceptione & necessario conveniret. Idque Pontificii ipsi agnoscunt, qui cœtus Paganorum, Judæorum, Arianorum, imo neque Abyssinorum, Græcorum, Armeniorum pro veris Ecclesiis non habent, quamvis ab initio ad hæc usque tempora continua serie duraverint. De Gamalielis vero pronunciato nihil opus est valde sollicitum esse, cum θεόπνευστον non sit seu divinum. Illud quidem non negarim, consilia humana quæ sine Deo suscipiuntur plerumque in fumum abire. Sed universaliter verum non esse ostendit historia seductionis Mahumetanæ, quæ supra mille annos jam duravit. Quamvis vero opus Dei ab hominibus non possit dissolvi, non semper tamen omnia ejus consilia irresistibili vi executioni mandantur, sed mediante libera hominum voluntate, quæ mutabilis est. 3. Cum perpetua alicujus cœtus duratio seorsim à vera doctrina considerata, veram Ecclesiam illum non faciat, hæc duratio non potest esse nota ex qua ille qui doctrinam ignorat, ad certam & infallibilem Ecclesiæ cognitionem pervenire queat: sed à doctrinæ examine inchoandum erit; quod adversariorum metho-

 dum

dum evertit, ideoque ab iis tanquam scopulus refugitur. 4. Perpetua duratio non conveniet Ecclesiæ Romanæ temporibus Antichristi, à quo dicunt juge Missæ sacrificium abolitum iri. Tunc enim, ipsis fatentibus, vera doctrina & visibilis Ecclesia interruptionem sunt passuræ. Ergo illa non est infallibilis veræ Ecclesiæ nota. Saltem expectandum erit usque ad finem mundi, antequam aliquid certi hac de re statui possit; cum illa Ecclesia, quæ nunc perpetuam multorum sæculorum durationem jactat, postea deficere & interruptionem aliquam pati queat.

IX. *Quarta* Bellarmini nota est *amplitudo* sive multitudo *& varietas credentium*. Quam probat ex eo, quod Ecclesia vere Catholica non solum amplecti debet omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, & omnia hominum genera, secundum Vincentium Lyrinensem, qui in suo Commonitorio eos proprie docet esse Catholicos, qui tenent id quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est. Quam ad rem quædam etiam Scripturæ testimonia citat, ut, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, *Psal.* II. 8. Item, *Dominabitur à mari usque ad mare*, &c. *Psal.* LXXII. *v.* 8. Unde Dominus ipse Euangelium suum dicit esse *prædicandum in omnes gentes, initio facto à Hierusalem*, *Luc.* XXIV. 47. & *Act.* I. 8. Sed respondeo, multitudinem non esse propriam veræ Ecclesiæ notam, cum ei nec semper nec soli conveniat. Non semper quidem, quia ab initio cum colligebatur à Jesu Christo & Apostolis paucos admodum complectebatur homines: unde ab ipso Domino appellatur *pusillus grex*, *Luc.* XII. *v.* 32. Nec Pontificii dicent temporibus Arianorum, qui totum fere orbem occupaverant, cum duo aut tres tantum Doctores Orthodoxi superessent, veram Ecclesiam ex multitudine agnosci potuisse. Nec cum ipsorum Antichristus venturus est; tunc enim Ecclesiam suam crudelibus ejus persecutionibus ad summam paucitatem redactum iri sentiunt. Nec soli Ecclesiæ Christianæ competit amplitudo, imo nec ei revera competit, nisi valde improprie. Quamvis enim in eo differat à Judaica, quod per totum terrarum orbem debeat esse diffusa, secundum prophetias Scripturæ à Bellarmino citatas, cum illa exiguis Palestinæ terminis contineretur; numerus tamen verorum fidelium, qui soli proprie illam constituunt, minor semper fuit quam infidelium & profanorum hominum. Quod significat Joannes, cum dicit, *totum mundum in malo esse positum*, 1 *Epist.* V. 19. Et, *omnes incolas terræ adoraturos bestiam*, *Apoc.* XIII. 8. Et Christus ipse, ubi monet nos intrare per angustam portam, quia *lata est porta & spatiosa via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam*, &c. *Matth.* VII. 13. 14. Et sane nunquam ita bene se habuerunt res humanæ, ut optima pluribus placerent, sed semper improborum & insipientium numerus major fuit quam sapientum & proborum. Unde Seneca argumentum pessimi dicit esse multitudinem. Imo si omnes quoquomodo fidem Christianam profitentes respicias, quod solum faciunt Pontificii, illi hodie nullo modo accedunt ad ingentem illam Paganorum & Mahumetanorum multitudinem, quæ amplissimas orbis provincias occupat. Nam quod magnifice jactant de Ecclesiis in utraque India à se erectis, vanum prorsus est, cum ubi rerum potiuntur multo plures per summam crudelitatem interfecerint, quam ad fidem Christi adduxerint: alibi vero exiguos admodum progressus fecerint; populosque illos infideles potius ab uno superstitionis genere ad aliud vocarint, quam vere in religione Christiana instituerint; adeo ut non immerito idem ipsis objici possit, quod olim Christus objiciebat Scribis & Pharisæis, *Circuitis mare & aridam ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*, *Matth.* XXIII. 15. Unde videre est, quam impudenter Pontificii pro veræ Ecclesiæ nota assumant amplitudinem, quam revera non habent, & quæ potius indicium est falsæ. Accipimus tamen propositam conditionem, ut ex Vincentii Lyrinensis sententia, illi proprie Catholici dicantur, qui tenent id quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est. Sic enim nos vere tantum Catholici comperiemur, qui nihil pro necessario fidei dogmate agnoscere volumus quod diserte in Scripturis non contineatur; siquidem id quod tale est, semper, ubique & ab omnibus creditum est, ut ex XII. illis articulis Symbolo Apostolico comprehensis videre est, de quorum veritate nulla unquam controversia mota est. Dogmata vero quæ paulo ante novitatis in religione Pontificia accusabamus, à multis Christianis, tam in præcedentibus sæculis quam in hoc nostro, non sunt agnita; ac proinde non sunt Catholica, sed mere particulares opiniones.

X. *Quinta* Bellarmini nota, est *Episcoporum successio continua, sine ulla interruptione ab Apostolis ad nos usque deducta*. Hanc autem ut probet esse propriam veræ Ecclesiæ notam, nulla affert S. Scripturæ testimonia, sed tantum auctoritate veterum aliquot Doctorum pugnat, videl. Irenæi, Tertulliani, Epiphanii, Optati & Augustini, qui sui temporis hæreticis objiciunt, illos non posse, perinde ut Catholici faciebant, ostendere in suis Ecclesiis continuam & non interruptam Episcoporum successionem, ab Apostolorum temporibus ad sua usque. Respondeo vero duorum generum esse successionem, nimirum doctrinæ & personarum, & hanc absque illa non magis veram Ecclesiam indicare quam falsam. Potest enim contingere, & reipsa sæpe contingit, ut Episcopi, qui aliis in eadem cathedra succedunt, prædecessorum suorum doctrinam rejiciant, & novam illius loco introducant. Si ergo dicant Pontificii, se utramque successionem requirere, non oportebit nudo Episco-

Episcoporum sibi invicem succedentium catalogo, qualem nobis magna cum pompa offerunt, contentos esse, sed ad examen doctrinæ erit deveniendum, & utrum hodierni Episcopi Apostolicam doctrinam retineant despiciendum: quod tamen fieri nolunt. Præterea successionem non esse propriam veræ Ecclesiæ notam inde patet, quod ei non competeret ab initio, cum maxime vera esset. Temporibus enim Christi & Apostolorum nulla adhuc erat Episcoporum successio; nisi forte quis dicere velit, eos Sacerdotibus Leviticis, aut Scribis & Pharisæis successisse, quo nihil foret absurdius. Contra multæ Ecclesiæ successionem istam habent, quas pro veris non agnoscunt adversarii nostri. Nam ut nihil dicam de Judaica, quæ licet summos Pontifices continua serie ab Aarone ad Christum usque numeraret, Christum tamen tanquam seductorem morte damnavit, & ejus Ecclesiam totis viribus est persecuta; Ariani olim de successione sua gloriati sunt, & hodie Græci, Abyssini, Armenii idem faciunt, quos tamen Pontificii schismatis & variarum hæreseωn accusant. Quod ergo veteres illi, quos Bellarminus citat, Doctores, hoc à successione petito argumento adversus hæreticos usi sunt, ideo fecerunt, quia illi aut rejiciebant magnam partem S. literarum, adeo ut ex eis valide erroris convinci non possent, aut jactabant traditiones quasdam quasi ab Apostolis ad se perpetua serie derivatas, cum tamen nullam pastorum suorum, à quibus eas accepissent, successionem ostendere possent. Hocque fuit argumentum ad hominem, ut vocant, quod post multa alia è Scripturis deprompta attulerunt, ut adversarios propriis armis confoderent. Sed tantam in eo fiduciam collocare, quasi solum & sine Scripturarum testimonio valiturum sit, valde absurdum est, cum ultra verisimilitudinem non abeat. Adde quod illi, qui ita pugnant, successionem istam Episcoporum non interruptam, de qua gloriantur, non habeant; ut evincunt varia schismata, quæ in sede Romana & Episcoporum electione obtinuerunt; Ipse Bellarminus in Chronologia sua, quam subtexuit libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, 26 enumerat. Et aliquando non tantum duo, sed etiam tres simul fuerunt qui singuli se pro legitimis Petri successoribus venditarunt, ut tempore Concilii Constantiensis Gregorius XII. Benedictus XIII. & Joannes XXIII. Ut jam nihil dicam de Simonia, fraudibus, violentia, aliisque malis artibus quibus multi se in Papatum intruserunt, & successionem quam jactant irritam reddiderunt. De quibus vide Platinam in vitis Pontificum, & alios historiographos, inprimis Baronium Cardinalem in Annalibus suis. Quod ergo objiciunt, Pastores Ecclesiarum, quæ ab Ecclesia Romana defecerunt, successionem suam ab Apostolis ad hæc usque tempora ostendere non posse, & legitime ordinatos non esse, nullius est momenti. Sufficit si probent se habere doctrinæ successionem, id est, se eandem cum Apostolis doctrinam docere, & se secundum Apostolicos canones, 1 *Tim.* III. & *Tit.* I. contentos, ad munus suum fuisse cooptatos. Hoc enim evicto, habent quod volunt, nec necesse est eos de reliquis sollicitos esse. Etenim multi antiquis temporibus Euangelium prædicarunt sine personali successione, aut ulla solemni in munus Pastorale facta ordinatione. Sic narrat Lucas *Act. cap.* VIII. eos qui dispersi fuerant ex Ecclesia Hierosolymitana, propter persecutionem post mortem Stephani obortam, regiones Judææ & Samariæ pertransivisse, annunciantes verbum. Et *cap.* X. addit, eosdem perambulasse usque Phœnicem & Cyprum & Antiochiam, loquentes verbum Judæis. Quosdam vero ex illis Cyprios & Cyrenæos Antiochiæ locutos esse ad Græcos, annunciantes Dominum Jesum, & manum Domini cum eis fuisse, adeo ut ipsorum ministerio magnus hominum numerus ad Deum conversus sit. Qua de re in sequentibus proprio loco uberius erit agendum.

XI. *Sexta* Bellarmini nota est *conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua.* Eam vero neque ullo Scripturæ testimonio, neque aliunde petita ratione, Ecclesiæ probat competere. Sed tantum affert Tertulliani testimonium, qui in libro de Præscript. docet, veram Ecclesiam Apostolicam dici non solum propter successionem Episcoporum ab Apostolis, sed etiam propter doctrinæ consanguinitatem. Dicitque Theodosium imperatorem à Sozomeno laudari *lib.* 7. *cap.* 12. quod hac arte compescuerit sui temporis hæreticos. Convocatis enim sectarum principibus, petiit ab iis, an existimarent antiquos Patres, qui ante sua tempora fuerant, recte de religione sensisse; & cum annuissent, subjunxit, Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta, & si cum illis consenserit, retineatur, sin minus, abjiciatur. Ad quod resp. 1. Istam notam nullo modo differre à secunda, quæ est Antiquitas: potuisse itaque Bellarminum ab ea afferenda supersedere, nisi magno notarum numero jactare se voluisset. 2. Dico nos non tantum ultro agnoscere, sed etiam urgere, eam esse veram Ecclesiam, quæ in eadem doctrina cum Apostolica consentit, ut habet Tertulliani testimonium. Ut autem id agnoscatur, alio non est recurrendum quam ad scripta Apostolica. Ea enim optime & fidelissime nobis illius temporis Ecclesiæ faciem depingunt. Sed addo, hoc ipsum esse τὸ κρινόμενον, utrum Ecclesia Romana cum Apostolica in doctrina conspiret. Hoc enim nullus eorum qui ab ea discesserunt concesserit, utpote qui omnes eam depravatæ doctrinæ Apostolicæ accusant, ideoque cum ipsa cultus divini & fidei communionem habere detrectant. Quare ista nota, quæ doctrinæ examen necessario requirit, ab adversariorum, qui illud refugiunt, mente & proposito aliena est. Non enim est nota externa, qualem pollicentur, ex qua

idiota & sacrarum literarum ignarus Ecclesiam veram à falsa statim discernere possit. 3. Quod ad Theodosii factum attinet, id vim legis non habet, utpote à consilio humano profectum, neque ulla auctoritate divina subnixum. Attamen utilius illo tempore, annis nempe à Christo nato quadringentis aut circiter, ea agendi ratio observari potuit quam hodie; quia multa adhuc eorum, qui Apostolorum ævo proximi vixerunt, fidelia monumenta reperiebantur, quæ postea temporum injuria perierunt. Et sane si hodie extarent scripta illorum, qui Apostolos ipsos docentes audiverunt, non dubitaremus eos, ubi de Apostolorum mente ambigitur, tanquam interpretes idoneos consulere. Sed nulla talia reperiuntur, saltem de quibus certi esse possimus ea integra & incorrupta ad manus nostras devenisse. Si vero sequentium temporum Scriptores consulendi essent, ut de Ecclesiæ hodiernæ cum illis consensu vel dissensu constare possit, non solum operosissima esset nota, & quæ paucis tantum quibusdam liberorum helluonibus inserviret, sed etiam incerta & inutilis. Operosissimam sane fore, nemo negare potest, qui vel obiter ingentem illum Scriptorum Ecclesiasticorum numerum qui nobis supersunt perlustrarit, ad quos legendos vix hominis vita sufficit. Stare autem exceptis quæ inde facta sunt non esse tutum, inde animadvertere est, quod sententiis dissidentes inde singuli privatas suas opiniones confirmare nituntur. Incertam vero esse hanc notam, ac proinde inutilem ad veram Ecclesiam investigandam, illud ostendit, quod scripta veterum quæ habemus, quantumvis maximo numero, non possunt nos de veteris Ecclesiæ sententia certos reddere, cum ne millesimam quidem, imo ne decies quidem millesimam Doctorum sui sæculi partem constituant: & nesciamus utrum illi ab istis sententiis discreparint. Quod pleraque à falsariis sint corrupta; adeo ut ex illis genuinam scriptorum, quorum nomina præ se ferunt, mentem colligere nequeamus. Ne jam dicam eos quæstiones hodie controversas non tractare, aut tantum obiter & aliud agentes attingere, multisque in locis difficillimos esse intellectu, & sæpe non minus de eorum quam de Sacrarum literarum mente disputari. Quæ omnia ostendunt frustra ad eos in hodiernis religionis dissidiis recurri. Non quod eorum lectionem contemnam, quam magni usus esse ad cognoscendam Ecclesiasticam historiam, aliaque, libenter agnosco; sed quod tantum eis tribui nolim quantum video hodie à multis fieri, qui eos tantum non Sacris literis æquiparant. 4. Consensus, quem Romanenses cum Ecclesia antiqua jactitant, imaginarius est. Ex Bellarmino enim aliisque celebribus ipsorum Doctoribus videre est, quam parvi singulos veteres Patres faciant, cum dogmatis in Ecclesia sua receptis adversantur: quod cum à Molinæo in sua Novitate Papismi prolixe sit demonstratum, ne actum rursus agam sine necessitate, huic operæ parcam.

XII. *Septima* nota est *unio membrorum inter se & cum capite*; quam veram esse Ecclesiæ notam ex eo probat Bellarminus, quod Ecclesiam esse unum corpus, unam sponsam, & unum ovile, Scripturæ doceant, *Rom.* XII. 4. 5. *Cant.* VI. 8. *Joan.* X. 16. Item quod in Symbolo Constantinopolitano dicitur, Ecclesiam esse unam. Præcipuam autem unitatem corporis consistere in conjunctione membrorum cum capite, qui est Romanus Pontifex, & membrorum inter se mutuo. Hanc vero in sola Romana Ecclesia reperiri, & nullam esse inter eos qui ab ea discesserunt. Sed respondeo, unionem non posse esse veræ Ecclesiæ notam, cum ea etiam inter malos reperiatur. Nam ut non dicam piratas & latrones sæpe arctissimam inter se communionem colere, & dæmonas ipsos inter se esse unitos, cum ni id esset regnum ipsorum stare nequiret, ut docet Christus *Matth.* XII. quis nescit olim Sacerdotes Baalis adversus Eliam & Michæam, veros Dei Prophetas, congregatos, valde concordes fuisse? qua de re vide 1 *Reg.* XVIII. & XXII. Nonne etiam *Apocal.* XIII. 16. legimus, omnes orbis incolas, magnos pariter & parvos, bestiam seu Antichristum secuturos? Id autem sine unione fieri non poterit. Imo Mahumetani & Judæi hodie magis sunt uniti in sua religione quam Pontificii, & omnes Ecclesiæ hæreticæ, etsi ab aliis divisæ, in se tamen sunt unitæ. Constare igitur prius debet, doctrinam, in qua aliqui sunt uniti, esse veram, quam ex illa unione colligi possit eos esse veram Ecclesiam. Ut vero id fiat, ad examen doctrinæ veniendum erit, quod optamus unice, ac proinde unio talis nota non erit, ex qua, qui veram doctrinam nondum tenet, ad veræ Ecclesiæ cognitionem pervenire possit. Neque etiam quælibet discordia, quæ inter aliquos cœtus reperitur in rebus ad religionem pertinentibus, arguit aut omnes illos, aut etiam quosdam illorum non esse veram Ecclesiam. Nam si in fundamento fidei consentiunt, dissidia in reliquis hunc eis titulum eripere non poterunt. Nec refert quod eum sibi invicem aliquando abjudicent; hoc enim est infirmitatis humanæ: & fratres, quantumvis inter se contendentes, fratres esse non desinunt. Ita omnes Ecclesiæ, quæ in necessariis conveniunt, unum sunt Christi corpus, una sponsa, & unum ovile; cum sine reliquis vera fides consistere possit. At non sunt unitæ cum Pontifice Romano. Ita est: sed eum pro capite non agnoscunt: sufficit si cum Christo unionem colant; quamdiu ea manet, salva res est. Quod ergo objiciunt Pontificii cœtibus qui ab iis discesserunt, eos non esse veram Ecclesiam, quod inter se concordes non sint, sed Lutherani damnent Calvinistas, hi vero illos, utrique vero Anabaptistas, Socinianos, & Arminianos, nullam vim habet. Nam neque Pon-

Pontificii cum ullo istorum cœtuum, quibus discordiam objiciunt, concordes sunt. Et Mahumetani atque Judæi non minori cum specie adversus illos pugnant isto argumento, quam ipsi adversus alios. Dicunt enim, non estis concordes cum Græcis, Lutheranis, Calvinistis, Ergo non estis vera Ecclesia. Si quid commode adversus istam objectionem reposuerint, id nobis etiam usui esse poterit ad ipsosmet refutandos. Deinde sciendum est, non esse talem in Ecclesia Romana unionem qualem ipsi jactare solent. Si qua est, illa est coacta & tyrannica, non spontanea & libera. Metu suppliciorum aut amittendorum honorum & commodorum temporalium qualemcunque unionem inter se servant, alias in multis magnisque inter se dissident, ut disputationes ipsorum legenti constare potest. Et ut taceam Prædestinationis & annexorum dogma, de quo non minus acriter inter se digladiantur quam Protestantes inter se; & quæstionem de Conceptione B. Virginis inter Dominicanos & Franciscanos agitatam, aliaque ejusmodi plura, non sunt concordes in duobus capitibus maximi inter omnia momenti, nimirum quis summam in Ecclesia auctoritatem habeat, Papa an Concilium, & utrum Papa possit in fide errare nec-ne, de quibus contrariæ exstant Conciliorum decisiones; Constantiensi & Basileensi statuentibus, Papam errare posse, & Concilio subjectum esse, Tridentino vero contrarium: adeo ut hodie adhuc ista lis indirempta maneat, & in Gallia Sorbona cum Episcopis & Prælatis Concilio summas deferat, Jesuitæ vero aliique monachi, Papæ. Vide etiam Pareum in Irenico de Pontificiorum dissensionibus.

XIII. *Octava* Bellarmini nota est *Sanctitas doctrinæ*, probatque illam Ecclesiæ convenire ex eo, quod in Symbolo vocetur *Sancta*. Eam autem hoc elogio ornari, quia ejus professio est sancta, nihil continens falsi quod ad fidei doctrinam, nihil injusti quod ad doctrinam morum. Idque soli Catholicæ Romanæ Ecclesiæ convenire. Cum contra religiones Paganorum, Philosophorum antiquorum, Mahumetanorum, Judæorum qui post Christi adventum vixerunt, & hæreticorum, tum veterum tum nostri temporis, multa absurda & turpia habeant. Resp. 1. Sanctitatem doctrinæ non esse quid externum, ex quo ante omnem explorationem doctrinæ agnosci possit vera Ecclesia. Non minus enim diligenti examine opus est ad dijudicandum utrum doctrina aliqua sit sancta, quam utrum sit vera. Imo veritas cum sanctitate indivulso vinculo cohæret, nec prius quisquam de sanctitate alicujus doctrinæ certus esse potest, quam ipsi de ejusdem veritate constet. Nolunt autem adversarii nostri veritatem doctrinæ esse notam veræ Ecclesiæ. Itaque sibi ipsi non obscure contradicunt. 2. Ecclesia non vocatur sancta, saltem præcipue, propter sanctitatem professionis, quæ est quid externum, & hypocritis cum veris fidelibus commune; sed ratione veræ sanctitatis internæ, quæ de illius essentia est, nullique alii cœtui præter ipsam convenit. Siquidem à Christo sanctificata est & mundata, ut non habeat maculam aut rugam, sed ut sit sancta & immaculata, *Ephes.* v. 25. 26. 27. Sed Pontificii propriæ turpitudinis conscii, non audent ejusmodi sanctitatem tribuere Ecclesiæ suæ; ad quam etiam, ut supra vidimus, non minus sceleratos hypocritas, quam veros fideles pertinere contendunt. 3. Dico neque valde in multis esse sanctam Romanæ Ecclesiæ professionem; adeo ut si ex illa de veritate ipsius sit judicandum, necessario causa cadere eam oporteat. Non jam loquar de multiplice ipsius idololatria in cultu imaginum, reliquiarum, adoratione hostiæ, invocatione mortuorum, aliisque ejusmodi; mentionem tantum faciam dogmatum, quibus aperta sceleribus licentia conceditur; verbi gratia, quod in Constantiensi Concilio dicitur Sigismundo Imperatori, cum non obstante salvo conductu Hieronymo Pragensi & Joanni Hus dato, posse eos propter hæresin supplicio afficere. Item quod Papa dicitur habere potestatem dispensandi subditos à juramento fidelitatis, quo Regibus suis obstricti sunt, si illi reges hæreticis faveant, aut Ecclesiæ sint immorigeri. Nec non, quod potest permittere matrimonia in gradibus consanguinitatis & affinitatis lege divina expresse prohibitis. Imo quod licet ei lupanaria publica erigere, & ex eis tributum accipere. Nec bene etiam cum sanctitate morum convenit dogma, licere liberis invitis parentibus in monasterium ingredi; item posse aliquem pecunia aliorum merita seu bona opera redimere, quæ ipsi ad salutem prosint, quantumvis impie vivat; multaque hujusce generis, quæ apertam vitiis fenestram aperiunt. Non est opus ut hic quicquam respondeam ad ea, quæ Bellarminus tum Lutheranis tum Calvinistis objicit, ut impuritatis doctrinæ eos convincat, v. gr. quod illi doceant infantes qui baptizantur in Christum credere, bona opera non esse necessaria ad salutem, hi vero omnia tam mala quam bona fatali necessitate contingere putent, & Deum peccata decernere ut fiant: Utrique vero, quod justificemur ex speciali fide, qua credimus peccata nobis jam actu propter Christi satisfactionem esse remissa, sine ullis bonis operibus, & antequam à peccatis resipiscamus. Defendant hæc, si possint, qui ea docent & profitentur. Quod ad nos attinet, nihil nobis cum illis commune est, nec solum optavimus, sed etiam quantum in nobis fuit laboravimus, ut à Protestantibus emendarentur, offendiculumque ingens, quod inde nascitur, præcaveretur. Sed surdis fabulam cecinimus.

XIV. *Nona* Bellarmini nota est *efficacia doctrinæ*: quam ex eo probat, quod sola vera Ecclesia habet legem Dei convertentem animas, *Psal.* XIX. & sermonem Dei vivum penetrantem usque

usque ad divisionem animæ & spiritus, *Hebr.* IV. Et quod Ecclesia Apostolica olim brevissimo tempore, per homines contemptibiles externa specie, sine armis & sine pompa verborum, totum traxit mundum, id est, homines magnos, parvos, doctos, indoctos, juvenes, senes, viros & fœminas, & traxit non ad delicias hujus sæculi, sed ad crucem & angustias, & vitam perfectissimam repugnantem carni & sanguini, & hæc omnia propter præmium nullum in hac vita, sed solum in futura; & hoc ita persuasit, ut maluerint plurimi potius amittere omnes opes, honores, amicos, affines & vitam ipsam, quam Christi fidem. Deinde ostendit eandem efficaciam se etiam exeruisse sequentibus sæculis, in convertendis infidelibus; & denique hoc nostro, in quo dicit Catholicos multa gentilium millia ad fidem Christianam adduxisse, sicut & Romæ singulis annis multos Judæos; cum nihil ejusmodi Lutherani & Calvinistæ possint facere. Sed resp. Quamvis verbum divinum, quod in vera Ecclesia tanquam depositum custoditur, vim habeat internam, per quam aptum est ad convertendos peccatores à pravis suis viis, tamen quia id non operatur irresistibiliter, sed mediante hominis voluntate, & requirit cor docile & salutis suæ avidum in iis qui convertuntur, hinc fieri, ut non semper & ubique ejusmodi effectum sortiatur. Qua de causa videmus, Prophetam Esaiam conqueri de incredulitate populi Judaici, cui verbum Dei annunciabat, *Quis credidit*, inquit, *auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Esa.* LIII. *v.* 1. Idemque contigisse Domino ipso Jesu prædicante, apparet ex historia Euangelica. Unde Joannes sui temporis Judæis, quibus Christus annunciabat Euangelium, applicat hoc ipsum Esaiæ testimonium, & dicit, *Cum tanta signa fecisset coram eis Jesus, non credebant in eum*, *Joan.* XII. 37. 38. Idemque non raro Apostolis concionantibus contigit, ut videre est *Act.* XIII. & XXVIII. & alibi. Inde tamen quis colliget, doctrinam quam annunciabant non fuisse veram aut divinam? Ergo efficacia doctrinæ non est proprietas seu nota, quæ semper & ubique verbo divino conveniat. Nec statim doctrina aliqua tanquam falsa rejicienda est, quia in illa efficacia divina & miraculosa non animadvertatur. Imo neque soli verbo Dei ejusmodi efficacia convenit. Nam etiam aliquando mendacium valde efficax est ad homines seducendos. Id quod vel ex solo *cap.* 2. *Epist.* II. *ad Thessal.* discere est, ubi dicitur homo peccati, filius perditionis, qui Antichristus est, venturus in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, quibus Deus, eo quod dilectionem veritatis non receperunt, mittet efficaciam erroris ut credant mendacio. Cui similia etiam alibi multa extant, ut 2 *Tim.* III. 13. & 2 *Pet.* II. 1, 2. *Matth.* XXIV. *v.* 4. 5. *Apoc.* XIII. 8. 13. *& seqq.* Quis negabit etiam doctrinam Mahumetis fuisse valde efficacem, quæ brevi temporis spatio latissimas occupavit orbis provincias, & ad quam plurimi defecerunt, qui primo in religione Christiana fuerant instituti? Inde-ne colligitur illam esse divinam, Christi contra diabolicam? Excipient forte Pontificii, id vi armorum factum esse, quibus Mahumetani subactos populos ad religionem suam amplectendam coëgerunt. Sed ut non negarim id sæpe contigisse, tamen certum est etiam multos sponte se illi sectæ, quam adeo prosperos successus habere videbant, adjunxisse; indeque quam efficax fuerit Mahumetis seductio apparere. Præter quis nescit Pontificios in propaganda hodie sua religione Mahumeticas artes imitari? & multo plures in novo orbe ab Hispanis militibus fuisse trucidatos, quam ab ipsorum Monachis & Presbyteris ad fidem Christi adductos? Nam quod afferunt de iis, quæ ab Apostolis & eorum in opere Domini coadjutoribus olim facta sunt, nihil ad eos id pertinet, saltem non magis quam ad eos qui ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt. Faciunt enim tantum ad confirmandam religionem Christianam in genere, non ad hujus aut illius Christianorum sectæ bonitatem in specie ostendendam. Ac sane illi populos idololatras non ad Pontificem Romanum, sed ad Deum creatorem cœli & terræ & Christum ejus converterunt. Et doctrinam quam annunciarunt, Pontificiæ religioni non favere inde cordati agnoscent, quod nolint ad eorum scripta controversias quas cum Protestantibus habent decidi; imo nequidem illa à laïcis, quos vocant, legi. Quod proculdubio non prohiberent, si putarent ea causæ suæ favere. In summa, agnoscimus doctrinam olim à Christo & Apostolis ejus annunciatam fuisse mirifice efficacem, in adducendis hominibus ad veri Dei cognitionem: sed de ejus possessione cum Pontificiis contendimus, illis asserentibus eam à se stare, nobis vero contra. De suæ vero doctrinæ efficacia eos valde dubitare inde liquet, quod non amplius ad eam propagandam sola persuasione utuntur, sed vim & arma adhibent. Ac proinde quod una manu adstruere velle videntur, altera imprudentes destruunt.

XV. *Decima* Bellarmini nota, est *Sanctitas vitæ auctorum, sive primorum Patrum religionis Catholicæ Romanæ.* Per auctores autem & Patres illos intelligit primum Patriarchas & Prophetas, deinde Apostolos, tum Doctores qui contra singulas hæreses dimicarunt, denique institutores ordinum religiosorum, seu monachorum, quos omnes tam sanctos, castos, pios & sobrios fuisse dicit, ut adversarii nihil habeant quod in iis reprehendant, nisi nimiam sanctitatem. Hæreticos contra omnes variis fuisse vitiis inquinatos, præsertim superbia; idque nominatim ostendere nititur de Theobute, Simone Mago, Valentino, Marcione, Montano, Novatiano, Sabellio, Ario, Nestorio, Wuiclefo, Luthero, aliisque.

aliisque. Tandemque Lutheri & Lutheranorum testimonia producit, in quibus conqueruntur auditores suos indies deteriores fieri. Sed respondeo, Nos neminem pro religionis nostræ auctore agnoscere, præter Dominum Jesum, & pro ejus interpretibus nullos habere, nisi Prophetas & Apostolos. Illorum autem sanctitatem non minus jactare possunt Græci, Armenii, Abyssini, Protestantes, quam Pontificii. Itaque etsi multum faciat ad ostendendam religionis Christianæ veritatem, illamque adversus incredulos defendendam, prorsus tamen inutilis est ad probandum religionem apud hanc aut illam sectam potius incorruptam retineri, quam apud alias. Nam communia distinctionem non faciunt. Præterea sanctitas vitæ aliorum Christianæ religionis Doctorum, nota certa esse non potest veritatis doctrinæ quam professi sunt, cum de illa nemini infallibiliter constet. Vera enim sanctitas est quid internum, quod soli Deo cordium scrutatori notum est, & sæpe ab hypocritis ita simulatur, ut pro sanctis habeantur ab iis qui in illorum arcana non introspiciunt, & secundum charitatem non suspiciosam, quæ errori obnoxia est, judicant. At judicium istud charitatis non sufficit, ubi de fulcimento fidei agitur. Quid fiet ergo si de multis illorum Doctorum probari possit, eos non admodum castigatæ vitæ fuisse? Sed nihil necesse est id facere. Maneant sepulta ipsorum vitia per nos licet. Unum tamen non dissimulabo, institutores ordinum monachorum omnes vere potius superstitiosos quam sanctos fuisse, ut qui pietatem posuerint in exercitiis corporalibus, jejunandi, nudis pedibus incedendi, humi cubandi, corpus flagellandi, preces sine mente recitandi, aliisque similibus, de quibus diserte Paulus dicit, ea ad pauca utilia esse, cum pietas sit ad omnia utilis, 1 *Tim.* IV. 8. Imo nonnulli piorum persecutores acerbissimi fuerunt, qualis inter alios fuit Dominicus, antesignanus persecutionum adversus Albigenses in Gallia institutarum. Sed cur Bellarminus mentionem nullam hic facit Pontificum Romanorum, quibus alibi tribuit quod decreta infallibilis veritatis de rebus fidei cudant? Ad rem sane quam tractat multo plus intererat scire, quænam fuerit eorum sanctitas, quam institutorum monachatus, qui nullam auctoritatem habent in Ecclesia. Causa silentii non est obscura: puduit illum fœditatem ulceris istius revelare. Non ignorabat, quam plurimos Paparum sceleratissimos fuisse, adeo ut si ex ipsorum moribus de religione quam profitebantur judicium ferendum esset, merito pessima existimaretur. Sed forsitan se tegent illo Christi de Scribis & Pharisæis loquentis, *Sedent supra cathedram Mosis: Omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate & facite, secundum vero opera eorum nolite facere*, *Matth.* XXIII. Videndum ergo esset, utrum Pontifices isti super cathedram Petri sedeant, ut jactare solent, id est, an Petri doctrinam inculcent, ut Scribæ & Pharisæi legem Mosis. Sed id refugiunt, quantum possunt, voluntque ut ipsis affirmantibus absolute credatur. Verum quis adeo credulus erit, ut sibi persuaderi sinat, illos qui vitæ sunt profligatissimæ, spiritum infallibilitatis habere, cum Spiritus Dei sanctus non habitet in corde impuro? De sceleribus autem Paparum testimonium perhibent omnes, qui vitas eorum descripserunt, etiam ipsorum adulatores, & Pontificiæ religioni addictissimi; quales fuerunt Platina, Genebrardus, Baronius. Hic in Annalibus suis ad annum Christi 912 sic de illis loquitur: *Quæ tunc facies Ecclesiæ Romanæ quam fœdissima, cum Romæ dominarentur potentissimæ æque ac sordidissimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, &, quod auditu horrendum & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasii pseudo-Pontifices; qui non sunt nisi ad consignanda tantum tempora in Catalogo Romanorum Pontificum scripti.* Et ne quis putet id quod dicit Baronius instar nubeculæ fuisse, quæ splendorem Pontificiæ sedis ad momentum tantum aliquod obscuraverit, audiatur Genebrardus in Chronologia ad annum 901 dicens: *Hoc uno seculum hoc infelix, quod per annos fere centum quinquaginta, Pontifices circiter quinquaginta à virtute majorum prorsus defecerint, Apotactici apostaticive potius, quam Apostolici.* Imo non tantum id centum illis & 50 annis contigisse, sed diu ante & post, testis est locupletissimus Platina, qui circa annum Christi 850 Joannam Papissam vixisse refert. Quod licet vulgo hodie tanquam fabulam rideant Pontificii, magnos tamen auctores habet, & qui nullomodo suspectæ apud ipsos fidei esse debent. Denique quod variis hæreticis objicit Bellarminus præterquam quod id nihil nos tangit, non omnino etiam certum est, utpote de quo tantum testentur ipsorum adversarii. Et licet deplorandum sit mores Protestantium non esse sanctiores, inde tamen argui non potest doctrinam malam esse, quandoquidem ea vitia severe redarguunt. Nec depravatio illa major est, quam fit ipsius Cleri Pontificii, prout describitur à Bernardo in Cantic. Cant. Conc. 33. & à multis aliis.

XVI. *Undecima* Bellarmini nota est *gloria miraculorum*: quam ut talem esse demonstret, duo præmittit fundamenta. Unum, miracula esse necessaria ad novam fidem vel extraordinariam missionem persuadendam. Alterum, illa esse efficacia & sufficientia. Primum autem probat exemplo Mosis, quem Deus cum mitteret ad populum Israëliticum, potestate faciendi miracula instruxit, dicens, *Ut credant quod apparuerit tibi Dominus*, &c. *Exod.* IV. I. & *seqq.* deinde exemplo Christi, qui ad miracula sua provocat, *Si opera*, inquit, *in eis non fecissem quæ nemo alius fecit peccatum non haberent*, *Joan.* XV. 24. denique exemplo Apostolorum, quos cum Christus ad annunciandum Euangelium mitteret, dixit eis, *Infirmos curate*, *mortuos suscitate*,

leprosos mundate, dæmones ejicite, Matth. x. Deinde id hac ratione probat, quod qui mittitur, debeat ostendere testimonio ejus à quo mittitur suam auctoritatem, cum alioqui nemo teneatur ipsum recipere. Testimonium autem & sigillum missionis divinæ aliud non esse, quam miraculum; ut discimus ex *Marci cap.* XVI. ubi de Apostolis dicitur, *Illi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* & ex *Hebr.* II. 4. *Contestante Deo signis & virtutibus*, &c. Alterum vero fundamentum, nempe quod miraculum sit testimonium sufficiens divinæ veritatis, & ubi est verum miraculum, ibi quoque vera sit fides, ex eo probat, quod vera miracula non possunt fieri nisi Dei virtute, utpote quæ omnium creaturarum vires superent. Itaque quod miraculo confirmatur, Dei ipsius testimonio confirmari; & cum Deus non possit esse testis mendacii, id quod miraculo confirmatur necessario esse verum. His jactis fundamentis, colligit ex priore, apud Ethnicos, Turcas, Judæos, hæreticos non esse veram fidem, cum nulla faciant vera miracula, quibus novam quam annunciant doctrinam confirment. Ex posteriore vero concludit, Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, utpote in qua singulis ætatibus plurima & testatissima facta sint miracula; in primo nimirum sæculo à Christo & ipsius Apostolis: in secundo, à Christianis militibus in exercitu M. Antonini; in tertio Gregorii Thaumaturgi, &c. denique ultimo hoc sæculo à Francisco de Paula, Xaverio Jesuita, aliisque. Resp. Agnoscere nos miracula esse necessaria, ad novam doctrinam & antea inauditam confirmandum quod ex Deo sit. Ideoque Deum Mosem & Christum, qui ad novam religionem annunciandum veniebant, cum potestate miracula faciendi misisse. Quod nisi fecisset, non potuissent incredulitatis & rebellionis in Deum accusari, qui eorum testimonium rejecissent, utpote de cujus divinitate convicti non fuissent in cordibus suis. Nec etiam diffitemur, quin ex veris miraculis sufficienter probari possit eos, qui ea faciunt, Dei esse legatos, & veram doctrinam annunciare, cum Dei ipsius sigillum ostendant, quod Deus ad falsæ doctrinæ confirmationem adhiberi non esset permissurus. Sed tamen dicimus, immerito miracula requiri à Protestantibus, qui nullam se aliam doctrinam afferre profitentur, quam quæ primum à Christo & ejus Apostolis fuit annunciata, adeoque sufficienter miraculis ipsorum confirmata, ut nova rursus cum ratione desiderari nequeant. Sed dices, Falso id jactant. Esto; convince ergo eos Sacrarum literarum testimoniis, & ostende dissonantiam quæ est inter ipsos & Prophetas atque Apostolos ad quos provocant. At propterea jus miracula ab iis exigendi non habes. Sicut enim olim Ezechias, Josias aliique pii Reges, qui collapsum Dei verum cultum in populo Israëlitico instaurarunt, miracula non fecerunt, ut probarent se à Deo ad hanc reformationem fuisse missos, sed tantum legem Dei protulerunt, in qua divini cultus regula continetur, & ad eam se velle omnia conformare professi sunt: ita sufficit iis, qui ab Ecclesia Romana propter ejus idololatriam hæresin & tyrannidem secessionem fecerunt, ostendere se nihil alienum à Sacris literis docere. At dicunt se extraordinarie à Deo esse missos; Ergo missionis suæ literas & sigilla, quæ sunt miracula, tenentur proferre. Resp. Si qui missionem ejusmodi jactent, fatemur ipsis onus illam probandi incumbere. Sed nos id minime facimus. Extraordinarium quidem aliquid fuit in vocatione illorum, qui primi adversus Ecclesiæ Romanæ corruptelas concionati sunt, ratione ordinis tunc recepti: sed non respectu doctrinæ, seu. Euangelii, ad quod docendum omnes ii tenentur ex ordinaria charitatis lege, qui apti sunt, si sint qui ab iis institui postulent. Præterea neque omnes qui extra ordinem olim missi sunt ad docendum in populo Israëlitico, dono miraculorum claruerunt, ut Hoseas, Amos, aliique multi. Nimirum Deus necessarium id esse non judicabat, cum tantum eos mitteret ad revocandum populum ad observationem legis, quæ antea tot miraculis confirmata fuerat, ut de ejus veritate dubitandi nulla esset causa. Imo neque ipse Joannes Baptista, Prophetarum maximus, ulla miracula fecit, ut expresse dicitur *Joan.* X. 41. Nam illa quæ circa nativitatem ejus contigerunt, ei quidem in vocatione sua confirmando inservierunt, sed non doctrinæ ejus probandæ, cum ad paucorum cognitionem pervenisse credibile sit, & triginta circiter annis ejus prædicationem antecesserint; miracula autem, quæ ad doctrinæ alicujus confirmationem fiunt, eam comitari debeant. Nunc quod ad miracula attinet quæ Pontificii pro se allegant, dicimus ea quæ à Christo, Apostolis & primis Christianis facta sunt, magis inservire confirmandæ religioni nostræ quam ex solis Sacris literis hausimus, quam Papisticæ, quæ tot iis incertas traditiones adjungit. Et ex iis probari non posse transubstantiationem, purgatorium, indulgentias, aliasque ejusmodi fabulas, quarum tunc ne nomina quidem erant cognita. Et quod ad miracula sequentium sæculorum, etsi maxime vera essent, qui ea venditant non forent audiendi, si doctrinam Euangelicæ contrariam afferrent; secundum illud Pauli ad *Galat.* I. 8. *Si Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema sit.* Apparitio enim Angelica cum cœlesti fulgore inter species miraculorum referri posset. Et Deus vetuit olim auscultari prophetæ, qui prædixisset signum aut portentum aliquod quod postea eventu esset comprobatum, si diceret, *Eamus & sequamur deos alienos, Deuter.* XIII. 1. *& seqq.* Et sane cum lex innumeris prodigiis fuisset confirmata,

mata, unum aut alterum signum ad eam evertendum nullum pondus habere debebat. Eadem autem est Euangelii ratio, imo multo potior. Ideoque præmoniti sunt fideles à Domino Jesu ut caverent sibi à pseudoChristis, quantumvis signa & miracula ederent, *Matth.* XXIV. v. 23. 24. 25. Et Paulus prædixit Antichristi adventum futurum *in omni virtute, & signis atque prodigiis mendacibus*, 2 *Thess.* II. 9. 10. 11. Olim etiam Ethnici miracula sua habuerunt, quæ non incertioribus testibus comprobata sunt, quam Pontificiorum hodierna. De quibus vide Valer. Maxim. lib. I. variis capitibus. Mahumetani quoque monachi iis non destituuntur, ut testatur Busbequius auctor gravissimus Epist. 4. qui ipse unum de ferro candenti ab impostore quodam manu arrepto & ori inserto sine ulla læsione se vidisse narrat. Certum quidem est, miracula illa, quæ ope & efficacia satanæ fiunt, non esse vera miracula, quæ omnes naturæ vires superent; sed tamen sunt miranda opera, quæ non est cujusvis à proprie & vere dictis miraculis discernere. Ideoque qui viderunt miracula Mosis & Magorum Ægyptiacorum, non potuissent facile agnoscere illum virtute divina, hos vero arte diabolica miracula patrare, nisi virga Mosis devorasset illorum virgas, *Exod.* VIII. v. 2. & nisi Moses aliqua signa edidisset quæ illi imitari non poterant, ut legimus *Exod.* VIII. 18. Quis ergo certos nos reddet, miracula Pontificiorum esse vera, cum ea non viderimus, nec expendere potuerimus utrum iis aliquid fraudis subesset nec-ne? Jactant quidem ea magno numero: sed nunquam præsentibus nostris facta sunt, qui tamen maxime ad ea admitti debuissent. *Linguæ enim*, inquit Paulus, *in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus*, 1 *Cor.* XIV. 22. Eadem autem est reliquorum miraculorum ratio, & nos pro infidelibus habemur à Pontificiis. Multa etiam falsi publice convicta sunt, ut legere est apud Paponium in Arrestis Curiæ Parlamenti. Et Melchior Canus in Locis suis Theologicis *lib.* XI. *cap.* 6. *Negare*, inquit, *non possumus, viros aliquando gravissimos in divorum præsertim prodigiis describendis, sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse.* Et paulo post: *Nec ego hic libri illius authorem excuso, qui Speculum exemplorum inscribitur; nec historiæ etiam ejus quæ Legenda aurea nominatur. In illo enim miraculorum monstra sæpius quam vera miracula legas: hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi & prudentis.* Et ad miracula in Indiis à Xaverio & aliis facta, applicare possumus illud ejusdem auctoris Hispanicum proverbium: *De luengas vias, luengas mentiras.* Nam si infideles reperiantur in iis recensendis quæ apud nos contigisse dicunt, quanto magis in aliis? Sane si donum miraculorum Xaverius habuisset, non tanto cum labore apud Japones linguam ipsorum balbutiisset, ut ipse in Epistolis suis recenset. Acosta Jesuita in lib. de salute Indiarum lib. 6. cap. 4. agnoscit suos nulla facere ibi miracula, & dicit non esse opus. Denique fac illis narrationibus aliquid veri subesse, dicemus miracula ista facta esse inter infideles, ad confirmationem religionis Christianæ quam annunciabant, non privatarum opinionum Pontificiæ; sicut Bellarminus dicit, miraculum quoddam, à Paulo Episcopo Novatiano factum, non fuisse ad confirmationem Novatiani erroris factum, sed fidei Christianæ quam adversus Judæum defendebat.

XVII. *Duodecima* Bellarmini nota est *Lumen propheticum*, seu prophetiæ donum; quam ex eo probat Ecclesiæ convenire, quod *Joëlis cap.* II. exponente Petro *Act.* II. Deus promittit Ecclesiæ Christianæ donum prophetiæ. Et ex eo, quod certum sit neminem futura contingentia cognoscere excepto Deo; secundum illud *Esa.* XLI. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos.* E contrario autem *Deuter.* XVIII. ponatur tanquam nota falsæ doctrinæ, si Prophetæ prædixerit aliquid & non evenerit. Deinde ostendit apud Ethnicos nulla fuisse vera vaticinia, sed multa falsa, nisi forte fierent in testimonium fidei Christianæ, ut fuerunt vaticinia Sibyllarum & Balaam. Contra in Ecclesia Catholica Romana præter Prophetas Testamenti Veteris, & eos qui fuerunt primis quingentis annis à Christi adventu, postremis sæculis Bernardum, Franciscum, aliosque multos prophetiæ dono claruisse. Resp. Hanc notam coïncidere cum præcedente, cum prophetiæ donum ad miraculorum species pertineat; ideoque non esse necesse prolixe eam expendere, cum omnia quæ suprá dicta sunt hic applicari possint. Agnoscimus quidem eos, qui primitus à Deo missi sunt ad novam aliquam doctrinam hominibus annunciandam, plerumque prophetiæ donum habuisse, ut in Mose, Christo, Apostolis, aliisque observare est. Sed eo non indigent illi, qui omnia quæ afferunt & docent ex Sacris literis probare parati sunt. Ideoque jamdudum prophetiæ donum, sicut & aliorum miraculorum, in Ecclesia Christiana cessavit, postquam Deus doctrinam Euangelicam sufficienter confirmatam esse judicavit. Certum etiam nobis est, illum esse pseudoprophetam, qui prædixit aliquid tanquam sibi à Deo revelatum, quod eventu non est comprobatum, cum Deus nec fallere nec falli possit. Sed non protinus omnes illi, qui veri aliquid prædixerunt, in cæteris omnibus fidem quasi Dei legati merentur; ut patet ex Balaami exemplo, & Sibyllarum, quæ Ethnicæ fœminæ fuerunt, atque à vera religione alienæ. Item ex Merlini & Nostradami prophetiis, quæ multa mira continent. Ideoque Deus vetat ut illi prophetæ, qui populum à sui cultu ad idola abducere conatur, fides adhibeatur, etiamsi aliquid quod prædixerit contingat, *Deuter.* XIII. 1. & *seqq.* Et quanquam Deus solus ex se futura contingentia certo præ-

ſcire & prædicere poſſit; id tamen non impedit, quominus aliquando diabolus & ejus inſtrumenta quædam prædicant quæ eveniunt. Nam aut ex revelatione Dei illa habent, ut quod per fictum Samuëlem Pythoniſſæ ope evocatum, prædixit Sauli ipſum cum filiis ſuis in prælio occubituros, 1 *Sam.* XXVIII. Aut ſagacitate ſua naturali, ex cognitione cauſarum probabiliter quænam inde ſecutura ſint effecta prævident. Sed quia ignorant an Deus illis impedimentum aliquod ſit allaturus, aut verentur ne aliter in conjecturis ſuis decipi poſſint, ideo ne mendaces habeantur, ambiguis verbis illa prædicunt; qualia ſunt antiqua illa Apollinis oracula, propter quæ λοξὸς vulgo dictus eſt, ut, *Crœſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.* Item, *Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.* Etiamſi ergo Pontificii Doctores quædam vera prædixiſſent, non propterea teneremur illis fidem adhibere in illis, quæ extra Dei verbum aut contra ipſum afferunt; cum à patre mendacii illa potuerint didiciſſe; aut alioqui, quod eventus prædictioni reſponderit, caſui potius tribuendum ſit, aut ſagaciæ eorum, quam revelationi divinæ; & vereri debeamus, ne Deus nos per illa ſigna tentet, utrum veritati ipſius firmiter & ex animo adhæreamus, ut habetur *Deuter.* XIII. 3. 4. & 2 *Theſſ.* II. 9. 10. Sed præterea ſciendum eſt, ut jam de miraculis obſervavimus, auctores, qui Prophetiarum illarum meminerunt, plerumque quæſtus aut honoris cauſa eas confinxiſſe, aut ſaltem nimis credulos fuiſſe, atque imprudenter chartis illeviſſe, adeo ut fidem ipſis in re tanti momenti adhibere intutum ſit. In ſumma, tum miracula, tum prophetiæ, ſunt ad Sacrarum literarum Lydium lapidem examinandæ, &, ſi à veritate illarum ad fabulas nos abducere velint, rejiciendæ.

XVIII. *Decima tertia* Bellarmini nota eſt *Confeſſio adverſariorum*; quam ad veram Eccleſiam indicandam aptam eſſe ex eo probat, quod tanta ſit veritatis vis, ut etiam adverſarios cogat interdum ſibi teſtimonium dare, juxta illud Moſis in ſuo Cantico, *Non eſt Deus noſter ut dii eorum, & inimici noſtri ſunt judices*, *Deut.* XXXII. *v.* 31. Deinde applicans hanc notam Eccleſiæ Romanæ, addit, nuſquam inveniri Catholicos laudaſſe aut approbaſſe doctrinam aut vitam ullorum Ethnicorum, aut hæreticorum. Contra autem Paganos, Judæos, Turcas & hæreticos, honorifice ſæpe de Catholicis eſſe locutos. Paganos, ut Plinium juniorem in Epiſtola quadam ad Trajanum. Item Marcum Aurelium Imperatorem, qui narrat ad Chriſtianorum militum preces, cum exercitus ſuus laboraret ſiti in Germania, in Romanos jucundiſſimum imbrem deſcendiſſe, in hoſtes vero ignem & grandinem permixta. Joſephum item hiſtoricum Judæum, Antiquit. lib. 18. cap. 6. ſcribere Jeſum Chriſtum plus quam hominem fuiſſe & vere Meſſiam. Philonem quoque peculiari libello vitam Chriſtianorum, ſuo tempore in Ægypto degentium, commendaſſe. Mahometum etiam in Alcorano confiteri Chriſtianos ſalvari poſſe in ſua religione, Chriſtumque maximum eſſe Prophetarum, & ipſam Dei animam habere. Denique Lutherum in libro adverſus Anabaptiſtas dicere, ſub Papatu veram Chriſtianitatem, imo verum nucleum Chriſtianitatis eſſe. Et Melanchthonem, vocare ſanctos Bernardum, Dominicum & Franciſcum, &c. Sed reſpondeo, Hæc omnia etſi vere allegata eſſent, nihil in ſe ſolidi habere, utpote quæ ultra veriſimilitudinem non procedant; quod ſane parum eſt in re tanti momenti, è cujus notitia ſalutem aut damnationem æternam pendere volunt. Neque enim confeſſio paucorum aliquot, aut contra ſe aut pro adverſariis teſtimonium perhibentium, demonſtrationis vim habet in cauſa, quæ divinis tantum teſtimoniis decidi debet; cum is demum *probatus ſit quem Dominus commendat*, ut ait Paulus 2 *Cor.* X. *v. ultimo.* Ingenuitatis eſt, virtutem etiam in hoſte laudare. Sed non continuo quicquid ſecundum quid & certo quodam reſpectu dictum eſt, abſolute debet accipi, tanquam ad totius cauſæ quæ in controverſiam venit approbationem faciens. Baſilius laudat Libanium ſophiſtam, Auſonius Symmachum, & Auguſtinus Tychonium Donatiſtam, Hieronymus & Chryſoſtomus Pelagium. Quis inde colliget illos Paganiſmum, aut hos Donati vel Pelagii hæreſin approbaſſe? Neque ergo ex laudibus, quas aliquando tribuunt Reformati Pontificiis Doctoribus, ſequitur illos religioni ipſorum faviſſe, ſaltem ea parte qua inter utroſque eſt controverſa. Imo ridiculum eſt, putare ipſos Dominicum, Franciſcum & ſimiles pro vere ſanctis habere, quod aliquando vulgarem conſuetudinem ſecuti, titulum Sanctorum ipſis tribuant. Nam ſi veris eos elogiis deſcribere vellent, hunc non ſanctum ſed ſuperſtitioſum vocarent, illum vero etiam impium & ſanctorum perſecutorem nuncuparent. Lutherus vero non poteſt excuſari, quod ex impotentia odii, quo in Anabaptiſtas ferebatur, laudes tribuerit Pontificiæ religioni, quæ ſi veræ ſint, ſchiſmatis reum & proprio judicio convictum eſſe oporteat. Deinde quod ad Plinii, Joſephi, Philonis & Mahometi teſtimonia attinet, fruſtra de iis glorientur Pontificii, cum nihil ad commendationem Papiſticæ religionis, ſed veri Chriſtianiſmi faciant, & nobis magis quam ipſis faveant. Verumtamen ut quod ſentio libere dicam, Joſephi de Chriſto teſtimonium mihi valde ſuſpectum eſt, & vereor ne ab aliquo Chriſtiano illic pia, ut vocant, fraude ſit inſertum. Quomodo enim fieri poteſt, ut in ſcriptis ſuis tam eximium Chriſto elogium tribuerit Joſephus, & tamen à Chriſtiana fide & religione alienus permanſerit? Et quod ad Philonem attinet, nuſquam Chriſtianorum mentionem facit: adeo ut valde dubium ſit, ſi non plane falſum, an

eorum

eorum sanctimoniam commendare voluerit. Quod vero Bellarminus dicit, Pontificios scriptores nunquam hæreticorum doctrinam aut mores laudare, id si maxime verum esset, nihil aliud quam ipsorum invidiam & malitiam argueret, quod studio partium abrepti & excæcati, lucem oculos suos perstringentem videre aut nollent, aut non possent. Sed nec illud omni ex parte verum est. Multi enim reperti sunt antehac, & adhuc reperiuntur inter Pontificios sinceriores, qui de Protestantibus non ita male sentiunt. Et ut mentionem non faciam Erasmi, Alphonsi à Castro, Cassandri, Florimondi Ræmondi, & aliorum qui ipsorum eruditionem & sanctitatem interdum extollunt, possunt etiam ex eorum scriptis qui ipsos impugnarint innumera testimonia colligi, quæ causæ quam defendunt aperte favent. Adeo ut nullum omnino sit inter Pontificios & Reformatos controversum dogma, in quo Reformati non habeant aliquot Pontificios Doctores partibus suis adstipulantes. Quorum testimonia legi possunt in Chamieri Panstratia Catholica, & Riveti Catholico Orthodoxo, & apud alios.

XIX. *Decima quarta* Bellarmini nota, est *infelix exitus seu finis eorum qui Ecclesiam oppugnant.* Quam probat ex eo, quod etsi Deus suos puniat & flagellet, tandem tamen projiciat virgam in ignem, juxta illud Mosis, *Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur & vindictam retribuet in hostes eorum, Deuter.* XXXII. 43. Deinde prolixum facit catalogum persecutorum Ecclesiæ, schismaticorum & hæreticorum, qui misere perierunt; quales fuerunt Pharao, Dathan & Abiron, Jezabel, Antiochus, Pilatus, Herodes Ascalonita, Herodes Tetrarcha, Herodes Agrippa, Nero, Domitianus, Trajanus, Diocletianus, Galerius, Maximianus, & Maximinus. Item Simon Magus, Manichæus, Montanus, Arius, Julianus Apostata, Valens Arianus, Nestorius, Henricus rex Vandalorum Arianus, Anastasius Imperator fautor Eutychianorum, Leo Iconomachus, Constantinus Copronymus. Denique Lutherus, Zuinglius, Carolstadius, Calvinus, quos omnes dicit horrendis mortibus extinctos fuisse. Sed resp. Hanc notam esse fallacissimam, utpote ex qua, si externis tantum & quæ in oculos incurrunt inhæreas, non minore cum verisimilitudine colligere possis, multos pios & martyres, qui atrocissima passi sunt, Deo exosos fuisse, contra impios & persecutores, qui placide obierunt, ipsi placuisse. Imo si ad numerum attendas, uni impio & Ecclesiæ persecutori, qui infelicem exitum vitæ suæ habuit, centeni aliquot pii & fideles opponi possunt, qui nihilo meliorem finem sortiti sunt. Quod considerans Paulus, dicebat, *Si in hac vita tantum in Christo speramus, miserrimi sumus omnium hominum*, 1 *Cor.* XV. 19. Et 2 *Tim.* III. 12. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur.* Adeo ut Christus prædicat Apostolis suis, tanquam eos adversus ejusmodi scandalum præmunire volens, *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*, *Joan.* XVI. 2. Sane si quis Bellarminianum argumentandi modum imitari velit, dicere poterit, cum piis hæc evenire videt, illos hæresion & impietatis suæ meritas pœnas luere, Dei vindicta eos persequente. Sed fideles, qui præmoniti sunt, contrariam prorsus viam insistent, & agnoscent hanc esse Christi crucem, quam discipulos ipsius ferre oporteat, *Matth.* XVI. 24. Siquidem *quos Deus prænovit*, seu maxime dilexit, *eos & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui*, *Rom.* VIII. 29. nimirum, ut quemadmodum illum oportuit per viam crucis & passionum ingredi in gloriam suam, *Luc.* XXIV. 26. ita & per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum Dei, *Act.* XIV. *v.* 21. Recte ergo Salomon, *Etiam amorem, etiam odium nescit homo; eo quod universa æque eveniant justo & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti*, *Eccles.* IX. 1. 2. E casibus enim externis, qui communes sunt bonis & malis in hac vita, si quis judicare vellet de odio aut amore Dei, præsertim erga alios quorum corda non novit, longe à vero aberraret. Verum quidem *est pretiosam esse in conspectu Dei mortem sanctorum ejus*, *Psal.* CXVI. *v.* 15. &, *beatos esse qui in Domino moriuntur*, *Apoc.* XIV. 13. Sed id oculis corporeis non patet. Et vix ullum discrimen animadvertere est inter horrendos casus, quibus modo pii modo impii opprimuntur, ita ut inde certi esse possimus quinam in gratia Dei obeant, qui minime. Turpe ergo est Christianos, quibus modus iste providentiæ divinæ perspectus esse debet, telis ejusmodi pugnare, quæ Judæus, Turca, Ethnicus, non minori cum robore retorquebit, quam adversus ipsum vibrata fuerint. Ne jam dicam, pleraque quæ affert exempla ipsius causam nullo modo juvare, utpote quæ non sint eorum qui Papisticam religionem oppugnarunt, de cujus veritate inter nos controvertitur, sed tantum Judaicæ aut primitivæ Christianæ hostium: item quædam esse incerta, ut quæ de Ario, Simone Mago, Nestorio recenset; quædam denique esse plane falsa, ut quæ de tragico exitu Lutheri, aliorumque Reformatorum Doctorum narrat, à juratis ipsorum inimicis contra historiæ fidem conficta. Quid si etiam Bellarmino objecero multos Papas & Protestantium persecutores, postremis istis temporibus, mortibus horrendis fuisse sublatos, an inde concludere me patietur, veritatem potius à partibus Protestantium quam Pontificiorum stare, illosque non hos veram Dei Ecclesiam constituere? Atqui id non foret difficile. Notæ enim sunt historiæ Paparum, qui in adulterio sunt interfecti, veneno sublati, & ab Antipapis misere trucidati. Unde vulgatum illud de Bonifacio VIII. Mortuus est ut canis. Nec non Philippi II. Hispaniarum

 regis,

regis, qui post tantum sanguinis innoxii in Belgio effusum, phtiriasi seu pediculari morbo, instar Herodis, cum intolerabili fœtore & summis cruciatibus obiit. Item Henrici secundi, Francisci secundi, Caroli noni, & Henrici tertii Galliæ regum, qui omnes violenta morte perierunt, sicut & Guisii duces pater & filius. Sed hæc judicio divino relinquere multo satius est, ne temere de aliis judicantes, vicissim tale inclemens judicium experiamur, & qua mensura mensi fuerimus, alii quoque nobis metiantur. Veritas est alia ratione investiganda, quam ex fallacibus ejusmodi notis, quæ cothurni instar omni pedi adaptari possunt.

XX. *Decima quinta* Bellarmini nota, est *Felicitas temporalis divinitus iis collata qui Ecclesiam defenderunt:* quam nullo Scripturæ testimonio aut ratione probat, sed tantum exemplis Catholicorum, ut ait, Principum, qui de hostibus suis triumpharunt. Et huc adfert ex Veteris Testamenti historia, Abrahami, Mosis, Josuæ, Gideonis, Samuëlis, Davidis, Ezechiæ, Josiæ & Macchabæorum victorias. Postea ad Novi Testamenti tempora veniens, dicit Constantinum Magnum eo fere modo Maxentium vicisse, quo Moses Pharaonem; Theodosiis seniori & juniori in præliis omnia prospere successisse; item Justiniano & Heraclio dum Catholici essent; sed cum in hæresin incidissent contraria expertos esse. Præterea constare ex Græcorum historiis, Imperatores Orientis ab eo tempore, quo propter dissidium circa imagines se ab Ecclesia Romana separaverunt, semper in dies deterius habuisse, donec tandem imperium penitus amiserunt. In Occidente vero ex Latinorum historiis manifeste colligi, semper Imperatores magis vel minus floruisse, ut magis vel minus Ecclesiæ Romanæ addicti fuerunt. Et Christianos, anno 1098. in bello sacro à Papa Urbano II. indicto pro recuperatione Hierosolymæ, Turcarum centum millia occidisse, amissis ex sua parte vix quatuor millibus. Denique nostris temporibus Catholicos in Helvetia, Germania, Gallia & Belgio, de hæreticis multas insignes victorias reportasse. Sed resp. Hanc ultimam notam omnium esse ineptissimam, adeoque melius falsæ quam veræ Ecclesiæ, præsertim sub Novo Testamento, convenire. *Habet* quidem *pietas promissionem vitæ præsentis & futuræ*, 1 *Tim.* IV. 8. Sed promissio hæc eo usque non extenditur, ut comprehendat etiam victorias in bellis ex ambitione, avaritia aut ulciscendi studio, & non solum inconsulto Deo, verum etiam contra expressam ejus voluntatem, susceptis. Sensus ejus tantum est, necessaria huic vitæ non defutura iis, qui ex animo pietati studebunt: prout etiam Christus nos docet, inquiens, *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*, *Matth.* VI. 33. nimirum hæc omnia de quibus solliciti erant, dicentes, *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Alia fuit ratio Veteris Testamenti, in quo Deus terram Canaan possidendam dederat Israëlitis, quam armis adversus hostes suos tueri debebant, & ubi promissionem habebant, si legem divinam servarent, fore ut inimicos, qui consurgerent adversus se, corruentes viderent in conspectu suo, & ut quinque de ipsis persequerentur centum alienos, & centum decem millia; prout legere est *Levit.* XXVI. & *Deuter.* XXVIII. Verumtamen videmus etiam illis temporibus pios conqueri de temporali felicitate impiorum. In ore omnium sunt *Psalmi* XXXVII. & LXXIII. pene integri de hac materia conscripti. Et de eadem habemus lamentabiles querimonias Jobi *cap.* XXI. *v.* 7. *& s.* Jeremiæ Prophetæ; *Quare via impiorum prosperatur, & bene est omnibus qui prævaricantur & inique agunt? cap.* XII. *v.* 1. *& s.* Non quod Deus promissa sua non impleret, sed quod consultum aliquando duceret, ad explorandam fidem & patientiam fidelium, loco corporalium bonorum spiritualia iis largiri. Quanto ergo magis id locum habet sub Novo Testamento, in quo, ut in examine superioris notæ vidimus, perpetuæ fere afflictiones piis eventuræ prænunciantur. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*, *Joan.* XV. 20. *Vos plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit*, *cap.* XVI. *v.* 20. Et *Apoc.* XX. 7. dicitur *datum* fuisse *bestiæ bellum facere cum sanctis & vincere eos.* Tantum ergo abest, ut ex temporali felicitate dignosci possit vera Ecclesia à falsa, ut contra magnam suspicandi causam habeamus, illam non esse veram, cui prospere omnia in hoc sæculo succedere solent. Et sane de eo semper gloriati sunt Ethnici & idololatræ. Ita Judæi dicunt apud Jeremiam, *cap.* XLIV. *v.* 16. *Cum sacrificavimus reginæ cœli, bene nobis fuit & malum non vidimus. Ex eo autem tempore quo cessavimus ei sacrificare, indiguimus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus.* Et *Malach.* III. 13. 14. Itidem Symmachus Romæ urbis præfectus in Relat. sua ad Imperatores Theodosium, Valentinianum & Arcadium, religionem Ethnicam hoc argumento commendat, quod Romana respublica semper floruerit quamdiu Jovem, Apollinem coluit; sed postquam religionem Christianam amplexa est, paulatim magis ac magis decreverit. Et Mahumetani hodie hac sola ratione pugnant adversus Christianos, jactant suorum victorias, & exinde colligunt religionem suam Christiana Deo magis placere. Pontificii profecto ipsis nihil solidi poterunt reponere, quin hanc Bellarminianam notam evertant. Et quis non rideat mentionem ab eo fieri unius victoriæ de Saracenis reportatæ in terra sancta, cum paulo post pluribus præliis ab iis sint cæsi, & tandem inde penitus expulsi? Etiamsi igitur Pontificii semper superiores fuissent Reformatis, in bellis postremis hisce temporibus gestis, inde nequidem verisimile argumentum peti posset pro religionis ipsorum veritate. Sed tantum abest ut id verum

fit,

sit, ut contra potius Reformati, licet præliis aliquot cæsi, tandem tamen aut victoriam de illis reportarint, sibique subjecerint, aut saltem religionis libertatem pro qua pugnabant ab ipsis extorserint. Id historia motuum Angliæ, Scotiæ, Galliæ, Germaniæ, & præsertim Belgii nostri adeo manifeste docet, ut eum cæcum esse oporteat qui id non videt. Sed de ficulneo isto Ecclesiæ Romanæ præsidio plus satis.

CAPUT VII.
De Regimine Ecclesiæ.

I. *Christus est Rex Ecclesiæ.* II. *Omnibus est præditus attributis ad Ecclesiam regendam requisitis.* III. *Non datur Ecclesiæ caput subalternum sub Jesu Christo.* IV. *Occurritur primæ Pontificiorum objectioni, desumtæ ab optima regiminis forma.* V. *Et secundæ, ab hierarchia angelica.* VI. *Et tertiæ, ab Ecclesia Veteris Testamenti.* VII. *Et quartæ, à variis similitudinibus quibus Ecclesia comparatur.* VIII. *Et quintæ, à primordiis Ecclesiæ Christianæ.* IX. *Et sextæ, ab Episcopis qui singulis Ecclesiis præsunt.* X. *Et septimæ, à propagatione Ecclesiæ.* XI. *Et octavæ, ab unitate fidei.* XII. *Probatur Petrum non fuisse constitutum Ecclesiæ caput.* XIII. *Expenditur locus Matth. 16. Tu es Petrus, &c.* XIV. *Et Joan. 20. pasce oves meas.* XV. *An Petrus Romæ fuerit Episcopus, & Papa ejus successor sit?* XVI. *Papam non esse infallibilem.* XVII. *Solvuntur Pontificiorum objectiones in contrarium.* XVIII. *Papa non est summus controversiarum fidei judex.* XIX. *Qualis sit Papæ autoritas in externo Ecclesiæ regimine.*

I. NUnc de Ecclesiæ Regimine agendum nobis est. Quod dum facimus, simul etiam id, quod de ejusdem potestate dicere propositum erat, expediemus, cum ea nonnisi per illius Rectores exerceatur. In Regimine Ecclesiæ duo consideranda sunt, Unum, ad quem pertineat; Alterum, quænam sint illius functiones. Quod ad primum caput attinet, nullum est inter Christianos dubium, quin summum Ecclesiæ regimen illi competat qui ipsius Rex est, nempe Jesu Christo Domino & Servatori nostro. Id quod metaphoricis illis Fundamenti & Capitis titulis, qui ipsi tribuuntur, clare significatur. Nam cum Ecclesia cum ædificio confertur, ex fidelibus tanquam vivis lapidibus constructo, Christus, qui totum istud ædificium innititur, recte ejus Fundamentum appellatur. Idque docet nos Paulus, cum dicit, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, 1 *Cor.* III. 11. Quando autem Ecclesia corpori humano assimilatur, eleganter etiam Christus Caput illius dicitur. Nam sicut membra corporis vitam, sensum & motum habent à capite, in quo animæ rationalis sedes est, & nervorum origo, quæ sunt sensus & motus instrumenta; ita fideles, ex quibus tanquam membris corpus istud mysticum coagmentatum est, à Christo omnem suam vitam, sensum & motum spiritualem accipiunt, interventu Spiritus quem singulis suis membris communicat. Et quemadmodum membra corporis ablato capite vivere non possunt, nihilque amplius sunt quam truncus iners, omni sensu & motu destitutum; ita etiam fideles à Christo separati & sejuncti. Quod ipse indicabat, dicens discipulis, *Sine me*, vel potius, *extra me*, aut *seorsim à me* (Græce enim est χωρὶς ἐμοῦ) *nihil potestis facere*, *Joan.* XV. 5. Perinde nimirum ac palmes à vite resectus, à qua vivificum succum accipit, fructus nullos profert, sed confestim arescit. Qua similitudine antea usus erat, dicens, *Ego sum vitis, vos autem palmites.* Sed concinnior est comparatio à corpore desumpta, ideoque frequentius in Sacris Literis occurrit. De qua inter alia est celebris locus ad *Ephes.* I. sub finem, *Deus omnia subjecit sub pedibus Christi, & ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.* Idem quoque significatur appellatione sponsi & sponsæ; de qua vide ejusdem *Epist. cap.* V. *v.* 22. *& seqq.* & *Apoc.* XIX. 7. & XXI. 9. Item Pastoris & ovium, seu ovilis, *Joan.* X. 11. *& seqq.* quas etiam supra, cum de titulis Ecclesiæ ageremus, breviter expendimus. Nam quemadmodum omne decus sponsæ ab ejus sponso derivatur, qui eam quoque protegit & tuetur adversus aliorum injurias; ita Ecclesia Christi sanguine à peccatis suis emundata, sub protectione ejus secura delitescit. Et sicut oves pastore destitutæ errant per avia, pabulum quærentes quod non inveniunt, & præda fiunt lupis; ita homines per cupiditatum suarum deserta vagantur, & salutare illud vitæ pabulum obtinere non possunt, nisi Christo duce & pastore; sed tandem à diabolo, qui tanquam leo rugiens eos circuit, 1 *Pet.* V. 8. devorantur. Sed omnes istæ metaphoricæ appellationes ad propriam Regis & Domini reduci possunt, ex qua etiam lucem & interpretationem accipiunt. Sive ergo Christum voces Ecclesiæ fundamentum, sive caput, sive sponsum, sive pastorem, aut potius principem pastorum, ut loquitur Petrus 1 *Epist.* V. 4. idem dicis ac si eum Regem ac Dominum illius appellares. Hoc est nomen quod habet in vestimento & in femore suo scriptum, *Rex regum & Dominus dominantium*, *Apocal.* XIX. 16. *Eum* enim *Dominum & Christum fecit Deus*, inquit Petrus *Act.* II. 36. Et cum Christum dicit, unctum super populum Dei Regem significat. Hæc apud omnes Christianos extra controversiam sunt posita: inter quos nullus est qui diffiteatur, quin Christus sit supremum Ecclesiæ caput; fundamentum quod totum ædificium sua vi & potentia sustinet; verus sponsus qui eam tanquam sponsam suam diligit; summus Pastor qui eam vitæ pabulo nutrit, & adversus satanam & mortem defendit. In summa Rex & Dominus illius potentissimus & benignissimus.

II. Et sane in Jesu Christo abunde omnia reperiuntur quæ ad gubernandam Ecclesiam sunt requisita. Desideras in eo potentiam, qua eam defendere possit adversus satanam & omnes ejus inimi-

inimicos? *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cælo & in terra*, *Matth*. XXVIII. 18. Ipsi *subjecti sunt Angeli*, *potestates & virtutes*, *Ephes*. I. 20. 21. 22. 23. *Philipp*. II. 9. 10. 11. 1 *Petr*. III. 22. Desideras in eo scientiam, ut possit omnia quæ tum à suis tum ab hostibus fiunt cognoscere, & unicuique secundum facta reddere? Etiam tum cum in terris mortalis ageret, *opus non erat ut quis ei testimonium perhiberet de homine*: *ipse enim sciebat quid esset in homine*, *Joan*. II. 25. Et exaltatus ad dextram Dei sibi tribuit quod *scrutetur renes & corda*, *Apocal*. II. 23. Unde illud repetitum in singulis ad Asiæ Ecclesias scriptis Epistolis, *Novi opera tua*. Desideras in eo sapientiam, cujus ope prudenter omnia in Ecclesia administret? Ipse dicebat discipulis, *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere neque obsistere omnes qui se vobis opponent*, *Luc*. XXI. 15. Et *de plenitudine ejus omnes accepimus*, inquit Joannes I. 16. *Non enim ad mensuram dat ei Deus Spiritum*, *Joan*. III. 34. *In eoque sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, *Coloss*. II. 4. Denique desideras in eo clementiam, æquitatem, justitiam, secundum quas tum Ecclesiam suam tum ejus adversarios judicare & digna factis unicuique possit rependere? Ipse est *misericors & fidelis Pontifex qui potest compati infirmitatibus nostris*, utpote *tentatus per omnia pro similitudine*, *absque peccato* tamen, *Hebr*. II. 17. & IV. 15. Ipse est quoque cui Pater omne judicium dedit, *Joan*. V. 22. 27. Nam *sicut Pater suscitat mortuos & vivificat*, *sic & filius quos vult, vivificat*, *Ibid*. v. 21. Et qui *venturus est de cælo cum Angelis virtutis suæ, ut exerceat vindictam in eos qui non noverunt Deum & non obediunt Euangelio*, 2 *Thess*. I. 6. 7. 8. Et qui ultimo die separabit oves ab hœdis, & hi ibunt in supplicium æternum, & justi in vitam æternam, *Matth*. XXV. 46.

III. Sed quæritur præterea, An non præter Christum sit etiam aliquod caput ministeriale totius Ecclesiæ, aliquod fundamentum subalternum, aliquis qui propter amorem & curam ejus possit sponsus appellari, & Pastor universalis, qui omnibus singulorum gregum pastoribus præsideat. Pontificii illud affirmant: Nos autem cum omnibus Protestantibus negamus. Et negationis nostræ has afferimus rationes. 1. Nullibi legimus in Sacris literis Christum universalem aliquem Ecclesiæ monarcham, qui vices suas in terris obiret, constituisse. Ergo talis principatus non est de jure divino, ita ut omnes sub pœna amittendæ salutis æternæ ei debeant esse subjecti; sed pro constitutione mere humana habendus est. Hic enim non minus quam in Veteris Testamenti Pontifice locum habet illud Apostoli, *Nemo sumit sibi honorem*, *sed qui vocatur à Deo*, *sicut Aaron*, *Hebr*. v. 4. Quod eo fine allegat, ut probet Christum non glorificasse seipsum ut Pontifex fieret, sed Deum qui locutus est ad eum, *filius meus es tu*, &c. *Tu es sacerdos in æternum*, &c. Sane si neque Ecclesiæ Judaicæ summus Pontifex & Rector, neque Christianæ sine expresso Dei mandato constitutus est, Vicarius quoque hujus nullus agnoscendus est, qui à Deo ad istud munus non sit vocatus. Paulus ad *Ephes*. IV. recenset munera quæ Christus in cœlos ascendens in Ecclesia sua constituit, dicens, *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, *quosdam autem Prophetas*, *alios vero Euangelistas*, *alios autem Pastores & Doctores*. Hic nullam mentionem facit Pontificum œcumenicorum, sive vicariorum Christi universalium, ut neque 1 *Cor*. XII. toto. Quod tamen multo majoris erat momenti, & nullo modo omittendum, si tale munus esset à Deo. Præsertim cum Paulus iis locis agat de Ecclesiæ unione in unum corpus, ad quam tuendam & promovendam necessarium esse dicunt ut sit aliquod caput ministeriale. 2. Imo videmus è contrario, cum Apostoli aliquando de principatu inter se certarent, Christum graviter eos increpasse, & omni dominatione expresse interdixisse. *Principes*, inquit, *gentium dominantur eis*, &c. *non ita erit inter vos*; *sed quicunque voluerit inter vos maximus esse*, *sit vester minister*, &c. *Matth*. XX. 20. & *seqq*. Similiter *Luc*. XXII. v. 23. & *seqq*. Unde Petrus quoque vetat, ne *Presbyteri* seu Pastores *dominentur cleris*, sed vult ut sint *exemplaria gregis*, 1 *Epist*. v. 3. 3. Munus istud non est necessarium in Ecclesia Christiana, quemadmodum in politiis humanis. Reges enim & Principes hujus mundi constituunt legatos & vicarios, ut sublevent se onere gubernandi, & ut per eos regere possint urbes & provincias à se dissitas, in quibus absque ejusmodi legatorum cura & inspectione multa contra voluntatem suam evenirent. Sed Christus ubique Spiritu suo in Ecclesia sua præsens est, & ad nutum suum eam regere potest, ita ut nihil unquam contra voluntatem ejus contingat cui mederi non possit. 4. Impossibile quoque est Ecclesiam universalem toto orbe dispersam ab uno homine mortali regi, utpote qui neque omnibus locis interesse, neque omnia quæ ubique fiunt videre & cognoscere per se potest, sed ex relatione aliorum necesse habet pendere, qui eum decipere possunt. Adde quod multa remedium præsens requirunt, quod ab eo peti nequit qui aliquando toto hemisphærio & maribus immensis dissitus est. 5. Absurdum est & inconveniens, uni corpori duo capita tribuere, uni ædificio duo fundamenta. Ne jam dicam, mœchum esse illum & raptorem, qui Ecclesiam Christo jam desponsatam in uxorem sibi adsciscere vult; & Ecclesiam fore adulteram, si quemquam alium præter unicum Christum pro suo sponso agnoscat. Nec refert quod unum alteri subalternum & subordinatum faciunt, cum justa partium corporis aut ædificii proportio cum ejusmodi gemino capite aut fundamento subsistere nequeat. Alterum enim alteri impedimento foret, tantum abest ut quicquam prodesset. Quo sensu autem ædificati dicamur supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum,

Ephes. II. 20. & in fundamentis murorum novæ Jerusalem inscripta esse nomina duodecim Apostolorum, *Apoc.* XXI. 14. antea declaratum est.

IV. Nunc quid Pontificii in contrarium afferunt audiamus & breviter expendamus. Nemini, inquiunt, dubium esse potest quin Salvator noster Jesus Christus potuerit & voluerit Ecclesiam suam ea ratione & modo gubernare, qui sit optimus & utilissimus. Cum ergo tres sint simplices bonæ gubernationis formæ, nimirum Monarchia, id est unius principatus: Aristocratia, id est regimen optimatium; & Democratia, hoc est populi totius imperium; & una ex his tribus simplicibus composita: Licet ex tribus simplicibus gubernationis formis Monarchia cæteris sit anteponenda: tamen propter humanæ naturæ corruptionem, utiliorem esse hoc tempore Monarchiam temperatam ex Aristocratia & Democratia, quam simplicem Monarchiam: Talemque esse gubernationis formam quam Christus in Ecclesia sua instituerit; ubi Pontifex Romanus Monarcha, Episcopi vero sint optimates; Et quia illi successione hæreditaria dignitatem istam non obtinent, sed optimi quique ex universo populo ad eam evehuntur, etiam Democratiæ quædam species apparet. Sed resp. 1. generatim, periculosum esse ex hujusmodi ratiociniis aliquid certi de voluntate Dei concludere velle, cum teste Apostolo ad *Rom.* XI. 33. viæ ejus sint ἀνεξιχνίαστοι, id est imperverstigabiles; & tantum distent à viis hominum quantum cœlum à terra, *Esa.* LV. 8. 9. Et *Luc.* XVI. v. 15. *Quod apud homines sublime est, abominatio est in conspectu Dei.* Ita aliquis posset dicere, Homo est præstantissimus omnium animalium, Ergo debet volare in aëre sicut aves, natare in aquis sicut pisces, nec cedere agilitate leporibus aut cervis, robore tauris & elephantibus. Pari enim ratione argumentari alicui liceret, Deum posse & velle mundum eo modo gubernare qui sit optimus & utilissimus. Optimum autem & utilissimum fore si in terris semper bonis viris bene esset, & malis male. Ergo isto modo debere mundum gubernari. Cum autem id contingere non videamus, inde ansam arripiunt Athei & Epicurei Deum ejusque providentiam oppugnandi. Vel aliquis posset dicere, Optimum esset si Deus infallibilem judicem in Ecclesia constituisset qui neque in jure neque in facto errare posset, Ergo talem constituit. 2. Fac Monarchicum regimen in Ecclesia obtinere debere, illa habet suum monarcham & regem, nempe Christum; cui vicarium adjungere non est opus, cum solus & absque alterius auxilio gubernationis oneri ferendo sit par atque idoneus: nec successorem dare oportet, cum sit immortalis. Sed instant: Etiamsi Deus sit totius mundi Rex & Monarcha, illud tamen non impedit quominus velit in terris reges tanquam sui vicarios constitui. Id ergo etiam in Ecclesia locum habere; quæ cum sit visibilis quædam respublica, à visibili quoque rege & monarcha administrari debeat. *Resp.* Istam exceptionem adversus eos facere qui illa utuntur. Nam si à regiminis mundani forma ad Ecclesiasticum argumentari liceat, sic colligam: Quemadmodum Deus, licet in terris Reges sui vicarios constituerit, nunquam tamen unicum totius orbis monarcham esse voluit, sed regimen universi in plurimos principatus distribuit; ita neque ulla ratione verisimile est illum censuisse expedire ut Ecclesia sua Catholica ab unico Monarcha regeretur: cum, ut supra vidimus, istud munus longe unius hominis vires excedat. Ergo ad summum nihil hinc aliud elici posset, nisi Ecclesiam in singulis orbis provinciis ab uno aliquo Monarcha administrari debere. Sed tamen neque id sequitur; imo aliud plane; nimirum, Sicut Deus probat ut quædam terræ provinciæ Aristocratico regimine gubernentur, quædam vero Democratico, quæ etiam melius quorundam populorum indoli conveniunt quam Monarchicum; ita neque displicet illi ut Ecclesia sua, pro diversa gentium indole inter quas collecta est, alibi Aristocratice, alibi Democratice gubernetur. Neque refert quod Monarchia simpliciter in se considerata, aliis regiminis formis præstantior sit; cum circumstantiarum ratione habita, aliquando (fatentibus adversariis) Aristocratiæ & Democratiæ cedat. Facessant igitur argumenta ista à conjecturis petita, ubi de voluntate Dei agitur, de qua aliter hodie quam ex ejus verbo in Scripturis S. consignato edoceri non possumus. Tantum autem abest ut verbum illud Monarchiæ isti Ecclesiasticæ faveat, ut contra eam penitus persundet.

V. Altera Pontificiorum ratio petita est ab similitudine quam habet Ecclesia mortalium hominum cum Ecclesia immortalium Angelorum. Quemadmodum, inquiunt, inter omnes Angelos præter summum regem omnium Deum, nunc unus Archangelus Michael omnibus aliis præest, *Apoc.* XII. 7. 8. olim vero ante lapsum præfuit Lucifer, *Esa.* XIV. 12. &c. qui etiam Behemot dicitur *Jobi* XL. 10. &c. Sic in Ecclesia militante unum aliquem Principem Ecclesiasticum supra alios eminere oportet, qui nomine Christi tanquam vicarius eam gubernet. Sed respondeo, nihil nobis certo constare de Hierarchia Angelica; ac proinde absurdum esse inde argumentum petere ad rem controversam probandum; cum probationes semper à certioribus & clarioribus re confirmanda desumi debeant. Esse quosdam inter Angelos gradus, aliosque aliis superiores esse, non diffitemur: verum utrum unus aliquis Archangelus cæteris omnibus Angelis præsit & imperet, an vero plures sint qui in alios potestatem habeant, nobis non constat; imo istud verisimilius esse videtur, ex *Rom.* VIII. 38. *Coloss.* I. 16. *Ephes.* I. 21. I *Petr.* III. 22. Quod vero ad diabolum rapitur id quod *Esa.* XIV. de Lucifero

 dicitur,

dicitur, & *Job*. XL. de Behemot, ineptum est; cum ex omnibus loci circumstantiis appareat, apud Esaiam per Luciferum regem Babylonis, figurato loquendi modo designari, gloria cæteros reges antecellens, sicut lucifer splendore alias stellas superat: & apud Jobum per Behemot elephantem aut similem aliquam belluam. *Matthæi* quidem XXV. 41. & alibi, diabolus quosdam angelos habere dicitur. Sed incertum est utrum illis ante lapsum suum, nedum omnibus aliis Angelis præfuerit, an vero Angeli diaboli dicantur illi quibus defectionis fuit auctor, & qui postea ejus imperium tanquam valentioris aut astutioris secuti sunt. Sed quicquid sit ea de re, de qua cum nemine digladiari velim, ineptum est eam ad regimen Ecclesiasticum in terris trahere, propter immensum inter Angelicam & humanam naturam sortemque discrimen, quod diversam administrandi rationem requirere, omnes facile animadvertere possunt.

VI. *Tertia* Pontificiorum ratio sumitur ex Ecclesia Testamenti Veteris, quæ fuit figura Christianæ, dicente Apostolo 1 *Cor*. X. 11. *hæc omnia contingebant illis in figuram*. Tempore autem Veteris Testamenti, ut ajunt, semper ab initio mundi fuit unus qui omnibus præerat in iis quæ ad legem & religionem pertinebant. Ac præsertim ab eo tempore, quo cœperunt Hebræi redigi ad formam populi & gubernari legibus & magistratibus; quod fuit post egressionem ab Ægypto. Tunc enim Moses ordinavit rempublicam Judæorum, scripsit eis leges quas à Deo acceperat, Aaronem consecravit Pontificem, eique uni omnes Sacerdotes & Levitas subjecit. Ac deinde usque ad Christi tempora nunquam defuit unus princeps Sacerdotum, qui omnes Synagogas totius mundi gubernaret. Sed resp. 1. Valde me mirari quod adeo confidenter asserant, ab initio mundi usque ad egressum Israëlitarum ex Ægypto fuisse semper aliquem summum & universalem in toto orbe Sacrorum præsidem. Nullum enim ejus rei vel minimum vestigium habemus in Sacris literis. Nam quod quidam de Adamo, Noacho, Abrahamo afferunt, conjecturis tantum aut potius divinationibus nititur, ac proinde eadem facilitate qua profertur, rejici potest. 2. Quod ad Ecclesiam Israëliticam attinet, dico nullam ab ea ad Christianam consequentiam duci posse, propter ingentem utriusque dissimilitudinem. Illa enim arctis Palestinæ finibus continebatur, nec difficulter ab uno homine regi poterat: hæc vero toto orbe est diffusa, nec ullus inter mortales reperiri potest, quantavis sapientia & potentia sit præditus, qui eam solus gubernare valeat. Nec inde, quod Apostolus dicit illa quæ contigerunt Israëlitis in deserto fuisse nostri typos, colligi ulla cum verisimilitudine potest, in Ecclesia Christiana debere esse unum summum & universalem Pontificem, quemadmodum fuit in Israëlitica. Non enim dicit absolute & sine limitatione, omnia illis evenisse in figuram, sed tantum illa omnia quæ ibi recensuit, nempe quod omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, quod omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, &c. Fateor tamen summum Pontificem Veteris Testamenti typum fuisse Christi, Pontificis Novi Fœderis. Id enim clare apparet ex tota Epistola ad Hebræos; ubi inter utrumque illum Pontificem variæ collationes instituuntur. Sed asserere Pontificem Israëliticum fuisse figuram Pontificis Romani, somniare est. Id sane non credidit divinus ille auctor ad Hebræos, qui in prolixa sua comparatione inter Veteris & Novi Testamenti Pontificatum, ne verbulo quidem ejus meminit. Et cum tam accurate in lege Mosaica describatur institutio, successio, munus, aliaque summi Pontificis requisita quoad uxorem, liberos, familiam & similia minutiora; in scriptis vero Novi Fœderis ne jota quidem aut apex unus, de alio præter Christum summo Pontifice, & totius Ecclesiæ Christianæ capite ac rege inveniatur; quis non inde agnoscit nullum talem à Christo fuisse constitutum? An res tanti momenti, & à qua, ut volunt, salus reipublicæ Christianæ pendet, poterat à Scriptoribus illis sacris sine summa negligentia, & in officio fungendo infidelitate prætermitti; præsertim ubi de diversis Novi Testamenti ministris tractant, & alia eo pertinentia, quæ nullo modo cum ista re in pondere conferri merentur, sigillatim memorant & docent? Hic ad traditionem confugere velle, causa cadere est, & tacite confiteri Pontificatum Romanum non esse divinæ institutionis, sed humanæ.

VII. *Quarta* ratio ipsorum petitur ab iis similitudinibus, quibus in Scripturis describitur Ecclesia; quæ omnes, ut putant, ostendunt, necessario debere in Ecclesia esse unum caput. Comparatur enim exercitui ordinato, *Cant*. VI. corpori humano, seu mulieri speciosæ, *Cant*. VII. Regno, *Dan*. II. Ovili, *Joan*. X. Domui, 1 *Tim*. III. Navi seu Arcæ Noæ, 1 *Petr*. III. Jam nulla sunt castra ordinata ubi non sit unus Imperator, multi tribuni, plures centuriones; Nullum est corpus quod non habeat suum caput, nullum regnum, quod non regatur ab uno rege, nullum ovile quod non pastorem quoque unum requirat, nulla domus quæ non habeat unum dominum & unum œconomum, nulla denique navis quæ non habeat unum gubernatorem. Resp. 1. Omnes similitudines claudicare, nec extra scopum ad quem à proponente diriguntur esse extendendas, nisi in absurda innumera incidere velint: ut prætercam loca ex Cant. Cant. allegata, quæ obscura sunt, & de Ecclesia non sunt intelligenda, aut saltem non de Ecclesia Christiana, sed Israëlitica dicta sunt, ac proinde ad rem nihil faciunt; item Ecclesiam non comparari à Petro cum Arca Noë, sed tantum

tum baptiſmum cum aquis diluvii; Reſp. inquam, iſtas omnes ſimilitudines recte poſſe conſiſtere, ſi Eccleſia cum Chriſto conferatur. Eſt enim regni iſtius unicus rex, ovilis Paſtor, domus œconomus; imo etiam, ſi vis, ille eſt unicus navis iſtius gubernator, corporis caput, & exercitus imperator. Quid ergo opus eſt alium præter ipſum in terris quærere cui iſta tribuantur? Tantum-ne ſibi tribuit Pontifex Romanus, ut audeat dicere Eccleſiam univerſam eſſe ſuum exercitum, ſuum corpus, ſuum regnum, ſuum ovile, ſuam domum, ſuam navim? An ergo eam redemit, aut ſanguinis ſui pretio eam ſibi acquiſivit, ut pro ipſius peculio haberi debeat? Apage iſtas blaſphemias.

VIII. *Quinta* Pontificiorum ratio ducitur à primordiis gubernationis Eccleſiæ Chriſtianæ. Conſtat, inquiunt, Eccleſiam à Chriſto congregatam, cœpiſſe initio regimen externum & viſibile habere Monarchicum, non Ariſtocraticum aut Democraticum. Chriſtus enim cum in terris degeret eam viſibiliter adminiſtrabat, ut ſummus ejus Paſtor & rector. Igitur etiam nunc habere debet Eccleſia externum & viſibile regimen Monarchicum; alioqui non eſſet Eccleſia quæ nunc eſt, eadem Dei civitas cum illa. Civitas enim dicitur eadem ſpecie donec remanet eadem, id eſt idem communis gubernationis modus, quo mutato mutatur etiam civitas, ut docet Ariſtoteles Polit. lib. 3. cap. 2. Reſp. Chriſtum cum in terris adhuc mortalis verſaretur, nunquam ſibi aſſumpſiſſe externum Eccleſiæ regimen. Nec poterat id legitime quamdiu Pontificatus Aaronicus nondum erat abrogatus, cui erat ſubjectus ut Iſraëlita ſub lege factus, *Gal.* IV. 4. Alioqui tunc fuiſſent duo capita Eccleſiæ, & quorum unum alteri non eſſet ſubalternum, quod Pontificii abſurdum eſſe confitentur. Reprehendebat quidem Chriſtus, ut Propheta à Deo miſſus, errores qui in Pontificium munus irrepſerant, & populum in veritate divina inſtituebat, ut ſibi caveret à fermento doctrinæ Præſulum Eccleſiæ Judaicæ. Sed quod ad cætera attinet, Pontificem munere ſuo fungi ſinebat, imo ſe ei ſubjiciebat, dum remittebat ad eum leproſos à ſe ſanatos, ut de illorum munditie judicium ferret. Et cum diſcipuli de primatu inter ſe contendebant, proponit eis exemplum ſuum, dicens, *Quicunque voluerit inter vos maximus fieri, ſit veſter miniſter, ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*, *Matth.* XX. 26. *Luc.* XXII. 26. Id autem non potuiſſet jure dicere, ſi ſe jam tum ut Eccleſiæ ſummum Monarcham geſſiſſet. Sed pone eum tunc rexiſſe Eccleſiam, non propterea ſurrogandus erit alius rector in ejus locum, poſtquam ſublatus eſt in cœlos; cum non deſinat ibi Eccleſiæ ſuæ curam gerere, ſed omnem à Deo Patre poteſtatem ſit adeptus, ut eam perfectius gubernare poſſit. Nec ſequitur, eſſentialem regiminis formam eſſe mutatam, cum idem maneat rector qui antea, & eædem leges, & diverſitas tantum ſit in quibuſdam circumſtantiis.

IX. *Sexta* ratio ducitur à ſimili. Recte, inquiunt, in ſingulis locis ſinguli conſtituuntur Epiſcopi, qui cæteris omnibus ejus loci miniſtris & paſtoribus præſint. Rurſus in provinciis ſingulis recte conſtituuntur ſinguli Metropolitani, qui ſuæ provinciæ Epiſcopis præſideant; & in majoribus urbibus Primates ſeu Patriarchæ, qui curam ſuſcipiant ampliorem. Igitur æquum eſt, ut ſit etiam unus aliquis qui toti Eccleſiæ præſit, & cui Primates quoque & Patriarchæ ſubjiciantur. Nam ſi Monarchicus principatus convenit uni civitati, uni provinciæ, uni nationi, cur non etiam Eccleſiæ univerſæ? Reſp. Ordinem iſtum Archiepiſcoporum & Patriarcharum (de Epiſcopis poſtea videbimus) non eſſe inſtitutionis divinæ, ſed humanæ: quod adverſarii noſtri non diffitebuntur: & multo ſatius fuiſſe ab illo abſtinere, quam ſæcularem faſtum & tyrannicam dominationem in Eccleſiam introducere. Sed fac illum eſſe aliquomodo tolerabilem, ut foret ſi ſe Primates & Archiepiſcopi intra merum miniſterium continerent, & nullam ſibi auctoritatem illegitimam arrogarent; non tamen inde ſequitur, pari ratione poſſe aliquem omnibus Archiepiſcopis & Patriarchis præfici, qua illi ſuarum provinciarum & ditionum Epiſcopis præfecti fuerunt. Nec enim qui regendæ alicui provinciæ aut regno par eſt, idem toti terrarum orbi gubernando ſufficere poteſt. Perinde eſt enim ac ſi dicerem, Iſte vir poteſt geſtare onus ducentarum aut trecentarum librarum, Ergo pari ratione decem millium, vel centum millium librarum.

X. *Septima* ipſorum ratio ex propagatione Eccleſiæ deſumpta eſt. Eccleſia, inquiunt, ſemper crevit & creſcere debet, donec in toto orbe prædicatum ſit Euangelium. Non autem poteſt id fieri, niſi ſit unus ſummus Eccleſiæ Præſul, cui ſollicitudo incumbat totius hujus corporis conſervandi & propagandi. Nam nemo debet prædicare niſi mittatur, ſecundum illud Pauli *Rom.* X. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Mittere autem in alienas provincias non eſt Epiſcoporum particularium. Illi enim habent ſuos certos fines Epiſcopatus ſui, extra quos nullum jus habent, nec ad eos pertinet cura, niſi tuendi gregis ſibi aſſignati. Reſp. Euangelium toto orbe poſſe prædicari, & Eccleſiam ubique colligi & propagari abſque ſummo aliquo Eccleſiæ in terris Monarcha, aut miſſione ab illo facta, docet nos ſufficienter Actorum Apoſtolicorum hiſtoria. Ibi enim *cap.* VIII. narratur, quomodo fideles ex Eccleſia Hieroſolymitana propter perſecutionem diſperſi pertranſibant regiones Judææ & Samariæ, euangelizantes verbum Dei. Et Philippus, qui tantum Diaconus erat, prædicabat Chriſtum in civitate Samariæ. Et *cap.*

cap. XVIII. dicitur quod Apollo, qui sciebat tantum baptisma Joannis, id est prima religionis Christianæ elementa, fervens spiritu docuerit diligenter in Synagoga Ephesina ea quæ sunt Jesu. Et apud Socratem Histor. Ecclesf. lib. I. cap. 15. legimus, Ædesium & Frumentium captivos apud Indos, illic Euangelium prædicasse & multos ad Christi fidem adduxisse. Posteaque Frumentium ab Athanasio Indorum Episcopum Alexandriæ creatum, in Indiam reversum Ecclesias multas exstruxisse. Et cap. 16. narrat idem auctor, captivam quandam mulierem apud Iberes primum Euangelium prædicasse, & regem reginamque aliosque plurimos ad fidem convertisse. Non ergo requiritur ad prædicandum Euangelium inter infideles, ut quis ejus rei facultatem à summo Ecclesiæ Monarcha impetret, sed sufficit si ei rei sit idoneus, & charitate præditus qua alienam salutem ardenter sitiat. Nam quod Paulus dicit, *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* non significat non licere sine missione Euangelium prædicare, sed fieri non posse, ut quis doctrinæ Euangelicæ ignarus, eam aliis prædicet, nisi in ea prius à Christo instructus ad alios docendum mittatur. Apparet etiam ex missionibus nostro tempore à Pontifice Romano in India factis, cum non tam studiosum esse Christianæ fidei ibi propagandæ, quam potestatis suæ & imperii Hispanici fines dilatandi. Unde tantum abest ut Christi regnum promoveatur, ut potius Christiana fides magis exosa reddatur, prout in Japonia contigit; aut si aliqui ad professionem ejus externam convertantur, sceleratiores reddantur quam antea, ut Christus de Scribarum & Pharisæorum proselytis dicit *Matth.* XXIII. 15.

XI. *Octava* Pontificiorum ratio ducitur ex unitate fidei. Necesse enim, ajunt, esse ut omnes fideles idem omnino sentiant in rebus fidei: siquidem, docente Paulo ad *Ephes.* IV. unus est Deus, una fides. At una fides in Ecclesia esse non potest, si non sit unus summus judex, cui omnes acquiescere teneantur; ut apparet ex dissensionibus quæ sunt inter eos qui Pontificis Romani auctoritati se subjicere detrectant. Nam cum multi sunt pares, vix fieri potest ut in rebus difficilibus ullus patiatur alterius judicium suo præferri. Nec quæstiones possunt terminari à Concilio generali, cum etiam in tali Concilio major pars possit errare, si desit auctoritas summi pastoris, ut docet Concilium Ariminense & Ephesinum. 2. Adde quod non possunt semper cogi Concilia generalia, ut 300 primis annis, in quibus multæ hæreses fuerunt. *Resp.* Allaborandum quidem est ut omnes Christiani, si fieri queat, idem omnino sentiant in rebus fidei, præsertim in articulis fundamentalibus, sine quibus nemo salutem æternam consequi potest. At ut ista fidei unio inter eos vigeat, non est necesse ut in Ecclesia sit visibilis aliquis Princeps & Monarcha, cujus judicio omnes se submittere teneantur. Nam ne sic quidem ad eam perveniri potest. Id quod experientia verum esse plus satis comprobat. Quamvis enim Pontifex Romanus se pro tali gesserit & venditaverit, hactenus tamen sua auctoritate non potuit componere fidei controversias quæ inter Christianos exortæ sunt; nequidem eorum qui non illibenter ipsum pro primo Episcopo agnoverint. Imo contra, Monarchia ab eo usurpata causa fuit cur Græcæ Ecclesiæ à Latina secessionem fecerint, tyrannidis ipsius jugum ferre nolentes. Quid ergo? Concilia-ne sive generalia sive provincialia unionem illam afferre possunt? Sunt qui id putent; sed non ego, præsertim si eadem ratione celebrentur qua huc usque factum est; nimirum ut secundum suffragiorum pluralitatem decisio rerum in controversiam vocatarum in illis fiat. Ubi enim mos ille obtinet, plerumque major pars meliorem superat & opprimit. Et qui vident se non rationibus convictos, sed multitudine suffragiorum obrutos, judicio ejusmodi non acquiescunt. Unde indubie schismata oriuntur aut corroborantur. Nam quod Pontificii dicunt, Concilia generalia à Papa approbata & confirmata errare non posse, vanum est, ut suo loco ostendetur. Ut igitur fructus aliquis è Synodis capiatur, illæ non debent id unum spectare, ut controversias fidei quaqua ratione terminent, decreta condendo quæ per vim aliis obtrudantur; sed argumentis pugnare, quibus contradicentes veritati in conscientia convincant. Aut si id obtinere nequeant, dispicere utrum dogmata controversa fundamentum fidei evertant nec-ne; ut si constet non evertere, alii alios in dissensione sua tolerent, quoad Dominus errantibus veritatem revelaverit. Quæ autem talia sint, non difficulter invenietur, si pro certo habeatur, nihil ad salutem absolute esse necessarium quod in Sacris literis clare & diserte non contineatur. Quod si ne in eo quidem conveniri possit, præstat dissidia in Ecclesia manere, quam præ isto unionis desiderio tyrannidem fovere; cum nulla vera & salutaris in fide unio sit, nisi quæ à libero consensu procedit. Solummodo cavendum, ne dissidia circa fidem vinculum charitatis abrumpant.

XII. Cum igitur ex dictis constet Monarchicum regimen in Ecclesia nec necessarium, nec à Christo institutum esse, inde sequitur Petrum Apostolum non fuisse reliquorum Apostolorum principem, aut universalem sub Christo Ecclesiæ Monarcham, prout Pontificii contendunt. Id tamen ex abundanti aliquot adhuc argumentis comprobabimus. Summa est, quod nulla istius Petri Monarchiæ vestigia in Scripturis occurrant, sed potius contraria multa, quæ æqualitatem ipsius cum reliquis Apostolis ostendunt. *Primo* enim cum de alio in locum Judæ proditoris sufficiendo Apostolo ageretur, Petrus id pro auctoritate sua non facit; sed communi

totius

totius Ecclesiæ consensu duo proponuntur, videl. Joseph & Matthias, tanquam huic muneri aptissimi, & electio sorte jacta Domini arbitrio committitur, qui ita eam dirigit, ut in Matthiam cadat. Nulla hic Petri actio intervenit, nisi quod rem istam Ecclesiæ congregatæ proponit. Quod fecit, quia vel ætate, vel zelo cæteris in collegio Apostolico anteibat. Nolim enim negare, eum prærogativas aliquas præ collegis suis habuisse, primumque inter eos seu principem fuisse, eo sensu quo princeps Senatus apud Romanos dicebatur, qui primus in illo cœtu erat. Quæritur tantum de auctoritate jurisdictionis, seu an jus imperandi reliquis Apostolis habuerit; quod eum non habuisse asserimus. Id quod adhuc luculentius apparet in prima Diaconorum electione, *Act.* VI. Ea enim fit ab universa fidelium multitudine, & quidem à duodecim Apostolis convocata, non à Petro, cujus nulla hic præ cæteris peculiares sunt partes. *Secundum* argumentum petimus ex ejusdem libri *cap.* VIII. *v.* 14. ubi dicitur Apostolos, qui erant Hierosolymis, cum audivissent Samariam recepisse verbum Dei, ad eos Petrum & Joannem misisse. Petri autem, si Princeps fuisset & Monarcha Ecclesiæ, officium erat alios mittere, non ab iis mitti. Nullus enim hodie est inter Pontificios, nequidem Concilium universale, qui auctoritatem habeat mittendi aliquo Papam. Sed ipse jus sibi omnes alios quocunque libet ablegandi assumit. Quinetiam accusatus Petrus quod Euangelium incircumcisis gentibus annunciasset, rationem illius facti coram Ecclesia reddere cogitur, *Act.* XI. Nihil vero de auctoritate sua, aut infallibilitate excipit, sed visionem, qua motus id fecerat, simpliciter narrat, ad placandos eos qui ista re offensi fuerant. *Tertium* habemus in 2 *Cor.* XI. 5. ubi Paulus dicit, *Puto me nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis.* Cui jungi potest locus ex *cap.* II. *ad Galat. v.* 6. ubi idem Apostolus dicit, Nullum esse discrimen inter se & eos qui existimantur esse aliquid, & quæ sequuntur, ubi inter se & Petrum comparationem instituit. Magnum autem fuisset inter Paulum & Petrum discrimen, & Paulus immerito jactasset se nulla in re inferiorem fuisse summis Apostolis, si Petrus totius Ecclesiæ Monarcha & reliquorum Apostolorum Princeps fuisset. Quare nullus est nunc in Ecclesia Romana Episcopus, qui se Papæ æquiparare audeat, sed omnes ipsi subjectos esse, velint nolint, oportet. *Quartum* argumentum, idque multiplex, desumimus ex eodem *ad Gal.* II. ubi 1. Paulus dicit sibi Euangelium præputii fuisse concreditum, sicut Petro circumcisionis, id est, munus sibi fuisse demandatum Euangelium Gentibus incircumcisis annunciandi, Petro autem Judæis. Ubi ex partitione muneris inter Petrum & Paulum facta, apparet utriusque æqualitas. Imo ex eo, quod major Paulo sors obtigit, quædam super Petrum præcellentia non improbabiliter colligi potest. Deinde addit, *cum Jacobus & Cephas & Joannes qui existimantur esse columnæ* (Petrum secundo loco nominando, quod fieri non debuit si reliquorum erat Princeps) *cognovissent gratiam sibi datam, dextras societatis sibi & Barnabæ dedisse*; id est eos pro sociis habuisse. Non ergo pro subditis, sicut hodie Pontifex Romanus omnes Episcopos habet; qui etiam ipsi juramentum fidelitatis præstare tenentur, in hæc verba, *Ego N. electus Ecclesiæ N. ab hac hora ut antea fidelis & obediens ero beato Petro Apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & Domino nostro Papæ N. suisque successoribus canonice intrantibus*, &c. prout legere est in Pontificali Romano. Postremo ibidem Paulus, cum videret Petrum non recto pede incedere, ut veritati Euangelii conveniebat, ei in os restitit, & coram omnibus reprehendit. Quo modo hodie nemo sine periculo capitis erga Pontificem Romanum se gerere auderet. Et sane non est subditi, Principi suo ita in os & coram omnibus resistere, nulla habita dignitatis ipsius ratione, & ea tantum non pedibus proculcata. Sed Petrus id non videtur, quæ pietas ipsius & modestia, iniquo animo tulisse. Et sane, quod *quintum* erit nostrum argumentum, nullum sibi jus in reliquos Euangelii ministros, quantumvis donis multo inferiores, in Epistolis assumit, nec pro auctoritate, sicut facit Papa, quicquam eis præcipit; sed συμπρεσβύτερος vocando, eos ad pascendum Dei gregem hortatur. Qui stylus toto distat cœlo, ab eo qui in Decretalibus Pontificum Romanorum Epistolis conspicitur.

XIII. Pontificii tamen magno conatu Petrum à Christo totius Ecclesiæ caput & Monarcham constitutum esse probare nituntur, allatis horsum variis Scripturæ testimoniis, quibus id significari putant. Nos ex magna illa turba duo tantum primaria expendemus; quæ si pro ipsorum causa nihil facere evicerimus, cætera sponte concident. Primum est *Matth.* XVI. ubi Christus Petro, qui ipsum Dei viventis esse filium confessus fuerat, dicit; *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris supra terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Ubi sub diversis vocibus metaphoricis, videl. *inædificandi* tanquam super fundamento, *claves dandi*, & *potestatem ligandi atque solvendi*, Monarchiam istam universalem designatam esse asserunt. Nos respondemus 1. Apostolos reliquos verba illa hoc sensu non accepisse. Id quod inde non obscure colligitur, quod post istam promissionem Petro factam illi inter se de primatu contenderunt, & quidem pridie passionis Domini Jesu, *Luc.* XXII. 24. Tanta autem ipsorum erat erga charissimum suum præceptorem reverentia, ut nunquam id facturi fuissent, si credidissent Petrum antea caput suum & totius

Ecclesiæ esse constitutum. Hoc enim nihil aliud fuisset, quam se manifeste ejus voluntati per contumaciam & seditionem opponere; quod de ipsorum pietate suspicari est nefas. Et sane non poterant ex istis Christi verbis colligere dominium in se Petro fuisse promissum, cum paulo post Christus ipsis omnibus dixisset, *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo, Matth.* XVIII. 18. Nam quin sub ligandi & solvendi metaphora, idem quod sub potestate clavium comprehendatur, nullum est dubium, nec Pontificii ipsi diffitentur. Præterea cum Christus hoc *Matth.* XVI. loco nihil actu det Petro, sed tantum se daturum polliceatur, apparet ex *Joannis cap.* XX. ubi promissum istud exsequitur, æqualem omnibus Apostolis potestatem collatam esse, cum diceret eis, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, v.* 23. Nam remittere & retinere peccata, idem est ac ligare & solvere. Sed Pontificii instant & dicunt; Apparet tamen aliquid peculiare Petro illic esse promissum quod ad cæteros Apostolos nullo modo pertineat, cum Christus illi soli dicat, *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Respondent autem vulgo Protestantes, Christum singulariter Petrum compellasse, non quod peculiare quippiam ipsi dare vellet, cujus reliqui Apostoli non forent participes; sed quia collegarum suorum nomine tanquam ipsorum os & interpres, responderat ad quæstionem omnibus propositam, quid sentirent de Jesu, Dominum Jesum quoque ad eum singulariter verba sua direxisse, etiamsi id quod dicebat omnes promiscue spectaret. Idque ex eo constare dicunt, quod Matthæus referens verba Christi qui Syriace locutus fuerat, in qua lingua tum Petrus tum petra unica voce *Cephas* exprimuntur, ad omnem ὁμωνυμίαν vitandam, ea sic reddiderit, σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. Et similiter Latinus interpres vulgatus, cujus versio in Ecclesia Romana Græco archetypo non tantum æquatur sed & præfertur, *Tu es Petrus, & super hanc petram*, nimirum ne quis ambiguitate deceptus Petro quod ipsi non convenit tribueret. Idque tanto majori consideratione dignum esse, quod cum πέτρος in lingua Græca, sicut in Syriaca Cephas, & hominem & saxum significet, Matthæus tamen diversis vocibus uti maluerit, ut significaret petram supra quam Christus dicit se ædificaturum esse Ecclesiam, aliam esse à Petro Apostolo. Per petram ergo istam designari ipsum Christum, seu, quod eodem redit, confessionem quam Petrus de Domino Jesu ediderat, *Tu es Christus, filius Dei viventis*; quasi diceret, Tu verissime respondisti, cum me Christum filium Dei vivi esse confessus es; Ego enim sum. Et hæc doctrina est tanti momenti, ut sit fundamentum quod Ecclesiæ meæ substernere volo; ita ut quicunque ei innitetur à morte æterna salvus futurus sit. Hæc non sine magna veri specie dicuntur, & nolim iis contradicere, cum Paulus dicat, *fundamentum aliud neminem posse ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, 1 *Cor.* III. 11. Et cum certum sit Ecclesiam illam de qua dicit Christus, portas inferorum adversus eam non prævalituras, non posse fundari super hominem, non tantum mortalem sed & inconstantem, & qui nisi peculiari Dei gratia fulciatur à fide deficere queat, nam illo cadente necesse quoque foret Ecclesiam ruere, quod absurdum est & Christi promissioni contrarium. Putarim tamen, sine bonæ quam tuemur causæ detrimento, aliquid amplius Pontificiis posse concedi; nimirum peculiare hic quippiam Petro supra reliquos Apostolos promitti, non quidem Pontificatum œcumenicum aut dominatum in collegas, sed singularem quendam honorem fundamenta Ecclesiæ Christianæ primum jaciendi tam inter Judæos quam inter Gentiles, quo Christus Petrum propter eximium ejus zelum in se confitendo præ cæteris Apostolis afficere voluerit. Nam quamvis omnes Apostoli ratione ministerii sibi demandati in fundamentis Ecclesiæ ponendis strenuam operam navarint; eaque de causa dicamur ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo existente, *Ephes.* II. 20. & in murorum novæ Jerusalem fundamentis inscripta sint nomina duodecim Apostolorum agni, non Petri solius, *Apoc.* XXI. 14. Petrus tamen primus post missum à Christo Spiritum S. Ecclesiam illi inter Judæos Hierosolymis colligere cœpit, ubi una concione tria hominum millia convertit. Similiter inter Gentiles, cum Cornelio Centurioni, iisque qui cum ipso erant, visione divina monitus, Euangelium annunciavit, eosque ad Christum sine circumcisionis aliorumque legis rituum interventu, ut vigente Judaismo fieri solebat, adduxit.

XIV. *Secundus* Scripturæ locus, quo Petri Monarchiam stabiliri putant, exstat *Joan. cap.* XX. ubi Christus Petro soli dicit, *Pasce oves meas*, idque non semel tantum, sed etiam ter repetit. Sed respondeo, Pascere oves Christi longe aliud esse, quam summum in eas imperium obtinere iisque dominari. Imo ista sunt inter se opposita, ut Petrus ipse docet, cum Ministros Euangelii alloquens dicit, *Pascite qui in vobis est gregem Dei, non ut dominantes cleris*, 1 *Epist.* V. Et ne quis putet Petrum id aliis Pastoribus interdicere, quod sibi soli competeret, Christus ipse diserte omnes Apostolos prohibet dominatum exercere, *Matth.* XX. *Principes gentium dominantur eis. Non ita erit inter vos*, &c. Adeo ut Bellarminus directe in os Christo ipsi contradicat, cum in Recognitione librorum suorum de Pontifice Romano dicit, ex illis verbis, *Pasce oves meas*, colligi auctoritatem imperandi regio more. Nec refert quod aliquando, tum apud Sacros tum apud profanos auctores, Pascendi voce regia

auctoritas designatur, & reges ποιμένας λαῶν ab Homero vocantur. Nemo enim ignorat voces generales vel metaphoricas secundum subjectam materiam exponi & restringi debere; non vero ubique in universa sua latitudine accipi. Imo si ad propriam significationem vocum pascendi & pastoris attendatur, tantum abest ut illis summa aliqua potestas indicetur, ut contra plerumque munus eorum designet qui alienas oves curant, in quas jus nullum habent; adeo ut ne quidem lanam earum tondere sine venia dominorum ausint. Sic *Genes.* XIII. dicuntur pastores gregis Abrahami & pastores gregis Loth, servi aut mercenarii illi quibus Abraham & Loth suarum ovium curam demandaverant. Quod autem Christus ter Petro mandat ut oves seu agnos suos pascat, non id facit ut majorem aliquam ipsi quam reliquis Apostolis potestatem tribuat. Sed quia ter Christum abnegaverat, & abnegatione ista se Apostolatus munere indignum reddiderat, Christus ter interrogato eo an se plus quam reliqui diligeret, ter quoque ei suas oves pascendas commendat; ita ut trinæ Petri abnegationi, trina quoque ipsius restitutio respondeat. Deinde quod summa potestas in Ecclesiam pascendi munere demandato, non sit Petro à Christo tributa, inde apparet, quod non solum reliquis Apostolis præceptum sit omnes gentes docere, μαθητεύειν, qua voce proprie id significatur, quod metaphorice pascendi vocabulo exprimitur, sed etiam quod alii ex Christi præscripto constituti fuerunt in Ecclesia pastores, & Episcopi, quibus mandatur ut Ecclesiam Dei pascant, *Act.* XX. 28. *Ephes.* IV. 12. quos Petrus pro συμπρεσβυτέροις suis agnoscit, loco supra citato. Quamvis enim Petri & reliquorum Apostolorum à Christo immediate vocatorum major longe fuerit auctoritas, quam eorum qui postea ad munus docendi ab hominibus fuerunt vocati, omnibus tamen æque competit gregem Domini pascere; ita ut ex ista voce Petri super eos prærogativa, multo minus supra suos collegas, nulla cum verisimilitudine possit colligi.

XV. Sed quia etiamsi Petrus totius Ecclesiæ Princeps & Monarcha à Christo constitutus esset, id tamen Pontificiorum causam nihil juvaret, addunt illi Petrum Romanum Episcopum aliquamdiu fuisse, & in eo Episcopatu diem suum obiisse, illumque principatum suum jure successionis ad Episcopum Romanum transmisisse; ita ut quicunque in sedem illam legitime fuerit introductus, Petri potestatis in regenda universali Ecclesia sit hæres. Verum hic multa sibi sumunt quæ nullo modo admittenda sunt. Nam 1. incertum plane est an Petrus unquam Romæ fuerit; saltem nulla illius rei in Sacris literis vestigia occurrunt: imo multa illic habemus quæ contrarium valde verisimiliter suadent. Male enim conveniebat sortitioni illi inter Petrum & Paulum factæ, de qua *Galat.* II. legimus, ut Petrus Judæis, Paulus vero gentibus Euangelium annunciaret, commoratio Petri Romana: multoque commodius in Judæa habitans poterat munere isto defungi, cum pauci Judæi Romæ essent, eo quod Claudius Cæsar præcepisset ipsos omnes discedere Roma; *Act.* XVIII. 2. Et quamvis illuc rediissent sub imperio Neronis, tamen cum Paulus eo captivus abductus esset, ut habetur ejusdem libri capite ultimo, ipsosque convocasset ut rationem fidei suæ, quæ vinculorum causa fuerat, redderet, loquuntur de Christiana religione tanquam de secta sibi incognita, de qua nihil aliud audiverant nisi ei ubique contradici; quod proculdubio non fecissent si Petrus ibi antea Euangelium prædicasset. Et cum Paulus in Epistola ad Roman. *cap.* XVI. multos fideles qui ibi erant salutet nominatim, nulla Petri mentione facta, apparet tunc temporis Petrum Romæ non fuisse. Et toto illo biennio quo ibi Paulus captivus detentus fuit, *Actor.* XXVIII. 30. multasque inde Epistolas scripsit, nimirum ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, 2 ad Timotheum, Epistolam ad Philemonem, apparet quoque Petrum Romæ tunc non fuisse, cum Paulus nusquam illius meminerit, & dicat ad *Coloss.* IV. Aristarchum & Marcum solos suos esse adjutores in regno Dei, & 2 *Tim.* IV. conqueratur se ab omnibus desertum fuisse in prima sua defensione. Saltem viginti quinque annis Romæ non potuit sedere, ut illi ex Eusebii Chronico asserunt. Nam cum à morte Christi qui 20 Tiberii anno passus est, usque ad ultimum imperii Neronis annum, sub quo Petrum martyrio Romæ cursum suum consummasse volunt, non plures sint quam 36 anni, aut ad summum 37; Petrus in Judæa 18 annos ad minimum à passione Christi commoratus est, ut constat ex *cap.* II. *ad Galat.* ubi narrat Paulus se eum 14 à conversione sua anno Hierosolymam invisisse, & quadriennio post eum Antiochiæ reprehendisse. Secundum quem calculum non potuisset Petrus plus quam 18 annis Romæ habitasse. Unde fidem narrationis Chronici Eusebiani de 25 annis laborare manifestum est. Nec bene cum ea convenit quod ejusdem Hist. Ecclesf. lib. 3. cap. 1. dicit, Petrum in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia & Asia dispersis Judæis Euangelium prædicasse, & cum Romæ esset sub finem vitæ, ibidem cruci fuisse affixum. Nullos etiam habemus antiquiores testes Justino & Tertulliano qui Petrum Romæ fuisse asserant. Illi autem scripserunt plusquam 130 annis à morte Petri: quod tempus longum satis est ad errorem in historiam inducendum, in qua sæpe contingit, ut unius scriptoris lapsus omnes sequentes in errorem trahat. Demus tamen propter veterum auctoritatem, Petrum Romæ aliquamdiu docuisse, non sequitur tamen illum ordinarium illius urbis fuisse Episcopum, cum Apostoli munus nulli certo loco esset alligatum; proinde ad Episcopi Romani

Romani prærogativam confirmandam nihil facit. Demus quoque illum Romæ passum, nullam id sane Ecclesiæ Romanæ supra cæteras prærogativam dabit, sed potius opprobrio ei cedet, quod sanguis Apostolorum in ea fuerit effusus; sicut Christus Hierosolymæ exprobat *Matth.* XXIII. quod esset Prophetarum qui ad ipsam mittebantur interfectrix. 2. Etiamsi Petrus universalis Ecclesiæ Monarcha fuisset, non sequeretur ipsum aliquem muneris istius successorem reliquisse, nisi id ita à Christo constitutum fuisse probetur. Moses enim fuit populi Israëlitici Princeps, Legislator & Sacerdos. Sed nullum in hoc munere successorem habuit, sicut frater ejus Aaron in suo Pontificatu, quia Deus id noluit. Et sane munus illius tale erat ut successorem in eo habere non posset, cum esset liberator populi è servitute Ægyptiaca & primus ejus legislator. Apostolicum vero non absimile fuit, in eo quod à Christo in terris agente immediate Apostoli vocati essent, ut primi Euangelium quod ex ejus ore didicerant, mundo annunciarent, & de resurrectione ejus testarentur, utpote qui post eam cum ipso conversati familiariter fuissent, & una edissent & bibissent. Quod privilegium erat singulare, & ad alios hæreditate transmitti non poterat. Qua de causa reliqui Apostoli nullos Apostolatus sui successores reliquerunt. Ergo neque Petrus ipse relinquere potuit. Si dicant illum habere successores non quatenus Apostolus, sed quatenus Episcopus Romanæ urbis fuit; respondebo ergo nullos ipsum in Monarchia sua successores habere, quæ (si quam habebat) ei competebat qua Apostolus, non qua Romanus Episcopus, cum Christus in locis, ubi illam ipsi tribui putant, nullam Episcopatus Romani mentionem fecerit, sed tantum ad Apostolatum ejus respexerit. Si vero quod Petrus Romæ mortem pro Euangelio subiit, Romanum Episcopum supra reliquos Episcopos extollit, multo potiori jure Hierosolymitanus Episcopus primatum in reliquos totius orbis Episcopos habere deberet, eo quod Christus totius Ecclesiæ sine controversia summum caput & Monarcha in ea passus sit. Quid si contigisset Petrum in ignobili aliquo pago interfici, an propterea illius pagi Sacerdos aut Episcopus Petri in primatu suo hæres & successor foret? Primatus ergo qui veteribus Canonibus Episcopo Romano concessus fuit, in Romæ dignitate, quæ imperii caput erat, fundamentum habuit: & in eo tantum constitit, quod primus honore inter cæteros Episcopos haberetur, non vero ut potestatem in eos haberet, aut jurisdictionem ullam. Unde factum est postea, ut, sede imperii Constantinopolim translata, Constantinopolitanus Episcopus secundum ab eo gradum obtinuerit; ut constitutum est Concilio Constantinopolitano 1. quod anno Christi 383 celebratum est, Can. 3. *Constantinopolitanæ civitatis Episcopus habeat privilegia honoris post Romanum Episcopum, eo quod sit ipsa nova Roma.* Cui concinit Novella Constitutio Justiniani 131. cap. 2. *Sancimus, secundum Ecclesiasticorum canonum definitiones, sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium Sacerdotum: beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos, novæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam sedem senioris Romæ, aliis autem omnibus sedibus præponatur.* Et quod ad jurisdictionem Rom. Episc. illa suburbicarias Ecclesias non excedebat, secundum Nicæni Concilii constitutionem, Can. 6. prout illum refert Ruffinus Eccles. hist. lib. 1. cap. 6. *Et ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti vel hic suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat;* id est, ut sicut ille Ægypti, ita hic Ecclesiarum suburbicariarum curam gerat, prout particula *vel* apud bonos auctores quandoque usurpatur. Suburbicariæ autem Ecclesiæ erant, quæ intra centesimum ab urbe lapidem inclusæ erant, ut multis veterum documentis probari posset. Saltem certum est eas Italiæ limites non excessisse, quod multum ab œcumenico Pontificatu abest. Quare imperio Romano nunc everso, nulla est causa cur illius urbis Episcopus pristinam suam dignitatem & præeminentiam retineat. Præterea cum à vestigiis Petri longissime discesserit, & ministerium Ecclesiasticum in mundanum Principatum transformaverit, religionemque Christianam penitus corruperit, jure amisisse censendus est illam dignitatem, quam veteres Romanæ urbis Episcopi ob sanctimoniam & pietatem suam, qua reliquo orbi prælucebant, adepti fuerant.

XVI. Eversa Episcopi Romani Monarchia, superfluum esset de illius in fide infallibilitate & in dijudicandis controversiis potestate multis disputare. Uno igitur aut altero verbo totam hanc controversiam absolvam. 1. Omnes homines sunt erroribus obnoxii, ne ipsis quidem Ecclesiæ pastoribus & rectoribus exceptis. Nam *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus,* 1 *Cor.* XIII. 9. Item, *Omnis homo est mendax,* *Rom.* III. 4. Summi Pontifices olim in populo Israëlitico gravissime errarunt. Aaron consensit in fabricam vituli aurei, *Exod.* XXXII. Urias altare in templo Dei Hierosolymis exstruit ad exemplar illius quod erat Damasci, & super illud juge sacrificium offert, remoto altari æneo quod erat coram Domino, 2 *Reg.* XVI. Annas & Cajaphas Dominum Jesum Christum tanquam seductorem ad mortem damnant. 2. Omnes homines in multis labuntur, teste *Jacobo cap.* III. Qui autem labuntur in vita sua & moribus, in fide pariter errare possunt. Frustra jactant se Spiritu veritatis duci, qui flagitiis suis ostendunt se à Christo alienos esse. Recte enim auctor *Sap. cap.* I. *In maleficam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccato. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet dolum,* &c. Cui consonat illud quod Christus dicit *Joan.* XIV. 17.

mundum non posse accipere Spiritum veritatis. Mundanis autem cupiditatibus fuisse immersos multos ex Episcopis Romanis ne ipsi quidem Pontificii negant, & nos id supra ex ipsorum testimoniis ostendimus, cum decimam Ecclesiæ notam expenderemus. 3. Res ipsa loquitur, Papam non esse infallibilem in fide. Historiæ enim ipsorum testantur de multis, ipsos in hæresin incidisse. Nam ut de Marcellino nihil dicam, qui, ut agnoscit Bellarminus, metu mortis fuit inductus ad sacrificandum idolis, quod plane indignum fuit Christi vicario; Certum etiam est Liberium Arianæ hæresi subscripsisse. Id enim testatur Athanasius in Epist. ad solitarios, Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiast. & alii. Extortam quidem ei fuisse istam confessionem tormentorum metu dicunt, sed non probant. Felix quoque secundus, eodem Hieronymo teste, Arianus fuit; proptereaque ab Imperatore Constantio, qui Arianis favebat, in Romana sede collocatus. Vigilius approbavit hæresin Eutychianam, ut constat ex ejus literis, quas Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus refert in suo Breviario. Honorius 1. fuit Monothelita, eaque de causa à tribus universalibus Conciliis damnatus, sexto nimirum, septimo & octavo; ut & à Leone II. qui ei in Episcopatu Romano successit. Innocentius primus docuit participationem Eucharistiæ esse necessariam infantibus, sine qua salvari non possint; ut constat ex ejus Epistola hac de re scripta, quæque locum occupat inter Augustini Epistolas. Hanc autem sententiam tanquam hæreticam Synodus Tridentina damnat Sess. 21. Can. 5. *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Cælestinus 3. docuit matrimonium per hæresin solvi; ita ut liceat ei conjugium aliud inire, cujus prior conjux in hæresin lapsus sit; & Alphonsus à Castro testatur, ejus hac de re Epistolam in antiquis Decretalibus insertam, ubi eam viderit & legerit. Denique, ne plures referam, Joannes 23. in Concilio Constantiensi Sess. xi. dicitur abnegasse vitam futuram, & carnis resurrectionem. Quare 4 multi inter Pontificios non verentur asserere, Papas in hæresin incidere posse, ut modo laudatus Alphonsus à Castro lib. 1. contra hæreses, cap. 4. Cui adde Melchiorem Canum lib. 6, cap. 8. Item Scholam Parisiensem, & omnes eos qui supremam in Ecclesia auctoritatem Conciliis tribuunt. Id enim ea de causa faciunt, ne Papa in hæresin prolapso, tota simul cum eo Ecclesia errasse dici possit. Alii quidem hic distinguunt inter Papam quatenus est particularis Doctor, & quatenus est totius Ecclesiæ caput, & illo quidem respectu errare eum posse concedunt, sed non hoc. Verum etiamsi illa distinctio alicubi forte locum habere posset, tamen certum frustra eo confugi, ubi de decretis Paparum erroneis agitur, qui in Jure Pontificio sunt inserti, & ab Ecclesia Romana approbati: uti de Innocentii 1. & Cælestini 3. erroribus modo observavi.

XVII. Audiamus tamen quid Pontificii in contrarium afferant, & id breviter expendamus. Dicunt 1. Christum oravisse pro Petro ne fides ejus deficeret, *Luc.* xxii. & consequenter pro ejus successoribus. Ejus autem preces cum semper sint efficaces, inde sequi Pontifices Romanos in fide errare non posse. Sed respondeo, ineptum esse, privilegium Petri singulare ad omnes Romanos Episcopos trahere velle, & sine ulla prorsus probatione. Deinde ipsi sibi contradicunt, cum fateantur Papas suos posse habere fidem mortuam & bonis operibus destitutam, quæ non impediat quominus in æternum damnentur. Nam pro illa fide non oravit Christus, quæ habenti esset inutilis, sed pro ea quæ per charitatem efficax est. 2. Afferunt Pontificem Aaronicum olim errare non potuisse in fide, idque significatum esse per Urim & Tummim, quæ in pectorali gestabat, ut legere est *Exod.* xxviii. ut doctrinam & veritatem ibi perpetuo habitare ostenderetur. Sed respondeo contrarium me supra evicisse, tribus allatis exemplis eorum qui in fide gravissime erraruunt: quibus nunc addo quartum Ananiæ; de quo *Act.* xxiii. legimus, qui præterquam quod esset Christi & ipsius religionis hostis, etiam erat Sadducæus, & mortuorum resurrectionem, animarumque immortalitatem abnegabat. Ex illa autem secta ante Christi adventum & passionem summos alios Sacerdotes fuisse indubium est. Officium quidem Pontificum erat Doctrinam & veritatem perpetuo ob oculos habere, nec unquam ab ea recedere. Sed id non semper faciebant, ut frequenter videmus id eis exprobari in Prophetis. Labia Sacerdotis debebant custodire scientiam, ut dicitur *Malach.* ii. 8. Sed id non fecisse apparet ex eo quod immediate ibidem additur, *Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, atque irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.* 3. Objiciunt, Si Pontifex Romanus, qui est Ecclesiæ caput, in fide errare posset, tota quoque Ecclesia erraret, utpote quæ illius ductum & regimen sequi tenetur. At hoc est absurdum: Ergo & illud. Resp. 1. Non est ita absurdum, ut vulgo putatur, totam Ecclesiam errare posse in fide, cum sit composita ex membris quæ omnia & singula errandi periculo obnoxia sunt. Sed posito hoc esse absurdum; non protinus ex errore Pontificis Romani sequitur totius Ecclesiæ error. Nihil enim obstat, quin aliquando membra saniora in fide sint ejusmodi capite. Nec omnes eum agnoscunt pro capite, cui parere teneantur. Et qui putant eum ordinis in Ecclesia tuendi causa, à Conciliis universalibus caput esse constitutum, seu primum Episcopum, non protinus talem ei auctoritatem tribuunt, qualis ei tribuitur à Gratiano in Decreto, Distinct. 40.

Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, &c. *nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus; hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius*, &c.

XVIII. Hinc ulterius colligo; Si Papa non est immunis à periculo errandi in fide, neque absolutam potestatem habet omnes de ea exortas controversias dijudicandi. Istud enim, ut cuncti agnoscunt, requiritur in summo controversiarum judice, cui omnes sub pœna salutis æternæ amittendæ se subjicere tenentur, ut errare nequeat. Alioqui Deus vellet nos sequi ducem cæcum, qui seipsum & nos simul perderet; quod est cogitatu absurdum. Sed, inquiunt Pontificii, si Papa non sit summus controversiarum fidei inter Christianos exortarum judex, nullus erit in terris qui illas judicare possit, atque ita indecisæ in æternum manebunt. Hoc autem est absurdum: Ergo & illud. Consequentiam majoris probant, quia nec Episcopi singuli seorsim, nec Concilia sive Episcopi simul in Conciliis congregati, nec principes seculares, nec denique privati homines hanc potestatem habent. Unde concludunt eam Papæ tribuendam, aut neminem eam habiturum. Resp. Fatemur nos, neque singulos Episcopos seorsim, neque in Conciliis congregatos, neque principes sæculares, neque privatos fideles habere summam controversias fidei dijudicandi potestatem. Quia nulli illorum est à Christo tributa, neque ad eam exercendam sunt idonei, utpote omnes errandi periculo obnoxii. Unde sequitur neminem illorum sine manifesta tyrannide talem sibi potestatem vindicare posse. Sed non propterea eam Papæ deferendam existimamus, scil. ne desit nobis in terris summus judex, à cujus judicio appellare non liceat. Præstat enim multo istas controversias indecisas relinqui & credendi libertatem unicuique concedi, quam à minus idoneo judice, & qui errori sit obnoxius, dirimi, & necessitatem falsa credendi sibi imponi. Non enim eadem est ratio controversiarum fidei, atque illarum quæ de rebus mundanis inter homines oriuntur. Has enim oportet decidi, quacunque tandem ratione id fiat: quia certa debet esse unicuique bonorum suorum possessio. Et minus malum est judicium iniquum aliquando subire, quam nullum habere. Quia si nulla forent inter homines de istis rebus judicia, vis mera dominaretur, & infirmior à potentiore opprimeretur. Sed non perinde se res habet in controversiis fidei. Habemus regulam immotam ad quam eas expendere possumus, nimirum sacras literas, quarum auctoritas est divina & infallibilis. Unusquisque cui veritas est cordi & salutis suæ est avidus, inde tantum haurire potest, quantum ad ipsum in vitæ æternæ via dirigendum sufficit. Ex iis non est difficile singulis Christianis Deum timentibus dijudicare, quid verum sit quid falsum, quid sequendum aut quid fugiendum; non ut leges aliis figant, sed ut certi aliquid habeant ad quod fidem & mores suos componant. Perinde ut unusquisque, cui gustus non est depravatus, potest judicare quinam cibi sint usurpandi, qui vero rejiciendi. Excipient forte, multos esse idiotas, qui ad privatum istud judicium salutariter faciendum non sint idonei, & qui pro bonis cibis amplecterentur venena, si sibi relinquerentur. Sed resp. 1. Ejusmodi homines periculum istud evadere non posse, alieno se judicio submittendo sine ullo prævio examine; quia non minus fieri poterit ut in deteriorem partem incidant, quam in meliorem. Istud non est verendum, inquient, si judicio Ecclesiæ se submittant. At, inquam ego, hoc ipsum est quod controvertitur, quænam sit vera Christi Ecclesia; nec æquum est ut potius Pontificiis assentiar se eam esse dicentibus, quam aliis, v. gr. Græcis, Armeniis, Æthiopibus, idem jactantibus. 2. Neminem esse Dei timentem, qui, si eam diligentiam adhibeat ad viam salutis æternæ inveniendam, qua in rebus hujus vitæ utitur, non possit articulos fidei necessarios, ab iis qui salutem eripiunt, discernere. Præterquam enim quod res ista non sit magni laboris, nec magnam vim ingenii requirat, cum clare & perspicue illi sint expressi in Sacris literis, hi vero non minus aperte istis articulis necessariis adversentur, Deus qui salutem omnium vult, & ut omnes ad cognitionem veritatis veniant, non permittet ut ejusmodi homines cum animæ suæ periculo à veritate salutari aberrent. Sit ita, dicent, Non tamen poterit unitas fidei in Ecclesia retineri, sed quot capita erunt, tot de religione sententiæ inter Christianos reperientur. Respondeo, Unitas fidei satis retinebitur, si in necessariis sit consensus. Erit autem certo inter Dei timentes & salutis suæ avidos. In cæteris ut talis consensus obtineat non est necessarium. Sed alii alios fundamento fidei salvo debent in diversitate sententiarum tolerare: id tantum operam dantes, ut ad quod pervenerunt idem sapiant, & in eadem permaneant regula; de cætero expectantes, ut si qui aliter sapiant Deus ipsis veritatem suam revelet, *Phil.* III. 15. 16.

XIX. Sed Papa, etiamsi non habeat supremam omnes fidei controversias dijudicandi potestatem, non-ne saltem ipsi concedi potest auctoritas Canones aliquot de externo Ecclesiæ regimine condendi, eosque executioni mandandi; ita ut nemini Christiano hac in re detrectare ipsius imperium liceat? Resp. Pontificem Romanum eandem cum reliquis Episcopis in sua diœcesi potestatem habere, quam ulterius extendere sine manifesta tyrannide nequit. Quæ autem & qualis singulorum episcoporum & pastorum hac in re sit auctoritas, in sequentibus commodius dispicietur. Hoc tantum dicam, temporalem

quam

quam sibi hoc respectu assumit Papa, in omnia totius orbis regna & principatus potestatem, non quidem directe, sed, ut loquuntur, indirecte, quatenus ad bonum Ecclesiæ facit, plane à veri Pastoris munere alienam & antichristianam esse. Nec alio hac in re argumento opus est, quam Christi ad Apostolos, inter se de primatu contendentes, monito, *Scitis principes gentium in eas dominari, & magnates potestatem in eas exercere; At non ita erit inter vos*, &c. *Matth.* xx. 25. &c. Hic nulla distinctione utitur; nec dicit, Vobis quidem directe dominari non licet, sed quominus id indirecte faciatis non prohibeo: sed simpliciter, *Non ita erit inter vos.* Et sane quis non videt ridiculam esse istam distinctionem, & merum effugium declinandæ & offuscandæ veritatis luci inventum? Nonne enim eodem plane res redit, sive Papa directe imperium habeat in hujus mundi regna & principatus, sive indirecte; cum nunquam ambitiosis inter Episcopos ingeniis hac via prætextus desit, omnibus sæcularibus negotiis spreto suo munere se immiscendi. Sed copiosius istud prosequi nolo, cum multi inter Pontificios, huic se Romani Episcopi tyrannidi animose variis scriptis opposuerint.

CAPUT VIII.

De Ministris Ecclesiæ extraordinariis.

I. *Regimen Ecclesiæ est Democraticum.* II. *Dirigitur tamen à Ministris, qui vel sunt Extraordinarii, vel Ordinarii.* III. *Primarii sunt Apostoli.* IV. *Eorum supra reliquos prærogativa prima.* V. *Secunda.* VI. *Tertia.* VII. *Quarta.* VIII. *Quinta.* IX. *Sexta.* X. *Secundi sunt Prophetæ.* XI. 1 *Cor.* 14. *non est institutus mos promiscue in Ecclesia prophetandi, & schismatis rei sunt qui propterea secessionem faciunt.* XII. *Quid sit, quod Paulus dicit* 1 *Cor.* 11. *quod mulier prophetans velato capite deturpat caput suum.* XII. *Tertii sunt Evangelistæ.*

I. HActenus ergo sufficienter probatum est, Ecclesiæ sub Christo summo capite regimen non esse Monarchicum, nec Petrum à Christo totius Ecclesiæ Monarcham fuisse constitutum, multoque minus Pontificem Romanum. Superest nunc ut quale id regimen esse debeat dispiciamus; Utrum Aristocraticum, cui primores tantum admoventur, An vero Democraticum, in quo suæ etiam plebi concedantur partes. Ac Aristocratico quidem more Ecclesiam regi debere, plerique Protestantium censent, qui ejus regimen Pastoribus tantum, sive inter se æqualibus sive inæqualibus, & Diaconis atque Senioribus tribuunt; plebem vero nullo modo ad id admittunt. Sed nos contra Democratice eam gubernandam esse existimamus. Idque probamus ex conditionibus quæ vulgo à Politicis in Democratico regimine requiri solent, quæ omnes Ecclesiæ competunt. Prima est, ut officia reipublicæ non sint penes certas quasdam familias, reliquis omnibus ab iisdem exclusis; sed ut promiscue & indifferenter ex plebe eligantur qui muneribus gerendis aptiores esse comperiuntur. Quam conditionem in Ecclesia locum habere, nec Pontificii nec Protestantes refragari possunt; cum inter hos in Pastores, Diaconos & Seniores, inter illos vero in Episcopos, Cardinales & Pontifices quandoque eligantur qui ex infima plebe sunt assumpti. Et jure sane, cum in eo aptitudinis solius ratio haberi debeat, quæ sæpe non minus in iis qui sunt abjectissimæ originis quam in aliis reperitur. Non eadem enim est ratio hac in parte Ecclesiæ Christianæ quæ Israëliticæ, in qua Deus Sacerdotium Aaronis familiæ alligatum esse voluit. Et tamen etiam tunc, durante illo regimine, Deus Prophetas ex omnibus Israëlis tribubus & familiis promiscue suscitavit, quibus docendi populum suum munus commisit, & Sacerdotes à lege deflectentes redarguendi potestatem dedit: inter quos quidam etiam infimæ sortis fuerunt, ut Amos, qui se antequam ad Propheticum munus vocaretur bubulcum fuisse testatur, *cap.* VII. *v.* 14. 15. Et cum Dominus Jesus Apostolos elegit ad Ecclesiam ex hominibus Evangelii præconio colligendam & regendam, nullam in iis prosapiæ aut dignitatis rationem habuit, sed piscatores, publicanos, & ejusmodi sortis homines ad id munus assumpsit. Quare etiam Paulus in Episcopis futuris nihil aliud requirit, quam ut *irreprehensibiles sint, apti ad docendum*, &c. 1 *Tim.* III. *Tit.* I. Altera regiminis Democratici conditio est, ut Magistratus ab ipsa plebe constituantur. Cum enim plebs per se rempublicam administrare non possit, alios debet constituere qui id suo nomine faciant. Huic vero in Ecclesia rei respondet antistitum electio, quæ, ut postea Deo volente fusius ostendemus, toti populo nemine excepto competit: ut apparet ex surrogatione Apostoli alicujus in locum Judæ, qui scelere suo ministerio illo exciderat. Ecclesia enim Hierosolymitana duos quos maxime idoneos censebat, Josephum Barsabam & Matthiam, proposuit, & sorte cum precibus jacta ea super Matthiam cecidit, qui communibus calculis, ut inquit Lucas, allectus est cum undecim Apostolis, *Act.* I. 23. *& seqq.* Primi quoque Ecclesiæ Hierosolymitanæ Diaconi ab universa multitudine electi fuerunt, ut legere est *Act. cap.* VI. *v.* 2. 3. 4. 5. 6. Eadem vero est reliquorum Antistitum ratio, in quorum electione non minus jus habet multitudo fidelium; cum ejus maxime intersit, ut nonnisi idonei in docendi munere constituantur. Unde etiam videmus Apostolos Barnabam & Paulum per suffragia populi creasse Presbyteros in singulis Ecclesiis, *Act.* XIV. 23. Hæ duæ sunt primariæ Democratici status conditiones; quarum si una aut altera alicubi desideretur, non potest dici summa potestas penes plebem esse. Illis vero aliæ quoque adjunguntur, sed quæ non sunt tanti mo-

momenti, ideoque in omnibus democratiis locum non habent. Nimirum 1. Ut à sententia Magistratus in rebus gravioribus ad judicium populi provocetur. Idque in Republ. Romana obtinuisse apparet ex Livio lib. 2. & 4. & in Atheniensi ex Plutarchi testimonio in vita Solonis. 2. Ut leges quibus gubernanda est Respublica à Magistratibus quidem proponantur, sed à populo tamen jubeantur; prout factum est inter Romanos; ut constat ex Livio lib. 3. & ex orationibus Ciceronis de lege Manilia, & de lege Agraria, ad populum Romanum habitis. 3. Ut Magistratus qui sincere in officio suo non versantur, apud populum accusentur, ab eoque judicentur; prout etiam apud Romanos obtinuit, qui Tarquinium Collatinum, unum è primis consulibus, propter odiosum Tarquiniorum nomen, ante tempus Magistratu abire jusserunt, ut refert Livius lib. 2. & Decemviros potestate ad tyrannidem abutentes deposuerunt, ut ibidem legere est. Hæc autem suo quoque modo in Ecclesiæ regimine obtinere debere palam est. Cum enim Presbyteriorum interdictum sit dominari cleris, 1 *Petr.* v. 3. id est Ecclesiæ quæ est κλῆρος, id est, sors seu hæreditas Domini, licet ab eorum judicio ad totam Ecclesiam provocare. Ecclesiæ quoque totius esse leges Ecclesiastici regiminis ferre, ex *Act.* xv. 22. discimus, ubi totius Ecclesiæ consensus intervenit in decreto à prima Synodo Hierosolymitana promulgato. Quin etiam eidem liceat Pastores inordinate se gerentes ab officio removere, indubium est; cum potestatem ligandi & solvendi à Christo acceperit, & ad eam nos remittat in dissidiis inter fratres obortis, quæ privata admonitione componi non potuerunt, *Dic Ecclesiæ*, *Matth.* XVIII. 17. quem locum supra de universa fidelium multitudine accipiendum esse evicimus, non autem de Ecclesia quæ dicitur Repræsentans; & infra cum de Disciplina Ecclesiastica tractabimus pluribus ostendemus.

II. Quamvis autem Ecclesiæ Christi regimen sit Democraticum, non sequitur tamen omnia in ea à promiscua plebe administrari debere: quod sine summa confusione fieri non posset. Deus autem non est confusionis, seu incompositi status, author, 1 *Cor.* XIV. 33. Et in Ecclesia omnia decenter & ordine fieri debent, *ibid.* v. 40. Quare necesse est in ea Antistites quosdam esse, non tantum ut eam verbo Euangelii pascant, sed etiam ut cæteris rebus agendis præsint. Eorum vero duo genera primis statim Ecclesiæ Christianæ temporibus constituta fuisse ex Sacris literis discimus. Alii enim fuerunt extraordinarii, alii ordinarii. Extraordinarii fuerunt quos Dominus Jesus ad Ecclesiæ suæ fundamenta jaciendum adhibuit, & illis jactis cessare debuerunt. Ordinarii sunt, qui in illa perpetuo usque ad consummationem sæculi esse debent. Utrosque complecti voluisse videtur Paulus, cum dicit, *Christum dedisse alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores*, *Ephes.* IV. 11. Cum quo confer etiam 1 *Cor.* XII. v. 28. Extraordinarii enim fuerunt Apostoli, Prophetæ & Euangelistæ, quorum munus cum ipsis expiravit, adeo ut nullos, saltem Apostoli, in eo successores reliquerint. Ordinarii vero Pastores & Doctores: quibus postea Diaconi ad curam pauperum & mensarum gerendam adjuncti fuerunt, ut eos oneris parte sublevarent, *Act.* VI.

III. Quod ad *Apostolos* attinet, bifariam illud nomen usurpatum legimus in Sacris Novi Fœderis literis. Communiter enim & κατ' ἐξοχὴν tribuitur tantum illis duodecim, qui in comitatu Domini nostri Jesu assidue vixerunt, quos testes suæ resurrectionis esse voluit, & ad prædicandum Euangelium per totum terrarum orbem misit; quorum collegio postea adjunctus est Paulus, à Christo jam in cœlo gloriose regnante ad id munus vocatus, *Act.* IX. ita ut nulla in parte inferior fuerit reliquis. Aliquando tamen, sed rarius, alii isto nomine insigniuntur. Ita *Andronicus & Junius insignes inter Apostolos* vocantur, *Rom.* XVI. 7. quod tamen aliqui ita accipiunt, ut significet illos ab Apostolis pro insignibus Christi servis habitos, non vero Apostolos vocari. Sed ista expositio mihi coacta videtur. Nec mirum cuipiam videri debet, nomen Apostoli, quod appellativum est & legatum significat, aliis quam illis duodecim vel tredecim primariis tribui; cum etiam alii præter ipsos legatione pro Christo fungerentur. Imo ipse quoque Christus, quatenus à Patre in terras fuit missus ut primus esset Euangelii præco, *Apostolus & Pontifex professionis nostræ* vocatur, *Hebr.* III. 1. Duo etiam socii Tito adjuncti ad ferendum eleemosynas Ecclesiarum Macedoniæ Hierosolymam, Apostoli vocantur 2 *Cor.* VIII. 23. Ubi rursus quidam excipiunt, illos non simpliciter vocari Apostolos, sed Apostolos Ecclesiarum; in qua sententia est Beza, qui in versione sua maluit legatos dicere quam Apostolos. Sed quamvis id considerationem mereatur, & dubitationem injicere possit, an illi etiam Apostoli vocati fuerint simpliciter, cum Paulus id nomen Tito illic non tribuat; tamen epitheton sequens quod additur, cum illi vocantur *gloria Christi*, omni dubitationi tollendæ sufficit, cum iste titulus Apostoli nomen excellentia superet. Denique Epaphroditus quoque vocatur Apostolus, *Philipp.* II. 25. Verum de hoc merito dubitatur, utrum Paulus ei absolute Apostoli nomen tribuere voluerit, cum non simpliciter eum Apostolum vocet, sed cum hac adjectione, *Apostolum vestrum*, id est legatum, prout etiam Beza vertit. Quicquid hujus rei sit, id est, sive olim nomen Apostoli duodecim illis proprium fuerit, sive eis cum aliis quoque insignibus Christi ministris commune, indubium est duode-

duodecim illos supra cæteros omnes eminuisse. Quo respexisse videtur Paulus 1 *Cor.* XII. 28. 29. ubi enumeratis variis muneribus quæ Christus in Ecclesia sua constituit, dicit, *Num omnes sunt Apostoli?* quasi vellet ostendere, cæteros, quamvis insignes Christi ministros, ad Apostolicam dignitatem non accessisse. Et sane multæ fuerunt & magnæ eorum prærogativæ supra omnes quorum opera unquam usus est Deus, sive sub Vetere sive sub Novo Testamento, ad voluntatem suam hominibus patefaciendam, solo Christo Apostolorum principe excepto: quas nos hac occasione breviter recensebimus.

IV. *Prima* Apostolorum prærogativa est, quod primi post Jesum Christum fuerint Euangelii præcones, quæ est perfectissima omnium doctrinarum quæ unquam Dei nomine hominibus fuerunt annunciatæ. Nam lex quæ per Mosem Israëlitis data est, præter quam nihil docuerunt Prophetæ qui ipsum secuti sunt, erat *litera occidens*, & *ministerium mortis atque damnationis*, ut vocatur à Paulo 2 *Cor.* III. 6. 7. 8. 9. Euangelium vero, cujus præconium fuit Apostolis demandatum, est *ministerium spiritus*, ut ibidem dicitur. Præterea lex illa Mosaica *nihil ad perfectionem adduxit, sed introductio melioris spei per quam appropinquamus Deo*, *Hebr.* VII. 19. Hæc autem melioris spei introductio est doctrina Euangelica, in qua nobis per Christum remissio peccatorum annunciatur, etiam graviorum illorum à quibus homines in lege Mosis non potuerunt justificari, *Act.* XIII. 38. 39. Et vita æterna aperte & sine figurarum involucris promittitur, cujus nuspiam in lege clara & expressa fit mentio. Item *lex* Vetus *habebat* tantum *umbram futurorum bonorum, non ipsam vivam rerum imaginem*, *Hebr.* X. 1. Sed *corpus est Christi*, ut docet Paulus *Coloss.* II. 17. id est, veritas rerum, umbris illis legis significatarum, in Euangelio Christi continetur. Quo respiciens Joannes, dicebat; *Lex per Mosem data est, gratia & veritas per Jesum Christum.* Et quamvis Joannes Baptista rudimenta aliqua illius gratiæ & veritatis attulerit; & inter natos mulierum non surrexerit Propheta major illo, *Luc.* VII. 28. *Matth.* XI. 11. tamen cum non esset lux illa vera, sed venisset ut testimonium perhiberet de luce, *Joan.* I. 7. 8. 9. minimus in regno cœlorum fuit ipso major, id est minimus eorum qui Euangelium perfecte à Christo revelatum annunciarunt, Joannem Baptistam officii dignitate antecessit. Unde & Christus alibi dicebat, Beatos esse suos Apostolos quod ea viderent & audirent, quæ multi olim Reges cupierant videre & audire, nec tamen voti fuerant compotes, *Matth.* XIII. 16. 17. *Luc.* X. 23. 24.

V. *Secunda* Apostolorum prærogativa est, quod omnes quotquot ante se & post se fuerunt Dei legatos, copia donorum Spiritus S. superarunt. Moses quidem & Prophetæ ex Spiritus Dei afflatu locuti sunt, prout ipsorum scripta testantur, & Petrus nos docet 2 *Epist.* I. *v.* 21. Et illius virtute varia prodigia ediderunt, ut in historia Veteris Testamenti legere est. Et multi fuerunt in Ecclesia Christiana, tum temporibus Apostolorum tum aliquando post, qui donis Spiritus claruerunt. Sed nemo inter illos omnes cum Apostolis hac in re conferendus aut æquiparandus est, in quos die Pentecostes Spiritus S. sub figura linguarum ignearum illapsus est; cujus virtute varias linguas momento addidicerunt, claudos ab utero matris in pedes erexerunt, morbos gravissimos verbo aut umbra sua prætereundo sanarunt, mortuos suscitarunt, futura prædixerunt, rebelles Euangelio miraculose punierunt, & denique in omnem veritatem deducti sunt. Sed ista duo postrema peculiares prærogativas constituunt, de quibus mox copiosius. Interim hic notandum, illos dona ista Spiritus non sibi solis accepisse, sed etiam aliis communicare potuisse; quod nullis aliis præter ipsos unquam contigit. Sumpsit quidem Deus de Spiritu Mosis, ut daret 70 senioribus, prout legere est *Numer.* XI. 16. &c. Sed in manu Mosis non erat hoc facere. Ideo non audet Elias duplicem Spiritus sui portionem Elizæo id petenti, nisi sub incerta conditione, promittere 2 *Reg.* II. 9. Philippus quoque Diaconus & Euangelista pollebat dono magna miracula faciendi, quibus doctrinam Euangelii inter Samaritanos à se annunciati confirmabat, *Act.* VIII. 5. 6. 7. Sed non habebat potestatem Spiritum S. per impositionem manuum suarum conferendi. Qua de causa Petrus & Joannes ab Apostolis illuc missi sunt, qui id facerent quod Philippus facere non potuerat. Quibus autem Apostoli manus imponebant, illi accipiebant Spiritum S., linguis loquebantur, prophetabant & varia signa edebant, ut legimus *Act.* XIX. *v.* 5. de Ephesinis illis duodecim discipulis quibus Paulus imposuerat manus. Unde Simon Magus, videns per impositionem manuum Apostolorum conferri Spiritum Sanctum, obtulit ipsis pecuniam, ut hanc quoque potestatem obtineret.

VI. *Tertia* Apostolorum prærogativa est, quod *à Spiritu S.* quem copiose supra reliquos fideles acceperunt, *deducti sint in omnem veritatem*, *Joan.* XVI. 13. & XIV. 16. 26. id est, perfectam cognitionem adepti sint rerum omnium ad religionem & cultum Dei pertinentium, adeo ut nos tuto ipsis eorumque scriptis absque erroris periculo, tanquam Christo, fidem adhibere possimus. Et sane, si antequam tanta Spiritus copia perfusi essent de illis dicebat, *Qui vos audit, me audit, & qui vos rejicit me rejicit*, *Luc.* X. *v.* 16. nimirum quia sciebat ipsos à præscriptis sibi mandatis non aberraturos: multo potiori jure id postea illis competiisse censendum est, postquam Paracletum promissum acceperunt in die Pentecostes. Nec obstat, quod ante illud tem-

tempus, & cum Christus adhuc in terris cum illis esset, multa ignorarunt. Putabant enim Christum non moriturum, & regnum ejus mundanum fore sibi pollicebantur, in eoque prima munera jam ambiebant; & difficulter admodum persuaderi ipsis potuit resurrectio Christi. Imo etiam post acceptum Spiritum S. ignorarunt gentes ad participationem Euangelii vocandas esse sine observatione rituum legis Mosaicæ. Nam quod promiserat iis Christus Spiritum S. eos deducturum in omnem veritatem, id non ita accipiendum est, quasi simul & semel ipsis omnem veritatem patefacere deberet, sed quod paulatim & oblata occasione moniturus ipsos esset sui officii, & revelaturus ea quæ ad illius functionem cognitu erant necessaria. Excepto tamen illo casu de vocatione gentium, nihil videmus ipsis novi, quoad doctrinam attinet, patefactum esse. Ita ut ab illo tempore quo Petrus ad Cornelium ivit, & ipsum in fide Christiana instituit (quod secundo aut tertio post Christi passionem anno contigit) Apostolos omnia perfecte novisse quæ ad munus suum pertinebant statuendum sit. In quo multum superarunt Mosem & reliquos Veteris Testamenti Prophetas, qui quotiescunque prophetandum erat novo Spiritus afflatu indigebant, quem si non expectarent, falli poterant instar reliquorum hominum. Id quod contigit Nathani, qui cum inconsulto Deo approbasset Dei consilium de templo in honorem Dei ædificando, coactus fuit illud revocare, 2 *Sam.* VII. 1. &c. Item illi Prophetæ, quem Deus miserat in Bethel ad prophetandum contra altare à Jeroboamo extructum, qui se in animæ suæ perniciem ab alio donum prophetiæ falso sibi tribuente decipi permisit, 1 *Reg.* XIII. Unde Moses nihil ausus est de illo statuere, qui inventus fuerat ligna colligens die Sabbathi, sed expectavit donec Deus ipse declarasset qua pœna afficiendus esset, *Numer.* XV. 32. &c. Nec de illo qui blasphemaverat nomen Dei: cujus historiam vide *Levit.* XXIV. *v.* 10. *& seqq.* Objicietur forsan, Petrum ipsum errasse, ideoque à Paulo reprehensum fuisse, in eo quod ne offenderet Judæos subduceret se à conversatione cum gentilibus conversis ad fidem, ut legimus *Gal.* II. 11. &c. Non respondebo, ut Pontificii solent in simili casu, ad excusandos suorum Paparum errores, illos errare quidem posse ut homines, vel doctores privati, sed non ut sunt summi Pontifices. Distinctio enim hæc est ridicula. Quomodo enim Urbanus V. gr. vel Innocentius Papæ orthodoxi esse poterunt, dum sunt homines & doctores hæretici? Et si iidem tanquam homines & doctores hæretici in inferni barathrum detrudantur, quomodo tanquam Papæ orthodoxi salvabuntur? Et cur homo vel doctor errans non consulit Papam bene sentientem, ut ab illo erudiatur? Non dicam etiam cum quibusdam, Petrum in illo facto non erravisse, & reprehensionem Pauli fuisse simulatam. Contrarium enim arguit res ipsa, & hæc Pauli verba, Petrum fuisse condemnandum. Quid ergo? Resp. Error iste non fuit in doctrina, sed in moribus, in quibus non fuerunt Apostoli omnino ἀναμάρτητοι. Non docebat Petrus fugiendam esse conversationem & convictum Christianorum incircumcisorum, & cibis in lege prohibitis vescentium. Sed ne incurreret in offensam Judæorum legis zelatorum, paulatim sese ab illis νεοφύτοις subducebat; nec ita ut antea familiariter cum iis versabatur. Quæ sane gravis erat culpa, qua istis gentilibus conversis, si diutius in ea hæsisset, poterat suspectam reddere Christianæ libertatis doctrinam. Sed tamen non prohibebat, quominus Euangelii veritatem sincere tum ore tum scriptis proponeret. In summa, Apostoli non potuerunt contra voluntatem suam errare in fide, cum haberent Spiritum S. doctorem. Neque volentes erraverunt, cum propter constantiam suam in illa retinenda tam gravia toto ministerii sui tempore passi sint, eamque tandem sanguine suo obsignarint. Ideoque nos absque metu erroris possumus scripta ab illis relicta & approbata tanquam θεόπνευστα amplecti, & ad illa tanquam ad certam veritatis amussim fidem & mores nostros componere.

VII. *Quarta* Apostolorum prærogativa est, quod habuerunt, ut modo diximus, potestatem rebelles Euangelio miraculose puniendi. Sed quæ non fuit Euangelii propria, ideoque aliis antea sub lege communicata. Nam ut nihil dicam de plagis in Ægyptios Mosis interventu immissis, ad ipsius etiam vocem terra se aperuit ut Core, Dathan & Abiram seditionem in populo excitantes absorberet, *Numer.* XVI. Elias quoque bis quinquagenos milites, ab Ochozia rege ad ipsum comprehendendum missos, igne cœlitus ad preces suas delapso consumpsit, 2 *Reg.* I. Et Elizæus duas ursas immisit in pueros Bethelenses idololatras, qui ipsum deridebant, à quibus quadraginta duo ipsorum occisi sunt, 2 *Reg.* II. Idemque lepram à Naamane Syro, quem sanaverat, in Gehazi servum suum ob avaritiam ejus transtulit, 2 *Reg.* V. Sed ne hac in re inferiores ipsis essent Apostoli, eadem quoque potestate donati fuerunt à Christo. Eaque Petrus Ananiam & Sapphiram ejus uxorem ob hypocrisin, & quod mentiti essent Spiritui S., subita morte è medio sustulit, *Act.* V. & Paulus Elymam Magum, qui Sergium Cypri Proconsulem à fide avertere nitebatur, cæcitate percussit, *Act.* XIII. Et huc pertinet potestas tradendi Satanæ, quam adversus Hymenæum & Alexandrum idem Apostolus explicuit, 1 *Tim.* I. Sed in eorum qui ita castigabantur bonum, (quod in pœnas à veteribus Prophetis immissas non quadrat) nimirum *ut discerent non blasphemare*: Et, *ad interitum carnis, ut Spiritus salvus esset in die Domini nostri Jesu Christi*, ut dicit 1 *Cor.* V. de incestuoso, quem decernebat tradere Satanæ. Interitus autem

tem iste carnis non significat mortem corpoream, quæ ad emendandum peccatorem servire non potest; sed mortificationem veteris hominis, crucifixionem carnis, quæ alibi in Scriptis Apostolorum nobis commendatur, ut *Rom.* VI. 6. & VIII. 13. *Galat.* V. 24. Et hæc est virga, de qua idem Apostolus loquitur 1 *Cor.* IV. 21. *An cum virga veniam ad vos, an cum charitate & spiritu lenitatis?* Quam videtur etiam intelligere 2 *Cor.* X. 6. cum dicit se paratam habere vindictam adversus omnem contumaciam. Eamque potestatem sibi à Domino datam ad ædificationem, & non ad subversionem, *Ibid.* v. 8. Potestatem ergo habebant pœnis corporalibus peccatores afficiendi, & illos Satanæ torquendos ad aliquod tempus tradendi, ut Deus olim fecit Jobum, eo fine ut hæc castigatio ad emendationem eorum serviret, & tandem salvi fierent. Et hoc modo tractatus fuit ipse Paulus, non in pœnam aut castigationem peccatorum suorum, sed ut esset ipsi prophylacticum ne in ea incideret. Dicit enim *sibi datum* fuisse *stimulum in carne, Angelum Satanæ, qui se colaphizaret*, idque eo fine *ne ob magnitudinem revelationum extolleret se*, 2 *Cor.* XII. 7. Iste enim stimulus carnis & Angelus Satanæ colaphizans, nihil aliud erat quam morbus aut dolor aliquis, quo Satan eum ex permissione divina vexabat, ne, prout ingenium est hominum, magnificentius de se quam par est sentiret, & se supra reliquos attolleret, propter excellentiam visionum quibus Deus eum dignatus fuerat in raptu suo in tertium cœlum. Ad potestatem autem Apostolis collatam peccatores Satanæ tradendi, aut aliis corporalibus pœnis afficiendi, sunt qui referunt etiam illud Christi apud *Joannem cap.* XX. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt eis*: ut nimirum tunc illi retinere dicerentur peccata, cum propter ea ejusmodi pœnas immitterent, & remittere cum pœnitentes & resipiscentes peccatores ab illis liberarent. Quamquam alii malunt istud ad declarationem voluntatis divinæ referre quæ per Euangelium fit, cujus præcones erant constituti Apostoli, de peccatoribus resipiscentibus in gratiam recipiendis, impœnitentibus vero sub ira & maledictione relinquendis. Eodem quoque pertinent claves regni cœlorum, & potestas ligandi & solvendi, quam Dominus Jesus promittit Petro, *cap.* XVI. *Matth.* & reliquis Apostolis, *cap.* XVIII. *v.* 18. Sed quocunque id modo accipiatur, nihil ad illos pertinet, qui se successores Apostolorum esse jactant, & ea propter omnia sibi Apostolorum privilegia vendicant; cum Apostoli nullos in munere suo successores reliquerint, & nemo hodie possit dicere se à Deo missum esse ad aliquid hominibus annunciandum, munusque Pastorum in eo tantum consistat, ut proponant id quod olim ab Apostolis tanquam Dei legatis primum mundo patefactum est. Unde colligere est, quam ridicule quidam hodie ex hoc loco, sibi judiciariam potestatem assumant, peccata Dei nomine remittendi vel retinendi; imo eo usque, ut velint injuste latam sententiam, ex affectu potius & ignorantia quam in veritate, ratam nihilominus apud Deum esse: quod nihil aliud est, quam Deum opt. max. miserorum homuncionum arbitrio subjicere.

VIII. *Quinta* Apostolorum prærogativa est, quod immediate à Christo unigenito Dei Filio ad munus suum electi & vocati sunt; qui ipsos per visiones aut somnia non est allocutus, sed viva voce instituit, dixitque, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, *Joan.* XX. 21. Id enim nullis sub Novo Fœdere præterquam duodecim illis, qui in comitatu Christi fuerunt, & Paulo, competit. Cæteri omnes Euangelii ministri iis fuerunt hac in parte inferiores. Et quod ad Veteris Testamenti Prophetas attinet, illi quidem missi fuerunt à Deo, sed tamen non immediate ipsos alloquente, sed per Angelos; qui quantum dignitate Christo impares fuerint, docet Apostolus toto 1 *ad Hebr. capite*: adeo ut cum Deus hunc suum filium introduxit in cœlum, de eo præceperit Angelis, ut omnes adorent eum. Imo neque Angeli ore ad os Prophetas alloquebantur, nisi cum forma humana iis apparebant; sed tantum in visionibus aut somniis. Nam quod de Mose dicit Deus, *Num.* XII. 8. *Ore ad os loquar cum eo, atque in visione, & non per ænigmata neque per similitudinem Domini aspiciet*; id non est intelligendum de immediato Dei alloquio aut visione, ad quam nemo unquam admissus est præter Dominum nostrum Jesum Christum, *Joan.* I. 18. sed solummodo de familiariori communicatione cum Angelo Dei legato, quam vulgo concessa esset reliquis Prophetis. Idque evincitur ex eo, quod legislatio, quæ præstantissima fuit Mosaici muneris pars, in Novo Testamento refertur ad Angelos. Ab illis Stephanus docet legem fuisse datam, *Act.* VII. 53. & Paulus *Galat.* III. 19. & ad *Hebr.* II. 2. Nec obstat quod legimus sæpe in lege, Deum cum Mose locutum esse. Id enim propterea fit, quia Deus nomen suum posuerat in Angelo quo tanquam legato utebatur, *Exod.* XXIII. *v.* 21. Imo verisimile est illa ipsa verba, *Nomen meum in medio ejus*, ab aliquo alio præstantiore Angelo, de eo qui Israëlitis præfectus fuerat dicta fuisse, adeo ut Deus nunquam immediate quemquam præter Dominum nostrum Jesum Christum allocutus fuerit. Cui rei probandæ id etiam inservit, quod fere semper, ubi aliqua Dei apparitio narratur, in S. literis ibidem fiat Angeli tanquam ministri mentio, & una eademque actio modo Deo modo Angelis tribuatur: quod proculdubio non factum esset, si Deus quicquam per se immediate dicere aut facere soleret. Quod summam illius Majestatem, qui tot millibus ministrorum stipatus est, qui præsto sunt ut mandata ejus exsequantur, dedecere videtur.

IX. *Sexta*

IX. *Sexta* & ultima Apostolorum prærogativa est, muneris ipsorum amplitudo, quod nullis aliis quam terrarum orbis limitibus fuit circumscriptum. Moses & reliqui Veteris Testamenti Prophetæ ad unam tantum gentem aut populum missi sunt. Sed Apostoli ad omnes sine discrimine aut exceptione. *Ite*, dicebat eis Christus, *& docete omnes gentes*, *Matth.* XXVIII. *v.* 19. & *Marc.* XVI. 15. *Profecti in mundum universum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Id quod etiam diligenter executi sunt, adeo ut Paulus de præconio ipsorum disserens, usurpare non dubitet verba quæ David *Psalmo* XIX. de cursu Solis protulit, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum*, *Rom.* X. *v.* 18. & *Coloss.* I. 6. dicat Euangelium quod illi annunciarunt *pervenisse in totum mundum.* Unde etiam idem 2 *Cor.* XI. 28. ait curam omnium Ecclesiarum sibi incumbere, & *Rom.* XV. *v.* 19. se ab Hierusalem & circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum implevisse Euangelium Christi. Et post tot labores exantlatos in Hispaniam quoque proficisci cogitabat, ut illam ad Christi cognitionem adduceret, *Ibid. v.* 24. Et quod gravitatem muneris istius auget, est, quod Apostoli non missi tantum fuerint, sicut Moses & Prophetæ, ad gentem aliquam, quæ Patrum suorum institutione præparata erat ad eos reverenter excipiendos & audiendos: sed ad multos populos barbaros, nulla plane Dei cognitione imbutos, aut idololatriæ & superstitionibus suis adeo immersos, ut omnem meliorem institutionem riderent & respuerent. Et tamen tanto cum successu inter illos Euangelium prædicarunt, ut ubique numerosas Deo & Christo Ecclesias colligerent. Sed quia fieri non poterat ut singuli Apostoli Euangelii semen per totum orbem dispergerent, consultum duxerunt inter se munus istud partiri, ut illud majori cum fructu obirent. Unde Paulus *Gal.* II. 7. dicit *sibi concreditum Euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis*, & ea de causa se vocat *Apostolum gentium*, *Rom.* XI. 13. Jacobo quoque peculiariter demandata erat Ecclesia Hierosolymitana, ut ex *Actorum cap.* XXI. constat, ubi narratur Paulum, cum Hierosolymam venisset, adiisse Jacobum & Seniores Ecclesiæ. Videtur quoque præsedisse in primo illo Concilio quod Hierosolymis habitum est, *Act.* XV. idque propterea, quod in suo peculiari districtu celebraretur. Ipse enim est qui sententiam de controversia inter gentes oborta, nomine totius cœtus pronunciat; quod præsidis est munus. Ibi denique martyrio cursum consummavit. Nec mirum videri debet, si is cui totus orbis commissus erat, se uni urbi quodammodo includi permiserit: cum Hierosolymas docendo, universum propemodum orbem docuerit, propter ingentem Judæorum & gentium ad illam urbem confluxum. Si quis scire velit quo unusquisque reliquorum Apostolorum profectus sit, adeat Dorotheum Tyri Episcopum, in Synopsi de ipsorum vitis. Et ibi discet Andream Scythis, Sogdianis, Sacis & in Sebastopoli interiore, ubi Æthiopes agrestes habitant, Euangelium prædicasse, Joannem in Asia minore, Philippum in Phrygia, Bartholomæum Indis quos felices vocant, Thomam Parthis, Medis, Persis, nec non etiam Germanis, Hircanis, Bactris & Magis, Simonem Zelotem in Mauritania, Judam Jacobi in Mesopotamia, Matthiam in interiore Æthiopia, & sic de cæteris. Et hæc de Apostolici muneris præstantia & sublimitate sufficiant.

X. Proximi illis erant *Prophetæ*, quos etiam Christus exaltatus dedit Ecclesiæ suæ, ut docet Paulus *Ephes.* IV. 11. Et quibus tribuit nomen *fundamentorum* Ecclesiæ, ejusdem *Epist. cap.* II. *v.* 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Nam de Veteris Testamenti Prophetis illic non agi, ostendit id quod alioqui præpositurus eos fuisset Apostolis, utpote tempore superiores. Ne jam dicam, illos non posse proprie dici fundamenta Euangelii, quod non annunciarunt, sed tantum prædixerunt suo tempore esse revelandum, *Rom.* I. 2. & 1 *Petr.* I. *v.* 10. 11. 12. Quod evidentius apparet ex *cap.* III. ejusdem *Epist. v.* 5. 6. ubi dicit, *mysterium Christi, quod aliis generationibus non fuerat agnitum filiis hominum, nunc revelatum esse sanctis Apostolis ejus & Prophetis in Spiritu, gentes esse cohæredes & concorpores & consortes promissionis ejus in Christo per Euangelium.* Talis Propheta erat Agabus, de quo *Act.* XI. 27. 28. Judas & Silas, *Ibid.* XV. 32. & quatuor filiæ Philippi Euangelistæ, *Ibid.* XXI. *v.* 8. 9. 10. 11. Et plurimos similes fuisse in initio nascentis Ecclesiæ Christianæ apparet ex 1 *Cor.* XI. 4. 5. & XII. 28. & XIV. fere toto. Nomine autem Prophetæ vulgo intelligunt eum, qui futura prædicit ex revelatione Spiritus Dei: ita ut dictus sit à προφημι, quatenus significat prædico, vel à προφαίνω, quod Attice dicitur προφάνω, ostendere, quod ostendat ventura. Sed nimis angusta est hæc significatio. Non enim illi tantum sunt Prophetæ qui futura prædicunt, sed etiam qui occulta revelant, sive ea præsentia sint sive præterita. Et sane Joannes Baptista, qui Propheta omnium maximus inter eos qui nati sunt ex mulieribus vocatur *Luc.* VII. 28. nihil quod postea futurum esset prædixit. Christum enim venturum non prædixit, quem tantum sex mensium ætate antecessit. Sed de eo dixit legatis ad se missis, *In medio vestrum stat quem vos non nostis*, *Joan.* I. 26. Melius itaque vox Prophetæ derivabitur à πρόφημι, quatenus significat *Proloquor*: ita ut Propheta sit *Prolocutor*, qui aliquid sibi à Deo revelatum profatur aliisque annunciat. Duo enim ad constituendum Prophetam requiruntur: Primo singularis aliqua & eximia revelatio divina. Deinde mandatum revelationem istam aliis aperiendi & communicandi. Unde qui alterutro istorum destitutus est, non videtur Propheta appellandus; quales v. gr. illi fuerunt, quibus Deus aliquid

aliquid in usum proprium patefecit, ut Pharao & Nebucadnezar. Neque etiam titulum istum tributum videmus Josepho viro Mariæ, propter revelationes quas illi contigisse narrat Matthæus *cap.* I. & II. nimirum quia illæ ad institutionem privatam illius & Mariæ tantum spectabant. De modis autem quibus Deus voluntatem suam revelavit Prophetis, non est hujus loci agere. Illi summatim comprehenduntur *Numer.* XII. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses: ore enim ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata & figuras Deum videt.* Istud prophetiæ donum multo celebrius fuisse sub Novo Fœdere quam sub Veteri, apparet ex locis modo citatis ex *Epist.* I. *ad Cor. & ad Ephes.* aliisque, ex quibus discimus plerosque in cœtibus primorum illorum Christianorum prophetasse. Et sane ita conveniebat, ut impleretur vaticinium *Joëlis cap.* II. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.* Cui consonant etiam alia loca apud veteres Prophetas. Nec sane minus gloriosum esse debebat Euangelium Lege, ut totum mundum ad Christum adduceret. Et teneræ illæ plantæ recens in agro Domini plantatæ, hæc dona & curam requirebant ut adolescerent. Inter Prophetas autem novos primum locum tenebant Apostoli, ita ut munus Propheticum inclusum esset in Apostolico tanquam pars illius, sed non vicissim. Idque ita se habere apparet ex iis quæ supra de Apostolorum prærogativis diximus. Et sane nihil eis defuit, quod ad cognitionem attinet mysteriorum religionis Christianæ; siquidem majore mensura quam ulli alii acceperant Spiritum S. qui eos deducebat in omnem veritatem. Et quod ad revelationem futurorum, variæ occurrunt in ipsorum scriptis, ut 1 *Thess.* IV. & 2 *Thess.* II. & 1 *Tim.* IV. 2 *Tim.* III. & 2 *Petr.* II. & III. & 1 *Joan.* II. & IV. totusque Apocal. liber nihil nisi ejusmodi prædictiones habet. Discrimen autem ratione prophetiæ hoc videtur fuisse inter Apostolos & Prophetas, quod Apostolis statim ab initio, cum post acceptum Spiritum S. munere suo plene fungi cœperunt, omnia Christianæ religionis mysteria simul & semel revelata fuerunt, excepto forte illo de vocatione gentium ad fidem Christi: quod tamen illis penitus incognitum non fuisse id arguit, quod legimus de Euangelio Samaritanis prædicato, *Act.* VIII. antequam Petrus cœlesti visione edoceretur ne ad Cornelium ire vereretur, *Ibid. cap.* X. ita ut hæc visio potius ei ex abundanti contigerit, vel ad institutionem aliorum, non suam propriam, quam quod ipsi illa plane necessaria esset. Quod ad Prophetas vero attinet, illis primum doctrina Euangelica ex institutione Apostolorum addiscenda fuit, sicut & reliquis omnibus fidelibus. Sed postea revelationes aliquas divinas habuerunt, ad hoc vel illud speciale doctrinæ caput plenius intelligendum pertinentes, vel ad alios docendum quid ipsis faciendum aut omittendum esset in hoc vel illo speciali negotio quod occurrebat, vel etiam de rebus quibusdam futuris. In quo casu nihil est absurdi dicere, eos aliquando Apostolis ipsis superiores fuisse, Apostolosque quædam ab ipsis didicisse. Ita v. gr. revelatum est Agabo de captivitate Pauli, *Act.* XXI. 11. 12. quod Paulus ipse alioqui ignorasset, & nonnisi ipso revelante cognoscere potuit. Explicationem autem variorum religionis Christianæ capitum & mysteriorum ad Prophetas pertinuisse, ex variis Scripturæ locis videre est. Ut *Rom.* XII. 6. *Habentes autem dona secundum gratiam quæ data est nobis differentia, sive prophetiam, secundum proportionem fidei*, nempe prophetamus; vel, is qui prophetiæ donum accepit, prophetet secundum mensuram fidei quam Deus ei largitus est, ut dicitur *Ibid. v.* 3. Sed plenius id apparet ex XIV. *cap.* 1 *ad Corinth.* quod totum fere in hac materia occupatur. *Qui prophetat*, inquit Paulus *v.* 3. *hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem & consolationem*, id est, doctrinas proponit ad aliorum ædificationem, exhortationem & consolationem facientes. Et *v.* 29. *Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & cæteri*, supple Prophetæ, *dijudicent. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim sigillatim omnes prophetare, ut omnes discant, & omnes admoneantur.* Itaque non videtur semper Deus Prophetis istis res aliquas speciales occultas aut futuras revelasse, sed eas doctrinas quæ ad totius Ecclesiæ ædificationem utiles erant. Forsan etiam ad munus ipsorum pertinebat prophetias Veteris Testamenti explicare, de quibus Petrus dicit 2 *Epist.* I. 20. eas non fuisse ἰδίας ἐπιλύσεως, seu privatæ explicationis; quia eodem Spiritus afflatu, à quo primum fuerunt profectæ, opus est ad earum arcana enucleanda.

XI. Et hoc de Prophetis Novi Fœderis hoc loco sufficiat. Cui tamen appendicis vice duo adjungemus. 1. Ex isto *cap.* XIV. *Epist.* I. *ad Corinth.* non posse sufficienter probari, ordinem hunc in Ecclesia Christiana perpetuum esse debere, ut non tantum Pastores in ea publice verba faciant ad populum, sed etiam quivis fidelis qui ad hoc idoneus est, ut possit aliquid ad communem ædificationem in publico cœtu proponere. Non quod illud improbemus; videmus enim id olim usitatum fuisse in Synagogis Judæorum, ut apparet ex *Luc.* IV. ubi narratur de Domino Jesu, cum ingressus esset in Synagogam Nazarethanam die Sabbathi, traditum fuisse illi librum legis ut legeret ex eo, & doceret populum; non quod pro Legis Doctore aut Propheta haberetur, sed quia consuetudo ita ferebat. Id quod luculentius adhuc docet *Act. cap.* XIII. ubi narratur, Paulo & Barnaba ingressis die Sabbathi Synagogam, quæ erat Antiochiæ Pisidiæ,

post lectionem legis & Prophetarum misisse principes Synagogæ ad eos, qui dicerent, *Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite*. Qua occasione sumpta Paulus orationem habuit, in qua eos ad fidem in Christum hortatus est. Paulus autem & Barnabas illis erant incogniti, nec habebantur pro Apostolis aut Christi legatis ab istis qui nondum in eum credebant. Etiamsi ergo iste mos utiliter possit observari in Ecclesiis Christianorum, ad exemplum Ecclesiæ Judaicæ, cui in multis Christus & Apostoli se conformabant, nulla tamen præcepti divini obligatione tenemur illum recipere, quasi in XIV. *cap.* 1 *Cor.* institutus esset, aut saltem appareret illum vulgo obtinuisse. Prophetia enim, de qua ibi agitur, non est ordinaria expositio Scripturæ, aut capitum fidei, ab iis facta qui studio & diligentia sua peritiam sibi aliquam in illis compararunt. Sed est donum extraordinarium Spiritus S. quod hodie in Ecclesia desiit. Id evincitur 1. ex *v.* 5. ubi dicitur *major* esse *qui prophetat quam qui loquitur linguis*, nimirum quas miraculose didicerit. Ergo intelligit prophetiam à revelatione spiritus profectam. Nam cognitio humano studio acquisita, non est major dono divino, præsertim si attendatur, eos qui linguis loquebantur, simul afflatos fuisse Spiritu in eis quæ loquebantur, *Act.* II. 11. & X. 46. 2 Ex *v.* 24. ubi dicitur infidelem aut idiotam introeuntem in Ecclesiam, cum omnes prophetant, *convinci ab omnibus*, *dijudicari ab omnibus*, nempe Prophetis. Tales autem omnes non erant, 1 *Cor.* XII. 29. & *occulta cordis ejus manifesta fieri*. Quod accidebat, quia Deus ita dirigebat per Spiritum suum prophetantium linguam, ut occulta vitia, quorum sibi conscius erat ille infidelis aut idiota, redarguerent; ita ut confiteri adigeretur Deum vere in illo cœtu esse. Ita Christus Samaritanæ mulieri revelavit quæ fecerat, & Elizæus Giesi 2 *Reg.* v. 26. Id autem non fit in ordinaria Scripturæ interpretatione, quæ sine afflatu Spiritus proponitur: occulta cordis infidelis aut idiotæ non fiunt manifesta, ita ut cogatur agnoscere vim Spiritus per Prophetam loquentis. 3. Ex *v.* 30. ubi præcipit Paulus, ut *si quippiam Prophetæ alicui sedenti revelatum fuerit*, is quis loquitur *taceat*, & isti locum concedat; per revelationem istam intelligens eam quæ fit immediate à Spiritu, non autem cognitionem humana industria acquisitam. Nec enim ratio ulla fuisset, cur is qui loquebatur alteri locum cedere deberet, si uterque privato tantum Spiritu ducebatur. Unde colligo eos, qui se ab Ecclesiis nostris separant, eo quod mos iste prophetandi, quem vocant, in illis non obtineat, male facere & schismatis reos esse, cum non possint ostendere illum necessarium esse observatu, & alicubi nobis præceptum aut commendatum esse in Sacris literis.

XII. 1. Quomodo illud intelligendum sit quod Paulus dicit 1 *Cor.* XI. 5. *Omnis mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum*; cum *cap.* XIV. *v.* 34. jubeat *mulieres in Ecclesia tacere*, sicut & 1 Tim. II. 11. 12. Sunt qui per *mulierem prophetantem* putant intelligi eam quæ alios prophetantes audit. Sed insolens est ista significatio, & sic quilibet idiota posset propheta vocari, cum tamen Paulus idiotas Prophetis opponat, *v.* 24. Et si ille qui audit prophetam loquentem propheta dicitur, quidni ille qui alium canentem audit cantor etiam dicatur? Alii respondent, potuisse quidem mulieres prophetare, sed privatim inter suos, & de ejusmodi prophetia agi *cap.* XI. Sed contra apparet, toto illo capite agi de iis quæ fiebant in Ecclesia seu conventibus Christianorum. Nec opus fuisset præcipere, ut mulieres velarent caput ad differendum inter domesticos, & illos in rebus divinis instituendum. Probabilior ergo est sententia eorum, qui per *mulieres prophetantes*, intelligunt eas, quæ cantabant prophetias, seu laudes divinas ab aliis compositas. Hoc enim sensu Asaph & Iduthun cantores, dicuntur 1 *Paral.* XXV. *v.* 1. 2. *prophetasse in citharis & psalteriis & Cymbalis*. Malim tamen dicere, Paulum, cum jubet mulieres tacere in Ecclesia, intelligere illud de mulieribus vulgaribus quæ prophetiæ donum non haberent. Sed quod ad prophetissas attinet, hoc tantum eis præcepisse ne detecto capite prophetarent. Nam non est verisimile illum voluisse prophetias illas occultari, quæ mulieribus ad communem ædificationem revelatæ fuerant, aut legem ponere spiritui divino, qui non minus in Ecclesia quam alibi fœminas istas afflare poterat.

XIII. Supersunt inter extraordinaria munera *Euangelistæ*, qui erant Apostolorum coadjutores in annunciando Euangelio, quos mittebant quo ipsi ire non poterant, ut plantas teneras à se plantatas rigarent & confirmarent in fide. Talis erat Philippus, unus è primis septem Ecclesiæ Hierosolymitanæ diaconis, & ita diserte vocatur *Act.* XXI. *v.* 8. Talis etiam erat Timotheus, cui Paulus dicit 2 *Epist. cap.* IV. *v.* 5. *opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple*. Talis erat quoque Titus, ad quem scribit Paulus se eum reliquisse in Creta, ut ea quæ deessent corrigeret, & constitueret presbyteros per singulas civitates, *Tit.* 1. 5. Tales denique videntur fuisse illi LXX discipuli Christi, de quibus *Luc.* X. 1. & multi alii, de quibus passim in Actis Apostolorum, & in Epistolis Pauli, ut Barnabas, Clemens, Sosthenes, Silas, aliique. Hodie istud nomen Euangelistæ vulgo tribuitur iis qui historiam Domini Jesu Christi scripserunt, ut Marco & Lucæ, nec non Matthæo & Joanni, qui tamen Apostoli fuerunt. Sed in hoc sensu non invenitur usurpatum in Sacris literis. Quin tamen iis optime conveniat negare nolumus, cum non minus utiliter Ecclesiam suis scriptis instituerint, quam alii viva voce. Variis etiam Spiritus donis ornatos fuisse illos Euangelistas, quæ ad muneris ipso-

ipsorum functionem necessaria erant, nullum est dubium, ut linguarum, sanationum, prophetiæ & similium. De quibus accipiendum est illud quod Timotheo tribuitur 1 *Epist.* IV. 14. *Noli negligere gratiam qua in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* In his autem donis excitandis diligentia & studio opus habebant. Ita Euangelistæ inferiores non erant Prophetis. Imo videntur illis superiores fuisse, qui licet quasdam interdum revelationes haberent, munere tamen ordinario docendi Euangelium non fungebantur.

CAPUT IX.

De Ministris Ecclesiæ ordinariis.

I. *Per Pastores & Doctores Ephes.* 4. *intelliguntur ministri ordinarii.* II. *Quales illi fuerint.* III. *De Presbyteris.* IV. *De Episcopis.*

I. NUnc ut ad ordinarios Ecclesiæ Christianæ antistites accedamus, qui illam regere & pascere debent usque ad consummationem sæculi, Paulus in supra citato *Ephes.* IV. 11. loco, vocat eos *Pastores & Doctores*, alibi iis *Seniorum* seu *Presbyterorum* nomen tribuit, item *Episcoporum*. De quorum munere antequam speciatim agamus, primum videndum est quo sensu Christus eos dedisse dicatur, vel Deus eos posuisse in Ecclesia, ut legimus 1 *Cor.* XII. 28. Sunt enim qui istis verbis significari putant munus illorum fuisse extraordinarium, non minus quam Apostolorum, Prophetarum & Euangelistarum, & quæ de iis in Sacris literis dicuntur, nullo modo convenire iis qui hodie Euangelium in cœtibus Christianorum docent. Sed quamvis non illibenter concedam, Pastores & Seniores, qui Apostolorum temporibus vixerunt, magnas habuisse supra hodiernos prærogativas, 1. In eo quod multi ipsorum miraculorum dono claruerint, quod etiam privatis quibusdam communicabatur, ut ex Tertulliano & aliis antiquis Scriptoribus discimus. 2. In eo, quod si qua de re quæ ad religionem Christianam pertinebat dubitarent, Apostolos & Prophetas consulere poterant, & ab iis quæ ignorabant edoceri. In aliis tamen omnibus quæ ad docendi munus pertinent, hodiernos Pastores, qui fideliter gregem Domini verbi divini pabulo pascunt, sine ullo traditionum humanarum fermento, antiquis illis æquiparari posse puto, munusque horum non minus quam illorum divinum esse & à Christo institutum: cum secundum ordinem quem Christus per Apostolos suos præscripsit constituti sint. Hoc modo ergo Christus Ecclesiæ Pastores dedit, non vero ut Apostolos & Prophetas. Sed dices, Conjungit eos Paulus simul cum Apostolis, Prophetis & Euangelistis. Resp. Quid tum? Non sequitur parem omnium esse conditionem. Aliter enim dedit Prophetas quam Apostolos, & aliter Euangelistas quam utrosque illos; nempe plerosque per ministerium Apostolorum, ut in exemplo Timothei & Titi videre est; quorum vocatio nihil extraordinarium habuit, nisi quod facta est per Apostolos. Nec refert quod donum infallibilitatis Pastores hodierni non habeant. Illud enim non habebant Pastores de quibus meminit Paulus, nisi qui forte inter eos simul Prophetæ essent. Et inter requisita eorum qui muneri isti præfici debebant, de quibus vide 1 *Timoth.* III. & *Tit.* I. nulla infallibilitatis fit mentio, aut alicujus extraordinarii Spiritus S. doni: sed tantum ut sint *ad docendum apti*, &c. quod de aptitudine studio & diligentia ipsorum comparata intelligi debere perspicuum est. Sufficit ergo si ad veritatis normam, quam in Sacris literis habemus, diligenter attendant, & extra eas nihil doceant. Et cum id faciunt, non minor iis obedientia debetur quam antiquis illis Pastoribus; quorum etiam doctrina, ut hodiernorum, uniuscujusque fidelis examini subjecta erat. Nec obstat, quod doctrina veritatis postremis his temporibus adeo fuerit depravata, ut difficile admodum sit se ab omnibus qui vulgo obtinent erroribus expedire. Habemus enim infallibilem normam ad quam reformari potest. Et si humana infirmitas non patiatur ut nullibi erremus aut hallucinemur, saltem (ad cynosuram illam continuo attendentes) à perniciosis erroribus & saluti nostræ alienæque noxiis, cavere nobis facile est. Itaque non sine gravi injuria Pastores hodierni, qui fideliter gregem sibi commissum verbo Dei pascunt, Apostatæ; & Ecclesiæ quæ ipsis adhærent Apostaticæ à nupero quodam Scriptore vocantur. Etiamsi enim forte adhuc in quibusdam errent, tamen quamdiu fundamentum retinent, & vera fide Deo Christoque adhærent, Apostatæ nullo modo sunt. Saltem immerito ita vocantur, quod ordinem, qui in Ecclesiis Apostolicis obtinuit, non servent, cum qualis ille ordo fuerit certo sciri nequeat.

II. His in antecessum observatis, videndum est quinam à Paulo *Ephes. Pastores & Doctores* vocentur. Sunt qui per duas has voces unum idemque munus designari putant. Et nituntur hac ratione; quod cum dixisset, *Is*, nempe Christus, *dedit alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios vero Euangelistas:* tandem sine divisione subjungit, *alios vero Pastores & Doctores:* non autem dicit alios vero Pastores, alios vero Doctores. Nimirum ut indicet se non de duobus distinctis muneribus agere, sed de uno eodemque. Et sane Pastorale munus in doctrina consistit; nec quisquam illud obire potest, nisi gregem sibi commissum bona & salutari Euangelii doctrina pascat. Oportet enim ut Episcopus sit διδακτικός, & ut possit exhortari doctrina sana, & contradicentes convincere, 1 *Tim.* III. & *Tit.* I. Qua de causa Deus de bonis Pastoribus dicit apud *Jerem. cap.* III. *Dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Alii vero *Pastorum & Doctorum* munera distincta fuisse existimant. Conjungi autem

autem hic utrosque sub uno articulo, quia plerumque utrumque munus ab uno eodemque homine exerceretur, id est, idem esset & Pastor & Doctor Ecclesiæ, licet aliter etiam sæpe fieret. Pastores ergo fuisse volunt eos qui publice Euangelium annunciarunt in cœtibus fidelium, nec tantum sensum Scripturæ exposuerunt, sed etiam applicaverunt uniuscujusque statui & conditioni, monendo, hortando, objurgando oportune, importune. Hosque Pastores fuisse dictos, eadem metaphora qua singuli fideles oves Christi dicuntur, & Ecclesia ipsius grex, quia officii ipsorum esset Euangelii pabulum omnibus administrare. Doctores vero fuisse illos, qui simpliciter Scripturæ mentem exponebant, ex ea veritatem confirmabant, errores refutabant; quales sunt hodie qui Theologiam in Scholis & Academiis profitentur, qui affectus non movent, nec quæ dicunt applicant vitæ auditorum. Distincta autem munera illa Pastorum & Doctorum fuisse, quia diversitas donorum ad utrumque requiritur. Et fieri potest ut qui idoneus est ad Pastoris officium exercendum, non sit perinde ad Doctoris, & vice versa. Sed tamen an ejusmodi distinctio temporibus Apostolorum locum habuerit, incertum est. Legimus quidem, aliquanto post in Ecclesia Alexandrina fuisse quosdam instar Doctorum, videl. Pantænum, Clementem, Origenem. Attamen Doctores non vocabantur vulgo, sed Catechistæ; & munus ipsorum erat eos instituere, qui amplecti volebant fidem Christianam, idque antequam ad baptismum admitterentur. Præstat ergo rem in medio relinquere, quam temere aliquid in alterutram partem definire.

III. Quod ad nomen Seniorum seu Presbyterorum, id passim Ecclesiæ ministris tributum legimus, tum ordinariis, tum extraordinariis. Ita Petrus 1 *Epist.* v. 1. *Presbyteros qui inter vos sunt precor ego sympresbyter.* Ratio hujus nuncupationis erat, quia tunc non eligebantur vulgo ad id munus, nisi ætate maturi, & qui prudentia usuque rerum pollerent ad regendam Ecclesiam. Sicut qui rempubl. Romanam administrabant Senatores dicebantur à senili ætate; & eorum consessus Senatus. Quæritur an horum duo fuerint genera, aliique docendæ & regendæ Ecclesiæ vacaverint, alii vero regendæ tantum, non autem docendæ, prout hodie fit in plerisque Reformatorum Ecclesiis. Resp. Quin ordo iste, qui hodie inter nos obtinet, bonus sit, & Ecclesiæ ædificationi utilis, mihi nullum est dubium: præsertim si attendatur, ut Seniores qui Ecclesiæ regendæ adhibentur sint viri graves, rerum periti, & in Sacris literis versati. In rebus enim ejusmodi quæ non sunt expresso aliquo Dei mandato definitæ, Ecclesia jus habet & potestatem, id quod optimum videtur statuendi. Sed tamen morem istum temporibus Apostolorum obtinuisse, non video satis solide probari. Præcipuus qui ad hanc rem affertur locus exstat 1 *Tim.* v. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in sermone & doctrina.* Hæc enim postrema verba quidam ἀπαγγελικῶς adjecta esse putant, ad ostendendum omnes Presbyteros non fuisse solitos laborare in sermone & doctrina. Verum responderi potest: Etiamsi omnes Seniores, ita ut hic innuitur, non laborarent in sermone & doctrina, inde tamen non sequi, quosdam inter illos fuisse, qui Euangelium omnino non annuntiarent. In Græco enim est vox κοπιῶντες: κοπιάω autem proprie est, labore me defatigo & frango, non autem quocunque modo laboro. Secundum hanc significationem ergo Paulus vellet ostendere, Seniores qui magis laborant, aut etiam periculis magis se exponunt propter doctrinam, majore honore dignos esse illis, qui tantos labores in ea non subeunt; etiamsi alioqui fideliter docendi officio defungantur. Sic itaque hic locus nihil pro Senioribus qui non docent faceret. Quidam etiam putant hanc Presbyterorum distinctionem insinuatam esse 1 *Cor.* xii. 28. ubi Paulus, recensens munera quæ Deus in Ecclesia constituit, nempe Apostolorum, Prophetarum, Doctorum, inter illa numerat κυβερνήσεις, id est, *gubernationes*; quasi ista voce designentur quidam, qui Ecclesiæ tantum gubernandæ, non vero verbo Euangelii docendæ, incumbunt. Sed hoc argumentum, è nuda voce petitum, mihi potius divinatio esse videtur, quam solida tantæ rei probatio. Quis enim sine temeritate asseverare audeat, hosce gubernatores in docendo nunquam fuisse occupatos? Non tamen impedio, ut, qui volet, aliter de hac re sentiat. Nec enim gravem satis esse reor, ut de ea magnopere contendatur.

IV. Celebris etiam est in Sacris Literis *Episcopi* appellatio, pro Pastore seu Doctore Ecclesiæ. Dictus autem est ἐπίσκοπος, vel ab ἐπισκοπέω, quod significat considero, seu attente inspicio, vel etiam prospicio: vel ab ἐπισκέπτομαι, quod significat visito; ut Episcopus idem sit quod visitator. Apud Plutarchum in Numa accipitur pro sacrarum virginum custode. Qui mittebantur ab Atheniensibus in urbes imperio suo subjectas, ut spectarent quæ ibi agerentur, ἐπίσκοποι & φύλακες dicebantur. Et licet hæc vox origine sit Græca, adeo tamen vulgaris fuit in lingua Latina, ut Cicero alicubi in suis ad Atticum epistolis ea Latine scripta uti non dubitet. Munus Episcopi vocatur ἐπισκοπὴ, id est, Episcopatus, quod significat visitationem aut diligentem inspectionem, & de Apostolico etiam munere, quod exercuit Judas *Act.* i. 20. usurpatur, citato ad eam rem loco *Psal.* cix. *Episcopatum ejus accipiat alter.*

Reliqua desunt.

DIA-

DIATRIBA

In locum Apostoli Pauli, 1 Tim. III. 14, 15.

Ταῦτά σοι γράφω, (τέκνον Τιμόθεε,) ἐλπίζων ἐλθεῖν πρός σε τάχιον. Ἐὰν δὲ βραδύνω, ἵνα εἰδῆς πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.

LOcus hic quem præ manibus habemus C. A. est hodie apud Christianos celeberrimus, & si verba spectes, nemini non notus, verum tamen ab omnibus non satis recte intellectus, ideoque gravibus controversiis vexatus. Is duo continet, 1. Qua spe scribat Paulus ad Timotheum, *Hæc tibi scribo sperans ad te venire cito.* 2. Quo fine, *Sin autem tardavero, ut noris quomodo oporteat in domo Dei conversari.* Cui secundæ parti addita est domus istius descriptio, *Quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis.* Antequam ad ista tractanda veniam, volo vos monitos, occurrere hic variam lectionem in quibusdam exemplaribus, quæ sub horum versuum initium interserunt hæc verba, *τέκνον Τιμόθεε*, *fili Timothee*; *Hæc tibi scribo, fili Timothee.* Illa præcipue inveniuntur in veteribus vulgatæ versionis Latinæ editionibus, ante Sixti V. recognitionem editis, nam ex Sixtinis Bibliis sublata sunt. Vulgata autem hæc editio non est omnino contemnenda, ut vulgo fit à Reformatis. Etsi enim graves in ea occurrant errores, qui emendatione indigent; in quibusdam tamen locis veriores videtur habere lectiones, quam Græcus textus, quod correctiora habuerit exemplaria illius Auctor quam hodie extent. Ista diversitas neminem turbare debet. Non ideo laborat Sacrarum literarum fides. Pius & diligens illarum lector facile lectiones veras à falsis dignoscet, si res sit alicujus momenti. Quæ hic occurrit nullius fere considerationis digna est, quod hæc verba, *fili Timothee*, alibi in his Epistolis occurrant, ita ut hoc loco addita nullum novum sensum Scripturæ addant, vel detracta nullum demant.

Utraque epistola inscribitur Timotheo filio, & prima quidem Timotheo *γνησίῳ τέκνῳ*, genuino vel germano filio, ut & ea quæ ad Titum est; secunda autem, Timotheo *ἀγαπητῷ τέκνῳ*. Et in 1. *cap.* 1 *Epist.* ita eum compellat Apostolus, *Hoc mandatum commendo tibi fili Timothee.* Quo autem sensu eum filium suum vocet, nemini est obscurum. Ideoque puto superfluum monere, Timotheum non fuisse Pauli secundum carnem filium. Nec enim quisquam adeo crassus futurus est, qui *γνησίῳ* epitheton (à *γίγνομαι* nascor, sicut genuinus à gigno derivatum) eo trahere velit. Contrarium ex multis locis luce clarius patet, quæ Paulum cœlibem fuisse docent, & alios Timotheo parentes assignant. Legite tantummodo initium XVI. *Act.* ubi Timothei parentum fit mentio, *Ecce discipulus quidam erat illic* (nimirum Lystræ) *nomine Timotheus, filius mulieris cujusdam Judææ fidelis; patris autem Græci.* Cur ergo vocat eum filium? An ideo quod eum Christo per Euangelii prædicationem genuerit? Ita sane loquitur de Onesimo in *Epist. ad Philem. Precor te pro filio meo Onesimo, quem genui in vinculis meis.* Et de Corinthiis in 1 ad ipsos *Epist.* IV. 15. *Etsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo, at non multos Patres habetis; in Christo enim Jesu per Euangelium ego vos genui.* Item de Galatis, *cap.* IV. 19. *Filioli mei quos iterum parturio, usquequo formetur Christus in vobis.* Sed Timotheus jam in Christum credebat cum Paulus eum in suum ascivit consortium, ut ex loco *Act.* XVI. modo citato patet. Ideo ergo videtur eum filium nominare more senum, qui juniores ita compellant: ut sæpius videre est apud Joannem in Epistolis, quas extrema senecta conscripsisse fertur. Vel potius, quod eum paterno affectu prosequeretur, ut patet ex 1 *Cor.* IV. *Misi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus & fidelis in Domino.* Sed cur eum *γνήσιον* seu *genuinum* vocat? Resp. Quod Timotheus non esset degener filius, sed vere patrissaret, sicut ex modo citato 1 *Cor.* IV. loco apparet, *Precor vos imitatores mei estote. Propterea misi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus & fidelis in Domino, qui vobis in memoriam revocabit quæ sint viæ meæ in Christo.* Sed nonne Paulus vocando alios filios adversus Christi præceptum peccavit, *Matth.* XXIII. *Patrem vestrum neminem vocetis in terra: unus enim est Pater vester qui in cælis est. Ne vocemini doctores; unus enim est vester doctor Christus.* Resp. Nequaquam peccavit: Mens enim Christi non est prohibere, ne senes filiorum nomine juniores compellent, præsertim eos quos instar filiorum paterno vere affectu diligunt. Neque ut qui alios per Euangelium ipsi genuerunt Patres eorum vocentur. Sed reprehendit Pharisaicum supercilium, qui sibi auctoritatem Paternam & Doctoralem in discipulos usurpabant, ad eos traditionibus suis ad legem additis gravandos. Quibus hodie non male videntur in Ecclesia Pontificia respondere, qui

fastuoso Patrum & Doctorum nomine superbiunt; & omnes in genere, qui auctoritate sua alios premere volunt, ut credant & amplectantur dogmata Dei verbo contraria.

Hæc de titulo *filii*, Nunc propius verba Apostoli inspiciamus. *Hæc tibi scribo*, inquit, *sperans*, &c. proculdubio quæ tota hac continentur Epistola, non tantum præcedentia, sed etiam sequentia ad finem usque. Quanquam speciatim respicere videatur ad ea quæ II. & III. *cap.* dixit, De precibus publicis pro omnibus faciendis, de officio virorum & mulierum in Ecclesia, de Episcopis & Diaconis. Ista enim regimen Ecclesiasticum spectant, quod Timotheo tanquam Euangelistæ, Apostoli coadjutori, & ut ita dicam, vicario, erat demandatum & commissum. Sed quomodo cohærent ista? *Hæc tibi scribo, sperans ad te venire cito*, vel citius aut celerius, ut Græca vox τάχιον proprie significat, quanquam hic comparativus videatur positus pro positivo. Cur scribebat hæc Paulus, si speraret ad Timotheum venire cito? Potius videbatur isto labore supersedere debere, & institutionem hanc in illud tempus differre, quo præsens præsentem esset compellaturus. Sicut & Joannes facit in 2 *Epist. Cum multa haberem vobis scribenda, nolui per chartam & atramentum; sed spero me venturum ad vos, & os ad os loquuturum.* Aliqui putant Paulum Timothei consolandi causa hoc fecisse, ne putaret se nunquam amplius charum suum præceptorem visurum & ejus consortio fruiturum, quod tam prolixe ad eum de omnibus quæ officium ipsius spectabant perscriberet. Quasi diceret; Quod hæc ad te nunc scribo, Timothee, non ideo facio, quod non sperem ad te brevi venire, & te coram de omnibus copiosius monere: Sed ut si forte ultra spem tardavero, interea directorium habeas quod in munere tuo obeundo sequaris. Alii vero putant supplendam particulam, *breviter*, aut similem, hoc modo, Hæc ad te scribo breviter, & paucis verbis, quæ copiosiorem institutionem requirerent; quia spero me cito ad te venturum, & præsentem de omnibus quæ tuum officium spectant uberius moniturum: Sed si forte ultra tempus propositum iter meum differre cogar, ut interim summam eorum quæ tibi observanda sunt hic habeas. Posterior hæc expositio mihi arridet, & puto orationem Pauli esse ellipticam, atque ut dixi supplendam; alioquin connexio dura admodum esset, dicere, *Hæc ad te scribo, sperans ad te venire cito*; quænam enim esset ratio sequelæ? Et multo melius fluit si ita suppleamus, Hæc ideo breviter ad te scribo, quia spero venire cito. Sed tanti momenti non est istud discrimen, ut de eo adversus secus opinantem digladiari velim. Quisque fruatur suo sensu.

Istud majore dignum est consideratione, quod quamcunque sequamur expositionem, ex eo apparet summa scriptionis hujus necessitas, utpote quæ brevem adventus Paulini moram ferre non potuerit. Unde ulterius adversus Romano-Catholicos, ut audire amant, colligimus, Nullatenus Ecclesiam Christianam S. Scriptura carere posse, & traditionibus non scriptis contentam esse. Objiciunt illi, Apostolos nullum expressum scribendi mandatum à Christo accepisse, eoque nec singulos scripsisse, nec simul omnes Catechesin, aut compendium aliquod suæ doctrinæ edidisse, sed fortuitis quibusdam occasionibus adductos, has vel illas incidentes quæstiones obiter tantum per Epistolas explicasse. Unde appareat ipsorum Apostolorum, imo Dei ipsius judicio, Scripturam non admodum fuisse necessariam; utpote fortuito natam, nec cum traditione conferendam, per quam N. T. Ecclesia sine Scriptura initio fuerit fundata. Resp. 1. Falsum esse quod illi dicunt, Apostolos nullum scribendi mandatum accepisse. Etsi enim de scriptione nihil speciatim legamus, tamen nullum dubium est quin sub generali docendi mandato comprehendatur, *Profecti docete omnes gentes*, *Matth.* XXVIII. Et sane non minus commode scripto quam viva voce Euangelium docere poterant; imo multo commodius dissitas gentes, ad quas fieri non poterat ut tam cito accederent, aut diu cum aliarum dispendio commorarentur. Et quandoquidem nos eos scripsisse videmus, facile est inde colligere, illos muneris sui istud esse existimasse. Certe pluries in *Apocal.* legimus, Joannem jussum fuisse scribere, *Quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia*, *cap.* I. Item, *Scribe Angelo Ephesinæ Ecclesiæ*, *Scribe Angelo Smyrnæorum Ecclesiæ*, *Scribe Angelo Pergamensis Ecclesiæ*, &c. Non erat autem necesse ut omnes scriberent: imo suffecisset ut unus tantum ex illis scriberet; nisi visum fuisset bonitati divinæ, ad fidem nostram confirmandam, plurium testimonio uti. Non audebunt etiam, ut puto, negare adversarii, illud quod de Scriptura Veteris Testamenti legitur 2 *Tim.* III. 15. *Totam Scripturam divinitus inspiratam esse*, θεόπνευστον, non minus in Scripturam Novi Testamenti quadrare. Cur enim tanta copia Spiritus S. donati sunt Apostoli, nisi ut ab illo non minus in scribendo, quam viva voce docendo dirigerentur? Nonne afflatus ille vice mandati erat? Quod vero nullam Catechesin aut doctrinæ suæ compendium scripserunt, non ex eo arguitur illos fortuitis tantum occasionibus ad scribendum fuisse impulsos. Quid si enim methodum hanc non judicarunt esse idoneam ad docendum rudes populos sibi commissos? Philosophi quidem, quibus cum doctis res erat, eam sæpe in scriptis suis usurparunt. Sed non erat eorum par ratio, quibus cum vulgo accuratioris doctrinæ incapace agendum erat. Historica & epistolaris scribendi methodus aptior illis instituendis videtur. Et nonne utraque forma, elegantia Christianæ religionis compendia habemus? Sane Matthæi & Lucæ Euangelia perfectam summam dictorum & facto-

factorum Christi comprehendunt. Et in Epistola ad Romanos doctrinæ suæ epitomen Paulus complecti voluisse videtur. Adde quod non procul à blasphemia abfit, dicere Apostolos Spiritus S. plenos fortuitis occasionibus ad scribendum fuisse inductos. Fateor quidem respectu ipsorum aliquatenus posse dici fortuitas, quia de iis antea non cogitarant, nec eas prævidérant. Sed nullo modo fortuitæ fuerunt respectu Spiritus ipsos agentis, qui tales voluit ipsis objici occasiones, ut materiam haberent instituendi Ecclesiam de his vel illis rebus, aut doctrinæ capitibus scitu necessariis. Necessariam autem esse Scripturam ad hominum in fide institutionem, patet ex præcipuo scopo seu fine Sacris scriptoribus proposito; qui fuit certam firmamque fidem, ac solidam divinarum rerum scientiam in animis Lectorum ingenerare. Ita Lucas in suæ historiæ præfatione, *Visum fuit de omnibus rebus ad te scribere, ut haberes earum rerum quas audivisti certitudinem*, ἀσφάλειαν. Et *Joan. cap.* XX. 31. *Hac scripta sunt ut credatis Jesum esse Christum filium Dei, & credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Item 1 *Epist.* 1. *Hac scribimus vobis, ut gaudium vestrum plenum sit.* Ergo non scripserunt fortuita occasione inducti, sed jussu & instinctu Dei, cui nihil fortuitum est. Nec utilitatem tantum nostram in scribendo spectarunt, sed & necessitatem, cum fides & ea quæ ad ipsam pertinent, omnino sint ad salutem adipiscendam necessaria. Objiciunt iterum, ab Adamo ad Mosem Ecclesiam caruisse Scripturâ, & conservatam fuisse veram religionem sola traditionis ope per duo annorum millia & amplius. Resp. Apparet quam fideliter conservata fuerit ex temporibus Noë. Et postea ne in familia quidem Abrahami incorrupta servata fuit veritas. Ergo hinc potius insufficientia traditionis & summa necessitas Scripturæ patet; præsertim temporibus Novi Fœderis, quibus placuit Deo omnes homines ad sui cognitionem iterum sollenniter vocare. Denique tanta nunc est hominum multitudo & varietas in Ecclesia Dei, imo tanta humani ingenii vanitas; & in rebus sanctis, sive ad religionem pertinentibus temere immutandis & corrumpendis protervia, ut nisi ad verbum scriptum homines alligati essent, nihil certi tandem in religione habituri essemus. Qualibet enim particularis Ecclesia, imo quilibet Episcopus aut Pastor, sub prætextu ornandæ vel amplificandæ religionis, quidvis subinde, vel in dogmatibus vel in ritibus comminisci posset; sicut experientia hactenus ostendit, & eorum quæ sub nomine Apostolicarum traditionum venditantur incertitudo. Ex quo necessitas Scripturæ, præsertim hoc tempore in tanta Ecclesiæ amplitudine, & populorum seu nationum omnium varietate, evidenter apparet; quam ipsam quoque sine dubio Spiritus Sanctus intendit, cum S. Scripturam viris divinis inspiraret, & eos ad mysteria fidei literis prodenda arcano afflatu impelleret.

Nunc ut ad textum nostrum redeam, quæri posset, an quod Paulus sperabat revera contigerit, & paulo post hanc scriptam Epistolam ad Timotheum, Ephesi (ut ex hujus Epistolæ initio constat, *precatus te sum ut permaneres Ephesi, quum proficiscerer in Macedoniam*) commorantem, venerit. Ac si constaret quidem de tempore & loco quo fuit scripta, non forte esset adeo ad hanc quæstionem difficilis responsio. Vulgaris subscriptio missam fuisse dicit Laodicea, quæ est metropolis Phrygiæ Pacatianæ; forte in illa Pauli per Phrygiam peregrinatione, cujus meminit Lucas *Act.* XVIII. 23. Id si ita est, paulo post venit Ephesum, ubi degebat Timotheus, ut constat ex *Act.* XIX. 1. Sed quia hæc sunt incerta, nolim in iis hærere. Illud attentiori consideratione dignum videtur, quod Paulus dicit se sperare cito ad Timotheum venire, & paulo post innuit fieri posse, ut tardet diutius quam proposuerit. Ex quo apparet, Apostolos, etiamsi ex Spiritus S. afflatu scripserint, non tamen omnia eis fuisse revelata quæ contingere ipsis poterant; quia nimirum ad eorum quibus scribebant institutionem non spectabant, & illa sine salutis suæ detrimento ignorare poterant. Imo nequidem omnia utilia ipsis patefacta fuisse apparet ex eo, quod Paulus 1 *Cor.* VII. distinguit inter ea quæ Dominus præcipiebat & quæ ipse suadebat *v.* 6. & 10. Sed præcipue 25. ubi ait, *De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut fidelis sim.* Multo ergo minus alia minutiora aut ad corpus spectantia, veluti quod suadet Paulus Timotheo *cap.* V. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates.* Neque enim puto consilium istud fuisse divinum, sed Paulum ex sensu humano & experientia propria loquutum. Ut neque fuit divinum mandatum, quod 2 *Epist. cap.* IV. extat, *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas.* Sic & alia leviuscula & indigna divino Spiritu, quæ in illorum scriptis occurrunt. Nec tamen ullatenus hoc dico ad ipsorum elevandam auctoritatem; Absit; sed ut sciatis prudenter esse distinguendum inter ea quæ divini isti scriptores ex Spiritus Sancti afflatu, aut proprio instinctu protulerunt, nec divina humanis æquetis. Idem speciatim in libro Jobi observandum, Ne colloquia inter Jobum & amicos pro oraculis divinis habeantur; omnes enim in fine à Deo reprehensi leguntur, licet Job minus graviter cæteris. Ac proinde ex istis sermonibus dogmatum controversorum decisiones petere velle, toto, ut ajunt, cœlo aberrare est.

Non sine causa autem subjicit Paulus se suæ spei non ita inniti, quin putet contrarium evenire posse, dicens, *Sin autem tardavero, &c.* Sciebat enim, *Cor hominis disponere viam suam, sed Domini esse dirigere gressus ejus*, ut inquit Salo-

mo *Proverb.* IX. Prævidebat pro sua prudentia, multa posse incidere impedimenta, ne quod proposuerat executioni mandaret. Quod & indicat sibi accidisse in simili proposito. *Rom.* I. *Nolo vos ignorare, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc.* Itidem *cap.* XV. *v.* 22. Et 1 *Thess.* II. *Voluimus venire ad vos; ego quidem Paulus & semel & iterum, sed impedivit nos Satanas.* Quomodo autem impediverit Paulum Satanas, ne Thessalonicam iret ad eos in fide confirmandos, non certo dici potest, licet facile sit conjicere, illum, prout est mille fraudum artifex, aut pericula objecisse quæ pii propositi executionem tardarent, aut per homines improbos negotium ipsi facessivisse, cum quibus ei fuit depugnandum, ne infirmiorum fidem labefactarent. Quin & Deus ipse interdum remoras injicit sanctis suorum consiliis, ut videre est *Act.* XVI. *Transeuntes Phrygiam & Galatiæ regionem* (Paulus scil. & Timotheus) *vetati sunt à Spiritu S. loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu.* Cur autem noluerit Deus tunc temporis à Paulo aut Timotheo verbum Dei prædicari in Asia, causæ nos latent. Potuit habere varias, vel quod alio in loco Pauli vellet uti ministerio, vel quod alios huic operi destinasset. Quicquid sit, certum est non esse causam ab absoluto reprobationis decreto arcessendam, prout facit Calvinus super hunc locum. Nam præterquam quod decretum illud commentitium est, & pugnat cum Dei φιλανθρωπίᾳ, qui omnes homines vult servari & ad cognitionem veritatis venire, 1 *Tim.* II. 4. certum est, saltem paulo post Euangelium illic fuisse annunciatum, imo ab ipso Paulo; adeo ut Demetrius ille argentarius diceret *Act.* XIX. *Videtis & auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens, Quoniam non sunt Dii qui manibus fiunt.* Videris statim mirum Euangelii progressum in Asia ministerio Pauli, ita ut illuc ire ad breve admodum tempus prohibitus fuerit ob aliud aliquod magis urgens negotium; non quod Asiatici omnes reprobati essent, & quod Deus nollet eos gratiæ Euangelicæ participes facere.

Cum ergo sciret Paulus varia posse obstare, quominus tam cito ad Timotheum atque animo proposuerat perveniret, declarat quo fine interim hæc scripserit, nimirum ut sciret quomodo ipsum oporteret versari in domo Dei. Istud enim erat magni momenti, nec moram ferebat; adeo ut si non posset copiose Epistola ipsum de omnibus eo pertinentibus instituere, saltem vellet in antecessum præcipua capita delibare; è quibus Timotheus pro sua prudentia reliqua colligeret. Sed quærat aliquis, Ignorabatne Timotheus quomodo in domo Dei versari deberet? An ergo imperitum tanto muneri Paulus præfecerat, & quidem contra id quod diserte in hoc *tertio capite* 1. *ad Timoth.* scribit? *Ne Episcopus sit novitius, & qui Ecclesiam Dei curare non possit.* Sane si quod munus magnam requirat peritiam, istud est procuratoris domus Dei. Absit ergo, ut cogitemus Paulum ineptum & imperitum hominem ad id evexisse. Nihil hic gratiæ datum; Nec ea tunc erant Ecclesiæ tempora, ut ex his præfecturis honores aut emolumenta quæri possent. Ignominia & persecutio plerumque sola ipsorum erant stipendia. Timotheus non erat novitius in fide, qui à puero noverat sacras literas, & tum à matre Eunice tum ab avia Loide in pietate fuerat institutus. Sed juvenis erat adhuc, nec usu rerum pollebat, ut Paulus senex; ideo nondum ad perfectionem illam pervenerat, quæ ulteriore institutione non amplius indigeret; præsertim in iis quæ regimen Ecclesiasticum spectabant, ubi casuum incidentium varietas prudentiam longo usu consummatam requirit. Quamvis ergo in fidei capitibus sufficienter eruditus esset Timotheus; multa tamen alia erant ad munus pastorale pertinentia, quæ à Paulo discere posset. Præterea hæc Epistola non in solum ipsius usum conscripta est, sed aliorum quoque qui eam essent lecturi, ideoque multa in ea inseruit Apostolus, quæ licet Timotheus jam probe teneret, tamen ab aliis, qui minus in cognitione doctrinæ Euangelicæ profecerant, verisimile erat ignorari.

Vult ergo Paulus, & merito, Episcopum domui Dei præfectum scire, quomodo in ea conversandum sit. *Conversandi* autem vox, cui Synonyma est *ambulandi*, plerumque in Sacris literis vitæ institutum tam bonum quam malum significat. Id patet ex 1 *Petr. cap.* I. *Sicut is qui vos vocavit sanctus est, ipsi quoque sancti estote in omni conversatione. Et si Patrem cognominatis eum qui citra personarum respectum judicat ex cujusque opere, cum timore conversamini incolatus vestri tempore; scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione à patribus tradita.* Et *Philipp.* I. *Tantum digne Euangelio conversamini.* Et III. *cap. Nostra conversatio in cœlis est, unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum.* Et ita in compluribus aliis locis, quos nolo hic sine necessitate accumulare. Sed cum vox ista adeo late pateat, diversimode aliquantulum accipienda est, cum de privatis Ecclesiæ membris, & cum de iis qui publico funguntur in Ecclesia munere usurpatur. Nam qui publico funguntur munere duplicem quodammodo personam sustinent, & præter virtutes quæ in privatis requiruntur, aliis etiam ad muneris sui executionem pertinentibus præditi esse debent. Ideo dicit Paulus Timotheo suo, *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate,* 1 *Epist.* IV. Et de seipso 1 *Cor.* IV. *Sic de nobis reputet homo ut de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei. Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus, ut quis fidus reperiatur.* In utroque autem, Paulo videl. & Timotheo, requirebatur

ut

ut præter ordinarias Pastoralis muneris curas, etiam episcopatum in conservos suos in opere Domini exercerent; non quidem dominantes illis, ut postea factum est cum ambitio in Ecclesiam ingressa est, sed prudentia & doctrina sua illis praeeuntes, & ad fideliter & sedulo munere suo fungendum cohortantes; prout videmus Paulum erga Archippum se gessisse: *Dicite*, inquit, *Archippo, Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Quod si procuratores super Regum aut Principum domos constituti magno studio in id incumbere debent, ut omnia in iis honeste & ordine fiant; quanto magis ii qui in Regis regum domo super alios eminent, ut unicuique suum demensum præscribant.

Quæ sit autem ista *Domus Dei*, postea videbimus, nunc quo sensu domus ipsi tribuatur expendamus. Ille sane qui immensus est, adeo ut cœli cœlorum ipsum non capiant, docente Salomone 1 *Reg.* VIII. nulla proprie domo continetur. Verumtamen sacræ literæ, quæ de Deo humano more & sermone loquuntur, solent ipsi domum & habitaculum tribuere. *Qui habitat in cœlis irridebit eos*, inquit David de populis & Regibus qui convenerunt adversus Deum & Christum ejus, *Psal.* II. Et Dominus Jesus docet nos eum ita compellare, *Pater noster qui es in cœlis.* Quod tamen ita debemus intelligere, prout ipse apud *Esaiam cap.* LXVI. declarat, *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Si ergo tantus est, ut cœlesti isto palatio non contineatur, quanto minus aliqua in terris ipso digna domus reperietur. Dicitur quidem aliquando sedere inter Cherubim, ut 1 *Sam.* IV. *Misit populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum, sedentis super Cherubim.* Et Ezechias 2 *Reg.* XIX. ita ipsum orat, *Domine Deus Israël qui sedes super Cherubim*; & aliis præterea in locis. Quod ideo fiebat, quod ex propitiatorio, quod tegebant Cherubim suis alis, responsa dabat. Eademque de causa, in quo arca fœderis collocata erat, & postea templum Hierosolymitanum domus Dei vocabatur. Ita David *Psal.* XXVII. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Dei omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini & visitem templum ejus. Jerem.* VII. *Ite, inquit Deus, ad locum meum in Siloh, ubi habitavit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israël. Faciam domui huic in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam sicut feci Silo.* In hunc sensum Christus dicebat ex *Jerem.* VII. Judæis, qui illud profana sua negociatione fœdaverant, *Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum*, *Matth.* XXI. Sed sub Novo Fœdere, in quo Deus, qui est Spiritus, vult coli in spiritu & veritate, nullum amplius materiale ædificium nomine domus Dei honoratur. Deus sibi augustius in cordibus fidelium elegit palatium. *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus; quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus*, 2 *Cor.* VI. & *Levit.* XXVI. Huc respexit Paulus in loco quem præ manibus habemus, dicens, *Ecclesiam esse domum Dei:* ne instar carnalium Judæorum putemus, Deum in templis manu factis habitare, illumque ibi quæramus; cum potius in cordibus nostris domicilium ei parare debeamus, repurgando ea ab omni sorde & inquinamento peccati, ut in illis æternam mansionem faciat.

Deinceps quæ sit ea de qua hic agitur *Ecclesia*, quomodo sit *domus Dei vivi*, & *columna firmamentumque veritatis*, nobis dispiciendum est. Quod ad primum attinet, ut quid sit *Ecclesia* nobis constet, incipiendum est à vocis significatione. Dicta est ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, id est ab evocando, & proprie loquendo Evocationem significat, & de cœtu hominum ad aliquam orationem seu concionem audiendam, vel consilium de negotio aliquo publico capiendum convocatorum apud Græcos scriptores usurpatur. Hoc sensu Lucas *Act.* XIX. cœtum illum inconditum plebis Ephesinæ, clamantis, Magna est Diana Ephesiorum, *Ecclesiam* vocat. Et vulgatus interpres *Psal.* XXV. qui secundum Hebræos est XXVI. cœtum impiorum vocat *Ecclesiam malignantium*, *odivi Ecclesiam malignantium*; imitatus LXX. interpretes, qui legunt ἐμίσησα ἐκκλησίαν πονηρευομένων. Hinc per translationem illi *Ecclesiæ* nomine designantur, qui ex universa hominum turba, Euangelii prædicatione ad divinum cultum, æternæque felicitatis participationem convocati collectique sunt. Itaque sic potest in genere definiri Ecclesia, ut sit cœtus hominum in Jesum Christum credentium, aut saltem ejus nomen & doctrinam profitentium. Duobus enim modis consideratur Ecclesia Christi, proprie & improprie. Proprie & in strictiore significatu accepta Ecclesia, est cœtus vere piorum & in Christum credentium, qui doctrinam Jesu Christi salutarem, quam ore profitentur, ex animo etiam amplectuntur, & secundum eam vitam suam & actiones componunt. Improprie vero & in latiore significatione sumpta, est multitudo hominum nomen & doctrinam Christi ore profitentium, etiamsi forte non omnes, vel magna eorum pars, non vere in eum credant & ejus mandata observent.

Hic vero se nobis opponunt Pontificii, volentes illam esse proprie dictam Ecclesiam, quæ nomen & doctrinam Christi publice profitetur, in qua impii & profani sunt permulti, eosque non minus ad ejus essentiam pertinere, quam vere pii & credentes. Quod eo fine faciunt, ut cum non possint negare inter suos Pontifices & Ecclesiæ Rectores multos fuisse profanos & impios, obtineant tamen eos nihilominus veram Christi Ecclesiam fuisse & mansisse: à quorum decretis non minus discedere liceat, quam ab Apostolicis. Itaque necessitas nobis incumbit, antequam ulterius progrediamur, sententiam nostram confirmandi,

Zzzz

firmandi, & adversus ipsorum objectiones defendendi. Primum argumentum desumemus à titulis quibus vera Christi Ecclesia in S. literis describitur. Vocatur à Paulo *Ephes.* I. *Corpus Christi: Deus*, inquit, *dedit ipsum* (Christum) *caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus qui omnia implet in omnibus.* Itaque ex solis vere fidelibus constat; infideles enim non sunt membra corporis Christi, non magis sane quam pravi humores qui sunt in alicujus corpore, aut struma aliqua sunt vera ipsius corporis membra. Quod etiam dicit Paulus, eam esse *plenitudinem*, non parvum robur habet ad id ipsum probandum. Dicitur enim plenitudo, eo quod ipsam Christus donis suis repleat. Quis autem infideles audebit asserere esse Christi donis repletos? Eadem vocatur *sponsa Christi Apoc.* XXI. Quod ne quis putet Ecclesiæ triumphanti tantum convenire, videat quid Paulus de conjunctione mystica inter Christum & Ecclesiam suam dicat, *Vir est caput uxoris, ut & Christus caput est Ecclesiæ, & is est qui salutem dat corpori. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea. Mysterium hoc magnum est. loquor autem de Christo & de Ecclesia.* An impii sunt sponsa Christi, licet ore ipsius nomen profiteantur, cum factis, operibusque eum abnegent? Absit ut talem sponsam Christo tribuamus, quæ nullam communionem cum ipso habeat. Impii autem & infideles nullam cum Christo communionem habent. *Si dixerimus nos communionem habere cum eo, & in tenebris incedimus, mentimur, nec sincere agimus*, 1 *Joan.* I. 6. *Quod consortium justitiæ cum iniquitate? & quæ communio luci cum tenebris? & quæ concordia Christo cum Belial?* 2 *Cor.* VI. 16. Adde huc etiam epitheton *Domus Dei*, quo hoc loco eam Paulus decorat. Dicemus-ne infideles esse Dei domesticos? Si David in sua aula noluit ferre impios, ut *Psal.* CI. profitetur; Deus sanctissimus toleraret-ne eos? Alterum argumentum petemus ex iis locis, qui veros Christi discipulos nobis describunt. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, Joan.* X. Ergo impii & hypocritæ non sunt oves Christi, non pertinent ad ejus ovile quod est Ecclesia. *Non qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio; sed qui in abscondito, Judæus est, & circumcisio cordis in Spiritu non litera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est, Rom.* II. 28. 29. Ergo externa professio, interna veritate destituta, nihil prodest. Nam ut dicit idem Apost. ad *Rom.* VIII. *Qui Christi spiritum non habet, non est ejus:* & Joannes 1 *Epist.* II. 4. *Qui dicit novi eum, & non servat præcepta ejus, hic mendax est.* Ergo infideles, quicquid se jactent esse Christi membra, ab eo tamen reipsa sunt alieni. Denique res ipsa aperte docet, eos qui Christo sunt adversi, sive palam sive occulte nihil interest, ad corpus ipsius mysticum non pertinere; ac proinde Ecclesiam proprie dictam non ex impiis & incredulis, sed ex solis vere credentibus constare.

Objiciunt tamen adversarii, Ecclesiam ita in Scripturis nobis describi, ut quæ permixtim malos cum bonis contineat, ac proinde non minus occulte infideles, quam vere fideles ad ejus essentiam pertinere. Comparari illam areæ, in qua simul cum tritico paleæ admixtæ sint, *Matth.* III. Item sagenæ bonos simul & putres pisces comprehendenti, *Matth.* XIII. Item nuptiali convivio, in quo non omnes convivæ nuptiali veste sint amicti, *Matth.* XXII. Denique cœtui virginum, quarum aliæ prudentes aliæ stultæ erant. *Resp.* 1. In nulla illarum similitudinum mentionem fieri Ecclesiæ, & posse commode alio quam ad ipsam referri, nimirum ad totum mundum qui partim ex bonis partim ex malis constet. 2. Dato de Ecclesia debere intelligi, dicam per Ecclesiam tunc non intelligi cœtum illum qui Christi corpus, & sponsa & domus vocatur, & de qua præstantia illa leguntur, ipsam esse columnam & firmamentum veritatis, portas inferorum adversus ipsam non prævalituras, Christum ipsi adfuturum usque ad consummationem sæculi, quæ adversarii magna pompa producunt ad suæ Ecclesiæ auctoritatem asserendam. Ista enim privilegia nulli alii quam vere fidelium Ecclesiæ competunt; cœtus infidelium non est columna & firmamentum veritatis, quam abnegat aut irridet; nec potest dici portas inferorum seu mortem æternam adversus ipsam non prævalituras; Nam *qui non credit jam est condemnatus, quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei, Joan.* III. Nec Christus ipsi adfuturus est usque ad consummationem sæculi, non enim adest impiis. Multo minus ejusmodi cœtus est corpus aut sponsa Christi, aut domus Dei, ut modo vidimus.

Secundo objiciunt, Christum jubere ut pro fratribus illos habeamus qui sæpe & graviter peccant, dummodo vocem Ecclesiæ audiant, & se ipsius judicio subjiciant, *Si frater tuus adversus te peccaverit, non tantum septies, verum etiam septuagies septies, Matth.* XVIII. & *Luc.* XVII. Nec nomen Ecclesiæ denegari Corinthiis, Galatis, & aliis cœtibus, in quibus graves errores & vitia locum habebant, videl. quod negarent resurrectionem mortuorum, quod vellent justificari per legem Mosaicam, quod incestuosos tolerarent, quod essent inter ipsos contentiones & schismata, quod non rite celebrarent Cœnam Dominicam, & alia ejusmodi. Sed respondeo 1. Non quosvis errores aut peccata Ecclesiæ naturam statim evertere, sed tantum hæreses perniciosas, & peccata enormia cum quibus vera fides non potest consistere. 2. Dico, Non continuo totum aliquem cœtum propterea sanctorum appellationem amittere, nedum idcirco veræ Ecclesiæ nomine privandum esse, quia in eo pauci aliqui profani sint; modo agnoscatur illos impios genuina Ecclesiæ membra non esse, nec aliter ad ipsam pertinere, quam carcinomata ad corpus huma-

humanum, quod non perficiunt, sed corrumpunt, & destruunt.

Denique objiciunt, Si soli veri fideles & pii Ecclesiam constituant, illam non posse à nobis cognosci, qui non videamus quid in corde lateat; quod putant esse absurdum. Resp. Nos ultro agnoscere veram Ecclesiam, quatenus talem, oculis corporeis non posse conspici. Videmus quidem cœtum hominum fidem & doctrinam Christi profitentium; sed quod ille cœtus vera sit Ecclesia non videmus; quia nimirum ignoramus utrum id quod ore confitentur, corde etiam credant. Multi enim sunt hypocritæ, qui larva pietatis tecti hominibus imponunt. Dei solius καρδιογνώσει est judicare, quinam sui sint. Nos quidem ex judicio charitatis omnes Christianos, qui crassa illa carnis opera, quæ Apostolus *Gal.* v. dicit manifesta esse, non patrant, pro veris Ecclesiæ membris habemus. Sed quia in intimos animi recessus non penetramus, judicium illud errori est obnoxium. Nec absurdum est dicere, Ecclesiam illam, quæ ex solis vere fidelibus constat, non esse aspectabilem. Vera enim fides & pietas, quæ ejus essentiam constituunt, sub sensum non cadunt. Ideo Christus dicebat *Luc.* xvii. *Regnum Dei non venit* μετὰ παρατηρήσεως, *cum specie* seu pompa externa; *neque dicent, ecce hic, aut ecce illic, quia ecce regnum Dei intra vos est.* Ex quibus verbis apparet, Ecclesiam esse regnum Dei occultum & spirituale, non autem externum & mundanum; eoque clam sive occulte propagari, quatenus in vera fide & pietate totum consistit, quæ intus in animis hominum latent; ac proinde sub aliorum aspectum non cadere, neque pompam & splendorem hujus sæculi quicquam curare. Sed instabis, ejusmodi cœtus non poterit consuli à nobis in rebus dubiis, & in eo illud Christi *Matth.* xviii. *Dic Ecclesiæ*, locum non habebit. Resp. Concedere me, cœtum inaspectabilem, & qui sub sensum non cadit, non posse à nobis consuli. Sed nego Christi mentem esse eo nos amandare. Illo enim in loco agit de cœtu visibili veram fidem profitentium, quem vult adiri ab illo qui à fratre læsus est. Nec refert, quod ille cœtus non constet ex solis vere piis. Id enim non est necesse ad sopiendam litem inter duos fratres exortam, aut ad corripiendum delinquentem & officii sui admonendum. Hæc possunt fieri etiam à cœtu in quo plures sunt mali. De tali autem re agi inspectio loci per se evincit, ut frustra sint illi qui ipsum aliorsum trahunt. Atque hæc nunc ad vindicandam veram Ecclesiæ naturam & definitionem sufficiant.

Utroque autem modo considerata Ecclesia, id est tam vere in Christum credentium, quam fidem profitentium cœtus, distinguitur in Catholicam sive universalem, & in particularem. Catholica ea est, quæ per universum terrarum orbem diffusa, omnes simul aut vere credentium, aut saltem fidem profitentium cœtus complectitur. De hac loquitur Paulus 1 *Cor.* 1. statim ab initio dicens, *Omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi quovis loco.* Et ad istam Ecclesiam scriptæ sunt Epistolæ Jacobi, Petri & Joannis, vulgo Catholicæ dictæ. Ecclesia vero particularis est illius universalis particula, in aliquo certo orbis loco collecta, ut Ecclesia Romana, Corinthiaca, Ephesina, &c. Et de tali Ecclesia intelligenda sunt nostri textus verba, *ut scias quomodo oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viventis.* Nam in tali Ecclesia pastorali fungebatur munere Timotheus, nempe Ephesina; licet antea Paulus ipsum laborum suorum socium assumpsisset, in fundandis variis in locis Ecclesiis.

Pergamus nunc ad ipsius Ecclesiæ attributa. Duo hic proponuntur, unum quod sit *domus Dei*, & quidem *Dei viventis*; alterum, quod sit *columna & firmamentum veritatis.* Quod ad primum attinet, jam ante declaravimus in genere, quo sensu in Scripturis Deo domus aut habitaculum tribuatur, ut illud non sit opus repetere. Superest tantum videndum in specie, cur Ecclesia *Dei domus* dicatur. Duæ autem hujus rei causæ reddi possunt: Prima, quod à Deo extructa sit: Altera, quod in ea domicilium suum constituerit; quod utrumque summam ipsius præstantiam & dignitatem indicat. Quam augustum enim, quam magnificum oportet esse illud palatium, quod ipse summus rerum omnium opifex construere dignatus est, & quod in habitaculum suum elegit? Deum autem Ecclesiam suam ædificasse tum per se patet, tum etiam ab Apostolo *Hebr.* iii. indicatur. Postquam enim dixisset, Mosem fidelem fuisse in tota domo Dei, subjicit, *Tanto ampliore gloria præ Mose hic dignus est habitus* (nempe Christus) *quanto majorem honorem habet is qui construxit domum quam domus ipsa. Omnis enim domus construitur ab aliquo; qui vero condidit hæc omnia Deus est. Et Moses quidem fidus fuit in tota domo ipsius ut famulus, ad testificanda quæ post dicenda erant. At Christus ut filius domui ipsius præest; cujus domus sumus nos, si modo fiduciam & spem illam de qua gloriamur ad finem usque firmam retinuerimus.* In quibus extremis Apostoli verbis notate egregium argumentum, ad id quod modo dicebamus irrefragabiliter evincendum, impios & hypocritas, quantumvis nomen & doctrinam Christi externe profitentes, Ecclesiæ ipsius vera membra non esse; cum non contentus dicere, nos (nempe fideles) Dei domum esse, addit hanc conditionem, *Si modo fiduciam & spem illam de qua gloriamur ad finem usque firmam retinuerimus*; ostendens eos desinere esse Dei domum, qui à fide deficiunt, ac proinde fidem necessarium esse requisitum in eo qui Dei domus esse velit.

Sed ut melius quanta sit hujus ædificii præstantia appareat, consideranda est nobis ejus materia & modus quo constructum est. Materia ejus constat tum imo angulari lapide, tum reliquo fundamento, tum lapidibus in eo extructis. Ac quod ad angularem quidem lapidem attinet, ille est Christus; qui ideo absolute fundamentum

Ecclesiæ appellatur à Paulo, dicente, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Jesus Christus*, 1 *Cor.* III. 11. Vocatur autem *angularis lapis*, eo quod duos parietes, nimirum Judæorum & Gentium populum, coædificavit, & quod totam spiritualis ædificii molem, una cum reliquo ejus fundamento, sustinet. Istud autem reliquum fundamentum sunt Apostoli & Prophetæ, ut legimus *Ephes.* II. 20. 21. 22. *Superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, quum imus angularis lapis sit ipse Jesus Christus: In quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit ut sit templum sanctum in Domino: In quo & vos una ædificamini, ut sitis domicilium Dei per Spiritum.* In quibus postremis Apostoli verbis iterum validum habemus argumentum, quo probatur solos fideles esse vera Ecclesiæ membra. Dicit enim eos una ædificari, cum per Euangelii prædicationem in fide & sanctimonia crescunt: & id fieri eo fine, ut sint domicilium Dei per Spiritum; per Spiritum nempe sanctum in ipsis agentem, qui infidelibus non datur, & quem mundus non potest capere. Isti autem Prophetæ, qui Apostolis adjunguntur, & simul cum illis fundamentum Ecclesiæ appellantur, non sunt Prophetæ Veteris Testamenti sed Novi. De quibus agitur *Ephes.* IV. *Is* (scil. Christus, postquam ascendit supra omnes cœlos) *dedit alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas; alios autem Pastores & Doctores.* Nam si Paulus de Prophetis Veteris Testamenti id intellexisset, eos dubio procul Apostolis præposuisset. Adde quod Ecclesia Christiana super illos non potest dici fundata, qui præcipua Christianæ religionis mysteria ignorarunt; quæ etiam ipsis Angelis per Ecclesiam innotuerunt, ut docet Paulus ad *Ephes.* III. *Ut fiat nota per Ecclesiam imperiis ac potestatibus quæ in cœlis* (id est beatis Angelis) *multiformis sapientia Dei.* Ideo autem quod super Apostolos fundata est Ecclesia, dicitur à Joanne *Apocal.* XXI. *Et murus urbis* (nempe novæ Jerusalem, per quam Ecclesia intelligitur) *habebat fundamenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina Apostolorum agni.* Et quia Petrus, tanquam collegii Apostolici Princeps, insignem præ cæteris operam in jaciendis Ecclesiæ Christianæ fundamentis navaturus erat, Christus ei speciatim dicit, *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth.* XVI. Quod impletum videtur in eo, quod ejus ministerio post Christi ascensionem, tum Judæi, tum Gentiles primum ad Euangelii communionem vocati sunt; ut videre est *Act.* II. & X. Lapides autem super hoc fundamento extructi sunt fideles, quos ideo Petrus *lapides vivos* & *domum spiritualem* vocat, 1 *Petr.* II. *Ad quem* (nimirum Christum) *accedentes, qui est lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum vero electus ac pretiosus; ipsi quoque veluti vivi lapides ædificati, fiatis domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias; acceptas Deo per Jesum Christum.* Ut porro tota hæc spiritualis Ecclesiæ ædificationis allegoria plene intelligatur, sciendum est hoc ædificium per divinæ voluntatis patefactionem, qua homines ab erroribus & vitiis suis sunt revocati, confectum esse. In quo quidem opere Christus primas tenuit, quem deinde secuti sunt Apostoli, quorum ministerio orbis terrarum in tenebris jacens, divinæ veritatis lumine collustratus est.

Non parum etiam facit ad commendandum domus istius excellentiam, quod non simpliciter Ecclesia Dei, sed Ecclesia Dei *viventis* dicatur. Nam cum multi sint Dii, sive in cœlo sive in terra, ut loquitur Paulus 1 *Cor.* VIII. ille solus est summus & verus Deus, qui est vivus. Quo epitheto non tantum intelligitur vitam habere in seipso, qua si careret nequidem esset; sed etiam ipsum esse vitæ fontem in omnibus aliis viventibus. Qua in re quantum super Gentilium falsa numina emineat apparet, quæ aut vita erant destituta, ut statuæ lapideæ, ligneæ, aureæ, argenteæ; aut si viverent, ut quædam animantia quæ adorabant, non habebant vitam in seipsis, qua se ab interitu vindicarent; multoque minus vitam aliis conferre valerent. Ideo super alia divinitatis elogia sæpius de isto gloriatur Deus, dicens *vivo ego*, prout in diversis S. literarum locis videre est. Et Paulus ad extollendum gratiam divinam, quæ Thessalonicensibus contigerat, 1 *Epist.* I. dicit: *Conversi estis ad Deum à simulacris, servire Deo vivo & vero.* Et *Act.* XIV. Lystrensibus, sibi & Barnabæ sacrificare volentibus, *Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt.* Videmus etiam epitheton istud usurpari ad nos in fide confirmandos, ubi de promissionibus aut spe vitæ æternæ agitur. Ita *Joan.* VI. Petrus inquit Christo, *Tu habes verba vitæ æternæ, & nos credidimus & scimus te esse Christum illum filium Dei viventis.* Et 1 *Tim.* IV. *Idcirco fatigamur & probris afficimur, quod speremus in Deo vivo, qui est Servator omnium hominum, maxime autem fidelium.*

Superest ut videamus, quo sensu Ecclesia à Paulo sit vocata *columna & firmamentum veritatis.* Sed antequam eo me accingam, monitos vos volo, verba ista, *columna & firmamentum veritatis*, à quibusdam celebribus interpretibus multo aliter quam vulgo fit connecti, & ita ut non pendeant à præcedentibus, nec pertineant ad descriptionem Ecclesiæ, sed conjungantur cum sequentibus, hoc modo; *Columna & firmamentum veritatis, & sine controversia magnum est pietatis mysterium*, & quæ sequuntur. Inter eos est piæ memoriæ D. Episcopius, in sua adversus Wadingum disputatione de Regula fidei. Item Camero in suis Prælectionibus Theologicis. Et ut quod sentio ingenue eloquar, maxime mihi arridet hæc expositio. Nec video quicquam adversus eam objici posse quod eam gravet, præter auctori-

auctoritatem aliorum, ut puto, omnium interpretum, & codicum consensum in vulgata interpunctione retinenda. Sed ista tanti esse non debent apud studiosos veritatis indagatores, ut propterea interpretationem rejiciant, quæ se majori verisimilitudine commendat. Rationes enim plures sunt faciendæ, quam nuda auctoritas. Et quod ad interpunctiones codicum attinet, eæ non sunt adeo antiquæ & constantes in omnibus, ut religioni ducere oporteat eas interdum mutare, si id sensus postulare videatur. Id quod hoc contingit loco. Sensus enim apertus & planus est, si verba ista eo quo dixi modo connectantur. Nam idem vocat Apostolus *mysterium pietatis,& columnam ac firmamentum veritatis*. Alioqui hiulca erit ejus oratio & suspensa, si ita ut vulgo fit legamus, *Ut scias quomodo oporteat conversari in domo Dei quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis: Et sine controversia*. Nam quomodo ista verba *sine controversia*, tam subito cum præcedentibus per conjunctionem copulativam *Et* annectit, cum quibus nihil habent commune? Adde quod illi, qui in Rabbinorum lectione sunt versati, testentur morem esse Hebræorum, ut cum aliquid magni momenti proferre volunt, incipiant ab hoc elogio, *Columna & firmamentum veritatis*. Ita sane R. Maimonides inchoat suum tractatum de Fundamentis Legis, quem nuper Latinitate donavit & notis illustravit D. Vorstius, *Fundamentum fundamentorum, & columna sapientiæ est cognoscere esse primum Ens*. Quidni ergo Paulus, ex more Doctorum suæ gentis, cum vellet doctrinam Euangelicam commendare, usus sit hoc proœmiolo, *Columna & firmamentum veritatis, Et sine controversia*, &c.

Sed ne videamur hanc commenti esse connexionem, ad eum quem nobis ex hoc loco Pontificii nectunt nodum dissolvendum, Age demus illis, Paulum Ecclesiæ tribuere, quod sit *columna & firmamentum veritatis*. Illud sane commodam admodum patitur expositionem, & quæ nihil plane ipsorum errori patrocinatur. Istis enim figuratis elogiis nihil aliud Paulus voluerit indicare, quam Ecclesiam Christi veram salutarem veritatem tenere, istamque veritatem nonnisi ab Ecclesia defendi atque propagari. Quod ut melius intelligatur, sciendum est hoc loco *veritatis* nomine salutarem Christi doctrinam significari. Ita enim S. literæ Novi Fœderis loqui amant, *Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium dem veritati: quisquis est ex veritate audit vocem meam*, inquit Salvator noster *Joan.* XVIII. 37. & *cap.* VIII. 32. *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas vos in libertatem vindicabit*. Et noster Paulus sæpe, ut in illo celebri hujus ad Timoth. Epist. loco, *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Per salutarem autem veritatis doctrinam eam intelligimus, sine qua vita æterna obtineri non potest. Sunt enim & alia quoque, quæ tametsi verissima sunt, & ad religionis negotium spectant, ad salutem tamen plane necessaria non sunt, ac porro sine salutis jactura ignorari queunt. Illam igitur salutarem veritatem vera Christi Ecclesia absque ullo errore tenet, alioqui non esset vera Ecclesia, nec salvari posset. In cæteris vero rebus labi & errare potest; ut patet in prima illa Ecclesia Hierosolymitana, statim post Christi ascensionem collecta, quæ ignorabat mysterium vocationis gentium per Euangelium, sine rituum legis observatione, & altercabatur cum Petro, quod ad viros præputium habentes introiisset, & una cum illis edisset. *Act.* XI.

Alterum quod hoc Pauli testimonio ad Ecclesiam relato continetur, est eam solam salutarem veritatem defendere & propagare. Alii omnes cœtus infidelium, qualescunque sint, quantumvis veritatem jactent, certum est illam non tenere, sed in gravibus ignorantiæ & erroris tenebris versari. Nimirum sine Dei revelatione, quæ soli Ecclesiæ contingit, nulla potest haberi salutaris veritas. Ideo *columnæ & stabilimenti* vel fulcimenti metaphoricis elogiis ornatur, quod quemadmodum columnæ ædificia fulciunt & firmant, ita Ecclesia veritatem divinam, ne inter homines intercidat. Hoc ergo ejus munus & officium est, à quo si discedat, vera Ecclesia esse desinit. Quemadmodum olim sub lege munus Sacerdotis erat custodire scientiam, quam tamen sæpe contempserunt. Sicut legimus *Malach.* II. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*. Quæ verba non continere promissionem, multo minus absolutam promissionem, sed mandatum, ex eo quod immediate sequitur patet: *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum*. Adeo ut ex illis verbis colligere velle, Sacerdotes Judaicos non potuisse errare, sit æque absurdum, ac si quis dicat Judæos non potuisse mœchari, aut furari, quia lex dicit, Non mœchaberis, non furaberis.

Verbis ergo Pauli hoc modo expositis, apparet Pontificios in illis nullum habere sententiæ suæ præsidium, qua statuunt Ecclesiam errare non posse. Nam 1. non audent dicere privilegium istud competere cuilibet particulari Ecclesiæ. Statim enim revinceretur exemplis Ecclesiæ Corinthiacæ, Galaticæ, & aliarum, quas Sacræ literæ graves errasse errores perhibent. Tribuunt id tantum universali seu Catholicæ Ecclesiæ, quam in Conciliis congregatam errare in fide non posse dicunt. Sed si id ita sit, illud ex hoc loco colligere non possunt. In eo enim agitur non de Ecclesia Catholica, sed particulari Ephesina, cui præsidebat Timotheus: quam si hoc elogium ipsi à Paulo tributum, quod esset columna & firmamentum veritatis, non impedivit quominus in graves errores incideret, & tandem penitus à fide deficeret, ut experientia testatur; Sane evidens est illum istis verbis noluisse significare, Ecclesiam

sive particularem, sive universalem, in fide errare non posse. Adde quod etiamsi istud privilegium Ecclesiæ Catholicæ concessum esset à Christo, ut errare non posset in fide, inde tamen non posset evinci, Concilia illa, quorum auctoritate Romana nititur Ecclesia, non erravisse. Nam etsi ea Oecumenicorum titulo exornent, certum est tamen nulla unquam Oecumenica Concilia esse celebrata, id est, ex tota οἰκουμένῃ seu habitata terra congregata. Maxima & celeberrima, Romani imperii fines non sunt egressa. Præterea etiamsi aliquando ex toto orbe congregata essent Concilia, ex illis tamen non haberetur certo, totius Ecclesiæ Catholicæ sententia; & talia Concilia errare possent, manente interim Ecclesia Catholica ab errore immuni. Nam nullum non errandi privilegium isti Repræsentativæ, quam vocant, Ecclesiæ, unquam concessum proferre possunt Pontificii. Omnia quæ jactant pertinent ad universalem fidelium nationem; quam certum est istos Ecclesiæ Antistites nunquam consuluisse, antequam ad suas decisiones faciendas accederent; imo contra quorum mentem multa decreta facta sunt, quibus postea, ut historiæ testantur, reclamatum est. Unde patet, nunquam fidelium cœtus universos in Conciliorum decisiones consensisse, ac proinde illas pro universalis Ecclesiæ sententia haberi non posse.

Sed ut melius adhuc & clarius videatis quam falsa sit adversariorum thesis de Ecclesiæ ἀναμαρτησίᾳ, age illam uno adhuc atque altero argumento evertamus. Ecclesia constat ex hominibus infirmis, erroribus variis obnoxiis, quia *cognoscunt tantum ex parte*, docente Paulo 1 *Cor.* XIII. Et ab hac conditione ne optimi quidem Christiani in hac vita plane liberi sunt. Unde efficitur, si vere fideles in quibusdam non omnino ad salutem necessariis errare possint, multo magis Ecclesiam illam aspectabilem, in qua sæpe profani & hypocritæ superiores partes obtinent. Deinde, si *in multis labimur omnes*, ut docet *Jacob.* III. 2. & peccatis obnoxii sumus, quid ni etiam erroribus? Etenim gravius est peccare, quippe quod vitium est voluntatis, quam simpliciter intellectu hallucinari. Si ergo Deus non penitus liberat fideles ab eo quod majus est, & quo magis iram suam provocare possunt, neque faciet ab eo quod est minus, nec ita ipsorum saluti obstare potest. Præterea Scriptura testatur, Ecclesiæ Antistites tum singulos seorsim acceptos, tum etiam omnes in Conciliis congregatos, graviter sæpe errasse. Videte *Esa.* LVI. ubi de ministris Ecclesiæ Israëliticæ dicit Deus, *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, &c. ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam*, &c. & *Malach.* II. *Vos deflexistis de via*, &c. Quid? nonne Concilia Sacerdotum adversus Christum & ejus Apostolos sæpius coacta, in quibus Christus & ejus doctrina fuit condemnata, ostendunt, quam non sint ejusmodi Pastorum cœtus ab erroribus immunes? Si vellem descendere ad posteriora tempora, possem multas Conciliorum decisiones erroneas proferre, & in quibus ipsi Romano-Catholici, qui nos ipsorum auctoritate urgent, non acquiescunt. Sed tempus id nunc non patitur. Adde quod etiamsi probassent, Concilia generalia seu Ecclesiam Catholicam errare non posse, non protinus causæ lucrum reportassent. Nec enim nisi ridicule se Catholicæ Ecclesiæ nomine insignire possunt, qui non nisi particularis Ecclesia sunt; cum tot sint alibi in Græcia, in Oriente, in Æthiopia Christiani cœtus ab ipsis dissentientes, eosque erroris arguentes. Nec si Ecclesia aliqua non errandi privilegium haberet, sequeretur Romanam esse, quam tot errorum ex Scriptura convincimus, & quam Paulus graviter XI. *ad Rom.* monet, ut sibi caveat ne exscindatur. Unde porro concludimus, compendium istud Pontificiæ praxeos, quo dicunt, ut quis ad veritatis cognitionem perveniat, nihil aliud requiri, quam ut veram investiget Ecclesiam, qua reperta secure possit in ejus sententia acquiescere; contra esse viam ad brutam ignorantiam & securitatem. Quis enim se in Sacrarum literarum sensu inquirendo fatigabit, qui sciat se id absque labore in Ecclesiæ decretis reperire posse? Cur ergo Deus præcepit ut Scripturas scrutaremur, Spiritus probaremus an sint ex Deo, omnia probemus, & quod bonum est retineamus, si absque istis ambagibus, sola Ecclesiæ Romanæ aut Pontificis ipsius vox nobis esset audienda?

Omnipotens Deus & Pater cœlestis, Pater Domini Jesu Christi, nos servi tui & filii, supplices te rogamus peccatorum omnium veniam, & ut deinceps nobis gratia tua adesse velis. Convenimus in nomine tuo ad agendum inter nos de Sacrosancti verbi tui mysteriis. Sed ex nobis velut ex nobis non sumus idonei ad divina & cœlestia intelligenda, & sine ope tua nihil possumus. Collustra & perfunde ergo mentes nostras Spiritu tuo Sancto & lumine. Da nobis verbi tui sensus recte percipere; ut id tanquam lucernam pedibus nostris sequamur, & in omnibus actionibus nostris exprimamus, ad nominis tui gloriam, proximorum ædificationem, & æternam animarum nostrarum salutem, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Agimus tibi gratias Deus omnipotens & Pater clementissime, quod pro singulari tua bonitate nobis in verbi tui tractatione adesse dignatus sis. Prosequere nos perpetuo eodem favore & gratia, nec permitte ut unquam nobis libertas de salutis nostræ mysteriis disserendi, nosque mutuo in iis erudiendi, ab adversariis eripiatur. Illumina magis ac magis mentes nostras in cognitione veritatis tuæ, & voluntates nostras in ejus obsequium flecte, ut toto vitæ decursu te super omnia amemus, colamus, & veneremur, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui tecum sit honor & gloria in æternum. Amen.

VINDICIÆ,

Quibus ſententia D. Arminii

DE

JURE DEI IN CREATURAS,

Defenditur adverſus

MOSEM AMYRALDUM.

Caput I.

Occaſio & ſumma hujus ſcriptionis.

Cum *Theſium Gomari Examen* magnam jam partem, mea cura, typis eſſet deſcriptum, oportune mihi ſunt ab amico oblatæ, *Moſis Amyraldi Profeſſoris Salmurienſis Diſſertationes Theologicæ quatuor*: quarum ſecunda quæ *de Jure Dei in creaturas* inſcribitur, meæ & D. Arminii ſententiæ oppoſita eſt. Eam cum avide perlegiſſem, parum occurrit bonæ frugis: contra fœdos paſſim errores deprehendi. Inprimis vero illud diſplicuit, quod immodico contradicendi ſtudio abreptus, etiam ea quæ manifeſtiſſimæ ſunt veritatis vellicaret. Qua de cauſa putavi, confeſtim aliquid eſſe reponendum, & propter argumenti ſimilitudinem, Arminii opuſculo quod in publicum exire geſtiebat, appendicis inſtar ſubjiciendum: debere me iſtud veritati divinæ patrocinium, quæ per noſtrum utriuſque latus impeteretur. Diſputationi huic occaſionem dedit *Tractatus de Prædeſtinatione*, ab Amyraldo ante decennium Gallico ſermone evulgatus: in quo cum Chriſtum pro cunctis hominibus æqualiter mortem obiiſſe contendat, aliaque nonnulla doceat quæ Remonſtrantium ſententiæ affinia eſſe videntur; id *Petrus Molinæus* Sedanenſis Profeſſor adeo ægre tulit, ut peculiari libello Tractatum illum examinandum ſibi ſumpſerit. Ego vero Molinæani *Examinis* aliquanto poſt exemplar nactus, de dogmatis inter ipſos controverſis *Sententiam* meam publice quoque, ſed ſuppreſſo nomine, dixi: in eaque libere, ut neutri partium addictus, modo huic, modo illi calculum meum adjeci: ſed ita tamen ut frequentius pro Amyraldo, cujus juſtior cauſa mihi videbatur, contra Molinæum ſteterim. Cum autem hic nihil in Antagoniſtæ ſui opere indiſcuſſum relinquere vellet, non tantum illa carpſit quæ ad Remonſtrantium dogmata aliquantulum accedebant, ſed etiam quæ longiſſime & in contrariam prorſus partem abibant. Tale eſt inter cætera quod Capite quarto his verbis habetur: *Si Deus ſtatim poſtquam hominem condidit, cum in profundam inferorum abyſſum demerſiſſet, nulla habita ratione actionum ipſius ſeu bonarum ſeu malarum, tantum ut ſummum ſuum in creaturas imperium oſtenderet, debuiſſe hominem in ea ſeveritate non invitum acquieſcere, quia creatura creatoris eſt, ex abſoluto jure atque indefinito.* Ad quod Molinæus regeſſit: *Jus creatoris abſolutum ad injuſta uſque non extendi, nec poſſe ab eo uſurpari in odio proſequendo ſuo opere, ſeu juſta atque inſonte creatura. Nam præterquam quod injuſta foret ejuſmodi pœna, Deum hac ratione hominem etiam redditurum improbum, & ad ſui odium atque murmura impulſurum: eo quod fieri non poſſet ut homo, qui nullum ex ſuo erga Deum amore fructum perciperet, quamdiu Deus eum odiſſet ac in æternum cruciaret, aliter erga ipſum affectus eſſet.* Ego vero hac animadverſione lecta, cum mihi non infirmis niti rationibus videretur, ſed de Amyraldi mente ſubdubitarem, dixi: *Concedo accuſationem iſtam eſſe juſtam, ſi hæc verba*, in inferos demergere, *Amyraldus de cruciatibus æternis intelligat, ut vulgo fieri ſolet, & ipſe quoque innuere videtur. Sed ſi illis ſignificare tantum vellet, Deum jure homini vitam & τὸ εἶναι poſſe adimere, ut ſecundum Scripturæ phraſin poſſunt exponi, in qua per inferos plerumque mors & ſepulcrum intelliguntur, hanc Deo tribuere poteſtatem abſurdum non foret. Ipſius enim juſtitiæ non adverſatur ab homine auferre quod ei dedit: cum, quatenus creator eſt, ſummum jus habeat de ejus vita & omnibus quæ poſſidet, pro arbitrio ſuo ſtatuendi. Sed inſontem nunquam juſte punire poteſt, tantum abeſt ut ipſum ad æternos cruciatus damnare ei liceat. Omnis enim pœna culpam præſupponit, & ubi nulla eſt culpa, juſtitia pœnam infligi non patitur. Qua de cauſa Abrahamus Deo ad Sodomorum perditionem ſe accingenti dicebat:* Abſit à te, ut hanc rem facias, & occidas juſtum cum impio, fiatque juſtus ſicut impius. Non eſt hoc tuum. Nunquid judex univerſæ terræ non faciet judicium? *Geneſ.* XVIII. 25. *Quanto ergo à ratione alienius viſum ei fuiſſet, Deum ad æternos cruciatus homines plane juſtos & innoxios deſtinare? Quamvis enim hic de juſtis loquatur, de juſtitia Angelica tamen & omnibus numeris perfecta non intelligit, ſed de illa quæ frequenter inter homines reperitur, ſecundum quam juſti vocantur qui ſunt ſceleris puri & peccatis non indulgent, etiamſi in cæteris va-*

riis

tis adhuc nævis sint inquinati. Postea Molinæi argumenta in ipsum Molinæum, aliosque Reprobationis absolutæ patronos, imprimis Supralapsarios, ut vocant, retorsi; multoque tolerabiliorem Amyraldi quam illorum opinionem esse ostendi. Illos enim Deo non obscure tribuere id quod Amyraldus Deum facere posse duntaxat dicit, ab eo autem reapse fieri aperte negat: cum docent eum ex puro voluntatis suæ placito, sine ullo peccati (saltem quod vere ita dici mereatur) tanquam causæ moventis intuitu, multo maximam generis humani partem ad æternos cruciatus destinasse & creasse. Hæc est eorum summa quæ tunc de illo argumento scripsi. In quo tanta erga Amyraldum cum moderatione me gessi, ut majore non possem. Nam quod ea de causa me ipsum nefandæ cujusdam hæreseos insimulare conqueritur, longe à vero abest, ut unicuique constare poterit qui decimum *Sententiæ* meæ caput, in quo materiam istam tracto, inspicere volet. Valde itaque sum miratus, cum me ab eo ita acerbe in ista Dissertatione excipi animadverti; ut non tantum Opusculum illud virulentum scriptum appellaret, sed etiam me vitilitigatorem diceret, & petulantiam, aliaque ejusdem commatis objiceret. Nam cum ipsum in multis doctrinæ capitibus tanta fide adversus Molinæi accusationes defendissem, ut meliorem causæ suæ patronum optare non posset, æquum erat, ut si gratias quas merueram agere nollet, (quod tamen ingenui fuisset hominis,) saltem ab insectatione & conviciis sibi temperaret. An id ipsi bilem movit, quod aliquot locis dogmata ipsius quæ veritati minus consentanea judicabam improbavi, & Molinæo illa redarguenti assensus sum? Sed æquiorem ipsum credebam quam ut mihi eo nomine succenseret, aut libertatem vellet adimere significandi quid in ipsius Scriptis desiderarem. Et magnorum me virorum exemplo tueri poteram, qui in defensionibus quas pro amicis evulgarunt, errata & lapsus illorum non dissimularunt. Unum quod satis recens est & inter cætera eminet, hic commemorabo; Petri Gassendi eximii nostri ævi Philosophi, qui in Epistolica sua Exercitatione, qua Marinum Mersennum contra Roberti Fluddi accusationes tuetur, non raro ipsius Mersenni aberrationes castigat. Qua tamen re tantum abest ut bonus ille vir fuerit offensus, ut illam Epistolam cum singulari grati in Gassendum animi significatione ipsemet ediderit. Quid ergo? An adeo iracundus vel αὐθάδης est Amyraldus, ut liberum monitorem ferre non possit? An potius putavit se contumeliose me excipiendo, Arminianismi quam apud suos incurrit suspicionem eluere posse? Quicquid istius rei sit, probra illa me non tangunt. Nec vitilitigator sum nec petulans: utpote qui non de verbis aut de lana caprina, ut ipse tota hac dissertatione facit; sed de gravissimis Christianæ religionis capitibus inter ipsum & Molinæum controversis, ita sententiam dixi, ut ab omni privata offensione, quantum materia passa est, abstinuerim. Unum tamen non illibenter confitebor; nempe libellum meum virulentum appellari posse; quod à salubribus quæ in eo continentur doctrinis absolutæ reprobationi mors immineat. Eo sensu quo jejuni hominis saliva quæ bona est, & sanandis quibusdam ulceribus utilis, propter peculiarem ἀντιπάθειαν serpentibus virus esse perhibetur. Sed cur etiam Amyraldus nomen meum quod suppresseram in apertum protulit? Experiri-ne voluit num pro meo agniturus essem scriptum, de cujus auctore nihil adhuc explorati habebat? An vero me in discrimen adducere intendit, quod dogmata tuear publicis è Batavia Edictis proscripta? Sed ut illud temeritate non vacaret, ita hoc à Christiana charitate adeo alienum foret ut non posset magis. Quocunque animo id fecerit, certe gratum mihi non fecit. Quanquam enim doctrinæ Sententia illa comprehensæ me non pudeat, quam ad mortem usque tueri paratus sum; maluissem tamen latere & meum nomen ignorari. Sed quia alea jacta est, & mihi nunc iterum in arenam descendendum est; aperto sed Christiano Marte cum Amyraldo decertare est animus, & sine felle, sine contumeliis, in quibus ab ipso vinci quam vincere malo, quale Deo jus tribuat expendere. In hoc autem conflictu sequar κατὰ πόδας Dissertationis ipsius ordinem, quamvis optimus non sit: ne si alia incederem via, forte quædam animadversione digna oculos meos fugerent: illamque ad verbum descriptam particulatim hic inseram: nisi quod luxuriantem ejus orationem atque extra oleas sæpe evagantem, in compendium subinde contraham. Postea responsiones meas subjiciam.

Caput II.

Jus Dei in hominem insontem niti creationis beneficio.

Absolutis igitur præliminaribus, de quibus modo egi, Amyraldus disputandi initium facturus, inquit: *Cum Arminius existimaret, absoluti decreti defensores in ea esse opinione, ut statuerent Deum ex mera sua voluntate, seposita peccati consideratione, homines quamplurimos æterno exitio prædestinasse; eamque doctrinam abhorrentem esse à religione judicaret, hac potissimum ratione illam sibi refutandam esse arbitratus est, quod id Deo minime licuerit. Non licuisse autem ex eo manifestum esse dixit, quod Deus plus juris in homines sumere neque potuit neque debuit, quam quantum juris acquisiverat collatione beneficiorum suorum. Itaque non negavit, Deo liberum atque solutum fuisse homini eripere vitam quam concessit, & ad nihilum redigere eum quem pro liberrima sua voluntate produxit. At ut eum æternis cruciatibus pro mero imperio addiceret, id vero esse statuit extra limites τῆς ἐξουσίας, quam Deum in genus humanum usurpare oportuit.*

tuit. Verum ipsum cum fefellit animus in occasionis dijudicatione, tum etiam in argumenti sui explicatione ratio fugit. Nam ad occasionem quod attinet, nemo unquam in doctrina de Prædestinatione fuit usque adeo præfractus aut asper, ut voluerit homines ad æternos inferorum cruciatus, ex mera Dei voluntate, seposita peccati consideratione, fuisse damnatos, &c. Ego vero mirari satis non possum, quod Amyraldus adeo confidenter negat hanc esse genuinam Calvini ejusque discipulorum sententiam, quam Arminius ipsis tribuit: cum bona illum hic fide egisse ex innumeris pene testimoniis constare queat. Sed quia tota ista de re, commodior sub finem hujus opusculi differendi dabitur occasio, probationes quas in promptu habeo eo usque differre constitui. Videat interim qui volet, *Appendicem* Remonstrantium *ad Pressiorem* suam *declarationem*, & *Syllabum testimoniorum ex scriptis Contra-Remonstrantium collectorum*, qui in Actis Remonstrantium Dordracenis insertus est. Ibi copiosam illorum segetem inveniet, quæ nemo hactenus falsi arguere, aut in alienum sensum detorta esse ostendere aggressus est. Si quid habet contra Amyraldus, depromat; aut de nostrorum calumnia conqueri desinat.

Sed cum institutum suum persequentem audiamus: *Ad argumentum quod spectat, Arminius & qui cum eo idem sentiunt, gravissime hallucinantur. Etenim si Deus in homines sibi jus acquisivit ex ratione tantum quod in eos beneficia contulit, & qua beneficia contulit, utique necesse est ut ii omnes qui beneficium conferunt, potestatem aliquam sibi quærant in eos qui beneficium accepere. Quod enim ex aliquo necessario fit qua tale est, id ubique fieri necesse est, ubi tale quid existit. Contra vero nemo potestatem habebit qui beneficium aliquod non dederit*, &c. Ubi primum annoto: non debuisse Amyraldum mutilam Arminii sententiam referre, sed integram, qualis nempe extat in Collegio disputationum privatarum, thesi 27. *de Dominio Dei*; in qua triplex juris divini in creaturam rationalem fundamentum esse statuit; primum, creationem; secundum, contractum cum illa initum; tertium, peccatum creaturæ. Quod etiam in præcedenti Thesium Gomari Examine copiose tractatur, in Consideratione ad thes. 27. Poterat quoque quid Remonstrantes hac de re sentirent discere ex S[cri]ptis ipsorum Synodalibus, in explicatione *cap.IX. ad Rom. in vers.21.* ubi dicunt: *Omne Dei jus in creaturas (quantum nos capimus) niti debet vel beneficio ipsius in creaturas, vel maleficio earum in illum, vel fœderatione & contractu mutuo.* Cur autem hoc observem apparebit ex sequentibus. Deinde sciendum est hanc non esse privatam Arminii aut Remonstrantium opinionem. Omnes in illa sunt qui Prædestinationem ab Adami peccato inchoant. Ideo enim rejiciunt sententiam illorum qui altius ascendunt; quia putant justitiæ Dei non convenire ut creaturam innocentem æternis cruciatibus addicat. Quare nemo unquam ipsorum controversiam Remonstrantibus movit ea de causa. Imo Jacobus Triglandius Academiæ Leydensis Professor, eodem quo Arminius illam defendit argumento, in Thesibus de Dominio Dei, ante biennium publice ibidem disputatis: ubi docet; *Deum creaturam innocentem salva sua justitia æternis cruciatibus affligere non posse: eumque plus potestatis in creaturam non habere, quam beneficiorum in illam contulerit; adeoque potestatem Dei in creaturam, niti beneficiis in eam collatis*: ut refert Joan. Szydlovius, Vindic. cap. 11. Unde videre est quam imprudenter Amyraldus tanquam privatam Arminii opinionem exagitet, illam quæ ipsi cum præstantissimis Reformatorum Theologis communis est. Sed tuendæ theseos studium, necessitatem ipsi imposuit illud impugnandi, à quo ei ruinam imminere animadvertebat. Hoc enim concesso, jus Dei in homines creationis beneficio niti, sequitur id non permittere ut Deus majus illis malum inferat quam fuerit illud bonum. Cum ergo bonum creatione collatum finitum fuerit, non habet inde jus malo illos infinito afficiendi, quod ipsos adeo miseros reddat ut longe præstiterit nunquam fuisse. Verumtamen Arminii sententiam absolute falsitatis accusare non audet: solummodo negat Deum ea sibi ratione *tantum* jus in homines acquisivisse, quod beneficia in eos contulit & qua contulit. Et sane magnæ fuisset incogitantiæ simpliciter eam rejicere: cum necesse sit ut illi in quos Deus potestatem aliquam habiturus est, prius existant quam reipsa eam habeat; existere autem non possint nisi per creationis beneficium. Nam Deo jus in creabiles tribuere, ut facit Gomarus in suis thesibus, est potentiale dumtaxat jus ei tribuere; hic autem de actuali disputamus. Proinde creatio saltem est primum & immediatum juris divini in creaturas fundamentum. Quod sane non parvum ad istam controversiam momentum affert. Sed forte graves suæ negationis rationes habet Amyraldus. Audiamus ergo illas. Quia, inquit, non est ea beneficiorum vis ut omni conferenti jus in accipientem acquirant. Sed fac omnia in universum beneficia hanc vim non habere, nemo tamen erit adeo infrunitus ut eam ausit denegare magnis. Inter magna autem sine controversia primum locum obtinet creatio: quæ tam excellens est beneficium ut absque illa nullum cuiquam bonum obtingere possit. Et quia parentes in liberorum procreatione operis divini (quantumvis longissimo intervallo) sunt æmuli, inde est quod primam & supremam post Deum in illos, natura & legibus consentientibus, potestatem habent. Imo nullum est omnino beneficium, quod pro ratione magnitudinis potestatem aliquam conferenti in eum qui accipit non conciliet. Idque significare voluit qui dixit, *Beneficium accipere, libertatem vendere est.* Et alius: *Qui beneficia invenit, compedes invenit.* Nec aliunde ortum habuit phrasis illa in omnibus pene linguis usitata, Beneficiis

ficiis aliquem sibi devincire, & aliæ similes. Eadem quoque de causa vetantur Judices munera à litigantibus accipere, ne illis quidpiam de ipsorum potestate veluti delibetur, integramque non possint servare judicio. Atqui, instat Amyraldus, *liberi quibuscunque tandem beneficiis parentes suos afficiant, nunquam tamen ullam in eos potestatem sibi comparabunt: neque subditorum tanta possunt esse in reges suos benefacta, ut sibi juris quidquam in eos tribui debere arbitrentur.* Sed jam prævidit ipse sibi responsum iri, Tanta esse & parentum erga liberos, & regum erga subditos benefacta, ut nulla re quæ à subditis aut liberis proficisci queat, pensari possint. Et contra objicit, *vel regiam vel patriam potestatem ex accepto aliquo beneficio detritam unquam aut imminutam fuisse neminem dicturum.* Verum etsi liberi aut subditi, suis in parentes aut reges beneficiis, talem sibi in eos potestatem non acquirunt qualem illi habent, tantum tamen sibi comparant, ut parentes & reges vehementius eos amare, studiosiusque fovere teneantur, quam alios à quibus ejusmodi beneficiis non fuerunt devincti. Unde Justinianus vulgo ingratus audit, quod Belisarium, cujus opera tot tantasque de hostibus victorias reportarat, tandem levi suspicione inductus, non solum de fastigio dignitatis quam res gestæ ipsi comparaverant deturbarit, sed & bonis omnibus exutum oculis misere mulctarit. Quod procul dubio non adeo crudele, erga alium minus de ipso bene meritum, videretur.

Pergit Amyraldus: *Ubi personæ dignitate pares sunt, nulla unquam beneficia potestatem alteri in alteram comparant. Obligant certe ad id, ut memoriam beneficiorum grata mente recolas, &, si id fieri potest, mutua benignitate remunereris. At id nihil ad auctoritatem. Tantum enim abest ut ullam potestatem concilient, ut ne ei quidem acquirant actionem qui bene fecit, si is qui beneficium accepit in crimen ἀχαρισίας incidit.* Sed respondeo, obligationem illam ad accepta beneficia grato corde agnoscendum, &, si facultas detur, mutua benignitate compensandum, non exiguam dantis in accipientem potestatem arguere. Omnis enim cui sum obligatus, aliquod in me jus ex illa obligatione habet: ut si Titio sum obligatus ad certam pecuniæ summam ei persolvendum, ille etiam jus habet eam à me exigendi: alioqui non vera & proprie dicta obligatio foret. Verum, inquit Amyraldus, beneficia ne quidem ei qui benefecit actionem acquirunt in ingratum. Sed quamvis id moribus nostris non obtineat, quin tamen æquum sit dubitari non potest. *Excepta Macedonum gente, non est in ulla data adversus ingratum actio:* inquit Seneca, de Benef. lib. 3. cap. 6. Sed fallitur; nam non solum Philippus Macedo ingrati hospitis frontem stigmate inussit, ut idem refert lib. 4. cap. 37. & Persæ si quem intellexerant gratiam non referre cum posset, in eum severe animadvertebant: teste Xenophonte, Cyri Pædias lib. 1. Sed etiam Romæ, *Divus Claudius libertum, qui probatus fuerat patrono delatores summisisse, qui de statu ejus facerent ei quæstionem, servum patroni esse jussit eum libertum.* Digest. de Jure Patronatus: ubi etiam varii casus recensentur in quibus patronis adversus inofficiosos libertos actio dabatur. Quod autem cæteris id non concedebatur, causa non erat quod Romani benefactorem nullum in ingratum beneficiarium jus habere censerent, sed convictionis difficultas, ut docet Seneca loco prius citato. *Hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, ubique improbatur. Neque absolvimus illud: sed cum difficilis esset incertæ rei æstimatio, tantum odio damnavimus, & inter ea reliquimus, quæ ad vindices Deos mittimus.*

Tandem Amyraldus ut ostendat potestatem & beneficium non reciprocari, dicit: *Multi sunt qui non modo potestatem habent quam nullo beneficio acquisiverunt, sed etiam qui una cum potestate beneficium acceperunt. Tales sunt ii quos populi in reges sibi adsciscunt, ea tantum de causa quod cum ipsis rege opus sit, iis bene volunt,* &c. Sed neque id asseruit Arminius, neque ad eam quam tuetur causam quicquam facit. Quod enim omnis potestas non oritur à beneficio, id non impedit quominus omne beneficium potestatem pariat. Attamen certum quoque est omnem potestatem conferri aut propter beneficia jam ante accepta, aut propter accipiendi in posterum spem. Cum enim populi aliquos sibi in reges aut gubernatores eligunt, id si antecedentium beneficiorum gratia non faciunt, saltem ab illis quæ in futurum expectant, moventur; defensionem videlicet & justitiæ administrationem, ut Amyraldus agnoscit. Spes ergo illa est finis qui ipsos movet ad potestatem conferendam. Finis autem licet ultimus sit in executione, primus tamen est in intentione: Eoque etiam sensu beneficia sperata potestatis collationem antecessisse non inepte dicitur. adeo verum est, beneficium & potestatem indivulso nexu inter se esse conjuncta.

CAPUT III.

Ὑπεροχὴν non esse juris divini fundamentum.

VIdeamus jam quid creationis beneficio Amyraldus adjungat, tanquam juris in hominem magis proprium fundamentum. *Proprie*, inquit, *potestas ex eminentia nascitur, ut quicunque eminet memorabilem in modum, ille etiam potestatem aliquam & imperium obtineat pro magnitudine τῆς ὑπεροχῆς: nemo etiam potestate polleat qui non pariter emineat aliquo modo.* Imo proprie magis, potestas divina creationi innititur quam ἐξοχῇ ipsius: idque inde apparet, quod ἐξοχὴ in relatione ad alterum sita sit; illud autem cujus respectu illam Deus habiturus est, per creationem produci debeat. Finge enim Deum, si fieri posset, infinite perfectiorem esse quam

quam reipsa est, ἐξοχὴν tamen nullam haberet, & consequenter nullum in alios jus, quamdiu solus exsisteret. Cum igitur creatio sit immediatum potestatis divinæ in hominem fundamentum, proprium quoque est: non vero ὑπεροχὴ illa, quæ Deo non competit nisi interventu creationis & propter creationem.

Postea varias ὑπεροχῆς causas recenset, utpote quæ *vel nascatur ex beneficiis, vel munus aliquod comitetur, vel denique exoriatur ex excellentia seu naturæ seu virtutum, seu utriusque rei conjunctim.* Et ad primam illam quod attinet, dicit: *Nonnulla esse beneficia, quæ vel magnitudine sua, vel aliqua alia conditione talia sunt, ut ὑπεροχὴν generent, ex qua potestas exsurgit, manifestum esse puto ex parentum exemplo. Non enim alia de causa natura voluit parentes esse superiores cum tanta potestate, nisi quia liberis suis tribuerunt ea beneficia, quibus ex adverso nihil ex liberis procedere potest quod respondeat; τὸ εἶναι nempe, quod à generatione est, & τὸ εὖ εἶναι, quod est ab educatione,* &c. Unde postea concludit: *cum beneficia quæ à Deo hominibus tributa sunt, longo intervallo superent ea quæ quisque à parentibus accepit, consequens & consentaneum esse, ut ex eo nata sit auctoritas longe major auctoritate parentum.* Ad quæ respondeo, Si beneficia ὑπεροχὴν seu eminentiam pariant, eminentia vero potestatem, multo magis beneficia potestatem conciliare, secundum Logicorum regulam: *Propter quod unumquodque tale est, illud magis est tale*: ut si Titius servum meum amat propter me, procul dubio me intensiori quam ipsum amore prosequetur. Miror sane Amyraldum, alias non obtusæ naris, istud non animadvertisse: adeo ut ad suæ opinionis seu confirmationem seu illustrationem afferre ausus fuerit, id quod tanto cum robore potest retorqueri, ut illam funditus evertat. Nec minor est vis in exemplo parentum, quorum tanta est ἐξοχὴ & potestas in liberos, quod illis esse dederint, ut propterea primus illis post Deum honoris & reverentiæ gradus debeatur. Ita enim sancit Deus in Decalogo, ubi præceptis quæ ad sui cultum pertinent, immediate subjungit: *Honora patrem tuum & matrem tuam*: quod Paulus *præceptum primum cum promissione* esse annotat, *Ephes.* VI. 2. Et ipsi quoque Ethnici natura duce agnoverunt. Unde illud Solonis; *θεοὺς τίμα, γονέας αἰδοῦ*, Deos honora, parentes reverere. Et Menandri: *νόμος γονεῦσιν ἰσοθέους τιμὰς νέμειν*, lex jubet parentibus æquales divinis honores exhibere. Sæpe autem contingit ut parentes nullam præ liberis habeant ἐξοχὴν nisi ætatis; quæ licet reverentiam aliquam conciliet, nullam tamen potestatem dat. Potest enim fieri ut filius sit doctus, ingeniosus, probus, robustus, pater contra. Et tamen pater in talem filium, cui tot in rebus est inferior, potestatem non minorem habet quam si ipsi præstaret. Non ergo ob ἐξοχὴν, sed ob generationis beneficium: quod si dicas parere ἐξοχὴν cui jus innitatur, id quod una manu videbaris eripere, altera restituis.

De altera vero ὑπεροχῆς causa sic disserit: *Munera quæ pertinent ad conservationem ordinis, potestatem conjunctam habent, & quanto majora sunt tanto majorem. Sunt autem illa etiam procul dubio posita in aliqua eminentia seu ἐξοχῇ. Nempe ad virtutis præstantiam & virium robur, quæ duo ad conservationem ordinis necessaria sunt, accessit vel populi consensus, vel superioris alicujus potestatis voluntas, quæ talibus muneribus destinatos in loco edito collocavit. Atque ista, munus, ὑπεροχὴ, potestas seu ἐξουσία usque adeo arcte inter se conjuncta sunt, ut vix distinguantur: certe eorum nomina apud omnes auctores confunduntur,* &c. *Deum autem esse natura mundi Judicem & totius universi Rectorem, ambigere nemo potest. Vocatur sane ab Abrahamo ille qui judicaturus est universum orbem terrarum. Non quod munus proprie dictum in eum competat: nam qui munus habet, quicunque sit, videtur esse ab aliquo superiore constitutus,* &c. *Verum cum opificis sit opus suum regere atque administrare, si iis virtutibus est instructus quæ ad eam rem necessaria sunt, Deus autem & mundum condiderit, & summa virtute summaque sapientia præditus sit, mundi gubernationem, cujus præcipua pars in præmiorum & pœnarum distributione posita est, ad neminem alium attinere oportet. Ideoque id sibi sumit in Scriptura, nec quemquam in illius gloriæ societatem admittit. Habet ergo ille eam ὑπεροχὴν quæ muneris est, & quam ideo potestas longe maxima comitatur.* Sed ista quæ adeo verbose persequitur Amyraldus, vel nihil ad rem faciunt, vel contra eum sunt. Nihil ad rem facere ex eo apparet, quia cum (ipsomet fatente) munus & ὑπεροχὴ seu eminentia, adeo arcto nexu conjuncta sint, ut difficulter à se invicem distinguantur, vix potest etiam dici utrum munus ab ὑπεροχῇ, an vero ὑπεροχὴ à munere originem habeat. Quamvis enim munera publica conferri soleant iis qui supra alios quapiam in re eminent, ut robore, virtute: is tamen qui ita eminet, non statim munus illud obtinet quod jus in alios post se trahit: sed necesse est accedat auctoritas alicujus superioris, sive is populus sit, sive rex aut princeps, qui ipsi ejusmodi munus demandet. Itaque non probatur inde id quod in quæstione est; nimirum jus seu potestatem, ex ὑπεροχῇ potius quam ex beneficiis nasci. Imo cum, ut modo dictum est, beneficia pariant ὑπεροχὴν, munera autem sequantur ὑπεροχὴν, jus quoque illud quod munera comitatur beneficia sequi oportebit: quod adversus Amyraldum est. Præterea, judicis munus in justitiæ administratione consistit: justitiæ autem est suum unicuique tribuere: proinde si ejusmodi Deo tribuatur munus, ex eo non habebit jus innocentem creaturam in æternum cruciandi. Hoc enim non esset suum illi tribuere. Et misera illa creatura quæ ita crudeliter torqueretur posset ei non immerito Abrahami verba objicere; *Annon judex universæ terræ faciat judicium?* Denique Deus, ut Amyraldus etiam agnoscit, tanquam mundi opifex potestatem habet creaturas suas judicandi. Ergo ex creationis beneficio: non

vero ex ὑπεροχῇ potentiæ & virtutis qua præditus eſt. ὑπεροχὴ enim illa non poteſt Deo tribuere jus quod jam habet: ſed tantum facit ut idoneus ſit ad judicandi munus exercendum.

Quod ad tertiam autem ὑπεροχῆς cauſam, dicit: *Natura ac virtutis & utriuſque conjunctim præſtantiam conciliare poteſtatem, vel ex ipſa hominis conſtitutione conſtare poteſt. Mens enim non alia de cauſa imperium in reliquas facultates obtinuit, niſi quod natura præſtat, iiſque virtutibus prædita eſt quæ ipſa imperare aptæ natæ ſunt, & quibus ab aliis pareri debet. Idcirco appellatur à Græcis τὸ ἡγεμονικὸν, quoniam ejus ductu atque moderatione cætera in homine reguntur,*&c. *Ariſtoteles vero diſertim affirmavit, ſi quis reperiretur qui omnibus virtutibus cæteris mortalibus longe antecelleret, cæterorum omnium regem eſſe conſtituendum,* &c. *Ille ergo poteſtatis eminentiam collocat in eminentia atque excellentia virtutis, tanquam in ſuo fundamento. Et alibi eandem ob cauſam, putavit alios eſſe* φύσει *ſervos, alios vero non liberos tantum, ſed etiam imperio veluti à natura creatos atque deſtinatos,* &c. *Quanta autem ſit naturæ divinæ præcellentia commemorare nihil attinet. Finge ergo, diſputandi cauſa, mundum non eſſe à Deo conditum, ſed, quod Epicurus atque ante ipſum Democritus ſtulte commenti ſunt, ex fortuita ac temeraria corpuſculorum individuorum concurſione conſtitutum & coagmentatum fuiſſe, ea tamen eſt Numinis ὑπεροχὴ, ut quod in domo eſt paterfamilias, in republica ſummus magiſtratus, in exercitu dux, in navi gubernator, in homine mens, id Deus eſſe debeat in univerſo.* Sed primum, Quod ſpectat imperium mentis in corpus, illud non eſt hujus loci: ubi agitur de poteſtate in ea quæ injuriæ ſunt capacia. Corpus enim, quatenus à mente contradiſtinguitur, tale non eſt. Nec etiam à mente injuria affici poteſt, niſi illa in ſeipſam quoque injuria fuerit. At iſtud eſt ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Poteſt quidem aliquis ſibi damnum inferre, ut αὐτόχειρες faciunt, ſed injuriam non poteſt: alioqui ſimul eſſet volens & nolens: volens quidem quatenus injuriam faceret, cum injuria non proficiſcatur niſi à volente: nolens vero quatenus injuriam pateretur, cum volenti non fiat injuria: ut recte docet Ariſtoteles Ethic. ad Nicom. lib. 5. cap. 11. Deinde etſi mens propter rationis ὑπεροχὴν, natura imperium habeat in corpus; ex eo tamen non ſequitur, omnibus qui aliquo modo eminent, jus in cæteros naturaliter quoque competere. Eadem enim fere hujus animæ poteſtatis in corpus eſt ratio, quæ illius quam totus homo obtinet in bruta aut res inanimas. Ideo autem obtinet, quia rectore indigent, utpote quæ ſe ipſa regere neſciant; vel quia in uſus humanos ſunt condita, quibus niſi inſervirent inutilia forent. Atqui aliquid in hoc Univerſo inutile eſſe, conditoris ſapientiæ non convenit. Indeque eſt quod jure gentium, *Omnia animalia, quæ terra, mari, cælo capiuntur, id eſt feræ, beſtiæ & volucres, piſces, capientium ſunt.* Digeſt. de acquirendo rerum dominio. l. 1. Item, *Inſula quæ in mari naſcitur, occupantis fit: nullius enim eſſe creditur.* Ibid. l. 7. Sed perfectionis quæ inter homines invenitur diſcrepantia, nullum iis qui eminent in alios jus tribuit. Quapropter quod Ariſtoteles exiſtimavit, alios eſſe natura ſervos, alios vero liberos vel etiam reges, id aut de aptitudine ſola intelligi debet, aut à vero longe eſt alienum. Servitus enim eſt contra naturam, ut agnoſcit Juſtinianus cum eam ita definit; *Servitus eſt conſtitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur.* Inſtit. lib. 1. tit 3. Omnes ergo homines natura liberi ſunt: ſeu, *jure naturali liberi naſcuntur*, ut habetur ibidem, tit. 5. Proinde nulla tanta eſt naturæ vel virtutis, ſive ſeparatim ſive conjunctim conſideratarum, præſtantia, quæ poteſtatem in alios ea deſtitutos neceſſario ſecum trahat. Non quod diffitear eos qui ejuſmodi dotibus ſupra cæteros mortales eminent, multo aliis aptiores eſſe ad poteſtatem exercendam: aut illos penes quos eſt munera quæ poteſtatem adnexam habent aliis conferre, ad eas attendere teneri, graviterque peccare ſi ſecus faciant. Hoc tantum volo, illos non continuo poteſtatem in alios obtinere, qui ita excellunt: imo contra ſæpe, ut res humanæ ſe habent, in pulvere neglectos jacere. Dicam aliquid amplius: Pone quempiam in republica in tantum concives ſuos animi & corporis dotibus antecellere, ut cæteros omnes longo infra ſe intervallo relinquat: non tamen tenebuntur eum regem conſtituere, ſi democratia ipſis magis quam monarchicum regimen allubeſcat. Tantummodo ſi de rege eligendo conſultatio iniretur, reliquis propter iſtam ad imperandum aptitudinem præferri mereretur. Sed nihil eſt quod adeo luculenter oſtendat ſolam ὑπεροχὴν nullum in alios inferioris ſortis jus tribuere, atque Angelorum exemplum, qui licet agilitate, robore, ſapientia cæteriſque virtutibus longe homines ſuperent, nullum tamen in eos imperium obtinent: ſed ſunt *miniſtratores ſpiritus, qui miniſterii cauſa emittuntur, propter eos qui hæredes erunt ſalutis, Hebr. 1. v. 14.* Et ſe *conſervos* profitentur *eorum qui habent teſtimonium Jeſu, Apoc. xix. 10.* Unde ſequitur ut ſi mundus à Deo non fuiſſet conditus, ſed, ut nonnulli delirarunt, ex fortuito atomorum concurſu coagmentatus, Deus in ipſum nullum jure imperium aut poteſtatem eſſet habiturus. Poſſet quidem in eum rectore & domino deſtitutum, velut in vacuam poſſeſſionem irrumpere, ſibique, quia viribus præſtaret, vendicare. At ſi mundi incolæ ei parere nollent, ſed propoſitum haberent libertatem & independentiam ſuam tueri, præſtantia naturæ aut virtutis nullum ipſi jus tribueret eos ſibi ſubjiciendi. Qua de cauſa videmus Sacros Scriptores, fundamentum dominii Dei in hoc Univerſum ab illius excellentia non petere, ſed à creatione. Inter alios Davidem, dicentem: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum: congregans ſicut in utre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commo-*

veantur omnes inhabitantes orbem: quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt, *Psal.* XXXIII. Et Paulum, qui in eximia illa ad populum Atheniensem oratione, ait: *Deus, qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt; hic cœli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam & respirationem, & omnia,* &c. *Et ad tempora quidem ignorantiæ connivens Deus, nunc annunciat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, Act.* XVII.

CAPUT IV.

Dei jus non permittere ut præcipiat sui odium. Digressio adversus Joannem Szydlovium qui in ea est opinione.

HIs ita pertractatis disquirit Amyraldus, quousque illa quam Deus obtinet ἐξουσία extendi possit. *Potestas omnis,* inquit, *vel summa est, vel summa minor & quæ ex alia dependet. Et de minore quidem hic non agitur: in Deo, si usquam alibi, summam esse omnes consitentur. Summa autem potestas duobus modis dici potest, vel ἁπλῶς scilicet, vel κατά τι. Et ἁπλῶς quidem mihi nunc est summa potestas, cui omnia omnino licent indiscriminatim: adeo ut non modo omnia agere possit pro arbitratu quæcunque libent, sed etiam ut quæcunque agit bona sint, quia sic ei libent. Talem potestatem magnis regibus tribuebat olim Anaxarchus apud Plutarchum,* &c. *Et video nonnullos ab Anaxarcho non multum dissidere, cum Deo adscribunt, ut nullam actionum suarum causam habeat ipsius voluntatem antecedentem. Nam si legum à Deo nobis positarum nulla causa est in ipsa rerum natura, & in legibus ipsis: si, inquam, ex illius arbitrio mero pependerunt, & sunt (ut loquuntur) ex jure positivo; potuit ille certe alias non modo discrepantes, sed plane contrarias leges hominibus constituere. Sic si Deo libuisset nobis imperare ut ipsum odio acerrimo haberemus, Deum odio habere res fuisset futura pia & sancta. Quod usque adeo alienum à religione & ab ipsa natura abhorrens esse existimo, ut ad illius solam cogitationem animus cohorrescat. Absit ergo ut ullam potestatem Deo attribuamus, quæ sit isto modo summa. Nullis sane Dei potestas legibus circumscripta est, quas quisquam alius posuerit, nullis limitibus definita. At ipse sibi sua lex est, tantaque est in ejus Numine sanctitas, tantaque bonitas ac justitia, ut neque quidquam designare possit, quod non sit justum, neque vero quidquam quod sit ab omni parte justum, non designare.* Ad quæ nihil aliud habeo quod respondeam, nisi me ea omnia ut vere & pie dicta ex animo approbare. Utinam reliqua quæ in ista Dissertatione occurrunt ejusdem essent notæ: nihil opus fuisset ut adversus illam calamum stringerem. Addo tantum, hinc liquere, Amyraldum nobiscum in summa rei consentire. Leviculum enim profecto est quod inter nos superest dissidium: nimirum de robore argumenti quo Arminius suam de jure Dei opinionem defendit: quod neque Amyraldus, ut antea annotavi, falsitatis ausus est accusare, solummodo ut mancum aut improprium reprehendit. Proinde nullam satis justam & gravi Theologo dignam habuit causam, quæ ipsum ad istam concertationem movere debuerit. Nam si contra omnes suæ religionis Scriptores, qui sententias quas pro veris habet infirmioribus argumentis defendunt, ita ut in Arminium fecit disputare vellet; quantumvis diligens & promptus in scribendo sit, nullum ei ad professionis suæ munia tempus superesset. Consultius itaque fecisset multo, si pepercisset isti operæ, & otium suum melioribus curis impendisset. Satis est, proh dolor! inter Christianos, imo plus satis, magni ponderis controversiarum, in quibus suum acumen & industriam viri docti exerceant; quam ut de phraseos alicujus proprietate aut improprietate, nullo vel perexiguo cum fructu prolixe contendere ipsis libeat. Si Amyraldo sedebat animo aliquid de ista materia scribere, præstabat illam opinionem ex professo impugnare, quam hic obiter perstringit, & adeo alienam à religione & ab ipsa natura abhorrentem esse existimat, ut ad illius solam cogitationem animus cohorrescat. Quod procul dubio de Arminii sententia non est dicturus. Habebat *Joannem Szydlovium*, qui in *Vindiciis quæstionum aliquot difficilium & controversarum in Theologia,* ante biennium Franekeræ editis, illam tribus integris capitibus tractat: & poterat se in eo confutando virum ostendere. Melius istiusmodi opere de Ecclesia Christi meritus fuisset, quam suæ in nos dissertationis λογομαχίαις.

Ut autem Christianus lector specimen aliquod habeat illius Szydlovianæ opinionis, placet aliquot ex ejus opusculo commata hic ad verbum transcribere. *Quæritur,* inquit, *An detur aliquid antecedenter bonum ad voluntatem Dei: sive, An res sint adeo justæ & bonæ quia Deus eas vult, vel, an adeo eas velit quia justæ sint? Negatur dari aliquid antecedenter bonum ad voluntatem Dei, & affirmatur res ideo esse justas & bonas, quia eas Deus vult; non contra, ideo eas velle Deum quia justæ & bonæ sint.* Et aliquanto post: *Objiciet quispiam: Ergo sic Deus poterit imperare blasphemiam, perjurium, mendacium,* &c. *quod absurdum videtur. Resp. Etiam in illis quæ ad cultum Dei pertinent, nullo alio modo homines obligantur nisi ex præcepto & per legem. Si enim Deus voluisset, tum potuisset alium cultum vel modum cultus jubere sibi præstari. Itaque etiam ista quæ ad cultum suum pertinent, Deus liberrime præcepit, & quidem ita ut potuerit aliter præcepisse: ideoque ex hypothesi tantum mandati divini ista sunt vitia. Et videtur hic præsupponi, quasi mendacium & blasphemia afficiant Deum aliquo modo, quod prorsus falsum est. Certum igitur est Deum potuisse contrarium modum cultus sibi jubere præstari. Nam quæ semel libere præcepit, ea potuit aliter præcepisse. Atqui non posset secundum Adversarios, si ipsis hoc essentiale & naturale est. Naturalia enim sunt immutabilia, & semper*

 eodem

eodem modo se habent, cap. 8. Item, *Quæritur, An Deus possit præcipere contrarium ut omnibus præceptis Decalogi, ita potissimum primo, secundo & tertio? Quidam eximius Theologus rejicit affirmativam sententiam aliquot Scholasticorum, qui dicunt peccata contra Decalogum, ideo solum esse mala quia Deus ea prohibuit, adeoque posse Deum in omnibus Decalogi præceptis dispensare. Ego tamen fateor, non solum me nullam rationem firmam videre in Disputatione illa Cl. Viri, verum etiam in contrarium solidas rationes & principia posse produci, quibus sententia illius oppugnetur*, cap. 9. Rursus. *Objicitur, natura divina simpliciter repugnare ut seipsam abneget: ideoque ex vi propositionis hujus sequi, Deum non posse præcipere ut non colatur, nec invocetur, &c. Resp. Negamus consequentiam. Aliud enim est Deum seipsum abnegare, aliud Deum posse præcipere ut abnegetur. Nam prius Deum non posse facere quin evertat naturam suam, certum est: posterius vero potest facere.* Et inferius: *Fateor & ipse, quod ad communem sentiendi consuetudinem crudum nimis hoc videri; Deum posse blasphemiam, perjurium, mendacium, &c. imperare: item posse jubere ne colatur, ametur, honoretur, &c. quod tamen verissimum est in se, & ex quæstione nostra generali hoc speciale necessario sequitur, nec potest negari sine multorum absurdiorum admissione*, cap. 10. Pauca hæc è plurimis quibus libellus ille scatet, non tantum absurdis sed & blasphemis opinionibus, excerpere visum est, in exemplum doctrinæ qua Academiæ Franckeranæ pulpita personant: & ut ostendam quantas in Maccovio suo, (ibidem Theologiæ Professore, ex cujus institutione ista hausit Szydlovius) camelos deglutire potuerint Dordraceni Patres, qui adeo scrupulose vel minimos culices in Remonstrantibus percolarunt. Gratulor Academiæ Salmuriensi, quod ab ea ejusmodi portenta exsulent, & ut æternis oblivionis tenebris illic sepulta maneant Deum supplex oro. Sperare libet Amyraldum deinceps adversus illa ingenii & facundiæ suæ vires potius exserturum, quam in eos quibus nihil quod pietati & gloriæ divinæ ullo repugnet modo objicere potest. Interim ne excerpta ista sine omni prorsus animadversione rursus in lucem exeant; age paucis illa confutemus.

Triplex est actionum genus quod concipere possumus à Deo vel à creatura rationali proficisci: aliæ cum sanctitate naturæ divinæ conveniunt, aliæ ei repugnant, aliæ neque conveniunt neque repugnant. Primæ vocantur honestæ, secundæ turpes, tertiæ indifferentes. Singula ista genera rursus suos habent gradus, ratione quorum res sunt vel honestæ, vel honestiores, vel honestissimæ: vel turpes, vel turpiores, vel turpissimæ: & similiter vel minus, vel magis, vel maxime indifferentes. Ita honestum est amare uxorem & liberos, honestius amare parentes, honestissimum omnium amare Deum. Contra turpe est odisse uxorem aut liberos, turpius odisse parentes, turpissimum omnium odisse Deum. Indifferens vero precari Deum hac hora & loco vel alio: magis indifferens vestiri panno cæruleo vel viridi, vesci carne bubula aut vervecina: maxime omnium indifferens serere agrum suum frumento aut hordeo, sedere aut stare in opere suo faciendo. Honesta necessario Deus amat iisque delectatur, & tanto impensius quanto sunt honestiora. Libere tamen inter diversas eorum species versatur; ita ut pro arbitrio hæc potius quam illa vel faciat ipse, vel edicat creaturis suis ut faciant. Quin etiam abstinere potest ab omni præcepto externo de illis dando: sed quandocunque dare libet non potest ea vetare. Turpia contra necessario Deus odit & adversatur, & tanto vehementius quanto sunt turpiora. Itaque nunquam ea vel facere potest ipse vel creaturis suis præcipere ut faciant. Non tamen necessario interdicto aliquo externo prohibet: sed cum mandata aliqua creaturis præscribere vult, non potest illa jubere. Utrumque probatur ex eo quod Deus seipsum abnegare non potest, 2 *Tim.* II. 13. Abnegaret autem si vel ea prohiberet quæ cum sua natura conveniunt; vel juberet quæ ab illa abhorrent. Ridicula enim est Szydlovii exceptio, Deum non posse quidem seipsum abnegare, sed posse tamen præcipere ut abnegetur: cum id quod quis per alium facit, idem sit ac si ipsemet faciat. Indifferentia vero Deus pro arbitrio vel facit ipse, vel præcipit aut prohibet creaturis suis, & nullam in iis aliam legem sequitur quam voluntatem: nisi forte quatenus accedunt aliquomodo ad naturam vel honestorum vel turpium. Tunc enim præter voluntatis arbitrium, accedit etiam honestatis vel turpitudinis eis adhærentis consideratio. Hinc orta est distinctio juris divini in naturale & positivum; quorum illud versatur circa res natura sua honestas vel turpes, hoc vero circa indifferentes. Ex jure naturali profecta sunt Decalogi præcepta; excepto quarto, quod est à jure positivo. Quin autem Deus aliquos & ad tempus dispensare possit ab observatione præceptorum quæ juris sunt positivi, imo ea penitus abrogare ut nullam obligandi vim amplius habeant, non est dubium. Ita enim Israëlitas peregrinantes in deserto ab observanda circumcisione per quadraginta annos dispensavit, & eam postea cum reliquis Mosaicæ legis ceremoniis in totum abrogavit. Sed quæritur an divinæ sanctitati conveniat idem facere in iis quæ juris sunt naturalis. Ad quod respondeo; cum honestorum & turpium diversi sint gradus, Deum posse dispensare in infimo vel medio de iis quæ homini sunt turpia, sed non ipsi. Ita pro ea potestate quam habet in omnium creaturarum vitam, jussit Abrahamo ut sibi filium unigenitum Isaacum immolaret: quod erat quidem turpe Abrahamo sponte facere, sed non ad expressum Dei mandatum. Similiter tanquam absolutus omnium hujus Universi bonorum Dominus, præcepit Israëlitis spoliare Ægyptios, quod alioqui ipsis facere turpe fuisset, sed Deo donante honestum evadebat. Sed ejusmodi dispensatio

ſpenſatio nunquam eſt univerſalis aut perpetua: (ſic enim legis abrogationi æquipolleret:) nec poteſt locum habere in rebus in ſummo gradu honeſtis aut turpibus. Ex. gr. fieri nequit in æternum ut Deus cuiquam præcipiat odiſſe Deum, vel vetet ipſum amare, mandata ejus obſervare, & ſimilia. Nam præterquam quod natura ejus id non permittit, manifeſtam ejuſmodi præcepta involvunt contradictionem, fierique adeo non poteſt ut quiſquam ſe iis vel morigerum vel immorigerum exhibeat. Finge enim me Deo parere velle cum jubet ne ipſi obtemperem, parendo illi mandato ero inobediens, quia vetat ne ipſi obediam. Finge rurſus me Deo parere nolle cum præcipit ne ipſi obtemperem, ut non pareain ipſi obtemperabo. Et ſic quocunque me vertam, neque morigerum neque immorigerum erga ejuſmodi mandatum oſtendere me potero. At quis à Dei ſapientia alieniſſimum eſſe non videt, mandata quæ ſe ipſa evertant præſcribere?

His ita præſtructis non difficile erit ea quæ Szydlovius in contrarium affert refellere. Capite 8. quatuor habet rationes generales: quarum Prima eſt: *Si fluerent aliqua præcepta à natura Dei, tum voluntas Dei non eſſet prima regula juſtitiæ: At hoc abſurdum: quia voluntas Dei omnium rerum ad extra eſt regula.* Reſp. Nihil in eo eſſe abſurdi ut voluntas Dei non ſit prima juſtitiæ regula. Contra abſurdum eſſet ſi voluntas naturam non ſequeretur, ſed eam anteverteret. Natura enim Dei neceſſaria eſt & immutabilis, voluntas vero eſt libera, & ad diverſa antequam determinetur vertibilis. Neceſſaria autem ſunt priora contingentibus; & contingentia à neceſſariis pendent: non contra. Ergo in Deo etiam voluntas à natura pendet; præſertim in iis quæ cum ipſius ſanctitate conveniunt vel ab ea diſſident: in cæteris libertate ſua utitur. Quod autem ad confirmationem illius affertur, voluntatem Dei omnium rerum ad extra eſſe regulam, verum quidem eſt hoc ſenſu, quod voluntas divina à rebus externis non pendeat; ſed non quatenus conſideratur ut à natura contradiſtincta. Nam etiam hæc natura rerum ad extra eſt regula, & quidem voluntate prior.

Secunda: *Si aliquid eſſet juſtum & bonum antecedenter ad Dei voluntatem, tum Deus ex obligatione & officio illud velle & facere teneretur: At Deus nullo modo officio aut obligationi morali ſubeſt.* Reſp. Deum quidem nullo modo officio aut obligationi, ab alio ſuperiori ſibi impoſitis, ſubeſſe: ſed tamen ipſum ſibi eſſe legem, quia à naturæ ſuæ ſanctitate diſcedere non poteſt.

Tertia: *Si quid eſſet intrinſece juſtum & bonum ad beneplacitum Dei, tum neceſſario Dei beneplacitum regularetur ad illud volendum. At Dei beneplacitum eſt prima regula, quæ à nullo priori regulatur: alias enim Deus non eſſet juſtus & bonus infinite, ſi ad aliquod juſtum & bonum, beneplacitum Dei regularetur.* Reſp. Concedere me beneplacitum Dei primam eſſe regulam quæ à nullo priori regulam accipit, ſi reſpective ad creaturas id ſumatur. Illis enim beneplacitum Dei, ſumma omnium ſuarum actionum eſt lex. Sed falſum eſt, ſi oppoſite ad Dei naturam intelligatur, cum hæc ſit neceſſaria, ac proinde beneplacitum Dei quod liberum eſt antecedat. Et ratio addita inepta eſt, quod alias Deus non foret juſtus & bonus infinite, ſi ad aliquod juſtum & bonum, Dei beneplacitum regularetur. Nam illud juſtum & bonum cui beneplacitum Dei conformatur, eſt ſancta Dei natura, quæ infinita eſt. Deus vero non eſſet bonus & juſtus infinite, ſi juſtitia & bonitas ipſius ex beneplacito penderet. Quid ſi enim talis eſſe nollet?

Quarta: *Si ita res habet, tum ſequeretur dari bonum & juſtum, quod à primo ſummo bono & juſto non flueret: daretur enim effectus, qui in primam cauſam reſolvi non poſſet.* Nego conſequentiam. Etſi enim detur aliquod bonum & juſtum antecedenter ad Dei voluntatem, non tamen datur antecedenter ad ipſius naturam. Nihil enim eſt abſolute bonum & juſtum, niſi quod cum ſanctitate naturæ divinæ convenit, ab eaque pendet. Nullius quoque momenti eſt ratio qua illa probatur; quia alioqui daretur effectus qui in primam cauſam reſolvi non poſſet. Omnes enim effectus ſine exceptione in primam cauſam reſolvi debere nemo dixerit, niſi qui Deum non minus malorum quam bonorum auctorem facere volet. Deinde contrarium potius ſequitur, nimirum omnem effectum bonum & juſtum reſolvi in primam cauſam; quia reſolvitur in naturam Dei neceſſariam, quæ ipſius libero beneplacito prior eſt.

Quatuor iſtis rationibus Szydlovius ibidem adjungit quatuor principia, quibus opinionem ſuam tanquam firmæ baſi inniti putat.

Primum eſt: *Quæcunque Deus vult ad extra, ea liberrime vult, & quoad volitum & quoad volitionem ipſam. Nam ſicut ſe libere creaturis communicat, ita libere præcipit hominibus quicquid vult & quomodocunque vult, ita ut potuerit aliud quid præcipere. Jam autem quæ talia ſunt, ea juſta ſunt ideo quia Deus vult: alias enim non liberrime vellet.* Reſp. Deum quidem in omnibus quæ extra ſe vult vel agit, eſſe liberrimum quod ad ipſum volendi actum; ita ut pro arbitrio ea poſſit velle vel non velle, agere vel non agere. Quemadmodum enim libera voluntate τὸ εἶναι creaturis dedit, ita etiam libere verſatur circa illas in omnibus quæ vult vel non vult, agit vel non agit. Et hæc eſt libertas quæ dicitur à Scholaſticis contradictionis ſeu exercitii. Sed non eſt eodem modo liber quod ad rerum quas vult vel agit genus; ita ut honeſtas & turpes, æqualiter velle & agere poſſit: quæ libertas vocatur contrarietatis ſeu ſpecificationis actus. Etſi enim inter varia honeſta libere hæc potius quam illa poſſit præcipere, & inter diverſa turpia hæc potius quam illa prohibere; tamen in præcipiendo neceſſario intra genus honeſtorum ſe con-

continet, in prohibendo intra genus turpium. In indifferentibus tantum omnimodam libertatem habet, id est tam contrarietatis quam contradictionis: & verum est eorum bonitatem vel pravitatem à sola Dei voluntate pendere; id est bona esse fierique quia Deus illa jubet, mala vero quia vetat.

Secundum est: *Sequetur è contra, si Deus ad extra quædam vellet quia justa sunt, tum necessario se creaturis communicaret; quia ex natura sua obligaretur ad hoc ut ea præciperet hominibus, quæ natura ejus dictat esse justa. At Deus omni modo liberrime se ad extra communicat. Omne quidem bonum juxta Metaphysicos est sui communicativum: sed Canon hic procedit tantum de communicatione Dei ad intra, non vero ad extra.* Hoc principium à præcedenti re ipsa non differt; ac proinde novam responsionem non requirit. Ex dictis ergo apparet falsum esse, Deum omnimodo liberrime se ad extra communicare. Omnimodam enim libertatem, seu tam contrarietatis quam contradictionis non habet nisi in indifferentibus. Illa sola pro libitu præcipere vel prohibere potest. Sed quod ad honesta & turpia, quodammodo restricta est. Deus quidem non necessario jubet honesta vel vetat turpia. Potest enim à legibus ferendis abstinere. Sed si quando ferre ipsi placet, alia præcipere non potest quam honesta, aut alia prohibere quam turpia: alias sanctissimæ suæ naturæ adversaretur.

Tertium est: *Sequeretur etiam quod peccata aliqua committerentur in voluntatem & naturam Dei. Nam cum lex, secundum adversarios, nihil aliud sit quam expressio (ut sic dicam) naturæ Dei, tum nunquam poterit in legem peccari, quin peccetur in naturam & voluntatem Dei, quæ instar legis primitivæ erit ex adversariorum sententia. Et sic peccatum non esset ἀνομία, cum tamen in Scriptura per transgressionem legis describatur.* Resp. Ista duo, Peccatum esse ἀνομίαν, Et, illud in Dei voluntatem & naturam committi, non pugnare inter se, ita ut utrumque de eodem dici nequeat. Sunt potius subordinata & amica: cum lex aliud nihil sit quam voluntatis divinæ declaratio; voluntas autem cum natura convenire debeat. *Atqui*, objicit alibi Szydlovius, *transgressio voluntatis Dei nulla potest esse, Deus enim quicquid vult facit, nec fine suo unquam frustratur: secundum illud, Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, Esa.* XLVI. 10. Resp. Transgressionem in iis quæ Deus ipse vult facere locum habere posse nemo unquam somniavit. Talia autem sunt ea de quibus apud Prophetam loquitur. Sed voluntatem Dei præcipientem toties transgrediuntur homines quoties mandatis ejus immorigeros se præbent. At hæc non est proprie dicta Dei voluntas. Quid ita? Nonne Sacræ literæ eam sic passim appellant? Vide *Matth.* VII. v. 21. *Luc.* XII. 47. 1 *Thess.* IV. 3. 1. *Joan.* II. 17. & infinitis aliis locis. Spiritus autem Sancti phrasin sequi longe tutius esse, quam hominum errori obnoxiorum, nemo, ut opinor, negabit.

Pergit ibidem Szydlovius: *Et quid quæso esset contra naturam Dei, aut qua oppositione ipsi quidpiam opponeretur? An contradictorie? At hoc modo ipsi opponuntur non entia. An privative? At sic posita blasphemia tolleretur Deus, quia posita privatione tollitur habitus. An denique contrarie? At contrarietas est in qualitatibus tantum vel physicis, quod in Deo locum non habet; vel ethicis, cum virtuti opponuntur extrema, hoc est vitium in excessu vel defectu: quod similiter dici non potest. Unde Eliu Jobo dicebat:* Si peccaveris, quid ei (*Deo*) nocebis? Et, si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? *Job.* XXXV. 6. 7. *Deus enim sub nullo genere virtutis est, ut ipsi oppositione ethica vitium in excessu vel defectu opponi debeat: neque necessario habet sibi extrema opposita, sicut virtus habet. Itaque nullo modo quicquam Deo opponitur nec physice nec moraliter, sed tantum opponitur aliquid effectis Dei.* Quis non admiretur hic Carneadeum acumen? Subtile est profecto: at sicut textum araneæ, quod uno halitu difflari potest. Peto Szydlovi, An quia Deus sub nullo virtutis genere continetur, id est, accidens non est sicut virtus, vitium creaturæ non sit contrarium sanctitati ipsius essentiali? Si affirmes non esse, nonne pari ratione argumentari licebit? Cicero sub nullo genere virtutis est, & Catilina sub nullo genere vitii: uterque enim est substantia; virtus vero & vitium sunt qualitates. Ergo virtus Ciceronis & vitium Catilinæ non sunt contraria. Videsne igitur te oppositionis membra male collocasse, ut oppositio nulla esse videretur inter ea quæ summe contraria sunt? At Eliu docet, neque Deo nocere hominis malefacta, neque ei prodesse illius benefacta. Ita est: peccata neque physice neque ethice Deo nocent. Non physice, quia non sunt instar veneni quod substantiam ipsius corrumpere queat, aut aliquid à quo ipsius bonis & perfectæ beatitudini periculum immineat: neque ethice, quia non est verendum ne illorum contagio deterior fiat. Attamen tanta est inter peccata, quæ in rebus per se turpibus admittuntur, & sanctam Dei naturam repugnantia, ut ea præcipere non possit quin se abneget. Et licet hominis benefacta nullum Deo emolumentum afferant, tantus tamen est inter illa & virtutes divinas consensus, ut ea prohibere nequeat, quin simul sibi quoque adversetur. Unde colligo, non tantum effectis Dei aliquid opponi, ut vult Szydlovius, sed etiam ipsi Deo; quatenus nimirum sanctitati justitiæque divinæ opponitur; quæ adeo perfectissimæ ejus naturæ essentiales sunt, ut Deum illis carentem fingere contradictionem manifestam implicet.

Quartum & ultimum Szydlovii principium est: *Omnium bonarum & malarum actionum norma & regula est lex Dei. Nam nisi Deus revelasset nobis quid velit pro peccato haberi, tum nesciremus; neque peccaremus, quia non peccatur nisi contra legem, eamque*

quæ non ex naturæ necessitate sed liberrime à Deo latam. Tolle enim legem, & statim ponis indifferentiam actionum. Fateor legem Dei nobis esse normam & regulam omnium bonarum & malarum actionum: quia postquam lata est, secundum illam vitæ cursum dirigere tenemur, & cavere ne ab ea aut ad dextram aut ad sinistram deflectamus. Agnosco etiam nobis multa fore indifferentia si legem non haberemus, quæ jam talia non sunt, utpote ab illa definita. Sed nego homines nullius omnino peccati fore reos, si Deus quid velit pro peccato haberi expresse non revelasset. Iis enim qui legem scriptam non habent, illius loco sana ratio data est, quæ honesti & turpis discrimen doceret. Indeque factum est ut nullæ gentes, (paucis forte exceptis, quæ ita barbarie efferatæ erant, ut omnem humanitatis sensum exuisse viderentur) in dubium unquam revocarint Deum esse colendum, parentes honorandos, alteri non faciendum quod nobis fieri nolimus, & alia ejusmodi. Quod Paulus etiam testatur, dicens: *Quum gentes quæ legem non habent, natura quæ legis sunt faciant, isti legem non habentes, sibi ipsis sunt lex: ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, una testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam excusantibus, Rom.* II. 14. 15. Ergo natura duce non tantum agnoverunt quid esset honestum, quid turpe, sed etiam peccata esse pœna digna. Expressiusque idem indicatur sub primi capitis finem, ubi variis enormibus flagitiis, quæ Ethnici committebant, recensitis, concludit Apostolus; *Eos Dei jure agnito, quod qui talia faciunt digni sunt morte, non solum ea fecisse, sed etiam facientibus applausisse.* Attamen, dicet Szydlovius, alibi legitur; *Peccatum non imputatur non existente lege, Rom.* V. 13. Ita est: sed intelligendum de peccatis adversus ea, quæ natura non docet adeo esse honesta ut necessario sint facienda, vel adeo turpia ut necessario sint vitanda. In ejusmodi enim rebus, Deus pro ineffabili sua clementia connivere solet. Sed quod ad graviora scelera, contra manifestum rectæ rationis dictamen admissa, ea suis auctoribus ad pœnam imputari, apparet ex diluvio quo Deus veterem orbem delevit, ex conflagratione Sodomæ & Gomorræ, & totali populorum Cananitidis internecione; aliisque judiciis in eos exercitis qui nullam aliam præter naturæ legem habebant. Unde apparet quam falsum sit id quod dicit Szydlovius, Sublata lege statim actionum indifferentiam positum iri. Quamdiu enim superest in homine ratio, non possunt crimina pro indifferentibus haberi, quæ adversus ejus lumen ab eo perpetrantur. Sed si auferatur, ut ad tempus factum est Nabuchodonosori, peccare non potest; utpote brutis similis in quæ peccatum non cadit. Atque hæc breviter adversus Szydlovium disputata sint: quæ etiam confutandis iis sufficere possunt, quæ de eodem argumento scripsit Gulielmus Twissus, in sua responsione ad examen libelli Perkinsiani de Prædestinatione ab Arminio institutum, lib. I. part. 3. digress. I. Utrum Dei voluntas circumscribatur aut reguletur justitia. Nunc è diverticulo in viam redeamus.

CAPUT V.

Quid sit potestas summa ἀνυπεύθυνος, & quatenus ea Deo tribuenda.

POtestate ἁπλῶς seu absolute summa explicata, Amyraldus ad eam quæ secundum quid est accedens, dicit: *Potestas summa κατά τι, ea est quæ nihil aliud est quam ἀνυπευθυνία. Cui nempe non licet quidem quidquam facere quod sit injustum: nulla enim est tanta potestas cui id licere debeat: sed quæ tanta est tamen, ut si quidpiam tale faceret, neque de facto posset, neque de jure deberet in judicium vocari, ut actionum suarum rationem redderet, &c. Tale est jus parentum in liberos, quod duplici ista ratione considerari debet. Nam si id referas ad eas virtutes quæ bonos parentes in administratione suæ auctoritatis decent, debet illud certe ita æquitate, bonitate, clementia, indulgentia denique esse temperatum, ut earum limites pater nunquam transgrediatur. Si pater paterni officii oblitus quippiam adversus istas leges commiserit, haud egerit sane naturæ & virtuti congruenter. Verum si id jus referas ad ἀνυπευθυνίας considerationem, nemo dixerit etiamsi quid à patre secus actum sit, quam quod virtutibus istis convenit, confestim ex eo natam esse liberis facultatem de parente suo apud judicem expostulandi. Certe & apud Romanos, & apud Persas, & apud Celtas, parentes in liberos vitæ ac necis potestatem habuere. Itaque si filius in patrem vel leviter deliquisset, potuit pater delictum ipsa morte vindicare. l. in suis. digest. de liber. & posth. Cæsar. lib. 6. Comment. Fac tale quidpiam accidisse, & actionem istam cum legibus illis compara, quæ ab æquitate, bonitate & clementia sancita sunt, vindicatio erit immanis & truculenta. At conjice oculos in alteram illam σχέσιν, qua patria potestas ad ἀνυπευθυνίαν refertur, non erit cur liberi parentibus, à quibus usque adeo inclementer accepti sunt, legitime succenseant. Ille enim legitime succenset, qui per leges jus habet succensendi, &c. Talis quoque est potestas quæ munus comitatur, & summis Magistratibus competit, sive regimen sit democraticum, sive aristocraticum, sive denique monarchicum, &c. Esto igitur potestas (ut loquuntur) subalterna, quibusvis limitibus circumscripta, quos si transiliat, liceat cuivis privato ad superiorem provocare; saltem erit aliqua summa potestas, à qua provocare non licet ad alium, tametsi injuria te affecerit. Quamvis enim tanta non sit in ea virtus moralis, ut omnia ex æquo & bono administraverit, tanta tamen est ἐξουσία, ut malæ suæ administrationis rationem, neque tibi neque cuiquam alii præter unum Deum reddere teneatur. Neque aliter se res habet in potestate quæ à naturæ præstantia oritur, ut in primis manifestum est in illa quam homines usurpant in brutas animantes, quarum strages quotidie faciunt, &c. Hoc enim nobis naturæ præstantia à Deo indulta tribuit, ut reliqua animalia in nostros usus con-*

vertamus, etiam cum eorum pernicie. Et quamdiu nos continemus intra eos limites, qui sunt à temperantia & aliis virtutibus moralibus præscripti, nihil in eorum mactatione facimus quod ullo jure reprehendi possit. Verum fac me illis uti paulo intemperantius; fac etiam, si vis, me ad eorum mortem addere etiam aliquam carnificinam; fac denique me eorum cruciatibus immaniuscule delectari, quis est summus Magistratus, qui mihi ideo Prætorem dandum esse judicet, ut canis vel equus meus mecum jure contendat? &c. *Quod si in rebus creatis est aliqua potestas istiusmodi, quid de ipso Deo existimandum est, qui & magnitudine beneficiorum patres, & munerum dignitate (si munus istud appellari debet) reges, & naturæ præstantia homines & Angelos, & quidquid usquam est aut concipi potest creaturarum, omni genere ὑπεροχῆς tanto intervallo superat & antecellit?* Ad quæ respondeo, mihi nullum esse dubium quin inter homines detur ejusmodi ἀνυπεύθυνος potestas, quæ licet æqui rectique limites transiliat, à nemine tamen quam à solo Deo castigari legitime possit. Imo summus Magistratus, quicunque is sit, sive rex, sive optimates, sive populus, necessario illa armatus esse debet, ut pax in republica sarta tecta conservetur. Alioquin semper turbæ & motus metuendi erunt, quoties reperientur qui se à summa potestate læsos esse, cum aliqua veri specie ostendere poterunt. Tanta tamen non est illa ἀνυπευθυνία; ut si quis atrocem injuriam passus sit, conqueri ei non liceat. Neminique unquam in ejusmodi casu fraudi fuerunt querimoniæ, nisi forte sub immani aliqua tyrannide. Adeo ut ipse Tiberius, non admodum mitis ingenii princeps, convitiis appetitus subinde jactaret, *In civitate libera, linguam mentemque liberas esse debere:* ut refert Suetonius in ejus vita. Indeque est quod vulgo Galli dicunt, ei qui in judicio causa cecidit, licere tota illa die judicibus suis maledicere: quia nimirum putant non esse in potestate hominis qui gravi aliqua se affectum esse injuria credit, primos iræ motus ita compescere, quin frequenter in querelas & convicia erumpant. Itaque argutatur in verbis Amyraldus, cum dicit patriæ potestatis tantum olim fuisse ἀνυπευθυνίαν, ut liberi parentibus, à quibus inclementer essent accepti, *legitime* succensere non possent; *quia ille legitime succenseat qui per leges jus habet succensendi.* Quasi vero necesse sit ut quis juste de atroci injuria expostulare possit, leges diserte id jus ei tribuere, & non sufficiat si non adimant. Et sane omnes qui summam potestatem errori obnoxiam esse agnoscunt, jure nequeunt sub ullo ἀνυπευθυνίας prætextu, læsis ab illa conquerendi libertatem eripere: dummodo querelæ ipsorum ad seditionem non tendant, aut inde aliquod immineat reipublicæ periculum. Imo exemplis probare possem, si res tanti foret, inter gentes illas ubi patres in liberos, & domini in servos jus vitæ & necis habuerunt, vitio datum non fuisse aut liberis aut servis, quod intolerabilibus affecti injuriis, ad reges & summos Magistratus tanquam ad innocentiæ asylum aliquando confugerint. Sed nihil opus est id facere, cum posteriores leges, per quas priorum vitia emendari solent, jus illud quo quidam abutebantur in totum abrogarint; patresque in liberos crudeles puniri voluerint; eo quod *patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere*, l. 5. digest. de lege Pompeia de parricidiis. Et quod ad servos attinet, memorabilia sunt rescripti divi Antonini ad Ælium Martianum emissi, verba: *Dominorum quidem potestatem in servos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam jus suum detrahi: sed & dominorum interest, ne auxilium contra sævitiam vel famem, vel intolerabilem injuriam, denegetur iis qui juste deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Julii Sabini ad statuam confugerunt: &, si vel durius habitos quam æquum est, vel infami injuria affectos esse cognoveris; venire jube, ita ut in potestatem domini non revertantur. Quod si meæ constitutioni fraudem fecerit, sciat me hoc admissum severius exsecuturum*, Instit. lib. 1. tit. 8. Adde quod lex Mosaica, quam omnibus Ethnicorum constitutionibus æquiorem esse & juri naturali magis consentaneam, nemo Christianus negaverit, illimitatam istam patribus & dominis potestatem non concedit. Quin etiam etsi brutæ animantes homini ad pastum & alia ministeria datæ sint, tantam tamen in illas non habet potestatem ut sine causa aut modo eas cruciare ipsi liceat. Æquitas enim naturalis ab ejusmodi inclementia abhorret. Indeque est illud Salomonis: *Justus cognoscit animam jumenti sui, sed miserationes impiorum sunt crudeles*; *Prov.* XII. 10. ubi *cognoscit animam*, idem est ac curam gerit vitæ. Et quamcunque hic prætendant ἀνυπευθυνίαν, ea non impedit quo minus à brutis in quæ sæviunt, mordeantur, unguibus lacerentur, imo crudeli aliquando morte mulctentur. Ista autem eo non spectant, ut vel hominibus in pecudes, vel summis Magistratibus in subditos, ἀνυπεύθυνον suum jus ereptum eam: aut ut talem olim potestatem patres in liberos, & dominos in servos habuisse, vel etiamnum alicubi locorum habere negem. Nihil minus. Sed tantum ut ostendam huic ἀνυπευθύνῳ juri non repugnare, ut quis eo ad perniciem aliorum abutatur; imo cum summa injustitia posse consistere; ut exempla tyrannorum probant, qui neminem in terris se superiorem habuerunt, cui factorum suorum rationem reddere tenerentur. Ideo cum Deo tribuitur, diligenter attendendum est ut sanctissimæ ejus naturæ convenienter explicetur. Certum est creaturæ non licere adversus creatorem suum contendere, & ejus actiones ad calculos revocare; multo minus superbe & per contumaciam se ipsi opponere: quod non tantum frustra, sed etiam magno suo damno factura esset. Nemoque est qui vel tantillam bonitatis, sapientiæ & potentiæ illius notitiam habuerit, qui hoc unquam in dubium revocare ausus sit. Sed istud inde non oritur quod Deo ejusmodi illimita-

mitatum in creaturas jus competat, ut etiamsi inclementer & injuste eas tractaret, os ad expostulandum aperire ipsis fas non esset. Ita enim non multum supra atrocissimos tyrannos emineret. Verum quia compertum est illum nihil tale unquam fecisse, aut in posterum facturum, imo neque facere posse, nisi (quod omnium *ἀδυνάτων* est maximum) Deus esse desinat. Quare Dei *αὐθεντία* non est in pravarum actionum, quæ in ipsum non cadunt, patrocinium accersenda. Et cum de eo agitur, omnino inepta est ista suppositio: Si quid minus juste aut clementer faceret, illum tamen fore & mansurum in æternum *αὐθέντην*; ita ut ipsi vi resistere non liceret, aut etiam de injustitia vel crudelitate ejus conqueri. Metuendum enim non est ne quid unquam Deus contrarium justitiæ aut clementiæ suæ naturali immutabilique admittat. Tam id fieri impossibile est quam ut abneget seipsum. Fac tamen, quia ita vult Amyraldus, illum tale quippiam in me designare. Ego quidem in ejusmodi casu vim non opponerem: frustra enim esset mea imbecillitas adversus tam potentem inimicum. Nec ad alium superiorem provocarem: neminem enim talem agnoscerem qui mihi opitulari posset. Sed quamdiu vita superesset iniquitatem & inclementiam ejus accusarem. Nec enim possem ipsum habere pro illo bono, clemente & justo Deo, quem nobis ubique depingunt Sacræ literæ, & naturæ lumen esse docet, si contraria omnia in eo animadverterem: sed forte putarem esse aliquem cacodæmona à quo ita male exciperer. Non minus ergo profanum est istud supponere, quam id quod modo impugnabam, de Deo præcipiente ut ipsum odio prosequamur & mandatis ejus immorigeros nos præbeamus. Apage vesanas istas disputationes de rebus quæ nec sunt, nec fuerunt, nec in æternum, quamdiu Deus erit Deus, esse poterunt. *Stultas*, inquit Apostolus, *& ineruditas quæstiones rejice, sciens illas gignere pugnas. Servum autem Domini non oportet pugnare*, &c. 2 *Tim.* II. 23. Qua de re consule etiam *Tit.* III. 9. & 1. *Tim.* I. 4. una cum aurea Erasmi in istum locum annotatione.

CAPUT VI.

Dei in creaturas jus æquitatis limites non excedere.

JAm ad alia pergamus. *Est igitur videndum* (inquit Amyraldus) *quousque illa potestas, quæ est in Deo, progredi queat. Nam limitari eam debere, ut Arminius voluit, mensura beneficiorum quæ sunt ab ipso hominibus concessa, falsum esse jam liquet. Quod si nondum satis liqueret, posset tamen hoc argumento demonstrari. Fatetur Arminius Deo liberum esse & vitam, & quicquid ad τὸ εἶναι pertinet, creaturæ rationali adimere, etiam insonti, quia beneficia sua repeteret tantum, nihil faceret præterea. Quæro ergo, utrum illa beneficii repetitio sit ex justitia. Nam si ex justitia est, quandoquidem non sit peccati vindicandi causa (ponimus enim nullum esse peccatum, & de creatura innocente disputamus) omnino necesse est donationem bene & legitime factam rescindere nulla de causa, non esse injustum. Quod nemo unquam Jurisconsultus concesserit. Vult enim Jurisprudentia, donationes legitime factas ita ratas esse, ut postquam semel valuerunt, non sit amplius in donatoris potestate eas reddere invalidas. Quod enim initio liberæ voluntatis fuit (nemo enim juste cogitur ad donandum) postquam semel factum est, invictæ cujusdam atque indissolubilis necessitatis naturam induit. Atque id cum recta ratione consentaneum est. Nam in legitima donatione, haud minus, ac fere magis quam in ullo alio contractu, fit alienatio dominii. Id ergo cujus dominium per te in me translatum est, amplius tuum non est, sed meum. Quod autem meum est, non vero tuum, nullo jure à te reposci potest, nisi me consentiente*, &c. Quam solide probaverit Amyraldus falsum esse potestatem Dei in hominem insontem creationis beneficio inniti, antea visum est, nec necesse est repetere. Novum quo id ostendere vult argumentum non est majoris roboris. Etiamsi enim Arminius doceat licere Deo à creatura innocente sua repetere beneficia, nunquam tamen admiserit id eum sine causa facturum. Nam multæ aliæ istius rei, penes infinitam Dei sapientiam, possunt esse causæ, præter peccatum. Quod autem justa de causa fit, nemo injustum esse dixerit. Nec simpliciter etiam concedent Jurisconsulti, donationes bene & legitime factas nullo casu rescindi posse. Titulus solus Codicis, *de revocandis donationibus*, qui est 56. lib. 8. aperte contrarium docet. Ibi enim variæ illius rei causæ recensentur: qualis est liberorum supervenientia. l. 8. *Si unquam libertis patronus filios non habens, bona omnia vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, & postea susceperit liberos, totum quicquid largitus fuerat, revertatur in ejusdem donatoris arbitrio ac ditione.* Nec non ingratitudo aliæque, l. 10. *Generaliter sancimus omnes donationes lege confectas, firmas illibatasque manere, si non donationis acceptor ingratus circa donatorem inveniatur, ita ut injurias atroces in eum effundat, vel manus impias inferat, vel jacturæ molem ex insidiis suis ingerat, quæ non levem censum substantiæ donatoris imponat, vel vitæ periculum aliquod ei intulerit, vel quasdam conventiones, sive in scriptis donationi impositas, sive sine scriptis habitas, quas donationis acceptor spopondit, minime implere voluerit*, &c. Unde apparet in donationibus talem non fieri dominii alienationem, qualis est in venditione, permutatione, aliisve contractibus, ubi, nisi fraus intervenerit aut contra leges sint, nullus rescissioni locus datur. Non enim censetur donator ita absolute voluisse sua bona à se donando alienare; ut nullum plane jus in ea retineret, si qua ejus rei justa causa postea superveniret. Sed ista, dicet forte Amyraldus, aut in Deum non quadrant, aut ad rem non faciunt. Neque enim indigentia in Deo potest esse causa rescindendæ donationis: nec ulla in creatura insonte ingratitudo locum habet. Fateor, sed osten-

ostendunt tamen aliquando non esse injustum donationem legitime factam revocare : ideoque non debuisse ita simpliciter id affirmari. Jus vero quod Deo Arminius tribuit, beneficia in hominem collata reposcendi, non arcessivit ex ordinariis illis justitiæ sive distributivæ sive commutativæ legibus, quibus privati tenentur ; sed ex dominio absoluto quod tanquam creator in omnia à se condita habet. Illiusque tenuis quædam umbra conspicitur in Regibus aliisque summis magistratibus, qui cum volunt sine injuria à subditis repetunt dona, officia & privilegia quæ iis dederunt, modo à libera sua voluntate sint profecta, non ex contractu aut obligatione, fidemque suam ad nunquam repetendum non obstrinxerint. Nemo etiam privatum qui rem aliquam commodato alteri dedit, ea lege ut quandocunque libuerit reposcat, injustitiæ accusaverit si jure isto utatur. Tali autem sub conditione largitur Deus sua bona hominibus. Nunquam eorum dominium à se alienat. Usumfructum tantum concedit ad breve tempus. Unde illud poëtæ :

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.

Quando ergo ipsi videtur potest eam reposcere, absque ulla vel minima injustitiæ specie. Nec ad factum istud excusandum opus est advocare jus ἀνδίθυμον, quod licet ab æquo & recto discedat, læso tamen resistendi aut ad alium superiorem provocandi potestatem non relinquit.

Quare frustra Amyraldus ait : *Quid ergo? Non liceret Deo mundum in nihilum redigere, quemadmodum eum è nihilo eduxit? Non habebit Deus tantundem potestatis in mundum, quantum potestatis habet figulus in vasculum, quod è luto finxit & adornavit? Certe non tantundem duntaxat, sed multo plus. Sed quod id potest, id non provenit proprie ex eo quod τὸ εἶναι ei dedit, & quatenus ei dedit. Verum ex eo quod tanta est divini numinis ὑπεροχὴ, ut juri quod ex ea nascitur, nulla donatione, nulla conventione derogari possit.* Sed cur istud Dei jus donata auferendi, mavult referre ad ὑπεροχὴν, qua illius iniquitas velatur non tollitur, quam ad modum donationis, ubi manifesta justitiæ ratio apparet? Nam quin iniquum sit, saltem inter homines, pactis & conventis non stare, nullus dubitat. Sed forsan id Deo propter ὑπεροχὴν non est iniquum? Cur ergo Levitæ canunt Domino apud Nehemiam, *Tu implevisti verba tua, quoniam justus es? cap.* IX. *vers.* 8. Cur Apostolus dicit : *Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri, & laboriosæ charitatis? Hebr.* VI. 10. An jus ipsius ἀνδίθυμον, cujus beneficio promissa servare non tenetur, eis tunc in mentem non veniebat? An potius nullum tale agnoscebant? Verum jus istud *proprie* nititur ὑπεροχῇ divina. Imo contra, proprie creatione, & nonnisi valde improprie ὑπεροχῇ. Quod sic evinco : Illud est proprium juris divini in mundum & omnes quæ eo continentur creaturas fundamentum, quod est immediatum : improprium vero quod est mediatum : sicut oculus est proprium visus subjectum, animal vero improprium ; quia visus convenit illi immediate, huic vero tantum mediate quatenus oculos habet. Atqui creatio est immediatum fundamentum juris quod Deus habet in sua opera. Nisi enim illa condidisset nullum jus in illa haberet. Proinde si quod ipsi jus in illa competat propter ὑπεροχὴν, nonnisi mediante creatione competit, cum omnis Dei in res conditas ὑπεροχὴ ab ea oriatur.

Pergit Amyraldus : *Deinde si quid esset in creatura quod illi Deus non donasset, illud ipsum etiam tollere posset. Atque id exemplis manifestissimum esse non dubito. Siquidem & summi Magistratus hominibus vitam adimunt, quam non dederunt, & victores detrahunt victis quod nunquam antea possederunt ipsi. Utrumque autem fieri juste nemo negat. Neque hic mihi Arminianus aliquis regerat, alterum fieri ex maleficio, quod Magistratui jus acquirit in vitam rei : alterum ex victoria, quæ, ex jure Gentium, omnia quæ victi fuerunt ad victorem legitime transfert. Nam hoc saltem impetravero, posse esse aliquam causam justam atque legitimam, abstrahendi ab aliquo id quod possidet, diversam ab ea quæ ex donatione nasci putatur. Itaque errat Arminius, dum statuit jus Dei in homines nulla in re fundari posse præterquam in collatione beneficiorum. Potest enim illius juris alia quæpiam esse causa.* Ego vero ut ὕστερον πρότερον more Homerico respondeam, dico ipsum non tantum errare, verum etiam graviter peccare in eo, quod falsam Arminio sententiam affingit, ut inde speciosiorem illum traducendi occasionem arripere possit. Nullibi enim in scriptis Arminii invenit, Jus Dei in homines nulla in re fundari posse, præterquam in collatione beneficiorum. Triplex enim, ut supra vidimus, statuit illius juris fundamentum ; nempe, Beneficium creationis, Maleficium hominis seu peccatum, & contractum sive fœdus quod Deus cum homine pepigit. Nec id videtur ignorasse Amyraldus, cum Arminianum aliquem sibi regerentem introducit, maleficium jus acquirere Magistratui in vitam rei. In quo non fallitur, ut jam ad prius membrum accedam. Id enim excipient tum Arminius ipse, tum ejus discipuli : & non sponte tantum, sed etiam ultro ipsi largientur, posse esse aliquam causam justam atque legitimam, alicui id quod possidet eripiendi, diversam ab ea quæ ex donatione nascitur : ita ut non opus habeat id ab iis fidiculis extorquere. Eademque est ratio populorum qui ab hostibus suis justo bello devicti fuerunt. Considerantur enim hic ut rei, qui maleficio suo jus in vitam & facultates suas victoribus acquisiverunt.

Sed Amyraldus vult id à sola magistratuum & victorum ὑπεροχῇ proficisci, cum addit : *Deinde quæro cur maleficium jus acquirat Magistratui in ejus vitam qui male fecit? Nam id sane non acquiritur privato. Quum igitur Magistratus & privatus eo differant, quod alter est in ὑπεροχῇ constitutus, alter vero minime ; proclive est colligere acquiri jus illud Magistratui,*

gistratui, quia ὑπερέχει. Quidni igitur erit aliqua talis ὑπεροχὴ, quæ etiam citra maleficium jus acquirat tibi in id quod non dedisti? &c. *Denique id pariter manifestum est in victoria. Quod enim jure gentium constitutum est, ut bona victi ad victorem transeant, in eo nulla habita est ratio, bellum juste-ne susceptum sit initio, an non. Justa sit an injusta belli causa, perinde est ad acquisitionem dominii rerum ex victoria. Hoc unum ex constitutione illius juris consideratum est, quod qui vicit, tanta super victum ὑπεροχῇ potitus est, ut nihil antea victo fuerit suum, quod non juste & legitime victoris esse incipiat*, &c. Quod maleficium cuilibet privato jus non acquirit in vitam & bona rei, sed Magistratui tantum, id est jure gentium introductum ad ordinem in republica servandum. Illius enim interest ne res tanti ponderis tumultuario impetu geratur. Alioquin jure naturali, ὃς ἄρχων ἀνὴρ πᾶς, ξυνέσιν ἣν ἔχων τύχῃ. *Mente qui prudente pollet is Magistratum gerit*: ut Euripides ait Iphig. in Aulide. Et Plutarchus in vita Pelopidæ: ὁ γὰρ πρῶτος, ὡς ἔοικε, καὶ κυριώτατος νόμος, τῷ σώζεσθαι δεομένῳ τὸν σώζειν δυνάμενον ἄρχοντα κατὰ φύσιν ἀποδίδωσι. *Prima eademque antiquissima lex, eum qui servare potest ei qui salute opus habet naturaliter Magistratum designat.* Qua de re vide latius disserentem Hugonem Grotium, in præclaro illo opere *De jure belli & pacis*, lib. 2. cap. 20. n. 9. Itaque hinc non probatur eminentiam Magistratui potestatem dare aliquid per se injustum faciendi. Adeo ut παραδοξότατος mihi videatur illa ab Amyraldo inde deducta consequentia, Aliquam etiam esse talem ὑπεροχὴν, quæ citra maleficium mihi in id quod non dedi jus acquirat. Quasi vero quia privatus secundum leges nostras, nullum jus habet in corpus & facultates malefici, id Magistratus propter suam ὑπεροχὴν etiam in insontem obtineat. Sed errori errorem accumulat, cum jus quod victores habent in bona devictorum ex illorum maleficio, ad solam ὑπεροχὴν refert quam peperit eis victoria: perindeque esse putat ad acquisitionem dominii rerum ex victoria, justa sit an injusta belli causa. Ethnica enim & latrociniis favens est hæc doctrina, adeoque in Christiano homine, ne dicam Euangelii pacis ministro, plane pudenda. Imo ne Ethnici quidem ipsi ut justam & naturali æquitati consentaneam, sed solummodo ut utilem approbarunt: cum alioquin *omnibus populis qui florerent imperio, & Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si justi velint esse, hoc est si aliena restituant, ad casas foret redeundum, & in necessitate ac miseriis jacendum*: ut Carneades dicit apud Lactant. lib. 5. cap. 17. Nec hic mihi excipiat Amyraldus, se de jure αὐθεντίας loqui, à quo omnem prorsus iniquitatem exsulare non est necesse. Injustum enim bellum à latrocinio aut piratica non differt. Latronum autem & piratarum victoriæ, jus αὐθέντιον ipsis non pariunt. Julius Cæsar saltem id non credidit, qui (referente Plutarcho in ejus vita) piratis illis Cilicibus à quibus captivus detinebatur crucem minitabatur: in quam postea etiam ipsos egit. Neque unquam fando auditum est, victoriam adimere victo potestatem de victore conquerendi, aut potentioris opem adversus ipsum implorandi. Imo, quod amplius est, non impedit quominus victus, si quando suæ ei vires placere cœperint, victorem altero bello adoriatur, jugum excutiat & omnia sibi erepta bona recuperet. Solummodo id illicitum evadit postquam victi cum victoribus pepigerunt, illisque fidem suam obligarunt. Tunc enim à pactis, præsertim jurejurando ut fieri solet confirmatis, sine scelere discedere non possunt. Sed sola victoriæ ὑπεροχὴ nullum victori jus in victos parit.

CAPUT VII.

Respondetur ad argumenta ex Jobo & IX ad Roman. cap. petita, ad probandum Dei potestatem ad injusta usque extendi.

TAndem Amyraldus unum aut alterum, sed valde obtusum, è Scripturæ armamentario adversus Arminium telum depromit, inquiens: *At Deus ipse nos aliquid docet amplius. Nam Arminiani potestatem qua dedit adimendi tantummodo Deo concedunt quia putant esse justam: Deus vero ea sibi sumit quæ illi injusta arbitrantur. Id sic imus confirmatum. Jobus in gravissimas calamitates incidit, ut ex ejus historia notum est. Amici ut eum non tam consolarentur, quam hypocriseos in vita anteacta administratione insimularent, & ad pœnitentiam cohortarentur, hanc thesin defendendam susceperunt; Ex Dei justitia bonis bene esse, malis male: Itaque necesse esse ut malus antea fuerit, quandoquidem illi ex Dei providentia usque adeo male est. Hac ille præpostera consolatione incitatus, partim ira in eos, partim in Deum ipsum impatientia ita exarsit, ut & justitiam atque innocentiam suam deprædicaret magnificentissime, & Dei ipsius providentiam non obscure accusaret; quasi insuper habito discrimine bonorum & malorum, illos sæpenumero pessime acciperet præter meritum, hos non modo non puniret pro merito, sed omni genere bonorum circumfluere atque abundare pateretur. Litem istam qua ratione Deus ipse dirimit? Si idem de jure suo cum Arminio sensisset, putasset autem Jobum immunem esse à peccato, nihil proclivius erat quam ut uno verbo significaret, Jobum nihil quidquam habere quod ei ipse non indulsisset, quodque idcirco pariter eripere non posset. Id autem non facit*, &c. *At erat peccator ut reliqui homines. Rursus ergo, si Deus idem de jure suo cum Arminio sensisset, debuit amicorum Jobi thesin defendere; Jobum ipsum revincere peccati: quod illi promptum erat & expeditum. Sic justitiam suam vindicasset à calumniis, & istam Jobi in expostulando insolentiam facile compescuisset. Eam tamen respondendi rationem non sequitur: sed commemorata infinita sua tum potentia, tum sapientia, revelat immensam Majestatem*, &c. *Nimirum ut ostenderet, etsi verum foret esse aliquid à se injuste designatum in castigatione Jobi, & Jobum non errasse cum bonis male, malis bene esse pronunciavit, non debere tamen tantum*

sibi tribuere homines, ut divinæ providentiæ succenseant: eo quod habeat illa ἐξοχὴν, quæ creaturas ab ipso limine judicii summovet, ne audeant jure cum illa contendere. Sed (ut iterum à posteriore membro respondere incipiam) non debuit Deus Jobum peccati convincere. Habebat enim eum pro justo, ut apparet è præclaro illo quod initio libri ipsi perhibet testimonio; ita Satanam compellans: *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra; homo simplex & rectus, ac timens Deum & recedens à malo?* Nam quamvis adeo perfectus non esset, ut si Deus cum eo in judicium ingredi & summo jure agere voluisset, coram ipso subsistere posset; nullius tamen illorum scelerum erat reus, propter quæ Dei ira in contumaces exardescit. Infirmitatis vero lapsus, ut solet fidelibus, pro paterna sua bonitate & clementia jam ei gratis condonaverat: nullamque illorum in ea quam Jobo immisit afflictione rationem habuerat. Quod adeo clarum & perspicuum est ex toto historiæ contextu, ut mirum sit Amyraldum id non vidisse. Nec opus erat ut in memoriam Jobo revocaret lapsus illos, quos ipse ultro agnoscebat & confitebatur. Nam quod tantopere innocentiam suam deprædicabat, id non faciebat quod se plane à peccato immunem esse existimaret; sed ideo tantum quod justiorem se esse sciret multis aliis, quos videbat prospere agere dum eum Deus ita dure tractabat. Ejus rei causam cum ignoraret, & doloris impatientia abreptus interdum de Dei providentia conquereretur, institutione opus habebat, ut in Dei æqua gubernatione lubens acquiesceret; non vero ut Deus eum argueret scelerum quorum purus erat, vel admoneret leviorum lapsuum, quos deplorabat ipse & Deus jam ei ignoverat. Huic fini nihil magis apposite afferre poterat Deus quam inscrutabilem illam sapientiam, quam cum infinita potentia in rerum omnium prima creatione exseruit, & continue adhuc in earundem gubernatione exserit. Inde enim colligere promptum erat, non sine gravissimis causis Jobum ab illo ita afflictum fuisse, etsi eæ nondum paterent. Ideoque Jobus statim atque hæc Dei sapientia ei ex Dei ipsius sermonibus & revelatione innotuit, illi se cum omni animi demissione subjecit. Posteaque Sole clarius apparuit Deum in Jobo crimina quibus vacabat non vindicasse, sed illam ei momentaneam respectu secuturæ felicitatis crucem immisisse, ad probandum atque in lucem protrahendum ejus fidem & patientiam, eaque ratione Satanæ calumnias refellendum, ipsumque Jobum in virtutis & divinæ liberationis exemplum futuris sæculis proponendum. Quod etiam ex Jacobi verbis discimus: *Tolerantiam Jobi audivistis, & finem Domini vidistis. Nam abundat intima misericordia Dominus & est miserator, Jacob.* v. 11. Nunc ut de priore membro verbum etiam dicam: Non erat ad rem ut Deus gubernationis suæ æquitatem hac ratione defenderet, quod nihil Jobo abstulisset quod antea ei non dedisset. Siquidem id non tam fecerat jure Dominii absoluti quod habet in omnia (quanquam illud etiam ea in re conspiciebatur, horsumque potentiæ & majestatis suæ commemoratio tendebat) quam ob modo dictas causas, quas ei sapientia hominibus impervestigabilis suggesserat. Neque opus etiam erat, ut Deus argumento illo uteretur ad providentiæ suæ justitiam asserendum; quandoquidem id non latebat Jobum, qui ereptis sibi bonis omnibus, Deum illud sine cujusquam injuria facere potuisse ultro agnoverat, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum, cap.* 1. *vers.* 21. Unde videre est Jobum in isto de jure Dei articulo idem cum Arminio sensisse, vel potius Arminium suam ea de re sententiam ex Jobo hausisse; ita ut qui in illa sunt multo rectius Jobiani quam Arminiani vocari possint.

Sed pergit Amyraldus: *Hoc igitur ex ista Jobi historia colligimus: licere Deo si vellet, ab illo jure quod positum est ἐν τῇ ἀνυπευθυνίᾳ, ea facere quæ ab Arminianis injusta esse judicantur. Id autem quantum sit, nemo non videt. Etsi enim non negamus injusta alia aliis injustiora esse, neque putamus cum Stoicis omnia peccata esse paria, hoc tamen volumus, eam esse naturam numinis, ut sive statuas ei licere, sive dicas ei non licere facere injusta, perinde id pronunciare possis de iis quæ magis & de iis quæ minus injusta esse à nobis existimantur. Si, inquam, Deus nullam potestatem habet, quæcunque tandem illa sit, faciendi ea quæ injusta esse putantur, tam illi prohibitum erit quod minus, quam quod magis injustum esse perhibetur. Contra, si pollet aliqua potestate, quæcunque tandem illa sit, faciendi quod vel leviter injustum est, non potest ullo ea niti fundamento, quod non pariter porrigatur usque ad ea quæ memorabilem in modum injusta esse putantur. Causa enim certe illius erit in Majestatis eminentia immensa; quæ, quia immensa est, præstabit ex æquo ut quæ minus & quæ magis injusta sunt facere possit ἀνυπευθύνως. Statue igitur quamlibet injustitiæ magnitudinem in eo quod creatura insons additur cruciatibus æternis, attamen id si Deus faciat, Majestatis quæ in ipso est magnitudo, actionem ab omni reprehensione aut coërcitione vindicabit.* Ubi primum notet Lector callidam phrasin, Se ex hac Jobi historia colligere, Deo licere facere ea quæ ab Arminianis injusta esse judicantur: cum potius dicere debuisset, ea Deo esse licita quæ ipsemet Amyraldus revera injusta esse credit. Quod etiam postea non obscure significat, cum in prima persona dicit, *Ea quæ à nobis injusta esse existimantur*; & absolute, *Ea quæ magis & ea quæ minus injusta sunt.* Sed invidiam horrendi, & omnibus piis merito abominandi, dogmatis, quod Deo justissimo injusta facere liceat, hac loquendi ratione à se in illos rejicere voluit. Quod quam candide ab eo sit factum alii judicent. Alioquin si illi quos ubique Arminianos per contumeliam vocat, (quasi Arminium non Christum pro unico suo Doctore & Magistro agnoscerent) quædam immerito injustitiæ accusarent quæ revera justa essent & divinæ æquitati

tati consentanea; cur non illorum errorem redarguit? Sed tantum abest ut illi vel minimam injustitiæ speciem in Jobi probatione esse putent, ut contra æquissimam, & ab admiranda plane sapientia profectam, aperto ore prædicent. Præterea cum ex Jobi historia colligit, licere Deo injusta facere, si vellet; non omne id concludit quod fuit in præmissis, sed versute præcipuam partem omittit. Debebat enim non solum istud colligere, Deo licere si vellet ea facere quæ injusta sunt, sed etiam interdum illa facere; ut in Jobi exemplo apparuit, quem Deus, secundum Amyraldi opinionem, minus benigne minusque juste quam conveniebat tractavit: quia neque ipsum ob peccata afflixit; neque ex creatione habebat potestatem bona ipsi donata repetendi; sed tantum ex quadam αὐθαδείας, quæ licet revera injusta sit, à nemine tamen in ordinem cogi potest. Qui autem id quod vel tantillum injustum est potest admittere, etiam id quod magis est poterit, ut Amyraldus non male colligit. Unde quid sequatur vel cæco perspicuum est: nimirum Deum Opt. Max. (horresco referens) & posse facere & re ipsa facere id quod omnium iniquissimum & injustissimum est. Quid vero illud sit ex sequentibus liquebit: videlicet multo maximam generis humani partem, quantumvis ad imaginem suam conditam, ex solo beneplacito, absque ullo peccati tanquam causæ moventis intuitu, ad cruciatus non tantum duratione æternos, sed etiam magnitudine immensos destinare. Postoaque rem ita administrare, ut miseri illi, qui immerentes ad tam horrendum supplicium sunt destinati, in peccatum certo & infallibiliter incidant; quo tandem cum aliquo justitiæ prætextu decretum illud possit exsequi. Quod si crudele & injustum non est, nihil omnino tale dari potest. Ita Amyraldus fundamenta hic jacit decreti illius absoluti reprobationis, quod antea quibusdam visus est voluisse evertere.

Eodemque tendunt quæ addit: *Atque id nonnullis Apostolus significare velle videtur cap.* IX. *Epistola ad Romanos, in celebri comparatione figuli cum Deo, luti cum hominibus. Scio equidem rem eo loco sic accipi posse, ut habeatur ratio non primitivæ creationis, in qua natura humana educta fuit è nihilo, immunis ab omni peccato, sed secundariæ, qua quisque quotidie procreatur ex massa generis humani corrupta. At illi tamen non carent argumentis, quibus suam sententiam tueantur. Etenim ista verba*, Tu quis es, ô homo, qui Deo responsas ex adverso? *perspicue indicant institui ab Apostolo comparationem inter Deum & hominem, respectu τῆς ὑπεροχῆς, ut si quid est in eo quod Apostolus eo loco dicit, in quo diritas aliqua atque inclementia ex parte Dei esse videatur, id tegatur atque obruatur illa eminentia atque Majestatis magnitudine, qua Deus super homines excellit. Quod non videtur fuisse magnopere necessarium, si nihil aliud Apostolus spectavit præter massam generis humani corruptam, ex qua quotidie singuli homines educuntur. Quid enim opus erat præfatione illa ad rei invidiam emolliendam, si hoc tantum Apostolus dicere voluit, ex massa generis humani corrupta, licuisse Deo homines nonnullos fingere ad dedecus & ignominiam æternam? Id enim sane facere potuit ex ordine justitiæ, adeo ut nihil necesse fuerit summum illud jus & illimitatum, quod est in Majestate fundatum, obtendere. Verba autem quæ sequuntur*, Quod si Deus iram ostendere volens, *&c. continent argumentum à minori ad majus. Nempe, si id quod minus Deo licere videtur, ut pro jure absoluto homines addicat cruciatibus æternis, etiam seposita consideratione peccati, quanto magis ei licuerit homines corruptos ita in corruptione sua deserere, ut tametsi eos summa patientia toleret, summaque benignitate invitet ad pœnitentiam, vocatione tamen interna & efficaci non dignetur? Quæ ratiocinatio nullam exceptionem, nullam responsionem admittit. Quid ergo? inquies, Affirmavit-ne Apostolus Deum ita primitivam illam creationem instituisse, ut citra peccati considerationem, multos homines efficere voluerit vasa ad æternum dedecus comparata? Nihil minus. hoc tantum affirmavit, quod Deus non fecit, quod à se impetrare non potuit ut facere vellet, (probibet enim infinita bonitas) id illi facere licuisse ex summo jure, si voluisset. Tantum igitur abesse, ut hominibus ideo liceat summo Deo succensere, quod corruptos & ex omni parte commaculatos eos in peccato deseruit, ex quo exitium infallibiliter secutum est, ut ne biscere quidem aut quiritari deberent, si eos integros & incorruptos æternis cruciatibus mancipasset; tanta est ejus supra genus humanum dignitatis immensitas. Id autem ipsum est quod hac disputatione demonstrare tento. Verum, esto: sit locus iste de massa hominum corrupta interpretandus.* Ubi primum quæro ex Amyraldo, utrum argumenta quæ affert, ad probandum Paulum IX *Epist. ad Rom. cap.* non agere de homine condito & in peccatum jam lapso, sed adhuc condendo, alicujus roboris esse existimet, nec-ne? Si affirmat; cur sententiam illam non amplectitur? Cur-ve tantopere laborat in *Defensione doctrinæ Calvini*, ut ostendat Calvinum in ea non fuisse? Nam veræ sententiæ adhærere laudem meretur, repudiare vero res est vituperio digna. Si neget; cur fucum vult facere Lectori, rationibus quæ præter inanem veri speciem nihil habent? Credidit-ne illa argumenta ad convincendos Remonstrantes fore idonea, quibus ipse motus non est? Mirum sane id foret. Sed habeat se hæc res prout volet; locum istum pro absoluto reprobationis decreto nihil facere, copiose satis demonstravit Arminius, in Examine thesium Gomari, ad Thes. 26. & alibi & multo adhuc copiosius Episcopius in Paraphrasi & Observationibus in 8, 9, 10. & 11. *cap. Epist. ad Roman.* quem consulant qui accuratam horum capitum, qua materiam prædestinationis tangunt, expositionem habere desiderant. Verbo itaque tantum respondebo, ne actum iterum agere velle videar. Nullum esse in comparatione figuli & massæ reprobationi absolutæ præsidium, sive homo illi objiciatur ut condendus, sive ut jam in Adamo lapsus, apparet ex eo quod Paulus hic disputet adversus Judæos: utraque autem

opinio

opinio ad eos revincendos plane sit inutilis, imo αὐτοκατάκριτος. Fac enim illum docere, Deum cum vellet homines creare, vel cum eos consideraret ut peccato originali inquinatos, pro beneplacito suo quosdam ex illis elegisse ad salutem, quosdam vero destinasse ad exitium: Judæis promptum erat respondere: Sit ita ut dicis Paule; non sequitur inde nos esse reprobos, te vero una cum illis qui Jesum Nazarenum colunt electos: sed contrarium potius. Nos enim sumus posteri Abrahami, cum quo Deus æternum fœdus pepigit, & legem quam per Mosem nobis dedit studiose observamus. Vos autem maximam partem extranei estis, & ex maledictis gentibus oriundi: & quod amplius est, aut à lege Mosaica descivistis, aut saltem eam non servatis; & utrique, seductori adhæretis. Vel fac, si vis, Apostolum docere in hoc capite, Deum ab æterno quosdam pro singulari suo amore ad fidem elegisse, illosque esse qui ex ejus gratia Euangelio credant, ideoque populus Dei sint; quosdam vero exclusisse à dono fidei, illosque esse qui Euangelium repudient, & propterea à Deo etiam rejiciantur ne sint ipsius populus: Judæi statim illi respondissent: Falsum est Deum quosdam elegisse ad fidem habendam Euangelio, quod pestiferam doctrinam & legi ipsius adversam continet. Ideoque absurdum est existimare; ipsum in populum velle adoptare eos qui illi credant, rejicere vero qui credere detrectent; cum potius contrarium sit facturus. Sed aliter quæstionem constitue; Nimirum Apostolum disputare adversus Judæos, ut ostendat verbum promissionis Abrahamo factæ non excidisse, & nullam in Deo esse injustitiam, etiamsi pro populo suo nolit amplius habere Judæos, qui Euangelio quod Deus ipsis per Apostolos annunciari curabat credere recusabant; sed illos tantum qui illi credebant, sive Gentiles essent sive Judæi. Idque ea de causa, quia carnali Abrahami posteritati non ita se devinxerat Deus, ut pro ejus semine agnoscere teneretur omnes ab illo secundum carnem oriundos, (ut jam olim declaravit, cum Ismaëlem & Esavum ex illo numero exclusit:) nec etiam se ita umbratico illi cultui per ministerium Mosis instituto alligaverat, ut non posset alium meliorem perfectioremque præscribere: sed liberum sibi reservaverat ad fœdus suum vocare Gentiles, & in filios adoptare eos, dummodo conditiones illius amplecterentur; ab eo vero excludere Judæos incredulos. Tunc omnia bene fluent, & apparebit quomodo hæc verba, *O homo quis tu es*, &c. *Annon habet potestatem figulus*, &c. faciant ad thesin Apostoli probandam, & Judæos confutandos. Cum enim doceret Deum misereri quorum vult: id est gratiose ad salutem per Euangelium vocare tam Gentiles quam Judæos, & credentes illi pro suo populo agnoscere; contra vero indurare & ad pœnam reservare quos vult, id est incredulos, & qui Euangelio obnitebantur: & Judæi isti doctrinæ proterve ogganirent, dicentes: Si Deo statutum est nos indurare, & tandem ob incredulitatem punire, ut tu dicis, Deus nullam de nobis conquerendi justam habet causam quod non credamus: ipso enim fortiores non sumus, ut voluntati ipsius possimus resistere: Apostolus istius objectionis indignitate offensus, graviter tam protervos responsatores objurgat; ostenditque non convenire ut homines quales erant, id est non solum infirmæ creaturæ, sed etiam plurimis peccatis inquinatæ, quibus Dei in se iram provocaverant, ita arroganter erga Deum se gerant; quasi factorum rationem ab eo reposcere vellent: perinde enim id esse ac si argilla adversus figulum insurgeret, & conquereretur quod ex ea hoc potius vasis genus quam illud fingeret. Non ergo considerat hic hominem ut condendum, aut in Adamo lapsum, sed Judæos quales tunc temporis erant, moribus corruptissimis, & commeritos ut Deus eos severissime tractaret: plane eodem modo quo apud *Jeremiam cap.* 18. illa comparatio usurpatur: ad quem locum videtur hic Paulus alludere. Ita ut absurdum sit Amyraldi commentum, volentis hæc verba, O homo tu quis es, &c. esse præfationem à Paulo adhibitam, ad emolliendam responsi quo usurus erat invidiam. Quasi vero cum solidi nihil haberet, quo responsantium Judæorum os obturaret, consultum duxerit eos objurgare, ne deinceps sibi molestiam facesserent: qui mos est hodie multorum, cum objectionibus premuntur ex quibus extricare se non possunt. Absit ut tam indignum agendi modum eximio isti Christi servo tribuamus! Sed quid attinebat mentionem injicere juris illius absoluti, quo Deus uti non vult, insontes creaturas æternum cruciandi; cum sciret Judæos tantopere inde offensum iri? Nam quid facit id ad argumentum quod tractabat, Deum postquam diu multa lenitate incredulos pertulit, tandem in illorum justa punitione potentiam suam demonstrare velle? Ego sane id capere nequeo.

CAPUT VIII.

Respondetur aliis objectionibus, quibus jus iniqua faciendi Deo competere probat Amyraldus.

MErito ergo de hujus rationis soliditate diffisus est Amyraldus: ideoque subdidit: *Suppetunt tamen aliunde nobis ad eandem rem argumenta. Primum enim, cum duo sint mali genera, unum physicum, alterum vero morale; mali moralis certe causa propria nulla esse potest, quæ ipsa mala non sit moraliter. Itaque ne ex illo quidem jure, quod summum hactenus & illimitatum appellavimus, Deus potest creaturam innocentem & immunem à peccato, peccato inquinare. Constituimus enim jus illud præsertim in eminentia quadam & præcellentia naturæ ac virtutum; quæ nulla talis esset in Deo, si peccato ullo modo delectari posset. At mali physici*

fici diversa ratio est. Posse enim illud irrogari à causa, quæ neque moraliter mala est, neque talis propterea evadit, manifestum est & ex pœnis judicialibus, & ex operationibus Chirurgicis, & ex sexcentis similibus rebus. Ubicunque enim est idonea & quam juste vituperare nequeas causa mali physici irrogandi, irrogari sane potest inculpate. Fac ergo, quod res est, in creatura innocente nullam esse causam cur æternis cruciatibus addicatur, causam, inquam, quæ referatur ad eam virtutem quæ vocatur justitia, si tamen Deus id faciendi rationem aliquam habeat, à peccato diversam, quidni illi facere licebit? At nulla causa idonea talis esse potest extra peccatum. Certe, quæ in ipsa creatura hæreat. Verum, si nulla talis causa in creatura hæret, sequitur-ne nullam aliam alibi esse posse? Et potest esse aliqua in Dei voluntate quæ nos lateat, & illa etiam satis per se manifesta, ut suam scilicet patefaciat ἐξοχὴν, non modo supra sortem, sed & supra captum omnium creaturarum eminentem. Laudo Amyraldum quod omnem mali moralis efficientiam à Deo removet: nec dubito quin id sincere & ex animo faciat. Sed velim tamen illum diligentius cavere quam hactenus fecit, ne quid sibi per imprudentiam excidat, unde id bona consequentia deduci possit. Quale mihi videtur esse, quod in tractatu de Prædestinatione, *cap.* VI. dicit: *Deum ita permittere mala, ut eorum eventus prorsus sit indubius, eo quod omnia ad eorum productionem necessaria, quæ à manu sua pendere possunt, efficaciter providentia sua administrat,* &c. Ubi animadverto quidem limitationem aliquam, sub qua forte latere sperat, in illis verbis, *quæ à manu sua pendere possunt.* Sed suspectæ mihi omnino sunt, & veneno non carere videntur suspensæ illæ locutiones; primo, *Deum ita permittere mala, ut eorum eventus prorsus sit indubius.* Qualis enim est, quæso, hæc permissio quæ facit ut indubium sit mala eventura? Et, si Deus alio ea modo permitteret, dubium-ne esset ipsi, an evenire deberent? Quam vereor ne peculiaris iste permittendi modus, à quo certitudo eventus pendet, in efficientiam aliquam tandem resolvatur! Secundo, *Deum omnia ad malorum productionem necessaria efficaciter providentia sua administrare.* Nam si per istam providentiæ efficaciam peccatum redditur homini inevitabile, non capio quomodo Deus ab illo immunis esse queat. Optarem etiam ut declararet, quomodo præsente illo cognitionis divinæ lumine in Adami intellectu, quo voluntatem ad obedientiam necessario determinari putat, fieri potuerit ut peccaret: item qua ratione originalis labes ab Adamo in posteros ejus derivetur; an sit proprie dictum peccatum; &, an ex illa necessario promanent peccata quæ committimus, ita ut ab iis abstinere omnino nobis sit ἀδύνατον. Forte ex responsionibus illius appareret, an adeo ab hac blasphemia alienus sit atque se haberi cupit. Quod ad malum physicum, extra controversiam est id aliquando ab eo qui bonus sit sine vitio inferri posse. Sed ut illud quod duratione est æternum & magnitudine immensum creaturæ innocenti irrogetur, justitiæ è diametro repugnat, & tum demum cum illa conciliabit Amyraldus, cum lucem tenebras, & tenebras esse lucem ostenderit. At etiamsi, inquit, nulla ejus rei causa sit in creatura, extra esse potest in voluntate Dei, nimirum ut suam patefaciat ἐξοχὴν. Verum ut supra diximus, & ipse quoque visus est approbare, voluntas Dei nequit efficere, ut id quod natura sua injustum est, justum evadat. Et quis crediderit Deum, qui tot modos in manu habet quibus suam super creaturas eminentiam patefaciat, posse unquam isto uti velle à quo ipsius benignitas & justitia tantopere abhorrent?

Deinde; pergit ille, *si ulla causa est quæ prohibeat, quominus Deus id facere possit, illa certe ex ejus justitia vel bonitate petenda est. Et bonitatis quidem usus quam justitiæ multo liberior est. Versatur enim bonitas vel circa objectum constituendum, vel circa objectum jam constitutum, & certo quodam modo affectum. Ubi versatur circa objectum nondum constitutum, ejus usus est longe liberrimus, adeo ut ab eo abstinere, prorsus Deo liberum sit atque solutum. Nam si, ex. gr. Deus decrevisset mundum non creare, id illi vitio verti nequiret. Ubi versatur circa objectum jam constitutum & bene affectum, ut est creatura innocens, non potest quidem a se impetrare quin illi benefaciat: at id non inde provenit, quod sit inter Deum & creaturam commune aliquod jus, cujus observandi causa benefacere teneatur. Si benefaciat, quemadmodum una sua proclivitate ad benignitatem eo impellitur, sic etiam creatura beneficium uni illi benignitati acceptum ferre debet.* Resp. Imo est jus aliquod commune inter Deum & creaturam; idque ex duplici fundamento, uno creationis, altero fœderis quod cum ipsa iniit. Creationem aliquod homini apud Deum jus parere patet ex modo illius; videlicet quod ipsum creaverit ad imaginem suam. Non tenebatur quidem ulla naturæ suæ lege eum creare, vel talem creare, sed quod fecit ex mera & prorsus indebita benignitate fecit. At postquam eum ad imaginem suam creavit, postulat æquitas ut convenienter tractet tam excellenti statui in quo ipsum collocare voluit: quemadmodum parentes erga liberos gerere se debere natura docet. Nam per creationem ad imaginem Dei, & animam rationalem atque immortalem, quæ est divinæ particula auræ, homines sunt Deo instar filiorum. Nec etiam puto esse absurdum commune aliquod jus inter animantia bruta & Deum statuere. Nam voluptatis & doloris sensus quo ea prædita esse voluit, quodammodo videtur limitare Dei in illa potestatem, quæ alias esset ab omni parte infinita, ut in res inanimes sensusque expertes, quæ quocunque modo tractentur nec injuria nec ullo malo affici possunt. Quare ab æquitate & benignitate sua non posset impetrare, ut æterno & immenso doloris sensu bruta cruciaret. Imo nec id permitteret jus quod in illa creatione sibi acquisivit, ut malum iis rependeret infinitis partibus

majus quam esset bonum quod dedisset: quo fieret ut longe illis præstaret nunquam fuisse quam in tali miseria perdurare. Fœdus etiam quod Deus pepigit cum homine, facit ut commune aliquod inter se jus habeant. Nam omnis contractus, quantumvis inter partes valde inæquales, alteri in alteram jus parit. Atqui statim à creatione fœderatio inter Deum & hominem videtur intercessisse. Hucque solet trahi quod Deus apud *Oseam* dicit, *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum*, *cap.* VI. *v.* 7. Præterea legislatio ad fœderis naturam accedit. Et quicunque leges alteri præscribit, etsi nullis promissis sed minis tantummodo eas sanciat, tacite tamen se ad eum si pareat, benevolentia & favore prosequendum devincit: quin etiam ad efficiendum ne per se stet quominus leges illæ observari possint. Indeque est quod Deus non recusat ab hominibus judicari. *Venite & arguite me, dicit Dominus Esa.* I. *v.* 18. Item, *Habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci ei? Esa.* V. *v.* 3. 4. Et Judæis qui de ipso conquerebantur, & dicebant, *Non est æqua via Domini*: non proponit ἀνυπεύθυνον suam potestatem, per quam licet ipsi quicquid libet: sed respondet, *Numquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ pravæ sunt? Ezech.* XVIII. 25.

Postea ut justitiam quoque id non impedire ostendat, sic disserit: *Justitia vero non versatur nisi circa objectum jam constitutum, & quod est aliquo modo comparatum. Porro objectum vel bene vel male comparatum est; & alterum pœnam, alterum remunerationem aliquam postulare videtur. Id faciunt tamen, si quis rem paulo diligentius expendat, diversimode. Nam inter objectum bene comparatum ab ea bonitate quæ moralis est, & Dei justitiam, nulla relatio intercedit, nullum commune jus quod Deum necessario obliget ad remunerandum. Etenim tale jus in his rebus debet esse fundatum: ut sit inter personas æqualitas aliqua: ut remuneratio non magnopere superet rem ob quam remuneratio fit: utrobique enim debet esse* τὸ ἀντάξιον: *ac denique, ut persona cui remuneratio tribuitur, per se & natura sua id præstare non teneatur, cujus causa fit remuneratio. Hic autem nihil istorum occurrit. Quocirca talis remuneratio non potest esse nisi ex mera bonitate. Si in Scriptura Sacra nonnunquam ad justitiam referri videtur, ut in illis Apostoli verbis;* τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα, *Rom.* IV. 4. *id fit duabus de causis. Una est, quod pactum aliquod voluntarium intercessit, in quo Deus sese verbo obstrinxit ad remunerationem, ut in lege. Stare autem pactis atque conventis, pars justitiæ est, eaque vel maxime memorabilis. Altera, quod instituitur comparatio inter istiusmodi remunerationem, & eam quæ obtingit ex mera misericordia, ut in fœdere gratiæ. Etsi enim remuneratio perfectæ atque innocenti creaturæ tributa, absolute in se considerata, sit meræ bonitatis, collata tamen cum altera, speciem aliquam justitiæ induit. At inter objectum male comparatum ab eo vitio quod morale est itidem, & punitionem, intercedit jus aliquod in ipsa rei natura fundatum. Exigit enim tale vitium à Dei justitia ut puniatur: & quod punitur, id sibi proprie acceptum referre debet, Deo neutiquam. Jus autem illud positum est in rebus plane diversis à superioribus. Quamvis enim & hic ἀντάξιον aliquod esse debeat, ut neque pœna peccati gravitatem superet, neque vero ab ea superetur: attamen tantum abest ut intercedere debeat inter personas æqualitas, ut eum qui punit necesse sit dignitate antecellere. Non modo autem non tenetur creatura præstare id, cujus causa plectitur, sed omni jure tenetur non præstare.* Pleraque quæ hic dicuntur extra controversiam sunt; & ad id de quo inter nos agitur nihil aut parum admodum faciunt. Pauca tamen adnotabo. Certum est Deum ex justitia ad creaturæ benefacta remunerandum naturaliter non teneri. Nisi forte quis improprie remunerationem appellare velit, nullum ei malum inferre. Hoc enim omnino videtur exigere justitia Dei, ut creaturæ officium facientis conditionem non reddat deteriorem quam erat antea; saltem antequam ei τὸ εἶναι dedisset. Redderet autem deteriorem si cruciaret æternum. Præstaret enim ei nunquam fuisse quam in tali statu esse. Sed non video cur potius justitia Dei requirat ut malefacta puniat. Eodem enim prorsus modo videtur se habere justitia ad bene factorum remunerationem & ad male factorum pœnam. Quare si illa remunerari non tenetur Deus, neque hæc etiam punire tenebitur: intelligo seposita lege vel decreto quo se ad id faciendum obligaverit. Deus enim cum liberrimum sit agens, ex naturæ necessitate nihil extra se agit. Necessario quidem, ut supra observavimus, amat honesta & odit turpia: sed ut libera & ex indebita prorsus beneficentia illa remuneratur; ita hæc nonnisi libere & ex mero placito vindicat. Non enim magis vitium odit quam virtutem amat. Si quis aliter sentiat, tenetur rationem discriminis ostendere. Non me latet quidem in contrarium objici, hoc esse τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, ut qui enormia scelera patrant digni sint morte. *Roman.* I. 32. Et, δίκαιον εἶναι παρὰ Θεῷ, rependere afflictionem iis qui pios affligunt, 2 *Thess.* I. *v.* 6. Sed (ut alia quæ hac de re dici possent nunc omittam) cur isti loci non possunt admittere similem limitationem, illi quam affert Amyraldus ad locum ex *cap.* IV. *ad Roman.* qui de mercede loquitur; nimirum justum esse apud Deum ulcisci scelera, quia decreto suo ad id faciendum se adstrinxerit? Adde quod quædam ita justum est facere, ut tamen injustum non sit illa omittere. Nam ex. gr. creditor qui debita exigit juste quidem facit, quia leges id permittunt: sed si nolit exigere non peccat; imo interdum rem magna laude dignam facit. Peccata autem hominum, sunt debita quibus Deo ad pœnam obligantur. Ergo non minus ei liberum est illa remittere, quam creditori alicui debitum pecuniarium. Alioqui si Deus ex naturæ necessitate

peccata

peccata puniret, ne quidem resipiscentibus condonare posset. quod tamen facit. Imo si benefactis promiserit mercedem, malefactis vero pœnam comminatus sit, præstita utrinque conditione, ad remunerationem magis quam ad punitionem tenebitur: quia promissio ei cui aliquid promissum est jus acquirit, quo sine injuria fraudari non potest: cum pœnam à reo non reposcere sit beneficium. Valde igitur à recto exorbitat Amyraldus, cum ista ut paria conjungit, quæ tam imparia sunt, *ut neque pœna peccati gravitatem superet, neque ab ea superetur.* Primum enim justitia requirit absolute. Nam injuria fieret peccatori, si gravior ei pœna inferretur quam peccatum ipsius fuit. Indeque est quod multi docti & æquitatis amantissimi viri, simplicia furta morte plecti iniquum esse judicant; quia inter pecuniæ aut rei pecunia æstimabilis & vitæ ablationem nulla sit proportio. Secundum vero in summi Magistratus, qualis Deus est, arbitrio totum est positum. Alioqui clementia, quæ consistit in peccatis aut condonandis, aut infra meritum puniendis, virtus non esset; & clementes Principes vituperio potius quam laude digni forent. Quod nemo sanæ mentis dixerit.

Videamus nunc quomodo Amyraldus præcedentia ad propositum suum applicet. *Ut*, inquit, *ad rem nostram redeamus, neque bonitas, neque justitia probibet quominus Deus possit creaturam innocentem addicere cruciatibus æternis ἀνευθύνως. Possunt quidem prohibere, quominus id facere possit vel bene, hoc est, clementer, vel juste, hoc est, ex illa virtute quæ vindicando peccato destinata est. Nam sane id si Deus faceret; neque clementer ageret cum creatura, neque illius peccatum puniret, quod nullum est. At si id faceret, tamen ἀνεύθυνος esse deberet. Neque enim bonitas, neque vero justitia ὑπεροχὴν illi adimit, quæ creaturam arcet, quominus cum eo jure contendere possit. Non bonitas: Nam si bonitas id faceret, quanto melior esset quisquis dignitate præcellit, tanto minus ejus potestas atque dignitas accederet ad summam, qualis à nobis supra descripta fuit. Esset autem certe sic pessime cum rebus humanis comparatum, si summi Magistratus una bonitatem & ὑπεροχὴν retinere non possent. Non justitia: ut enim prætereamus idem sequi incommodum, ut quanto justior & æqui retinentior judex esset, tanto magis ex fastigio τῆς ὑπεροχῆς descenderet: justitia illa remuneratrix nulla, ut jam vidimus, in Deo esse potest, nisi ex pacto atque convento, quo Deus verbis conceptis sese ad remunerandum obstrinxit. Hic autem rem consideramus sepofito omni tali pacto, & ut naturaliter sese habet duntaxat.* Ubi primo notandum est, justitiam hic nimis anguste accipi, pro illa virtute quæ vindicando peccato destinata est; quasi hæc virtutum princeps in puniendo solum occuparetur. Imo rara, præ cæteris, sunt hujus significationis exempla in Sacris literis. Neque etiamsi remunerandi partes ultioni adjungantur, totam exhaurient justitiæ amplitudinem. Æquitas enim, quæ in eo consistit ut nemini injuria fiat, neque ad remuneratricem neque ad vindicatricem justitiam pertinet. Ea autem hic potissimum consideranda est, ubi de æternis cruciatibus creaturæ insonti inferendis disputatur. Quod si id Deus æquitate illæsa facere non potest, habemus totum quod volumus. Inde enim sequitur Deum id nullo modo posse; quia æquitas à nullo ipsius opere abesse potest. Si ergo Deum aliquid inclementer aut inique facere dixeris, Deum non Deum dixeris, seu in locum veri Dei idolum cerebrique tui commentum collocaveris. Unde apparet quam ineptum sit dicere, si Deus aliquid faceret injuste aut inclementer, ἀνεύθυνος esse deberet. Perinde enim propemodum hoc est ac si quis anxie probare contenderet, ordinem illum tempestatum & generationum, qui in mundo conspicitur, tanta cum sapientia esse stabilitum, ut etiamsi Deus moreretur, immotus perseveraret in æternum. Sed quis vesanum ejusmodi disputatorem non exsibilaret? Quod autem ad terrenos Magistratus attinet, quos indubium est ab æquitate posse recedere, non absurde disputatur, an in ejusmodi casu ἀνευθυνίαν suam, seu summam illam auctoritatem qua fit ut à nemine quam à solo Deo judicari possint, retinere debeant. Nam si nemo esset ἀνεύθυνος nisi qui nunquam peccat, nulla talis potestas daretur inter homines. Atqui dari interest reipublicæ; cum sine ea, ut supra dictum est, pax conservari nequeat. Fateor etiam Magistratum non amittere suam ὑπεροχὴν quod bonus & justus sit: sed addo certum quoque esse eum tanto minus indigere jure isto ἀνευθύνου, quod quamvis exorbitet à nemine in ordinem cogi potest, quanto pauciora committit quæ opus habeant εὐθύνεσθαι. Unde sequitur Deum non esse ἀνεύθυνον eadem ratione qua summi Magistratus; quia etiamsi adversus homines peccaret, à nemine corrigi deberet, imo neque de eo conqueri liceret; sed alia prorsus: nempe quia absolute ἀδύνατον est, ut vel minimum quid crudelitatis aut injustitiæ in actionibus ejus inveniatur: idque nobis persuasissimum esse debet: cum grave sit peccatum, de summa ejus perfectione minus honorifice sentire.

Sequitur in Amyraldi dissertatione: *Quanquam dubitavere nonnulli, utrum ex stricto jure summi Magistratus pactis & conventis stare teneantur, si quando res illis est cum subditis suis. Nam de pactis illis quidem, quæ cum externis contracta sunt, quorum vel par, vel pene par dignitas est, nulla est dubitandi ratio, quin etiam maximos Monarchas omni modo obligent. At respectu subditorum tanta est summorum Principum ὑπεροχὴ, ut ne promissionis quidem jus eam imminuere posse nonnemini videatur. Quod si de hominibus verum esset, multo minus de Deo negari posset, cujus ἐξοχὴ in homines multo haud dubie major est, quam hominum ipsorum. At nihil nobis opus est eo confugere. Quod enim affirmavimus Deo licere in creaturam insontem, de ea creatura intelligendum est, inter quam & Deum nullum aliud fœdus contractum est, quam quod ipsa rerum natura conciliavit.* Bene habet quod

Amyraldus non indigeat isto argumento: alioqui ad incitas nos fuisset redacturus. Sed quamvis præteritione sua nobis respondendi gratiam faciat, brevi tamen censura non indignum judicamus. Hic autem in subsidium advocare possemus Belgas, qui regis Hispaniarum, quod datam ipsis in sua inauguratione fidem violasset, jugum excusserunt. Possemus quoque advocare Anglos & Scotos, qui bello quo regem suum persequuntur (jure-ne an injuria meum non est inquirere) idem hodie prætexunt. Sed tantis exercitibus opus nobis non est: Vos solum appello, Montalbanenses, Rupellani, Monspelienses, aliique Galliæ Reformati, qui adversus regem vestrum Ludovicum XIII, ante aliquot annos arma sumpsistis, non quod à pactis vobiscum initis recessisset, (quod ab ipsius pietate alienissimum erat) sed veriti ne id faceret cum tuto posset; nempe postquam munimentis & propugnaculis vos exuisset. Vos, inquam, appello adversus Amyraldum, edicta pro vestrarum conscientiarum libertate promulgata, hostibus prostituentem. Dicite quæso: hic enim res vestra agitur: Censetis-ne summos Magistratus conventis suis non teneri, quando illis cum subditis res est? Sed cur responsum ab ore vestro expectem, cum facta satis aperte loquantur? Nunc ut ipse quid sentiam paucis exponam: Non approbo quidem ut privati in reges suos sub ullo violatæ fidei prætextu insurgant: (quod sacra pagina expresse vetat:) Sed, nisi aulicus Gnatho esse & tyrannidem fovere velim, nunquam in dubio relinquam an regibus perjuros esse liceat. (Perjuri autem sunt quotquot à pactis manus subscriptione & sigillo suo munitis resiliunt.) Scio quam male Sauli & domui ejus cesserit, quod Gabaonitas, cum quibus Josua diu ante Saulis tempora pacem fecerat, delere conatus sit. Et tamen pax illa fraude fuerat extorta, *Josu.* IX. & 2 *Sam.* XXI. Sed tam sacra debet esse jurisjurandi religio, ut licet quis damno suo juraverit non mutet, *Psal.* XV. Quinetiam fides latronibus & piratis data, servanda est; quia, Quintiliano teste, *supremum est rerum humanarum vinculum*;

Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt,
Justitiæ consors, tacitumque in pectore numen. Silius lib. 2.

Quanto magis subditis, quibus Principes instar patrum & tutorum esse debent? Ac sane si illi nullo contractu sibi obligatos esse Principes persuasum habeant, fieri non poterit quin in perpetua versentur diffidentia: qua vicissim fiet ut hi in subditorum benevolentia, qua maxime opus habent, securi conquiescere non possint. Ita ut hæc exitialis opinio, ad utrosque in mutuam perniciem armandos natura sua sit comparata. Ergo Regum exemplo probari non potest, Deum non teneri promissis, quibus se erga homines ultro & libera plane voluntate devinxit. Neque id sane senserunt viri divini, qui (ut supra observatum est) dixerunt Deum implere verba sua, quia justus est; & eum non esse injustum ut obliviscatur promissorum, *Nehem.* IX. *Hebr.* VI. Imo Deus ipse ab eo abhorret, qui *volens ex abundanti heredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilii sui, fidejussit jurejurando: ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut mentiatur Deus, validam consolationem habeamus*, *Hebr.* VI. 17. 18. Nec immerito; cum illa opinio non cuniculis sed aperte subversum eat religionem Christianam; quæ fide promissorum & obedientia mandatorum Dei tota constat. Nam si Deus potest à promissis resilire, quis in eum, vitam æternam cultoribus suis promittentem, firma fide recumbet? Et, si fides dictis desit, quis ei obediet; cum hæc sit victoria quæ vincit mundum, fides nostra? 1 *Joan.* V. 4. Nec est quod Amyraldus excipiat, se argumento isto non pugnare. Nam id affert, & ne verbulo quidem ostendit sibi displicere, imo contrarium potius. Sed non utitur, solummodo quia eo ad finem suum obtinendum non indigebat: nempe justitiæ Dei remuneratrici non repugnare ut creaturam insontem æternum cruciet; quia de ea intelligit cum qua Deus nullum adhuc pactum iniit. Ut autem hac de re verbum nunc addam, sic existimo: Etiamsi nullum cum homine expressum fœdus pepigisset Deus cum ipsum condidit, tamen æquitas non permittebat ut erga eum adeo inclementer gerere se posset. Creationis enim modus, ad imaginem Dei, tacitum quoddam fœdus fuit. Nam Deus hominem tam sibi similem non fecisset, nisi eum isti dignitati convenienter tractare voluisset: primumque illud beneficium, aliud amoris & beneficentiæ natura post se trahebat; nisi illo se homo indignum redderet. Alioquin præstitisset ei bufonem aut serpentem esse factum, quam ad imaginem Dei conditum, si statim à creatione, absque ullo peccati merito fuisset in æternum ignem conjiciendus.

Pergit: *Ad justitiam vindicatricem quod spectat, certe ut non potest quin pœnas exigat propter peccatum, sic ubi peccatum non est, non potest ullas exigere proprie sic dictas pœnas. Nam inter pœnam & peccatum ea σχέσις interest, ut illa nusquam sit proprie, nisi ubi peccatum aliquod existit. At cruciatus illi ex jure summo creaturæ innocenti irrogati, pœna non essent, sed malum physicum duntaxat, nulla causa illatum, quæ in ipsa creatura sit: at cujus causa tamen, potestas ex qua proficiscitur in jus vocari non possit.* Jam vidimus paulo ante, justitiam Dei vindicatricem non magis necessario à creatura pœnas reposcere propter peccatum, quam remuneratricem præmium ei tribuere propter innocentiam; sed utrumque à liberrima Dei voluntate proficisci, ita ut sine justitiæ læsione tam id possit omittere quam facere. Sed hæc obiter, utpote quæ extra argumentum nostrum sunt. Opinionis autem de qua disputamus absurditas, non consistit in eo quod statuat Deum creaturam insontem punire posse (quanquam Twissus ab hac locutione non abhorret;) sed quod velit Deum illi æternum & im-

immensum malum physicum inferre posse. Licet enim hoc non repugnaret justitiæ vindicatrici, iniquum tamen esset; quia cum justitia, quatenus pro æquitate accipitur, subsistere nequiret. Quod nobis sufficit: neque enim ut aliquid injustum sit, requiritur ut omnibus justitiæ partibus repugnet: satis est si vel uni.

Ultimum Amyraldi argumentum est: *Denique licere aliquid summis Magistratibus, ideo quia sunt ἐν ὑπεροχῇ constituti, cujus rationem reddere non tenentur, tametsi cum legibus aut jure communi non consentiat, jam est supra à nobis demonstratum. Quanto igitur major erit ὑπεροχή, tanto plura majoraque per eam summis Magistratibus licebunt: & , si sit aliqua ὑπεροχὴ infinita, consequens erit ut ea αὐθεντία procedat atque protendatur in infinitum. Jam autem Dei infinitam esse ab omni parte ὑπεροχὴν, nemo negaturus est, nisi qui Deum ipsum infinitum esse negabit. Nam si beneficia spectemus, quæ à Deo in nos collata sunt, eatenus infinita sunt, quatenus à non esse ad esse est distantia interminabilis. Si munus, vel quod est in Deo muneri analogum, etsi creaturæ non sunt actu infinitæ, non possunt tamen bene regi atque administrari, nisi ab eo qui sapientia & virtute & potentia infinita præditus est. Si naturam ipsam Numinis præcise atque seorsim, est ab omni parte immensa; nostra vero exiguis circumscripta atque definita limitibus. Non modo igitur per illam ὑπεροχὴν tantam, Deo licet creaturam insontem cruciatibus addicere ratione durationis infinitis, sed etiam immensis ratione magnitudinis atque atrocitatis, si creatura eorum capax esset. Quando enim jus summum ἐν ὑπεροχῇ positum est, quanta est ὑπεροχή, tantum jus illud etiam esse necesse est.* Quin Deo ob summam eminentiam multa in creaturas liceant, quæ ad ordinariæ justitiæ leges non sint exigenda, nulli est dubium. Tale est quod Jobi fidem & patientiam tam dura ut notum est afflictione aliquandiu exercuit; quod nemini Regum in subditos liceret. Tale quoque est quod interdum clarissimorum vitam gloriæ suæ illustrationi impendit: quod multo minus ulli mortalium in alium fas esset. Sed hujus administrationis æquitas, attendenti non obscura est. Nam præter jus quod Deus habet ex creatione in opera manuum suarum; cum illis quos ita affligit multo majus bonum rependat, in patientiæ mercedem, quam fuit malum quod passi sunt, nullam de ipso conquerendi ansam habent; imo se beatos prædicant quod tali eos honore dignatus sit. At istud cruciatibus æternis non convenit, quos nulla remuneratione compensare potest. Præterea cum potestas illa absoluta creaturam insontem ejusmodi cruciatibus addicendi, Dei bonitati & clementiæ adversetur, ut Amyraldus ipse agnoscit, non est Deo adscribenda: idque ipso quoque adstipulante: quem supra in hoc capite dicentem audivimus, se jus summum quod Deo tribuit, *præsertim in eminentia quadam & præcellentia naturæ ac virtutum constituere; quæ nulla talis esset in Deo, si peccato ullo modo delectari posset.* At non aliquo tantum, sed omni modo, atque impensissime delectaretur peccato, si aliquid in æternum faceret à bonitate & clementia alienum. Quamvis enim legem ab alio superiore sibi positam non transgrederetur, attamen adversus sanctissimam suam naturam peccaret, & seipsum abnegaret. Atque ita vidimus Amyraldum, ut thesin suam absurdam tueretur, perpetuo sibi contradicere fuisse coactum, nihilque adversus nos afferre potuisse, nisi improprie nos esse locutos, cum jus Dei in creaturam insontem à creationis beneficio desumpsimus, quod ille in ipsius eminentia vult esse fundatum. Qua in re si quid peccavissemus, tam grave tamen non esset crimen nostrum, ut integra Dissertatione, eaque satis acerba, meruerit vindicari. Sed scilicet hac ratione ostendere voluit quam à Remonstrantibus esset alienus, in quibus ne impropriam quidem locutionem, tametsi ipsius judicio veram, tolerare potuerit. Ubi si vellem vitilitigatoris epitheton, quod mihi tribuit, ipsi reponere, cui ita volupe fuit λογομαχεῖν, forte non injuria possem. Sed me contineo, & hujusce rei judicium Lectoris prudentiæ relinquo.

CAPUT IX.

Defenduntur contra Amyraldi exceptiones, argumenta negantium Deo licere insontem creaturam æternum apud inferos torquere.

Videamus nunc quomodo Amyraldus ad ea quæ sententiæ ipsius objiciuntur respondeat. *His*, inquit, *ita constitutis, facile est objectiones diluere, quibus non Arminiani modo, sed nonnulli alii hanc assertionem, de qua hactenus disputatum est, impugnatum eunt.* Sed si Arminianorum, ut præ se fert, argumenta refellere intendit, cur sicco pede præteriit illustrem illum ex *Genesis* XVIII *capite* locum, quem ego ipsi objeceram, & solus funditus evertendæ ipsius opinioni sufficit? Hoccine est accurati disputatoris officio defungi? Verum silentii ipsius causa non est conjectatu difficilis. Nimirum oratores hac in parte imitari consultum duxit, qui in confutandis imbecillioribus adversariorum argumentis, eloquentiæ suæ vim ostentant; firmiora vero, ad quæ nihil solidi habent quod respondeant, dissimulare solent. Aciem ergo nobis iterum ducant memoranda hæc Abrahami verba, quibus Deum Sodoma deletum euntem, ubi putabat aliquot justos inventum iri, alloquebatur: *Absit à te ut hanc rem facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius. Non est hoc tuum. Nunquid judex universæ terræ non faciet judicium?* Et tamen hæc neque de cruciatibus æternis, neque de perfecte justis intelligebat, sed tantum de crudeli paucorum morte, quos gravium criminum non esse reos arbitrabatur. Sed præterea de hoc loco consule Arminium, in Examine thesium Gomari, ad thes. 27. Cui nunc hanc rationem adjungo:

Nulla Dei attributa inter se pugnant. Potestas autem creaturam insontem addicendi cruciatibus æternis, pugnat cum multis Dei attributis: Ergo Deo non convenit. Majorem credo esse indubiæ veritatis apud omnes recte de Deo sentientes. Ac sane si Dei attributa inter se pugnarent, cum illa ab essentia realiter non differant, esset quoque in essentia pugna: ex ista pugna vero sequeretur Dei destructio; quod est omnium ἀτόπων ἀτοπώτατον. Minor quoque non est minus certa ex ipsius Amyraldi confessione, qui diserte agnoscit Deum neque clementer, neque bene, neque juste facturum, si hac potestate uteretur. Et tot id rationibus passim in hac disputatione confirmavi, ut sine pertinacia negari non possit. Unde sequitur conclusionem esse irrefutabilem.

Deinde cur Arminianis tribuit Amyraldus objectiones quæ ipsorum non sunt, & Molinæum aliosque qui eas primi attulerunt sua laude defraudat? Hoccine est candoris aut justitiæ? Sed consilii ipsius ratio non est obscura: nimirum putavit se hoc modo, disputationis adversus celeberrimum Theologum susceptæ, invidiam declinaturum, si cum sub exoso apud suos Arminiano nomine impugnaret. Audiamus ergo quomodo ipsius argumenta tum proponat, tum solvat. *Negant*, inquit, *Deum quicquam posse agere, vel injuste vel inclementer. Esset autem illud* (nempe creaturam insontem æternis cruciatibus addicere) *& à clementia, & ab ipsa justitia vehementer alienum.* Deinde respondet: *At primum, quod Arminiani statuunt, eodem incommodo laborare videtur. Age enim, Deus adimat insonti creaturæ omnia beneficia à se indulta, nonne judicabitur istud factum duriter atque inclementer? Hoccine cum Dei benignitate consentit, ut iis quibus, cum nondum essent, pro mera sua bonitate, & esse & vitam & sensum & intellectum tribuere decrevit, omnia ista jam concessa auferat & eripiat nulla de causa? Hoccine congruit cum ipsius justitia, ut malum physicum inferat nihil promeritæ creaturæ? Iis enim certe rebus quæ nunquam extiterunt, non esse fortean malum non est. At iis quæ non modo extiterunt, sed tanto intervallo cæteris omnibus antecelluerunt olim, omnino non esse amplius, non malum certe quidem esse non potest.* Sed cui possint Arminii & Amyraldi sententia eodem incommodo laborare videri? Illi forte qui, à debitore pecuniam mutuo datam exigere, & ipsum in crucem agere idem esse existimaverit. Mihi vero tantum abest ut id videatur, ut vix ab animo impetrem, ut credam Amyraldum serio hanc rem agere; sed putem eum declamatoribus illis similem qui in ficto argumento ludunt, non ut fidem apud auditores inveniant, sed ut ostendant quantum dicendo valeant. Nam quis sanæ mentis hæc duo æquiparaverit, à creatura reposcere beneficia, quæ ipsi non mancipio sed ad exiguum tempus utenda data fuerant, eaque lege ut quando donator juberet sine mora illa redderet; &, ipsam cruciatibus non modo duratione æternis, sed etiam magnitudine atque atrocitate immensis torquere? Adde quod nemo Remonstrantium unquam dixerit, licere Deo sine causa homini vitam & reliqua sua dona adimere. Fieri enim nequit ut is qui sapientissimus est, idemque optimus & justissimus, aliquid sine optima & æquissima causa faciat. Liceret quidem illi id facere sine consideratione peccati, quo hic supponimus hominem nondum corruptum esse. Sed præter peccatum dari possunt aliæ ejus rei causæ, eæque adeo justæ, ut homo insons libentissime illis suum εἶναι, & omnia quæ à Deo accepit impenderet. Quod in cruciatibus æternis locum non habet.

Sed forte plus est roboris in altera Amyraldi responsione: *Deinde*, POSSE *illud ex antedictis distinguendum est. Etenim si significat negationem futuritionis eventus, verum quidem est quod dicunt, Deum id non posse: hoc est, nunquam continget ut id faciat. Cur autem futurum sit ut id nunquam contingat, in causa est ejus bonitas, &, si ita libet, justitia, à quibus nunquam impetrabit id ut velit. At si denotet tantummodo negationem facultatis quæ ex eminentia nascitur, & posita est in ἀνυπευθυνίᾳ, falsum est. Etsi enim nunquam à se impetrabit bonus pater, ut bonos liberos male habeat, nunquam bonus rex ut bonos subditos male vexet, non inde tamen sequitur, id si facerent, debere propterea, vel liberos in patrem insurgere, vel subditos rebellare in regem.* At respondeo, non tantum nunquam eventurum ut Deus insontem creaturam æternum torqueat, sed etiam nulla plane ratione id evenire posse: nimirum quia adversa fronte pugnat cum ipsius bonitate, clementia, justitia; quas tam impossibile est ut exuat quam ut Deus esse desinat. Quare frustra Amyraldus ad suam ancoram sacram, jus ἀνυπεύθυνον, recurrit. Deus enim nullum jus habet id faciendi quod sanctissimæ suæ naturæ adversatur, adeoque non minorem contradictionem implicat quam si quis ignem frigidum faceret, aut glaciem calidam. Alia vero est hominum ratio, ut supra non semel dixi: quia cum natura eorum non pugnat inique agere, imo nihil frequentius usu venit. Summorum ergo Magistratuum potestas est ἀνυπεύθυνος, quia neminem se superiorem in terris agnoscunt. Sed tamen in cœlis dominum habent, qui ἀπροσωπολήπτως judicat, & eorum prave facta εὐθύνει. Quando ergo boni subditi à Magistratibus potestate abutentibus male tractantur, ad communem dominum confugere debent, & interim dum eos liberet in patientia animas suas possidere, non rebellare, aut in eos insurgere: *sed dare locum iræ. Scriptum est enim, Mihi est ultio: ego rependam, dicit Dominus, Rom.* XII. 19. ex *Deut.* XXXII. 35.

Secundo Amyraldus eos qui diversum à se sentiunt ita argumentantes facit: *Fieri nequire, si creatura insons æternis cruciatibus addicatur, quin Deum odio habeat: sic enim esse à natura comparatum, ut eos odio habeamus à quibus nobis malum metuimus: juxta illud*, Quem metuit, perisse cupit: *& aliquanto magis eos à quibus jam malum accepimus. Non conve-*

nire

nire autem, ut Deus creaturam insontem eo adigat, ut peccare necesse habeat. Respondet vero: *Qui sic disputant, secum ipsi pugnare videntur. Nam in odio illo, vel peccatum aliquod futurum est, vel nullum. Et nullum quidem futurum esse Arminiani profiteri debent, si sibi constant. Scilicet quæ prorsus inevitabilia sunt, illis excusabilia videntur, nec arbitrantur peccati rationem una consistere posse cum necessitate inevitabili. Quid igitur illis in eo absurdum apparet, Deum utentem jure suo summo, eo creaturam adigere ut faciat quæ peccatum neque sunt, neque appellari possunt? Si vero creatura integra, & talis inferorum cruciatibus addicta tamen, in Deum rebellans ideo, atque eum odio habens, peccat, (peccat autem certe, nec ullum potest esse adversus Deum odium sine atrocissimo peccato) omnino non debuit in Deum ea de causa rebellare. Debuit ergo id ferre patienter, debuit reverentiam suam adversus Deum, quocunque modo tandem ab eo haberetur, perseveranter retinere. Quod quid aliud est, quam Deum id posse facere ἀνυπευθύνως?* Ego vero nullam in hac objectione contradictionem animadvertere possum. Veri enim & proprie dicti peccati rea esse non posse videtur creatura insons, quæ cruciatibus æternis iniquissime addicta, auctorem istorum cruciatuum odisset. Idque duabus de causis: primo quod odium istud foret necessarium & inevitabile. Nulla autem justior est facti alicujus pravi excusatio, eâ quæ ab inevitabili necessitate desumitur. Adeo ut illi etiam qui thesi illi tantopere contradicunt, si ad hypothesin applicetur haud dubie ei sint assensuri. Fac enim eos esse è reproborum illorum numero, quos & necessario peccare, & propter inevitabilia peccata necessario in inferis æternum torqueri somniant, grandem sibi injuriam fieri statim clamarent. Sed quia ad electorum classem pertinere se credunt, quomodo miseri illi reprobi tractentur non sunt solliciti. Secundo & præcipue, quia creatura illa bonum Deum non odisset: qui bonitatem suam essentialem abnegando desiisset esse Deus, & in malum principium Manichæi, vel in aliquem cacodæmona esset transformatus. Talem autem Deum odisse peccatum non foret. Atqui sic, dices, objectio ista seipsam destruit. Minime vero. Sed quia absurdissimum est existimare bonum Deum degenerare posse in malum, adeo ut id in ullius sani hominis cogitationem unquam venire impossibile sit, Amyraldi hypothesi ad tempus data sed non concessa, ex ea elicitur Deum tali erga insontem creaturam inclementia illam ad sui odium impulsurum. Veri autem Dei odium proculdubio grave est peccatum. Summe enim bonus est, & nihil in eo odio dignum; atque ut justam sui odio causam præbeat fieri nequit. Sed quod Amyraldus vult creaturam illam insontem æternos inferorum cruciatus patienter ferre debere, & reverentiam adversus Deum retinere, facile quidem ab eo dicitur, at quomodo ad praxin deduci possit non docet. Mihi quidem observatu videtur *ἀδύνατον*.

Sed forte id ostendit secunda responsionis suæ parte, dicens: *Deinde quod eos odimus qui nobis male faciunt, parentes scilicet & Magistratus, & omnes alios in magna ὑπεροχῇ constitutos, id ex corruptione naturæ nostræ provenit, non autem ex ipso malo. Id enim si per se ex malo ipso proficisceretur, nunquam sese aliter haberet: omnes quibus à potestatibus male est, essent pariter in eas animo alieno. Jam autem & liberi sunt quos parentum acerbitas non abduxit ab officio & reverentia paterna, ut Torquatus olim; & subditi quos nulla regum inclementia aut immanitas impulit ad rebellionem. Quam laudem tulere olim Christiani sub Imperatoribus Romanis. Hic autem animo fingimus creaturam integram & immunem à peccato, & quam ideo certum non est ad peccatum incitatum iri; cum præsertim Deus possit eam ita in pietate & sanctimonia & patientia corroborare, ut omnibus in æternum cruciatibus ferendis par esse queat.* Resp. Odium in eos qui malum nobis inferunt non provenit à naturæ nostræ corruptione, sed est naturalis affectus: qui proculdubio locum etiam habuisset in homine integro, si contigisset ipsum ab Angelo vel dæmone aliquo injuria affici. Vitiosum autem evadit cum à ratione exorbitat & se Dei imperio non subjicit. Unde colligitur peccare liberos qui parentes, & subditos qui reges oderunt à quibus male habentur. Nam aut minor est injuria qua afficiuntur, acceptis beneficiis, aut major. Si minor, ratio dictat non ideo esse odio habendos; quia plus adhuc illis debent quam eripitur. Si major est, (ut illorum foret qui crudeli supplicio liberos aut subditos insontes mactare vellent) tunc propter Deum in Euangelio præcipientem ut diligamus inimicos, & bene faciamus iis qui oderunt nos, affectum istum naturalem comprimere tenentur. Sed hoc mandatum non obligat eos quibus non innotuit: sufficitque iis qui legem non habent, si contra rectæ rationis dictamen non peccent. Hoc autem, inquit Cicero, *generi animantium omni est à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea quæ nocitura videantur,* &c. lib. 1. de Offic. Quare fieri aliter natura non potest, quin qui atroces ejusmodi injurias patiuntur, ab earum auctoribus, quicunque illi sint, animo sint alieniori. Sed in ratione tamen, (si quis eam audire non refugiat) satis est virium ad impediendum quominus hæc aversatio in ultionem erumpat. Unde mirum non est si Manlius Torquatus, qui aliud non habebat quod de patre conquereretur, nisi quod se rustico opere detineret, injuriæ istius (si ita vocanda est) oblitus, cum animose adversus inimicum defenderit. Sed quid istud exemplum facit ad probandum injuriam omnium quæ cogitari possunt atrocissimam, æternos nimirum cruciatus, odium in irrogantem non necessario accendere? An apud se erat Amyraldus cum illud afferret? Nec magis ad rem est patientia veterum Christianorum, qui adversus Romanos Imperatores, à quibus persecutionem patiebantur,

non

non rebellabant. Nam quamvis atroces essent istæ persecutiones, majus tamen inter eas & inferni cruciatus est discrimen, quam inter aquæ guttulam, & totius Oceani aquas. Nec erat cur propterea odissent Imperatores, aut se ab ipsorum obedientia subducerent. Nam præterquam quod sciebant id Christi lege esse prohibitum; non existimabant etiam persecutiones istas sibi esse malas: imo in illis partem non exiguam felicitatis ponebant, persuasi eas ad cæleste βραβεῖον obtinendum certissimam & compendiosissimam esse viam: secundum Christi promissum: *Beati estis cum vos convitiis affecerint & persecuti fuerint, & mentientes dixerint quidvis mali adversus vos, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis, Matth.* v. Quid etiam sibi volunt hæc verba, certum non esse creaturam illam ad peccatum incitatum iri, quia foret integra & immunis à peccato? An ergo necesse est ut omne peccatum, aliud peccatum anteeat? Si ita est, quomodo potuit fieri initium peccandi? Quomodo Angeli & primi nostri parentes peccarunt cum adhuc essent integri? Sane magna vi opus non esse ad creaturam integram de innocentiæ suæ statu deturbandum, patuit in Eva & Adamo. Nam cum fallacium Serpentis promissorum tentationem non sustinuerint, nequaquam est credibile illos in mediis tartarorum cruciatibus innocentiam suam fuisse retenturos. Sed fac non esse omnino certum creaturam innocentem, quæ ita immaniter tractaretur, ad peccandum incitatum iri, Dei tamen æquitati non conveniret eam in tantum labendi periculum conjicere, ut miraculi instar esset si firma perstaret. Atqui Deus potuisset eam ita in pietate & sanctimonia & patientia corroborare, ut omnibus in æternum cruciatibus ferendis par esset. Supra modum delectatur Amyraldus paradoxis. Sed debuisset non tantum illa proponere, verum etiam explicare; ut assensum à nobis impetraret. Nescio enim quod genus corroborationis hic intelligat. Nam existimare illum velle, Deum corpori hominis robur additurum, vel sensum doloris ademturum, videtur à re alienum. Nam præterquam quod istud ad virtutem de qua agitur nihil faceret, cum cruciatibus etiam duratione æternis & magnitudine immensis subsistere nequiret. An ergo corroborationem innuit quæ fiat per physicam & omnipotentem pietatis, sanctimoniæ & patientiæ infusionem impressionemve in animam? an potius ethicam per rationes persuasorias? Sed prior illa virtuti obedientiæ, de cujus essentia est omnimoda libertas, non conveniret; nec eam agnoscit Amyraldus in Christianarum virtutum ingeneratione: hæc vero posterior videtur plane impossibilis. Nam qua ratione posset persuaderi miseræ illi creaturæ ut Deum amaret, quem tam inclementem erga se experiretur? quomodo posset ad patientiam induci in cruciatibus quæ desperationem necessario post se trahunt? Argumenta enim ad patientiam moventia petuntur vel à dolorum levitate, vel brevitate, vel fructu, vel felici exitu, vel ab aliqua re ejusmodi. Ideoque Deus volens pios in afflictionibus, quibus eorum fidem & patientiam probat, sustentare, ne occasio ipsis sint ruinæ, abbreviat illas. *Non requiescet*, inquit Propheta, *virga impietatis super sortem justorum, ne mittant justi ad iniquitatem manus suas, Psal.* cxxv. Et Paulus, *Tentatio vos non cœpit nisi humana. Fidelis autem est Deus, qui non finet vos tentari supra id quod potestis, sed una cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possitis eam sufferre*, 1 *Cor.* x. 13. Quod etiam observavit erga dilectum filium suum Dominum Jesum; ad quem cum esset ἐν ἀγωνίᾳ misit Angelum de cœlo qui eum corroboraret, *Luc.* xxii. 43. Id enim alia ratione fecisse non videtur iste Angelus, quam animo ejus subjiciendo, calicem illum dolorum quem Pater ei propinabat, brevi tempore exhaustum iri, & secuturam passiones ejus gloriam æternam, cujus respectu pro nihilo essent habendæ. Si dixisset, Tu æternum in cruciatibus & morte manebis, vel securum ab isto metu eum non reddidisset, cætera omnia frustra fuissent, nec impedire potuissent quominus à desperationis barathro absorberetur. Quid ergo contingeret illi qui in inferno, unde omnis liberationis vel levaminis spes exsulat, torqueretur, ac proinde nulla tali consolatione sustentari posset?

Tertio excipit Amyraldus: *Denique, fac tantam esse cruciatuum illorum atrocitatem atque diuturnitatem, ut omnino necesse sit creaturam impatientia elatam ab integritate sua desciscere, id eveniet per accidens, ob humanam imbecillitatem. Æquum autem non est, ex imbecillitate naturæ nostræ, quidquam τῇ ὑπεροχῇ naturæ divinæ decedere. Pendet enim ex ipsa Numinis infinita præstantia, non ex infirmitate aut imperfectione aliena.* Sed id non est per accidens quod naturæ conditionem necessario sequitur. Quis enim per accidens dixerit fieri, quod vitrum fragile ex alto in lapidem cadens frangitur? Imo contra, non-ne per accidens foret si integrum permaneret? Ita esset omnino per accidens, si homo qui imbecilla est creatura, ex carne & sanguine constans, in horrendis illis & ἀπαρακλήτοις inferorum cruciatibus, sibi immerenti immissis, in amore illius perseveraret à quo tam dira pateretur, & non potius eum intensissimo odio prosequeretur.

Ultimo objicitur sententiæ Amyraldi, *Nullam in Deo statui debere potestatem, quæ nunquam educatur in actum: frustra enim eam esse. Nihil autem in Deo potest esse frustra. Verum*, inquit ille, *objectioni isti occurritur duobus modis. Primum enim, verum non est nullam esse posse in Deo facultatem, quam non necesse sit aliquando educere in actum. Nam Deus potuit non creare mundum, quem condidit, & potest condere infinitos mundos, quos nunquam creabit. Quicquid autem Deus unquam facturus est, non potest esse tantum, quin semper residua sit in eo aliqua potentia, quam nullus unquam effectus exhaurire poterit.* Nescio ex cujus pharetra prodierit hoc telum, (non enim est Molinæi, ut duo præcedentia) sed validissimum est, & confodiendæ uno ictu Amyraldi opinioni sufficit.

ficit. Sed primum excitanda est ejus acies, quam ipse ne penetraret hebetavit; atque hoc modo vibrandum. Nulla in Deo statui debet potestas quæ nunquam in actum educi possit. Primo, quia frustra foret. Secundo, quia contradictionem implicat dari potestatem quæ nihil agere possit. At talis est hæc potestas, creaturam insontem in profundam inferorum abyssum demergendi. Illam enim, ut sua luce patet & Amyraldus ultro agnoscit, Deus salva sua bonitate & justitia in actum educere non potest. Ergo in Deo statui non debet.

Hoc forte sibi repositum iri prævidit, ideoque responsioni suæ addidit: *Deinde id frustra esse dicitur, quod omnino nullum habet usum. Nam non nego certe μάτην illud esse dici solere, quod effectum non produxit, cui producendo proprie destinatum esse videatur, etiamsi per accidens præbeat aliquam diversam commoditatem. At illud absolute μάτην est, quod nullum præbet usum omnino. Non potest autem illa Dei ἐξουσία dici nullum usum habere, quæ facit ut Majestatis divinæ sublimitatem infinitam agnoscamus & revereamur. Nam in ea re sita est pietatis nostræ pars aliqua memorabilis.* Ego vero utroque isto vocis μάτην seu frustra significatu, talem Deo potestatem male tribui assero: primo quidem, non solum quia effectum non producat, cui producendo proprie destinata esse videbatur; sed etiam, idque præcipue, quia (ut modo dicebam) ejusmodi effectum nullo modo producere potest. Secundo vero, quia nullum omnino usum habet. Tantum enim abest ut aliquem usum præbeat ad Majestatis divinæ infinitam sublimitatem agnoscendum & reverendum, ut nihil magis faciat ad eam obscurandum & ignominia afficiendum. Detrahit enim Deo id per quod est Deus, perfectam nimirum bonitatem, clementiam & justitiam; quas abnegare debet si potestate illa uti velit. Adde quod cum eam neque sibi usquam tribuat Deus in Scripturis S. neque per opera patefaciat, nihil possit conducere ut Majestatem ipsius agnoscamus.

Ad extremum Amyraldus, responsionem istam & totam suam dissertationem clausurus, inquit: *Jus illud summum, de quo hactenus disputavimus, in Deo consideratur non tam ut causa rei cujusquam, quam ut effectum aut παραφυάς quædam τῆς ὑπεροχῆς. Ut in regibus & parentibus, αὐθεντία potius spectatur ut dignitatis & excellentiæ consequens, quam ut causa ad effectum aliquem natura sua convenientem producendum comparata. Neque enim, ut jam sæpe dixi, Deus quidquam tale designat, quale designare posse pro summo suo jure contendimus: neque idcirco necesse habet obtendere dignitatem infinitam, ut suam sibi αὐθεντίαν asserat. Quod enim eo jure aliquatenus usus esse videtur erga Jobum, id factum est ad breve tempus & οἰκονομικῶς, ne quis de illius infinita dignitate, majestate atque eminentia dubitaret.* Sed aptius forte quam cogitavit, jus insontem creaturam apud inferos sine fine & sine modo torquendi, παραφυάδα divinæ ὑπεροχῆς esse dixit. Est enim παραφυάς, non tantum appendix utilis & naturalis quæ plantæ aut animali adnascitur, sed etiam stolo inutilis qui in arbore pullulat, & resecari debet ne ejus incrementum aut fertilitatem impediat; item membrum aut caro superflua, animali præter naturam succrescens, idque deturpans & valetudini nocens. Tale autem revera esset in Deo jus istud. Clementiæ enim & æquitatis ipsius gloriam non parum obscuraret; imo ipsum de solio summæ Majestatis, quæ in virtutum perfectione consistit, deturbaret. Absit ergo ut id ipsi tribuamus. Attamen Deus Amyraldo aliquatenus eo jure usus esse videtur erga Jobum, licet ad breve tempus & οἰκονομικῶς. Sed cur unius Jobi meminit, cum tot martyrum myriades posset adducere, qui, Deo ita volente, pro Christianæ religionis veritate graviora multo quam ille sunt perpessi? An Dei αὐθεντία magis conspicua fuit in Jobo quam in illis? Ego sane id animadvertere non possum. Etsi vero non diffiteor Jobi probationem & martyrum cruciatus, arguere majorem in Deo esse potestatem quam in ullo Principe aut Monarcha, quibus subditorum valetudine aut vita ad gloriam suam abuti nefas est; in illis tamen aperta satis divinæ æquitatis & justitiæ ratio conspicitur: ideoque necesse non est ad ea excusanda confugere ad jus istud αὐθεντικόν, de quo non male vulgare illud dici queat, *Summum jus summa injuria.* Deus enim vitæ, valetudinis, & omnium quæ possidemus bonorum, unicus est auctor atque largitor; & quando illa nobis utenda fruenda dedit, integram sibi servavit potestatem; quando & quocunque vellet modo repetendi: adeo ut ne vel minima in eo jure usurpando injustitiæ species sane judicanti apparere queat. Præterea si Deus erga Jobum aliquatenus & ad breve tempus jure isto usus est, quid obstabit quominus erga alios quoque, & ad longius tempus, imo forsan in æternum utatur? Nam ut supra *cap.* VII. Amyraldum concludentem audivimus, qui potest id quod minus, potest etiam id quod magis injustum est. Et Deus secundum αὐθεντίαν suum jus à promissis potest resilire, ut ipse quoque *cap.* XII. agnoscit. Quid ergo supererit, nisi ut fideles doctrina ista imbuti, perpetuis fluctuent dubitationibus, incerti an Deus vitæ æternæ promissum, quo se eis obstrinxit, præstituto tempore impleturus sit, an contra potius ipsos cum impiis in æternæ perditionis abyssum sit demersurus? Et amissa fidei ancora, nonne continuo omnes pie vivendi studium abjicient, carni habenas laxabunt, dicentque; *Edamus & bibamus; cras enim moriemur? 1 Corinth.* XV. 32. Hi sunt egregii fructus, qui ex illa infelici, quam Amyraldus plantavit, arbore sperari possunt. Quos ut Deus pro ineffabili bonitate sua, in ipso flore suffocet & perdat supplex oro. Atque ita sufficienter, pro instituti mei ratione, confutavi omnia quæ Amyraldus tum ad stabiliendam, tum ad asserendam ἄπαντι istam de Jure Dei in creaturas opinionem, in Dissertatione sua attulit.

Caput X.

Calvinum, una cum celeberrimis Reformatorum Doctoribus, objectum Reprobationis constituere hominem condendum: & quam absurda sit illa opinio.

SUpereſt nunc ut Amyraldo reponam argumenta, quibus in *Sententia* mea probavi, omnes abſolutæ reprobationis patronos ea docere, ex quibus invicta conſequentia colligitur, Deum id reapſe facere, quod ipſe jure illum facere poſſe dixit. Ad ea enim ne γρῦ quidem reſpondet. Solummodo de illis Calvini & Bezæ teſtimoniis, quæ adduxeram ut evincerem eam eſſe genuinam Reformatorum opinionem quam iis tribuebam, ait Diſſertationis ſuæ initio; *illa partim duriuſcula forte per ſe, & quæ ita dici poterant, ut eſſent minus calumniæ obnoxia; partim* à me *perperam accepta fuiſſe, & in alienum ſenſum detorta.* Cur autem iſtud dicat apparet ex *Doctrinæ Calvini, de abſoluto reprobationis decreto, defenſione*, quam ante paucos annos edidit; in qua ſub primi capitis initium ſcribit: *Quicquid nonnulli durius de objecto Prædeſtinationis & Reprobationis dixiſſe videantur, Calvinum in ea ſententia fuiſſe, ut putaret Dei voluntatem, de qua hic præcipue agitur, in eo negotio verſatam eſſe circa maſſam generis humani corruptam.* Sed neceſſe non erat Amyraldum tantopere de Calvino ſollicitum eſſe, ut ſola illius defendendi cauſa juſtæ magnitudinis volumen conſcribere non dubitaret. Parum enim refert ſcire quid Calvinus de hoc argumento ſenſerit aut non ſenſerit; ita ut mihi videatur eſſe hominis otio ſuo abutentis, tam prolixe ea de re diſputare. Nec ſufficientem ex Diſſertatiuncula *de abſoluto reprobationis decreto*, quam *Defenſione* ſua refutandam ſuſceperat, occaſionem habuit id faciendi: ſiquidem illa Calvinus nominatim aut ſupra alios non accuſatur, ſed communis eorum qui ſe Reformatos vocant opinio impetitur. Itaque etiamſi eviciſſet Calvinum non objeciſſe Deo reprobanti hominem condendum, nihil tamen promoviſſet. Verum multum abeſt ut id præſtiterit. Tam clare enim variis in locis Calvinus mentem ſuam aperit, ut nemo niſi is qui nodum in ſcirpo quærit, de ea ambigere poſſit. Nam quod Amyraldus ultimo ſuæ *Defenſionis* capite attulit ad illa eludendum, tam procul petitum eſt, ut cuivis attendenti appareat aquam ei hæſiſſe. Id quod mihi demonſtratu difficile non foret, niſi vererer Lectoris patientia abuti, deque ejus judicio diffidere. Illa igitur teſtimonia tantum hic denuo exſcribam, ut ea cum Amyraldi reſponſionibus conferre poſſit; deinde ad pleniorem rei fidem aliquot alia è celeberrimis Reformatorum Doctoribus excerpta auctarii inſtar adjiciam.

Agmen ducet inſignis locus, qui habetur in Calvini Inſtitutione religionis Chriſtianæ, lib. 3. cap. 21. §. 5. *Prædeſtinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud ſe conſtitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: ſed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quiſque* conditus eſt, *ita vel ad vitam vel ad mortem prædeſtinatum dicimus.* Et cap. 24. §. 12. *Quos in vitæ contumeliam & mortis exitium* creavit, *ut iræ ſuæ organa forent & ſeveritatis exempla; eos, ut in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat; nunc ejus prædicatione magis excæcat & obſtupefacit.* Item in *Epiſtolam ad Roman. cap. IX. verſ.* 18. *Corruit ergo frivolum illud effugium, quod de præſcientia Scholaſtici habent. Neque enim prævideri ruinam impiorum à Domino Paulus tradit, ſed ejus conſilio & voluntate ordinari. Quemadmodum & Solomo docet, non modo præcognitum fuiſſe impiorum interitum, ſed impios ipſos fuiſſe deſtinato* creatos *ut perirent.* Sane quos Deus eo fine condidit ut æternum cruciaret, non potuit cum reprobaret tanquam peccatores conſiderare. Sed ne quis Calvinum putet *creandi* voce abuſum, ad productionem quæ ex corrupta fit maſſa deſignandum; age alia afferamus loca in quibus à reprobationis decreto omne peccati meritum removet, & id ſoli Dei voluntati tribuit. In reſponſione ad Calumnias Nebulonis, ad artic. 21. ita loquitur: *Paulus quoque hanc agens cauſam, non temere Deum figulo comparat, cui liberum fuit ex eadem maſſa quam voluit vaſorum diverſitatem fingere. Poterat certe incipere à peccato; non facit, ſed in opificio ipſo liberum Dei jus & imperium defendit. Ubi vero ſubjicit, omnes ſub incredulitatem fuiſſe incluſos, an Deo invito id contigiſſe docet, ac non potius eo* AUCTORE? *Si excipias damnatos omnes fuiſſe incredulitatis ut digni erant; neque id contextus patitur, quia diſſerit Paulus de arcanis Dei conſiliis, & exclamatio illa repugnat. O altitudo, &c.* Et Inſtit. lib. 3. cap. 23. §. 1. *Quos Deus præterit, reprobat: neque alia de cauſa niſi quod ab hæreditate quam filiis ſuis prædeſtinat, illos vult excludere.* Et paulo poſt: *Addunt etiam non abs re vaſa iræ dici apparata ad interitum, vaſa autem miſericordiæ Deum præparaſſe: quia hoc modo ſalutis laudem Deo adſcribit & vendicat, perditionis culpam rejicit in eos qui proprio arbitrio eam ſibi acceſſunt. Sed ut illis concedam diverſa loquendi forma Paulum aſperitatem lenire prioris membri; minime tamen conſentaneum eſt, præparationem ad interitum alio transferre quam ad arcanum conſilium Dei: quod etiam paulo ante in contextu aſſeritur, Quod Deus excitaverit Pharaonem; deinde quos vult induret.* Et §. 2. *Primum ergo interrogant quo jure ſuis creaturis iraſcatur Dominus, à quibus nulla ante offenſa provocatus fuerit. Nam exitio devovere quos placuerit, tyranni magis libidini, quam legitimæ judicis ſententiæ convenire. Eſſe igitur cur cum Deo expoſtulent homines, ſi nudo ejus arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædeſtinantur. Ejuſmodi cogitationes ſi quando piis hominibus in mentem veniant, ad frangendos earum impulſus, vel hoc uno ſatis armabuntur, ſi reputent quanta ſit improbitatis, cauſas divinæ voluntatis duntaxat percontari: quum omnium quæ ſunt ipſa ſit cauſa, & merito eſſe debeat.* Et in libro de æterna Dei Prædeſtinatione: *Sed inſtat adhuc*

inuc Pighius, Dignos fieri interitu, non inveniri, siquidem verum est quod doceo, æterno Dei placito, cujus ratio non apparet, destinatos ad mortem esse qui pereunt. Respondeo tria hic esse consideranda; primo, æternam Dei prædestinationem, qua de toto genere humano, & de singulis hominibus, quid futurum esset statuit, antequam cecidisset Adam, fixam & decretam fuisse. In exemplari Gallico habetur, *Mesmes avant la cheute d'Adam.* Quæ verba non solum tempus, sed etiam ordinem respiciunt quem Deum in decreto suo observasse Calvinus putat. Alioquin æternæ prædestinationis mentione facta, ridiculum foret subjicere, Etiam antequam cecidisset Adam, si nihil aliud præter antecessionem temporis significare voluisset. Quis enim ignorat, id quod æternum est Adami lapsum præcessisse? Item in responsione ad Calumn. Nebul. ad artic, 1. *Unde etiam conficitur, quod de hominibus ad salutem creatis garris, mutilum esse & inconsiderate positum. Nam ut fatear nihil in homine fuisse saluti contrarium, proba omnibus salutem occulto Dei consilio fuisse prædestinatam. Breviter id repetam aliis verbis, Si natura spectetur integritas qua donatus in prima creatione fuit Adam, ad salutem creatum fuisse, quia nulla illic reperietur mortis causa: Si de occulta prædestinatione quæritur, occurrere profundam illam abyssum quæ in admirationem rapere nos debet. Imo si tantillo pietatis gustu imbutus esses, facile agnosceres non esse hoc perfectionis elogium; ac si pronunciaret Spiritus Sanctus, nihil excellentiæ deesse ullis creaturis; sed potius tibi ac tui similibus obstrependi materiam tolli: quia utcunque negetis bonum fuisse creari hominem hac lege, ut suo lapsu totum mundum statim corrumperet, pronunciat tamen Deus hanc rationem sibi placuisse, ideoque esse rectissimam. Quo melius intelligas Mosis sensum, non asserit quam justus vel integer fuerit homo; sed ut latratus vestros compesceret, docet ordinem illum sic temperatum à Deo fuisse, ut nihil rectius fingi queat. Itaque cum de singulis Dei operibus pronunciet, Deum vidisse quod fecerat, & omnia fuisse bona, de homine nihil tale specialiter affirmat: sed narrata ejus creatione, tantum in genere subjicit, quæcunque fecerat Deus fuisse valde bona: sub quo minime dubium est comprehendi quod docet Solomo, impios fuisse creatos ad diem malum.* Expressius sane Calvinus significare non poterat, quid per reproborum creationem ad interitum intelligeret.

Id non minus clare colligitur ex eo quod Dei decreto Adamum esse lapsum docet, & mera ipsius voluntate accidisse ut totum humanum genus eadem secum ruina involveret. Perinde enim est, sive quis reprobationem ex absoluto Dei beneplacito suspendat, sive eam peccato alicui, in quod immutabili Dei consilio inciderit homo, adscribat. Qua de re vide illustrem locum, Instit. lib. 3. cap. 23. §. 7. *Disertis verbis*, inquit, *extare negant decretum fuisse à Deo ut sua defectione periret Adam. Quasi vero idem ille Deus, quem Scriptura prædicat facere quæcunque vult*, ambiguo fine condiderit *nobilissimam ex suis creaturis.* (Nota hic præcipuum quo Supralapsarii nituntur argumentum.) *Liberi arbitrii fuisse dicunt ut fortunam ipse sibi fingeret: Deum vero nihil destinasse nisi ut pro merito eum tractaret. Tam frigidum commentum si recipitur*, ubi erit illa Dei omnipotentia, qua secundum arcanum consilium, quod aliunde non pendet, omnia moderatur? (Ecce alterum eorundem argumentum.) *Atqui prædestinatio, velint nolint, in posteris se profert.* Neque enim factum est naturaliter ut à salute exciderent omnes, unius parentis culpa. *Quid eos prohibet fateri de uno homine, quod inviti de toto humano genere concedunt? Quid enim tergiversando luderent operam? Cunctos mortales in unius hominis persona morti æternæ mancipatos fuisse Scriptura clamat.* Hoc cum naturæ adscribi nequeat, ab admirabili Dei consilio profectum esse minime obscurum est. *Bonos istos justitiæ Dei patronos perplexos hærere in festuca, altas vero trabes superare nimis absurdum est. Iterum quæro,* Unde factum est ut tot gentes, una cum liberis eorum infantibus æternæ morti involveret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia Deo ita visum est? *Hic obmutescere oportet tam dicaces alioqui linguas.* Decretum quidem horribile, fateor: *inficiari tamen nemo poterit quin præsciverit Deus quem exitum habiturus esset homo, antequam ipsum conderet, & ideo præsciverit quia decreto suo sic ordinarat.* Et in responsione ad Calumn. Nebul. ad artic. 1. *Interea hanc meam esse doctrinam agnosco, Non solo Dei permissu, sed arcano etiam consilio lapsum fuisse Adam, omnesque posteros suo lapsu in æternum interitum traxisse.* Et paulo post: *Quod si Deum naturæ legibus subjicere tibi propositum est, injustitiæ eum damnabis, quod ob unius hominis culpam omnes æternæ mortis reatu tenemur impliciti. Peccavit unus, omnes ad pœnam trahuntur: neque id modo, sed ex unius vitio omnes contagionem contrahunt, ut corrupti & mortifera labe infecti nascantur. Quid tu ad hoc bone censor? An Deum crudelitatis damnabis, quia suos omnes fœtus præcipitaverit in exitium, unius hominis lapsu? Etsi enim se & suos perdidit Adam, corruptionem tamen & reatum arcano Dei judicio adscribere necesse est; quia* nihil ad nos unius hominis culpa, *nisi nos cœlestis judex æterno exitio addiceret.* Vel unus duorum istorum locorum ad Calvinum Supralapsariis accensendum sufficeret.

Amyraldus tamen ut eum infra lapsum substitisse probet, in constituendo reprobationis objecto, profert quædam loca in quibus ille *corruptæ massæ* meminit, & hujus decreti æquitatem ab *originali peccato* arcessit. Sed facilis est responsio. Nam Calvinus ipse, qua ratione ista cum iis quæ attuli sint concilianda nos docet: nimirum adhibita distinctione inter propinquam reprobationis causam, quam residentem in nobis corruptionem esse vult, & remotam, quæ sit unicum Dei beneplacitum. Et quanquam variis in locis causam propinquam, veluti ad sententiæ suæ duritiem emolliendam aptiorem, magis videatur urgere: ita tamen id facit ut non raro *consilii arcani, voluntatis occultæ, judicii inscrutabilis*, & similium, quibus primam rejectionis causam solet designare, ibidem simul meminerit. Rem ita se habere apparet ex Instit. lib. 3. cap. 23. §. 8.

In corrupta, inquit, *potius humani generis natura evidentem damnationis causam, quæ nobis propinquior est, contemplemur, quam absconditam & penitus incomprehensibilem inquiramus in Dei prædestinatione. Neque immensæ Dei sapientiæ submittere huc usque ingenium pigeat, ut in multis ejus arcanis succumbat.* Et ex libro de Prædest. in quo hæc leguntur: Pighius objicit, *Quod si Deum respexisse dicimus quid cuique futurum esset, simul necesse erit fateri distinctionem inter electos & reprobos priorem fuisse hominis lapsu in mente divina. Unde sequetur non damnari reprobos quia perditi fuerint in Adam, sed quia ante lapsum Adæ jam exitio devoti erant. Respondeo, Nihil mirum esse si tam indiscriminatim omnia miscet Pighius in Dei judiciis, quando inter causas propinquas & remotas non discernit.* Et paulo post: *Si nihil obstat, quominus & prima interitus origo ab Adam cœperit, & proximam in se causam singuli inveniant; quid etiam impediet quin arcanum Dei consilium, quo præordinatus fuerat hominis lapsus, qua decet sobrietate procul adoret fides nostra, & tamen quod propius apparet conspiciat, totum humanum genus in Adæ persona æternæ mortis reatu constrictum esse, & propterea morti esse obnoxium? Non ergo discussit Pighius, sicuti putabat, optimam & aptissimam symmetriam, qua inter se causa propinqua & remota congruunt.* Sed quid opus est plura testimonia congerere, ad probandum hominem nondum conditum, ex Calvini sententia, esse Prædestinationis objectum, cum Gulielmus Twissus Anglus, inter ejus discipulos primarius, id non tantum confiteatur, sed etiam solidissime demonstret? cap. 2. digressionis 8. de Prædest. Adeat eum qui volet.

Calvinum sequitur Beza, qui cum ipso multos annos in Ecclesia & Schola Genevensi Theologiam docuit. Eum cum præceptore & collega suo committere tentat Amyraldus; sed irrito conatu. Nam ne minima quidem inter eos dissensionis umbra unquam apparuit. Adeo ut si Calvini de hoc argumento ambigua mens foret, à tam eximio ejus discipulo certissima illius interpretatio peti posset. Ita ergo de reprobationis objecto loquitur in Prælect. in *cap. IX. ad Rom. Æternum illud decretum de gloria sua in nonnullis, quos ipsi visum est, per misericordiam servandis, & in nonnullis justo judicio perdendis, patefacienda; non modo corruptionis, sed etiam integritatis, atque adeo ipsius creationis propositum, ordine causarum antegreditur.* Et in Annotat. suis in idem caput, ad vers. 21. *Qui massæ nomine humanum genus corruptum intelligunt, mihi non satisfaciunt in hujus loci explicatione. Primum enim mihi videtur nomen illud informis materiæ, ne condito quidem humano generi, nedum jam corrupto, satis convenire. Deinde genus humanum ut corruptum si considerasset Apostolus, non dixisset quædam vasa ad decus, quædam ad dedecus facta: sed potius quum omnia vasa ad dedecus essent comparata, alia in isto dedecore relicta, alia vero ab hoc dedecore ad decus translata. Postremo, nisi Paulus ad summum usque voluntatis divinæ, omnes secundas ad ejus executionem ordinatas causas ordine antegredientis, gradum conscendat, non satisfecerit objectæ quæstioni. Semper enim quæretur, ista corruptio temere evenerit, an vero secundum Dei propositum, ac proinde difficultas eadem recurret. Dico igitur Paulum elegantissima ista similitudine adhibita, ad ipsius Adami creationem alludere, & ad æternum usque propositum Dei conscendere, qui nulli neque ut creato, neque ut creando debitor, antequam humanum genus conderet, jam tum & in quibusdam per misericordiam servandis, & in quibusdam justo judicio perdendis, gloriam suam illustrare pro suo jure & mera voluntate decrevit. Et certe nisi ita esse statuamus, maxima injuria Deus afficietur, qui nec satis sapiens fuerit, qui prius homines condiderit, & corruptos sit intuitus, quam quorsum eos conderet constituerit: nec satis potens, si quum aliud de iis creandis consilium cepisset, ab alio impediatur quominus quod ab æterno decrevit assequatur: nec satis constans, si volens & ultro, post corruptum opificium suum novum consilium cepit.* Et in notis minoribus: *Quum igitur dedecoris nomine æternæ mortis ignominia notetur, cum Paulo loquuntur, qui quosdam dicunt ad justum exitium à Deo conditos esse. Et qui hac formula offenduntur, inscitiam suam produnt.*

Bezæ adjungemus Chamierum, qui in Panstratiæ suæ Catholicæ Epitoma, Tom. 3. lib. 8. cap. 1. sic loquitur: *Quid ad Prædestinationem, Deum condidisse primum hominem? Nam illa conditura, creatio est, nec est æterna. Prædestinatio autem æterna. Non potest ergo sequi creationem: quæ est potius Prædestinationis exsequutio.* Ergo, secundum hunc auctorem, Deus prædestinans non consideravit hominem ut jam lapsum, sed ut adhuc condendum.

Sed præ cæteris copiosus est in hac materia Joannes Scharpius, Theologiæ apud Dienses in Delphinatu Professor. Is in Cursu suo Theologico, loco de Prædestinat. parte secunda de Reprobat. Controversia prima, scribit: *Nos dicimus veram causam damnationis esse peccatum, & Deum decrevisse damnare propter peccatum: at causam decreti reprobationis, nec fuisse prævisum peccatum, nec prævisam infidelitatem, nec odium Dei adversus reprobandos, sed solam Dei εὐδοκίαν.* Et postea variis argumentis probare contendit, atque adversus objectiones in contrarium defendere; 1, solam Dei εὐδοκίαν causam impellentem reprobationis esse: 2, peccatum non esse ejus causam. Quintum hujus partis argumentum est: *Si finis reprobationis est ut per illam Deus ostenderet suam potestatem de suo faciendi quod vult, & jus atque auctoritatem in omnes; tum causa impulsiva reprobationis est sola Dei voluntas non peccatum. At prius est Rom.* IX. 17. & 21. Sextum: *Si reprobatus fuit Esau cum nihil mali adhuc fecisset, tum peccatum non est causa reprobationis, quia reprobationis omnium eadem est causa. At prius est, Rom.* IX. 11. Undecimum: *Si decreti reprobationis causa esset peccatum, tum aut originale aut actuale. At non originale; quia tum omnes homines naturaliter nascentes reprobati fuissent, cum omnes peccato originali sint infecti. Nec actuale; quia sic nulli infantes vel Iudæorum & Turcarum, vel in utero matris, vel paulo post nativitatem mortui, à Deo reprobati essent. Ergo, &c.* Deinde de mediis exsecutionis decreti electionis & reprobationis agens: *Media*, inquit, *sunt vel electis & reprobis*

bis

bis communia, vel iis propria. Communia sunt tria. 1. Creatio. 2. Lapsus. 3. Extremum judicium.

Si è Gallia in Angliam transfretare libeat, occurret nobis primum G. Witakerus, celeberrimus Theologiæ in Academia Cantabrigiensi Professor. Is in Cygnea sua cantione sic de proposita quæstione disserit: *Hinc apparet, quod de luto & figulo Paulus introducit, non posse melius exponi quam de massa incorrupta. Si enim corruptio massæ esset causa cur Deus vasa ad ignominiam faceret, nullum fieret vas ad honorem. Tum, si per lutum aut massam Adamus corruptus intelligatur, quomodo conveniet quod Apostolus ait*, Annon habet figulus potestatem ex eadem massa faciendi aliud vas ad decus, aliud ad dedecus? Ex *horum expositione, Adamus non ex massa factus, sed ipsa massa est: & tamen Adamum ipsum ex massa ea factum esse constat, in quam figulus potestatem habet. Hunc enim primum Deus ex illo luto finxit & formavit. Quare Bucerus (in IX ad Roman.) per massam intelligit primam humani generis originem, ex qua homo conditus à Deo & fabricatus est.* Huic adjungamus Perkinsum, qui in libello de Prædest. & gratia Dei scribit: *Duplex est reprobationis actus. Prior est propositum deserendi quosdam homines, justitiamque in eis declarandi. Hujus actus causa finalis dari potest, impulsiva extra Deum dari non potest. Oritur enim ex mero Dei beneplacito, nullo habito respectu vel boni vel mali in creatura. Nam voluntas Dei est causa causarum. Ibi ergo consistendum est, & extra vel ultra illam ratio non quærenda: imo ultra nihil est. Deinde omnis homo (assertore Paulo) est ad Deum ut massa luti in manu figuli: & proinde Deus pro summo jure suo vasa ad iram facit, non invenit. Non autem faciet, sed à seipsis facta inveniet, si in æterno consilio suo dicamus eum homines qua peccatores tantum, non qua homines præterire, justissimis, licet nobis ignotis, rationibus voluisse.* Et aliquanto post: *Secundus actus est ordinatio ad pœnam sive justum exitium. Ordinatio ista pro vario cogitandi modo distingui potest in simplicem & comparatam. Ordinatio simplex est qua iste, puta Petrus vel Ioannes, ordinatur ad pœnam. Estque ordinatio ista à justissima Dei voluntate, non tamen excluso respectu originalis vel actualium peccatorum. Ut enim actu damnantur homines ob peccatum, ita decrevit Deus eosdem damnare ob idem peccatum. Non est tamen peccatum decreti damnationis causa, sed in præscientia divina ordinis ratione antecedit, non quidem priorem illum, sed hunc posteriorem actum. Ordinatio comparata est qua unus non alius, & in pari conditione iste magis quam ille ad pœnam ordinatur.* Et paulo post. *Istius reprobationis comparatæ causa est mera Dei voluntas, etiam absque respectu illius peccati.*

Perkinsum sequatur Twissus, ejus dogmatum adversus Arminium acerrimus defensor. Is non obiter atque aliud agens, ut plerique alii, argumentum istud attingit, sed decem vel undecim integris tractatibus explicat. Peculiares ex iis sententias excerpere superfluum est. Solummodo capitum aliquot lemmata adscribam, è quibus Lector facile colliget quid inibi invenire possit; ut, si tanti id putet, loca ipsa consulat. Digressionis tertiæ de Prædestinat. caput 5. *In quo probatur objectum Prædestinationis universæ esse massam nondum conditam; nec tamen cujusquam reprobationem fieri citra considerationem peccati.* (nimirum tanquam medii exsequendo isti decreto subordinati.) Digressio sexta, *In qua progressio fit ad argumenta Molinæi pro massa corrupta, tanquam Prædestinationis objecto militantia, consideranda atque refellenda.* Digressio septima, *Utra sententia magis congruat cum doctrina Apostolica IX capite ad Romanos? illane quæ massam corruptam Prædestinationi præstruit; an potius illa quæ massam incorruptam, seu potius illa quæ nondum conditam?* Et asseritur posterius. Denique Digress. 3. de Reprobat. *An peccatum sit causa reprobationis?* Et contendit non esse. Magni autem ponderis debet esse hujus Auctoris testimonium duabus de causis. 1. Quia post Synodum Dordracenam scripsit, in qua contrariam opinionem stabilitam fuisse putat Amyraldus; & nihilominus liber ejus gemina editione Amstelodami prodiit, atque ab omnibus ubique locorum Reformatis cum applausu exceptus est, hodieque etiamnum cum subtilitatis admiratione ab iisdem legitur. 2. Quia in illo totius Ecclesiæ Anglicanæ, qua à partibus Calvini stat, consensum habemus: siquidem Synodi quæ Londini ab aliquot jam annis habetur est Præses; ad quod munus electus non esset nisi valde purus in fide fuisset judicatus: imo laborum in controversia Prædestinationis adversus Arminium exantlatorum merito, videtur eo pervenisse.

Sed satis commorati sumus in Anglia, trajiciamus tandem in Germaniam. Ibi primo audire poterimus duos celebres Italos, Petrum Martyrem Florentinum, & Hieronymum Zanchium Bergomatem. Martyrem quidem aliquamdiu Oxonii Theologiæ Professorem, postea Bezæ in Colloquio Possiaceno socium, & qui Tiguri Helvetiorum cursum consummavit. Is in loco de Provid. & Prædest. scribit: *Aliquos esse creatos à Deo ut pereant, videtur prima fronte absurdum. Scriptura tamen id dicit, figulum facere alia vasa in honorem, alia in contumeliam: & Deum Pharaonem constituisse, ut sua potentia in eo declaretur. Dicitur etiam tulisse multa patientia vasa iræ aptata ad interitum, ut suam iram ostenderet. Facit etiam impium ad diem malum.* Zanchius vero qui primo Argentinæ, deinde Heidelbergæ docuit, in Miscellaneis, tractatu de Prædest. Sanctorum, cap. 4. thes. 8, dicit: *Etsi Deus ab æterno certos quosdam ad communionem salutis in Christo elegit, alios vero ab eâ exclusit, pro suo beneplacito; ac proinde quosdam creat in hunc finem ut serventur, & ita in eis suam declaret misericordiam; alios vero ut perdantur, & ita in eis suam patefaciat justitiam: non propterea tamen Deum esse injustum, crudelemve tyrannum, aut acceptatorem personarum, doceo atque defendo.*

Exquiramus etiam quid Amandus Polanus Basileæ docuerit. Is in Syntagmate suo Theologico lib. 4. cap. 10, scribit: *Cujus causa efficiens extra Deum nulla est, ejus proinde causa efficiens non est peccatum: At decreti reprobationis causa efficiens* (impellens nempe, ut ex præcedentibus patet) *extra Deum nulla est. Ergo, &c.*

Assumptionem probamus: Nam consilii æternæ voluntatis Dei causa movens extra Deum nulla est: At decretum reprobationis est consilium æternæ voluntatis Dei. Ergo decreti reprobationis causa movens extra Deum nulla est. Et paucis interjectis: *Si decreti reprobationis causa efficiens est peccatum, tum aut originale erit aut actuale. At originale peccatum decreti reprobationis causa non est, quia sic omnes homines naturaliter nascentes reprobati fuissent, quum omnes peccato originali sint infecti. Neque etiam actuale peccatum est ejus causa, quia sic nulli infantes, etiam blasphemorum Judæorum, Turcarum & aliorum Gentilium, vel in utero materno, vel paulo post nativitatem mortui, essent à Deo reprobati. Ergo decreti reprobationis causa efficiens non est peccatum.* Consulamus denique Joannem Piscatorem Herbornæ professorem. Is in Appendice ad tractatum de Gratia Dei universali contra Hemmingium, hanc quæstionem ex professo tractans scribit: *Objectum prædestinationis esse hominem consideratum & ut nondum conditum, & ut conditum, sed adhuc integrum, & ut lapsum peccatoque corruptum.* Et se ad illud probandum accingens hanc prædestinationis descriptionem præmittit: *Prædestinatio est æternum Dei decretum quo constituit condere homines ad diversos fines speciales: nempe alios ad fruendum salute æterna, alios vero ad sentiendum cruciatus æternos seu ad æternum exitium: itemque constituit permittere ut isti omnes integri conditi in peccatum laberentur; idque propterea ut quos conditurus erat ad salutem, servaret ex misericordia, quos vero ad exitium, puniret ex justitia: & denique constituit ex lapsis illos quos ad salutem conditurus erat, eligere ad hoc ut eos ex misericordia servaret; quos vero ad exitium, reprobare ad hoc ut eos ex justitia puniret: atque ita omnibus istis modis gloriam tum misericordiæ suæ parcentis, tum justitiæ punientis, tum vero in primis potestatis suæ summæ patefaceret.* Probatis deinde singulis descriptionis hujus membris, ita porro ratiocinatur: *Si Deus hominum alios ab æterno decrevit servare ex misericordia, alios punire ex justitia: ergo homines tum servandos tum puniendos consideravit & ut nondum conditos, & ut conditos integros, sed labi potentes, & denique ut lapsos: Ratio, quia nisi tribus istis mediis intervenientibus ad fines illos pervenire non potuit, ut per se patet. Atqui verum est antecedens, ut supra est demonstratum. Verum igitur est & consequens; ac proinde homo est prædestinationis objectum triplici illo modo consideratus.* Hunc potius locum ex isto auctore adduxi quam ullum alium, quod ex eo intelligere possimus quo sensu Calvinus aliquando homines ut nondum conditos, aliquando ut lapsos à Deo reprobante consideratos dicat; & eum, postremum istud asserendo, primum nequaquam voluisse evertere.

Pergit Amyraldus in eodem suæ *Defensionis* capite, & cum Calvino ait consentire *Confessionem Ecclesiarum Galliæ reformatarum, & Synodum Dordracenam.* Sed si quis Confessionem illam propius inspiciat, facile agnoscet quæstionem de reprobationis objecto ibi non attingi. Verba ejus artic. 12, sunt: *Credimus Deum ex ista corruptione & maledictione generali in quam omnes homines dimersi sunt, liberare eos quos in æterno suo consilio & immutabili elegit, ex mera sua bonitate & misericordia in Domino nostro Jesu Christo absque consideratione operum: cæteros relinquens in eadem corruptione & damnatione; ad demonstrandam in his suam justitiam, in illis vero divitias suæ misericordiæ.* Quæ non de Prædestinationis decreto, sed de ejus executione agere perspicuum est. Imo plerique docti qui Confessioni illi adhæserunt viri (ab initio præsertim, cum de mente auctorum melius constaret) ea Supralapsariorum sententiam doceri crediderunt. Qua de causa Petrus Molinæus, in Agri Parisiensis & adjacentium provinciarum Synodo, me præsente à Joanne Lievino maximo natu illius provinciæ pastorum (erat enim tunc, si bene memini, octogenarius) viva primum voce, deinde prolixo satis scripto fuit accusatus, quod in sua recenter edita *Arminianismi Anatome*, in qua Sublapsariorum opinionem tuetur, à Confessione recepta discederet. De cujus sensu sibi certius quam Molinæo constare dicebat, quod primæ reformatarum Galliæ Ecclesiarum Synodo, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono habitæ, in qua Confessio illa fuerat composita, interfuisset. Quod ad Dordracenam Synodum attinet, verum quidem est eam in Canonibus suis ab Adami lapsu reprobationem ordiri: sed cum nullibi eos qui altius ascendunt damnet, credibile non est illorum sententiam serio ipsi displicuisse. Nam si quis eam in Conclusione rejici putet, is longe à Synodistarum mente aberrat. Verba enim quibus videntur damnare eos qui sentiunt, *Deum nudo puroque voluntatis arbitrio, absque omni ullius peccati respectu vel intuitu, maximam mundi partem ad æternam damnationem creasse & prædestinasse*, non continent veram doctrinæ illius improbationem, sed potius querelam de adversariorum calumnia, quasi falso hæc reformatis affinxissent Ecclesiis, quæ nusquam in earum Confessionibus, aut in hujus Synodi decretis leguntur. Sed dices, Ibidem tamen asseritur, *Ecclesias reformatas hæc non solum non agnoscere, sed etiam toto pectore detestari.* Ita est: verum id de ista opinione in se considerata non intelligunt; sed quatenus his quibus eam expresserunt, aut similibus verbis enunciatur. Non solent enim Supralapsarii dicere Deum quosdam ad æternam *damnationem* creasse & prædestinasse; eo quod *damnatio* actum judicialem designet, ac proinde peccati meritum præsupponat: sed malunt uti voce *exitii*; ad quod Deus, tanquam absolutus Dominus, jus habeat creandi & destinandi quoscunque voluerit. Et quamvis doceant Deum hominis peccato non fuisse motum ad eum æterno interitui devovendum, fatentur tamen id eum sine omni peccati respectu vel intuitu non fecisse: cum peccato tanquam medio ad sui decreti executionem uti statuerit. Hanc fuisse Dordracenæ Synodi mentem ex eo colligitur, quod aliquot ex præcipuis ejus membris Supralapsariorum sententiæ fuerunt addicti, & eam ibidem propugnarunt, nec tamen eo nomine sunt reprehensi. Talis fuit

fuit Festus Hommius Synodi Actuarius, qui in Thesauro suo Catechetico scribit: *Impellens sive movens causa reprobationis nulla etiam alia est quam solum beneplacitum Dei & propositum.* Et aliquanto post: *Fructus rejectionis, aut ea quæ ex rejectione consequuntur, sunt primo, Creatio reproborum, Rom. ix. v. 17. Secundo, Desertio, sive subductio gratiæ Dei & mediorum. Tertio, Excæcatio & induratio. Quarto, Perseverantia in peccatis.* Item Franciscus Gomarus, cujus hæc sunt verba in judicio suo Synodo exhibito. De reprobat. thes. 2. *Reprobatio peremptoria est decretum Dei, quo pro voluntate sua liberrima, ad declarationem justitiæ suæ vindicantis, certos ex humano universo genere homines, nec gratia, nec gloria donare, sed in peccatum libere prolabi permittere & in peccatis relinquere, justeque tandem propter peccata condemnare constituit.* Et thes. 6. *Causa impulsiva antecedens reprobationis à gratia ac gloria ad justam damnationem, est solum liberum Dei placitum; etsi executionis ipsius seu justæ damnationis causa sit quodvis peccatum ab homine factum, à Deo permissum ac toleratum.* In eadem etiam fuerunt sententia Deputati Hollandiæ Australis, Balthasar Lydius, & Gisbertus Voetius, nunc Ultrajectinus professor, ut liquet ex ipsorum judicio Synodali, in definitione reprobationis, ubi nullam lapsus, ut neque Gomarus, faciunt mentionem: contenti dicere, *Deum decrevisse ad gratiam & gloriam quasdam singulares personas non eligere seu præterire, sibique ipsis relinquere, & juste propter peccata damnare, ad laudem justitiæ suæ.* Isti omnes Synodi Dordracenæ decretis subscripserunt: quod procul dubio non fecissent, si sententiam suam supra citatis Conclusionis verbis damnari credidissent. Et cum multi post istam Synodum, tam in Belgio quam aliis in locis ubi recepta est, Supralapsariorum opinionem publicis scriptis & concionibus defenderint, nunquam tamen auditum fuit quemquam illorum eam ob causam vel minima censura fuisse notatum. Quod sane non leve indicium est, eam judicatam non fuisse Dordracenis placitis adversari.

Ex hac ergo testimoniorum sylva clare liquet, me non immerito in *Sententia* mea scripsisse, quod Amyraldus Deum pro supremo suo & αὐθεντίᾳ in homines jure facere posse dixit, id omnes absolutæ reprobationis defensores, in primisque Supralapsarios, ipsum reipsa facere existimare; atque ita Deo factum benignitati & justitiæ illi perfectissimæ, quam toties Sacræ literæ nobis deprædicant, è diametro oppositum tribuere. Non me latet quidem illos ad hunc ictum evadendum solere excipere, Deum reprobationis decretum non exsequi, nisi postquam reprobi se peccatis suis inferni cruciatibus dignos reddiderunt. Sed commentum istud tegendæ opinionis illius absurditati inutile est. Quæram enim, Annon posset Deus decretum suum absque peccati interventu exsequi? Si affirment, habebo quod volo. Si negent, quæram rursus cur id non possit? Respondebunt, quia foret injustum. Inde autem quid sequatur nemo non videt: nimirum injustum quoque fuisse decretum quod factum est sine ullo ad peccatum respectu. Nam quod non potest juste exsecutioni mandari, neque juste potest decerni. Deinde, cum decretum reprobationis non debeat esse irritum, & tamen ad illius exsecutionem peccati interventus sit necessarius, oportet Deum rem ita occulta sua providentia administrare, ut peccatum necessario in mundum ingrediatur, & totum genus humanum pervadat inficiatque. Quod quidam eum fecisse docent, non dando Adamo & Evæ sufficiens auxilium ad resistendum tentationi Satanæ; alii vero, subtrahendo id quod ante dederat, suisque eos naturalibus viribus permittendo; alii alia ratione. Alioquin enim fieri potuisset ut homo in primæva sua integritate perseveraret, & ita Deus idoneam ad exsequendum reprobationis decretum viam non inveniret. Præterea cum non satis esset primum hominem peccare, sed necesse foret ut omnes ejus posteri peccati labe inquinarentur, ut Deus in eo electis condonando misericordiam, & in reprobis ulciscendo justitiam suam patefacere posset; dicunt iidem Deum decrevisse ut universum genus humanum, quod in Adami lumbis inclusum erat quum peccavit, simul cum eo caderet & damnationis æternæ reum fieret: deincepsque omnes qui ab eo originem traherent adeo depravati & corrupti nascerentur, ut toto vitæ suæ tempore in odium Dei & proximorum proni essent, & ad omne bonum inutiles. Hoc posito, putant Deum juste miseros illos reprobos in inferorum barathrum demergere posse, eosque nullum de ipsius inclementia conquerendi jus habere, quod dignam condemnationis causam in se inveniant. Sed tantum abest ut ea ratione medeantur incommodo quod vitare voluerunt, ut contra multis partibus aggravent, Deumque multo injustiorem nobis depingant, quam si æternis cruciatibus insontes vexaret. Præstaret enim innocentem perire, quam necessario in peccatum incidere ut exitium meritus esse videaris. Quare valde miserum est patrocinium quod Bezæ commodat Amyraldus sub initium suæ in me Dissertationis, dicens: *Eum quidem statuisse, Deum usque ab ultima æternitate, homines seposuisse quosdam quos amaret, alios vero arcano quodam consilio secretos, odio suo destinasse. At actu neminem odio habitum esse docere, nisi propter peccatum, neminem vero damnatum esse, nisi qui jam sit odio actu habitus. Itaque inter separationem illam atque destinationem ad odium, & damnationem ipsam, peccatum intercessisse, quod justam damnationi destinatæ præbuerit occasionem.* Nam secundum Bezæ sententiam, quos Deus destinat odio, destinat etiam ad peccatum, tanquam ad causam actualis odii, ut ipsemet disertis verbis profitetur, ita scribens in libro adversus Castellionem, articulo de natura veri & falsi Dei: *Quod subjicis Deum non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis prædestinasse quoscunque libuit, verum esse agnoscimus.* Imo postea Bezæ causam prodere videtur, cum præceden-

dentibus addit: *Se non interponere judicium suum, an ista duo perinde se habeant, destinare odio & revera odisse: sed si vir ille præstantissimus Beza revivisceret, reperturum fortasse viam aliquam atque rationem, expediendi id quod Arminius ejusque asseclæ implicitum & involutum esse jactant.* Nam quicquid fingi possit in contrarium, verum erit in æternum, neminem posse quemquam odio destinare nisi ex odio, licet actu odisse nequeat antequam is quem odio habet actu existat.

Simul testimoniis istis Dissertatiunculam *de absoluto reprobationis decreto*, à calumniæ accusatione, quam ei intentat Amyraldus, vindicavimus; maximamque *Defensionis Calvini* partem, quæ id unicum tractat, solide confutavimus.

Caput XI.

Nihilo saniorem esse sententiam, quæ Deo reprobanti hominem in Adamo lapsum objicit, ea quæ supra lapsum ascendit. Ubi de peccato originali agitur.

NUnc Amyraldum Sublapsariorum opinionem obiter propugnantem, etiam audiamus. Illius æquitatem duabus ibidem rationibus ostendere nititur, inquiens: *Certe, si quemadmodum Angelis qui lapsi sunt ab origine sua, præcisa est omnis spes instaurationis, Deo libuisset genus humanum universum eadem severitate in exitio relinquere, nihil est quod cum eo propterea expostularemus.* Ita-ne Amyralde? Tibi-ne peccatum quod nondum nati in Adami lumbis perpetrasse dicimur, peccato quod Dæmones scientes volentes, atque adeo ex mera malitia commiserunt, æquiparandum videtur? Sed quis ista toto cœlo distare non agnoscit? Nisi forte ad exemplum Calvini non minus Angelorum quam hominum absolutam reprobationem statuamus. In hac enim illum fuisse sententia arguunt quæ scribit Instit. lib. 3. cap. 23. § 4. *Angelos qui steterunt in sua integritate, Paulus electos vocat. Si eorum constantia in Dei beneplacito fundata fuit, aliorum defectio arguit fuisse derelictos. Cujus rei causa alia non potest adduci, quam reprobatio quæ in arcano Dei consilio abscondita est.* Quod nescio an vere & ex animo Amyraldus improbet. Quæ enim subjicit, *Nemo dixerit malos Angelos pœnis æternis subditos esse ex absoluta Dei voluntate seposito peccato*; non videntur Calvini menti repugnare; qui licet censeat Angelos aliquot antequam id essent commeriti, à Deo arcano consilio fuisse derelictos, ut in peccatum laberentur, & ita eos puniendi occasionem haberet; nunquam tamen asseruit eos absoluta Dei voluntate pœnis æternis subditos esse, sine ullo peccati intuitu. Si ergo cum præceptore suo absolutam tam Angelorum quam hominum reprobationem ponat, agnoscam non majorem hos quam illos conquerendi causam habituros; sed ita tamen ut addam, id neque cum bonitate neque cum justitia Dei convenire, & perpetuo Sacrarum literarum tenori repugnare, quæ unicam desertionis divinæ causam peccatum esse ubique clamant. Si aliter sentiat, perperam suam de hominum reprobatione opinionem hoc exemplo tueri vult. Ex eo enim tantum colligitur, Deum non minore quam malos Angelos jure, Adamum & Evam qui scientes & volentes mandatum sibi datum sunt transgressi, potuisse in perditione sua relinquere. Posterorum vero qui in istud peccatum nec consenserunt nec consentire potuerunt, plane diversa est ratio.

Altera Amyraldi similitudo non minus claudicat, videlicet: *Si ex magna multitudine reorum quos idem crimen, eadem pœnæ ferendæ necessitas implicuit, summus magistratus quibusdam clementer parcere constituat, ceteri non ideo minus juste puniri videbuntur.* Supponit enim istos omnes vere pœnam esse commeritos. Sed an peccatum quod dicitur originis, homines vere & proprie reos faciat, divinæque maledictioni obnoxios, est ipsum τὸ κρινόμενον. Pro tam gravi crimine apud Deum haberi ex Sacris literis non probatur; imo, ut mox dicam, contrarium potius ostendi potest. Adde quod si magistratus omnibus istis reis spem veniæ sub certa conditione fecisset, ut quidem Deus facit peccatoribus, quibus verbum suum annunciari curat, non posset juste partem eorum absoluto decreto pœnæ addicere. Nulla igitur parte sanior est sententia ista quæ hominem in Adamo lapsum pro reprobationis objecto constituit, altera quæ supra peccatum & creationem ascendit. Quantulum enim, quæso, est discrimen inter ista duo, aliquos absoluto decreto sine peccati intuitu ad æternos cruciatus prædestinare; Et id facere propter peccatum ante sex annorum millia, aut circiter perpetratum; quod (ut supra Calvinum docentem audivimus) *nihil ad nos pertineret, nisi nos cælestis judex æterno exitio addiceret?* Imo, si præjudicium absit, absurdior hæc quam illa videbitur opinio, in eo quod Deum prætextum justitiæ in re ab omni justitia aliena quærentem inducit: perinde ac lupus de quo apud Phædrum, cum agnum vorare statuisset:

Ante hos sex menses, ait, maledixisti mihi.
Respondit agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injusta nece.

Excipiunt; homines cum nascuntur non esse insontes, sed Adami peccato inquinatos. Adamum enim & Evam primo quod commiserunt peccato naturam suam corrupisse, & corruptionem istam ad posteros transmisisse: indeque fieri quod statim ab ortu peccatores simus, veluti qui à leprosis parentibus progeniti sunt, lepræ semina ex illis trahunt. Sed dato non concesso, primos nostros parentes naturam suam ita depravasse; de quo postea videbimus: respondeo eandem non esse peccati atque morborum corporis rationem. Hi à parentibus propagantur in liberos absque liberorum consensu, imo ipsis plane invitis: illud vero minime. Peccatum enim est voluntatis actio: voluntas autem notitiam præsupponit. Ubi illa desunt,

desunt, neque verum peccatum pœna dignum inveniri potest. Eaque de causa mente capti, quicquid agant, non censentur peccare, nec pœnæ subjiciuntur. Imo in eo qui rationis est compos, factum materialiter malum, per ignorantiam admissum, crimine vacat; non tantum in foro humano, sed etiam in divino. Deus enim qui volebat ut ille qui de industria & per insidias occiderat proximum, etiam ab altari suo avelleretur ad supplicium, asyla constituerat, ubi securi possent degere qui imprudentes homicidium perpetrassent, *Exod.* XXI. *Numer.* XXXV. An ergo mortis reum duceret recens natum infantem, qui nullam boni & mali notitiam habet, imo inter manum dextram & sinistram discernere nequit? Deinde etsi parentes liberis per generationem propensiones aliquas ad malum communicent, peccatum tamen ipsum non communicant. Propensiones enim istæ vera non sunt peccata, quamdiu peccandi voluntas non accedit, aut opere non implentur: sed sunt morbi aut vitia naturæ, quæ neminem coram Deo reum reddunt, & quorum causa quemquam in ignem æternum conjicere, non minus iniquum foret, quam cæcum natum plectere quod verbi divini lectioni non incumberet, aut surdum quod illud non audiret. Ab arbitrio enim nostro non pendet ut cum bonis potius quam cum malis inclinationibus nascamur. Nec Deus qui æquissimus judex est, id à quoquam exigit. Nam legem suam non fert nascituris, sed jam natis & rationis compotibus. Adde quod explicari non potest qua ratione peccatum à parentibus in sobolem derivetur. Id enim non fit per animam, quæ immediate à Deo creari, ac proinde pura & sine labe esse, creditur. Neque per corpus; quia corpus anima destitutum nihil aliud est quam truncus iners, & non magis peccati capax quam lapis aut lignum. Unde etiam sequitur, animam à corpore non infici, cum nemo id quod non habet alteri communicare possit. Idque diserte agnoscit Szydlovius, Vindic. cap. 7. dicens: *Peccatum originale ab Adamo non propagatur in nos per corpus; quia illud contradistincte ad animam non est capax peccati: nec per animam; quia illa pura à Deo creatur, nulloque modo à corpore, utpote spiritus, infici potest. Ergo per imputationem.* Nec diffitetur Calvinus, qui ut præcedente capite annotavi, dicit, *non esse factum naturaliter, ut à salute exciderent omnes unius parentis culpa*, &c. Propterea que Synodus nationalis Charentone initio hujus anni CIↃ IↃ CXLV congregata, tantopere de retinenda peccati Adami imputatione fuit sollicita, ut decreverit muneribus removendos omnes Pastores & Professores, qui eam in controversiam traherent, neminemque deinceps ad Sacrum ministerium admittendum qui non confiteatur. (Quod qua occasione sit factum Amyraldus non ignorat.) Vidit enim actum esse de peccato originis, si ad illius defensionem imputatio non advocaretur, cum propagationis ratio inexplicabili difficultate laboret.

Horsum autem affertur, Adamum peccando personam sustinuisse totius generis humani, quod in illius lumbis erat cum mandatum de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali transgressus est: Ideoque nos omnes in illo peccasse, quemadmodum Levi decimatus est in Abrahamo, cum is decimas prædæ suæ Melchisedecho persolvit, *Hebr.* VII. 9. Sed nullibi in Sacris literis id de Adamo legimus, ideoque pro puro puto humani ingenii figmento habendum est, cui dogma fidei superstruere absurdum foret. Ac sane is non alia ratione posterorum personam sustinuit, quam cætera stirpium capita, eorum qui ab ipsis originem ducunt. Quis autem dixerit singulis hominibus omnium suorum majorum peccata imputari? Imo nequidem Deus à liberis reposcere vult proximorum parentum ἁμαρτήματα. *Anima* enim, inquit ille, *quæ peccaverit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum*, *Ezech.* XVIII. Attamen, dices, Deus in Decalogo sibi tribuit, quod *visitet iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt ipsum*. Ita est: sed nihil ad rem facit, nisi prius probatum sit liberos illos, quos Deus ob parentum idololatriam se puniturum minatur, nullius peccati esse reos. Nam si rei sint, nihil obstat quominus Deus à parentum peccatis ipsos puniendi occasionem arripere possit, alioqui majore erga ipsos patientia & lenitate usurus. Sed inter illos impiorum liberos multi sunt parvuli, & nullius adhuc actualis peccati rei, qui morte violenta absumuntur, ut in diluvio contigit, & sæpe alias. Fateor: sed mors ista respectu patrum tantum habet rationem pœnæ: quod ad infantes vero non est pœna, sed effectum illius absolutæ potestatis quam Deus in omnes creaturas habet, τὸ εἶναι quod dedit, quando & qua vult ratione ab ipsis reposcendi.

Nec ulla vis est in Levi exemplo, ad probandum id quod in quæstione est. Figura enim est in verbis Apostoli, ut apparet ex emollitione qua utitur, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ut ita loquar. Itaque ex iis ad summum nihil aliud concludi potest, quam nos figurata aliqua loquendi ratione posse dici in Adamo peccavisse. Sed cum omnis justa pœna peccato quod vindicat debeat esse ἀνάλογος, si quam mereatur pœnam istud peccatum, illa nobis in Adamo foret subeunda, in quo peccasse perhibemur. Et sicut figurate tantum, non vero proprie, peccavimus; pœnam quoque figuratam & improprie dictam ferre nos oporteret. Alioquin infinitis partibus pœna culpam excederet; nullaque esset inter eas proportio, si qui in aliena persona peccarunt in sua plecterentur, & qui tropice solum peccarunt pœnis proprie dictis subjicerentur. Quodammodo igitur & ὡς ἔπος εἰπεῖν, in Adamo pœnas luimus, quia cum illo paradiso ejecti, usu arboris vitæ prohibiti, & æternæ morti obnoxii facti fuimus:

quod non evenisset si ille cum omnibus majoribus nostris se Deo morigerum præbuisset: at nobis non est pœna, sed nascendi conditio: quemadmodum paupertas, illi cujus pater ob maleficium bonis mulctatus est.

Dices, hoc est quod volo, nimirum nos propter Adami peccatum morti æternæ mancipatos esse. Minime vero. Aliud enim est mors æterna, aliud cruciatus æterni, ad quos reprobi dicuntur à Deo destinati. Nec cruciatus illi possunt intelligi verbis comminationis Adamo factæ, *Morte morieris*, *Gen.* II. 17. Nunquam enim tali sensu phrasis hæc accipitur, sed tantummodo mortem certam & inevitabilem significat; ut videre est in omnibus locis ubi occurrit. Vide ex. gr. *Gen.* XXVI. 11. ubi legitur Abimelechum omnibus suis subditis edixisse de Isaaco: *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Et 1 *Samuel.* XIV. 39. ubi Saul ait: *Vivit Dominus Salvator Israel, quia si per Jonathanem filium meum factum est, morte morietur:* ut in Hebraico textu legitur. Quæ neminem de igne æterno, in quem alios isti reges conjicere non poterant, expositurum confido. Eodemque modo accipi debet in pœnis à lege contra facinorosos constitutis, quæ per Judices Israëlis exsequutioni mandabantur: ut *Exod.* XXI. 12. 15. 16. 17. *Levit.* XX. 2. 9. 10. 11. 12. 13. & alibi. Quod si dubius esset hujus phraseos sensus, eum ex Dei ipsius expositione discere liceret: qui hominem peccati arguens, dicit: *Quia pulvis es, in pulverem etiam reverteris*, *Gen.* III. v. 19. Quod simplicem tantum corpoream mortem significat. Nec ex eo quod Euangelii contemptores in æternum & inextinguibilem ignem abjiciendi sunt, pœnam hanc in comminatione Adamo facta includi, colligendum est. In potestate enim Dei est quas vult pœnas adversus peccatores decernere, in hos graviores, in illos vero leviores, pro criminum diversitate, cujus judicium penes ipsum solum est. Neque etiam objici debet, animam hominis fore mortalem instar animæ brutorum, si in ista Dei comminatione sola mors corporea intelligatur. Nam quid obstat eam à corpore separatam vivere, etiamsi neque infernali igne torqueatur, neque paradisi gaudiis fruatur? Itaque etiam concesso Adami peccatum omnibus ejus posteris imputari, reprobatio absoluta ad interminabiles cruciatus nullum in eo fundamentum habere posset. Alioquin dicendum foret istud peccatum iis qui nec proprie nec vere ejus sunt participes, ad graviorem pœnam quam vero & proprio illius auctori à Deo imputari. Quod tam à ratione alienum est, ut non possit magis.

Denique fac Adamum nostram peccando personam aliquo modo sustinuisse, quia in lumbis ipsius eramus cum mandatum Dei transgressus est, quidni etiam sustinuerit cum Deus ei peccati gratiam fecit, & benedictum illud mulieris semen promisit, quod serpentis caput esset contriturum? Nam cur potius peccando quam misericordiam consequendo personam nostram sustinuisset; cum nulla vel probabilis tanti discriminis ratio reddi possit? Unde iterum luce clarius patet, nullum absolutæ reprobationi in isto peccato esse præsidium. Nam quis in animum suum induxerit, Deum qui erga Adamum, etiamsi sciens & volens peccasset, se adeo misericordem exhibuit, maximam posterorum illius partem tam inclementer tractare velle, ut ea sola de causa illos irrevocabili decreto damnationi æternæ addicat? Exstatne in ullius gentis Annalibus simile quodpiam exemplum, de barbaro aliquo tyranno, qui eo à quo esset offensus incolumi dimisso, imo etiam in gratiam assumpto, furorem suum expleverit in cruciandis ejus liberis, nepotibus & abnepotibus, quotquot consequi potuit? Non pudet ergo nos id Deo Opt. Max. tribuere, à cujus benignitate & clementia id magis quam cælum ab inferis remotum est atque abhorret?

At Sacræ literæ id docent, cui omnes nostras ratiocinationes, quantumvis speciosas, subjicere oportet. Audiamus ergo illas, & si rem ita se habere compererimus, intellectum in obsequium divinæ veritatis captivemus. Objicitur primo Paulum expresse dicere, *omnes homines in Adamo peccasse*, *Rom.* V. 12. Sed nos id minime credimus. Inspiciamus verba, an fideliter citentur: Ita legitur in Græco: ὥσπερ δι᾽ ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, quoniam omnes peccaverunt.* Græca enim ἐφ᾽ ᾧ non significant *in quo*, sed *quoniam* vel *quatenus*, ut omnes linguæ illius periti norunt; & disci potest ex 2 *Cor.* V. 4. *Philipp.* III. 12. ubi ita ab omnibus metaphrastis accipiuntur. Et quamvis forte alicubi exponi possent *in quo*, hoc tamen loco non deberent. Idque agnoverunt Genevenses interpretes, qui sic verterunt, *d'autant que tous ont peché.* A quibus male & sine causa discedit Joannes Deodatus in nova sua versione, ubi infercit verba quæ in Græco non habentur. Ordo enim constructionis non permittit ut ad Adamum referantur, de quo initio commatis actum est. Trajectio hæc durior foret. Nec eo fideles interpretes unquam confugiunt, nisi cum necessitas id exigit ad palpabile aliquod absurdum vitandum. Hic autem contrarium usu venit. Sensus enim quem ex ista trajectione elicere volunt sanæ rationi repugnat, nimirum nos non propria sed aliena voluntate peccasse, multis annorum millibus antequam lucem conspeximus. Quod non minus ridiculum est, quam si dicerem Amyraldum peccasse in Turcico Imperatore, vel reum esse scelerum Regis Sinarum aut Japonensium, etiamsi nullum unquam cum illis commercium ipsi intercesserit. Nemo enim alieni peccati potest esse reus, nisi qui vel in illud consensit, vel hortatus est, vel adjuvit, vel aliquo alio modo particeps fuit. Sed ut embryo in quem nihil

hil horum cadit, & qui in propria persona peccare non potest, in aliena peccet, omnem fidem superat.

Verum ut Apostoli mens hoc loco facilius percipiatur, res altius repetenda est; & primo observandum, nullam in similitudine quam proponit esse ἀπόδοσιν, sensumque esse imperfectum, nisi hoc aut simili modo suppleatur: Ita per unum hominem obedientia in mundum intravit, & per obedientiam vita, & ita vita ad omnes homines pervenit, quoniam omnes obediverunt. Id quod tam ex præcedentibus versibus apparet quorum hic conclusio est, quam ex 14 sequente, ubi dicitur Adamum esse *typum venturi*, videlicet Christi. Similitudo enim quæ est inter utrumque Adamum, primum mortis, secundum vero vitæ auctorem, in hoc summatim consistit: Quemadmodum peccatum in mundum intravit per unum hominem, nempe Adamum, qui primus mandatum Dei transgressus est; & per peccatum mors, quam Deus stipendium illius esse voluit: ita obedientia in eum ingressa est per unum hominem, nempe Christum, qui primus Deo perfecte obedivit; & per obedientiam vita æterna, qua Deo illam gratis remunerari placuit. Præterea, sicut mors in omnes eos regnavit qui ab Adamo ad Mosem usque vixerunt, quia ex Adamo oriundi erant, qui propter peccatum morti obnoxius factus fuerat: etiamsi tam gravis criminis non essent rei atque ipse, qui mandatum Dei expressum, mortis pœna sancitum transgressus erat, aut illi qui post Mosis tempora vixerunt, per quem Deus legem suam Israëlitis dedit: adeo ut pro peccatoribus sint habiti, propter ipsius offensam potius quam suam; quia etiamsi peccassent, tamen ubi nulla est lex peccatum non soleat imputari: Ita ex adverso omnes qui secundum spiritum ex Jesu Christo per veram fidem nati sunt, vitæ æternæ hæredes erunt, etiamsi tam perfectam atque ipse Deo obedientiam non exhibuerint, & ante suam conversionem magni fuerint peccatores, & post illam in multis adhuc per infirmitatem labantur: & hac ratione per obedientiam Christi justi habebuntur potius quam per suam, quæ secundum rigidum jus expensa id nominis non meretur.

Quare hæc Pauli verba, *quoniam omnes peccaverunt*, ut & præcedentia, *mors in omnes homines pervasit*, non sunt de omnibus in universum hominibus ab initio ad finem usque mundi accipienda: (etiamsi indubium sit nullum adultum vitam sine peccato transegisse.) Hoc enim loco de iis solum agitur qui ab Adamo usque ad Mosem vixerunt, ut apparet ex iis quæ immediate sequuntur: *nam usque ad legem peccatum fuit in mundo.* Item, *Mors regnavit ab Adamo usque ad Mosem.* Nam si de omnibus in universum agere sibi proposuisset, restrictionem istam non adhibuisset. Nam cur unius temporis hominibus particulariter adaptaret, quod omnibus sine ulla exceptione conveniret? Sed intra limites istos se continuit, ut illam quam decreverat inter Adamum & Christum collationem instituere posset. Dicit autem, *usque ad legem peccatum fuisse in mundo*; ne quis existimet illos qui isto temporis intervallo vixerunt, quod ab Adamo usque ad Mosem effluxit, jure pro peccatoribus & mortis reis haberi non potuisse, quia expressas Dei leges mortis pœna sancitas non violaverint, sicut Adam & Israëlitæ à temporibus Mosis; *& cum non est lex, peccatum non imputatur.* Nihilominus enim vere peccatores fuerunt & morte digni, quia contra naturæ legem cordibus suis insculptam peccaverunt. Sed Deus ignoscere iis potuisset & benignius tractare, nisi omnes ab Adamo fuissent prognati, qui propter peccatum morti erat mancipatus. Liberi autem natura parentum sortem sequuntur, nisi peculiari privilegio Deus ipsos inde eximere velit.

Sequentia igitur verba, *Mors regnavit ab Adamo usque ad Mosem, in eos etiam qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami*, de infantibus, ut vulgo fit, non sunt intelligenda. Infantes enim nullo modo peccare possunt, nec ad similitudinem transgressionis Adami adversus expressam legem, neque adversus legem naturæ aut dictamen rationis, cujus nondum usum habent. Adde quod si Apostolus de illis loqui voluisset, non dixisset, *ab Adamo usque ad Mosem*, sed, ab Adamo huc usque; cum omnibus mundi ætatibus, sine exceptione, infantes morti sint obnoxii.

At instabis, in sequentibus versibus, 15, 16, 17, 18, & 19, agitur de *una offensa*, & de *unius hominis inobedientia*, quæ omnibus mortem attulerit: quod indicium est Adami peccatum toti ejus posteritati imputari. Sed respondeo vocem *omnes* eodem modo accipiendam quo in versu 12, non de omnibus hominibus sine exceptione; sed solummodo de iis qui ab Adamo usque ad Mosem vixerunt. Nulla enim ratio apparet cur longius hic extendi debeat quam illic. Quod etiam Apostolus satis aperte significat, quando loco vocis *omnes*, voce *multi* utitur, *vers.* 15. & 19. Id procul dubio non facturus, si de omnibus iis qui fuerunt & futuri sunt, ab initio mundi usque ad finem, locutus fuisset. Quod vero ad ista attinet, *Per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi*: non est putandum Paulum iis velle indicare, illos qui ad alienum peccatum nihil omnino contulerunt, eo peccatores vere effici posse. Id est prorsus ἀδύνατον. Nemo enim peccator redditur nisi propria voluntate. Sed vel accipienda sunt de malo exemplo quod Adamus posteris suis præbuit, unde factum est ut postea contra rectæ rationis dictamen euntes, vere & proprie peccatores evaserint: vel potius per Hebraismum dicta sunt, iisque significatur illos homines qui ab Adamo usque ad Mosem vixerunt, etiamsi tam graviter atque ipse non peccavissent, tamen morti tanquam veros peccatores obnoxios fuisse. Illi enim Hebræis dicuntur peccatores, qui ut peccatores tractantur. Atque hoc sensu Juda patri suo Jacobo dicebat de Benjamine fratre, quem gravabatur in Ægyptum mittere, *Si non reduxero eum ad te & statuero eum ante*

ante te, peccabo tibi omnibus diebus, *Genes.* XLIII. 9. & XLIV. 32. id est pœnæ obnoxius ero: Et Israëlitarum præfecti aiunt Pharaoni: *Palea non datur servis tuis, & dicunt nobis, lateres facite: & ecce servi tui cædantur, & peccat populus tuus, Exod.* V. 16. id est, punitur. Itidem Bethsabea dicit Davidi, *Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores*, I *Reg.* I. 21. id est, ut marginalis Bibliorum Genevensium annotatio exponit, perinde tractabimur ab Adonia, si regno potiatur, ac si scelus aliquod admisissemus. Pari ergo ratione illi qui nullam præterquam naturæ legem habuerunt, dicuntur per Adami inobedientiam peccatores constituti, quia illius occasione morti fuerunt obnoxii: ita ut videantur potius pœnam peccati Adami quam suorum tulisse.

Producuntur etiam in eundem finem verba Davidis, dicentis: *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato calefecit me mater mea, Psal.* LI. 7. Sed non ait peccatum illud ab Adamo fuisse derivatum, aut totum humanum genus eo esse inquinatum: (quamquam negare nolim aliorum hominum parem aut fere parem esse rationem.) De seipso tantum loquitur, vel potius de matre sua, ad ostendendum mirum non esse si ab ea aliquam ad malum propensionem traxerit, quandoquidem cum eum concepit & utero suo gestavit peccati labe erat infecta. At quæritur, an illa propensio verum esset peccatum & inferni cruciatibus dignum: item, an tolleret omnem Deo in posterum obediendi facultatem. Id vero ne obscure quidem innuit; & nec per decimam consequentiam ex ejus verbis colligi potest. Hac enim hyperbolica loquendi formula, apud Hebræos usitatissima, nihil aliud voluit quam suam ad malum proclivitatem exaggerare. Eodem sensu quo alibi dicit; *Abalienati sunt peccatores à vulva: erraverunt ab utero, locuti sunt falsa, Psalm.* LVIII. 4. Et Deus populum suum alloquens: *Scio quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex utero vocavit te, Esa.* XLVIII. 8. Item Pharisæi cæcum illum natum quem Dominus Jesus sanaverat compellantes: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Joan.* IX. 34. In quibus locis facile est videre non agi de peccato ab Adamo in universum humanum genus propagato. Ita enim David & Esaias nihil improbis tribuerent quod non in optimos quosque quadraret. Et Pharisæi cæco isti vitium exprobrassent quo non minus quam ipse erant fœdati: quod cogitatu absurdum est. Contra de quibusdam asseritur ipsos ab utero fuisse misericordes, & in Deo fiduciam collocasse. *Pupillus ab adolescentia mea crevit mecum tanquam cum patre; & viduam ab utero matris meæ deduxi:* inquit *Job.* XXXI. v. 18. Et David: *Tu confidere me fecisti ab uberibus matris meæ. Super te recubui ab utero, Psal.* XXII. v. 10. 11. Item, *Tibi innixus sum ab utero, Psal.* LXXI. v. 6. E quibus locis, si quis literam urgere velit, non minore cum specie originalis sanctitas, quam è præcedentibus peccatum innatum colligetur. Quod argumento est, ejusmodi figuratas atque hyperbolicas locutiones ad dogma fidei controversum stabiliendum ineptas esse.

Nonnulli quoque alii Scripturæ loci eodem trahuntur, quos nunc brevitatis causa non examino. Isti duo quibus respondi sunt palmarii; illisque bene intellectis non erit difficile nodos qui aliunde nectuntur solvere. Adde quod *capite* III *Geneseos*, ubi accuratam habemus enumerationem pœnarum quas Deus Adamo & Evæ inflixit, interque alia quod mulier liberos cum dolore esset paritura, nulla plane fiat mentio originalis labis in posteros ipsorum derivandæ, quæ illis partus doloribus multo majoris est momenti. Et, si loco tam commodo, & ubi præteriri non debuerat, altum de illa est silentium, an alibi quidquam eo pertinens inventuros nos speramus?

Unum tamen superest adhuc argumentum nobis expendendum, quia magnum robur in eo esse putatur, & valde urgeri solet. Infantes, inquiunt, moriuntur & omnis generis morbis atque miseriis sunt expositi, non minus quam adulti. Ergo sunt peccatores. *Mors* enim, teste Paulo, *per peccatum intravit in mundum*; & est *stipendium peccati*, *Roman.* V. 12. & VI. 23. At nullum adhuc actuale peccatum commiserunt. Necesse igitur est ut alius cujusdam peccati sint rei; illius nempe quod originis vocatur. Sed mors illa quæ per peccatum ingressa est in mundum, ejusque stipendium vocatur, est mors æterna, seu necessitas æternum manendi in morte, in quam homo per naturam, nisi speciali divina gratia præservaretur, incidere poterat. Non est mors naturalis, & temporaria. Idque inde liquet quod ei vita æterna opponatur. *Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* Mors vero temporaria non est vitæ æternæ opposita, sed contra ad eam transitus. Iis enim quibus vita æterna à Deo promissa est, non minus quam aliis subeunda est: eaque est veluti porta per quam in æternæ beatitudinis domicilium ingrediuntur. Neque à peccato originem habet; sed materiæ fragilis, è qua homo est conditus, sequela est. Quod autem fragile est, immortale non est, sed corruptioni obnoxium. Præterea hominis corpus è contrariis qualitatibus coagmentatum est. Omne vero compositum est dissolubile: quanto magis cujus partes inter se pugnant. Ante peccatum æque ac nunc erat vulnerabile, & cibo, potu ac quiete indigebat: quæ mortalitatis non obscura sunt testimonia. Non mirum est ergo si infantes moriantur, quorum tenellum corpus tot injuriis expositum est. Deinde cum Adamo sint prognati, qui non solùm natura mortalis erat, sed etiam propter peccatum morti æternæ obnoxius factus est, sortem paternam eos sequi necesse est. Id enim naturæ à Deo institutus ordo postulat. Quare putandum non est Deum in iis primi parentis offensam quam imputaverit, vindicare. Absit. Nihil aliud hic facit quam quod eos naturæ suæ corruptibili relinquit, quam mutare non tenetur.

netur. Multo ergo minus (quod Calvinum Deo tribuere non pudet) *innoxios fœtus à matrum uberibus avulsos in æternam mortem præcipitat*. Respons. ad Calumn. Nebul. in artic. 13. & 14.

Dices, Unde fit ergo quod Deus mortem Adamo intentat, si ex arbore scientiæ boni & mali ederet, quandoquidem morti jam natura sua obnoxius erat? Resp. 1. Deum non simpliciter ei dixisse, *Morieris*: sed, *Quocunque die comederis, morieris*. Quæ maxime à se invicem discrepare nullus est qui non animadvertat. Perinde enim est ac si Magistratus alicui, cujus mentem novisset, diceret: Cave tibi ne scelus quod meditaris committas: statim enim atque id feceris morte damnaberis. Nec refert quod Adamus ea qua peccavit die non est mortuus. Id enim à singulari Dei misericordia profectum est, comminationis suæ rigorem, in gratiam nasciturorum ex eo, relaxantis. 2. Etiamsi Adamus esset mortalis, non ideo necessario moriendum ipsi erat. Deus enim ex speciali gratia eum à morte servare poterat, imo ut credimus, reapse servasset, si in prima integritate perstitisset. Cui rei primum inserviisset arbor vitæ, quæ ita cognominata fuisse videtur, quod vim haberet vitam hominis super terram producendi, quantum natura id ferre poterat. Deinde Deus in cælum transtulisset, immortalemque reddidisset, hoc est in ejusmodi statu collocasset in quo non solum non moreretur, sed nequidem mori posset, qualem post resurrectionem expectamus. Sed cum per peccatum se isto favore indignum reddidisset, Deus eum naturæ suæ fragili permisit, nec amplius arboris vitæ usum, quæ illam corroborare poterat, indulsit: ita ut necessario ipsi prout Deus comminatus erat moriendum esset. Quod ad posteros vero, hæc moriendi necessitas pœna non est, unde possit colligi etiam ipsos infantes esse peccatores, sed pura puta naturæ ipsorum fragilis, & ab Adamo morti obnoxio propagatæ, est sequela.

Sed, instant iterum, apparet tamen homines natura esse malos. Statim enim à teneris unguiculis malitiæ signa in iis se produnt. Anniculi infantes, imo multo juniores, matres suas feriunt, mordent, unguibus lacerant, &c. Unde autem illud nisi ex primo Adami peccato? Verum necesse non est ad Adamum usque ascendere, ubi propiores causæ inveniri possunt. Hoc enim est Medeæ ancillam imitari, quæ heræ suæ sortem lamentans apud Ennium dicebat:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa accidisset abiegna ad terram trabes, &c.
Nam nunquam hera errans mea domo efferet pedem,
Medea, animo ægra, amore sævo saucia.

Corruptionem autem quæ in recens natis infantibus se exserit, primo Adami peccato non esse adscribendam inde colligitur, quod si ita res haberet, in omnibus æqualis esset. Tam inæqualis vero est, ut quidam pueruli videantur bonitate indolis Angelos referre: alii contra tam pravi sint ac si essent Dæmone aliquo sati. Præterea cum una actio habitum non pariat, fieri nequit ut Adamus peccato isto naturam suam tantopere corruperit, ut ad bonum ineptus & ad omne malum pronus evaserit. Imo etiamsi concederetur eum uno illo actu pessimum sibi habitum comparasse, non tamen omnem deinceps bene operandi potentiam amisisset. Nulli enim habitus quantumvis profunde radicati ejusmodi vim habent. Actiones quidem contrarias reddunt difficiliores & incommodiores, sed non plane impossibiles. Et quemadmodum vitiosi habitus paulatim male agendo induuntur, ita si quis vim sibi facere velit, eos in bonis actionibus se exercendo sensim etiam poterit exuere atque deponere. Quod autem quidam asserunt, Deum ab Adamo postquam peccavit gratiam suam ita abstulisse, ut in posterum quidquam boni amplius facere ipsi impossibile fuerit, gratis ab iis dicitur & à veritate alienum est. Si Deus eum penitus rejecisset, ut malos Angelos à quibus amplius coli non vult, speciem aliquam haberet hæc objectio. Sed cum ipsum illico in gratiam receperit, novoque fœdere sibi devinxerit, non potuit juste spoliare viribus, sine quibus obedientiam fœdere requisitam præstare non poterat. Adde quod si Deus gratiam suam ab homine auferendo, peccatum inevitabile ei reddidit, erit potius illius auctor quam homo. De Deo autem sanctissimo, qui peccatum odit, vetat & severe punit, id asserere est nefas. Quandoquidem igitur Adamus peccato illo neque bene operandi vires amisit, neque Deus iratus ei abstulit, non potuit ea de causa insanabilem peccati corruptionem in suos propagare. Non diffiteor tamen homines sæpe peccando naturam suam depravare, & depravationis illius semina liberis suis posse communicare, indeque fieri quod alii aliis ad malum proniores sint. Sed hoc nihil ad peccatum originis, quod ab uno Adamo unicoque illius peccato in nos derivari dicitur. Quid ergo de malitia quæ in infantibus cernitur statuendum est? Respondeo à naturæ corruptione oriri. Nam si homines in primæva innocentia perstitissent, non procreaturi fuissent liberos tam cito ab ortu suo pravos. Sed corruptio ista in infantibus non est verum & proprie dictum peccatum, nedum tam atrox ut æterni ignis flammis vindicari mereatur. Est tantum morbus seu defectus naturæ, cui nulla lex à Deo posita est.

Præterea, affectum sensualem sequi non est malum: Deus enim illum animantibus indidit ad sui conservationem. Pleraque autem quæ malitiæ in infantibus deputantur, ab affectu naturali malum aut incommodum aliquod à se depellendi proficiscuntur. Tunc demum iste affectus vitiosus evadit, cum rationi non paret. Sed ut rationi pareat in eo qui per ætatem rationis nondum potest esse compos, non requiritur. Quis ergo credat Deum misellis infantibus in peccatum imputare, quod ex corrupto semine geniti, ad malum quod malum esse ignorant, sunt proni? Sane ad rem adeo à sensu communi abhorrentem persuaden-

dendum, non oporteret obscuris consequentiis, sed apertis Scripturæ testimoniis, quæ ab invitis etiam assensum extorqueant, pugnare. Atque ita ostendi peccatum originis nullum nec in Scriptura nec in ratione habere fulcrum: eademque opera primarium fundamentum, cui reprobationis absolutæ æquitatem Sublapsarii inædificant, & Synodi Dordrechtanæ Canones tantummodo innituntur, penitus everti.

CAPUT XII.

Amyraldi novam sive opinionem sive methodum, in eadem atque duæ præcedentes sententiæ absurda incurrere. Ubi quæstio de futurorum contingentium præscientia obiter attingitur.

SEd Amyraldum excipientem audio, incommoda quibus præcedentes duas de objecto reprobationis sententias, premo, se non tangere. Docere enim se Deum omnium hominum salutem serio velle: Christum pro omnibus æqualiter maledictam crucis mortem subiisse: omnibus quibus Euangelium annunciatur, dari in eum credere posse si velint: nullosque à salute esse rejectos nisi finaliter impœnitentes & incredulos. Speciosa sunt hæc fateor, & cum illa apud ipsum lego, vix me contineo quin dicam, *Non es longe à regno Dei.* Vellem tantum ut constanter in iis permaneret, nec aliis contrariis dogmatibus everteret. Id autem mihi facere videtur, cum asserit Adamum necessario peccavisse, & ex illius peccato tantam in cunctos homines corruptionem pervasisse, ut quamvis possint in Christum sibi annunciatum credere si velint, impossibile tamen sit ullis id velle, nisi per insuperabilem Spiritus Sancti vim, quam Deus paucis quibusdam electis communicat, permoveantur. Sic enim loquendo id quod una manu dedisse videbatur, altera continuo ad se retrahit. Quod breviter ostendere nunc mihi propositum est, atque ita toti isti disputationi finem imponere. Primum quod attinet, de lapsus Adami necessitate, commune id est Amyraldo, non tantum cum Supralapsariis, sed etiam cum plerisque Sublapsariorum. Illi enim cum non dubitarent quin Deus ab æterno peccatum Adami certo præsciverit, sed eum futura contingentia non posse prævidere existimarent, id fuisse à Deo decretum dixerunt. Ratio autem qua nixi fuerunt, ut Deo futurorum contingentium notitiam adimerent, hæc fuit: Qualis est res talis est ejus scientia. Futura contingentia sunt incerta: Ergo nulla potest illorum dari certa scientia. Sed mirum est acuta ingenia non vidisse istius paralogismi fallaciam. Major enim quæ pro indubitatæ veritatis axiomate venditatur, est falsissima, nisi commode explicetur: Quid enim? An quia res aliqua est mala, idcirco illius scientia erit mala? At sic nec Deus nec Angeli beati nosse possent hominum aut Dæmonum peccata, quin ipsi quoque peccarent. Item, An quia res aliqua est necessaria, ideo illius scientia erit quoque necessaria? At multa sunt necessaria in rerum natura, quæ vel à nobis ignorantur, vel contingenter tantum sciuntur: imo de Dei existentia quæ summe necessaria est multi dubitant, tantum abest ut necessariam illius scientiam habeant. Propositio ergo illa hoc solum sensu vera est, quod scientia rebus quæ sciuntur debeat esse accommodata, easque cognoscere prout se revera habent, non aliter. Ita, verbi gratia, scire debeo chartam in qua scribo esse albam, atramentum vero nigrum. Si enim putarem hoc esse album, illam vero nigram, non esset scientia sed ignorantia aut potius deceptio. Pari igitur ratione vera scientia res necessarias pro necessariis habere debet, & contingentes pro contingentibus. Sed non requiritur ut res necessarias necessario, contingentes contingenter cognoscat. Contrarium enim sæpe evenit. Minor vero superioris syllogismi est ambigua & impropria. Res enim circa quas scientia versatur, in seipsis neque sunt certæ neque incertæ: ita vocantur solum respectu cognoscentis: sed sunt necessariæ aut contingentes. Quod si dicas te *certum* pro necessario accipere, & *incertum* pro contingenti, ut multi his vocibus abutentes faciunt, tum apparebit minorem illam esse identicam & nugatoriam: æquipollebit enim isti, Futura contingentia sunt contingentia: unde nulla bona conclusio educi potest. Sciendum est ergo certitudinem & incertitudinem non esse rerum cognitarum aut cognoscendarum affectiones, sed intellectus cognoscentis, qui diversimode circa illas se habet. Una enim eademque res, sine ulla sui mutatione, certa & incerta simul esse potest: certa quidem illi qui eam certo novit, incerta vero illi qui ignorat. Ita, ex. gr. una eademque futura Solis Eclipsis certa erit Astronomo perito, qui calculum illius inierit, incerta Matheseos ignaro. Sed id de rerum necessitate & contingentia dici non potest. Manent enim quales sunt natura sua, sive eas norimus sive ignoremus: Nec Eclipsis quæ necessarias futuritionis suæ causas habet, ideo contingens est quia nescio an evenire debeat, nec-ne. Quare falluntur qui dicunt res decreto Dei definitas, Dei respectu esse necessarias, sed nostri, quibus decretum illud patefactum non est, contingentes. Ignorantia enim nostra efficere non potest ut res necessario futura, quia Deus ita decrevit naturam mutet & fiat contingens. Non repugnat quidem ut una eademque res, simul sit necessaria & alicui incerta: sed ut necessario fieri debeat, & contingenter fiat, manifestam contradictionem implicat, quæ nullo respectu conciliari potest. Deo ergo, cujus infinita est scientia, futura contingentia sunt quidem certa, sed Angelis & hominibus incerta. Nec propterea quia Deus ea certo novit, fiunt necessaria. Scientia enim Dei nihil foris operatur, nec rerum naturas ullo modo mutat. Futura necessaria novit ut necessaria, contingentia vero ut contingentia: alioqui ea non

non vere cognosceret, sed deciperetur: quod in Deum non cadit.

Dices, *ἀδύνατον* esse ut illa certo cognoscantur quæ esse determinatum non habent, sed tam possunt non fieri quam fieri. A creaturis fateor. Sed quis id de Deo, cujus scientia est abyssus inscrutabilis, sine temeritate asserat? At contradictionem implicat certo scire id quod non est scibile. Ergo nega cum Socino Deum futura contingentia certo præscire. Nihil enim scientiæ divinæ perfectioni decedet, si non sciat ea quæ sub scientiam non cadunt: quemadmodum nihil decedit ejus omnipotentiæ, etsi non possit contradictoria, quæ sub nullam potentiam cadunt. Non hoc volo, inquies, verum ut præscientiæ Dei fundamentum quæratur in ejus decreto. Sed cur in decreto quærere id vis, quod contingentiam è rebus humanis tollit & Deum peccati auctorem facit? Excipies, rerum contingentiam simul cum Dei decreto optime consistere posse. Igitur (concludam ego) Deus per decretum suum futura contingentia certo scire non poterit; quia tu dicis illa non esse scibilia. Non-ne vides te labyrinthum ingressum esse, è quo exire nequeas? Quanto præstaret te præscientiam divinam simpliciter confiteri: de modo nihil definire, sed eum inter divinitatis arcana hominibus *ἀκατάληπτα καὶ ἀνεξιχνίαστα* relinquere? Sapienter ergo, meo judicio, Gomarus, cum suam de reprobationis objecto sententiam hoc absurdo videret urgeri, quod Deum peccati Adami auctorem constitueret, ad præscientiam conditionatam confugit, *qua Deus ex infinito scientiæ suæ lumine, quædam futura non absolute, sed certa conditione posita, prænovit*, ut loquitur in posterioribus suis thesib. de Prædest. quæ operibus ejus insertæ sunt. Hac enim ratione commodissime ictum istum declinavit. Nam cum scientia conditionata decretum Dei antecedat, necesse non habuit Gomarus, ut alii faciunt, prævisionem lapsus Adami suspendere ab ullo decreto, quod ei peccandi necessitatem imposuerit. Eumque postea secutus est Walæus in Locis suis communibus; qui etiam feliciter scopulum illum prætervehitur. Et, si uterque Deum ita liberaret à culpa cæterorum peccatorum, atque primi peccati, nihil in iis quod ad hanc rem attinet desideraremus. Nullum præterea ex Calvini discipulis novi, qui hanc in Deo scientiam agnoscat: quamvis usui iis esse posset ad se expediendum è variis difficultatibus, quibus intricati manent; & animadvertendum illa quæ scibilia esse negant, quia quo sciri possint modo non capiunt, Deo, cujus scientia nostram infinities superat, esse scibilia non repugnare. Sed quia liberum in homine arbitrium supponere videtur, à quo toto corde abhorrent, hinc est cur illam sibi penitus explodendam putarint.

Cum ergo Amyraldus primi peccati necessitatem asserendo, adeo turpiter in ipso limine impegerit, fieri non potuit ut cætera, quæ tam malo fundamento superstruxit, vitio carerent. Quale est quod, itidem cum aliis Reformatis, ex illo peccato tantam in universum humanum genus corruptionem dimanasse existimat, ut omnes peccati mancipia nascamur, proni ad malum, inutiles ad omne bonum, & sine speciali gratia, quæ paucis tantum absolute electis datur, æque *ἀδύνατον* sit se ex illa servitute exsolvere atque Æthiopi se dealbare, & pardo maculas suas deponere. Isto enim dogmate admisso, redemptionis beneficium, in quo Deum omnes gratiæ & misericordiæ suæ thesauros explicuisse Sacræ literæ testantur, in crudele drama convertitur. Quæ enim, obsecro, gratia aut misericordia hæc est, universum humanum genus in ineluctabilem peccandi & pereundi necessitatem conjicere, ut paucos tantum inde liberes?

At Amyraldus docet Christum pro omnibus æqualiter esse mortuum, & tam late patere remedium quod attulit quam patuit morbus, secundum illud Pauli: *Conclusit Deus omnes in contumaciam ut omnium misereretur, Rom.* XI. 32. Resp. Si ita se res vere haberet, aliquanto minor in ipsius opinione esset absurditas, & faceret Deum non quidem clementem, sed saltem minus crudelem, eo quod omnes quos vulnerasset, postea sanaret, & quos in foveam præcipitasset inde retraheret. Sed multum id abest à vero. Nam ut prætercam non licere ei amplius per rigidiores Synodi Dordracenæ fautores, beneficium mortis Christi ad omnes *æqualiter* extendere; nunquam animadvertere potui, quem ad omnes fructum inde redire faciat. Cunctis enim sine exceptione mortalibus peccatum Adami imputatur, illiusque labe ipsorum intellectus, voluntas, omnesque animæ facultates penitus ab ortu depravantur. Quod ergo emolumentum percipiunt, ex eo quod Christus suo sanguine pro ipsis divinæ justitiæ satisfecit? Quid impetravit illis tam pretioso λύτρῳ, si in servitute corruptionis, & damnationis reatu in quem aliena, non sua, culpa inciderunt adhuc detineantur? Proinde qui redemptionem facit universalem & originis vitium omnibus nihilominus inhærere vult, pugnantia inter se dicit; Deumque nobis multo injustiorem depingit, quam ii qui Christum pro paucis tantum electis mortuum esse putant. Sic enim puniret offensam pro qua ipsi plene esset satisfactum, & malæ fidei creditoribus similis foret, qui ejusdem debiti solutionem bis exigunt. Quæro enim: non-ne Christus plenissime Deo patri suo exsolvit omne id quod nascentes infantuli justitiæ ipsius debent? At nihil ipsi debent nisi ratione vitii & reatus illius quem ab Adamo contraxerunt: nullum enim adhuc peccatum actuale admiserunt. Ergo solutione facta in eundem statum restituendi sunt in quo erat Adamus ante lapsum: At secundum Amyraldum id non fit. Atroci igitur injuria à Deo afficiuntur: qui ita erga eos se gerendo, omnium quos sub contumaciam conclusit non miseretur. Sed nescio an *ἀπείθειαν* istam de peccato originis sit intellecturus. Nulla enim ejus vestigia hic apparent, & series orationis docet Apostolum agere de gravibus illis

illis Gentilium & Judæorum peccatis, quibus Dei in se iram concitarunt; non de corruptione aliqua naturæ, aut vitio aliunde in innoxios fœtus derivato. Nec puto dicturum conclusionem illam *εἰς ἀπείθειαν*, ipsam *ἀπείθειαν* præcessisse. At si secuta sit, & Deus peccatores istos deserendo, eos aliquamdiu in rebellionis suæ carcere detinuit, (qui videtur esse verus hujus loci sensus) nihil pro peccandi necessitate faciet.

Præterea cum fides sit necessaria ut beneficiorum morte Christi impetratorum participes fiamus: nemo autem naturæ viribus illam habere possit, sed ex speciali dono contingat, à quo Deus maximam hominum partem absoluto decreto exclusit; quid juvat Christum pro iis esse mortuum, quibus fides denegatur? non-ne eodem res redit ac si nullam plane eos redimendi intentionem habuisset? At, inquit Amyraldus, omnes possunt in Christum credere, si vellent. Nam iis proponitur in Euangelio, & intellectu atque voluntate sunt præditi, quæ sunt credendi organa. Per eos igitur tantum stat quominus credant. Sed quid est in verbis ludere, si hoc non est? Quasi ille quippiam facere possit si velit, qui nequidem id velle potest. Et, si id velle non potest, neque etiam potest nolle; multo minus nolendo se gravi aliquo crimine obstringere, ut faciunt qui Euangelio credere recusant. *Ejus* enim tantum *est nolle, qui potest velle*: ut habetur leg. 3. Digest. de reg. juris. Si ergo reprobi non possint in Christum velle credere, neque possunt nolle, ac proinde nolendo non peccant. Nec refert quod intellectu & voluntate sunt præditi. Nam cum facultates istæ per peccatum illud hæreditarium quod ab Adamo trahunt sint corruptæ, & ad fidem quæ ab iis requiritur concipiendam ineptæ, non potest iis vitio verti quod non credant. Atqui multum in aliis hujus vitæ negotiis pollent. Quid tum, si in hac una ubi maxime opus habent deficiant & sint ligatæ? nam Deo id ignotum non erat, cum volebat ut Christus se in mortem pro illis offerret, nec Christo cum Patris sui voluntati parebat. Frustra igitur tantam erga miseros istos benevolentiam ostentabant, si vitium illorum originarium sanare, & intellectus atque voluntatis integritatem in Adamo amissam restituere nollent. Sed ab ipsorum malitia proficiscitur quod his naturæ dotibus sibi à Deo clementer concessis, non utuntur ad credendum in Christum. Fac ita esse. Malitia hæc natura ipsis est insita, eamque magis deponere non possunt quam sexum exuere; aut montem humeris gestare. At, pergit Amyraldus, impotentia est duûm generum, alia physica, alia ethica: illaque est cum quis destituitur membris aut facultatibus ad quidpiam agendum requisitis; hæc vero consistit in pravo aliquo habitu, quo fit ut quis à se impetrare nequeat ut divinæ voluntati pareat. Et primi quidem generis impotentiam concedit excusare; neque juste ab homine exigi posse ut volet in aëre instar avium, vel degat in aqua ut pisces: sed secundi, quæ malitiam conjunctam habet, minime. Sed absurdum est, & recte loquendi usui repugnans, id ethicam impotentiam vocare quod à matris utero unicuique inhæret, & à nemine nisi à solo Deo naturæ auctore tolli potest. Nam etsi naturæ integritati adversetur ista malitia, non tamen minus est physica quam cæcitas aut surditas cum qua aliquis nascitur. Atqui, dices, consistit in moribus, & quod tale est ethicum recte appellatur. Minime vero: illud enim solum est ethicum seu morale, quod à voluntaria assuetudine proficiscitur. At malitia ista per quam fit ut non possimus velle in Christum nobis annunciatum credere, dicitur nobis ab ortu implantata, quemadmodum lupis crudelitas & rapacitas. Ergo est plane physica. Innata autem vitia in nullius hominis potestate est eradicare. Recte enim Poëta:

Naturam expellas furca tamen usque recurret.

Sed ethica & quæ assuetudine contracta sunt, contraria assuetudine deponi possunt; nec etiam omnem oppositum faciendi facultatem eripiunt: tantummodo faciunt ut id valde difficile sit & incommodum. Quare juste Deus ab iis qui se ipsos vitiis indulgendo corruperunt exigere potest ut illa exuant, & ni faciant severe punire. Sed finge corruptos procreare, in eoque statu relinquere; adeo ut, quemadmodum vulgo dicunt, iis æque *ἀδύνατον* sit seipsos emendare atque mortuos excitare; inique faceret si istud præciperet, & quia non obedirent, æternum apud inferos cruciaret.

Unde postremo sequitur, Deum conversionem aut salutem multorum quibus Euangelium annunciari curat, serio non expetere, sed cum illis hypocritice agere; cum innatam illam qua laborant credendi in Christum impotentiam ab iis nolit tollere. Qui enim non vult media sine quibus finis obtineri nullo modo potest, finem quoque ipsum nolle censendus est. Non me fugit Amyraldum hic excipere: Deum quorundam conversionem ita velle ut illam tantum approbet, aliorum vero ita ut etiam efficiat: & erga illos se gerere ut Legislatorem, erga hos vero ut Patrem. Sed id nullam speciem habet. Non enim æqui Legislatoris est sed tyranni, præcipere impossibilia, & nisi obedias atroci pœnæ subjicere. Multoque adhuc magis, si ipse in causa sit ut illa quæ præcipit præstitu sint impossibilia; ut si illum cui crura fregit jubeat currere, aut cui oculos effodit jubeat legere. At istud est quod Amyraldi opinio statuit: nimirum Deum iis quos ob primi ipsorum parentis peccatum ita corruptos produxit, ut nihil aliud possint quam male agere, sub æternæ damnationis pœna præcipere ut bona operentur. Nec refert quod pœnam istam dicuntur meruisse. Nam quamvis ea fuissent dignissimi, non posset ab iis juste id exigi, quod pœna factu reddidisset *ἀδύνατον*. Attamen, inquit, delectaretur Deus illorum conversione, si ad externum Euangelii auditum se converterent. Est enim res quæ ipsi mirum in modum placet. Hoccine vero est serio volentis, an potius alienæ mi-

seriæ

feriæ illudentis atque insultantis? Cum enim externa verbi prædicatio horsum sit insufficiens, & sine gratiæ suæ determinantis ope, neminem id neque velle neque perficere posse compertum habeat, ex animo placere illi nequit ut fiat, quamdiu eam non largitur: quemadmodum non placet ei ut mortuus è sepulcro resurgat, cui vitam non restituit. Nam qui solus habet in manu sua, omnia illa media quibus opus est ad aliquid perficiendum, & ea denegat alteri, non potest illi nisi simulate præcipere ut id faciat: & quanto plures adhortationes, promissa, minas adhibet, tanto magis hypocrisin suam, vel malitiam aut stoliditatem prodit. Fac enim me esse in insula cum aliquot servis; ibique esse unicam navim quæ in mei solius sit potestate: deinde me præcipere omnibus ut in continentem trajiciant; sed illius navis usum quibusdam eorum tantummodo concedere; aliis vero absolute denegare: Quisquam-ne erit adeo fatuus ut putet, me serio velle ut ii in continentem trajiciant, quibus illius navis usum denegabo? Et, si promissa magnifica & minas atroces addam, non-ne simulator & injustus dicar, qui miseris quos oderim servis illudam, eosque crudeliter excipiendi occasionem captem? At illud plane est quod Amyraldus Deo tribuit. Unde patet quam egregie ejus misericordiam extollat, in universi generis humani salute procuranda, quamque sincere ipsum, & procul omni fuco, nobiscum agere doceat.

Latiorem hæc requirerent tractationem, si quis ea ex professo refutare vellet. Sed id à scopo meo alienum est. Quæ dixi sufficiunt ad ostendendum Amyraldi novam sive opinionem sive methodum, (mea enim nihil refert quo eam nomine velit appellare,) non tantum iisdem quibus duæ præcedentes absurdis scatere, sed præterea non obscure secum pugnare: nihilque ipsum in Dissertatione sua attulisse, quo decimum illud *Sententiæ* meæ caput quod perstrinxit, vel tantillum falsitatis suspectum reddi queat. Faxit Deus ut opella hæc gloriæ bonitatis & justitiæ suæ illustrandæ, & æternæ salutis viæ cognoscendæ aliquatenus inserviat. Amen.

Consectaria quæ Szydlovius è sua (quam cum Amyraldo communem habet) de Jure Dei in creaturas opinione elicit: Vindic. Cap. 12.

Dicimus ergo potestatem Dei in creaturas, niti sola ὑπεροχῇ, excellentia & eminentia divinæ naturæ & dignitate. Ex qua fluit, ut Deus hominem reprobare, destinare ad mortem, gratiam efficacem denegare, alienum peccatum imputare, & propter illud punire, denique ad impossibile obligare, & affligere sine demerito possit.

Et Cap. 13.

An Deus possit hominem ad impossibile obligare? *Non ita facile ad hanc quæstionem descenditur à Theologis nostris, quæ tamen verissima est, & maximis rationibus subnixa. Vel maxime autem hinc evincitur Deum posse hominem obligare ad impossibile, ex eo quia potestas Dei in creaturam non nititur beneficiis in eam collatis. Nos tamen adhuc unam & alteram rationem pro nostra sententia adducemus, ut ostendatur quam non satis accurate aliqui Theologi ad hanc quæstionem respondeant. Cum enim objicitur,* Deum hominem obligare ad impossibilem rem, *dum ea exigit ab homine sub pœna æternæ damnationis, quæ ipsi dare non decrevit, & quæ homo sine auxilio Dei habere non potest; ideoque Deum videri crudelem & injustum: tum quidvis potius dicere malunt, quam suæ hypothesi præconceptæ injuriam facere. Respondent igitur, non simpliciter hoc debere vocari impossibile: nam possibile fuit in primo parente nostro, qui liberrime peccando debitum hoc pro se & posteris contraxit. Utunturque simili debitoris, qui mutuum sumendo & bona omnia dilapidando, non ideo solvitur à debito quod tanti non sit ut se ære alieno exsolvat. Sed cum bona illorum pace dixerim; nihil hoc ad propositum. Præsupponunt enim ineptam hypothesin, nos in Adamo peccasse tanquam subjecto. Atqui peccatum Adami non alio modo descendit ab Adamo ad nos quam per imputationem: quod autem imputatum est, id nos ut naturale non obligat: neque enim aliter in Adamo peccasse possumus dici quam ut* in causa istius peccati prima. *Si ita, tum debitum quod Adamo fuit possibile ad solvendum, nobis non ideo est impossibile quod naturali propagine ab illo descendamus: adeoque patet non recte dici, nos non ideo debito non teneri quod non possimus solvere, quia poteramus in parente primævo. Verius respondetur, Deum ad impossibile homines obligare & posse, & obligare revera, & ob non præstitum hoc ad quod obligat, reprobos morte æterna punire,* &c.

Et in Præfatione libri.

Dico hic ingenue, semper hactenus speciose magis ad placitum intellectus & captus nostri, quam vere & ad rei naturam, plerosque Theologos dum phrases quæ ipsis duriores videntur refugiunt, Arminianismum si non promovisse, saltem confirmasse: tergiversando cum Scriptura loqui, quod scilicet Deus & possit unius peccatum alteri imputatum morte æterna punire, & possit ad interitum ordinare, obligare hominem ad impossibile, & ob non præstitum hoc quod ei dare non decrevit eundem punire; quod velit peccatum; quod prohibendo aliquid contrarium ejus facere ipsemet possit; quod quæ velit, ideo justa sint quia vult, non vero ideo velle quia justa sint, &c. *Quæ omnia cum verissima sint, ideo tanto periculosius negata fuerant, quanto propius (ut sic dicam) Dei potestatem extenuabant & enervabant*, &c.

Operæ pretium quoque duxi, ex ὑποτυπώσεως sanorum verborum, seu Catechesi à Casparo Strezone ministro Hagiensi, Belgico sermone ante quadriennium edita, sequentem locum Latine conversum adducere; ut ex eo discant Galli, quanto planius & apertius quam Amyraldus, Batavi Conciona-

cionatores Prædestinationis dogma auditoribus suis soleant proponere.

Interrog. *Sed cui fini hæc media (ad fidem & resipiscentiam) instituta sunt, & quid nos illorum usus juvare potest, quandoquidem Scriptura assidue loquitur de quadam prædestinatione aut immutabili decreto, quo Deus ab æterno, secundum liberam suam voluntatem & beneplacitum, quosdam homines ad vitam æternam elegit, alios vero reprobavit & ad æternam damnationem ordinavit. Imo in plenitudine temporis electos per Spiritum Sanctum adeo efficaciter trahit & conservat, ut gratiæ suæ non possint resistere nec perire: reprobis contra tantum gratiæ non largitur, ut seipsos possint convertere & damnationem effugere. Non-ne ita se res habet?*

Resp. *Ita omnino. Nam Scriptura id aperte & clare testatur. Verum nos magno & incomprehensibili isto mysterio ad securitatem, aut contemptum mediorum salutis non debemus uti; sed solum ad id ut per horum mediorum usum certi esse possimus, nos ad electorum numerum pertinere; ut inde continuam consolationem percipiamus adversus cordium nostrorum metum, & tanto potentius ad gratitudinem permoveamur.*

De viis & regimine Dei Scriptura duo nobis testatur, quæ ratio humana simul conciliare & componere nequit.

Primo Scriptura demonstrat Deum ab æterno, immutabili decreto, lapsum humanum genus, absque ullo boni aut mali intuitu in homine, ex pura puta libera sua voluntate & beneplacito, divisisse & separasse in duos greges. Primum autem gregem qui in seipso melior non erat altero, ita elegit ad justificationem, Sanctificationem & Glorificationem per Christum, ut non possit perire; in plenitudine etiam temporis regit & conservat, ut ne unus quidem pereat aut à Deo deficiat. Secundum vero gregem, qui in seipso pejor non est altero, ita in universali perditione jacentem reliquit, ut ipsum tum propter peccatum originis, tum propter peccata actualia æterna damnatione punire decreverit: & ipsum quoque in tempore ita regit, ut nunquam veram & salutarem conversionis gratiam accipiat: idque in eum finem ut in electis manifestare possit misericordiam suam, & in reprobis severam suam justitiam.

Secundo testatur Scriptura, non obstante immutabili isto decreto & efficaci regimine, electos curam gerere teneri ne pereant, & cum timore & tremore salutem suam operari. Imo Scriptura testatur Deum omnes homines quamdiu in hoc mundo sunt, præcipue eos quibus Evangelium prædicatur, & per horrendum indurationis judicium ab omni gratiæ spe exclusi nondum sunt, ita regere, ut ostium gratiæ iis adhuc apertum sit, ut Deus serio & sine simulatione velit ut se convertant, damnationem effugiant & serventur, præbeat se ipsis reconciliabilem, invitet & oret eos ut ad se veniant, & seipsum filiis hominum proponat quasi extensis brachiis ipsorum salutem esurientem & sitientem. Hæc duo simul testatur Scriptura; ratio vero humana judicat ea inter se adversis frontibus pugnare, & simul consistere non posse. Sed fides supra rationem humanam se debet attollere, & confidere eum qui utrumque in verbo suo testatur, utrumque etiam facere posse; ipsumque suum efficax, immutabile & irresistibile regimen ita posse instituere, ut præveniat & evitet omnia illa absurda & malas consequentias, quas ratio humana inde quærit elicere. Quomodo autem istud fiat nos latet. Variis quidem distinctionibus & similitudinibus aliquatenus declarari potest, sed non ita ut nullum in eo incomprehensibile mysterium remaneat. Dei via & judicia occulta & incomprehensibilia possunt quidem esse, sed injusta esse non possunt, neque ipsius verbo repugnare. Ex primo concludere debemus, si quis salvetur eum ex pura Dei gratia servari. Ex secundo concludere debemus, si quis pereat, eum propria culpa & negligentia perire.

FINIS.

PRÆ-

PRÆFATIO IN OPERA M. SIMONIS EPISCOPII.

Solemne est iis qui posthuma alterius scripta evulgant, aliquid cum de Auctoris vita & moribus, tum de utilitate quam allatura sint, in limine præfari, ut Lectorum animi, hoc veluti præludio excitati, ad ea cognoscenda avidius accedant. Propius enim illum nosse in cujus lucubrationibus evolvendis occuparis, non solum jucundum est, sed etiam ad ejus mentem facilius percipiendam inservire aliquando multum potest. Quare mihi nunc volumen istud operum D. SIMONIS EPISCOPII τοῦ μακαρίτου luce donanti eadem quoque provincia incumberet, nisi jamdudum qualis quantusque ille vir esset Orbi Christiano innotuisset, & ex Tractatibus antea editis quid de his qui jam prodeunt sperandum sit proclive foret conjicere. Ne tamen sim plane ἀσύμβολος, & tui, Christiane Lector, eam quam debeo rationem non habuisse, aut veteris quæ mihi cum D. Episcopio intercessit amicitiæ parum memor fuisse videar, consuetudini non sine gravi causa receptæ quidpiam hic dandum esse existimavi.

Igitur ut ab Auctore dicendi initium faciam; Is lucem primo conspexit Amsteldami, quæ est nobile Fœderati Belgii emporium, & quaquaversus patet terrarum Orbis celeberrimum. Annus tum agebatur à Christo mundi Servatore nato millesimus quingentesimus octuagesimus tertius, quo Zacharias Ursinus S. S. Theologiæ in Schola Neapolitana Nemetum doctissimus Professor, & Catechismi Heidelbergensis scriptor, in vivis esse desiit. Parentes habuit Egbertum Remberti Episcopium & Gertruidam Joannis: inculpatis utrumque moribus, & reformatæ Religioni, quam illis temporibus & loco profiteri valde periculosum erat, addictissimos. Conjugali fœdere juncti fuerant anno CIↃ IↃ LXXII, quem immanis Reformatorum in præcipuis Galliæ urbibus laniena celebrem reddidit, & decem una liberos procreaverunt, septem nempe masculos, non interrupta serie, & postea tres puellas: qui omnes, excepto Remberto, Joanne, atque Simone nostro, in puerili aut juvenili ætate, nulla relicta sobole, fatis concesserunt. Rembertus enim primogenitus (de quo agendi postea dabitur adhuc occasio) annum ætatis quinquagesimum tertium attigit, & duas post se filias reliquit. Joannem vero Deus numerosa prole mascula & fœminea auctum, huc usque septuagenario majorem sanum valentemque singulari misericordia conservat. Simon filiorum fuit penultimus. Hic cum statim à teneris unguiculis non obscura felicis ingenii & memoriæ tenacis indicia daret, parentes quamvis pro liberorum numero non ita amplas haberent facultates, ut sustinendis studiorum sumptibus pares essent, nihilominus instigante Remberto fratre, & privatim subsidium ultro offerente D. Cornelio Benningo, viro Consulari, literis ipsum consecrare animum induxerunt. Missus itaque quamprimum sub disciplinam Petri Vekemanni, Rectoris scholæ per id tempus non incelebris, tantos brevi temporis spatio progressus in lingua Latina & Græca fecit, ut à variis magni nominis viris Amplissimo Senatui Reipublicæ Amsteldamensis commendatus fuerit; qui eum (licet reluctantibus in principio parentibus, sed tandem consilio & hortatui D. Joannis Kuchlini & D. Jacobi Arminii cedentibus) in suorum alumnorum numerum assumpsit, & singulari deinceps benevolentia prosecutus est. Emenso in urbe patria puerilium studiorum curriculo, à Curatoribus scholæ anno CIↃ IↃ C solemni sententia dignus renunciatus est qui in Academiam ad altiora studia capessenda promoveretur. Leydam itaque in Collegium Illustrium Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ ablegatus est, cui præerat doctissimus vir Joannes Kuchlinus, parentibus ejus quo tempore apud Amsteldamenses Ministerio Ecclesiastico fungebatur arcta necessitudine junctus. Non diu ibi fuerat Simon noster cum dilectissimos parentes amisit; primo patrem, quem Deus ex hac mortali vita ad se anno CIↃ IↃ C II evocavit; deinde matrem sequenti. Sed tristi hoc casu in studiorum cursu non tardatus nec impeditus, postquam literis humanioribus quantum necesse erat sedulo operam dedisset, Philosophiæ sacris attentius operari, & penitius arcana ejus rimari constituit, atque isti studio per triennium magna cum diligentia incubuit. Postea vero etiam cum Theologiæ, quæ aliorum studiorum scopus erat, animum adjunxisset, eique non oscitanter invigilaret, subinde ad eadem Philosophiæ adyta recurrebat. Tandemque partim legibus &

statutis Collegii in quo vivebat, partim rebus ipsius privatis ita postulantibus, Magisterii titulum in Academia ambiit: quo post acre examen dignus judicatus, & à celeberrimo Matheseos Professore D. Rodolpho Snellio, anno CIↃ IↃC VI, publice insignitus est. Quia vero Theologiæ, in qua jam non parum profecerat, se consecratum esse sciebat, totum illi uni sese deinceps dedere apud animum proposuit. Cumque voto & desiderio exteras Academias invisendi, quo admodum tenebatur, potiri non posset, biennium & ultra Leydæ subsistere coactus est. Ibique interea doctissimorum Professorum Francisci Gomari, Lucæ Trelcatii, & Jacobi Arminii lectiones assiduus audiit, & in disputationibus atque concionibus exercitatoriis, quas propositiones vulgo vocant, tam diligentem & industrium se exhibuit, ut ὁμήλικας plerosque longo post se intervallo relinqueret, & qui ad verbi divini Ministerium vocaretur dignus censeretur. Sed cum deinde, præcipue à D. Trelcatii obitu, infaustum illud, quod postea totam Hollandiam concussit, de Prædestinatione dissidium, inter reliquos duos Professores non tantum occulte glisceret, verum etiam tandem in apertum erumperet, & Episcopius noster Arminii sententiæ addictiorem se ostenderet, ea causa fuit ut Pastores qui ab altera parte stabant minus sibi faventes experiretur; adeo ut cum Amplissimi civitatis Amsteldamensis consules, quibus ejus singularis eruditio & morum integritas perspecta erat, ipsum ad concionatoris munus promotum vellent, illi contra moras necterent & suis artibus consilia illorum eluderent. Cujus rei pertæsus Episcopius de relinquenda Academia Leydensi cogitavit, & anno CIↃ IↃC IX, quo D. Arminius in Domino obdormivit, Franekeram Frisiorum Academiam se contulit, excitatus in primis fama clarissimi viri & Sacræ linguæ peritissimi Professoris Joannis Drusii. Sed ibi quoque cum in disputationibus Theologicis, ut prompti ingenii juvenes solent, fervidior esset, non parum infensum habuit Sibrandum Lubbertum, Academiæ illius Professorem. Itaque paucis post mensibus inde excessit, & in Galliam profectus est, ubi intra breve temporis spatium tantam sibi linguæ Gallicæ notitiam comparavit, ut eam non solum intelligeret, sed etiam satis expedite & pure loqueretur. Exinde anno CIↃ IↃ CX in patriam reversus, eundem quem antea Ministrorum Amsteldamensium erga se animum sensit. Sed illius virtus & eruditio, quæ amplius latere non poterant, & luculentis Ecclesiarum atque Academiarum ubi vixerat testimoniis comprobatæ erant, obstacula tandem omnia perruperunt; adeo ut, non abnuentibus amplius Classis Ministris, ab Amplissimo Senatu Rotterdamensi ad munus Pastorale Bleyswycum, qui ditionis ipsorum est pagus, vocatus fuerit. Ubi cum Deo & bonis omnibus operam suam probaret, Colloquio inter senos Pastores Remonstrantes & totidem Contra-remonstrantes, in consessu Illustrium Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinum, anno CIↃ IↃC XI Hagæ-comitis instituto, adhibitus est, & illic tanquam in illustri theatro ingenium, acumen, & non vulgarem in Sacris literis & controversiis Theologicis peritiam omnibus conspiciendam præbuit. Inde eruditionis & eloquentiæ ipsius fama longe lateque per Belgium dispersa, à non una celebri civitate, Ultrajecto præcipue, ad Ecclesiasticam functionem apud se obeundam sollicitatus est. Sed cum Bleyswycenses nulla ratione induci possent ut in ejus dimissionem consentirent, illic quam nactus erat Spartam aliquantisper adhuc ornavit. Tandem anno CIↃ IↃC XII à Nobilissimis Academiæ Leydensis Curatoribus, in locum Francisci Gomari, qui ultro stationem illam deseruerat, ad Professionem Theologicam vocatus est. Cui provinciæ difficillimis illis temporibus sustinendæ licet imparem se modeste judicaret, aliorum tamen de se judicio plus quam suo tribuens, auctoritate in primis & hortatu maximorum aliquot in Republica & Ecclesia virorum accedente, vocanti Deo acquievit, & in illa Professione non sine supremi Numinis auspicio, & benedictione clementissima, una cum D. Joanne Polyandro collega, diversum licet ab ipso in controversia Prædestinationis sentiente, amice & placide versatus est. Et huc usque in D. Episcopio depingendo præeuntem aliqua ex parte habui librum, qui anno CIↃ IↃC XIV Leydæ in lucem prodiit, hoc titulo, *Illustrium Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinum alma Academia Leydensis*. Quæ de reliquo vitæ cursu narranda supersunt, partim ab ipsomet familiaribusque ipsius audivi, partim oculis meis in satis diuturna conversatione usurpavi.

Ut ergo institutæ orationis filum prosequar, quanta fide & diligentia susceptum in celeberrimo Fœderati Belgii Athenæo Professionis Theologicæ munus D. Episcopius obierit, testabuntur aliquando publice (si Deus cœptis nostris annuerit) accuratissimi ipsius *Commentarii in secundum & tertium caput Apocalypsios, in primam Epistolam Joannis, in Evangelium Matthæi*, & alia scripta tunc ab illo composita; præter *Disputationes Theologicas publicas & privatas*, quæ ante triennium à nobis sunt evulgatæ. Sed forsitan hæc minima fuerunt laborum ipsius pars, si cum curis, quas molestissima illa tempora quotidie novas pariebant, aut periculis quæ sæpius incurrit, & conviciis quibus impetitus, nomenque ipsius laceratum est, conferantur. Nam cum tunc maxime controversia illa Prædestinaria in Belgio ferveret, & ab Academiæ cathedris in Ecclesiarum primum ambones, & postea in vulgus dimanasset, imo etiam Reipublicæ proceres, quorum erat tanto malo remedium afferre, in studia contraria scidisset, nihilque in quemcunque te verteres partem occurreret placidum, maximi tamen tempestatum fluctus celeberrimos quosque doctrina inter Remonstrantes feriebant, quibus veri ignara plebs, & affectu potius quam judicio duci solita, omnem turbarum culpam imputabat. Quæ quam graviter mitem & pacis

pacis amantissimum Episcopii nostri animum angerent, & quod ad Deum vota suspiriaque ex ipsius corde exprimerent, dici vix potest. Unum hic silentio prætereundum non est, quod ipsi altero professionis suæ anno contigit. Cum Leyda Amsteldamum se contulisset, ut tanquam testis in Baptismo Gertruidæ fratris sui Joannis filiæ compareret, & Minister Casparus Heydanus ipsum cum cæteris testibus interrogasset, *An-non confiterentur doctrinam in Veteri & Novo Testamento atque in Symbolo Apostolico contentam, simulque id quod in illa* (Amsteldamensi videlicet) *Ecclesia docebatur, veram & perfectam esse salutis doctrinam*; additis insuper his verbis, *Quid vos ad hæc dicitis?* Episcopius inter illos præcipuus respondit, *Se pro vera & salutari doctrina habere id omne quod secundum Dei verbum & Symbolum Apostolicum ibi docebatur, prout usitatæ formulæ, ex qua interrogatio fieri consuerit, verba haberent.* Quod responsum, licet placidum & modestum, ita Heydano bilem movit, ut *juvenem* per contemtum vocans, exprobraret ipsum *valde audacem & præsumptuosum esse*, qui ita in Christi Ecclesia loqui non vereretur. Ad quæ iterum Episcopius, Se abire paratum esse, si concionatores nollent admittere limitationem illam in formula Baptismi comprehensam, ubi post Veteris & Novi Testamenti Symbolique Apostolici mentionem factam, hæc verba adjiciuntur, *Et consequenter in Ecclesia Christiana docetur.* Sed Heydanus exprobrata ipsi secundo audacia, & Episcopio nihil amplius respondente, infantem illum tandem baptizavit. Quo facto cum domum Episcopius recipere se vellet, à quibusdam ex fæce vulgi, qui Heydani sermone in ipsum concitati fuerant, contumeliis exceptus & seditiosus atque Ecclesiæ perturbator appellatus fuit: & postquam è templo exiisset, parum abfuit quin pugnis contunderetur, aut lapidibus violaretur, quibusdam juvenes qui aderant ad id faciendum instigantibus. Sed Deo paterna cura ipsum protegente, & improborum illorum furorem compescente, salvus & incolumis ad suos tandem pervenit. Quidam minime mali, sed istius rei circumstantias nescientes, illum imprudenter Heydano respondisse existimarunt, satiusque fuisse ut dissimulata ad tempus interrogationis ἀμφιβολογία simpliciter ei assentiretur, alibi postea commodius mentem suam declaraturus. Et ita etiam judicavit Jacobus Magnæ Britanniæ Rex, cum hoc factum paulo aliter quam se revera habuerat ipsi narratum fuisset. Sed D. Episcopium ut ista in respondendo uteretur παῤῥησία movit inter alia, quod paucis ante mensibus, cum clarissimus vir D. Joannes Utenbogardus concionator Hagensis, Baptismo etiam alicujus affinis ut testis interesset, & ad similem captiosam interrogationem, non animadverso qui tendebatur ipsi laqueo, respondisset simplici voce Ita, (ut vulgo fit) publice ipsi deinde, per plateas incedenti, objectum fuisset eum Remonstrantium sententiam, quam profitebatur, abjurasse. Exemplo igitur alieno Episcopius noster cautior redditus, ne idem sibi exprobrari posset vitandum putavit. Nec multo post in eadem urbe accidit ut faber quidam ferrarius, forte ipsum ante officinam suam prætereuntem conspicatus, arrepto vecte ferreo quem supra incudem fingebat, Arminianum & Ecclesiæ perturbatorem vocans, quasi mactaturus insequeretur. Sed periculum istud tandem fuga, & aliorum hominum occursu, evasit. Vix autem fluctus unus præterierat, cum ecce alius ipsum excipit. Primogenitus frater *Rembertus*, una cum uxore *Elizabetha Philippi*, honestissima matrona, quæ etiamnum octuagesimum ætatis annum supergressa vivit, pietati & sententiæ Remonstrantium de Prædestinatione, quam ad eam incentivum esse credebat, cum primis erat addictus, eoque nomine contrariarum partium plebi Amsteldamensi notus simul & invisus. Tandem malevolus iste animus anno CIↃ IↃCXVII, Februarii 19 se prodidit. Rumor spargitur, (sed plane falsus) Remonstrantes nonnullos ad sacram concionem audiendam in ipsius ædes convenisse. Accurrunt illuc centeni aliquot nebulones, & primum fenestrarum vitra lapidum grandine comminuunt, deinde impacta in januam trabe illam effringunt; domum ingressi obvia quæque perdunt, vinum & cerevisiam quæ in cella erant bibunt aut effundunt, supra duodecim cistas reserant, saccum nummis plenum surripiunt, vestes, κειμήλια, pannum lineum, picturas, libros, supellectilem, denique quicquid in domo erat portatile auferunt; quod asportare non possunt lacerant & frangunt, nihilque integrum & illæsum relinquunt. Posteaque tecto demoliendo & domui solo æquandæ manus admovent. Quod etiam perfecissent, nisi advenientis tandem Magistratus reverentia eos cohibuisset. Interea uxor fugere necesse habuit, & in vicini domo salutem quærere. Postremo ipse, solum se relictum cernens, ac omni auxilio destitutum, in summam contignationem se corripit, & scalam per quam ascenderat ad se trahit, sicque periculum cervici imminens effugit. Damnum illatum sex florenorum millia superare existimatum est. Et nisi interea dum fores perfodiebantur spatium habuissent pecuniam & pretiosiorem supellectilem in proximas ædes conjiciendi, omnibus pæne suis facultatibus, quæ satis amplæ erant, illa die fuissent exuti, & ad egestatem redacti. Quantum inopinatus hic casus optimi fratris, tunc Leydæ in sua functione strenue occupati, animum perculerit, omnibus qui ferrei aut ἀπαθεῖς non sint cogitandum relinquo. Accessit etiam sensus contumeliarum, quibus *Joannes* fratrum alter, circa hæc tempora, non semel à zelotis ex fæce vulgi, quod diversæ esset in Religione sententiæ, fuit affectus. Sed hæc præludia tantum fuerunt graviorum & periculosiorum, quæ D. Episcopium manebant, certaminum. Secuta est famosa illa *Synodus Dordracena*, quæ quam inique erga Remonstrantes se gesserit, *Acta & historia* illius jam pridem edita abunde testantur, ut ea hic repetere nihil sit opus. Pauca tantum deli-

delibabo quæ ipsum propius tangunt. Etsi ex violenta, quæ circa illa tempora contigerat, Magistratuum qui mutuæ tolerantiæ favebant abdicatione, facile esset conjicere nihil boni ex illa Synodo esse profecturum, Episcopius tamen ad eam Illustrium Hollandiæ Ordinum literis invitatus, ut cum reliquis Fœderati Belgii Professoribus ibi sederet, Dordracum una cum aliquot aliis Concionatoribus Remonstrantibus statim ab initio se contulit. Sed Synodus, quæ altera dissidentium pars erat, & tamen in sua causa judicium inverecunde sibi assumebat, nec ipsum nec ullos alios Remonstrantes nisi ut citatos cœtui suo interesse permisit. Quod quam longe ab omni æquitate sit alienum, nemo nisi opinionis suæ affectu excæcatus non videt. Sed ipsi, ne bonæ causæ deesse viderentur, necessitati cedentes, in Synodum magno & intrepido animo sunt ingressi, ibique eximiam illam, quæ in Actis legitur, *Orationem* D. Episcopius recitavit. Quo facto cum se ad collationem cum Synodo instituendam paratos esse dicerent, illa vero Præsidis sui ore respondisset, se non ad conferendum, quod inter pares fieri solet, sed ad judicandum, auctoritate ab Ordinibus Generalibus sibi concessa, convenisse; animum propterea non despondentes, Protestatione præmissa se Synodum illam, utpote maximam partem ex professis suis adversariis constantem, qui se jam ante damnassent, & à se secessionem fecissent, pro legitimo controversiarum suarum Judice agnoscere non posse, se ad sententiam suam coram illa *libere proponendam, explicandam & defendendam, quantum possent & necessarium judicarent*, accingebant, prout ipsis à Deputatis Ordinum Generalium in literis citatoriis expresse non tantum permittebatur, sed etiam injungebatur. Sed rursus cum Synodus libertatem illam limitibus istis circumscribere vellet, *quantum ipsa satis esse posse & debere judicaret*; ipsi vero tam iniquis conditionibus, quibus causam suam proderent, per conscientiam acquiescere non possent, tandem à Synodo sunt ejecti, tanquam indigni cum quibus ipsa ulterius quicquam ageret, Synodusque se ad eos ex scriptis ipsorum judicandos accinxit. Interea autem dum in eo occupata est, ipsi privatim, jussu Deputatorum Ordinum, ad sententiæ suæ defensionem accurata illa *Scripta* concinnant, quæ una cum Actis Synodalibus aliquanto post lucem viderunt, & plurimorum in Europa doctissimorum virorum approbationem meruerunt; adeo ut quidam Principis auctoritatis vir visis illis dixerit, *Synodum quidem Dordracenam Remonstrantes condemnasse, sed Remonstrantes de Synodo scriptis suis triumphasse*. Eorum vero potissima pars D. Episcopii indefatigabili industriæ debetur. Quod tamen sine aliorum injuria dictum velim, qui suam ad hæc scripta non pœnitendam symbolam contulerunt: in primis Reverendi senis D. Caroli Niellii, Ecclesiastæ nunc Amsteldamensis doctissimi & fidelissimi, qui nervosam illam de Reprobatione dissertationem, & alia nonnulla quæ in illo volumine habentur, elaboravit. Tandem pronunciatum est judicium Synodicum, quo Remonstrantes tanquam corruptæ religionis rei damnantur & muneribus exauctorantur. Quod ut executioni mandaretur, alii Pastores in ipsorum locum, quantumvis invitis & reclamantibus Ecclesiis, suffecti sunt, & armata manu nonnullis in locis introducti. Et ne deinceps Remonstrantes suæ sententiæ addictos privatim docere pergerent, Ordines Generales quendam ipsis Actum proponunt, quo polliceantur se in posterum ab omni etiam privata ministerii sui functione, *tam directe quam indirecte*, abstenturos. Cui cum per conscientiam subscribere non possent, ad perpetuum exilium damnati sunt. Ubi D. Episcopii & præcipuorum ex illis quorundam singularis emicuit fides & animi magnitudo, quod ne promisso quidem solutionis ejusdem quo antea fruebantur stipendii, induci potuerint ut se ad silentium quod imperabatur servandum obstringerent, etiamsi nonnulli in magna rei familiaris angustia versarentur. Nec non in eo quod apud Ordines Generales, post pronunciatam exilii sententiam, suam & sociorum innocentiam coram magna cum *παῤῥησίᾳ* defenderit, ad Deum injuste oppressorum vindicem provocans, qui in ultima die causam illam revisurus, & tam de judicibus quam de judicatis *ἀπροσωπολήπτως* judicaturus esset. Nec mora, per apparitores Ordinum in curribus ad id paratis extra Fœderati Belgii limites abducti sunt; adeo ut post octo mensium Dordraci detentionem, quo se ad liberam Synodum vocatos putabant, ne dies quidem unus ad familiis suis valedicendum, & res domesticas componendum, ipsis petentibus concessus fuerit.

Episcopius ergo & reliqui in vicinam Brabantiam se conferunt, & Antverpiæ durantibus inter Hispaniarum Regem & Ordines induciis domicilium eligunt: non ut cum patriæ hostibus consilia agitarent, aut adversus religionem reformatam quicquam molirentur, quemadmodum malevoli quidam miseriæ illorum insultantes dictitabant: sed quia propinquus erat ille locus, & ex quo Ecclesiis suis dilectis & familiis commodius quam ex remotiori prospicere poterant. Nam ut nunc nihil dicam de cæteris, quam fideliter talentum à Deo acceptum apud Brabantos collocarint, quid illic Episcopius noster egerit testantur abunde *Ejus cum Petro Wadingo Jesuita Antverpiensi Disputationes* hoc volumine comprehensæ, & *Antidotum adversus Synodi Dordracenæ Canones*; præterea (quæ primo loco fuerat memoranda) *Confessio fidei*, quam una cum cæteris qui ibi erant Pastoribus Remonstrantibus adornavit. Ad cujus editionem quid ipsos impulerit, prolixe in præfixa ei Præfatione docent; nimirum non ut esset schismatis vexillum, quo se à diversum sentientibus separarent, aut pro secundaria fidei norma à suis haberetur: (qui est hodie apud multos ejusmodi Confessionum perniciosissimus abusus:) sed tantum ad os iis obstruendum qui Remonstrantes porten-

portentosa dogmata, quæ divulgare non auderent, in sinu fovere calumniabantur. Quin enim isto casu & fine Fidei suæ confessionem edere liceat, causa non est cur dubitetur, monente nos Petro, 1 *Epist.* III. 15. ut *semper parati simus ad respondendum cum lenitate & timore, cuilibet ejus spei quæ in nobis est rationem petenti.* Redintegrato bello, cum Episcopius in Brabantia secure amplius versari non posset, in Galliam migravit, & modo Rothomagi, modo Lutetiæ habitavit. Si quæras in quibus studiis & actionibus tempus illic suum collocarit, id te inter alia docebunt *Paraphrasis & observationes in* VIII, IX, X, *&* XI *caput Epistolæ ad Romanos, Bodecherus ineptiens*, *Examen thesium Jacobi Capelli, Tractatus de Magistratu Christiano, de Libero arbitrio, Responsio ad Joannis Cameronis defensionem*, & alia. Ut jam non commemorem sollicitam Ecclesiarum patriæ suæ curam, quas persecutionis tempore ordinariis Pastoribus destitutas, diversis scriptis & Epistolis instituebat, consolabatur, & ad perseverantiam in fide animabat: nec non varia cum viris doctis de religione colloquia, quibus eos ad accuratiorem veritatis indagationem adducere nitebatur. Tunc *Lutetiæ primum in eum incidi*, & de aliquot arduis Religionis capitibus differentem audivi, tamque multa ab eo didici, ut semper postea singulari felicitati imputarim cum tanto viro notitiam contraxisse. Ibi etiam cum integerrimo viro *Edmundo Mercero*, eximio Mathematico, amicitiam iniit, quam nulla postea locorum & temporum distantia diremit aut imminuit. Is est qui curavit editionem libelli quo *Sententia Cameronis de gratia & libero arbitrio* expenditur, & *Epistolam viri docti* inscripsit: quem etiam summus vir *Hugo Grotius* inter admissionis intimæ familiares habuit, adeo ut ei, quem habebat pretiosissimum thesaurum, videl. lucubrationes suas manuscriptas, Galliam ultimo relinquens commendarit, & per ejus manus ad posteros pervenire voluerit. Tandem D. Episcopius Galliæ penitius cognoscendæ cupidus, cujus nihil adhuc fere nisi Septentrionalem oram lustraverat, Lutetia profectus Lugdunum abiit, inde Massiliam, Nemausum, Montempessulanum, Tholosam invisit, postea Burdegalam, Rupellam, Pictavium, Andegavum, Salmurium, Turonum Cæsarodunum, Aureliam contendit; unde postremo, cursu peregrinationis absoluto, Lutetiam & Rothomagum remeavit. Ubi cum aliquamdiu substitisset, & persecutionum adversus Remonstrantes æstum nonnihil in patria deferbuisse audivisset, de ea revisenda consilium iniit. Quare relicta Gallia anno CIↃ IↃC XXVI Rotterdamum se contulit, ut Ecclesiæ Remonstrantium numerosissimæ quæ illic est ex dispersione recolligendæ cum aliis fratribus operam navaret, indeque etiam aliis Bataviæ Ecclesiis consuleret. Nec minus strenue interea variis scriptis, partim Latinis, partim Belgicis, causam veritatis defendit. Latine edidit *Apologiam Confessionis Remonstrantium, Responsionem ad specimen Professorum Leydensium*, *Vedelium Rhapsodum*. Belgice tractatum *de vera antiquitate adversus Pontificios*, *tres in Jacobum Triglandium*, tunc Amsteldamensem concionatorem, nunc Leydæ Theologiæ Professorem, pro defensione Angustæ portæ Eduardi Poppii, *separatos libros*, aliaque plura. Ibi cum alterum jam annum ageret, & aliqua tranquillioris in posterum tempestatis spes affulgeret, de adjungenda sibi vitæ socia cœpit cogitare, & occasione oblata lectissimæ fœminæ *Mariæ Pesser*, viduæ D. Henrici Niellii concionatoris Rotterdamensis, Caroli (de quo supra) fratris natu minoris, eam in uxorem duxit: quam non tantum in re familiari curanda adjutricem sedulam & suavissimam habuit, sed etiam pietatis erga Deum & charitatis in proximos exemplo aliquando sibi prælucere gavisus est. Cum ipsa summa cum concordia ad finem usque anni CIↃ IↃC XLI vixit: sed fructus matrimonii expers, nullam ex ea prolem suscepit. Anno CIↃ IↃC XXXIV Amsteldamum migravit, ut Remonstrantium seminario præesset, & juvenes qui in spem Ecclesiæ aluntur in Theologia institueret. Quod qua fide & diligentia præstiterit, luculenter ostendunt quas nunc publico damus *Institutiones Theologicæ*, & *Responsio ad* LXIV *quæstiones* ipsi à discipulis propositas: præter *conciones* pariter doctas & eloquentes interea ad populum habitas; quarum volumen in *vers.* 3. *cap.* XVII *Joannis* lucem jam vidit, cæteræ Deo juvante suo tempore sequentur: item *Verum Theologum Remonstrantem*, iteratis Nicolai Vedelii calumniis oppositum, *Responsionem ad* X *dilemmata cujusdam Pontificii doctoris*, & alia. Sed cum in tot gravium operum tela pertexenda occupatus esset, & quædam negotia ipsum Rotterdamum ire compulissent, ibi in gravissimum morbum anno CIↃ IↃC XXXIX incidit, qui eum aliquot menses lecto affixum tenuit; adeo ut in extrema tegula positus videretur, & de vita ejus exigua spes superesset. Tandem tamen eum Deus & vitæ & valetudini restituit, itáque corroboravit, ut ad suos Amsteldamum redux, non segnius quam antea vocationis suæ muneribus incumberet. Et cum aliquanto post Remonstrantibus visum esset familiarem in rudiorum gratiam *Religionis Christianæ institutionem* seu Catechesin in lucem edere; Abrahamus vero Heydanus tunc Leydensis concionator, nunc etiam Theologiæ Professor, ei suum *Examen* opposuisset, *Defensionem* illius accuratam suscepit noster Episcopius, & non mediocri volumine complexus est, quod post obitum ipsius demum lucem vidit. Cum enim æræ Christianæ annus CIↃ IↃC XLIII inciperet, sexaginta vero vitæ annos fere implevisset, in morbum lethalem, quem tum ex continuis laboribus, tum ex mœrore ob dulcissimæ conjugis excessum contraxerat, incidit. Sicut autem amor infucatus quo se invicem prosequebantur efficiebat, ut una eademque anima duo corpora pariter animare videretur, ita idem morbi genus utrumque humi prostravit. Is fuit ischuria, & quidem tam pertinax ut uterque undecim integros dies ne guttulam quidem urinæ reddere

reddere potuerit, etsi periti aliquot Medici omnia artis suæ præsidia ad eos è mortis faucibus eripiendos adhiberent. Sed hoc discrimine, quod illa circa istud tempus diem suum obierit, hic vero lotii quidem aliquid emiserit, sed adeo exigua copia, ut istud mortis quidem diem protrahere, ab ea vero liberare nequiverit. Tandem enim retentum excrementum illud, & interea cum totius corporis sanguine mixtum, crasin ejus omnino corruperat, adeo ut vitæ sustentandæ idoneus amplius non esset. Decubuit ergo ultra duos menses, & aliquot ante supremum diem hebdomadibus oculos amisit. Quæ jactura, gravis admodum, quamdiu spes aliqua vitæ supererat, illi fuisset, nisi ejus sensum somnus profundus quo plerumque gravabatur minuisset. Interdum tamen de illa apud amicos, qui frequentes ipsum invisebant, conquerebatur, quod se deinceps Ecclesiæ Christi servire amplius non posse animadverteret. Si quando ex veterno illo paululum evigilare daretur, sermones alios non habebat quam pietatem, quam toto vitæ tempore coluerat, & suam erga Christum fiduciam spirantes. Tandem IV Aprilis die, circa octavam horam matutinam, qua Luna Soli opposita Eclipsin patiebatur, placide in Domino obdormivit. Nimirum eximii hujus viri mors instar Eclipsis fuit, quæ parte una radiorum, quos à Christo Sole suo accipiebat, ut in alios refunderet, ad tempus usque resurrectionis justorum ipsum privavit, altera interim in eruditis quæ reliquit scriptis fulgente, & ignorantiæ tenebras ex multorum animis dispellente. Cadaver quarto post die, magna omnis generis hominum caterva prosequente, in templo quod vocant Occidentale, ubi prius sepulta fuerat uxor, depositum est. Obitum ejus defleverunt multi, epicediis tum Latino tum Belgico sermone editis. Unum quod huic præfationi subjunctum est, instar omnium esse poterit, Casparis nempe Barlæi, clarissimi hujus ævi poëtæ, qui etiam ipse ante biennium fatis concessit.

Et hactenus quidem ea quæ in D. Episcopio sensibus aliquatenus deprehendi potuerunt rudi penicillo delineavi. Jam si reliquas interiores animi dotes æque facile in apertum proferre valerem, quanta & quam veneranda hic conspiceretur virtutum cohors? Primum se offerret divinæ gloriæ & salutis fraternæ zelus, cujus ardore cor ipsius continuo incendebatur. hunc exciperet pacis & concordiæ Ecclesiasticæ amor, quo ab omnibus non necessariis schismatibus retrahebatur, eaque cane pejus & angue oderat. sequeretur patientia & mansuetudo, qua injurias frequenter præter meritum ab improbis acceptas æquo animo ferre & facile condonare solebat. accederet liberalitas, qua egenos pro facultatum modulo prompte & alacriter sublevabat. Et ne in singulis particulatim recensendis immorer, clauderet agmen modestia, qua dotes & præclara facta sua pro nihilo reputabat. Sed quemadmodum istas virtutes in occulto habuit, Deo & paucis aliquot consciis contentus, ita nunc, si frigidis ejus ossibus sensus aliquis superesset, ægerrime deprædicari audiret. Quæ tamen mihi comperta fuerunt, non potui quin ad ejus memoriam, & aliorum exemplum, obiter saltem attingerem. Non me latet objici ab adversariis, ex Episcopii scriptis liquere tantam non fuisse in eo mansuetudinem, nec pacis & concordiæ Ecclesiasticæ amorem quantum hic celebramus; acerbo enim satis stylo contradicentes perstrinxisse, multasque Religionis controversias fovisse, quas æterno oblivionis silentio sepeliri longe præstitisset. Sed facile est ista diluere. Et primum quidem; quia etsi forte quædam lenius dici potuerint quam ab eo factum fuerit, gravissimas tamen ita scribendi causas habuerit. Nullum ipse unquam ultro lacessivit, sed tantum conjecta in se & Remonstrantes ab aliis tela repulit, præsertim à Professoribus Leydensibus, in sua *Confessionis Remonstrantium Censura:* quam acerbissimam esse nemo qui vel obiter inspexerit ignorare potest. Nempe existimationis suæ interesse putabant, ne injuste primum Remonstrantes in Synodo Dordracena condemnavisse, & postea Magistratus ad eos persequendum instigasse crederentur. Jam enim vulgo dictitabatur, non satis esse causæ in quinque illis decantatis de Prædestinatione articulis, cur ita in eos sæviretur, cum in iis totum Christianum Orbem, excepta dumtaxat Calvini schola, Remonstrantes secum conspirantem haberent. Ideo persuasum omnibus voluerunt Professores isti, Confessionem illorum horrendis hæresibus scatere, nihil in ea à capite ad calcem, imo ne in titulo quidem, sani esse; cum pleraque quæ continet, (si summam rerum spectes, & calumnia absit) utrinque essent in confesso, & qui extra partes erant in Gallia, Germania, Anglia & alibi docti atque moderati Protestantes Theologi, aliter plane de illa Confessione judicarent, & eam (licet in quibusdam à suis placitis dissentientem) pro Christiana tamen & tolerabili haberent. Imo, quod omnes modestiæ limites excedit, cum in Confessionis verbis & phrasibus nihil occurrebat quod cum specie aliqua admordere possent, in Dei *καρδιογνώσεως* jura temerario ausu involantes suspicionem lectoribus ingerere studuerunt, an ita ex animo sentirent Remonstrantes prout oratione sua profitebantur. Nihil ergo mirum si adeo barbara, & Christianis plane indigna agendi ratio, D. Episcopium moverit ut duro nodo durum cuneum adhiberet, & sordida illa Censuræ ulcera acriori Apologiæ sale & aceto aliquando perfricaret: quod etiam adversus unum aut alterum Censoribus illis similem usurpavit. Altera accusatio non minus est iniqua. Nullas sponte Episcopius aut Remonstrantes controversias, quibus Ecclesiæ unitas scinderetur, aliis moverunt; imo multa acri reprehensione digna, pacis ergo, si per adversariorum importunitatem licuisset, dissimulare parati erant. Sed cum viderent quædam tanquam necessaria ad salutem dogmata urgeri, quæ ipsi pro gravissimis & qui pietatis nervos inciderent

ciderent erroribus habebant, ad ea salva conscientia connivere amplius non potuerunt. Tolerantiam autem mutuam, inter eos qui opinionibus fundamenta fidei non evertentibus dissentirent, Remonstrantes supra omnia ursisse, ipsi etiam pueri & ancillæ in Fœderato Belgio audiverunt. Quod certe à crimine scissæ Ecclesiæ unitatis tantum abest, ut contra, si rite observaretur, nullum efficacius remedium ad ejus vulnera sanandum inveniri queat.

Nunc ut ad alteram instituti mei partem transeam, & de Tractatibus hoc volumine, quod publici juris facio, comprehensis aliquid dicam; Primus ut ordine, ita & dignitate, inter illos est is quem *Institutionum Theologicarum* nomine (nullum enim ei præfixerat Auctor) donare mihi est visum. Cum quo *Responsio ad* LXIV *Quæstiones*, unum corpus constituit, ejusque est veluti Supplementum. Uterque alternatis vicibus paucis aliquot SS. Theologiæ Candidatis (quorum nonnulli immatura morte nobis sunt prærepti, alii vero strenue in Euangelio Jesu Christi apud Batavos annunciando laborant) Amsteldami in privato Collegio ad calamum est dictatus. Quanta in ambobus accuratione, dexteritate & soliditate gravissima Religionis Christianæ capita D. Episcopius tractarit, præstat rem ipsam testari, quam me suspecto hic præconio jactare. Nullus enim dubito, Lector candide & erudite, quin, postquam propius inspexeris, id non solum facile sis agniturus, sed etiam ultro, cum se occasio obtulerit, prædicaturus. Quædam fortasse hic illic occurrent in contextu orationis non satis apte inter se cohærentia, & voces ac phrases impropriæ aut minus Latinæ. Nec diffiteri velim methodum non esse ubique accuratam; ut cum de Scriptura Sacra post doctrinam de Messia tractavit, de qua melius fuisset ab initio ante dissertationem de Revelatione Abrahamo facta agere; quemadmodum ipse deinde agnovit, & discipulos monuit. Sed hæc vitia tanti non sunt, ut te propterea utilissimum alioquin opus, tuo damno fastiditurum existimem. Auctori certe illa imputare non debes, qui antequam id ad umbilicum perduxisset è medio sublatus, quam in aliis operibus solebat limam ei adhibere, imo ne quidem obiter calami aut memoriæ σφάλματα castigare potuit. Quod vero illi sors facere non concessit, ego utcunque supplere sum conatus. Accepta itaque à *D. Francisco Limburgio*, Remberti Episcopii genero, doctissimo & integerrimo Jurisconsulto, & veritatis quæ secundum pietatem est promovendæ cum primis studioso, D. Episcopii Manuscripta, quæ ipsi hæreditatis jure cesserant, cum diligentiorum aliquot discipulorum Codicibus contuli, ut iis cum in legenda ipsius manu, tum in mente melius percipienda, adjuvarer. Nova enim cogitatione aliquando inter docendum subeunte animum, ab eo quod scripserat recedere dictando non verebatur. Quod ubi accidisse deprehendi, inter varias lectiones eam quæ melior aut planior videbatur secutus sum. Interdum etiam, ut melius cohæreret oratio, vocem unam aut alteram adjicere, vel detrahere, vel mutare me oportuit. Loca ex Scriptura S. aut ex aliis Auctoribus citata, in ipsis fontibus quantum licuit, inquisivi, & quæ male annotata erant restitui. Denique totum opus quod continua serie, sine ulla materiarum distinctione, exaratum erat, in libros, sectiones, & capita distribui; lemmata marginalia, quæ Lectoribus in iis quæ vellent quærendis, Hermarum instar essent, ubique addidi. Idemque in reliquis qui istos sequuntur Tractatibus præstiti. Plura adhuc emendanda hic fuisse quidam forte existimabunt. Sed tantum mihi juris in alienum opus sumere non sum ausus, ne objiceretur me sub correctionis prætextu D. Episcopii mentem pervertisse, & pro ipsius sensibus meos Lectori obtrusisse. Quod diligenter cavendum putavi. Quantulumcunque vero est, quod ad emendationem & illustrationem Scriptorum istorum attuli, ut illa non exiguæ sunt molis, ita multis mihi vigiliis & magno labore constitit. Cujus Deus & conscientia mihi testes sunt. Nec diffitebuntur illi qui Auctoris nostri Manuscripta aliquandó inspexerint, plurimis in locis exilibus admodum literis, & pallido ac fugiente atramento exarata, aut tot lituris confusa, ut quid sibi voluerit propemodum divinandum foret. Sed tamen hoc onus alacri animo in me suscepi, & perseveranter sustinui; adeo ut ne in gravissimo quidem morbo, qui me maximam anni 1646 & 47 partem cruciavit, & propemodum oppressit, curam illam à me penitus abjecerim. Nimirum utilitatis ad publicum inde rediturae spes me stimulabat, cui pro viribus, imo etiam supra vires, promovendæ immori dulce videbatur. Sed nonnullos jam audire mihi videor ridentes, & σπουδὴν meam sannis excipientes, quod adeo magnifice de D. Episcopii lucubrationibus sentiam, ut tantos in illarum gratiam suscipere labores non recusarim, cum perpetuis potius tenebris damnari mereantur, quam in hominum conspectum prodire; vel saltem nihil rarum aut singulare contineant, quo Ecclesia Christiana indigeat, aut erudito hoc sæculo dignum sit. Agmen ducent nonnulli ex Ministris Reformatis, quos opinionum suarum zelus ita transversos agit, ut omnia nostra, antequam norint, præcipiti judicio damnent. Cujus animi in ea de qua agimus re non obscura aliquoties dederunt indicia. Primum solicitando & importune urgendo apud Illustres Hollandiæ & Westfrisiæ Ordines, & apud Amplissimum civitatis Amsteldamensis Senatum, ut quemadmodum Episcopius publico Professionis suæ munere motus erat, ita ei in perpetuum privata omni in Theologicis institutione interdiceretur. Sic enim, quantum in se erat, fœtus hujus vix dum concepti, aut prima à parente suo lineamenta trahere incipientis; crudelem (ut ita dicam) abortum procurarunt. Postea easdem iterando querelas, cum audiverunt inventum esse aliquem, qui à

morte parentis posthumum illum fœtum in ulnas susceperat, & ut in lucem feliciter veniret allaborabat; petentes ut id prohiberetur, & quod jam excusum erat supprimeretur. Quod perinde fuit atque alteram ei necem antequam natus esset intentare. Sed Deus meliore mente Optimis & Sapientissimis nostris Magistratibus indita, conatus illorum bono publico & libertati noxios repressit & irritos reddidit. Sequentur alii, qui licet hostilem animum non ita palam profiteantur, aut fortasse etiam nullo nobis modo sint infensi, existimant tamen operæ pretium non esse novos libros de rebus Theologicis conscribere, aut in lucem emittere: dictitantes, Christianum Orbem ejusmodi scriptorum copia adeo esse gravatum, ut de illorum numero minuendo potius quam augendo præstet nos solicitos esse. Utrisque simul respondeo; Istud opus, quamvis communem cum aliis multis titulum gerens, ab illorum tamen genio & indole tantum distare, ut alterius plane generis esse non immerito existimari possit. Non dico in eo quod quasdam hic materias adeo enucleate tractatas reperire sit, ut paucos pares habeat: quod ad ejus commendationem apud æquos rerum æstimatores sufficeret: sed (quæ singularis ejus est dos) quod nullum adhuc tale, ex quo ferales inter Christianos controversiæ de religione sunt exortæ, in lucem editum sit, quod ad illas amice componendas ita accommodatum fuerit. Quotquot enim hactenus Theologica tractarunt, id sibi negotii crediderunt solum dari, ut quam sive sors illis obtulerat, sive judicio amplexi erant sententiam, totis illam viribus tuerentur. De pacis vero cum dissidentibus ineundæ ratione vix ullus unquam cogitavit; aut si quis eam in uno aut altero Religionis capite monstrarit, nullus tamen (quod sciam) in omnibus id adhuc tentavit. Hanc ergo provinciam cum primus in se susceperit D. Episcopius, lucubrationes ejus ad hunc scopum collimantes, omnibus pacis & concordiæ Christianæ studiosis summopere charæ esse debent; saltem quin iis quæ nihil aliud nisi disputare docent, longe sint anteponendæ, non est dubium. Verum quidem est eum telam quam orsus erat non pertexuisse. Sed talia tamen fundamenta jecit, ut difficile non sit cætera ab ipso intacta illis superstruere. Et, si Deus daret, ut ea quam speciatim in præcipuis aliquot Religionis capitibus ostendit concordiæ ratio ad praxin tandem revocaretur, verisimile est nullum reliquum fore dissidium, quod eadem via feliciter statim componi non possit. In summa, opus istud nihil aliud est nisi saluberrimorum Christianæ reipublicæ consiliorum penus; quod nemo publico invidere potest, quin pessime de eo mereatur.

Sed ut clarius hujusce rei veritas elucescat, forte non inutile erit in ea distinctius exponenda aliquantulum adhuc immorari. Omnes boni in eo conveniunt, nihil esse pace & concordia Ecclesiæ Christianæ optabilius, & ad quod majore animi contentione sit aspirandum. Ex eo enim pendet non tantum Reipublicæ incolumitas, quam lites de Religione in summum discrimen sæpe adducunt; sed etiam æterna multorum salus, cui istud opinionum divortium magno solet esse impedimento; dum alii idcirco fratres oderunt & persequuntur, atque ita charitati, sine qua nemo potest placere Deo, nuntium remittunt: alii autem de veritate invenienda desperantes, omnem religionis curam susque deque habent, & in Atheismum aut Epicureismum prolabuntur. Ad hunc ergo tam præstantem finem consequendum varii varia proponunt media. Quidam persuasi nullam unquam in Ecclesia fidam pacem esse posse, nisi omnes Christiani idem de singulis religionis capitibus sentiant, veritatem tam plane exponendam, & tam diligenter inculcandam esse dicunt, ut errantium oculos fulgore suo irradiet, atque omnes eam vel inviti agnoscant. Id vero obtineri posse, si Magistratus dent operam, ut fideles ubique Euangelii præcones constituantur, qui toti in illud unum incumbant. Sed quamvis non negem consilium istud esse pium atque utile, tamen ad sananda Ecclesiæ vulnera satis efficaciæ non habere propius intuenti patebit; adeo ut si aliud non accedat, de pace obtinenda conclamatum esse videatur. Illi hominum ingenia essent refingenda, qui omnes ad istiusmodi in dogmatibus fidei consensum adducere vellet. Quisque enim de rebus propositis pro captus sui modulo judicat, nec tanta est gustuum inter convivas, quanta judiciorum in omni hominum genere discrepantia. nec dubito quin si mentes intueri liceret, multo major in iis quam lineamentorum in facie varietas deprehenderetur; his verum, justum & pium id esse existimantibus, quod illi contra pro falso, injusto & impio habent. Philosophi semper discordes fuere sententiis, non tantum in rimanda naturæ obscuritate, sed etiam in facili morum doctrina, & quæstione quis ultimus esset humanæ vitæ finis; de quibus aliud Peripateticos, aliud Stoicos, aliud Epicureos docuisse constat. Controversiæ Medicorum sunt innumeræ, nec adhuc inter ipsos de artis quam profitentur principiis convenit, aliis Hippocratis & Galeni, aliis Chymicorum, aliis neutrorum dogmata probantibus. Nec minor inter Jurisconsultos est dissensus, quorum hi sunt Sabiniani, illi Proculeiani, hi jus Cæsareum, illi Pontificium sequuntur. Unde fit, ut si illorum sententias aliqua de re exquiras primus ajat, secundus neget, tertius amplius deliberandum censeat, atque ita ab eorum consilio incertior quam eras ante redeas, verumque esse id vulgi ore tritum comperias, *Quot homines, tot sententiæ.* Tam beatum ergo sæculum aliquando exoriturum, in quo omnes idem sponte de religione sentiant, sperandum non est.

Quod alii ad animum revocantes, existimant in Ecclesia summum aliquem controversiarum Judicem esse debere, cujus sententiæ se omnes subjicere teneantur; & qui id facere detrectaverint,

rint, illos mulctis, carcere, exilio, imo etiam atrocissima morte, ad terrorem cæteris incutiendum, plectendos esse. Verum quam indigna sit Christianis quæcunque in religione vis & coactio, plerique æquiores tum Politici tum Theologi hodie agnoscunt. Nec enim, ut puto, multi invenientur qui aperte audeant improbare illud Lactantii, lib. v. cap. xx. *Religio cogi non potest: verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas.* Item: *Nihil est tam voluntarium quam Religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est.* Cui adstipulatur etiam Joannes Mariana Jesuita Hispanus, in sua historia lib. xxvi. cap. xiii. ubi de decreto Lusitanico agens, quo Judæi ad amplectendam Christianam religionem cogebantur, *Insolens*, inquit, *decretum maxime. Malo cogas homines Christiana sacra suscipere? Libertate cælo data in re omnium gravissima spolies, quos Deus sui arbitrii esse voluit? Grave id piaculum sit: ac ne filios quidem à parentibus eo studio abstrahere liceat, &c.* Ideo laudantur illi Reges & Principes qui libertatem hanc subditis illibatam reliquerunt. Qualis fuit Theodoricus Gothorum Rex, qui apud Cassiodorum, Variarum lib. 2. Epist. 27. sic loquitur, *Religionem imperare non possumus; quia nemo cogitur ut credat invitus.* Et Theodahadus Rex ad Imperatorem Justinianum scribens, apud eundem Cassiodorum, lib. 10. Epist. 26. *Cum divinitas patiatur multas religiones esse, nos unam non audemus imperare. Retinemus enim legisse, Voluntarie sacrificandum esse Domino, non cujusquam cogentis imperio. Quod qui aliter facere tentaverit, evidenter cælestibus jussionibus obviavit.* Nec immerito. Coactio enim non est apta ad veros Christianos efficiendum, sed tantum hypocritas & atheos, qui metu pœnæ religionem, à qua corde abhorrent, verbis & factis externis simulabunt. Ejusmodi autem homines, si agnosci possent, ex Ecclesia eliminandi potius forent, ne alios veneni sui contagione inficiant, quam vi aut minis in eam intrudendi. Sed turbas, inquiunt, in Republica excitabunt, si privatas suas opiniones impune disseminare permittantur. omne enim sententiarum in rebus fidei divortium motus & bella parere solet, quibus obviam ire eorum est qui ad clavum sedent. Resp. Coërceantur ergo turbones, & qui religionis prætextu ad pacem & tranquillitatem publicam turbandum abuti deprehendentur. Sed ne eodem censeantur loco, quibus id solum propositum est ut Deum sincere ex animi sui sensu colant, nec alia de causa publicis se sacris subducunt, quam quod ea verbo Dei adversari existiment, ejusque iram, si aliter fecerint, incurrere, & salutis æternæ jacturam pati metuant. Cogitent præterea Principes & Rerumpublicarum Rectores, imperium in conscientias sibi non esse datum, & qui id usurpant in Dei solium irrumpere, tantæque audaciæ supremo Judici gravem aliquando rationem reddituros. Imo contra, ajunt persecutionis incentores, Dei judicium non effugient illi Reges & Magistratus, qui pro virili hæreses divinæ gloriæ & saluti humanæ inimicos exterminare non studuerint. Exterminent igitur, inquam ego, sed armis ad hæreses profligandas idoneis, nempe verbi divini gladio, & rationibus adeo validis ut assensum ab errantibus extorqueant. Si tales non habent, agnoscant infirmitatem suam, & desinant præposteris remediis exasperare malum, cui sanando non sunt pares. Vis corporea hic nihil valet, nec morbus animæ ferro aut igne tolli potest. Ut jam non dicam, ejusmodi coactionem non minus erroris quam veritatis propugnandæ instrumentum esse, ut infelix præcedentium sæculorum experientia multoties probavit. Adhibuerunt illam olim tum Judæi tum Ethnici ad Religionem Christianam pessundandam. Nec per eos stetit quin jamdudum illius memoria inter mortales fuerit abolita. Quod si vim in religione defendenda usurpare liceret, vera tantum hoc privilegio gaudere deberet, non falsa & erronea. Sed inter Christianos opinionibus inter se dissentientes nondum ullo ἀναμαρτήτῳ judicio est decisum à quorum parte stet veritas. Singuli de ejus possessione gloriantur, & eam cæteris omnibus abjudicant. At nemo in propria causa, quemadmodum natura ipsa docet, idoneus est judex. Calvinista Lutheranum in errore versari putat: hic contra illum. Pontificius utrumque damnare non veretur. Cui fidem adhibebo, aut quem sequar? Pontificius clamat, oportet te, si salvus esse velis, Ecclesiæ Romanæ, quæ sola in fide errare non potest, adjungere. Sed quod adeo confidenter asserit, non probat, cæterique omnes in toto Orbe Christiani ei contradicunt, & Ecclesiam illam à vera fide jamdudum defecisse contendunt. Calvinista non minus valide intonat, Mecum debes sentire; quia ipse mihi controversiarum fidei judicium non assumo, sed Deus in Scriptura S. secundum me judicat, & quæ inter nos est litem suprema sua auctoritate dirimit. Audio quidem. Sed Lutheranus idem quoque sibi assumet, & Mennonita, & Socinianus, & reliqui omnes Christiani qui Scripturam S. pro unica fidei & morum norma se agnoscere profitentur. Quænam ex omnibus Christianorum sectis, de veritate inter se contendentibus, superiores hic tenebit, & alias judicandi potestatem habebit? Si Calvinistæ iniquum esse putant se à Pontificiis aut Lutheranis damnari, quo id sibi jure in illos aut alios quoscunque usurpant? Ipsa certe naturalis æquitas dictat, *Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.* Digest. lib. 2. tit. 2. Nec majori cum specie dici potest, Singulis Magistratibus licere in sua ditione religionem quam probant summa vi tueri, & cæteras dissentientes eliminare. Si enim id licet in Hollandia Calvinistis, cur non quoque in Suedia, Dania, Saxonia Lutheranis, in Gallia, Italia, Hispania Pontificiis, imo in Turcia Mahometanis, in China & Japonia Ethnicis? Omnes igitur Magistratus, tam qui falsam quam qui veram amplectuntur Religionem, pari jure in suis quisque domi-

dominiis fruentur; & simul æquum & justum erit quod Christiani in Europa pro Christianæ Religionis defensione decernent, & quod Ethnici ac Mahometani in Asia & Africa adversus illam molientur: quo quid absurdius ulli unquam in mentem venire potest? Id, inquies, inter Christianos tantum obtinere volo. Recte. Sed Christiani Magistratus habent-ne jus alios ad suam religionem amplectendam cogendi, qua Christiani, an simpliciter qua Magistratus? Si prius dixeris, cedo tabulas, & me victum fatebor. Si posterius; pari ergo cum fidelibus privilegio gaudebunt infideles, cum hi æque sint Magistratus atque illi. *Non enim est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ, Rom.* XIII. Præterea quamvis Christiani inter se de fidei summa consentiant, in multis tamen aliis sunt discordes, eaque de causa à se invicem abhorrent, & tanto alii aliorum odio flagrant, ut non minor sit ab illis qui viribus pollent, siquis diversum sentiat, persecutionis metus, quam ab Ethnicis aut Mahometanis.

Perges: *Summus* aliquis *Judex* lites quæ inter eos sunt sententia sua dirimere debet. Id prima fronte, fateor, speciem æquitatis aliquam habet; sed si propius inspexeris prorsus vanum esse comperietur. Nam primo, non constat istud redintegrandæ pacis medium Deo probari. Si enim talem inter Christianos controversiarum fidei Judicem esse voluisset, cum ipse procul dubio constituisset, & ubi inveniri posset, cum necessitas postularet, nobis significasset. At id non fecit. Sed contra omnes monuit, *Ne cuivis spiritui crederent, sed probarent spiritus an ex Deo sint*, 1 *Joan.* IV. Item, ut *Omnia explorarent, & quod bonum esset retinerent*, 1 *Thess.* V. Quod nec necessarium, nec utile, sed potius periculi plenum fuisset, tali constituto Judice cujus sententiæ omnes se subjicere tenerentur. Deinde quis erit supremus ille quæstionum fidei arbiter, aut unde desumetur? An ex aliqua dissidentium parte, an ex nulla? At illud iniquum est, quia sic esset judex in propria causa: hoc vero impossibile, nisi extra Ecclesiam quæratur; quod olim quidem factum est, ut legimus apud Origenem in Dialogis contra Marcionitas, & apud Epiphanium in Panario, hæresi 66. Verum (si libere loqui liceat) consilio Christianis pudendo, & eventus periculosi atque ancipitis. Sed fac aliter se rem habere. Sane quisquis fuerit ille Judex, ratio dictat eum ab omni errandi periculo debere esse immunem. nec id solum, sed etiam necesse est ut omnes à quibus obedientiam exiget de eo plene sint persuasi; alioqui semper fluctuabunt animo, incerti quid ipsos sequi oporteat, & fieri poterit ut repudiata veritate mendacium, cum animæ suæ pernicie, amplectantur. Frustra ergo quidam nos ad Pontificem Romanum, quidam vero ad Concilium Oecumenicum amandant, cum in neutro dotes istæ in supremo controversiarum Judice requisitæ inveniantur. Et sane quod ad *Papam* attinet, cum in fide ἀναμάρτητον esse, nullo quod vel minimum speciei habeat probatur argumento, nullique id præter jurata ejus mancipia dicunt, & eo fine potius, ut putatur, ne quisquam se ipsius decretis opponere audeat, quam ut alios ad ita sentiendum obligent; adeo ut istud pro arcano imperii, non pro dogmate fidei ab ipsis habeatur. Quod ex eo colligitur, quod nemo in perplexis Theologiæ quæstionibus Papam consulit, aut ut aliquem obscurum Scripturæ locum explanet ab eo petit; cum tamen id longe expeditius & tutius futurum esset, quam se privato studio fatigare, & an veritatem assecutus sis nec-ne incertum manere. Deinde cum fateantur aliquos ex suis Papis fuisse sceleratos & impios, qui omnia Christianæ religionis mysteria irriderent & pro fabulis haberent, quomodo fieri posset, ut illos in vera fide semper esse sanos & incorruptos ex animo crederent? Sed quicquid sit de ejusmodi hominum sententia, pro infallibili sane Romanum Episcopum non agnoscunt Græci, nec Syri, nec Abyssini, nec omnes illi in Occidente qui ultimis hisce duobus sæculis ab ejus communione se subduxerunt. Ut jam illos prætercam qui in ipsa Ecclesia Romana Papam in hæresin incidere posse contendunt, & in tali casu à *Concilio Oecumenico* judicari & deponi; quales plurimos in Gallia, Germania & alibi doctissimos Theologos esse constat.

Et hic est alter ille *Judex*; ad cujus tribunal controversiarum fidei decisionem deferendam magna Christianorum pars autumat. Sed neque inde efficax & salutare Ecclesiæ morbis remedium peti posse, rem æqua judicii lance perpendenti facile est cognoscere. Nam primo, frustra ab illo speratur litis diremtio, quem partes contendentes, etiamsi diligenter quærant, nusquam invenire possint. Ejusmodi vero est Judex ad quem nos amandant. Fieri enim nequit ut unquam Concilium universale ex omnibus Christiani Orbis provinciis convocetur, quod nostras controversias terminet. Multa id insuperabilia viribus humanis impedimenta prohibent, distantia locorum, pericula marium, discrimen linguarum, inimicitiæ & diffidentia mutua Principum qui singulis regionibus præsunt. Quæ postrema ratio etiam Concilii ex solo Occidente, quod unum caput agnoscit, & ubi lingua Latina omnibus doctis est familiaris, convocationem difficillimam hodie reddit. Nec refert quod Concilia aliquot vulgo Oecumenica vocari soleant, & illorum Acta tali titulo glorientur. Iis enim qui in historia nonnihil sunt versati, ignotum esse non potest illa ex imperio tantum Romano congregata fuisse, cui subjectæ regiones ἡ οἰκουμένη appellabantur, ut vel ex solo illo Lucæ loco discere est, ubi dicit prodiisse edictum à Cæsare Augusto, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, cum certum sit Augustum non alias jussisse describi provincias, quam quæ suo imperio parerent. Deinde infallibilitatis privilegium quod in tam arduæ & momentosæ rei judice

judice requiritur, Concilio Oecumenico competere nullo idoneo evincitur argumento. Scio quidem hic jactari Christi promissionem, *Matt.* XVIII. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sed siquid illa habeat in hac causa ponderis (de quo merito dubitari potest, cum alium plane scopum sibi proposuisse Dominus ibi videatur) aptius certe est ad auctoritatem Particularibus Conciliis, & ad quæ pauci tantum aliquot convenerunt, quam Universalibus & valde numerosis, conciliandam. De duobus enim vel tribus tantum loquitur, non de magna aliqua multitudine. Excipies: Si Christus paucos hoc dignetur favore, ut cætui illorum interesse velit, multo magis plurimos. Ita est, modo cætera sint paria. At in tanta, quantam hodie cernimus, morum depravatione, longe facilius est reperire paucos bonos & pios, in nomine Christi vere congregatos, id est, qui nullo alio fine convenerint nisi ut salutarem Euangelii ipsius doctrinam scrutentur, & ad ejus normam actiones suas componant, quam ingentem aliquem numerum. Si igitur non obstante hoc promisso, Concilia Particularia in fide nonnunquam errant, ut apud omnes in confesso est, quia maxima Episcoporum pars, ex quibus constant, est impia & profana, & in nomine Christi non est vere congregata, licet id præ se ferat, sed ut affectibus suis indulgeat; multo id magis Generalibus continget, quæ quo numerosiora sunt, eo plures impios & profanos continent, & ubi plerumque pejor pars meliorem numero suffragiorum superat. Instabis: Etiamsi illi qui Concilia Universalia constituunt, cæteris qui in Particularibus congregantur meliores non sint, nec Christi favore digniores, Christum tamen velle per Spiritum suum cœtui illorum interesse, eosque ab errore immunes præstare, in Ecclesiæ suæ gratiam, quæ tota errare & à fide deficere posset, si illi quippiam veræ fidei contrarium statuerent. Id autem nullatenus esse admittendum. Respondeo primo, cum singulæ Ecclesiæ particulares ex fragilibus & infirmis hominibus constent, qui non solum in levioribus quibusdam & minoris momenti opinionibus errare, sed etiam à fidei professione prorsus deficere possint & solent non adeo παράδοξον videri debere si de omnibus simul idem asseratur. Totum enim suarum partium naturam sequitur, nec fieri potest ut vitii quod in singulis illarum reperitur non sit particeps. Deinde, ne vera quidem Ecclesia ab errandi periculo penitus est immunis. Nam licet, quamdiu talis manet, in exitiales hæreses, quæ cum vera in Christum fide consistere nequeunt, non abripiatur, ab ignorantiis tamen non est plane immunis, quamdiu in hoc sæculo versatur, ubi *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, atque per speculum in ænigmate cernimus*, I *Corinth.* XIII. Et prout omnis error fœcundus est, unoque absurdo dato etiam alia deinde consequuntur, ita gradatim procedendo, proclivis est ab errore natura sua non exitiali in exitialem lapsus. Quod cum contingit, quæ ante vera Christi Ecclesia erat, talis esse desinit, & veræ Ecclesiæ privilegia non amplius sibi potest jure vendicare. Denique, male à Conciliis, etiam frequentissimis, consequentia ducitur ad Ecclesiam universalem. Posito enim Concilia aliqua vere universalia, id est quibus omnes totius Christiani Orbis Episcopi interfuerint, (quod nunquam factum est, nec deinceps fiet) in decisionibus suis erravisse, aut etiam plane à fide defecisse, non tamen sequeretur necessario idem toti quoque Ecclesiæ contigisse. Quidni enim cæteri, qui ad Concilia non solent vocari, Pastores, aut saltem nonnulli ex iis, sinceram possent fidem retinere, Episcopis illam deserentibus? imo quidni Pastoribus etiam omnibus in eandem cum Episcopis apostasiam consentientibus, posset aliqua Christiani populi pars in vera fide perseverare, atque in ea nomen Ecclesiæ & dignitas conservari? quemadmodum contigit olim in Israële temporibus Eliæ, qui se solum ex veris Dei cultoribus superesse putabat, cum oraculo ipsi revelatum est, Deum sibi septem hominum millia reservasse qui non flexerant genua coram Baal, I *Reg.* XIX. *Rom.* XI. Et tempore Domini nostri Jesu Christi, cum tota illa Pontificum & Scribarum atque Pharisæorum Ecclesia (ut loquuntur) repræsentativa in ipsius condemnationem consensit, paucis tantum & nullius existimationis ex vulgo ei adhærentibus.

Quidam ergo ex Protestantium numero animadvertentes quot modis vitiosa sit ejusmodi argumentatio, non gravate concedunt Concilia etiam generalia, nimirum qualia haberi possunt & solent, non ex omnibus Christianis Ecclesiis, sed ex aliquam-multis, nec ex omnibus illarum Pastoribus, sed ex aliquibus selectis convocata, errori esse obnoxia. Sed nihilominus illorum decisiones ratas esse, & vim legum quibus contradicere non liceat obtinere volunt in Ecclesia, saltem donec aliter in sequenti aliquo Concilio decretum fuerit; quia alioqui nullus unquam foret controversiarum finis. Et ut aliquem huic sententiæ dent colorem inquiunt, *Ut in civilibus est veritas absoluta & judicialis, & sententia supremi judicis vera est quoad homines licet non sit vera absolute; ita in Ecclesiasticis, veritas est absoluta & Synodalis. Synodus autem cum sit supremus judex quæstionis, sententia Synodalis licet non sit vera absolute, est tamen vera Ecclesiastice, scilicet in foro exteriori.* Sed non video quid sententia hæc, si rem ipsam potius quam verba spectes, à Pontificiorum opinione distet, cum in Synodali decisione, qualiscunque illa sit, acquiescere nos velit. Imo absurdior est longe, quod decisionem istam erroneam esse posse agnoscens, non minus arcte nos ei alliget & obstringat, quam faciant qui infallibilem esse credunt. Limitationes enim illæ, *Donec aliter decretum sit*, Et, *in foro exteriori*, nihil aliud sunt nisi ad populum phaleræ, ad incrustandam rei absurditatem adjectæ. Quid si enim nulla unquam postea habeatur Synodus quæ aliter decernat, quam illa

illa quam nos graviter in fide erraſſe perſuaſi ſumus, aut omnes quæ ſequentur ejus errores confirment? an ergo in æternum errori adhærere tenebimur? Quis hoc Deum ſalutaris veritatis vindicem & aſſertorem à nobis exigere credat? Nec ægre, ut puto, iſtiuſmodi reſtrictiones etiam à Pontificis Romani aſſeclis admittentur: & eos jam noſtris (ut ſe vocant) Reformatis regerentes audire videor; Quandoquidem tantam Synodorum agnoſcitis eſſe auctoritatem, debebatis ſane vos Tridentinæ & præcedentium decretis ſubjicere, & nobiſcum uniti manere, ſaltem donec alia Synodus eſſet habita, quæ illarum errores emendaret. Non enim conſcientias veſtras iſtis deciſionibus alligamus, ſed tantum in foro externo valere volumus, nec prohibemus ut eas in corde veſtro improbetis, ſed ſolum ne aperto ore contradicatis. Præcipue mihi inepta atque ἄλογος videtur *diſtinctio veritatis in Abſolutam & Synodalem.* quaſi unius ejuſdemque rei duplex ſibi invicem oppoſita veritas eſſe poſſit, aut quod abſolute eſt falſum & Sacris Literis contrarium, falſitatem exuat & verum fiat ſtatim atque Synodo alicui viſum fuerit id decernere: quæ metamorphoſis longe admirabilior eſſet ulla quæ apud Ovidium legatur. Atqui, inquiunt, ita ſe res habet in cauſis civilibus. Reſp. I. Merum iſtud eſſe commentum, quod nullus unquam ſanæ mentis Juriſconſultus approbaverit. Sententia injuſta quam ſupremus Judex male de facto informatus, aut affectu aliquo impeditus tulit, eſt quidem rata, ſed non tamen vera. Et hoc ſenſu accipiendum puto illud Pauli J. C. *Prætor jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit.* Dig. de Juſt. & jure, l. penult. Societatis enim publicæ intereſt, ut qualecumque ejus judicium, etiam interdum cum alicujus injuria conjunctum, vim obligandi habeat; quia pax inter ejuſdem reipublicæ cives ſarta tecta conſervari non poteſt, niſi quæ illam turbant lites ſuprema aliqua auctoritate dirimantur. Sed quod nemini privato ſe per vim Judici opponere liceat, id ejus ſententiam ex injuſta juſtam nunquam reddit. II. Quamvis id in cauſis civilibus obtineret, quæ ſunt de rebus ad hanc vitam, ſeu (ut Apoſtolus loquitur) τὰ βιωτικὰ pertinentibus; aliam tamen plane rationem eſſe earum quæ Religionem & cultum divinum ſpectant. Illic etſi moleſtum ſit & interdum magno cum temporalium detrimento conjunctum, iniquo ſe judicio ſubjicere, id tamen abſque conſcientiæ læſione fieri poteſt. Hic de æterna animæ ſalute agitur, qua me privari neceſſe eſt, ſi contra conſcientiam doctrinæ quam falſam eſſe credo ſubſcribam, eique calculum meum adjiciam. Nec in ultimo Dei judicio excuſabitur ille Eccleſiæ Doctor, qui perſuaſus ex Sacris Literis dogmata in Concilio Tridentino aut Dordraceno ſancita eſſe erronea & peſtifera, ea nihilominus profeſſus fuerit, defenderit, & alios docuerit. In hoc enim tribunali non valebit diſtinctio veritatis in abſolutam & Synodalem. Nec juvabit eum ſi dixerit, Ego putabam me teneri veritatem Synodalem amplecti, ſaltem donec à ſubſequente alia Synodo fuiſſet abrogata, quamvis ſcirem eam cum abſoluta verbi divini veritate adverſa fronte pugnare. Si quis aliter ſentiat, ita periculo ſuo ſentiat. Quod ad me attinet, antequam iſtiuſmodi diſtinctioni acquieſcam, idoneum mihi ſponſorem dari velim, quem certus ſim me ab omni damno immunem in ultimo illo die præſtare poſſe. Sed *Synodus,* ajunt, *quæſtionis ſupremus eſt Judex.* Reſp. Quis iſtam ei auctoritatem dedit, Deus-ne, an vero homines? Si dixerint poſterius, liceat mihi bona cum ipſorum venia, cum Synodum à veritate aberraſſe, & perniciosum dogma amplectendum mihi propoſuiſſe deprehendero, cum Apoſtolis excipere, *Obedire oportet Deo potius quam hominibus, Act.* v. Si vero prius, proferant ergo aliquem ex Scriptura S. locum, unde id conſtare poſſit. Imo, addunt, habemus in promptu, *Viſum eſt Spiritui Sancto ac nobis, Act.* xv. 28. Sed qua ratione, Reformati Doctores, probabitis mihi vos eodem cum Apoſtolis Spiritu in Synodis veſtris ſemper agi, ita ut illarum decreta pro Spiritus S. decretis ſint habenda, cum fateamini vos non ſemper habere veritatem abſolutam, ſed interdum tantum Synodalem? Et cum Synodi veſtræ in judicando mendacium loco veritatis amplexæ erunt, an licebit iis nihilominus illud Apoſtolorum uſurpare, *Viſum eſt Spiritui Sancto ac nobis?* Quo jure? An quia Spiritus Sanctus aliquando à veritate abſoluta aberrat, & Synodali contentus eſt? Quam hæc ſunt abſona, & iis qui tantopere de Reformatione ſua glorientur indigna?

Sed inſtant adhuc illi, Si quod in Synodo decretum eſt ſtatim impugnare liceret, controverſiæ fidei æternum durarent, & nulla unquam in Eccleſia eſſet pax nec ordo, ſed mera ἀταξία & certa pernicies. Reſp. Experientiam docere, nullas unquam controverſias de Religione inter Chriſtianos exortas auctoritate Synodali feliciter terminatas fuiſſe: & præter Synodorum deciſiones certiorem multo pacis in Eccleſia conſtituendæ viam, Deo aſpirante, inventu non eſſe ἀδύνατον. Prius probatu eſt facile. Legatur tantum hiſtoria Eccleſiaſtica, & ibi ejus rei veritas ad oculum patebit. Non multa in hunc finem exempla congeram: tribus illuſtribus contentus ero, ex quibus de cæteris judicium fieri poterit. Nullum Concilium Nicæno celebrius eſt, aut quod majoribus tam apud Veteres quam apud Recentiores Scriptores laudibus extollatur: nec iis quicquam detrahere hic mihi eſt animus. Sed quid debemus illi, quæſo, aut quid commemoratione dignum præſtitit? num vulnera Eccleſiæ ſanavit, & amiſſam pacem ei reſtituit? Multum ſane abeſt. Damnavit Arrium, fateor: ſed hæreſin ejus non extinxit. Imo illa majora poſt iſtud Concilium incrementa ſumpſit; & quæ exiguum tantum Orbis angulum occupabat, poſtea totam fere οἰκουμένην pervaſit. Adeo ut Hieronymus contra Luciferianos ſcribere non vereatur, *Ingemuit totus Orbis*

Orbis, & Arrianum se esse miratus est. Unde Constantius Imperator Arrianus apud Theodoretum, lib. 2. cap. 16. exprobrabat Liberio Episcopo Romano, ipsum una cum Athanasio totius se mundi consensui opponere. *Quota*, inquit, *pars tu es Orbis terrarum, qui solus facis cum homine scelerato, & Orbis terrarum ac mundi totius pacem dissolvis?* Nec defuere etiam isti hæresi sua Concilia, Ariminense, Seleuciense, Mediolanense & alia, quæ Nicænum Episcoporum frequentia longe superarunt. De quibus Hunericus Vandalorum Rex gloriatur apud Victorem Uticensem, lib. 3. dicens in suo adversus Catholicos Edicto, *Homousion Nicææ statutum, à mille & qui excurrunt Pontificibus de toto Orbe in Ariminensi Concilio vel apud Seleuciam amputatum esse.* Qua de causa Gregorius Nazianzenus, qui quadraginta circiter annis post Concilium Nicænum floruit, in Epistola ad Procopium valde contemtim de ejusmodi conventibus loquitur. *Ego*, inquit, *si vera scribere oportet, ita omnino affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam; quoniam nullius Concilii finem latum faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem & incrementum habuerit.* Et Augustinus videns Concilia Conciliis in controversia Trinitatis posse opponi, adversus Maximinum Arrianum, lib. 3. cap. 14. dicit; *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Non parum etiam Pontificii gloriantur de suo Tridentino Concilio. Sed feliciorem non habuit exitum Nicæno, aut aliis similibus. Populi qui ab Ecclesia Romana defecerant, auctoritate ejus permoti non fuerunt ut ad illam redirent. Dania, Suedia, Anglia, Scotia, magnaque Germaniæ & Galliæ pars in schismate suo permanserunt. Nec mirum. Abusus enim & errores multiplices, qui ei convocando occasionem dederant, non sustulit aut emendavit, sed contra confirmavit: adeo ut id quod antea quadantenus excusari & pravæ consuetudini imputari poterat, nunc in legem abierit & immedicabile factum sit. Pax etiam externa Ecclesiæ firmius quam anterioribus sæculis non fuit stabilita: sed contra ab illo tempore Europa continuis fere propter religionem bellis vexata fuit: & in eo, si usquam alias, verum compertum fuit vulgare illud dicterium, *Omne Concilium parit bellum.* Multis quoque Regibus & Principibus, cæteroquin Ecclesiæ Romanæ addictis, in eo displicuit, quod potius de Papæ potestate extollenda, quam de Ecclesia reformanda sollicitum fuisse appareret, eaque de causa in Gallia non fuit receptum. Accedat denique nupera Synodus Dordracena, ex omnibus pæne Sectatorum Calvini Ecclesiis in Fœderato Belgio, ad litem Prædestinariam judicandum, convocata. Numquid ea præcedentibus efficacior fuit in sententia sua dissidentibus persuadenda, vel felicior in motibus ex opinionum divortio in Ecclesia & Republica ortis componendis? Nihil minus. Audiantur ipsi Synodales in suo Amstelodamensi Mitspa, anno altero post edito, ea de re testantes & conquerentes: *Heu*, inquiunt, *tot votis exoptata Synodus tandem habita est. Sed quis ex parte contraria ejus se auctoritate permoveri passus est ad errores suos deserendum, & veritatem Dei sincero corde amplectendum? adeo ut cum Propheta dicere possimus, Expectavimus pacem, & non est bonum; & tempus curationis, & ecce turbatio.* Quid ergo conventus ille tanto apparatu & expectatione dignum præstitit? Decidit sane controversiam Prædestinationis, quod nulla antea Synodus ausa erat facere. Damnavit Remonstrantes, & quidem inauditos & indefensos: & sæculari armata potestate ipsos non tantum Ecclesiis suis, sed etiam patria expulit, sententiæ illorum addictos ne in cœtus convenirent mulctis, carcere, & militari manu absterruit. Sed cum ne sic quidem quicquam promoveretur, & Remonstrantium patientia, instar palmæ, quo magis premebatur, eo se magis erigeret, tandem qui ad clavum sedebant, velificatione mutata, quam vi eripere frustra conati erant libertatem, conniventia sua ipsis indulserunt: quod nisi fecissent Reipublicæ navis in mediis adhuc tempestatum fluctibus cum naufragii periculo jactaretur, cum nunc singulari Dei beneficio beata tranquillitate fruatur. Ex quibus omnibus facile est videre Concilia, qualia hactenus inter Christianos sunt habita, nempe ubi ad controversiarum decisionem tantum collimatum est, & quod pluribus suffragiis decretum fuit, cæteris qui per conscientiam id approbare non poterant, per vim obtrusum est, non esse idoneum componendis Religionis dissidiis remedium, & quamdiu illud usurpabitur perpetuas in Ecclesia & Republica turbas fore.

Nullum-ne ergo, inquies, inveniri potest balsamum, quo vulnera Christianismi leniantur, & labia eorum hiantia conglutinentur, atque ad cicatricem perducantur? Imo, inquam ego; & hoc alterum est de quo mihi posteriore loco agendum proposueram. Balsamum illud salutare est mutua tolerantia, tantopere semper à Remonstrantibus & ab Episcopio nostro commendata. De qua à multis auctoribus tam multa sunt scripta, & adeo copiose cum in Apologia Confessionis Remonstrantium, tum in hoc quod in lucem edimus volumine diversis in locis disseritur, ut Soli lucem fœnerari velle viderer, si ad ea quicquam addere contenderem. Summa huc redit: cum Christiani in præcipuis & fundamentalibus Religionis dogmatibus inter se consentiant, eum qui superest in aliis minoris momenti dissensum impedire non debere, quominus in unum Ecclesiæ corpus coëant, & se ut fratres mutua in Christo charitate prosequantur. Si modo qui ista magni æstimant, cæteros diversum sentientes ad ea suscipienda non cogant. Hæc enim est tyrannis in Ecclesia non ferenda: cujus qui rei sunt, fundamen-

damentum evertere & fraternitatis vinculum abrumpere censendi sunt. Quod etiam de idololatris intellectum volo. Omnes autem in fundamento convenire inde liquet, quod nulla sit inter Christianos Secta, quæ Articulos fidei Symbolo Apostolico contentos non amplectatur, & vitam ad præcepta Christi de moribus componendam esse non statuat. Quibus duobus capitibus universa Religio Christiana comprehenditur. Reliqua enim omnia quæ in Sacris Literis habentur, eo tantum spectant ut nostram erga Deum fidem fulciant, & ad mandatorum ejus obedientiam nos exstimulent. Unde liquere puto, nihil ad salutem æternam obtinendum scitu & creditu præcise esse necessarium, nisi absque eo fides promissis & comminationibus divinis haberi, aut obedientia mandatis præstari non possit. Tale autem id esse aut expressis Scripturæ S. verbis ostendendum est, aut tam clara atque evidenti ex illis deducta consequentia, ut nullus mentis compos eam in dubium revocare possit. Alioqui Scriptura omnia necessaria aut non perfecte contineret, aut non satis perspicue proponeret. Quod utrumque Protestantes vulgo repudiant, & ab Episcopio nostro in suis Institutionibus pluribus impugnatur. Quare si neutro modo probetur mihi aliquod dogma esse necessarium, id ego isto loco habere non teneor. Ad hanc normam si expendantur quæstiones quæ hodie Christianum Orbem in partes scindunt, plerasque illarum ad fundamentum religionis non pertinere comperietur, atque id indecisis illis, & sua unicuique quod videbitur sentiendi libertate relicta, inconcussum permanere posse: proindeque pessime illos facere, & veros schismatum auctores esse, qui privatas suas de iis opiniones, tanquam necessarias aliis quibus falsæ & perniciosæ videntur credendas obtrudunt. Quod paucis aliquot exemplis ostendere hic non pigebit.

I. Disputatur inter Christianos Europæos jam ferme à sesqui sæculo, Utrum Christus corpore suo præsens sit in Eucharistia, nec-ne: illis qui negativam tuentur, præter Scripturam, sensuum etiam testimonium & varias rationes pro se afferentibus, quas adversarii probabiles esse inficiari non audent, imo quidam tanti faciunt, ut, nisi obstaret Ecclesiæ suæ auctoritas, se non illibenter iis assensuros profiteantur: cum affirmativa adeo elumbibus argumentis defendatur, ut difficile sit creditu propugnatores illius serio rem agere. Sed quicquid sit de hujus assertionis veritate, quam non est hujus loci, aut propositi mei, expendere, certe necessitatem credendæ absque manifesta tyrannide aliis imponere non possunt. Nusquam enim in Sacris Literis docetur neminem in regnum cælorum ingressurum, aut mortem æternam evasurum, vel quippiam simile, nisi hanc corporalem præsentiam crediderit. Nonnulli quidem id Christi apud Joannem, cap. VI. verbis ostendere præsumunt, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Sed non exigua eorum pars qui huic sententiæ adstipulantur, videlicet Lutherani, hoc loco de Eucharistia sermonem non esse non tantum libenter concedunt, sed etiam urgent; ideoque eo ad illius necessitatem adstruendam uti non possunt. Et mirandum est Pontificios hic in diversum abire. Eucharistiæ enim participationem non putant ad salutem esse præcise necessariam; alioquin infantes ab ea non excluderent. Nec credunt omnes illos qui ejus fuerint participes salvatum iri. Sciunt enim Paulum dicere, 1 Cor. XI. *Qui de pane illo manducat & de calice bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Utrumque tamen à Christo de carnis suæ manducatione expresse dicitur. Sed dato, non concesso, de Eucharistia hoc loco agi, nihil aliud inde colligi posset, nisi necessario in illa corpori & sanguini Christi esse participandum. De eo autem non quæritur, sed tantum de participationis modo. Pontificii vero fatentur non illam quæ ore, sed quæ corde seu fide fit, esse salutarem. Unde videre est ipsos, non magis quam Lutheranos, hinc opinionis suæ necessitatem probare posse. Neutris etiam ratio favet. Nam etiamsi non credamus Christum corpore suo præsentem esse in Eucharistia, sed tantum spiritu, nihilominus totam nostram in ipso fiduciam collocare, & ejus mandatis observandis toto corde incumbere possumus. Nihil autem præter hæc duo ad salutem esse necessarium modo probavimus. Imo, inquient Pontificii, requiritur præterea ut Eucharistia debito honore afficiatur, quod absque persuasione de Christi præsentia corporali fieri non potest. Quis est, inquam ego, iste quem intelligunt honor? An ut panis & vinum, an vero ut Christus ipse illic adoretur? Si posterius hoc dixerint, res confecta est, habent quod postulant. Omnes enim toto Orbe Christiani, qui ritum hunc celebrant, in eo Christum adorant, & pro cruenta morte, quam nostri causa ultro subiit, illi gratias agunt. Si prius malint, ergo pani & vino, vel potius eorum accidentibus, quæ sola ibi post consecrationem remanere existimant, cultus adorationis debebitur. Sed quam fœdum id est & quam indignum, ut eapropter Christiani inter se hostiliter diffideant, & alii alios anathemate feriant?

II. Præcedenti dogmati aliud de sacrificio corporis Christi in Missa superstruitur; quod tanti vulgo fit, ac si religionis Christianæ prora & puppis in eo consisteret, illoque labente confestim religio ruitura esset. Sed modum hic excedi facile est animadvertere. Nam ut jam non dicam palmariam rationem, qua tale sacrificium à Christo institutum esse probatur, videlicet, *Hoc facite in meam commemorationem,* Luc. XXII. 19. & 1 Cor. XI. 24. adeo esse obscuram, ut plus quam Lynceis opus sit oculis ad ejus vim perspiciendam; certe id ad saltem necessarium non esse inde liquet,

liquet; quod Matthæus & Marcus nullam istorum verborum, cum Eucharistiæ institutionem narrant, mentionem faciunt; alioqui mutilatæ historiæ in capite fidei fundamentali rei forent. Quibus accedit disertum Apostoli ad Hebræos testimonium, *Christum una oblatione consummavisse in perpetuum sanctificatos, cap.* x. 14. Vocibus enim *unius* oblationis, & consummationis *in perpetuum*, aperte non solum omnem alius sacrificii expiatorii, sed etiam ejus quod semel à Christo oblatum est repetitionis necessitatem excludit.

III. Controvertitur in Ecclesia, Utrum Sancti mortui sint à nobis in necessitatibus invocandi. Et Pontificii quidem apud quos id obtinet, non dicunt aperte ad salutem esse necessarium, sed tantum *bonum & utile esse suppliciter illos invocare; & impie illos sentire qui negant sanctos invocandos esse:* ut legere est in Concilio Tridentino, Sess. xxv. Quibus postremis verbis an necessitatem voluerint innuere non satis constat. Ambiguum enim habent sensum; cum sanctos invocandos esse neget, non solum qui dicit illicitum esse eos invocare, sed etiam qui asserit id non esse necessarium. Sed quocunque illa modo intelligant, certum est eos praxi sua sanctos demortuos invocandi necessitatem omnibus imponere, cum invocationem istam cultus publici, à quo nemini se subducere licet, partem faciant. Necessarium autem id non esse inde patet, quod nullum in Scriptura S. Sanctos mortuos invocandi mandatum, sive generale omnibus, sive speciale huic aut illi datum, habeamus; nec inde etiam per claram & evidentem consequentiam elici possit. Cum enim ea omnium credendorum & faciendorum unica sit nobis norma, quod ibi non reperitur, in necessariorum locum referre non audemus. Nulla etiam illic exstat promissio iis facta qui Sanctos invocaturi sunt, unde appareat id bonum & utile esse, & nos ad eorum opem non frustra confugituros. Imo nequidem ulla istius rei invenimus probata exempla. Nec enim legimus quemquam Prophetarum, vel Apostolorum, vel aliorum piorum, quorum in Sacris utriusque fœderis Literis fit mentio, Sanctos mortuos in necessitatibus suis invocasse. Credibile autem non est si aliquando id factum esset, nullum ejus inter tot quæ ibi recensentur preces, relictum fore vestigium. Unde ulterius colligo, invocationem istam illicitam esse. Omne enim *quod non est ex fide* (id est, de quo dubitatur an Dei voluntati sit conforme nec-ne) *est peccatum, Rom.* xiv. Cum enim nullum in Scriptura S. mandatum, promissum aut exemplum ejusmodi Sanctorum mortuorum invocationis habeamus, eam ex fide non esse liquet. Nam præter hæc nullum nobis superest voluntatis Dei indicium, ex quo aliquid ipsi esse gratum, aut saltem non displiciturum, certi esse queamus. Quod hic non immerito timendum est, cum se doctrinis & mandatis hominum frustra coli declaret, *Esa.* xxix. *Matt.* xv. Nec objici potest, istam mortuorum invocationem nobis ad Deum colendum adminiculo esse. Tantum enim abest ut id verum sit, ut contra Dei cultui magno sit obstaculo. Nam ideo ad Sanctos mortuos recurritur, quia in Dei bonitate & misericordia non satis confiditur. Quæstioni isti subjungi posset alia affinis de Cultu imaginum, cui non ignorant Pontificii à magna Christianorum parte acriter contradici. Sed quia etsi eum commendent, & publice privatimque observent, tamen pro necessario habere non videntur, tantum hic sunt monendi, ut ingenti isti offendiculo medeantur, quod plurimorum bonorum & Dei timentium conscientias turbat; memores hujus Domini Jesu pronunciati, *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris, Matth.* xviii. Et ne excipiant scandalum istud esse acceptum, non datum, ac proinde non magnopere curandum, & se imagines non colere quod iis divinitatem aliquam tribuant, sed ut honor ille redundet in prototypum; attendant quæso quam gravem piis præbeat offensionis causam aperta divini illius præcepti violatio, in quo diserte omnis simulacrorum cultus prohibetur, & quam sit intutum ubi Deus nullam interdicto suo limitationem apponit, aliquam quantumvis speciosam ex privato cerebro velle comminisci.

IV. Magna animorum contentione aliquot ab hinc annis disputatum est de Prædestinatione in Fœderato Belgio, & mutua tolerantia, quam ad sopiendam illam litem Remonstrantes commendabant, ab altera parte est rejecta hoc prætextu, quod dogma controversum ad fundamentum fidei pertineret, & in eo absque salutis jactura errari non posset. Sed si propius ad rem attendatur, nihil hic fundamentale esse comperietur nisi hoc unum; Deum decrevisse fideles, & Euangelio ipsius obtemperantes, salvare, incredulos vero & immorigeros æterna morte damnare. In eo autem confitendo utrique conveniebant. Sed Contra-remonstrantes negabant istud ad salutem sufficere, & volebant addi, Hoc decretum, quà singulares personas spectat, in mero Dei beneplacito esse fundatum; adeo ut Deus Petrum v. gr. saluti non destinaverit propter fidem, aut Judam damnationi propter incredulitatem, sed tantum quia ipsi ita placuerit: Per consequens, Christum pro omnibus hominibus non esse mortuum, sed tantum pro illis qui absoluto Dei decreto ad vitam æternam erant electi, in quibus solis etiam Deus per potentiam insuperabilem velit fidem efficere, & usque ad vitæ finem, non obstantibus ullis peccatis aut sceleribus, conservare. Sed additamenta ista ad salutem creditu non esse necessaria (ut nunc illorum falsitatem silentio prætercam) inde liquet, Quod nullibi in Sacris literis tradantur, prout sine dubio fieret, si in hunc censum essent reponenda. Deinde quod qui decreta Dei de salute & damnatione hominum conditionata esse credunt, hac opinione à fiducia in ipsum aut observatione mandatorum ejus non abducan-

tur, sed contra ad eam magis incendantur. Qui enim sic apud se statuit, Deus me quidem diligit, & æternæ salutis participem vult facere, sed hac lege, si credam Euangelio, meamque fidem bonis operibus testatam faciam; contra ille me in æternum ignem abjiciet, si non credam Euangelio, aut postquam aliquandiu credidero à fide deficiam; majorem habet causam sectandi pietatem, & metuendi ne in Dei offensam incurrat, quam ille qui credit se decreto absoluto, quod nullis peccatis irritum reddi queat, electum esse ad vitam æternam, & ad omnia media quæ ad illam ducunt, qualis est fides & resipiscentia, quam Deus in ipso sine ipso, ut docet Synodus Dordracena, sit effecturus. Rursus, qui credit Deum velle omnes homines salvos fieri, proindeque Filium suum unigenitum in mortem pro omnibus tradidisse, & nemini petenti gratiæ suæ auxilium ad salutem necessarium denegare, habet cur optime à parte Dei de salute sua speret, & ità alacriter in stadio obedientiæ Euangelicæ ad finem usque perseveret. Sed qui existimat Deum paucos ad vitam æternam elegisse, longe vero maximam generis humani partem damnationi æternæ immutabili decreto adjudicasse, pro istis miseris non misisse Filium suum in mundum, & nulla iis sufficientia media largiri velle quibus perditionem effugere queant; is nihil habet quo se adversus desperationem muniat; sed contra causam cogitandi, multo esse probabilius se ad magnum reproborum, quam ad parvum electorum gregem pertinere; proinde nihil necesse esse ut se in laborioso virtutis tramite sequendo cruciet, se satis cito miserum fore, præstare ut exiguum quod ipsi conceditur vitæ tempus cupiditatibus indulgeat, & in cuticula curanda impendat. In summa, se irrevocabiliter aut ad vitam aut ad mortem æternam ante jacta mundi fundamenta destinatum fuisse, & quomodocunque sese gerat, sive bene, sive male, id quod ipsi præparatum sit tandem obtenturum. Nec referre quod ignoret in specie quid illud sit, bonum-ne an malum; sufficere quod pro comperto habeat, si electus sit ad salutem, se ante vitæ finem vi irresistibili ad meliorem frugem conversum iri: nec de eo sollicitum se esse debere, quia antequam Deus ita in se operetur nihil omnino salutaris boni facere queat: si vero æternis inferni cruciatibus sit destinatus, se illos quicquid in contrarium moliatur aut faciat nulla ratione effugere posse, quia inconditionatum & irrevocabile sit perditionis suæ decretum. Illum certe præjudicio suo mire excæcatum esse oportet, qui ejusmodi opinionem non solum pro vera, sed etiam (quod multo amplius est) pro creditu ad salutem necessaria venditare audeat; præsertim cum sive ei fides adhibeatur, sive non adhibeatur, decretum Prædestinationis nihilominus sit executioni mandandum, & nec fide nec infidelitate nostra possit ullatenus rescindi: prout docet Augustinus Marloratus in Expositione sua Ecclesiastica, in *Joannis cap.* XV. *Stat firma sententia; quemcunque Deus ante conditum orbem elegerit, eum non posse perire; quem vero rejecerit, eum non posse salvari, etiamsi omnia Sanctorum opera fecerit: usque adeo irretractabilis est Dei sententia.*

V. Majoris adhuc præcedente momenti existimatur hæc quæstio, Utrum sola fide justificemur apud Deum, an vero fide & operibus simul. Qui enim prius affirmant, capitalis erroris accusant posterioris sententiæ defensores. Sed immerito. Nam id apud *Jacobum cap.* II. totidem verbis legitur. *Videtis ex operibus justificari hominem & non ex fide tantum.* Nec ad rem facit exceptio, illum de justificatione coram Deo non agere, sed de justificatione coram hominibus. Ejusmodi enim coram hominibus justificatio ad salutem est inutilis; quia illi judicio charitatis, quæ non est suspicax, sed omnia credit, omnia sperat, impium & sceleratum hypocritam pro justo habere possunt. De salute autem æterna ipsum loqui, ex disputationis initio patet. *Quæ utilitas, siquis dicat se habere fidem, opera vero non habeat; num potest eum fides servare?* Deinde illi qui assertionem hanc pro exitiali hæresi habent, in illam imprudentes recidunt, cum nos fide viva coram Deo justificari ajunt. Fides enim illa viva est, quæ per charitatem est efficax, seu bona opera ex se parit, sibique indivulso nexu conjuncta habet. Nec contradictionem effugiunt dicendo, nos justificari quidem fide viva, sed non qua viva est. quasi fides in nostri justificatione aliter à Deo consideretur quam qualis est reipsa, & necessario esse debet. Et cum alterutro istorum modorum inspicienda sit fides, aut qua viva, aut qua mortua, certe si Deus eam non consideret in justificandis ut mortuam, quia talis non est nec esse debet, oportet ut tanquam vivam intueatur. Nam sicut inter vivam & mortuam fidem non datur medium, ita nec inter istos duos eam considerandi modos. Id ipsum etiam faciunt, quando resipiscentiam ad peccatorum remissionem consequendam requiri confitentur, secundum illud Petri, *Act. cap.* III. *Resipiscite & convertite vos, ut deleantur peccata vestra.* Nam remissio & justificatio ipsis sunt ἰσοδυναμοῦντα. nec male, cum Deus nemini remittat peccata, quæ sunt vel omissionis vel commissionis, quin cum simul justum censeat, & justitiæ præmio donare proponat. Resipiscentia autem in exuendo vetere homine & induendo novo consistit, ac proinde omnia bona opera, à Christianis lege Euangelica requisita, in se complectitur. Sed Paulus, inquiunt, diserte omnia opera à justificatione hominis coram Deo excludit, eamque soli fidei tribuit, *Rom.* III. & IV. & *Galat.* II. Resp. Eos neque quid sint opera, neque quid sit fides, de quibus loquitur, satis intelligere. Nam quod ad primum attinet, Apostolus non excludit omnia opera à nostri justificatione, sed tantum legalia, circumcisionem, sacrificia, sabbatha, & alia id genus: non moralia, qualia in Euangelio præcipiuntur. Id apparet ex oppositione quam inter utraque facit *Galat.* V. *In Christo Jesu neque circumcisio*

cisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem operans. Vel, ut in *cap.* VI. loquitur, *Nova creatura*, & 1 *Cor.* VII. *Observatio mandatorum Dei.* Quomodo hæc in Christo, seu sub Christi regno, valent, nisi quia ad justificationem conferunt, tanquam conditio sine qua obtineri non potest, non vero illa quæ excludit? Quidam excipiunt, ad salutem quidem prodesse aliquid bona opera, sed non ad justificationem. Sed non video quæ discriminis hujus sit ratio. Cum enim justificatio aliud nihil sit quam sententia, per quam Deus nobis salutem adjudicaturus est, cur plus ille ad salutem quam ad justificationem à nobis exigeret? Et, si ita se res habet, quomodo de omnibus justificatis tuto affirmari potest eos in statu salutis esse? Quod ad alterum, nempe fidem, non animadvertunt Paulum eam sæpe accipere pro doctrina fidei, seu Euangelio quo illa præscribitur; ut cum *Galat.* III. dicit, *Antequam venisset fides*; &, *Postquam venit fides.* Illud enim idem est ac si dixisset, Antequam vel postquam doctrina Euangelica fuisset revelata. Sic *Act.* VI. *Magna Sacerdotum turba obediebat fidei*, id est Euangelio. Imo nonnulli ex iis cum quibus nobis res est, significationem istam urgent in locis ubi agitur de apostasia à fide, 1 *Tim.* I. 19. & IV. 1. Ibi enim per fidem intelligi nolunt internum illum fiducialem assensum quem præbemus Euangelio, & per quem justificamur, sed Euangelium ipsum seu fidei doctrinam. Eodem ergo modo in hac materia, cum Apostolus docet nos justificari fide non operibus legis, fidei & operum voces sunt accipiendæ. Nihil enim aliud ista loquendi formula vult significare, quam nos coram Deo non justificari faciendo opera illa ceremonialia quæ maximam legis à Mose traditæ partem constituunt; sed credendo & opera fidei exercendo, qualia nobis in Euangelio præscribuntur: ideoque si tanti beneficii cupiamus esse participes, non amplius ad veterem legem, populo Israëlitico olim traditam, sed ad novam Euangelicam, quam Christus attulit, vitam & mores nobis esse componendos. Cui cohæret illud, nos secundum rigidum fœdus Mosaicum non judicatum iri, quo absque ulla misericordia moriendum erat ei qui legem irritam fecerat, seu præceptum aliquod mortis pœna sancitum violaverat, etiamsi eum quam maxime facti pœniteret: sed secundum novum gratiosum, in quo Deus omnium peccatorum veniam offert iis qui in Christum credunt, & se ad ipsum ex toto corde convertunt, *Act.* XIII. *v.* 38. 39. At si ita se res habet, inquiunt, ut ad justificationem consequendam necesse sit bona opera facere, justificatio nostra non erit plane gratuita. Eam vero ut gratuitam agnoscamus interest tum ad Dei gloriam, tum ad nostræ salutis certitudinem. Resp. Non ideo desituram justificationem nostram esse omnino gratuitam, etiamsi absque emendatione vitæ & sanctimonia non obtineatur, ex eo animadvertere licet, quod eam ad salutem necessariam esse confiteantur, quæ non minus gratuitum est Dei donum quam justificatio, docente id Paulo, *Rom.* VI. 23. *Eph.* II 8. & alibi. Item ex eo quod Joannes eam, tanquam conditionem requisitam, redemtioni quam in Christi sanguine habemus apponit. *Si*, inquit, *in luce incedimus, sicut Deus est in luce, communionem habemus cum eo mutuam, & sanguis Jesu Christi filii ejus purgat nos ab omni peccato*, 1 *Epist.* I. Non quod resipiscentia nostra & bona opera apud Deum aliquid mereantur, aut ita perfecta sint ut in ipsius judicio, si rigide examinentur, consistere valeant: absit ut id dicam: sed quia Deus alia lege tantorum beneficiorum participes nos reddere non vult. Et quod ad salutis certitudinem attinet, dico longe falli eum, qui de ea gloriatur, quamdiu adhuc in peccatis ambulat. *Per hoc enim adimpletur charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quod qualis ille est, tales & nos sumus in hoc mundo*, 1 *Joan.* IV. (Ubi verba illa, *qualis ille est*, καθὼς ἐκεῖνός ἐστι, sanctitatis tantum similitudinem cum Deo notant, non paritatem, quæ vires nostras longe excedit.) Et cum absque bonis operibus vitam æternam non consequamur, ut ex plurimis Sacrarum literarum locis constat, *Matt.* V. 20. *Rom.* VIII. 13. *Heb.* XII. 14. & aliis; neque etiam absque illis certi esse possumus aut debemus nos eam consecuturos. Si contra facimus, magno animæ nostræ periculo nos decipimus. Summatim, ad salutem & ad justificationem necesse est bona opera facere, sed non perinde requiritur, ut accurate noverimus quem ea ad utramque respectum habeant. Illud Dei legislatoris & judicis proprie est; nostri eatenus tantum, quatenus ad eis sedulo incumbendum adjumento esse potest. Ita ut illi pessime faciant, & quod Dei est sibi tribuant, qui propter dissensionem circa ejusmodi respectum fratres suos condemnare audent: præsertim cum non uno experimento sit compertum; λεπτολογίαν istam securitatis carnalis esse fomentum, & homines ad Dei mandatis parendum segniores reddere.

VI. Agitatur etiam satis fervide hæc quæstio; An in explicandis fidei Christianæ capitibus aliquando necesse sit aliis terminis & phrasibus uti quam Scriptura S. usurpat: verbi gr. cum tractatur de Deo Patre, Filio, & Spiritu S. vocibus *Trinitatis*, *Essentiæ*, *Personæ*, ὁμοουσίου & similibus, quæ ab Ecclesiæ Doctoribus primum excogitatæ, deinde à Conciliis approbatæ fuerunt. Non pauci enim pii & eruditi viri, animadvertentes quot subtilitatum tricis doctrina salutis præcedentibus sæculis fuerit involuta, non aliam tutiorem & commodiorem se expediendi viam esse putant, quam si ad Sacrarum Literarum simplicitatem redeatur, & omnes humanitus inventæ voces inde arceantur, aut saltem nullus deinceps in eas jurare cogatur. Quorum religiosum scrupulum non ausim improbare. Nam re attentius expensa ejusmodi terminos adhibere mihi nec necessarium nec utile esse videtur. Non esse necessarium concedere debent Protestantes, qui omnia ad salutem

ſcitu, creditu & factu neceſſaria in Scriptura S. contineri, & adeo perſpicue explicari ſentiunt, ut à quolibet ipſam attente & in timore Dei legente facile poſſint percipi. Si enim ita ſe res habet, nec dogmata, nec voces ad ea explicanda, extra Scripturam opus eſt fingere, multoque minus licet ejuſmodi dogmatibus & vocibus, tamquam neceſſariis, alios ſub Anathematis pœna alligare. Quod ſerio perpendere deberent ii, qui ſine iſtiuſmodi terminorum uſu fidei puritatem in periculo verſari exiſtimant, non attendentes ſe principio de ſufficientia & perſpicuitate Sacrarum Literarum, recte à ſe poſito, cum id urgent renunciare. Sed, inquiunt, neceſſe eſt illis uti ad detegendos hæreticos, qui ſub Scripturæ verbis ſe occultant, & interim verum illius ſenſum corrumpunt & abnegant. Quibus reſpondeo, I. Nullum à nobis pro hæretico eſſe habendum, qui ſe religioſe illa quæ claris verbis in Scriptura docentur, amplecti profitetur, etiamſi in obſcurorum aliquot locorum intelligentia nobis hallucinari videatur. Eo ipſo enim quod omnia illa quæ clara ſunt credit, jam in via ſalutis eſt, nec propterea quod in difficilioribus nonnullis forte erret, ideo ſtatim hæreticus pronunciandus eſt. II. Voces iſtas à Conciliis & Doctoribus Eccleſiaſticis excogitatas, non poſſe abſque Spiritus S. ignominia commodiores exiſtimari ad hæreticos convincendos, aut ex ſuis latebris protrahendos, iis quæ apud Sacros quos inſpiravit Scriptores inveniuntur. Id quod adhuc clarius apparebit, cum alterum aſſertionis meæ membrum probavero, videlicet utile non eſſe illas adhibere. Primaria ergo quæ me ad ita ſentiendum movet ratio hæc eſt, Quod iſtæ voces ſint ὁμώνυμοι, & quo ſignificatu accipi debeant ignoretur. Nam ut unam aut alteram illarum examinem, *Perſonæ* occurrunt variæ apud eos qui de Trinitate diſputant definitiones, non verbis tantum, ſed etiam ſenſu valde inter ſe diſcrepantes. Vulgo ſolet definiri, Subſtantia ſingularis intelligens, ſeu (ut Scholaſtici loqui amant) ſuppoſitum intellectuale. Et hoc ſenſu quot homines ſunt totidem eſſe dicimus perſonas; licet Laurentius Valla id tanquam barbarum improbet, & perſonæ vocem apud bonos Latinitatis auctores nihil aliud niſi qualitatem ſignificare contendat. Sed alii majus quid in hac definitione deſiderant, nempe quod ea admiſſa dicendum foret animas à corpore ſeparatas & Chriſtum hominem eſſe perſonas: item quia ſi plures ejuſmodi perſonæ darentur in Deo, eſſet compoſitus: quæ omnia ſint falſa & abſona. Subſtituunt itaque aliam in ejus locum, quam Juſtino Martyri tribuunt, qui in Expoſitione fidei dicat, Perſonam divinam eſſe τρόπον ὑπάρξεως, ſeu modum exiſtendi. Sed non eſt cur celeberrimi iſtius Scriptoris nomine quiſquam ad eam recipiendam moveatur. Tractatus enim ex quo citatur non eſt genuinus ejus fœtus, ſed auctoris multo recentioris, ut Critici id multis rationibus evincunt, inter alios Bellarminus, libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimus Theologus Andreas Rivetus, in Critico ſacro. Et propius inſpecta hæc definitio abſurda eſſe videtur. Nam ſecundum Metaphyſicos modus entis medium quiddam eſt inter ens & purum putum nihil; in quem cenſum etiam referunt privationes, entia rationis, & alia ejuſmodi. Unde ſequitur, ſi perſona divina nihil aliud ſit niſi ejuſmodi modus, eam minus entitatis habituram quam accidens, & propemodum nihil fore. Proinde cum, ut celebres multi Theologi ſentiunt, eſſentia in divinis nec generet nec generetur, ſed tantum perſona, tum Pater qua Pater eſt & Filium genuit, tum Filius qua Filius eſt & à Patre genitus, minus quid erunt quam exile accidens; quod an-non ad Atheiſmum viam ſternat intelligentibus conſiderandum relinquo. Unde porro colligo eos qui perſonam per Modum exiſtendi definiunt, ut & illos qui negant eam eſſe Rem ſeu Ens aliquod, vel ſubſtantiam, non videri habere legitimam cauſam cur admodum ſuccenſeant illis qui unam tantum in Deo perſonam agnoſcunt. Utrique enim in hoc quod præcipuum eſt conveniunt, eſſentiam ſive naturam divinam eſſe unam, & eam totam in Patre eſſe, nihilque eſſentiæ Dei decedere ſive una ſive plures cenſeantur eſſe perſonæ. Et quæ inter ipſos agitatur controverſia non eſt de re aliqua, ſed tantum de modo rei, qui adeo exilis eſt ut minus ſit quam accidens, & fere nihil. De re autem tam exigua (ſi per ipſos rem mihi dicere liceat) pacis & unitatis Eccleſiaſticæ amantes cum aliis digladiari non decet. Nec commodior videtur vox ὁμοούσιος, quam Latine reddunt *Conſubſtantialis*, vel *Coëſſentialis*. Eſt enim ambigua, & alio ſenſu à veteribus, alio à recentioribus Theologis accipitur. Nam veteres qui circa Concilii Nicæni tempora vixerunt, in cujus Symbolo primum uſurpata reperitur, non aliter Patrem & Filium in divinis cenſuerunt eſſe ὁμοουσίους, quam prout duo homines ſunt ὁμοούσιοι, qui eandem ſpecie humanitatem inter ſe communem habent. Id liquet ex Concilii Chalcedonenſis Symbolo, in quo legimus Jeſum Chriſtum eſſe ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, id eſt, *Conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem.* Quæ verba ex diverſarum Synodorum Symbolis congeſta, octies repetuntur in prima Juſtinianæi Codicis conſtitutione, De ſumma Trinitate & fide Catholica. Sed prolixius id declarat Athanaſius, Dialogo I. de Trinitate, non procul ab initio: ubi introducit Anomæum, id eſt Arrianum, petentem, *Cujuſmodi ſe habent tres hypoſtaſes in Trinitate?* Et Orthodoxus reſpondet, *Ut ſunt Petri & Pauli & Timothei tres hypoſtaſes & una humanitas.* Anom. *Ergo ſunt tres Dii.* Orthod. *Abſit ut hæc dicam.* Anom. *Si ita ſunt hypoſtaſes ut Petri & Pauli & Timothei, tres ſunt Dii, quandoquidem Petrus, Paulus & Timotheus tres ſunt homines.* Orthod. *Ne hi quidem ſunt tres.* Anom. *An-non igitur tres ſunt Petrus, Paulus & Timotheus?* Orthod.

Tres

Tres quidem sunt, at non tres homines: quia tunc tres sunt homines, cum dissimile cor habuerint, ut Græcus, & Judæus & Christianus. Sin vero idem senserint, nec sint inter eos dissidia, tres quidem sunt hypostases, sed unus in Domino, quod unum animum & unum cor habeant: & tres quidem sunt numero, at non quod diversam inter se naturam vel diversum cor habeant. Anom. *Ego eos qui tres sunt, tres esse dico.* Orthod. *At ego tres esse dico, si inter se dissenserint: quod si ex Dei verbo fuerint eadem mente & sententia compacti, unum novum hominem esse dico, manentibus tamen hypostasibus.* Anom. *Sed hæc de hominibus dicuntur; in Deo vero aliter se res habet.* Orthod. *Si in iis quæ corporaliter separata sunt, modo animi sententia non dissideant, habet Scriptura* UNUS & UNUM, *multo magis id dicendum est in iis quæ sunt materiæ & corporis expertia. Aut igitur in istis ponito esse dissidia, ut tres Deos dicamus, quoniam unus istud, alius illud velit: aut si nulla est in iis dissensio, unus sit Deus Pater & Filius & Spiritus S. quemadmodum qui in Christo sunt compacti, unus homo sunt, sicut scriptum est.* Et sub ejusdem Dialogi finem rursus Orthodoxum ita loquentem facit, *Qui coëssentialitatem dicit Christianus est: qui vero existimat eum non esse Christianum qui coëssentialitatem dicit, & tamen ipsemet hoc dicit, comperitur seipsum condemnare, ut servus ille malus ex suo ipsius ore damnatus.* Et Anomæus respondet, *Quomodo vero sum compertus id dicere?* Orthod. *Nos (dixisti) sentimus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse instar Episcopi, Presbyteri, & Diaconi.* Anom. *Fateor me dixisse instar Episcopi, Presbyteri, & Diaconi.* Orthod. *Atqui Episcopus, Presbyter, & Diaconus sunt ὁμοούσιοι, coëssentiales. Fassus es igitur ὁμοούσιον, coëssentialem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* Ex quibus Athanasii locis Sole clarius apparet, ipsum ideo tantum Patrem, Filium, & Spiritum S. dicere esse consubstantiales, quia in eadem specie Deitate conveniant, & summa inter eos sit voluntatis consensio. Idem denique, ne plura loca congeram, evincitur ex hypostaseos definitione, quam Anastasius & Cyrillus, ille Antiochenus, hic Alexandrinus Patriarcha, in Compendiaria sua fidei orthodoxæ explicatione tradunt; quod ὑπόστασις sit *οὐσία μετά τινων ἰδιωμάτων ἀριθμῷ τῶν ὁμοειδῶν διαφέρουσα, τουτέστι πρόσωπον ὁμοούσιον*, id est, *essentia cum suis quibusdam proprietatibus, ab iis quæ ejusdem sunt speciei numero differens, hoc est persona coëssentialis.* Cum enim dicunt ea quæ sunt ejusdem speciei, & numero differunt, personam coëssentialem constituere; satis ostendunt se non existimare Patrem, Filium, & Spiritum S. aliter esse coëssentiales, quam sint tres homines, à se numerica essentia distincti, specifica vero unum. Sed recentiores Theologi, ut ex omnibus ipsorum scriptis liquet, Patrem, Filium, & Spiritum S. putant esse ὁμοουσίους, quia unam numero essentiam inter se communem habent, non vero specie tantum. Quid me hic in tanto, quem inter utrosque animadverto dissensu, facere convenit? Veteres-ne sequar? Æquum sane id videretur. Nam à quibus vocem accepimus, ab iis quoque significatum illius discere consentaneum est. Sed sensus iste nostris improbatur, & Tritheismum introducere putatur. Recentiores-ne ergo potius audiam? At sententia ipsorum, præterquam quod nihil habet in veteris Ecclesiæ auctoritate præsidii, est etiam ἀκατάληπτος. Nam cum essentia sit illud quo unaquæque res est id quod est, & ab aliis omnibus distinguitur, plures in divinitate distinctæ personæ esse non posse videntur, quin plures etiam sint essentiæ; & dicere tres personas unam numero habere essentiam, idem esse videtur atque asserere eas unam tantum esse personam, Sabelliique hæresi accedere, qui Patrem, Filium, & Spiritum S. unam eandemque personam esse dixit, sed quæ diversis nominibus appelletur, & ita mirum in modum totam salutis nostræ œconomiam perturbavit. Cum ergo hic stem inter sacrum & saxum, & quocunque me vertam præcipitium ante pedes videam, non-ne præstat me ab hac voce & similibus, tanquam impropriis, & gravissimorum errorum latibulis, abstinere, & solas auctorum θεοπνεύστων, qui nec falli nec fallere potuerunt, de hac materia loquendo voces & phrases usurpare?

VII. Quantum in Orbe Christiano turbarum dederit disputatio de Regimine Ecclesiæ nemo est qui ignoret. Non loquar jam de Monarchia, quam Papa Romanus in reliquos omnes Episcopos & Ecclesiasticos sibi vendicat. Solo enim contemtu excipi meretur Bonifacii VIII arrogantia; *Subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis.* cap. unam sanctam Extravag. de Majorit. & obed. Protestantes qui nos propius tangunt videamus, & quam graviter ista occasione Scotia & Anglia paucis ab hinc annis concussæ fuerint consideremus. Controversiam tamen quæ motus istos excitavit privata Ecclesiæ membra nihil tangere quod ad conscientiam, imo ne Magistratus quidem, cuilibet attendenti est manifestum. Dico quod ad conscientiam: quia certum est Deum à nemine rationem reposciturum, cur Episcopali se potius quam Presbyteriali regimini, aut contra, subjecerit; sed tantum an mandatis suis, sive per hos sive per illos promulgatis, paruerit examinaturum. Licet ergo quod ad hominem externum unus ordo alio commodior interdum esse videatur, quia tamen in eo salus animæ non vertitur, privatus Christianus id tanti non faciet, ut propterea cum fratribus contentionis funem trahere velit: sed meliorem optans in Ecclesia politiam, publice receptam qualiscunque sit placide feret; præsertim si videat eam absque turbis emendari non posse. Imo Magistratus quoque supremus, cujus est curare ut Ecclesia quam optime fieri potest regatur, eodem se modo geret, omnia sua consilia ad Ecclesiæ & Reipublicæ pacem ita referens, ut si quod optimum judicat facile obtinere non possit, tolerabili potius sit contentus, quam Rempublicam in discrimen adducat: navarchum imitans, qui vi tempestatis

 adver-

adversæ à portu quo tendebat depulsus, κατὰ δεύτερον πλοῦν in proximum aliquem cursum suum dirigit. Si quando igitur dissidia inter Pastores & Ecclesiarum rectores exoriantur, eo quod quidam eorum priores se ferre amplius nolint, alii vero ne quidem pares, ut olim Romæ Cæsar & Pompejus, prudens Magistratus nulli parti suam auctoritatem commodabit, ad eam vi tuendam, & contrariam opprimendam; sed potestate sua utens ad ædificationem, non ad destructionem, utramque potius quantum in se est ad pacem & concordiam revocare annitetur. Quam vero indignum sit Christianos, sive Ecclesiæ sint Rectores, sive privata illius membra, in gratiam hujus vel illius regiminis formæ inter se rixari, aut etiam ferro decernere, inde animadvertere quilibet nullo negotio potest, quod neutra expressa lege à Christo aut ab ejus Apostolis sit præscripta, ita ut observatu ad salutem esse necessaria prætendi possit. Expressa autem lege ista de re nihil esse cautum id arguit, quod neutra contendentium pars hactenus ullam, quæ talis merito vocari possit, pro se facientem, ex Sacro Novi Testamenti Codice attulerit. Exempla quidem, fateor, aliqua ibi occurrunt, ex quibus quid tunc temporis in usu fuerit satis verisimiliter colligi queat. Sed exempla vim legis conscientiam obligantis non habere, omnes tam divini quam humani juris periti consentiunt. Nec sine causa. Quamvis enim id quod Legum-latores observarunt, bonum & utile pro illo tempore & loco ab ipsis judicatum fuisse indubium sit, eo tamen ipso quod non sanxerunt ut perpetuo ita fieret, libertatem aliter se gerendi, si res id exigeret, relinquere voluisse patet: præsertim si tanta fuerint sapientia præditi, ut quid in posterum expediret non ignoraverint, quemadmodum de Christo & ejus Apostolis, Spiritu S. plenis, religiosa fide credimus. Sic quamvis Dominus Jesus trigesimo ætatis suæ anno in Jordane baptizatus fuerit, exemplo tamen suo legem non fixit baptismo, ut non nisi illa ætate & loco suscipiatur. Imo qui eum hic imitari nunc vellet, tanquam superstitiosus merito derideretur. Similiter sacram quidem Eucharistiam cum discipulis suis vespere post cœnam Paschalem sumtam celebravit: sed nullibi aut ipse aut ejus Apostoli præceperunt, ut perpetuo id ita in Ecclesia observaretur. Unde colligimus Christianorum arbitrio relictum esse, ut ad hujus mysterii celebrationem qua commodissimum videbitur hora conveniant. Et sane cum dierum discrimen, quod sub Veteri fœdere locum habuit, in Novo sit abrogatum, ut ex *Rom.* XIV. 5, 6. *Gal.* IV. 10, 11. *Coloss.* II. 16, 17. constat; an putandum est Christum ad certam aliquam horam exemplo suo solo, absque lege qua de perpetua ejus voluntate edoceremur, alligare nos in Sacra Synaxi voluisse? Multo ergo minus exempla controversa, & de quorum vero sensu inter eruditos disputatur, ad hanc aut illam regiminis formam in Ecclesiam, contra multorum voluntatem, introducendam sufficiunt. Si vero recepta forma, longo annorum decursu sit depravata, & aliquid in eam vitii irrepserit, quod emendatione indigeat, legitima id via & ordine corrigatur, non vi & armis; cum violenta ejusmodi reformatio, experientia teste, remedium sit morbo ipso multis partibus periculosius. Eademque est quorundam aliorum rituum ratio, ut certi generis vestium, in quarum usu sanctimoniam aut profanitatem collocare, eorum est qui in quo Christianismus consistat nesciunt: tantum enim abest ut hæc & similia ad religionis medullam pertineant, ut vix illius corticem tangere videantur.

Sed exemplorum satis est. Ex his quæ attuli judicium de cæteris fieri potest, & agnosci magnam illarum opinionum partem, propter quas Christiani hostilibus animis & armis inter se concurrunt, & alii alios ad Orcum damnant, levioris multo esse momenti, quam ut tantas animorum commotiones excitare debeant. Quamobrem unica hæc illas sedandi ratio superest, ut litibus circa non necessaria valere jussis, omnes qui in fundamentalibus consentiunt, iterum in unum Ecclesiæ corpus coëant. Ita pax, quæ tamdiu à nobis pulsa exulavit, postliminio redibit, & nos invicem tanquam fratres in Christo mutua charitate complectemur. Quo vero ordine id commodissime in praxin deduci possit, non est instituti mei nunc edisserere: prolixiorem enim requireret tractationem, quam hujus Præfationis modus permittat. Id forte alias (si Deus cœptis annuerit) separato fiet opere.

Interim sufficiet hic inserere prudens ea de re consilium D. Bartholomæi Prævostii, in Ecclesia Remonstrantium Amsteldamensis concionatoris doctissimi & facundissimi, collegæ mei charissimi, ex ejus Concione in *Psalmum* CXXII. anno CIↃ IↃC XLVIII, Junii decimo die, quo gratiæ Deo publice in toto Belgio, pro pace inter Hispaniarum Regem & Fœderatos Ordines facta, agebantur, Belgico sermone edita, & postea nonnihil ab ipsomet interpolata. Ibi postquam ab exemplo Hierosolymæ, pro cujus pace David in illo Psalmo precatur, docuisset in Republica non tantum administrationis justitiæ, sed etiam Religionis summam habendam esse curam, ista occasione de Religione Christiana & variis ejus sectis agit, & qua illæ via & modo vel tandem in unum corpus redigi, vel saltem ut pacem inter se colant, adduci possint, ostendit, sic disserens: *Existimo urbem Hierosolymam, qualis circa Servatoris nostri Jesu Christi tempora conspiciebatur, præclarum nobis præbere exemplum, qua ratione pax Ecclesiastica inter adversas de Religione opiniones sarta tecta conservari possit. In ea tunc erat unicum commune & publicum templum, in quod omnes Judæi cultus divini gratia conveniebant. Sed præterea ibidem erant diversæ Synagogæ, videlicet Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum, in quibus singuli, alicui ex istis sectis addicti, privatas suas & à reliquis discrepantes opiniones docebant. Imo, quod amplius est, omnes isti sine discrimine in Se-*

natum

natum supremum admittebantur, ut ex diversis Novi Testamenti locis liquet, & nominatim ex Act. v. 17. & XXIII. 6. ubi unam Concilii partem Sadducaorum, alteram Pharisaorum fuisse dicitur. Nusquam tamen legimus Jesum Christum, aut ipsius Apostolos, ejusmodi diversarum Sectarum & Synagogarum tolerantiam reprehendisse, tantum abest ut eas Dominus Jesus externo aliquo facto abrogaverit. In id solummodo incubuit, ut bona institutione omnes simul ad veram in se fidem adduceret. Optandum ergo foret (ut ego quidem sentio) ut qui publica templa & munera occupant, in sua Confessione, doctrina, caremoniis, aliisque, se intra primorum Christianorum & Apostolorum simplicitatem & generalitatem continerent, qui una concione aliquot hominum millia ad Christi fidem adduxerunt; aut duodecim illis Catholica fidei articulis, Symbolo Apostolico comprehensis, hoc est paucis admodum, & paucis caremoniis, contenti essent, & in aliorum conscientias dominium non usurparent, adeo ut omnes absque animi offensione publicos illos cœtus frequentare, & ibi inter se Eucharistiam celebrare possent. Decisiones enim divisiones pariunt, & quo plures sunt decisiones, eo plures inde oriuntur divisiones & schismata. Speciatim vero, quod ad publicas coràm populo conciones attinet, si vel ad difficilium & obscurorum Scriptura S. locorum explicationem, vel controversia alicujus utilis discussionem & enodationem, vel noxii erroris exstirpationem, aliamve similem ob causam, fieri penitus aut nonnisi difficulter admodum nequiret, ut concionatores se continerent in iis solum pertractandis qua scitu & factu pracise necessaria, & apud omnes fere Christianos in confesso sunt, Ecclesia autem adificatio exigeret ut ad specialiora quadam, quam qua communi Christianorum confessione comprehensa, & supra indicata sunt, descenderent; Tum ad pacem Ecclesia tuendam, & schismata evitanda, necessarium omnino foret ut Ministri, prout etiam omnes Christianos decet, summam in illis tractandis Christiana modestia rationem haberent, ab odiosis contra sentientium denominationibus & traductionibus, item à calumniis in sententia ipsorum referenda, abstinerent, nec consequentias suas pro partis adversa opinionibus afferrent aut venditarent; argumenta pro sententia sua valide quidem, attamen modeste, semper proponerent, partisque adversa objectiones sine nomine, saltem odioso, refutarent: breviter, ea in contra sentientes moderatione, charitate & prudentia uterentur, qua ipsos erga se uti optarent, vitando omnia qua ad animos illorum vel auditorum in ipsos exacerbandum facere posse existimarent, nihil aliis imperiose prascribendo, sed unicuique judicii sui libertatem salvam relinquendo, semperque (non obstante opinionum diversitate) ad pacem & tolerantiam mutuam omneque schisma fugiendum monendo & concludendo, aliaque ejusmodi, qua cujusque Ecclesia status postulare videretur. Hac ratione pax in una eademque Ecclesia, per Pastores inter se mutuo sententiis discrepantes, ex uno eodemque suggesto ad eundem populum negotium Religionis & Scriptura tractantes, salva singulis prophetandi libertate, citra metum schismatis conservari, imo etiam amissa restitui posse nobis videtur: imprimis si ea qua controversa sunt raro, nec statim post auditam contra sententis concionem, & per modum oppositionis & refutationis, sed alia commodiore via, discuterentur. Quod si supra memorata, etiamsi aquissima & religioni Christiana plane consentanea sint, à Pastoribus in eadem Ecclesia docentibus obtineri nequirent, proximum esset ut illi qui ab aliis ejicerentur, aut in conscientiis gravati sponte discederent, & ad suam adificationem separatos cœtus habere mallent, libere convenire possent, & ob solum atque innocens Religionis exercitium nulla eis molestia crearetur. Ita nemo de tyrannide in conscientias usurpata conquerendi occasionem haberet, libertas prophetandi non impediretur, & cum nunc omnia odiis & animorum dissidiis ardeant, charitatem & concordiam mutuam inter Christianos redire, & nova in dies incrementa capere, videremus. Sed quia nondum eadem omnibus mens est, ut id communi consensu in praxin revocari possit, nos interea in plerisque Batavia locis, singulari Magistratuum nostrorum benignitate & clementia (quo nomine ipsis, sed in primis Deo summopere sumus devincti) conscientiis nostris satisfaciendi libertatem tandem adepti, illud ad communem omnium Christianorum, & pracipue eorum qui à Papatu secesserunt, solamque Scripturam S. pro fidei regula agnoscunt, unionem & reconciliationem, quantum in nobis est, observare studemus. Quamvis enim nostram de plerisque Religionis Christiana capitibus sententiam copiose in nostra Confessione & aliis scriptis declaraverimus, neminem tamen ulterius illi alligamus, quam quatenus eam cum Sacris Literis convenire agnoscit; & cum de aliquo ad nostram communionem admittendo agitur, in sola Catholica fidei confessione, & vita ad Christi mandata componenda professione, acquiescimus, nihil praterea in ejus conscientiam inquirentes. Et ad istam declarationem Baptismum iis qui ad nos accedunt administramus, eosque ad Sacram Synaxin nobiscum celebrandam recipimus. Sententiam quidem nostram de aliis rebus fidei in concionibus aperimus, & defendimus, sed non idcirco eos qui ab illa dissident condemnamus, aut à nostra communione arcemus; verum cogitantes fieri posse, ut ii quos in errore versari putamus sanius nobis sentiant, aquanimiter eos toleramus, sicut & nos ab ipsis tolerari cupimus. Istud Ecclesiam vere Catholicam constituit; utpote qua illis solis tanquam necessariis dogmatibus adhareat, qua ab omnibus Christianis semper & ubique pro veris sunt agnita. Quisquis talia confitetur, genuinum ejus est membrum, & noster in Christo frater, dummodo ab idololatria, tyrannide in conscientias, & profanis moribus purum se conservet. Hoc observamus, & à nemine quicquam praterea, nec in fide, nec in caremoniis, nec in regimine Ecclesiastico, exigimus. Et ut hac nostra mens & praxis nullum qui ad cœtus nostros accedit lateat, & perpetuo inter nos observetur, id in omnibus nostris concionibus repetimus & inculcamus. Parati quando animadverterimus alios quoque ejusmodi Ecclesiam, & ita pacis studiosam, erigere velle, cum illa communionem colere. Optantes & orantes ut universus Christianus Orbis tandem aliquando ad ejusmodi compositam mentem redeat, & religionem non in multis decisionibus, caremoniis & similibus constituat, sed potius in multis bonis operibus, vera pietate, charitate non ficta,

& mu-

& mutua ignorantiarum quibus omnes obnoxii sumus tolerantia. Hactenus ille.

Quia vero frustra consilia, quantumvis salutaria, proponuntur, si nullus sit qui ea ad animum revocet, eorum est quos Deus Reipublicæ, & Ecclesiæ regendæ præfecit, Magistratuum, inquam, & Pastorum, pro viribus allaborare, ut tum ipsi, tum populus cui præsunt, tandem aliquando iis obtemperet, & sic abdicatis inimicitiis aurea pax inter Christianos deinceps floreat & vigeat, atque omnes, sicut olim in Ecclesia primitiva, unum cor & una anima sint in Domino. Hic est primarius finis ad quem D. Episcopii Institutiones Theologicæ collimant, in quo explicando propter magnam rei utilitatem aliquanto diutius immoratus sum.

Quid sibi propositum habuerit in aliis quos hoc volumen repræsentat Tractatibus, ex ipsorum titulis, & quas nonnullis præfixi Præfationibus in promptu est discere, ita ut opus non sit me superflua illorum recensione tempus terere. Tantum hoc uno verbo dicam, me ad illos emaculandos & ornandos eandem quam ad præcedens opus curam attulisse. Quatuor Tractatus è Belgico sunt versi; duo à me, nempe *Conciones de causis incredulitatis Judæorum*, & *Judicium de controversia, quodnam sit ordinarium conversionis medium*: reliqui duo, videl. *Labyrinthus Pontificius*, & *Responsio ad dilemmata decem*, à duobus D. Episcopii discipulis. Quod significandum hic putavi, ut si reliquorum operum elegantiæ stylus in istis non respondeat, id auctori non imputetur, sed interpretibus.

Quod superest, pie & erudite Lector, labores meos ut æqui bonique consulas à te postulo. Tibi enim tuisque studiis prodesse, nemini vero obesse aut displicere fuit animus. Quod si assecutus fuero, erit cur mihi gratuler, & operam meam ac vigilias bene collocatas putem. Si sententia in quibusdam dissideamus, animo tamen concordes esse possumus & debemus, atque in eo ad quod pervenimus, eadem regula incedere, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, donec Deus abditiora verbi sui arcana ignorantibus patefaciat. Quod ut brevi pro immensa sua bonitate facere dignetur, ardentibus ipsum votis & animi gemitibus oro. Vale. Amsteldami, Anno vulgaris æræ Christianæ CIↃ IↃC XLIX exeunte.

STE-

STEP CURCELLÆI QUATERNIO DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM.

ADVERSUS SAMUELEM MARESIUM.

*H*Abes hic, *Maresi*, *Τετρακτὺν seu quaternionem dissertationum Theologicarum*, *quibus respondeo ad totidem capita ἑτεροδοξίας; quam mihi impegisti; & tuo simul desiderio satisfacio, qui me Hieronymi verbis*, Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem, *ad defensionem mei suscipiendam animasti. Quanquam istud monitum tempori quo vivimus, & moribus nostris, vix amplius conveniat; ubi cum nulla tam vulgaris, quam hæreseos, accusatio esse soleat, nullus scribendi finis ei faciendus esset, qui se ad omnes ejusmodi criminationes retundendas obligatum existimaret. Secundæ tamen & tertiæ debitor tam diu non mansissem, si mihi quicquam de tuis accusationibus antea constitisset. Sed non rescivi te adversus me de Peccato Originis scripsisse, nisi postquam Papissa tua restituta in lucem prodiisset, & de eo à quodam amico admonitus essem, qui locum in Anti-Tirini tomo primo indicavit. Et longe serius adhuc didici, te mihi litem de necessitate cognitionis Christi movisse; idque casu, cum secundum istius Anti-Tirini tui tomum forte evolverem. Nam cum disputationes istas locis à se invicem separasses, non potuerunt se simul in conspectum meum dare. Et quia suspicionibus facile non indulgeo, non cogitabam te adversus Jesuitam ex professo scribentem, tot digressiones adversus me, & alios, facere voluisse.* Dissertatio *vero tua* de vocibus trinitatis, essentiæ, personæ, *&c. non potuit quidem me diu latere, cum adversus me nominatim scripta esset: nec etiam quod sententiam meam* de Justificatione *atrociter criminatus esses, in Respon. ad Præfat. apologet. Sed quia ista inciderunt in tempus gravissimi morbi, diu mansi anceps an aliquid contra moliri deberem; imo labore jam inchoato & aliquo usque perducto, sæpe, quia dolores urgebant, & vires deficere sentiebam, de calamo deponendo cogitavi. Tandem tamen Deus dedit ut quatuor istas, quas vides, lucubratiunculas ad optatum finem perducerem, non ea quidem cum accuratione quam argumenti dignitas postulabat, sed qualem valetudo permisit. Unde etiam factum est ut serius in lucem exeant. Sed sat cito erit, si sat bene. Laudem enim ex celeritate non affecto; quæ vituperio potius digna est, cum abortivos fœtus, & qui nondum absoluti sunt, in lucem ejicit. Superest ut secundum promissum tuum (Resp. ad præfationem apologeticam, pag. 343.) δίδακτρον mihi persolvas, & gratias publice agas, quod satis longum errorum & absurditatum catalogum, ex paucis tuis scriptis contexuerim. Quamvis enim longe prolixior fieri posset ex reliquis, ab eo qui otio & valetudine abundaret, tamen satis multa tibi demonstravi, quæ si emendabilis esses, sufficerent ad te sanandum à stulta ἀναμαρτησίας opinione, qua fascinatus videris. Sed ne quidem illam à te expecto mercedem, quam grus (ut est in fabulis) à lupo, propter os è faucibus ejus extractum, reportavit, nempe ut illæsus à te discedam. Nam si ex præcedentibus tuis actionibus conjecturam mihi liceat sumere de eo quod in posterum facturus es, convicia mihi pro gratiarum actione & pro διδάκτρῳ rependes; veluti in Dissertatione de vocibus trinitatis, personæ, &c.* Thes. XLIV. *cum me non tantum* scientia & conscientia, *sed etiam* pudore omni *destitutum dixisti, quod meam de sensu vocis ὁμοουσίου apud veteres assertionem irrefragabili Athanasii, vel Maximi, testimonio confirmassem. Nam te ad incitas redactum sentiens, nullam commodiorem aliam evadendi viam putasti, quam si me adeo atroci convicio mactares. Quod mihi omnem in posterum de te bene sperandi materiam prorsus eripit.*

Nunc superesset adhuc aliquid reponendum ad ea, quæ contra apologiam meam pro D. Blondello τῷ μακαρίτῃ scripsisti. Sed non visum est hoc labore defungi, nisi obiter, & uno aut altero verbo; quia ea quæ objicis non sunt tanti, ut propterea reliquas vitæ horas prodigere debeam, quæ longe melius & utilius aliis meditationibus impendentur. Prætermittam ergo quæ adversus Blondellum, longe atrociora quam ante, deblateras; quia forsan exorietur aliquis qui ejus famam & scripta à tuis injustis criminationibus defendat. Item, quæ de Prædestinatione & annexis capitibus disputas, de quibus tam multa jam sunt à nostris scripta, ut superfluum putem quidquam illis præterea adjicere. Dicam solum aliquid de accusationibus quæ me privatim tangunt, ut quod me Vertumnum, Ecebolum, & nescio quibus aliis nominibus, appellas; in quibus una cum malevolentiâ

simul causæ tuæ infirmitatem prodis. Nam si rationibus v ... ; non corrasisses ea, quæ sive vera, sive falsa sint, nihil te prorsus juvant. Fac enim me min... ionibus ferendis constantem fuisse, quam fortem Christianum oportcat, an tu propterea ... nniator, qui mortuum amicum conviciis proscindere non vereris? Sed ut melius pateat quam ... tum à veritate, tum à charitate aberres, audiamus te ipsum loquentem, & κατὰ πόδας sequamur.

Historiam tuam, *inquis*, paucis enarrabo. Cum Fontis-be... pastor aliquandiu fuisses, postea Ambianensi ecclesiæ, in mea patria fuisti destinatus; idque, ni f... or, anno hujus seculi xx, quo & ipse ad sacrum ministerium fui evocatus, aut xxi. Fervebant tum Quinquarticulanæ lites, recens decisæ Dordraci; cujus Canones fuerunt confirmati eodem anno in Synodo Nationali Aleziana, ad quam, Provinciæ Franciæ nomine, delegati fuerant, P. Molinæus, Parisiensis, Is. de Juygné, Vassiacensis, (cujus qualis fuerit exitus in provinciis, quarum pastores compellas, notissimum est;) D. Blondellus, Hondanensis, ecclesiarum respective ministri, cum aliquo Ecclesiæ Parisiensis seniore. Quantum autem Molinæus suos alios duos, ex ordine ministerii, condeputatos, infensos habuerit in illa functione, in qua ipse Synodi Præses, Blondellus Secretarius fuit, & eum sæpius querentem audivi, & eventus ipse docuit. Cum enim per temporum illorum duritiem, coactus fuisset Vir magnus, clam Alezio discedens, non recta Lutetiam reverti, sed per avia Sedanum se recipere, ejus duo Condelegati in id incubuerant, ut in Synodo Provinciali proxime sequuta, cui & tu, & ego, intereramus, omnia referrent de Synodo, & Præside Molinæo, in sequiorem sensum, ac impedirent ne solenne juramentum, à Molinæo conceptum, à Synodo Nationali approbatum & decretum, quod præstare tenebantur in Canones Dordracenos, Alezii adoptatos, omnes Galliarum Ecclesiastæ, à nobis præstaretur. Ita sperabant pauci tecum conjurati, omnia Aleziana decreta in fumum abitura, nec ultra Mosam processuram Dordracenæ Synodi doctrinam: palam in id connitentibus Tileno & Dorio, qui propter suam heterodoxiam jam Sedanum reliquerant, & clancularios suos cœtus Remonstranticos Lutetiæ promovere conabantur. Quanto molimine studueris heterodoxiæ tuæ fermentum interea temporis disseminare in mea patria, etiam apud meos propinquos & affines, quæ res fortasse successu non caruisset, nisi fraus suboluisset meo patri p. m. possim ex schedis, quibus fucum facere bonis studebas, & quæ sunt adhuc penes me, liquido demonstrare.

In illo qui se ad historiam contexendam accingit, duæ præcipue requiruntur dotes; primo accurata rerum de quibus scripturus est notitia; deinde constans animi propositum nunquam à veritate in ullius hominis gratiam aut odium abeundi. Utraque vero tibi defuit, Maresi: Nam & multa ignorasti, sine quibus fieri nequibat ut fidelem ullam de rebus meis historiam publico dares. Et istud suspectam mendacii eam merito reddit, quod ex implacabili in me & Blondellum odio ad calamum in manus sumendum impulsus fuisti. Notum enim est vulgo, quam malus consiliarius tale πάθος esse soleat. Ideoque historiographi, si quo forte laborent, illud quam studiosissime occultare, & à se amoliri solent. Tu vero, quasi susque deque habeas quid alii de tua relatione sensuri sint, ipsum aperte in singulis scripti tui paragraphis manifestas. Primum σφάλμα, quod in narratione tua committis, respicit Synodum Alestanam, in qua D. Blondellum Secretarii munus obiisse refers, cum tamen illi non interfuerit, imo nec per Synodorum Nationalium leges interesse potuerit, si, ut commemoras, P. Molinæus, & Is. Juygnæus ad illam fuerint deputati. Singulis enim provinciis non licet plures Pastores duobus ad Synodum Nationalem ablegare. Quod tanquam levioris momenti dissimulassem, nisi inde occasionem arripuisses, aliud longe fœdius committendi, nempe Molinæum infensos habuisse in illa functione suos alios duos, ex ordine ministerii, condeputatos: quod nescio qua fronte ausus fueris proferre, cum falsissimum sit. Res ita habet, prout memoria adhuc teneo, cum fuerim ex deputantium numero; & ex Actis, quæ penes me sunt, liquere potest. Ex provincia Insulæ Franciæ, &c. deputati sunt ad Synodum Alestanam in Cebennatibus, Petrus Molinæus, Pastor Ecclesiæ Parisiensis, Isaacus Juygnæus, Ecclesiæ Vassiacensis Pastor, & Thomas Papillonius, Advocatus in Parlamento, & Ecclesiæ Parisiensis Senior. Et in ea Præses fuit Petrus Molinæus; Præsidis assessor Laurentius Brunerius, Ecclesiæ Uzetensis Pastor; Secretarii vero Nicolaus Vignerius, Ecclesiæ Blesensis Pastor, & Thomas Papillonius, Senior Ecclesiæ Parisiensis. Unde apparet falsa esse, quæ in fabulosa tua narratione addis; Quantum autem Molinæus suos alios duos, ex ordine ministerii, condeputatos, infensos habuerit in illa functione, in qua ipse Synodi Præses, Blondellus Secretarius fuit, & eum sæpius querentem audivi, & eventus ipse docuit. *Nunquam enim ipsum conquerentem ea de re audivisti; sed ipse falso, & absque ullo pudore finxisti. Nec si ei in quapiam re cum collegis male convenisset, querelas suas in sinum tuum deposuisset. Non enim adeo familiares eratis, ut prospera & adversa inter vos communia haberetis. Nam meministi, credo, fustuarium, circa illud tempus, tibi fuisse intentatum, & forte aliquid pejus, quod fidem matrimonii, filiæ ejus datam, occasione jacturæ quam in facultatibus suis fecerat, violasses. (Cujus etiam generis fuerat antea martyrium Laodunense, de quo, apud casuum tuorum ignaros, gloriari soles.) Reliquam narrationem non pertexis fidelius; cum dicis* Virum magnum per duritiem illorum temporum, coactum fuisse Sedanum se recipere. *Periculum enim quod incurrit Molinæus, non est imputandum duritiei temporum, sed ejus πολυπραγμοσύνῃ & imprudentiæ, cujus forte graves pœnas luisset, nisi primum iræ Regiæ impetum accelerata fuga declinasset. Falsum est quoque ipsum clam Alesto discedentem, recta Lutetiam non fuisse reversum, sed per avia Sedanum abiisse. Revera enim Lutetiam Alesto reversus est; sed audito ingenti periculo in quo versabatur,*

non

non amplius unam noctem, & quidem in alienis ædibus, illic hæsit, sequentique statim die Sedanum properavit. Sed turpius impingis in eo quod sequitur: Duos ejus condelegatos in id incubuisse, ut in Synodo provinciali proxime sequuta, omnia referrent de Synodo, & de ejus Præside Molinæo, in sequiorem sensum, ac impedirent ne solenne juramentum à Molinæo conceptum, & à Synodo nationali approbatum & decretum, ibi executioni mandaretur. *Nam inter istos Molinæi condelegatos non fuit Blondellus, quem tu præcipue petis; sed tantum Juygnæus & Papillonius. Nec opus fuit eos magno studio incumbere ut omnia referrent non tam de Synodo, quam de ejus Præside Molinæo, in sequiorem sensum. Nuda enim rerum illic gestarum historica narratio, sufficiebat ad ostendendum ipsum multa graviter in isto munere peccasse. Istud inter alia, tanquam si recenter factum esset, probe memini eos retulisse, Censuram qua Molinæus ex Synodi Alestanæ decreto perstrictus fuit à Laurentio Brunerio Assessore, per bihorium & amplius duravisse. Quod nequis secius quam par est interpretetur, sciendum est in omnibus Reformatorum Galliæ Ecclesiasticis conventibus, tam minoribus, quæ Colloquia vocant, quam majoribus, quæ sunt Synodi Provinciales & Nationales, solere, post cæteras actiones peractas, exerceri censuras amicas Pastorum & Seniorum qui interfuerunt, tandemque ipsius etiam Præsidis. Qua de re consuli potest Disciplina Ecclesiastica, Salmurii A. C. 1657. excusa, capp. 7. 8. & 9. Et censuras quidem Præsidum vidi non semel conversas in laudes & gratiarum actiones, pro labore, in moderandis Synodi actionibus, tolerato. Sed in Alestana istud fuit peculiare, quod Molinæo exprobratum est, ipsum in fratres Papatum usurpare, aliaque hujus generis non pauca. An peccarunt condeputati, quod istud in sequenti Synodo Provinciali retulerunt? Imo, nonne ex officio id facere tenebantur? Sed non possum, Maresi, quin hic te laudem de ingenuitate tua, quod in Molinæo non dissimularis, id quod forte præstitisset ignorari; nempe quod ipse formulam illam juramenti in Canones Dordracenos conceperit, quæ Alesti approbata & sancita fuit. Nam veritus ne Anatome Arminianismi, quam recenter, repugnantibus collegis, in lucem emiserat, & multis in Insula Franciæ Pastoribus displicuerat, ibi censura aliqua notaretur, Lutetiæ antequam se ad iter synodale accingeret, juramentum istud meditatus erat, & scripto consignaverat, quo simul liber ejus protegebatur; & cum Alesti esset, minas illis intentari curaverat, quorum palato audiebat non sapere, quasi id satis impuritatem eorum in doctrina fidei argueret. Quæ artes Molinæo, in ea quam modo dixi censura, objectæ fuerunt. Non opus etiam fuit, ut Molinæi condeputati multum laborarent in dissuadenda Synodo Provinciali, ne juramentum à Nationali injunctum præstaret; nam plerisque ejus membris ista formula adeo videbatur nova & inaudita, ut nullus plane, si bene meminerim, in illo conventu foret, qui ab ea non abhorreret; præsertim quod Judicium Dordracenum* regula fidei *nuncuparetur. Itaque communi consensu decretum fuit, ut res in sequentem Synodum & annum differretur; intra quod temporis spatium Pastores Judicium istud maturius expendere, & de aliqua alia approbationis formula cogitare possent. Quod addis,* Ita paucos mecum conjuratos sperasse omnia Aleziana decreta in fumum abitura, &c. *tuum est somnium. Cum nullis enim conjurationem unquam super ea re, aut alia quacunque, inivi. Tilenus & Dorius, quos commemoras, ad illud usque tempus, & diu quoque post, mihi incogniti erant. Nec molitus sum heterodoxiæ meæ fermentum in Picardia disseminare; quam nescio cur bis tam emphatice patriam tuam voces, cum potius patria sit mea, quam tua; etiamsi occasione bellorum civilium extra eam natus sim. Nam pater meus & avus erant* Ambianenses, *& ibi patruum habui, Advocatum in sede Præsidiali, adeo eloquentem, ut vulgo* Bouche d'or, *id est, Chrysostomus, vocaretur; qui propter Reformatam religionem mortem perpessus est; aliosque consanguineos literis aut armis claros.* Sed genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco. *Tu vero ex ignobili oppidulo,* Oysemont *dicto, es oriundus, quod ridicule, & contra omnium Geographorum fidem, in Vita tua, Metropolim præfecturæ Vimacensis appellas. Quibus autem schedis vendites te heterodoxias arguere me posse, plane ignoro, aut potius te nullas habere certus sum. Nunquam enim cum Ambiani degerem, professus sum me Remonstrantium partibus adhærere. Memini solum me tabellam delineasse, in qua ab una parte continebatur summa doctrinæ Remonstrantium, ab altera doctrina Contra-Remonstrantium. An aliquod ejus exemplar in patris tui manus venerit, nec ne, parum refert; hoc tantum affirmare possum, me Remonstrantium opinioni calculum tunc non adjecisse. Non enim eo tendebat tabella ista; sed ad reddendum causam, quod eam, ut exigebatur à me, damnare nollem. Hic erat controversiæ, quæ mihi cum Synodo intercessit, status. Sententia Remonstrantium antea à plerisque nostrûm tolerabilis judicata fuerat; præsertim à Molinæo, qui nobis praiverat, misso ex Anglia ad Synodum nostram Ayacensem in Campania, anno 1615, scripto illo Gallico, quod D. Blondellus Actis suis authenticis inseruit, pag. 72. & seqq. ubi §. 4. suadet à* Reformatis fieri confessionem fidei communem, in qua dissimulentur multa, sine quorum cognitione salus obtineri potest; veluti quæstio Piscatoris de justificatione, & multæ opiniones subtiles propositæ ab Arminio, de libero arbitrio, de prædestinatione, & de perseverantia sanctorum, &c. *Pro quo consilio, quod non tantum ipsius, sed etiam Jacobi I. Magnæ Britanniæ Regis, & aliquot doctorum, in illa Insula Præsulum, fuisse putatur, laudatus fuit, & gratiæ à Synodo publice sunt actæ. Nihil tunc videbam, cur aliter de illa judicarem, nisi forte rationes quasdam politicas, è statu fœderati Belgii; sed quibus turpe esset Theologos moveri. Nec credo Molinæum, & multos ex illis partibus, alias potuisse reddere, cur secus quam olim de opinionibus Remonstrantium judicarent, nisi mutationem in regimine politico factam, ad quam se attemperare consultum putabant: ita ut illis potius, quam mihi, objiciendum fuerit, Vertumnos se ostendisse. Sed reliquas adhuc fabulosæ tuæ narrationis partes inspiciamus.*

His successit anno 1622, alia Synodus Provincialis, in qua, cum jam constitisset meliorum partium sectatoribus, de se mutuo securis, paucos aut nullos fore, qui auderent Remonstrantismum profiteri, conventum fuit de formula, cui loco juramenti Alezii præscripti, in orthodoxi nostri consensus fidem, & approbationem Canonum doctrinalium, Dordraci sancitorum, Aleziique admissorum, omnes subscriberemus. Ubi cum te videres captum, nec successisse Anti-Molinæorum & tuorum amiculorum consilia, cœpisti tergiversari, & subscriptionem denegare, hoc argumento, quod Dordraci damnata aut improbata fuisset sententia Bezæ, supra lapsum in Prædestinationis objecto assignando procedentis; in quo candoris tui Remonstrantici egregium specimen præstitisti. Sperabas enim fore nonnullos in illo consessu supralapsarios, per quos hoc consilium, de formulæ istius subscriptione, ut aliud in præcedenti Synodo, de corporali juramento præstando, sufflaminares. Verum hic & Præsidis dexteritate, & plerorumque fratrum assensu, quibus dispalescebant tuæ artes, & clancularia cum paucis ejusdem tecum furfuris molimina, (nec audente palam refragari ipso R. Blondello, p. m. ut ut plurimum tibi & toti huic causæ favente,) denunciatum fuit nomine Synodi, te toleratum iri in supralapsaria prædestinatione, modo eam sententiam tibi haberes, & cæterum bona fide nobiscum subscriberes Remonstranticorum errorum, Dordraci condemnatorum, rejectioni.

Hic multa, valde imprudenter, tuorum arcana aperis, Maresi, quæ ipsi, cautiores te, non ita facile divulgarent: videlicet de eo quod constitit, per clancularias coitiones, tuis meliorum partium sectatoribus, de suo numero, ad alios opprimendum sufficiente. Sed prætereamus ista; ut & illud quod subjicis de corporali juramento in præcedenti Synodo sufflaminato. Quid enim intelligis per tuum corporale juramentum? an quale erat illius qui dicebat, Lingua juravi, mentem injuratam gero? *At jam ostensum est tibi, illud nullo dolo impeditum fuisse; sed omnes qui aderant, communi consensu, ab eo, ut re plane nova & insolenti, abhorruisse. Falsissimum etiam est quod dicis, me cœpisse tergiversari, & subscriptionem denegare, hoc argumento, quod Dordraci sententia Bezæ improbata fuisset, &c. Ego nihil minus cogitavi, quam istud quod mihi affingis, allegare. Sed cum articulus conceptus esset, qui hoc in summa continebat, Omnes provinciæ nostræ pastores testari manus suæ subscriptione, se consentire iis quæ decreta erant in Synodo Dordracena, contra errores Arminianorum, quibus ecclesiæ Belgii perturbatæ fuerunt; ego sponte me obtuli ad subscribendum primæ istius articuli parti: sed nolui me obligare ad errores Arminianorum damnandos, de quibus nihil mihi constabat, nisi ex relatu infensissimorum adversariorum quos habebant; nec fateri ecclesias Belgii illis fuisse perturbatas; cum nescirem cui parti culpa turbarum tribuenda esset; nec putarem æquum, alteri, in alterius præjudicium, aures commodare, aut fidem adhibere. Quem in finem attuli id, quod Maresius aut non intelligit, aut potius non vult intelligere, sententiam Bezæ, qui in objecto prædestinationis constituendo, supra lapsum Adami ascendit, improbatam quidem fuisse in Synodo Dordracena; sed id tamen non impedire, quominus supralapsarii & infralapsarii mutuam inter se pacem colerent. Cur ergo eam quoque non potuissent servare cum Remonstrantibus, qui non magis ab ipsis dissidebant, quam ipsi à se invicem? Et fieri potuit ut hac occasione dissensum illum exaggerarem, quamvis mens mea nullatenus esset Bezæ partibus adhærere, imo tunc magis ab illis abhorrerem, quam ab infralapsariis. Sed eras-ne mentis satis compos, cum scripsisti,* Denunciatum mihi fuisse nomine Synodi, me toleratum iri in supralapsaria prædestinatione. modo eam sententiam mihi haberem, *&c.? cum posses scire plerosque pastorum, qui in illa Synodo erant, sententiæ Bezæ adhæsisse; & ideo Synodi Dordracenæ conclusionem, quæ illam damnare videtur, multis minus acceptam fuisse? Imo Joannes Lievinus de Beaulieu, qui cæteros omnes Synodi pastores ætate anteibat, & primæ Synodo nationali, in qua Confessio ecclesiarum Galliæ Reformatarum condita & approbata est, anno 1559, Lutetiæ interfuerat, tractatum adversus locum illum Anatomes Arminianismi, quo supralapsariorum opinionem impugnat, conscripserat, & ad nostrum cœtum miserat, quo graviter de Molinæo, ut à Confessione Gallica discedente, conquerebatur. Saltem, ut puto, non diffiteberis, me generosiorem longe fuisse Joanne Richardo, cœtus illius membro, sed homine fungi, & de cujus negligentia assiduæ erant in omnibus Synodis querelæ, qui postquam subscripsisset Canonibus Dordracenis, & Remonstrantium condemnationi, fassus est publice se nunquam istos canones inspexisse; sed nolle in dubium revocare, quin id quod à tam multis doctis viris improbatum erat, merito esset improbandum. Verum talia tunc erant tempora, & ita in veritatem exacerbata, ut magis placeret hujus bipedis asini, ignotis assentientis stupiditas, quam mea, in veritate examinanda, sedulitas. Pergis:*

Tum undique constrictus, tuum Remonstrantismum palam prodidisti, professus non posse te bona conscientia isti communi formulæ, quam cæteri admittebant, subscribere, quod persuasum haberes, doctrinam Dordraci in Remonstrantibus condemnatam, esse orthodoxam, & Dei verbo consentaneam, quam nec posses bona conscientia rejicere. Quin etiam optabas ut Synodus tecum in arenam super istis capitibus descenderet, quæ te contra quemcunque ex scriptura defensurum intrepide jactabas. Sed Synodus non judicavit è re & authoritate sua fore, de dogmatis jam decisis, & approbatis in Synodo nationali, tecum collationem publicam instituere. Verum id putavit solum sibi restare dispiciendum, quomodo commodissime ministerium, quo fungebaris, ne virus illud tuum latius disseminares, tibi auferretur. Et cum jam depositionis sententia, tanquam in hominem heterodoxum, ferenda esset, maxime quod insuper apud plerosque jam tum Socinianismi suspectus esses, amici tui tibi persuaserunt, ut ultro ministerium sacrum, quod à veneranda Synodo acceperas, ei resignares, quo-

niam

niam eo deinceps in ecclesiis suæ communionis fungi non posses cum ædificatione, propter tuum in quinquarticulanis controversiis dissensum; fide interim solenniter data, te nihilominus in nostrarum ecclesiarum communione mansurum, tuam sententiam tibi privatim servaturum, nec eam apud alios disseminaturum, & studio medicinæ, in qua credebaris jam non mediocres progressus fecisse, te porro appliciturum. Ut ita molliter tecum ageretur multa contulerunt, præsertim arcta affinitas quæ tibi intercedebat cum admodum R. R. Doctissimis & pientissimis viris D. D. de Beaulieu le Blanc, viris prosapia & eruditione nobilibus, & ambobus verbi divini in nostra tum provincia ministris, & quorum sororem, matronam nobilem & egregiam, tum habebas in matrimonio. Hæc ita se habere, & tua conscientia mihi contestatur, & Synodica monumenta comprobant, & meminerunt mecum, quotquot supersunt, qui venerandi illius cœtus membra tum extabant.

Non aliter Remonstrantismum meum tum prodidi, quam in eo quod generose recusavi, calculum meum ad Remonstrantium damnationem adjicere, etiamsi satis animadverterem illud mihi detrimento fore. In illa enim communi formula, quam cæteri admittebant, diserte damnabantur errores Arminianorum; de quibus aut mihi non sufficienter constabat, aut etiamsi pro erroribus haberem, non existimabam talem damnationem mereri, cum antea plerique nostrûm eos cum Molinæo tolerabiles judicavissent. Ideoque optabam ut Synodus super ista re mecum in arenam descenderet. Sed frustra fui. Synodus enim, ut agnoscis, non judicavit è re & authoritate sua fore, de dogmatis jam decisis & approbatis in Synodo nationali, collationem publicam mecum instituere. Hæc erat compendiosissima via, quam sequi poterat; alteram enim sibi non æque honorifice cessuram facile conjiciebat. Sic enim patuisset inconstantia illorum, qui dogmata pro tolerabilibus antea habita, tanquam intolerabilia rejiciebant, quia Synodus Dordracena, se ad rationes status accommodans, ita judicaverat. Existimabam autem nobis, qui extra partes semper fueramus, longe gloriosius fore, si nos rebus alibi judicatis non tam serviliter subjiceremus. Quam vero omnes boni in Gallia vehementer optarint, ut dissidia de Religione in hoc Belgio exorta, per amicam potius compositionem, quam per judicium Synodale, tollerentur, videre licet, non tantum ex Molinæi consilio, sed etiam in Commentariis illustris viri Philippi Mornai Plessæi, Amstelodami apud Elsevirium ante paucos annos excusis. Etsi fatear Plessæum, statim post Remonstrantium condemnationem Dordrechti factam, partibus se victricibus adjunxisse. Cujus facti politicas forte aliquas rationes habuit, quæ me fugiunt. Cum itaque Synodus sibi consultum non putaret mecum disputare, cœpit dispicere qua ratione me commodissime è cœtu suo exturbare posset. Durum enim videbatur multis, propter levem ejusmodi dissensum, qui potius esset de circumstantiis, quam de substantia doctrinæ, me à munere removere. Itaque astu usa, quosdam adhibuit, qui se amicos simulantes, privatim suadebant, ut me sponte ministerio abdicarem. Quorum consiliis, dolum non animadvertens, parui, & dixi me libenter à functione ministerii abstenturum usque ad Synodum nationalem, quæ intra sex menses Carentonæ ad Lutetiam convocari debebat, & illi totius rei judicium permissurum. Quod vero interjicis, me jam tum Socinianismi suspectum fuisse, adeo ab omni verisimilitudine abest, ut mirer quomodo illud ausus sis, (sed quid non audes?) comminisci. Tunc temporis enim, nec ego, nec forte quisquam eorum qui in Synodo erant, vix aliud de Socino, quam ex aliorum relatu, cognoveramus. Sed dum extra oleas vagaris, (de affinitate mea cum D D. de Beaulieu le Blanc, commemorando, quæ nihil ad rem faciunt: cum non impedierit, ne instar vilissimi omnium tractarer;) omittis ea quæ nullo modo debuisses; nimirum Synodum, cum videret me ab ipsa non multum alienum, & speraret me facile ad consensum cum aliis posse adduci, si in id laboraretur, dedisse expresse in mandatis pastoribus Ecclesiæ Parisiensis, in qua constitueram Synodum nationalem expectare, ut omnes ingenii & industria sua nervos, ad me a proposito divertendum, intenderent. Quod tamen, etiamsi pluries super ea re compellarentur à consanguineis meis & affinibus, qui dolebant me S. ministerio exutum, facere neglexerunt, & semper causati sunt graves muneris sui occupationes, quæ id non permitterent. Quam autem vana esset hæc excusatio, patebit ex sequenti paragrapho; & nihil aliud ipsos impedivisse, nisi quod congredi mecum vererentur, quem ferebant in ista materia magis ipsis esse exercitatum.

At non diu, *inquis*, hic Remonstrantismi ardor te tenuit. Etenim anno 1623, cum adhuc Lutetiæ hæreres, pendens animi, teque videres ab iis desertum, quos honestæ severitatis, in te exercitæ, terrebant vestigia, contigit ut eo ex Anglia & Scotia reverteretur Clariss. Camero, cujus tecum alloquium procurarunt R. D. Durantius & alii tum pastores Parisienses. Ejus vero argumentis, quibus biennio ante de Tileno triumphaverat, convictus, Remonstrantismo renunciare, nostris formulis subscribere, ad ministerium sacrum postliminio redire decrevisti. Hinc est quod ipse R. Testardus, quem infra nominabis, te annumeret trophæis τοῦ μακαρίτου Cameronis, quamvis non cum magno tui elogio. Nam in opere suo de natura & gratia, ultimæ editionis, cui non diu supervixit, pag. 325. statuit Cameronem grassantem Arminianismum in Ecclesias Galliæ Euangelicas, feliciter repulisse; triumphato primum superbo hoste D. Tileno, deinde & in non indocto Curcellæo reliquias impetus frangendo & extinguendo, Parisiis, anno 1623.

Ubique malignitatem tuam prodis, Maresi; quando enim, & apud quos conquestus sum me à quoquam desertum, quem adjutorem speraveram? Sed istud interjecisti ad pungendum occulte, & quasi aliud agendo, D. Blondellum, ut qui ex istorum desertorum numero fuisset. Deinde ostendis quam parum firme ea quæ narras tibi in memoria hæserint, cum adventum Cameronis Lutetiam ad alium annum referas quam præcedentia; licet Synodus Insulæ Franciæ, cujus mentionem fecisti, eodem anno 1623. Carentonæ fuerit celebrata, quo Camero in

urbem venit. Sed hæc, tanquam minuta, transeant. Illud majoris est momenti, quod Samuel Durantius, una cum collegis, videntes oportunitatem sublevandi se onere à Synodo Provinciali imposito, libenter eam arripuerunt, & mecum Cameronem commiserunt. Et cum antea molem occupationum prætexuissent, quæ non permitteret ut de mea institutione cogitarent, tunc, quasi repente otium de cælo nacti, omnibus collationibus, quæ inter me & Cameronem, per spatium fere trium hebdomadum, habitæ sunt, præsentes omnes se stiterunt. Nulla amplius eos negotia distringebant, quominus auditores essent eorum, quæ utrimque, a Camerone & à me, dicerentur. Sed duo sibi ista in re proponebant, nempe cognoscere quem exitum habitura esset nostra collatio; deinde penitus explorare, quid Camero sentiret de controversis capitibus, quia eum non multo minus quam me heterodoxiæ suspectum habebant. Quod ipse non ignorans, multum laborabat nequid sibi imprudenter excideret, quod illos offendere posset. Unde aliquando conversus ad patruelem meum, quem unicum à mea parte testem adduxeram eorum quæ inter nos gererentur, veluti indignabundus dixit; Isti homines nobis libertatem eripiunt ea quæ volumus proferendi. Primo autem congressui nostro, una cum aliquot aliis, interfuit Testardus, qui omnia quæ potuit excepit. Sed cum illud rescivissem, & mihi non leve præjudicium afferre posse præviderem, nolui ut postea adesset; & conventum est inter nos, ut nullus colloquiorum nostrorum testis esset, præter ministros ecclesiæ Parisiensis, quos honeste excludere nequibamus, & ille de quo dixi patruelis; ut Testardus refert in sua narratione, in qua omnia, quantum potuit, ad sui præceptoris laudes direxit. Sed cum interea disseminarentur in urbe sermones, in quibus, plusquam veritas ferebat, Camero extollebatur, collationem per aliquot dies interrupi, & per Dom. Drelincurtium curavi Cameroni significandum, nos, si ita ipsi videretur, scriptis in nostra collatione perrecturos, unde postea constare posset, quid ab unoquoque dictum esset, & falsis rumoribus obviam iri. Sed ipse, communicato prius cum pastoribus Parisiensibus consilio, respondit sibi in ejusmodi disputationem absque superiorum auctoritate ingredi non licere. Cui me acquiescere oportuit, etiamsi nescirem quos superiores intelligeret, & mihi non major auctoritas requiri videretur, ad scripto, quam viva voce, inter nos conferendum. Et ita aliquot adhuc dies in nostra collatione, eodem quo inchoata fuerat modo, perreximus. Sed hic nequaquam est omittendum, quod totius negotii caput est; me in collationem istam ingrediendo, palam dixisse, me nolle adversus Cameronem, tanquam adversarium, disputare; cui sponte & in antecessum largirer omnia quæ in controversiam veniebant: Collationem nostram tantum fore de methodo, qua Remonstrantes commodissime refelli possent; quam ferebatur egregiam, & omnino novam, excogitasse, cujus cognoscendæ valde avidus eram. Nam etiamsi quædam Remonstrantium argumenta mihi à vero aliena non viderentur; erant tamen ab altera parte, quæ non minus animum meum moverent; ideoque cupiebam ut aliquid solidi, quale præ cæteris dicebatur habere Camero; eis opponi posset. Puto autem Testardum nihil de istis conditionibus rescivisse; alias magis erat ingenuus, quam ut dissimulare vellet, aut aliquid sciens contra veritatem scribere. Ita in fumum abeunt omnia, quæ tum ipse, tum alii, de Cameronis victoria jactarunt; quæ nulla esse potuit, ubi id solum utrimque quærebatur, qua ratione optime & solidissime Remonstrantibus occurreretur. Sed hic serione agis, Maresi, Cameronem extollendo, cujus tu sententiam de universalitate mortis Christi, detestandam vocas, & totis viribus in Dallæo oppugnas? Nescis fundamento huic soli innixum, quod tu eversum is, facilem sibi de Remonstrantibus victoriam esse pollicitum? Quod si eam de me reportasset, an propterea ut putas, vituperio dignus forem, quod veritati cessissem? Nonne enim potuissem cum Cæcilio lætus dicere, Ut ille mei victor est, ita ego triumphator erroris. *Minut. Felix. Præclare sane omnis reconditioris eruditionis penu I. Ger. Vossius,* Utile est disputationes institui, quibus veritas examinetur. Nam ea rationum velitationibus elicitur. Eo etiam gratiores hæ palæstræ esse debent, quia in disputando gloriæ erit, si vincamus; sin vincamur, doctiores abibimus domum, atque ad novam pugnam instructiores. Socrates certe hanc ob causam vinci, quam vincere malebat. de Phil. sectis cap. ultimo. *Sed qua tua est generositas, Maresi, solem meridie lucere, malles negare, quam te, vel semel lapsum, confiteri. Sequitur:*

Itaque quod apud ecclesiam Parisiensem receperas, Cameronis eruditione persuasus, præstitisti de facto, anno 1624, in Vitriacensi Synodo, ad quam Lutetia tu & ego, una cum maximo Durantio, qui & in ea Præsidem egit, profecti fuimus. Ibi enim post ejuratum Arminianismum, & solennem subscriptionem illi communi formulæ nostri consensus in Canones Dordracenos, de qua antea dixi, fuit tibi restitutus honos ministerii, & promissa honesta statio, quæ prior se offerret. Meministi autem, quomodo eam tum fueris consecutus. Concionatus eras mane in frequenti ecclesia coram Synodo, ac nominatim in Remonstrantismi errores cordate dixeras, quo te proselytum frugi demonstrares; ego, quia te junior eram, à prandio; ut in Synodis moris est, id oneris quibusdam ex illius membris demandari. Postridie autem venerunt duo tresve seniores ex rurali vicina ecclesia, quæ tum pastore destituebatur, qui à Synodo petierunt, ut alteruter eorum qui pridie concionati fuerant, sibi in pastorem ordinarium concederetur: Cum autem ab ipsa Synodo utrique nostrûm hæc propositio fieret, & ego eam provinciam modeste declinavi, & tu eam honeste suscepisti. Nec diu post, & tu ex illo rure ad ecclesiam ipsam urbicam Vitriacensem in Campania, & ego ex alio rure, cui non nisi ad tempus fueram commodatus, jam solutus ministerio ecclesiæ Laodunensis, ad ecclesiam & academiam Sedanensem fuimus evocati, continuata inter nos honesta amicitia, quæ & aliquo literarum commercio, ut fors ferebat, fovebatur.

Egregie

Egregie historice, qui profiteris te historiam meam velle enarrare, cur præcipuam ejus partem omittis? cur illa quæ in Synodo nationali gesta sunt, perperam ad provincialem Campaniæ, multisque falsis admixtis, refers? Hæcci-ne contestante tibi conscientia mea, & monumentis synodicis comprobantibus, scripsisti? Imo contra, & conscientia memoriaque mea longe fidelior tua in retinendis iis quæ ad me privatim spectant, & monumenta Synodorum, tam nationalis, quam provincialium, te non minus falsimoniæ redarguunt. Cum tempus Synodi nationalis advenisset, quæ celebrata est Carentonæ mense septembri, ejusdem anni 1623; coram ea ultro comparui, de rigiditate provincialis conquesturus, quæ me ad ministerii functionem intermittendam, levi admodum de causa, adegerat. Proposui igitur causas quæ movissent me, ne Actui à Synodo nostra concepto, ad approbandum judicium Synodi Dordracenæ contra Arminianos, subscriberem. Nimirum, quod non putarem æquum me immiscere aliorum damnationi, quos eam meritos fuisse certus non eram; ne sic gravis coram Deo peccati reum me redderem. Plerosque nostrûm censuisse antea cum Molinæo, opiniones quas Arminius docuit de prædestinatione, libero arbitrio, & annexis capitibus, non evertere fundamentum salutis, ideoque tolerabiles esse inter evangelicæ veritatis professores. Mirari me qui fieret, ut nunc multi, tam subito, à pristina sententia discederent, & doctrinam, quæ visa fuerat innocens, non solum damnarent, sed etiam omnes eos, qui illi adhærerent, à sacro ministerio removerent. Nam quod factum erat in Belgio, propter peculiares status rationes, non obligare nos in Gallia, qui nihil cum illis commune habeamus. Nostras ecclesias semper ostendisse, quam à partibus essent alienæ; nec nunc esse sufficientem causam, cur se uni parti, contra alteram, adjungerent; præstare ut se integras servarent, quo aliquando idoneæ essent, ad pacem inter dissidentes, occasione oblata, resarciendam. Deinde interrogatus à Synodo, an Canones Dordracenos probarem; respondi, me nihil hactenus aliud in affirmativis desiderasse, nisi quod artic. XV. cap. I. videretur Deum peccati auctorem facere, à quo dogmate toto corde abhorrerem. Sed postea cum aliquot pios & doctos viros audivissem dicentes, se hanc quoque opinionem detestari; at non videre, quomodo ex illo articulo deduceretur, tandem illorum judicio acquievisse; & ita hunc quoque Canonem sanam & orthodoxam expositionem admittere confessus sum. Interrogatus igitur denuo, an omnibus illis Canonibus Dordracenis subscribere paratus essem; respondi me adhuc esse, sicut semper ante fueram, dummodo eos qui dissentiebant, non simul damnarem. Quod à me postulatum non est. Et sic in ministerium meum restitutus sum, & decretum, ut Synodus Insulæ Franciæ, cujus membrum fueram, mihi de ecclesia aliqua prospiceret; intereaque temporis conciones sacras aliquando haberem in ecclesia Parisiensi, & vicinis, quæ mea opera indigerent. Quod etiam à me per sex aut septem menses sæpe factum est. Hic interjiciam narratiunculam, à proposito non alienam. Sequenti die postquam in Synodo comparuissem, occurrit Illustris Vir Augustus Gallandius, Regis in illo cœtu Commissarius, qui mihi dixit, se exemplar oratiunculæ quam habuissem, scripto mandavisse, & ad Regem misisse. Memorabilia esse illa quæ de rationibus status observaveram, propter quas Arminiani in Belgio essent damnati. Regem etiam non censere æquum, ut quisquam subditorum suorum ad illos damnandos adigeretur. Postea durante Synodo, & ex illius jussu, ut in Actis videre est, Canones Dordraceni Affirmativi, omissis Negativis, in quibus rejicitur sententia Remonstrantium, sunt impressi & publice venditi, sub hoc titulo; Articles arrestés au Synode national des Eglises Reformées de France, tenu à Charenton les Paris, au mois de septembre mil six cens vingt trois, qu'il ordonne estre inviolablement gardez en toutes les Eglises & Academies de ce Royaume. *Forma editionis est in octavo, ut vocant. Quod licet neges, Maresi, milleni aliquot testes Lutetiæ, & per universam Galliam, pertinacia te convincent. Inde factum est, ut Synodus nationalis ad Remonstrantium condemnationem me non obligaverit. Quod si in Actu quem de restitutione mea fecit, memoretur, me illorum erroribus renunciasse, id tantum debet intelligi respectu Artic. XV. cap. I. de quo solo fui interrogatus. Falsum est itaque quod dicis, Maresi, me post Arminianismum in Synodo Vitriacensi ejuratum, & solennem subscriptionem illi communi formulæ vestri consensus in Canones Dordracenos, honori ministerii fuisse restitutum. Nam jam à Synodo nationali restitutus fueram, & omnes ejus functiones exercueram. Nec opus erat ut provincialis amplius cognosceret de iis quæ ibi fuerant peracta, & à me ullam Arminianismi ejurationem, aut subscriptionem Canonum exigeret. Cum igitur tam fœde hallucineris, ea, quibus interfuisti, narrando; an mereris, ut aliquid tibi fidei adhibeatur, in aliis quæ non vidisti? Durantii laudibus non invideo, quem fateor facundum & vehementem fuisse Concionatorem. Sed, cur* maximum *voces, non capio; nisi forte quia talis fuit in suo adversus Remonstrantes odio, in quo omnes provinciæ nostræ ministros facile superabat. Quæ attexis de mea ad ecclesiam ruralem vocatione, & postea ad totius Campaniæ frequentissimam Vitriacensem, parum ad rem faciunt, nisi quod, præter mentem tuam, me justifices, & ostendas me legitimo ordine, & qui à Synodo approbatus est, ad illa ministeria admissum esse; longe aliter quam tu. Nam etsi id studiose dissimules: omnes tamen Insulæ Franciæ pastores, qui nunc sunt superstites, meminerunt, sicut & nostra Acta publica testantur, tibi propter desertam stationem assignatam, & ministerium in celebriore ecclesia Sedanensi per ambitum invasum, à subsequente Synodo provinciali per sex menses munere fuisse interdictum, quamvis patre tuo totis viribus, ne ista tibi nota inureretur, allaborante; imo ecclesiam Sedanensem, quæ jurisdictioni nostræ non suberat, suspensionem istam adeo justam existimasse, ut te ei morem gerere cogeret. Ista non debuisti omittere, aut narrationibus ad rem nihil facientibus incrustare. Fac enim te illi rurali ecclesiæ ad tempus tantum fuisse commodatum, non licuit tibi, per disciplinæ nostræ leges, eam ante tempus à Synodo præscriptum deserere, & alii extra regni Galliæ, & synodorum nostrarum limites, te addicere.*

Perseverasti autem, *inquis*, ab illo anno 1624, ad annum, ni fallor, 1637, in illius ecclesiæ ministerio honoratissimo, & Remonstrantismi ejuratione ante præstita. Sed tum, post prioris lectissimæ tuæ conjugis obitum, quæ causa impulsiva fuerit dicant alii, illam tuam ἐπισκοπὴν deserens, in hoc Belgium concessisti, & ad Episcopii pedes provolutus, tandem, postquam satis diu vitam contrivisses in corrigendis ad prelum Amstelodami libris qui recens excudebantur, per ipsum paulo altius emersisti; in primum serii tui ad Remonstrantes transfugii secundi argumentum, edito libro Gallico, sine nomine, quo manuscriptum aliquod Molinæi, de Controversiis Salmuriensibus, circa quas Palæmonem agebas, & tanquam neutrarum partium, tuum de illis, sub hoc titulo, *Advis d'un personnage desinteressé*, ferebas judicium.

Prudenter facis, Maresi, quod annotationi spatii temporis, tibi non satis comperti, voculas istas, ni fallor, *interseris. Revera enim non fuit annus 1637, a te indicatus, quo ecclesiæ Victriacensi valedixi, sed 1634. Ast eadem prudentia uti debuisses in rebus longe gravioris momenti, de quibus, etsi falsissima sint, imo forte à te ipso excogitata, ita audacter pronunciasti, ac si nihil certius, aut tibi compertius illis foret. Quales plurimæ occurrunt in toto hoc scripto, & in paragrapho etiam quem jam expendimus. Ut quod dicis de correctione librorum, unde me sustentarim Amsteldami, ab eo tempore quo in Belgium veni, donec munus aliquod inter Remonstrantes adipiscerer. Quod non contentus semel, aut bis temere effutivisse, tertio adhuc, & quarto infra repetis, atque inculcas. Nec te excusat quod illud ex Riveto audiveris. Potuit enim tibi privatim dicere, ex alterius relatu, quod publice mihi objicere, etsi de eo certissimus fuisset, decorum non existimasset. Quod autem inficior me unquam ex hoc labore vitam tolerasse, non ideo facio, quod minus honorificum putem, quam fabrilem artem cum Christo exercere, aut tentoria cum Paulo conficere: quibus tu forte, Maresi, qui in Theologiæ professione nihil aliud nisi opimum stipendium quæris, illud exprobraturus fuisses: sed quia revera ita est. Nam alias etiam magni viri, ut Fridericus Sylburgius, Henricus Alstedius, & alii, ad quorum eruditionem non accedo, id non dedignati fuerunt; nec ego quoque, si mearum rerum status postulasset. Sed etiamsi interdum ejusmodi laborem, in gratiam unius aut alterius amici, non refugerim, nunquam tamen inde vel teruntium à bibliopola aut typographo accepi. Simile est quod dicis de* Actis authenticis *Blondelli, meo ministerio editis; licet ad ea non plus quam tu contulerim. Non quod id recusaturus fuissem tam præstanti amico, si mea opera indiguisset; sed amanuensem habebat, qui curaret. Item quod mihi tribuis* Appendicem *ad veritatem pacificam: & quidem tam confidenter, atque si me in ea occupatum deprehendisses, cum tamen alterius sit lucubratio. Et alia ejusmodi multa, in quibus parum honori tuo consulis, ea ita temere, aut potius calumniose, effutiendo. Quid enim alii de te sensuri sunt, Maresi, qui videbunt te nihil pensi habuisse quid diceres, dummodo mihi strenue conviciareris? Infacetum tuum sarcasmum prætereo, quod ad Episcopii pedes provolutus, tandem per ipsum paulo altius emerserim: quasi opus mihi fuerit turpi adulatione ad ejus favorem promerendum. Sed quia nihil à tuo fastu ab inferioribus, nisi per servilem ejusmodi submissionem obtineri potest; vel tu ita semper comparatus es, ut superiorum favorem vili adulatione promereri non detrectes, prave ex tuo ingenio de magni hujus viri moribus contra charitatem, & meis, judicasti. Jam, ut ad alia transeam; Tamdiu in ministerio ecclesiæ Victriacensis perseveravi, quamdiu me in ea cum fructu versari posse animadverti. Sed postquam omnia quæ dicebam, heterodoxias suspecta esse, nescio quorum artibus, cœperant, migrandum inde censui, & profitendam aperte veritatem, cujus jampridem mihi quidem radii aliquot affulserant; sed de qua, nonnisi omnibus controversiarum apicibus, per longum temporis spatium, maturo judicio expensis, plene in animo persuasus esse nequiveram. Unde apparet quam impudenter calumnieris, cum dicis me,* Vertumno mobiliorem, & Ecebolio inconstantiorem ad vomitum meum rediisse. *Nondum enim evomueram doctrinæ vestræ virus, cujus malignitatem perspectam satis non habebam, donec, per otium, eam examinare licuisset. Quod vero, post Molinæum, conquereris, de edito à me examine doctrinæ Amyraldi, & Testardi, & sententia libere de eo dicta, nihil me hic à viri boni officio alienum fecisse puto. Libellus enim iste ad me è Gallia missus fuerat, & significatum ab amico, auctorem illius editionem non ægre laturum. Et sunt quædam circumstantiæ, quæ persuadent, eum mihi gratiam in corde suo fuisse habiturum, si modo absque illa, quam addidi, mantissa, in lucem prodiisset. Sed occasione tam egregia mihi oblata, nolui veritatis defensioni deesse. Immerito autem Molinæum dicere, se hunc libellum, a me editum, pro suo non agnoscere; & te, (licet aliquanto modestius) eum ex vitioso exemplari descriptum fuisse, possum inde planum facere, quod penes me est exemplar, manu ipsius subsignatum, & in plurimis locis correctum. Habeo quoque manuscriptum responsionis, quam ei Amyraldus opposuit, unde patet editionem Amsteldamensem prorsus convenire cum exemplari, quod Molinæi cura ad ipsum pervenerat. Quod enim libellum istum, semel atque iterum, ad incudem postea revocavit, & variis in locis locupletavit, id non obstat quominus prima editio vere ejus opus fuerit. Non decuit ergo virum magnum ista tergiversatione uti, quæ nullo modo ipsum excusat.*

Tandem narrationem tuam historicam conclusurus, & aculeum in vulnere relicturus, dicis; Ne autem credant Remonstrantes, te fuisse causæ suæ martyrem in Gallia, poterunt hariolari rationem tuæ in Belgium profectionis, ex epistola Molinæi ad Spanhemium, præfixa opusculo suo Gallico, excuso Leydæ, anno 1648, sub hoc titulo; *Eclaircissement des Controverses Salmuriennes.* Quamvis enim R. Spanhemius ex illa ad se epistola eraserit, quæ tuæ famæ nocitura videbantur, nemini tamen difficile foret illas lacunas supplere. Ita ibi legitur: Car ce personnage * s'est retiré en Hollande, & s'est joint aux Arminiens,

niens, à deschargé sa colere sur moy, qui n'ay point esté de ses juges, & n'ay rien contribué à sa * * Id est, *Nam iste vir abiit in Hollandiam, & se Arminianis adjunxit, suamque in me iram exoneravit, qui ex ejus judicibus non fui, & nihil contuli ad ejus, &c.* Igitur si illi tui judices recte tecum egerunt, est quod gratum animum adversus eos profitearis.

Cum primum libellus iste Molinaei in lucem prodiisset, & locum quem citas inspexissem, obstupefactus calamum arripui, & de eo in hac propemodum verba scripsi ad D. Rivetum, quocum tunc temporis mihi satis frequens & amicum intercedebat literarum commercium. Vidi Elucidationem controversiarum Salmuriensium per D. Molinaeum, ubi in epistola limmari convicio aliquo me affecerat, quod deletum est, & asteriscis repletum. Multum debeo prudenti D. Spanhemii charitati, quod disseminandarum calumniarum instrumentum esse recusarit. Sed evidenter apparet, D. Molinaeum pessime fuisse informatum, cum dixit, Me in eum iram meam exonerasse, etiamsi è meis judicibus non fuisset. *Nec de ipso enim, nec de alio quoquam, propter ullum judicium ecclesiasticum, adversus me exercitum, conqueror; tantum abest, ut id, libello adversus eum edito, ulcisci cogitaverim. Illud judicium est imaginarium, cujus primum nunc nuntium in ejus epistola, post decimum quartum annum mei exitus è Gallia, audio. Factum enim non est quamdiu adhuc eram in Gallia, nec ad ipsum citatus fui. Non possum etiam credere quemquam post meum excessum voluisse me absentem, & inauditum, ulla de re judicare; quod nimis violentam animi perturbationem resiperet. Praeterquam quod illic satis multos adhuc habeo amicos, qui non dissimulaturi fuissent, cum de rebus multo minoris momenti certiorem me facere soleant. Forte ergo aliquis male erga me affectus, id D. Molinaeo persuasit. Sed non recte factum ab eo, quod rem quam ex nudo auditu tenebat, coram omnium oculis divulgarit. Uti suspicabar, ita factum erat. Paucis enim post hebdomadibus Rivetus rescripsit, Molinaeo, istud quod mihi objecerat, ab aliquo nunciatum fuisse. Quam graviter autem peccarit, primum incerto rumori tam patulas aures praebendo, deinde eum in vulgus spargendo, etiam me tacente, cordati norunt. Sed oportet omnino calumniam suboluisse Spanhemio; alias non sponte erasisset, in mei gratiam, qui ei plane incognitus eram. Tu vero, Maresi, libenter ex orco eam suscitares, qui jactas asteriscos illos, seu inane spatium, facile repleri posse. Fateor; sed calumniis, qualis fuit praecedens; veritate nunquam. Frustraque me remittis ad meos judices, erga quos gratum animum profiteri debeam, si recte mecum egerint. Nam neque bene, neque male quicquam egerunt, quia nulli prorsus fuerunt. Sicut nullus erat reus, neque accusator, neque testis, ita nulli usquam fuere judices, neque ullum judicium aliquando pronunciatum fuit. Et haec sufficiant de calumniis, quibus, sub praetextu historiae meae scribendae, onerare me voluisti. O quam latior se mihi aperiret campus, si vitam tuam fabulam, Catalogo Professori... Academiae Groningensis insertam, examinare vellem!*

Reliqua quae in toto scripto passim, non in singulis tantum paginis, sed etiam propemodum paragraphis, convicia in me evomis, sciens praetereo; utpote quae te potius barbarae μισανθρωπίας, quam me alicujus culpae reum peragunt; ut cum dicis me scotomate percussum caecutire à longo tempore, *& propter senectutem vocas* stultum, & delirio proximum. *Atqui, Deo sit laus, in hac LXXIII annorum aetate, omnis generis characteres, etiam exilissimos qui reperiri queunt, absque perspicillis facile lego; etsi aliquanto propius oculis admovere oporteat; quod etiam erat tui magni Durantii vitium. Et forte perspicacior fui, quam voluisses, in multiplicibus tuis erroribus deprehendendis. Ne gloriare itaque adversus me. Qui scis enim an oculorum vigor tibi adhuc diu perseveraturus sit? D. Blondellus erat olim perspicacissimi visus, sed quem aliquot annis ante vitae finem amisit. Ignorasne idem tibi contigere posse? Objicis mihi aetatem delirio proximam. Sed nunquamne audivisti aut vidisti, quosdam nondum valde senes delirare, imo etiam omnium rerum memoriam amittere?* Messala Corvinus orator, sui nominis est oblitus: *Plinius lib. VII. cap. 24.* Georgius Trapezuntius, Latinae & Graecae linguae doctissimus, in senectute memoriam utriusque amisisse dicitur. *Jac. Dalecampius in notis suis ad illum Plinii locum. Ne gloriare igitur mi homo; nondum ad metam pervenisti; & nescis quid serus vesper vehat. Quid vero si ex aetatis infirmitate mentis non satis essem compos, (spero tamen postremas istas dissertationes meas nihil tale indicaturas) tu vero ex malitia, quae in singulis tuae lucubrationis paginis erumpit; utrius nostrûm tolerabilior foret status, & migranti è vita optabilior? Cogitavisti-ne cum meae canitiei insultares, Ethnicos olim tecum surrecturos in judicium, & te damnaturos?* Apud antiquissimos Romanorum, neque generi, neque pecuniae, praestantior honos tribui quam aetati solitus: majoresque natu à minoribus colebantur, ad Deûm prope & parentum vicem. atque in omni loco, inque omni specie honoris, priores potioresque habiti. à convivio quoque, ut scriptum est in antiquitatibus, seniores à minoribus domum deducebantur. eumque morem accepisse Romanos à Lacedaemoniis traditum est: apud quos, Lycurgi legibus, major rerum omnium honos majori aetati habebatur. *A. Gellius, noct. Attic. lib. II. cap. XV. Cogitavisti-ne te adversariis, quos plurimos tui feri mores tibi conciliarunt, imo discipulis quoque, ansam dedisse, ut intra tredecim aut quatuordecim annos, quibus nunc ego te supero, aetatem objiciant delirio proximam, & tanquam depontanum senem ludibrio habeant? Quam temerarium est etiam & charitatis expers, quod eleemosynas à nostris in Waldenses erogatas soli ostentationi tribuere audes? Tune es καρδιογνώστης qui penetres in abdita cordium, & non de uno homine solum sed de integris quoque ecclesiis judices? Meministine dicti Jesu Christi,* In quo judicio judicaveritis, judicabimini? *Et cum mihi in crimen imputas quod de statutis Dordracenis dixi, attendis-ne te exemplum praebere magistratibus pontificiis in Gallia, & alibi, vos etiam laesae majestatis reos habendi, quod non idem de Concilio Tridentino sentitis quod ipsi? Nam si id vobis permissum illic jure putatis, cur non & nobis quoque hic de vestro Dordraceno? Quam ridiculum est, quod in*

argumentum seditionis convertis, quæ de numero Pontificiorum in federato Belgio dixeram? Quasi ipsi non eum ubique jactent, & opus habeant ab aliis, quanam sint suæ vires edoceri. Et an credis adeo stolidos esse Remonstrantes, ut velint iis tradere in manus gladium, quo doctrinæ suæ professores, una cum cæteris omnibus Christianorum sectis, quæ in his oris sunt, pessundent? Acquiescunt in Magistratu quem Deus super ipsos constituit, & gratias quotidie agunt Deo de ejus æquitate, & quod tantum, ut velletis non tribuat consiliis vestris turbulentis, ad subditorum conscientias inquietandum. Istudne est Christianum factum, quod tu Proceres Reipublicæ adversus nos exacerbare studes, cum tamen nulla in re officio nostro erga ipsos desimus, aliudque in nobis desiderare nequeant, nisi quod idem per omnia cum ipsis de religione non sentiamus? Quid morer etiam sarcasmos tuos in pacis consilia, quæ ecclesiis & pastoribus Galliæ dedi, quasi ridiculum aliquid in eo fecerim, & non ipsis, vobisque simul, quod vestri est officii repræsentarim, quod absque gravi in Deum offensa negligere non potestis, & quin totam schismatis, quo hic ecclesiæ Christi misere à se invicem divelluntur, culpam faciatis vestram, qui bene monentes non auditis, sed, quasi insani forent, irridetis. Nulla enim alia de causa ita vobis videtur, nisi quia exiguo numero sumus. Nam si regna & principatus possideremus, sicut Lutherani, ultro amicitiam nostram ambiretis. Sed frustra in multitudine vestra fiduciam collocatis, & de ea gloriamini. Nam quotidie decrescit, & facile ad æqualem nobis paucitatem redigi potestis. Nec cogitatis quam debile veritatis & bonitatis alicujus causæ argumentum sit turba; quam cum in Pontificiis, Mahometanis & Paganis, pro nihilo habetis, in vos ipsos sententiam stringitis. Nec te, Maresi, excusabit Joannis præceptum, nolentis ut Ave dicatur ei qui doctrinam Christianam non affert; quasi nos defectionis ab euangelio convicisses; quod tamen nobis majori in reverentia est, quam tibi, qui Sacrarum Literarum omnimodam perfectionem & sufficientiam, adversus Traditiones vestras, & voces atque phrases ab hominibus excogitatas, defendimus. Scito igitur, nos clamoribus & conviciis tuis non moveri. Si aliquid velis apud nos promovere, aliis utere armis, & charitate, patientia, mansuetudine, te verum esse Christi discipulum ostende. Quod si eadem via perrexeris, qua incepisti, vide annon tibi magis nociturus sis, quam nobis; tum apud Deum, cui displicet causam religionis ita tumultuose tractari; tum apud homines, qui te pro rixoso & pacis concordiæque professo inimico sunt habituri. Audi ergo saniora consilia, dum tempus est, & ne respue pacem quam tibi tuisque offert vetus amicus; sed qui longe magis in posterum futurus est, si te Dei amicitiam ex animo quærere animadverterit. Imo ne dedignare aliquid à Jesuita discere; cujus verbis, ut à partibus, respectu nostrûm, alieni, parænesin istam concludere visum est. Non facile aliquis in hoc seculo habendus est absolute inimicus. Quamdiu enim ad Dei gratiam patet aditus, tam diu bene sperare licet de quovis proximorum. Deinde, Augustino teste, ad v. 1. Psalmi LIV. *In eo quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus sit, ignoramus; & plerumque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti.* Quæ postrema verba ponderanda hoc loco sunt. Pauci enim inter hujus ævi Acatholicos, sunt Hæretici formales; major pars errantium est, & innocenter seductorum, qui omnes miserandi potius sunt, quam odio habendi. *Henricus Marcellius. S. I. in sapientia filiorum Dei.*

PRI-

PRIMA DISSERTATIO
THEOLOGICA:
DE
VOCIBUS TRINITATIS, ὙΠΟΣΤΑ'ΣΕΩΣ, PERSONÆ, ESSENTIÆ, Ὁ'ΜΟΟΥΣΙ'ΟΥ, ET SIMILIBUS.

I. *Quam perniciosa sint dissidia de Religione.* II. *Autorem quod potuit ad illa sopienda contulisse.* III. *Consilium ex sincero corde profectum exagitavit Maresius, quod nunc Autor defendit.* IV. *Non est Autor Anti-Trinitarius.* V. *Injuste Maresius eum Socinianum, &c. dicit.* VI. *Appendix ad Veritatem Pacificam nec Autoris est, nec Sociniana.* VII. *De Anathemate quo Autorem feriri vult Maresius.* VIII. *Quid sentiendum de Anathematibus Veterum.* IX. *Professores Leydenses non accusarunt Præfationis Autorem in Opera Episcopii Socinianismi.* X. *Divisio hujus dissertationis in duas partes.* XI. *Pars generalis. Soli S. Scripturæ termini sufficiunt ad explicanda fidei dogmata, Et non esse hæreticum illud docere.* XII. *Testimonium Jacobi Acontii.* XIII. *Georgii Calixti.* XIV. *Henrici Nicolai.* XV. *Ecclesiarum Provinciæ Ultrajectinæ.* XVI. *Basilii Magni.* XVII. *Concilii Sardicensis & Sirmiensis.* XVIII. *De Religione Christiana in methodum disciplinarum humanarum redacta, & variè exornata.* XIX. *Responsio ad locum Athanasii à Maresio objectum.* XX. *Tricæ Scholasticæ quibus doctrina salutis fuit corrupta.* XXI. *Specimen Scholasticæ Maresii Sophisticæ in dogmate S. Trinitatis.* XXII. *Non est illicitum æquipollentibus Scripturæ phrasibus uti, dummodo de illarum æquipollentia constet.* XXIII. *Istud absurdum 1. non sequitur ex Autoris sententia, Scripturam fore inutilem ad convictionem & redargutionem.* XXIV. *2. Nullum fore usum consequentiarum.* XXV. *3. Nec opus futurum expositione & applicatione scripturarum.* XXVI. *De Symbolo Apostolorum, & Confessionibus, quæ usurpant phrases Scripturæ incognitas.* XXVII. *De Descensu Christi ad Inferos.* XXVIII. *De Ecclesia Catholica.* XXIX. *De Resurrectione Carnis.* XXX. *De Christi Satisfactione.* XXXI. *Et de ejus Merito.* XXXII. *De voce Sacramenti.* XXXIII. *Quo sensu Protestantes dicant S. Scripturam sufficientem esse & perspicuam.* XXXIV. *Non esse necessarium aliis quam S. Scripturæ terminis uti in erroribus refellendis.* XXXV. *Sufficientiam Scripturæ non spectare tantum dogmata, sed etiam voces quibus ea exprimi debent.* XXXVI. *Non opus est novas loquendi formulas excogitare ad convincendum hæreticos.* XXXVII. *Nec ad Dei Unitatem explicandam.* XXXVIII. *Pontificii fatentur suam opinionem de Trinitate, non posse ex Scriptura probare sed tantum ex traditione; ut Melchior Canus, Alphonsus Salmero, Martinus Becanus, Joannes Salabertus.* XXXIX. *Quis pro impio & hæretico sit habendus.* XL. *Non potest esse impius & hæreticus, qui Scripturam S. pro unica fidei & morum regula habet, & ad eam se quatenus intelligit conformat. Explicatio loci ad Rom. x. 3.* XLI. *De optima inveniendæ veritatis divinæ ratione.* XLII. *Voces ab hominibus inventas non esse commodiores iis quas Sacri Scriptores usurparunt.* XLIII. *Pars specialis hujus Dissertationis.* XLIV. *De voce Trinitatis.* XLV. *De voce Essentiæ.* XLVI. *De voce Personæ; eam esse ambiguam.* XLVII. *Accuratior disquisitio de significatione vocis personæ.* XLVIII. *Quomodo Scholastici Personam definire soleant.* XLIX. *Quomodo à sua definitione excludant Deitatem, Naturam Christi humanam, & animas separatas.* L. *Quo sensu dicatur, Deum fore compositum, si in eo dentur tria individua intellectualia, qualia sunt tres homines.* LI. *Quid Scultetus & Rivetus de libro Expositionis Fidei, Justino Martyri tributo, senserint.* LII. *Petavius Justinum Martyrem male de Christi Deitate sensisse ostendit.* LIII. *Petavii judicium de libro Expositionis Fidei.* LIV. *Ursinus & Keckermannus non probant distinctionem inter Personam & Personalitatem.* LV. *Examen definitionis Personæ, Justino Martyri tributa.* LVI. *Pluribus ostenditur Personam non esse merum existendi modum.* LVII. *Filium Dei non esse à se ipso Deum.* LVIII. *Quid sequatur ex definitione eorum qui Personam faciunt modum.* LIX. *Quid de hac phrasi sentiendum sit, Unam naturam divinam quæ est tota in Patre, totam quoque esse in Filio, & totam in Spiritu sancto.* LX. *Patris multiplex præ Filio & Spiritu S. prærogativa in divinis, probatur ex Scriptura; ex Symbolo Apostolico; ex Mario Victorino, & ex Henrico Nicolai.* LXI. *Responsio ad Objectionem Maresii, de individua natura divina.* LXII. *De nomine Dei, Filio, & Spiritui S. in Scripturis tributo.* LXIII. *Iterum de Persona, an sit existendi Modus.* LXIV. *Responsio ad Objectiones Maresii, de fidelibus Spiritus S. templis, & de Christo Jehova nomine appellato.* LXV. *De Christo Servatore nostro, de fiducia in illum collocanda; & de ejus adoratione.* LXVI. *De Societate religiosa, in quam Maresius dicit Autorem paratum esse recipere Sabellium, Photinum, Arium, Socinum, Mahumetem, Anti-Christum, forte & Diabolum ipsum.* LXVII. *Lis à Maresio mota in D. Voetium de modo generationis Filii Dei.* LXVIII. *De Voce Hypostasis.* LXIX. *De Voce περιχώρησις Circuminsessio.* LXX. *Vox ὁμοούσιος Consubstantialis, est ambigua, & à multis Veterum fuit improbata.* LXXI. *Eadem damnata est in Concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum, Et cur.* LXXII. *Concilium Nicænum non definivit, ut Filius Patri ὁμοούσιος numerice diceretur, ut aliquot argumentis probatur: Primum; quod vox ὁμοούσιος apud bonos autores semper de unitate specifica aut generica accipiatur, nunquam de numerica.* LXXIII. *Secundum; quod potius usurum fuisset vocibus μονοούσιος aut ταυτοούσιος, quas tamen rejecit.* LXXIV. *Tertium; quod Veteres Patres hunc sensum excludunt, cum explicant discrimen quod est inter οὐσία & ὑπόστασις. Ut Basilius Magnus.* LXXV. *Ephræm Antiochenus.* LXXVI. *Tractatus de Definitionibus.* LXXVII. *Theodoretus.* LXXVIII. *Joannes Damascenus.* LXXIX. *Euthymius Zygabenus.* LXXX: *Anastasius & Cyrillus.* LXXXI. *Definitio Hypostaseos secundum illos.* LXXXII. *Quartum argumentum; quod vox ὁμοούσιος opposita sit errori Arianorum, de diversitate naturæ Patris & Filii quod ex aliquot Athanasii testimoniis apparet.* LXXXIII. *Sylva testimoniorum ex Patribus collectorum, unde de sensu*

vocis ὁμοούσιος constare potest. Symbolum Chalcedonense. LXXXIV. *Athanasius, aut Maximus.* LXXXV. *De autore Dialogorum V. de Trinitate.* LXXXVI. *Vanum esse discrimen quod constituit Maresius inter Arianos & Anomæos.* LXXXVII. *Quam temere Maresius mihi exprobret, me Dialogos quos citavi, nunquam legisse aut vidisse.* LXXXVIII. *Iterum Athanasius.* LXXXIX. *Hilarius.* XC. *Marius Victorinus.* XCI. *Basilius Magnus.* XCII. *Gregorius Nyssenus.* XCIII. *Gregorius Nazianzenus.* XCIV. *Epiphanius.* XCV. *Chrysostomus.* XCVI. *Ambrosius.* XCVII. *Augustinus.* XCVIII. *Cyrillus Alexandrinus.* XCIX. *Anonymus.* C. *De ratione propter quam Ambrosius ὁμοούσιον à Patribus Nicænis receptum esse dicit.* CI. *Sententia Dionysii Alexandrini de Christo.* CII. *Et Origenis.* CIII. *Quomodo Ambrosius ex Scriptura probet τὸ ὁμοούσιον.* CIV. *Responsio ad argumenta quæ Maresius pro sensu Veterum de voce ὁμοούσιος, aut coëssentialis, affert.* CV. *Quo sensu Patres Deum unum esse dixerint.* CVI. *Et Gregorius Nyssenus ἀκεραίαν μονάδα.* CVII. *De mente Hieronymi & aliorum.* CVIII. *De voce Ὁμοιούσιον.* CIX. *Quomodo Veteres polytheismi notam Arianis, & Philopono impegerint, & unum esse Deum explicarint.* CX. *Responsio ad objectiones Maresii, de Unitatis divinæ mysterio.* CXI. *Et de ἐμπεριχωρήσει, Circum-insessione.* CXII. *De loco Cyrilli Alexandrini, ad Unitatem essentiæ numericam in pluribus personis probandum.* CXIII. *Item Nazianzeni, Basilii, Nysseni, Ambrosii.* CXIV. *Augustini quoque.* CXV. *De testimonio Boëthii.* CXVI. *Et Ruffini.* CXVII. *Discessus Recentiorum à sententia Veterum de Consubstantialitate.* CXVIII. *Valentini Gentilis, supplicio capitali à Bernensibus affecti, quod idem cum Veteribus Patribus de Trinitate sentiret, historia.* CXIX. *Opinio Recentiorum proxime ad Sabellianismum accedit.* CXX. *An & quomodo simus obligati ad ea quæ non intelligimus credendum, & de Sana rationis judicio.* CXXI. *De Socinianismo Autori objecto.* CXXII. *De tribus personis in unica numero essentia.* CXXIII. *Et an id locum habeat in essentia infinita.* CXXIV. *Quid sentiendum sit de absoluta essentia divina Infinitate.* CXXV. *Examen conclusionis Maresii, & purgatio ab hæresibus quas autori immerito objicit.*

I. NIhil dissidiis de Religione, quibus hodie Christianus orbis agitatur, perniciosius esse, inter omnes rerum intelligentes constat, & imperiti quoque ipsi proprio damno sentiunt. Inde enim, tanquam ex perenni scaturigine, oriuntur odia, rixæ, persecutiones innocentium, bellaque cruentissima, &, quæ bella comitari solent, omnis generis flagitia & calamitates. Imo dum fervidius, quam par est, de Religione contenditur, Religio ipsa perit. Alii enim sub isto prætextu internecinis in proximos odiis indulgentes, charitati, sine qua etiam *omnis fides*, 1 *Cor.* XIII. *v.* 2. nullius apud Deum est pretii, nuncium non obscure remittunt. Alii autem de veritate, quam innumeris difficultatum tricis implicitam vident, invenienda desperantes, omnem cognitionis & cultus Dei curam susque deque habere incipiunt, & tandem in Atheismum aut Epicureismum prolabuntur. Adeo ut Religioni idem propemodum eveniat quod Aristocleæ illi Bœotiæ, quæ inter procorum, ipsam hinc inde rapantium, manus lacerata, crudeli morte periit. Dum enim singulæ contendentium partes Religionem sibi solis vindicant, & adversariis abjudicare nituntur, omnes eam suo præpostero zelo amittunt. Quocirca is cor Marpesia caute durius haberet, & omnem humanitatis sensum exuisset, qui tot tantisque malis non afficeretur, & Ecclesiam Christi liberatam illis animitus non exoptaret. Imo vix inter bonos numerari esset dignus, qui ad tam sanctum & eximium opus quicquid in se est virium conferre abnueret.

II. Hinc factum est ut multi pii & eruditi viri, tam hoc quam proxime elapso seculo, quasi certatim ad incendium contentionum de fide extinguendum accurrerint, & varia religiosæ pacis consilia Christianis in mutuam perniciem ruentibus suggesserint. Quorum exemplo ego quoque nonnihil ista de re in Præfatione, operibus Theologicis *Simonis Episcopii* τοῦ μακαρίτου præfixa, in medium attuli. Et primum in genere tam de vera quam de falsa terminandarum fidei controversiarum ratione disserui. Deinde quomodo id quod suadebam, ad praxim commode revocari posset in septem particularibus capitibus ostendi. Inter quæ septem obtinet locum Dissertatio de vocibus *Trinitatis*, *Essentiæ*, *Personæ*, *Ὁμοούσιος*, & similibus: eo fine à me instituta, ut appareret Disputationes hodiernas de SS. Trinitate, in quibus prora & puppis Religionis Christianæ sita esse putatur, de verbis potius quam de rebus ipsis moveri; & facillime componi posse, si abdicatis omnibus vocibus & loquendi formulis, quas homines invenerunt, in sermone à Scriptoribus Θεοπνεύστοις usurpato, quia nec aptior nec commodior ab ullo excogitari potest, acquiesceremus. Ita enim brevi concordes fore, qui δὶς διὰ πασῶν à se dissentire creduntur, & lites sedatum iri, quæ alias in æternum duraturæ essent.

III. Hoc meum consilium ex sincero corde, cujus Deus mihi est testis, datum, aliquot pii & docti viri, tum inter Catholico-Romanos, tum inter Lutheranos & Reformatos, ut alios à Remonstrantibus minus alienos nunc præteream, probarunt & laudaverunt. Sed tandem post novem annorum decursum, Samuel Maresius illud non tantum carpsit, verum etiam impietatis accusavit, ideoque Præfationem istam Achristianam & Antichristianam, meque Antitrinitarium, Socinianum, Atheum, Scepticum vocavit. Quod tamen mihi novum non accidit. Facile enim poteram conjicere eum, qui tanquam alter Hercules se *Hydram Socinianismi expugnasse* credit, consilia de amicabili compositione non ita libenter auditurum, ut forte facerent ii qui de pugnæ eventu adhuc sunt solliciti. Sed tanta cum acerbitate à veteri amico exceptum me iri non suspicabar. Meditor itaque jam paucis me adversum tam horrendas criminationes

nationes defendere, & nullam Maresio, sic in me insurgendi, causam me dedisse monstrare. Faxit Deus ut me intra inculpatæ tutelæ terminos continens, lenitatem, patientiam, & moderationem in Theologo Christiano requisitas servem.

IV. Incipiam ab *Antitrinitarii* appellatione, qua me & in libri sui titulo, & passim usque ad finem nuncupat; nempe ut facile animadvertunt omnes qui plane obesæ naris non sunt, quia nullam aptiorem existimavit occasionem ad me in odium imperitorum adducendum. Falsissimum igitur est, me Antitrinitarium esse, id est, Patris, Filii, & Spiritus Sancti adversarium, seu orthodoxam de illis doctrinam, in sacris libris patefactam, ullatenus improbare. Absit! Eam potius vellem sanguine meo obsignare, si quando me Deus hoc honore dignaretur. Ego in infantia, more inter Christianos vulgo hodie recepto, baptizatus fui, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & adultus professus sum cum universa Ecclesia Christiana, me credere in unum Deum Patrem omnipotentem, cæli & terræ creatorem; & in Filium ejus unigenitum, Jesum Christum, in quo præter naturam humanam est etiam divina, quæ non tantum ante nativitatem ejus ex Maria Virgine, sed etiam ab æterno extitit: & in Spiritum S. qui à Patre procedit, & à Filio mittitur. Idque tum in Ecclesia, tum in Schola, semper aperte docui, atque etiamnum doceo. Quid hic desiderat Maresius? vult-ne ut meam mentem de Relationibus divinis, de modo generationis Filii, & processionis Spiritus Sancti, aliisque Scholasticorum commentis, de quibus ne γρῦ quidem extat in Scriptura, aperiam? Non teneor id facere; quia ea quam proposui SS. Trinitatis doctrina ad salutem est sufficiens, non solum plebi Christianæ, sed etiam doctoribus, qui abunde muneri suo satisfaciunt si illam inculcent, & testimoniis ex verbo Dei petitis confirment, etiamsi personalitatum, suppositalitatum, circuminsessionum, & aliarum ejusmodi monstrosarum vocum, in æternum non meminerint. Nec potest hic mihi dicam scribere meus Adversarius, quin simul in omnes Mennonitarum Ecclesias damnatorium calculum promat; quas notum est ex confessionibus, & publicis earum scriptis, à vocibus Personæ, coëssentialis, & aliis ejusmodi, de quibus verbum Dei silet, abhorrere. Cur ergo non idem mihi liceat quod tot numerosissimis, & pietatis fama plerasque alias antecellentibus Ecclesiis? Si ideo libeat Maresio me Antitrinitarii odiosa appellatione infamare, id me non multum habet sollicitum; ut qui noverim hæc duntaxat esse μορμολυκεῖα, quibus terror incutitur ignaris, ne adversus Doctorum Academicorum placita, quantumvis inepta, & contradictionibus scatentia, hiscere audeant. Dominus Jesus ab adversariis vocatus fuit Samaritanus, & Beelzebub; quid mirum igitur si idem contingat ipsius Discipulis? Nec dubito, si ignotus hodie in terras rediret, eandemque quam olim doctrinam afferret, quin Maresius vel inter primos in eum insurrecturus, seductoremque & pseudoprophetam vocitaturus, atque adeo tandem, tolle, tolle, crucifige, ut olim Judæi, clamaturus esset. Vanam enim non esse meam conjecturam indicant postrema aliquot ejus scripta contra Blondellum, Dallæum, & me (ut Voetios jam non adducam) emissa; ubi absurda adeo crassa ut pene palpari possint, absque pudore defendit aut incrustat, & odium in nos qui contradicimus, plus quam Vatinianum ubique prodit. Quam enim ista alicujus boni ab eo in posterum expectandi spem relinquunt? Non minus quoque falsum est, Præfationem meam esse, sicut Maresius objicit, Achristianam & Antichristianam. Sed ipse revera parum Christiane adversus me se gerit, dum bene dicta tanto cum impetu oppugnat. Ubi potius laudare debuisset scopum meum, qui est pacis amissæ inter Christianos restitutio; propterea que, si forte alicubi me cespitare contigisset, benigne condonare, & in investigandis aptioribus mediis, quibus attingi posset, adjuvare. Convicia enim non sunt refutationes; nec eum qui inscius errat, in rectam viam reducere queunt.

V. Antequam autem ulterius progrediar, operæ pretium erit obiter etiam expendere, quid præterea huc pertinens dicat in refutatione Præfationis meæ Apologet. pro doctissimi & integerrimi viri Davidis Blondelli manibus, quorum quietem injustis suis accusationibus inhumane turbaverat. *Ego*, inquit Maresius, *te Socinianum, & fidei, quæ communis est omnibus Sanctis, desertorem dico, proclamo, renuncio: ac tanquam fidus canis in grege Domini, tibi ceu lupo ovillis tecto exuvii, quantum possum allatro, non animo convictandi, sed te omnibus denunciandi, ut sibi à te caveant, juxta monitum Christi, Matth.* VII. 15. Sed non sum Socinianus. Unum enim Jesum Christum, & ejus Apostolos, pro meis in Christiana Religione magistris agnosco. Socinus, Calvinus, Lutherus, & alii similes doctores, eodem mihi sunt loco. Nemini illorum assensum præbeo, nisi quem eloquia Dei præferentem audiam. Nec desertor sum fidei quæ communis est omnibus Sanctis. Persevero enim, & ad extremum usque halitum, Deo juvante, perseverabo in doctrina Prophetarum & Apostolorum sacris literis comprehensa. Utraque hæc accusatio in Maresium potius quadrat: non quod sit Socinianus, sed quod alios magistros; Socino nequaquam meliores, Christo relicto, sequatur; & quod voces & phrases ab hominibus errori obnoxiis excogitatas, sermoni auctorum divinitus inspiratorum præferat; multasque propugnet opiniones, quæ non magis cum sacris literis, quam aqua cum igne, conciliari possunt, ut dogma prædestinationis absolutæ, & quæcunque ei adhærent. Nec istud tantum, sed

præterea intolerabilem prodit fastum hæc plus quam prætoria damnatio, *Dico, proclamo, renuncio.* Miser & ridicule homuncio, quem te esse putas? quis tibi servum alienum judicandi potestatem dedit? An plus in me juris te habere præsumis, quam ego in te? Quo fundamento? Quid si ita te exciperem, ut tu me, quid dicturus esses? nonne statim insanus apud te audirem? Videsne ergo te non posse damnare me, quin teipsum condemnes? Quomodo etiam istud convenit cum iis quæ dicis infra, pag. 344. *Judicium decisivum in neminem mihi sumo.* Nam quid est judicium decisivum, si hoc non est quod tanto cum fastu pronuntias? Itane soles facere in conviviis, ubi cum judicio discretivo cibos eligis qui palato tuo magis arrident, & cæteros repudias? Sed tu scilicet *es fidus canis, qui mihi tanquam lupo allatras.* Ita quidem dicis: sed quomodo probas? Tu magno viro, Joanni Dallæo, cum quo nec eruditione, nec probitate ullatenus es conferendus, objicis in ult. pag. stricturarum ad ejus vindicias, quod *instar canis rabidi*, te intolerandis contumeliis, & acerbissimis atrocissimisque injuriis proscindat. Vide an non id in te merito posset retorqueri! dictum enim Christi, *de cavendo sibi à pseudoprophetis*, quod temere allegas, non impedit quo minus insignis appareas conviciator. Nam pseudoprophetas *ex fructibus cognitum iri* docet. Quinam autem evidentiores falsi doctoris fructus dari possunt, quam tot maledicta quibus scripta tua scatent? An te excusatum existimas, quod neges te conviciandi animo illa proferre? quasi facta tua ad te convincendum non sufficiant! *Nolite errare: Maledici regnum cælorum non possidebunt*, 1 Cor. VI. 10. Quicquid amarulentiæ tuæ prætexere possis, certum est, quod *ista non est sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione. Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem*, *Jacob.* III. 15. & seqq.

VI. Deinde Maresius mihi objicit, schedulam *Appendicis* instar ad libellum, cui titulus est, *Veritas pacifica*, adjectam, quam Socinianam vocat. Sed hic fœdissime bis peccat. Primo, quod mihi tribuit scriptum, & quidem tam confidenter ac si extra omne dubium id esset, quod ego coram Deo & hominibus testari possum me non composuisse. Hinc discant lectores qui decipi nolunt, quantum fidei iis quæ sine probatione asserit, adhibere debeant. Talia enim sunt pleraque quæ in refutatione Præfationis meæ Apologeticæ continentur. Secundo, quod istud scriptum Socinianum vocat. Atqui in iis quæ inde citat, nullum plane deprehenditur Socinianum vestigium. Auctor ejus, quisquis tandem fuerit, istud solum sibi propositum habuit ostendere universam salutis nostræ doctrinam, meris Scripturæ verbis & phrasibus optime posse exprimi, nec opus esse ullas alias, sub hoc prætextu quod commodiores aut dilucidiores nobis videantur, usurpare. Quæ si est propria Socinianismi nota, sane promptum erit inde concludere, Socinianismum non esse pessimi generis hæresin, utpote quæ supra reliquas omnes Christianorum sectas religiose soli Scripturæ sacræ adhærere studeat. Sed hanc ei soli laudem non relinquent Remonstrantes, quin in illius quoque consortium veniant. Quamvis enim adversariorum iniquitate compulsi, permiserint sibi in pridem edita Confessione, dogma Trinitatis aliis quam Scripturæ verbis explicare; tamen quid sibi maxime probaretur ibidem declararunt, dicentes: *Quantum fieri potest, illud propriis & expressis Spiritus Sancti phrasibus enunciare quam tutissimum arbitramur: cum ipse Dei Spiritus sese quam optime noverit, & quam rectissime naturam suam exprimere potuerit; imo etiam quantum necesse ac satis est, exprimere nobis in verbo suo voluerit, &c.* Confess. cap. III. n. 4.

Quæ Maresius interjecit de Peccato originis, & de omnium prorsus operum à Justificationis negotio exclusione, separatis Dissertationibus, *σὺν θεῷ*, postea examinabuntur.

VII. Tandem hanc accusationem hæreseos conclusurus dicit, *Certo igitur scias, Curcellæe, nullum fore ex Gallicanarum Ecclesiarum ministris, qui vel ex hoc specimine, quod modo exhibui, tuæ Theologiæ, te non execretur, tibique anathema, juxta veterum formulam, ex animo non dicat.* Et rursus alibi: *At vero viri illi Reverendi quos compellas, nunquam te, non solum Remonstrantem, sed etiam Socinianum, pro suo fratre & Symmysta sunt agnituri.* Quam Reverendi tibi sint, Maresi, Ecclesiarum Gallicanarum Pastores, apparet ex *Epicrisi Theologica*, quam Dallæi Apologiæ opposuisti, ubi in ipsum & in Blondellum, jam ante in Domino pie defunctum, plaustra conviciorum exoneras. Nam vel propter commune præconum Euangelii munus, parcere istis duobus debuisses, si qua cæterorum reverentia ducereris. Ego quidem ejusdem vobiscum Christianismi Sectæ jam membrum non sum; quia Remonstrantes, ut sentio, injuste à corpore vestro resecuistis. Sed mallem ut mihi vivo terra dehisceret, quam quippiam iis simile dicere aut scribere, quæ tu adversus utrumque fœtido ore & calamo evomuisti. Ut quod *Blondellus Apologia Dallæana sterquilinium integrum effuderit in sepulchrum Spanhemii*: quod Dallæus sit *instar canis rabidi*, qui ad immensam usque *vecordiam & vesaniam* processerit: & qui *scandalosam, protervam, calumniosam, sycophanticam, uno verbo Diabolicam, refutationem receptioris in Ecclesiis* vestris *sententiæ* conscripserit. Denique non dixisses, quod absque horrore commemorare nequeo; *Deus te compescat Satana; nec enim hic alterius agis personam Dallæe, contra tuam scientiam & conscientiam, quam illius*

qui

qui mendax est ab initio, & pater mendacii. Et alia ejusmodi plura, propter quæ meritus es ut Ecclesiarum Galliæ Synodi severam in te censuram stringant. Quod vero dicis nullum fore ex Reverendis illis ministris, qui vel ex hoc specimine meæ Theologiæ quod exhibuisti me non execretur, ostendis quam male de iis sentias. Quasi vero adeo patulas calumniis tuis præbituri sint aures, ut sine ullo accuratiore examine statim me damnent, propter illa quæ mihi falsissime objecisti. Absit ut istud de tam piis & prudentibus viris credam! norunt enim omnes illud Senecæ in Medea:

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Non vereor itaque ut ad solam tuam accusationem, & sine legitimo causæ examine, damnatoriam sententiam confestim in me pronuncient. Compertum etiam mihi est, non paucos eorum qui à me in aliquibus doctrinæ capitibus dissident, æquiores esse, quam ut idcirco mihi Anathema dicere velint. Nuper enim literas accepi à doctissimo quodam in illis oris Viro, in quibus hæc leguntur, quæ felicioris eventus mihi spem non exiguam faciunt. *L'estime que font les habiles hommes des productions de vostre esprit, vous doit estre un éguillon de ne les leur pas envier. Voicy en quels termes Monsieur* N. N. (Ministre & membre du Synode de l'Isle de France) *m'escrit de vostre Preface. Il n'est pas que vous n'ayez veu la belle Apologie que Monsieur de Courcelles a fait pour Monsieur Blondel, & que vous ne l'ayez trouvée excellente aussi bien que moy. Que ce personage escrit bien à mon gré. Tout m'y plaist egalement, l'invention, la disposition, l'elocution. Et si j'estois capable d'escrire, je le prendrois pour modele, & croirois ne pouvoir mieux faire que de l'imiter.* Iniquitas tua, Maresi, coëgit me testimonium istud in lucem proferre, quod alias libentius dissimulaturus fuissem, ne de immodicis laudibus quas Pastor ille in me congessit, gloriari velle existimer. Cæteri omnes norunt quam diserte prohibitum sit de aliis, qui nostræ jurisdictionis non sunt, sententiam ferre. *Nolite judicare*, inquit Christus, *ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, *Matth.* VII. 1. 2. & Paulus, *Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* Item, *Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi*, &c. *Itaque unusquisque pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus*, *Rom.* XIV. 4. 10. 12. 13. & Jacobus, *Unus est Legislator & Iudex, qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es, qui judicas proximum? Epist. cap.* IV. 12. 13. Quam sunt hæc emphatica adversus temerarios aliorum damnatores? quam serio perpendenda, priusquam Anathema in quemquam vibres? Non me latet quidem Paulum dicere, *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit Anathema*, 1 *Corinth.* XVI. 22. Item: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam euangelizavimus vobis, Anathema sit*, *Gal.* 1. 8, 9. Et Joannem, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis*, 2 *Ioan.* 10, 11. Sed hæc tantum sunt dicta in eos qui Christum abnegant, & universam doctrinam Apostolicam tanquam falsam rejiciunt: ideoque pessime applicantur illis, qui Jesum Christum pro Servatore mundi agnoscunt, eumque sincero cordis affectu diligunt; nullamque aliam fidei & vitæ normam præter Scripturas sacras recipiunt, quamvis forte in aliquibus locis à vera illarum intelligentia aberrent. Nam quis est hodie inter Christianos ab omni errore immunis? Itaque si liceat cuilibet erranti Anathema dicere, nemo erit qui Anathemati non subjaceat. Maresius est Anathema Pontificiis & Lutheranis: an ideo credit se pejore apud Deum esse loco? Permittat igitur nobis Anathemata sua, ut bruta fulmina, flocci facere; & sciat ea magis vibranti quam percusso nocere. Nam si pro fratre agnoscere non vult, eum quem Deus in filium adoptavit, annon eo ipso se reddit indignum, qui in numero filiorum Dei censeatur? & nonne metuere debet, ne sicut fratrem, qui erat membrum Christi, ejecit ex Ecclesia; ita Deus ipsum, tanquam alienum à se, è cælesti suo regno excludat? Itaque sive ipse, sive alius quispiam, præpostero zelo ductus, Anathema mihi dixerit, & fraternitati meæ renunciarit, solabor me cum Apostolo Paulo, & dicam, *Mihi pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum judico, &c. qui autem judicat me Dominus est, &c.* 1 *Cor.* IV. 3, 4, 5.

VIII. Nec cujusquam est momenti, quod Maresius affert de Veterum formula. Notum est enim quam sæpe veteres Ecclesiæ Doctores Anathematibus sint abusi, & quam temere illa contra innocentes pronunciarint. Errata aliorum cautiores reddere nos deberent, ne iterum in idem saxum per incogitantiam impingeremus. Certe Hilarius Pictaviensis Episcopus non probabat quod Anathemata suo tempore jam adeo, & levibus de causis, inciperent esse vulgaria. Unde hæc ejus ad Constantium Augustum querela: *Conscii nobis invicem sumus, post Nicani conventus Synodum nihil aliud quam fidem scribi. Dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de auctoribus querela est, dum de consensu difficultas est, dum alter alteri Anathema esse cœpit, prope jam nemo Christi est.* Notum etiam est, quantam bonis multis viris offensionem dederit damnatio Origenis & Scriptorum ejus, facta à Theophilo in Synodo Alexandrina, A. C. 399. Indecens enim videbatur eis, ut turbaretur quies magni illius viri, circiter 150 annis ante in Domino pie defuncti; & cui omnes sui temporis docti, tanquam communi magistro assurgebant. Indeque natum est acerbum illud Epiphanii in Joannem Chrysostomum

stomum odium, quod Monachos Ægypto pulsos, quia Origenem damnare noluerant, in communionem recepisset, adeo ut eum Episcopatu Constantinopolitano deturbare molitus fuerit. De quibus omnibus vide Sozomenum lib. VIII. cap. 11. & seqq. Et eo forte respexit Chrysostomus in Sermone, *Quod neque vivi neque mortui Anathemate percutiendi sint.* Ubi inter multa alia dicit; *En specto viros, qui nullum ex Sacris literis germanum sensum, imo nihil omnino Sacrarum literarum tenent, &, ut pleraque transeam, non erubesco dicere, furibundos, nugatores, contentiosos, qui neque sciunt quæ dicunt, neque de quibus affirmant; in hoc uno tantum audaces, quod dogmata statuunt, & Anathemata declarant, ea quæ maxime ignorant. Hinc est quod exteris, hostibusque fidei nostræ, ludibrio sumus, habemurque quasi nulla sit nobis honestæ vitæ cura, & nunquam bene facere didicerimus. Heu mihi quam dura atque dolenda sunt hæc!* Denique Facundus Hermianensis præclare ostendit, quantum abhorreat à temeraria damnandi alios in negotio fidei licentia, in libris XII. quos pro defensione trium Capitulorum Concilii Calchedonensis scripsit, adversus eos qui epistolam Ibæ Edesseni Episcopi ad Marim Persam, & Theodorum Mopsuestenum Episcopum, & Theodoreti Cyri Episcopi dicta, post obitum Anathemate feriri volebant: ubi pluribus & diversis in locis, talium Anathematum fœditatem exaggerat. Inde discat Maresius, quam inique se erga me gerat. Denique meminerit, si Pontifex Romanus propter Anathemata temere, adversus immerentes fulminata, apud Protestantes Antichristus audit; an non ipse, longe Papa inferior, idem privata auctoritate moliens, Antichristus alter dici mereatur?

IX. Velim quoque hic observari, Præfationem meam in opera Episcopii, unde occasionem arripuit me Antitrinitarium & Socinianum appellandi, non fuisse visam Professoribus Leydensibus alicui ejusmodi hæresi affinem. Nam cum in Epistola sua ad Illustres & Præpotentes Hollandiæ Ordines, Anno 1653. scripta, conentur Remonstrantes Socinianismi suspectos reddere, & istam Præfationem citent, nullius tamen Sociniani dogmatis eam accusare audent. Imo neque Hoornbeeckius in Summa Controversiarum eodem anno edita, lib. VIII. adversus Remonstrantes, ubi eos Socinianismi insimulat, & Præfationem istam tanquam idololatriæ faventem iniquissime criminatur, vel unum dicit verbum de eo quod voces Trinitatis, Essentiæ, Personæ, ὁμοουσίου, & similes improbaveram. Nimirum, quia omnes isti viderunt, se nullum tam atrocis accusationis solidum hic invenire posse fulcrum. Quid ergo? Maresius-ne est cæteris oculatior, quod ea cernat, quæ alios fugerunt? Non. Sed est malignior; cui odium turbavit phantasiam, ut ea se putet videre quæ nusquam sunt. Veritatis enim defendendæ zelum prætexere nequit. Nam si zelus iste cor ei rodebat, cur integros novem annos expectavit antequam malo gliscenti occurreret?

X. Nunc ut propius cum adversario congrediar, universam meam disputationem ad duo capita revocabo, quorum unum in genere agit de usu vocum & phrasium, quas Ecclesiæ Doctores invenerunt ad commodius dogmata fidei explicandum: alterum in specie tractabit de vocibus Trinitatis, Personæ, ὁμοουσίου & similibus.

XI. Quod ad prius attinet, dixeram non paucos pios & eruditos viros, animadvertentes quot subtilitatum tricis doctrina salutis præcedentibus seculis fuerit involuta, non aliam tutiorem & commodiorem se expediendi viam esse putare, quam si ad sacrarum literarum simplicitatem redeatur, & omnes humanitus inventæ voces inde arceantur, aut saltem nullus deinceps in eas jurare cogatur. Et me eorum religiosum scrupulum non audere improbare. Nam re attentius expensa, ejusmodi terminos adhibere, mihi nec necessarium, nec utile esse videri. Quæ fuit etiam sententia Hieronymi Zanchii, dicentis: *Quisque se contineat intra metas verbi divini, nullamque aliam doctrinam sibi sequendam proponat quam verbum Dei in Sacris literis expressum; hoc est, non aliter loquatur quam loquitur Verbum Dei, nec tradat alia dogmata, quam quæ aperte traduntur in Sacris literis; sed loquamur omnes & VERBA & RES Sacrarum literarum.* Item: *Consensus nobis sit cum Apostolis, non solum in doctrina, sed etiam* IN SERMONE ET FORMA DICENDI. In Orat. post Epistolas. Ad quæ Maresius respondet; *Quos hic jactat pios & eruditos viros, non alii sunt quam impurissimi Sociniani.* Verum dum tu Socinianos deprimere vis, & ostendere, eos ab omnibus piis pro impurissimis hæreticis esse habendos, laudem eis tribuis, qua nescio an major in fidei negotio cogitari possit: nempe ipsos adeo religiose Sacris Literis adhærere, ut omnis vox & locutio quæ ibi non reperiatur, illis sit suspecta. Hæccine est tibi nota impuritatis in fide? Ex opposito igitur pro purissimis Orthodoxis censere eos debes, qui quam longissime, à stylo Scriptorum Θεοπνεύστων, tractando de religione recedunt: & cum Petrus moneat, ut *si quis loquitur*, loquatur *ut eloquia Dei*, 1 *Epist.* IV. 11. ille contra tibi maxime orthodoxe loqui videbitur, qui Dei eloquiis humana præfert. Sane si ita apud te differant Hæreticus & Orthodoxus, ne mirare me hæresin, Orthodoxia quam finxisti relicta, amplecti malle. Longe enim tutius esse existimo Sermonem Dei, quam sermonem hominum, ubi de fide agitur, usurpare. Sic immensum erit inter hodiernos Hæreticos, & veteres, cum quibus Patres disputarunt, discrimen. Nam Tertullianus Hæreticos sui temporis, vocat *lucifugas Scripturarum*, de Resurrect. carnis, cap. 47. Et Irenæus

næus de illis dicit, *Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, & quia varie sint dicta, & quia non possit ex his inveniri veritas ab iis qui nesciant traditionem*, lib. III. cap. 2. A quibus longe non abes, cum Hæreticos convinci posse negas solis Scripturæ verbis, & auxilium peti vis à vocibus quas traditio Ecclesiastica invexit.

XII. Sed turpiter hallucinaris, cum dicis alios non esse præter Socinianos, qui Dei eloquia, hominum eloquiis anteponunt. Nam præter Hieronymum Zanchium, quem modo citavi, pluribus aliis idem placuit. Inter alios Jacobo Acontio, celebri Jurisconsulto & Theologo; qui diem suum obiit antequam nomen Fausti Socini Europæ innotesceret. Is lib. I. Stratagematum Satanæ, sic loquitur; *Fieri etiam potest ut cum videaris tibi sententiam, quæ pro vera tenenda sit, verbis posse significantioribus, apertioribusque exprimere, quam fuerit divinis literis expressa; ac melius cavillandi ansam tollere (nunquam enim non vult humanum ingenium Deo cautius sapientiusque esse) ejusmodi utare aut verbis, aut loquendi formis, ut inde aliquando alia minus vera piaque colligi possit sententia.* Nihil, Maresi, elegantius dici poterat ad reprimendam tuam *αὐθάδειαν*, & pudorem tibi incutere debet, quod supra Deum ipsum eminere Sapientia velis. Nam si vere & ex animo credis, Scripturam veteris & Novi Testamenti esse à Deo inspiratam, potesne dubitare, quin illius expressiones longe sapientiores & cautiores sint omnibus illis quæ ab hominibus pro sua animali prudentia excogitatæ fuerunt? Præterea vir iste eximius, ostendere volens quantopere res hæc ipsi esset cordi, concinnavit breve Symbolum fidei, ex meris Scripturæ verbis, in quo omnia complexus est quæ judicabat ad salutem creditu, speratu, & factu esse necessaria, ut lib. VII. ejusdem operis videre licet.

XIII. Adjungam ei alium, præstantissimum etiam Theologum, Georgium Calixtum, qui in *Iudicio* de controversiis Theologicis, quæ inter Lutheranos & Reformatos agitantur, sic thes. IX. & X. loquitur: *Tandem id quoque monemus, si de dogmate aliquo, prout communibus, vel vulgo notis atque usurpatis verbis proponitur & explicatur, conveniat, etiamsi circa ejusdem propositionem terminis Scholasticis factam, discrepantia fuerit, non tamen fore, quare de ipso fundamento dissidium esse existimetur. Certe quemadmodum dogma populo proponi, & à populo credi oportet, ita & est consensus, atque eatenus idipsum omnibus ad salutem sufficit. Terminos disciplinarum & scholæ adhibere & applicare, non est nisi eruditorum. Quos si alii aliter accipiant & accommodent, non propterea turbari debet Ecclesia, & abrumpi unio & concordia fidelium. Facile autem est hodie terminos, quos diximus, diversimode intelligi, rebusque ipsis aptari: cum aliquamdiu Philosophia & disciplinæ diversimode fuerint traditæ, & nova illa atque prava Ramæa institutio veteres terminos partim aboleverit, partim aliter ac olim accepti fuerunt, intelligere docuerit. Hinc itaque fit, ut à nonnullis termini quos diximus, vel omnino non intelligantur, vel aliter quam eorum fert sive indoles, sive hactenus apud alios receptus usus, accipiantur. Si dicam, Deus hominum, suo crimine & Diaboli fraude in peccatum & exitium prolapsorum misertus, misit unigenitum suum Filium. Ille pro hominibus homo factus, passus & mortuus, resurgens & ascendens in cælos, remissionem peccatorum & æternam vitam eis promeruit. Hoc suum suique Filii tantum beneficium Deus per prædicationem Evangelii hominibus facit annunciari & exponi. Qui se peccatores agnoscunt, & dolent, Evangelio assentiuntur, in Filium credunt, & in ejus merito ac morte confidunt, illi Deo reconciliantur, remissionem peccatorum consequuntur, ex statu iræ & damnationis, in statum gloriæ & salutis transferuntur, in eo permansuri, & æternæ gloriæ certo futuri participes, si ex quo crediderunt & reconciliati Deo sunt, observationi mandatorum divinorum operam dederint, secundum carnem non vixerint, & præeunte ac cooperante ope divina à peccatis contra conscientiam committendis sibi caverint. Sic in præsenti vita justificabitur homo, & in futura glorificabitur. Si ad hunc, inquam, modum, verbis ex communi loquendi usu desumptis, & à quovis intelligi facilibus, utamur, non poterit de dogmate inter pios & mansuetos Christianos esse dissensus. Nemo enim quidquam istorum ita propositorum, nisi quis forte tetra & malitiosa contendendi & cavillandi prurigine laboret, in dubium vocabit. At, si dicam, hoc est causa efficiens principalis; hoc à principali proxima; hoc instrumentalis à parte Dei, hoc à parte hominis, hoc non nisi dispositio; hoc ipsa causa formalis, hoc materialis; hoc necessarium per se, hoc ex hypothesi: si, inquam, ita loqui cœperim, tum facile contigerit, vel me à nonnullis male, vel plane non intelligi, vel aliter intelligi quam ipse velim; atque adeo controversiam moveri de usu & applicatione ejusmodi terminorum, quæ tamen non nisi Scholastica fuerit; nec si de dogmate popularibus verbis exposito convenerint, tanti facienda, ut propter eam vinculum Christianæ charitatis & concordiæ abrumpatur.* Hic quidem Calixtus non requirit expresse, ut solæ Sacrarum Literarum voces & loquendi formulæ in explicatione dogmatum fidei adhibeantur. Nec enim Scripturæ meminit; metuens, ut videtur, adversarios, qui omnia ipsius dicta carpebant. Sed tamen non obscure mentem suam aperit, cum vult ut doctrina Christiana *verbis vulgo notis, & ex communi loquendi usu desumptis, & à quovis intelligi facilibus*, proponatur & explicetur. Talis enim est Scripturæ sermo; nempe vulgaris, & constans ex vocibus communiter receptis & usitatis: cum termini Scholastici, quos Calixtus cupit vitari, populo sint incogniti, & ab iis solum intelligantur qui Philosophiæ operam dederunt.

XIV. Tertius accedet testis Henricus Nicolai, ante aliquot annos Professor Dantisci, & postea Elbingæ: qui in Defensione Irenici, parte III. Thes. I. inquit; *Alii carpunt quod terminos Scholarum tricosos & noxios dixerim, & Scri-*

ptura verba præferam. Sed hoc alii ante me dixerunt, Lutherus, Philippus, Meldenius, Meyfartus, Mentzerus, Meisnerus, &c. *Hilarius negat alium de Deo quam Dei sermonem nobis relictum esse,* VII. *de Trinitat. cætera omnia arcta, confusa & impedita esse. Termini quidem liberi esse possunt: Sed fide ipsa posteriores sunt, & fides prior illis fuit: Verum quia sæpe tricosi, & disputationibus ac rixis campos aperiunt, satius ad ipsos Israëlis fontes properare,* &c. *Necessitas cum adversariis* (agendi) *eos quandoque introduxit: quorsum adhiberi possunt, ut & ipse adhibeo; etsi verba ipsius Spiritus Sancti prafero. Et terminorum ipsorum magna est differentia, cum alii significationem in divinis rebus retineant, ut substantia; alii mutent, ut fides, filius naturalis; alii partim retineant, partim mutent, ut gignere; ut diversimode de illis judicandum sit,* &c. *Tricas multos terminos invexisse, ipsa Scholasticorum Disputationes abunde docent,* &c. *Ac de terminis id dicitur, ut à Scholasticis usurpati sunt, varie & incerto, intricate, barbare, improprie, luxuriose, licentiose; unde ingens abusus & noxa promanavit. Si ad distinguendum nos ab adversariis terminos necessarios dicas, melius ex tota & accurata Scriptura collatione distinctio illa adornabitur, quomodo Apostoli suis temporibus, Orthodoxiam ab Haresi secreverunt, quam terminis, in quibus valde variant Philosophi, & quos ne millesimus assequitur, in quibus difficulter verum formale attenditur, & quibus sæpe magis intricatur veritas, quam explicatur, & prisca illa fidei simplicitas corrumpitur,* &c. Item in *Methodo Trinitatis* thes. 8. *Mysteria fidei sufficienter quantum ad fidem verbis Scriptura contineri, illisque pro fide proponi, deduci, & confirmari posse; utcunque termini rationis humanæ, Philosophiæ, Patrum, Ecclesiæ, Traditionum, similes non adhibeantur aut intelligantur. Mysteria enim fuerunt, antequam tales termini inventi, exculti, adhibiti, aut usu recepti fuerunt, rebus ipsis posteriores, contra adversarios & Hæreticos introducti & usurpati, ad melius explicandum, defendendum, distinguendum; sæpe tricosi, incerti, & varii sensus sunt, & rem ipsam non constituunt,* &c. Thes. 9. *Qui circa terminum aliquem hæreat aut dubitet, an & quomodo in mysteriis adhibendus, non statim mysterium negare censeri debet, si rem verbis Scriptura proponat, illisque credat.*

XV. Sed quid privata & exotica testimonia enumero, cum publica & domestica affatim suppetant? Eruntne tibi, Maresi, impurissimi Sociniani, Pastores Ecclesiæ Jacobinæ Ultrajecti, & Ecclesiarum plurimarum suburbicariarum; qui Veteris & Novi Testamenti Concionatores ideo dicti fuerunt, quod à primis usque Reformationis temporibus, ullis se humanis scriptis subjicere perniciosum judicarint? Vis scire quæ eorum mens & sententia, non tantum de Confessionibus & Catechismis, sed etiam de vocibus ab hominibus inventis, fuerit; si ignoràs, dicam. A Provinciæ Ordinibus sententiam rogati, consentientibus suffragiis omnes unanimiter in Synodo anno 1611 habita, ita censuerunt atque responderunt: *Dat in Godes Gemeynte geen andere stemme gelden sal, als Godts Stemme, geen ander woordt, als Godts Woordt, uytgedruckt niet in deses ofte dies Conciliums Decreten of Schriften, dit of dat Kerckelijck Geschrift, deses of dies Doctoors of Leeraers Schriften of seggen; Maer in de Schriften der Propheten ende Apostelen, vervattet in de boecken des Ouden ende Nieuwen Testaments, als die genoeghsaem zijn om ons wijs te maecken ter saligheyt, ende volmaecktelijck tot alle goede wercken te onderwijsen. Ten anderen, dat men dit alsoo houden sal, niet alleen soo veel aengaet den sin Godes, in de selve Prophetische en Apostolische Schriften uytgedruckt, maer oock soo veel belanght de* WOORDEN *daer mede de selve sin uytgedruckt wordt. Daerom oock de Predikanten haer sullen bevlijtigen de wetenschap der Godlijcker dingen uyt te spreecken, niet met redenen die de menschelijcke wijsheyt leert, maer die de H. Geest leert, voegende geestelijcke dingen tot geestelijcke, houdende 't patroon der gesonde woorden, die sy van de Apostelen geleert hebben, in den Geloove ende Liefde die in Christo Jesu is, haer wachtende van woorden-strijdt, die nergens toe nut en is, dan om de toehoorders te verkeeren.* Geregistreert in haer Ed. Mog. Register onder date den 28 Februarii, 1611. id est, *Nulla alia vox in Dei Ecclesia audietur, præter Dei Vocem, nec ullum aliud verbum, præter Dei Verbum, expressum, non in Decretis hujus aut illius Concilii, non in Ecclesiasticis scriptis aut sermonibus, hujus aut illius Doctoris aut Concionatoris; Sed in scriptis Prophetarum & Apostolorum, quæ continentur in libris Veteris & Novi Testamenti; sufficiunt enim ut nos sapientes reddant ad salutem, & perfecte, ad omne bonum opus, erudiant. Deinde hoc ita à nobis statuitur, non tantum quod ad sensum Dei, in illis ipsis Propheticis & Apostolicis Scriptis expressum, sed etiam quod ad* VERBA *attinet, quibus idem sensus exprimitur. Idcirco in id incumbent Concionatores, ut scientiam rerum divinarum sermonibus, non quos humana sapientia, sed quos S. Spiritus docet, eloquantur; spiritualia spiritualibus jungentes; servantes exemplar sanorum verborum quæ ab Apostolis didicerunt, in fide & charitate quæ in Iesu Christo est. Caventes sibi à logomachiis seu verborum pugnis, quæ nulli alii rei inserviunt, nisi ut auditores pervertant.* Ex Registris Ordinum Provinciæ Ultrajectinæ, 28 Februarii, Anno 1611. Quibus plane gemina legere est in *Politia Ecclesiastica*, eorundem Ordinum Ultrajectinorum auctoritate sancita, & anno sequenti ibi in lucem emissa, cap. De officio Ministrorum Verbi, art. 3.

XVI. Recentioribus istis Ecclesiæ Doctoribus multos ex antiquis adjungere possem. Tales sunt omnes illi Catholici qui vocem ὁμοούσιος rejecerunt, quia non extat in Scriptura: de quibus infra suo loco. Unum nunc sufficiet commemorare, Basilium Magnum, qui voces ἀγράφους usurpare veritus est, etsi eundem cum Scriptis sensum tenerent. Cujus rei testis est Tractatus de Fide, ubi dicit: *Hoc tempore communi omnium vestrûm proposito, simul ac meo, arbitratus sum convenire, si impositum mihi à vestra, quæ est in Christo,*

Christo, charitate, negotium conficerem, cum ea, quæ sanæ fidei congrueret simplicitate, eaque dicerem quæ à Sanctis Literis accepissem. Etsi in his quidem & nominibus & verbis usurpandis parcus essem, quæ ut voce ipsa cum divinis Literis non convenirent; eundem tamen qui in ea haberetur sensum tenerent. Quæ vero ejus generis essent, ut præter vocis novitatem, sensum etiam nobis novum atque insitatum afferrent, & apud Sanctos Viros, hæc omnia veluti peregrina, atque à pia fide penitus aliena, repudiarem atque aversarer. Postea Symbolum fidei ex meris Scripturæ verbis contexit, ubi ὁμοούσιον desideratur. Etsi ad obviam eundum calumniæ, tandem subjiciat: *Sic sentimus, & sic baptizamus in Trinitatem ὁμοούσιον, consubstantialem,* &c. Ubi cum prudentia, in periculo sibi imminente vitando, simul elucet ejus æquitas & moderatio, quod noluerit aliis imponere necessitatem recipiendæ vocis, à qua multos abhorrere sciebat.

XVII. His addi possunt duo Concilia Generalia, nempe Sardicense, in Illyria, A. C. 347. & Sirmiense in Pannonia, A. C. 356. celebratum; quorum illud Arianos, hoc Photinum damnavit; & vocem ὁμοουσίου in suis Symbolis omiserunt. Cujus rei rationem posterius his verbis reddit: *Et quoniam de hac voce, quæ à Latinis Substantia, à Græcis οὐσία dicitur, à multis graviter certatum est, hoc est ut accuratius intelligatur id quod ὁμοούσιον dicitur, aut ὁμοιούσιον, Consubstantiale; à nemine deinceps de illis mentionem faciendam esse, neque explicationem in Ecclesia instituendam; idque hac de causa, quod de iis in Sacris Literis nihil scriptum extat, quodque humanam intelligentiam mentemque longe superant; & quod generationem Filii nemo potest explanare, sicut in Sacris Literis proditum est,* Generationem ejus quis enarrabit? *Nam constat Patrem solum scire, quomodo genuerit Filium: & rursus Filium solum scire, quomodo à Patre genitus sit.* Socrat. Hist. Eccles. lib. 2. cap. 25. Hilarius de Synodis; ubi utrumque Symbolum recitat, & pro Orthodoxo amplectitur.

XVIII. Cum iis qui novos extra Scripturam terminos excogitarunt ad explicanda Religionis Christianæ dogmata, affinitatem habent qui illam redegerunt in methodum scientiæ, quales sunt Physica, Medicina, Juris-prudentia, & aliæ. Nam quamvis id nolim dicere illicitum aut plane inutile; tamen non potest negari noxium fuisse saltem per accidens, quia occasionem præbuit terminos Logicæ & Metaphysicæ in ejus tractatione adhibendi; unde innumeræ in Ecclesia rixæ sunt ortæ, quæ nunquam videntur finem habituræ, nisi omnes ejusmodi formulæ repudientur, & ad simplicitatem Apostolicam redeatur. Hæc enim est ματαιολογία, *vaniloquentia*; & βέβηλοι κενοφωνίαι, *profanæ verborum futilitates*; & ψευδώνυμος γνῶσις, *falso nominata scientia*; quas Paulus damnat, 1 *Tim.* 1. 6. & VI. 20. Nec male hic applicaveris ejusdem monitum, *Videte ne quis vos deprædetur per Philosophiam & vanam deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum: Coloss.* II. 8. ubi non respexit solum ad falsa & perniciosa dogmata, quæ tunc Philosophiæ nomine venditabantur; sed etiam ad vaniloquentiam illam affectatam, qua aliqui sua commenta exornabant, ut fucum facerent audientibus, & majorem quam Euangelii præcones fidem apud populum invenirent. Sane absque gravi causa non est factum, quod Sanctus iste Apostolus, quamvis in libris Græcorum satis versatus, tam studiose abstinuerit à terminis apud Philosophos receptis, ut nulli inveniantur in ipsius epistolis, sed omnia sua vulgari sermone consignarit. Utinam eum dignarentur imitari Theologi nostri, qui pro doctrinæ suæ fundamento Metaphysicam substernunt, nihilque bene dictum putant, nisi quod ejus subtilitatibus scatet. Quod ad me attinet, aliter plane sum animatus, & pluris semper faciam in Theologia tractanda simplicem stylum Scripturæ, quam pomposas quorumcunque Philosophorum voces & locutiones. Nec à proposito me dimoveri sinam conviciis Maresii, qui istud Socinianum esse pronunciat; ut nemo jam possit cum Paulo & Apostolis loqui, quin statim Hæreticus audiat. Hæccine est Theologia illa reformata, de qua tantopere gloriatur? imo quid magis à primo Reformatorum scopo alienum, qui fuit, omnia ad solius divini verbi normam restituere?

XIX. Quid contra hæc Maresius Antiscripturarius? Opponit primo thes. 5. Dissertationem Athanasii, *adversus eos qui dicunt simpliciter esse Sacrarum Literarum locutiones accipiendas, nec quid illæ significent considerandum.* Sed sciat nihil esse nobis commune cum ejusmodi hominibus, si qui unquam adeo stolidi inventi fuerunt. Ego enim contra existimo, in Scripturæ sensum quam diligentissime fieri potest inquiri à singulis fidelibus, multoque magis à Doctoribus debere: Indignosque esse quibus Deus veritatem suam patefaciat, qui de ea cognoscenda non laborant. Hoc solum dico, voces idoneas non deesse in Scriptura quibus sensum inde erutum aliis aperiamus, ita ut opus non sit novas extra illam comminisci: idque eorum esse tantum qui se Dei Spiritu sapientiores esse præsumunt. Quæ responsio sufficit ad illa diluenda quæ ex eodem Athanasio, & postea ex Ambrosio & Augustino, Thes. 6. & 7. affert; ita ut opus non sit diutius in iis immorari.

XX. Sequitur Thes. 8. *Ridicule vero has voces Trinitatis, Personæ, ὁμοουσίου, componunt isti homines, cum subtilitatum tricis, quibus doctrina salutis præcedentibus seculis fuerat involuta, iisque opponunt simplicitatem Scripturæ. Nam tricæ illæ superiorum seculorum, quibus per Doctores Scholasticos doctrina salutis fuit involuta, de quibus omnes pii & eruditi merito postea questi sunt, & quarum specimen satis prolixum exhibuit Erasmus, annot. in Epist. 1 Tim. cap. 1. non pertinuerunt ad voces ullas,*

quibus dilucidius explicarentur ac proponerentur mysteria salutis, in Scripturis comprehensa ac revelata; sed ad vanas, ineptas, ridiculas, otiosas & odiosas speculationes Philosophicas & Metaphysicas, quarum nec vola, nec vestigium extat in Dei Verbo, vel quoad ad voces, vel quoad ad sensum. Mirum vero nobis dicis, Maresi, corruptionem Religionis in Ecclesia Romana, de qua Protestantes tam graviter conquesti sunt, intra dogmata sola constitisse, sermonem vero non invasisse: quasi illud ordinarie non contingat, ut ad novam doctrinam explicandam, novæ etiam voces & phrases excogitentur. Quid ergo tibi volebas in Syst. Theol. Loc. 3. de Trinit. cum statim ab initio dixisti, *S. Trinitatis mysterium fuisse Scholasticorum tricis implicitum?* Nam quomodo illud implicuerunt, nisi novis suis vocibus, phrasibus, & distinctionibus? Et qua in re, quæso, consistit permixtio Philosophiæ cum Theologia, quæ Scholasticis objicitur, nisi in terminis à Logica & Metaphysica ad Theologiam translatis? Audiatur Cornelii Episcopi Bisontini, (qui Protestantibus in hac materia suspectus esse non debet) testimonium. *Divinæ*, inquit, *Scripturæ olim, proh dolor! quanto omnium damno negligebantur? Vigebat spinosa & molesta nescio qua Theologia, de instantibus, relationibus, quidditatibus, de formalitatibus; itemque hæc omnia syllogismis arte contortis, & humanis duntaxat argutiis, quæ procul dubio qua auctoritate recipiuntur, ea & refelli possunt, tractabantur:* in *cap.* VI. *ad Roman.* Adjunge alterum Barth. Keckermanni: *Idcirco & illi* (Scholastici nempe Doctores) *applausus materiam in Scholis Theologicis captantes, vel homogeneos & domesticos Theologiæ terminos transformabant in Philosophicos; vel terminorum Homonymorum & Analogorum occasione, ex neglectis sanis distinctionibus ac limitationibus restrictionibusque, omnes materias Metaphysicas prope & Physicas cum Theologicis commiscebant, conclusionesque pure Theologicas nitebantur mediis terminis Philosophicis detestanda μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος disputare.* Præcogn. Logic. part. 2. Vis etiam scire quid hic senserit Erasmus, & eum loco à te citato non omnia quæ in Theologia Scholastica desiderat recensuisse? Is tibi dicet in libello de ratione veræ Theologiæ: *At inter nos quot quæstiones extiterunt, quot opiniones, quot Sectæ disputantium? Utrum Christus individuum hominis assumpserit, aut speciem, an tertio quodam modo dicatur Deus & Homo?* &c. Nonne hæc cum dogmatibus simul comprehendunt terminos Philosophicos? Sed hæc, inquis, *non pertinuerunt ad voces ullas, quibus dilucidius explicarentur ac proponerentur mysteria salutis in Scripturis comprehensa & revelata.* Imo pertinuerunt etiam ad voces, etsi non solas; & ad tales voces quibus sibi persuaserunt Doctores hi subtiles, se dilucidius mysteria salutis, quam terminis Scripturæ posse exponere.

XXI. Sed quomodo Maresius illos est ausus perstringere, cum in loco Systematis citato, meram nobis reponat Theologiam Scholasticam de Trinitate, adeo perplexam, intricatam & contradictionibus refertam, ut nihil magis cogitari possit? Quod ut verum esse omnibus liqueat, en specimen inde excerptum, ex quo judicium fieri poterit, an non discipulos suos à limpidis Scripturæ fontibus, ad aquam non continentes Metaphysicæ cisternas, abducat.

Thes. 1. *Augustum S. Trinitatis mysterium, Scholasticorum tricis implicitum, juxta normam verbi divini asseri & explicari debet.*

Thes. 2. *Orthodoxa Doctrina summa est, Unicam esse divinam Naturam & Essentiam communem tribus Personis, per incommunicabiles proprietates inter se distinctis, nempe Patri ingenito, Filio à Patre genito, & Spiritui S. à Patre & Filio ab æterno procedenti; quod* Triadis *sive Trinitatis voce exprimitur; sic tamen ut numerus ille ternarius nullum Accidens ponat in Deo, cum sit numeratus non numerans, & numerus ipse propria species quantitatis Categoricæ dici nequeat.*

Thes. 3. *Sed quo melius hoc mysterium proponi & intelligi queat, præmitti debet nonnullorum terminorum explicatio.* Natura, *sive Essentia est rei* Quidditas. Existentia, *non modus, sed actus rei est. Et cum illa in communi sit duplex, substantialis una, altera accidentalis, ut hæc barbare quidem, sed significative,* Ineitas *dicitur, sic illa pariter* Perseitas *appellatur.*

Thes. 4. *Ut vero Accidentibus sui sunt modi* inessendi, *cum alia insint mediate, alia immediate, substantiis singularibus sui sunt modi* per se existendi. *Quædam enim existunt incomplete & communicabiliter, quædam vero existunt complete & incommunicabiliter, atque ea proprie subsistere dicuntur.*

Thes. 5. *Hinc* Subsistentia *nobis est modus Entitativus ultimo terminans & complens naturam substantialem, & ei dans incommunicabilitatem, per quam negatur rei subsistenti, non solum communicatio* Attributiva, *sed etiam* constitutiva & informans. *Quare ut per se subsistere est cujuslibet naturæ singularis & individuæ, quæ non potest dividi in plura ejusdem nominis & naturæ; ita subsistere demum est naturæ singularis ultimo completæ & incommunicabilis.*

Thes. 6. *Subsistentiæ isti significandæ duo vocabula Latini adhibent*, Suppositum & Persona. *Quamvis enim Suppositum quandoque idem sit quod* Hoc aliquid, *hoc est individuum in genere substantiæ abstracte ab esse completo, vel incompleto, tamen stricte & proprie significat substantiam individuam, completam & subsistentem, cui si accedat* Intelligentia, Persona *dicitur, quæ inde dici solet, suppositum intellectuale.*

Thes. 7. *Hæc igitur sic dicta quasi* per se una, *definitur* substantia individua, intelligens, completa, & per se subsistens, sive incommunicabilis. *Personæ autem sunt in essentia divina si in abstracto loquamur, subsistentiæ quædam distinctæ proprietatibus incommunicabilibus; si in concreto, supposita incommunicabiliter distincta.*

Thes.

Thes. 8. *Neminem vero moveat quod Personas S. Trinitatis Subsistentias esse dicamus in essentia divina: non solum enim hoc dici potest de substantiis in abstracto, sed etiam Personæ in concreto dici possunt esse in natura divina per modum participantium, ac determinantium, sicut natura divina est in Personis per modum communicati & determinati.*

Thes. 9. *Cum autem tres sint Personæ & unica natura vel essentia, unitati Essentiæ & tribus in illa Personis exprimendis commodius nomen non poterat adhiberi quam* Trinitas.

Thes. 10. *Prudentiæ Christianæ fuit talia vocabula huic mysterio explicando adhibere, quibus fides Orthodoxa distinctius proponeretur, & Filii ac Spiritus S. coæterna cum Patre divinitas, ab Hæreticorum eam impugnantium strophis vindicaretur.*

Thes. 11. *Hisce tribus Personis unica numero Essentia communicatur, non tanquam species universalis individuis, aut substantia secunda primis: nec tanquam totum aliquod suis partibus, sed tanquam* Natura *singularis suis suppositis.*

Thes. 12. *Quod sit communicabilis ex eo habet quod est Essentia aut Natura, non suppositum. Sed singularis cum sit, habet ex infinitate sua quod pluribus simul Personis communicetur, citra ullam sui multiplicationem. Nam cum Natura qualibet singularis finita unica subsistentia terminetur, hæc quia infinita, plures potest admittere.*

Thes. 13. *Ex tribus vero Personis, non sunt colligendæ in Deo vel tres substantiæ, vel tres existentiæ.*

Thes. 14. *Personæ ab Essentia non distinguuntur* realiter, *nec etiam* modaliter, *prout Personæ à se invicem distingui debent, sed* ratione ratiocinata, *hoc est ea distinctione, quæ licet non sit ex parte rei, habet tamen aliquod fundamentum in re.*

Thes. 15. *Tum naturæ divinæ convenit communicabilitas, incommunicabilitas Personæ; quæ duo licet abstracte & in actu signato specifice differant, concrete tamen & in actu exercito, faciunt tantum discrimen Rationis. Eadem ergo Essentia opposite ad personam se habet ut communicabile quid, in persona autem, ut communicatum.*

Thes. 16. *Distinguuntur quoque Natura & Persona, ut terminatum & terminans; vel si mavis ut determinatum ac completum, & determinans ac complens.*

Thes. 17. *Denique Natura opposite ad Personas exprimitur in abstracto & præscindit ab illis; sed Persona, sive suppositum, exprimitur in concreto, & connotat essentiam.*

Thes. 18, 19, 20. *Personæ distinguuntur inter se, non essentialiter, nec sola ratione, sed modaliter; prout calidum ut duo, & calidum ut quatuor in eodem subjecto, non tam realiter, id est essentialiter & specifice, quam modaliter, actu tamen & vere, ac etiam nemine cogitante distinguuntur.*

Thes. 21. *Personæ in divinis trifariam distinguuntur. Primo,* Proprietatibus Personalibus; *quia Pater non Essentiæ tantum, sed & Personæ ratione, est à se ipso; Filius à Patre per generationem; Spiritus S. à Patre & Filio per spirationem sive processionem, quia generatio & spiratio est communicatio Essentiæ ad terminum Personalitatis. Nec tamen ideo Filius est minus αὐτόθεος, quod Personam habet à Patre; nam Essentia quæ illi in generatione communicatur per se existit.*

Thes. 22, 23, 24. *Quamvis autem proprietates istæ Personales exprimantur nominibus relativis, illæ tamen relationes, Paternitatis, &c. perperam dicuntur esse Entia realia. Constituuntur sane Personæ in divinis per relationes, consideratas nempe in suo fundamento, quod ratio fundandi aliis dicitur; neutiquam vero si considerentur in esse suo externo, denominativo & respectivo. Relationum harum fundamentum statui debet in operibus Trinitatis* ad intra.

Thes. 25, 26, 27. *Hoc respectu Pater statuitur principium Filii & Spiritus S. non quidem essentiæ & durationis, sed consubstantiale, ordinis & originis. Essentia enim nec generat nec generatur, nec spirat nec spiratur, sed persona. Attamen in generatione & spiratione, ipsamet essentia tota, utpote indivisibilis, communicatur personæ genitæ & procedenti.*

Thes. 28. *Quid vero sit discriminis inter Generationem Filii, & processionem Spiritus S. haud ita facile est definire. Plerique statuunt Generationem Filii per intellectum fieri: Processionem Spiritus per voluntatem. Sed istud si obtineat, tunc intelligere Patris, & velle Patris & Filii, prout sonant generare & spirare, non notabunt actus essentiales, sed notionales, sive personales.*

Thes. 29. *Ii tamen naturales sunt & necessarii, adeoque simpliciter æterni, ac nihilo minus voluntarii voluntate divina, non simpliciter ut libera, sed potius & magis ut naturalis est. Nec tamen sunt eodem modo voluntarii. Spiratio enim est à voluntate, 1. ut principio; 2. ut concomitante: sed Generatio voluntati secundo demum sensu tribui debet, quatenus Pater Filium genuit naturaliter quidem, non libere, libertate indifferentiæ, sed tamen quia non invitus, voluntarie & quadantenus libere; saltem libertate spontaneitatis.*

Thes. 30. *Potentia vero generandi est ab ipsamet essentia divina, (nec aliter quam ratione ab ipsa distincta) non absolute & in sua latitudine considerata, sed quatenus est modificata & restricta ad personam patris. Idem dico de potentia spirandi in Patre & Filio; quia virtus spirativa cum sit ab essentia, est tantum una, prout & ipsi unum sunt.*

Thes. 31. *Distinguuntur secundo Personæ Trinitatis ordine. Hujus ordinis respectu sua ὑπεροχὴ competit Patri, qui sic est primus ut nullum habeat principium, vel originis, vel ordinis; unde etiam ipse dici potest origo & fons totius Deitatis; non absolute, quoad ejus existentiam, sed respective quoad illius communicationem ad intra.*

Thes. 32. *Nec tamen ideo Pater essentiator, cæteri duo essentiati dici debent. Sed neque illa ὑπεροχὴ Patris perfectionem aliquam Entitativam ei tribuit, quæ aliis duobus non conveniat, sed tantum distinctionem relativam & personalem.*

Thes. 33. *Tertio, distinguitur* modo operandi; *Quia Pater à se, Filius à Patre, Spiritus S. ab utroque agit. Ideo mittitur Filius à Patre, Spiritus à Patre &*

Filio. Missio hæc non fit per imperium, vel per consilium, sed fit partim per originem & processionem, partim etiam per œconomiam & sapientem dispensationem.

Thes. 34. *Distinctio hæc spectatur etiam in operibus ad extra. Licet enim opera Trinitatis ad extra sint indivisa inchoative & operative, tamen quoad modum operandi, denominative & appropriative, vel ut alii loquuntur, œconomice & terminative distincta sunt.*

Thes. 35. *Illa porro distinctio Personarum, non tollit essentiæ divinæ unitatem. Tres enim sunt Personæ, quarum unaquæque habet suam unitatem personalem, cum numero distinguantur; sed unus tamen numero Deus, unitate essentiali & naturæ. Et cum Personæ ab Essentia non distinguantur realiter, propter unam Essentiam & tres Personas quaternitas nullo modo statuitur. Natura quoque ipsa præcise sumpta, persona dici nequit, licet singularitatem, existentiam & perseitatem concipiatur habere, cum incommunicabilitatem non habeat. Et quamvis unaquæque persona in concreto dicat essentiam divinam characterisatam, sive cum modo subsistendi, tres tamen personæ non dicunt tres Essentias, sed propter essentiæ infinitatem, & communicabilitatem, unius ejusdemque essentiæ, tres subsistendi modos incommunicabiles.*

Thes. 36, 37, 38, 39. *Quod ergo tres Personæ in divinis non sunt tres Dii, sicut tres homines dicuntur esse Petrus, Joannes, & Jacobus, inde fit quod Personæ in divinis eandem participant numero Essentiam; at in humanis, tres illi essentiam participant eandem specie tantum, non numero. Illorum etiam trium quisque dicitur homo prædicatione directa, qua superius de inferiori prædicatur: sed persona quæque divina Deus dicitur, prædicatione potius identica quam directa, saltem extraordinaria, nec simpliciter ac* Logice *naturali.*

Thes. 40. *Unitas vero trium Personarum in S. Trinitate consistit, 1. in* Consubstantialitate, *quia non sunt diversæ naturæ, nec similis tantum, sed plane ejusdem, non solum specie sed numero; quod voce ὁμοουσίου veteres expressere. 2. In æqualitate* essentiæ, durationis, majestatis, *cæterarumque proprietatem essentialium, nec non honoris & gloriæ. Ordo naturalis Personarum non obstat isti æqualitati, cum ille in relativa distinctione, hæc in Essentiæ numerica identitate, fundetur. 3. In* Circuminsessione, *περιχωρήσει & inexistentia, qua personæ tam arcte unitæ sunt, ut Pater sit in Filio, Filius in Patre; ideo Pater & Filius unum sunt, non consensu tantum, sed natura.*

Thes. 41. *Hoc est itaque illud Trinitatis Mysterium, cujus & confessio & cognitio est absolute ad salutem necessaria; & talis etiam fuit sub veteri Testamento, quamvis nunc longe majori luce nobis affulserit.*

Quid tibi videtur, Christiane lector, de sublimi illo Maresii stylo? an Paulus qui raptus fuit usque ad tertium cælum, in Paradisum, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, eum intellecturus esset? non credo: nisi prius frequentasset scholas Metaphysicorum & illic à discipulis, se præceptore longe sapientioribus factis, explanari audivisset. Saltem scio non valde Gregorio Nazianzeno allubiturum, qui subtilitates Philosophicas, quæ suo tempore religionem corrumpere inceperant, cum plagis Ægyptiacis comparavit. *Alius contra,* inquit, *exiguo ingenio est, & lingua pauper, nec verborum flexus & captiones novit, nec sapientum dicta & ænigmata, nec Pyrrhonis instantias aut assensus retentiones aut oppositiones, nec syllogismorum Chrysippi solutiones, ἢ τῶν Ἀριστοτέλους τεχνῶν τὴν κακοτεχνίαν, ἢ τῆς Πλάτωνος εὐγλωττίας τὰ γοητεύματα, οἱ κακῶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἡμῶν εἰσεφθάρησαν, ὥσπερ Αἰγυπτιακαί τινες μάστιγες, aut pravum Aristotelis artium artificium, aut Platonis facundiæ præstigias, quæ velut Ægyptiacæ quædam plagæ, in Ecclesiam nostram irrepserunt. Oratione 26. De moderatione in disputationibus Theologicis servanda.*

XXII. Maresius pergit: *Sed qui inde collegerit nullis aliis vocibus res sacras posse exprimi, quam quæ αὐτολεξεὶ extent in Scriptura, ubi ipsamet venit vel explicanda, vel applicanda suis usibus, maxime ad elucidationem veritatis adversus ejus impugnatores, & ἐλέγχειν errorum ac hæreseon subnascentium, is sane in gravissima incidet ἀποτιμήματα, ac ipsi Deo & Scripturæ manifesto illudet. Resp.* Non disputari, àn res sacræ nullis aliis vocibus possint exprimi, quam quæ totidem literis & syllabis extent in Scriptura; quis enim de eo dubitet? omnino enim assentior dicto Hieronymi, quod Maresius citat; *Non in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Nihil vetat quo minus una eademque Scripturæ sententia pluribus diversisque vocibus exprimatur, modo de illarum æquipollentia cum verbis Scripturæ constet: alioqui non liceret vertere Biblia ex Hebraico aut Græco in alias linguas. Quæritur tantum, an cum multæ voces inveniuntur in Scriptura, ad explicandum ejus mentem sufficientes, licitum sit alias adhuc fingere, & sub prætextu quod inventoribus suis dilucidiores videantur, necessario amplectendas, sub anathematis pœna, obtrudere illis qui nec æquipollentes, nec dilucidiores Scripturæ vocibus esse credunt. Hoc districte nego, & Spiritum Antichristi redolere assero. Nec inde, quicquid dicat Maresius, ullum absurdum, nedum multa gravissima sequuntur.

XXIII. Audiamus tamen quomodo assertionem suam probet. 1. *Sic enim,* inquit thesi 9. *Scriptura fiet inutilis ad convictionem & redargutionem. Non potuerint Apostoli demonstrasse adversus Judæos ex Scripturis Vet. Test. Jesum Mariæ Virginis Josepho desponsatæ Filium, natum Bethlehemi, Nazarethæ educatum, crucifixum sub Pontio Pilato, &c. esse Messiam & Dei Filium; cum talis assertio in nullo Prophetarum totidem verbis legatur.* O professorale acumen, & totius Academiæ applausu dignum! Sed cur non concludit etiam, Sic neminem peccati redargui jure posse; quia Scriptura nullibi totidem verbis dicit, Tu Joannes non occides, tu Petre non furaberis, &c. sed tantum in genere loquitur? Nemo unquam inventus fuit tam bonæ mentis inops, ut voces illas rejiceret, quibus

bus sive Prophetiæ, sive mandata Scripturæ applicantur iis quibus conveniunt. Nam alias nullius usus forent. Non agitur de ejusmodi vocibus; sed de aliis toto genere diversis; quas nonnulli ad Scripturam melius intelligendam non faciunt tantum utiles, sed etiam sub anathematis pœna necessarias; alii contra tenebras intellectui suo offundere conqueruntur. Maresii opinionem hæc objectio potius ferit. Nam si verba & phrases Scripturæ non sufficiunt ad hæreticos erroris convincendos, & opus est alias aptiores & expressiores comminisci, nonne inutilis erit ad convictionem & redargutionem, aut saltem multum aberit quin istud præstare possit?

XXIV. 2. *Non censebitur Deus id etiam scriptum voluisse, quod noverat ex iis quæ scripta sunt per legitimam consequentiam deduci posse.* Istud quoque ἀπροσδιόνυσον. Nemo sanæ mentis rejicit id quod ex Scriptura per legitimam & apertam consequentiam elicitur. Sed multæ consequentiæ pro talibus venditantur, quæ revera non sunt, aut saltem non apparent, & tamdiu nullam ad movendos animos vim habent. Quomodo igitur, inquies, legitimæ consequentiæ ab illegitimis discernentur, cum id quod nonnulli clarum putant, aliis mera obscuritas videatur? Resp. Præjudicia hujus rei plerumque sunt causa; ideoque si decipi nolis, contendere debes ut ea deponas, & te à sola ratione recta dirigi sinas. Id autem rectæ rationi consentaneum est, quod maxima hominum pars, & præcipue ii qui extra litem sunt positi, tale esse judicant. Sed quamdiu de consequentiæ alicujus validitate est dissensus, nemini improbanti obtrudere eam fas est. Sane Maresio & suis non magis licet à me exigere ut suas consequentias recipiam, quam mihi meisque ut nostras admittant. Nemo, quicquid sibi præsumat, habet in alios imperium. In Ecclesia enim Christi omnes sumus æquales, nec ab aliis nutu quam unici Domini & Magistri pendere tenemur. Ut res clarior fit, uno eam aut altero exemplo illustrabo. Angelus Gabriel virgini Mariæ dicit, *Spiritus S. superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit te; ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei, Luc.* I. 35. Dordraceni interpretes id sic exponunt: *Hic non dicitur Christum Dei Filium fore, quia ex Spiritu S. conceptus est; quia sic esset Filius Spiritus S. sed quia conceptio ex Spiritu S. certa demonstratio est, quod æternus Dei Filius veram humanam naturam ex carne & sanguine Mariæ per operationem Spiritus S. in unitatem suæ Personæ assumpsit, Philipp.* II. 7. *Hebr.* II. 14. *quemadmodum Esaias utrumque prædixit, Esa.* VII. 14. Sed contra, Rodolphus Gualterus, Hieronymus Zanchius, Joannes Maldonatus, in Apologia Confessionis Remonstrantium citati, aliique, existimant hic dici Jesum fore Dei Filium, quia ex Spiritu S. conceptus est; & alteram novorum istorum interpretum consequentiam ignorant. Nonne ergo mihi licet consequentiam quam maxime probabilem duco amplecti, & cæteras repudiare? Iidem interpretes annot. in *Joan.* I. I. dicunt, Filium Dei nomine λόγου seu verbi insigniri, hanc etiam ob causam, *quod Pater per ipsum arcanum suum consilium de nostra salute, hominibus tam sub Veteri quam sub Novo Testamento annunciavit, Joan.* I. 18. *Hebr.* I. I. Sed uterque hic locus ostendit tantum Jesum manifestasse Dei voluntatem sub Novo Testamento; & posterior id non obscure negat de Veteri, cum dicit, *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimis diebus hisce locutus est nobis in Filio.* Vellem ergo scire ex Maresio, utrum obligatus sim recipere istam consequentiam quam video textui Scripturæ citato directe esse contrariam, & Belgicorum interpretum auctoritatem privato meo judicio anteferre?

XXV. 3. *Nullus restabit locus scrutinio Scripturarum, nullus ex illis examini & censuræ doctrinarum exoticarum, quæ proponerentur ab hæreticis, in suam perniciem sacras Scripturas contorquentibus, nullus Sacro ministerio in illis explicandis: sed juxta nonnullorum fanaticorum hodiernorum deliria, cessaret omnis sacrarum Concionum usus in Ecclesia, & sufficeret nudi textus lectio ad populum citra ullam applicationem ad quatuor illos usus quos commendat Paulus,* 2 *Tim.* III. *v.* 15. 16. Sed quid ita, Maresi? nullumne enim est scripturæ scrutinium, absque novarum vocum excogitatione, quibus ejus mens explicetur? Nonne licet Scripturam per ipsam Scripturam declarare, quemadmodum olim faciebat Esdras Judæis ex captivitate Babylonica reversis? *Nehem.* VIII. 8. Scripturane est adeo idonearum vocum inops, ut triumphaturæ sint hæreses, nisi ejus indigentiæ à novis doctoribus succurratur? nullusne amplius ministerio sacro esset locus in explicanda scriptura, si omnes è Metaphysica depromptæ voces & distinctiones inde eliminarentur? vah! nescivi antea quantum Religio Christiana Platoni & Aristoteli propter novas earum inventiones deberet! Hinc est forte quod Alcuinus Caroli Magni præceptor, dicit; *Pater Augustinus in libris de Trinitate apprime necessarias esse putavit* (Dialecticæ rationes) *dum profundissimas de sancta Trinitate quæstiones, non nisi Categoriarum subtilitate explanari posse probavit:* De fide S. Trinit. Præfat. ad Carolum imperat. Et ipse Augustinus fatetur se ex libris Platonis didicisse filium unigenitum esse Patri coæternum: Confess. lib. VII. cap. 9. Item lib. VIII. cap. 2. *Ubi autem* (inquit) *commemoravi* (videl. Simpliciano, Ambrosii Mediolanensis patri) *legisse me quosdam Platonicorum, quos Victorinus quondam Rhetor urbis Romæ quem Christianum defunctum esse audieram, in Latinam linguam transtulisset, gratulatus est mihi quod non in aliorum Philosophorum scripta incidissem, plena fallaciarum & deceptionum, secundum elementa hujus mundi: in istis autem omnibus modis insinuari Deum & ejus verbum.* Petavius tamen non veretur dicere Platonem fuisse fontem vel stirpem errorum omnium quibus in dogmate Trinitatis,

non

non hæretici solum ac Christianæ communitatis desertores; sed nonnulli etiam pii sanctique scriptores afflati sunt: Theolog. dogm. Tomo.2. lib. 1. cap. 1. Sed ut ad te redeam, Maresi, ridicule *fanaticis* adscribis, quod secundum eos sufficeret nudi textus sacri lectio ad populum, &c. Fanatici enim sunt, qui verbum Dei scriptum contemnentes, revelationes divinas jactant, & Spiritus S. motus; à quibus nulli longius absunt quam qui unicam Scripturam S. audiri volunt. Qualis est ille quem innuis, auctor libelli, *Ad legem & ad testimonium*; quo Angliæ fanatici nullum acriorem somniorum suorum hostem habent. Sed ejus causam non facio meam: defendat se, si videatur, de injuria qua ipsum affecisti.

XXVI. 4. *Erraverint conditores confessionum & symbolorum etiam vetustissimorum, usurpando voces, quæ αὐτολεξεὶ non extant in scriptura: Cujusmodi sunt in symbolo, quod vulgo Apostolorum dicitur, descensus Christi ad inferos, epitheton Catholica, quo Ecclesia insignitur, & resurrectio Carnis. Frustra Christiani in hæc inquirent, in satisfactionem & meritum Christi, in sacramentorum naturam, numerum & usum.* Resp. Quid ni errare potuerint, cum fuerint homines iisdem quibus nos ignorantiis & infirmitatibus obnoxii? Nolim tamen ipsos damnare in eo quod interdum pro sacrarum literarum terminis, æquipollentes usurparunt. Id enim licitum esse ultro agnosco. Sed illi non possunt excusari à crimine præsumtionis, qui aptiores quam sint Apostolicæ voces se invenisse putarunt; nec tyrannidis, qui eas tanquam necessarias sub anathematis pœna fratribus obtruserunt. Qualis inter alios fuit auctor symboli quod vulgo sub Athanasii nomine circumfertur, etsi ejus non sit. Cui enim bono & intelligenti non displiceat arrogans ista præfatio? *Quicunque vult salvus esse ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem; quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc est*, &c. Merito autem arrogantem dixi, quia sic multas Christianorum myriades, qui ista non intelligunt, ac proinde credere nequeunt, orco damnavit. Symbolum quod Apostolicum vocant, ab Apostolis Christi non fuit compositum, ut hodie plerique doctiores agnoscunt, & Veteres quoque censuerunt; qui ipsum in Canonem librorum Novi Testamenti non retulerunt, ut alias facturi essent, si pro Apostolico scripto habuissent. Nam si libri à singulis Apostolis seorsim scripti, divinæ apud illos erant auctoritatis, quanto magis Symbolum istud esse debuisset, si ex communi omnium consensu in lucem venisset? Potius itaque assentior Erasmo, in Responsione ad Censuras facultatis Theologicæ Parisiensis, & Vossio, libro de tribus Symbolis, qui istud Symbolum existimant Vetus fuisse Ecclesiæ Romanæ, quo usa est ante Concilium Nicænum. Quando autem aut à quibus compositum fuerit incertum est. Tantum dici potest, id ut cæteris antiquius, ita etiam longe purius esse: utpote solis fere Scripturæ verbis constans. Non omni autem defectu carere creditum, vel id solum sufficienter ostendit, quod Veteres diversis temporibus quædam illi addere non dubitarunt. Non enim tale erat ab initio, quale jam habemus; sed finiebatur in his verbis, *Et in Spiritum sanctum*. Reliqua postea sunt addita, ut articulus *de Ecclesia Catholica*, cum populus Christianus in multas sectas esset divisus, quæ singulæ pro vera Christi Ecclesia se venditabant: articulus *de remissione peccatorum*, propter Novatianos, qui nolebant eos in communionem Ecclesiæ recipi, qui se gravi aliquo crimine polluerant: & *de resurrectione carnis*; propter eos qui mortuos quidem resurrecturos fatebantur, sed corporum resurrectionem negabant.

XXVII. Articulus, *Descendit ad Inferos*, non habebatur olim in Ecclesiæ Romanæ Symbolo, neque Orientalium Ecclesiarum, ut testatur Ruffinus; sed desumptus est ex Symbolo Ecclesiæ Aquilegiensis. Et optime cum stylo Scripturæ convenit, ubi שאול Hebræis sepulchrum & statum mortuorum significat; quod utrumque expertus est Dominus Jesus. Sed quia fere cum sepultura coincidit, omitti solet in Symbolis, ubi fit mentio sepulturæ, ut in Constantinopolitano; & addi, ubi omissa est sepultura, ut in Athanasiano. Verumtamen existimo eos qui inseruerunt abstenturos fuisse, si prævidere potuissent quot contentionibus ansam aliquando daturus esset. Ideoque nollent quemquam ad eum adigere, qui forte de ejus veritate dubitaret, dummodo Jesum Christum esse mortuum & sepultum confiteretur.

XXVIII. Possemus etiam facile carere epitheto *Catholicæ*, quod ad vocem Ecclesiæ adjectum est: Ambiguum enim sensum parit, & quidem ejusmodi quem scio Maresium repudiaturum esse. Comprehendit enim hæc vox omnia loca & omnia tempora. Nollet autem confiteri Christum ante ducentos annos Ecclesiam habuisse apud Indos, quo tempore omni Euangelii cognitione destituti erant.

XXIX. *Carnis etiam resurrectio* dicitur ὁμωνύμως, seu æquivoce: vel enim significat homines, qui ex carne olim constabant, resurrecturos; qui sensus est bonus: vel carnem ipsam resurrecturam; quod est falsum, ut ostendit Apostolus cum dicit, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, 1 *Corinth*. xv. 50. Et paulo ante: *surget corpus spirituale*, v.44. Quod tamen erit idem corpus secundum substantiam quod nunc habemus; quia ex eadem materia erit compositum. Itaque præstitisset phrasi Scripturæ insistere, quam vocem *Carnis* usurpare, quæ erroris causa esse potest, atque adeo solet.

XXX. Nec laboraret fides Christiana, aut honori Domini Jesu quicquam derogaretur, etiamsi

etiamsi voces *Satisfactionis & Meriti* nunquam usurparentur in Ecclesia: alioqui Sacri Scriptores peccavissent, qui iis nunquam usi fuerunt. Non quod velim eas repudiare, si in bono sensu, & Scripturæ consentaneo usurpentur. Recte enim secundum Latini sermonis consuetudinem is dicitur alteri satisfacere, qui ejus voluntati morem gerit. Et hoc sensu dubium non est, quin Christus Deo Patri plenissime satisfecerit, cum propter salutem nostram *factus est ei obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, *Philipp.* II. 8. Item cum Dei voluntati morem gessit, secundum id quod ipse profitetur, *Hebr.* x. 9. *Ecce venio ut faciam Deus voluntatem tuam*, &c. *in qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Nihil enim Deus præterea à Christo requisivit, aut requirere potuit. Sed si per satisfactionem intelligas Christum proprie & absque figura omnium nostrorum peccatorum pœnas persolvisse, & Deum id totum quod ipsi debebamus ab illo rigide exegisse, hoc est, ut ignis æterni supplicium apud inferos subiret, dico ejusmodi satisfactionem Scripturæ esse incognitam. 1. Quia justitia Dei non permittebat ei, ut dimissis hominibus nocentibus, quos habebat in sua potestate, Christum puniret, qui plane innocens erat. Respondetur quidem, Christum fuisse hominum sponsorem; sponsoris autem esse satisfacere pro debitoribus qui solvendo non sunt. Sed istud ad rem nihil facit. Sponsores enim tantum habent locum in debitis pecuniariis, sed non in pœnis corporalibus. Et ratio hujus discriminis est, quia pecunia unius ad alterum transire potest; sed non pœna. Cum enim delictum aliquod commissum est, non perinde est quis puniatur, sed oportet ut is ipse qui commisit, puniatur; alias justitiæ non satisfit. Deinde Christus nunquam in Scriptura dicitur fuisse hominum sponsor, sed tantum Testamenti; *Hebr.* VII. 22. Deus autem est, qui testamentum istud fecit. Christus ergo nobis spopondit nomine Dei, se impleturum promissa illo contenta, si mandatis ejus paruerimus; non vero se pro nobis rebellibus pœnas soluturum. 2. Plena debiti alicujus solutio, non potest consistere cum gratuita ejus condonatione. Nam is cui plene solvitur debitum, nihil prorsus de eo remittit; sed qui gratuito condonat, nihil inde recuperat. Scriptura autem passim testatur, Deum nobis gratuito per Christum remittere peccata; ut *Rom.* III. 24. *Ephes.* IV. 32. Ergo Christus id totum Deo non persolvit, quod ipsi secundum justitiæ rigorem peccatorum nomine debebamus. Respondetur, peccatorum remissionem nihilominus respectu nostri esse gratuitam, quia nihil ad eam conferimus. Verum hoc non quæritur; sed tantum, an posita Christi plena satisfactione, Deus nobis gratuito condonare peccata dici queat. Quod negamus. Nihil enim de suo remitteret, sed totum quod ipsi debetur à Christo reciperet. Proinde magis Christo, propter istud beneficium, quam Deo ipsi devincti essemus: quod absurdum est. Nec refert quod Deus nobis Christum Redemtorem dederit. Nam donum istud nulla ei passione constitit, sed Christo magna, qui nos crudeli & ignominiosa crucis morte, à perditione æterna liberavit. 3. Propter peccatum meriti eramus damnationem æternam apud inferos: Christus autem eam non subiit, qui postquam aliquot horas in cruce pependisset animam exhalavit, & tertia die gloriose suscitatus est ex mortuis: Ergo totum id quod meriti eramus Deo non persolvit. Dicunt Christi passionem & mortem, quamvis exiguæ durationis, æquipolluisse omnium hominum cruciatibus æternis, propter personæ cui contigerunt dignitatem, quæ Deus est. Sed æquipollentia ista probanda erat expresso aliquo Scripturæ testimonio, cum ratio doceat nullam esse proportionem inter duos aut tres dies, & æternitatem, neque inter unius hominis, & innumerarum myriadum passionem; nec eam potuerit afferre divina Christi natura, in qua ipsum nihil esse passum constat. Christus ergo non salvavit nos, ferendo pœnas quas Deus à nobis jure exigere poterat, sed virtute sacrificii sui corporis, quod mactatum in cruce, redivivus obtulit Deo in sanctuario cælesti. Nam charitas ejus erga nos, & obedientia erga Deum, quæ in eo eluxerunt, tam suavis coram Deo fuerunt odoris, ut propterea nobis omnia peccata, dummodo vere in eum credamus, & vitam ex ejus præscripto instituamus, condonare placuerit.

XXXI. Meritum etiam potest tribui Christo, si per istam vocem nihil aliud intelligatur nisi bonum opus, cui Deus amplam remunerationem promisit. Imo nonnulli considerantes Deum in Scriptura *mercedem* fidelibus polliceri, qua eos etiam dignos pronunciet, non verentur dicere hoc sensu homines peccatores mereri apud Deum bona quæ ex ipsius gratia impetrant. Quanto igitur magis Christus, in quo nulla peccati macula inventa est, & qui perfecta sua obedientia salutem nobis à Patre impetravit? Verumtamen si attendatur ad propriam vocis *merendi* significationem, quæ est beneficio aut ministerio aliquo utili sibi alium ita devincire, ut ad illud remunerandum ex rigore justitiæ teneatur, apparebit neminem apud Deum posse quicquam mereri. Nam Deus nullius rei indiget, & omnis noster cultus, etiam exquisitissimus, ne minimam quidem ei affert utilitatem. Quantumcunque ergo perfecta fuerit obedientia, quam Christus Deo Patri in obeunda morte exhibuit, nihil tamen apud eum, proprie loquendo, meritus est, quia Deus ea opus non habebat; imo nemo auderet dicere, Christum de Deo bene esse meritum, quia hæc phrasis nimis aperte ostendit, quænam sit propria vocis merendi significatio, & evidens est nihil cogitari posse unde Deus emolumentum percipiat. Itaque non est

cur de voce meriti retinenda tantopere soliciti simus, quasi absque illa de Religione actum foret; cum vox *Obedientiæ*, qua utuntur Sacri Scriptores, longe sit aptior, & in perversum sensum trahi nequeat.

XXXII. Denique vox *Sacramenti*, quæ prudentia quadam humana sacris Baptismi & Cœnæ Dominicæ ritibus applicata fuit, tam est impropria, ut mirer, quid in mentem venerit Doctoribus qui illam primum eo traxerunt. Significat enim 1. Juramentum quodvis, sed præcipue militare. 2. Militiam. 3. Militem. 4. Pecuniam à partibus litigantibus apud Pontificem depositam. 5. Idem quod μυστήριον Græcis, hoc est arcanum ad Sacra pertinens, & profanis non vulgandum. Sed quid Baptismus & Cœna Dominica cum hisce rebus commune habent, ut eodem nomine insigniantur? Præterea quamvis non esset inepta, tot rixis & altercationibus inter Christianos materiam præbuit, ut merito nunc foret repudianda. Nam ejus occasione disputari cœptum est; Primo, de natura Sacramentorum, utrum ea tantum sint signa ac sigilla fœderis divini; an vero etiam organa gratiam salutarem conferentia? Secundo, an conferant gratiam ex opere operato, seu absque ullo bono motu ac dispositione recipientis, an nihil prosint absque fide? Tertio, an quædam Sacramenta sint absolute necessaria ad salutem, ut Baptismus omnibus, cujusvis ætatis, pœnitentia adultis; quædam vero non adeo necessaria? Quarto, an quædam oporteat administrari à solis Ecclesiæ Pastoribus, ut Confirmationem, Pœnitentiam, Ordines; alia vero conferri possint à privatis, & à mulieribus, ut Baptismus. Quinto, an requiratur pietas & fides in administrante? an vero sufficiat intentio faciendi id quod Ecclesia facit, & sine hac intentione irritum atque inutile sit omne Sacramentum. Sexto, an forma Sacramentorum consistat in præcisa quadam verborum formula, qua necessario utendum sit in administrandis; an vero aliqua alia in re? Septimo, quænam sit differentia inter Sacramenta Veteris & Novi Testamenti: an illa tantum adumbrarint gratiam salutarem, hæc vero præterea eam conferant? Octavo, An septem præcise sint Novi Testamenti Sacramenta, non plura, nec pauciora? Nono, an quædam Sacramenta, ut Baptismus, Confirmatio, Ordo, imprimant quendam characterem indelebilem, propter quem ea iterari sit nefas. Et alia ejusmodi infinita, quæ de singulis in specie magno cum fervore inter Christianos agitantur. Adeo ut Sacramenti vox infausto admodum sidere in Ecclesiam sit introducta, atque (si quod factum est, infectum reddi posset) optandum eam nunquam illic auditam fuisse.

XXXIII. Addideram in Præfatione: Non esse necessarium (nempe aliis vocibus uti ad explicanda fidei dogmata, quam quæ in Scriptura inveniuntur) concedere debere Protestantes, qui omnia ad salutem scitu, creditu & factu necessaria in Scriptura Sacra contineri, & adeo perspicue explicari sentiunt, ut à quolibet ipsam attente & in timore Dei legente possint percipi. Si enim ita se res habet, nec dogmata, nec voces ad ea explicanda extra Scripturam opus esse fingere; multoque minus licere ejusmodi dogmatibus & vocibus tanquam necessariis alios sub anathematis pœna alligare. Quod serio perpendere optabam eos qui sine hujusmodi terminorum usu fidei puritatem in periculo versari existimant: non attendentes se principio de sufficientia & perspicuitate Sacrarum literarum, recte à se posito, cum id urgent, renunciare. Ad quæ Maresius Thes. 11. respondet. *Verum est quod miremur affingere Protestantibus eam sententiam de Sufficientia & Perspicuitate Scripturarum, ex qua sequatur nihil credendum aut dicendum in rebus ad fidem spectantibus, quod αὐτολεξεὶ & totidem apicibus in Sacro textu non legatur. Toti enim orbi notum est Protestantes semper questos fuisse de calumniosa hac suæ sententiæ interpretatione, ex qua Gontherius Jesuita, Vero ex Jesuita, Walenburgii fratres Dioscuri, Milleterius Apostata, & similes Missionarii rabulæ, Confessiones publicas Ecclesiarum, quæ justam secessionem fecerunt à sede Romana, uno impetu eversas pertendunt, quod totidem verbis, quibus conscriptæ sunt, non legantur, nec ostendantur in Scripturis.* Sed ludis in re seria Maresi. Nunquam Protestantibus eam tribui mentem quam tu hic somnias. Egi tantum de vocibus quæ aptiores iis, quas Scriptura usurpat esse putantur, & quibus necessario nisi hæreticus haberi velis, utendum præscribitur. Quod dico non posse fieri absque Scripturæ injuria, & quin multum sufficientiæ & perspicuitati ejus derogetur. Qua in re mihi omnes genuinos Protestantes, qui Scripturam ut oportet magni faciunt, adstipulaturos confido; etiamsi tu spurius & degener illorum alumnus contradicas. Itaque nihil ad rem facit, quod de Gonterio & Verone affers, quorum Sophisticam, ut legitimæ disputandi methodo adversam, plane repudio. Etsi fatendum sit, quosdam istius generis homines non parum negotii Protestantibus facessere, cum urgent eos ut Confessiones suas, quibus se nimium serviliter alligarunt, verbis æquipollentibus, aut saltem evidentibus consequentiis ex Scriptura probent. Quod in quibusdam facere non posse compertum est. Ex. gr. hæc Artic. XI. Confess. Gallicæ periodus, (quam sæpe eis in Gallia objici audivi,) *Affirmamus quoque hoc vitium*, (nempe originale) *etiam post Baptismum esse vere peccatum, quod ad culpam attinet, quamvis qui filii Dei sunt, minime idcirco condemnentur, quoniam videlicet Deus pro gratuita sua bonitate & misericordia illud ipsis non imputat.* Hic se Maresius virum præstet, & ostendat necessaria, & simul facili aliqua consequentia, tria ista; 1. Peccatum Originis esse vere peccatum. 2. etiam post Baptismum. 3. *quod ad culpam attinet, quamvis qui filii Dei sunt*, &c. Credo eum valde sudaturum, antequam se inde expe-

expediat, & confessionem suam ex Scriptura deductam esse probet.

XXXIV. Thesi 12. Maresius distinguit inter necessaria ad salutem; & dicit, *alia* quidem *esse necessaria absolute & κατασκευαστικῶς, quæ solis Scripturæ verbis exprimi possunt: alia vero esse necessaria κατά τι per respectum ad rejectionem errorum prioribus oppositorum, & ἀνασκευαστικῶς, in quibus exprimendis plerumque alii termini quam qui extant in Scripturis sunt adhibendi, &c.* Ego vero hactenus credideram Paulo asserenti Scripturam θεόπνευστον, utilem esse πρὸς ἔλεγχον *ad redargutionem*, *2 Tim.* III. v. 16. Sed istud Antiscripturario nostro non placet, qui vult alios terminos adhiberi in ἀνασκευῇ seu eversione dogmatum erroneorum, quam qui in Scriptura extant. Quo igitur me vertam? Apostolumne Jesu Christi audiam, an potius novitium Professorem Groningensem, sua nobis commenta obtrudentem? Dicetne cum Pontificiis Scripturam esse quidem ὠφέλιμον, seu utilem ad redargutionem errorum, sed non tamen sufficientem? Atqui id quod ad omnia utile est, isto fine ut homo sit Dei perfectus, & sapiens ad salutem, &c. qualis Scriptura hic esse dicitur, oportet etiam ut sit sufficiens, seu alterius ope ad producendum suum effectum non indigeat.

XXXV. Forte ergo prævidens istud regeri sibi posse, addit Thesi 13. *Tum etiam quæ Protestantes docent de Sufficientia Scripturarum, dogmata solum spectant, non vero voces quibus illa exprimi, explicari, illustrari, vindicari commodissime possint.* Resp. Istud cum aliqua specie diceretur, si verbum Dei cordibus tantum, absque ullo sermone externo esset revelatum. Tunc enim Deus reliquisset arbitrio nostro id vocibus, quæ commodissimæ viderentur, exprimere. Sed cum id scripto consignari voluerit; & secretarios suos tanta sapientiæ mensura donarit, ad mentem suam bene nobis declarandum, quantam nullus mortalium hodie sibi auderet arrogare, inepte dicitur Scripturarum sufficientiam spectare solum dogmata, non vero voces. Nec hæc fuit unquam eruditorum Protestantium mens quam Antiscripturarius eis affingit. Et certe si constaret Scripturam quod ad dogmata tantum esse sufficientem, non vero quod ad voces, sine quibus exprimi nequeunt, magnus apertus foret campus iis qui religionem vellent corrumpere. Sub prætextu enim fingendi voces magis idoneas, quam sunt eæ quibus Scriptura utitur, facile esset viam ad novas & peregrinas opiniones introducendas paulatim sternere. Quod etiam re ipsa accidisse, historia præcedentium Ecclesiæ temporum docet. Voces enim de quibus conquerimur non sunt solæ in Theologiam ingressæ, sed ad incrustandum prava & absurda dogmata adhibitæ fuerunt.

XXXVI. Consultum etiam duxeram ire obviam objectioni, quæ vulgo fieri solet ad illarum vocum usum retinendum. *Sed*, inquiunt, *necesse est illis uti, ad detegendos hæreticos, qui sub Scripturæ verbis se occultant, & interim verum illius sensum corrumpunt & abnegant.* Quibus respondeo, 1. Nullum à nobis pro hæretico esse habendum, qui se religiose illa quæ claris verbis in Scriptura docentur amplecti profitetur, etiamsi in obscurorum aliquot locorum intelligentia nobis hallucinari videatur. Eo ipso enim quod omnia illa quæ clara sunt credit, jam in via salutis est, nec propterea quod in obscurioribus nonnullis forte erret, ideo statim hæreticus est pronunciandus. 2. Voces istas à Conciliis & Doctoribus Ecclesiasticis excogitatas, non posse absque Spiritus Sancti ignominia commodiores existimari ad hæreticos convincendos, aut ex suis latebris protrahendos, iis quæ apud Sacros quos inspiravit Scriptores inveniuntur. Id quod adhuc clarius apparebit, cum alterum assertionis meæ membrum probavero, videlicet utile non esse illas adhibere.

XXXVII. Contra vero Maresius pertendit necessarium fuisse, Thesi 15. inquiens: *Declarandum fuit, quomodo numinis summi summæ unitati non obsit Filii & Spiritus Sancti æterna divinitas, cum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ut ut personaliter distincti, in eadem singularissima essentia & natura conveniant; quo sic Scriptura per Scripturas explicarentur, & os obstrueretur adversariis, & certa loquendi formula symbolica Orthodoxi ab Heterodoxis distinguerentur.* Sed illa necessitas quam prætendis nullius est momenti. Poterat enim aliter & longe commodius responderi iis qui objiciunt Christianis ipsos tres habere Deos, quam per istam novellam distinctionem, Deum esse unum essentia numerica, trinum vero personis, quæ ut à nullo recte intelligi, ita neque credi distincte potest: nimirum dicendo rationem unitatis Dei in eo consistere, quod unus tantum sit Pater & Deus altissimus, qui est fons & origo Deitatis Filii & Spiritus Sancti. Errant enim qui statuunt Filium & Spiritum Sanctum Patri esse per omnia æquales, cum Scriptura eos ubique Patri subordinet, & doceat ipsos quicquid habent divinitatis Patri acceptum ferre, Patrem vero nulli. Hac enim de causa Christus Patrem vocat solum verum Deum, *Joan.* XVII. 3. Vocem *veri* pro summo aut altissimo usurpans: cum alias certum sit omnes eos quibus Deus suum nomen communicat, suo modo veros esse Deos, præcipue vero Filium & Spiritum S. qui supra omnes creaturas longe eminent, soloque Patre sunt inferiores. Maresius clamabit hanc responsionem esse Socinianam: Sed ego pertendo esse Catholicam. Illud enim tantum pro Sociniano habendum est, quod Socinus excogitavit; non quod ex Scriptura depromtum est, & quod antiquis Patribus diu ante Socini tempora probatum fuit, qui Patrem vocare solent ἀρχὴν καὶ αἴτιον, id est, principium & causam Filii & Spiritus Sancti, & totius Deitatis fontem; indeque demonstrant non esse nisi unum Deum. Nam quod ad distinctionem inter unam numero essen-

tiam, & tres personas, ea non est Patrum, ut postea fusius ostendam; sed à Doctoribus Scholasticis demum excogitata est, aut saltem non diu ante eorum tempora obtinere in Ecclesia Romana cœpit. Nec commoditas quam in ea invenit Maresius prohibet, quo minus sit inventum humanum, nullum in Scriptura præsidium habens. Idem enim accidit etiam aliis quæ à subtilibus ingeniis & in disputando exercitatis excogitata sunt. Frustraque sperat per illam adversariis os obstruere, quasi esset caput aliquod Medusæ quod eos in saxa transformaret. Nec pili enim eam facient, quantumvis de ea glorientur alii & quam alte possunt, ut sui schismatis vexillum extollant.

XXXVIII. Longe ergo sincerius facerent, & prout ingenuos disputatores decet, si cum Pontificiis faterentur istam distinctionem ex Scriptura non posse probari, sed tantum ex traditione. Decreta enim Conciliorum, & symbola quibus nituntur, nihil aliud sunt revera quam Traditio Ecclesiastica. Quod si hanc recipiant Reformati, cur non etiam alias, & sic ad Papismum, cujus ipsissimum retinent fundamentum, revertuntur? Pontificios autem ita sentire, plurimis testimoniis, si opus foret, docere possem. Duo tantum aut tria insigniora afferam. Primum erit Melchioris Cani, qui in Locis Theologicis, lib. III. cap. 3. fundam. 2. sic loquitur; *Non omnia quæ ad doctrinam Christianam pertinent esse etiamnum in Sacris literis expressa. Nam perpetuam Beatæ Mariæ Virginitatem, descensum Christi ad inferos, Baptismum parvulorum, conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, processionem Spiritus Sancti ex Filio, trium personarum in una substantia æqualitatem, earundemque per relativas proprietates distinctionem, non ita expressa in libris Canonicis invenies: sed adeo tamen certa in fide sunt, ut contrariorum dogmatum authores Ecclesia hæreticos judicarit.* Alterum erit Alphonsi Salmeronis, qui Tom. 13. lib. 1. disputat. in epist. Pauli, disput. 8. inter traditiones recenset, *Tres personas esse in una substantia divina, duas naturas in una hypostasi Christi: Pater ingenitus, Filius unigenitus, & Patri consubstantialis, Spiritus S. ab utroque procedens.* Tertium Martini Becani, qui in Manuali Controversiarum lib. 1. cap. 2. de Traditionibus. N. 16. *Secundum* (nempe quod per Traditionem habetur) Quod Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio. *Hoc quidem constat ex symbolo, in quo dicitur, Qui à Patre Filioque procedit. Sed in scriptura aperte non habetur. Legimus quidem expresse in scriptura, quod procedat à Patre, Joan. XV. 26. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me. Sed non legimus expresse, quod procedat à Filio. Et tamen articulus fidei est, ab utroque procedere. Habemus igitur hoc per traditionem. Tertium, quod hic articulus verus sit: Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus à Patre & Filio, nec factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Qui etiam articulus expresse habetur per traditionem ex symbolo Athanasii; sed in scriptura quoad singulas particulas demonstrari non potest. Et tamen ad salutem necessarius est, ut ait Athanasius in fine symboli: Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

Quibus quartum addam, prolixius quidem illud, sed valde insigne, ex libello Gallico Joannis Salaberti, Presbyteri Agianensis, quem Hæresin domitam inscripsit, Lutetiæ edito, A. C. 1640, cum approbatione duorum Sorbonæ Doctorum. Ubi in parte 2. scribit: *Urgeo adhuc ipsos* (nempe Hugonotos) *& quæro, an sit creditu ad salutem necessarium, tres in adorabili Trinitate personas dari? Certe non sunt adeo impudentes ut id negent. Oportet igitur ut concedant. Atqui in supra dicto Confessionis suæ articulo, protestantur Scripturam S. continere id omne, quod ad Dei cultum & salutem nostram necessarium est. Petitio ergo mea non est incivilis nec injusta, qua rogo eos ut mihi in Scriptura S. ostendant id quod terminis expressis profitentur in sexto suæ confessionis articulo, dicentes: Hæc sancta Scriptura nos docet in illa singulari & simplici essentia divina subsistere tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Si id præstent, & locum afferant irrefragabilem, ubi clare dicatur tres in Deo esse personas, fateri oportebit ipsos bonam fidei regulam habere. Sed si facere nequeant, permitto ut conclusionem, quæ inde sequitur, ipsi eliciant. Credo confidentiores ex ipsis & indoctiores, statim allaturos hunc locum ex 1 Joan. v. 7. (nam ex Veteri Testamento nihil aliud præter umbras adducere poterunt) Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt. Sed dicant mihi quæso, quomodo super eum immotum fidei dogma fundari possit? Nam Servetus & Anabaptistæ asserunt istum locum olim in Archetypo Græco non extitisse, & non diu esse quod ibi insertus fuerit. Nullum potes ex vulgata editione adducere locum, quin vel infimi ex nostris adversariis clament, non ita legitur in Græco. Attamen secundum ipsius Chamieri confessionem, lib. 12. de authent. edit. c. 7. N. 2. 7. hic locus non invenitur in multis exemplaribus Græcis, quamvis testetur in quibusdam legi. Haccine est legitima moneta, quæ Anabaptistæ aut Antitrinitario satisfiat? Dico amplius. Concedamus ipsis hunc locum esse Authenticum; quomodo probabunt illic damnari Sabellianos, qui existimant, Patrem, Filium & Spiritum S. nihil aliud esse nisi tria nomina, & tria officia unius ejusdemque rei? Deum itaque vocari Patrem, quia omnium sit auctor & creator, ex quo omnis Paternitas: quatenus omne quod generat à Deo vim generandi accipit. Vocabitur Filius, quatenus ille idem Deus in tempore naturam humanam suæ personæ univit. Et Spiritus Sanctus, quatenus omnis sanctitatis & virtutis est autor. Frustra ergo adducetur iste locus ex Psalmo. CIX. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te. Iste enim locus de prædestinatione humanitatis exponetur. Id enim, inquiet hæreticus, ista verba satis indicant, in splendoribus sanctorum; & suam expositionem ex hoc loco confirmabit, qui prædestinatus*

stinatus est filius Dei in virtute, Rom. I. 4. Id est hæc humanitas, aut hic homo (sumendo concretum pro abstracto ut sæpe fit etiam in vera Ecclesiæ praxi) prædestinatus est ab æterno ut divinitati uniretur, & peculiari ratione filius Dei vocaretur. Frustra etiam adducetur locus Pauli Hebr. I. 5. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? quod prædictum fuerat Ps. II. 7. Frustra afferetur Luc. I. 31. Et Filius altissimi vocabitur. Frustra omnes alii loci, qui Jesum Christum Dei Filium esse dicunt. Sabellianus enim illud explicabit de homine. Et quid præterea poterit afferri? Si quis voluerit probare Spiritum S. esse personam, ex missione ejus die Pentecostes facta; Sabellianus dicet Spiritum Sanctum dici Apostolis missum fuisse, quatenus Deus isto die magna abundantia gratias extraordinarias communicavit, sanctitatem perfectam, donum miraculorum, prophetiæ, interpretationis Scripturarum, aliorumque Spiritus Sancti operum. Et cum Deus iis perfectionem virtutis est largitus, hoc ipso & non aliter Spiritum Sanctum dedisse. Quod ad locum Joan. XIV. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis; quis credet hunc locum, licet valde expressum, non posse ita detorqueri, Aliam vobis consolationem mittet? accipiendo tropice consolatorem pro consolatione. Vel, mittet alium consolatorem, id est alio modo consolabitur vos, quam per me. Vel, consolabitur vos per spiritum interiorem quem formabit in vobis, qui veritati testimonium reddet: quo Paulus dicebat modo, Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis; per Jesum Christum intelligens Dei gratiam, quæ est veluti similitudo Dei in nobis. Quandoquidem ergo per Jesum Christum intelligitur gratia quæ ex ejus meritis procedit; cur etiam per consolatorem non poterit intelligi admirabile Dei effectum, in cordibus Apostolorum magnum animum ferventemque & constantem in persecutionibus producentis? Sic ergo nequit probari ex scriptura, exclusis Conciliis & Traditionibus, tres in Deo esse personas: cum tamen hoc sit præcipuum mysterium, quod Apostoli & omnes Pastores ex mandato Jesu Christi expresse docere & annunciare tenentur, Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Matth. XXVIII. 19. Et ne adversarii putent hunc locum esse disertum ad Sabellianum aliquem prosternendum, ecce quid cum rationis non parva specie responsurus sit; nempe hanc phrasin, In nomine, idem significare in scriptura, atque, ex mandato expresso; veluti si quis diceret, Fac istud in meo nomine, id est secundum mandatum quod tibi dedi. Sic Act. VIII. v. 16. narratur Samaritanos fuisse baptizatos in nomine Jesu, id est, ab aliquibus discipulis qui potestatem id faciendi à Jesu Christo acceperant. Ita maximum omnium fidei mysteriorum nihil aliud erit nisi problema aut opinio, & non res certa atque indubia; poterimusque id credere & explicare prout libebit; denique nihil in fide nostra firmum erit. Secundum mysterium ad salutem omnino necessarium, est mysterium incarnationis, quod nostri novi advenæ pariter nobiscum credunt. Vide quid de Verbis expressis dicant in sua fidei confessione, artic. XIV. Credimus, inquiunt, Jesum Christum, Sapientiam & Filium æternum Patris, naturam nostram assumpsisse, ita ut una sit persona Deus & homo. Quod recte quidem dictum est. Sed ubi invenient in scriptura unam tantum in Jesu Christo esse personam? Nestorius Archiepiscopus Constantinopolitanus, qui circa annum 430. vivebat, aut quicunque alius cineres hujus Patriarchæ curiosius scrutari vellet; id omne tenderet quod Mestrezatus, aut alius minister Scripturam tantum citans diceret. Nonne enim rationes afferret, quæ Hugonotis invictæ viderentur? Quomodo enim substantia aliqua sine sua subsistentia esse poterit? Cur accidens nequibit esse absque sua inhærentia, & substantia absque subsistentia sua poterit esse? Potestne imaginatione concipi, inquiet Nestorius, substantiam singularem non esse individuum? &, si hæc substantia individua sit rationalis, nonne erit persona? Alioquin quærenda erit alia Personæ definitio, præter Boëthianam, ab omnibus Philosophis receptam. Persona, inquiunt, est rationalis naturæ invidua substantia. Quæro, an non humanitas Jesu Christi sit natura rationalis invidua? Oportet eam necessario esse individuum. Si autem individuum est persona erit. Duæ ergo in Christo erunt personæ, videl. persona verbi, & persona humana. Et contra istud, quo Scripturæ loco pugnabitur? In hunc XIV. Confessionis ipsorum articulum, & in XV, qui adhuc expressior est, magnæ difficultates movebuntur. Nam petentur ab iis argumenta quibus convincantur Eutychiani, dicentes, ante unionem hypostaticam fuisse quidem naturas divinam & humanam inconfusas, seu à se invicem distinctas; sed post unionem, naturam humanam mutatam fuisse in divinam. Et sicut unio elementorum in mixti productione fit per destructionem substantiæ elementorum, quamvis qualitates eorum post mixti formationem remaneant: ita, dicebant Eutychiani, quamvis ante unionem esset naturarum distinctio, post unionem tamen factam esse mutationem, licet aliqua vestigia & qualitates naturæ humanæ in eo remanserint: Quis locus asferetur, qui per istam distinctionem eludi nequeat? Sic Monothelitæ sustinebunt, unam tantum in Christo esse voluntatem: quod est adversus eundem XV. Confessionis Hugonotorum articulum. Et nullum inveniemus locum quo convinci queant, si habeatur tantum ratio literæ quæ occidit, & non spiritus qui vivificat, infallibiliter Ecclesiæ communicati, non particularibus ejus membris, saltem non tanta cum plenitudine.

XXXIX. Maresius Thes. 16. rationes meas propius expensurus dicit, *Primum quod attinet, si ita crude sumatur ut effertur, omnino impium est.* Quid ita? Nullam enim hic vel minimam impietatis labem animadvertere possum. Sed solenne est isti homini, etiam optime dicta, si cum suis hypothesibus non conveniant, ita criminari. Quia, inquit, *non potest is non censeri hæreticus, qui 1. Quod clarum est tale esse negat, & claris tenebras studio offundit, ut sensum suum potius scripturis inferat, quam mentem Spiritus Sancti ex illis referat. 2. Qui eam cudit obscuriorum interpretationem quæ pugnet cum claris, & doctrinam illis traditam evertat. Quorum utrumque in hostibus sacrosanctæ Trinitatis, veteribus & modernis, luculentum est.* Sed hæc sunt impertinentia. Non enim quicunque id quod clarum est, tale esse negat, & eam cudit obscuriorum interpretationem, quæ pugnet cum claris, &c. protinus

est pro hæretico reputandus: sed is demum qui id facit in dogmatibus fundamentalibus, quæ ad Dei gloriam & proximi salutem pertinent: Minutiorum alia est ratio, propter quæ plerique ex sanioribus Theologis fatentur neminem hæreticum vocari debere, quantumvis in illis admodum crasse erret. Præterea qui nullam aliam fidei & morum normam agnoscit præter Sacras literas, (de qualibus solis loquor, non de enthusiastis aut traditionariis, qui omnia necessaria in Scripturis contineri negant) non potest in perniciosum errorem incidere, si omnia illa religiose amplectatur, id est credat & faciat, quæ ibi claris verbis docentur. Nihil enim ignorat aut negligit eorum quæ ad veram pietatem requiruntur; utpote quæ, fatentibus universis Protestantibus, clare & abunde in divinis libris comprehensa sunt. Contradictorium autem est, dicere aliquem esse vere pium, & simul pernicioso errori, sive uni, sive pluribus, adhærere; multoque magis, pertinaciter defendere. Deinde ut specialiter aliquid de duabus ejus assertionibus dicam, 1. *Ille qui claris tenebras studio offundit*, &c. non est pius, nec potest de eo dici ipsum religiose illa quæ claris verbis in Scriptura docentur, amplecti: ut Maresius novit me diserte requisivisse. Sincerene ergo se gerit, cum profanum veritatis osorem, in locum pii & cui nihil adeo est cordi atque veritas divina, substituit? Imo nonne se talem esse prodit, quales alios præpostere & contra meam mentem hic introducit? 2. Quod dicit, eum non posse non censeri hæreticum, qui eam cudit obscuriorum interpretationem, quæ pugnet cum claris, & doctrinam illis traditam evertat, quæritur an possit convenire in aliquem pium, qui religiose illa amplectatur quæ claris verbis in scriptura docentur? Ego diserte nego: ipse vero non potest absque manifesta contradictione affirmare. *Utrumque* tamen inquit, *in hostibus Sacrosanctæ Trinitatis veteribus & modernis luculentum est.* Quos per SS. Trinitatis hostes intelligat, ipse melius quam ego novit. Sed quicunque illi sint, certum est eum admodum temerarie de re sibi incomperta loqui. Nam de nemine mortalium, quorum corda nobis sunt incognita, dicere licet, ipsum claris studio tenebras offundere. Istud est solius Dei καρδιογνώσ[?]ς & eorum qui donum habent discretionis spirituum: qualem scio Maresium non esse. Quod si quis diceret ipsum criminis, quod aliis objicit, reum esse, quid responsurus esset? Certe non minorem de se id suspicandi causam scriptis suis suppeditat, quam quisquam alius unquam fecit. Nam quid aliud cogitari potest de homine, qui torquet ad gratiam particularem erga paucos electos hæc loca tam evidenter de universali erga omnes agentia? *Sic Deus dilexit mundum*, &c. *Joh.* III. v. 16. Christus *est propitiatio pro totius mundi peccatis*, &c. 1 *Joh.* II. 2. *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus*, *Tit.* II. 11. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, &c. 1 *Tim.* II. 4. *Non vult aliquos perire*, &c. 2 *Petr.* III. 9. *Non vult mortem impii*, &c. *Ezech.* XXXIII. 11. & multa alia similia. Sed tamen retineo me, & Deo judicandum relinquo, sincerene, an vero *contra scientiam & conscientiam suam* (ut Dallæo audet objicere) istud faciat. Quæro tantum, quid ad ejusmodi retorsionem dicturus sit? Nam quicquid comminisci possit, indubie pro nobis loquetur, & sua ipse vineta cædet.

XL. Pergit nihilominus: *Quin etiam juxta hanc primam Curcellæi exceptionem; Nullus omnino censendus esset hæreticus, qui in genere admitteret Scripturas pro Dei verbo, licet mille dogmata Scripturis, quoad sensum, contraria procuderet, & Scripturis ad ea propugnanda eadem nequitia abuteretur. Absolvantur ergo per Curcellæum ab omni hæresi, non dicam amplius, Pontificii, Sociniani & similes, quibus per tale argumentum fraternitatis dextram porrigere paratus est; sed tum Pharisæi, propriam stabilientes justitiam, tum maxime Sadducæi, rejicientes resurrectionem mortuorum, immortalitatem animarum, præmia & pœnas post hanc vitam. Nam utrique Scripturas quæ tunc erant in speciem exosculabantur, & claris uti putabant innixi, de solis sibi obscurioribus contendebant. Et scite dictum ab Hilario, lib. 2. de Trinit. De intelligentia hæresis, non de Scriptura est, & sensus non sermo fit crimen. Sane illi quos notat Apostolus, 2 Petr.* III. 16. *ceu indoctos & parum stabiles, scripturas in speciem admittebant, licet eas detorquerent suo ipsorum exitio.* Toto cælo, Maresi, à quæstionis statu aberras. 1. Egi solum de iis qui Scripturam pro unica & perfecta fidei & morum norma agnoscunt; quos impossibile est omnibus quæ illic clare dicta sunt assentiri, & simul mille dogmata scripturis quoad sensum contraria procudere; etiamsi interdum in obscurioribus à mente Spiritus Sancti aberrent. Exclusi vero illos qui Scripturam insufficientiæ arguunt, & ejus defectum revelationibus aut traditionibus suis supplere volunt; quos non negaverim multa scripturis contraria sub ejusmodi prætextu comminisci facile posse. 2. De iis tantum locutus sum, qui salutem suam in scriptura religiose quærunt; ac proinde scriptura abuti non possunt eadem malitia qua olim diabolus contra Christum. Hincque videre licet, quid de Pontificiis & Socinianis habendum sit; nimirum si utrique traditionibus & enthusiasmis renunciantes, ex sola scriptura sapere vellent, & veræ pietatis essent studiosi, ipsos adhærendo iis quæ clare in scripturis revelata sunt, ab omni perniciosa hæresi immunes, & salutis æternæ participes fore. Quod de Pharisæis & Sadducæis attexit, id alienum plane est à nostro proposito, qui de Ecclesiæ Christianæ statu disserimus, ad quam isti homines non pertinuerunt. Sed tamen ea paucis expendam. Pharisæis tribuit, quod *propriam stabilirent justitiam*; alludens ad id quod Paulus de Judæis incredulis dicebat: *Ignorantes justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti*, *Rom.* X. 3. Ubi non repugno, ut id quod Apo-

Apostolus de tota gente infideli scripsit, peculiariter tribuatur Pharisæis, qui ejusmodi doctrinæ auctores, vel certe præcipui fautores erant. Sed Maresius non videtur intellexisse quomodo Pharisæi propriam justitiam stabiliverint, & forte reprehendit in iis quod erat optimum, nempe quod justitia in se residente voluerint esse justi, non externa & ipsis adhuc in impietate perseverantibus imputata. In quo nihil fuisset culpandum. Nam *qui facit justitiam justus est, sicut & ille justus est* 1 *Joh.* III. 7. Quicunque sperat se apud Deum aliter justum esse posse, turpiter fallitur. Cur igitur, inquies, Apostolus damnat in Judæis, quod ignoraverint justitiam Dei & propriam quæsierint stabilire? Resp. Per justitiam Dei non intellexit justitiam Dei propriam, & in ipso subjective inhærentem; sed justitiam Deo gratam, & quam homines sectari vult; sicut *opera Dei*, *Joan.* VI. 28. sunt, non quæ ipse facit, sed quæ jubet, & quibus delectatur. Qualem justitiam Deus manifestavit in Euangelio; Judæi vero non curabant cognoscere cum ipsis per Apostolos nomine Dei annunciabatur; præferentes ei propriam justitiam, quam se per legem Mosis & patrum traditiones adepturos sperabant, etiamsi Deus declararet ejusmodi cultum non sibi amplius esse acceptum, sed illum tantum qui est per fidem Christi. Unde apparet Christianum non posse, Pharisæorum instar, propriam stabilire justitiam, ideoque impertinenter eorum mentionem hic esse factam. Eademque est Sadducæorum ratio, quorum hæresis minus fuisset periculosa, nondum revelata per Euangelium immortalitate, si nihil de re tanti momenti ausi fuissent asserere; (id enim eorum stupiditati condonari potuisset:) Sed quia etiam in dubium revocabant Dei potentiam, quasi suscitatio mortuorum superaret Dei vires, quas tamen ex creatione Mundi non difficile erat agnoscere; ideo graviter eos reprehendit Dominus Jesus, *Matth.* XXII. 29. Dictum Hilarii quod laudat non est simpliciter approbandum. Omnis enim aberratio ab intelligentia scripturæ, non est hæresis, sed tantum malitiosa, & quæ versatur circa res magni ad salutem momenti. Qualem ego nunquam defendere aut excusare intendi; etiamsi hominibus adimam peremtorium de illa judicium. Illi autem quos notat Petrus, tanquam indociles, (quod proprie significat vox *ἀμαθεῖς*) & parum stabiles, etiamsi scripturas in speciem admitterent, non tamen religiose, prout oportebat, eas tractabant; ideoque non est mirum si eas detorquerent in suum exitium.

XLI. Nullane ergo, inquies, superest se hinc expediendi ratio? Sed, an qui altissime vociferatur alios claris studio tenebras offundere, & eam obscuriorum scripturæ locorum interpretationem cudere, quæ pugnet cum claris, ipse solus est immunis à culpa? & qui alios confidenter dicit, proclamat, & renunciat hæreticos, ipse est orthodoxus? Ita videtur Maresius stulte putasse: alias tanta cum pompa non impegisset adversariis, id quod sciebat ipsos non minore cum specie in se & doctrinam suam retorquere posse & solere. Sed interea controversiæ manent in eodem quo antea erant statu, & dum unusquisque sibi soli victoriam adjudicat, nemo habet. Neque enim Pontificios videmus cedere Protestantibus; vel Lutheranos, Mennonitas, Socinianos, Remonstrantes, Reformatis, aut contra. Unusquisque hodie æque acriter, atque olim, partes in quibus natus & educatus est defendit; ita ut nihil tot disputationibus, ad veritatis inventionem promotum sit. Resne igitur est plane desperata? Non existimarim, si candem insisteremus viam in Controversiis de Religione, quæ in aliis solet. Primo deponenda essent omnia præjudicia & affectus, qui mentem obnubilant, & impediunt ne verum possit animadvertere. Id quod omnes sponte fatentur, sed vix unquam ab ullo recte præstatur. Deinde, id solum habendum foret pro claro, quod omnes sana ratione utentes tale esse agnoscunt; non quod paucis aliquibus videtur. Si quid vero esset, de quo non possent convenire, illud in obscurorum numerum referre, & ulteriori disquisitioni relinquere oporteret. Neque pudere deberet aliquando esse Scepticos, cum præstet de dubiis ambigere, quam temere de non satis cognitis pronunciare. Ex. gr. si quæratur de aliquo Ciceronis aut Virgilii loco, non habebitur statim pro claro, si uni aut alteri sciolo talis videatur; sed si de eo omnes Latini sermonis mediocriter periti consentiant. Tertio adhibenda forent Media; quæ scripturarum interpretes docent esse requisita ad genuinum ejus sensum percipiendum. Qualia sunt, Cognitio linguarum originalium, Hebraicæ & Græcæ, quibus eloquia Dei consignata sunt à Prophetis & Apostolis: collatio locorum; vocum & phrasium similium & dissimilium: consideratio scopi auctoris, & seriei orationis, seu antecedentium & consequentium. Præterea ut expositio locorum obscuriorum examinetur ad ea quæ clare alibi dicta sunt, tanquam ad principia quædam indubitata, & nihil quod ab illis dissideat recipiatur. Denique ne quid dicatur quod cum sana ratione pugnet, seu contradictionem involvat; aliaque ejusmodi, de quibus consuli potest Danhaweri Idea boni interpretis, & similia scripta. Si inquam, ad ista attenderetur, & ante omnia Dei auxilium imploraretur, posset tandem felix aliquis exitus controversiis de Religione inveniri, & veritas procul dubio de mendacio triumpharet. Sed nunc vix ulla habetur in disputando æquitatis ratio. Nam qui viribus se prævalere putant, ut Maresius, ita se gerunt adversus alios, quasi vi potius quam argumentis assensum ab iis extorquere contenderent: ita ut mirum non sit, si innumeris propemodum concertationibus nihil proficiatur. Quod Ma-

resio

resio animadvertere non esset difficile, si ad ea quæ molitur oculos reflecteret. Nam quem nominare posset, vel Pontificium, vel Socinianum, quem Anti-Tirino suo, & Hydra Socinianismi expugnata, in Reformatorum partes pertraxerit?

XLII. Sed ipsum pergentem Thesi 17. audiamus. *Alterum*, inquit, *quod hic protulit Curcellæus, æque insulsum est. Nec enim Spiritus S. voluit nos superstitiose alligare ad syllabas & apices scripturæ, sed ad illius sensum: & satis ei fuit nobis in scriptura ea consignasse, ex quibus omnes errores possent commode detegi & refutari; etsi nec omnes errores nascituros exprimere voluerit, nec terminos præscribere quibus Ecclesia usura esset, in illis erroribus ex scripturis detegendis, convincendis, refutandis.* Nihil est insulsi, in eo quod dixi, voces à doctoribus Ecclesiasticis excogitatas, non posse absque Spiritus Sancti ignominia commodiores existimari ad hæreticos convincendos, aut ex suis latebris protrahendos, iis quæ apud Sacros quos inspiravit Scriptores inveniuntur. Sed Maresius humana commenta, divinitus consecratis vocibus præferens, blasphemum suum coccysmum semper iterat; & mihi affingit id de quo ne cogitavi, Spiritum Sanctum nos voluisse superstitiose alligare ad syllabas & apices scripturæ, potius quam ad illius sensum. Ideo enim voces de quibus controversia est inter nos rejicio, quia scripturæ sensum mihi obscurare & pervertere videntur. Nam si æquipollentes agnoscerem, cum nemine de illis contendere vellem, sciens pugnas de verbis esse inutiles, & diserte ab Apostolo prohiberi, 1 *Tim.* VI. 4. & 2 *Tim.* II. 14. Sed neque habentur pro vere æquipollentibus verbis scripturæ, ab iis qui tantopere ut dilucidiores & commodiores ad convincendum hæreticos commendant. Ideoque vel hac sola de causa ab omnibus quibus pietas est commendata sunt totis viribus impugnandæ. Quod mecum aliquot pios & doctos viros sensisse antehac ostendi; & nunc adhuc allato illustri testimonio Conradi Graseri, Comment. in cap. IX. Danielis, ostendam. *Ego existimo*, inquit, *Ecclesiam Israëliticam melioribus suis temporibus mysterium trinitatis rectius intellexisse, sanius æstimasse, & sanctius tractasse, quam Ecclesiam Gentium ullo tempore. Quod autem trinitatis, personæ, ὑποστάσεως vocabulis non sunt usi, ideo factum est, quod primum alia commodiora vocabula ipsis affatim suppetebant, ut ad mysterium illud exprimendum hujusmodi crudis terminis nihil opus haberent. Deinde si his vocabulis caruerunt, caruerunt etiam illis indecoris certaminibus, quæ in Ecclesia Catholica illa excluserunt, dum Orthodoxi se per ea contra hæreticorum insidias tueri conantur: ut illorum inventio non perfectionem Ecclesiæ illius, sed potius donorum ejus defectionem arguat. Vetus autem Israël tam curiosus & temerarius nunquam fuit, ut de Dei essentia in publico disputassent, & sic profundissimum illud omnis cognitionis mysterium humanæ curiositatis censuræ subjecissent, ut qui etiam nomen τετραγράμματον vulgo proferri nollent: idque non ex superstitione aliqua, ut hodie posteri illorum faciunt, sed quod primum in eo Christi mysterium agnoscerent, quatenus is tunc adhuc in tergo Abrahami in dumeto implexus hærebat, Genes.* XXII. 13. *De quo ipsemet Mosi nomen suum nimis scrupulose percontanti respondet*; Ero qui ero, *Exod.* III. 14. *Deinde ut indicarent ea, per quæ se Deus eis revelasset, religiose potius custodienda & observanda esse, quam ut profano vulgi usui, aut humanæ disceptationi permitterentur. Quæ sancta & castissima consuetudo si in Ecclesia Catholica olim observata fuisset, aut adhuc observaretur, Theologiam hodie multo simpliciorem haberemus, ambitiosæque contentionis, & scandalosissimorum certaminum minus esset.* Quod grave & tam solidis rationibus innixum pii & docti viri judicium, longe pluris quam vel millenorum aliquot Maresiorum faciendum existimo. Nec verebor aliud subjungere, etsi ἀνέκδοτον, ex responsione magni viri in Gallia, & Maresio optime noti, anno 1653. facta ad epistolam quam de hoc argumento ad ipsum scripseram. *In primis vir Reverende, quod ais, difficultates dogmatis SS. Trinitatis, non tam proficisci ab illius sublimitate, quam à malesana nonnullorum curiositate, qui non contenti vocibus & formulis, quibus Deus ipse de se loquens in S. Scriptura utitur, alias significantiores invenire se posse præsumpserunt; valde probo. Si quis enim loquitur, ut ait Petrus, 1 Epist.* IV. 11. *tanquam verba Dei loquatur. Quinimo affirmare haud vereor, omnes hæreses ex ejusmodi licentia profluxisse; cum vani, nec non improbi doctores, ac Theologi, & Apostolicis monitis minime obsequentes, sapere ultra sobrietatem voluerunt; sicque humanis præsumptionibus, quibus divina scriptura obices ac claustra posuerat, portam aperientes, planum religionis æquor turbinibus ac procellis misere commoverunt ac perturbarunt. Quod unquam vix accidisset, si apud Christianos, ac præsertim Theologos & Ecclesiarum Præsides, vocibus aut formulis à Sacra scriptura extraneis, in dogmatibus fidei uti piaculum fuisset: quippe cum in his quæ in scripturis aperte posita sunt, contineantur omnia, quæ ad fidem pertinent moresque vivendi, ut recte quidam ex veteribus pronunciavit. August. lib. 2. de doctr. Christ. cap.* 9. Et hæc in genere de vocum humanarum in Theologia usu & necessitate dicta sufficiant.

XLIII. Nunc accedendum est ad alterum dissertationis nostræ membrum, & in specie aliquid dicendum, de voce trinitatis, ὑποστάσεως, personæ, essentiæ, ὁμοουσίου, & similibus. Primum, ostensurus utile non esse illas adhibere, dixi: Primaria quæ me ad ita sentiendum movet ratio hæc est, quod istæ voces sint ὁμώνυμοι, & quo significatu accipi debeant ignoretur. Ad quæ Maresius, Thes. 17. *At hæc ipsa ratio est valde ἄλογος & insulsa. Nam primum voces trinitatis, essentiæ, personæ, ὁμοουσίου, quas in proponenda quæstione Curcellæus nominaverat, non sunt nunc homonymiæ, & de earum sensu & significatu satis convenit inter Orthodoxos & hæreticos.* 2. *Ipse hæreticus, sui immemor, in solis duabus ultimis aliquam venatur homonymiam, sed parum favente Delia.* 3. *Si in rebus fidei abstinendum est vocibus iis, quæ non semper eodem significatu su-*

mun-

muntur, etiam abstinendum erit nominibus Dei, fidei, creationis, redemptionis, resurrectionis, peccati, baptismi, cœna, & similibus, quas esse ὁμωνύμως, & diversimode sumi, in ipsis etiam scripturis est notissimum. Imo potius, Maresi, argumenta quibus hanc meam primariam rationem impugnas, sunt valde ἄλογα & insulsa. Primum est, quod hæ voces non sunt nunc homonymæ, & de earum sensu & significatu satis conveniat inter Orthodoxos & hæreticos. Ad quod respondeo, id non esse verum de singulis, ut ex sequentibus patebit. Sed quamvis verum esset, nihil ad rem faceret, si recentiores Theologi illas non eodem sensu cum veteribus usurpant; quod postea fusius ostendam. Et eo respexeram, cum dixi esse ambiguas: quod consensus hodiernorum in eundem significatum impedire nequit. Secundum est, quod ego hæreticus mei immemor, in solis duabus ultimis aliquam vener homonymiam. Sed titulum hæretici ipsi remitto, quo dignissimus est, & à Pontificiis aliisque vulgo insignitur. Nec mei ipsius fui immemor cum de duabus solum egi. Brevitati enim studens eas ex multis examinavi, in quibus plura desiderabam. Sed quia Maresius me provocat, nonnihil quoque de reliquis attexam, & in omnibus aliquid vitii esse demonstrabo. Tertium est, quia si in rebus fidei abstinendum sit à vocibus quæ non semper eodem significatu sumuntur, etiam abstinendum erit à nominibus Dei, fidei, &c. Sed quis istius consequentiæ insulsitatem non animadvertat? Longe enim dispar est ratio vocum quibus scriptura utitur, & earum quæ tanquam dilucidiores & expressiores ab hominibus sunt excogitatæ. Illas qualescunque sint recipere debemus cum reverentia, & in significata diversa quæ habent inquirere, si mentem Dei intelligere cupiamus. Sed quid attinet nos torquere in iis, quæ inventionis sunt humanæ? & cur ii qui putarunt aliis quam scripturæ vocibus opus esse, non excogitarunt ejusmodi, de quarum sensu dubitare nemo posset?

XLIV. Maresius Thes. 18. dicit, *nomen trinitatis esse vetustissimum; adeo ut Tertulliano Latinorum antiquissimo in usu fuerit, contra Praxeam; quem Cyprianus sequitur, in tract. de heret. baptiz. ad Jubajanum; ac Novatianus ipse in libro Trinit. & in scripturis ipsis expresse fundatum*, 1 *Joh.* v. 7. Sed quamvis istud nomen vetustum sit, Apostolorum tamen ævo incognitum erat, unde omnis vera antiquitas initium habet; & tum primum usurpari cœpit, cum jam multi errores in Ecclesiam irrepsissent. Nec in scripturis *expresse* fundatum est, ubi concreta vox *Tres* invenitur quidem, sed non abstracta *trinitatis*, de cujus sensu, ut mox dicam, nondum convenit inter Theologos. Ut præteream locum, ubi dicitur fundatum, videl. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, &c.* valde esse suspectum; cum desideretur in multis veteribus Codicibus Græcis & Latinis; ut & in versione Syriaca, Arabica, & Æthiopica; non agnoscatur à multis Patribus, præsertim, qui ante Concilium Nicænum vixerunt; & desit in quibusdam vetustis impressionibus Græcis, ut Argentinensi, Wolfii Cephalæi, anno 1524. Parisiensi Simonis Colinæi, anno 1534. & in Germanica versione Martini Lutheri; quemadmodum observatum est ab Erasmo, Theologis Lovaniensibus, Beza, aliisque. Ita ut tam ruinoso fundamento innixa vox, apud eos qui decipi metuunt, non multum debeat habere auctoritatis. Disputatur etiam de ejus significatione. Isidorus enim Hispalensis dicit, *trinitas appellatur quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi triunitas*: Orig. lib. VII. cap. 4. Quem sequuntur Petrus Lombardus, Thomas, plurimique alii. Sed reprehenditur à Roberto Bellarmino, qui dicit, *trinitatem non significare trium Unitatem, ut putavit Valentinus Gentilis* (debebat addere, post Ecclesiæ Romanæ proceres, Lombardum, Thomam, &c.) *sed simpliciter ternarium personarum, ut patet tum ex Græca voce τριάς, tum ex illa symboli Athanasii sententia, trinitatem in Unitate veneremur*, &c. Sed sinamus eos de voce ab hominibus conficta digladiari; Nihil istud ad nos. Nisi quod inde facile est animadvertere, quantopere decipiantur illi qui humanum sermonem divino tanquam dilucidiorem anteferunt. Major adhuc abusus non est hic dissimulandus; nempe quod occasione hujus novæ vocis *trinitas*, nomen Dei apud quosdam scriptores veteres pene in oblivionem venit; quasi non sufficeret Deum dicere, sed trinitas, vel, Deus trinitas, perpetuo memorandus esset. Quod recentioribus non est in usu. Imo Calvinus non dubitavit dicere, *Cette priere receuë communement, sainte trinité, un seul Dieu, aye pitié de nous; ne me plaist point, & sent du tout sa barbarie*, in Epist. ad Polon. secundum Gallicam opusculorum ejus editionem. Nam Latina jam non est ad manum. Et significat, *Hæc precatio vulgo recepta, sancta trinitas, unus Deus, miserere nostri; non mihi placet, & omnino barbariem sapit.* Cujus sententiæ optarem ut aliquam reddidisset rationem. Nullam autem aliam conjicere possum, nisi quod ista loquendi formula aliena sit à Sacræ scripturæ stylo. Adde quod trinitatis vocem passim loco Dei usurpando, Filius & Spiritus Sanctus in omnibus exæquantur Patri, & prærogativa quæ Patri in Deitate convenit, (de qua fusius postea) ipsi eripitur. Sed multo adhuc incommodior est vox Germanica *Dreyfaltigkeit*, & Belgica *Dryvuldigheydt*, quæ triplicitatem proprie significant, & Deum nobis quasi ex tribus compositum repræsentant. Quare præstaret ab omnibus istis vocibus, quæ errandi ansam imperitis præbere possunt, penitus abstinere, & iis quas Sacri scriptores, loquendo de Deo, usurpant, contentum esse, uti *Matth.* XXVIII. 19. & 2 *Cor. versu ultimo.*

XLV. De voce *essentiæ* ibidem dicit Maresius, *in ipso πλεογραμματῳ nomine Jehovæ contineri, illiusque circumlocutione quæ extat Apocal.* 1 4. Sed de

 hac

hac voce nuda & solitaria nulli unquam controversiam movere intendi, utpote in qua nihil desiderem, & non inepta ad exprimendam, non solum aliarum rerum, sed etiam Dei ipsius naturam videtur. Certe Græca οὐσίας cui respondet, nihil usitatius est apud omnis generis scriptores; licet Apostoli vix eam in Novo Testamento, saltem in hoc sensu, adhibuerint. Si cui tamen scrupulus foret voce *essentiæ* uti in divinis, quod sit ἄγραφον, facile nos ea carere posse crediderim, cum æquipollentem habeamus *naturæ*, quæ frequenter invenitur in scriptura, & Deo etiam applicatur, *Galat.* IV. 8. 2 *Petr.* I. 4. Me quod attinet usurpare nequaquam vererer, cum nihil novi & scripturæ incogniti significet. Quando ergo illam retuli in numerum vocum ab hominibus excogitatarum, respiciebam ad vulgarem usum in hac phrasi, in unica Dei, sive numero, sive specie, essentia, tres esse personas: quod dogma, ita expressum, creditu non esse necessarium, innuere volebam. Et merito; cum ut supra vidimus, Pontificii sponte fateantur id esse ἄγραφον. Et Augustinus quoque, cum scribit, *Licuit loquendi & disputandi necessitate tres personas dicere, non quia scriptura dicit, sed quia non contradicit: de Trinit.* lib. VII. cap. 4. Utrum vero essentiæ vox in τετραγραμμάτῳ יהוה continεatur, non est extra omne dubium. Nam licet derivetur à radice הָיָה id est fuit; videtur tamen potius Dei constantiam in exsequendis promissis, quam simpliciter ejus naturam significare; ut Deus ipse satis aperte declarat, cum Mosi dicit: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac & Jacob, in Deo omnipotente; & nomen meum Adonai* (seu τετραγράμματον יהוה) *non indicavi eis*, *Exod.* VI. 3. Quorum verborum sensus est, Deum quidem omnipotentiam revelasse Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, in variis operibus suis, sed non veritatem & constantiam in exsequendo promisso, de danda ipsis & eorum semini terra Canaan in possessionem perpetuam, prout jam jam facturus erat. Neque satis recte dicitur circumlocutionem nominis יהוה extare *Apocal.* I. 4. *Gratia vobis & pax, ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est*: cum potius in his verbis sit descriptio æternitatis Dei, per tria tempora, videl. præsens, præteritum, & futurum, quæ complectitur. Unusquisque tamen sentiat de his prout videbitur. Parum enim refert quomodo accipiantur. Ut Maresii sensum non damno, ita si ille meum non spernat, id mihi sufficiet.

XLVI. Postea vocum controversarum examen aggrediens, dixeram, varias occurrere apud eos qui de trinitate disputant *personæ* definitiones; non verbis tantum, sed etiam sensu valde discrepantes. Ad quæ Maresius *Thes.* XVIII. pro solita sua modestia respondet: *Sed hæc observatio est absurda. Nec enim discrepantes ejusdem rei definitiones probant homonymiam esse eam vocem, qua res definita vel definienda exprimitur. Hominem aliter Platoni, aliter Aristoteli, aliter Lactantio fuisse definitum, in comperto est; non tamen ideo vel homonyma est vox hominis, vel nescit vulgus quid illud sit quod homo appellatur; ita quomodocunque definiatur persona ab iis, qui definitionis ἀκρίβειαν operose sectantur, tamen vulgo notum est, quid illa voce intelligatur.* Imo potius ipse est absurdus, qui recte à me dicta, quia non percepit, illico reprehendit. Quamvis enim ubi agitur de substantiis quæ oculis videntur, manibus palpantur, & aliis sensibus percipiuntur, discrepantes definitiones non probent ordinarie homonymam esse eam vocem qua res definita exprimitur: tamen ubi non constat ex sensuum testimonio, quænam sit subjecta discursui materia, discrepans definitio certum est homonymiæ in voce indicium; ut si *fucum* unus definiat insectum volans, alius vero fossile; item *canem* alius definiat animal quadrupes, alius piscem, alius denique sidus, exinde apparet indubitato voces fuci & canis esse homonymas. Et istud perpetuo fere locum habet in accidentibus, quorum diversæ definitiones arguunt homonymiam esse in voce qua res definienda fuit expressa. Ex. gr. si alius *creationem* definiat actionem Dei, qua Mundum & quæ in eo contenta sunt sex dierum spatio olim condidit; alius vero actionem qua Deus hominem peccato corruptum ad meliorem vitam per Euangelium & spiritum suum renovat; statim unusquisque animadvertet vocem creationis esse ambiguam. Idemque judicium faciendum est de *fide*, *justificatione*, *resurrectione*, pluribusque aliis in Theologia usitatis vocibus. Inter quas reponendam esse personam, ex iis quæ statim dicam omnibus apparebit.

XLVII. Perrexeram in meo instituto, & dixeram: Persona vulgo solet definiri, *substantia singularis intelligens*; seu (ut Scholastici loqui amant) *suppositum intellectuale*. Et hoc sensu, quot homines sunt, totidem dicimus esse personas; licet Laurentius Valla id tanquam barbarum improbet, & personæ vocem apud bonos Latinitatis auctores nihil aliud nisi qualitatem significare contendat. Sed alii majus quid in hac definitione desiderant; nempe quod ea admissa dicendum foret animas à corpore separatas, & Christum hominem, esse personas; item, quia si plures ejusmodi personæ darentur in Deo, esset compositus. Quæ omnia sunt falsa & absona. Ad quæ Maresius Thes. 19. respondet: 1. *Verum absonum dici nequit, Christum hominem esse personam; neque Socinianis, qui ipsum faciunt personam humanam, & ψιλὸν ἄνθρωπον, neque nobis, qui sic negamus humanitatem à Christo assumptam posse statui personam, cum foret aliquid incompletum & partiale, ac fuerit communicabilis personæ λόγου eam assumenti, & ab ea terminetur, ut statuamus Christum hominem, ut appellatur ipsi Paulo, 1 Tim. II. 5. esse personam θεάνθρωπον, sive secundam personam trinitatis carne nostra vestitam.* Quia commodior dabitur accasio de his differendi ad Thesin. 23. ubi Maresius iterum disputat,

an

an humana Christi natura personæ nomine debeat insigniri, eo usque differam respondere ad illa quæ nunc affert.

2. Thesi 21. dicit: *Laurentii Valla delirium, quod parum tempestive hic nobis reponit Antitrinitarius, castigatum & refutatum dedit Bellarminus, lib. 2. de Christo, cap. 5. etiam ex classicis auctoribus, Cicerone, Valerio Maximo, Institutionibus Justinianeis. Nostro, non Valla sensu, extat illa vox in antiquissimis Latina Ecclesia Doctoribus, Tertulliano contra Praxeam: & Lactantio Latinissimo & tersissimo scriptore, lib. 4. Divin. Instit. cap. 29.* Non istud est Laurentii Vallæ delirium, quo peritiorem Latini idiomatis non habuit sua ætas: sed crassa Maresii ignorantia, qui illud nescit quod etiam pueri in scholis trivialibus didicerunt, & quod Bellarminus, dum Vallam studet refutare, fatetur, dicens, *quamvis sciamus persona nomen sape accipi pro qualitate, & pro larva histrionum, tamen etiam pro substantia prima à scripturis & Patribus accipi non ignoramus.* Si hoc concedit Maresius, qua specie delirium vocat, quod Valla, observata istius vocis primaria & usitatissima significatione, ad alias minus usitatas, si quæ essent, non attenderit? Sed neque Bellarminus ipsum satis feliciter refutavit: Ex. gr. cum dicit: *Nam in scripturis passim legimus, Deum non esse acceptatorem personarum, ut Actor. x. Rom. II. & alibi: in quibus locis persona significat ipsam hypostasin humanam. Nam ut explicat Augustinus, lib. 2. ad Bonifac. cap. 7. tunc est acceptio personarum in distributione pramiorum, quando qui distribuit, non respicit merita hominum, sed ipsos homines, id est tribuit plus uni, quam alteri, non quia ille plus meretur, sed quia illam personam plus diligit.* Deus enim ideo dicitur non esse προσωπολήπτης, seu προσωποληψία non esse apud Deum, quia *in omni gente qui timet illum, & operatur justitiam, acceptus est illi, Act. x. 34.* & quia *judicat secundum uniuscujusque opus, 1 Petr. 1. 17.* id est, non attendit in beneficiis aut judiciis suis, an aliquis sit Judæus, vel Græcus, circumcisus an incircumcisus, aut ad alias ejusmodi qualitates, propter quas homines sæpe ab æquitate deviant. Quod recte observavit Aretius; Προσωποληψία dicitur κατὰ τὸ λαμβάνειν τὸ πρόσωπον: *cum res æstimantur ex habitu externo, ut si sint divites, potentes, nobiles, famosi,* in *Jacob.* II. I. & expressius adhuc Zanchius: Πρόσωπον *in isto vocabulo non significat substantiam ipsius hominis, sed qualitatem, ut quod homo sit nobilis vel ignobilis, dives vel pauper, dominus vel servus,* in *Ephes.* VI. 9. Item Beza: *Appellatione* πρόσωπα *notandum hic est & aliis locis, non ipsos homines intelligi, sed externas eorum qualitates, ut genus, sexum, dignitatem, opes, patriam sive gentem, ut hoc loco, &c.* in *Rom.* II. II. Vide etiam Piscatorem in eundem locum, qui propter hanc causam vocem προσωποληψίας maluit reddere *faciei acceptionem*, quam personæ acceptionem, ne forte aliquis, vulgari consuetudine deceptus, illam de substantia interpretaretur. Hi quatuor scriptores sufficient, ut existimo, qui uni Augustino, contrarium asserenti, opponantur. Idemque usuvenit in locis allegatis ex Tertulliano, Lactantio, Cicerone, Valerio Maximo, & Institutionibus juris. Ubi possem ostendere, si tanti foret, voce personæ non significari homines in substantia sua consideratos, sed duntaxat quatenus certis quibusdam qualitatibus induti sunt, ad quas præcipue respicitur. Ita accepit Christianus Becmannus, ad cujus testimonium alibi Maresius in hac dissertatione provocat. Is in Originibus linguæ Latinæ, de voce *persona* scribit: *Jul. Cæs. Scaliger, cap. 73. L. L. Sane intelligitur status hominis ab animo, aut fortuna. Neque verum est, quod ajunt, significare individuam substantiam rationalem, ut vulgo utuntur, cum Itali numerant turbam nomine personarum: sed accidens notat, ut servum, liberum, ingenuum, heroëm, senatorem, feneratorem, militem. Itaque cum definimus, ab animo, virtutem & vitia comprehendimus: Cum fortunam, libertatem, dignitatem, & contraria. Sic enim semper locuti sunt probati auctores. Nam M. Tullius in* XIII *ad Attic. in epist. ad Pompejum, cum dicit, Mea persona ad improborum civium impetum semper habuisse videtur aliquid populare; non intelligit suum corpus simpliciter, sed virtutem ac fortunam suam, qua meritorum nomine jam commemorat. Itaque in 1. Rhetor. loca à personis explicat, nomen, naturam, victum, habitum, & alia ejusmodi. Et in oratione pro Sylla sic locutus est: si mihi propter res meas gestas hanc imponis personam. Cum dixit, mihi, intellexit substantiam: cum dixit, personam, intellexit accidens: cum dixit, res gestas, intellexit causam persona, & circumscriptionem. Et, suscipere personam boni viri, & sustinere, idem alibi sape dixit. At neque suscipit substantiam, neque mutari potest, sine interitu. Igitur idem est, si dicas, persona Ciceronis; &, status consularis. Sic enim ad Atticum scribens, cum negat esse è dignitate consulari, dicta quadam jacere in Clodium, possis interpretari, non pertinere ad personam ejus. Eadem de re agit Valla lib. 6. Elegant. cap. 35. Apud Agellium lib. 5. cap. 7. formatur à personando. Sed nihil est: Recte idem Scaliger, lib. Poët. cap. 13. Dictus est habitus is fictus, qui verum imitatur, non quemadmodum Agellius refert, à personando, quia catera tectiora tantum aperta essent, unde vox exaudiretur: sed quod erat περὶ σῶμα. Inde jam plene intelligitur, qua sit prima & nativa persona significatio. A persona est personatus, id est proprie persona indutus. Similiter Vossius, lib. 1. de vitiis sermonis, cap. 32. In hisce Christiana fidei capitibus ajunt tres in Deo statui personas. Existimo, Gracos commodius nuncupare ὑποστάσεις. Sed de voce persona in Sacrosancto hoc argumento litem nulli movero: quia satis est, si de re conveniamus. Sed extra hoc argumentum, vocabulo eo non hic utar. Nec enim de hominibus dixero dua vel tres persona veniunt. Quippe persona tum larvam notat, tum affectiones, quibus distinguimur: Ut quod quis princeps vel subditus, juvenis vel senex, dives vel pauper, maritus vel cælebs, parens vel filius, & sic in cateris. Ita dixero, non hoc personam judicis decet; non convenit persona militis, &c. Et hoc movit Vallam, ut culparet Boëthium, qui volebat esse substantiam rationalem individuam. Verum Valla loquitur de usu veterum*

Romanorum: Theologis vero laxius vox sumitur: quale, ut dixi, cum in Deo tres statuunt personas: Iisdem etiam frequens personarum acceptio, ut Græcis προσωποληψία. Ubi personæ vocabulo more veterum utuntur. Sed pro eo, quod ajunt, in Deo non esse personarum acceptionem, mallem dicere, non facere personarum discrimen: quomodo Valerius Maximus ait: Neque virtus haustum suum cum aliquo personarum discrimine largum, malignumve præbet; sed omnibus æqualiter exposita. Ex quibus testimoniis judicium fieri potest de sapientia Maresii, omnes delirii accusantis, qui ineptam ejus vocis personæ expositionem non probant. Denique hic observandum est, vocem Græcam πρόσωπον, quæ Latinæ *persona* respondet, & plus quam septuagies in libris Novi Fœderis occurrit, nunquam illic substantiam hominis significare, sed semper pro facie, vultu, aut externa apparentia usurpari, secundum etymon suum, πρὸς ὦπας, quod idem est ac si diceres, ad oculos, seu quod oculis est expositum. Ita ut qui vocem istam doctrinæ S.S. Trinitatis applicarunt, sacrarum literarum usum flocci fecisse, aut saltem ad eum non attendisse videantur.

Cum igitur hæc sit genuina & olim vulgaris vocum personæ & προσώπου acceptio, ut pro Dei vel hominis substantia, nusquam in scriptura aut apud bonos auctores usurpatæ inveniantur; mirum est quis spiritus vertiginis egerit eos qui primum illis in dogmate SS. Trinitatis explicando usi fuerunt. Nam cum prætextus novis extra scripturam vocibus excogitandis inde sit desumptus, quod opus esset dilucidioribus & ad hæreticos è suis latebris protrahendos aptioribus; hic contrarium plane accidit, ubi personæ & προσώπου termini supra omnes cæteros commodissimi sunt Sabellio & gregariis ejus, ad suam hæresin occultandam; quasi data opera ab aliquo qui iis faveret suggesti fuerint. Asserebant enim in Deo unam tantum hypostasin esse, sicut etiam unam essentiam; & non poterant persuaderi ut tres hypostases confiterentur; sed tamen non illibenter admittebant trium personarum aut προσώπων nomenclaturam; ut videre est apud eos qui de hac hæresi scripserunt. Unum sufficiet illustre Basilii Magni testimonium; qui Epist. 349. ait, Sabellium docuisse, *Unum hypostasi esse Deum; sed ei varias à scriptura personas accommodari, pro usu ac negotii quod identidem gerebatur propria conditione: adeo ut modo Patri congruentes sibi voces assumat, quoties istiusmodi persona opus est: modo filio consentaneas, quando ad rerum nostrarum procurationem, aut alias dispensatorias functiones sese demittit: modo denique Spiritus Sancti personam induat, cum ex ejusmodi persona profectas tales voces tempus exegerit.* Deinde conqueritur de iis qui essentiam & hypostasin in Deo confundebant, quod Sabellio favere viderentur. Sed dilucidius adhuc Epist. 391. ubi dicit: *Qui essentiam & hypostasin idem esse statuunt, coguntur personas tantummodo fateri esse diversas; & in eo ipso, quod hypostases tres dicere verentur, Sabellii impietatem non videntur effugere; qui & ipse passim propriam notionem confundens, personas distinguere conatur; unam & eandem hypostasin affirmans pro eo atque res tulerit varie transformari.* Basilius ergo usum vocis personæ in divinis non probabat, cui quod tantorum malorum causa esset objicit. Sed sequentium seculorum barbaries & ignorantia effecit ut ad ista non attenderetur.

XLVIII. 3. Maresius Thes. 21. dicit: *Definitio personæ quam hic ceu vulgarem proponit Antitrinitarius, captiosa est, & magis Sociniana, nisi caute explicetur, quam orthodoxa,* &c. Sed istud est ridiculum. Quomodo enim Sociniana esse potest definitio aliquot seculis ante Socinum natum, inter Scholasticos, ejus sententiæ infensissimos, recepta & communi consensu approbata? Nec hæreticam esse ostendunt aliæ, quas ex Puteano & Rada affert: Quæ & ipsæ mihi non parum serviunt ad probandum quod institueram, non satis adhuc constare inter Theologos, qui tres in Deo personas ponunt, quid nomine personæ intelligatur; ac proinde vocem istam ad dogma Trinitatis explicandum valde imprudenter adhiberi, cum id potius involvat & intricet.

Pergit Thes. 22. *Ex his liquet neminem proferri posse, qui definiat personam substantiam singularem intelligentem: cum Boethius, qui prior ex Latinis eam voluit definire, substantiam illam, dixerit, non singularem, sed individuam, id est, substantiam primam Aristotelicam, ut subest & supponitur substantiæ secundæ,* &c. Non video quomodo id liqueat; cum inter innumeros Scholasticos doctores, duo ex recentioribus vix sint consideratione digni, & tot aliis opponi nulla cum specie queant. Quod autem negat substantiam singularem, & substantiam individuam, esse unum idemque, possem infinitis auctoritatibus Philosophorum contrasentientium impugnare: Sed non libet in his nugis tempus inutiliter terere. Tantum dico inde magis ac magis apparere, quam sit justa & urgens causa omnes ejusmodi philosophicas voces è Theologia exterminandi, cum de illarum significatione nondum satis constet, & perpetuam rixandi materiam suppeditent; adeo ut nulla pax sperari possit inter Christianos, quamdiu mordicus retinebuntur.

XLIX. Addit Thes. 23. *Ex his etiam liquet Scholasticos ita semper personam definivisse, ut quocunque termino pro illius genere assignando uterentur, voluerint à persona nomine & conditione arcere, 1. Ipsam Deitatem, ut ut singularissimam, quæ est communicabilis ut quod, Patri, Filio, & Spiritui Sancto. 2. Naturam Christi humanam, quæ communicatur ut quo, personæ λόγου à qua terminatur, completur, & sustentatur. 3. Animas separatas, quæ sunt substantiæ, & communicabiles ut quo; quippe natura sua eo destinatæ ut rationem habeant formæ in composito. Quapropter ne quidem ex illa Scholasticorum brevi definitione, quod persona sit suppositum intellectuale, sequitur vel animam separatam, vel humanitatem Christi, esse personas: cum utraque sit quidem substantia singularis, & hoc aliquid,*

quid, sed neutra sit suppositum, ut ab hoc aliquid distinguitur. Non debuisset sane Antitrinitarius Scholasticos in scenam inducere, quasi suæ Sociniana & captiosa definitioni adstipulantes, à qua δὶς διὰ πασῶν discrepant. Respondeo ad 1. Absurdum esse commentum, quo Deitas à Patre distinguitur, & ipsi communicari fingitur. Nulla enim extra Patrem fingi potest, qui est omnis Deitatis, quæ in Filio & Spiritu Sancto est, fons & origo. Oporteretque in Deo esse quaternitatem, ut talis communicatio locum haberet. Nec Maresium excusat usus loquendi Scholarum; cum sit non solum scripturæ ignotus, sed etiam à vera philosophandi ratione alienus. Ad 2. Scholasticos nullam satis solidam habuisse rationem, cur humanam Christi naturam à personæ nomine excluderent; & Maresium id supra visum esse non obscure agnoscere, cum dixit *absonum vocari non posse Christum esse personam, neque Socinianis, qui ipsum faciunt personam humanam, & ψιλὸν ἄνθρωπον; neque sibi & suis, qui sic negent humanitatem à Christo assumptam esse personam, cum sonet aliquid incompletum & partiale, ut tamen statuant Christum esse hominem.* Nam ut præteream quod calumniose tribuit Socinianis ipsos facere Christum nudum hominem, cum fateantur ipsum de Spiritu S. esse conceptum, qui semper in ipso habitaverit, & cujus virtute miracula illa quæ recensent Euangelistæ patraverit; posteaque gloriose è mortuis suscitatum & in cælos evectum, omnem in cælo & in terra potestatem obtinuisse, & judicem vivorum ac mortuorum constitutum fuisse (quæ Christum infinitis parasangis supra omnes nudos homines attollunt:) eatenus tantum vult negare humanitatem assumptam à Christo esse personam, quatenus illa est aliquid incompletum & partiale. Si ergo ostendi possit eam esse aliquid completum & totale, admittere pariter debebit esse personam. Antecedens autem est manifestæ veritatis. Nam humanitati Christi nihil defuit, quod in aliis sit hominibus, qui secundum usum hodie receptum personæ appellantur. Neque etiam fuit pars personæ τοῦ λόγου, ita ut ex divina & humana natura constitutum fuerit aliquod totum, cujus singulæ hæ naturæ sint partes. Sic enim natura divina esset etiam aliquid incompletum & partiale: quod absurdum. Non me latet quosdam esse, qui putant inconveniens istud vitare, dicendo λόγον assumpsisse Christum hominem in personæ suæ unitatem. Sed quid sibi vult hæc phrasis, & quomodo concipi potest id factum, si humana Christi natura personæ λόγου partem non constituat? Atqui, inquiunt, oportet cavere, ne duæ in Christo statuantur esse personæ. Omnino. Sed istud non cavetur, quamdiu constat in eo esse duos intellectus, & duas voluntates, in quibus proprie natura personæ, quæ est suppositum intellectuale, consistit. Quid ergo hic faciendum est? Resp. Præstaret fateri modum unionis duarum naturarum in Christo nobis esse incomprehensibilem, quam id quod manifestum est negare, & multis se contradictionibus involvere. Ad 3. difficulter illos effugere, quin animas separatas faciant personas, qui omnes iis actiones tribuunt, quas edebant in corpore. Sic enim non videntur amplius formarum rationem habere, sed aliquid completum & perfectum esse. Aut igitur negandum est animas hominum post excessum suum è corpore iisdem quibus antea posse vacare exercitiis, aut fatendum est eas esse personas, prout nunc ista vox accipitur. Quod vero addit Marcsius de Sociniana personæ definitione, supra ostendi quam ineptum sit, cum plus mille annis ante Socinum excogitata à Boëthio fuerit. Digladiationes vero Scholasticorum de ejus mente, tantum abest ut causæ quam defendendam suscepi ullo modo noceant, ut contra nihil magis ei prosit; cum inde appareat illam esse ambiguam, & serendis in Ecclesia dissidiis, quam componendis aptiorem; jureque me optavisse ut tandem aliquando è divinis mysteriis exterminaretur.

L. Sequitur Thes. 24. ubi dicit: *Sed neque ex illa Scholasticorum definitione potest sequi, quod si plures ejusmodi personæ darentur in Deo, esset compositus,* &c. Hic Marcsius depromit totam suam Metaphysicam de simplicitate & compositione, ut ostendat nullam ex pluralitate personarum in Deo compositionem sequi. Sed incassum. Ego enim ad illas compositionis species, quas memorat, non respexi: (quarum etiam nonnullæ sunt rationis, non rei, ut compositio ex natura & supposito, quæ nullam veram compositionem inferunt, adeo ut eas operose removere à Deo superfluum & inutile sit.) Nihil aliud mihi volui, nisi tres fore Deos, si tres in eo statuantur personæ, quæ singulæ sint individua intellectualia: sicut v. gr. dicimus senatum Amstelodamensem esse compositum, quia ex triginta sex viris constat. Quæ etiam est causa cur ii qui tres in una Dei essentia personas esse contendunt, non audeant dicere vocem personæ in eodem significatu de Deo & de hominibus dici. Ita Maccovius, *Persona dum de divinis dicitur & creaturis, aliter illis attribuitur*, Metaph. lib. 2. cap. 1. Quod deinde pluribus explicat & confirmat; interque alia hoc axiomate, *Quod Deus & creatura præter nomen nihil habeant commune.* Hacque de causa periculosum est voces hominibus convenientes ad Deum, scriptura non præeunte, transferre; cum inde variæ falsæ consequentiæ trahi queant.

LI. Deinde dixeram in præfatione mea; Substituunt itaque in locum definitionis personæ à Boëthio excogitatæ, aliam, quam Justino Martyri tribuunt, qui in Expositione fidei dicat; *personam divinam esse τρόπον ὑπάρξεως*, seu *modum existendi*. Sed non est cur celeberrimi istius scriptoris nomine quisquam ad eam recipiendam moveatur. Tractatus enim ex quo citatur, non est genuinus ejus fœtus, sed auctoris multo recentioris, ut Critici id validis rationibus evincunt;

eunt; inter alios Bellarminus, libro de scriptoribus Ecclesiasticis, & antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus Theologus Andreas Rivetus in Critico sacro. Ad quæ Maresius: *Verum & hic multifariam peccat. Nam primo dubitat quidem Bellarminus, sitne Justini illa expositio fidei: dicit tamen quod, cujuscunque sit, insignis liber est, & Justino auctore dignus. Idem fere est judicium Riveti, qui suspicatur autorem libri ducentis circiter annis Justino juniorem esse. Observat tamen tribui eum Justino, à Leontio & Euthymio Zigabeno: quibus addo Concil. VI. Oecumen. Act. 10. Nec alias dubium quin Justinus SS. Trinitatis dogma, asserta æterna filii divinitate, in suis scriptis satis luculenter propugnet, licet non ita aperte ut fit in expositione fidei. Loca Justini eo facientia legi possunt, & apud Becmannum, è nostris, Exercit. Theolog. 1. & apud Petavium, è Jesuitis, Tom. 2. Theol. dogm. præf. cap. 3.* Sed contra Maresius est reus, non tantum peccatorum quæ mihi improperat, sed etiam longe graviorum, utpote qui pugnat adversus ea de quorum veritate convictus est, & quæ negare non audet. Licuisset mihi rejicere definitionem personæ, ex libro qui inscribitur, Expositio fidei, inter opera Justini, allatam; cum Justini auctoritate non tenear. Sed mollius agere volens, dixi Criticos non agnoscere hunc tractatum pro genuino Justini Martyris fœtu; & duos citavi, Bellarminum & Rivetum. Quid facit hic Maresius? particulas decerpit ex utriusque testimoniis, quibus robur eorum infirmet, & potiora prætermittit. Referam igitur integrum Riveti locum; sed ex medulla Patrum (unde descriptus est) Sculteti, lib. 1. cap. 10. ubi sic de eo pronunciat. *Expositionem fidei genuinam Justini non esse, spero his me cuique rationibus evidenter probaturum.* Rivetus dicit illum evicisse. *1. Stylus in hoc libro nitidior est, quam in Pareneticis & Apologeticis ad Græcos, & in Agonisticis ad Tryphonem. Id quod Magdeburgenses etiam historiographi, & nuperrime vir doctissimus Fridericus Sylburgius annotarunt. 2. Eusebius, Hieronymus, Photius, Honorius meminissent utique libri hujus: cum illis temporibus multum ad certamina de S. Trinitate conferre potuisset Justini autoritas. 3. Vocabula μονάδος, τριάδος, & alia hujus doctrinæ, nondum adeo in Ecclesia erant usitata. Itaque nuspiam illorum in Justini scriptis γνησίοις fit mentio: cum tamen doctrinam de Deo, Patre, Filio, & Spiritu S. aliquoties ex professo tractet. 4. Præterea tota pars secunda, inprimisque ultima quæstio de discrimine inhabitationis Christi in carne, & inhabitationis ejusdem in aliis rebus creatis omnibus, magno nobis documento est, post Nestorii demum controversiam motam librum hunc fuisse confectum. 5. Corroborat hanc sententiam, quod in ipso Ἐκθέσεως exordio scribit:* Ἕνα τοίνυν θεὸν σέβειν ἡμᾶς αἵ τε θεῖαι γραφαὶ διδάσκουσιν, αἵ τε τῶν πατέρων διδασκαλίαι παιδεύουσι. Id est, *unum quidem Deum colere nos & divinæ literæ docent, & Patrum erudiunt institutiones. Quorum enim Patrum doctrinæ hunc erudierunt, qui se Apostolorum esse discipulum gloriatur, epistola ad Diognetum? At enim meminit hujus libri Leontius Hierosolymitanus, meminit Euthymius Zigabenus. Meminisse potuerunt circa annum Christi 600. aut 500. libri qui, si quid conjecturis dandum, circa annum 400. est scriptus, & veteris Justini nomine publicatus. Nec id novum: cum Athanasii quoque scripta supposititia à pastoribus citentur.*

LII. Falsum etiam est Justinum in aliis suis scriptis satis luculenter æternam filii Divinitatem asseruisse. Nec id probatur testimoniis inde à Becmanno & Petavio citatis: ubi tantum dicitur quod Christus sit *Deus adorandus*: & quod *Deus primitus ante omnes creaturas ex se genuerit virtutem quandam rationalem*: aliaque similia, quæ Ariani non illibenter fatebantur. Contra multa sunt in eo alia loca ubi τὸν λόγον Patre longe inferiorem facit. Id tantum citabo quod Petavius ipse affert; ut appareat Maresium, qui ad eum nos remittit, vel Petavium non inspexisse, vel pessima se hic fide gessisse. *Justinus Martyr*, inquit, *unus ex antiquissimis, qui quidem extra controversiam sunt, minorem Patre Filium posuit, non solum quatenus hominem se fecit, sed etiam divinitate, & antequam humana se carne vestiret. Prorsus enim, quod ex Judæis & Platone Arianos expressisse Gregorius Nyssenus queritur, Deum Patrem constituit* ὑπερκεῖσθαί τινα κτίστην καὶ ποιητὴν ὑποβεβηκότος θεοῦ supremum conditorem, ac Dei inferioris opificem, & subjecti. *In Dialogo cum Tryphone, Dei Filium & verbum asserit, ante susceptam hominis naturam, sæpe Patriarchis apparuisse. Nam quoties in scriptura legitur, Angelum Dominicum Abrahamo, Mose, ac reliquis esse locutum, ait ipsum intelligi Filium Dei à Patre missum, & ejus ministrum.* Quod iste, qui à Patriarchis est conspectus, Deus, & Angelus, & Dominus appellatur; ut vel ex his intelligatis ipsum universorum parenti ministrasse. *Et paulo post, Angelum, qui Mosi dixit,* Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, *negat fuisse conditorem omnium Patrem, sed Filium Patris administrum.* Sed quem vobis demonstravimus Abrahamo visum esse & Jacob, qui conditoris universorum voluntati ministravit: *Hujus rei causam reddit ejusmodi, quæ sententiam illius evidentiorem facit. Nam idcirco filium ac verbum Patribus sui videndi fecisse copiam ait, quod universorum Pater & conditor* neque superiora cælo spatia relinquere possit, nec in exigua terræ parte conspici. *Ac post multa deinde producta testimonia scripturæ, in quibus veteribus apparuisse collocutusque esse dicitur; per illa ipsa demonstratum ait esse, Filium Dei significari,* qui sit Patri ac Domino subjectus, ejusque voluntati serviat. *Mox; cum in iisdem Sacris libris legitur*, Ascendisse Dominus ab Abrahamo; *vel*, locutus Moysi; vel descendisse ut videret turrim, *vel clausisse* Deus arcam Noë deforis; cavete putetis, *inquit* vel ipsum ingenitum Deum descendisse alicunde; vel adscendisse. Etenim ineffabilis Pater ac Dominus omnium, neque profectus est aliquo, neque ambulat, neque dormit, neque surgit, sed in suo, ubicunque demum, manet loco acute intuens & audiens, non oculis, nec auribus, sed vi quadam inexplicabili,

& omnia

& omnia prospicit, & cognoscit omnia, nec eum latere potest quispiam nostrum; nec movetur; cum loco nullo, ac ne mundo ipso quidem contineri possit; quippe qui antequam mundus esset, extiterit. Quomodo igitur vel alicui iste loqueretur; vel conspiceretur ab aliquo, vel in exigua terræ particula cerneretur, cum ne ejus quidem, qui ab ipso missus erat, gloriam, intueri populus in Sina potuerit; nec vel ipse Moyses in tabernaculum, quod fecerat, ingredi, nisi communicata ipsum à Deo gloria complevisset? *Ac paucis interjectis ita concludit:* Igitur nec Abraham, nec Isaac, nec alius mortalium quisquam vidit Patrem, & ineffabilem Dominum omnium simpliciter, adeoque ipsiusmet Christi: sed illum, qui de ipsius voluntate Deus est, ejus filius, & Angelus, ex eo quod ipsius voluntatis administer sit, quem & hominem nasci per virginem voluit; qui & ignis aliquando in illo de rubo cum Mose colloquio factus est. *Addit præterea, nisi eo modo scripturas explicemus, consequens fore, cum in iis legimus,* pluisse Dominum à Domino de cælo ignem & sulfur, *& id genus alia, Patrem ipsum universorum ac Dominum, aliquando in cælo non fuisse. Quæ omnia demonstrant, Justinum, inferioris cujusdam conditionis esse putasse filium, etiam antequam homo fieret; ac minorem esse Deum, qui nec ubique esset, & spatio circumscriberetur aliquo, & paternæ voluntati serviret.*

LIII. *Huic Justini opinioni non parum refragatur expositio illa fidei, quæ Justini ejusdem nomine est inscripta; sed alterius est omnino. Quod non modo stylus ipse persuadere cuivis potest linguæ illius non omnino rudi: sed illud insuper quod Bellarminum movit, ut de auctore Justino solummodo dubitaret; quod &* veteres ejus non meminerunt: *&* multo apertius & distinctius differit de mysteriis Trinitatis, & incarnationis, quam scriptores ejus seculi soleant facere. *Quod profecto verum est, nam & de essentia, sive οὐσίας unitate, & de hypostaseon trinitate, & de filii generatione, processione vero Spiritus S., ea diserte ac subtiliter disputat, quæ neque ab antiquis cæteris, ante Nicænum Concilium, usurpata esse constat: neque, nisi patefacto illustratoque, post Arianam procellam, dogmate isto, scribi potuerunt. Præsertim cum vox hypostasis, non modo ante Nicænum Concilium, sed ne ab ipsis quidem Nicænis Patribus, alit[…]ere accepta sit, quam pro οὐσίᾳ & substantia, rarissime vero pro persona, & proprietate διακριτικῇ ac numerum faciente. Quare nemo doctus ac prudens, librum istum, qui alioqui elegans est & eruditus, Justino tribuendum existimet.* Hactenus Petavius, Theolog. Dogmatum Tomo 2. lib. 1. cap. 3. cujus locum, etsi prolixiorem, describere integrum volui; ut inde constet quam impudenter & imprudenter Maresius ad Justinum & Petavium, tanquam pro se facientes, provocarit, cum uterque ipsi directe adversetur.

XIV. Quæ sequuntur Thesi 26. nullius sunt momenti; ubi dicit; *primo vix credo repertum iri inter recentiores Scholasticos, qui priori* (personæ) *definitioni hanc tanquam ex Iustino substituat & præferat,* &c. *Secundo, cum persona possit considerari bifariam, vel in concreto, vel in abstracto; personalitas ipsa posset in abstracto statui τρόπος ὑπάρξεως in natura intellectuali,* &c. Respondeo igitur breviter ad primum: Parum mea referre quid sentiant recentiores Scholastici. Ad illos enim non attendebam, cum dixi esse aliquos qui in locum Boëthianæ definitionis personæ, aliam tanquam ex Justino substituerent: sed ad Theologos reformatos, quibus istud est in usu. Et inter alios ad Zachariam Ursinum, qui dicit in Catecheticis explicat. loco de Deo. n. 4. de nominibus essentiæ, personæ, &c. *Sic in Ecclesia nomine essentiæ Dei intelligitur id quod Deus est, &c. nomine autem personæ intelligitur modus quo existit id quod Deus est (qui triplex est, à se existere, generatum esse, procedere) hoc est, id quod singuli illorum trium ad alios collati, seu relative & secundum existendi modum cuique peculiarem considerati sunt, & dicuntur, & eorum cuique est proprium: videlicet Pater æternus à se existens; Filius ex Patre genitus; & Spiritus S. ab utroque procedens. Una igitur Deitatis essentia est, tres autem personæ, quia tres sunt modi, quibus una illa Deitatis essentia subsistit, ut loquitur Justinus Martyr, μία ὕπαρξις, τρόποι δὲ ὑπάρξεως τρεῖς. Etenim persona hoc loco nequaquam relationem duntaxat seu officium significat,* &c. *multo minus vultum,* &c. *Sed significat ipsum gignens, aut genitum, aut procedens.* Edit. Neostat. Anno 1591. pag. 249. 250. Unde apparet Ursinum distinctionem personæ in abstracto & concreto non modo non agnovisse, sed etiam refutasse: Item respexi ad Barth. Keckermannum, cujus hæc sunt verba: *Nota est usitata illa definitio à Boëthio & Philippo collecta,* (addere potuisset, & à *Scholasticis*) *quod persona sit individuum incommunicabile, intelligens, non pars alterius, nec sustentatum ab alio. Quæ definitio aliis extra S. S. Trinitatem personis optime congruit. Sed in hoc mysterio altius quid & tutius cogitandum est: & diligenter retinenda definitio Damasceni ex Justino Martyre hausta, & cap. ult. Dialecticæ tradita, ubi inquit; ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος ὑπόστασις ἐστὶν ἄναρχος τρόπος τῆς ἀϊδίου ὑπάρξεως: Id est, in sancta Trinitate persona est modus æternæ existentiæ, modus (inquam) principio carens.* System. Theolog. lib. 1. cap. 3. Ad secundum vero dico, merum esse effugium, recenter, contra mentem eorum qui ita personam definiverunt, excogitatum. Quidam enim videntes absurditatem ejus sibi exprobrari à Doctoribus Lutheranis, & aliis, hoc σοφὸν φάρμακον invenerunt, ut concederent personam quidem in abstracto, quam personalitatem vocant, esse modum existendi; sed consideratam in concreto definiri debere prout Boëthius & Scholastici fecerunt. Quibus Keckermannus ibidem directe adversatur, dicens: *Neque hic confunditur persona cum proprietate personali, quam nonnulli personalitatem vocant: quia aliud est existendi modus, aliud ex illo modo fluens proprietas.* Rejicit ergo distinctionem, sub qua solum istam definitionem admittendam censet Maresius. In qua etiam non capio, quomodo Damascenus personam vocet

ἄναρχον τρόπον, modum principio carentem: cum istud soli Patri conveniat; qui, ut scriptura docet, & omnes Theologi agnoscunt, principium est Filii & Spiritus Sancti.

LV. De illa personæ definitione dixeram, eam propius inspectam mihi absurdam videri. Nam secundum Metaphysicos modus entis medium quiddam est, inter ens & purum putum nihil: in quem etiam censum referunt privationes, entia rationis, & alia hujusmodi. Unde sequitur, si persona divina nihil aliud sit nisi ejusmodi modus entis, eam minus entitatis habituram quam accidens, & propemodum nihil fore. Proinde, cum, ut celebres multi Theologi sentiunt, essentia in divinis nec generet, nec generetur, sed tantum persona; tum Pater, qua Pater est, & Filium genuit, tum Filius, qua Filius est, & à Patre genitus, minus quid erunt quam exile accidens: quod an non ad Atheismum viam sternat intelligentibus considerandum relinquo. Ad quæ Maresius Thes. 27. & 28. *At vero in hoc sermone se prodit, cum puerili ignorantia rerum philosophicarum, hujus hominis impietas & protervia. Ridiculum est quod ex nonnullorum Metaphysicorum doctrina, juxta quam datur aliquod medium inter ens strictius sumptum, & nihil, vult colligere modos entis, ad tale medium spectantes, propemodum nihil esse, & minus quid quam exilia accidentia. Nam ipsum quoque accidens, quod vel Aristoteli potius est modus entis quam ens, revera modus est substantia, qui eam varie afficit & determinat. figura, situs, motus, quies, habitus, necessitas, contingentia, similitudo, æqualitas, actus, potentia, finitudo, unio substantialis animæ cum corpore, vel hypostatica naturarum in Christo, subsistentia, &c. modi sunt qui nullam entitatem positivam addunt subjecto, sed illud tamen varie modificant & afficiunt.* Non possunt accusari puerilis ignorantiæ qui in subtilitatibus Metaphysicis non sunt consummati, quin pariter damnentur omnes Prophetæ & Apostoli, quos certum est vix prima hujus *ματαιοτεχνίας* elementa cognovisse. Sed tamen quia hoc quo vivimus seculo id quodammodo necessarium est, ad sophistas in suas latebras persequendum, aliquid etiam temporis huic studio licet alias ingrato impendi. Nec opus est me frequentare Maresii scholas, ut ab eo discam quæ hactenus ignoravi. Non me fugit igitur esse eximios philosophos, qui omnia accidentia nihil aliud nisi substantiarum modos esse existiment; cum quibus mihi nihil fuit negotii in ista disputatione. Illos solum notavi qui postquam distinxerunt ens in substantiam & accidens, deinde statuunt quædam media inter ens & nihil, ad quæ referunt modos; quos proinde secundum istam hypothesin oportet minus quid esse quam exilia accidentia & propemodum nihil. Dolui igitur merito Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, inter istos modos recenseri. In quo nulla est protervia & impietas: Sed ab istis criminibus immunes non sunt illi qui potius cælum terræ miscere parati sunt, quam ut ejusmodi ridiculis vocibus contradici sinant. Me autem nihil hic finxisse docebit idem quem modo citavi Bart. Keckermannus, qui de modis ita disserit: *Sed quid iste sit modus, multis intellectu difficile videbitur. Quos tamen hoc velim cogitare in rebus omnibus esse aliquid, quod rebus additum, res quidem non sit, sed quidam rei gradus, ut gradus caloris per quem fit tepor & fervor, calor quidem ipse non est, sed caloris modus. Sic etiam in Deo aliquid est, quod quidem à Deo diversa res non est, vel quod non est alius Deus, & tamen ipsa Dei essentia non est, sed hujus essentiæ modus.* Et sæpe repetit cap. 3. & 4. personas divinas non esse res seu entia, sed tantum modos. Quod non probavit Wendelinus, qui dicit, *Persona divina non est tantum τρόπος ὑπάρξεως modus subsistendi: sed est essentia cum modo subsistendi. Unde personæ inter se differunt quidem realiter, attamen ab essentia realiter non differunt. Loquimur hoc loco de persona, ut loqui de ea solet scriptura, quoties personæ alicujus divinæ mentionem facit. Nuspiam nobis ullam Divinitatis personam describit per nudum ὑπάρξεως τρόπον seu modum subsistendi. Persona divina in scripturis Deus est: unde Dei nomina, opera, attributa, honor, singulis personis tribuuntur verissime, propriissime: quæ an nudo ὑπάρξεως τρόπῳ, seu modo subsistendi, commode tribui possint, mens pia cogitet.* Christ. Theol. l. 1. cap. 2. Hæc omnia adversus Keckermannum, licet tecte, dicta fuerunt. Quidni ergo mihi licuisset apertius enunciare, & absurda quæ inde sequuntur exaggerare? Sane id non dissimularunt Lutherani, ut Mentzerus, qui dicit; *Tres personas trinitatis distingui, non distinctione reali, sed differre modaliter, & personam esse ipsum modum subsistendi disputat B. Keckermannus ex Ursino, System. Theol. Quam personæ definitionem etiam ponit Sohnius, & defendit Pierius, & alii: Quomodo jam consistet reale discrimen personarum Trinitatis, contra Sabellianos?* In Exegesi Augustanæ confessionis, art. 1. Similiter Eckardus: *Noëtianorum & Sabellianorum hæresin ex Ecclesia jamdudum profligatam postliminio revocare conatus nuper fuit B. Keckermannus, dum explosa differentia reali, modaliter duntaxat personas Divinitatis invicem differre scripsit in Systemate Theologico*: in fascic. controvers. cap. 2. quæst. 6. Nihil aliud, quod ad substantiam, dixi, quam isti scriptores. Cur ergo in eos etiam non est invectus Maresius? Sed & Lutherani ipsi qui Reformatis Sabellianismum objiciunt, non videntur omnes ab eo esse immunes. Quo facit illud quod Wendelinus loco modo citato refert: *Theologi nonnulli docent, personas divinas seorsim sigillatim consideratas ab essentia divina differre ratione: simul autem sumptas, nullo prorsus modo differre ab essentia divina, sed esse ipsissimam essentiam divinam absolute consideratam. Ita inter alios Grauerus aliquoties in Explicat. Confess. August. Quod an satis caute dicatur, docti viderint*, &c. Hæc sane non valde distant à Sabellii opinione; & ostendunt eos qui de personis divinis extra ea quæ revelata sunt digladiantur, nihil adhuc habere certi in quo consistant.

Nec necesse est immorari in Ursino, Keckermanno

manno & aliis, qui distinctionem vocis personæ in abstracto & concreto ignorarunt, aut etiam diserte rejecerunt; ipse Maresius & quotquot cum illo volunt personam in concreto acceptam comprehendere essentiam divinam, cum modo subsistendi unicuique peculiari, effugere nequeunt Sabellianismum. Nam personæ nec ab essentia, nec à se invicem distinguuntur per essentiam, quæ eadem numero omnibus illis creditur esse communis. Oportet igitur ut distinctio fiat per solos subsistendi modos; quos ostendi ex Metaphysicis esse quippiam adeo exile, ut medium teneant locum inter accidentia & purum putum nihil. Quantulum istud abest à Sabellio, qui Patrem, Filium, & Spiritum S. non nisi respectibus inter se differre existimabat?

Sequitur: *Minus quoque Philosophice entia rationis accenset modis entis, cum modus entis non sit ens, ut nec modus scientiæ scientia est: ens vero rationis, inter entia saltem diminuta, vulgo refertur. Ipsa quoque privationes, ut morbus, cæcitas, peccatum, &c. sic afficiunt subjectum, ut qui eas, quod illius modi sint, propemodum nihil esse dixerit, agnatorum curæ merito sit committendus.* Quam immerito hæc mihi objiciat Maresius, facile est agnoscere ex meis verbis, quæ ipse descripsit, ut alia responsione non sit opus. Non enim modis entis accensui entia rationis, aut privationes: sed tantum dixi Metaphysicos ad medium illud quod fingunt inter ens & purum putum nihil, referre privationes, entia rationis, & alia hujusmodi. Quæ quantum inter se differant, vident qui plane cæci non sunt. Si ita lapsus essem in ipsius aut alicujus alterius verbis explicandis, quas tragœdias non excitaret!

LVI. Pergit Thes. 29. *Sed his tricis Metaphysicis ultro missis; ex eo quod fatemur subsistentiam, suppositalitatem, personalitatem in abstracto, esse modum entis, impie colligit Antitrinitarius, personam Patris & Filii, sive Patrem & Filium in concreto, nihil aliud quam modos entis esse statuendos. Verum quidem est essentiam nec generare nec generari; quod æque verum est in humanis ac in divinis. Nam utrobique suppositum & persona est quæ gignit & quæ gignitur, non essentia, vel natura. Nec fando auditum est in procreatione liberorum naturam humanam generare aut generari. Sed interea tamen persona quæ gignit, censetur habere eam naturam & essentiam quæ filio genito communicatur*, &c. Utinam aliquando tricis metaphysicis nuncium mitteres! Sic in meliorem evaderes Theologum. Sed ita iis assuetus es, & adeo tibi placent, ut vix quicquam possis dicere quod illis non scateat. Quid enim aliud sunt tua subsistentia, suppositalitas, & personalitas in abstracto, & essentia nec generans, nec genita, cæteraque de quibus in hac Thesi & sequentibus dissseris, nisi meræ tricæ, λογομαχίαι, & sophismata? Certe in his duobus verbis, *impie colligit*, bis graviter peccas. Primo enim impietas non est proprie in collectione, etiamsi illud quod colligeretur esset impium: sed impietas foret in præmissis unde talis eliceretur conclusio. Si vero male elicita esset, & contra Logicæ artis regulas, imperitia id deberet vocari. Secundo, nihil collegi, sed tantum aliorum sententiam retuli & pene iisdem verbis quibus eam proponunt, ut appareret quam absurda esset. Ita ut si in illa aliqua deprehendatur impietas, non mihi, sed auctoribus unde exscripsi exprobranda sit. En Maresii improbitatem! qui suorum impie dicta, quæ refuto, mihi tanquam impias collectiones objicit. Nec tantum in hoc loco, sed etiam in multis aliis istius dissertationis. Valde etiam confidenter loquitur de essentia quæ tam in Deo quam in hominibus, nec generet, nec generetur; quasi contrarium absque ingenti absurditate asseri nequeat. Ita tamen non est visum doctissimo Balth. Mentzero, dicenti: *Cogitet igitur Crocius qualis sit sermo; Persona gignit & gignitur, non essentia. Scriptura enim expresse dicit, sapientiam divinam esse genitam, Proverb.* VIII. 24. 25. *Quo vocabulo notari essentiam divinam, (suo subsistendi modo limitatam) non puto cordatum quempiam Theologum negaturum. Opus est ergo dextra distinctione. Deus essentialiter dictus non habet Filium. Sic divina essentia, absolute dicta, neque generat, neque generatur. Ast Deus qui est prima persona, nempe Pater, habet Filium, Johan.* III. 16. *Sic Deus dilexit mundum ut daret Filium suum unigenitum. In hoc igitur sensu fatendum, uti recte dicitur sapientia genita, nempe ὑποστατικῶς dicta in persona Filii: sic etiam recte dici, essentiam Patris, ut Patris est, hoc est ut limitate in persona Patris consideratur, gignere.* In defensione August. Confess. contra Urbanum Pierium & Collat. Ludovicum Crocium, disputat. 3. Non minus ergo recte dicitur essentiam, quam personam, & gignere & gigni. Nisi forte Maresius id pro sophistica sua ordinaria intelligat de essentia in abstracto. Sed tunc etiam persona in abstracto, seu personalitas, in eo conveniet cum essentia, & de utraque dicendum erit, eam nec gignere nec gigni. Cum ergo Pater ex sua essentia gignat Filium, & Filius à Patre dum generatur essentiam accipiat, cur non æque bene dicetur de essentia, atque de persona, eam & gignere & gigni? Quod etiam tandem noster matæologus in ultimis quæ descripsi verbis confiteri cogitur.

LVII. Sed hic aliud suum monstrum videtur insinuare voluisse, de Filio αὐτοθέῳ, seu à se ipso Deo, ut tradit in Systema. Theol. loc. 3. Th. 21. Quo Filius Dei revera negatur esse filius, quocunque sophismate impietatem istam velare contendat, & Patri prærogativa quam habet in divinis eripitur. Nec fingi potest, nisi absurde & contradictorie, Filium respectu personæ à Patre esse genitum, essentiam vero, quia non generetur, à se ipso habere. Jam enim hoc effugium præclusi, ostendens essentiam in concreto sumptam, id est, ens præditum essentia, æque ac personam generari. Et quamvis illud negaretur, nemo tamen potest diffiteri, quin Filio essentia quam habet à Patre per generationem sit

communicata. Qua fronte igitur dicetur Filium à se ipso esse Deum, cum totum id quod est, & habet, id à Patre acceperit; ac proinde essentiam quoque: nisi personam essentia carentem, seu merum ὑπάρξεως τρόπον, modum subsistendi (quod repudiat Maresius) imagineris. Et istud est quod sibi voluit Lucas Trelcatius Junior, dicens, *Essentia est qua per se & ex se absolute Deus existit. Est enim id solum quod est, & qui est, id est οὐσία alteri non innitens, &c. Hac essentia qua numero ac individuo una est, improprie à persona personæ dicitur communicari, cum essentia sit αὐτουσία, illiusque respectu unaquaque trium in divinitate personarum αὐτόθεος sit; propriissime vero tribus personis communis dicitur; non ut universalis singularibus, non ut accidens subjectis, non ut totum partibus, non denique ut res rebus, sed ut res suis modis qui sunt in re. Sunt enim personæ τρόποι ὑπάρξεως, seu modi essentiæ divinæ, à qua distinguuntur, non sola ratione, non distinctione reali, sed rei gradu ac modo*, Instit. Theol. lib. 1. loc. 2. de Deo. Hic Trelcatius præ studio Filium in omnibus Patri exæquandi, parum abest, quin Filium esse neget. Si enim essentiam habet cum Patre communem, sed non communicatam, jam Patri collateralis est, nec à Patre in esse suo dependet: Et accensendus Ursino, Keckermanno & aliis supra memoratis, qui personam definiunt per nudum existendi modum, id est per aliquid adeo exile ut propemodum nihil sit: ostenditque me nihil imposuisse Theologis Reformatis, cum dixi aliquos eorum in ista opinione esse. Filium vero à se ipso ratione essentiæ Deum esse, consistere nequit cum verbis Symboli Nicæni, quod profitetur Christum esse θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, *Deum de Deo, lumen de lumine*: Quæ de toto Christo, quantus quantus est, intelligenda esse, nullus est qui non videat. Consentiunt veteres Doctores, qui Patrem vocant ἀρχὴν καὶ αἴτιον, *principium & causam* Filii: ut agnoscit Maresius, loco citato, *Thes.* XV. Licet, pro auctoritate sua, appellationem *causæ* improbet; veritus, ut opinor, ne nimio honore Patrem afficiat, aut plus quam par est ipsum supra Filium extollat. Quidam nihilominus pertendunt Filium recte dici αὐτόθεον, quatenus hac voce significatur is qui vere Deus est. Sed aberrant à scopo. Non enim quæritur, an aliquo respectu Filius possit dici αὐτόθεος (quod libenter concedo) sed tantum, an recte dicatur ipsum essentiam divinam habere ex se ipso, & non à Patre. Istud est quod diserte nego, quia Filium Dei in eum qui non est filius transformat. Omnis enim filius totum id quod est à patre habet, ac proinde essentiam quoque, sine qua personam ab illo habere nequiret. Si hoc confitentur, cur pugnas movent de voce quæ nusquam in scriptura extat, aut Christo tribuitur? Sed aliud volunt; nempe prærogativam quam Patri verbis denegare non audent, ei reipsa eripere. Istud manifeste apparet in Maresio, qui Thes. 32. dicit: *Sed neque illa ὑπεροχὴ Patris perfectionem aliquam entitativam ei tribuit, quæ aliis duobus non conveniat; sed tantum distinctionem relativam & personalem.* Quod an cum scripturis satis recte congruat, examinare poterunt qui in re tanti momenti decipi verebuntur. Hieronymus sane Zanchius, licet acer dogmatis Trinitatis defensor, non acquievit in eo, qui Epist. lib. 1. sic de Christo in Epist. ad Joan. Wilhelmum Stuckium scribit: *Christus est supra omnes creaturas, sed infra Patrem triplici respectu; ut homo, ut mediator, ut filius. Ut homo, notum est omnibus. Ut mediator, constat; quia qui intercedit, etiamsi æqualis sit natura & dignitate illi apud quem intercedit, ut rex apud regem, ratione tamen officii quod facit, minor est illo. Imo ut filius quoque, minor Patre non incongrue dici potest, quia plus est esse à nullo, quam esse ab alio, & generare quam generari. Et hoc sensu multi Patres locum illum, Pater major me est, interpretantur. Quin & Christus ipse ordinem hunc docuit esse in divinis personis, ut primus locus semper detur Patri, secundus Filio, tertius Spiritui Sancto. Unde & veteres Patres non dubitarunt dicere, Christianos adorare primo loco Patrem, secundo Filium, tertio Spiritum Sanctum: quia tamen non multos, sed unum duntaxat Deum se adorare profitentur: ita neque impium fuerit si quis dicat, Deum qui est de Deo, inferiorem illo esse, qui Deus non est de Deo. Majus enim quiddam est Deitatem habere à seipso, quam eandem habere ab alio sibi communicatam.* Nunc plura non addam, quia mox de eodem fusius agendi se offeret occasio.

LVIII. Addideram, Unde porro colligo eos qui personam per modum existendi definiunt, ut & illos qui negant esse rem, seu ens aliquod vel substantiam, non videri habere legitimam causam, cur admodum succenseant illis qui unam tantum in Deo personam agnoscunt. Utrique enim in hoc quod præcipuum est conveniunt, essentiam & naturam divinam esse unam, & eam totam in Patre esse, nihilque essentiæ Dei decedere, sive una, sive plures censeantur esse personæ. Et quæ inter ipsos agitatur controversia non est de re aliqua, sed tantum de modo rei, qui adeo exilis est, ut minus sit quam accidens, & fere nihil. De re autem tam exigua, (si per ipsos rem mihi dicere liceat) pacis & unitatis Ecclesiasticæ amantes cum aliis digladiari non decet. Ad quæ antequam respondeat Maresius, vocat ea, *insanam θεομαχίαν*, & exclamat: *O hominem improbum & impium! cui SS. Trinitatis doctrina & vera divinitas Christi servatoris, res sunt nullius momenti, & titivillitiis in Religione Christiana annumerandæ, & cui indifferens est Sabellianismum sectari, vel Tritheismum, Ario aut Photino militare.* Sed longe justiorem, Maresi, habeo de te ut impudentissimo calumniatore conquerendi causam, qui tanquam adversus Deum dicta accipis, quæ ego de ineptis hominum commentis, à temetipso improbatis, intellexi. Nam de iis solum egi qui personam divinam definiunt per modum existendi, negantque istum modum esse rem seu ens aliquod, ac proinde non longe

abeunt

abeunt à Sabellii dogmate: & dixi, non esse cur admodum illis infensi sint qui unam tantum in Deo personam agnoscunt. Quod verissimum esse historia hæc fidem faciet. Novi alias virum doctum Sabellianismo addictum, cui cum exposita fuisset Socinianorum sententia, dixit, se Deo gratias agere, quod veritati propiores essent, quam putarat: Et verisimile est alios quoque Sabellianos, in pari casu, non aliter quam istum sensuros. Quid ergo peccavi, loquens secundum istam hypothesin, ut Maresius adeo acerbe contra me paratragœdiaret, & opinionum, de quibus nunquam cogitavi, monstra exprobraret? Sed audiamus quid præterea asserat.

LIX. Thes. 31. *Equidem conveniat inter Orthodoxos & hæreticos, essentiam & naturam divinam esse unam, & eam totam in Patre esse. Sed non conveniunt in eo quod hic palmarium est, & negatur ab hæreticis, videlicet hanc unam naturam divinam sic totam in Patre esse, ut similiter sit tota, utpote indivisa, in Filio, cui Pater habere dedit vitam in se ipso, sicut ipse Pater habet quoque vitam in se ipso, Joan.* V. 26. *qui & inde Deus super omnia benedictus Paulo dicitur, Rom.* IX. 5. *tota quoque in Spiritu S. qui & ideo Deus appellatur,* 2 *Cor.* III. 17. 18. Resp. Tibi quicquid lubet orthodoxum & hæreticum dicitur, quasi in tui solius arbitrio positum esset id definire. Atqui non ignoras hanc phrasin, pro qua tu tanquam pro aris & focis bella moves, gravissimis rationibus impugnari. 1. Sacra scriptura, quæ est unica & perfectissima & sufficientissima fidei nostræ norma, nusquam ita loquitur, nempe *Unam eandemque naturam divinam sic totam in Patre esse, ut similiter sit tota in Filio, & tota quoque in Spiritu Sancto.* Ergo non est ad salutem necessarium illa phrasi uti. Antecedens patet: Quia nullus hactenus allatus est ex scriptura locus qui eam usurpet. Consequentis veritatem satis probant illa quæ in prima hujus dissertationis parte adversus necessitatem utendi aliis vocibus & phrasibus quam scripturæ sacræ disputavi. 2. Istam phrasim non intelligo. Videtur enim mihi contradictionem implicare, & idem esse ac si dicerem, Filium & Spiritum Sanctum unam eandemque cum Patre esse personam. Ergo ad eam recipiendam non sum obligatus; frustraque id à me exigitur, quia fieret sine fructu, & more psittacorum recitarem verba quæ non capio. Antecedens inde liquet, quia unaquæque res est id quod est & ab aliis distinguitur per suam propriam naturam & essentiam. Si ergo personæ divinæ non habeant singulæ propriam suam naturam, sed unam tantum numero, tribus communem, non jam amplius sunt tres personæ, sed una. Quod à contradictione liberare non possum, etiamsi maxime cupiam.

LX. 3. Prærogativa illa quam sacræ literæ ubique tribuunt Patri in divinitate supra Filium & Spiritum Sanctum, non permittit ut dicamus unam naturam divinam ita totam esse in Patre, ut similiter sit tota in Filio, & tota quoque in Spiritu Sancto. Ergo iste loquendi modus usurpandus non videtur. De consequentia nemo, ut opinor, mihi litem movebit, dummodo de antecedentis veritate recte constet. Id ergo solum restat probandum. Quod sequentibus argumentis facio. 1. Quod nomine Dei simpliciter & absolute posito solus Pater ordinarie in scriptura intelligatur, non Filius, aut Spiritus Sanctus: ut apparet præcipue ex illis locis ubi Deus à Jesu Christo & Spiritu Sancto distinguitur. Ex. gr. quando Christus vocatur Filius Dei, Filius Altissimi, Verbum Dei, Imago Dei, & cum Deus dicitur misisse Filium suum, unxisse Spiritu Sancto, suscitasse eum ex mortuis, collocasse ad dextram suam, constituisse judicem vivorum & mortuorum, aliaque ejusmodi plura. Item de Spiritu S. dicitur quod sit Spiritus Dei, Spiritus ejus qui suscitavit Christum è mortuis, & similia. Ubi nomine Dei solus Pater intelligitur. Scriptura autem non sic loqueretur, nisi nomen Dei ex speciali quadam prærogativa conveniret Patri supra Filium & Spiritum Sanctum, quatenus est fons & origo omnis Deitatis quam habent. 2. Quod Pater à Christo appellatur *solus verus Deus, Joan.* XVII. 3. Non quod Filius quoque non sit verus Deus: absit ut quisquam id neget! sed quia non est summus Deus, ut Pater. Proprium enim summi Dei est, ut sit independens. Talis autem est solus Pater; non Filius, aut Spiritus Sanctus, quia suam Deitatem ab illo acceperunt: & ita id interpretati sunt quidam ex Veteribus, ut Theodorus Heracleotes, scriptor orthodoxus. De quo Maldonatus in hunc locum: *Novam aliam, & nescio an aliquanto audaciorem interpretationem apud Theodorum Heracleotem invenio, Christum, solum Patrem suum verum Deum appellasse,* διὰ τὸ ἀγέννητον εἶναι, *id est, quod ingenitus sit, ut Theologi loquuntur, id est ab alio originem non habens, sed ipse potius sit aliarum personarum divinarum origo.* 3. Appellationes Patris & Filii istam de qua agimus subordinationem manifeste ostendunt. Omnis enim filius suum esse accipit à patre, & isto respectu eo est inferior. Sed præterea cum inter homines ii qui sunt patres ab aliis anterioribus geniti fuerint, donec ad primum deveniatur, qui à Deo immediate creatus est; in divinis contra Pater à nullo anteriore suum esse habet, atque ita excellentiori ratione est Pater, longeque magis supra Filium eminet, quam ullus hominum in terra supra liberos suos; cum istud patribus & liberis suis sit commune, quod omnes, nullo prorsus excepto, facti fuerint. 4. Christus est quidem *Deus supra omnes benedictus in secula, Rom.* IX. 5. imperiumque in omnes homines, angelos, reliquasque creaturas obtinet: sed tamen habet Deum Patrem supra se; in *cujus potestate est*, quemadmodum *nos sumus* in potestate *Christi*, 1 *Corinth.* III. 23. qui est ejus *caput*, sicut *caput mulieris est vir, & caput viri est Christus*, 1 *Corinth.* XI. 3. qui est Deus Christi, ut testatur

testatur Apostolus *Hebr.* I. 9. ex *Psal.* XLV. 8. *Propterea unxit te ô Deus* (Fili) *Deus tuus* (Pater) *oleo exultationis præ participibus tuis.* 5. Christus omnia sua miracula & opera divina ad Patrem auctorem refert: *Opera quæ dedit Pater, ut perficiam ea; ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*, *Joan.* X. 25. 37. 38. & XIV. 10. Et pro iis gratias agit Deo Patri quod ipsum exaudiverit, *Ioan.* XI. 41. 42. nempe cum ab eo virtutem illa patrandi postularet. Unde etiam dicit *Ioan.* V. 19. 20. 30. *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem, &c.* 6. Profitetur se non venisse à seipso, sed à Patre suo missum esse, *Ioan.* VII. 28. 29. Doctrinam quam annunciabat non esse suam, sed Patris qui miserat ipsum, *Ioan.* VII. 16. 17. & XII. 49. 50. & XIV. 10. 24. Se non venisse ut faceret voluntatem suam, sed Patris, *Ioan.* V. 30. & VI. 38. Se mandata à Patre accepisse, eaque servasse, obedivisse Deo, & ejus servum esse, *Ioan.* X. v. 18. & XII. 49. & XIV. 31. & XV. 10. *Philipp.* II. v. 8. *Hebr.* V. 8. *Matth.* XII. 18. Se propriam gloriam non quærere, sed ejus qui miserat ipsum, *Ioan.* VII. 18. Quod seipsum non glorificaverit ut Pontifex fieret, sed is qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, *Hebr.* V. v. 5. &c. 7. Huc pertinet, quod Christus dicit, suum non esse dare ut aliquis ad dextram aut sinistram suam in regno suo sedeat; sed (id datum iri) quibus esset paratum à Patre suo, *Matth.* XX. v. 23. Item Filium nescire diem ultimi judicii, sed Patrem solum, *Marci* XIII. 32. Quod qui in Christum credit, in ipsum non credat, sed in eum à quo missus est, *Ioan.* XII. 44. Quod per Christum credamus in Deum, qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides & spes nostra sit in Deo, 1 *Petr.* I. 21. Quod Deus exaltavit Jesum, & donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur quod Dominus est Jesus Christus, ad gloriam Dei Patris, *Philipp.* II. 9. 10. 11. Quod in necessitatibus preces ad Patrem sæpe direxerit, nunquam ad naturam suam divinam, *Luc.* VI. 12. *Ioan.* XVII. toto. *Hebr.* V. 7. Quod omnia quæ habuit divina, à Patre ipsi donata sint. Sic Pater dedit Filio habere vitam in se ipso, *Ioan.* V. 26. & ipse vivit propter Patrem, *Ioan.* VI. 57. Dedit ei omnem potestatem in cælo & in terra, *Matth.* XXVIII. 18. Omniaque subjecit pedibus ipsius, *Ephes.* I. 22. Sed tamen ita ut cum dicat, Omnia subjecta sunt ei, sine dubio intelligat, præter eum qui subjecit ipsi omnia: & ut Filius in fine mundi traditurus sit regnum Deo & Patri, eique subjectus futurus, ut Deus sit omnia in omnibus, 1 *Corinth.* XV. 24. Quæ omnia evidentes sunt ὑπεροχῆς paternæ in Deitate demonstrationes, & Christum merito dixisse, *Pater est major me*, *Ioan.* XIV. 28. Quamvis enim nonnulla horum dicta sint respectu naturæ Christi humanæ, non conveniebant tamen dignitati ejus, si Patri foret per omnia æqualis. Quis enim capiat quomodo Deum oraverit ad aliquid ab eo obtinendum, & quomodo Deus ei gloriam & potestatem quam habet ex gratia donare potuerit, si omnia quæ petebat & accipiebat pari cum Deo jure respectu essentiæ suæ divinæ jam possidebat? Proinde nimis jejunum est quod Maresius Patris præeminentiam in Deitate, facit totam consistere in distinctione relativa & personali, id est in quadam entis realis veluti umbra, quæ medium teneat inter ens & purum putum nihil: quo supra monuimus relationes una cum modis entium à metaphysicis referri solere.

Hanc etiam subordinationem docet expresse Symbolum Apostolicum, ubi solus Pater vocatur omnipotens, & cæli atque terræ creator, contradistincte à Filio, juxta id quod legimus *Actor.* IV. 24. & 26. Nec ullus Veterum qui adversus Arium scripserunt, ei unquam contradixit; quamvis alii majorem, alii vero minorem fecerint. Sed inter alios valde clare de ea loquitur Hilarius Pictaviensis, libro de Synodis; ubi probat Symbolum Sirmiense contra Photinum decernens: *Si quis unum dicens Deum; Christum autem Deum, ante secula Filium Dei, obsecutum Patri in creatione omnium, non confitetur, anathema sit.* Et aliquanto post: *Non enim exæquamus, vel conformamus Filium Patri, sed subjectum intelligimus.* Ad quæ verba editio Basileensis Frobeniana, anni 1535, annotat in margine; *Filius Patri subjectus, etiam juxta nativitatem divinam.* Et rursus: *Quoniam si quis Christum Deum, Filium Dei ante secula subsistentem, & ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat, sed ex quo de Maria natus est, ex eo & Christum & Filium nominatum esse, & initium accepisse ut sit Deus, Anathema sit.* Et iterum ex eodem Symbolo: *Non exæquamus, vel comparamus Filium Patri, sed subjectum intelligimus. Neque enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate, neque pluit ex sese, sed à Domino, auctoritate scilicet Patris. Nec sedet in dextera à semetipso, sed audit dicentem Patrem; sede ad dexteram meam.* Et postea, (Confitemur) *non præstantem quenquam* (patrem) *cuiquam* (filio) *genere substantia, sed subjectum alterum alteri nativitate natura. Patrem in eo majorem esse quod pater est, filium in eo non minorem esse quod filius est.* Denique: *videamus an Dominus Iudæis irascentibus, quod Patrem sibi Deum dicendo, Deo se coæquasset; se esse docuerit Deo æqualem. Ait enim, Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Autorem discrevit, cum ait: non potest à se facere. Obedientiam significat cum addit: nisi quod viderit Patrem facientem,* &c. Item, citante Augustino, lib. 6. de Trinit. cap. 10. *Æternitas in Patre, species in imagine, usus in munere.*

Adjungatur ei C. Marius Victorinus, qui eodem tempore floruit. Is dicit lib. 4. adversus Arium; *Deinde ordo poscit, & rerum necessitas flagitat, ut perspiciamus in iis quibus est una eademque substantia, cur alter mittentis*, (nempe Pater) *alter missi*

missi (nempe Filius) *potestatem gerat; imperantis alter, alter ministri: alter motu agendi à passionibus libero, alter per infinitos actus in creandis seculis infinitis, & iis quæ sunt in seculis, subierit usque ad mortem infinitas passiones.*

Ex recentioribus istam Filii sub Patre subordinationem probat (ut plures alios omittam) is quem antea citavi Henricus Nicolai, in methodo Trinitatis, Thesi 47. *Vocabulum Deus duobus modis in sacris repræsentari deprehenditur. 1. Ut absolute primum, inoriginatum, & à nullo alio esse habens, à se ipso ita subsistens notet, ut prorsus originem essendi aliunde non agnoscat, omnia à se & ex se habeat, inoriginatum, & origo ac principium absolute omnium eorum sit, quæ in cœlo & in terra sunt: etiam ipsius Filii & Spiritus S. Hoc modo & sensu vocem Dei sumendo Deus solus Pater est, qui emphatice, passim, constanter, & perpetuo in Novo Testamento ita vocatur, Joan.* XVII. *1 Cor.* VIII. *Ephes.* 1. 3-4. *Apoc.* 1. 6. *& in omnibus fermè N. T. libris. Ne semel autem toto Novo Test. τὸ Deus, expresso textu, ad Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum simul determinatur, cùm unus Deus appellatur; ut ista tria unum illum Deum esse dicatur; sed ad priorem sensum in voce Dei à Spiritu S. intendi palam fit. In Veteri Testamento unus est altissimus, creator omnium, ait Siracides, cap.* 1. 8. *& alibi. 2. Ut proxime ex & ab illo primo originatum, derivatum, deductum, ortum illi debens, etiam summum ens, sed ortum & derivatum, proxima veluti summi illius subsistentis propago, & emanatio; ut veteres dixerunt, genitura & spiratura ejus, in esse, nomine, auctoritate, opere, attributis, & cultu Patri par. Hoc modo Dei vocem sumendo, Deus etiam Filius & Spiritus Dei est. Uterque verus, magnus, & benedictus in secula Deus est; sed de & sub Deo Patre, à quo sunt, & sine quo non fuerunt. Sic Filius aliquid divini, aliquid naturæ divinæ à Melanthone vocatur L. C. f. 8. & 10. Filius & Spiritus in Deum Patrem vicissim redeunt, quia ejus, ab eo, & in ac sub eo sunt, & ex eodem prodeunt. Sic tria ex uno, & in unum sunt. Deus cum suis processionibus spectatus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. In sua origine, principio, & radice, unde omnia in cœlo & in terra, etiam ipse Filius & Spiritus Sanctus, est Pater ille Domini nostri Jesu Christi. Deus ut Spiritus inoriginatus, est solus Pater: ut Spiritus increatus, omnipotens, est Pater, Filius & Spiritus Sanctus: ut Spiritus independens, partim solus Pater, partim Pater, Filius, & Spiritus Sanctus simul est, prout terminum independentis latius aut strictius accipias. Utrumque scriptura repræsentat & insinuat, quod nos cognoscere, venerari, Deoque gratias agere oportet; non enim cognitionem talem caro & sanguis revelare potuit, Matth.* XVI. 17. *Non autem cogitatis in infinitum diffundi, tandemque evanescere debemus. Per hoc Photiniano satisfieri; per id Arianus de statione turbari, & tritheita sententia moveri potest. Proprietates in personis ordinem secum ferunt, ut in Patre sit principium & origo. Inde quoties mentio fit Patris & Filii simul, vel Spiritus, nomen Dei peculiariter Patri tribuitur, ait Calvinus, lib.* 1. *Instit. Christ. cap.* 13. *n.* 20. *Deus, qui à nullo alio, Deus sine Deo, solus Pater est, Deus de Deo etiam Filius, & Spiritus Dei est.*

LXI. Maresius vero putat essentiam & naturam divinam, sicut tota est in Patre, ita quoque totam esse debere in Filio & in Spiritu Sancto; hoc argumento quia est indivisa. Ad quod jam respondi id contradictionem mihi videri implicare. In communicatione autem naturæ divinæ (quam Maresius odiose divisionem vocat) etsi ejus modum ignoremus, non apparet talis contradictio: alias non credita fuisset à veteribus, interque alios à Tertulliano, dicente; *Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius & portio, sicut ipse profitetur: quia Pater major me est.* Contra Praxeam, cap. 9. Item à Lactantio, qui dicit, *Et Pater, & Filius, Deus est. Sed ille quasi exuberans fons est, hic tanquam defluens ex eo rivus: ille tanquam Sol, hic tanquam radius à Sole porrectus.* Institut. lib. IV. cap. 29. Et à Patribus Concilii Nicæni, qui Christum faciunt esse *Deum de Deo, lumen de lumine*, supple derivatum: sicut rivus unus & alter ab exuberante fonte defluit, & radii plures ex sole porriguntur. Quod si Deus de spiritu suo unicuique distribuit prout vult, alii quidem majori, alii vero minori mensura, *Joan.* III. 34. *Hebr.* II. 4. quidni etiam Filio suo unigenito, & Spiritui Sancto, eam Deitatis suæ portionem, ut cum Tertulliano loquar, communicaret quæ ipsi videretur, per quam supra omnes quidem creaturas essent exaltati, sed ita ut Patre inferiores manerent?

LXII. Nec contrarium inde colligitur quod in scripturis Filius nomine Dei, & Spiritus Sanctus nomine Dei & Domini aliquando insigniuntur. Dei appellationem supra ostendi eminenter tribui Patri, & augustiori significatu quam Filio, aut Spiritui S. Quod vel ex unico Pauli loco patet: *Scimus quod nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur, sive in cœlo, sive in terra, (siquidem sunt Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum*, 1 *Corinth.* VIII. 4. 5. 6. Ubi sicut ab appellatione unius illius Dei, nempe summi, excluditur Christus: ita à Domini, Spiritus Sanctus. Nec verum est Spiritum à Paulo nomine Dei insignitum fuisse. Quod enim dicit, ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν, *Dominus autem Spiritus est*, 2 *Corinth.* III. 17. à doctissimis interpretibus, Calvino, Beza, Piscatore, & aliis, ad Christum refertur, qui Spiritum S. fidelibus communicat. Imo Dordraceni quoque metaphrastæ, quanquam non improbent Maresii expositionem, aliam tamen satis aperte præferunt. Adeo ut valde negligenter se gesserit, cum nobis obtrusit hunc locum, ad probandum nomen Domini Spiritui S. tribui; quod est contra scripturæ usum; & nullam tam insolentis interpretationis rationem reddidit; quasi omnes nudæ ejus assertioni fidem adhibere tenerentur. Imo non satis constat, an nomen Dei, *Act.* V. 4. de Spiritu S. debeat intelligi. Nam quod Petrus illic dicit Ananiæ, *non es mentitus hominibus, sed Deo*: com-

mode ita potest accipi, ut Ananias dicatur, non tam mentitus fuisse hominibus, quales erant Apostoli, quam Deo ipsi, qui dederat eis suum spiritum, per quem arcana cordium introspiciebant.

Addit ibidem: *Non statuunt etiam orthodoxi nihil decessurum essentiæ & naturæ divinæ, sive una sive plures esse censeantur personæ. Asserunt enim omnes, non concipi Deum convenienter iis quæ de seipso nobis revelavit in scriptura, si ita concipiatur natura & essentia unus, ut simul non concipiatur trinus personis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Imo dicere Deum Patrem involvit necessarium respectum, ad Filium unigenitum, sine quo Pater esse aut dici non potest.* Resp. Hic non quæri quid vulgo dicti orthodoxi statuant aut non statuant; sed quid ex eorum hypothesibus sequatur. Quod si recte collegi, id mihi sufficit: alio enim non spectabam. Deinde etiamsi vox Patris necessarium respectum ad Filium involvat, non sequitur Filium in omnibus Patri æqualem esse, seu totam Patris ὑπεροχὴν in sola distinctione relativa & personali, ut vult Maresius, consistere.

LXIII. Thes. 32. *Præterea absurde fingit iste homo, vel esse homines inter Christianos tam stolidos, qui personam in concreto per modum existendi definiant, aut negent eam esse rem seu ens aliquod & substantiam; cum id sit verum duntaxat de persona in abstracto, sive de ipsa personalitate, quæ rei sive enti accedit instar modi ad illius modificationem: vel eos qui personalitatem dicunt esse modum existendi, non rem ipsam quæ existit, licet accedat illi res & eam modificet, non debere iis graviter succensere qui plures una personas concrete, adeoque & plures existendi modos, per quos illæ personæ constituantur, nolunt in Deo agnoscere.* Me nihil hic finxisse ostendunt loca quæ supra ex Ursino & Keckermanno allegavi, ubi id expressis verbis legitur, de quo Maresius putat neminem inter Christianos tam fore stolidum ut illud asserere audeat. Cui adde Keckermannum pluries cap. 4. in responsione ad objectiones adversariorum, diserte negare personas divinas esse res seu entia. Nec ego id primus observavi; sed diu ante me aliquot Doctores Lutherani, ut Mentzerus, Eckardus. Sed admisso etiam Maresii effugio, de persona in concreto & personalitate in abstracto considerata, non evitantur absurda, quæ ex personæ per modum existendi definitione sequuntur. Cum enim personæ nec ab essentia, nec à se invicem distinguantur per essentiam, quæ singulis tribus personis est communis, relinquitur solum ut id fiat per modum existendi, qui propemodum nihil est, cum sit medium quoddam inter exile accidens & purum putum nihil. Unde recte collegi, non ex mea, sed ex illorum qui istud docent sententia, non videri habere satis justam caussam cur graviter succenseant iis qui unam tantum in Deo personam agnoscunt, cum dissidium quod inter eos intercedit consistat in re minuta, quam ipsi prope nihil esse fatentur, de qua pacis amantes digladiari non deceat.

LXIV. Sed Maresius contra censet, dicens: *Sic enim abnegant & rejiciunt æternam Filii & Spiritus Sancti divinitatem, ut nec hujus templa amplius dici possimus, nec ille Jehova justitia nostra queat appellari. Negata etiam Christi divinitate, negatur esse servator noster, cum salutis nostræ auctor Deus esse debeat; omnisque fiducia quæ in ipso reponitur non vana modo, sed etiam vitiosa penitus esse statuitur; Propheta maledictionem denunciante omnibus qui fiduciam suam habent in homine, Jerem. XVII. v. 5. & omnes Christicolæ, idololatriæ teterrimæ rei peraguntur coram numine, quod ad instar gentilium, ideo notatorum Apostolo, Galat. IV. 8. ei serviant qui natura Deus non est; contra quam ipse inculcavit, dicendo post Mosem, Matth. IV. 20. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Ad quæ respondeo, Socinianos, quos notat, non abnegare & rejicere æternam Filii & Spiritus S. divinitatem, qui confitentur eandem numero essentiam divinam, quæ dicitur ipsis cum Patre communis esse: etiamsi quæstionem moveant de modo quodam existendi divinæ essentiæ adhærente; quemadmodum is non negaret aliquid vere esse lucidum, aut vere calidum qui eundem lucis aut caloris gradum nollet ei tribuere quem alius: quibus similitudinibus utitur Keckermannus, in explicanda modorum qui in rebus sunt natura. Nam essentiam id esse proprie quod unamquamque rem constituit, omnes agnoscunt; modos vero celebres metaphysici medium quiddam esse volunt inter entia realia, & nihil. Verum tamen loca scripturæ quæ Maresius allegat, nihil ad rem faciunt. Nec enim desinent fideles esse *templum Spiritus Sancti*, ut Paulus loquitur 1 *Cor.* VI. 19. quamvis Spiritus S. non foret persona in Deitate peculiaris à Patre distincta ut Sociniani volunt; nimirum quia Deus in ipsis per spiritum suum inhabitaret, ut idem Apostolus antea dixerat; *Nescitis quia templum Dei estis; & Spiritus Dei habitat in vobis?* 1 Cor. III. 16. Et miror quod tanti hodie fiat à quibusdam, credere Spiritum S. esse personam à Patre distinctam, quasi in eo consisteret summa Religionis Christianæ, nec posset absque impietate à quoquam in dubium vocari. Præsertim cum ipsi vulgo sentiant personas Deitatis se invicem immeare, & unam ab alia, sicut inter creaturas, separatam non esse. Quod idem propemodum esse videtur atque ex tribus personis unam facere. Qui enim verentur Spiritum S. vocare personam, quia non satis intelligunt quo sensu hanc vocem accipere debeant, nihil adimunt ipsi eorum quæ scriptura ei tribuit, sed diserte omnia confitentur. Christus etiam *Jerem.* XXIII. 6. non vocatur, *Jehova justitia nostra.* Hæc enim verba ad Israëlem proxime nominatum referri debent, ut series contextus ostendit: *In diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus (Jehova) justitia nostra.* Fac tamen de *germine Davidis*, præcedente versu nominato, intelligi; id est de Messia,

Messia, non tamen sequetur eum Jehova appellari. Nam integra hæc oratio, *Jehova* (est) *justitia nostra*, unicum nomen, seu potius symbolum, constituit, quod nihil vetat tribui alteri quam Jehovæ; veluti *Genes.* XXII. 14. mons ille in quo Abrahamus se parabat ad offerendum filium, vocatur *Dominus videbit*. Et Moses altari à se ædificato nomen imposuit, *Dominus* (est) *exaltatio mea*, *Exod.* XVII. 15. Sive igitur locum Jeremiæ accipias de Christo, sive de Israële, sensus est unus & idem, nempe, Dominum nos justificaturum. Quod fecit illo tempore quo Jesus manifestatus est Israëli. Adde quod nihil vetaret nomen Jehovæ Christo tribui, etiamsi non foret summus Deus: cum Angelis sæpe tributum legamus, qui ipso dignitate longe sunt inferiores: & singulariter illi quo Deus in lege danda Israëlitis usus est, *Exod.* XXIII. 20, 21, 22, 23. collato cum *Act.* VII. 53. *Galat.* III. 19.

LXV. Nec magis appositum est quod subjungit Maresius, *negata Christi divinitate, negari etiam eum esse servatorem nostrum, cum salutis nostræ autor Deus esse debeat.* Qui enim Christum pro summo Deo non agnoscunt, non protinus ejus divinitatem abnegant, de qua *Joan.* I. 1. *Rom.* IX. *v.* 5. Confitentur enim ipsum ex Spiritu S. conceptum, atque à Patre sanctificatum, & in mundum missum fuisse; deinde post mortis passionem ab eodem exaltatum, omnem in cælo & in terra potestatem habere, & judicem orbis terrarum esse constitutum. Quod sufficit ut servatoris munere fungi possit, ut discimus ex Paulo, dicente, *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*, 1 *Tim.* II. 5. Si enim Jesus Christus homo est mediator Dei & hominum, servator quoque noster est, cum nos mediatione sua salvet. Deus quidem est supremus salutis nostræ auctor, secundum id quod ipse declarat, *Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me salvator*, *Esa.* XLIII. 11. Sed idem non requiritur in illo quo tanquam causa subalterna utitur ad opus istud peragendum. Quod apparet in functionibus Prophetæ, Sacerdotis, & Regis, quas Christus ut homo obiit, etsi à Spiritu S. in se habitante adjutus & sustentatus. Sed crassius adhuc errat in istis, *Omnisque fiducia quæ in eo reponitur, non vana modo, sed etiam penitus vitiosa esse statuitur.* Quid audio? An ergo vanum est & penitus vitiosum credere legatis Dei? Cur igitur ea de causa laudantur Israëlitæ? *Timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus*, *Exod.* XIV. 31. Cur Josaphat Rex pius hortatur Judæos ut id faciant? *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite Prophetis ejus, & cuncta evenient prospera*, 2 *Paral.* XX. 20. Sed Propheta, inquit Maresius, maledictionem denunciat omnibus qui fiduciam suam habent in homine, *Ierem.* XVII. 5. Recte. Sed illud intelligi debet de iis *qui carnem ponunt brachium suum, & quorum cor recedit à Domino*, ut ibidem additur. An quadrant hæc in eos qui Christo confidunt? spemne suam illi collocant in mortalis hominis potentia; an potius in virtute divina quæ se in eo exeruit? Corne illorum recedit à Domino; an vero per Christum appropinquant Deo, *qui dedit ei gloriam, ut fides nostra & spes esset in Deo?* 1 *Petr.* I. 21. *Et omnes* (inquit) *Christicolæ idololatriæ teterrime rei peraguntur coram numine, quod ad instar gentilium, ideo notatorum ab Apostolo Gal.* IV. 8. *ei serviant qui natura Deus non est*, &c. Non te pudet Maresi, comparare cultum qui defertur Christo mediatori, ex diserto Dei mandato, cum dæmoniorum, Dei hostium cultu? *Nam quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo*, 1 *Cor.* X. 20. De Christo vero homine præceptum habemus, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*, &c. *qui potestatem dedit ei etiam judicium facere, quia Filius hominis est*, *Ioan.* V. 22, 23, 26, 27. Quem Deus *propter obedientiam usque ad mortem crucis superexaltavit; & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur*, &c. *Philipp.* II. *v.* 9. 10. Quem *viginti quatuor seniores* celebrant, *quod occisus esset, & redemisset eos Deo in sanguine suo.* Et de quo Angeli dicunt, *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & gloriam & honorem & benedictionem, Apocal.* V. 9. 12. Ubi solum habetur ratio eorum quæ Christus ut homo pro nobis fecit & passus est: ideoque à Deo ipso in consortium honoris sibi debiti assumptus est. Et tu blaspheme, vereque χριστομάχος refers ipsum in numerum Idolorum quæ nullam divinitatem nisi in falsa hominum opinione habent. Nec te illud excusat quod dicis ipsum post Mosem inculcasse, *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies*, *Matth.* IV. 10. Regestum enim est Diabolo impudenter postulanti ut Dominus Jesus se adoraret. Quem non potuit melius refellere quam allato hoc ex lege Dei testimonio. Non prohibuit autem ut credentes cultum sibi à Deo, quia Filius hominis esset, destinatum exhiberent. Perinde ergo facis ac si quispiam sub isto prætextu quod Rex vetuisset obedientiam præstari perduelli qui contra se insurrexerat, & sibi soli obtemperandum præcepisset, vellet abigi legatum quem Rex ad voluntatem suam subditis significandum misisset, & omnem honorem qui ipsi exhiberetur pro crimine læsæ Regiæ majestatis haberi.

LXVI. Tandem ex his malesanis præmissis conclusionem adhuc insaniorem elicis. *Verum quia Prætor minima non curat; hæc omnia flocci facit Curcellæus, eo usque pacis studiosus ut paratus sit in suam societatem religiosam suscipere Sabellium, Photinum, Arium, Socinum, Mahumetum, Antichristum, forte & Diabolum* ipsum. Tui semper es similis, & bene dicta in pravum sensum torques, ut inde calumniandi ansam arripias. Ego non significavi quid ipse vellem facere, aut non facere; sed quomodo ii qui personam divinam definiunt per nudum modum existendi, & sic eam propemodum nihil esse statuunt, convenienter isti dogmati se deberent gerere cum iis qui unam tantum

tantum personam in Deo agnoscunt; nimirum pacifice sibi invicem occurrere, cum istæ opiniones non ita procul distent ut vulgo creditur. Illud te, qui ab omni pace abhorres, in furorem egit, ut propudiosa quæ modo recensui in me evomeres. Sed vide ne tu, qui adeo pronus es ad alios quos putas errare, damnandos, & tam à cælo quam à fraternitate tua excludendos, tandem Deo immisericordiam tuam juste ulciscente venias, non in societatem religiosam, quam scurriliter mihi affingis, sed in communionem supplicii Mahumeti, Antichristo & Diabolo destinati. Hoc si sæpe & serio ad animum revocares, forte aliquid de ista acerbitate in Christi discipulos, quam scripta tua ubique spirant, remitteres. Nam quod ad Sabellium, Arium, Photinum, Socinum, illos non tam procul à veritate aberrare, judicasset Ecclesia vetus, quæ tempore Justini Martyris fuit, ut non bona conscientia se cum iis, (si tum fuissent) in unam societatem religiosam conjungere posse existimasset. Nam ista Ecclesia quæ sub persecutionibus ab anno Christi 110. ad 150. florebat, non abhorrebat à communione illorum qui Jesum Christum pro nudo homine habebant, modo Messiam esse confiterentur. Ut videre est in ejusdem Justini colloquio cum Tryphone Judæo, ubi hæc leguntur: *Verum enimvero Trypho, dixi, non perierit illud Christum hunc esse Dei, si demonstrasse nequeam eum præextitisse, Filium conditoris hujus universitatis, esseque Deum & genitum esse hominem ex virgine, præterquam ex eo omni quo probatur hunc esse Christum illum Dei, quod talem eum fore præostensum sit. At si non demonstravero, inquam, eum & prius extitisse, & nasci hominem sustinuisse, iisdem nobiscum perpessionibus obnoxiam carnem habentem, secundum Patris consilium & voluntatem, in eo ipso æquum tantum fuerit errore me lapsum dicere, non autem negare hunc esse Christum illum, etiamsi tanquam homo ex hominibus genitus videatur, & electione factus Christus asseretur. Sunt enim nonnulli amici, dixi, ex genere nostro, profitentes ipsum Christum esse, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant. Quibus non assentior; neque id sane multi, qui in eadem mecum sunt sententia, dixerint.* Ubi præcipue attendendum est ad ultimam periodum, quæ ita in Græco habet: Καὶ γάρ εἰσί τινες ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους ὁμολογοῦντες αὐτὸν Χριστὸν εἶναι, ἄνθρωπον δὲ ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον ἀποφαινόμενοι, &c. Manifeste enim liquet ex his verbis, eos qui isti opinioni adhærebant, non ideo ab Ecclesiæ Christianæ communione seclusos fuisse. Quid ergo prohiberet quominus nos eodem modo gereremus erga Sabellii, Arii, Photini, Socini asseclas, si tantum charitatis in nobis esset, quantum in veteribus Christianis erat? Non enim pejores sunt illis de quibus loquitur Justinus: sed tanto tolerabiliores quod non solum confitentur Jesum esse Messiam, sed etiam ipsum ex Spiritu S. conceptum, & ex Maria Virgine natum, imo Deum supra omnia benedictum: quod illi veteres negabant.

LXVII. Antequam ad alia progrediar, libet hic propter affinitatem materiæ brevem attexere ἀνάκρισιν litis quam Maresius Symmistæ suo D. Gisberto Voetio de modo generationis Filii Dei movet: unde magis elucescet ejus temeritas in judicando de re quæ ipsius & omnium mortalium captum superat. Is ergo in Theologo suo Paradoxo, Fascic. Thesi 32. disputat adversus D. Voetium statuentem, *quod Pater semper generet Filium*, his argumentis: *non potest dici Pater semper generare, quin continuus illi generandi actus tribuatur, in quo ita sit occupatus, ut nunquam genuisse sive generationem absolvisse dicatur. Qui dicit Filium semper generari, dicit ejus generationem potius in fieri, quam in facto esse, & magis connotat tendentiam ad formam quam acquisitionem illius. Est τὸ semper nota æternitatis, non ut dicatur Deus continuo usque & usque facere, quod dicitur factum ab æterno; sed ut intelligatur id ita semper factum fuisse, ut nunquam fuerit quo factum non fuisse dici posset.* Quæ fateor quidem aliquam habere speciem. Non enim potest capi quomodo id quod ab æterno generatum est, & in hunc usque diem generatur, atque in æternum generabitur, sit persona, cujus proprium est suum perfectum esse simul & semel intra breve temporis spatium accipere. Id enim solum convenit rebus quæ semper sunt in fieri, ac proinde totam & perfectam suam essentiam nunquam simul possident, quales sunt motus & tempus; non substantiis aut personis. Ad quæ respondet D. Voetius: 1. *Potest semper generari Filius, etiamsi nulla sit imperfectio, aut iteratio generationis. Generatur enim perfectum, semper habens terminum suum perfectum, in æternitatis puncto (ut ita loquar) in indivisibili toto simul & perfecto.* 2. *Et cum ex veteribus ac nostris nonnulli adversariis argutantibus responderunt, Patrem semper generare, nihil aliud voluerunt, quam removere mutationem, successionem, & principium ac finem, seu terminationem, seu desinentiam in æternitate.* Maresius primum membrum carpit tanquam obscurum, dicens, *Davus sum ad ista, non Oedipus, nec Sphingem domi habeo.* Sed non cogitat idem sibi non minori cum jure objici posse de multis quæ habet in Systemate, quorum specimen antea repræsentavi. Et nihil prorsus respondet ad alterum, nisi quod cavillatur paucitatem sectatorum hujus opinionis, dicens adversarium suum *eo esse judicio, ut semper se applicet debiliori & sequiori parti, ne forte in parietem ruentem inclinare videatur.* Sed ratio ibi allata majoris est momenti quam ut solo scommate eludatur. Nec tam paucos habet adstipulatores, ut forte Maresius putat. Nam omnes illi qui Patrem volunt genuisse sibi Filium per actum intellectus in se ipsum reflexi, in ea sunt opinione, aut saltem (secundum hanc hypothesin) esse debent, cum actus intelligendi in Deo sit continuus ab æterno in æternum absque interruptione durans. Si ergo non ita se habeat res in generatione Filii Dei, sed ea ab æterno sit absoluta, sequetur fore mutationem essentialem in Deo, qui non amplius quicquam generat, quasi effœtus cum tempore esset redditus. Quod absurdissimum

ſimum eſſe nemo eſt qui non videat. Ad hoc argumentum Mareſius nunquam poterit reſpondere, quamdiu ſuis hypotheſibus adhærebit. Nec aliam viam inveniri poſſe exiſtimo qua ſe expediat, quam confitendo Deum ſemel ab æterno genuiſſe Filium, non ex naturæ neceſſitate, ſed quia libere ita voluit; & non amplius nunc gignere, non quia id non poſſit, aut naturæ ſuæ repugnet, ſed quia ſapientia conſultum non ducat ut faciat. Ita ſolum obviam ibit objectioni de mutatione eſſentiali in Deo, quæ alias videtur inſolubilis. Quod non facit in Syſtemate Theolog. cum loco 3. Theſi 29. dicit: *Pater genuit Filium, naturaliter quidem, non libere libertate indifferentiæ: ſed tamen, quia non invitus, voluntarie & quadantenus libere, ſaltem libertate ſpontaneitatis.* Iſta enim omnia quadrant in ea quæ abſque averſione animi facimus, etiamſi maxime neceſſario. Sic dicar reſpirare voluntarie & quadantenus libere, quia non invitus, licet omnino neceſſario & inevitabiliter. Ideo ſi majore cum libertate Pater non genuit Filium, id non impediet quominus mutationi ſubſtantiali ſubjectus fuerit. Sed majorem & proprie dictam, quam indifferentiæ vocant, agnoverunt veteres, præſertim qui ante controverſiam Arianam exortam ſcripſerunt: nec non qui ſecuti ſunt, ut Hilarius, *Nativitatis,* inquit, *in eo à Deo perfecta natura eſt, ut qui ex ſubſtantia Dei natus eſt, etiam ex conſilio ejus ac voluntate naſcatur: lib. de* Synodis. Sic Baſilius; *Deus qui concurrentem habet cum voluntate poteſtatem, dignum ſe ipſo genuit; ac cujuſmodi volebat genuit.* Homil. 29. Et Marius Victorinus, *eſt autem lumini & ſpiritui imago non à neceſſitate naturæ, ſed voluntate magnitudinis Patris,* &c. lib. 1. contra Arium. Item Æneas Gazæus in Dialogo qui inſcribitur Theophraſtus; *οὐ παθὼν γεννήσας· οὐ γὰρ ἐξ ἀνάγκης.* Id eſt, *Ideo ſine paſſione genuit, quia non ex neceſſitate genuit.* Verum ne quid diſſimulem, pleroſque eorum qui poſtea vixerunt abſtinuiſſe videmus ab hac loquendi formula, Deum voluntarie genuiſſe Filium, quia difficulter cum abſoluta Filii æternitate conciliari poteſt. Nam in omni re quæ plane voluntarie & libere fit, præcedit aliqua deliberatio, ac proinde non eſt abſolute æterna, ſeu omni exiſtendi principio carens.

LXVIII. Expedita perſonæ voce, ſequitur ut aliquid de hypoſtaſi dicam, qua etiam Græci ad ſignificandum perſonam divinam utuntur. Sed male iſti rei adhibitam eſſe clamat ambiguitas ſenſus: & lites ejus occaſione in Eccleſia exortæ. Patrocinium vero illi fruſtra quæritur in his Sacri ſcriptoris de Filio Dei verbis; *Qui eſt ſplendor gloriæ καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ* (Θεοῦ) *Hebr.* 1. 3. Hic enim primo diſputatur utrum hæc verba verti debeant, *Et character perſonæ ejus*, ut placuit Bezæ, an vero potius ſecundum veterem interpretem, *Et figura ſubſtantiæ ejus.* Imo etiamſi conſtaret vocem ὑπόστασις hoc loco reddendam eſſe *perſona,* nondum tamen haberetur id quod quæritur, nimirum tres in una numero Dei eſſentia eſſe hypoſtaſes. Sine quo tamen nihil eſt promotum, nec poteſt dici iſtam vocem ex ſcriptura petitam fuiſſe. Quam multiplex autem inter Græcos olim fuerit illius uſus, docet nos Socrates, dicens: *Quid nos de οὐσίᾳ & ὑποστάσει didicerimus, nihil impedit quominus paucis expediamus. Qui Græcam inter Græcos ſapientiam explicant, οὐσίαν multis modis definiunt: de ὑποστάσει vero nullam faciunt mentionem. Imo vero Irenæus Grammaticus in lingua Atticæ Dictionario vocem barbaram appellat: Nam apud veteres non uſurpari. Quod ſicubi reperiatur, non eam rem ſignificare pro qua jam capitur. Etenim apud Sophoclem in Phœnice ὑπόστασιν inſidias ſignificare; apud Menandrum vero condimenta: poſſe etiam ita dici fæces vini in dolio. Verum licet hæc vox à veteribus Philoſophis non ſit uſurpata, tamen recentiores illa pro οὐσίᾳ ſæpe uſi fuerunt; ſubſtantiæ autem multiplicem definitionem tradiderunt.* Hiſtor. Eccl. lib. 3. cap. 7. Quibus addi poſſunt ſignificationes in quibus accipitur à Paulo, ut pro *confidentia,* 2 *Cor.* IX. 4. & XI. 17. & pro *ſubſtantia*, ſeu *ſubſiſtentia*, *Hebr.* III. 14. & XI. 1. Verum ſecundum Leontium, lib. de Sectis, duæ ſunt præcipuæ hujus vocis ſignificationes; una ut ſit id omne quod revera exiſtit, non ſpecie tenus, ut quidam ſunt colores qui ὑπόστασιν habent, & quidam qui apparent tantum, ut colores Iridis. Altera eſt ut id intelligatur quod per ſe ſubſiſtit, ut omnes ſubſtantiæ primæ. Sed non niſi apud recentiores ſcriptores ſumitur pro perſona ſeu individuo rationali. Nam in Concilio Nicæno, cum dicitur Eccleſiam Catholicam eos damnare qui aſſerebant Filium ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας, *id eſt ex alia ſubſiſtentia vel ſubſtantia*, hypoſtaſin cum οὐσίᾳ confundi apertum eſt; alias Sabellianiſaret, id eſt perſonas Patris & Filii inter ſe confunderet. Sic etiam in Epiſtola Synodi Sardicenſis A. C. 347. *Nos autem hanc accipimus edoctique ſumus, eamque Catholicam habemus traditionem, & fidem & profeſſionem, unam eſſe hypoſtaſin, quam ipſi hæretici* (*Ariani*) *οὐσίαν nominant, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Etſi quærant quænam ſit Filii hypoſtaſis, fatemur hanc ipſam eſſe quam ſolam eſſe Patris omnes agnoſcunt.* Theodoretus Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 8. Poſtea tamen paulatim inolevit conſuetudo, ut hypoſtaſis pro perſona uſurparetur, & tres in Deo ſicut perſonæ, ita etiam hypoſtaſes, eſſe dicerentur. Quod multis diſplicebat, iſtud Arianum eſſe exiſtimantibus. Unde grave diſſidium exortum eſt in Synodo Antiochena; ad quod ſedandum Athanaſius ſcribit Epiſtolam Synodicam, ubi hortatur Epiſcopos Antiochiæ congregatos, ut ſtuderent in concordiam revocare omnes Catholicos; ſive tres ſive unam tantum in Deo hypoſtaſin ſtatuerent, dummodo reipſa nihil à Nicæna profeſſione diſcordent. Synodum enim Sardicenſem quæ vetat tres hypoſtaſes in Deo dici, non ſibi habuiſſe propoſitum novam fidei-confeſſionem condere, qua Nicænæ derogaretur. Qua de re conſuli poteſt Ruffinus de eadem Synodo ſcribens: *Sed & de differentia ſubſtantiarum & ſub-*

sistentiarum sermo eis per scripturam motus est : Græci οὐσίας & ὑποστάσεις vocant. Quidam enim dicebant substantiam & subsistentiam unum videri, & quia tres substantias non dicimus in Deo, nec tres subsistentias dicere debeamus. Alii vero, quibus longe aliud substantia, quam subsistentia, significare videbatur, dicebant, quia substantia ipsa rei alicujus naturam rationemque qua constat designet; subsistentia autem uniuscujusque personæ hoc ipsum quod extat & subsistit ostendat. Ideoque propter Sabellii hæresin tres esse subsistentias confitendas; quod quasi tres subsistentes personas significare videretur, ne suspicionem daremus, tanquam illius fidei sectatores, quæ Trinitatem in nominibus tantum & non in rebus ac subsistentiis confitetur. Histor. lib. 1. cap. 29. Verum istud Hieronymo non satisfecit, qui in Epistola ad Papam Damasum conqueritur, quod Campenses se voluissent adigere, ut tres in Deo ὑποστάσεις agnosceret, & contra eos disputat: *Tota secularium literarum schola nihil aliud ὑπόστασιν quam οὐσίαν novit. Et quis, rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit*, &c. Existimavit ergo idem esse tres hypostases in Deo confiteri, atque tres essentias aut substantias; & cum tres substantias in Deo statuere, videretur ipsi esse tres Deos dicere (quod vulgo imputabatur Arianis,) putavit etiam eos qui ab ipso trium hypostaseon confessionem exigebant, voluisse ut tres Deos cum Arianis confiteretur. Et petit à Damaso consilium, quomodo se in hac re gerere deberet. Unde videre est vocem hypostasis, quæ tot dissidiorum in Ecclesia causa fuit, minus prudenter ad explicandum discrimen quod est inter Patrem, Filium & Spiritum S. fuisse adhibitam, & longe satius esse ab ea abstinere, cum multis adhuc offendiculum præbeat.

LXIX. Dicendum etiam est aliquid de voce περιχώρησις, Latine *circuminsessio*; quæ vulgo definitur, intima & perfecta inhabitatio unius personæ divinæ in alia. Et confirmatur ex eo quod Dominus Jesus dicit, *Ego in Patre & Pater in me est*, *Johan.* XIV. 13. Unde porro colligunt. 1. Non esse tres Deos, quamvis tres sint personæ, sed unum tantum, quia una persona sit in alia, & eam intime permeet. 2. Personas divinas esse à se invicem diversas, quia nisi illæ distinctæ essent, non una in alia inesse diceretur, sed omnes tres una eademque esse. 3. Omnes has tres personas inter se æquales esse, quia aliter non possent se invicem perfecte immeare. Alii vero περιχώρησιν interpretantur non qua una res in altera sit, sed ut opposita sit ei, atque ex adverso respondeat, ut relata solent, quorum uno posito necesse est alterum quoque poni; ita si Pater est, oportet ut sit Filius; &, si Filius est, oportet ut sit Pater. Quæ acceptio multum distat à præcedente, nec tam fœcunda est consequentiis. Ita ut nondum satis constet inter Ecclesiasticos scriptores, quid nomine περιχωρήσεως intelligendum sit. De quo dissensu vide Petavium, Tom. 2. lib. 4. cap. 16. Permittant ergo nobis, donec inter se consenserint, à voce hac ἀγράφῳ abstinere. Nullum etiam in scriptura fundamentum habere inde liquet, quod locus unde eam nobis procudendi occasionem sumpserunt, longe commodiorem sensum admittit. Quod potuissent agnoscere, si scripturæ phrases inter se contulissent, & de similibus similiter judicassent. Nam cum legimus, *Qui servat mandata Christi, in illo manet & ipse in eo*, 1 *Johan.* III. 24. Item, *Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo*, 1 *Johan.* IV. 16. nemo finxit ullam περιχώρησιν, seu circuminsessionem, inter Christum vel Deum & fideles, quâ se mutuo permearent. Facile enim fuit videre Apostolum nihil aliud voluisse significare, nisi arctum charitatis vinculum, quod est inter Deum & eos qui servant ejus mandata; unde fluunt omnis generis benedictiones spirituales, quibus eos cumulat. Quidni igitur ita accipi posset id quod Christus dicit, *Ego in Patre, & Pater in me est? nempe* de perfectissimæ charitatis conjunctione, unde factum est ut complacuerit Patri omnem plenitudinem in Christo inhabitare, 1 *Col.* 1. 19. Hunc enim sensum indicant quæ immediate sequuntur, *Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non-ne creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite.* Quod enim dicit, se non loqui à se ipso, & Patrem in se manentem facere opera, destruit funditus hanc circuminsessionem, qua credunt Patrem non esse magis in Christo, quam Christum in Patre; cum effecta Patris in Filio contrarium testentur.

LXX. Restat postrema laboris mei pars de ὁμοουσίᾳ. De qua dixeram in sæpe jam memorata Operum Episcopii præfatione, Nec commodior videtur vox ὁμοούσιος, quam Latine reddunt consubstantialis vel coëssentialis. Est enim ambigua, & alio sensu à veteribus, alio à recentioribus Theologis accipitur. Ad quæ ut respondeat Maresius, Thes. 33. incipit ab atroci in me calumnia, his verbis: *Postquam* (Curcellæus) *evomuit suum virus in personas SS. Trinitatis, adeo ut eas nequidem nominari patiatur, pari furore aggreditur earum consubstantialitatem.* Atqui Patrem, Filium & Spiritum S. quanta possum animi demissione colo & veneror, & perfectam inter eos unitatem esse agnosco, cui similis nulla est inter creaturas: etsi non patiar mihi imponi necessitatem dicendi eos esse tres personas SS. Trinitatis coëssentiales; quia scriptura, quam pro unica & perfectissima sentiendi & loquendi regula habeo, nusquam ejusmodi vocibus & phrasibus utitur; non contradicens tamen quominus qui aliter sentiunt eas usurpent. Hæc-ne sunt ejus qui cum furore in Deum insurgat? Pergit: *Sed nec sola ambiguitas & homonymia vocis alicujus, eam debet eliminare ab Ecclesia: nec de vocis sensu discrepant veteres à recentioribus, post tempora Concilii Nicæni, in quo adversus Arium cœpit adhiberi.* Imo vocis alicujus tanta ambiguitas, ut vix constet quo sensu accipi debeat, plus quam sufficiens est causa,

ut

ut ex Ecclesia tanquam perpetuarum litium materia proscribatur. Quanto igitur minus licet eam aliis longe aptioribus, quas scriptura affatim suppeditat, anteferre? Talem autem esse vocem ὁμοούσιος, seu consubstantialis, sequentia evidenter docebunt. Quod vero ex Athanasio affert, eam non propterea rejici debuisse, sed interpretationem à peritis petendam, alias licitum etiam fore è scriptura rejicere voces omnes quas non intelligeremus; impertinenter est dictum, quasi eadem esset auctoritas vocis à Concilio hominum errori obnoxiorum introductæ, & earum quas θεόπνευστοι scriptores usurparunt. Ut autem sciant omnes id non esse novum aut Arianismum sapere, quod consubstantialis vocem minus probavi, observandum est plures bonos & doctos idem de ea sensisse, cum recenter symbolo Concilii Nicæni fuisset inserta, ideoque ei subscribere recusasse. Quod Hilarius Pictaviensis Episcopus, summus Arianorum adversarius, de Galliæ & Germaniæ Episcopis testatur, seu, ut particulariter eos recenset initio libri de Synodis, *de provincia Germaniæ primæ & Germaniæ secundæ, & prima Belgica & Belgica secunda, & Lugdunensis prima & Lugdunensis secunda, & provincia Aquitanica, & provincia Nova Populana, & ex Narbonensi plebibus, & clericis Tholossanis, & provinciarum Britanniarum Episcopis.* Omnium harum provinciarum Episcopi & Clerici & populus, improbabant homousion, nec adduci poterant auctoritate Concilii Nicæni ut id reciperent. Quos tamen in eodem libro beatos prædicat Hilarius, dicens: *O beatos vos in Domino & gloriosos, qui perfectam atque Apostolicam fidem conscientia & professione Dei retinentes, conscriptas fides huc usque nescitis, &c.* Contenti enim unico symbolo fidei Apostolico, quod vocant, recenter cusum Nicænum respuebant. Et aliquanto post; *De homousio vero, quod est unius essentiæ, tractantes, primum idcirco respuendum pronunciastis, quia per verbi hujus enunciationem substantia prior intelligeretur, quam duo inter se partiti essent, &c. Secundo quoque id addidistis, quod Patres nostri, cum Paulus Samosatenus hæreticus pronunciatus est, etiam homousion repudiaverint, &c. Tertio, etiam hæc causa improbandi homousii commemorata à vobis est, quia in Synodo quod apud Nicæam fuit, coacti patres nostri, propter eos qui creaturam Filium dicebant, nomen homousii indidissent. Quod non recipiendum idcirco sit, quia nusquam scriptum reperitetur*, &c. Has tres præcipuas rationes reddebant illi Germaniæ & Galliæ Episcopi, cur homousion non reciperent: quæ sufficientes quidem non videntur Hilario; sed tamen id non impedivit, quominus expressum orthodoxiæ eorum testimonium præberet, quod non essent Ariani. Sic enim paulo post dicit, *Ariani non estis; cur negando homousion censemini Ariani?* nimirum ab iis qui eos bene non noverant, & nimium auctoritatis Concilio Nicæno deferebant. Idem quoque confirmatur ex iis quæ Marcus Ephesius Metropolita dicit in Concilio Florentino, A. C. 1438. celebrato, postquam Synodi 3. definitio recitata fuisset. *Post factam a prima Synodo (Nicæna) fidei expositionem, transactis non paucis annis usque ad secundam, medio illo tempore diversis in locis a provincialibus Synodis facta sunt supra triginta expositiones, in quibus sublata voce consubstantialis (ὁμοούσιος) qua multi offendebantur, reliqua valde sunt similia primæ illi expositioni.* In Actis Concil. Florent. Sess. v. Et ne quis putet ipsum de Synodis Arianorum istud intellexisse, attendendum est ad circumstantias, quæ omnes docent eum de Synodis Orthodoxorum solis locutum; alias id nihil fecisset ad ejus scopum, qui erat probare, licuisse Ecclesiæ Romanæ privata autoritate addere Symbolo Constantinopolitano verba illa controversa, de processione Spiritus Sancti ex Filio. Sed præcipue ista quæ Marcus præcedentibus immediate addit: *Verum hæc licentia immutandi,* (nimirum quam sibi sumebant Orthodoxi) *damnum attulit Ecclesiæ. Ea siquidem usi Nestoriani, Nicænum Symbolum depravarunt, inserentes in eo dogmata* (nempe antequam damnati essent) *quæ non agnoscit Ecclesia: quod etiam veluti fidei institutionem tradebant iis qui baptismo initiabantur. Hoc depravatum Symbolum cum lectum esset in illa tertia Synodo, causa fuit ut caveretur in posterum, ne transmutare liceret. Statutum quippe fuit a Patribus, nulli deinceps patere licentiam immutandi quovis modo Symbolum Nicænum; quod idem est ac dicere Constantinopolitanum: Virtute enim continetur in illo, amboque pro uno sunt habita.* Cur ergo mihi non liceret absque hæreseos nota aut suspicione eandem cum undecim Germaniæ & Galliæ provinciis, & cum triginta Synodis, de voce homousios sententiam fovere? Et quis nunc Maresio dedit auctoritatem id in me damnandi, quod olim tot & tam eximii viri probarunt, aut saltem tolerarunt. Sed quid non audeat novus ille Diotrephes, qui adeo sibi applaudit in suis novis commentis, ut putet neminem sibi parem inveniri posse? Istis de ὁμοουσίῳ sicut & præcedentibus de dissidio hypostatico, calculum suum adjicit magnus Blondellus; in libello Gallico quem inscripsit *Actes autentiques.* Totum locum Latine reddam in gratiam eorum quibus ista lingua non est nota. *Post occasum Paganismi, corpora Ecclesiarum integra offensa fuerunt, quod Concilium Nicænum adhibuisset adversus Arium vocem ὁμοούσιος, consubstantialis, septuaginta circiter annis ante in Paulo Samosateno a Synodo Antiochena damnatam. Et ii ipsi qui communi consensu Arianismum rejecerant, tam diversimode accipiebant nomina naturæ, substantiæ, hypostaseos, personæ, ut Orientales pro Tritheitis haberent fratres suos, qui in Occidente tres substantias in Deitate agnoscebant, & pro Sabellianis, aut unius ejusdemque substantiæ tribus nominibus designatæ adoratoribus, eos qui tres personas confitebantur. Sicut Occidens Tritheismi accusabat eos qui in Oriente tres hypostases docebant, quia Occidentis incolæ hypostaseos nomen naturæ æquipollere arbitrabantur.* Quæ narratio egregie ostendit, quam vana fuerint eorum consilia, qui pu-

tarant novas voces & scripturæ incognitas adhiberi oportere ad sopiendas lites inter Christianos exortas; cum hæ ipsæ voces in talem usum excogitatæ, gravium dissidiorum, inter eos qui antea concordes erant, causa exstiterint. Ad quod non attendunt illi, qui hodie eas tanquam valde utiles imo etiam prorsus necessarias commendant. Qua nescio an major imprudentia in Ecclesiæ rectoribus dari possit.

LXXI. Sequitur in eadem Thesi; *Fateor equidem olim aliquid ambiguitatis in ea voce observatum fuisse. Nam Concilium Antiochenum contra Paulum Samosatenum celebratum ante Arii tempora, in heretico hoc condemnavit quod statueret Christum hominem Patri evasisse ὁμοούσιον specifice, non numerice. At vero Concilium Nicænum, Filium definivit Patri ὁμοούσιον numerice, non specifice. Quod & satis notat Athanasius ibidem, ubi refert ita Paulum Samosatensem argutatum fuisse, εἰ μὴ ἐξ ἀνθρώπου γέγονεν ὁ Χριστὸς Θεός, οὐκ οὖν ὁμοούσιός ἐστι τῷ Πατρί. Sed contra Arium definitum fuit in Concilio Nicæno, Filium per sui generationem æternam, non per humanæ naturæ sublimationem, esse Patri ὁμοούσιον, eo quod Sermo non esset creatura; sed substantia Patris esset origo, radix & fons Filii, & nequaquam ὡς ἐπροφυὴς, ὥσπερ ἡμεῖς ἐσμὲν, χωριζόμενος ἐστι τοῦ πατρός, ἀλλ᾽ ὡς ἐξ αὐτοῦ υἱὸς ἀδιαίρετος ὑπάρχει.* Nullam feceram homonymiæ istius mentionem, quia ad alia properabam, quæ mihi majoris momenti videbantur. Sed bene habet quod Maresius eam nunc in memoriam revocat (quanquam non exciderat, ut docent ea quæ paulo ante ex Hilario retuli, ubi ejus fit mentio:) Sic enim tanto commodiorem mihi præbuit occasionem ostendendi, quam imprudenter Nicæni Patres eam in fidei Christianæ symbolum introduxerint. Quod antequam faciam paucis errata, quæ in hac narratione committit, recensebo. Primo igitur ridiculum est, quod fingit Synodum Antiochenam damnasse in Paulo Samosateno, quod statueret Christum hominem Patri evasisse ὁμοούσιον specifice, non numerice. Nullum enim habet auctorem, qui istud affirmet. Nec verisimile est Paulum adeo insanum fuisse, ut propugnaret dogma, quod tam ratio quam scriptura absurdissimum esse docent; nimirum creaturam, quæ existentia initium ab alio habuit, ὁμοούσιον specie cum Deo æterno evadere potuisse. Athanasius nihil minus cogitavit quam istud ei tribuere. Referam ejus verba integra, ut omnes de illorum mente judicent. Οἱ μὲν τὸν Σαμοσατέα καθελόντες, σωματικῶς ἐκλαμβάνοντες τὸ ὁμοούσιον, ἐπειδὴ Παῦλος σοφίζεσθαί τι θέλων καὶ λέγων, εἰ μὴ ἐξ ἀνθρώπου γέγονεν ὁ Χριστὸς Θεός, οὐκ οὖν ὁμοούσιός ἐστι τῷ πατρί, καὶ ἀνάγκη τρεῖς οὐσίας εἶναι, μίαν μὲν προηγουμένην, τὰς δὲ δύο ἐξ ἐκείνης. Διὰ τοῦτο εἰκότως εὐλαβηθέντες τὸ τοιοῦτον σόφισμα τοῦ Σαμοσατέως, εἰρήκασι μὴ εἶναι τὸν Χριστὸν ὁμοούσιον. οὐκ ἔστι γὰρ οὕτως ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα, ὡς ἐκεῖνος ἐνόει. Id est, *Qui enim Samosatensem sustulerunt, hanc vocem consubstantiale corporaliter accepere, cum Paulus sophisticari vellet & diceret, Si Christus non ex homine Deus factus est, igitur consubstantialis est Patri, & necessario sequitur tres esse substantias, unam quidem quæ prior sit, ut princeps, reliquas vero duas ex ea oriundas: ideoque merito vitantes illud sophisma Pauli, dixere Christum non esse consubstantialem. Non enim ita se habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat.* Ubi nec vola, nec vestigium est unde colligi possit Samosatensem credidisse Christum hominem Deo consubstantialem specie factum esse. Nam tres illæ substantiæ, quarum meminit, omnes sunt divinæ, non partim divinæ partim humanæ. Et quod Patres Antiocheni vocem consubstantiale corporaliter acceperunt, nihil aliud significat, nisi corporum more, vel prout in corporibus sumi solet: non autem Christum hominem Deo consubstantialem in specie evasisse: quod nemini sano unquam in mentem venit. Veruntamen fatendum est hæc aliquanto perplexiora esse, & difficulter inde percipi quæ fuerit tum Samosatensis, tum Antiochenorum Episcoporum sententia de consubstantiali. Planius est aliquanto quod Episcopi Germaniæ & Galliæ, qui homousion rejiciebant dicunt apud Hilarium: *Quod Patres nostri, cum Paulus Samosatensis hæreticus pronunciatus est, etiam homousion repudiaverint, quia per hanc unius essentiæ nuncupationem, solitarium atque unicum sibi esse Patrem & Filium prædicabat.* Sic damnata fuisset vox consubstantialis, quod Sabellianismo, Patrem & Filium pro uno eodemque habenti, favere crederetur. Quod confirmat Hilarius adjiciens: *Et hoc sane nunc quoque profanissimum Ecclesia recognoscit, Patrem & Filium in his nominum professionibus ad unionem ac singularis solitudinem, negata personarum proprietate, revocare.* Qui sensus est directe contrarius illi quem Maresius ipsi affinxit. Sed quicquid sit de eo, mirum est quomodo Nicæni Patres adducti fuerint, ut vocem ὁμοούσιον tanquam tesseram ὀρθοδοξίας symbolo fidei insererent, quam Antiocheni inde ut hæreticam sexaginta annis ante eliminarant. Nec persuadere mihi possum data opera id factum esse, quasi Nicæni Patres ea quæ Antiochiæ decreta erant evertere voluissent. Hoc enim fuisset hominum mentis non sanæ, & quos spiritus quidam vertiginis agitasset. Crediderim potius per imprudentiam accidisse, quia Nicææ congregati Episcopi, nihil de Antiochenorum decreto audiverant: & cum postea ad ipsorum notitiam Synodo dissoluta pervenisset, non fuisse amplius integrum mutare: Sequentes vero Synodos Oecumenicas non emendavisse, metuentes ne sibi inconstantia in fide objiceretur, cum tamen præstitisset culpam prædecessorum ingenue agnoscere, quam pertinaciam in ea defendenda pro clypeo usurpare. Sed esto; condonetur id Veteribus, tanquam infirmitas humana, à qua pauci sunt immunes: an excusabiles erunt hodie, qui post tot seculorum infelicia experimenta, volunt adhuc aliis tanquam jugum imponere vocem, quæ tantum ad lites in Ecclesia ciendas excogitata fuisse videtur?

LXXII. Quod Maresius addit, Concilium Nicænum definivisse ut Filius ὁμοούσιος Patri diceretur;

ceretur, non specifice, sed numerice; paulo diligentius examen meretur. Dico igitur primum, id non esse verisimile, cum nulla hujus significationis exempla apud auctores occurrant, ubi vox ὁμοουσίου semper de specifica aut generica essentiæ identitate accipitur. Duo aut tria proferre sufficiet. Anonymus auctor celebrium de anima opinionum, una cum Origenis Philocalia editus, citat locum ex Aristotele, ubi dicit, ὁμοούσια δὲ πάντα ἄστρα, id est, *omnia astra sunt ejusdem essentiæ*, seu naturæ. Et Agapius, apud Photium, in Bibliotheca, ἥλιον καὶ σελήνην ὁμοούσια κηρύττει Θεῷ, id est, *Solem & Lunam prædicat esse ejusdem cum Deo essentiæ*. Item Porphirius de abstinentia ab esu animalium, lib. 1. n. 19. εἴγε ὁμοούσιοι αἱ τῶν ζώων ψυχαὶ ἡμετέραις, id est, *siquidem animæ animalium sunt ejusdem cum nostris essentiæ*. Et Theodoretus in Dialogo ἀσύγχυτος, affert locum ex Apollinari, ubi dicit, οἱ ἄνθρωποι τοῖς ἀλόγοις ζώοις ὁμοούσιοι κατὰ τὸ σῶμα τὸ ἄλογον· ἑτερούσιοι δὲ καθὸ λογικοί, id est, *homines brutis coëssentiales sunt secundum corpus irrationale; alterius autem essentiæ sunt, quatenus ratione utuntur*. Ut jam prætercam quod frequenter apud scriptores Ecclesiasticos tam Græcos quam Latinos legitur, Christum hominibus esse ὁμοούσιον seu consubstantialem: quod de alia consubstantialitate, quam qualis est individuorum sub una infima specie contentorum, intelligi nequit. Et istud diserte confitetur Petavius dicens: *Etenim vera illius* (ὁμοουσίου) *& nativa significatio, non minus in in rebus valet, quæ numero discrepantes in eandem includuntur speciem, quam quæ eadem numero constant substantia. Quippe vox ista unam substantiam sive naturam indicat, quæ in pluribus individuis una esse dicitur. Lucifer Calaritanus ὁμοούσιον τῷ πατρί, quod Græci dicunt, nos Romani dicimus unius substantiæ cum Patre.* Theol. dogmat. Tom. 2. lib. 4. cap. 5. n. 15.

LXXIII. Secundo, si Patres Nicæni significare voluissent Filium esse unius ejusdemque numero essentiæ cum Patre, non dixissent ipsum ὁμοούσιον τῷ πατρί, sed μονοούσιον aut ταυτοούσιον, quæ voces longe sunt commodiores ad hunc sensum exprimendum. Atqui id non fecerunt: sed contra illas expresse rejecerunt. De μονοουσίᾳ docere nos potest Athanasius in Expositione fidei, ubi dicit, ὡς οἱ Σαβελλιανοὶ μονοούσιον, καὶ οὐχ ὁμοούσιον, id est, *Sicut Sabelliani, qui dicunt ipsum unius esse substantiæ, non consubstantialem*. De ταυτοουσίᾳ vero dicit Epiphanius, hæresi 76. n. 7. Καὶ οὐ λέγομεν ταυτοούσιον, ἵνα μὴ ἡ λέξις παρά τισι λεγομένη Σαβελλίῳ ἀπεικασθῇ, id est, *Neque ejusdem essentiæ appellamus, ne vox ista à nonnullis usurpata ad Sabellianum dogma trahatur*. Sabellii quidem metus utrique voces istas rejiciendi causa fuit. Sed poterant ipsi aliter obviam ire, si credidissent unam eandemque numero esse Patris & Filii essentiam. Retentis enim μονοουσίᾳ & ταυτοουσίᾳ, dixissent se non disputare adversus eum de unitate essentiæ, quæ utrimque erat in confesso, sed de Trinitate personarum aut hypostaseon, quas negabat.

LXXIV. Tertio, veteres Græci Patres, à quibus hæ voces ad Latinos dimanarunt, satis ostendunt quid de ὁμοουσίᾳ & de unitate Dei senserint, cum explicant discrimen quod est inter οὐσίαν & ὑπόστασιν, & dicunt οὐσίαν significare aliquid generale seu multis commune, quemadmodum & vocem φύσις, natura; ὑπόστασιν vero rem singularem, in qua præter naturam communem sint aliquæ proprietates individuæ per quas determinetur. Qua de re aliquot illustria proferam exempla. Primum desumptum erit ex Basilio M. Epist. 43. ad Gregorium Nyssenum fratrem, quæ tota est de hoc argumento: *Omnium, inquit, nominum quædam sunt quæ de pluribus prædicantur, & iisdem numero à se differentibus; & hæc generaliorem habent significationem, ut homo. Qui enim hoc profert, communem naturam ejusmodi nomine ostendens, non definit hac appellatione quis homo peculiariter indicetur. Neque enim Petrus magis homo est quam Andreas, aut Johannes, aut Jacobus, &c. Alia vero nomina quandam magis propriam habent notionem, per quam non commune naturæ consortium in re significata consideratur, sed cujusdam peculiaris rei circumscriptio, quæ nullam habeat communionem in hac sua proprietate cum iis quæ ejusdem naturæ sunt, ut Paulus aut Timotheus, &c. Si quando igitur duo pluresve in unum locum convenerint, puta Paulus, Silvanus atque Timotheus, de quorum essentia disputetur, non aliam quis essentiæ rationem ostendet in Paulo, aliam in Silvano & aliam in Timotheo; sed verbis quibus Pauli definitur essentia, iisdem aptissime alii describuntur, quando qui inter se sunt ὁμοούσιοι, consubstantiales, eadem prorsus definiuntur essentiæ ratione. Sed contra fit cum quis communi intellectu, contemplationem ad proprietatem individui converterit, qua una res peculiariter ab altera disparatur, &c. Si quam igitur distinctionem nosti quæ in rebus humanis τῆς οὐσίας & ὑποστάσεως discrimen exprimat, eam si ad divina quoque dogmata transferas, nihil aberraveris. De essentia Patris, quomodo illa habeat, quicquid suggerit tibi mens* (*nequit enim hac in re mentis acumen ad certam quandam cogitationem confirmari, propterea quod omnem persuasio illius intelligentiam superat*) *hoc idem & de Filio cogitabis, & simili modo de Spiritu Sancto, &c.* Et Epist. 349. ad Terentium Comitem, ubi disserit de turbis inter Orientis & Occidentis Ecclesias obortis occasione vocis ὑποστάσεως. *Quæ est ratio*, inquit, *communis ad proprium, eandem habet οὐσία ad hypostasin. Unusquisque nostrum per communem οὐσίας rationem essendi particeps est, & per peculiares suas proprietates talis vel talis existit. Sic ibidem οὐσίας ratio est communis, puta bonitas, deitas, aut aliquid his simile; hypostasis vero in proprietate Paternitatis, Filiationis, aut potentiæ sanctificantis cernitur.*

LXXV. Sic Ephræm Antiochenus apud Photium, Μετὰ ταῦτα δὲ περὶ τῆς διαφορᾶς, ἣν ἡ οὐσία καὶ τὸ γένος καὶ τὸ εἶδος, πρὸς τὴν ὑπόστασιν ἔχει, διαλαμβάνει· ὅτι τὰ μὲν τὸ κοινὸν δηλοῖ, τὰ δὲ τὸ πρόσωπον καὶ ὃ λέγεται τοῖς ἔξω καθ᾽ ἕκαστον, id est, *Postea disserit de differentia, quæ est inter essentiam & genus & speciem, respectu hypostasis: quod illa commune aliquid significant; hæc autem personam, & quod externi Philosophi nominant singulare.*

 LXXVI. Et

LXXVI. Et in Tractatu de definitionibus, qui inter Athanasii opera recensetur, sed alterius est auctoris, ut patet ex eo quod ibi citatur Gregorius Nyssenus, Athanasio posterior: *In confessione divinitatis, unam Sanctæ Trinitatis confitemur naturam, tres vero hypostases. Patris enim & Filii & Spiritus Sancti una tantum est natura & essentia, una potestas, regnum & potentia. Tres autem sunt hypostases, tres characteres & tres personæ, hoc est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: una in tribus personis divinitas agnoscitur. Dicendum est igitur generalius quid sit essentia & quid sit hypostasis. Atque essentia quidem, genus, natura & forma idem sunt. Persona item, character, hypostasis, individuum, & proprium etiam ipsa unum sunt. Nam natura in se multas hypostases continere potest. Homines etenim uno corpore & uno spiritu constantes, ejusdem sumus omnes naturæ & essentiæ: sunt vero multæ hypostases. Nam ideo dicitur hypostasis, quod in essentia subsistat. Atque natura quidem & essentia dicuntur universales: hypostasis vero partialis. Et universale quidem nominatur, quod universaliter omnia comprehendit & continet: partiale autem quod habet aliquam essentiæ partem. V. Gr. Si hominem dicas, jam quemvis hominem dixisti: nam universale est istud & essentiale; & omnes homines dicuntur: eadem enim omnium est essentia. Si vero Petrum, Paulum aut Joannem dicas, tunc unum hominem denotasti, eo quod hoc partiale sit, &c.*

LXXVII. Theodoretus etiam in Dialogo qui inscribitur Ἄτρεπτος, prolixe hoc discrimen explicat. Nam Eranista interrogante, *Estne quædam differentia inter essentiam & hypostasin?* Orthodoxus respondet; *Sapientia extra Ecclesiam hæc non discernit. Nam essentia significat id quod est, & hypostasis id quod subsistit. At secundum Patrum doctrinam, sicut differunt commune & proprium, aut genus & species, seu individuum, ita differunt essentia & hypostasis.* Eran. *Declara doctrinam de genere, de specie, & de individuo.* Orthod. *Genus appellamus animal: Multa enim hac appellatione continentur, ut V. Gr. ratione utentia & rationis expertia, & horum quidem plurimæ sunt species, &c. Sic hominis appellatio est commune nomen eandem naturam habentium. Significat enim & Romanum, & Atheniensem, & Persam, & Sarmatam, & Ægyptium, &, ut summatim dicam, omnes qui ejusdem naturæ participes sunt. Pauli vero aut Petri nomen, non significat communem naturam, sed quendam hominem. Nemo enim Paulum audiens, animo & cogitatione conversus est ad Adam, & Abraham, & Jacob; sed hunc solum cogitat, cujus appellationem audivit, &c. Sicut igitur hominis appellatio communis est toti hominum naturæ, ita divinæ essentiæ nomine accepimus significari sanctam Trinitatem: hypostasin vero habere significationem personæ, ut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti. Nam hypostasin & personam & proprietatem, idem significare dicimus, sanctorum Patrum doctrinam sequentes.*

LXXVIII. Similiter Joannes Damascenus, qui ad Scholasticorum tempora propius accessit. *Quæ communia & universalia sunt,* inquit, *prædicantur de subjectis sibi particularibus. Igitur commune est, substantia, ut species; particulare vero, hypostasis: particulare vero dicitur, non quod partem aliquam habet naturæ, aliam non habet: sed particulare numero, tanquam individuum. Numero enim, non natura, differre dicuntur hypostases. Prædicatur autem substantia de hypostasi, quoniam in unaquaque hypostaseon ejusdem speciei, perfecta inest substantia. Ideo non differunt invicem hypostases secundum substantiam, sed secundum accidentia, quæ sunt characteristicæ proprietates, characteristicæ, inquam, hypostasis, non naturæ. Etenim hypostasin definiunt substantiam cum accidentibus. Quare hypostasis quod commune est cum proprietatibus habet; & ut per se ipsam existat. Substantia vero secundum se hypostasis non est, sed in hypostasibus consideratur.* Et aliquanto post: *Omnis substantia communis est omnibus, quæ sub ipsa continentur hypostasibus. Nec inveniri potest particularis & propria singularis alicujus natura sive substantia: alioqui necesse esset easdem hypostases καὶ ὁμοουσίους καὶ ἑτερουσίους, & consubstantiales & diversarum substantiarum dicere: tum sanctam Trinitatem καὶ ὁμοούσιον καὶ ἑτερούσιον, & consubstantialem & diversæ substantiæ secundum divinitatem dicere. Eadem ergo natura in unaquaque hypostaseon spectatur.* De Fide Orthod. lib. 3. cap. 6. Et alibi: *Porro sancti Patres substantiæ & naturæ ac formæ nomen infimæ speciei attribuunt, idemque substantiam & naturam & formam & infimam speciem esse statuunt, atque ejusdem substantiæ & naturæ & speciei & generis & formæ esse dicunt individua quæ sub eadem infima specie collocantur. Diversæ autem substantiæ & naturæ ac speciei & generis & formæ infimas species esse pronunciant. Neque enim fieri posse quin species alterius substantiæ & naturæ & formæ sit, quam alia species, aut natura, quam alia natura, aut substantia quam alia substantia.* Logic. cap. 41.

LXXIX. Et Euthymius Zygabenus 400. circiter annis Damasceno recentior: *Essentia & natura, & genus, & species & forma,* (καὶ εἶδος καὶ μορφὴ) *idem sunt in Deo secundum divinos Patres. Rursus vero hypostasis, persona, character, proprietas & individuum idem sunt. Atque essentia quidem & natura de omnibus subjectis dicuntur æqualiter, quatenus omnes homines unius essentiæ sunt & naturæ: hypostasis vero & persona & individuum est quod proprie per se ipsum subsistit, & divisionem citra corruptionem non recipit, &c.* Et paulo post: ἣν γὰρ ἔχει διαφορὰν τὸ κοινὸν πρὸς τὸ ἰδικόν, καὶ τὸ καθολικὸν πρὸς τὸ μερικόν, καὶ τὸ ἀόριστον πρὸς τὸ ὡρισμένον, ταύτην ἔχει καὶ ἡ φύσις πρὸς τὴν ὑπόστασιν. Id est, *Quam habet differentiam commune à proprio, & universale à particulari, & indefinitum à definito, eandem habet & natura ab hypostasi.* In Panoplia.

LXXX. Denique idem docent Anastasius & Cyrillus in compendiaria fidei orthodoxæ explicatione; unde hypostasis definitionem in Præfatione mea citaveram: videlicet, *Hypostasis est essentia cum suis quibusdam proprietatibus, ab iis quæ ejusdem sunt speciei numero differens; id est persona coëssentialis.* Et sic argumentatus fueram: Cum isti duo Patriarchæ dicunt ea quæ sunt ejusdem speciei, & numero differunt, personam coëssentialem constituere, satis ostendunt se non existimare

stimare Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum aliter esse coëssentiales, quam sunt tres homines, à se numerica essentia distincti, specifica vero unum. Hæc Maresius acerbe suo more exagitat, & quia rationes ei desunt, multitudine verborum lectores obtundit. *Extat latine* inquit Thesi 48. *per modum Catecheseos, Compendiaria illa Orthodoxa fidei explicatio, sub nominibus Anastasii Patriarchæ Theopolitani, & Cyrilli Alexandrini, Tom. 15. Bibl. PP. editionis anni 1654. Sed non capio qui duorum istorum nomina conjungantur in opusculo unius pagellæ: siquidem nec coævi fuerunt, cum Cyrillus floruerit circa annum 430, Anastasius iste totis ducentis annis eo recentior fuerit. Illum enim à Judæis excarnificatum refert Baronius anno 609, Phocæ 7. nihilque simile extat inter opera prioris, quod posterior transscribere potuerit. Tum etiam ex hac utriusque ætate constat quam perperam eos Curcellæus annumeret iis veteribus quos ante dixerat circa Concilii Nicæni tempora vixisse.* Idem me dubium aliquandiu torsit: Sed cum viderem tum Catholico-Romanos, tum Protestantes, in recipiendo isto libello consentire, non veritus sum ejus auctoritate uti, & acquievi in conjectura Bezæ, dicentis in præfatione quam addidit Dialogis V. de Trinitate, (de quibus postea) & huic atque aliis aliquot opusculis: *Illius ἐκδότης Anastasius ille Alexandrinus (meo judicio) auctor est, qui sub Justiniano egregiam adversus Monophysitas operam navavit.* (ubi pro Alexandrinus, reponendum puto Theopolitanus, id est Antiochenus.) *Cui adjungitur Cyrilli longe ante demortui nomen, (nec enim ullum per ea tempora Cyrillum memini Alexandrinæ Ecclesiæ præfuisse) quod ex ipsius præcipui veritatis adversus illas hæreses defensoris libris maxima ex parte sit desumpta.* Ad id quod Maresius subjicit de Cyrilli & Anastasii ætate, postea de symbolo Calchedonensi agens respondebo, & ipsum præ studio vitilitigandi, toto cælo à mente mea aberrasse demonstrabo.

Pergit: *Sed auctori (quicunque is sit) hujus brevis Catecheseos notoria fit injuria à Curcellæo. Eum enim procul fuisse à Tritheismo, & non aliam essentiam divinam, quam singularissimam & unicam, licet communem tribus hypostasibus, agnovisse, multa sunt quæ apud eum demonstrant. Ibi enim hæc leguntur: Catechista:* Quod ad Deum attinet, quot naturas profiteris? *Catechum.* Unicam. (*jam autem quod unicum est, singulare est.*) Maresius me accusat criminis, cujus ipse reus est. Nulla hujus Catecheseos auctorem injuria affeci, aut quicquam à mente ipsius alienum ei sciens tribui. Quod fecisse Maresium testis est ejus operosa & intricata responsio. Simplex est enim veritatis sermo. Auctor iste dicit ἐπὶ τῆς θεολογίας πόσας φύσεις ὁμολογεῖς; Μίαν. Ad quod Maresius subsumit, *jam autem quod unicum est, singulare est.* Directe contra id quod auctor paulo post addit: Τί ἐστι φύσις; τὸ καθολικὸν πρᾶγμα, καὶ περιεκτικὸν τῶν ὑπ' αὐτὴν ὑποστάσεων. Id est, *Quid est natura? Res universalis, & hypostases sibi subjectas complectens.* Potuissetne apertius falsam Maresii glossam evertere? Catechista: *Quid est Deus?* Catechum. *Essentia, cujus nullus est auctor, causa omnium quæ sunt, sive causa omnipotens: cui prorsus nihil deest: omnis denique causæ & naturæ superessentialis causa.* Ad quæ Maresius: *Hæc descriptio essentiæ divinæ, ejus singularitatem plane adstruit.* Imo, inquam ego, destruit. Nam describit naturam divinam, quam ut modo retuli, dicit esse rem universalem. Catechist. *Quomodo credis?* Catechum. *Credo in unum Deum Patrem, & in unum Filium ac Deum, ex Deo ac Patre genitum: & in unum Spiritum Sanctum, Deum ex Patre procedentem.* Potuisset quidem Maresius abstinere ab his describendis, quæ nihil ad rem faciunt. Sed oportet me ipsum κατὰ πόδας sequi, ne conqueratur me aliquid momentosum omisisse. Subjicit ergo: *Ut autem unus numero Pater est, unus numero Filius, sic unum numero, sive singularissimum Deum auctor hic statuit.* Imo contra statuit Deum, sive naturam divinam, quam vocat, τὸ καθολικὸν πρᾶγμα, rem universalem, sub qua comprehendit Patrem, Filium & Spiritum Sanctum tanquam individua sub una specie infima. Quod tam aperte declaravit in definitione hypostaseos à me allata, ut mirer aliquem inveniri tam perfrictæ frontis qui id ausit negare. Observet etiam lector, auctorem hunc dicere de Spiritu Sancto, eum à Patre procedere, contra quam vulgo Protestantes una cum Ecclesia Romana credunt, & neutros habere cur de suo cum veteri Ecclesia consensu glorientur. Catechist. *Ergo consequenter in tres Deos credis.* Maresius addit, *Ut sane oporteret si tres hi unum essent natura duntaxat specifica, non singulari.* Id quidem fateor: sed alia fuit mens veterum, de quibus loquimur. Nec nobis licet iis quem volumus sensum affingere; sed qualemcunque exprimant, etiamsi absurdissimum, pro genuino eorum sensu tenemur agnoscere. Deinde Catechum. respondet: *Absit.* Catechist. *At certe in tres naturas.* Catechum. *Minime.* Catechist. *Atqui tres Deos recensuisti. Quomodo igitur inquis, Absit.* Catechum. *Atqui etiamsi tres recensui* (Maresius interjicit *non tres Deos*, quod à Catechumeni sententia non abludit) *tria tamen dico propter triplicem coëssentialis & INDIVIDUÆ Trinitatis subsistentiam. Nam & Pater est unus Deus, & Filius est unus Deus, & Spiritus S. est unus Deus, & UNICA Deitas in tribus hypostasibus statuitur, & UNICA essentia, unicum regnum, unica potentia & natura.* Maresius curavit hic capitalibus, ut vocant, literis tres voces excudi, in quibus peculiarem aliquam vim pro sua sententia esse existimavit. Posteaque Thes. 49. subjecit: *Quid quæso his verbis expressius pro singularitate & individuitate essentiæ divinæ, quam auctor paulo post tribus hypostasibus communem asserit? Nec dubium, quin prout agens postea de Christo duas naturas in illo profitetur, ut idem Filius sit perfectus Deus & perfectus homo, naturas illas singulares intelligit: sic etiam singularem intelligat naturam illam unicam quam facit communem Patri, Filio & Spiritui Sancto.* Unde etiam iterum sic loquitur: Patris, Filii & Spiritus Sancti unum est consilium, sapientia una, potentia una: neque unus quidem extitit ante secula, alter vero post secula: sed simul Pater & Filius & Spiritus

Spiritus Sanctus, Filius in Patre, & Pater in Filio: cohæret enim hæc natura, unde est una natura & una deitas; distincta quidem in tres hypostases, sed in unitatem occurrens, habita essentiæ ratione. *Item*: Cum tres hypostases sive tres personas dicimus, non dicimus tres essentias, sive tres naturas, sive tres Deos; sed unum Deum, unam essentiam, sive unam naturam profitemur, ne Arianisemus. Et rursus, cum unam essentiam sive naturam dicimus, non dicimus unam hypostasin, ne Sabellianisemus: sed tres hypostases, sive tres personas in una Deitate, unam essentiam & naturam credimus. *Sanè res ipsa loquitur, quod unam numero essentiam asserat contra Arium, quomodo unam numero hypostasin negat adversus Sabellium: adeoque quod ubi exemplum proponit sub finem Petri & Pauli, qui sint unius & ejusdem naturæ, hypostasibus autem diversis, id facit quidem ad explicandum quomodo essentia sive natura, distincte ab hypostasi, sit aliquid hypostasibus commune: sed non ad probandum, quod communitas naturæ divinæ ad Patrem, Filium & Spiritum S. sit ejusdem per omnia ordinis cum communitate naturæ humanæ Christi, V. Gr. ad Paulum & Petrum.* Imo, Maresi, nihil plane hic dicitur quod vel minimum faveat singularitati & individuitati essentiæ divinæ, quam auctori Catecheseos tribuis. Agnoscit quidem ἀδιαίρετον τριάδα, id est, *indivisibilem trinitatem*, propter summam conjunctionem quæ est inter personas ejusdem naturæ divinæ participes: sed non quod concipi eam velit instar individui alicujus, qualis est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Μίαν θεότητα, & μίαν οὐσίαν vocat, id est, *unam deitatem & unam essentiam*, prout dicimus species ultimas, licet naturæ universalis, esse unum quid. Sic enim ipsum mentem suam interpretantem audivimus. Sed postea, inquit Maresius, prout cum profitetur duas naturas in Christo, deitatem & humanitatem, ut idem Filius sit perfectus Deus & perfectus homo, naturas singulares intelligit, ita etiam naturam divinam quam Patri, Filio & Spiritui S. communem facit. Ad quod respondeo; Cum Catechesis mentionem facit deitatis & humanitatis in Christo, naturas universales intelligit, seu species infimas, quæ individua sub se complectuntur: nempe deitas Patrem & Spiritum S. cum Filio: & humanitas, cæteros omnes cum Christo homines. Quod significat cum addit, *ut idem Filius sit perfectus homo*: videlicet non amplius in specie, sed in individuo consideratus. Quod vero contra Arium asserit unam essentiam sive naturam divinam, id manifeste de unitate specifica accipiendum, cum Ariani Filium Dei in creaturarum ordinem relegantes, ipsum diversæ speciei à Patre essentiæ & naturæ facerent. Adeo ut ridicule dicat Maresius Catechesin eodem modo unam numero essentiam asserere contra Arium, quo unam negat numero hypostasin contra Sabellium; cum ista Catechesis declaret expresse se per essentiam seu naturam intelligere τὸ καθολικὸν πρᾶγμα, rem universalem, per hypostasin vero rem singularem. Et in fine rursus dicat; *Natura, essentia, forma, simul eadem est: hypostasis & persona idem est. Et essentia quidem sive natura id quod commune est designat: hypostasis autem sive persona, quod singulorum proprium est declarat. Ut* (Ex. Gr. *sic dicamus*) *in homine; Omnes homines unius & ejusdem naturæ sumus, una & eadem natura omnium est* (nempe specifica;) *siquidem omnes homines ex anima intellectuali & corpore constamus: hypostasibus vero multis, & infinitis, & innumerabilibus. Et Petrus ac Paulus unius & ejusdem sunt naturæ* (specificæ,) *hypostasibus autem diversis: & naturam quidem inter se communem habent, dividuntur autem hypostasibus seu personis.* Quibus verbis apertissime ostendunt Catecheseos istius auctores, se essentiam & naturam divinam specie esse unam, non autem numero, credere. Nec valet Maresii effugium: *Id facere quidem ad explicandum, quomodo essentia sive natura, distincte ab hypostasi, sit aliquid hypostasibus commune, sed non ad probandum, quod communitas naturæ divinæ ad Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, sit ejusdem per omnia ordinis cum communitate naturæ humanæ Christi; V. Gr. ad Paulum & Petrum.* Non enim est verisimile viros doctos & prudentes, quales fuere auctores hujus Catecheseos, & omnes veteres, apud quos ista comparatio frequentissime occurrit, ita perpetuo loquuturos quasi sentirent unitatem essentiæ & naturæ divinæ, Patri, Filio & Spiritui S. communis, specificam tantum esse, si numericam credidissent; & nunquam vel uno verbulo lectores monituros de ejus impropriètate, ne periculose in re tanti momenti deciperentur. Id autem quod dico verum esse sequentia testimonia docebunt. Sed (inquit Maresius Thes. 50.) *natura divina non potest esse communis tribus hypostasibus aliter quam numerice, ne plures Dii admittantur.* Ita est. Ideo reprehendo veteres illos, qui nulla subordinationis mentione facta communitatem specificam statuendo πολυθεότητα imprudentes introduxerunt. Putat-ne eos tam fœdi erroris capaces non fuisse? Cur non æque ac multi alii, quos in eum incidisse constat? Sane si excusari possent, non illibenter iis patrocinium meum commodarem. Sed nolo ipsorum verba torquere, ut dicentes faciam quod video non sensisse.

LXXXI. Pergit: *Atque ex his liquet quo sensu sit accipienda hypostaseos definitio, quam ex isto auctore urget Curcellæus. Nam primum, perinde est ac si diceret, personam consubstantialem in divinis esse essentiam characterizatam, sive hoc speciali modo subsistentem; quod verum est. Neque vult auctor, quod persona sit essentia suis quibusdam proprietatibus instructa, quæ differat numero ab aliis essentiis ejusdem secum speciei: sed hypostasi sive personæ in divinis duo tribuit; & quod sit essentia sive οὐσία μετά τινων ἰδιωμάτων, id est, revera essentia characterizata; & quod sit ἀριθμῷ τῶν ὁμοειδῶν διαφέρον, ut id sit ipsi πρόσωπον ὁμοούσιον, quod non nisi numero differt ab aliis hypostasibus sive personis, quæ secum sunt ejusdem speciei & naturæ. Neque τὰ ὁμοειδῆ hic debent sumi pro iis quæ conveniunt in eadem specie univer-*

universali, prædicabili & logica; sed pro iis quæ conveniunt in eadem singulari forma, substantia & natura, prout apud Patres nomen speciei sæpe pro natura & substantia singulari sumitur: ut cum dicit Ambrosius de iis qui initiantur Myster. cap. 7. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. *Et cum illi Cyrillo-Anastasiano scriptori, paulo ante hanc definitionem essentia, natura, forma, sint una & eadem res, prout & Damasceno Isagog. cap. 1.* οὐσία καὶ φύσις, καὶ μορφὴ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας ταὐτόν ἐστι, τὰ ὁμοειδῆ *melius ex illius mente reddantur, quæ sunt ejusdem formæ, quam quæ sunt ejusdem speciei.* Hic Maresius perinde mihi se gerere videtur, ac si diceret; Quamvis hujus Catecheseos auctores affirmarint istud esse album, nolo tamen ut credatur eos ita locutos, sed contra, nigrum esse dixisse: adeo se directe opponit, non tam mihi, qui illorum verba simpliciter recitavi, quam illis, negans eos scripsisse, quæ tamen expressissime scripserunt. Quod ut liqueat, ad sequentia capita est attendendum. Primo dicunt, *naturam esse rem universalem* (quales sunt species infimæ, ut homo) Secundo, *naturam complecti hypostases sibi subjectas* (quod est proprium universalium, ut hominis, qui complectitur Petrum, Paulum & reliqua omnia individua.) Tertio *essentiam, naturam & formam esse unam eandemque rem*, (id est hæc omnia esse universalia.) Quarto, *hypostasin esse essentiam cum suis quibusdam proprietatibus, ab iis quæ ejusdem sunt speciei, numero differentem.* Ubi manifesta est allusio ad definitionem speciei Porphyrianam: εἶδός ἐστι τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ ἀριθμῷ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. *Species est quæ de pluribus & numero differentibus in quæstione quid est prædicatur.* Unde reciproce sequitur, individua esse essentiam contractam & per suas quasdam proprietates ab iis quæ ejusdem sunt speciei numero differentem. Ita ut Maresius perperam admodum neget τὰ ὁμοειδῆ hic debere sumi pro iis quæ conveniunt in eadem specie universali, cum id totidem pene verbis asserant definitionis personæ auctores. Et male conferat hanc vocem cum dicto Ambrosii de re plane diversa loquentis; fallaturque existimans μορφὴν apud Damascenum esse quid singulare; cum ei optime cum Cyrillo conveniat, qui eam hic expresse pro re universali accepit. Quod denique tam confidenter asserit neminem sibi posse dari ex veteribus, qui dicat essentiam sive naturam divinam se habere ad hypostasin Patris, Filii & Spiritus Sancti, ut τὸ καθόλου ad τὰ καθ' ἕκαστα, vel ex sola hac Catechesi, de qua agimus, refutatur, ubi τὸ καθολικὸν πρᾶγμα opponitur iis quæ ἀριθμῷ τῶν ὁμοειδῶν διαφέρουσι. Quænam enim sunt illa quæ numero differunt ab iis quæ ejusdem sunt speciei, nisi singularia, τὰ καθ' ἕκαστα? Et quid aliud sibi volunt hæc, *& essentia quidem sive natura id quod commune est designat:* (ante καθ' ὅλου vocatum) *hypostasis autem sive persona*, τὸ ἴδιον ἑκάστου, quod *singulorum proprium est declarat?* Quibus adjunge testimonia modo ex Basilio, Ephræmio, definitionibus Theologicis, Theodoreto, Damasceno & Euthymio allegata. Imo quod ipse Maresius citat ex Theoriano, ὅτι ὃν ἔχει λόγον τὸ κοινὸν πρὸς τὸ ἴδιον, τοῦτον ἔχει ἡ οὐσία πρὸς τὴν ὑπόστασιν, id est, *quam habet rationem commune ad proprium, eandem habet essentia ad hypostasin.* Nam quid hoc sibi vult aliud, nisi essentiam in divinis esse aliquid universale, hypostasin vero singulare? *Nec essentia characterizata*, cujus meminit, est aliud quam universale ad singularitatem contractum, per proprium suum characterem, seu individuationis principium, ut vocant Scholastici. *Jam autem*, inquit, *non statim esse debet universalis essentia sive natura illa, quæ pluribus numero discretis communis est. Hujus unius numero agri possessio potest esse communis in solidum tribus distinctis hominibus. In anima qualibet humana & singulari varia & numero discretæ facultates observantur, quibus tamen illius natura sive essentia communis est, ut v. gr. intellectui, memoriæ & voluntati.* Ad quod resp. 1. Etiamsi commune aliquando differret ab universali, id tamen nihil ad rem nunc faceret: quandoquidem Patres, qui istis vocibus in doctrina Trinitatis utuntur, declarant se utramque τὸ κοινὸν & τὸ καθ' ὅλου pro æquipollenti accipere. 2. Rationes, quibus id probare nititur, sunt absurdæ. Unus numero ager potest quidem indivisim tribus hominibus communis esse, sed non à singulis totus possideri, veluti singula individua habent totam speciei naturam. Nam si unus ex illis tribus hominibus totum agri reditum ad se trahat, reliqui duo nihil habebunt: si vero æqualiter dividatur reditus in tres partes, non erit communis in solidum tribus. Facultates etiam animæ, nempe intellectus, memoria & voluntas, non sunt singulæ anima ipsa, ita ut de illis prædicetur sicut species de individuis, homo de Petro, Paulo. Nec de intellectu solo, aut de memoria & voluntate solis dici potest, in ipsis esse totam animæ vim, sed tantum in omnibus simul junctim.

LXXXII. Quarto Patres Nicæni vocem ὁμοούσιος opposuerunt erroribus Arianorum, qui dicebant Filium Dei esse creaturam, ac proinde diversæ speciei essentiæ à Deo creatore, & ipsum ex alia substantia, ἐξ ἑτέρας οὐσίας, quam Patris progenitum esse, seu esse ἑτερούσιον. Eos autem sufficienter excludit, si intelligatur de unitate essentiæ specifica, prout ostendunt qui illam adversus Arianos defenderunt, & inter alios Athanasius, cujus idcirco aliquot testimonia huc pertinentia describemus.

Sic igitur loquitur in Epistola, de Synodi Nicænæ contra hæresin Arianam decretis. *Cum igitur talia loqui fas non sit:* (nempe Christum per virtutis suæ actiones in Filium Dei esse adoptatum) *ea enim potius Sadducæorum & Samosatensis opinio est; restat ut vocabulum Filii in alium sensum interpretemur, & quemadmodum Isaac Filius Abraham intelligitur,*

tur, ita quoque Christum Filium Dei intelligamus. Quod enim naturaliter ex aliquo nascitur, neque aliunde adoptatur, id pro filio agnoscit natura, & eam vim significationis id vocabulum præ se fert. Hæc est vulgaris comparatio qua utuntur fere omnes veteres qui adversus Arianos disputant, ut probent Filium Dei non esse creaturam, sed Patri suo consubstantialem. Nempe sicut Seth erat Adamo consubstantialis, & Isaacus Abrahamo, è quorum substantia geniti erant; ita etiam oportet ut Filius Dei sit Patri consubstantialis, siquidem creatura non est. Quæ collatio prorsus inepta foret, nisi id intellexissent de eadem specie essentia, qualis erat Sethi & Isaaci, respectu parentum suorum Adami & Abrahami. Ideoque Scholastici & recentiores scriptores, qui credunt Filium Dei esse ejusdem numero cum Patre essentiæ, nunquam tales similitudines adhibent ad illud confirmandum aut illustrandum. Sed ut melius adhuc constet de Nicænorum mente, Athanasius ibidem addit: *Cum Synodus esset in hoc, ut Arianorum impia vocabula tolleret, & voces adhibere vellet Sacris literis consentaneas, nimirum eum Filium esse, & nequaquam ex non entibus esse, sed ex Deo: eumque & verbum esse & sapientiam, nequaquam autem creaturam aut facturam sed germen proprium sui Patris: Eusebiani pro inveterata sua & prava opinione volebant illud, ex Deo esse, commune esse, & ad homines quoque pertinere, neque quicquam Christum eo nomine à nobis differre; eo quod scriptum esset, unus Deus ex quo omnia. Et rursum, Vetera transierunt, ecce nova facta sunt omnia: omnia vero ex Deo. Ibi Patres animadversa illorum fraude & impietatis vafricie, coacti sunt clarioribus verbis exponere quid sit ex Deo esse; & scribere Filium ex substantia Dei esse, ne ex Deo esse, & commune & æque ad Filium & creaturas pertinere existimaretur. Cætera igitur omnia creaturas dixere, excepto verbo, quod solum ex Patre genitum esse crediderunt: & cætera quoque ex Deo esse, verum non eadem ratione qua Filius. Creaturæ enim ideo ex Deo esse prædicantur, ne temere & sponte extitisse videantur, aut fortuitam habuisse generationem, secundum illos qui ex atomorum & similarium partium connexu rerum procreationem constituunt; aut ne creaturarum auctor alius quam Deus secundum quosdam hæreticos putaretur; aut Angeli, secundum alios, creatores rerum existimarentur; sed ut Deus omnia per verbum, cum prius non essent, ad essentiam produxisse intelligeretur. Verbum autem cum creatura non sit, vere ex Deo solum & est & esse prædicandum est. Istius rei intellectus iis vocibus concipitur, quibus dicitur eum ex substantia Patris esse.* Quibus verbis Athanasius indicat ideo tantum Patres Nicænos statuisse Filium ex essentia Patris genitum esse, ut significarent ejus ortum longe nobiliorem esse quam creaturarum; non quod una eademque numero sit utriusque essentia. Et paulo post: *Episcopis rursum affirmantibus & hoc quoque scribi debere, eum veram esse potentiam & imaginem Patris, & similem Patri, & per omnia similem & immutabilem & æternum & indivisum in Patre subsistere, &c. Ipsi quoque necessitate coacti sunt sententiam earum rerum ex scripturis colligere, & quæ prius dixerant apertioribus verbis repetere & scribere, Filium consubstantialem esse Patri, ut non solum similem, sed eundem Patri similitudine significarent; atque aliam Filii similitudinem & inconvertibilitatem declararent ab ea quæ in nobis est imitatione, quam ex virtute, per observationem mandatorum, consequimur. Siquidem corpora similia à se invicem distare & procul disjungi possunt; quales sunt liberi, qui similitudine parentes referunt, quemadmodum scriptum est de Adamo, & ex ipso genito Seth, quod fuerit ei specie similis. Cæterum quandoquidem illa Filii ex Patre generatio alia est à natura hominum, Filiusque non solum similis, sed inseparabilis est à Patris substantia, & quia ambo unum sunt, ut ab ipso dictum est, semperque in Patre est verbum, & Pater in eo, sicut splendor respectu lucis; hoc enim vox illa significat, ideo Synodus re perpensa, recte eum consubstantialem esse tradidit. Et ut hæreticorum subverteret malitiam, ostenderetque eum alium esse à rebus creatis, statim post addidit: Illos autem qui dicunt Filium Dei ex non entibus extitisse, aut creatum esse, aut vertibilem esse, aut opus esse aliquod conditum, aut ex alia substantia prodiisse, eos anathemate percutit sancta & Catholica Ecclesia. In his verbis, ex substantia & consubstantialem esse, vim peremtoriam Patres voluere contineri ad eludendas has argutiolas, Filium creatum aut factum, aut mutabilem esse, aut non fuisse antequam nasceretur. Qui enim ita sentit, contradicit Synodo, &c.* Noluerunt igitur Nicæni Patres ut crederemus Filium eandem numero cum Patre essentiam habere, sed tantum increatam, immutabilem, & inseparabilem. Rursus aliquanto post: *Quidnam autem ex eo aliud intelligas, quam veritatem & æternitatem essentiæ ex qua genitus est Filius? Non enim diversus specie est, ne externum quippiam & dissimile patris substantiæ admisceatur. Neque rursus leviter & quovis modo ex re aliena Patri est similis, ne secundum aliud quippiam ea similitudo proveniat, aut alterius substantiæ esse appareat; qualia sunt inter se, æs, aurum, argentum, stannum, quæ quidem splendore similia, natura & substantia distant. Neque enim æs ex auro est, neque turtur columbæ fœtus. Est quidem in rebus istis similitudo aliqua; natura vero substantiaque diversissima. Si ergo eodem modo Filius se habet, esto, habeatur & ipse quoque creatura, quemadmodum nos sumus, & non consubstantialis Patri. Sin autem vere Filius est, & verbum & sapientia & splendor & imago Patris, recte ergo dictum fuerit, eum consubstantialem esse, nisi contra scilicet rationibus demonstretur, eum non ex Deo, sed à Deo pro instrumento quod alterius sit naturæ, quam suus auctor, conditum esse. Probe igitur Concilium scripsit, & recte rem ipsam intellexit.* Cum Athanasius hic solum probet Filium non esse diversæ à Patre speciei, apparet non docuisse in præcedentibus ipsum ejusdem numero essentiæ esse: posterius enim in priore includitur; quo recte confirmato, frustra rursus inculcaretur. Tandem subjungit: *Cæterum istinc rursus tolli velim omnem corporalem cogitationem, ut altius & supra imaginationem sensuum erecti, puro intellectu & sola mente intelligamus Filii ad Patrem legitimam illam & naturalem*

lem genuinitatem, & verbi ad Deum proprietatem, & æqualem in omnibus similitudinem splendoris ad lucem. Ut enim cum audimus eum Filium & Germen esse, non humano more, sed prout Deo convenit, intelligimus; ita quoque cum audimus eum consubstantialem esse, nequaquam delabentes ad humanos sensus, partitiones & divisiones Deitatis cogitemus, sed tanquam de incorporalibus agitantes, unitatem naturæ & identitatem lucis non dividamus. Id enim proprium est Filii ad Patrem, & id declarat Deum revera Patrem esse Verbi. Hic enim denuo est necessaria comparatio illa lucis & splendoris. Quis enim ibi ausus fuerit dicere, splendorem externum quiddam esse à Sole, eique dissimile? aut quis non potius intuens simul splendorem cum Sole, & eandem in utroque lucem, non audacter loquatur, lucem & splendorem unum esse? & hunc illa repræsentari, & splendorem ita Solem esse, ut qui hunc videat, illum etiam intueatur. Hanc igitur unitatem & naturalem proprietatem qui credunt & recte intuentur, quonam quæso alio nomine quam consubstantialem progeniem appellaverint, aut quidnam inde intellexerint congruenter nisi verbum, sapientiam, & potestatem, quam neque externam à Patre fas est dicere, neque imaginari licitum est eam non æternaliter apud Patrem esse, &c. Similitudo quam Athanasius hic desumit à sole & luce, sicut & alibi à fonte & fluvio, quæ frequentissimæ sunt in scriptis veterum qui disputant de SS. Trinitate, occasionem posset dare suspicandi, ipsum eandem esse numero Patris & Filii essentiam significare voluisse, quemadmodum lux Solis non est res diversa à Sole, nec fluvius à suo fonte. Sed ut patet ex præcedentibus, respexit solum ad indivisibilitatem Filii à Patre in divinis, quæ eodem se modo non habet ut inter homines, ubi filii à parentibus loco, voluntate, potentia, aliisque ejusmodi distinguuntur. Imo nec omnes qui his similitudinibus usi sunt, eo spectarunt, sed ad solam Filii à Patre emanationem. Cui adde quod proprie loquendo, lux Solis non eadem est omnino cum Sole; nec fluvius idem omnino cum fonte, unde originem ducit. Sed singula hæc essentiam habent peculiarem, per quam sunt id quod sunt: nempe sol non radius: fons non fluvius, aut vicissim; arcte quidem conjuncta, sed non prorsus eadem. Novi enim radii singulis momentis ab unico sole promanant: & non eadem semper est aqua in fluvio quæ in fonte, sed successive. Ariani autem contendebant diversas Patris & Filii & Spiritus Sancti hypostases esse, id est substantias, easque separatas. In Epist. Concil. Sardicensis apud Theodoret. lib. 2. cap. 8.

Nec alia est mens loci quem citat Maresius ex Epist. de Synodis Ariminensi & Seleuciensi; in qua Athanasius negat de filio, quod χωριζόμενός ἐστι τοῦ πατρός, ἀλλ' ὡς ἐξ αὐτοῦ υἱὸς ἀδιαίρετος ὑπάρχει, id est, *separatus sit à Patre, sed ab ipso filius indivisus manat*: quod optime potest consistere, etiamsi non sit eadem numero Patris & Filii essentia. Sed non satis capio quid sibi velint antecedentia verba, ὡς ἑτεροφυὴς, ὥσπερ ἡμεῖς ἐσμέν, *tanquam diversæ naturæ, sicut nos sumus.* Non enim recte dixisset Athanasius, nos esse diversæ à parentibus naturæ, cùm omnes simus homines. Nec consentanee sibi ipsi, cùm aliquanto post in eadem epistola scribat: *Certe homo homini similis dicitur, non secundum substantiam, sed secundum figuram & characterem.* τῇ γὰρ οὐσίᾳ ὁμοφυεῖς εἰσι, id est, *quantum enim ad substantiam attinet, congeneres sunt.* καὶ πάλιν ἄνθρωπος κυνὶ οὐκ ἀνόμοιος λέγεται ἀλλ' ἑτεροφυής. οὐκοῦν τὸ ὁμοφυὲς, καὶ ὁμοούσιον, τὸ δὲ ἑτεροφυὲς, καὶ ἑτεροούσιον, id est, *Rursum homo cani similis non dicitur, sed diversi generis. Quapropter quod est genere conjunctum, consubstantiale est; quod autem diversi est generis, diversa etiam substantia habendum est.* Ita ut priore loco, ὡς ἑτεροφυὴς mendosum sit; vel transferendum non, ut vulgo fit, *alterius naturæ*, sed *alio loco natus*; ad excludendam Filii Dei à Patre separationem, non autem identitatem essentiæ numericam significandam. Et sic nihil in hac epistola erit, quod isti opinioni vel minimum faveat.

LXXXIII. Hanc testimoniorum, de sensu in quo veteres ὁμοούσιον acceperunt, sylvam ingressi, tot jam & tam gravia inde depromamus, ut etiam à pertinacissimis assensum extorqueant. Dixeram in præfatione mea, veteres qui circa tempora Concilii Nicæni vixerunt, in cujus symbolo primum usurpata invenitur, non aliter Patrem & Filium in divinis censuisse esse ὁμοουσίους, quam prout duo homines sunt ὁμοούσιοι, qui eandem specie humanitatem inter se communem habent. Idque liquere ex Concilii Calchedonensis symbolo, in quo legimus Jesum Christum esse ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, id est, *consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Quæ verba ex diversarum Synodorum symbolis congesta octies repetuntur in prima Codicis Justinianei constitutione, de SS. Trinitate & fide Catholica. Inceperam demonstrationem meam ab hoc testimonio, quia licet ordine temporis non esset primum, auctoritate tamen cætera quæ produci possunt antecelleret. Ubi Maresius me geminæ ἀνιστορησίας accusat. *Quarum prior est, quod vocem ὁμοουσίου dixi primum usurpatam reperiri in Symbolo Niceno, cum tamen ante nota & usurpata fuerit, etiam sensu orthodoxo. Altera; quod conditores Symboli Calchedonensis statuerim vixisse circa tempora Concilii Nicæni cum hoc fuerit celebratum anno Domini 325. illud vero post annum 450.* Sed nimium carpendi studium, quod ubique prodit, fecit ut mentem meam non intelligeret. Nam quod ad primum spectat, nolui significare vocem ὁμοούσιος à nullo Ecclesiastico scriptore ante Concilium Nicænum fuisse usurpatam; sed istud tantum, Concilium Nicænum fuisse primum quod eam in symbolum fidei recepit. Quod ad alterum vero, non statui (ut mihi calumniose affingit) quod conditores Symboli Calchedonensis vixerint circa tempora Concilii Nicæni. Nihil enim aliud ex verbis meis colligi potest, quam intervallum inter Concilium Nicænum & Calchedonense, non fuisse admodum

magnum. Quod etiam verissimum est. Nam tempus centum viginti quinque annorum est exiguum, si cum mille & amplius comparentur. Atqui hæc fuit mea mens; nimirum Concilii Nicæni tempus conferre cum scholasticorum ævo, in quo vox ὁμοούσιος antiquam suam significationem amisit; & cum nostro, in quo scholastici veteribus Ecclesiæ doctoribus anteponuntur. Quam miserum est tempus terere in his minutiis, ad quas importunæ Maresii reprehensiones nos compellunt! *Sed rem ipsam quod attinet*, pergit ille, *Calchedonenses Patres confitentur quidem Christum esse ὁμοούσιον Patri secundum divinitatem, & nobis secundum humanitatem: at non dicunt, quod fingit adversarius, non aliter eum consubstantialem esse Patri quoad divinitatem, quam nobis quoad humanitatem, &c.* Nihil Patribus istis affinxi: nec opus fuit, ut de illorum mente constaret, ipsos quicquam aliud dicere quam quod dixerant. Nam ista verba, de Christo, Patri secundum divinitatem, & nobis secundum humanitatem consubstantiali, absque ulla limitatione aut restrictione prolata, satis indicant eos credi voluisse consubstantialitatem ab utraque parte æqualiter se habere. Sed vide lector Maresii iniquitatem, qui collectionem quam nunc improbat alibi adversus me urget. Anastasius & Cyrillus scribunt in brevi Catechesi, *cum tres hypostases, sive tres personas dicimus, non dicimus, tres essentias, sive tres naturas, sive tres Deos; sed unum Deum, unam essentiam, sive unam naturam profitemur, ne Arianizemus. Et rursus cum unam essentiam sive naturam dicimus, non dicimus unam hypostasin, ne Sabellianizemus.* Inde Maresius colligit, Thesi 49. *Sane res ipsa loquitur, quod unam numero essentiam asserant contra Arium, quomodo unam numero hypostasin negant adversus Sabellium.* Ubi tamen male similia facit, quæ diversissima sunt; cum isti auctores expresse declarent se per essentiam, rem universalem; per hypostasin, rem singularem intelligere: ac proinde vox *una* non debeat utrobique eodem modo accipi. Sed in symbolo Calchedonensi ne apex quidem extat, qui diversitatis suspicionem ingerere possit. Quis autem credat Episcopos illic congregatos adeo fuisse negligentes in symbolo fidei concinnando, quod sub anathematis pœna omnibus recipiendum erat, ut tam apertam homonymiam non caverint: sed vocem ὁμοούσιος in duabus plane diversis significationibus in eadem periodo usurparint; in priore membro de unitate numerica, in posteriore de specifica eam accipientes? Sed fac eam fuisse Calchedonensium mentem, quam Maresius ipsis affingit, egone sum in culpa, quod illorum verba accepi ut sonant? Nonne ipsi contra gravi reprehensione sunt digni, quod alios ambiguo sermone in errorem induxerint? quod foveam foderint in quam laberentur prætereuntes, & eos de periculo non admonuerint? Quod per concessionem dico, non tanquam de genuina eorum sententia dubitans; idem semper quod ante affirmaturus, donec cætera omnia testimonia quæ jam adduxi, & adhuc adducam, mihi erepta fuerint.

LXXXIV. Secundo, pugnaveram autoritate Athanasii, Dialogo de Trinitate, non procul ab initio, ubi introducit Anomæum, id est, Arianum, petentem: *Cujusmodi se habent tres hypostases in Trinitate?* Et orthodoxus respondet, *Ut sunt Pauli, & Petri, & Timothei tres hypostases & una humanitas.* Anom. *Ergo sunt tres Dii.* Orthod. *Absit ut hoc dicam.* Anom. *Si ita sunt tres hypostases, ut Petri & Pauli & Timothei, tres sunt Dii, quandoquidem & Petrus & Paulus & Timotheus tres sunt homines.* Orthod. *Tres quidem sunt, at non tres homines; quia tunc tres sunt homines, cum dissimile cor habuerint, ut Græcus & Judæus & Christianus. Sin vero idem senserint, nec sint inter eos dissidia, tres quidem sunt hypostases, sed unus in Domino, quod unum animum & unum cor habeant.* Anom. *Ego eos qui tres sunt, tres esse dico.* Orthod. *At ego tres esse dico si inter se dissenserint. Quod si ex Dei verbo fuerint eadem mente & scientia compacti, unum novum hominem esse dico, manentibus tamen hypostasibus.* Anom. *Sed hæc de hominibus dicuntur, in Deo vero aliter se res habet.* Orthod. *Si in iis quæ corporaliter separata sunt, modo animi sententia non dissentiant, habet scriptura* UNUS & UNUM, *multo magis id dicendum est in iis quæ sunt materia & corporis expertia. Aut igitur in iis ponito esse dissidia, ut tres Deos dicamus, quoniam unus istud alius istud velit: aut si nulla est in iis dissensio, unus sit Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus, quemadmodum qui in Christo sunt compacti, unus homo sunt, sicut scriptum est.* Et sub ejusdem dialogi finem, rursus Orthodoxum ita loquentem inducit: *Qui coëssentialitatem dicit Christianus est: qui vero existimat eum non esse Christianum qui coëssentialitatem dicit, & tamen ipsemet hoc dicit, comperitur se ipsum condemnare, ut servus ille malus ex suo ipsius ore damnatus.* Et Anomæus respondet: *Quomodo vero sum compertus id dicere?* Orthod. *nos* [dixisti] *sentimus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, esse instar Episcopi, Presbyteri & Diaconi.* Orthod. *Atqui Episcopus, Presbyter, & Diaconus, sunt ὁμοούσιοι, coëssentiales. Fassus es igitur ὁμοούσιον, coëssentialem esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.* Ex quibus Athanasii locis, dixi, sole clarius apparere, ipsum ideo tantum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vocare consubstantiales, quia in eadem specie Deitate conveniant, & summa sit inter eos voluntatis consensio. Quod Maresium propemodum in furorem egit, cum nihil inveniret solidi quod respondere posset. *Priusquam* (inquit *Thes.* XLII.) *huic testimonio respondeam, velim notari primum, Anomæum & Arianum non simpliciter sumendum pro eodem. Nam qui Anomæi dicebantur à dogmate, appellabantur etiam Aëtiani & Eunomiani à conditore & propugnatore illius sectæ; quæ licet Arianismi fuerit propago, tamen longius quam Arianorum vulgus procedebat in oppugnatione SS. Trinitatis. Nam Ariani vulgo Filium & Spiritum S. fatebantur ὁμοιουσίους Patri, id est, saltem similis essentiæ & naturæ. Sed Anomæi eos plane dissimiles faciebant, quod ex*

Sozomeno

Sozomeno docet Baronius ad annum 360. n. 11. Epit. Spond. Hinc est quod veteres heresiologi Arianos ab Anomæis, qui & Aëtiani, solent distinguere. Augustinus de heres. ad Quod vult Deus, agit de Arianis cap. 49. de Aëtianis cap. 54. Epiphanius in Panario contra Arianos pugnat heres. 69. sed contra Aëtianos heres. 76. Philastrius quoque Brixiensis Arianis tribuit quod Filium Patri saltem similem facerent; Eunomianis vero, qui & Anomæi, quod negarent Filium Patri similem, quia creatura est, eoque essent magis impietati Paganæ & iniquitati Judaicæ consentientes apertissime, quam Christianæ doctrinæ ac fidei Catholicæ parere volentes. Quid vero fuerit discriminis inter Arianos, Semi-Arianos & Eunomianos, qui & Acaciani & Aëtiani & Anomæi dicti sunt, quam etiam distinctionem Philastrius observat, si ex historia Ecclesiastica nescierat Curcellæus, saltem didicisse potuisset ex Petavio Jesuita, Theolog. dogmatum. Tom.4 *lib.* I. *cap.*10.

Quæ hic Maresius quasi ex historia Ecclesiastica refert, non sunt omnia vera, & etiamsi maxime vera essent, nihil ad rem facerent; ita ut operam ludat, tam prolixe iis inhærendo. Sed de altero hoc capite postea ad Thesin 44. agendum erit. Nunc paucis de primo. Nihil à me hic peccatum est, quod nullam distinctionem fecerim inter Arianos & Anomæos. Non solum enim Arius, sed etiam omnes genuini ejus sectatores, erant Anomæi. Nam docebant Christum λόγον esse meram creaturam, ἐξ οὐκ ὄντων, ex iis quæ non erant productam; ac proinde toto genere à Patre increato discrepantem. Ideo Anomæi vocantur vulgo ab iis qui contra disputant. Athanasius eorum meminit in epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, scripta antequam Aëtius & Eunomius innotuissent, & dicit eos etiam vocatos fuisse ἐξουκοντίους, q. d. ex non entibus. Item in alia de Synodi Nicænæ decretis, Arianorum sententiam sic proponit, κτίσμα γάρ ἐστι καὶ ποίημα ὁ λόγος, καὶ ξένος καὶ ἀνόμοιος κατ' οὐσίαν τοῦ πατρός ἐστιν: *Creatura siquidem & factura est verbum, externum dissimileque Patri quantum ad substantiam ipsius pertinet.* Marius etiam Victorinus tribuit Ario, quod Filius ex nihilo, & quod fuit quando non fuit, quod factura Filius, & omnimodo omnimodis dissimulis Patri lib. I. adversus Arium. Et Theodoretus in ἀνακεφαλαιώσει trium Dialogorum, tribuit Ario & Eunomio conjunctim, quod dicerent Filium ἑτεροούσιον, id est, alterius essentiæ ac dissimilis Patri. Cui non repugnat quod Ariani fatebantur Filium esse ὁμοιούσιον, id est, similis essentiæ cum Patre. Ista enim ex eorum mente optime inter se consistebant, ut Filius esset creatura, & eatenus Patri ἀνόμοιος, dissimilis; & simul esset substantiæ tam similis Patri, quam creatura esse potest. Sic Angeli quidem ex una parte Deo ἀνόμοιοι, quatenus sunt creaturæ; sed ab altera etiam ὁμοιούσιοι, quia ad naturam divinam propius quam bruta animalia aut homines accedunt. Falsum ergo est quod Aëtiani & Eunomiani facerent filium omnino Patri dissimilem. Non faciebant enim magis quam Arius, qui dicebat eum esse creaturam; & alteram quam dixi naturæ similitudinem agnoscebant. Nec refert quod ii qui hæresium Catalogos scripserunt, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Aëtianos & Eunomianos ab Arianis separent. Id enim imprudenter faciunt, sicut & multa alia, eo tantum fine, ut videtur, ut suam diligentiam ostentent, quod nullos prorsus hæreticos omiserint. Exortum est postea aliud Arianorum genus, qui ad Catholicos magis accedebant, & Filium Patri ὁμοιούσιον κατὰ πάντα & ἀπαράλλακτον, id est in omnibus, sine ullo plane discrimine, esse dicebant, qui vulgo Semi-Ariani vocabantur. Inter quos & Aëtianos & Eunomianos fateor magnum fuisse discrimen. Isti enim Semi-Ariani, propemodum erant Catholici, & pro talibus à multis agnoscebantur, ut ab Hilario, libro de Synodis, licet ὁμοούσιον Concilii Nicæni repudiarent. Unde lucem accipere potest id quod Sozomenus scribit de Acacianis, eos statuisse *Simile* eximendum esse ex formula fidei Arimini & Constantinopoli perlecta (quia forsan longius trahebatur à Semi-Arianis quam voluissent) & cum Ario docuisse Filium Patri tum substantia, tum voluntate dissimilem esse, & ex nihilo creatum: iisque sectatores Aëtii subsidio fuisse, & Anomæos & Exoucontios appellatos: Histor. lib. IV. cap. 28. Magnus vero est nugator Maresius, quod me remittit ad Petavium, ut ex eo discam quomodo omnes isti hæretici à se invicem discreparint; quasi ipsi constaret me illud ignorare, & id non longe facilius & certius ex fontibus ipsis Epiphanio, Augustino, Socrate, Sozomeno, & aliis haurire possim, quam ex hoc recentiore scriptore. Sed multo justiorem habeo causam Maresium ad scholam Jesuitarum ablegandi, ut inde sinceritatem discat, nec impudenter, ut perpetuo facit, adversus manifestam & sole clariorem veritatem pugnet. Quod enim dicit me Patres antiquos calumniatum, Tritheismi ipsos accusando, Petavius ultro confitetur hanc quam dixi fuisse genuinam eorum mentem, & multis allatis testimoniis probat, Tom. 2. de Trinitate, lib. IV. cap. IX. Locum ipsum postea describam integrum, & appendicis instar huic dissertationi attexam, ad confundendum Maresium, si forte tandem erubescere possit.

LXXXV. Pergit adhuc Thesi 43. dicens: *Deinde quam inepte confundit Arianum cum Anomæo, tam imperite adscribit Athanasio, Dialogum quem citat: postquam præsertim Criticum jam egisset, circa librum qui inscribitur Expositio fidei Justino non tribuendum, ex Bellarmino & Riveto. Etenim Scultetus in analysi script. Athanasii, cap. 42. Medullæ Patrum, part. 2. recensens supposita tom. 2. operum Athanasii, iis annumerat hos quinque Dialogos, à se Latine redditos; statuitque eos multis post obitum Athanasii annis esse confectos à Maxino, cujus etiam nomen in vetusta quadam membrana viderit, cui involuti Dialogi. Assentitur Rivetus Sculteto hac in parte, & hunc Maxi-*

[illegible] menachum, horum dialogorum scriptorem, monet vixisse tempore Honorii Pontificis Romani Monothelitæ, & obiisse demum anno 657. Crit. sacr. lib. 3. cap. 6. Et qui prior hos quinque Dialogos Græce edidit Theodorus Beza, observat quod licet in suo exemplari, quod Senatus Genevensis à Græculo quodam istac transeunte redemerat, quatuor ex his priores Athanasio essent inscripti, tamen aliena manu annotatum fuerit ad primi Dialogi marginem, τὸ πεντάτευχον διάλογον οἱ μὲν Ἀθανασίου, οἱ δὲ Μαξίμου εἶναι λέγουσιν. Nihil imperitiæ est in eo quod Dialogos V. de Trinitate, qui vulgo adscribuntur Athanasio, sub ejus nomine citaverim, etiamsi alterius sint actoris. Existimabam enim non esse opus istam quæstionem movere. Sufficiebat mihi, quod eos omnibus, tanquam orthodoxos, probari certus eram. Video quidem nonnullos esse qui tribuant Maximo; sed quis iste Maximus fuerit nondum satis constat; ille-ne de quo loquitur A. Rivetus, an alius quispiam. Plures enim Maximi nomine appellati sunt; ut inter alios Maximus Philosophus, ad quem extant epistolæ Basilii Magni, & Gregorii Nazianzeni. Sed fac alium esse recentiorem; mihi perinde est: imo robur addit argumento meo, ostendens non tantum eos qui circa Concilii Nicæni tempus scripserunt, sed etiam posteriores, vocem ὁμοουσίου in ea quam dixeram significatione accepisse. Bis autem Maresius peccat reprehendendo me: primo in eo quod dicit istos, de quibus nunc agitur, Dialogos à Sculteto Latine redditos: deinde quod innuit Bezam eos tantum Græce edidisse. Sed non intellexit mentem Sculteti dicentis: *Dialogi V. à Theodoro Beza, & sermones XX. adversus diversas hæreses, nostro qualicunque studio in Latinam linguam conversi:* quod Maresius ad utrumque librum retulit, cum ad posteriorem tantum respiciat; & indubium sit Bezam Dialogos istos in Latinum sermonem vertisse, & una cum textu Græco ex officina Henrici Stephani, A.C. 1570. in lucem emisisse. Sed istud forte levioris est momenti quam ut observari mereatur: non tamen penitus dissimulandum in adeo mordaci homine existimavi. Ad majora jam transeamus.

LXXXVI. *Argumentum ipsum quod attinet,* inquit Thesi 44. *Siquid non dicam scientiæ, vel conscientiæ, sed pudoris superfuisset in Curcellæo, nunquam illud protulisset. Meminisset enim hic disputari contra Anomæum, qui dissimilem per omnia Patri asserebat Filium, ut loquitur Augustinus loc. cit. id est cap. 54. de hæres. ad quod vult Deum; adeoque eo dirigere orthodoxum sermonem suum, ut explicet & ostendat quomodo Pater & Filius saltem sint* ὁμοιούσιοι *&* ὁμοούσιοι, *non vero in quo precise* τοῦ ὁμοουσίου *ratio sita sit. Igitur satis ibi habuit orthodoxus docere, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse ejusdem naturæ, ut Petrus, Paulus, Timotheus; vel Episcopus, Presbyter, & Diaconus, in eadem humanitate conveniunt. Quanquam & multa sunt quæ indicent nihil minus orthodoxum hujus Dialogi scriptorem sibi somniasse, quam quod illi in suo somnians Sociniano Parnasso justo liberius affingit Antitrinitarius. Ubi enim dicit Patrem, Filium & Spiritum S. esse coëssentiales, quia in eadem specie Deitate conveniant? Nusquam. Ubi* τὸ ὁμοούσιον *per solam voluntatis consensionem explicat? Nusquam. Et quæ similia urget ab exemplis Petri, Pauli & Timothei, vel ad hominem, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi* ὁμοούσιον *in genere spectant, non in specie modum illius.* Hæc verba non sunt hominis cui bene constet mens, sed furentis. Quam autem adeo vehementis perturbationis causam habuerit Maresius facile conjicient intelligentes. Ego existimo argumenti mei robore & evidentia ad incitas redactum, fiduciam, mihi scurriliter insultando, simulare voluisse. Quod responsionum ejus ineptiæ satis arguunt. Ideo hæc convicia jure auctori suo remittere possem; & dicere, *Siquid non dicam, scientiæ, vel conscientiæ, sed pudoris, superfuisset in Maresio,* nunquam se adeo claræ & manifestæ veritati opposuisset. Sed sit cæcus, quandoquidem ipsi lubet, non tamen, spero, excæcabit alios, ut rem non animadvertant. Saltem longe aliter visum Petavio, inter Jesuitas aquilæ, ad cujus eruditionem nunquam accedet Maresius. Nam postquam conatus esset ad hunc locum respondere; tandem de solvendo nodo desperavit, ut in Appendice palam fiet. Primo vult me meminisse hic disputari contra Anomæum, qui dissimilem per omnia Patri asserebat Filium. Sed nihil opus erat hoc monito. Ego satis sciebam, tum ex titulo ipso, ἐν ᾧ διαλέγονται Ὀρθόδοξος καὶ Ἀνόμοιος Ἀρειανιστής, tum ex materia in hoc Dialogo tractata, adversus quos conscriptus esset. Et nugatur Maresius, cum ex epitheto ἀνομοίου, quod Ariano tribuitur, colligi vult quis sit Dialogi sensus: quasi scriptoribus non sit usitatum, præsertim in disputando, adversarios suos quibus videtur insignire nominibus aut epithetis, etiam acerbioribus quam rei veritas ferat. Apparet igitur quam sit rationibus destitutus, cum in his ineptiis causæ suæ præsidium quærit. Arianus & Anomæus unum idemque sunt. Omnes enim qui asserebant Filium Dei esse creaturam, eum dissimilem Patri faciebant. Quæ fuit Arii & genuinorum ejus sectatorum sententia. Et hoc potissimum argumento nitebatur Eunomius, quod ἀγέννητον sit γεννητῷ ἀνόμοιον, id est, ingenitus genito dissimilis, ut liquet ex Basilii contra eum libris. Quod si Aëtius & Eunomius, cæterique ejus temporis Ariani, magis dissimilitudinem istam urgerent quam præcedentes, id faciebant propter Semi-Arianos, qui non confitebantur Filium esse creaturam; sed contra, eum Patri κατὰ πάντα, in omnibus similem dicebant. Quod tamen non impediebat, quo minus Anomæi etiam τὸ ὁμοιούσιον, vulgare Arianorum symbolum, usurparent. Poterant enim utrumque simul confiteri, & Filium Patri esse dissimilem, quatenus ille genitus, hic vero ingenitus est; & nihilominus ab altera parte similem, quatenus magis ad naturam divinam accedebat, quam aut Angeli, aut ulla cæterarum creaturarum. Sicut homo valde dissimilis est Deo, cum ut creatura consideratur; sed tamen

men similis est, eo quod ad imaginem & similitudinem Dei factus fuit. Maresius huic ruinoso fundamento quod posuit, videlicet Anomæum non esse eundem cum Ariano, ridiculum commentum superædificat, orthodoxum qui loquens introducitur in Dialogo, eo sermonem suum dirigere, ut Anomæo explicet quomodo Pater & Filius saltem sint ὁμοιούσιοι & ὁμοούσιοι, id est eum prius ad Arianismum adducat, persuadendo ipsi τὸ ὁμοιούσιον, quod erat Arianorum tessera, ut postea ex Ariano faciat orthodoxum, & ex ejus ore τοῦ ὁμοουσίου confessionem eliciat. Quid admirabilius hac inventione? Auditum admissi risum teneatis amici? Verendumne est ut qui tam præclaras solutiones excogitare potest, unquam in adversariorum objectionibus irretitus maneat? Sed fac ita esse. Saltem orthodoxus istud voluit ostendere, Filium & Spiritum S. non differre à Patre ut creaturam à creatore; & eum in finem usus est exemplis Petri, Pauli & Timothei; item Episcopi, Presbyteri & Diaconi, qui in eadem specie humanitate conveniunt. Sed an locutus fuisset convenienter suæ hypothesi, si Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ejusdem numero essentiæ esse credidisset? An non Anomæum ab uno errore ad alium nihilo minorem aut tolerabiliorem traduxisset? Quis hoc sibi de tam diligenti institutore persuadeat? Sic responsum est simul ad illud quod objicit Maresius: *Ubi dicit orthodoxus, Patrem, Filium, & Spiritum S. esse consubstantiales, quia in eadem specie Deitate conveniant?* Nam illud satis clare dicit, cum ad explicandam eorum consubstantialitatem utitur exemplis Petri, Pauli, & Timothei: quos certum est non alia ratione esse consubstantiales, quam quia singuli eandem specie humanitatem habeant. Item ad istud. *Ubi τὸ ὁμοούσιον per solam voluntatis consensionem explicat?* Nam ibi explicat, ubi negat Petrum, Paulum & Timotheum esse tres homines, nisi dissimile cor habuerint, & alius Græcus, alius Judæus, alius Christianus fuerit. Et id multo magis de Deo dicendum esse concludit: *Aut igitur in istis ponito esse dissidia, ut tres Deos dicamus, quoniam unus istud, alius istud velit: aut si nulla est in iis voluntatis dissensio, unus sit Deus Pater, & Filius, & Spiritus S. quemadmodum qui in Christo sunt compacti, unus homo sunt, sicut scriptum est.* Video orthodoxum duas tantum istas urgere rationes, nempe unitatem speciei, & summum voluntatum consensum, propter quas Pater, Filius & Spiritus S. sint consubstantiales, & nusquam unius numero essentiæ mentionem facere. Ergo non sum obligatus credere ipsum ad istam rationem respexisse quam ne verbulo quidem insinuat. Præterirem enim quæ ante pedes meos jacent, & quæ nusquam locorum sunt quærerem. Sed Maresius dicit istud luce meridiana clarius patere ex ultimis Dialogi verbis, quæ sunt orthodoxi: *Aliam esse dicis naturam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus S., ut vini, mellis & piperis. Nos vero dicimus, si Pater est vinum exhilarans cor, Filius itidem est vinum cor exhilarans, quo respectu Pater est super mel & favum. Non nos igitur, sed vos ii estis qui Patrem & Filium & Spiritum S. cum vino condito comparatis, cum dissimiles naturas introducitis: οἱ ἀνομοίους τὰς φύσεις εἰσηγούμενοι.* Mirum est hominem istum qui apertissima non videt, hic nobis lucem meridiana clariorem polliceri; ubi tamen nullus præter ipsum, ut credo, eam animadvertit. Debuisset saltem nobis digito monstrare. An quod orthodoxus tam de Patre, quam de Filio dicit, utrumque esse vinum cor exhilarans, putavit idem esse, atque utrique unam eandemque numero essentiam attribuere? Sed quam istud absurdum est? Vinum enim quod Petri & Pauli cor exhilarat, non est idem numero, sed diversum, etiamsi ex eodem dolio foret haustum; quanto magis, si aliud esset Græcum, aliud Hispanicum? Quæ sit peculiaris emphasis in ultimis testimonii hujus verbis, quæ Græce expressit, *οἱ ἀνομοίους φύσεις εἰσηγούμενοι, qui dissimiles naturas introducitis*; non capio: & magis contra Maresium facit, quam pro ipso. Reprehenduntur enim Ariani eo solum nomine quod dissimiles naturas in divinitate introducerent. Et nihil in iis desideraturi fuissent orthodoxi, si ejusdem specie essentiæ, quales trium sunt hominum, statuissent.

LXXXVII. Nihil superest in Thes. 45. & 46. ad quod non jam sufficienter responderim. Nolo obtundere lectores in his minutiis immorando. Tantum uno aut altero verbo respondebo, ad id quod Maresius dicit, *me ex alieno jecinore hic sapere, nec ipsum Dialogum quem citavi legisse aut vidisse*; nunquam infeliciorem fuisse conjectorem quam hoc loco, ubi toto cælo à veritate aberravit. Quis hanc temeritatem excusare posset, quod tam confidenter id, cujus ne minimum quidem habet indicium, asseveret? Unde rescivit quid legerim, aut non legerim, qui me per totos triginta annos non vidit, & procul à me habitavit? an aliter citavi locum, quam apud ipsum authorem legatur? Cur ergo me falsitatis non redarguit? Contra scias velim, Maresi, nullum Græcorum patrum scriptum mihi æque jam dudum familiare fuisse, atque istos Dialogos, ex quibus ante quinquaginta septem annos aut amplius Græcæ linguæ rudimenta didici, & quidem Beza ipso, qui illorum fuit interpres, me privatim summa cum humanitate instituente. Vide quam turpiter lapsus sis, & tibi, si sapis, in posterum cave. Cogita etiam id quod alteri sine causa, per meram petulantiam objicis, tibi justissime exprobrari posse, adeo ut nihil habiturus sis, quod respondeas. Nam ut indubitato experimento discas, quanto ictus mei certiores sint tuis, ostendam postea te Gregorium Nyssenum bis, videl. Thesi 35. & 37. tanquam causæ tuæ faventem citasse, qui tamen ei directe adversatur.

LXXXVIII. Jam ad alia testimonia pergamus: Et præcedentibus Athanasii quædam adhuc

huc attexamus. Sic ergo loquitur in Epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ: *Cavendum ne quæ Patris propria sunt, transferentes ad illud quod substantiæ dissimilis est,* ἐν ἀνομοιογενεῖ καὶ ἀλλοτριουσίῳ *in dissimili genere & alterius substantiæ, delineantes Patris Deitatem, peregrinam aliquam inducamus substantiam, quam tamen velimus capacem esse proprietatum primæ substantiæ, &c. Quod si illud indecorum,* δηλονότι οὐκ ἀνομοιούσιος ἂν εἴη ὁ υἱός, ἀλλὰ ὁμοούσιος τῷ πατρί, *Certe non dissimilis substantiæ fuerit Filius, sed consubstantialis Patri.* Hic nihil aliud requirit Athanasius, ut Filius sit Patri consubstantialis, quam ut non sit dissimilis generis & alterius substantiæ aut peregrinæ; non ut sit ejusdem numero. Et aliquanto post: οὐκοῦν τὸ ὁμοφυὲς καὶ ὁμοούσιον, τὸ δὲ ἑτεροφυὲς, καὶ ἑτεροούσιον, *Quapropter quod genere est conjunctum, consubstantiale est: quod autem diversi generis, diversæ etiam substantiæ habendum est.* Ergo ad consubstantialitatem non judicavit opus esse unitate numerica, sed tantum specifica. Item in epist. ad Serapionem, contra eos qui dicunt Filium creaturam esse. *Omnia autem Patris ad Filium spectant, quia ille consubstantialis est Patri. Ut enim si cum rebus creatis aliquam haberet cognationem, consubstantialis illis fuerit; ita alienus à creatis per substantiam remanens, proprium fuerit verbum Patris, & alius diversusque ab illis. Cæterum quia omnia Patris illi propria sunt, consubstantialis esse Patri merito reputabitur.* Et sexcenta ejusmodi alia loca, ubi Athanasius removendo Filium à numero creaturarum, colligit eum Patri esse consubstantialem, nulla mentione unitatis numericæ facta.

LXXXIX. His consonat Hilarius Pictaviensis libro de Synodis: *Multi ex nobis fratres charissimi, ita unam substantiam Patris & Filii prædicant, ut videri possint non magis id pie quam impie facere. Habet enim hoc verbum in se & fidei conscientiam, & fraudem paratam. Nam si secundum naturæ proprietatem & similitudinem, ut similitudo non speciem solam afferat, sed genus teneat, religiose unam substantiam prædicamus; dummodo unam substantiam proprietatis similitudinem intelligamus, ut quod unum sunt, non singulares significet, sed æquales: æqualitatem dico, id est indifferentiam similitudinis, ut similitudo habeatur æqualitas. Æqualitas vero unum idcirco dicitur esse, quia par sit. Unum autem in quo par significatur, non ad unicum vindicetur. Una igitur substantia, si non personam subsistentem perimat, nec unam substantiam partitam in duos dividat, religiose prædicabitur. Quæ ex nativitatis proprietate, & ex naturæ similitudine ita indifferens sit, ut una dicatur. At vero si idcirco unius substantia Pater, & Filius dicatur, ut hic subsistens sub significatione licet duûm nominum unus ac solus sit, confessum nomine filium conscientia non tenemus, si unam substantiam confitentes, ipsum sibi unicum ac singularem & Patrem esse dicimus & Filium.* Ubi iste Doctor 1. Unam genere substantiam in Deo prædicat. 2. Vult ut quod Pater & Filius unum sunt, non singulares significet, sed æquales. 3. Vetat ne unum [Patris & Filii] in quo paritas significatur, ad unici significationem trahatur. Dices ipsum ita loqui propter Sabellianos, in quorum errorem veretur incidere. Ita est. Sed nullam aliam noverat iis resistendi viam, quam unam Dei substantiam genere, non autem numero statuendo. Nondum enim tunc temporis inventa erat distinctio, Deum quidem esse unum essentia, sed trinum personis. Idemque sibi vult cum paulo post dicit, *non est aliter Deus in genere substantiæ, sed unus Deus per indifferentis substantiæ essentiam. Non persona Deus unus est, sed natura,* (quæ aliquid est universale,) *quia nihil in se diversum ac dissimile habent natus & generans,* qui unum specie sunt. Et rursus: *Legimus: Vixit Adam ducentis triginta annis, & genuit secundum effigiem & similitudinem suam, & cognominavit nomen ejus Seth. Quæro cujusmodi effigiem & similitudinem suam Adam in Seth genuerit, &c. Quæro similitudo hæc quæ in Seth est, utrum per naturam dissentiat auctori, aut utrum alterius generis essentia fuerit in utroque, an non naturalem habuerit Adæ Seth natus essentiam? Sed similitudo Adæ est, etiamsi genus, quia non est natura dissimilis, &c. Omnis itaque filius secundum naturalem nativitatem, æqualitas Patris est, quia est & similitudo naturæ. Et beatus Joannes docet in natura Patris & Filii, quam Moyses in Seth Adam similitudinem dicit, hanc eandem æqualitatem esse naturæ, &c.* Collocat ergo consubstantialitatem Patris & Filii in divinis, in eo quod uterque esset æqualis propter unitatem specificam naturæ, sicut Adam & Seth. Iterum: *Caret igitur fratres, similitudo naturæ* (in Patre & Filio) *contumeliæ suspicione: nec potest videri Filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non esse, quia similis est, cum similitudo nulla sit, nisi ex naturæ æqualitate. Æqualitas autem naturæ non potest esse, nisi una sit: una vero, non personæ unitate, sed generis.* Ecce numericam unitatem excludit, ut ponat genericam. Denique in eodem libro hæc adhuc consideranda veniunt: *Aut aliud hic testatur homousion, quam ut una atque indissimilis sit secundum naturæ propaginem essentia, quia essentia Filii non sit aliunde; quæ quia aliunde non est, unius recte esse ambo creduntur essentiæ, quia substantiam nativitatis filius non habeat, nisi de paternæ auctoritate naturæ.*

XC. Hilarium sequatur coætaneus ejus, Marius Victorinus, tractatu de homousio recipiendo. *Dicit Apostolus ad Hebræos, qui est character substantiæ ejus, &c. Est autem substantia Dei lumen, Spiritus, Deus. Item substantia Christi est* λόγος, *lumen, Christus. Hinc omnes vere dicimus Christum verum lumen de vero lumine, Deum de Deo. Recte ergo dicitur ejusdem esse substantiæ, hoc est* ὁμοούσιον, *&c. Ex hoc excluditur Arius, qui dixit ex nihilo Christum.*

XCI. Veniamus ad Basilium Magnum. Is epist. ad Amphilochium, 391. dicit. Οὐσία, id est, *essentia, vel substantia, & hypostasis illam habent differentiam,* ἣν ἔχει τὸ κοινὸν πρὸς τὸ καθ' ἕκαστον, *quam commune ad particulare obtinet: animal nimirum ad hominem hunc vel illum. Propterea* οὐσίαν *in Deitate profitemur unam, ne essendi ratio diversimode reddatur: hypostasin autem propriam, ut incommixtam & manifestam de Patre, Filio, & Spiritu Sancto sententiam retineamus,*

neamus, &c. Et epist. 141. ad Cæsarienses. *Illis vero qui nobis per calumniam trium Deorum fidem objiciunt, respondeatur; nos Deum non numero, sed natura unum confiteri.* Et lib. adversus Eunomium: *Itaque si communitatem istam essentiæ eo sensu dixit* (Eunomius) *ut ex praexistente materia in ea quæ ab illa fiunt distributio & divisio quadam facta intelligatur, nos quoque talem sententiam non admittimus, absit, &, si qui sunt qui sic loquantur, pronuntiamus eos nihilominus impios esse iis qui dissimilitudinem asserunt. Sin vero communitatem hanc essentiæ sic accipit, ut una eademque ipsius esse ratio in ambobus spectetur, ut si exempli causa, Pater subjecto lux esse intelligatur, unigeniti quoque essentiam lucem esse profiteamur: & quamcunque ipsius esse rationem Patri quispiam tribuat, eam ipsam quoque Filio adaptet: si communitatem, inquam, essentiæ sic accipiat, eam recipimus, & hoc esse nostrum dogma profitemur. Nam hoc quoque respectu unica est Deitas, unitate videlicet secundum essentiæ rationem intellecta, ut in numero quidem, & proprietatibus quibus singuli veluti characteribus designantur, discrimen existat, in ipsa vero Deitatis ratione unitas spectetur.*

XCII. Basilium Magnum sequetur frater ejus Gregorius Nyssenus, qui lib. 2. contra Eunomium dicit: *Quod si genita essentia, diversa ab ea quæ genita non est, construeretur, non utrisque eadem essentiæ ratio competeret. Quorum enim essentia diversa, horum non est eadem essentiæ ratio, sive definitio. Quoniam igitur iisdem designatur proprietatibus, & ea quæ Adæ, & ea quæ est Abelis essentia, necesse est omnino in ambobus unam essentiam esse confiteri; alium autem atque alium in eadem natura demonstrari. Nam Adam & Abel in naturæ ratione unus, duo sunt; sed in proprietatibus, quæ in ipsorum utroque cernuntur, inconfusum inter se habent discrimen. Non igitur proprie dici potest, quod Adam essentiam à se ipso aliam genuit; sed melius, quod ex se ipso genuit alium se ipsum, cum quo omnis ejus qui genuit essentiæ ratio simul edita est. Quod igitur de natura humana didicimus, ea consequentiæ deductione quæ ante à nobis ratione demonstrata est, hoc etiam ut facilius ad incorruptibilem divinorum decretorum cognitionem deducamur, sumendum esse arbitror.* Et in epist. ad Ablabium, de eo quod non putandum sit tres Deos dici oportere. *Porro quod à te dicitur tale est; Petrus & Iacobus & Ioannes, cum in una sint humana natura, tres homines dicuntur. Ac nullo modo absurdum est natura conjunctos, si plures sint, ex nomine naturæ pluraliter nominari. Si igitur illic hoc consuetudo concedit, ac nemo vetat duos dicere, qui duo sunt, & tres eos qui supra duo sunt; quo pacto in mysticis decretis tres hypostases confitentes, & nullam in iis circa naturam differentiam agnoscentes, aversamur quodammodo confessioni, unam quidem Deitatem Patris & Filii & Spiritus Sancti dicentes, tres autem Deos dicere vetantes?* &c. Ad quod ita respondet: *Dicimus primum abusum quendam esse consuetudinis, ut eos qui natura divisi non sunt, per ipsum naturæ nomen pluraliter nominemus, ac dicamus, multi homines, cui simile est quis dicat, multæ naturæ humanæ, &c. Ac quemadmodum plebs, populus, exercitus, concio, singulariter omnia dicuntur, unumquodque autem horum in multitudine esse intelligitur; eodem modo, secundum exactiorem rationem homo quoque unus proprie dici posset, etiamsi hi qui in eadem natura demonstrantur multitudo sint: ut multo rectius fuerit in nobis lapsam restituere consuetudinem, & non amplius naturæ nomen ad multitudinem extendere, quam consuetudini servientes errorem qui hic latet etiam ad divinum dogma transferre. Sed quoniam consuetudinis correctio difficilis est, (qui enim alicui persuaderi possit, ut non multos dicat homines, qui in eadem natura demonstrantur? etenim in omni re consuetudo mutatu difficilis est) quantum attinet ad hanc inferiorem naturam, si obtinenti consuetudini non adversemur, nequaquam tantum peccaverimus, cum nullum existat detrimentum ex pravo nominum usu. In divino vero dogmate non amplius æque tutus, & à periculo vacuus, promiscuus & indifferens nominum usus est. Non enim hic parvum est, quod parvum videtur. Igitur unus nobis confitendus est Deus, juxta scripturæ testimonium, Audi Israël Dominus Deus tuus, Dominus unus est; etiamsi vox Deitatis sanctam permeat Trinitatem. Hæc autem dico secundum rationem redditam in humana natura, qua dicimus non oportere plurali designatione dilatare appellationem naturæ, &c. Idcirco homines pluraliter quidem nominare concedit* (scriptura:) *quippe cum nemo propter ejusmodi figuram vocis ad multitudinem humanitatum suspicione prolabatur, nec multas humanas naturas significari existimet, propterea quod nomen naturæ pluraliter enuntiatum sit. At vocem Deus cum cautione & observatione per singularem figuram enunciat, hoc prospiciens & cavens ne diversæ naturæ plurali significatione Deorum in divina essentia introducantur*, &c. Hic adeo aperte significat Nyssenus, se aliam in Deo unitatem non agnoscere quam specificam, qualis est plurium hominum ejusdem naturæ humanæ consortium, ut putem neminem contradicturum. Quod si tamen cuipiam remaneret in animo scrupulus, tolletur, ut confido, per ea quæ infra ex Petavio huic dissertationi subjungam. Et secundum hunc locum exponendi sunt alii, tum antea ex patribus citati, tum postea citandi; ubi unitatem Patris, Filii, & Spiritus Sancti, conferunt cum unitate naturæ humanæ, quæ in pluribus individuis reperitur; licet non adeo diserte mentem suam exprimant ut hic fit. Non enim credendum est celebrem illum Episcopum in diversam ab aliis sui temporis in re tanti momenti sententiam abiisse, & à nemine tamen fuisse reprehensum.

XCIII. Audiamus etiam Gregorium Nazianzenum. Is in tractatu de fide, ex interpretatione Ruffini, dicit: Cum *Patrem & Filium statuo, unitatem assigno generis.* Non ergo numericam. Quam etiam excludit in tractatu de fide Nicæna eodem interprete. *Non sic unum Deum* (credimus) *quasi solitarium.* Unde Orat. 38. in Christi nativitatem, Θεοῦ δὲ ὅταν εἴπω, λέγω πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος. οὔτε ὑπὲρ ταῦτα τῆς θεότητος χεομένης, ἵνα μὴ δῆμον θεῶν εἰσαγάγωμεν. οὔτε ἐντὸς τούτων ὁριζομένης, ἵνα μὴ πενίαν θεότητος κατακριθῶμεν. ἢ διὰ τὴν μοναρχίαν ἰουδαΐζοντες, ἢ διὰ τὴν ἀφθονίαν ἑλληνίζοντες. τὸ γὰρ κακὸν ἐν ἀμφοτέροις ὅμοιον κἂν ἐν

τοῖς ἐναντίοις εὑρίσκεται. Id est, *Deum porro cum dico, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum dico, nec ultra hæc diffusa divinitate, ne Deorum turbam inducamus; nec rursus intra hæc finita & restricta, ne Deitatis inopia laborare judicemur; vel propter unius principatum in Judaismum, vel propter Deorum multitudinem in Gentilismum incidentes. Nam utrobique malum æquale est, tametsi in contrariis reperiatur.* Quæ totidem verbis repetuntur Orat. 42. quæ est 2. in S.Pascha. Ubi attendi præcipue velim ad ista verba, *ne Deorum inducamus turbam.* Et, *ne Deitatis inopia laborare judicemur.* Quibus proculdubio usus non fuisset, si aliam Dei unitatem, quam specificam intellexisset. Nam cum una numero esse dicitur essentia divina, eodem res redit, sive duæ, aut tres, aut quatuor, aut quinque personæ statuantur: id est, plures Dii non erunt propter decem aut centum personas, quam propter duas aut tres: cum pluralitas personarum, ut vulgo creditur, multos Deos non faciat, sed pluralitas essentiarum. Nec possit inopia Deitatis illic locum habere, ubi in una persona omnes illæ perfectiones inveniuntur, quæ in pluribus sunt. Idemque significat Orat. 36. quæ est 4. de Theolog. *Filius mihi dici videtur* ὅτι ταὐτόν ἐστι τῷ πατρὶ κατ' οὐσίαν, *quia essentia idem est cum Patre; tum etiam quia ex illo est, &c.* εἰκὼν δὲ ὡς ὁμοούσιον, *imago, ut Patri consubstantialis, & quia ex illo est, non autem ex hoc Pater.* Filiatio enim nullam arguit aliam identitatem, aut consubstantialitatem, quam specificam; qualis est parentum & liberorum inter se.

XCIV. Idem cum præcedentibus sensit Epiphanius, ut hæc fidem faciunt: Hæres. 65. contra Paulum Samosatenum, n. 3. *Etenim neque nos ipsi duos esse Deos, divinitatesque duas, sed unam duntaxat asserimus. Cum neque Patres constituamus duos, neque Filios item duos, aut duos Spiritus Sanctos: sed Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, divinitatem unam, unamque trium prædicationem & gloriam.* Ubi cum vocem Dei per divinitatem exponat, se de natura universali, quæ in Patre & Filio & Spiritu Sancto sit, agere ostendit. Sed clarius adhuc numero 8. *Non enim Filius alterius quam Pater est substantia, sed consubstantialis Patri;* (οὐχ ἑτεροούσιος, ut volebant ii qui faciebant ipsum creaturam, ἀλλ' ὁμοούσιος, ejusdem naturæ cum Patre.). *Neque enim potest aut alterius à genitore esse substantiæ, neque ejusdem substantiæ,* (οὐδὲ ταὐτοούσιος, qualis esset si eandem numero cum Patre substantiam haberet:) *sed consubstantialem esse oportet.* Item hæres. 69. de Arianis, n. 70. *Jam particula illa,* ὁμοῦ, *non unum aliquem & singularem exprimit, sed in* ὁμοουσίου *voce duo quædam perfecta in eadem essentia significat, quæ nec à se invicem diversa, neque ab unitate sua sint aliena.* Ubi unitas essentiæ, sive τὸ ὁμοούσιον, ad speciem refertur.

XCV. His adjungo Chrysostomum, qui Orat. 4. de incomprehensibili Dei natura adversus Anomæos dicit: *Nam cum* (Filius) *versari dicitur in sinu Patris, longe expressius propinquitas genitoris, quam cum sedere à dextris significatur. Nec enim Pater suo in sinu tenere Filium pateretur, nisi ejusdem esset substantia: nec Filius in sinu paterno degere auderet, si naturam inferiorem sortiretur.* Oppositio quæ est inter inferiorem naturam, & eandem substantiam, seu τὸ ὁμοούσιον, ostendit identitatem substantiæ non aliam intelligi debere quam specificam.

XCVI. Inter Latinos Ambrosius multa habet huic sententiæ consentanea. Sic lib. 1. de fide, cap. 2. *Etenim si omnium credentium, sicut scriptum est, erat anima una, & cor unum; si omnis, qui adhæret Domino, spiritus unus est, ut Apostolus dicit; si vir & uxor in carne una sunt; si omnes homines, quantum ad naturam pertinet, unius substantiæ sumus: Si hoc de humanis scriptura dicit, quia multi unum sunt, quorum nulla cum divinis potest esse comparatio, quanto magis Pater & Filius in divinitate unum sunt, ubi nec substantiæ, nec voluntatis ulla est differentia? Namque aliter quomodo unum Deum dicimus?* Et lib. 3. cap. 7. *Frustra autem verbum istud* [homousion] *propter Sabellianos declinare se dicunt, & in eo suam imperitiam produnt. Homousion enim aliud alii, non ipsum est sibi. Recte ergo homousion Patri Filium dicimus, quia verbo eo & personarum distinctio, & naturæ unitas significatur.* Et lib. 4. cap. 4. *Quis autem unam divinitatem Patris & Filii pie abneget, cum ipse Dominus consummaturus præcepta discipulis suis, dixerit, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Pro testimonio enim fidei positum est, licet ab Arianis ad argumentum perfidiæ derivetur. Etenim quoniam toties lectam negare non queunt unitatem, extenuare conantur, ut talis videatur divinitatis unitas inter Patrem & Filium, qualis est inter homines devotionis & fidei, licet etiam inter ipsos homines unitas naturæ sit ex communitate naturæ. Unde & illud aptissime solvitur, quod ad extenuationem Dominicæ unitatis objicere consueverunt, quia scriptum est, qui autem plantat, & qui rigat unum sunt. Hoc Ariani si saperent, non objicerent: Quomodo negare conantur quod Pater & Filius unum sint, cum Paulus & Apollo, & natura unum sint & fide? sed tamen per omnia unum esse non possunt, & nequeunt comparari humana divinis.* Item lib. 5. cap. 2. *Sed asserunt Ariani, solum verum Deum, sicut Patrem, ita & Filium dicitis, & unius substantiæ Patrem & Filium confitemini; non unum Deum, sed duos Deos inducitis: quia qui unius substantiæ sunt, non unus Deus, sed duo Dii videntur, sicut duo homines, aut duæ oves pluresve dicuntur; homo autem & ovis, nec duo homines dicuntur, nec duæ oves, sed unus homo, & una ovis, &c. Nos autem cum Patrem confitemur, & Filium, asserendo tamen unius esse divinitatis; non duos Deos, sed unum Deum dicimus. Et hoc Dominicis eloquiis approbamus; quia ibi plures sunt, ubi naturæ aut voluntatum & operationum est differentia. Denique ut suis sibi testimoniis revincantur, duo homines dicuntur, quia licet unius naturæ sint jure nascendi, tamen & tempore, & cogitatione, & opere & loco distant; & ideo non potest unus homo dici in significatione & numero duorum, quia non est unitas ubi est diversitas: unus autem Deus dicitur & Patris & Filii & Spiritus S. gloria, & plenitudo significatur.* Rursus libro de fide Orthod. contra Arianos cap. 2. *Qui* (Christus) *si natus est unius substantiæ est: si factus est verus Filius non est. Et, si*

verus

verus filius non est, nec verus Deus est: At si verus Deus est, & de Patre non est, duo sunt, habentes singuli & voluntates proprias & imperia diversa. Vel si concordia tantum & societate unum sunt, non tamen & substantia, verus, ut jam dixi, Deus non est. Sic erit Deus ut Moyses Pharaoni, potestate non genere. Filius quoque ita credendus erit, ut per Esaiam populo dictum est; Filios genui & exaltavi. Et alibi: Dii estis, & Filii altissimi omnes. Sed & primogenitus ita habebitur, quomodo & Israël à Deo primogenitus filius appellatus est. Nec non & primogenitus totius creaturæ, quasi in ordine factorum primogenitus habeatur, ut ex eo seriem quandam creandis mundi rebus assignent. Denique sublato homousion, id est, unius substantiæ vocabulo, similem gestori (forsan legendum genitori) suo posuerunt, cum aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, nec tamen Deus est; nec quod Deus est, homo extitisse credendus est. Ita & Filium Dei similem volunt, ut eum aliunde similem, non de una ipsa sancta & beata Patris substantia dicant. Qui si de Patris substantia non est, ἐξ οὐκ ὄντων est, id est, de nullis extantibus, ut idem Arius tradidit. Sublato enim, vel id quod Pater est, undecunque fuerit Filius, necesse est ut initium ex nihilo, & ortum ex tempore habeat. Nihil enim sine initio, nisi solus Deus. Et cap.3. Aut si ideo nominandum non est (homousion) quia nec ita credendum, obtinuit Ariana labis assertio; quæ ideo Patrem & Filium unius substantiæ denegavit, quia Filium Dei modo ex nihilo, modo ex Patre, sed ab alia substantia, quando voluit, & quomodo voluit, & unde voluit factum inducit; dummodo aliunde eum, & non de eo quod Pater est, extitisse confingat. Quem etsi natum dicit, sed hoc dicto genus, quia rursum omne quod natum est, factum intelligit, eo quod & nos à Deo geniti appellemur, quos constat esse facturam. Item cap.7. Cum autem ego Patrem & Filium statuo, unitatem generis assigno. Non ergo numeri.

XCVII. Nec aliter loquitur Augustinus. Ut in responsione ad Sermonem Arianorum, cap. 2. Ergo (Christus) Deus est de Deo, non ex nihilo factus à Deo. Quæ res indicat unam & eandem Patris Filiique naturam. Neque enim homo, pecus, avis, piscis, possunt ejusdem naturæ gignere filios, & Deus non potuit. Et ibid. cap. 36. Ariani quippe & Eunomiani, non alii hæretici, nos vocitant Homousianos, quia contra eorum errorem, Græco vocabulo ὁμοούσιον defendimus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, id est, unius ejusdemque substantiæ, vel, ut expressius dicamus, essentiæ, quæ οὐσία Græce appellatur: quod planius dicitur, unius ejusdemque naturæ. Et tamen si quis istorum, qui nos Homousianos vocant, filium suum, non cujus ipse esset, sed diversæ diceret esse naturæ, exhæredari se ab eo mallet filius, quam hoc putari. Quanta igitur impietate isti cæcantur, qui cum confiteantur unicum Dei Filium, nolunt ejusdem naturæ, cujus Pater est, confiteri, sed diversæ atque imparis & multis modis rebusque dissimilis, tanquam non de Deo natus, sed ab illo de nihilo sit creatus; ac per hoc & ipse creatura sit, gratia Filius, non natura. Item contra Maximinum Arianorum Episcopum, lib. 1. Si enim animæ multorum hominum accepto Spiritu Sancto, & quodammodo conflatæ igne charitatis, unam animam fecerunt, de qua dicit Apostolus: Erat enim eis anima una & cor unum; tot corda, tot millia cordium, unum cor fecit charitas Spiritus Sancti, tot millia animarum unam animam dixit Spiritus Sanctus, quam ipse animam unam fecit; quanto magis nos unum Deum dicimus, semper sibi invicem, & inseparabiliter, & ineffabili charitate cohærentes Patrem & Filium & Spiritum Sanctum? Ibid. Quare (Christus) verus Deus? Quia verus Dei Filius: Si enim animalibus dedit ut non generent nisi quod sunt, homo hominem generat, canis canem, & Deus Deum non generat? Si ergo ejusdem substantiæ est, quare dicis minorem? Ibid. lib. 3. c. 10. Tres enim personæ sunt Pater, & Filius, & Spiritus S. & hi tres quia unius substantiæ sunt, unum sunt, & summe unum sunt, ubi nulla naturarum, nulla est diversitas voluntatum. Si autem natura unum essent, consensione non essent, non summe unum essent; si vero natura dispares essent, unum non essent. Hi ergo tres qui unum sunt propter ineffabilem conjunctionem Deitatis, ineffabiliter copulantur, unus Deus est. Ibid. cap. 15. Si ergo vultis Dei Filium verum confiteri, prius illum ac præcipue dicite unius ejusdemque substantiæ; ut tanquam verum Filium & Dei Filium per omnia similem esse Patri dicatis. Nam quem substantiam putatis habere diversam, plus eum dissimilem quam similem dicitis, & omnino verum filium denegatis. Nec vultis nosse, ad ostendendum verum filium quantum valeat una eademque substantia. Etiamsi Filius hominis homo in quibusdam similis, in quibusdam sit dissimilis Patri, tamen quia ejusdem substantiæ est, negari verus filius non potest; & quia verus est filius, negari ejusdem substantiæ non potest. Vos autem ita dicitis verum Dei Filium similem Patri, ut substantiæ velitis esse diversæ, per quam solam potest Filius verus ostendi. Nam duo veri homines, etsi nullus eorum filius sit alterius, unius tamen & ejusdem sunt substantiæ. Homo autem alterius hominis verus filius, nullo modo potest nisi ejusdem cum patre esse substantiæ: etiamsi non sit per omnia similis patri. Quocirca verus Dei Filius, & unius cum Patre substantiæ est, quia verus filius est; & per omnia est Patri similis, quia Dei Filius est. Item de Trinitate lib. 1. cap. 6. Si autem (Christus) creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantia quæ Deus non est, creatura est, & quæ creatura non est, Deus est. Et si non est Filius ejusdem substantiæ cujus est Pater, ergo facta substantia est, &c. Unius igitur ejusdemque cum Patre substantiæ est, & ideo non tantum Deus, sed etiam verus Deus.

XCVIII. Sed nullus est qui plura ac clariora hac de re testimonia suppeditare queat, quam Cyrillus Alexandrinus. Is igitur sic loquitur in Thesauro, lib. 9. Dices igitur ingenitum ingenito plane consubstantiale esse, ingenitum autem genito non item. Quocirca cum Adam genitus non sit, Abel autem ex muliere genitus, non erit Adamo consubstantialis. Si vero genitus quidem est, ejusdem tamen est cum Adamo, etiam non genito, naturæ; quid obstat quominus Filius ex ingenito Patre genitus ei sit consubstantialis? Et lib. 10. Si ex eo quod aliqua in re differat Filius à Patre, fit ut non eandem cum eo essentiam habere dicatur, sed alterius generis & quodammodo extraneus sit; certe si in nullo differat, consubstantialis erit.

Cum ergo sacra scriptura dicit de Patre quod sit lumen, & rursus Filium vocet lumen; nihilque hic sit quod similitudinem impediat aut distinguat, (utrique enim verum lumen tribuitur,) quid obstat quominus consubstantialis Patri sit Filius? Item: si Filius diversae essentiae, (ἑτεροούσιος) quo pacto Pater in ipso apparet, & ipse in Patre? Qui enim vidit me, inquit, vidit & Patrem meum. Neque vero hominis formam in equo cernemus, neque vicissim equi in homine. Simile enim in simili cernitur. Quae vero diversae speciei sunt (ἑτεροειδῆ) & à naturali similitudine inter se discrepant, numquid altera alteris inesse cernentur? Videtur autem Pater in Filio, & Filius in Patre. Non ergo, ut vos opinamini, diversae substantiae est Filius, sed consubstantialis, (οὐκ ἑτεροούσιος ἀλλ᾽ ὁμοούσιος) ut character & imago Patris. Rursus: Sed quo pacto, inquit, Eunomius, erit consubstantialis Patri Filius, cum Pater ei causa existendi sit? &c. Resp. Merito certe quis eorum imperitiam damnet, qui ejusmodi audent dicere. Filium enim cum dicunt consubstantialem esse negant, non sentientes in quam absurditatem labantur. Si enim Filius est, ut profecto est, erit omnino ejusdem substantiae cum genitore. Et paulo post: Si quicquid ex causa aliqua fit, id consubstantiale cum ipso esse non potest; quomodo Abel qui Adamum causam suae existentiae habuit, similis ei secundum substantiam fuit? Necessarium igitur omnino est, ut omnis in universum generativa natura, similia omnino sibi ex se producat, tametsi id quod gignit, causa sit naturaliter ei quod ex se gignitur. Item: Si idcirco Filius non est secundum essentiam similis Patri, neque consubstantialis, quia Pater ex nulla causa sive principio est, Filius vero Patrem principium habet; quid obstiterit quo minus dicamus Cain etiam Patri suo consubstantialem non fuisse? Siquidem Adam à nemine generatus fuit. Primus enim hominum fuit. Cain vero ipsum auctorem & principium habuit; nam ex ipso genitus est. Atqui si hoc falsum est; (consubstantialis enim Adamo est Cain,) erit profecto consubstantialis Patri Filius, tametsi illum existendi causam habeat, procedens ex ipso absque tempore, & ab aeterno cum ipso existens. Item: Si enim differre in aliquo, facit ut diversa sit in rebus natura, & genera à mutua inter se convenientia naturalique similitudine separat; distinguant etiam Paulum à Petro ratione essentiae, siquidem particularem quandam habent, ac veluti in individuo, inter se differentiam, juxta quam hic quidem est Petrus, hic vero Paulus. Videmus autem saepenumero etiam ea, quae alio modo à mutua inter se similitudine multum dissident, essentiae ratione convenire. Nam homo niger multum differt ab albo, sed haec differentia eorum substantiam non facit diversam. Si ergo etiam in nobis ipsis differentia secundum aliquid, non immutat esse ipsum substantiae ex qua constant illi qui à nobis differunt; quid obstat, quo minus etiam Filius sit consubstantialis Patri, etiamsi in eo inter se differant, quod Pater sit ingenitus, Filius autem genitus? Una enim in ipsis est Deitas, ex Patre ingenito naturaliter in Filium procedens. Item: Genitus itaque cum sit Filius, coëssentialis etiam Patri est: Una enim est natura gignentium, & eorum quae gignuntur. Item: si quae vere ac naturaliter genita sunt, non autem adoptione, dubium non est, quin sint consubstantialia cum iis, qui vere ac naturaliter genuerunt: Filius autem est ex iis qui vere geniti sunt, longeque praestantior quam qui adoptione: consubstantialis itaque est Deo, qui eum non adoptione, sed vere ac naturaliter genuit. Item: Si quicquid genuit non spurium, consubstantiale sibi ipsi genuit; Deus autem genuit unigenitum, non spurium: ergo consubstantialem sibi genuit. Item: Si Deus pari ratione qua nos gignit, (nemo enim dixerit deteriore modo illum gignere;) nos vero ex nostra ipsorum substantia gignimus: Deus itaque etiam ex sua ipsius essentia genuit. Quocirca consubstantiale ei omnino id quod ex ipso genitum est, necessario statuendum est. Item: Si ergo juxta sanctorum vocem, aequalis Patri est (Filius;) quonam pacto sit diversae ab eo substantiae? Dicemus enim eis etiam nos, quod quae natura aequalitate inter se conveniunt, consubstantialia esse necesse sit, quemadmodum homo homini, & equus equo.

Item Dialogo 1. de S. Trinitate. Cur igitur illi potius praecipiti quadam audacia consubstantialis vocabulum pueriliter reprehendunt, vocem significantissimam, & cum primis philosophicam, tanquam peregrinam ac insolitam continuo proscribentes, quamvis res vera ac manifesta sit apud eos qui divina sapienter expenderunt didiceruntque mysteria, quod Filius ex ipsa Dei & Patris substantia nobis genitus, non diversi generis sit, ut ipsi putant, neque alienus à genitore, sed ipsi consubstantialis, & conformis, ejusdemque naturae? Et aliquanto post: Itaque essentiae significatio ad aliquid commune videtur pertinere; nomen hypostasis de singularibus quae subsunt huic universali praedicatur & dicitur, &c. Definimus hominem, animal rationale, mortale, ratione illi convenienti: & hanc substantiae definitionem esse dicimus; quae ad omnes singulariter subsistentes pertinet. Sub hoc igitur universali, nimirum homine, sive hominis definitione, cadit opinor Thomas & Marcus, aut, si ita vis, Petrus & Paulus. Et substantia quidem hoc pacto significabitur, nondum tamen clara & manifesta eorum quae singulariter intelliguntur significatio. Homo enim simpliciter, nondum est Petrus & Paulus: sed Thomam aut Petrum si dixeris, à definitionibus quidem substantiae id quod significatur non removebis (homo enim est nihilo minus,) sed in tali puta specie existere, & in propria ac particulari hypostasi esse ostendere. Substantia igitur etiam de omni homine, maxime cum communem generis rationem parturiat; hypostasis autem de uno convenientius intelligetur, neque à communitate separans id quod significatur; neque porro confundens, & obscuritate permiscens demum id quod singulare est ac particulare, &c. Consubstantialem ergo Deo & Patri Filium esse cum fatemur, in propria hypostasi conjunctim simul & discretim unitum esse dicimus, identitatis rationibus necessario admodum conjungentes personarum aut nominum distinctionem, & hypostaseon diversitatem, quae ut est in Patre, sic in Filio ob hoc ipsum & solum est, ut ne essentiae omnimoda similitudo, & illa identitas & per omnia incommutabilitas, quae est cum in Patre, tum in Filio, deleat aliquo pacto differentiam, efficiatque ut aegre admodum discerni possit id quod singulariter proprium est utriusque. Hic enim Pater est, ac non Filius: & vicissim, ille Filius, non autem Pater. Sed Cyrillus non vult ut dicantur duæ essentiæ, una Patris, altera

altera

tera Filii; quia alioqui vel invitus adigeretur fateri, *non jam consubstantialem esse Deo ac Patri Filium, sed diversum potius, & alterius naturæ, & à Deitatis rationibus alienum; siquidem in propria ratione constituatur, quæ à Dei & Patris substantia sit aliena.* Longe plura eodem pertinentia testimonia, tum ex his duobus Cyrilli operibus, tum ex aliis, præcipueque ex commentario in Euangelium Joannis, afferre potuissem. Sed ista ut puto sufficient, nam qui iis contenti non erunt, ne quidem in mille acquiescerent.

Quod si tamen nonnulla hic aut illic occurrant loca, aliter de ὁμοουσίῳ aut de unitate Dei loquentia, istud non impediet, quominus ea sit genuina Ecclesiæ illorum temporum sententia, pro qua tantæ copiæ, quas in aciem eduxi, militant; & potius fatendum erit auctores sibi invicem contradicere, quam per violentas interpretationes ad qualemcunque concordiæ speciem redigendi.

XCIX. Et ut constet alios etiam præter me idem de veterum mente sensisse, subjiciam ejusdem docti amici, cujus ante memini, & ex cujus epistola fragmentum descripsi, testimonium valde illustre. Autographum penes me servo, ad fidem citationis meæ, quando opus fuerit, faciendam. Sic ergo loquitur: *Quod autem in illo errore Tritheitarum versati sint plerique veteres, ac inter illos præcipue omnes, qui Patrum orthodoxorum nomine passim venditantur, Latini æque ac Græci, hoc tam evidenter atque pulchre probasti (Vir reverende) ut pluribus id prosequi superfluum sit, nec posthac à quoquam in dubium vocari, nisi magna pertinacia, aut supino stupore queat. Libenter igitur & ultro pedibus eo in tuam de Hieronymo & Augustino, (magnis licet nominibus, & super vulgus Patrum eminentibus) in hoc negotio sententiam; quod scilicet eodem cum reliquis errore laboraverint; ac, si fas est dicere, quantumvis valde docti ac sapientes, cum insanientibus insanierint. Miror sane Augustinum, virum illum tantum, in illo quod tu profers testimonio, ex ipsius contra Maximinum libro primo, ut probaret Christum coëssentialem Patri, tam debili, ne dicam, arundineo, innixum fuisse baculo, vel fundamento, ut ex nomine filii, tanquam argumento insolubili, evincere illud non dubitarit. Quid enim cum rogaret Maximinus,* Cum Spiritum Sanctum de substantia Patris esse dicatis, si Filius ex substantia Dei Patris est, de substantia Patris & Spiritus Sanctus, cur unus filius est, & alius non est filius? *quasi diceret, ergo-ne ut Patri ac Filio Spiritum Sanctum coëssentialem credam, cum Patris filium secundo genitum, ac filii fratrem, vel utriusque filium, aut fratrem, aut congenerem, tanquam ab antiquiori, ac communi progenitore autumabo? Siquidem inter homines (quorum tu ô Augustine exemplum usurpasti) coëssentiales Adam liberos ac pronepotes, nulla alia coëssentialitatis ratio dignoscitur. Sed profecto debilis causa non nisi infirmis rationibus defendi potest. Quod ad Scholasticos attinet, qui sententiam Patrum absurdam, & manifeste multitudinem Deorum inducentem animadverterunt, ac retenta ὁμοουσίου voce, novum ei sensum affinxerunt; agnoscendum profecto censeo nos ipsis haud parvam gratiam debere, quod orbem Christianum (saltem in partibus occidentis) tanta labe ac morbo (Tritheismo inquam) sanaverint, ac posteros, quos inter sunt Reformati, seu Euangelici, præservarint. Non dubito enim quin nostri Reformatores cum ipsis in Tritheismo desedissent, sicuti cum ipsis in orthodoxam de una numero in Trinitate essentia emerserunt, si Scholasticis aliter visum fuisset; cum (ut tu merito notasti) Lutherus, Calvinus, & alii eorum συνεργοὶ, Scholasticorum sententiam in his nullo prævio examine amplexi sint; quod sine illorum improperio dictum sit. Nisi forte seniores Israël à Gabaonitis deceptos, dici absque improperio non posse, quis dixerit. Sed tamen horum & illorum opinionem non prorsus vitio carere, ac tua reprehensione dignam esse, haud inficias eo, propter rationes quas infra proferam.*

C. Jam ad Maresium revertamur. Is Thesi 34. refert ex Ambrosio occasionem qua inducti fuerunt Nicæni Patres ut vocem ὁμοούσιον symbolo fidei insererent. Quod videlicet cum Eusebius Nicomediensis Arianæ factionis antesignanus, scripsisset in quadam epistola, *Si verum Dei Filium & increatum dicimus, homousion cum Patre incipimus confiteri.* Hæc (inquit Ambrosius de fide ad Grat. lib. 3. cap. 7.) *cum lecta esset epistola in Concilio Niceno, hoc verbum in tractatu fidei posuerunt Patres, ut, tanquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ caput hæresis amputarent.* Sed quis præjudicio non fascinatus, istud posset probare in Nicænis Patribus, quod ut ægre facerent adversariis, vocis à qua eos omnino abhorrere noverant confitendæ necessitatem sub pœna anathematis imponerent? Quis eis dederat istud faciendi potestatem? Hæccine erat via quam ingredi debebant ut Arianos Christo lucrifacerent? Imo cogitasse tantum videntur de illis opprimendis, & in triumphum ducendis, de cæteris nihil plane soliciti. Quam indolem veteribus Conciliis tribuit quidam Anonymus scriptor Gallus, in præfatione ad libros Innocentii III, de contemptu mundi. *In rebus*, inquit, *etiam indifferentibus, Ecclesia Catholica ita fuit animata, ut nec phrasibus, nec ritibus hæreticorum ulla se vellet ratione accommodare: ut apparet ex sanctis Conciliis & Decretis antiquis de his vocibus, Θεοτόκος, Deipara, & Χριστοτόκος, Christipara; & de pane Eucharistiæ fermentato aut infermentato; quamvis phrases & ritus quos usurpabant hæretici non essent omnino mali: ut inde discerent suum non esse in leges figere, à quibus accipere obligati erant.* Quam hæc redolent spiritum tyrannicum *servi illius mali qui dicebat in corde suo, Moram facit Dominus meus venire: & incipiebat percutere servos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari; quem Dominus veniens in die qua non sperat, & hora qua nescit, dividet, partemque ejus cum infidelibus ponet, Luc.* XII. 45, 46. Quam hæc sunt aliena à moribus Apostoli Pauli, qui infirmis in omnibus, quæ salva conscientia poterat, se attemperabat! *Factus sum*, inquit, *Judæis, tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer*, &c. *Omnibus omnia factus sum, ut*

omnes facerem salvos, 1 Cor. IX. 20, &c. Non possunt igitur à gravi culpa excusari Episcopi Nicæni, si ita se, ut Ambrosius refert, erga Arianos gesserint. Et Maresius gloriatur in eo cujus ipsum pudere deberet, si sciret quid sit Christi discipulum, & Apostolorum imitatorem esse. Sed hæc minima ejus curarum esse videtur.

CI. Sed *voce* ὁμοούσιος *Orthodoxo sensu ante tempora Arii usos fuisse Dionysios, Romanum & Alexandrinum, & Theognostum, & Origenem, monet Athanasius, epist. de Synod. Arim. & Seleuc. Illius quoque antiquitatem varie comprobat, etiam ex Eusebio Cæsariensi, Theodoretus, lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 12. & 13.* Resp. Quamvis vox hæc ὁμοούσιος Concilio Nicæno esset antiquior, & à tribus aut quatuor scriptoribus Ecclesiasticis usurpata, id non magnam illi conciliare posset autoritatem, cum certum sit Apostolis fuisse incognitam. Hæc tamen non sunt absque examine prætereunda. Dionysio sane Alexandrino non placuisse ostendunt quæ ipse Athanasius refert: Φασὶ τοίνυν οἱ ἐχθροὶ τῆς ἀληθείας ἐν ἐπιστολῇ τὸν μακάριον Διονύσιον εἰρηκέναι, ποίημα καὶ γενητὸν εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ· μήτε δὲ φύσει ἴδιον, ἀλλὰ ξένον κατ' οὐσίαν εἶναι τοῦ Πατρὸς, ὥσπερ ἐστὶν ὁ γεωργὸς πρὸς τὴν ἄμπελον, καὶ ὁ ναυπηγὸς πρὸς τὸ σκάφος. καὶ γὰρ ὡς ποίημα ὢν, οὐκ ἦν πρὶν γένηται. Καὶ ἔγραψεν, ὁμολογοῦμεν καὶ ἡμεῖς τοιαύτην ἐπιστολὴν αὐτοῦ, &c. *Dicunt igitur veritatis inimici, in epistola beati Dionysii scriptum haberi, Filium Dei opus quoddam factitium esse, neque Patri naturaliter proprium, sed alienum ab illius substantia, qualis est vitis à natura agricola, aut navis à fabri; eundemque quia opus est quoddam conditum, non fuisse antequam fieret. Scripsisse Dionysium hujus generis epistolam agnoscimus*, &c. Quibus recitatis Athanasius se in omnes torquet partes, ut sensum iis orthodoxum affingat. Sed si parem voluisset adhibere industriam in Ario defendendo, non dubito quin eum quoque ab omni hæresi immunem hominibus credulis persuasurus esset: Quanto præstitisset ingenue confiteri, hæc Arii sententiæ omnino esse consentanea: Sed postea veritum Dionysium ne Episcopatu deturbaretur, quia apud Dionysium Romanum hæreseos accusatus fuerat, abnegavisse. Ita enim se rem habuisse historia docet. Ideoque mirum non est si hæc Athanasii apologia non potuerit persuadere Basilio Magno, Dionysium Alexandrinum fuisse orthodoxum; qui sic de eo scribit, epist 41. ad Maximum Philosophum: *Non omnia hujus viri laudamus. Sunt, quæ prorsus damnamus. Ipse propemodum, quantum nobis liquet, primus hominibus impietatis istius Anomœana, quæ jam passim obstrepit, seminaria præbuit*, &c. Nec id etiam persuasit Gennadio, Ecclesiæ Massiliensis Presbytero, qui in libro de dogmatibus Ecclesiasticis, (Hieronymo & Augustino à quibusdam perperam adscripto) cap. 3. inquit, *Nihil creatum aut serviens, in trinitate credamus, ut vult Dionysius, fons Arii*, &c.

CII. Mihi etiam valde suspectum est, quod Athanasius ex Origene æternitatem Filii Dei confitente refert; cum veteres omnes, qui circa illud tempus, aut paulo post, scripserunt, unanimiter testentur eum Ario prælusisse. Vide ex. gr. quæ Hieronymus, epistola ad Avitum, tanquam ex libris περὶ ἀρχῶν desumpta refert. *Christum Filium Dei non natum esse, sed factum. Deum Patrem per naturam invisibilem, etiam à Filio non videri. Filium, qui sit imago invisibilis Patris, comparatum Patri, non esse veritatem; apud nos autem, qui Dei omnipotentis non possumus recipere veritatem, imaginariam virtutem videri: ut majestas & magnitudo majoris quodammodo circumscripta censeatur in Filio. Deum Patrem esse lumen incomprehensibile; Christum collatione Patris splendorem esse perparvum, qui apud nos, pro imbecillitate nostra, magnus esse videatur, &c.* Et ad Pammachium dicit, Origenem *male sensisse de Filio, pejus de Spiritu Sancto.* Ipse vero lib. 8. adversus Celsum, tanquam Ecclesiæ sui temporis nomine profitetur; *Esto: non deesse quosdam, ut in tam numerosa credentium multitudine, qui discrepantes ab aliis temere affirment, quod servator* (Jesus Christus) *sit Deus ille universorum Dominus: nos certe hoc non facimus, qui credimus ipsi dicenti, Pater qui misit me, major me est.* Sed Athanasius animadvertens quantum præjudicium doctrinæ, quam tuebatur, allaturum esset, si crederetur Dionysium, ejus in Patriarchatu Alexandrino prædecessorem, & Origenem, non solum Ecclesiæ Alexandrinæ, sed fere omnium totius orbis doctorem, à se in controversia Ariana dissentire, utrumque quasi obtorto collo in suas partes trahere contendit. Quod an sincere satis ab eo factum sit, intelligentes judicent.

CIII. Ridiculum vero est prorsus quod Maresius ex Ambrosio affert ad probandum vocem ὁμοούσιον ex scriptura esse petitam; quia illic fiat mentio ἄρτου ἐπιουσίου & λαοῦ περιουσίου: quasi ista ullam cum re, de qua nunc disputamus, affinitatem haberent. Nam etiamsi vel centies τὸ ὁμοούσιον in libris sacris inveniretur, si non esset Deo applicatum; nec in eo significatu sumptum, quo vulgo usurpatur, jure objici posset esse ἄγραφον; quemadmodum ante de vocibus περιούσιος & ἐπιούσιος observavi. Cui adde disceptari inter Græcæ linguæ peritos, utrum in oratione Dominica, cum à Deo petimus panem nostrum ἐπιούσιον, vox illa fiat ab εἰμί, *sum*, an vero ab εἶμι, *eo*. De quo tamen deberet constare, antequam inde argumentum pro ὁμοουσίῳ peteretur. Sed cum furor potius quam ratio arma subministrat, omnia, quæ occurrunt, etiam ineptissima & invalidissima, arripiuntur.

CIV. Thes. 35. dicit, *Me venerandæ antiquitati insignem facere injuriam, & me ipsum damnare, vel evidentis sycophantiæ, vel puerilis ignorantiæ in veterum lectione*, propterea quod dixi illos statuisse Filium Patri ὁμοούσιον, quia in eadem specie essentia convenirent. Atqui nihil est certius quam me nihil veteribus à mente ipsorum alienum affinxisse, ut docent tot & tam clara testimonia, quæ inde adver-

adversus Maresium protuli; ita ut in caput ejus recidant omnia convitia, quæ istam ob causam impotenti animo in me evomit. Nec quicquam promovet his quæ addit: *Etenim notum est quantopere veteres studuerint absolutam & singularem Dei unitatem, quæ vulgo numerica dicitur, non solum tueri contra Polytheismum Gentilium, sed etiam conciliare cum pluralitate personarum in divinis. Nam profitebantur se admittere τριάδα ἐν μονάδι, ut patet ex fidei expositione apud Justinum, & symbolo, quod Athanasii dicitur, &c. Monas autem apud Græcos unitatem summam & numericam denotat. Unde μοναχὸς, solitarius, & monarcha, is solus & unicus, penes quem est suprema majestas & potestas in republica. Hanc præsertim essentiæ divinæ μονάδα Gregorius Nicenus ἀκριβῆ vocat, Athanasius ἀδιαίρετον, Basilius ταυτότητα φύσεως,* id est, *identitatem naturæ.*

CV. Fateor. Non parum quidem laborarunt veteres Ecclesiastici scriptores in eo, ut Dei unitatem adversus πολυθεότητα à gentilibus introductam defenderent, & illam cum personarum trinitate conciliarent. Sed ad hoc sufficere putarunt, ut Deus diceretur unus natura seu specie, item potentia, regno, consensu, unumque statueretur omnis Deitatis principium, nempe Deus Pater, cui κατ' ἐξοχὴν Dei appellatio conveniret. Sic enim exclusum iri multitudinem Ethnicam Deorum diversæ naturæ & inæqualis potentiæ, aut qui universi imperium partiti essent, ut Jupiter cælo & terræ, Neptunus maribus, Pluto inferis dominaretur; aut qui à se invicem dissentirent, ita ut *Mulciber in Troiam, pro Troia staret Apollo.* Nec major in voce μονάδος est vis, quam in ἑνότητος, ad unitatem numericam exprimendum, ut somniavit Maresius. Utraque enim, sicut & conjugatæ εἷς & μόνος, de illa primò tantum sunt usurpatæ, & ita plerumque in vulgari sermone accipiuntur. Postea vero translata est earum significatio ad res, quæ sola mentis fictione sunt unum, ut genera & species, quæ proprie loquendo multa complectuntur: sed ita ut indifferenter utraque vox de utroque unitatis genere, prout scriptoribus lubet, usurpetur. Imo in Sacris literis, cum agitur de unitate Dei, (quam nunc omnes Christiani numericam esse agnoscunt,) vox ἑνὸς magis usitata est quam μόνου. Sic in celebri illo Legis loco: Ἄκουε Ἰσραήλ, κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς ἐστι, *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est, Deut. VI. v. 4. Marc. XII. 29.* Et cum Homerus dicit, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, *multorum imperium non est bonum, unicus Rex esto*; non est minor emphasis in voce εἷς, quam fuisset in voce μόνος, si metrum permisisset ut ibi adhiberetur. Ita ut nugetur Maresius, cum voces *Monarcha & Monachus*, in testimonium excogitatæ à se distinctionis adducit. Verum quidem est vocem μόνος, *solus*, additam ad εἷς, *unus*, eam magis determinare ad unitatem numericam, quam cum εἷς est sola: sed id non fit, quasi majorem vim habeat ad talem unitatem designandum, sed ideo quod duæ voces Synonymæ simul junctæ expressius aliquid quam una tantum significant. Unde Gregorius Nyssenus adversus Eunomii Ariani symbolum scribens, ubi dixerat, πιστεύομεν εἰς τὸν ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν *Credimus in unum & solum verum Deum*; respondet; *Utinam dixit Dominus in Euangeliis, oportere credere in unum & solum verum Deum? Non possent ostendere, nisi habeant ipsi novum aliquod Euangelium. Quæ enim ab antiquis per traditionem ad hæc usque tempora in Ecclesiis leguntur, hanc vocem non continent, quæ dicat oportere credere vel baptizare in unum & solum verum Deum, quemadmodum isti autumant; sed in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, lib. I. contra Eunomium. Ideo autem offensus fuit adjectione vocis *solus* ab Eunomio ad *unus* facta, quia illa opinionem suam de unitate Dei specifica excludi animadvertebat.

CVI. Quod vero affert Maresius, ipsum μονάδα essentiæ divinæ ἀκριβῆ vocare, debuisset adscribere locum, ut de mente Nysseni melius judicaretur. Sed forte ignoravit, & alicunde istud testimonium corrasit, *ex alieno jecinore sapiens*, ut mihi temere de loco Athanasii, Thes. 45. exprobrat. Quod si ex epistola ad Ablabium petitum fuerit, ubi istas voces ἀκριβῶς μόνας, *exacte unitas* legimus, toto cælo à scribentis intentione aberravit, qui per exactam unitatem, intellexit specificam seu naturæ, oppositam numericæ. Sic enim ibi loquitur; *Hypostaseon ratio*, (quæ sunt unæ unitate numerica) *propter eas proprietates, quæ in unoquoque considerantur, partitionem recipit, & per compositionem spectatur in numero*, (ac proinde non est accurate una.) *Natura autem*, (quæ est res universalis, ut species) *una est, secum ipsa conjuncta & individua, ἀκριβῶς μονὰς, exacte unitas, quæ nec accessione crescit, nec subtractione minuitur; sed, id quod est, unum cum sit, vel in multitudine sectionis apparet expers, & continuata & integra; neque cum singularibus.* (ista collatio naturæ cum singularibus, manifeste docet voces ἀκριβῶς μονὰς de unitate universali accipiendas) *qui ejus sunt participes, una dividitur. Ac quemadmodum plebs, populus, exercitus, concio, singulariter omnia dicuntur, unumquodque autem horum in multitudine esse intelligitur; eodem modo κατὰ τὸν ἀκριβέστερον λόγον* (observa rursus accuratiorem rationem unitatis huic scriptori esse universalem quam singularem) καὶ ἄνθρωπος εἷς κυρίως ἂν ῥηθείη, *secundum exactiorem rationem, homo quoque unus proprie dici posset, etiamsi hi qui in eadem natura demonstrantur multitudo sint*: Ubi veritus ne Pater, Filius & Spiritus Sanctus dicantur tres Dii, quemadmodum Petrus, Paulus & Timotheus vocantur tres homines, non permittit eos tres homines dici, sed unum esse contendit; atque ita se nullam aliam Deo unitatem quam specificam tribuere, manifeste declarat. Vides-ne igitur, infelix mentis patrum interpres, quam turpiter in hoc loco Nysseni citando hallucinatus fueris? Quod si enim ipse non legeris, sed alius, cui imprudenter confisus es; tibi

tibi lapsus fuit causa, disce in posterum esse modestior, & non ita petulanter exprobrare aliis, qui forte scripta patrum diligentius quam tu legerunt, & melius intelligunt, quod *ex alieno jecinore sapiant*, & libros quos citant, *nec legerint, nec viderint*. Denique Athanasius per *ἀδιαίρετον μονάδα, individuam unitatem*, non intellexit Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse ejusdem numero essentiæ, sed tantum arctam & indissolubilem unionem, quæ inter ipsos est, significare voluit. Basilius vero manifeste per *ταυτότητος φύσεως, identitatem naturæ* specificam, seu universalem designavit, quemadmodum vidimus supra voces essentiæ, naturæ, formæ, ex perpetuo usu patrum, pro universalibus in negotio trinitatis usurpari.

CVII. Thes. 36. *Adhuc cum summopere præcaverint veteres eas omnes locutiones, quæ aliquam pluralitatem in Deo, essentiæ & naturæ respectu, introducerent, aut introducere viderentur, debuerunt hic omnino intellexisse essentiam singularem & individuam, non specificam & universalem. Hinc Hieronymus in epist. ad Damasum, aliquid veneni putabat latere in doctrina trium hypostaseon, quoniam tres numero essentias aut substantias, sive naturas, ex sua opinione, inferre videbatur. Et Arrianorum molliorum ὁμοιούσιον improbarunt quandoque Catholici, etiam ex eo quod non posset statui Filius similis essentia cum Patre, quin alia numero Filii essentia ab essentia Patris statueretur. Quo spectant verba Athanasii contra hypoc. Meletii; Non est Deo similis Filius, cum Deus sit, ἀλλ' ἓν καὶ τοῦτο, vel ταυτὸ, sed unum & idem, sicut scriptum est, ego & Pater unum sumus, καὶ θεότητος ἡρμήνευσε τὴν ἑνότητα, & divinitatem interpretatus est unitatem. Eadem de causa apud Fulgentium Trinsiani nominantur Ariani, qui tres diversas substantias in Deo imaginabantur, nec poterant ferre Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unum esse Deum.* Contra Arian. object. 7. Miror quorsum hæc congerat Maresius, quæ nihil ad rem prorsus faciunt, & statum quæstionis non tangunt. Hoc enim solum controvertebatur inter Catholicos & Arianos, utrum Pater & Filius ejusdem essent specie essentiæ & naturæ, an vero diversæ, ita ut Pater esset creator, Filius creatura; Pater esset æternus, Filius aliquando non fuisset; Pater esset immutabilis, Filius mutabilis, & alia ejusmodi. Et tantum abest ut Catholici contenderent ejusdem esse numero essentiæ & naturæ, ut contra illud summo studio vitarint, ne Sabellio favere viderentur. Perinde ergo argumentatur noster vitilitigator, ac si quis ex eo, quod dicerem Adamum & Evam ejusdem fuisse essentiæ & naturæ, non vero alterum hominem rationalem, alterum brutum irrationale, colligeret non fuisse duo diversa numero individua. Locum Hieronymi antea adduxi integrum, cum agerem de controversia, quæ fuit olim inter Orthodoxos ipsos, utrum recte dicerentur tres in Deo esse hypostases, sicut vulgo tres personæ statuebantur. Unde judicari potest de hujus doctoris mente, nimirum fuisse veritum tres hypostases confiteri, quia idem esse putabat, ac tres substantias, seu tres Deos specie à se invicem differentes, & valde inæquales dicere, ut Ariani faciebant. Nam libenter agnoscebat tres personas, quæ ejusdem forent hypostaseos, seu substantiæ specificæ, quales sunt tres homines; quam probavimus fuisse Ecclesiasticorum scriptorum illius, quo vivebat, seculi opinionem.

CVIII. In eo vero quod dicit Maresius Catholicos quandoque improbasse ὁμοιούσιον Arianorum molliorum, multipliciter peccat. Nam 1. ista voce *quandoque* innuit id fuisse rarum, quod tamen vulgo & à maxima disputantium parte fiebat, ut historia docet. Sed studium quam longissime à me abeundi, facit ut ὁμοιούσιον Arianorum jam minus improbet, quam alias suarum partium Zelotæ solent. 2. ὁμοιούσιον non tantum fuit molliorum Arianorum, sed omnium quotquot in illa hæresi fuerunt. Nam qui contendebant Christum esse creaturam, & non ex Dei essentia, sed ἐξ οὐκ ὄντων, è non existentibus factum, non negabant esse ὁμοιούσιον, id est, similis Deo essentiæ & naturæ, qualis est Angelica, & longe propius ad Deum accedentis, quam hominum aut brutorum. Ariani vero molliores, seu Semi-Ariani, non contenti voce ὁμοιούσιον, Christum κατὰ πάντα, *in omnibus*, & ἀπαραλλάκτως, *sine discrimine*, Patri similem fatebantur. 3. Causa cur Catholici ὁμοιούσιον Arianorum improbarent, non fuit quod non posset filius statui similis essentiæ cum Patre, quin alia numero Filii essentia, ab essentia Patris, diceretur. Istud nunquam in controversiam vocatum fuit inter Catholicos & Arianos, quin Pater & Filius singuli propriam & diversam numero essentiam haberent; imo contra, Catholici id contra Sabellianos negantes urgebant. Sed gemina alia fuit improbationis causa; una, quod ὁμοιούσιον similitudinem potius accidentalem, quam essentialem designaret: altera, quod omne simile etiam est dissimile. Unde sequebatur, ut si Filius essentia tantum similis foret Patri, diversam haberet ab eo essentiam, seu ex Patris essentia non esset genitus, quemadmodum omnes genuini liberi ex parentum substantia originem trahunt. Nec aliud sibi volunt verba Athanasii, *Non est Deo similis Filius, cum Deus sit*. Sicut dicerem, Seth non erat Adamo similis filius, cum homo esset; sed ejusdem erat essentiæ specificæ, quæ aliquid est amplius, quam nuda similitudo. Ariani etiam non ideo nominantur *Trinsiani* apud Fulgentium, quod dicerent Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, singulos suam habere propriam & numero distinctam essentiam; sed quod diversæ quoad speciem essentiæ eos esse opinarentur; velut Angeli à Deo, & homines ab Angelis differunt. Nolebant enim Filium ex Patris essentia genitum, sed ex non entibus factum, pluraque ejusmodi discrimina essentialia inter utrumque statuebant, propter quæ à patribus

Nicænis

Nicænis anathemate percutiuntur, non quod essentiam numero diversam Patri & Filio tribuerent.

CIX. Thes.37. *Præterea diserte negarunt veteres, Patrem, Filium & Spiritum S. esse tres Deos; nec tantum notam polytheismi refugerunt, sed eam quoque inusserunt iis, qui ullam essentiæ pluralitatem aut multiplicationem imaginarentur in hoc mysterio. In symbolo Athanasiano hæc verba leguntur:* Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dii, sed unus Deus. *Sic Ambrosius lib.1. de fide, cap.1.* Deus in Deo est, sed non duo Dii. *Et Augustinus contra Maxim. lib.2. cap.1.* Tene cum Catholica, Patrem quidem non esse qui Filius est, & Filium non esse qui Pater est; & Deum esse Patrem, & Deum esse Filium; verumtamen ambos simul non duos Deos esse, sed unum. *Sic Basilius orationem conscripsit in eos, qui Orthodoxos calumniantur, ac si tres Deos esse dicerent: & Gregorius Nyssenus librum exaravit ad Ablabium, quod non debeat dici tres esse Deos. Augustinus vero l. c. id imputat Arianis, quod duos Deos colerent, negando τὸ ὁμοούσιον. Et Philopono dica fuit scripta ob similem Tritheismum invectum. At si veteres unitatem essentiæ in Sacrosancta Trinitate, duntaxat specificam intellexissent, quomodo competit Petro, Paulo, & Joanni unius esse essentiæ humanæ, non tantum non negassent tres Deos esse dicendos, ut hi sunt & dicuntur tres homines, sed omnino ita loquendum esse statuissent; atque sic relapsi fuissent ad Gentilismum, quem in eo imputant Ario, ut Sabellio Judaismum. Basilius orat. contra Sabell. & Arrian. Nazianzenus de natali Domini. Ambrosius lib.1. de fide, cap.1. & 2.* Ad hæc omnia verbo responderi potest; Veteres, quando negarunt tres esse Deos, aut Arianis impegerunt, quod duos Deos facerent; hoc tantum sibi voluisse, non esse plures essentias, aut naturas divinas, specie à se invicem differentes, quarum una esset æterna, increata, immutabilis; altera vero minime: sed summam inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse naturæ æqualitatem, qualis ex. gr. est inter tres homines; imo longe perfectiorem, quatenus natura divina humanam excellentia longe superat. Hoc sensu in symbolo Athanasii dicitur, non esse tres Deos, sed unum: quod contradictionem apertam involvit, si de unitate numerica essentiæ accipiatur: (unum enim ter repetitum necessario facit tria:) sed optime consistere potest, si de unitate specifica accipiatur. Eademque est mens verborum Ambrosii, & Augustini; non esse duos Deos, quia non sunt duæ essentiæ divinæ specie diversæ; sed unum tantum; prout supra vidimus hanc esse perpetuam Patrum consuetudinem, ut voces essentiæ, & naturæ, in significatu universali usurpent. Sed miror Theologos nostros recentiores, qui unam numero tantum essentiam credunt esse in Patre, in Filio, & in Spiritu Sancto, non dubitasse libros de Tribus Elohim, id est, de Tribus Diis, conscribere, quales fuerunt Hieronymus Zanchius, & Jacobus Martini. Nam si hæresin sapit dicere Latine Tres Deos, an id protinus orthodoxum fit, si Hebraice Tres Elohim pronuncietur? Quod Basilius orationem conscripsit in eos qui orthodoxos calumniabantur, ac si tres Deos esse dicerent, non sufficit ad ostendendum illum credidisse unam numero essentiam divinam esse in Patre, & in Filio, & in Spiritu Sancto. Afferenda erant verba ex quibus id constaret. Nihil tale illic invenio; sed solum dicit, *Unus Dominus, disce Paulo loquente, non duo, non tres. Et si nominavero Dominum Filium, non in duos Dominos, non in multos Deos divisi dominationem. Dominus Pater, Dominus Filius, dominatio una, unus Dominus, una fides. propterea una fides, quia unus Dominus.* Ecce cur Deum unum statuat, quia una tantum est dominatio. Et in oratione XXVII, contra Sabellianos, & Arium, & Anomæos. *Licet numero duo sint Pater & Filius, natura tamen divisi non sunt; neque qui duas personas dicit, statim ἀλλοτρίωσιν* (id est, diversitatem, nempe naturæ specificæ) *inducit. Unus Deus est & Pater, unus Deus & Filius, non Dii duo,* (id est, diversæ naturæ, ut ex sequentibus amplius patebit) *quoniam identitatem habet Filius ad Patrem. Non enim aliam in Patre divinitatem intueor, & aliam in Filio; neque aliam illius, & aliam hujus naturam pono.* Et paulo post; *οὐ δύο θεοί, οὐδὲ γὰρ δύο πατέρες. ὁ μὲν ἀρχὰς εἰσάγων δύο, δύο κηρύττει θεούς:* id est, *Non sunt duo Dii, neque enim sunt duo Patres. Qui duo principia inducit, ille duos quoque Deos prædicat. Talis autem est Marcion, &, si alius quisquam illi impietate similis est. Rursus & ille duos esse Deos dicit, qui alterius essentiæ genitum esse dicit a genitore, propter essentiæ dissimilitudinem multorum Deorum errorem introducens. Si enim una Deitas est ingenita, & una genita; tu es, qui Deorum multitudinem prædicas, & contrarium dicens ingenitum genito, contrarias absque dubio & illorum essentias constituis.* Hic veram rationem solvendi hujus nodi, quomodo non sint tres Dii, sed unus tantum, docet Basilius, qui alioqui indissolutus manebit in æternum; nempe quod non sunt duo Patres, neque duo principia, sed unus tantum Altissimus, omnis principii expers, & Filii, atque Spiritus Sancti principium. Et consonat egregie cum Paulo dicente, *Scimus quod nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra (siquidem sunt Dii multi, & Domini multi,) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, 1 Cor. VIII. 4. 5. 6.* Sed Patres ad unitatem Dei melius adhuc exprimendam, dixerunt, unum esse consensu, unum potentia, unum regno, unum operibus. Sic Athanasius in parvo tractatu, Quod non tres Dii sunt: *Ubi est indivisa dignitas, unum regnum, una potentia, voluntas, efficacia in suam proprietatem vindicans Trinitatem, eamque distinguens à creatura, cur non ibi unum Deum appellare debeo?* Ita quoque Cyrillus Hierosolym. Catech. XI. *Ego & Pater unum sumus, &c. Unum propter Deitatis dignitatem, quoniam Deus genuit*

 Deum.

Deum. Unum propter regnum; non enim in alios regnat Pater, in alios Filius; (ficut Abſolon qui adverſabatur Patri;) ſed quibus regnat Pater, his & Filius regnat. Unum, propterea quod nulla ſit diſſonantia aut diſſenſus; non enim aliæ voluntates Patris, & aliæ Filii. Unum, propterea quod alia non ſunt opificia Chriſti, & alia Patris. Unum enim eſt omnium opificium, Patre per Filium omnia faciente, &c. Hic neque Cyrillus, neque Athanaſius, neque Baſilius ullam faciunt mentionem ejuſdem in Patre, & Filio eſſentiæ numericæ, quam perpetuo inculcant recentiores Theologi. Multo minus Gregorius in epiſt. ad Ablabium, ad quam Mareſius provocat, cum tamen aperte ſpecificam ſtatuat, ſicut antea demonſtravi. Ita ut videatur eam nunquam legiſſe, aut, ſi legerit, præjudicio excæcatus non intellexiſſe. Nolo enim dicere, malitioſe ſenſum corrupiſſe, etſi mihi ſimilia non ſemel nimis inverecunde objiciat. Diſcat ergo modeſtius ſcribere, ſi alios erga ſe pari comitate uti deſideret. De Philopono non ſatis conſtat, qualem Tritheiſmum invehere voluerit: niſi quod videtur ex iis, quæ Nicephorus Calliſtus, lib. 18. cap. 47. recenſet, ita Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum à ſe invicem ſeparaſſe, quemadmodum tres homines ſeparati ſunt. Quod Patribus non tribui, ſciens, eos ſemper ſummam conjunctionem inter perſonas Deitatis agnoviſſe, etiamſi de numerica unitate eſſentiæ non cogitarint. At, inquit Mareſius, ſi ſpecificam ſolum intellexiſſent, non negaviſſent eſſe tres Deos, ſed potius aſſeruiſſent, & in Gentiliſmum, quem Ario objiciunt, relapſi eſſent. Minime vero. Nam unitatem ſpecificam pro accuratiſſime dicta unitate habebant, cui numerica multum cederet, ut antea Gregorium Nyſſenum loquentem audivimus. Ideo autem objecerunt Ario Ethniciſmum; quia inæquales Deitatis perſonas faciebat, quas ipſi æqualis naturæ & dignitatis credebant. Quoſdam tamen pro orthodoxis habitos, non multum abhorruiſſe à πολυθεότητι, modo ultra numerum ternarium non extenderetur, innuunt hæc Gregorii Nazianzeni, Orat. 38. *Deum porro cum dico, Patrem, & Filium, & Spiritum S. dico, ultra hæc non diffuſa divinitate, ne Deorum populum introducamus.* Imo eos, qui tria principia inter ſe opponebant, *nimium orthodoxos* vocat, Orat. 1. *Cum tres ſint hoc tempore circa doctrinam de Deo morbi, Atheïa nempe, Judaiſmus, & multorum Deorum cultus; quorum primi Libycus Sabellius propugnator fuit; alterius Alexandrinus Arius; tertii quidam ex noſtris nimis orthodoxi,* (τινὲς τῶν ἄγαν παρ' ἡμῖν ὀρθοδόξων) *quænam mea ratio eſt? nimirum ut quidquid in his tribus noxii eſt fugientes, intra pietatis metas conſiſtamus: ac neque in Sabellii atheïam ex hac nova reſolutione aut compoſitione devolvamur; non magis omnia hæc unum, quam unumquodque horum nihil eſſe conſtituentes, (id enim quod ſunt eſſe deſierint, mutuo inter ſe commeantia & tranſeuntia:) aut mixtum quendam, & abſurdum nobis Deum, quemadmodum fabuloſa quædam animalia, confingentes, & adumbrantes. Nec rurſus, juxta Arii pulchre nominatum furorem, naturas ſecantes, in Judaicam inopiam* (πενίαν) *redigamur, atque in divinam naturam invidiam inducamus, ſolo ingenito Deitatem circumſcribentes, (perinde ac ſi vereamur ne Deus nobis corrumpatur, ſi Dei veri, & naturæ æqualis, Pater eſſe credatur:) nec denique tria principia inter ſe opponentes vel conſtruentes* (quod faciebant nimium orthodoxi) *Gentile multorum imperium, quod fugimus, invehamus;* (μήτε τρεῖς ἀρχὰς ἀλλήλαις ἀντιπεξάγοντες ἢ συντιθέντας, πολυαρχίαν εἰσαγαγεῖν Ἑλληνικήν, ἣν πεφεύγαμεν.) A qua ſententia forte non multum abfuit Philoponus, etſi nimis orthodoxa Nazianzeno videatur.

CX. Theſi 38. *Denique præterea quod veteres paſſim ineffabile hic ſtatuant myſterium, quo tres perſonæ ſunt unus Deus, cum tamen nihil in eo eſſet μυστηριῶδες, nihil captum humanum ſuperans, ſi illa unitas eſſet duntaxat ſpecifica; quodque ex ſcriptura perſonarum divinarum ἐμπεριχώρησιν, & inexiſtentiam, ſive, ut loquuntur Scholaſtici, circuminſeſſionem, propugnant; quo facit locus expreſſus Joan.* XIV. 10. *eorum plerique conceptis verbis negant & rejiciunt id quod illis ſycophantice tribuit Curcellæus. Sane Cyrillus Alexandrinus, lib. 5. in Joan. cap.* XX. *negat ὁμοούσιον æquali ratione de nobis & de Patre ac Filio dici. Nazianzenus Orat. ad Evagrium, individuam ſummi numinis naturam aſſerit. Imo Baſilius epiſt.* 141. *adverſus eos qui τὸ τρίθεον objiciebant Catholicis, majorem adhuc, ſi fas ſit ita loqui, unitatem quam numericam propugnat eſſentiæ divinæ, profitendo nos credere unum Deum, οὐ τῷ ἀριθμῷ ἀλλὰ τῇ φύσει, eo quod quicquid numero unum dicitur, revera unum non eſt, neque natura ſimplex. Sic Ambroſius lib.* 1. *de Fide, cap.* 2. *cum dicitur, Pluit Dominus à Domino, unitatem divinitatis agnoſce; operationis enim unitas non facit pluralem divinitatem. Sic & Auguſtinus lib.* 1. *contra Maxim. dicit, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum, propter individuam eandemque naturam. Et lib.* 7. *De Trinit. cap.* 6. *expreſſe negat eſſentiam habere rationem generis, vel ſpeciei ad perſonas; quia tunc tres illæ perſonæ divinæ poſſent dici tres Dii, ſicut tres perſonæ humanæ, tres homines ſtatuuntur.* Reſp. Magnum quidem myſterium agnoverunt veteres in unitate divina; ſed non collocarunt in eo, quod una eademque numero eſſet Patris, Filii, & Spiritus Sancti eſſentia: de quo nullum hucuſque Mareſius adduxit teſtimonium, nec, ut puto, in æternum inventurus eſt. Sed, inquit, nihil in eo eſſet μυστηριῶδες, nihil captum humanum ſuperans, ſi illa unitas eſſet duntaxat ſpecifica. Quid tum? an non ingens habebant admirandi argumentum conſiderantes unicum omnis divinitatis principium Patrem, ſummum inter Patrem, Filium, & Spiritum S. voluntatis conſenſum, communem potentiam, commune regnum, communia opera, in quibus illos præterea unitatem Dei poſuiſſe demonſtravi?

CXI. Nec majus eſt robur ad unitatem numericam

mericam essentiæ probandam in personarum divinarum inexistentia, aut circuminsessione, quam docuerunt Patres. Nam præterquam quod debili admodum, ut supra vidimus, fundamento innititur, contrarium potius inde colligi potest. Nam si propius attenderis, inexistentiam non nisi in rebus & essentiis diversis locum habere deprehendes: Ex. gr. quando miscetur aqua cum vino, ibi unum in altero inexistit: imo si vel vinum tantum cum vino, aut aqua cum aqua admixta fuerit, eorum minutæ particulæ in se invicem inexistent.

CXII. Quod vero addit Maresius, plerosque veterum conceptis verbis negare & rejicere, id, quod illis sycophantice tribuo; in eo potius insignem agit sycophantam, & non unum falsi crimen in illis citandis committit. Id primum videre est in Cyrillo Alexandrino, quem truncatum adducit. Locus integer ita habet, *Si quis autem voluerit ideo discipulos sicut Patrem & Filium uniri, quoniam non solum substantia, verum etiam voluntate uniti sunt, cum una eademque penitus Trinitatis voluntas sit, non repugnabimus: præsertim cum eandem voluntatem totius Ecclesiæ, id est, verorum omnium Christianorum, esse videamus; licet consubstantialitas non æquali ratione de nobis, & de Patre ac Filio dicatur.* Ubi primum Cyrillus agnoscit discipulos Christi inter se consubstantiales esse, nempe quia omnes erant homines, seu ejusdem specie naturæ humanæ participes: deinde voluntate unitos esse, quia in amplectenda doctrina Euangelica consentiebant. Sed tamen ita ut Deo magnam super eos prærogativam tribuat, in hac re, quod una eademque penitus trinitatis sit voluntas, quam in hominibus invenire impossibile est; præterea, quod consubstantialitas non æquali ratione de nobis hominibus dicatur, ac de Deo; cum personæ nostræ à se invicem loco, tempore, & aliis accidentibus divisæ sint; Patris vero & Filii minime. Negatne ergo Patrem & Filium esse consubstantiales, quia eandem specie naturam divinam inter se communem habent? imo nonne id expresse pro ratiocinationis suæ fundamento substernit?

CXIII. Nec aliud sibi vult Nazianzenus, cum *individuam summi numinis naturam* asserit. Tantundem enim istud est ac si dixisset, loco & tempore, sicut homines, separatam non esse. Naturæ enim vocem in sensu universali, una cum reliquis veteribus, in iis quæ supra ex ipso citavi, usurpat, ac proinde etiam hic, nisi eum sibi contradicentem fingere velimus. Tantum vero abest ut Basilius id dicat, quod ipsi affingit Maresius, ut plane contrarium sibi velit. Ideo enim Deum numero unum negat, & natura facit unum, quia unitas naturæ, quæ in universalibus est, ipsi accuratior, quam singularium, quæ sunt unum numero, videtur; quemadmodum antea audivimus ejus fratrem Gregorium Nyssenum, in Epistola ad Ablabium disserentem. Inspiciatur locus, & rem se ita, ut dico, habere comperietur. Ambrosius etiam noster est totus. Nam per unitatem divinitatis nihil aliud intelligit, nisi unitatem universalem naturæ divinæ; & ex unitate operationis Patri & Filio tributæ colligit, divinitatem non esse pluralem, id est, plures non esse naturas divinas. Confer loca supra ex ipso citata, & hanc ejus esse mentem deprehendes.

CXIV. Eadem Augustini contra Maximinum est mens, cum dicit, Patrem, Filium, & Spiritum S. esse unum propter individuam eandemque naturam. Nam ista natura est specifica, quæ individua ipsi dicitur, quia Pater, Filius, & Spiritus S. nec loco nec tempore à se invicem dividuntur, etiamsi singuli propriam suam habeant essentiam. Quod etiam docent loca ex aliis ipsius lucubrationibus supra adducta. Testimonio ex VII. de Trinitate, Maresius assuit verba, quæ ibi nusquam comparent, nempe, *Quia tunc tres illæ personæ divinæ possent dici tres Dii, sicut tres personæ humanæ, tres homines statuuntur.* Quid ergo, inquies, sibi volunt ista Augustini? *Non itaque secundum genus & species ista dicimus, sed quasi secundum communem eandemque materiem. Sicut ex eodem auro si fierent tres statuæ, diceremus tres statuas unum aurum. Nec tamen diceremus genus aurum, species autem statuas; nec aurum speciem, statuas vero individua. Nulla quippe species individua sua transgreditur, ut aliquid extra comprehendat.* Si totum hunc locum descripsisset Maresius, apparuisset nihil prorsus ad rem facere. Itaque quatuor tantum aut quinque verba inde sumit, quibus deinde falsam suam & alienam consequentiam, quasi Augustini esset, subjicit. Quod qua fide & sinceritate factum ab eo sit, judicent intelligentes. Interim istud caput valde intricatum & obscurum est, ut alia multa in toto opere. De quibus non male judicat Lambertus Danæus, in Methodo librorum Augustini, præmissa Enchiridio ad Laurentium; *Ex libris Augustini XV. de Trinitate, Libri VII, VIII, IX, X, XI, XII, difficiles & argutas potius, quam solidas rationes tradunt.*

CXV. Thes. 39. *Multo plura possem afferre ex veteribus & testimonia, & argumenta, quibus queant liberari à nostri Anti-trinitarii iniqua calumnia. Legat modo Boëthii libellum, Quomodo trinitas sit unus Deus: aut ex Ruffino in Symbolum audiat, Deum orthodoxis dici unum, non ut unus homo dicitur, quia plures esse possunt, sed ut dicitur unus Sol, quia plures esse nequeunt.* Si hæc, quæ afferre posses, Maresi, majoris ponderis non forent quam præcedentia, non veteres à mea calumnia (cujus ne umbra quidem hic apparet) liberares, sed sophisticam tuam in obscuranda veritate proderes. Verum quidem est Boëthium, ad quem jam provocas, aliquid in libro de trinitate affine habere Scholasticorum & hodiernæ opinioni. Quod tamen non arguit me antecedentibus quicquam ab eorum mente alienum affinxisse; sed tantum re-

recentiores ab eis divortium fecisse. Nulla autem mutatio doctrinæ in Ecclesia momento fieri potest, sed paulatim & per gradus. Priusque incepit, quod ad istud caput, in Occidente, & in Ecclesia Romana, quam inter Græcos, adeo ut in scriptis Augustini vestigia quædam ejus deprehendantur; sicut & multa exstant veteri faventia. Tam varius est hic autor, & à seipso dissidens.

CXVI. Sed quod ad Ruffinum attinet, idem omnino cum antiquioribus sentit. Nam hæc verba, Deum dici unum, non ut unus homo dicitur, indicant tantum, naturam divinam esse unam longe perfectiori unitate, quam unus homo dicitur; Ex. gr. Adam, qui sic unus erat, ut plures postea esse nihil repugnaret. Vult ergo Deum unum dici, sicut dicitur unus Sol, quia plures esse nequeunt. Peripatetici autem non habent Solem pro singulari, sed pro specie infima. Et sic Ruffinus voluit esse Deum, seu essentiam & naturam divinam, respectu personarum trium, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quomodo loquitur in Tractatu de Fide, quem nobis ex Gregorio Nazianzeno Latinum dedit; *Cum Patrem, & Filium statuo, unitatem assigno generis*.

CXVII. Post allata in Præfatione tria insignia veterum testimonia, quibus ostenderem illos per τὸ ὁμοούσιον unitatem essentiæ specificam, non autem numericam intellexisse, sic porro intuleram. Sed recentiores Theologi, ut ex omnibus ipsorum scriptis liquet, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, putant esse ὁμοουσίους quia unam numero essentiam inter se communem habent, non vero specie tantum. Quid me hic in tanto, quem inter utrosque animadverto, dissensu, facere convenit? Veteresne sequar? Æquius sane id videretur. Nam à quibus vocem accepimus, ab iis quoque significatum illius discere consentaneum est. Sed sensus iste nostris non probatur, & Tritheismum introducere putatur. Recentioresne ergo potius audiam? At sententia ipsorum præterquam quod nihil habet in veteris Ecclesiæ auctoritate præsidii, est etiam ἀκατάληπτος. Nam cum essentia sit illud, quo unaquæque res est id quod est, & ab aliis omnibus distinguitur, plures in divinitate distinctæ personæ esse non posse videntur, quin plures etiam sint essentiæ; & dicere tres personas unam numero habere essentiam, idem esse videtur atque asserere, eas unam tantum esse personam, Sabelliique hæresi accedere, qui Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unam eandemque personam esse dixit, sed quæ diversis nominibus appelletur, & ita mirum in modum totam salutis nostræ œconomiam perturbavit. Cum ergo hic stem inter sacrum & saxum, & quocunque me vertam præcipitium ante pedes videam, nonne præstat me ab hac voce, & similibus, tanquam impropriis, & gravissimorum errorum latibulis, abstinere, & solas Auctorum θεοπνεύστων, qui nec fallere, nec falli potuerunt, de hac materia loquendo, voces & phrases usurpare? Ad quæ Maresius Thes. 53. *Sed falso & calumniose supponit dissensum hodiernorum orthodoxorum à veteribus in hoc mysterio; ut dicat cum Masio, quondam Sylvaducensi Episcopo, positus in medio quo me vertam nescio. Tum ut veteres apertis verbis aversati sunt Tritheismum, nihilque revera habuerunt quod eo duceret: sic nihil est quod orthodoxis quicquam tribuat, ut solent Sociniani, spectans ad Sabellianismum. Veritas mediam sectatur viam inter hæc extrema vitiosa, dum unicum essentia Deum agnoscit, in quo tamen sint tres personæ vere inter se distinctæ, quibus unica & singularis essentia divina communis est, ob quam communionem quæque earum verus Deus debeat credi & agnosci. Quæ sententia & scripturarum præsidio, & veteris Ecclesiæ consensu munita est.* An falso & calumniose supposuerim hodiernos Theologos dissentire à veteribus circa τὸ ὁμοούσιον, præcedentia docere possunt, quæ libenter docti & prudentis Lectoris judicio permitto. Nihil enim de Maresio audeo sperare, qui adeo magnifice de se sentit, ut ipsum aliquid à me discere puderet.

CXVIII. Non accinxi autem me ad hanc disquisitionem ex curiositate: sed quia gravissime in eo peccatum fuisse superiori seculo à Genevensibus & Bernatibus Theologis animadverti, salubre consilium post venturis dare proposui. Res ita habet summatim, ut ex historia à Benedicto Aretio edita discere est. Cum Valentinus Gentilis relicta propter Religionis libertatem Italia, unde oriundus erat, Genevam se contulisset, & cum aliis gentis suæ, qui ibi erant, doctis viris consilia agitasset, opiniones quasdam à vulgo receptis discrepantes circa S. Trinitatis caput, tum viva voce, tum scriptis spargere cœpit. Ob quæ à Senatu Genevensi, instigantibus Theologis, in jus vocatus ad palinodiam publicam adactus est. Sed paulo post cum facti eum pœniteret, egressus urbe, eadem alibi docuit, præsertim in ditione Bernensium; unde captivus Bernam abductus, cum recantare nollet, tandem pœnas capite luit. Hæreses ei objectæ duæ fuerunt præcipuæ, 1. Quod doceret, tres esse distinctos spiritus, essentiali numero differentes. 2. Quod Patrem solum agnosceret illum adorandum, & infinitum Deum, &c. Quarum secunda prætermissa, in qua mihi non satis constat quousque processerit & an omnem prorsus Christo adorationem denegarit, (quod non puto ostendi posse;) primam paucis attingam. Nihil igitur aliud hæc dicens videtur sibi voluisse, quam Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, singulos habere suam peculiarem essentiam, per quam sint id quod sunt, & à se invicem distinguantur; non, ut vulgo hodie creditur, unam eandemque numero essentiam hisce tribus esse communem. Ita enim acceperunt omnes, qui adversus eum scripserunt, & ideo novorum Tritheitarum caput fecerunt. At hæc fuit ipsissima Synodi Nicænæ, & omnium

Patrum,

Patrum, qui circa ista tempora aliquid scriptis mandarunt, opinio, ut antea fuse demonstravi. Non enim video ipsi objici quod Filium & Spiritum Sanctum essentiæ à Patre specie diversæ esse putarit, sicut Arius & sectatores ejus. Nec etiam verisimiliter potest, cum Patrem statuerit essentiatorem, Filium vero & Spirium Sanctum essentiatos; quod idem est ac si dixisset, Patrem suam illis essentiam communicasse. Quo posito Valentinus Gentilis fuit omnino ex mente Patrum Nicænorum orthodoxus; & non dubito, si reviviscerent, quin pro tali valde libenter agnituri essent. Nec obstaret prærogativa quam in Deitate tribuit Patri supra Filium, & Spiritum Sanctum, de qua nemini lego controversiam fuisse motam, qui ὁμοούσιον confiteretur; imo quam multi etiam post Concilium Nicænum, ei expresse, ut supra audivimus, assignarunt. Ne jam dicam de præcedentibus, Ignatio, Justino Martyre, Athenagora, Irenæo, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Origene, Arnobio, Lactantio, & aliis, qui omnes cum eo consentiunt: adeo ut qui caput isti homini amputarunt, idem clarissimis Ecclesiæ Christianæ, post Apostolos, luminibus, facturi essent, si in ipsorum manus incidissent. Cuperem autem ut Christiani Magistratus posthac sapientiores essent, nec audirent consilia Theologorum, qui eos ad sanguinem fundendum, aut alia quapiam ratione propter dissidia religionis, persequendum adhortantur. Ideoque hujus historiæ memoriam refricavi, ne quis denuo ad eundem lapidem impingeret. Non existimarim autem quenquam dicturum me propriam causam agere, & hæresi, cui affinis sim, patrocinium meum commodare. Nam supra diversis in locis satis ostendi quantum à Tritheismo abhorream. Sed tanta in reverentia est mihi antiquitas, ut indignum facinus reputem, alicui molestiam facessere quod cum illa sentiat. Si quis autem forte dubitet an revera antiqui Doctores ita crediderint, ut dico, de Patris præcellentia in Deitate, consulat libellum nuper editum sub titulo *Irenici Irenicorum*, ubi istud irrefragabilibus testimoniis & argumentis demonstratum inveniet.

CXIX. Sed cum posteriores animadverterent sententiam antecessorum suorum esse absurdam, utpote quæ manifeste Tritheismum introduceret, aliam excogitarunt, quæ istud incommodum vitaret, nempe unam numero essentiam in tribus esse personis. Et ne novi dogmatis autores putarentur, ita interpretati sunt ὁμοούσιον, quasi veteres id solum ista voce significare voluissent. Quando mutatio ista cœperit, difficile est dictu; sed certum est non obtinuisse vulgo ante tempora Scholasticorum, id est, annum Christi millesimum, aut circiter. Quamvis autem subtilitatis specie se commendet; dixi tamen ad Sabellianismum accedere, & ἀκατάληπτον, seu incomprehensibilem esse. Nolui quidem illi impingere, quod merus Sabellianismus esset, quem scio defensores ejus diserte improbare; præterquam quod tum in reipsa, tum in explicandi modo, aliquid deprehendi potest discriminis. Sed tantam existimo esse affinitatem inter hanc & Sabellii opinionem, ut difficile sit præcavere quin ab una in aliam dilabamur. Nam sublato reali personarum divinitatis à se invicem, & ab essentia discrimine, quicquid postea statuatur tam exiguum est, ut parum admodum à distinctione rationis distet, quam ultro Sabelliani admittebant. Indeque factum est ut aliqui, etiam ex Reformatis Doctoribus, in Sabellii castra aperte concesserint. Ut inter alios Robertus Baronius, Theologus Scotus, qui in Philosophia Theologiæ ancillante, Exercit. 1. Artic. 7. n. 6. dicit: *Subsistentia aut personalitas Patris (idem de Filii & Spiritus Sancti hypostasi dicatur) non differt ab ejus essentia ullo genere realis diversitatis, neque tanquam res a re, neque tanquam modus rei a re, sed ab ea differt sola distinctione rationis.* Quid est Sabellianum esse, si hoc non est? Deinde sententiam suam sic confirmat: *Primo; Quicquid est in Deo, est Deus. Ergo nihil est in Deo quod revera, & a parte rei, (ut loquuntur) ab ejus Deitate differt. Secundo; si persona Patris realiter componatur ex ejus essentia, & subsistentia, seu personalitate, duo sequentur absurda: 1. Deum Patrem non esse absolute loquendo summe simplicem; summa enim simplicitas omnem compositionem tollit, in primis autem realem. 2. Deitatem esse alicujus rei partem, omnis autem pars est incompletum aliquid, & minus perfectum, quam totum illud cujus est pars.* Quid mirum est igitur, si metuerim hoc præcipitium, in quod videam viros doctissimos esse lapsos? Adde quod Scholastici inde se extricare nequeant, nisi distinctionum Philosophicarum plaustris in subsidium vocatis; quibus Theologiam Christianam sedari turpe existimabam. Vide ex. gr. Gul. Ursini disputationem de distinctione Reali & Rationis, una cum appendice; ubi affatim ejusmodi subtilitatum invenies. Medium igitur, quod Maresius dicit veritatem sectari inter duo vitiosa extrema, Tritheismi, & Sabellianismi, non ita facile est servatu, ut putat. Quod veteres indicant, cum μονοούσιον & ταυτοούσιον Sabellianorum fugiendum præcipiunt, & ὁμοούσιον non aliter quam de unitate specifica interpretantur. Ita ut inanis sit gloriatio, sententiam de unica & singulari Dei essentia tribus personis communi, veteris Ecclesiæ præsidio munitam esse. Scripturam vero ei favere non ante constabit, quam claris ejus testimoniis confirmata fuerit. Quod nondum factum vidi. Prætexitur quidem necessariam esse ad tuendam Dei unitatem. Sed si ea commodiori ratione demonstrari possit, omnis hæc necessitas sponte evanescet: qualis est qua supra ostendi, non posse esse plures summos Deos, quia unus tantum Pater est, & unum omnis Deitatis, quæ in Filio, & Spiritu Sancto est, principium. Quid labyrinthos ingredimur, cum hæc via sit plana,

quam nobis ſcriptura, ratio, & veteres Patres monſtrant?

CXX. Mareſius pergit. *Nec ideo ſimpliciter eſt rejicienda, quod menti humanæ ἀκατάληπτος & incomprehenſibilis videatur. Quaſi tandem Curcellæus detrectare debeat Dei naturam & exiſtentiam agnoſcere, quod ipſe Deus ſit nobis ſuo ſenſu ἀκατάληπτος. Verum is eſt Socinianorum genius, ut omnia religionis myſteria ad corrupta ſuæ rationis decempedam metiantur, nihilque admittant credendum, quod vel illius captum ſuperet, vel ejus guſtui non attemperetur. Hinc immortalitatem animarum rejiciunt, & pœnas Tartari, quod negent ſe capere poſſe, qui animæ extra corpus vivant, & operentur; aut quo pacto morti æternæ ſubeſſe queant, qui vivunt & ſentiunt. Carnis reſurrectionem non admittunt, quod non capiant qui poſſit idem numero corpus reproduci. Incarnationis doctrinam ſubſannant, quod ſit illis ἀκατάληπτον, Deum hominem factum fuiſſe, & in unam perſonam duas tam diſparatas naturas coaluiſſe. Satisfactionem Chriſti pro nobis reſpuunt, quod ſontium pœnas ab innocente Chriſto exigi, & ſuſtineri potuiſſe in foro divino, ſe capere negent. Sacroſanctæ Trinitatis fidem & negant, & oppugnant, quod ſibi ſtatuant ἀκατάληπτον, tres perſonas diſtinctas, in una ſingulariſſima eſſentia & natura convenire.*

Reſpondeo: Per ἀκατάληπτον non id ſolum intellexi, quod humanæ rationi corruptæ incomprehenſibile videtur; ſed etiam quod à maxime ſana tale eſſe judicatur, quia in eo manifeſtam contradictionem agnoſcit. Et negavi nos ad illud credendum obligatos eſſe, quia etiamſi maxime vellemus credere, id tamen à nobis impetrare nequiremus, cum intelligentia naturæ ordine fidem antecedat. In quo aſſentientes mihi habeo Reformatos, qui corpus Chriſti negant eodem temporis momento in cælo & in terra ſimul exiſtere, ubicunque Euchariſtia celebratur, quia iſtud dogma ſeipſum contradictione ſua deſtruit. Unde liquet quam inepte Mareſius objiciat me eadem opera Dei naturam quoque & exiſtentiam abnegare debere, quia ipſe Deus ſit nobis ſuo ſenſu ἀκατάληπτος. Nam contra nihil eſt facilius captu quam Deum exiſtere, cum omnes creaturæ, quantumvis exiguæ, nos ad eum quaſi manu deducant. Et tantum abeſt ut hic aliqua contradictionis ſpecies appareat, ut potius, qui ejus exiſtentiam in dubium vocare velit, ratione carere, & ſibi ipſi vim facere oporteat, velut ſi quis oculos pertinaciter clauderet, ne fateri cogeretur ſe ſolem meridie lucentem animadvertere. Attamen, inquies, natura Dei eſt incomprehenſibilis, & nemo mortalium [qu]alis quantuſque ſit Deus cogitare, aut effari [p]oteſt. Ita eſt. Sed non requiritur à nobis ut [pl]us de eo capiamus, quam recta ratio doceat, [a]ut ipſe in ſcriptura revelarit; non certe quod [h]ic aut ille Doctorum cœtus, uſurpata in conſervos poteſtate, præſcripſerit; præſertim ſi abſurdum & contradictorium videatur. Nam quod prætexitur de corrupto rationis judicio, id æque in eos, qui leges cudunt, atque in alios à quibus obedientia exigitur, quadrare manifeſtum eſt. Quod ſi neget Mareſius, velim audire quomodo probet, ſuam & ſuorum rationem minus eſſe corruptam, quam eorum, à quibus in negotio religionis diſſentit. Ubi ipſum fruſtra ſudaturum omnino perſuaſum habeo. Ad ea, quæ Socinianis objicit, non eſt opus me quicquam reſpondere. Cauſam eorum meam non facio. Ætatem habent, ipſi pro ſe, ſi viſum fuerit, loquentur. Quanquam dicere poſſem, eorum doctrinam non ſatis fideliter propoſitam, ut cum dicuntur immortalitatem animarum, & pœnas Tartari rejicere; aut male toti corpori tribui, quod unius tantum aut alterius privatim eſſe conſtat.

CXXI. Calumnia ergo mera eſt, quod Theſ. 54. concludit: *Illa ſunt emblemata religionis Curcellææ: hæc capita doctrinæ quæ ſeminarii Remonſtrantici juventutem imbuit; hæc ſumma myſteriorum quæ proponit epoptis ſuis.* Nam ſi ad ea reſpicit, quæ immediate præcedunt, non mea ſunt, ſed Socinianorum; & ne quidem omnium; & non tam docent quid credant, quam quid non credant. Quod ad me attinet, nullam aliam religionem ſequor, nulla alia doctrina juventutem mihi commiſſam imbuo, nullaque ei alia myſteria trado, præter ea quæ ex Sacris literis hauſi. Id univerſa hæc diſſertatio docet, in qua pro ſcripturæ ſufficientia pugno adverſus terminos ab hominibus excogitatos, quos Mareſius defendit. Ita ut inverecunde mihi imputet, quod ipſe facit, & accuſatio contra me directa in ejus caput recidat.

CXXII. Pergit. *Et ſane hic ridiculo plane nititur fundamento. Nam licet res tota natura & eſſentia diverſæ, ſua quæque quidditate, ut barbare loquuntur, à ſe mutuo eſſentialiter diſtinguantur, non tamen vice verſa quæcunque à ſe invicem ullo modo diſtinguuntur, debent tota ſua quidditate & eſſentia diſtingui aut differre. Plures perſonæ, quæ forent diſſimilis eſſentiæ & naturæ, ut angelica & humana, non poſſent concipi, quin una plures eſſentiæ conciperentur. Sed plures perſonas ὁμοουσίους non poſſe dari inter ſe diſtinctas, quin plures etiam ſint eſſentiæ, falſum eſt de eſſentia creata ſpecifica, quæ eſt plurium perſonarum inter ſe numero diſtinctarum, ut notum eſt. Falſum quoque de eſſentia ſingulari infinita, quæ tribus perſonis inter ſe vere diſtinctis, id eſt, non ſola ratione, Patri, Filio, & Spiritui Sancto communis eſt, citra ſui vel diviſionem vel multiplicationem. Nec poſſum ſatis mirari ἀμουσίαν τῆς διανοίας in iſto homine, qui ſic argumentari videtur, ſi quid ſit ſalis in ejus argumento. Unaquæque res eſt id quod eſt per ſuam eſſentiam, & per eam ab aliis omnibus diſtinguitur. Perſona qualibet eſt talis perſona per ſuam eſſentiam. Ergo per ſuam eſſentiam ab aliis omnibus perſonis diſtinguitur. Sed præterquam quod hic ſyllogiſmus non educitur ex tripode Apollinis, ſed currit plus quam quatuor pedibus; 1. Concluſio conceditur, & procedit de perſonis ἑτεροουσίοις, non de ὁμοουσίοις, 2. Minorem quod attinet, perſona qualibet eſt talis perſona per ſuam eſſentiam, in ſuo materiali, & in ordine naturæ, ut*

ſit

sit persona natura vel divina, vel angelica, vel humana: at non in suo formali, & in ordine personæ, quia personalitatem non constituit essentia, sed ei accedens modus existendi completus & incommunicabilis. 3. *Majorem quod spectat, Certum quidem est quodlibet distingui ab alio per suam essentiam distinctione essentiali; sed tamen distinctio unius ab alio tantum accidentalis, aut mere modalis, & personalis, non pendet ab essentiæ diversitate.* Thes. 55. *Eat nunc Anti-trinitarius cum suo cornuto syllogismo, & ex eo sibi imaginetur, quod dicere tres personas divinas unam numero habere essentiam, idem esse videtur atque asserere eas unam tantum esse personam; responsum illi sufficienter erit per axioma Parmenidis, De eo quod videtur, tam potest negari illud esse, quam esse affirmari. Tres personæ humanæ, fateor, unam numero habere essentiam humanam non possunt; sed ab essentia humana singulari, communicabili tantum uni personæ, ad essentiam divinam infinitam non procedit argumentum.* Maresius occursurus argumento, quo probaveram capi non posse, quomodo tres personæ divinæ, unam numero solum haberent essentiam, ut vulgo hodie exponitur τὸ ὁμοούσιον veterum, ter unam eandemque responsionem repetit, bis in Thesi 54. & semel adhuc in 55. Cui fini nescio, cum longe commodius tam sibi, quam lectori, simul & semel isto labore defungi posset. Et ubique conviciis & scommatis, more suo, me impetit: primum dicens, me plane ridiculo niti fundamento; deinde male sanam mentem objiciens; tertio argumentum meum redigens in syllogismum ineptum, quem cornutum vocat, & non esse eductum è tripode Apollinis, sed currere plus quam quatuor pedibus, &c. Quæ obiter ad ingenium hujus viri detegendum annotasse sufficiat. Nihil autem facilius erat, quam ex mea oratione optimum syllogismum, & in quo nihil prorsus desideraretur, conficere; nempe sic; Omne quod est, seu existit, habet suam essentiam propriam, per quam est id quod est, & ab aliis omnibus distinguitur: Personæ autem divinitatis sunt, seu existunt; Ergo personæ singulæ divinitatis habent suam essentiam propriam, per quam sunt id quod sunt, & ab aliis omnibus distinguuntur. Hic est primarius syllogismus, unde ulterius deduci debet; Cum tres sint personæ divinitatis, tres quoque esse oportet essentias divinas, non unam. Quod si tamen unam tantum essentiam admittere velis, fatendum tibi erit tres illas dictas personas, unam eandemque personam revera esse, & sic in Sabellianismum incides. Quid ad hæc Maresius? Nihil habet quod dicat adversus minorem, quæ ut à me proposita fuit, manifestæ est veritatis, & propriam ejus opinionem recte exprimit. Ergo totum suum impetum in majorem convertit, & duo contra illam affert. Primo; *Certum quidem esse quodlibet distingui ab alio per suam essentiam, distinctione essentiali; sed tamen distinctionem unius ab alio tantum accidentalem, aut mere modalem, & personalem, non pendere ab essentia diversitate.* Sed cum duo sint majoris meæ propositionis membra; primum quidem, unamquamque rem per suam propriam essentiam constitui; alterum vero, per eandem essentiam ab aliis omnibus distingui; ad secundum tantum respondet, primo, quod majoris erat momenti, plane intacto. Observandum autem est, eam ex omnium Philosophorum mente adeo esse universalem, ut complectatur non solum substantias, quæ primaria sunt entia, sed etiam accidentia & modos, & quicquid ullo modo dici potest esse, seu non esse plane nihil. Ergo etiam personæ divinitatis, quamvis tantum forent modi, ut Maresius innuere nunc videtur, licet antea negaverit, singulæ haberent suam propriam essentiam, per quam forent personæ, & ab aliis personis, & rebus distinguerentur. Nullo enim modo concipi possunt esse, quin statim essentia iis tribuatur; cum omne *esse*, qualecunque sit, essentiam aliquam sibi respondentem præsupponat. Ludit ergo, & extra oleas vagatur, cum dicit non omnem rem distingui ab alia distinctione essentiali, sed quasdam tantum accidentali, aut modali. Nam etiam accidentia, & modi habent suam propriam essentiam, per quam sunt id quod sunt, & ab aliis distinguuntur. Et hæc distinctio ipsis est essentialis, utpote ex ipsorum essentia petita, licet forte aliarum rerum respectu, quæ in essentia universali conveniunt, accidentalis, aut modalis dici posset. Præterea ambiguæ sunt hæ phrases, distinctionis essentialis, & accidentalis, quæ de una eademque re diverso respectu optime dici possunt. Sic Petrus & Paulus, si considerentur ut eandem specie habentes essentiam humanam, possunt dici accidentaliter tantum differre, quatenus unus est juvenis, alter senex, unus doctus, alter indoctus, &c. Sed iidem etiam differunt inter se essentialiter, quatenus essentia individua Petri, non est eadem quæ Pauli. Præterea Maresius supponit fundamentum, quod ipsi non conceditur, nempe personas esse modos, cum vulgo definiri soleant supposita intellectualia, ut supra vidimus; & proinde singulæ debeant habere suam propriam essentiam numericam per quam constituantur, & ab aliis omnibus distinguantur, quamvis in specifica conveniant: ut duo homines, aut duo Angeli, qui ejusdem inter se sunt speciei.

CXXIII. Secundo; Maresius dicit, *Fateri se, Tres personas humanas unam numero essentiam humanam habere non posse; sed ab essentia humana singulari, & uni tantum personæ communicabili, ad essentiam divinam infinitam non procedere argumentum.* Sed hæc responsio difficultatem auget, tantum abest, ut minuat. Nemo enim naturam & proprietates infiniti novit, nisi qui ipse infinitus est; cæteris omnibus inaccessum est, & prorsus ἀκατάληπτον. Unde ergo didicit Maresius singulas personas in divinis non habere suam propriam essentiam, cum nihil sit in universo, imo ne quidem

dem

dem concipi queat, quod non suam habeat, & per eam ab aliis distinguatur? Scripturáne ipsi revelavit, infinitum ex reliquorum entium numero excipiens? At ea ne γρῦ quidem de istis subtilitatibus Metaphysicis attingit. Ratióne dictavit? At istud ejus captum longe exsuperat. Quid igitur superest, nisi ut pro mero cerebri humani figmento habeatur? Ego sane alio loco habere nequeo, donec melius demonstratum animadvertero.

CXXIV. Adde, quod fundamentum cui innititur hæc distinctio, videlicet essentiæ divinæ infinitas, non adeo firmum est ut vulgo putatur. Ita quidem senserunt olim Stoici; quorum opinio à Virgilio expressa est Eclog. 3. *Jovis omnia plena*, & à Lucano, lib. 9. *Jupiter est quodcunque vides, quocunque moveris.* Sed improbata fuit à veteribus Ecclesiæ Christianæ Doctoribus; ut à Tatiano adversus Gentes, ubi dicit, *Et Deus juxta Zenonem malorum factor erit, si etiam in cloacis, & vermiculis, & nefandis operibus aliis insit, & versetur.* Et à Clemente Alexandrino, in Parænetico: *Sed nec Stoicos prætaribo, qui Deum per omnem substantiam, etiam vilissimam, pertingere ajunt, & valde Philosophiam dehonestant.* Cum quibus faciunt multi alii, tum antiqui, tum neoterici scriptores. Postea tamen Stoicorum opinio resuscitata fuit à Scholasticis, & hodie passim obtinet. Et putantur quædam scripturæ loca ei favere; ut cum Sophar Naamathites dicit, *Profundior est* (Deus) *inferno, quomodo agnosces? Longior est terra mensura ejus, & latior mari, Job* XI. v. 7, 8, 9. Item Salomon, *Cælum, & Cæli Cælorum te non continent*, 1 *Reg.* VIII. 26. Et apud Esaïam ipse dicit, *Cælum est solium meum, & terra scabellum pedum meorum, Esa.* LXVI. 1. Et Jeremiam; *An non ego cælum & terram impleo, inquit Dominus? Jerem.* XXIII. 23, 24. Sed hæc loca, ut liquet ex circumstantiis, & doctissimi interpretes agnoscunt, non tam agunt de absoluta essentiæ Dei infinitate, quam de providentia & potentia ejus, qua omnibus nostris factis, dictis, & cogitationibus, ubicunque degamus, interest. Eoque manifeste respicit ipse apud Jeremiam, cap. modo citato: *Nunquid Deus de propinquo sum, dicit Dominus, & non Deus de longinquo? Num occultabit se quisquam in occultis, & ego non videbo eum, dicit Dominus?* Similiter David *Psal.* CXXXIX. 7. &c. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo fugiam à facie tua? Si adscendero in cælum, tu ibi es: si stratum fecero in inferno, ecce tu ades; si assumam alas auroræ, & habitem in novissimo maris, etiam illuc manus tua deducet me, & apprehendet me dextra tua.* Nec alia est mens Pauli, *Act.* XVII. 27. *Non longe abest* (Deus) *ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Et ab altera parte scriptura passim docet Deum esse in cælis; quod ægre cum absoluta essentiæ ejus infinitate conciliari potest. Sic *Psal.* II. 4. Deus hoc describitur elogio, *habitans in cælis.* Et *Psal.* CXV. 3. *Certe Deus noster est in cælo.* Et Christus in orationis formula quam nobis reliquit, ita jubet nos eum compellare, *Pater noster qui es in cælis.* Præterea rationes non contemnendæ eam evertunt. 1. Quia nulla concipi potest inter Deum & creaturas differentia, si Deus, ut vulgo dicunt, in quolibet puncto sit totus, sive omnia universi puncta tota sua essentia repleat. Sic enim quicquid uspiam est, Deus ipse erit. 2. Nulla committi poterit idololatria, si ne minimum universi punctum inveniatur, quod Deo toto plenum non sit totum: Quocunque enim dirigetur cultus, ad Deum ipsum, qui illic erit non minus quam in cælo, dirigetur. 3. Nec Fanaticorum, qui se spirituales vocant, opinio solide poterit refutari, cum Deum statuunt omnia in omnibus, non bona tantum, sed etiam mala, agere, quia in omnibus mundi atomis essentialiter sit totus, & quasi communis anima, per quam omnia universi membra agunt, sit reputandus. 4. Sic Deus impiis æque præsens erit atque piis & sanctis; & damnatis in inferno, dæmonibusque, atque beatis in cælo, & Christo ipsi. 5. Ne jam dicam, pudendum esse cogitare, Deum purissimum & sanctissimum non minus esse in fœdissimis cloacis, quam in cælo; & quicquid in corpus nostrum alimenti ingerimus, quicquid inde excrementi egerimus, ipsa tota Dei essentia plenum esse. Et alia ejusmodi plura, è quibus salva essentiæ divinæ absoluta infinitate extricare se impossibile est. Licet fatear nostri respectu vere immensum esse; ideoque cum Propheta dicam, *Deus magnus est; sed magnitudinis ejus non est investigatio, Psal.* CXLV. 3. Nec contrarium inde probatur, quod Deus ubique operetur; nihil autem in id quod distat agere possit, sed contactus ad agendum prorsus sit necessarius. Recte enim Philosophi conjunctionem agentis cum patiente duplicis faciunt generis, aliam suppositi; aliam virtutis; ideoque si Deus supposito ubique non sit præsens, nihilominus virtute præsentem futurum, quemadmodum sol in terra per suos radios. Quo posito, dici forte posset non incommode ad conciliandum scripturas, & vitandum absurda, quæ modo commemoravi, Deum essentia quidem sua esse in cælo supremo, ubi *lucem habitat inaccessam*, 1 *Tim.* VI. 6. sed inde spiritum seu vim quandam ex se prodeuntem emittere, quocunque vult, per quam ibi quoque vere sit præsens & operetur, ut supra ex *Psal.* CXXXIX. audivimus. Sic etiam aliquo modo conciperetur, quomodo Deus esset in sanctis suis & beatis, non vero in impiis & damnatis, atque in dæmonibus; & longe adhuc excellentiori ratione in Jesu Christo Domino nostro. Denique latebræ infiniti, in quas abdere se solent defensores absurdi & contradictorii dogmatis, de una numero essentia in tribus personis, iis ereptæ essent.

Quod vero malui dicere eos, qui isti opinioni adhærent, unam tantum revera personam in divinitate mihi videri agnoscere, quam id simpliciter & absolute iis tribuere, ideo à me factum

est,

est, quia infirmitatis humanæ mihi conscius eram, quæ non raro in iis, quæ certissima esse putat, turpiter decipitur; & ut indicarem me veritati cedere semper fore paratum, si forte mihi à quoquam, qui melius novisset, ostenderetur. Maresium vero id non præstitisse, examen rationum, dissertatione ejus comprehensarum, luculenter evincit, quæ ne minimum quidem scrupulum in animo meo reliquerunt, ut de sententiæ, cui adhærebam, veritate, dubitarem, sed potius me magis in ea confirmarunt.

CXXV. Sequitur eadem Thes. 55. *Et alterutrum Curcellao incumbit, aut æternam, & veram divinitatem Servatoris nostri Jesu Christi ore rotundo abnegare, & se reum peragere in illius cultu anthropolatriæ plusquam Nestorianæ, & teterrimæ idolomaniæ, ei serviendo cum Gentilibus, Galat.* IV. 8. *qui natura Deus non est: aut Filium Deum verum & æternum agnoscendo cum Patre, illum ei ὁμοούσιον, adeoque ejusdem numero essentiæ, cum non detur πολυθεότης, confiteri. Sed mavult totam salutis nostræ œconomiam ac doctrinam evertere, quam latum unguem à suo Socinianismo recedere. Et cum jam diu cæcutiens mente & corpore cespitet in plano, & præcipitia somniet, ubi omnia tuta sunt, vitaturus Tritheismum & Sabellianismum, quem sui fraterculi solent falso objicere orthodoxæ veritati, divinitatem æternam Filii & Spiritus Sancti abnegat, & conculcat fidem Sacrosanctæ Trinitatis, ac transit in castra Pauli Samosateni, Photini, Mahumetis, Ebionis & Cerinthi, suæ impietati latibula perperam quærens in verbis Scripturæ, quorum sensum non vult admittere; atque sic Dum vitant stulti vitia in contraria currunt. Sed interim, teste Christo, Luc.* VI. *v.* 35. *justificata est sapientia à filiis suis.* Hæc est Maresii conclusio, in qua putat se posse me vel invitum adigere ad ὁμοούσιον confitendum, nisi veram Christi divinitatem aperte abnegare velim. Sed præmissis unde elicitur eversis, non est quod vim ejus metuam. Hactenus multis, & irrefutabilibus argumentis ostendi vocem ὁμουσίας esse absurdam, sive in veterum, sive in recentiorum sensu accipiatur, quia secundum illum invehitur Tritheismus; secundum hunc Sabellianismus. Non ero igitur adeo imprudens, ut terminum ab hominibus excogitatum, & tam gravibus incommodis laborantem, præferam longe aptioribus, quos autores θεόπνευστοι in Scriptura usurparunt. Si idcirco hæresi affinis judicer, cur non pari jure damnabuntur Apostoli, quibus fuit incognitus? Quod si illi extra damnationis aleam positi sunt, cur ei subjiciar qui illorum vestigia premo? Sed aliquid præterea adjiciam. Vox ὁμουσίας mihi displicet, quia obscurat discrimen, quod Patrem, qui à nullo est, distinguit à Filio, & Spiritu Sancto, qui suum esse à Patre acceperunt. Quod pauci eorum qui usurpant recte videntur agnoscere. Nec sic *me reum perago teterrimæ idolomaniæ, serviendo ei qui natura Deus non est, &c.* Cum Scriptura enim tribuo Jesu Christo, nomina, proprietates, opera, & cultum divinum; & eum longe supra omnes creaturas extollo, dummodo solum Patri, à quo accepit omnia quæ habet, quique omnia pedibus ejus, se solum excepto, subjecit, & cui olim regnum in fine seculorum tradet, subjectusque erit ut sit Deus omnia in omnibus, 1 *Cor.* XV. 24, 28. inferior esse credatur. Qua in re nulla est idololatria, sed cultus Deo gratissimus, qui vult à nobis per Filium suum Jesum Christum coli & glorificari, *Hebr.* XII. 25. Imo fac esse aliquem, qui de mysterio nativitatis Christi non bene edoctus, ut olim quidam ex Ebionitis, ipsum pro nudo homine haberet, & ea de causa tantum coleret, quia Deus eum excitavit à mortuis, & ad dexteram suam collocavit, data ipsi omni in cælo, & in terra potestate, & judice vivorum ac mortuorum constituto, an ideo reus foret teterrimæ idolomaniæ? Quo te, Maresi, abripit contradicendi libido, ut mediatorem Dei & hominum, qui est homo, 1 *Tim.* II. *v.* 5. & in natura sua humana munus illud obivit, & adhuc obit, pro teterrimo idolo habeas? Quid posses fœdius de illis dicere qui cacodæmones aut bruta animantia adorant? Apage tetram in Filium hominis blasphemiam, pro qua gravem ipsi olim, nisi resipiscas, rationem es redditurus! Nec quicquam te juvat locus *Galat.* IV. *v.* 8. quem jam secundo præpostere citas. Nullus enim eorum, quibus Galatæ ignorantiæ suæ tempore serviebant, & natura non erant Dii, in tam sublimem dignitatis apicem à Deo est exaltatus, qualem omnes Christo, etiam qui tenuissime de eo sentiunt, assignare solent. An vero Anthropolatria merito olim Nestorio objecta fuerit, judicent qui in historia Ecclesiastica sunt versati. Convitium istud me non tangit, qui *omnem Deitatis plenitudinem in Christo habitare corporaliter* credo, *Coloss.* II. 9. Sed quod ad miserum Nestorium attinet, non sine causa dubitatur, ipsi-ne, an Cyrillo, & Memnoni, qui damnarunt, melius hæretici nomen conveniat. Duas enim in Christo naturas agnovit, licet aliter quam Eutychiani de illarum conjunctione sentiret, & Mariam Virginem θεοτόκον, id est, Deiparam, dicere vereretur. De qua appellatione dignus est qui audiatur Joannes Majus, Ecclesiæ Middelburgensis pastor, in Explicationibus aliquot difficilium locorum Novi Test. quem hic è Belgico Latine loquentem introducam. Sic igitur ille, Quæst. 2. super *Rom.* I. 4. *An sancta virgo Maria recte mater Dei nominetur? Apostolus Paulus in nostro textu, & Rom.* IX. 5. *expresse ostendit Christum secundum divinam suam naturam, ex semine Davidis, vel Mariæ, aut majorum ejus, nequaquam esse; sed tantum secundum humanam naturam. Propterea consideratione est dignum, an sancta virgo Maria jure Dei mater nuncupetur? Ista appellatio jam olim usurpata fuit in Decretis Concilii primi Ephesini, ubi inter alia hæc verba inveniuntur; Sanctos Patres in hac fuisse sententia comperimus: ideo non dubitarunt sanctam virginem vocare θεοτόκον, id est Dei genitricem. Non quod verbum aut divinitas in sancta vir-*

gine initium acceperit, sed quia ex ejus corpore, illud corpus est natum, cum quo verbum essentialiter conjunctum fuit. Concedimus etiam hanc phrasin aliquo modo in bonum sensum accipi posse, quatenus ex Maria ortum duxit natura illa humana, in qua se Deus manifestavit, 1 Tim. III. & in qua habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, Coloss. II. Nihilominus judicamus appellationem istam matris Dei, non esse laudandam, nec ad Ecclesiæ Dei ædificationem idoneam. Primo, quia nusquam in Dei verbo reperitur. Expresse enim dicit etiam in nostro textu, Rom. I. 4. & cum particulari limitatione, quod Christus, secundum Spiritum sanctificationis, aut divina sua natura respectu, non est ex semine Davidis. Secundo; quia proprie loquendo, Maria nullo modo est Dei mater, quia neque est causa divinæ Christi naturæ, neque conjunctionis ipsius cum humana. Tertio, quia ejusmodi appellatio offendiculum parit, præsertim inter Pontificios, quos in superstitione sua & erroribus confirmat; quia illic cum sancta virgine Maria fœda idololatria committitur, quam non solum Christo æqualem faciunt, sed etiam sæpe, tanquam Dei matrem, super illum, qui est Deus super omnia benedictus in secula, attollunt. Quibus tribus rationibus, quarta addi posset, aut tanquam appendix primæ subjungi, Appellationem matris Dei Scripturæ stylo repugnare, ubi nomine Dei, absolute sumto, Pater semper intelligitur; secundum quam si quis eam vellet exponere, dicendum foret, virginem Mariam esse Dei Patris matrem; quod cogitatu horrendum est. Unde liquet istum scriptorem totum esse nostrum. Nam quod judicavit de appellatione matris Dei, idem quoque dicturus fuisset de vocibus personæ, consubstantialis, & similibus, si occasio se obtulisset. Nec dubito quin plurimi inter Reformatos idem sentiant; etiamsi propter metum Pharisæorum hujus seculi non audeant os aperire. Inter veteres Athanasius parvum scripsit tractatum adversus eos qui dicunt, *Passus est Deus verbum carne.* Quo sententia, quam postea Cyrillus contra Nestorium defendit, directe impugnari videtur. Nam hæc erat Cyrilli opinio, quod Deus verbum proprie natus & passus esset, sed in carne. Et Philostorgius annotat, Basilium & Gregorium non dicere, *Filium factum esse hominem, sed inhabitare in homine*, lib. VIII. sect. 13. id est, magis probasse phraseologiam Nestorii, quam Cyrilli, & Patrum Ephesinorum in suis XII. anathematismis. Sed hæc obiter; de quibus alias spatiosus differendi campus se aperiret, si opportunum foret.

Cætera Maresii convitia, quibus dissertationem suam claudit, ne pili quidem facio: ut cum me accusat, *quod divinitatem æternam Filii & Spiritus Sancti abnegem, & fidem Sacrosanctæ Trinitatis conculcem, ac in castra Pauli Samosateni, Photini, Mahometis, Ebionis & Cerinthi transeam.* Quam falsa enim ista sint sufficienter liquet ex præcedentibus. Nec mihi tribuit nisi ex mera petulantia & malitia, cum certus sit apud se, me ab istorum opinionibus plurimum dissidere: nec eas simul possim amplecti, ut quæ directis frontibus adversus se invicem pugnent. Nam si me velit Socinianum credi, non debet mihi objicere dogmata Ebionis & Cerinthi; multo minus impostoris illius Mahometis, Christo impudenter se præferentis; à quibus novit Socinum toto corde abhorruisse. Imo non videtur intelligere quid dicat. Cerinthus enim, ut discimus ex Epiphanio, Hæresi 28. fuit dux eorum, qui Antiochiam *descenderunt ex Judæa, & docebant fratres; Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari, Act. XV. 1, 2.* Et putabat Christum fuisse natum ex Josepho & Maria, reliquorum hominum more, non ex virgine immaculata, per Spiritus Sancti virtutem. Quid Socinus his affine docuit? Certe calumniando ipsum, nihil apud prudentes promovebis; sed contra causam tuam suspectam reddes, ut quam non possis nisi mendacio tueri. Ebion vero non fuit hominis alicujus particularis nomen, sed scomma, quo Judæi vulgo impetebant eos qui ex Judaismo ad fidem Christi se convertebant, ut docet Origenes contra Celsum lib. 2. In quorum cœtu erant quidem aliqui à Cerintho de Christi conceptione non alieni; sed alii tamen ex Spiritu Sancto conceptum fatebantur. Inde Ebionæi nuncupati fuerunt omnes veteres Christiani, qui in Judæa habitabant, & Legem Mosaicam observabant, (qui etiam Nazaræi audiunt) donec ab imperatore Hadriano ex pristinis suis sedibus, circa annum Christi centesimum trigesimum quintum, pulsi fuerunt. Quomodo ergo tam confidenter, instar Romani alicujus prætoris, alibi pronuntiasti; *Ego te Socinianum, & fidei quæ communis est omnibus sanctis desertorem, dico, proclamo, renuntio.* Nam istud perinde est ac si prætor cuipiam diceret, Tu es furti reus; nuper enim in adulterio deprehensus fuisti. Quam immerito autem istam mihi hæresin objicias, tota hæc dissertatio docuit. Non sum enim Socinianus, nec in iis quæ credo, nec in iis quæ rejicio. Non in prioribus: longe enim aliter quam Sociniani faciunt sententiam meam de Trinitate statim ab initio exposui, veram & æternam in Christo naturam divinam habitare confessus. Nec etiam in posterioribus: Quod enim voces personæ, coëssentialis, & similes rejeci, id factum est à me potius quod viderentur incommodæ, quam quod aliquid omnino falsum continerent. Habuique mihi præeuntes undecim Galliæ & Germaniæ provincias, & supra triginta Fidei expositiones in Synodis provincialibus factas. Nec non integras Mennonitarum in Fœderato Belgio Ecclesias, quæ longe tenuius quam ego de SS. Trinitatis mysterio sentiunt, tria solum & nuda nomina, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, in Deo agnoscentes. Non possum etiam capere, Maresi, cur adeo acerbe in miseros Socinianos passim inveharis, cum minus id faciendi causæ habere videaris quam in ullos alios, præsertim Pontificios; nisi quod forte horum

multi-

multitudinem suspicis, illorum paucitatem contemnis & odisti. Confessio enim Fidei, quam anno Christi CIↃ IↃ C II. in lucem emiserunt, ex solis pene Scripturæ vocibus & sententiis contexta est, & parum admodum, (si Trinitatis dogma exceperis) à Protestantium Confessionibus dissidet. Imo in hoc quoque capite, (sicut & de mortis Christi efficacia) multo propius ad eas, quam aliæ, antea ab ipsis editæ, accedit. Non complectitur quidem omnia quæ vera sunt. Sed nec id faciunt aliorum Confessiones. Sufficit si nihil quod sit prorsus necessarium omittant. Quod quamvis sæpe ipsis exprobretur, nondum satis solide probatum vidi, & vix fieri posse credo, nisi à traditione, & quibusdam extra Scripturam excogitatis vocibus, subsidium petatur: id est, nisi ex odio Socinianorum, in opinionem Pontificiam, de imperfectione, & insufficientia Scripturæ, ad convincendas hæreses, relabamur. Quod prohibeat Deus, cum sit unicum Reformationis Ecclesiæ fundamentum; & Maresio aperiat oculos, ut videat quam graviter hic impegerit. Si vero nihilominus insectari me ista de causa pergat, consolabor me in Deo, cujus causam defendo, & dicam cum Davide, *Maledicent illi, & tu benedices*, *Psal.* CIX. Domine Jesu, qui per ea quæ passus es didicisti infirmitatibus nostris compati, da mihi servorum tuorum minimo, ut patienter contumelias & opprobria pro veritate tua sustineam, & te, crucem meam gestans, alacri animo usque ad mortem sequar. Amen.

APPENDIX

De sensu quo Veteres, Patrem, Filium, & Spiritum S. Unum esse Deum dixerunt, & Ὁμοουσίους inter se esse docuerunt;

Ex Petavio, Theologicorum Dogmatum Tomo II, *de Trinitate, libro* VI. *capite* IX.

II. HAc confecta quæstionis parte, superest altera, quæ ad οὐσίαν, naturamque pertinet, quid hæc intersit ab hypostasi: & quomodo οὐσίαν dixerint antiqui generale esse quiddam, & commune pluribus. Qua in re quorumdam oratio sane difficilem habet explicationem; qui universe de quacumque natura id asserunt, etiam divina. Et ut disceptari res tota melius possit; communitas illa, sive ut trito jam verbo utar, unitas essentiæ, ac naturæ, duobus modis intelligitur. Quædam enim naturæ dicuntur unius; quod sub una forma, vel specie continentur, ut sunt homines duo, Socrates, & Plato, quorum est una specie natura, sed numero diversa. Singuli enim naturam habent propriam, quæ & substantia dicitur, non tamen κατὰ τὸ τί ἦν εἶναι, hoc est definitione distinctam. Alia vero *unitas* est, quæ singularitas vocatur, efficitque uti res una numero, & individua sit, atque hæc unum proprie constituit. Nam quæ priore modo unum appellantur, magis multa sunt, quam unum, quippe multiplicia sunt ex se, & in unum sola ratione & ἐπινοίᾳ confluunt. Utro ergo genere ἑνότης personarum plurium una & eadem natura dicatur, adeoque divinarum, hic à nobis inquiritur. Complures antiquorum, ut jam supra demonstravi, generatim loquentes, naturam docuerunt communem sic esse, ut est quælibet species individuis communicata pluribus; immo οὐσίαν nihil aliud esse, quam speciem ultimam. Hinc autem consectarium hoc esse sane παράδοξον ostendimus, uti plures homines numero, unam & eandem habeant essentiam, ideoque ne homines quidem plurativo numero dici debeant, sed unus homo. Quod etsi perabsurdum videtur, & abhorrens à consuetudine communi; multi hoc tamen asseverare non dubitant. Inprimis autem Gregorius Nyssenus, in eo libello, cujus argumentum, & inscriptio est, Cur non sint tres Dii, quem ad Ablabium scripsit. Cum enim quæsisset, cur non similiter Deos tres nominamus, atque homines tres, cum sit utrobique plurium eadem natura; primam ponit, quam non probat, vulgarem & indoctam rationem, id eo fieri, ne cum gentilibus Deorum multitudinem videamur adsciscere. Sed eam propterea rejicit, quod nondum causam explicet, cur cum divinitatem tribus esse communem fateamur, non tamen Deos tres appellemus ejusdem divinitatis, naturæque participes.

III. Exponit deinde quid ipse sentiat; ac non uno modo respondet. Primum enim communis sermonis reprehendit usum, quo, qui natura divisi non sunt, iis naturæ nomen ipsum plurali accommodamus numero; cum dicimus *homines multi*. Id enim non multo secus est, ac si *plures humanas naturas* dixeris. Nam inest in multis hominibus eadem natura, in quam conveniunt invicem; etsi proprietatibus divisi sunt, quæ hypostases vocantur. *Hypostaseon*, inquit, *ratio, propter eas proprietates, quæ in unoquoque considerantur, partitionem recipit, & per compositionem spectatur in numero. Natura autem una est, secum ipsa conjuncta, & individua, exactéque unitas; quæ nec accessione crescit, nec subtractione minuitur; sed, id quod est, unum cum sit, vel in multitudine sectione*

apparet expers & continuata, & integra: neque cum singularibus, qui ejus sunt participes, una dividitur. Atque uti plebs, populus, exercitus, concio, singulari vocabulo nuncupantur, cum eorum quodlibet in multitudine intelligatur: ita, si accuratius loqui velimus, homo itidem unus proprie dici poterit, tametsi qui in eadem natura demonstrantur multitudo sint. Quæ cum sic habeant, multo quidem fore consultius asserit, si consuetudinis illius pravitas emendetur, ut non plures appellemus homines, quos eadem natura continet. Sed quoniam id est difficile, nec mutari potest, quod se diuturno usu corroboravit; reliquum esse, ut in creatis, & inferioribus istis usurpari sinamus illud ipsum; à divinis vero repellamus; ubi periculo majore peccatur. Ex his Gregorii Nysseni verbis, ea fuisse mens ejus ostenditur; naturam illam, quæ individuis communis est pluribus, velut est humana, exacte unam esse; immo unitatem; nec pro singularium numero divisam; sed velut ἐν ἀτόμῳ consistere; denique collectione hanc unitatem confici: quemadmodum multi homines unum populum, vel exercitum facere dicuntur. Quod si par esse divinitatis ratio existimetur; re ipsa videbitur idem, quod Joachimus Abbas asserebat, sequi, unitatem naturæ, essentiæ, vel substantiæ divinæ *non esse veram, ac propriam; sed quasi collectivam, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Ecclesia.* Sic enim in Concilio Lateranensi cap. 2. Joachimi error exponitur. Certe non alio genere unitatis divina essentia constare ex ista sententia videtur, quam quo natura hominis, ac quælibet alia species; quæ ratione tantum & ἐπινοίᾳ unum aliquid est, cum sit reipsa multiplex.

IV. Subjicit huic, quam explicavimus, rationi alteram Gregorius ex ἐνεργείας, id est actionis singularitate sumptam: de qua paulo post. Tum velut alteri isti diffidens, ad priorem revertitur: & in ea commorari se dicit; ut communis nomen naturæ non recte usurpetur numero multitudinis, cum plures homines dicuntur. *Nam ea*, inquit, *sola composita, & collecta numerantur, quæ in propria circumscriptione spectantur. Porro circumscriptio in superficie corporis, & magnitudine, ac loco, & figura, ac coloris differentia comprehenditur. quod autem extra hæc consideratur, circumscriptionis est expers, quæ talibus rebus efficitur. Jam quod minime circumscribitur, ne numeratur quidem. quod autem non numeratur, in multitudine considerari non potest.* Affert ad hoc probandum ex auro petitum exemplum. Hoc enim si in plures figuras formasque dividitur, unum aurum dicitur; nec aura plura: sed aurei solidi plures. Ita cum multi in eadem demonstrantur hominis natura, uti Petrus, Jacobus, & Joannes, eos non plures homines appellari convenit; tametsi aliter consuetudo fert; quæ in istiusmodi, ubi nullum est periculum, dissimulari potest: in divinis autem idcirco tolerari non debet; ne si Deos multos nominemus, naturarum in iis diversitas inesse credatur. Hæc fere Gregorius, quibus plane id affirmat, quod supra posui; sic unam esse divinitatem, & naturam Dei, quomodo una est hominis, vel auri, vel formæ alterius. quarum singulæ per sese considaratæ, & ab singularibus abstractæ, cum neque loco, neque tempore, neque quantitate, vel alia re circumscribantur, neque in numerum, neque in multitudinem cadunt; sed singulariter efferuntur. Quoniam autem individua sola, sive hypostases, iis ipsis loci, ac temporis, cæterarumque rerum notis & qualitatibus prædita sunt, hisque circumscribuntur, ideo sola hæc differentiam accipiunt, & numero ac multitudine continentur.

V. De eodem argumento scripsit & libellum alterum Gregorius idem, qui *de communibus notionibus* inscribitur; ubi similia tradit, ac disertius etiam, & uberius ea de re loquitur. Primum enim Dei nomen ita singulatim accommodari personis tribus ait, ut etsi harum quamcunque nominemus Deum, non dicamus tamen Deum, & Deum, & Deum, eo quod unus sit Deus, hoc est natura una, quam vox illa *Deus* significat. Cum igitur natura ipsa per hypostases minime dividatur, ne nomen quidem ipsum plurali efferri numero debet. Siquidem non plures sunt οὐσίαι: & ut Pater est οὐσία, Filius est οὐσία, Spiritus Sanctus est οὐσία, non sunt tamen οὐσίαι tres, sed una; ita Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus; non tamen tres sunt Dii, sed unus Deus. Et hactenus quidem recte. Sed addit mox quiddam, quod perplexam rem facit: *Neque enim*, inquit, *Petrum & Paulum & Barnabam tres οὐσίας, id est substantias dicimus; sed unam. Et unam dicentes substantiam, cujus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, consentanee dicimus unum Deum.* Ad hæc, quod cujusvis animo statim occurrit, id sibi objicit Gregorius: *Quinam igitur Petrum, & Paulum, & Barnabam tres nominamus homines, cum sint unius essentiæ, quam vocabulum hominis indicat?* Respondet huic inquisitioni, id abusione quadam sermonis fieri, & consuetudine vulgi, non propria, & exacta ratione; propterea quod personæ illæ, quibus hominis vox attribuitur, non sunt sempiternæ, sed oriuntur, & occidunt: adeo ut nunc his, nunc illis nomen hominis, & natura conveniat. *Ideo & plures, & pauciores homines dicere cogimur: quia mutatio ipsa personarum & varietas communem loquendi extorquet usum, etiam præter ipsam essentiæ rationem; ita ut cum personis essentias quodammodo numeremus.* At vero in Sacrosancta Trinitate nequaquam id usu venit; quia nulla in personas cadit mutatio, nec earum augetur aut minuitur numerus. Deinde quod personæ omnes humanæ non ab una eademque proxime oriuntur, sed ex aliis aliæ. At in trinitate ab uno principio proxime oriuntur cæteræ. Ad hæc personæ creatæ variis modis à se mutuo dirimuntur, tempore, loco, animi proposito, actione, perpessione, & cæteris ejusmodi generis: cujus-

cujusmodi nulla inest in Deo diversitas. Quare non perinde atque tres personas divinas, sic tres essentias dicimus: at propter illam rerum, quæ accidunt homini, varietatem, eo labimur, ut non modo personas hominis tres, sed tres etiam homines dicamus. *Est igitur*, inquit, *Petrus, & Paulus, & Barnabas, secundum id, quod est homo, unus homo: & secundum hoc ipsum, quod est homo, plures esse nequeunt. Dicuntur autem multi homines abusione quadam, & non proprie. Quod vero abusione loquendi usurpatur, nemo prudens ei præferat, quod proprie dicitur.* Huic communis usui locutionis Scripturam servire, & tanquam cum infantibus balbutire, ibidem Gregorius docet, quoties plurativo numero homines pronuntiat. Plura eodem spectantia ad usque libri finem pertexit, uti singulos homines, quia οὐσίᾳ sunt unum, non plures esse, sed unum proprie hominem, demonstret.

VI. Cyrillus Alexandrinus libro nono Commentariorum in Joannem, non aliter judicat, qui personarum divinarum naturam eandem, similitudine approbat hominum plurium. quos quidem homines natura negat esse distinctos. *Petrus*, inquit, *est Petrus, & non Paulus; & Paulus non est Petrus: verum tamen indistincti manent natura. Una est enim in ambobus ratio substantiæ, & eadem citra varietatem ullam habent, quæ ad naturalem unitatem colligantur.* Quod apertius & sane mirabilius in primo de Trinitate dialogo declarat, dum unam itidem Patris & Filii naturam exemplo asseverat hominum plurium: *Quinam*, inquit, *eadem essentia una & una intelligatur esse? Non enim fas est in hominibus, qui unam, & eandem consubstantialitatis nacti sunt rationem, unam & unam dicere substantiam, & unicuique rei tribuere veluti propriam quamdam, ac peculiarem rationem eam, quæ ad communitatem pertinet.* Ergone unam & unam singularium hominum naturam nefas est dicere, sed unam omnium & eandem: & ad eum modum in personis divinis se se res habet? Id quidem Cyrillus docet. Et non minus perspicue Maximus Martyr in primo Dialogorum de Sancta Trinitate, qui sub Athanasii titulo cusi sunt. Ibi enim *Petrum, Paulum, & Timotheum tres esse hypostases*, ait, *& humanitatem unam.* Tum instanti Anomæo, si sic tres personæ divinæ sunt, ut homines tres, sequi tres esse Deos, respondet, Petrum, Paulum & Timotheum non esse tres homines; quia fideles unum cor & una anima dicuntur esse: ac non nisi ubi dissidia sunt, ibi tres nominati. Sed hæc ratio ad similitudinem tantummodo valet, non ad proprietatem: qua usos esse scimus Hilarium, Augustinum, & alios Patres: non ut ejusmodi in divinis personis unitatem adstruerent; sed ut comparatione hujus, quæ tam diversis in individuis cernitur, multo in illis certiorem & arctiorem inesse monstrarent. Itaque missa illa voluntatum consensione, &, ut ita dixerim, unitate, redit ad naturæ identitatem Maximus: &, *quemadmodum*, inquit, *non sunt duæ humanitates Petri & Pauli, sic non sunt divinitates duæ Patris & Filii.* Tum longius progressus, *Alia & alia est*, ait, *hypostasis Patris, & Filii, sed non alia & alia immortalitas. Etenim nos aliam & aliam habemus hypostasin, sed non aliam & aliam humanitatem. Et hypostasis Petri, homo est, & hypostasis Pauli, homo est, & duæ sunt hypostases, non duæ humanitates. Tum nos aliam & aliam habemus hypostasin, non autem aliam & aliam immortalitatem, quam per unum baptismum accepimus. Si enim alia & alia est immortalitas, etiam alius atque alius baptismus est, & alia atque alia fides; nec est unus Dominus, una fides, unum baptisma, Ephes.* IV. 5.

VII. Huc pertinet quorumdam Veterum illa comparatio cum auro divinitatis; quam Eusebius qui falso Emissenus appellari consuevit, in Homilia prima de Symbolo sic reddit: *Sic complectitur unitas trinitatem, quomodo, verbi gratia, si trium solidorum personæ uno ejusdem auri exprimantur metallo. Tres videntur in distinctione, sed unum probantur esse in genere; tres videntur in numero, sed unum cognoscuntur in merito. Triplex quidem substantia, sed [non] una materia est: numerari potest, sed distingui non potest.* Augustinus item, in *Psal.* LXVIII. *Unde etiam in fide Catholicâ contra venena quorundam hæreticorum sic ædificamus, ut dicamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unius substantiæ esse. Quid est unius substantiæ? Verbi gratia, si aurum est Pater, aurum & Filius, aurum & Spiritus S.* Sic in libello compendiariæ fidei explicationis, qui Anastasio Patriarchæ Antiocheno, & Cyrillo Alexandrino tribuitur: postquam expositum est, personarum esse trium unam essentiam & naturam, mox istud additur: *Et essentia quidem, sive natura, id quod commune est designat: hypostasis autem, sive persona quod singulorum proprium est declarat. Ut exempli gratia sic dicamus, in homine: Omnes homines unius, & ejusdem naturæ sumus; una & eadem natura omnium est: siquidem omnes homines ex anima intelligente & corpore constamus; hypostasibus vero multis, & infinitis, & innumerabilibus.*

VIII. Verum illa postremorum trium verba nihil perplexum continent; & de speciei ejusdem unitate interpretari licet, quod ad creatas res attinet; quæ divisæ singularitatem, communione speciei unius imitantur. Duo sunt Auctores, qui superiora illa, Nysseni præsertim Gregorii, paradoxa propius assecuti sunt, ut sub eadem hominis forma, plures esse naturas individuorum, vel etiam homines negarent. Joannes Damascenus in libro tertio de fide Orthodoxa, capite octavo, *Sciendum est*, inquit, *numerum esse differentium rerum. Impossibile est enim ea numerari, quæ in nihilo differunt, ac secundum id quod differunt numerantur. Veluti Petrus, & Paulus, secundum quod uniuntur, non numerantur. Quippe ratione naturæ uniti, duæ naturæ dici minime possunt; at hypostasi cum differant, duæ hypostases dicuntur.* Meminit subinde naturarum in Christo duarum, quas ob id hypostases non esse duas asserit, quia

hypostasi in unum conveniunt: cum alioqui naturæ sint duæ, quoniam in naturæ genere invicem distant. Et antea capite sexto, *numero*, ait, *non natura differre hypostases omnes*. Tum in libro de duabus Christi voluntatibus, *Alius est*, inquit, *Petrus, & alius est Paulus: alia hypostasis, & alia: non autem alia natura Paulus, & alia Petrus. Nam omnes homines unius sunt naturæ.* Alter est Theodorus Abucara, qui in Opusculo secundo, Petrum, Paulum, & Joannem dici homines plurali numero vetat: *Ut si velimus*, ait, *numerare Petrum, & Paulum, & Joannem, non dicimus tres homines; quoniam horum quidem unusquisque homo est, sed homo non est ullus istorum. Nam minora de majoribus non prædicantur, sed majora de minoribus. Non enim dixeris hominem ipsum esse Petrum, sed Petrum dices esse hominem. Igitur si Petrum, Paulum, & Joannem dicas esse tres homines, numerabis id quod non proposueras numero subjicere. Jam enim diximus hominem non esse ullum istorum.* Quæ Theodori ratio satis est obscura, sed sic intelligenda videtur: In omni enunciatione, quæ *subjecto* constat, & *prædicato*: (sic enim vocant) quicquid inest prædicato, inest etiam subjecto: non autem vicissim, quod subjecto convenit, prædicato necesse est tribui. Cum igitur majus de minori, hoc est commune de singulari dicatur, non autem singulare de communi, ut homo de Petro, non Petrus de homine; proprium vero sit singularium, multiplicitas; eo quod hypostases, in quibus multitudo cernitur, individua sint: natura autem communis una sit; non debemus sic loqui; Petrus, Paulus, & Joannes tres sunt homines; quoniam ternarius numerus ex individuis petitur; quæ de homine non prædicantur; unde nec quod illis inest in hunc transit. At dicimus Petrus, Paulus, & Joannes sunt homo; quoniam naturæ, ut ita dicam, unitas simul cum natura ipsa derivatur in singulos. Paulo post vero ad sanctissimæ Trinitatis personas dictum illud accommodat: *Eodem modo*, inquit, *demonstratur, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non esse tres Deos; licet horum quilibet Deus sit perfectus: quemadmodum unusquisque illorum homo perfectus est; verum non dicuntur tres homines. Igitur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres sunt hypostases, sicut & illi.*

IX. Ex eodem fonte manavit, quod idem Theodorus subinde concludit; ex eo, quod hypostasis, utpote particulare quiddam, de natura quæ est commune aliquid, non dicitur, sed natura de hypostasi; sequi Patrem quidem esse Deum, vel Filium Deum, sed non vicissim, *divinitatem, sive Deum, esse Patrem. Si enim Deus esset Pater, prorsus Filius non esset Deus: non enim reciprocatur prædicatio, ut omnes intelligunt: quoniam Pater quidem est Deus, & Filius est Deus; similiter & Spiritus Sanctus. Quare Deus non est ullum trium istorum: sed neque universa hæc tria sunt Deus. Nam si Deus Pater est, & Filius, & Spiritus Sanctus; omnino quidquid est Deus, erit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Verum quilibet istorum ita perfectus est Deus, ut non sit universa tria.* Hæc Theodori ratiocinatio utcunque ferri poterit, si quis Dei vocabulum præcise absoluteque consideret, qua est distractum quiddam ab individuis, & commune: vel si ὁλικῶς & *ex toto* spectetur. Ita enim Pater, exempli caussa, non est Deus confuse, universeque sumptus, & in statu illo, quem *logicum* idem Theodorus nominat; nostri, *secundæ intentionis*, sive *formalem*; & ut tribus convenit. Non enim Pater cum Deo adæquatur; tametsi reipsa unum sit & idem, hoc est una & simplicissima res cum ipso. Si Pater Dei notionem exæquaret, esset idem personæ tres: quemadmodum paullo ante scripsit Theodorus, si homo esset Petrus, eundem Petrum fore tres simul, quibus nomen hominis & natura competit, Petrum, Paulum, & Joannem. Sic in Opusculo XXXVIII. id ipsum inculcat, unam in divinis personis inesse Deitatem, sicut una in Petro, & Paulo, cæterisque inest humanitas, immo & in renatis, ac baptizatis, immortalitas. Quæ totidem verbis enarrat Maximus in Dialogo primo, qui inter Athanasii opera cusus est, cujus verba supra descripsimus. Theorianus quoque in Disputatione cum Armeniis *unam* ait *omnium hominum esse naturam*; & inde probat, quod una sit omnium definitio, quæ naturam explicat. *Nam individua propriam nullam habent definitionem.*

X. Hactenus Græcorum Theologorum sententia: quibus favet Ambrosius in quinto de Fide, capite primo. Atque hoc illi freti principio, naturam esse commune aliquid, longius progressi sunt, ut in pluribus individuis unam esse crederent: ex quo consectarium istud effecerunt, non debere plures homines appellari, eadem natura prædita hominis individua. Cui decreto publica Philosophorum vox reclamat, qui singulares naturas, & individuas, sub eadem specie plures esse numero sentiunt, quæ secundum hoc ipsum, in quo unum sunt numerantur. Nam & una specie natura, sive unus homo specie, dicuntur homines omnes; & iidem, numero plures homines, sive naturæ particulares humanæ plures numero vocantur. Neque vero similiter hoc habet atque populus, aut exercitus, & alia generis hujus, quæ *collectiva* nomina dicuntur. Hæc enim totius multitudinis è singulis collectæ vocabula sunt, & hujus integri componentes partes sunt individua quælibet: sicut partes ternarii sunt monades tres, quæ singulæ non sunt ternarii. Hominem vero cum dicimus, naturam quandam significamus, non è singulis, tanquam partibus, coagmentatam, sed ab his omnibus sola ratione divulsam, & unam non re, ut ait Joannes Damascenus lib. I. de Fide cap. 2. sed cogitatione factam, quæ in unoquoque individuo tota consistit. Quo fit, ut singuli commune nomen hominis accipiant; quia sunt partes, non ἐνεργείᾳ, & συνθέσει, id est *actu*, & *compositione*, quas integri partes integran-

integrantes vocant; sed δυνάμει, quod est *potentia*, vel *subjectione*. Itaque communis illa natura hominis, quam universe animo complectimur, non velut membratim secta, per individua spargitur, cum ad ea consideratione nostra demittitur; sed re ipsa, & simpliciter multæ sunt singulares naturæ, quæ similitudinem, vel communionem habent inter se proprietatum; ob quam velut una notio informatur ex omnibus; quæ ut cogitatione duntaxat unum aliquid est, ita cogitatione ad singulas deinde partes applicatur.

XI. Hanc naturæ communitatem, & universalem statum, erudite declarat Otto Frisingensis, cum de Gilberti Porretani causa disputat in libro I. de gestis Friderici, cap. LIII. Cum enim dixisset, *In naturis proprietatem substantialem aliam universalem, aliam esse singularem, vel individualem, vel particularem*, de priore mox ita loquitur: *Universalem vero dico, non ex eo, quod in pluribus sit, quod est impossibile: sed ex hoc, quod plura in similitudine vivendo, ab assimilandi unione universalis, quasi in unum versalia dicatur.* Ut hæc ridicula nominis est notatio, sic res ipsa verissima, & ad id, de quo agimus, opportuna, *universalem* dici *naturam*, non quod una reipsa sit, & numero pluribus in individuis, sed quia propter similitudinem plurium inter se, quædam in animo contemplantis illorum unitas existit; quatenus in unam quodammodo notionem congregata coëunt. Atque ut laxior, vel contractior est illa communio, similitudoque multorum, eo magis, minusve sunt unum; idque, in quo conveniunt, ac similia sunt, latius patet, aut angustius circumscribitur. Sic generalior est natura corporis, ac minus habet de illa similitudinis unitate, quam animalis; hæc minus, quam hominis. Hic vero ultimus est communitatis gradus, & similitudinis summus: quoniam deinceps non similitudo, sed dissimilis in individuis varietas occurrit. Idcirco Boëtius, *Species*, inquit, *est forma individuorum, & ultima similitudo. Post hanc enim non similitudo sed dissimilitudo potius occurrit.* Quapropter naturam, id est, φύσιν & οὐσίαν Græci, ut supra memini, complures infimam speciem esse dixerunt, quod hæc infinitam superiorum amplitudinem, & similitudinis unitatem, sic in se collectam, ac restrictam habet, ut proxime subjectam sibi inferiorum multiplicitatem effugiat.

EPISTOLA

J. ARMINII AD J. UYTENBOGARDUM,

In qua disputatur, An Jesus Christus recte dicatur αὐτόθεος, id est, à seipso Deus.

Joanni Uytenbogardo, amico amicissimo, Salutem & bene per Christum agere precor Jacobus Arminius.

Quod rarius ad me scribis, scio quidem ex amoris defectu non fieri, neque ex oblivione mei: at interim dulcedine alloquii tui me privas, qui mutui amoris fructus est exoptatissimus. Quare age, &, quod polliceris postremis tuis literis, pristinam taciturnitatem crebriore affatu resarci, & majore loquacitate (ita enim loqueris) compensa. Ingratum esse non poterit, quod abs te mihi proficiscetur. Quin si ipse venias, multo id mihi gratius accidet. Ne autem promissi præstationem differas ulterius, en tibi occasionem à me ultro oblatam. Versor in Synopsi locorum Theologiæ ordine instituenda. Statui de novo Theologos, tum veteres, tum neotericos omnes, qui ad manum sunt, & quos nancisci dabitur, pervolvere, accurate quantum in me est singulos locos pensitare, & quæ digna videbuntur observare, & ad suas classes referre; quæ etiam videbuntur nota aliqua & animadversione digna, censere. Initium facio à loco de Deo, qui primus in Theologia est ordine & dignitate. In hoc tum naturam, tum personas considerabo. Illius consideratio plana semper habita, & raris obnoxia disputationibus in Ecclesia Christi. Personarum vero difficilior judicata, & quæ Ecclesiam inde pene ab initio illius varie affecit & turbavit. Quare varii de illarum æqualitate & distinctione veteribus scripti tractatus; & crebriores, qui æqualitatem inter illas, seu consubstantialitatem, quam distinctionem earundem probandam sumpserunt: propterea quod Arii factio probabilioribus in speciem niti videbatur rationibus, quam Sabelliana. Nostro vero seculo, Sabelliana interpolata non est. Arii vero & Samosateni, quin & Macedonii, plurimum renovata; licet mutato vultu, & variata pelle. Quare & illi, qui veritatem adversus sophismata & blasphemias novatorum defendendam sumpserunt, intenti in id quod ex proposito agebant, de unitate essentiæ & consubstantialitate trium personarum plurimum tractarunt; de distinctione earundem parum admodum, nisi cous-

que quod distinctæ essent personæ, breviter annotata characteristica distinctionis nota. Quousque autem & quatenus, & quæ distinctionis origo, & quod eandem consequens, non æque meo judicio accurate pensitarunt. Quare etiam nonnunquam loquendi modis mihi uti videntur, qui Sabellianæ hæresi affines non absque causa haberi possunt. Horum tibi nonnullos proponam dijudicandos, quo occasionem tibi dem silentium & taciturnitatem abrumpendi, quamquam tibi deesse illa non potest, pro ampla & varia rerum Theologicarum, quæ tibi divinitus obtigit, cognitione. Calvinus lib. 1. Instit. cap. 13. sect. 19. dicit: *Cum de Filio, sine Patris respectu simpliciter loquimur, bene & proprie ipsum à se esse asserimus, & ideo unicum vocamus principium.* Et hæc putat se ex antiquitatis sensu hausisse. addit enim *veteres nunc Patrem Filii principium tradere, nunc Filium à se ipso & divinitatem & essentiam habere.* Danæus lib. 1. Isagoges Christianæ, cap. 23. ita loquitur: *Pater dicitur principium & origo, relative ad ea omnia, quæ ab eo creata sunt, ut putat Augustinus; non autem ad Filium. Causam enim divinitatis Pater Filio non dedit.* Et paulo post: *potest tamen Pater principium dici ad Filium; non tamen principium & origo Deitatis Filii & Spiritus Sancti; ne eos faciamus Patre minores. Neque enim Filius, qua Deus est, potestatem à Patre habet aut vim divinitatis, quam habet in sese.* Vide Philippum Melanthonem & Pezelium Tom. 1. Object. de discrimine trium personarum, argumento. 2. Ubi phrases istæ considerantur, *Essentia gignit, essentia gignitur: Filius est essentia divina genita.* Et quidem bono sensu recte usurpari posse dicuntur. Amand. Polanus, lib. 1. Partition. Theolog. *Filius non est quidem αὐτόυιος, id est, ex se ipso Filius, quia est Patris Filius; sed est tamen αὐτόθεος, hoc est ex se ipso Deus; hoc est, illa essentia, quæ est in Filio, non est ab alia essentia, sed à se ipsa, cum una sit eademque Patris & Filii essentia.* Et paulo post: *Christus igitur est Deus ex sese. Nisi enim ex sese Deus est, omnino Deus esse non potest. Nam ut Deus sit, id Deo ex sese est insitum. Deus enim esse non potest, cujus οὐσία non sit à se ipsa. Est vero aliud gigni essentiam, aliud ex essentia. Essentia non gignitur ex essentia. Essentia est ἀγέννητος, ideo etiam Filius, qua Deus, est ἀγέννητος. Sed Filius ex Patris essentia est genitus. Quare Christus, qua Deus est, à se ipso est: qua Filius, ex Patre est.* Zanchius de tribus Elohim quodam loco Calvinum explicat & defendit. Bellarminus in Calvino illum loquendi modum reprehendit; at excusat authorem, quod licet incommode loquatur, non male tamen sentiat de articulo Trinitatis. Ego ut breviter de istiusmodi loquendi formulis meam sententiam dicam, simpliciter rejiciendas puto, ut Sabellianæ hæresi affines. Singulos tamen locos paulo latius considerabo. Et Calvini prius. *Cum de Filio,* inquit, *sine Patris respectu simpliciter loquimur:* (at quomodo de Filio loqui possumus sine Patris respectu? nonne Filius relative dicitur ad Patrem?) id est cum de Filio loquimur, qua Deus est, *tum recte asserimus illum à se esse, & divinitatem & essentiam à se habere.* Nullo modo: Filius enim si à se est, & à se essentiam habet, jam non est Filius. Contradicens est in adjecto. Nam Filius est, qui à Patre est. Recte, inquiet, qua Filius, non qua Deus. Imo & qua Deus. Est enim Deus ex Deo, Filius ex Patre. Et falsa est simpliciter hæc loquendi formula, Filius qua Deus non est ab alio. Ut ut enim Filius considerari possit, citra ullam relationem, quam habet ad Patrem, tamen nullus conceptus Filio adaptari potest, quocunque id fiat respectu, qui Filii definitioni adversetur. Adversatur autem Filii definitioni à se essentiam habere. Neque alia re Filius est Deus, alia Filius. Compositus enim esset. Deus est Deitate sibi communicata; & Filius est divinitate sibi à Patre communicata. Licet Dei vocabulum præsentiam Deitatis includat tantum, Filii insuper modum illius præsentiæ, nempe per communicationem à Patre per generationem factam. Ad quid hoc sibi vult? *Filium vocamus unum cum Patre principium.* Mera hæc est æquivocatio: de principio enim hic agitur quo Pater est principium Filii, & Filius ex Patre, & dicit Filium vocari unum principium cum Patre respectu creaturarum. Nam opera ad extra sunt indivisa, servata tamen distinctione personarum. Ergo aliter hic usurpata vox principii, quam decet, ubi de relatione inter personas agitur. Quod autem illa etiam à patribus tradita dicit, vix credo. Saltem illa loca, quæ in margine ex Augustino citat, nullo modo id habent. Videamus Danæum. *Pater dicitur principium & origo,* inquit, *ad ea, quæ creata sunt; non ad Filium.* At, inquam ego; Pater dicitur principium & origo ad Filium, & ad ea quæ creata sunt: ad illum quidem solus, & per actum generationis; ad hæc vero una cum verbo & spiritu suo, per actum creationis. Ratio meæ dictionis hæc est, phrasi Danæi explicata; quod Pater Filio causam divinitatis dederit, id est, causa sit, quod Filius sit Deus. Non enim est alia causa cur Filius sit Filius, quam cur sit Deus. Sed corrigit postea se ipsum, & dicit, *Patrem posse dici principium ad Filium; sed non principium & origo Deitatis Filii.* Utrumque hoc vere dicitur. Pater enim est principium Filii, & non Deitatis Filii. Nam Filii Deitas est eadem, quæ Patris; at illa simpliciter est sine principio, & originis expers; est tamen causa, quod Filius habeat Deitatem. Causam reddit: *Sic enim Filius esset minor Patre.* Sane si Deitas Patris esset originis expers, Filii vero divinitas principium haberet, minor esset Patre Filius, quod ad naturam attinet Deitatis. Sed quid hinc sequitur? Minorem esse Filium Patre, ratione personæ: nam Patris persona est originis expers, Filii persona est à Patre. Hoc sequitur ex conclusione Danæana, & necessario: at id putabunt nonnulli blasphemum. Si ita est, tum plerique ex antiquis patribus Græcis blasphemi fuerunt, sine quorum opera tam planam hujus articuli

articuli explicationem non haberemus. Quæ addit, dissentiunt ab antecedentibus. *Neque enim Filius*, inquit, *qua Deus est*, *potestatem habet à Patre*, *aut vim Divinitatis*, *quam habet in sese*. Quomodo ergo Pater principium ad Filium dicitur? & unde ergo Filius habet vim Divinitatis? Si à se, seu potius à nullo, jam Filius est Pater; quod est directe Sabellianum. Ergo ab alio; à quo, si non à Patre? Loquendi istæ formulæ, ut ad Melanchthonem & Pezelium veniamus, *Essentia gignit*, *Essentia gignitur*, simpliciter sunt repudiandæ, utpote inconvenientes. Neque tollitur inconvenientia per explicationem hanc, Essentia consideratur communiter & relative. Qua communiter consideratur, nec gignit, nec gignitur; sed qua relative, & gignit & generatur. Absurdum enim est essentiam tribus communem relative considerari. Si enim essentiæ addas relativum conceptum, jam non amplius essentiam, sed personam essentiam habentem consideras. Nam relatio addita essentiæ, personam constituit. Neque recte definitur *Filius*, *essentia divina genita*: sed, persona habens essentiam per modum generationis. Non enim potest essentia ingredi definitionem personæ, nisi in obliquo casu, ut loquuntur Scholastici. At *persona*, inquit Pezelius, *constat essentia & relatione*. Quærit ergo mens statim, quæ res sit, quæ gignatur: Num sit relatio tantum, an essentia. Respondet; *non relationem tantum esse terminum generationis*, *sed ipsam essentiam genitam*, *Filium ὁμοούσιον Patri*. At dico terminum generationis dupliciter dici, nempe terminum quo, & terminum quod; terminus generationis quo, tum activæ, tum passivæ, est essentia; terminus quod generationis activæ est Pater, passivæ est Filius: Pater enim generat, & Filius generatur. Essentia vero ideo nec generat, nec generatur, tum quia generatio, utpote actio & passio, convenit τῷ ὑφισταμένῳ; essentia autem id non est; tum quia necesse est, ut id quod generat, re distinguatur à genito, & contra. Essentia vero re non differt à persona, vel gignente, vel genita. At terminus generationis quo, non necesse est, ut differat re à gignente vel genito. Quare abstinendum videtur à loquendi formulis, neque in Scriptura usitatis, hæresi autem occasionem præbentibus, neque ad normam probæ enuntiationis efformatis. Restat Amandus Polanus, qui dicit, *Filium non esse ex se αὐτόυιον*, *id est*, *ex se Filium*, *sed tamen αὐτόθεον*, *ex se Deum*. At, inquam ego: Quemadmodum Filius non est à se ipso Filius, ita non est à seipso Deus. Est quidem αὐτόθεος, id est, à se ipso Deus ea Divinitate Deus, quæ ipsius est propria; sed non eo sensu, quem ille dat isti verbo. Explicatio vero, quam adfert, probum habet sensum, sed non est explicatio ejus, quod antecessit: *Essentia enim*, *quæ est in Filio*, *non est ab alia essentia*. at illa verba non idem valent, neque directe, neque consequenter, quod ista, Filius est ex se ipso Deus. Pergit: *Christus igitur est Deus ex sese*. Infero ego: Christus ergo est Pater. Probat; *Nisi enim ex sese Deus est*, *omnino Deus esse non potest*. Bona verba. Sic vere dixero, solum Patrem esse Deum, & Filium Spiritumque Sanctum Deum esse non posse. Neuter enim est à se, ambo à Patre; ille à Patre tantum, hic etiam à Filio juxta Latinos, vel per Filium juxta Græcos. At quod addit, satis declarat quo sensu hæc dixerit, *Deus enim esse non potest*, inquit, *cujus οὐσία non sit à se ipsa*. Recte; at quia Filius habet οὐσίαν quæ est à nullo, hinc non sequitur quod Filius sit Deus ex seipso. Multum enim hæ loquendi formulæ differunt. Ista enim est orthodoxa, Filius est Deus ea Deitate, quæ est originis expers & à nullo: vel, ut ille loquitur, quæ est à se ipsa. Hæc vero est Sabelliana, Filius est Deus à se ipso, seu ex sese. Hoc enim attributo solvitur distinctio personarum, quæ his particulis declaratur, Pater est Deus à nullo, Filius est Deus à Patre, Spiritus S. est Deus à Patre & Filio. Sed, inquiet aliquis, istæ formulæ ita explicatæ nihil continent falsi & absurdi. At, inquam ego, absurdus est, qui putat istas formulas idem significare, quod explicatio dicit. Non tantum recte sentiendum, sed & recte loquendum est, præsertim de divinis. Ineruditi est, imo incogitantis, non curare quibus verbis sententiam veram enuntiet. Si hanc licentiam semel nobis concesserimus, quo abibimus? Dicet alius; Filius est Pater, & defendet recte dictum, quia hunc habet sensum, Filii Divinitas est eadem, quæ Patris. Item Filius à Patre non est distinctus, quia essentia Filii à Patris essentia non est distincta. At dicet quis, illas formulas mordicus retinere volens, Annon una eademque persona considerari potest, tum ut Deus, tum ut Filius? Quis neget? an non utraque consideratio ab altera differt, & aliud concipimus sub nomine Dei personæ tributo, quam sub nomine Filii? Esto: neque enim hoc negaverim. At perget: sub nomine autem Filii, isti personæ tributo, concipimus, quod ista persona sit ab alio, nempe à Patre. Ergo sub nomine Dei, eidem personæ tributo, concipimus quid aliud, quam quod sit à Patre. Recte. Ergo quod sit à nullo. Non sequitur: non enim sunt contrarii isti termini, Deus & Filius, quales sunt esse ab alio, & esse à nullo; sed sunt tantum distincti. Nam Filius notat conceptum, quo illa persona est ab alia; sub Dei notione concipimus illam personam participem esse veræ Deitatis. Conjunge utrumque conceptum, & sensus erit; Filius est persona Divinitatem à Patre habens per generationem. Et hoc voluerunt illi, qui dixerunt, Deum de Deo, ut ipsa verba docent; nempe Filium non tantum esse aut dici Patris Filium, sed ipsum à Patre Deitatem habere, & propterea recte Deum dici, & Deum ex Deo. Consubstantialitatem enim istis vocibus expresserunt, non negationem originis ex alio; quin hanc istis verbis aperte excluserunt. Insistet pertinax

tinax aliquis ulterius, & dicet, an non Filius & Pater, ratione Deitatis, sunt unus Deus? Sane. At Pater est Deus à nullo; ergo & Filius ratione Deitatis est à nullo. Nego sequi. Quia Pater est Deus à nullo, non quia Deus, sed quia Pater. Licet vox Patris non significet directe, quod sit à nullo, sed quod sit genitor, hoc tamen ex eo necessario infertur, nisi velimus infinitatem in personas divinas invehere. Dicam accuratius. Pater est Deus à nullo, non qua Deus, sed qua illa persona, quæ ingenitus dicitur, quia est expers originis; & Pater dicitur, quia origo Filii. Ingenitum enim non est vox essentiæ determinativa, sed modi subsistendi significativa, & quidem per negationem seu privationem, quemadmodum Basilius Magnus, Cyrillus, & alii Græci patres adversus Arium, Eunomium, Aëtium, & similes hæreticos vere & erudite docuerunt. At unde nostris istæ loquendi formulæ usurpatæ? Dicam me nescire, & vellem dicere posse ex simplici ignorantia & incogitantia; at metuo pejus. Suspicor ex pravo aliquo de Trinitate conceptu hasce loquendi formulas ipsis natas esse. (Ne mirare Uytenbogarde; puto enim paucos esse, qui istum articulum ut nobis in Scripturis est propositus, & à patribus præcipue Græcis, tum etiam Latinis plenius pertractatus, accurate consideraverunt.) Suspicionem meam breviter tibi enarrabo. Quando personæ tres unus Deus dicuntur, personas singulas apud se cum proprio existendi seu subsistendi modo, & characteristica sua nota concipiunt; deinde conceptum quendam communem formant, sub nomine unius Dei; & quidem ut illum conceptum formant distinctim à conceptibus istis, quibus singulas personas considerarunt cum sua proprietate; (neque enim fieri potest ut mens finita uno conceptu concipiat personas tres cum modo quo differunt, & quo unum sunt;) ita quoque quod conceptui subest, nempe res ipsa Dei voce significata, distincta æstimatur à rebus, quas sub aliis istis conceptibus considerarunt. Inde est quod istis personis, sub suo conceptu consideratis, proprietates tribuunt ipsis convenientes; sub conceptu vero unius Dei tribuunt id, quod Deitatis est proprium, nempe à nullo, & ingenitam esse. At conceptus ille est pravus. Nam licet conceptus sit distinctus, tamen mens de suis distinctis conceptibus judicare potens, debebat eosdem docuisse, conceptum illum unius Dei attribuendum singulis personis sub suis conceptibus consideratis. Conceptus enim iste Dei, tribuendus subjectis seu individuis extra quæ ille conceptus entitatem seu existentiam non habet. Utinam hoc possem enuntiare, ut apud me sentio! Dicam tamen adhuc aliquid majoris explicationis gratia. Nosti authoribus nostris vulgatam hanc esse distinctionem, quod Dei vox aliquando essentialiter, aliquando personaliter sumitur. Quando essentialiter, tunc communem esse tribus personis; quando personaliter, tunc uni personæ propriam esse. Ut ut illa distinctio vera sit, tamen sciendum, vocem illam Dei essentialiter sumptam, non significare quid existens extra personas, quod & illi sæpe docent; Neque tribui posse personæ singulari & individuæ, nisi cum certa restrictione, quam circumscribit modus, quo ista persona in sua proprietate incommunicabili subsistit. Deinde notandum, quod vox Deus non sit abstracta, sed concreta; & propterea non essentiam notans, quæ se habet ut abstractum, sed personam, sub vaga tamen & indistincta notione; notione inquam, quæ non certum modum subsistendi denotet; sed subsistentiam tantum indicat in essentia divina. Dei enim vox personam notat subsistentem; sed notatio est ab abstracto, quod est divinitas & essentia divina. Sicut Filii vox personam notat, sed ut in abstracto, quod non essentiam, sed relationem notat, & modum subsistendi, ut etiam Patris, & Spiritus Sancti, seu potius, Spiritus Dei. Hinc est quod Dei vox, quia personam notat, licet indistincte, nihil personæ, cui attribuitur, tribuere possit, quod contrarium sit proprietati istius personæ incommunicabili, imo quod ista proprietate non nitatur. Quia autem notatio est ab abstracto, quod est tribus commune, hinc est, quod ista vox personam notans, licet de singulis distinctim prædicetur, tamen multiplicationem non patiatur. Neque enim recte dicitur tres esse Deos, licet tres sint personæ habentes Deitatem, quia cum notatio sit ab abstracto, illius concreti multiplicatio, necessario abstracti multiplicationem inducet. Si quis hinc inferat, quemadmodum tres personæ, quia unius numero Deitatis sunt participes, tres Dii dici non possunt, sed unus Deus; ita quoque, quia eædem personæ participes sunt Deitatis origine carentis, poterunt dici origine carere, quando sub notione Dei considerantur: nam Deitati tam convenit expertem principii esse, quam unam esse. Respondeo, si personæ illæ omnes, citra communicationem Deitatis essent participes, sicut unius Deitatis sunt participes per communicationem, recte ita concluderetur. Nam communicatio ista, unitati Deitatis non est contraria; at facit eadem communicatio, ut persona, cui communicatio facta est, originis expers dici non possit. Deinde originis carentia dupliciter dicitur. Deitati attributa, est carentia originis in essentia; attributa personæ, est carentia originis in subsistentia. Denique quando Deitati adimitur principium, illud intelligitur, quo ex non esse producta sit ad esse ex nihilo; quando vero principium adimitur personæ, illud intelligitur, quo ex alterius essentia nata sit vel producta. Hac itaque ablegata homonymia, recte dicitur Filius esse expers originis, id est, non esse ex non esse ad esse productus ex nihilo. Hoc autem non significatur, quando Filius, qua Deus, ex sese esse dicitur. Cæterum totum hoc quod de causa

causa istorum loquendi modorum dico, latius explicare possem à natura generis & individuorum, licet essentia genus non sit, sed conceptu simili aliquo modo consideretur. Videtur enim mihi origo totius hujus ignorantiæ esse ex eo, quod Dialecticis leviter imbuti plerique, non satis generis naturam intelligant, neque considerent quantum distet ejusdem rei conceptus, ut abstractæ à subjecto individuo, extra quod esse non habet; & ut eidem individuo, unde per mentis actum abstracta est, redditæ: Cui redditioni innituntur omnes attributiones, quæ subjecto isti etiam per medium istius conceptus attribuuntur. Talia enim sunt prædicata, qualia permittuntur esse à subjectis, & propterea etiam prædicatorum prædicata. Ut vero jam in pauca contraham, quæ prolixe satis, quia confabulari tecum libuit, tractavi, inspice mihi hunc syllogismum, cujus conclusioni omnes istæ loquendi formulæ videntur superstructæ. Deus, qua Deus, est originis expers, & à nullo. At Filius est Deus. Ergo Filius, qua Deus, est originis expers, & à nullo. Nego propositionem istam universaliter veram esse in omni sensu, qui istis verbis continetur. Quare distinctione opus est, quæ considerata monstrabit quatuor terminos in syllogismo esse; Deus enim, qua Deus, est originis expers, qua ex non esse productus sit ad esse ex nihilo: non autem originis expers, qua productus ex essentia generantis vel spirantis: & particula illa, à nullo esse, hoc postremo sensu usurpata, non essentiæ nota est, sed personalitatis paternæ characteristica. At vero dicet quis, illos qui formulis istis usi sunt; hoc voluisse significatum; dicam ego illos temere & frustra hoc voluisse, quia ista verba sensum istum non habent. Nam subjectum cui tribuuntur, nempe filius, in sua proprietate personali includit contradicens isti attributo. *Quare concludo abstinendum esse ab illis loquendi formulis, & omnino operam dandam, ut de tam altis mysteriis, non tantum cum Scriptura sentiamus, sed etiam loquamur, quantum fieri potest.* Hæc tu considera, & quid tui judicii sit rescribe, vel potius, si ita res tuæ ferunt, semel excurre, ut de illis & similibus conferre liceat, non raptim & obiter, ut propter tuam, cum apud nos es, festinationem nimiam fieri solet, sed accurate & diligenter, ut rerum gravitas & dignitas meretur.

Vale. 18 Februar. 1599.

His gemina occurrunt etiam in aliis Arminii operibus quæ lucem conspexerunt, ut in Declaratione facta in Consessu Ordinum Hollandiæ. Item in Apologia adversus XXXI. *articulos, art.* XXI. *Denique in Epistola ad Hippolytum à Collibus Principis Palatini ad Fœderatos Ordines legatum. Quæ cum hac ad* J. Uytenb. *Epistola conferri possunt, ut sibi mutuam lucem afferant.*

SECUNDA DISSERTATIO

THEOLOGICA:

DE

PECCATO ORIGINIS.

I. Alterum doctrinæ caput in quo Samuel Maresius infandæ me accusat hæreseos, est de peccato originis. Dicit enim me recedere à consensu Pontificiorum, Lutheranorum, Reformatorum, atque adeo Remonstrantium. Et in suo Anti-Tirino, Controv. XI. multis de eo contra me, & Josuam Placeum conjunctim disputat. Sed mirus est hic homo, qui in me reprehendit id cujus ipse reus est, ut tum iste Anti-Tirinus, tum alia ejus scripta testantur; ubi, sicut nulli alii Christianorum sectæ, ita suis quoque Reformatis non parcit, non tantum iis, qui sunt è trivio, sed etiam proceribus, Zuinglio, Calvino, Bucero, Martyri, Piscatori, aliisque ejusmodi; imo neque omnibus Galliæ Ecclesiis, quarum versionem celebris loci, & in hac controversia palmarii, *Rom.* V. *v.* 12. improbat. *At ego omnem doctrinam Ecclesiæ Christianæ de peccato originali, tum imputationis, tum propagationis respectu impugno.* Ita quidem asserit Maresius: Sed hæc est calumniosa sententiæ meæ perversio. Agnosco enim 1. Omnes homines propter Adami peccatum morti corporali esse obnoxios, licet non supplicio gehen-

næ;

næ; & Adamum, comedendo de fructu prohibito, non sibi tantum, sed etiam omnibus suis posteris multum nocuisse, & eatenus dici posse transgressionem ipsius nobis imputari, quamvis Scriptura nusquam ita loquatur. 2. Naturam humanam ab Adami lapsu magis magisque fuisse corruptam, & ad malum proclivem, adeo ut infantes jam non nascantur ita puri, ut Adamus progeniturus fuisset, si in primæva sua integritate perstitisset; & neminem adultum in regnum cælorum ingredi posse, nisi per Spiritum S. & verbum Euangelii regenitus fuerit; quamvis non putem istam corruptionem esse tantam, ut homines in omnibus suis operibus necessario & inevitabiliter peccent; aut Deum propter illam solam aliquos infantes pœnæ ignis æterni addicere.

II. Ita, inquam, de hoc doctrinæ capite sentio; in quo si non omnes hodie mihi assentiantur, Maresius non habet insultandi causam, ut qui non pauciores opinionis, quam tuetur, adversarios habeat. Saltem certum est me plures in Ecclesia primitiva, usque ad Augustini tempus, quam Maresium, adstipulatores inventurum. Cujus rei non opus est ut colligam testimonia, cum Petrus Molinæus, celebris inter Reformatos Doctor, isto me labore sublevare possit; qui in *Enodatione gravissimarum quæstionum*, &c. Tract. 5. De Peccato Originis, scribit, *A tempore Apostolorum ad Augustini tempora, per annos trecentos, & quod excurrit, scriptores Ecclesiastici de peccato originali parum accurate scripserunt, & aliquando videntur proniores in Pelagianismum. Quos excusat Augustinus lib. 1. in Julianum, cap. 2.* quia, *inquit*, tali quæstione nullus pulsabatur, & Pelagianis nondum litigantibus securius loquebantur. *Quin & ipse Augustinus inter initia parum considerate de hac re locutus est. Postea vero ad hanc limam tritus, & Pelagianorum aculeis exercitus, pensiculate tractavit hanc quæstionem, veritatis defensor acerrimus. Quem secuti Prosper & Fulgentius, & Synodi Arausicana, & Milevitana, de peccato originali non incommode loquuntur.* Accipio confessionem, quam manifesta rei veritas extorsit: Nimis enim apertum est dissidium inter Augustini, & vetustiorum Ecclesiæ de hoc argumento lucubrationes. Sed excusatio, *quia tali quæstione nullus pulsabatur, & Pelagianis nondum litigantibus securius loquebantur*, quod pace tanti viri dictum sit, nullius mihi videtur esse momenti; imo contrarium potius suadere. Nam cum ad investigandum veritatem oporteat afferre animum ab omni partium studio alienum, nullis melius id convenit, quam qui ante controversias exortas vixerunt. Ideo longe pluris fieri debent, quæ ab illis sedato animo, extra disputationis calorem, scripta sunt, quam ea quæ sequentes pressi ab adversariis, aut etiam ad incitas redacti, dicunt; alias nunquam forte sponte dicturi. Sæpe enim accidit, quod vulgo dicitur, ut nimium altercando veritas amittatur. Cui adde, absurdum esse plus autoritatis deferre posterioris ævi doctoribus, quam iis qui Apostolorum temporibus propiores fuerunt, quibus doctrina veritatis nondum corrupta erat; ita ut frustra jactetur recentiorum consensus, ubi certum est veteres in diversum abiisse.

III. Sed ut tanto apertius pateat iniquitas accusationis Maresianæ, statui paulo fusius de isto argumento disserere, & ea, quæ adversus me in Anti-Tirino scripsit, accurate refutare. Totam tractationem in duas partes dividam, & primo de natura peccati originis; Deinde de ejus pœna agam: Nam quamvis in explicanda hujus peccati natura, sæpe etiam pœnæ mentio sit facienda; tamen quia omnia, quæ illuc pertinent, aliud agendo exhauriri nequeunt, utile erit illis suum peculiarem locum assignare.

IV. Quia autem omnis methodica tractatio à consideratione vocum initium debet sumere, de appellatione peccati originis uno verbo dicam, non visum iri incommodam, si bene constaret quid per eam intelligeretur; sed ejus novitas, (nam primum ab Augustino excogitata est) satis arguit, rem, cui explicandæ adhibetur, non esse veterem; alioqui Prophetæ & Apostoli cessissent ingenio recentioribus, utpote qui tam aptos ad docendum terminos, atque isti, invenire nescivissent. Utemur tamen illa, quia jam usu apud omnes recepta est; hoc solum caventes, ne quod inde præjudicium fiat veritati, & ne putetur peccatum, quod dicitur originis, esse proprie dictum peccatum, antequam id solide ex Scriptura probatum fuerit.

V. Nunc quod ad rem ipsam attinet, peccatum originis varie admodum definitur à Theologis, ita ut quid per ipsum intelligant vix satis capi possit. Scholastici dicunt vulgo, esse carentiam justitiæ originalis debitæ inesse. Sed Protestantes non acquiescunt in hac definitione, nec etiam inter se bene consentiunt. Alii enim existimant peccatum originis, nihil aliud esse nisi primum illud Adami & Evæ peccatum, quo de fructu arboris scientiæ boni & mali sibi interdicto comederunt; quod Deus imputet omnibus eorum posteris, quasi ipsi commisissent, & eadem quam meriti erant pœna dignos judicet atque afficiat; ut justitiæ originalis privatione, & inde secuta intellectus & voluntatis, omniumque affectuum corruptione, tandemque morte æterna, seu igne Gehennæ, præter alia corporis & animi in seculo præsenti mala atque incommoda. Alii vero dicunt, esse hæreditariam intellectus, voluntatis, omniumque animæ facultatum corruptionem, à primo Adami peccato ortam, qua omnes homines ab illo naturaliter propagati, sunt proclives ad omne malum, & inutiles ad omne bonum; consequenterque morte & damnatione æterna secundum

Dei judicium digni. Sed præterea sunt alii, qui duas istas definitiones in unam conjungentes, peccatum originis consistere volunt, partim in primi Adami peccati imputatione, partim in orta ab eo naturæ nostræ corruptione. Quæ videtur esse hodie magis recepta sententia inter Protestantes. Quanquam ea rursus in duas dispesci potest; unam eorum, qui statuunt ideo primum Adami peccatum toti humano generi imputari, quia habitus peccati ex eo profluens in omnes per generationem propagatur: alteram eorum, qui putant istud Adami peccatum primo omnibus hominibus imputari, deinde propter hanc imputationem illos corruptos & malos nasci. Inter quas non parum est discriminis, ut in progressu nostræ disputationis melius apparebit.

VI. Præterco quod Flaccius Illyricus nativam corruptionem ita exaggeravit, ut ipsam hominis substantiam esse diceret: Nam hæc opinio jamdudum est explosa, & nullos amplius, aut saltem paucissimos, sectatores habet. Et revera est plane absurda, nec potest admitti, quin nova cudatur hominis definitio. Non enim amplius dicendum foret, homo est animal rationale; sed, est animal peccati servum, mente, voluntate, & affectibus ita depravatum, ut nihil nisi malum sapiat, & ab omni bono abhorreat. Deinde Deus, qui omnium substantiarum est creator, verus, & solus peccati, si in substantiarum numerum admitteretur, autor foret. Denique, fieri nequit, ut peccatum, quod est habitus, simul ipsa hominis substantia sit: Nam habitus & substantia toto genere à se invicem differunt, & de una eademque re non prædicantur.

VII. A qua sententia non procul abit Joannes Spinæus, qui lib. VII. de Tranquillitate animi, ita loquitur: *Commençons à la conception qui se fait de nos corps au ventre de nos meres, & au premier instant que nous y recevons la vie. Nous sommes conceus en peché; c'est a dire, infects, maudits & abominables, inutiles & meschans, traistres, desloyaux, ingrats, larrons, brigands, ruffiens, detracteurs, rebelles, envieux, orgueilleux, vanteurs, inventeurs de maux, desobeissans à pere & à mere, murmurateurs, impatiens, injurieux, sans affection naturelle, sans misericorde, blasphemateurs, haissans & mesprisans Dieu. Bref, il ny a rien au monde, qui ressemble mieux à Satan, que nous en nostre premiere conception; aussi est il appellé nostre pere, à cause de la similitude que nous avons avec luy. Voila quel est le commencement de nostre vie, mesmes avant que nous soyons nais.* Id est; *Incipiamus à corporum nostrorum in utero materno conceptione, & à primo momento, quo illic vitam accipimus. Concipimur in peccato, hoc est, polluti, maledicti, abominabiles, inutiles, & improbi, proditores, infideles, ingrati, fures, latrones, mœchi, calumniatores, rebelles, invidi, superbi, elati, inventores malorum, parentibus immorigeri, murmuratores, impatientes, contumeliosi, sine affectu naturali, immisericordes, blasphemi, Dei contemptores, & osores. Denique nihil est in mundo quod Satanæ similius sit quam nos in prima nostri conceptione: ideoque pater noster vocatur, propter similitudinem quæ nobis cum ipso intercedit. Tale est vitæ nostræ initium, etiam antequam nati simus.* Ubi intelligentibus considerandum relinquo, an absque gravi in Deum contumelia, ista de infantibus, qui ejus sunt opus, dici queant. Nam falsissimum est Diabolum in Scriptura patrem nostrum primæ conceptionis respectu appellari. Illud Christus exprobrat Judæis infidelibus, qui ipsum interimere volebant, *Joan.* VIII. 44. non embryonibus qui nondum lucem conspexerant, aut recens natis infantibus.

VIII. Jam ad examen revocandæ sunt hæ definitiones, & paucis indicandum quid in singulis desideretur. Sed antequam id facere aggredior, primo in medium adducam generalem rationem, quæ omne peccatum originis, quocunque modo acceptum, ex ordine verorum, & proprie dictorum peccatorum, plane removere videtur. Ea est, quod cum doceatur ex primo Adami & Evæ peccato proficisci, debuisset aliqua illius mentio fieri, vel in comminatione pœnæ, qua Deus ipsos à peccando deterrere voluit; vel in sententia, quam contra eos, postquam mandatum suum transgressi sunt, pronunciavit: Sed utrobique altum est de illo silentium. Comminatio enim tantum istud continet; *In quocunque die comederis ex arbore scientiæ boni & mali, morte morieris*, *Genes.* II. 17. Non dicit, ut isti dogmati conveniebat, imputabo peccatum tuum omnibus tuis posteris in pœnam damnationis æternæ; & illi propterea adeo corrupti nascentur, ut nihil nisi malum, & quod odium meum provocet, toto vitæ decursu facere queant. Pronunciatio vero sententiæ contra mulierem est, *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit, quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, de quo tibi dixeram ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumtus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, *Genes.* III. *v.* 16, &c. Hic præter vitæ præsentis miserias nihil gravius habetur morte corporea, *Pulvis es, & in pulverem reverteris*: sed de labis istius imputatione, de totali naturæ corruptione, & de cruciatibus æternis, ne γρῦ quidem. Atqui locus requirebat, ut de illis, si quid veri subesset, tanquam in propria sede ageretur: nam aliunde ubi diversa materia tractatur, id per operosas, & subtiles consequentias elicere, periculo non vacat.

IX. Nunc paulo propius peccatum istud consideremus. Prima definitio, *Quod peccatum originis*

nis sit carentia justitiæ originalis debitæ inesse, est obscura, & prius explicari debet, quam rectum de ea judicium ferri possit. Videndum igitur primo, quid sit hæc justitia originalis; deinde cur debeat homini inesse. Quod ad primum, Theologi vulgo statuunt, Adamum, quando creatus est, donatum fuisse à Deo eximia sapientia in mente, per quam Deum, & res divinas clare cognosceret; perfecta justitia in voluntate, qua se alacriter omnibus Dei mandatis subjiceret; & perfecta sanctitate affectuum, qua voluntatis imperio parerent, nec unquam in contrarium niterentur. Idque probant ex eo, quod homo ad imaginem Dei, & secundum ejus similitudinem fuit conditus; & quod Apostolus hortatur nos, ut *induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis*, *Ephes.* IV. 24. vel, *qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum*, *Coloss.* III. 10. Verum imago Dei, ad quam homo fuit conditus, posita non est in justitia, & sanctitate illa originali, cujus peccatum originis dicunt esse carentiam; sed in dominio, quod Deus ipsi dedit in omnia, quæ orbe terrarum continentur; ut apparet ex eo, quod Deus hominem conditurus dixit, *Faciamus hominem in imagine nostra, ad similitudinem nostram: Et dominentur piscibus maris, & volucribus cæli, atque jumentis & toti terræ, omnique reptili reptanti super terram*, *Genes.* I. 26. Postrema enim hæc verba, *Et dominentur*, &c. Deus expositionis causa adjecit præcedentibus, ad significandum qua in re constitura esset illa sui imago, ad quam hominem condere decreverat; nempe ut sicut Deus, universi est Dominus, ita homo sub ipso, tanquam vera ejus effigies, omnibus terræ, cæli, & maris animantibus imperaret. Ideo statim atque creatus fuit Adam, omnis generis animalia, Deo ita dirigente, ad eum tanquam Dominum accesserunt, ut sua ab eo nomina acciperent, & ipse dominandi illis hac *ὀνομαθεσίᾳ* initium faceret, *Genes.* II. 19. Nec parum ad istam explicationem confirmandam facit, quod Paulus de viri in uxorem imperio agens, dicit, *Vir est imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri*, 1 *Cor.* XI. 7. Sicut enim uterque, scilicet vir & femina, respectu dominii quod acceperunt cælitus in reliquas animantes, recte ad imaginem Dei facti esse dicuntur; ita vir ratione autoritatis, & dominii, quod Deus ipsi, ut præstantiori, attribuit in uxorem, peculiariter imago Dei vocatur; licet aliquando inveniantur feminæ, quæ viros multis tam animi, quam corporis dotibus antecellunt. Quia autem homo rationis præcipue beneficio ad dominium istud exercendum aptus est, non male etiam ratio ad imaginis divinæ, secundum quam factus est, constitutionem pertinere censetur, tanquam ejus basis & fundamentum, sine qua tali potestate frustra donatus fuisset. Hinc videmus nullum esse animantium genus, quod homo, licet agilitate & viribus ipsis impar, rationis auxilio sibi subjicere non possit. Tauris, equis, leonibus, elephantibus, cetis, suum robur; leporibus, damis, cervis, cursus agilitas; volucribus alarum pernicitas; & piscibus aquarum profunditas, nihil prosunt ad se hominis imperio subducendum, quia arte & industria omnes superat. Nec tantum istud, sed etiam solem & lunam, quamvis longe supra se positos, usibus suis inservire cogit; lumen eorum, prout libet, modo recipiendo, modo excludendo, & tum ut prosit, tum ut noceat, varie adhibendo. Quod Dei erga hominem excellens beneficium Regius Propheta celebrat *Psalmo* VIII. Corporis quoque forma externa, ut vultus ad cælum erectus, & manus tot eximiorum operum instrumentum; sed præcipue loquendi facultas, qua ab aliis instituitur, & ipse vicissim eos instituit, plurimum hominem in imperio super reliqua animantia adjuvat, & facit, ut ab ipsis timeatur; ita ut corpus, talibus organis instructum, accessorium quoddam sit imaginis divinæ, ad quam homo conditus est.

X. In justitia autem, & sanctitate originali eam non constitisse, inde evidens est, quod postquam homo illas peccando amisit, ad Dei tamen imaginem conditus fuisse dicatur: *Quicunque*, (inquit Deus ad Noachum) *effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo*, *Genes.* IX. 6. Item, *Lingua benedicimus Deum & Patrem, & lingua maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt*, *Jacob.* III. v. 9. Nec contrarium evincunt loca paulo ante ex *Ephes.* IV. & *Coloss.* III. allegata. In iis enim mentio fit regenerationis nostræ ad imaginem Christi, qui illam per Euangelium, & spiritum suum efficit, ut ostendit phrasis novi hominis, quæ novam vivendi rationem significat, & Adamo applicari non potest; præsertim cum opponatur veteri homini, seu veteri vivendi consuetudini, quam oportet exuere; ideoque longe melius conveniret corruptioni, quam ex Adamo trahimus.

XI. Quid ergo? inquies. Nonne à Deo fuit sapiens, justus & sanctus creatus? Resp. nihil ei defuit quod ad perfectionem status sui animalis requireretur. Nam sicut corpus nulla laborabat infirmitate, ita in animo nulla erat labes, sed contra ingenium acre, & memoria felix; omniaque habebat quæ ad Deum colendum, & se in gratia ejus conservandum, necessaria ipsi erant. Quod indicat Salomon, dicens, *hoc inveni, quod Deus fecit hominem rectum; & ipsi invenerunt multas cogitationes*, *Eccles.* VII. 30. Hæc fuit bonitas, quæ in homine recens creato, sicut in reliquis omnibus Dei operibus spectandam se exhibuit, *Genes.* I. 31. quæ non omnigenam perfectionem comprehendebat, sed eam solummodo, quam Deus judicabat requiri ad finem sibi propositum consequendum. Nam sicut in plantis

plantis non est brutorum perfectio, nec in brutis animantibus perfectio hominis; ita neque requirebatur ut in homine esset perfectio angelica; imo neque singularum brutorum specierum, quorum nonnulla homines robore, alia agilitate, alia sensuum acrimonia antecellunt. Deus ergo non infuderat primo homini omnium virtutum, tam intellectualium quam moralium habitus, sed eos ipsi crebris actionibus, ut hodie fit, acquirendos reliquerat. Saltem valde est dubium, an Adamus majori quam ullus posterorum suorum, cognitione naturalium & supernaturalium rerum donatus fuerit: alioqui Eva ejus non plane fuisset expers, ut apparet fuisse ex historia lapsus. Credidit enim serpentem ratione & loquendi facultate, ut homines, esse præditum, & se à Satana, qui per ejus os loquebatur, turpiter decipi permisit. Quod capi non potest quomodo acciderit, si primi parentes tam excellentibus, ut vulgo creditur, animi donis ornati fuissent. Nam cum omne peccatum oriatur, partim ab ignorantia intellectus, partim à perversitate voluntatis, partim ab affectuum ἀταξίᾳ, illi non videntur potuisse peccare in quibus hæc omnia erant integra. Nec sufficit dicere mutabilia fuisse: nam habitus profunde radicati, quales sunt quos Deus immediate infundit, non ita facile & ad primum tentationis assultum evelluntur. Quare felicius, mea quidem sententia, nodus iste solvetur, si statuamus Adamum & Evam, quantumvis magna ingenii vi præditos, omnium mundi rerum fuisse ignaros, sicut infantes modo natos, & earum notitiam non nisi progressu temporis, per varia experimenta, adipisci potuisse, & potius innocentes, seu à peccato immunes, proprie loquendo, quam justos & sanctos vocari debere; prout fit à multis Theologis, qui statum hominis ante lapsum, statum innocentiæ aut integritatis, quam justitiæ & sanctitatis appellare malunt. Ita Vollebius: *Homo in Paradisum collocatus, innocens fuit, sed non justus: justitiam enim perfecta demum obedientia consequuturus erat*, Christ. Theolog. lib. 1. cap. 3.

XII. Secundum, videl. cur justitia originalis homini debeat inesse, facile est intellectu, si ad Adamum & Evam solum respicias. Nam tum innocentiam, tum alia dona, siqua forte à Deo accepissent, studiose conservare obligati fuerunt, nec iis absque ingenti peccato carere potuerunt. Sed non est eadem reliquorum hominum ratio, ut teneantur habere cum nascuntur innocentiam aut justitiam, quam Deus ipsis non dat, & damnationi æternæ sint obnoxii quod ea careant. Nam quamvis magna sit miseria, integritate destitutum nasci, non est tamen peccatum pœna dignum, quod in eos qui nondum sunt cadere non potest; ut mox in alterius opinionis refutatione pluribus ostendemus. Si vero, ut nonnulli ex Reformatorum Doctoribus asserunt, Deus aliquam protoplastis peccandi necessitatem injecit, & eo momento quo Satan Evam ad transgrediendum Dei mandatum sollicitarit, justitiæ originalis donum, sine quo peccatum vitari nequibat, ab illis abstulit, non video quomodo potuerint retinere quod Deus ipsis eripere volebat, aut rei debeant existimari, quod Deo fortiores non fuerint. Istud dogma non tribuo omnibus: scio enim multos ab eo abhortere: multo minus totis Ecclesiis, in quibus constat plurimos è populo saniores pastoribus suis esse in fide. Sed certum est non paucos celebres Doctores ei adhærere: alii vero qui eos operose excusant aut tuentur, gloriæ se hominum, quam Dei studiosiores esse ostendunt; non cogitantes tam horrendam esse blasphemiam Deum peccati autorem facere, ut ei vel minimum affinem esse crimine non vacet.

XIII. Secunda peccati originalis definitio, sive (ut alii volunt) definitionis secundæ altera pars, est, quod id nihil aliud sit nisi primum Adami & Evæ peccatum, quo de fructu arboris scientiæ boni & mali sibi interdicto comederunt, quod Deus imputet omnibus ipsorum posteris, quasi ipsi commisissent, & eadem quam meriti erant pœna dignos judicet, atque afficiat; ut justitiæ originalis privatione, & inde secuta intellectus, voluntatis, omniumque affectuum corruptione, tandemque morte æterna, seu igne gehennæ; præter alia corporis & animi in seculo præsenti mala atque incommoda. Sed nos non possumus credere, quod Deus nos primi Adami peccati revera reos existimet, quasi ipsi perpetravissemus, & propterea nos oderit, aut ulli proprie dictæ pœnæ, nedum ignis æterni, subjectos velit. Hoc tantum agnoscimus, quod hujus peccati occasione omnes ab Adamo prognati homines morti corporali & diversis in hac vita miseriis sunt obnoxii; idque imputationem vocari non repugnamus, quamvis Scriptura nusquam ita loquatur. Nam Paulus docet, *unius delicto multos esse mortuos*, seu *mortem regnavisse per unum*, *Rom.* v. 15. 17. & *in Adamo omnes mori*, 1 *Cor.* xv. 22. quod significat, omnes homines propter Adami delictum morti obnoxios esse factos, & imputationi ejus quodam modo æquipollere videtur. Nostræ autem sententiæ multa habemus vel gravissima argumenta, qualia sunt sequentia.

XIV. *Primo:* Deus peccatum istud primum Adamo & Evæ, qui scientes & volentes, contra expressum ejus mandatum id commiserant, benigne condonavit. Ergo non est credibile ipsum propterea ejus posteros, qui nullam in eo partem habuerunt, tam atrociter punire velle. De antecedente consentiunt omnes tam Judæi, quam Christiani. Et probatur, primum inde quod Deus in sententia contra serpentem lata dicit de semine mulieris, *per ipsum serpentis caput contritum iri*, *Gen.* III. 15. Nam semen istud mulieris est Christus; qui *in hoc apparuit ut dissolvat opera*

opera Diaboli, 1 *Joan.* III. 8. qui eſt *draco & ſerpens ille antiquus, ſeducens univerſum orbem, Apocal.* XII. *v.* 9. & XX. 2. 3. quem *Deus conteret ſub fidelium pedibus*, *Rom.* XVI. 20. Secundo illud colligitur ex eo, quod licet primi parentes propter ſuum peccatum morti ſubjecti fuerint, Deus tamen ipſos extemplo, ea die qua peccaverant, ſecundum comminationis ſuæ rigorem, *Gen.* II. 17. morte non puniverit: ſed magna utendo patientia vitam Adami uſque ad 930. ætatis ejus annum produxerit. Quod etiam confitetur vetus ſcriptor Judæus, dicens, *ſapientiam cuſtodiviſſe illum qui primus formatus eſt, & eduxiſſe eum è delicto ſuo, Sapient.* X. 1. 2. nempe quia per pœnitentiam, quam ſuaſit Sapientia, remiſſionem illius obtinuit. Quamquam Deus etiam in gratiam poſterorum, quos ab Adamo & Eva oriri volebat, peccatum ipſis condonavit. Conſequens argumenti non eſt minus certum. Nam ſi Deus erga illos, qui ſoli vere rei erant, adeo miſericordem ſe exhibuit, ut peccatum eis remitteret, ab omni veriſimilitudine abeſt, ut id poſteris eorum plane innocentibus, utpote nondum cum ſui parentes peccarent natis, imputare ad pœnam velit. Iſtud enim eſſet reos pro innocentibus, innocentes vero pro reis; contra omnem juſtitiam habere.

XV. Mareſius ad rationem tam evidentis & pene palpabilis veritatis hoc tantum reſpondet: *Cum ſit communis reatus Adami & poſterorum ipſius, non eſt alienum à miſericordia Dei ut remiſſus fuerit Adamo & multis aliis; aut ab ejus juſtitia, ut plurimis aliis, quibus eum remittere Deus non tenetur, ad pœnam imputetur.* Sed cui perſuadebit hoc Mareſius, reatum Adami & poſterorum ejus eſſe communem? fuerunt-ne ſocii in peccando, ut manticularii, quorum unus furatur, alter occultat? Communis ergo utriſque aliter dici non poteſt, niſi figurata loquendi ratione, quia cum proprius ſit ſolius Adami & Evæ, poſteris ipſorum imputatur: quæ duo quantum à ſe invicem diſtent, etiam cæci ipſi animadvertunt. Nec juſtitia ullo modo permittit, ut delictum quod vere & proprie reo condonatum eſt, in improprie reo puniatur. Legimus quidem in hiſtoriis aliquos immanes Tyrannos, ſimul cum parentibus, à quibus offenſi fuerant, omnem eorum progeniem deleviſſe, & infantibus in cunis adhuc vagientibus non peperciſſe, nimirum quia verebantur ne paternæ cædis aliquando forent ultores. Sed nullus adhuc inventus eſt qui patre reo in gratiam recepto, in liberos ejus innocentes ſævierit. Nonne pudet ergo Mareſium, Deum crudeliſſimis omnium ſeculorum tyrannis immaniorem nobis depingere, & eum omni juſtitia & bonitate ſpoliare?

XVI. *Secundo*: Deus ipſe in Scripturis expreſſe dictarat, ſe liberis peccata parentum nolle imputare, aut propter illa punire. *Anima quæ peccaverit morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Juſtitia juſte ſuper ipſum erit, & impietas impii ſuper ipſum erit, Ezech.* XVIII. 20. Ergo peccatum privatum Adami non imputat omnibus ejus poſteris ad pœnam. Quamvis enim hic non agatur in ſpecie de Adamo, ſed de peccatis quæ commiſerant patres Judæorum qui in captivitatem Babylonicam abducti ſunt; tamen quia Deus ſui ſemper ſimilis eſt, incredibile eſt ipſum in univerſum genus humanum id ſtatuiſſe, quod in unius populi cauſa iniquum eſſe judicavit.

XVII. Mareſius reſpondet: *Locus Ezechielis hic objectus intelligitur de iniquitate perſonali parentis, & filio omni noxa carente: ſed hoc non impedit, quominus iniquitas communis & naturalis primi hominis imputetur juſte ad pœnam actualem omnibus ſuis poſteris, qui in illo peccarunt, & præter noxam in ipſo contractam, ſunt etiam per generationem inhæſive, ac ſubjective corrupti, ſontes & peccatores.* Sed ſi Deus hoc loco agat de iniquitate perſonali parentis, & de filio omni noxa carente, habeo quod volo. Nulla enim magis proprie eſt iniquitas perſonalis quam Adami & Evæ, qui adhuc ſoli in mundo erant, cum peccaverunt: nec ulli filii magis noxa carentes imaginatione concipi queunt, quam qui nondum ſunt in rerum natura. Quod vero Mareſius iniquitatem primi hominis *communem* vocat, ſciendum eſt non eſſe communem niſi per illam imputationem de qua diſputamus; adeo ut communitas quæ ordine naturæ imputationem ſequitur, ridicule pro imputationis principio ab ipſo aſſumatur. An, & quomodo omnes Adami poſteri in illo peccarint, poſtea ſuo loco expendetur. Nec minus abſurdum eſt quod addit; *omnes Adami poſteri præter noxam in ipſo contractam, ſunt etiam per generationem inhæſive, ac ſubjective corrupti, ſontes & peccatores.* An ergo nondum geniti, & qui ſunt purum putum nihil, noxam in Adamo contraxerunt? Qui fieri iſtud poteſt? Audieram hactenus noxam iſtam in generatione contrahi. Sed novus hic Doctor vult præter noxam in Adamo contractam homines etiam per generationem inhæſive & ſubjective eſſe corruptos, ſontes & peccatores. Quam præclare!

XVIII. Mareſius opponit etiam quod *Deus in Decalogo minatur ſe viſitaturum iniquitatem parentum in filios, eos ſcil. deſtituendo ſua gratia, de qua nemini peccatori tenetur; & permittendo ut preſſo pede veſtigia paterna ſequantur; & ſæpe ante actualia peccata eos implicando iiſdem pœnis, uti contigit in diluvio, & ſæpe alias, cum ſuis parentibus.* Sed reſp. in hoc præcepto agi de filiis qui parentes in ſceleribus ſuis imitantur, idololatræ idololatras; & ſic menſuram (ut Scriptura loquitur) peccatorum parentum adimplent. Tunc enim Deus occaſionem ſumit ex patrum delictis, quibus jam dudum irritatus fuit, ut citius & gravius animadvertat in liberos, quam alioquin facturus eſſet. Sed cum filii ſunt probi, & juſtitiæ ſectatores, nullum ex patrum peccatis detrimentum percipiunt,

piunt, aut pœnam timent; ut ostendunt exempla Ezechiæ & Josiæ, quibus impietas Achazi & Amonis parentum non obfuit; & Deus toto *Ezechielis* XVIII. capite expresse testatur. Quod vero aliquando infantes adhuc teneros, & scelerum elata manu commissorum, quibus solis lex mortem intentat, nondum reos, iisdem cum parentibus suis involvit calamitatibus, & morte violenta abripit, id non facit ad vindictam de illis sumendum. Parentes impii sunt illi proprie quos pœna tangit, cum Deus ipsos in charissima sui parte, & tenerrimi sensus, hoc est in liberis, quos aliqui magis amant quam vitam, percutit. Ideo in lege mentio fit tertiæ & quartæ generationis, quam ii qui paulo sunt longæviores videre possunt. Sic enim Deus supplicium illorum aggravare vult, spectatores eos reddendo calamitatum quæ proli suæ eveniunt. Eoque respexit Nebucadnezar, cum Sedeciæ filios in conspectu ejus, & antequam oculos ipsi erueret, jugulari jussit, *Jerem.* LII. Infantes vero qui talia patiuntur, creaturæ sunt Dei, in quas summum habet imperium, ut de illis quodcunque libet jure statuere queat. Nec mirum cuiquam videri debet, quod cum ipsos creaverit mortales, vitam ab iis hoc tempore & modo, potius quam alio, repetat. Istam autem agendi rationem nihil affine habere cum imputatione peccati Adami, ex tribus discriminibus patet: 1. Quando parvuli infantes comprehenduntur una cum adultis in judiciis quæ Deus in impios exercet, ut in diluvio, in conflagratione Sodomæ & Gomorræ, & similibus, nihil aliud acerbi patiuntur, nisi quod morte corporea obeant, cui jam obnoxii erant ob suæ nativitatis sortem, & qua non minus acerba interdum contingit iis qui calculo aut aliquo ejusmodi morbo extinguuntur, licet gladius & ignis plus terroris afferre soleant. Sed Deum imputare volunt Adami peccatum maximæ posterorum ejus parti ad æternæ mortis cruciatus. 2. Deus non visitat iniquitatem parentum in filios, nisi quando filii vestigia ipsorum premunt. Nam cum pii sunt, non vergit eis in ruinam. Sed docent Deum imputare Adami peccatum omnibus ejus posteris, cum adhuc sunt in utero materno, antequam ipsius imitatores esse, aut iram Dei propriis peccatis provocare queant. 3. Comminatio legis mentionem solum facit tertiæ & quartæ generationis. Sed existimant imputationem peccati Adami ad tot generationes extendi, quot à mundi exordio usque ad ejus finem futuræ sunt. Id quod nullum promissioni Dei, de misericordia erga piorum liberos in mille generationes exercenda, locum relinquit.

XIX. Affertur adhuc solere liberos in crimine læsæ majestatis una cum parentibus interimi; imo apud Macedonas id vindicatum fuisse in universam cognationem. Adami autem peccatum fuisse læsæ majestatis divinæ crimen. Sed resp. Indignum esse Christianos ejusmodi uti argumentis, quæ directe adversus Dei legem pugnant: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur*, *Deut.* XXIV. 16. Laudaturque Amazias rex Juda quod eam religiose observarit; supplicio quidem merito afficiens eos, qui regem Joam patrem suum interemerant, sed liberos eorum morti non tradens, 2 *Reg.* XIV. 5. 6. 2 *Chron.* XXV. 3. 4. Male ergo ex timidorum & crudelium tyrannorum legibus colligitur quomodo Deus clementissimus, erga homines, à quibus nihil metuit, se gerat. Multo potiori jure pro nobis adducere possumus consuetudinem jam olim observatam inter populos æqui amantiores, ut mulieris gravidæ, quæ mortem merita est, supplicium differatur donec enixa sit; ne fœtus innoxius in matris pœna injuste comprehendatur. Qua de re Ulpianus: *Pregnantis mulieris consumendæ damnatæ pœna differtur quoad pariat.* Digest. XLVIII. tit. XIX. de Pœnis.

XX. *Tertio:* Nec Abrahamus, credentium pater, existimavit Deum Adami transgressionem toti humano generi imputare. Nam cum animadverteret Deum se ad Sodomæ destructionem accingere, ubi paucos adhuc bonos (id est qui nullo se eorum criminum quæ leges humanæ morte puniunt commacularant) superesse putabat, tanta severitate perculsus, sic ipsum affatur: *Absit à te ut hanc rem facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius. Absit, inquam, à te. numquid Judex universæ terræ non faciet judicium?* *Gen.* XVIII. 25. Tantopere enim propter hoc judicium non fuisset commotus, si jam persuasus in animo fuisset de peccati Adami imputatione, & Deum ob illud maximam humani generis partem æternis inferni cruciatibus adjudicasse. Pœna enim quam Deus in Sodomæos & Gomorræos exercere parabat, mera, tam horrendi decreti respectu, erat lenitas.

XXI. *Quarto:* Moses quoque & Aaron ista opinione imbuti non fuerunt, qui videntes Deum minitantem se in instanti omnes Israëlitas ob peccatum Core deleturum, exclamant & dicunt: *Deus fortis, Deus spirituum omnis carnis, unusne homo peccaverit, & adeo graviter in universum cœtum irasceris?* *Num.* XVI. 20. 21. 22. Ille tamen cœtus, quem Deus delere velle præ se ferebat, non erat innocens, sed multorum enormium peccatorum & murmurum adversus Deum reus, propter quæ exterminari meruerat. Nec ullo modo, si factum esset, ista pœna ad severitatem quæ est in imputatione peccati Adami accessisset; adeo ut ad ejus denuntiationem obstupescere par esset eos, qui talem imputationem pro fidei dogmate amplectebantur.

XXII. *Quinto:* Imputatio peccati Adami non potest consistere cum eo quod in Scriptura passim legitur: *Deum unicuique redditurum secundum ejus opera*, *Matth.* XVI. 27. *Rom.* II. 6. & alibi, *Unumquemque*

quemque proprium onus portaturum, *Galat.* VI. 5. *Oportere ut unusquisque referat propria corporis, secundum id quod fecerit, sive bonum, sive malum*, 2 *Cor.* V. v. 10. Si enim opinio ista admittatur, invertenda erunt omnia hæc pronunciata, & dicendum, Deum in ultimo judicio unicuique reproborum secundum Adami opera redditurum: unumquemque eorum Adami onus, vel secundum id quod Adamus, non vero ipse in corpore suo fecerit, portaturum. Et, si aliqui propter Adami peccatum sibi imputatum igni æterno addicerentur, dies ultimi judicii male appellaretur ἡμέρα ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας Θεοῦ, *dies revelationis justi judicii Dei*, *Rom.* II. 5. Nemo enim judicii istius æquitatem agnoscere posset: quia ratio omnibus dictat, unius peccatum, alterius peccatum non esse, præsertim nondum nati, qui ejus nec conscius, nec particeps ullo modo fuit. Et tamen certum est fore *ut omne os obstruatur coram Deo cum judicabit mundum*, *Rom.* III. 19. Aliqui hic excipiunt reprobos in ultimo die punitum iri non tantum propter Adami peccatum sibi imputatum, sed etiam ob propria quæ ipsi commiserint; & sic judicii divini æquitatem omnibus manifestam fore. Resp. 1. Istud in reprobos infantes non quadrare, qui nulla peccata actualia perpetrarunt cum ex hac vita rapiuntur, ideoque propter solum Adami peccatum damnantur. 2. Quod adultos spectat, cum credatur omnia peccata quæ perpetrant ex illo primo Adami necessario fluere, & prorsus esse irregenitis inevitabilia, eodem res redit, ac si dicerent, eos propter solum Adami peccatum æternæ mortis pœnam subituros.

XXIII. *Sexto:* Non bene convenit huic opinioni de imputatione peccati Adami omnibus ejus posteris absque exceptione, cum dogmate æternæ & absolutæ quorundam nominatim electionis ad salutem. Deus enim iis quos ab æterno ita elegit, non vult Adami peccatum imputare. Nam si imputaret, ipsos propter illud puniret, ac proinde ad electorum numerum non pertinerent, quibus nulla condemnatio est metuenda. Peccatum enim alicui imputare, nihil aliud est, quam eum idcirco punire velle, & actu punire, ut patet ex locis scripturæ, ubi hæc phrasis *imputandi peccatum*, aut ei contraria *non imputandi*, occurrit. Vide inter alia *Rom.* IV. 8. & V. 13. 2 *Corinth.* V. 19. 2 *Tim.* IV. 16. Nec vitant contradictionem dicendo, remissionem peccati, quæ electionem comitatur, ordine posteriorem esse illius imputatione. Fieri enim nequit ut Deus serio peccatum aliquod imputet, id est punire decernat, si in illo ipso æternitatis momento id remittere constituat; præsertim si absque fidei, aut pœnitentiæ, imo etiam propitiationis per Christi mortem, tanquam conditionis antecedentis intuitu, aliquos eligere, seu peccatum iis non imputare proposuerit. Quod si dixerint peccatum Adami imputari tantum reprobis, inde sequitur nullam in electis esse corruptionem originariam, siquidem illa vulgo ex imputatione derivatur; ac proinde electos immunes esse ab omnibus illis defectibus, qui corruptionem originariam sequi existimantur; ex. gr. pronitate ad malum, & imperfectione perpetua, quæ impediat, ne unquam Dei mandata in hac vita adimpleant. Quod scio illos nunquam esse admissuros: ita ut, quocunque se vertant, constricti teneantur.

XXIV. Audiamus tamen, quid pro se afferant, ne inauditos damnare videamur. Objiciunt 1. Paulum dicere, *Omnes in Adamo peccasse*, *Rom.* V. 12. Id autem de imputatione solummodo esse accipiendum; quia nulli adhuc homines nati erant cum Adamus Dei mandatum transgressus est, ut actu & reipsa peccati ipsius participes esse possent. Sed resp. Apostolum non dixisse quod ipsi tribuitur. Constructio enim non permittit ut verba ista, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, ad Adamum referantur. Nec debent verti, *In quo omnes peccaverunt*; sed, *quoniam*, aut, *quatenus omnes peccaverunt*. Quod ut appareat, totus locus hic est repræsentandus. Ita ergo legitur; Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, id est, *Propterea sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transiit, in quo*; vel, *quoniam omnes peccaverunt*. Ubi postrema verba referre ad unum illum hominem, cujus fit mentio in prima parte versus, nimis contortum est ac violentum: id enim quæ sunt interjecta non patiuntur. Nec refert quod alibi in scripturis exempla hujusmodi ὑπερβατῶν seu trajectionis inveniantur. Tunc enim solum eo confugere licet cum ex usitata constructione verborum absurdus aliquis sensus, & reliquis scripturis minus consentaneus oritur, qui vitandus est. Hic vero contrarium plane fit; ubi clara & difficultate carentia Apostoli verba ideo per trajectionem explicantur, ut inde eliciatur paradoxum omnem fidem superans, videlicet eos qui nondum erant nati cum Adamus peccavit, ac proinde in sua persona peccare non poterant, in illius persona peccavisse, & sic damnationem æternam sibi accersivisse. Plerique autem interpretes hic statuunt ἀνανταπόδοτον, id est, similitudinem imperfectam, cujus prima tantum pars propositio dicta, sit expressa; posterior vero seu redditio desideretur; quam deinde singuli ut consentaneum ipsis videtur seriei dissertationis Apostolicæ supplent: & nonnulli quidem hoc modo: Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, &c. ita per unum hominem, nempe Jesum Christum, justitia intravit in mundum, & per justitiam vita; atque ita vita in omnes fideles transiit, in quo (nempe Christo) omnes justi fuerunt: vel potius, atque ita vita in omnes homines ex eo spiritualiter per fidem rena-

tos transiit, quoniam omnes post suam conversionem Dei mandata servarunt. Nec potest negari quin hic sensus valde sit eximius, & iis quæ Apostolus in sequentibus dicit apprime conveniens: ideoque cum olim secutus sum. Sed postea, re attentius considerata, mihi visum fuit non opus esse quicquam supplere in sermone Pauli, & illi defectum tribuere quem non habeat. Sic enim totum hunc versum reddi commode posse: *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, ac per peccatum mors, ita etiam in omnes homines mors pertransiit, quoniam omnes peccaverunt.* Quemadmodum & vertit Michaël de Marolles, Abbas Villa-longanus, in docta sua & eleganti Novi Testamenti Gallica metaphrasi, *C'est pourquoy tout ainsi que par un homme le peché est entré au monde, & par le peché la mort; de mesme aussi la mort a-t-elle saisi tous les hommes, d'autant que nous avons tous peché.* Hoc pacto in verbis Pauli invenitur sensus perfectus, & qui nullo indiget supplemento; & comparatio inter Adamum & Christum, à v. 14. tantum erit inchoanda, ubi aperte memorantur. Sed oportebit unam voculam transponere, & cum scriptum sit, in medio versus, καὶ οὕτως, ita vertere quasi legeretur οὕτως καὶ, *ita etiam*; quemadmodum occurrit *Luc.* XXIV. v. 24. 1 *Thes.* IV. 14. *Jacob.* II. 26. Vel, si mavis, dicendum erit cum doctissimo Lud. de Dieu, vocem καὶ ante οὕτως more Hebræis usitatissimo abundare: cujus exemplum affert ex *Jacob.* IV. 15. ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, καὶ ζήσομεν, καὶ ποιήσομεν τοῦτο ἢ ἐκεῖνο. ubi καὶ ante ποιήσομεν omnino παρέλκει, seu redundat, & solummodo notat membrum illud esse retributivum prioris; quod apud Belgas facit particula *soo*. Ita apparebit ultimam versus partem, in qua ἀπόδοσις continetur præcedentis πρότασεως, *ita etiam in omnes homines mors transiit*, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, nullo modo, quamcunque vim adhibeas, ad Adamum posse referri; nec voculas ἐφ' ᾧ ulla cum probabilitate verti *in quo* sed necessario per *quatenus*, vel, *eo quod*, aut, *quoniam*, esse exponendas. Et ita acceperunt doctissimi quique metaphrastæ & commentatores, ut interpres Syrus & Arabs, Theodoretus, Photius, Erasmus, Calvinus, Genevenses in versione sua Gallica, Bucerus, Martyr, Piscator, aliique. Recentes etiam Belgici interpretes fatentur in notis suis ita verti posse, licet in textu aliter reddere maluerint. Et in his duobus locis, 2 *Cor.* V. 4. *Philipp.* III. 12. ἐφ' ᾧ male admodum verteretur *in quo*. Imo particulæ quoque ἐν ᾧ quamvis proprie & plerumque significent in quo; tamen *Rom.* VIII. 3. *Hebr.* II. 18. accipiuntur pro *eo quod*. Proinde si Paulus voluisset indicare omnes homines in Adamo peccavisse, non usus fuisset vocibus, quæ alium sensum ordinarie habent; sed potius dixisset, ἐν ᾧ, quemadmodum 1 *Corinth.* XV. 22. in sententia huic affini, ubi dicit, ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, in Adamo omnes moriuntur: non ἐπὶ τῷ Ἀδάμ.

XXV. Maresius dicit, *etsi illud ἐφ' ᾧ sumeretur alicubi causaliter* (pro quoniam) *debere tamen intelligi pro subjecta materia; atqui hic (Rom. V. 12.) non aliter sumi posse quam subjective* (pro, in quo,) *uti factum à Veteribus plerisque omnibus Græcis & Latinis.* Volens sic loquendo relinquere in dubio, an aliquando accipiatur causaliter; cum tamen hæc sit usitatissima significatio, & quæ fere ubique occurrit, contraque valde raro sumatur subjective, ut norunt Græcæ linguæ periti, in quo suam ignorantiam noster Doctor Academicus aperte prodit. Quod vero pro auctoritate sua addit, *non posse aliter hic sumi quam subjective*, falsissimum est, cum ita accipiendo manifesta vis fiat textui Apostolico, & sensus inde absurdus eliciatur, ut supra ostendi. Non credimus igitur ipsius simplici assertioni; imo nec ullorum veterum, qui debuissent rationem expositionis suæ reddere, ut apud nos fidem invenirent. Unde videre est quam temere in Dissertat. de vocibus Trinitatis, thes. XII. referat inter articulos absolute necessarios, credere, *omnes homines in uno* (Adamo) *peccasse*; quod tot rationibus, manifestæ falsitatis convici; & plurimis doctis viris, tam antiquis quam recentioribus, displicere ostendi; quos sic ad orcum noster Papa Groninganus damnat; quasi id sibi licitum putet, quod nunc totus propemodum orbis Christianus denegat Romano, ut quotiescunque visum erit novos & antea inauditos fidei articulos cudat, aliisque credendos sub anathematis pœna præcipiat. Reliqua ad hoc testimonium pertinentia, commodius expendentur infra, ubi de corruptione originaria agemus.

XXVI. Objiciunt 2. Adamum repræsentasse personam totius generis humani, quod ex ejus lumbis ortum est; ideoque cum peccavit, perinde fuisse ac si omnes homines simul cum ipso peccavissent. Quod illustratur exemplo Levi, de quo Apostolus scribit *Hebr.* VII. 9. eum decimatum fuisse in Abraham proavo suo, cum Abraham Melchisedecho decimas prædæ ex hostibus reportatæ persolvit; propterea, quod erat adhuc in lumbis patris sui, quando ipsi obviam factus est Melchisedech. Resp. Adamum non aliter repræsentavisse totius humani generis personam, quam alicujus stirpis caput eorum, qui ex ipso descendunt, personam repræsentat: ex. gr. Israël Israëlitarum, Edom Idumæorum. Si ergo Israëlis peccata omnibus Israëlitis, aut Edomi omnibus Idumæis imputata non fuerunt propter ejusmodi repræsentationem, id etiam de peccato Adami absque ullo Scripturæ testimonio comminisci non licet.

XXVII. Maresius dicit; *Longe diversam esse rationem; quia Adam totum genus humanum in se seminaliter complectebatur; cætera stirpium capita partem tantum illius.* Sed tum demum diversa foret ratio, si quis diceret Israëlis aut Edomi peccata toti humano generi imputari, quum pars tantum

tum

tum exigua illius ab eis descenderet. Sed nihil magis simile fingi potest, quam si dicas, Sicut Adam se habuit ad universum genus humanum, quod ex ipso descendit, ita Israel & Edom ad illam partem, quæ ab ipsis ortum duxit. Pergit: *Comminatio facta Adamo omnes ejus posteros absolute involvebat, prout ad ipsos beneficia, quæ erat consecutus, fuissent certo derivanda, juxta pactum cum illo divinitus initum. Sed cætera capita stirpium non absolute posteris suis peccant, sed conditionaliter & secundum quid, proprie vero sibi tantum, non aliis; prout sibi tantum acceperunt beneficia, quæ corrumpuntur in ipsorum manibus, ut minus necesse sit eorum peccata singulis suis posteris imputari, licet & id non raro justo Dei judicio contingat.* Multa hic affirmat noster Doctor, sed ne minimum quidem apicem probat. Nec id miror. Quam enim rationem dare posset, cur Adamus absolute quidem humano generi peccarit, cætera vero stirpium capita conditionate tantum suis posteris? Nonne contrarium potius verum est, magis nocere liberis parentum aut avorum peccata, quorum pœnis aliquando involvantur, quam majorum ab ipsis remotiorum, quibus inflictæ plagæ vix unquam ad eos perveniunt?

XXVIII. Resp. 2. Totum genus humanum erat etiam in lumbis Adami, cum pœnitentiam egit sui peccati, & Deus eum in gratiam recepit. Nolunt autem pœnitentiam ejus imputari posteris: sic enim nullus esset reprobus in communi lapsu consideratus. Cur ergo potius imputaretur peccatum? Maresius dicit: *Cum status quo excidit naturalis fuerit, omnes implicuit ejus lapsus; sed ad omnes non debuit pertinere ejus restitutio, quæ supernaturalis fuit & gratuita, atque quodammodo personalis, & à qua semen serpentis (quo nomine improbi & reprobi sunt intelligendi) expresse removetur.* Concedo. excludantur sane ab ea quæ Adamo contigit restitutione impœnitentes, quod sint serpentis semen. Nemo eorum causæ patrocinatur. Sed cur Deus non æque pœnitentiæ gratiam offerret ejus posteris nondum natis cum ederet de fructu vetito, atque ipsi qui vere & proprie peccavit? An distinctio inter statum naturalem & gratiam supernaturalem, facit ut æquum sit, eos qui imputatione sola nocentes sunt, rigidius vere nocentibus plectere? Præterea cum transgressio Adami dicatur præcipitasse ipsius liberos ex statu naturali in miseriam supernaturalem, (nam ignis inferorum inextinguibilis est miraculosus, & naturæ vires superat) cur ejus pœnitentia non eos quoque in gratiam supernaturalem restituere posset?

XXIX. Resp. 3. Unus quidem alterius personam in judicio repræsentare aliquando potest, ut tutor pupilli, procurator clientis, & tunc repræsentantis actiones repræsentato imputantur. Sed tamen pupillus non tenetur tutoris sui actionibus, quando aliquid in ipsius præjudicium fecit; nec cliens procuratoris, si is limites sibi præscriptos excesserit. Nullus autem Adami posterorum hoc ei in mandatis dedit, ut quicquam pro se sive boni sive mali faceret; proinde neque quispiam eorum tenetur ipsius peccato, tanquam suo, ut propterea tanto damno, quale est damnatio æterna, sit obnoxius; neque credibile est Deum rigidius in hac causa cum hominibus agere, quam leges humanæ solent erga liberos, ratione debitorum à patribus suis contractorum. Nam cum hæreditati paternæ renuntiant, obligati non sunt amplius ad solvendum eorum debita. Nemo autem est, qui non libentissime hæreditati Adami renuntiet, qui innocentia, quam ad nos transmissurus fuisset, decocta, nihil nobis præter miserias reliquit. Ideoque nullam habemus metuendi causam ne Deus æquissimus à nobis debita ejus reposcere velit.

XXX. Resp. 4. Quod Levi in Abrahamo decimatus fuisse dicitur, figurata est & impropria locutio, ut Apostolus ipse innuit, cum utitur hac præmollitione, ὡς ἔπος εἰπεῖν, id est, ut ita loquar. Ideoque nullas vires habet ad ostendendum quemquam in majoribus suis aut in Adamo peccare posse. Ut prætercam quod alia plane sit decimationis quam peccati ratio. In decimatione enim passiva, non est opus ut voluntas ejus, qui decimatur, interveniat. Sufficit si decima sumatur ex bonis, quæ aliquando ad ipsum jure hæreditatis reditura sunt. Sed peccatum absque propria ejus cui tribuitur voluntate, aut saltem notitia, concipi non potest; & nunquam in mera passione, cui nihil plane actionis admixtum sit, consistit. Maresius respondet: *Et proprie decimatus fuit Levi in lumbis Abrahæ, licet ipse nondum actu & personaliter existeret, quo spectat emollitio Apostolica: & proprie peccavimus omnes in Adamo, in quo seminaliter eramus. Nec illud ὡς ἔπος εἰπεῖν, indicat Paulum loqui figurate & tropice; sed velle se uno verbo, subtili & novo, totam difficultatem exhaurire.* Sed etiamsi non diffitear hanc phrasin ὡς ἔπος εἰπεῖν, interdum significare, *ut verbo dicam*; nimirum cum aliquis obiter vult attingere, quod alias prolixiorem tractationem requireret; tamen hoc loco non potest ita accipi, quia res de qua agebat Apostolus non erat tanti, ut in ea diutius immorari ipsum deceret. Quis autem non obstupescat videns Maresium tam confidenter affirmare, Levi *proprie* fuisse decimatum in lumbis Abrahæ, & nos omnes *proprie* peccavisse in Adamo; cum evidens sit nullam propriam actionem aut passionem eis, qui nondum sunt, competere? nonne istud est hominis, qui proposuit nunquam veritati cedere, etiamsi clarior ipsi quam sol meridie affulgeret? sed sit cæcus, quandoquidem vult esse: non effodiet aliis oculos ut non animadvertant id, quod ipse adeo pervicaciter intueri recusat. Urgeat ergo quantum volet verba Apostoli, nihil aliud ad summum inde eliciet, quam per tropum valde durum dici posse, nos in Adamo peccavisse,

ſicut Levi tropice in Abrahamo decimatus fuit. Tropicum autem peccatum pœnam proprie dictam non meretur. Omnis enim pœna peccato proportionata eſſe debet. Nulla eſt autem proportio inter pœnam proprie dictam, quam aliquis in corpore ſuo ſentit, & peccatum improprie appellatum, atque in aliena perſona commiſſum. Sed ut juſta inter iſta ſervaretur proportio, oporteret ut quemadmodum peccatum eſt figurate dictum, & in alio perpetratum, ita figurate tantum & in alieno corpore plecteretur. Mareſius addit: *Sed etſi dixero per fictionem juris & nos omnes in Adamo peccaſſe, & Levi in Abrahamo decimatum fuiſſe, nihil decedet huic cauſæ. Notum enim eſt juris fictionem, eo quod naturam imitetur, tantum operari, quantum ipſam veritatem; ut in adoptionibus, legitimationibus, naturalizationibus, & ſexcentis ejuſm di obſervant juriſconſulti. Et cum jure fingatur eum, qui adhuc in utero eſt, jam eſſe in rerum natura*, Inſtitut. de Tutel. § 4. & ff. lib. 7. de ſtatu hominis; *cur non potuerint in Adamo conſiderari omnes omnino homines jam exiſtentes, eo quod erant ex illo per generationem certo prodituri?* Sed egregie juriſconſulte, ubinam unquam legiſti iſtam juris fictionem locum habere in ſuppliciis; ita ut aliquis morti addicatur, quia per juris fictionem reus cenſetur? contra inquiunt Impp. Arcadius & Honorius; *Peccata ſuos teneant authores; nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum*, Cod. lib. IX. tit. 47. de pœnis. & ante eos Antoninus Philoſophus & Verus; *Crimen vel pœna paterna, nullam maculam filio infligere poteſt. Namque unuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur*, Digeſt. lib. 48. tit. 19 de pœnis, l. 26. Juris fictio pro ſcopo habet alterius commodum. Nam cum infans, qui adhuc in utero eſt, fingitur jam eſſe in rerum natura, id fit ne excidat hæreditate paterna, quæ ad eum legitime pertinet. Tu vero barbare leguleje, iſtud vis ad æterni ignis ſupplicium, contra Dei & naturæ leges, extendi; ut qui non eſt revera reus, ſed tantum fingitur eſſe, illi propter ejuſmodi fictionem adjudicetur. Et hæc de primi Adami peccati imputatione.

XXXI. Tertia peccati originalis definitio, ſive (ut alii malunt) altera ſecundæ definitionis pars, eſt, quod ſit hæreditaria intellectus, voluntatis, omniumque animæ facultatum, à primo Adami peccato orta corruptio, qua omnes homines naturaliter ab illo propagati, ſunt proclives ad omne malum, & inutiles ad omne bonum, conſequenterque morte & damnatione æterna ſecundum Dei judicium digni. Ad quam examinandam antequam accedam, duo præmonebo. *Primo*, in nobis quidem eſſe cum naſcimur ſemina quædam vitiorum, aut inclinationes ad peccandum; ſed eas non tam oriri ex primo Adami peccato, quam ex propioribus noſtris parentibus; ex quorum ſanguine corpus noſtrum formatum eſt. Nam homines, qui peccatis indulgendo naturam ſuam corruperunt, iſtius corruptionis ſemina in alios ex poſteris proprie non tranſmittunt, quam ſibi proximos, ut filios, nepotes, aut pronepotes; licet non ſemper aut neceſſario: cum ſæpe liberi valde diverſæ à parentibus ſint indolis, & aliquando meliores, aliquando vero deteriores illis. Nam ſi corruptio iſta, ſeu propenſio ad peccandum, ab unico Adami peccato proveniret, æqualis eſſet in omnibus; cum tamen experientia doceat eam pro temperamentorum diverſitate in aliis vehementiorem, in aliis vero minus vehementem eſſe. *Secundo*, inclinationes ad malum in infantibus non ſunt vera peccata, quæ ipſos Deo odioſos reddant, imo neque in adultis, qui eis reſiſtunt; ſed tantum naturæ infirmitates, ſeu defectus, ut recte docet Zwinglius in confeſſione ſua ad Carolum V. Imperatorem, anno 1530. Auguſtam miſſa. Quæ duo quantum à ſe invicem diſtent, inde apparet, quod vera & proprie dicta peccata liberum voluntatis aſſenſum requirant, ut poſtea fuſius oſtendam: morbi autem & infirmitates nobis etiam invitis ineſſe poſſint. Summatim, nullum eſt in nobis cum naſcimur verum & proprie dictum peccatum, qualia ſunt, quæ Deus in lege veteri aut nova prohibet, cuique proinde ita iraſcatur, ut vel propter illud ſolum pleroſque mortalium à gratia ſua abſolute excludere, & poſtea ignis æterni pœnam abſque miſericordia eis infligere decreverit. Quod ſequentibus argumentis oſtendo.

XXXII. *Primum:* Deus corruptionem iſtam originalem nuſquam prohibuit, imo ne quidem prohibere potuit. Eam igitur non habet pro vero & indignatione ſua digno peccato. Conſequentia patet. Nam peccatum eſt legis divinæ tranſgreſſio; ideoque ubi nulla eſt tranſgreſſio, ibi neque peccatum eſſe poteſt. Antecedens vero non eſt minus manifeſtum: nempe, 1. Deum originis peccatum non prohibuiſſe. Nullum enim ejuſmodi prohibitionis veſtigium occurrit in univerſo Bibliorum volumine. Nec etiam lex naturæ, ab ortu cordibus hominum inſcripta, peccatum originale damnat, quemadmodum certum eſt eam damnare cædes, adulteria, rapinas, & alia id genus. Unde neminem eſſe credo qui morſum conſcientiæ accuſantis inde ſentiat, quod olim in Adamo peccaverit, aut ab eo labem originariam contraxerit. Quamvis enim iſta hyperbolice & valde pathetice exaggerent Theologi, in animos auditorum non penetrant. 2. Nulla ipſum lege à Deo prohiberi potuiſſe. Cui enim iſtam legem dediſſet? Num embryoni, qui primum in utero materno formari incipit? at iſtud ridiculum eſt. Embryo enim nullius adhuc legis eſt capax. Num parentibus? At ſic matrimonium, cujus ipſe eſt inſtitutor, damnaſſet.

Quidam dicunt Deum originis peccatum in Adamo prohibuiſſe. Ubi quæſo? oſtendant nobis locum. Nihil enim aliud ipſi interdictum legimus à Deo, niſi ut ex arbore ſcientiæ boni & mali

mali non ederet. Imo fac talem alicubi extare prohibitionem: ea hominibus antequam nascerentur notificanda fuisset, ne in eam impingerent. Nimis enim ferum est eam notificare postquam in corruptione concepti & nati jam sunt. At istud fieri non potuit. Alii excipiunt etiamsi lex Dei non vetet expresse peccatum originis, damnare tamen ipsum, & supponere nos ab eo debere esse immunes, contraque justitia originali, cum qua Adamus conditus est, indutos. Sed istud nihil est, nisi merum effugium. Nusquam enim lex divina corruptionem originalem damnat, sed illam tantum, quam homines scientes & volentes assuetudine peccandi accersunt. Et Deus non præsupponit nos meliores aut perfectiores nasci debere, quam ipse nos secundum naturæ ordinem nasci procuret. Nam quomodo præsupponeret id, quod non posse fieri optime sciret. Adde quod simplex præsuppositio non habeat vim legis, ut quemquam pœnæ obnoxium reddat. Veluti si rex præsupponeret contra veritatem, me centum aureorum millia possidere, & inde turmam equitum ipsi instruere teneri, non essem supplicio dignus si non præstarem.

XXXIII. *Secundum*: Omne verum & proprie dictum peccatum, quod gravem pœnam mereri censetur, à sciente & volente committi, & evitabile esse debet. Sed talis non est corruptio originaria, cui nos jam ab utero matrum implicari dicunt. Ergo ea non est verum & proprie dictum peccatum, quod Deus igne infernali ulcisci decreverit. Major hujus syllogismi propositio adeo manifestæ est veritatis, ut communi totius mundi, si paucos tantum sophistas exceperis, consensu sit approbata. Nemo se unquam peccati reum censuit, nemo alium pœna dignum pronuntiavit, nisi ob voluntariam & evitabilem culpam. Ita docuerunt semper Philosophi; ita judicarunt quoque legum latores, qui nullas pœnas adversus ea, quæ invite facta sunt constituerunt, & pueros atque amentes, quamvis cædem patrassent, supplicio propter defectum rationis exemerunt. Eademque fuit mens divinæ legis. Nam cum Deus adeo severe prohibuisset homicidia, ut etiam ab altari suo avelli, & ad supplicium trahi vellet eum qui data opera aliquem interemisset, *Exod.* XXI. 12. 14. tamen asyla constituit, in quæ confugere possent, & secure habitare, qui per imprudentiam, absque ullo animi proposito proximi sanguine se commaculassent, *Numer.* XXXV. 10. & seqq. Minor quoque est evidens, & probatione non indiget. Embryo enim in matris utero adhuc existens; (unde corruptionis originariæ initium arcessunt) omni cognitione & voluntate est destitutus; & impedire non potest quo minus corpus suum ex corrupto sanguine & ad vitia prono, formetur.

XXXIV. His tamen non acquiescunt peccati originalis defensores, sed varias quærunt rimas quibus elabantur. Quidam enim dicunt majorem non esse universaliter veram; quia peccatum non oporteat æstimare ex hominis id committentis voluntate, sed ex Dei lege; cui quicquid repugnat est *ἀνομία*: omnis autem *ἀνομία*, seu legis transgressio, sive voluntaria & evitabilis, sive non, sit peccatum, 1 *Joan.* III. 4. Sed ex modo dictis patet hanc exceptionem nullius esse momenti. Nam 1. omnino est de veri peccati & pœna digni essentia, ut sit voluntarium, & evitabile; cum id lex tum naturæ, omnium cordibus inscripta, tum per Mosem lata, aperte doceat. 2. Nulla cum specie dicitur corruptionem naturalem esse legis transgressionem; cum (ut supra ostendi) Scriptura nusquam illam prohibeat, imo nequidem prohibere possit. Fac enim quamlibet legis transgressionem, etiam plane involuntariam & inevitabilem, esse peccatum; tamen ubi nulla est lex, neque esse potest, transgressio quoque locum non habet.

XXXV. Maresius objicit peccata quæ dicuntur ignorantiæ & incogitantiæ, & primos concupiscentiæ motus qui deliberationem & voluntatis consensum præcedunt, peccatis annumerari, ut liqueat ex *Roman.* VII. 19. Resp. 1. Hæc nullam plane cum peccato originis affinitatem habere, ideoque ineptissime ad illud probandum allegari. Nam qui per ignorantiam aut incogitantiam peccant, saltem norunt se aliquid agere, & officii sui esse ad vias suas diligenter attendere, ne alicubi labantur: quod in embryonem non cadit. 2. In ignorantia invincibili, cum aliquis ignorat id quod nosse non potest, non est peccatum: sed tantum in affectata aut supina, cum eam quam possemus diligentiam non adhibemus, ad ea quæ officii nostri sunt cognoscendum. Ut significat Christus, quando de Judæis, qui in se non credebant, dicit, *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, &c. *Joan.* XV. 22, 23. 24. nempe istud incredulitatis, quod ipsis exprobrat. 3. Peccata incogitantiæ non sunt inevitabilia, & plane involuntaria. Plerumque enim in ea labimur ex nimia attentione ad id quod non oporteret; ut cum lusor aleæ intentus non cogitat de tempore concionis sacræ, cui debet interesse. Idem etiam probatur ex eo, quod nunquam obrepat oblivio rerum quæ nobis valde cordi sunt, v. gr. litis magni momenti judici commendandæ: sed tantum earum quas non admodum curamus, ut Deum orandi, pauperi benefaciendi, & similium. 4. Primos concupiscentiæ motus, quibus assensum non præbet voluntas, dicunt quidem esse peccata; sed scriptura ita de illis non judicat. Jacobus enim ostendere volens quomodo homines peccato inquinari soleant dicit; *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem*, *Jacob.* I. 14. 15. sic innuens non tantum concupiscentiam absque peccato esse posse; sed

etiam

etiam Deum omne peccatum quod homines animo meditati sunt nolle morte plectere, etiamsi juste posset; verum illud solum quod consummatum atque perfectum est. Unde Josephus, attendens potius ad hanc consuetam Dei misericordiam, quam ad peccati meritum, dicebat, Antiquit. Judaic. lib. XII. cap. 13. *Voluisse tantum, nec non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio.*

XXXVI. 5. Magna est negligentia Maresii in citanda Scriptura, cum dicit liquere ex *Rom.* VII. *v.* 19. primos motus concupiscentiæ debere peccatis annumerari. Verba enim quæ ibi habentur, *Non facio bonum quod volo, sed malum quod nolo hoc ago*; non agunt de primis concupiscentiæ motibus, qui deliberationem & voluntatis consensum præcedunt; sed de rebus diu multumque animo agitatis. Nec etiam iste locus quicquam facit ad probandum peccatum absque cognitione esse posse. Quod enim aliquis vult, aut non vult positive, seu à quo abhorret, necesse est ut id aliquo modo cognoscat. Nam sicut ignoti nulla est cupido, ita neque aversatio. Infantes autem nondum nati, omni prorsus cognitione destituti sunt, & de iis dici nequit, ipsos non facere bonum quod volunt, sed malum quod nolunt agere. Denique Paulus non significat hic se involuntarie peccare; scopus ejus solum est ostendere quænam lucta sit inter mentem & affectus, in iis qui legem Dei quidem norunt & approbant, sed per Christi Spiritum nondum sunt regeniti. Quando enim sedato animo perpendunt, quid Deus in lege sua jubeat aut prohibeat, est in illis aliqua voluntas se ad eam componendi, seu bonum quod præcipit faciendi, & à malo quod vetat abstinendi. Sed postea cum tentatio urget, & occasio cupiditatem explendi se offert, præcedentis voluntatis obliti novam induunt; & id quod suadet præsens affectus exsequuntur. Mens igitur Apostoli dicentis, *Non facio bonum quod volo,* &c. est hæc; Etiamsi cum respicio ad Dei legem, & tanquam bonam & sanctam approbo, cupiam ei parere; tamen postea peccati illecebris inescatus, bonum quod facere proposueram non ago; sed contra, in malum à quo abhorrebam, mutata voluntate feror. Et sic nihil aliud nisi voluntatis suæ in bono inconstantiam significat, quod cum statuisset bonum facere, & malum fugere, deinde à proposito discedens contrarium agat. Non dicit ergo, ut forte opinatur Maresius, se agere contra voluntatem quam tunc habebat cum se ad aliquam actionem accingebat. Id enim impossibile prorsus erat; quandoquidem voluntas est principium proximum omnium actionum humanarum, unde proficiscitur quicquid agimus, nisi forte aliqua vis externa nos cogat. Sed in hoc casu non agimus proprie, sed inviti patimur.

XXXVII. Maresius etiam excipit ad illud quod dixi, neque humanas neque divinas leges punire actiones involuntarias, aut ea quæ peccant pueri & amentes. 1. *A foro humano ad divinum non licere argumentari. Nulli pœnæ olim subjacebant in foro humano qui divertebant à suis uxoribus, aut primæ alias superinducebant; non tamen erant extra culpam apud Deum,* Malach. II. 14. 15. 16. *Idem statuo de homicidio fortuito, nec non iis quæ peccant amentes & furiosi; quæ non video cur magis apud Deum omni labe & culpa careant; quam naturæ pollutiones & ἐξονειρωγμοὶ quibus suam inesse culpam apud Deum, sacrificia & purificationes ideo in lege instituta satis indicant. 2. Dato etiam, carere peccato personali & proprio, qui carent mente aut dolo malo, inde tamen non sequetur carere peccato naturali & communi, tum amentes tum infantes naturaliter propagatos ab Adamo, in quo omnes peccarunt & reatum mortis contraxerunt.* Sed crassa Professoris hujus ignorantia se in omnibus istis aperte prodit. 1. In eo quod forum humanum vocat judicia quæ inter Israëlitas secundum Dei legem exercebantur; cum tamen revera essent Dei forum, licet in eo sederent homines, & de rebus tantum externis judicarent. Unde Josaphat judicibus à se constitutis dicebat, 2 *Paralip.* XIX. 6. *Non hominis exercetis judicium, sed Domini.* 2. Cum putat nullos eorum qui à suis uxoribus divertebant, aut primæ alias superinducebant, extra culpam fuisse apud Deum. Quamvis enim fatear multos in isto negotio peccasse, plus sibi quam lex permitteret indulgendo; quales apud Malachiam reprehenduntur: alii tamen qui se intra præscriptos terminos continebant, involvi culpa nequeunt, præsertim gravi, & quæ æternam damnationem afferret; quin dicatur Deus illis laqueum tetendisse spondendo impunitatem in hac vita, quasi nihil peccarent, cum tamen in altera severe ulcisci decrevisset. 3. Cum dicit, homicidia fortuita, & ea quæ peccant amentes & furiosi, non magis apud Deum omni labe & culpa carere, quam nocturnas pollutiones, quibus suam inesse culpam apud Deum sacrificia & purificationes ideo institutæ doceant. Nocturnæ enim pollutiones, nisi forte aliquis eas lascivia sua accersiverit, sunt tantum labes physicæ & ceremoniales, quibus Deus non offenditur, sed tum demum transibant in peccata, cum purificationes in lege præscriptæ negligebantur. Ut apparet in Nazaræo qui polluebatur si quispiam subito coram eo mortuus fuisset, & sacrificium offerre debebat pro sui purificatione, alias reus futurus. Quis enim verum peccatum esse dixerit, quod Deus pœna gehennæ dignum judicet, fortuito attingere cadaver hominis? 4. Cum dato amentes & infantes carere peccato personali & proprio, asserit inde non sequi eos carere peccato naturali & communi. De hoc enim non quæritur inter nos. Sed an istud improprie dictum peccatum, quod naturale & commune vocat, apud Deum præponderet personali & proprio, in quod interdum infantes & amentes labuntur, committendo, licet absque vera cognitione & voluntate, nonnulla

quæ

quæ Deus in sua lege prohibuit. Nihil enim magis absurdum est, quam statuere Deum ad peccata infantium & amentium; in quibus saltem tenuis est umbra cognitionis & voluntatis, connivere, & peccatum naturale & commune, quo nescientes in utero materno imbuti sunt, tam grave ducere, ut damnatione æterna punire velit. Et hæc de argumenti nostri majori propositione.

XXXVIII. Alii minorem negant,& labem originariam voluntariam esse dicunt, idque duplici nomine. 1. Respectu stirpis seu Adami,qui non solum suam,sed etiam posterorum personam sustinens, tam pro illis quam pro se scienter & voluntarie peccavit, & peccando universam humanam naturam corrupit atque infecit. 2. Respectu subjecti proprii, seu voluntatis cui inhæret, quæ ad peccandum proclivis est, etiam in recens natis infantibus. Sed quod ad primum attinet, jam ante explicavi quomodo Adamus nostram personam sustinuerit aut non sustinuerit; & ostendi inde non sequi, nos peccati quod admisit revera esse participes; saltem non magis quam resipiscentiæ qua postea illud deflevit, &, quantum in se erat, emendavit. Absurde etiam dicitur ipsum voluntarie pro suis posteris peccasse. Voluntas enim Adami, non fuit posterorum ejus voluntas, qui in peccatum ab eo admissum nec consenserunt, nec consentire potuerunt. Nihil quoque minus cogitavit,quam eos peccato quod perpetrabat, inficere. Imo si, ut ἄστοργος & affectu naturali in prolem destitutus parens id in animo habuisset, non deberet tamen ipsis,tunc nondum existentibus, cum in eorum injuriam cedat, imputari. Quin etiam Adamus seipsum non ita corrupit, ut postea ad malum tantum pronus & ad omne bonum inutilis sit redditus; in quo labis originariæ naturam collocant. Sicut enim una hirundo non facit ver, ita neque una actio habitum parit, præsertim adeo profunde radicatum, ut nulla ratione exui possit,& omnem aliud quam ad quod vergit agendi potestatem tollat. Nulli habitus, quantumvis inveterati, talem vim habent. Cur ergo iste potius quam alii? ex quo principio id statuitur? Difficile quidem est contrarium ejus, ad quod habitus impellit, facere; sed non omnino impossibile: alioqui habitus semel acquisitus indelebilis esset: quod ratio & experientia falsi arguunt. Nam quemadmodum mali habitus, sensim male agendo acquiruntur; ita quoque sensim, à malo abstinendo, & bene agendo, deponuntur; modo quis iis obniti, & sibi vim facere non recuset. Sic aliquando videmus accidere, ut vitiis immersi nuncium illis mittant, & ad meliorem frugem convertantur. Phædonem olim Socrates ex meritoria taberna, & Polemonem Xenocrates à dissoluta & intemperante vita, ad honesti amorem & Philosophiam traduxerant, ut dicit Origenes lib. III. contra Celsum Epicureum, qui malos nequidem pœnis sanari posse putabat. Nec quicquam prohibuit quo minus alii multi idem insisterent iter, nisi voluntaria & evitabilis improbitas. Ad alterum respondeo; Proclivitatem ad peccandum quæ in hominibus ab infantia conspicitur, non arguere peccatum quod dicitur originis esse voluntarium. Nam illa ordinarie procedit ex corrupto temperamento. Unde fit ut biliosi ad iram, sanguinei ad libidinem, melancholici ad metum, pituitosi ad ignaviam sint propensi; & absque vera peccandi voluntate esse potest, sicut ante rationis usum exerere se incipit. Nec Deum offendit ejusmodi propensio, quamdiu consensus ei non præbetur; imo virtutem illustriorem reddit, si generose resistatur. Majoris enim est virtutis tentationi peccati non cedere, quam se purum ab eo nulla urgente tentatione conservare. Ab ista etiam pronitate non fuerunt plane immunes protoplasti ante lapsum; alioqui non potuissent ad peccandum sollicitari. Unde Moses de Eva dicit, eam *vidisse quod bonum esset lignum* (scientiæ boni & mali) *ad vescendum, & pulcrum oculis, aspectuque desiderabile*, antequam ex eo decerperet, *Genes.* III. 6. Præterea notandum est eas quæ in infantibus ante rationis usum animadvertuntur propensiones, non esse ad peccatum proprie & formaliter ita dictum; sed tantum ad consequendum res carni jucundas, aut repellendum injucundas. In iis autem non est peccatum, nisi quando exorbitant; nec antequam ratio aut lex divina dictet esse compescendas: ut apparet inde; quod eædem inclinationes reperiantur in brutis, & tamen pro peccatis non habeantur; nempe quia ratione sunt destituta, & lex illis non est posita. In hoc vero tenelli infantes paris sunt cum brutis conditionis; imo etiam ad tempus, disciplinæ quam brutorum nonnulla incapaciores.

XXXIX. *Tertium:* Scriptura passim indicat nullam in infantibus corruptionem esse, quæ veri & proprie dicti peccati rationem habeat, eosque Deo exosos reddat. Ex. gr. cum dicit, parvulos Israelitarum ignorasse quid discriminis esset inter bonum & malum, *Deuter.* I. 39. Sanguinem infantium esse innocentem, *Psalm.* CVI. v. 38. Jacobum & Esavum, cum essent in utero materno,nihil adhuc boni aut mali egisse, *Rom* IX. v. 11. Vide etiam *Matth.* XVIII. 2. 3. & XIX. 14. 1 *Corinth.* XIV. 20. Nec valet responsio, hæc loca de peccatis actualibus esse intelligenda, quorum infantes non sunt capaces, non vero de originali,quo infecti sunt ab utero. Prius enim oporteret demonstravisse dari aliqua vera peccata,quæ non sint actualia, quam ejusmodi exceptio admitteretur.

XL. *Quartum:* Dogma istud falsitatis suspectum reddit, quod capi nequeat quomodo peccatum originis à parentibus in prolem transeat. Quicquid enim statueris de ratione qua propagatur, necesse est ut inextricabilibus te difficultatibus implices. Non transit à parentibus in

animam liberorum; quia animæ à Deo immediate creari vulgo putantur, ac proinde ab omni peccati labe esse immunes. Quidam dicunt Deum eas quidem non creare peccatrices, quod ab ipsius justitia & sanctitate foret alienum; sed tamen non donare justitia originali, qua Adamus fuit præditus; quia Adamus illam sibi & posteris peccando amisit; & animas freno isto destitutas, postea in omne peccati genus ruere. Sed istius justitiæ commentum jam ante satis redarguimus. Et posito aliquam talem fuisse, non sequetur absque ea peccatum esse inevitabile; alias Deus ejus foret causa, non suppeditando auxilium ad illud vitandum necessarium. Præterea, homines non essent peccatores ab utero, sed evaderent demum post nativitatem. Quod est adversus doctrinæ de peccato originis principia. Si vero dicere malis, animas infantium vitiosas traduci ex parentum animabus vitiosis, redibunt eædem difficultates, quas supra in argumento primo, & secundo proposui; nempe quod peccatum originis à Deo nec prohibitum fuerit, nec prohiberi potuerit, & quod non sit voluntarium, atque evitabile, ut omne verum peccatum esse debet. Neque etiam ista corruptio à parentibus in liberos per corpus transmittitur. Nam corpus anima destitutum nihil aliud est nisi truncus iners, & non magis quam lignum aut lapis peccati capax. Unde sequitur etiam, animam, si Deus eam creavisset puram, non posse infici à corpore impuro: corpus enim infectionem, quam non habet, alteri communicare nequit. Præterea anima inquinaretur à corpore, aut volens, aut nolens: Sed neutrum possibile est. Nam si dicas, volens; explica igitur quomodo embryo, qui nihil adhuc intelligit, alicujus voluntatis capax sit. Si vero dixeris nolens & invita, ostende, quomodo id esset vere peccatum, cum nullum peccatum consistat im mera passione. Quare ineptum est quod vulgo dictitant, quemadmodum leprosi liberos leprosos procreant, ita etiam peccato inquinati peccatores gignunt. Non enim eadem est peccatorum, quæ morborum corporis ratio. Nam in morbos homines aliquando incidunt non tantum inscii, sed etiam inviti; quod de peccato dicere absurdissimum foret. Nihil igitur aliud superest, nisi ut Deus statuatur corruptionis originalis autor, qui primum Adami peccatum hominibus imputet ad hunc effectum, ut pravi omnes nascantur: Quod etiam nonnulli apertis verbis profiteri non metuunt.

XLI. Nunc videamus quid in contrarium asseratur, sive ex Scriptura, sive ex ratione. Et quia locus Roman. v. primarius est inter cæteros tam Veteris, quam Novi Testamenti, & jam aliqua ejus pars est supra exposita, ab illo initium faciamus.

Primo igitur dicunt, *Peccatum, quod per unum hominem intravit in mundum*, Roman. v. 12. esse corruptionem originalem in omnes homines à primo Adami peccato derivatam, quæ infantes jam à matrum utero Deo exosos, & igne gehennæ dignos reddat: Sed, est-ne verisimile Paulum, si rem tam miram significare voluisset, de qua Gentiles nihil adhuc audiverant, adeo obscure locuturum fuisse, ut divinatione opus foret ad mentem ejus percipiendam? Nam spondere audeo, si codex tradatur legendus hominibus nondum hac persuasione imbutis, è mille nequidem unum inventum iri, qui ita interpretetur. Præsertim cum horum verborum, *per unum hominem peccatum intravit in mundum*, sensus adeo sit clarus, ut vix possit magis: nempe, unum hominem (Adamum) peccandi initium fecisse, & aliis exemplo suo ad contemnenda Dei mandata præivisse. Adde, quod hic peccatum sit intelligendum per quod mors intravit in mundum: non intravit autem per originale, sed per actuale Adami, quo perpetrando statim morti obnoxius fuit. Deinde series orationis Paulinæ opinionem istam refellit. Nam si de peccato originis loqui proposuisset, non dixisset, *peccatum erat in mundo usque ad legem, vers.* 13. &, *mortem* (quæ illius est pœna) *regnavisse ab Adamo usque ad Mosem, vers.* 14. cum vulgo credatur hoc peccatum, non minus quam mortem, ab initio mundi usque ad finem regnare, & in omnes, qui ex Adamo naturali via propagantur, absque ulla exceptione pertransire. Quid ergo, inquies, sibi vult hæc restrictio, *ab Adamo usque ad Mosem*, & *usque ad legem?* aliquis-ne ex adultis, qui post Mosis tempora & sub lege vixerunt, inventus est à peccato immunis, & qui non sit mortuus? Resp. Nemo. Sed Apostolus ita locutus est, ut collationem instituere posset inter primum Adamum, qui mortis omnibus suis posteris est causa; & secundum, qui suis est auctor vitæ; quemadmodum significat *vers.* 14. dicens de Adamo, *eum esse typum*, seu, *figuram venturi*, nempe, Jesu Christi, ut in sequentibus expresse docetur. Similitudo autem, quæ est inter utrumque in duobus hisce summatim consistit. 1. Sicut peccatum introivit in mundum per unum hominem; videl. Adamum, qui primus Dei mandatum transgressus est, & per peccatum mors, quam Deus voluit esse peccati stipendium; ita justitia in mundum intravit per unum hominem, nempe Jesum Christum, qui primus Dei mandatis perfecte obediit; & per justitiam vita æterna, quam Deus ex mera gratia justitiæ mercedem esse constituit. 2. Quemadmodum mors regnavit in eos omnes qui ab Adamo usque ad Mosem vixerunt, eo quod ex Adamo prognati essent, qui propter peccatum obnoxius morti factus erat, etiamsi tanti criminis rei non forent atque ille, qui contra expressum Dei mandatum, & mortis comminatione sancitum, peccaverat; aut illi qui vixerunt à tempore Mosis, per quem Deus legem Israëlitis dedit; adeo ut homines, qui

'qui primis istis
Adami transg
morti vide
lex, ibi ne
non imp
opposi
spirit ,
etian m
Deo onem
suan am sæpe
adhuc potius ob
Christ m Patri in
cruce ex ccata expian-
dum, just uam propriam,
quæ rigide aminata, hoc no-
mine indign

XLII. Apostolus illic interji-
cit, *mortem et* *in eos qui non peccaverant*
in similitudinem *nis Adami*; non debet in-
telligi, nec de p originali infantium, nec
de morte cui sunt obnoxii. Cum enim antea de isto peccato nihil dixerit, res ipsa docet nec hic quoque agere. Adde, quod istud pronunciatum infantibus recens natis non convenit. Illi enim nullo queunt modo peccare, nec in similitudinem transgressionis Adami, adversus legem sibi diserte traditam, & comminatione mortis sancitam: nec adversus legem naturæ, cum nondum rationis usum habeant. Deinde, si Paulus de iis loqui intendisset, usus non esset his verbis, *Mortem regnavisse ab Adamo usque ad Mosem*; sed potius à mundi initio usque ad sua tempora, & porro ad finem usque regnaturam. Ad solos ergo adultos id referendum est. Maresius contra objicit: *Perperam hæc duo opponuntur, peccare contra expressam legem, & legem naturæ: quocunque enim modo peccetur actualiter, peccatur ad similitudinem transgressionis Adami; qui utramque violavit. Tum concedo infantes neutro modo peccare posse actualiter, sive personaliter; sed utramque legem, positivam & naturalem, originaliter in Adamo violarunt.* Sed hæc non sunt flocci. Non oppono ut contraria, sed distinguo tantum ut diversa, ea quæ revera talia sunt. Nam aliud est lex expressis verbis tradita, & comminatione promtæ mortis sancita, qualem accepit Adamus de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali, à qua natura non docebat abstinendum: aliud lex naturæ, cordibus inscripta, qualem solum habuerunt plerique homines ab Adamo usque ad Mosem, de vitandis homicidiis, adulteriis, rapinis, &c. ut merito dici possit ingentem fuisse inter eorum peccata, cum cædes, aut adulteria perpetrabant, & primam Adami transgressionem, differentiam. Quod vero concedit infantes neutro modo peccare posse actualiter, sive personaliter, sufficit ad ejus opinionem evertendam. Omnia enim peccata sunt personalia, & actualia: Saltem habitus peccandi nunquam præcedit actum, sed contra semper eum sequitur, sicut causam effectus.

XLIII. In *vers. seqq.* 15, 16, 17, 18, 19. ubi sæpe mentio fit inobedientiæ unius hominis, & unius offensæ, quæ mortem omnibus attulerit; non est firmius præsidium pro originis peccato. Nam vox *omnes* eodem sensu accipi illic debet, quo in *vers.* 12. non de omnibus hominibus absque exceptione, sed tantummodo de iis qui ab Adamo usque ad Mosem vixerunt. Nulla enim est ratio, cur hic longius quam ibi extendatur, cum eadem sit orationis series, & posteriora ad illustrationem priorum faciant. Quod etiam non obscure significavit Apostolus, quando loco vocis *omnes*, usurpavit vocem *multi*, in *vers.* 15. & 19. Id enim procul dubio non fecisset, si de omnibus hominibus egisset, qui ab initio mundi fuerunt, & usque ad ejus finem futuri sunt: sed optime convenit continuationi illius comparationis, quam instituit inter primum Adamum, ejusque posteros carnales usque ad Mosem, & secundum Adamum, Christum, ejusque semen spirituale, qui sunt fideles. Nam quod afferunt aliqui, *omnes homines* revera esse *multos*, ideoque voce *multi* recte designari potuisse, id recte loquentium usui repugnat. Sic nemo dixerit, multos homines esse peccatores, vel, multos esse morti obnoxios, quia id competit omnibus; adeo ut qui nunc ita loqueretur ἑτεροδοξίας suspicionem vix effugere posset. Cur ergo absque necessitate fingeremus κακόζηλον in verbis Pauli, quæ alios in errorem inducat? Nec ad istam expositionem deserendam Maresius sarcasmo suo inducet, *Me dum omnes pro multis hic sumo, symmystarum meorum Achilleum, pro universalitate gratiæ & redemtionis per Christum, deserere argumentum.* Satis magnam enim habemus copiam argumentorum omni exceptione majorum, quibus asseramus Christo gloriam Servatoris totius mundi, quam invidi aliquot ei eripere contendunt, ut non opus sit nobis infirmiora usurpare.

XLIV. Neque etiam verba ista, *vers.* 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*; in quibus magnum robur esse putant; quicquam faciunt pro illa peccati Adami imputatione, aut corruptionis, inde ortæ, propagatione, quam impugno. Paulus enim persequens comparationem inter Adamum & Christum, significat (ut ante ostendi) homines, qui ab Adamo usque ad Mosem vixerunt, quamvis adeo graviter, atque Adamus, non peccavissent; utpote non tantam voluntatis divinæ notitiam habentes, proindeque venia digni videri potuissent; attamen, quia ex illo oriundi erant, qui mortem transgressione sua meruerat, eidem sorti obnoxios esse factos. In lingua enim Hebraïca, cujus phrases Apostoli sæpe, Græce scribendo, imitantur, peccatorum nomen iis tribuitur, qui tanquam peccatores tractantur, seu eadem cum ipsis calamitate implicantur, etiamsi proprie loquendo non sint peccatores; aut saltem tam graves atque illi, quibus in pœna

sociantur. Hoc sensu Juda dicebat patri Jaco qui Benjaminem in Ægyptum mittere vereb tur; *Nisi reduxero eum ad te, & statuero eum ante te, peccator ero tibi omnibus diebus*, *Genes.* XLIII. 9. & XLIV. 32. id est, pœnæ obnoxius ero, ut peccator solet esse. Et exactores Israëlitis in Ægypto præfecti, ut eos ad opus urgerent, sic conqueruntur apud Pharaonem; *Palea non datur servis tuis, & dicunt nobis, lateres facite: Et Ecce servi tui cæduntur, & peccat populus tuus*, *Exod.* V. 16. ubi *peccat* sumitur pro *vapulat*, perinde ac si peccavisset. Similiter Bethsabea dicebat Davidi, *Futurum est cum dormierit Dominus meus Rex cum patribus suis, ut ego & filius meus Salomon simus peccatores*, 1 *Reg.* I. 21. id est, tractemur ab Adonia tanquam peccatores, si ille loco tuo regnet. Isto sensu in hoc Pauli loco, homines qui ante legem vixerunt, & nullam generalem vitæ normam habebant aliam præter rectam rationem, dicti fuerunt peccatores per Adami inobedientiam constituti; quia ejus peccatum ipsis occasio mortis potius fuit, quam propria, quæ adeo gravia non erant. Nihil ergo adversus me facit quod objicit Maresius: *Nulli tanquam peccatores apud æquissimum Deum tractari possunt, qui nullum habeant peccatum personale, aut actuale; nisi aliquod peccatum jure ipsis fuerit imputatum.* Non enim tantum fateor, sed etiam urgeo adversus pravam ipsius *vers.* 12. expositionem, eos, qui ab Adamo usque ad Mosem vixerunt, fuisse veros peccatores; licet multi non adeo graviter atque Adamus deliquissent. Quod vero istud etiam infantibus applicatur, quorum non meminit Apostolus, merum est commentum, supra jam satis refutatum. De morte, cui pariter cum adultis obnoxii sunt, mox suo loco dicam.

XLV. Felicius non pugnant, qui hinc luis originariæ propagationem deducere moliuntur. Nullus enim vere peccator constituitur, nisi actione propria & evitabili. Non illibenter tamen concedo, Adamum causam fuisse multis inobedientia sua ut peccatores essent, nempe, iis, qui malum, quod posteris præbuit, exemplum imitati sunt, vel ad eorum mores, quibus autor fuit lapsus, vitam composuerunt. Quod etiam cum Apostoli scopo, & collatione quam inter Adamum, & Christum instituit, optime quadrat. Nam præterquam quod Christus nobis obedientia sua usque ad mortem crucis, veniam peccatorum apud Deum obtinuit, est etiam justitiæ nostræ, & obedientiæ Dei mandatis, causa exemplaris. *Discite à me*, inquit, ipse *Matth.* XI. 29. *Exemplum dedi vobis*, *Joan.* XIII. 15. Item, *vobis reliquit exemplum ut sequamini vestigia ejus*, 1 *Petr.* I. 21. nimirum ut hac quoque in re oppositus esset Adamo, qui peccandi initium fecit, & malo suo exemplo posteris multum nocuit. Nec refert quod multi qui Deo sunt immorigeri, nihil de Adami transgressione audiverunt. Sufficit enim, ut imitatores ejus dici queant, si eodem modo quo se gessit primus, ipsi quoque postea se gerant.

...od *cuncta cogi-*
...d *malum omni*
...agi hic de
...sque ul-
...utatur
...itur,
c... *eum*
fui... *Deo*
ambula... ver-
sum genu... ali-
tiam diluv... asset,
Noachus inve... . Ver-
ba ergo alleg... de abo-
minandis scele... temporis
homines pollueran... loses dicit,
Terram fuisse corruptam... *& repletam*
iniquitate; & omnem... *e viam suam*
super terram, *vers.* 11. ...em generalis
corruptio initium sumse... Filii Dei uxo-
res ex filiabus hominum... ...nt, & ex illis
conjugiis improbi homines procreati sunt, qui injurias aliis inferebant, & eos sibi per vim subjiciebant. Antea soli Caïni posteri ita erant depravati, sed nomen Domini in Sethi familia invocabatur, *Genes.* IV. 26. unde oriundus fuit Enoch, qui *ambulavit cum Deo*, & adeo propter fidem & pietatem acceptus ei fuit, ut ipsum transtulerit ne videret mortem, *Genes.* V. 24. *Hebr.* XI. 5. Locum autem citatum de extraordinaria seu insolita malitia accipiendum esse, hinc apparet, quod Deus ista de causa universam terram, cum incolis ejus, diluvii aquis absorbere decrevisset. Vitium enim naturale & inevitabile, ut est peccatum originis, non ita Dei iram accendisset; nec tam horrendam de illo vindictam sumere, ejus immensæ benignitati & misericordiæ convenisset. Frustra quoque servum suum Noachum misisset, qui istos homines ad pœnitentiam invitaret, 2 *Petr.* II. 5. Frustra item ipsis CXX annos concessisset, ut se à nativa corruptione averterent, *Genes.* VI. 3. quam non magis quam sexum mutare poterant, etiamsi mille annis in eo desudassent. Frustra denique exspectasset ut id præstarent, quod à sola omnipotente ejus operatione proficisci debebat. Verba itaque loci objecti, secula antediluviana proprie respiciunt, etiamsi negare nolim malitiam generis humani in ultimis hisce temporibus forte æque magnam esse. Sed quod dicitur *de omni tempore*, nempe vitæ hominis, ad tempus cognitionis necessario restringi debet, quo homines illorum scelerum capaces sunt, propter quæ Scriptura docet iram Dei venire in filios contumaciæ, *Ephes.* V. 5, 6. *Coloss.* III. 5, 6. nempe scortationis, avaritiæ, stultiloquii, & similium.

XLVII. *Tertio* pugnant his verbis: *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, *Gen.* VIII. 21. Sed non magis faciunt ad rem, quam ea quæ modo expendi. Non enim ibi agitur de corruptione naturali, seu à matris

matris utero; sed de voluntaria, atque illi non absimili per quam Deus ad universum terrarum orbem diluvio perdendum impulsus fuerat. Quod ut melius intelligatur, observandum est totum locum secundum Hebraïcam veritatem ita transferri debere; *Non addam maledicere ultra terra propter hominem, quia cogitatio cordis humani mala est à pueritia sua*; vel, ut clarius loquar, *etiamsi cogitatio cordis humani mala esset à pueritia sua.* Nam si vulgatum interpretem sequamur, *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis, &c.* absurdum istud inde sequetur, Eandem causam quæ antea Deum moverat, ut diluvio mundum vellet perdere, nempe malitiam hominis, effecturam in posterum ut ei parceret. Quod cavendum est ne Deo tribuamus. Omnia vero optime inter se cohærebunt, si statuatur Deum, ista exemplari pœna, quam semel toti mundo inflixerat, contentum, & Noachi sacrificio, quod post diluvium obtulit, placatum, dixisse se nolle amplius terram inundatione generali perdere, quamvis contingeret, ut homines, sicut antea, à juventute sua depravati, & non minus ira sua digni essent iis quos diluvium absorpsit. Quibus adde, voces istas, cogitationem cordis humani esse malam *à pueritia*, vel, *ab adolescentia*, ostendere eas quæ in præcedente loco usurpantur, *omni tempore*, non ita late accipiendas quasi infantilem quoque ætatem includerent, de qua Scriptura testatur, illam omne boni & mali discrimen ignorare.

XLVIII. *Quarto* producuntur hæc Jobi verba, *Quis dabit mundum ex immundo? Nec unus: Job.* XIV. 4. Sed ea sunt obscura, & interpretes non consentiunt inter se de qua munditie & immunditie ibi agatur; ideoque parum solidam controversi dogmatis probationem suppeditare possunt. Quidam existimant Jobum respexisse ad impuritatem materiæ ex qua Deus hominis corpus initio formavit vel unde hodie in utero materno formatur. Hæc autem impuritas est mere physica, nec propter eam Deus naturæ auctor justam irascendi hominibus causam haberet. Alii volunt ipsum locutum esse de vilitate hominum cum Deo collatorum. Quo sensu Eliphaz dicebat, *Ecce* (Deus) *in sanctis suis* (Angelis) *non credet; & cæli* (id est, cælorum incolæ) *non sunt mundi in oculis ejus, Job.* XV. 15. Ubi mens ejus non est peccati accusare Angelos: sed tantum indicare ipsos, licet præstantissimas creaturas, longe Deo puritate inferiores esse: multoque magis homines, *qui domos luteas habitant*, ut idem Eliphaz loquitur, *Job.* IV. 19. Alii quidem immunditiem istam ad hominum actiones referunt; quasi Jobus significare voluisset, nihil aliud ab homine peccatis inquinato ordinarie expectandum esse, nisi quod naturæ ipsius corruptionem resipiat. Sed ejusmodi corruptio ex prava assuetudine oritur, nec est prorsus immedicabilis, ut de peccato originali sentiunt. Talis erat Pharisæorum, quibus Dominus Jesus exprobrat, *Quomodo potestis bene loqui, cum sitis mali? nam ex abundantia cordis os loquitur, Matth.* XII. 34. Illi autem, cum Dei ope, cordis sui malitiam poterant excutere, & tunc meliora quam ante loqui. Sed fac Jobum de impuritate hominum nativa egisse, quæ omnibus adhæreat, restaret adhuc probandum, eam esse verum & proprie dictum peccatum, quod Deus ignis æterni supplicio punire constituerit. Quidni enim potius diceretur esse naturæ morbus, præsertim infantiæ tempore, quæ propter rationis defectum peccati non est capax?

XLIX. *Quinto: David de se dicit, Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato calefecit me mater mea, Psalm.* LI. 7. Eadem ergo est reliquorum omnium conditio. Noluit enim significare se deteriorem cæteris esse. *Resp.* 1. Ipsum non dicere se ab Adamo traxisse iniquitatem in qua formatus erat: matris tantum meminit, tanquam causæ proximæ illius propensionis ad malum quam in se experiebatur; ita ut non oporteat ejus originem tam procul arcessere; præsertim cum admodum probabile sit, sicut res omnes humanæ in deterius ruunt, eam longe vehementiorem esse in posteriorum temporum hominibus, quam fuerit in Adamo. Imo non loquitur proprie de peccato suo, sed matris. Sicut enim cum dicimus aliquem natum esse in adulterio, non ipsum, sed ejus parentes accusamus; ita quando David se in iniquitate formatum, & matrem suam in peccato se calefecisse fatetur, non alia quam patris & matris peccata intellexit. 2. Non est usquequaque verum, id quod David sibi tribuit, in alios omnes pariter quadrare. Quamvis enim libenter concedam, nullum ex hominibus qui nunc nascuntur esse, qui non aliquo modo ad malum proclivis sit statim ab ortu suo; proclivitas tamen ista non est æqualis in omnibus; sed in aliis major, in aliis vero minor, pro diversitate temperamenti animadvertitur. Hoc igitur solum voluit indicare, non esse mirum si à matre aliquam ad peccatum, quod deflet, propensionem hauserit; cum ipsa tempore conceptionis suæ, & gestationis in utero, fuerat peccato inquinata. Cum enim matres tunc vel sola imaginatione notas aliquas tenellis fœtuum suorum corporibus non raro imprimant, quidni animas eorum etiam afficere & ad malum inclinare possent? Sed David non affirmat ejusmodi labem esse verum & proprie dictum peccatum, quod hominem inferni cruciatibus obnoxium, & toto vitæ tempore ad bonum inutilem reddat. Id ne fidiculis quidem ex ejus verbis expresseris. Hyperbolica est loquendi formula, apud Hebræos non infrequens, qua magnam aliquam ad peccandum poclivitatem designare solent: Ita alibi idem David dicit, *Abalienati peccatores à vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa, Psalm.* LVIII. *vers.* 4. Et Deus Israëlitas alloquens, *Scio quia prævaricans prævaricaberis,*

ricaberis, & transgressorem ex utero vocavi te, *Esa.* XLVIII. 8. Item Pharisæi cæcum illum natum, cui Dominus Jesus visum restituerat, objurgantes, *In peccatis natus es totus & doces nos? Joan.* IX. 34. In quibus locis facile est videre, non agi de peccato toti humano generi communi, & quod ab Adamo in omnes ejus posteros æqualiter propagatum foret. Sic enim David & Esaias nihil exprobrassent impiis, quod in sanctissimos etiam non quadraret. Et Pharisæi cæco isti objecissent vitium, quo non minus quam ille laborabant. Quæ sunt dictu ridicula. Contra de aliis asseritur, ipsos ab utero fuisse misericordes, & in Deo fiduciam suam collocasse. Sic Jobus, *Pupillus ab adolescentia mea crevit mecum tanquam cum patre, & viduam ab utero matris meæ deduxi*, *Job.* XXXI. 18. Et David, *Tu confidere me fecisti ab uberibus matris meæ: super te recubui ab utero*, *Psal.* XXII. 10. 11. Item, *Tibi innixus sum ab utero*, *Psal.* LXXI. 6. In quibus locis adeo manifesta est hyperbole, ut vel cæci eam animadvertere possint. Imo si quis eos urgere vellet, non minori cum specie colligeretur, Jobum & Davidem, cæterosque omnes homines; cum sanctitate originali, & omnis corruptionis expertes, natos esse, quam ex unico loco *Psalmi* LI. non solum Davidem, sed etiam universum genus humanum in peccato originali conceptum & formatum fuisse.

L. Maresius magno conatu, sed irrito, hunc locum sibi vindicare studet: Nam quæ affert, ostendunt solum ipsum ad incitas redactum nugari maluisse, quam veritati palmam concedere. Quod dixeram esse hyperbolen in verbis Davidis, qua voluerit suam ad malum proclivitatem exagitare, *absurdum* vocat; *quia negari nequeat illam proclivitatem ad malum in se Davidem agnoscere à prima sui origine.* At quænam absurditatis species est in eo? Primo monueram, Davidem non fuisse proprie locutum de peccato suo, sed matris. Deinde ostenderam, si quis id velit ad ipsum referre, hyperbolicam esse locutionem, quales in aliis Scripturæ locis nonnullæ occurrunt. Istudne propterea absurdum est, quod negari nequeat Davidem in se proclivitatem ad malum à prima sui origine agnoscere? Non quæritur enim de eo inter nos, an homines ad malum proclives sint à prima sui origine; sed an ista proclivitas sit verum & proprie dictum peccatum, quod Deus in quibusdam igne infernali punire velit, etiam antequam ullos fructus malos protulerit; Item, an ex ea inevitabiliter peccatum semper oriatur. Hic est controversiæ status, à quo semper declinat noster doctor, ne ipsius errores pateant. Pergit: *Nec valet Curcellei effugium, ea ratione Davidem & Esaiam nihil improbis tributuros quod non in optimos quosque quadraret. Nam duobus his postremis locis*, (nempe *Psal.* LVIII. 4. *Es.* XLVIII. 8.) *non tantum tribuitur improbis originalis corruptio, quæ est omnium communis; sed ex illo fonte continuata actualis perversitas & aberratio à Deo, quam in suis avertit per suam gratiam.* Nullum est in eo effugium, quod dico has locutiones, *Abalienati sunt peccatores à vulva*, &c. esse hyperbolicas, & non significare corruptionem omnibus hominibus communem; sed magnam quæ in aliquibus improbis cernitur ad malum propensionem. Id enim circumstantiæ luce meridiana clarius ostendunt; & ratio quam attuli, alias Davidem & Esaiam nihil improbis objecturos, quod non in sanctissimos etiam quadret. Nec refert quod plura eorum scelera ibidem commemorantur. Istud enim non facit ad species illorum qui *erraverunt ab utero* discriminandum; sed ad tanto melius vim figuratæ phraseos exprimendum. Sed vere Maresius latebras quærit, cum dissimulat alium locum à me citatum, ubi Pharisæi dicunt cæco à Dn. Jesu sanato, *In peccato natus es totus.* Unde clarius apparet ipsos vitium à quo se credebant immunes ei objecisse. Tandem dicit: *Quod vero nugatur ex locis Job.* XXXI. 18. *Psal.* XXII. 10. 11. *& LXXI.* 6. *pari modo sequuturam originalem sanctificationem, non potest obtinere. Nam Jobi institutio & educatio domestica à teneris unguiculis in functionibus pietatis & charitatis, juxta ordinem in familia sua receptum antequam nasceretur, non obstabat nativæ ejus & originali corruptioni, cum illa esset ex gratia, hæc ex natura. Psalmus* XXII. *agit de Christo, non de Davide; & vers.* 10. *&* 11. *describitur cura providentia divina, quæ ita extenditur ad fœtum in utero, ut ejus conceptionem in peccato non impediat, juxta quam dicimur Paulo natura filii iræ*, *Eph.* II. 3. Monere figuratas Scripturæ locutiones, non esse nimium urgendas, ne inde absurdus aliquis sensus extundatur, non est nugari, sed maxime serio sacra tractare. Noster vero doctor qui causam debebat reddere, cur ex verbis, *In iniquitate formatus sum*, &c. solidius colligatur Davidem fuisse vere peccatorem antequam natus esset; quam ex istis, *Viduam ab utero matris deduxi*, &c. Jobum ante suam nativitatem vere fuisse misericordem; nihil nisi verba dat, quæ velut pulverem in oculos lectorum conjicit, ne ipsum constrictum teneri deprehendant. Nec minus iis imponit, asserens *Psal.* XXII. describi solum curam providentiæ divinæ circa fœtum in utero, cum verba ista, *super te recubui ab utero*, &c. non sint Dei, sed Davidis, fiduciam suam in Deum hyperbolice exaggerantis. Permittet vero mihi (spero) ut ea cum Calvino & doctioribus Christianorum interpretibus, literali sensu de Davide intelligam, mystico autem solum ad Christum referam, nec idcirco immerito reprehendet.

LI. *Sexto*, Utuntur his Christi verbis ad Nicodemum, *Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu, spiritus est*, *Joan.* III. 6. Sed non video quid ea faciant ad corruptionem originalem, de qua disputatur, adstruendam. Quamvis enim aliquando in Scriptura voce *carnis* pravæ hominum cupiditates, & inde profectæ actiones, designentur, id tamen ubique non

non obtinet, & speciatim hic, ubi circumstantiæ nihil tale suadent: Jesus enim respondet crassæ isti Nicodemi objectioni, *Quomodo potest homo nasci cum est senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterum intrare & renasci?* Et ostendit se non agere de nativitate carnali; eam enim nullius esse pretii aut efficaciæ ad introeundum in cæleste Dei regnum, etiamsi repeteretur: quia quod nascitur ex carne, terrenum, mortale & caducum est, prout & ipsa caro unde illud originem trahit. Verba igitur sua intelligenda esse de nativitate spirituali, per quam naturæ divinæ consortes, & idonei ad possidendum regnum cælorum reddimur. Instabis: At necessitas ista regenerationis spiritualis, arguit generationem nostram carnalem peccato esse infectam. Resp. Minime gentium. Ostendit solum neminem mortalium qui ad ætatem adultam pervenerunt, (aliis enim non præcipitur ut regenerentur) à peccato esse immunem. Ejus autem rei causa soli nativitati carnali non est imputanda; sed maximam partem assuetudini pravæ, quæ ita naturam infecit ut totali renovatione indigeat. Præterea Christum istis verbis, *Quod natum est ex carne, caro est*, non intellexisse talem corruptionem, per quam homines tantum ad malum proni sint, & ad bonum prorsus inutiles, vel ex eo solo liquere potest, quod illi qui ex spiritu nati sunt, de quibus postea loquitur, non ita à peccato in hac vita sint immunes, quin subinde in illud relabantur. Nam si ejusmodi corruptio ex nativitate carnali necessario procederet, oporteret etiam ut talis puritas nativitatem spiritualem semper comitaretur; alioqui non esset vera inter utramque contrarietas, ut Christus innuit, & Spiritus Dei non minus virium haberet ad nos regenerandum, quam Adamus ad nos corrumpendum. Id autem non concedet Maresius, qui credit sanctissimos quosque, quamdiu vivunt, exigua tantum initia habere obedientiæ quæ Dei præceptis exhibenda est.

LII. *Septimo* affertur Paulum dicere, quoddam esse peccatum quod in se (ac proinde in cæteris quoque omnibus) perpetuo habitet, *Rom.* VII. toto, & præcipue *vers.* 17. & 21. Illud autem de alio accipi non posse quam de peccato originis. Resp. Imo contra id longe melius refertur ad peccati habitum crebris actionibus acquisitum. *Quod enim peccato illic tribuit, ipsum occasione arrepta per mandatum, in se operatum esse omnem concupiscentiam*, &c. *vers.* 8. & seqq. nullo modo in labem originariam quadrat, quæ ut lege prohiberi non potest, ei qui nondum est natus, ita neque irritari. Falso etiam asseritur peccatum istud perpetuo habitare in omnibus. Non enim habitat in iis qui sunt Christi, qui carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis, *Gal.* V. 24. sed in infidelibus solum, & in iis qui sunt sub lege, quæ licet peccatum prohibeat, infirmior tamen est, quam ut tollere plane possit.

LIII. *Octavo*, Magna vis esse putatur in his Apostoli verbis, *Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri*, *Ephes.* II. 3. Sed primo observandum est, crimen falsi in hujus loci citatione committi vulgo solere, interque alios à Maresio; quasi scriptum esset, Sumus natura filii iræ: cum tamen Paulus voce ἦμεν, quæ est præteriti imperfecti, usus fuerit. Plurimum enim in eo situm est, ne à vera ejus mente aberremus, & nos in errorem induci patiamur. Innuit ergo sic loquendo se de præterito statu agere, & qui in meliorem mutatus erat cum hanc epistolam scriberet. Quod ex sequentibus apparet adhuc clarius, ubi dicit eos qui natura erant filii iræ, & mortui in peccatis, vivificatos & servatos misericordia Dei in Christo fuisse. Illud autem in peccatum originis non quadrat, quod docent toto vitæ tempore hominibus inhærere, etiam fidelibus ipsis, quamvis eis non imputetur. Adeo ut graviter impingant, cum ea quæ respiciunt præteritum ignorantiæ tempus trahunt ad perpetuum statum Christianorum, qui à teneris in vera fide & pietate instituti fuerunt. Deinde hæc verba, *Eramus natura filii iræ*, de solis actualibus peccatis intelligenda esse, inde liquet, quod homines quos compellat, in peccatis ambulasse dicuntur; quod peccandi assuetudinem significat, non habitum innatum, quale putatur esse peccatum originis. Nec contrarium probat appellatio *filiorum iræ*, aut vox *natura*, quas hic Apostolus usurpat. *Filii* enim *iræ* vocantur peccatores; quia iræ divinæ, quamdiu in illo misero peccati statu versantur, obnoxii sunt. Eodem sensu quo Scriptura alibi quosdam appellat *filios mortis*, aut *gehennæ*, aut *vasa iræ*: ut 1 *Sam.* XX. 31. & XXVI. 16. 2 *Sam.* XII. 5. *Matth.* XXIII. 15. *Rom.* IX. 22. Et vox *natura*, quæ appellationi filiorum iræ adjungitur, non significat homines statim à nativitate, aut à matrum utero, Dei iræ esse obnoxios. Ea enim quæ naturalia sunt, non mutantur. Modo autem vidimus eos qui natura erant filii iræ, antequam ipsis Euangelium annunciaretur, non amplius fuisse tales cum in Christum crediderunt. Adde quod absque injuria in Deum, qui verus est naturæ nostræ auctor, potius quam parentes, dici nequit nos ab ortu dignos ira ipsius esse. Omnis enim tam pravi operis culpa, necessario in ipsum auctorem refunderetur. Nam rejicere eam in generationem corruptam, est etiam Deum accusare, qui talem ordinem ad propagationem generis humani constituit: quem nec generantes nec geniti corrigere queunt. *Natura* ergo *esse iræ filium*, duo significat, 1. vere talem esse, ut cum Paulus dicit, *Quando non cognoscebatis Deum, serviebatis iis qui natura Dii non sunt*, *Galat.* IV. 8. id est idolis gentium, quæ vere Dii non sunt, etsi pro talibus habeantur ab idololatris. 2. Ita assuevisse peccato, quod iram Dei meretur, ut in naturam conversum esse videatur; secundum id quod vulgo dicitur, Consuetu-

suetudinem esse alteram naturam. Quo sensu aliquem interdum vocamus natura furem, aut mendacem, ut innuamus ipsum ad furtum aut mendacium valde esse proclivem, & à longo tempore istis vitiis assuevisse: non quod putemus eum talem habitum ab utero matris traxisse; quem proinde exuere nullo queat modo. Id enim non ad peccatum ejus aggravandum, sed potius ad excusandum & minuendum faceret. Uterque sensus, sed maxime primus, optime huic de quo agimus Apostoli loco convenit, ubi propositum ipsi fuit ostendere gentiles fuisse vere ira Dei & gravi punitione dignos, cum Deus eos in misericordia sua per Euangelium visitavit; & ita peccatis ex diuturna assuetudine immersos ut in naturam transiisse viderentur.

LIV. Præter hæc Scripturæ loca, afferuntur etiam quædam aliæ rationes, quibus probetur naturam hominis statim ab ortu peccato esse inquinatam. *Prima* est, quod circumcisio olim à Deo fuit instituta, ut per amputationem præputii homines corruptionis suæ originalis convincerentur, & ab ea liberarentur. Resp. Divinare illos qui istud asserunt. Scriptura enim id nusquam docet. Legatur caput XVII. libri Geneseos, ubi Moses narrat quomodo Deus Abrahamo præceperit, ut se suosque omnes masculini sexus, tam servos, quam filios, circumcideret; ibi nec vola nec vestigium ejusmodi usus occurrit. Nec alio fine apparet Deum circumcisionem instituisse, quam ad Abrahami semen, cum quo fœdus pepigerat, & unde aliquando Messiam suscitare decreverat, ab aliis profanis gentibus discernendum. Imo, inquiet quispiam, Deus aliud sibi præterea in isto ritu proposuit, quod Moses indicat, dicens, *Circumcidite præputium cordis vestri*, Deuter. X. 16. *Circumcidet Dominus Deus tuus, cor tuum, & cor seminis tui*, Deuter. XXX. 6. Quibus affinia sunt quæ legimus *Jerem.* IV. 4. *Roman.* II. 29. *Coloss.* II. 11. Resp. Circumcidendi quidem & circumcisionis voces, figurate in his locis accipi, de vitiorum amputatione, quemadmodum aliis nonnullis contingit, ut à propria significatione ad tropicam propter rerum affinitatem transferantur. Sed inde non sequitur circumcisionem primo institutam fuisse ut homines de nativa sua corruptione admoneret; multoque minus ut illius vim reprimeret (quod nullus ritus externus, sed solum Dei verbum & spiritus præstare possunt:) Alioqui cur mares tantum circumcisi fuerunt, non etiam feminæ? An quod hæ magis quam illi à labe originaria puræ sint? cur dilata fuit circumcisio usque ad octavum diem? & quid contigit infantibus qui ante istum diem obierunt? an propter istius remedii carentiam omnes damnati sunt, vel quoddam aliud ipsis, sicut & feminis, ut nonnulli fingunt, applicatum fuit?

LV. *Altera* est, quod præcipiatur in lege Mosis ut mulier puerpera sacrificium pro peccato offerat, & purificetur, *Levit.* XII. aliud autem peccatum intelligi non possit quam originale, in quo proles ejus fuit concepta, & in utero conformata. Resp. illic tantum agi de matris purificatione, non vero de eo quod circa infantem, quam pepererat, peragi debebat. Velim autem scire, si circumcisio remedium erat adversus peccatum originis, cur postquam infans octavo die circumcisus fuerat, mater adhuc totos triginta tres dies impura maneret? & cur octoginta diebus esset impura, quando puellam pepererat? An eo significabatur puellas duplo plus quam mares, peccato originis inquinatas esse, & difficilius ab illo expurgari? Nugæ. Ista non fuit impuritas moralis, sed tantum physica & ceremonialis, in hac ratione fundata, quod mulieres quæ puellas pepererunt duplo longiori tempore profluvium patiantur, antequam sint mundæ, illis quæ pueros. Cur ergo, inquies, oportuit puerperam sacrificium offerre pro peccato, si nullum est nec matris nec prolis, in conceptione & partu peccatum? Resp. immunditíes illa physica figurate vocatur peccatum, quia mulier puerpera ab ea se purificare tenebatur, antequam in templum ingrederetur; & peccati rea erat, si id facere negligeret. Cæterum labes puerperæ mere corporea, animam ejus peccato non inficiebat: certe non magis, quam caput consecrationis Nazaræi, si aliquis coram eo confestim & ex improviso moreretur: quamvis sacrificium eo nomine offerre deberet, *quia peccaverat super mortuo*, ut dicitur, *Numer.* VI. id est, ita pollutus erat mortui contactu, ut ad se purificandum obligaretur, alias peccati reus coram Deo futurus. Cui adde B. Virginem Mariam, quæ Dominum Jesum absque ullo peccato concepit & peperit, sacrificium etiam Deo, sicut aliæ puerperæ, pro sui purificatione, quia physice & ceremonialiter erat immunda, obtulisse.

LVI. *Tertia* est; Jam ab antiquo mos obtinet in Ecclesia Christiana ut baptizentur infantes. Usus autem baptismi alius non est, quam ut per ipsum abluamur à peccatis. Ergo oportet ut in infantibus aliqua sit peccati labes. Resp. 1. Morem infantes baptizandi non cœpisse ante tertium à Christo nato seculum. In duobus vero prioribus nullum ejus vestigium apparere. 2. Baptismus ab initio collatus non fuit infantibus ut per ipsum mundarentur à peccatis, quæ gehennæ ignis supplicium mererentur; sed tantum ne cælo excluſi essent, quia Christus dicit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei*, *Joan.* III. 5. quod illi de baptismo perperam interpretabantur, & quasi infantes etiam includeret; cum tamen Dominus Jesus adultos solum in persona Nicodemi compellet, & quam necessaria iis sit regeneratio indicet. 3. Antequam ex ista baptizandi infantes consuetudine aliquod petatur solidum argumentum pro labe originali, oporteret constare

Jesum

Jesum Christum ejus esse auctorem. Atqui sine ipsius mandato introducta est. De solo enim adultorum baptismo cogitavit; cum præcepit ut baptizandi primo instituerentur in fide, & dixit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*, &c. *Matth.* XXVIII. 19.

LVII. *Quarta* est; Si in infantibus nullum est peccatum, Jesus Christus non erit eorum servator. Atqui hoc est absurdum dicere aliquos absque Christo salvari. Ergo fatendum est eos peccato originali esse inquinatos. *Resp.* Verum est, si infantes omni peccati labe vacant, non opus erit ut ab ea per Christum mundentur. Sed tamen alia ratione illorum servator esse poterit, nimirum liberando eos à morte, cui propter Adami peccatum obnoxios esse antea dixi, & vita in cælis æterna donando.

LVIII. *Quinta* est; In infantibus statim ab ipso ortu produnt se indicia, non tantum pronitatis ad malum, sed etiam malitiæ actualis; ut cum alios mordent, aut unguibus lacerant, & pugnis contundunt; *Resp.* Neque hinc recte probari tale esse peccatum originis, quale vulgo creditur. 1. Quia oporteret ante constare ejusmodi pronitatem ad malum, & quæ illam sequuntur effecta, à primo solum Adami peccato proficisci. Nihil enim promovetur quamdiu illud incertum manet. Multo autem majorem habemus rationem credendi eam aliunde quoque oriri. Nam si pronitas ista ab Adamo sola promanaret, in omnibus foret æqualis; quod experientia falsum esse ostendit. Sunt enim quidam infantes longe melioris indolis, quam alii. Præstat igitur illam referre ad propiores parentes, è quorum sanguine formati sumus. Unusquisque enim corruptum suum temperamentum liberis ex se prognatis communicat. 2. Deberemus certi esse propensionem ad malum, quæ in infantibus animadvertitur, à Deo pro vero & proprie dicto peccato, cui irascatur, haberi. Sed contrarium supra evici. Cum enim duo in peccando consideranda veniant, videlicet materiale & formale, illud quidem reperitur aliquando in infantibus, sed hoc nunquam. Materiale peccati voco ipsas actiones quæ aliis damnum afferunt; formale vero quod à scientibus & volentibus committatur. Materiale autem ad verum & proprie dictum peccatum constituendum non sufficere, inde liquet, quod brutis quoque id conveniat, quæ tamen nemo propterea peccati accusat aut punit. Licet quidem nobis illa interficere, quando aliquid detrimenti afferunt: aut nostris nocent; sed id non facimus ut judices, in pœnam delicti; verum jure dominii quod in eorum vitam à Deo accepimus. Ut ergo actio aliqua sit vere & proprie dictum peccatum, quod pœnam mereatur, oportet ut accedat formale, id est, ut scienter & voluntarie perpetretur; quæ non magis in recens natos infantes, quam in bruta, cadere, per se manifestum est.

LIX. *Sexta* est; infantes moriuntur, & morbis aliisque calamitatibus in hac vita sunt obnoxii: Ergo peccato infecti sunt; quia *per peccatum mors intravit in mundum*, *Rom.* V. 12. Et *mors est peccati stipendium*, *Rom.* VI. 23. Quam rationem quidam jactant esse irrefutabilem. Sed resp. Mirari me istorum hominum confidentiam, cum ea nihil sit infirmius. Nam 1. aberratur à statu quæstionis, qui non est simpliciter, an infantibus aliquod peccatum aut impuritas tribui possit; (quod jam ante concessi) sed an talis peccati rei sint, quod cruciatus gehennæ mereatur, & propter quod Deus aliquos illi actu destinet. Istud est proprie quod in controversia versatur. Æque ergo inepte argumentantur, qui ex morte corporea, cui infantes subjecti sunt, id colligunt, ac si aliquis diceret, Qui alapam alteri impegerit, pœna talionis aut mulcta pecuniaria affici debet; ergo vivus quoque comburi juste potest. 2. Neque sequitur ex eo quod infantes corporeæ morti subjecti sunt, illos esse peccatores. Nam etiam bruta moriuntur, in quibus nullum est peccatum. Unde ergo, inquies, mors obvenit infantibus? *Resp.* Ex nativitatis suæ conditione; quia propagati sunt ab Adamo, qui non solum mortalis initio fuit conditus, sed etiam postea per peccatum morti obnoxius est factus. Hominem autem ante lapsum fuisse mortalem, id docet primo, quod cibo & potu indigebat ad vitam suam sustentandum, *Gen.* I. 29. 30. & II. 15. 16. Deinde quod corpus ejus, non secus atque nostra, erat vulnerabile, poteratque igne comburi, aqua suffocari, ruina ædificii opprimi, & multis aliis modis vita privari: quamvis credamus ipsum non fuisse moriturum, si in mandatorum Dei obedientia perstitisset. Nam Deus ei dederat arborem vitæ ad vescendum, quæ symbolum fuit immortalitatis, & vim habuisse videtur à morbis, qui ad mortem ducunt præservandi, & calidum innatum, in quo vita nostra consistit, perpetuoque velut oleum lampadis consumitur, restaurandi, ne tandem extingueretur. Sed postquam homo Dei mandatum trangressus est, morti obnoxius est factus; ut quemadmodum pulvis erat, ita etiam in pulverem necessario reverteretur. Ejectusque fuit Paradiso, ante quem Deus collocavit Cherubim, cum flammeo gladio versatili, ad custodiendam viam arboris vitæ, ne amplius ea vesceretur, & viveret in æternum, *Gen.* III. Tales ergo genuit liberos, qualis ipse erat, id est, morti obnoxios; veluti ille qui ob aliquod scelus facultatibus mulctatus est, pauperes liberos propagat. Non quod infantes vere peccatores sint ab ortu; cum nullum peccatum sit absque cognitione & voluntate; sed quia hæc est naturæ lex, ut liberi eidem, cui parentes, sorti sint obnoxii. A qua nemo, nisi per specialem Dei gratiam eximi potest. Ea autem, postquam Adamus rebellione

sua Deum offendit, visum non est Deo erga ipsius posteros uti: sed illos ut jure dominii poterat, in conditione mortali reliquit, naturam sinendo cursum suum ordinarium tenere, qui requirit ut mortales ex mortalibus proseminentur. Quo respiciens Apostolus dicebat, *Per hominem mors.* Et, *In Adamo omnes moriuntur*, 1 *Corinth.* XV. 21.22. Ubi nullum videtur respectum habere ad propria singulorum hominum peccata; sed tantum ad nascendi ex Adamo mortali, & morti obnoxio, conditionem. Mors vero de qua scribit *Rom.* V. 12. eam per peccatum intravisse in mundum, non est mors naturalis, sed moriendi, & in morte æternum manendi, nisi Deus ex speciali misericordia inde liberet, necessitas: quæ est revera peccati pœna; quia non *pertransiit in omnes*, nisi *quoniam omnes peccaverint*, ut ibidem additur. Sic etiam *Rom.* VI. 23. non agitur de morte naturali, sed de pœnali necessitate moriendi, quæ à peccato originem habet: ut apparet ex oppositione quæ ibi fit inter mortem & vitam æternam. *Stipendium peccati*, inquit Apostolus, *est mors: donum autem Dei est vita æterna, per Dominum nostrum Jesum Christum.* Mors enim temporalis (cui ex nascendi sorte homines sunt obnoxii) non est opposita vitæ æternæ: nullum enim ei adfert impedimentum; sed contra est instar ostii per quod fideles in illam ingrediuntur, *Joan.* V. 24.

LX. Maresius hic duo respondet. 1. *Nascendi conditionem non debere pœnæ opponi; cum hac nascendi conditio qualis est, pœna sit eaque certissima & gravissima.* 2. *Aliam rationem esse paupertatis, & mortis cui omnes facti sunt obnoxii per peccatum: quia illa sit malum duntaxat negativum, quod in carentia opum consistit, ad quas nemo naturaliter ordinatus est, hac vero sit malum privativum, eo magis natura contrarium, quod homo natura sua primigenia conditus esset ad immortalitatem & vitam; illa consideretur ut accidens vitæ jam miseræ & mortalis, hac ut accidens vitæ antea felicis & immortalis: illa in liberis tantum sit consequens facinoris ab eorum parente perpetrati, idque contingens; hac vero illius effectum sit proprium & necessarium.* Sed an speret se fidem apud cordatos inventurum, cum mera det verba absque ulla probatione? Omnia quæ affert huic unico innituntur fundamento, quod jam evertimus, primum hominem conditum fuisse immortalem. Nec etiam apte satis illi inædificantur. Nam cur æque bene dici nequiret, hominem creatum esse ad possidendas opes, ut ad immortalitatem, cum in paradiso, si ibi perpetuo mansisset, abundaturus fuisset omnibus bonis ad vitam jucunde transigendam requisitis? Cur carentia opum ad vitam sustentandam necessariarum, est malum duntaxat negativum, cum Deus illud tanquam gravem pœnam legis suæ transgressoribus minetur, *Levit.* XXVI. & *Deut.* XXVIII. carentia vero immortalitatis est malum privativum? Cur denique malum privativum est potius pœna, quam negativum, si utrumque inflictum sit, non ei qui peccatum commisit, cui soli debetur pœna, sed tantum ejus parentibus aut majoribus, à quibus ad ipsum derivetur? Vir mihi erit, si solidam aliquam discriminum istorum rationem possit reddere. Alias ne ferat ægre si pro commentis tantum, & principii petitionibus, à me habeantur. Et hactenus de peccati originalis natura.

LXI. Accedamus jam ad alterum instituti nostri caput, de ejus pœna. Non agam hic de morte naturali, vel de morbis aliisve casibus qui ad eam ducunt. Nam quæ supra breviter de istis attigi, mihi videntur sufficere. Considerabo solum ea quæ dicuntur de pœna peccati originis in altero seculo, ubi potissima hujus argumenti difficultas consistit. Duæ præcipuæ Theologorum de ista pœna sunt opiniones. Quidam enim eorum censent peccatum originis puniri tantum *pœna damni*; alii vero insuper ei *pœnam sensus* adjungunt. Pœna damni secundum ipsos est privatio beatitudinis cælestis & æternæ, quam Deus fidelibus in Euangelio promisit. Pœna vero sensus, est perceptio gravissimorum cruciatuum in igne æterno, quem Deus paravit Diabolo & angelis ejus. Ut autem solidius de duabus istis opinionibus judicium feratur, attendere oportet, quomodo utraque censeat puniri eos, qui nullo alio quam originali peccato contaminati sunt; quales sunt infantes ex hac vita antequam usum rationis habeant decedentes. Nam quod spectat adultos, qui aliorum præter istud peccatorum sunt rei, non potest ex eorum supplicio recte animadverti quid originale mereatur.

LXII. Priori opinioni, *de pœna damni sola*, adhæret maxima doctorum Pontificiorum pars. Nec damnare eam ausim. Nam recte intellecta nihil in se absurdi habet. Cum enim Deus neminem beatitudinis æternæ participem reddere obligatus sit, non facit injuriam iis quos illa non donat, quacunque de causa ad denegandum moveatur; imo posset quoque fideles inde excludere, nisi debitorem se promissionibus suis constituisset. Illud tantum in hac opinione desiderare posset aliquis, quod pœnam vocet id quod vere pœna non est, cum ob proprium peccatum non infligatur. Sed nolim propterea cum quoquam contentionis funem trahere. Non impedio etiam ut dicatur Deum omnes infidelium infantes, qui in infantia obeunt, cælo arcere, ideo quod ex Adamo peccatore & mortis reo originem trahunt: quanquam longe tutius existimem hic ἐπέχειν, cum Dei verbum pro ista opinione aperte non pronunciet; imo, ut postea dicam, quædam habeat quæ contrariæ favere videantur.

LXIII. Posteriorem opinionem, *de pœna sensus*, vulgo amplectuntur Protestantes, & dicunt infantes qui non fuerint ex electorum numero, propter originis peccatum æternis inferni cruciatibus addictum iri: licet quidam longe

gè mitius de illis ſentiant. Sed ea eſt plane falſa, ut ſequentibus argumentis probatur. *Primum:* Adamus pœnæ ignis æterni non fuit à Deo ſubjectus, ſed tantum morti corporeæ, ſeu æternæ ſeparationi animæ à corpore. Ergo abſurdum eſt dicere infantes, qui nullam peccati ab ipſo commiſſi notitiam habuerunt, & in illud conſentire nequiverunt, horrendo iſti ſupplicio fuiſſe deſtinatos. Conſequentia eſt clara & evidens. Antecedens vero probat comminatio Adamo facta, *In quocunque die comederis de ligno ſcientiæ boni & mali, morte morieris*, *Geneſ.* II. 17. Ubi nulla fit mentio, nec ignis æterni, nec ullius pœnæ ſenſus poſt mortem. Nam iſta verba *morte morieris*, quæ nonnulli eo trahunt, nihil aliud ſignificant, quam certo morieris, ſeu nullo pacto mortem es evaſurus, ut oſtendunt alia Scripturæ loca in quibus eadem phraſis occurrit. Vide ex. gr. *Gen.* XXVI. 11. ubi narratur Abimelechum toti populo ſuo edictum propoſuiſſe de Iſaaco: *Quicunque tetigerit hunc hominem, aut ejus uxorem, morte morietur.* Et I *Samuel.* XIV. 39. ubi Saul dicit; *Dominus vivit, qui eſt ſalvator Iſraëlis, etiamſi id à filio meo Jonathane factum eſſet, morte morietur.* Quod recte Latina vulgata paraphraſtice reddidit, *abſque retractatione morietur.* Et ſic multis aliis in locis. Nec poteſt quiſquam de ejus ſenſu dubitare, qui comminationem contulerit cum ſententia quam Deus adverſus Adamum pronuntiat. Nam redarguens eum peccati, dicit, *Quia es pulvis, in pulverem etiam reverteris*, *Geneſ.* III. 19. quod nihil aliud niſi mortem corporalem ſignificare patet. Nec ex eo quod Euangelii contemtores in ignem æternum, & inextinguibilem olim conjiciendi ſunt, ſequitur hanc pœnam in comminatione Adamo facta comprehenſam quoque fuiſſe. In libera enim Dei poteſtate eſt ſitum, quales ipſi videtur peccatoribus pœnas decernere, aliis leviores, aliis vero graviores, pro criminum diverſitate. Majorem autem ibi eſſe culpam, acerbiorique ſupplicio dignam, ubi major eſt gratia, qualis nobis ſub Euangelio contigit, perſpicuum eſt. Nam *omni cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*, *Luc.* XII. 48. Nec etiam objici jure poteſt, ſi Deus homini mortem tantum corpoream minatus fuiſſet, animam ergo ipſius, inſtar animæ brutorum, perituram. Nihil enim obſtat quominus anima peccatoris poſt ſeparationem à corpore in æternum ſuperſtes ſit, & tamen nulla ſenſus pœna crucietur, ſed tantum à beatitudine cæleſti excludatur.

LXIV. Sponte igitur evaneſcunt omnia quæ Mareſius hic objicit. 1. *Symmachum illam Dei comminationem, Gen.* II. 17. *morte morieris, reddidiſſe*, θνητὸς ἔσῃ, *eris mortalis.* Nam hæc interpretatio eſt perverſa, & quam Mareſius ipſe, ut credo, fatebitur nulli alii ex tot Scripturæ locis, in quibus eadem phraſis occurrit, convenire. Nec opus fuit hic novam verſionem comminiſci, cum optime reddi poſſet, *certo morieris.* Sed quæſitum eſt præſidium opinioni de immortalitate Adami ante lapſum, quæ aliter quam falſa interpretatione defendi non poterat. Quamvis appareat Deum non ſimpliciter Adamo comminatum eſſe mortalitatem; ſed mortem violentam & ante tempus: ſicut aliæ leges tam divinæ quam humanæ facinoroſis, qui non ſolum mortales ſunt, ſed etiam morti neceſſariæ obnoxii, pœnam mortis intentare ſolent. 2. *Longe aliam eſſe rationem mortis illius quam homines vel infligunt, vel denunciant, quæ videlicet ultra corpus non procedit, ab ea quam Deus comminatur & infligit, ipſo Chriſto diſtinguente*, *Matth.* X. 28. Sed quid facit iſtud ad rem, ubi de ſenſu alicujus phraſeos agitur? An ex eo quod homines corpus tantum occidunt, & animam non poſſunt occidere, Deus vero & animam & corpus perdere poteſt in gehenna, ſequitur phraſin *morte morieris* aliter eſſe intelligendam quando agitur de Deo, quam cum de hominibus; cum in omnibus locis ubi invenitur, certam & inevitabilem mortem ſignificet. 3. *Curcellæum ſibi non conſtare, qui mortem quam Deus Adamo interminatus fuerat, homogeneam illi faciat quæ per reges denunciatur, & à magiſtratibus facinoroſis infligitur; cum nemo ſanæ mentis dixerit, hos mortem æternam denunciare vel infligere.* Sed optime mihi conſto. Nam omnis mors, à quocunque fuerit illata, niſi Deus per omnipotentiam ſuam inde liberet, natura ſua eſt æterna; cum à privatione totali ad habitum non detur regreſſus. Sed Mareſium fefellit, quod mors æterna vulgo dicatur ea quam dolores & cruciatus interminabiles comitantur. 4. *Verba illa*, Quia pulvis es, & in pulverem reverteris, *non exhaurire totam comminationem divinam, morte morieris; cum ad eam quoque ſpectarent ærumnæ, ſudores, & labores quibus homini erat victitandum uſque dum in pulverem reverteretur.* Sed non dixi quod mihi imputat, nec unquam cogitavi excludere ærumnas, ſudores, & labores à pœna homini illata. Hoc tantum mihi volui, loca *Gen.* II. & III. nos ſufficienter edocere de pœna quam Deus Adamo propter peccatum denunciavit & inflixit; nec opus eſſe illud per operoſas conſequentias elicere ex locis quæ de alia materia tractant. 5. Quod porro recenſet de Pſychopannychitis & Thnetopſychitis eorumque erroribus circa ſtatum animarum à corpore ſeparatarum, parum facit ad rem, & me non ſpectat, quem nihil cum illis habere commune oſtendunt ſufficienter quæ paulo ante dixi.

LXV. *Secundum:* Si Deus maximam humani generis partem, ob ſolam Adami tranſgreſſionem imputatam, vel labem inde derivatam, igni æterno addiceret, iſta offenſa majorem haberet vim ad damnandum, quam Chriſti gratia ad ſalvandum. Sed conſequens iſtud eſt abſurdum, & doctrinæ Pauli contrarium, qui dicit, *Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum*

in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit, *Rom.* v. 15. *& seqq.* Excipiunt, gratiam Christi superaturam nihilominus offensam Adami, etiamsi pauciores per illam salventur, quam per hanc damnentur; quia longe excellentius sit salvare, seu à morte eripere, quod vim divinam requirit; quam perdere, quod vel minimi homunciones & animalcula aliquando faciunt. Sed respondeo, in hac comparatione quam Apostolus instituit inter Adamum & Christum, non tantum rationem haberi excellentiæ effectorum ab utroque proficiscentium, sed etiam numeri eorum & qui pereunt & qui salvantur; imo istius præcipue, ut oppositio inter unum & multos vel omnes toties iterata ostendit.

LXVI. *Tertium:* Ex hac doctrina sequitur Deum multo rigidius agere cum multis hominibus, quam cum angelis apostatis; contra quam docet Scriptura, quæ φιλανθρωπίαν Dei passim prædicat, ut *Tit.* III. 4. *Joan.* III. 16. & alibi. Testaturque *Deum angelos non assumere*; (nempe ad eos salvandum, seu à lapsu erigendum) *sed semen Abrahæ*, *Heb.* II. 16. Angeli enim isti ob proprium tantum peccatum, quod scientes & volentes commiserunt, igni æterno adjudicati sunt; homines vero reprobi ob alienum, antequam nati essent patratum; proinde cujus nec conscii, nec participes, ulla ratione esse potuerunt.

LXVII. *Quartum:* Inter inferorum cruciatus est *vermis qui non moritur*, *Marc.* IX. 43. & seqq. per quem conscientiæ morsus ob admissa peccata vulgo solet intelligi. Sed is locum habere non posset in iis, qui nullius proprii & evitabilis peccati sibi forent conscii, & se ob alienum primi sui parentis peccatum plecti cognovissent.

LXVIII. *Quintum:* Siqua peccato originis pœna debeatur, illam saltem naturæ ejus proportionatam esse oportebit, & ipsum gravitate sua non excedere; quod omnium pœnarum necessarium esse requisitum, leges tam divinæ, quam humanæ, & omnes juris periti unanimiter docent. Illud autem non consistit in aliqua positiva qualitate, sed in sola justitiæ originalis carentia ut plerique Theologi sentiunt, & ab aliis, quantumvis invitis extorquebitur, nisi id per horrendam blasphemiam Deo auctori adscribere, & consequenter ipsum omnium scelerum quæ ab hominibus isto peccato infectis inevitabiliter committuntur causam facere malint: & quod jam justitia illa, seu potius innocentia, cum qua primus homo conditus est, destituti nascimur, id non est factum nostra culpa, sed aliena. Ergo peccatum originis alia pœna juste puniri nequit, quam privativa, damni vulgo appellata, seu exclusione à regno cælesti. Quod si Deo libeat, ratione ad transgressionem Adami habita, facere, nemo justam conquerendi materiam habebit, cum beatitudinis istius nemini sit debitor. Præterea peccato figurate & improprie dicto, nulla alia pœna, secundum justitiæ normam, convenit quam figurata & improprie dicta; non illa omnium quæ cogitari possunt maxime horrenda, ignis & cruciatuum æternorum. Et sicut Adami posteri istud peccatum in aliena, nempe ipsius Adami, persona commisisse feruntur; ita si cujusquam idcirco pœnæ sint rei, oportebit ipsos eam subire in illius in quo peccarunt persona, non in propria: alioquin non esset conveniens inter peccatum & pœnam proportio, prout justitia omnino requirit. Propterea reperiuntur multi celebres in Ecclesia Romana Theologi, qui sicut peccatum originale pro minimo, comparatum cum actualibus, habent, ita ipsum minima omnium & levissima pœna, quæ est damni, puniendum judicant: quorum hac in parte moderationem, eos qui de reformatione sua gloriantur, imitari conveniret.

LXIX. Adversarii tamen pro opinione sua objiciunt: *Primo*, Paulum dicere, *Eramus natura filii iræ, ut etiam reliqui*, *Eph.* II. 3. Ex ira autem Dei, necessario pœnam sequi, ut idem Apostolus testatur, dicens, *iram Dei venire in filios contumaciæ*, *Eph.* v. 6. *Col.* III. 6. Ad quod respondeo, me supra ostendisse in isto loco non agi de peccato originis. Deinde etiamsi ageretur, non tamen concederem omnes iræ filios, id est, ira dignos, necessario à Deo puniri. Ethnici enim illi, ad quos scribit Apostolus, exemplo nobis sunt, qui veniam peccatorum, in quibus ambulaverant facientes voluntatem carnis, obtinuerunt. Quidni ergo etiam infantes, nullius adhuc proprii peccati rei? Deusne qui adeo patiens est erga peccatores adultos, ut ipsis longum tempus ad pœnitentiam indulgeat, misellos istos infantes, non exspectato tempore, quo pœnitentiæ sint capaces, in gehennam propter ejusmodi peccatum præcipitaret? Cui adde ineptum esse infantibus applicare id, quod de filiis contumaciæ dicitur, *Eph.* v. & *Coloss.* III. cum tales ibi perhibeantur esse solummodo fornicatores, avari & similes? Infantes ergo ab uberibus matrum adhuc pendentes, sunt fornicatores & avari? suntne etiam contumaces, & Dei voluntati sibi annuntiatæ rebelles?

LXX. *Secundo: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur*, *Matth.* III. 10. & *Luc.* III. 9. At infantes peccato originis inquinati, sunt arbores, quæ non faciunt bonum fructum. Ergo exscindentur & in ignem æternum mittentur. Resp. Nullum agricolam adeo esse fatuum, ut arborem exscindat, & in ignem conjiciat, quia primo quo illam plantavit anno fructum non profert. Exspectat tempus à natura constitutum, ut de fertilitate vel sterilitate arboris alicujus judicet, aut eam exstirpandam decernat. Non potest ergo absque Dei ignominia fingi, ipsum rigidius cum infantibus ad imaginem suam conditis,

tis, quam agricolam cum arboribus agere, ita ut eos exscindat & in ignem æternum abjiciat, si statim atque nati sunt, aut etiam ante, bona opera non edant. Imo neque adultos tam dure tractare solet, quorum pœnitentiam sæpe expectat per multos annos, antequam eos in ira sua exterminet; ut Dominus Jesus egregie docet in parabola, *Luc.* XIII. 6. *& seqq.* Adde quod si istud pronuntiatum ad infantes extendatur, & omnes secundum ejus rigorem judicentur, nemo damnationem æternam effugiturus sit, cum bonorum operum fructus nondum edant. Ergo adultos tantum respicit, similesque iis, qui ad baptismum quidem Joannis veniebant, & peccata confitebantur, sed ab eis non desistebant, neque fidem, quam profitebantur, bonis operibus exornabant.

LXXI. *Tertio*: *Paleæ comburentur igne inextinguibili, Matth.* III. 12. *Luc.* III. 17. Sed infecti peccato originis sunt paleæ: Ergo comburentur igne inextinguibili. Minor probatur, quia necesse est eos aut triticum esse, aut paleas. Non sunt autem triticum, quia non coguntur in horreum, ut bonæ fruges solent: Ergo paleæ. Resp. Falsum esse eos, qui solo originali peccato contaminati sunt, ut recens nati infantes, necessario aut triticum aut paleas esse. Datur enim aliquod medium, cui neque tritici, neque paleæ appellatio convenit, qualis est herba ex grano tritici in terram conjecto germinare incipiens; quæ non ideo abjicitur, quod nondum in triticum adoleverit, sed fovetur potius & irrigatur, ut suo tempore fructum proferat. Sed ut melius adhuc sophismatis hujus ineptia appareat, voces & phrases tropicas convertamus in proprias. Per triticum ergo significantur fideles, & per paleas infideles. Inter utrosque autem medii sunt infantes, qui nondum sciunt, quid differat bonum à malo; ac proinde neque boni, neque mali moraliter esse possunt. Imo ex adultorum quoque numero dantur medii inter fideles, & infideles, nempe, qui Christum, de quo nihil audiverunt, pro suo salvatore non amplectuntur. Quamvis enim negative dici queant infideles, quia non habent fidem, non sunt tamen positive, & culpabiliter, instar illorum, qui in ipsum credere detrectant; sicut colligitur ex verbis Christi: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, &c. *Joan.* XV. 22, 24.

LXXII. *Quarto*: Sicut colliguntur zizania, & igne exuruntur, ita erit in consummatione seculi hujus. Mittet filius hominis angelos suos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula, & eos, qui faciunt iniquitatem, projicientque eos in fornacem ignis; illic erit fletus & stridor dentium, *Matth.* XIII. 40, &c. Peccati autem originalis rei sunt zizania; Ergo projicientur in fornacem ignis. Resp. Eodem modo solvi potest hæc objectio, atque duæ præcedentes; observando aliquod esse medium inter bonum semen seu triticum, & zizania; videlicet herbam ex tritico recenter in terram projecto germinantem, ut suo tempore triticum fiat. Quamvis ergo infantes nondum sint bonum & perfectum triticum, non tamen recte computantur inter zizania, sed medium inter utraque locum tenent. Hic autem verba fieri de solis adultis, evidens est. Nulla enim cum specie infantibus recens natis, qui nondum sciunt, quid sit iniquitas aut offendiculum, attribui potest, quod iniquitatem faciant, aut cuiquam offendiculum ponant, seu lapsus & perditionis æternæ causa sint. Nullos autem alios conjiciunt angeli in fornacem ignis.

LXXIII. *Quinto*: Quando filius hominis veniet, judicaturus universum orbem, collocabit alios ad dextram suam, qui salvabuntur, alios vero ad sinistram, qui damnabuntur æternum, *Matth.* XXV. 31, &c. Ergo in alterutro ordine necesse est contineri homines solo originali peccato inquinatos. At non erunt ad dextram cum ovibus, quæ vitam æternam possidebunt. Quare ad sinistram erunt cum hœdis, qui in ignem æternum mittentur. Resp. Necesse non esse, ut ii qui solius peccati originalis rei sunt, in alterutra istarum partium contineantur, in quas omnes gentes in die judicii separabuntur. Nam judicium istud exercebitur secundum opera vel bona vel mala quæ singuli fecerint: Christusque dicet illis qui ad suam dextram erunt, quod se esurientem & sitientem paverint, nudum vestiverint, ægrotum & captivum visitarint: iis vero, qui erunt ad sinistram, quod hæc charitatis officia neglexerint. Sicut autem solorum adultorum est illud facere, ita & hoc omittere. Unde sequitur infantes, qui nihil adhuc boni aut mali egerunt, isto judicio non comprehendi, nec proinde in æternum ignem conjiciendos, qui solis operariis iniquitatis præparatus fuit.

LXXIV. *Sexto*: *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis, Apoc.* XX. 15. Non omnes autem infantes sunt scripti in libro vitæ, sed tantum electi. Ergo reliqui omnes pœna sensus æterna in stagno ignis afficientur. Resp. Istud est quod in quæstione versatur, utrum talis electio & reprobatio in infantibus locum habeant. Nullus enim est vel minimus in tota Scriptura apex, qui id doceat. Et hoc ipso Apocalypseos loco, dicuntur *mortui fuisse judicati ex eis, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum, vers.* 12. Quomodo autem opera infantium, videl. bona aut mala moraliter, scripta esse possunt in libris, ut secundum illa judicentur, cum nulla adhuc ejusmodi ediderint? Quid ergo, inquies, de eis fiet? Resp. Deus novit: nec opus est, ut quicquam de eo in alterutram partem decidamus. Sufficit tenere ad omnium Christianorum parentum consolationem, qui solliciti sunt de statu liberorum immatura morte abrepto-

abreptorum, Deum, qui summe bonus & justus est, non posse quicquam bonitati & æquitati suæ repugnans de illis statuere. Non promisit quidem expresse vitam æternam infantibus fidei & charitatis expertibus: sed nihil obstat quo minus eis donet, imo id immensæ ejus benignitati valde consentaneum est, & isti Domini Jesu pronuntiato, *Talium est regnum cælorum*, *Matth.* XIX. 14. Quod tam generale est, ut non tantum fidelium, sed etiam infidelium liberos videatur comprehendere. Deus etiam non est minatus æternas inferni pœnas tenellis istis animabus, quæ nullum adhuc inter bonum & malum discrimen ponere queunt, nec ipsius æquitas & misericordia permittunt, ut illis infligat. Ergo non est, quod metuamus, ut id unquam faciat, aut eas ulla sensus pœna in futuro seculo torqueat.

LXXV. Et hæc etiam de peccati originalis pœna breviter dicta sufficiant. Quibus aliquid subtexere possem de effectis, quæ illi vulgo tribuuntur; qualia sunt duo præcipue. Unum; irregenitos perpetuo in omnibus actionibus peccandi necessitati esse subjectos. Alterum; regenitos, quamdiu in hoc seculo degunt, semper esse imperfectos sanctitate, adeo ut non faciant bonum, quod volunt, sed malum quod nolunt, & exigua tantum habeant initia obedientiæ Deo exhibendæ. Sed fundamento everso, hæc sponte ruunt, ut operæ pretium non sit illis immorari. Simulque etiam cadit, quicquid in Synodo Dordracena de absoluta reprobatione definitum est, & primo Canone summatim comprehensum: *Cum omnes homines in Adamo peccaverint, & rei sint facti maledictionis & mortis æternæ, Deus nemini fecisset injuriam, si universum genus humanum in peccato ac maledictione relinquere, ac propter peccatum damnare voluisset, &c.* Quod falso ab illis patribus pronuntiatum fuisse tota hæc dissertatio evincit.

TER-

TERTIA DISSERTATIO

THEOLOGICA:

DE

NECESSITATE COGNITIONIS CHRISTI AD SALUTEM.

I. *Occasio hujus dissertationis.* II. *Quid moverit Remonstrantes ad disputandum de necessitate cognitionis Christi.* III. *Duo capita extra controversiam posita.* IV. *Quid proprie versetur in quæstione.* V. *Primum argumentum, quo probatur eos qui sancte vixerint secundum rectæ rationis lumen, non adjudicatum iri ignis æterni supplicio.* VI. *Examen eorum quæ Maresius ad hoc argumentum respondet.* VII. *Secundum argumentum; Fidem in Christum non fuisse necessariam antequam in mundum venisset. Quod probatur exemplo Rahab.* VIII. *Noë, Gedeon, Barac, Samson, Jephte.* IX. *Ninivitarum.* X. *Fides eorum non constitit in eo, quod crederent Christum in mundum venturum, & se per ejus mortem ab omnibus peccatis mundatum iri.* XI. *Nec id probatur ex Act.* XV. 10, 11. XII. *Examen responsionis Maresii ad exempla ex Hebr.* XI. *petita.* XIII. *Et id quod dicit de Ninivitis.* XIV. *Item de fide in Deum, & in Christum.* XV. *Tertium argumentum, ex comparatione Veteris & Novi Fœderis desumptum.* XVI. *Quartum argumentum, ex eo quod absque fide in Christum bona quædam opera fieri possint. Sensus loci Rom.* XIV. 23. *Omne quod non fit ex fide peccatum est.* XVII. *Quintum argumentum; quod Deus nunquam permisit eos quibus Evangelium non est annunciatum, mediis in se credendi destitui.* XVIII. *Quod probatur primo, ex loco Act.* XIV. 16. XIX. *Secundo, ex Act.* XVII. 26. XX. *Tertio, ex Rom.* I. 19, 20, 21. XXI. *Examen responsionis Maresii ad hunc locum.* XXII. *Quarto, ex Rom.* 11. 4. XXIII. *Examen responsionis Maresii ad hunc locum.* XXIV. *Quinto, ex Rom.* 11. 7. XXV. *Examen responsionis Maresii ad hunc locum.* XXVI. *Responsio ad objectiones quæ fiunt in contrarium. Ad primam, ex Joan.* XVII. 3. XXVII. *Et ad Maresii instantias.* XXVIII. *Responsio ad secundam, ex Hebr.* XI. 6. XXIX. *Et ad Maresii instantias.* XXX. *Deus potius Angelum missurus est ad eos qui lumine rationis bene utuntur, aut alios Evangelii præcones, quam ut eos defectu cognitionis Christi perire sinat.* XXXI. *Deum fœdus cum Abrahamo & posteris ejus ineundo, cæteros homines à gratia salutari non prorsus exclusisse.* XXXII. *Id probatur primo aliquot exemplis eorum qui vixerunt ante legem.* XXXIII. *Deinde eorum qui vixerunt tempore legis.* XXXIV. *Non opus fuit ut reliqui populi legem rituum Israëlitis datam susciperent.* XXXV. *Magna tamen fuit gratia qua Deus prosecutus est Israëlitas, supra reliquos terræ populos.* XXXVI. *Superius dicta confirmantur aliquot Veterum & Recentiorum Theologorum testimoniis, velut Justini Martyris, Clementis Alexandrini, Origenis, Ambrosii, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini, Theodoreti, nec non Alphonsi Tostati, Erasmi, Jacobi Fabri, Zuinglii, Mottæ Vayeri, & Petri Molinæi.*

I. MAresius mihi etiam ultro litem movit de hac quæstione, utrum aliquis per extraordinariam Dei gratiam absque Christi cognitione salvari possit. Cujus affirmativam in libello quodam Gallico contra Petrum Molinæum ante viginti annos defenderam; ipse vero decennio post negativam, in suo Anti-Tirino, Controv. XV. Ea de re tamen nihil mihi constitit, nisi postquam Papissa ejus restituta in lucem prodiit. Cum enim hæc disputatio inserta esset aliis contra Jesuitam, in quibus non suspicabar aliquid adversus me contineri, facile oculos meos, (sicut & præcedens de peccato originis) per totum istud tempus fugit. Sed nunc cum se mihi forte fortuna obtulerit, & Maresius recentibus suis scriptis magnam in se calamum stringendi ansam præbuerit, non possum quin hanc quæstionem iterum ad incudem revocem, ne glorietur me nihil habuisse quod reponerem.

II. Incipit ab injuria, eaque gemina. Nam *primo* cum debuisset commemorare qua occasione hæc controversia inter Remonstrantes & Contra-Remonstrantes sit orta, quia istud multum ad rectum de ea judicium ferendum facit, ipse dissimulat; & Remonstrantes confert cum *Libertinis, Fanaticis, David-Joristis, & similibus, qui honesta & civili conversatione contenti, quamlibet religionem censent indifferentem:* quasi inter se in hoc capite convenirent. At Maresius probe novit nos toto cælo ab ejusmodi hominibus distare, & nullam aliam ad salutem perveniendi viam, præter religionem Christianam agnoscere; pro qua etiam sanguinem proprium fundere parati sumus. Quod tantum abest ut Libertini vellent facere, ut contra ideo statuant omnes religiones esse indifferentes, ne pro Christiana persecutionem pati cogantur. Sciendum igitur est defensores absoluti reprobationis decreti, cum ipsis objicitur, Deum peremptorie non exclusisse à salute eos, pro quibus voluit ut Filius suus unigenitus diram crucis mortem subiret; respondere solitos, multos fuisse olim, & adhuc esse, in orbe populos, qui nihil de Christo audiverunt, pro quibus proinde foret frustra mortuus, cum mors ejus nemini nisi in ipsum credenti prosit. Ut ergo istud effugium præcludamus ipsis, duo dicimus: 1. Nobis sufficere, si concedant Christum pro illis omnibus esse mortuum, quibus Evangelium annunciatur, & præcipitur ut mortem pro se subiisse credant: Illorum enim multum interest ista de re persuasos esse, ne frustra & inutiliter mendacium pro veritate amplectantur. 2. Respondemus ex abundanti; etsi curiosum sit inquirere, quid futurum sit de iis quibus Christus non est annuntiatus, Deique judicio

sint

sint relinquendi, qui unicuique absque προσωποληψίας secundum opera rependet; nos tamen existimare non esse impossibile, ut aliqui ipsorum salutis, quam Christus apud Deum morte sua pro omnibus impetravit, per gratiam extraordinariam participes fiant, dummodo in Deum universi creatorem & gubernatorem credant, & vitam suam secundum rectæ rationis lumen, quod omnibus affulget, instituant. Quid desiderat in eo Maresius? est-ne crimen à Deo plus sperare quam expresse promiserit? Denique etiamsi res aliter se haberet, non tamen necesse foret dicere omnes istos populos absoluto Dei decreto à salute exclusos esse: cum alia ratio sit in promptu, nimirum singulorum peccata, quibus Deum exacerbarint, ut nolit eos patefactione Euangelii dignari, per quod ad salutem adducantur. De quo Scriptura sæpe testatur; cum nullibi reprobationem à Dei gratia absolutæ Dei voluntati attribuat.

III. *Secundo*, nullam fecit mentionem status quæstionis, quem initio mei discursus duabus thesibus breviter comprehenderam; unde omnes possent animadvertere quantum Christo tribuerem in negotio salutis, & quam necessariam fidem in ipsum existimarem. Sed Maresius noluit id sciri à suis lectoribus, putans causæ suæ magis expedire, ut de me pessime sentirent, quam ut de mea mente ipsis recte constaret. Quod ergo dolo malo prætermisit, cogor sarcire antequam ulterius progrediar, ne forte quispiam aliud mihi tribuat, quam sentio. Et dico 1. neminem absque respectu Christi, qui se propitiationem dedit pro humani generis peccatis, accessum habere ad Deum, & apud ipsum gratiam invenire. Neque id debere solum intelligi de hominibus qui post adventum ejus in mundo vixerunt, sed etiam de iis qui ante illud tempus diem suum obierunt. Quia virtus oblationis Christi est perpetuæ apud Deum efficaciæ, qui cum tanquam præsentem intuitus est ex quo præcognovit illum, seu decrevit mittere, ut ejus sanguine, tanquam agni immaculati & incontaminati, mundum redimeret à peccatis, 1 *Petr.* I. 18, &c. Quo applicari etiam potest non incommode illud divini scriptoris, *Hebr.* XIII. 8. *Jesus Christus heri & hodie idem ipse, & in secula.* Quanquam nihil impediat, quin id quoque de ejus doctrina, nulli mutationi obnoxia, intelligatur. 2. Nullos eorum quibus Euangelium annuntiatum est, aut qui occasionem facultatemque habuerunt cognoscendi Christum, salvatum iri absque fide, qua ipsum ut Dei & hominum mediatorem amplectantur. Indigni enim sunt tanta Dei gratia, qui illam sibi oblatam respuunt, aut non eo quo par est studio & cura investigant. Quod significare voluit Petrus, cum Judæorum principibus dicebat, *Non est in alio quoquam* (nempe quam in Jesu Christo) *salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, Act.* IV. 12. Et Joannes, *Qui habet Filium habet vitam: qui non habet Filium Dei, non habet vitam*, 1 *Epist.* V. 12. Et hæc quidem duo capita, extra controversiam esse posita existimo.

IV. Sed difficultate non caret, dicere quid iis futurum sit, qui de Christo nihil unquam audiverunt, nec proinde credere in eum potuerunt, secundum illud Pauli, *Quomodo credent ei, de quo non audiverunt? Rom.* X. 14. Et quæritur, utrum absque fide in Christum per extraordinariam Dei gratiam salvari possint; an vero omnes sine misericordia damnandi sint in æternum, etiamsi Deum pro suæ cognitionis modulo sincere coluerint, & vitam suam secundum rectæ rationis dictamen direxerint, aliis non facientes, quod sibi fieri noluerint. Et verum quidem est Deum nullibi aperte declarasse in sacris literis, se ejusmodi homines vitæ æternæ participes facere velle; ideoque non possumus id tanquam omnino certum asserere. Sed tamen quia Deus aliquando plura hominibus confert beneficia quam expresse promiserit, videamus nunquid ulla nobis in Scriptura indicia reliquerit, unde suæ voluntatis conjecturam faciamus.

V. *Primo* igitur affirmo ejusmodi homines, quales nunc descripsi, non adjudicatum iri ignis æterni supplicio. Id enim solis Euangelii profanis contemptoribus denuntiatum est, atque iis qui rationis lumen suffocant, aut in injustitia detinent, ut liberius carnis cupiditates explere possint; quemadmodum videre est in omnibus illis locis in quibus de tali supplicio agitur. Nec imputabitur eis in peccatum quod in Christum, de quo nihil audiverunt, non crediderint. Id enim excusabile esse significat Christus, cum de Judæis monita sua spernentibus dicit, *Si non venissem, & locutus essem eis, peccatum non haberent,* (nempe incredulitatis, quod obstat ne cætera remittantur:) *nunc autem excusationem non habent de peccato suo, Joan.* XV. 22. videlicet, quia ignorantiam divinæ voluntatis prætexere non possunt. Et revera non sunt increduli. Hæc enim appellatio iis solis convenit qui Euangelio sibi annunciato credere nolunt. De quibus Christus, *Hæc est condemnatio, quia lux venit in mundum, & dilexerunt magis homines tenebras quam lucem*, &c. *Joan.* III. 19. Melius dicuntur ignorantes; & sunt medii inter fideles & infideles. Quare si Deus eos vita æterna excludat, ut liberum est ipsi facere, quia iis non promisit, nec cuiquam mortalium dare tenetur, media conditio statuenda erit à regno cælorum, & damnatione ad ignem æternum diversa, in quam recipiantur: qualis forte esset ut in pulvere, in quem redigendi sunt, æternum maneant, nunquam inde suscitandi; secundum comminationem Adamo factam, *Genes.* II. 17. & III. 19. de qua in præcedente Dissertatione egi. Nam quod Paulus dicit, *Eos qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Jesu Christi, pœnas daturos in interitu æternas*, &c. 2 *Thess.* VIII. 9. huc non quadrat. Non enim disputo de illis qui Deum creatorem

torem non noverunt, ad cujus cognitionem & cultum natura sola homines deducere posset, nisi ejus lumen malitia sua suffocarent: sed tantum de iis qui ignorant Jesum Christum, quem nullus absque divina patefactione agnoscit. Priores plane sunt inexcusabiles coram Deo; ideoque mirum videri non debet, si ipsos aliquando in ignis æterni supplicium sit missurus. Posteriores vero legitimam afferre possunt excusationem quod non crediderint; nempe, quod impossibile sibi fuerit propter revelationis divinæ defectum. Maleque ipsis applicaretur quod Apostolus pronunciat de iis *qui non obediunt Euangelio*: per quos intellexit solos rebelles & contumaces adversus Euangelium sibi annuntiatum; quos nemo dubitat gravissimi sceleris, & solis inferni flammis expiandi, esse reos.

VI. Maresius ad hoc argumentum respondet: *Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo, inquit Augustinus, de pecc. merit. & rem. lib.*I. *cap.*28. *In die judicii duo tantum erunt ordines omnium vivorum & mortuorum; quorum illi ad vitam admittentur qui fuerint à dextris, ad ignem æternum mittentur qui à sinistris. Bonos sibi fingere Ethnicos, qui nullo peccato sunt meriti mortem & maledictionem æternam, est hominum parum in Scripturis versatorum. Tot loca sunt Scripturæ, quæ indicant solis credentibus in Christum promitti vitam æternam, ut ad alios hanc promissionem nemo queat extendere, quin evertat Euangelium. Gehennam destinari solis profanis contemptoribus Euangelii, falsum est. Nam teste Paulo Rom.* II. 12. *quicunque sine lege peccaverint, sine lege peribunt; & quicunque in lege peccaverint, per legem damnabuntur. Incredulitas privativa, ut est vitium fidei oppositum, eorum qui rejiciunt annunciatum sibi Euangelium, intendit ipsorum reatum, Luc.* XII. 47. *Sed incredulitas negativa, quæ mera est carentia fidei necessariæ ad salutem, eorum qui nihil de Christo audiverunt, index est ipsos sub ira Dei, & ejus maledictione relinqui, Joan.* III. 18. 36. Scio quidem istud vulgo dici, duos tantum in ultimo judicio fore ordines hominum, nempe, ut non possit esse nisi cum Diabolo, qui non fuerit cum Christo. Sed nondum id video admodum solide, meo quidem judicio, probatum. Gregorius Nazianzenus non ita sensit: cujus hæc sunt verba. οὐ γὰρ ὅστις οὐ κολάσεως ἄξιος, ἤδη καὶ τιμῆς. ὥσπερ οὐδὲ ὅστις οὐ τιμῆς, ἤδη καὶ κολάσεως, id est: *Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur: quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur*, Orat. 40. quæ est de Baptismo. Et ratio manifeste adversatur. Nam cum tres, respectu Euangelii, hominum sint differentiæ, aliique ei crediderint, alii vero respuerint, alii denique nihil de eo audiverint, nonne est admodum verisimile Deum judicem æquissimum diversimode de singulis pronuntiaturum? Nec contrarium docet locus *Matth.* XXV. Illic enim non videtur describi judicium prorsus universale omnium hominum qui unquam fuerunt, sed tantum eorum qui religionem Christianam sint professi, quorum alii digne Euangelio sese gesserint, alii vero indigne. Nam quomodo posset Christus exprobrare iis quibus non fuit annuntiatus, & qui de ejus voluntate nihil resciverunt, Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum, &c. eademque est ratio aliorum locorum, in quibus homines judicandi in duas classes destribuuntur, ut *Joan.* V. 28. 29. 2 *Thess.* I. 6. &c. atque similium. Cum enim Scripturæ scopus sit singulos, qui eam legunt vel audiunt, officii admonere, non curiositatem nostram pascere, mirum videri non debet, si rara ibi fiat mentio eorum qui extra Ecclesiæ pomœria sunt constituti, & nullam inde utilitatem percipere queant. Sed quid Maresium movit, ut mentionem *bonorum Ethnicorum* faceret, *qui nullo peccato mortem & damnationem æternam sint meriti?* Bonos quidem dixi Ethnicos, sed populari loquendi ratione intelligens eos quibus pietas & honestas morum est cordi; quales fuerunt semper aliqui, ut Socrates, Epictetus, Seneca; etiamsi ad talem perfectionem non adscendissent, ut nullo peccato mortem & damnationem æternam essent meriti. Quod est perversum Maresii glossema, & mihi nec per somnium in mentem venit. Nam quomodo id illis tribuissem? An ego, vel quisquam Remonstrantium, ut innuere videtur, sibi tales unquam finxit Ethnicos, quibus tribueret, quod notum est ne in fideles quidem cadere? Nam *si dixerimus quod peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, 1 *Joan.* I. 8. Quæritur solum an Deus omnes qui damnatione æterna digni sunt, illi absque misericordia adjudicet. Quod diserte negamus, & cum Davide dicimus, *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? quia apud te propitiatio est*, *Psal.* CXXX. 3. 4. Nec vitæ æternæ promissionem, credentibus in Christum factam, extendimus ad alios, etiamsi putemus fieri posse extraordinarie, ut nonnulli quibus non est annunciatus, illius sint participes. Extraordinaria enim, ut regulam non faciunt, ita neque evertunt. Locus *Roman.* II. *v.* 12. non ostendit falsum esse gehennam profanis Euangelii contemptoribus solis destinari. Nam ibi gehenna, aut quippiam æquivalens, ne nominatur quidem; & potest aliquis *perire* ac *damnari*, ut illic loquitur Paulus, qui tamen in gehennam ignis non projiciatur. Denique Maresius aptius opposuisset incredulitatem positivam negativæ, quam privativam. Nam præterquam quod directior est pugna inter positivum & negativum, quam inter privativum & negativum; incredulitas etiam quam vocat privativam, abusive ita dicitur. Non est enim mera privatio, sed actus voluntatis positivus hominis Euangelio sibi annuntiato credere recusantis. Et male applicat incredulitati eorum negativæ qui nihil de Christo audiverunt, id quod legimus *Joan.* III. 18. 36. cum omnes cir-

cumstantiæ ostendant dictum esse in Judæos, quibus Christus, in medio ipsorum versans, satis notus erat. Quod si aliud sibi voluisse prætexat, necesse est ut fateatur istum locum nihil ad rem facere, seu ad probandum quod intendebat inutilem esse.

VII. *Secundo*; Fides in Christum mediatorem non fuit necessaria ad placendum Deo, antequam Christus in mundum venisset; sed tantum fides in Deum, ut constare potest ex aliquot fidelium exemplis, ab Apostolo, *Hebr.* XI. allatis. Quæ duorum sunt generum. Quidam illic commemorantur, qui nihil plane audiverunt de promisso adventus Christi; ut Rahab, mulier Cananæa; cujus fides non tantum ab isto divino scriptore, sed etiam à Jacobo *cap.* II. celebratur. Ea enim non respiciebat in Christum, Salvatorem mundi olim futurum: sed tota in eo consistebat, quod revocans ad animum miracula quæ Deus in gratiam Israëlitarum fecerat, ut quod siccasset aquas maris rubri quando ex Ægypto egressi fuerunt, & victoriam eis dedisset de duobus Amorrhæorum regibus, Sehone & Og, colligebat Deum quem colebant esse verum Deum, qui reliquos omnes inimicos in ipsorum potestatem traditurus esset; & se, exploratores ab iis missos occultando, gratum Deo opus facturam, quod remuneratione cariturum non esset: ut videre est ex modo allegatis locis, sed præcipue ex *Josua cap.* II.

VIII. Fuerunt vero alii, qui etsi aliquam habere potuerant notitiam promissionis de Christo, eorum tamen fides non collocatur in eo quod ipsum venturum expectassent, sed in rebus toto genere diversis. V. gr. Noachus, *qui divinitus admonitus de iis quæ adhuc non videbantur*, id est de diluvio imminente, *metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, & justitiæ quæ per fidem est hæres est institutus.* Item Gedeon, Barac, Samson, Jephte; quorum fides respiciebat ad victoriam, quam se ope divina reportaturos sperabant de hostibus, quamvis numero & viribus longe essent illis inferiores: ideoque de iis dicitur, *quod per fidem fortes facti sunt in bello, & castra verterunt exterorum, vers.* 34.

IX. Præclarum etiam est in hanc rem exemplum Ninivitarum. De quibus narratur ipsos Jonæ prædicatione audita, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, *Jon.* III. 4. *credidisse in Deum.* Nam Jonas nulla iis de Christo verba fecerat, aut de remissione peccatorum, quam possent adipisci in ejus sanguine: sed secundùm mandatum à Deo acceptum denunciaverat horrendum judicium quod capitibus ipsorum imminebat, nulla facta gratiæ spe si se converterent. Quod intentioni ipsius repugnabat: nam doluit quod Deus iis pepercisset. Per fidem ergo quæ Ninivitis tribuitur, hoc solum intelligere oportet, ipsos credidisse excidii sui sententiam jam apud Deum, sicut Jonas denunciabat, esse conceptam; sed cum hac spe, fore ut si à peccatis serio resipiscerent, veniam à Deo, qui summe misericors est, consequerentur. Et hac fiducia indixisse jejunium, & se ad Deum convertisse. Unde dicitur, *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malo quod locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit*, *Jon.* III. *v.* 10. Quod arguit pœnitentiam ipsorum seriam fuisse, non simulatam, ut quidam existimant. Deus enim hypocritica pietatis specie non placatur, sed potius irritatur. Nec Christus ei tam præclarum, ut fecit *Matth.* XII. 41. *Luc.* XI. 32. testimonium præbuisset, si minus sinceram existimavisset.

X. Quare fides qua omnes illi veteres placuerunt Deo, non constitit in eo quod crederent Christum aliquando venturum in mundum; & se per ejus mortem ab omnibus suis peccatis mundatum iri. Nam quamvis aliqui id forte speraverint; hæc tamen non fuit illa fides per quam justi apud Deum reputati sunt. Quemadmodum enim fides, qua hodie credimus Christum jam venisse, non reddit nos justos: sic neque ea qua ipsum venturum antiqui exspectabant: hæc enim est mere historica fides, quæ in multis impiis inventa est olim, & etiam nunc invenitur; qui propter illam non magis accepti sunt Deo, quam Dæmones, qui credunt unum esse Deum & contremiscunt, *Jac.* II. 19. Imo vera in Christum fides, qualis in Euangelio præscribitur, locum habere non potuit etiam in sanctissimis illorum qui ejus adventum antecesserunt, ut Abrahamo, Mose, Davide & similibus. Consistit enim in serio & constanti animi proposito obtemperandi omnibus Christi mandatis, sub spe vitæ æternæ quam promisit obtinendæ. Nullus ergo illa præditus esse potuit antequam venisset, & sua nobis mandata & promissa promulgasset. Itaque fides, propter quam obtinuerunt testimonium justitiæ, non fuit proprie loquendo fides illa in Christum, quæ jam à nobis exigitur, ut per eam coram Deo justificemur: etiamsi fatear comprehendisse spem adventus illius, in aliis quidem clariorem, in aliis vero obscuriorem, pro modo revelationis à Deo diversis temporibus factæ: sed extra quam ut progredi ulterius non poterant, ita neque obligabantur. Quæres qua in re constiterit? Resp. Erat fides in Deum creatorem universi, omnia providentia sua administrantem, & pios amore, impios vero odio prosequentem. Comprehendebatque serium propositum sanctimoniam, quam ei gratam esse noverant, sectandi sub spe amplæ & Deo dignæ sive in hoc sive in futuro seculo remunerationis. Nec aliud, ut puto, facile est colligere ex descriptione fidei, & tot illius exemplis, quæ Apostolus *Hebr.* XI. toto capite proponit.

XI. Attamen, inquies, Petrus non obscure tribuit antiquis patribus eandem omnino fidem in Christum, quæ jam à nobis sub Novo Fœdere exigi-

exigitur; cum dicit iis qui circumcisionem gentilibus ad Christum conversis necessariam esse opinabantur, *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum* (nempe gentilium) *quod neque patres nostri* (nempe Israëlitæ) *neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi,* (scilicet Patres nostri, se per gratiam Domini Jesu Christi salvatum iri crediderunt,) *Act.* XV. 10. 11. Sed responsio est facilis, Ultima ista verba, *quemadmodum & illi*, in quibus vis argumenti consistit, non debere referri ad proxime antecedentia, *Patres nostri*, sed ad discipulos ex gentibus conversos, ibidem quoque commemoratos; de quibus dixerat, *Deus qui novit corda, testimonium iis perhibuit, dans illis Spiritum S. sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.* Quæ ostendunt de istis tantum discipulis, recenter ad Christum conversis, hoc loco agi, non de veteribus Israëlitis de quibus nulla fuerat mota quæstio. Nec obstat quod vox *Patres* propior sit voce *discipulorum.* Nam relativa pronomina, hic, iste, ille, non semper referuntur ad id quod proxime antecessit, sed ad id quod præcipuum est in toto discursu, ut in aliis pluribus locis videre licet. Duo ex hoc ipso libro exempla proferre sufficiet. *Cap.* VII. *vers.* 17. Stephanus dicit, *crevit populus & multiplicatus est in Ægypto, quoad usque surrexit alius rex, qui non noverat Joseph. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit Patres nostros,* &c. Ubi nullus adeo stupidus invenietur, ut ista ultima verba, *Hic circumveniens genus nostrum*, referre velit ad Josephum proxime nominatum, cum evidens sit de rege Ægypti esse intelligenda. Similiter *cap.* X. *vers.* 6. Angelus dicit Cornelio Centurioni, *Accerse Simonem Petrum, qui hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cujus est domus prope mare. Hic dicet tibi quid oporteat te facere,* Ubi etiam verba ista postrema, *Hic dicet tibi*, non respiciunt ad proxime antecedentia, de Simone coriario, sed ad paulo remotiora, de Simone Petro. Fac tamen aliter se rem habere in loco ex *Act.* XV. citato, & Petrum ibi dicere Judæorum majores credidisse se per gratiam Jesu Christi salvatum iri; nondum tamen probatum esset quod versatur in quæstione; nempe ipsos eadem omnino fide, qua justificamur sub Novo Fœdere, præditos fuisse, quæ comprehenderet notitiam præceptorum Christi, & serium illis obediendi propositum, cum fiducia vitam æternam ab ipso promissam obtinendi. Imo nec dici posset illos credidisse se per Christi mortem ab omnibus suis peccatis redemtum iri. Id superabat temporum quibus vivebant captum. Et Apostoli ipsi, postquam diu in Christi schola fuissent instituti, beatique ab eo propter suam fidem prædicarentur, nondum credebant illud, ut docet exemplum Petri, qui Jesu dissuadebat ne iret Hierosolymam, ubi insidiæ ipsi à Judæis struebantur, *Matth.* XVI. 10. *& seqq.* Nihil ergo aliud ad summum credidissent veteres illi, quam se per gratiam Christi venturi, cujus tamen modum & rationem ignorabant, salutem consecuturos. Nam etiam Prophetæ, Spiritu Dei acti, multa prædicebant ad passiones Christi pertinentia, quæ non bene intelligebant ipsi, ut colligitur ex 1 *Petr.* I. 12. tantum abest ut fidelium vulgus mysticum prophetiarum illarum sensum, sub cortice literalis latentem, perciperet.

XII. Maresius nihil aliud habet quod respondeat ad meum argumentum ex *Hebr.* XI. petitum; nisi *nonnullos eorum quorum fides illic laudatur, videri quidem in actibus suæ fidei ad specialia quædam, imo temporalia, respexisse: verum hæc fuisse effecta & τεκμήρια fidei illius justificantis & salvificæ, quæ promissiones salutis in Messia obventuræ, cæterasque illis innixas, pro mensura revelationis divinæ amplectebantur.* Sed quis credet divinum scriptorem tam negligenter materiam istam tractavisse, ut cum sibi proposuisset (secundum Maresii hypothesin) ostendere quomodo fides veterum quam celebrat, ad Christum & ejus mortem respexerit, tamen ne verbo quidem & obiter Christi meminerit: sed eam collocet in rebus toto genere diversis, ut fiducia evasionis è diluvio, conservationis in interitu patriæ, victoriæ de hostibus reportandæ, & similibus? Nec sufficit dicere, actus fidei ad temporalia beneficia spectantes, fuisse effecta & τεκμήρια fidei justificantis, quæ promissiones salutis in Messia obventuræ amplectitur. Nam unde constat de eo? An inde quod credentes in Christum beneficia temporalia, quæ petunt à Deo, semper consequuntur, infideles vero nunquam? Atqui istud est falsissimum, ut universa Scriptura docet, ubi pii sæpe conqueruntur Deum permittere se affligi, & omnia impiis ex voto succedere: quod est primarium *Psalmi* XXXVII. & LXXIII. argumentum. Ergo aliud hic sibi voluit Apostolus; nempe veterum fidem se in eo exeruisse, quod de promissionibus bonorum temporalium à Deo sibi factis non dubitarint. Istud autem non potest esse effectum aut τεκμήριον seu signum certum fidei in Christum tanquam salutis æternæ auctorem: quia hæc fides non aufert omnem dubitationem & solicitudinem de bonis temporalibus, de quibus nullum speciale promissum habemus.

XIII. De Ninivitis vero dicit, *Si eorum resipiscentia non fuit mere πρόσκαιρος, habuisse tantum fidei Deo, & tantum fiduciæ de ejus misericordia concepisse, quantum Deus ipsis Jonæ ministerio revelavit, adeoque saltem implicite in Redemtorem credidisse, cujus solius merito peccatores misericordiam consequuntur.* Sed Ninivitarum resipiscentia potuit esse πρόσκαιρος, id est, ad tempus tantum durasse, & tamen fuisse vera: veluti homo qui in juventute obiit, non minus erat homo verus, quam ille qui ad decrepitam usque senectutem pervenit. Nec enim de virtutibus judicare oportet ex duratione, sed ex partibus & proprietatibus earum essentialibus, quæ æque inveniri possunt

in iis quæ parum, atque in iis quæ diu durant. Quod si Ninivitæ id solum fiduciæ de Dei misericordia concepissent, quod Jonas ipsis revelaverat, nihil plane, ut modo vidimus, de illa sibi promisissent: sed sapientiores se, & mentis Dei hac in parte intelligentiores esse Prophetâ ostenderunt. Fidem vero implicitam rei plane ignotæ sibi fingere existimo nihil aliud esse quam delirare, & pertinaciam prodere, quæ nugas apertæ veritati anteponat. Releganda igitur est ad mythologos, una cum semine fidei, quod nonnulli infantibus in Baptismo tribuunt, vel per Baptismum ingenerari tradunt; quamvis ratio manifesta doceat, eos qui ignorant discrimen quod est inter suam dextram & sinistram, multo minus supernaturalium rerum, quas fides amplecti debet, capaces esse. Sed omnia hodie, etiam monstrosissima, sub mysteriorum nomine, aliis credenda obtrudere magistri nostri sibi permittunt. Non abnuerim tamen fidem implicitam in Christum veteribus Israëlitis, quibus promissus erat, tribui posse. Magnorum enim bonorum sibi auctorem futurum sperabant: sed qualia illa deberent esse, & quomodo allaturus, nesciebant.

XIV. Denique quia distinxeram inter fidem in Deum & fidem in Christum mediatorem, respondet, *id frustra fieri; quia Christus fidem in Deum & in se, ex asse exigit*, *Joh.* XIV. 1. *nec fidem in Deum ex operibus naturæ posse haberi, sed ex revelatione gratiæ. Veteris vero Testamenti fideles habuisse fidem in Christum pro mensura revelationis sibi factæ.* Sed non sequitur ex eo quod illi quos Christus ibi compellat, aut ad quos ejus sermo pervenit, in Christum sicut in Deum Patrem credere debent, ad id quoque alios, qui nihil unquam de ipso audiverunt, æqualiter obligatos esse. Supra enim vidimus Christum id diserte negare, *Joh.* XV. v. 22. Miror autem quomodo Maresius asserat, *fidem in Deum ex operibus naturæ non posse haberi, sed tantum ex revelatione gratiæ*, cum id sit peculiare Socini dogma, cujus est tantus adversarius. An ergo non puduit Orthodoxum Theologum, hæretici vitula hic arare. Quantum vero uterque hallucinetur, statim ex argumento meo quinto patebit. Veteris Testamenti fideles habuisse fidem in Christum, clariorem aut obscuriorem, pro mensura revelationis sibi factæ, libenter concedo: quanquam non existimem propter illam præcipue placuisse Deo, cum sola ad veram sanctimoniam ingenerandam non sufficeret: sed potius quia Deum pietatis liberalissimum remuneratorem esse credebant, quæ fides per charitatem operabatur, *Gal.* v. 6.

XV. *Tertio*, Si veteres qui ante Christi adventum vixerunt, salvati sunt absque fide in ipsum, non est credibile Deum sub Novo Fœdere euangelico, in quo majorem erga genus humanum quam sub Veteri gratiam exserit, velle à salute excludere omnes qui in Christum non crediderunt, quamvis absque ulla sua culpa, & ideo tantum quia ipsis revelatus non fuit. Atqui veteres illos fidem in Christum non habuisse, & tamen per fidem Deo placuisse, modo demonstratum fuit. Salvos autem fore in die ultima, cum Deus unicuique secundum opera sua rependet, non est etiam cur aliquis dubitet. Id enim Christus diserte testatur, dicens, *Multos ab oriente & occidente venturos, & in regno cælorum cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo recubituros*, *Matth.* VIII. 11. Item Apostolus, *non confunditur Deus, vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem*, *Hebr.* XI. 16. nempe, *cælestem* illam, *fundamenta habentem, cujus artifex & conditor est Deus*, *vers.* 10. Quidni ergo idem sentire liceret de piis inter gentes, qui à temporibus Christi omnis ejus cognitionis expertes vixerunt? Nam quamvis nunc major sit fidei in Christum necessitas, quam antea; id tamen respectu solum eorum intelligi debet, quibus Christus annunciatus fuit, aut facultatem ipsum cognoscendi habuerunt. Quod trahere ad alios, & quidem absque ulla probabili ratione, esset arctare limites misericordiæ divinæ; quos felicium Novi Testamenti temporum ratio dilatandos potius suadet.

XVI. *Quarto*: Illi qui fide in Christum carent, bona opera, Deo accepta, edere possunt, atque in studio sancte vivendi perseverare, & peccatorum pœnitentiam agere, quanquam non sine Dei auxilio. Ergo salutem æternam adipiscentur, per extraordinariam & impromeritam Dei gratiam; aut saltem ignis æterni supplicium effugient. Consequentia est adeo manifestæ veritatis ut ab omnibus admittatur, & probatione non indigeat. De antecedente etiam nullum iis dubium erit, qui Scripturæ & experientiæ credere volent. *Cum gentes*, inquit Paulus, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciant, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, &c. *Rom.* II. 14, 15. Qui autem faciunt ea quæ sunt legis, se dedunt bonis operibus, & peccata vitant. Istud enim est in quo tota lex versatur. Aliquos vero saltem ita se gerere, exempla docent. Cum Pharao præcepisset obstetricibus Hebræorum, ut interficerent omnes mares qui nascerentur iis, *Timuerunt obstetrices Deum, & non fecerunt juxta preceptum regis Ægypti, sed conservabant mares, &c. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos*, *Exod.* 1. Similiter Rahab & Ninivitæ, paulo ante commemorati, bona opera, Deo grata, fecerunt. Item Cornelius centurio, *vir religiosus & timens Deum, cum omni domo sua, faciens multas eleemosynas plebi, quæ sicut & orationes ejus, adscenderunt in memoriam in conspectu Dei*, *Act.* X. Nec non tot præclari viri inter gentiles, quorum fit mentio apud Ciceronem, Senecam, Plutarchum, Diogenem Laertium, Valerium Maximum & alios. Quibus forte non male applices id quod Dominus dicebat de Ninivitis & de Regina Austri; Surrecturos in judicio cum multis nomine tenus Christianis, & illos condemnaturos,

Matth.

Matth. XII. 41, 42. Ad hoc responderi solet, Apostolum dicere, *Omne quod non est ex fide, peccatum est, Rom.* XIV. 23. Alterutrum ergo oportere, aut ut supra commemorati homines fide in Christum præditi fuerint; aut, si non fuerint, indubitanter pronunciare, omnes eorum actiones fuisse peccata. Sed neutrum, ut mihi videtur, necessarium est. Nam quod ad prius, nec obstetrices Ægyptiacas, nec Rahabam, nec Ninivitas, in Christum venturum credidisse ulla cum specie affirmatur. Nec magis id verisimile est de Cornelio, in cujus historia prolixe duobus capitibus descripta, nullum prorsus talis fidei vestigium exstat. Tutum autem non est præsumere aliquid ultra id quod scriptum est. Quod ad posterius, non est tanta vis allegati loci, ut paradoxi hujus confessionem à nobis debeat extorquere. Primo enim Paulus non dicit, *Omne quod non est ex fide Christi*; sed tantum, *omne quod non est ex fide:* & nihil impedit quominus id æque bene de fide in Deum, atque de fide in Christum intelligatur. Secundo, circumstantiæ, omnes loci ostendunt, fidem hic nihil aliud significare nisi persuasionem animi id quod agimus Deo non displicere; & opponi dubitationi qua nonnulli anguntur, an Deus quod agunt probaturus sit, necne. Nam 1. Apostolus illis qui de fide ista gloriantes, cibos lege Mosis prohibitos edebant cum infirmorum offendiculo, dicit; *Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo.* Quod enim eos fidem suam apud homines abscondere jubet, & in solius Dei conscientia acquiescere, manifeste arguit ipsum non agere de fide salvifica, cujus confitendæ necessitatem alibi urget, dicens, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, Rom.* X. 10. 2. Statim subjicit, *Qui vero ambigit, si ederit, condemnatus est, quoniam non edit ex fide.* Nimirum ex illa fide de qua dixerat *vers.* 14. *Novi & persuasum habeo in Domino Jesu, nihil esse impurum per se, &c.* Ubi evidens est fidem opponi dubitationi. Itaque dici non debet de operibus illorum, qui certi sunt id quod agunt rectum esse, sive ex lege naturæ, sive ex Mosaica, ea non esse ex fide; ex. gr. si lapsum in ignem aut in aquam inde eripiant, famelicum cibent, nudum vestiant, & alia ejusmodi, de quibus nemo dubitat quin optima sint. Quin tamen longe excellentiora per fidem Christi fieri possint opera, quam absque illa, puto nullum Christianum repertum iri qui non ultro agnoscat; & pluribus ostendere esset facile, si necessitas postularet.

XVII. *Quinto:* Deus illos quibus Euangelium non est annuntiatum nunquam permisit esse omnino destitutos iis mediis, quibus in se credere, & ex fide sibi obedientiam & subjectionem exhibere possent. Ergo qui istis mediis bene usi fuerint, aut salutem æternam absque fide in Christum consequentur, aut saltem ignis æterni supplicium, impiis & infidelibus paratum, effugient. Consequentia est manifestæ veritatis. Absurdum enim foret existimare eos qui vere in Deum mundi Dominum credunt, horrendam istam pœnam propterea subituros, quod in Christum non crediderint; licet id nec facere tenerentur, nec possent, cum sibi revelatus non esset. Superest ergo solum antecedens nobis probandum. Quod factu est facillimum: multa enim habemus Scripturæ loca, in quibus id diserte docetur.

XVIII. Primus occurrit ille ubi Paulus Lystrensibus dicit, *Deus non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implensque corda nostra cibo & lætitia, Act.* XIV. 16. Opera enim quæ Deus per naturam ministram suam ordinariam efficit, & singulis momentis sensus nostros feriunt, amplissimum præbent testimonium omnipotentiæ, bonitatis & sapientiæ divinæ: quod qui habent, sufficientibus instructi sunt mediis, quibus ad credendum in Deum & ipsum colendum adduci possint. Dices forte pluvias, tempora fructifera, & cibos, quorum solorum Apostolus meminit, non docere quomodo Deus sit colendus. Resp. Ista exempli gratia, inter plurima alia quæ habemus allata fuisse, & vel sola attente considerantibus sufficere ad persuadendum Deum esse, & oportere ipsum amare, timere, colere. Quo pacto vero in eo se gerere conveniat, ratio qua omnes præditi sunt, satis indicat, nempe præstantissimum Dei cultum esse piam & honestam vitam, qua magis delectatur quam ullis donariis, ut Satyricus præclare docet:

At vos
Dicite Pontifices in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donata à virgine puppa.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago:
Compositum jus fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.
Hoc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

Quibus similia passim legimus in gentilium libris. Quod si istud insufficiens esset, immerito dixisset Paulus, Deum non se reliquisse ἀμάρτυρον seu testimonii expertem. Ad quid enim illud testimonium, si partem tantum & quidem minimam eorum quæ scire oportet ad Deum colendum, nobis indicaret? Esset-ne argumentum divinæ veritatis erga humanum genus, si quibusdam ad momentum solum eo frui daretur, ut postea in æternam miseriam præcipitarentur?

XIX. Secundum locum; huic plane geminum, habemus in ejusdem Apostoli oratione ad Athenienses, ubi dicit, *Deum fecisse genus hominum ut se quærant & inveniant; cumque non longe esse ab unoquoque nostrum: in ipso enim nos vivere & moveri & esse, Act.* XVII. 26. Quid enim sibi volunt ista, nisi Deum adeo se clare universis hominibus patefecisse, ut nemo sit qui non possit eum colere, & propitium erga se experiri? Deum enim quærere idem est ac ipsum cultu & honore debito prosequi, ut docet illud divini scriptoris *Deum esse remuneratorem iis qui se quærunt, Hebr.* XI. 6. Et

 invenire

invenire illum, est favoris ejus esse participem, ut ostendit Propheta cum dicit, *Quærite Deum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est, Esa.* LV. 6.

XX. Tertius longe insignior exstat *Rom.* I. 19. 20. 21. ubi Paulus dicit de gentilibus, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, id est, *id quod de Deo potest & debet cognosci,* (utrumque enim ista vox significat) *manifestum est in ipsis: Deus enim ipsis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatione mundi, videlicet æterna ejus potentia & divinitas, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: ut sint inexcusabiles: quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias ei egerunt*, &c. Ex quo apparet eos quibus Deus verbo legis aut Euangelii se non patefecit, destitutos non esse omni Deum cognoscendi & ad salutem perveniendi facultate; si modo gratiæ sibi oblatæ non desint, aut eam in injustitia non detineant, id est, injuste supprimant: veluti servus ille malus, qui talentum à Domino ut ex eo negotiaretur acceptum, involvit linteo, & defodit in terram; id est inutile reliquit, quamvis magnum inde lucrum capiendi opportunitas se offerret, *Matth.* XXV.

XXI. Maresius respondet: *Sufficienter Deus se manifestavit etiam Ethnicis per opera creationis ad eorum inexcusabilitatem, ut non potuerint ignorantiæ causam prætexere; non tamen sufficienter ad salutem.* Verum gratiosa Dei manifestatio neminem per se, seu ex natura sua reddit inexcusabilem, sed tantum quatenus contemnitur aut rejicitur. Quod siqui tam misera forte essent conditi, ut non possent luce oblata recte uti, sed necessario illam respuere deberent, non redderet eos inexcusabiles coram Deo. Inexcusabilis enim ille demum est, qui nullam justam afferre potest excusationem cur Dei voluntatem non fecerit. Quod in eos non quadrat, quibus Deus manifestavit quidem suam voluntatem, sed vires ad ei obtemperandum necessario requisitas denegavit. Nulla enim magis legitima excusatio dari potest, quam ea quæ ab impotentia proficiscitur: cum ad impossibile, ut natura docet, & omnes homines consentiunt, nemo obligatus sit. Nec satis capio quo modo Maresius, una cum ὁμοψήφοις, fateatur quidem homines quibus Dei voluntas non fuit revelata, legitimam habituros excusationem quod ei non paruerint, idem tamen agnoscere nolit de illis qui viribus destituti fuerint; cum par omnino sit ratio, sive impotentia obediendi ab hac vel ab illa causa procedat; & causa hic nullum peculiare pondus habeat, sed tantum impossibilitas, quæ facit ut obedientia juste exigi nequeat. Adde quod absque *summa* bonitatis Dei injuria dici non possit, scopum ejus cum se gentilibus per opera creationis manifestavit, fuisse tantum eos reddere inexcusabiles, non vero ad salutem adducere: quasi dona Dei ad eorum perniciem tendant quibus ea largitur. Tenderent autem, si nullam aliam haberent efficaciam quam inexcusabiles eos reddendi. Qui enim sunt inexcusabiles, graviorem merentur pœnam, quam illi qui aliquid speciosum peccatis suis prætexere possunt. Itaque hac phrasi, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, non indicatur scopus ad quem Deus manifestando se gentibus collimavit; sed tantum istius manifestationis eventus: quod recte intellexit vetus interpres, qui eam reddidit, *ita ut sint inexcusabiles*: quemadmodum etiam non raro videmus particulas ἵνα vel ὅπως, ut, accipi pro ὥστε, ita ut: ex. gr. *Rom.* V. 20. *Matth.* XXIII. 35.

XXII. Quartum locum suppeditabit *cap.* II. *ejusd. Epist. ad Rom.* ubi Paulus dicit, *An divitias bonitatis ejus (Dei) & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit?* &c. *v.* 4. Unde colligo, Si benignitas quam Deus erga omnes homines exserit, & patientia qua utitur in dissimulandis aut tolerandis eorum peccatis, adducit eos ad pœnitentiam, adducit quoque pariter ad salutem; cum pœnitentia sit infallibilis ad salutem via, nec Deus ulli unquam peccatori, serio resipiscenti, admissorum veniam deneget. Iste locus adeo clarus est ut nulla elabendi rima detur: nisi quod aliqui negant de gentilibus hic agi. Ex initio enim capitis apparere Apostolum Judæos compellare, cum dicit, *propter quod inexcusabilis es homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.* Quod putant nullis aliis convenire quam Judæis. Sed resp. Solum contrà hujus capitis initium ostendere quam inepta sit exceptio qua utuntur. In eo enim continuatur sermo præcedenti capite inchoatus; qui sine controversia ad gentiles dirigitur. Nec ulla hic apparet personæ mutatio: sed potius eosdem qui antea compellari, ut indicat conjunctio illativa, Quare, aut, Propter quod. Adversus gentiles autem toto primo capite disputavit. Volens enim omnes peccati convincere, ut necessitatem gratiæ quam Deus in Christo offerebat agnoscerent, incipit ab aperte impiis & profanis, quorum enormia scelera redarguit. Postea transit ad eos qui simulabant se à vitiis abhorrere, & clam interim ea committebant quæ damnabant in aliis; ostendens eos ita se gerendo sententiam in se ipsos condemnatoriam pronunciare. Tales autem erant plerique Philosophi, qui præclare quidem de virtute disserebant, sed tamen sanctiorem cæteris vitam non ducebant; quos ideo Lucianus passim salse admodum in suis scriptis perstringit. Item illi de quibus loquitur Satyricus;

Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.

Non enim existimandum est hypocritas inter Judæos solum repertos fuisse. Istud vitium per totum terrarum orbem obtinuit; ubi multi semper fuerunt qui simularunt pietatem, cujus vim abnegarant. Paulus incipit tantum à *v.* 17. hujus capitis nominatim alloqui Judæos, ubi dicit, *Ecce tu Judæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo*, &c. Quæcunque præcesserunt à *v.* 18. *cap.* I. usque ad istum locum, gentiles spectant, etiamsi

etiamsi interdum quædam verba ad Judæos pertinentia obiter interserantur. Et istud adeo manifestum est, ut plerique omnes interpretes, quarumcunque sint partium, in eo consentiant. Denique fac Paulum hoc loco speciatim gentiles non compellare; tamen vis argumenti inde petiti illibata maneret, dummodo agnoscatur Deum aliquoties erga illos patientia & longanimitate usum esse. Id autem adeo aperte constat ex universa Scriptura, ut neminem id ausurum negare arbitrer. Inspiciatur solum locus modo citatus ex *Act.* XVII. 30. ubi Apostolus dicit, *Deum dissimulatis ignorantiæ temporibus, omnibus ubique hominibus denunciare ut resipiscant.* Et quod Petrus scribit de iis qui vivebant paulo ante diluvium, *quando semel exspectabat Dei patientia in diebus Noe*, 1 *Epist.* III. 20.

XXIII. Quid ad hæc Maresius? Nil dat nisi verba,& sine mente sonum. *Cum, inquit, ipse Curcellæus agnoscat, Gentiles ex operationibus creationis & providentiæ non sufficienter edoceri ad salutem eam quæ est in Jesu Christo, deberet pari ratione agnoscere, beneficiis quidem divinis, & pœnarum dilatione admoneri peccatores officii sui, sed eos nihil aliud quam obsurdescere ad eam vocem, instar eorum qui cataractas Nili accolunt, earumque strepitum non percipiunt.* Ita est: agnosco opera creationis & providentiæ non posse nos docere de Christo, & ratione salutis per eum obtinendæ,& opus esse revelatione divina ad hæc cognoscendum, alioqui nos ea sempiternum ignoraturos. An debeo pari ratione agnoscere, patientiam & longanimitatem Dei erga peccatores, eos ad pœnitentiam non adducere, quamvis Paulus id diserte affirmet? Quænam obsecro est similitudo inter ista, ut me oporteat ab uno ad alterum argumentari? *Sed peccatores nihil aliud quam obsurdescunt ad eam vocem, &c.* Fateor de plerisque, sed non de omnibus. Nec est culpa vocis divinæ,quod multi eam non audiunt; sed eorum ad quos dirigitur, qui sibi aures malitiose obturant. Pessime ergo eam comparat Maresius cum Nili cataractis, quarum strepitus obtundit accolas & eos surdos reddit; quasi benignitas Dei & patientia erga peccatores, eo tantum tenderent ut eos deteriores & obfirmatiores in malo redderent. Quod est excusare eos & causam improbitatis illorum cum blasphemia in Deum rejicere. En præclaram argumenti mei ex hoc illustri loco solutionem.

XXIV. Sed quid opus est plures conquirere & coacervare, cum quintum habeamus in hoc *cap.* II. *Roman.* qui totam controversiam de salute gentilium Christum ignorantium dirimit? ubi *vers.* 7. dictum, *Iis qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*; supple reddet Deus; ut apparet ex versu antecedente, cum quo hæc verba cohærent. De gentilibus autem, non minus quam de Judæis istud pronunciatum esse intelligendum docet universa orationis Apostoli series, & nominatim *versu* 10. & 11. *Gloria, honor, & pax, omni operanti bonum, Judæo primum deinde & Græco: non enim est acceptio personarum apud Deum.* Non respici autem hic ad Græcos seu gentiles per Euangelium vocatos, sed in statu naturæ adhuc positos, evincitur ex iis quæ immediate sequuntur, *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt:* quæ in eos qui aliquam Euangelii notitiam habuerunt non quadrant. Cui adde interjecta *vers.* 8. & 9. verba, *Iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio*, supple, erit. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum; Judæi primum, deinde & Græci.* Quibus comprehenditur severa comminatio gentiles pariter & Judæos feriens. Absurdum autem esset existimare promissa alicujus legis ad eos omnes non pertinere, qui illius minis subjecti sunt: seu non posse omnes promissorum bonorum sub conditione obedientiæ esse participes, sed tantum pœnas illâ denunciatas incurrere. Relinquitur ergo ut si aliqui ex Ethnicis operati fuerint bonum, & per boni operis patientiam quæsierint gloriam, honorem, & incorruptionem, illi vitam æternam adipiscantur. Tales autem semper fuisse aliquos, etsi non magno numero, discimus ex Cicerone, Seneca, Plutarcho, & aliis auctoribus, tam antiquis quam recentibus. Et ita hunc locum interpretati sunt aliquot ex Patribus, ut Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, &c. de quibus infra.

XXV. Maresius respondet: *Sic talibus promittitur vita æterna, sive Judæi sive gentiles fuerint, ut tamen non dicatur vel tales revera posse legaliter dari, contra quam ipse Paulus docet, Rom.* III. 10. 11. 12. *vel posse tales euangelice reperiri absque Christi notitia & fide.* Sed in paucis his verbis largitur mihi quod volo, & simul revocat, atque ita sibi non obscure contradicit. Primo enim concedit vitam æternam gentilibus promitti sub conditione hic expressa, quæ non est ut credant in Christum, (quod frustra exigeretur ab iis quibus non fuit revelatus;) sed ut studiosi sint bonorum operum. Tales autem possunt esse etiam ii qui legem perfecte non implent. Nec ut puto id diffitebitur Maresius, qui existimat regenitos quamdiu hic vivunt, semper esse peccati mancipia; & non facere bonum quod volunt, sed malum quod nolunt. Statim post tamen addit, non dici vel tales revera posse dari legaliter, vel reperiri euangelice. Quod satis non capio, & vellem ut paulo dilucidius explicuisset. Mensne ipsius est dicere, neminem eorum qui sub lege vixerunt, bonis operibus studuisse, & in isto exercitio perseverasse? Ita videtur, & eo referre locum *Rom.* III. *Non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, &c.* Sed observandum est, 1. Non dici quid isti homines, quorum enormia scelera ibi recensentur, potuerint facere aut non facere; sed tantum quid fecerint: quæ duo longissime à se invicem distare, facile vident qui cerebrum in calcaneo non habent. 2. Pronunciata ista non esse

esse universaliter & absque omni exceptione accipienda. Nam in illis ipsis locis unde hæc desumpsit Apostolus, fit mentio *generationis justæ*, & *plebis Dei*, quam improbi illi devorabant: vide *Psalm.* XIV. & LIII. Ergo sub lege omnia non erant adeo corrupta, ut nulli pietati & virtuti dediti, invenirentur. Certe nemo quadrasse dixerit in Zachariam, Elisabetham, qui *ambo erant justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela, Luc.*1.6. Sub Euangelio autem ubi perfectior morum sanctimonia injungitur, major etiam est fidei necessitas: sed in iis duntaxat quibus Christus est revelatus. Nam quod ad alios attinet, illi adhuc sunt sub legis aut sub naturæ fœdere; & quemadmodum parum iis datum fuit, ita parum ab iis reposcetur. Deus enim non est iniquus, ut metere velit ubi non seminarit, aut congregare ubi non sparsit. Itaque Maresius nullo modo argumenti mei vim infregit. Nisi forte putet solutum, dicendo promissionem vitæ æternæ gentilibus sub conditione impossibili factam, pro vera promissione non esse habendam. Et sane non esset. Sed absit ut credamus Deum hominibus illudere, aut simulare se velle dare, quod nunquam daturum decrevit.

XXVI. Nunc audiamus quid in contrarium afferatur. 1. Christus in oratione sua ad Patrem dicit: *Hæc est vita æterna ut te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, Joan.*XVII.3. Unde colligunt non minus necessarium esse ad vitam æternam obtinendum, Jesum Christum quam unum Deum Patrem cognoscere, cum utriusque notitia, tanquam pariter requisita, hic simul conjungantur. Cum igitur nemo absque fide in Deum Patrem salutem sit consecuturus, ita neque etiam absque fide in Christum. Talis enim notitia hic intelligitur quæ cum vera fide conjuncta sit, & non tam in theoria, quam in praxi & cordis fiducia consistat. Ad quod respondeo, multa adhuc alia testimonia proferri posse, quæ fidem in Christum requirunt in iis qui salutis æternæ participes sunt futuri: qualia sunt præcipue illa duo insignia quæ supra citavimus ex *Act.* IV. 11. 12. & 1 *Joan.* V. 12. item *Joan.* III. 16. Sed ibi nihil amplius docetur, nisi religionem Christianam esse viam quam Deus vult unumquemque insistere ut ad salutem perveniat, nullique alii cultui promissionem fecisse, unde illam obtinendi spes oriri queat. Quod non sufficit ad evincendum Deum extra ordinem neminem præterea ad illam admissurum; nequidem eos qui sancte & juste secundum naturæ lumen vixerint, si qui tales inveniantur. Nihil enim obstat quominus plus præstet quam aperte promiserit; præsertim cum tot suæ in hac parte voluntatis indicia dederit, ut ante vidimus.

XXVII. Sed Maresius in hac responsione non acquiescens dicit: 1. *Fingere homines qui absque fide in Christum sancte vivant, est perabsurdum.* 2. *Et cum normam Scripturæ habeamus, de unica via salutis per nomen Christi, alteram absque Scriptura extraordinariam fingere, plane nefas est.* 3. *Quod si fas est Remonstrantibus fingere præter fidem in Christum ex usu Scripturæ, aliquam extraordinariam viam salutis absque Christo & ejus notitia, cur aliis non licebit etiam extraordinariam comminisci salutis viam pro dæmonibus & scelestissimis mortalium?* Sed cur adeo absurdum est existimare dari aliquos homines qui absque fide in Christum sancte vivunt; cum tot alia ad sanctitatem vitæ adminicula præter illam habeamus, nempe lumen rationis, & opera creationis & providentiæ divinæ, quæ nos eo deducunt, ut vidimus supra in quinto argumento, & Scripturæ testimoniis ad illius confirmationem allatis? Imo contra valde absurdum est, 1. Omnia ista media, quæ Scriptura tantopere extollit, inefficacitatis ac insufficientiæ accusare. 2. Fingere Deum opt. max. plerosque mortalium destitutos relinquere auxilio sine quo auxilio impossibile est ut sancte vivant, & gehenna ignis æterni punire eos qui sibi impossibilia non fecerunt. Si dixisset solum, nos absque fide in Christum & doctrina Euangelii, non habituros tantam voluntatis Dei cognitionem, atque nunc habemus, ac proinde non fore tam perfectæ sanctitatis capaces, assentirer ultro. Sed asserere neminem posse absque fide in Christum sectari sanctitatem, ad quam recta ratio ducit, est adversus solem loqui: perinde ac si ille qui unum solum talentum aut bina accepit à Deo, non posset ex iis negotiari; sed requireretur ut quinque haberet. 2. Fateor nemini fas esse viam salutis extraordinariam absque Scriptura fingere. Sed immerito istius criminis accusatur qui tot inde pro se argumenta depromit, ut ego ante feci. 3. Quare conclusio, quam ex isto antecedente elicit, est ridicula, licitum fore etiam aliis extraordinariam salutis viam comminisci pro iis quos Scriptura disertissime ab ea excludit, ut dæmonibus & scelestissimis hominibus. Si cui libet periculum faciat, & judicabunt versati in Scriptura, an ipsi æque feliciter atque nobis consilium istud successurum sit. Quæ de privative & negative incredulis repetit, ante sufficienter refutata fuerunt.

XXVIII. Objicitur 2. *Sine fide impossibile est placere Deo, Hebr.* XI. 6. *Fides autem est subsistentia rerum sperandarum, & demonstratio seu argumentum rerum non apparentium, ibid.* v. 1. Ea vero non potest concipi ex contemplatione operum creationis & providentiæ: sed necesse est ut aliqua adhuc alia revelatio accedat, quæ nos de Dei voluntate edoceat. Resp. Ex operibus creationis cognosci posse, esse aliquem supremum universi Dominum & rectorem; item ipsum esse optimum, potentissimum, sapientissimum; indeque concipi aliqua remunerationis spes, si ejus gratiam sancte vivendo ambiamus. Cui si deinde adjungatur observatio exemplorum providentiæ Dei in remunerandis probis, & puniendis improbis; istam spem validius adhuc fulcrum cui innitatur habituram. Nihil enim obstat quo minus ejusmodi fides

fides dicatur esse subsistentia rerum sperandarum, & demonstratio non apparentium, etiamsi à cognitione Jesu Christi,& promissione Euangelii separata sit. Nam respicere potest ad remunerationem & punitionem quas oculis præsentes non videt; & hac ratione ad virtutem sectandam, & vitium fugiendum induci, de bonitate & justitia Dei ex iis quæ aliquando vidit & audivit plene persuasa.

XXIX. Hic etiam Maresius nodum in scirpo quærit, dicens: 1. *Cum fatente Curcellæo opera naturæ sint insufficientia ad id, nescio qua ratione providentiæ ordinariæ cursum ab illis velit distinguere.* 2. *Et Asaphi exemplo Psalm.* LXXIII. *per totum, constat ex iis quæ in hoc mundo eveniunt bonis & malis, potius desperationem nasci probis, quam fidem; donec veniant in sanctuaria Dei, ut ibid. loquitur, com.* 17. *& ex Dei oraculis de malorum fine & exitu edoceantur.* 3. *Nec possunt ex usu Scripturæ res speratæ & quæ non videntur, quas vera fides debet amplecti, referri alio quam ad salutem quæ est in Christo, cujus promissiones non aliunde quam ex Dei verbo habentur, Rom.* X. *v.*14.15.16.17. Resp. 1. Ego non tam distinguo providentiæ ordinariæ cursum ab operibus naturæ, quam volo iis adjungi, ut ex utrorumque consideratione homines discant Deum cognoscere, & fidem suam in eo collocare. Quid? An Maresius negabit in singulis esse peculiare pondus, & quod deest operibus naturæ, suppleri posse ex ordinariæ providentiæ cursu, vel contra? Cur ergo Deus in multa secula integram conservavit statuam salis in quam conversa est uxor Loth, quæ supererat adhuc circa ultimi excidii Hierosol. tempus? Joseph. Antiquit. lib. 1. cap. 12. Cur vult etiamnum extare mare mortuum, in loco ubi erant Sodoma & Gomorra enatum? nonne ut in exemplum sint judiciorum suorum, ad quæ attendentes ipsum timeamus? Cur etiam Christus & sacri scriptores tam sæpe commemorant historiam diluvii, conflagrationis Sodomæ & Gomorræ, & pœnarum de Israëlitis olim sumptarum, nisi ut inde discamus quid expectandum sit illis qui in impietate vixerint? Vide *Luc.* XIII. 1. 2. 3. 4. 5. & XVII. 26. *& seqq.* 2 *Petr.* II. 1. *& seqq. Jud.* v. 5. 6. 7. 1 *Cor.* X. 1. *& seqq.* & sæpe alibi. Sed hæc omnia flocci non facit Maresius: & exemplum Asaphi profert, ut ostendat ex iis quæ in hoc mundo eveniunt bonis & malis, potius desperationem nasci probis quam fidem, &c. Verum non adducit illud satis fideliter, significans sanctum istum virum sola oraculorum Dei ope ex tentatione desperationis emersisse, cum ex iis de malorum fine & eventu edoctus fuit. Nam contra ipse testatur, id factum cum animadvertit judicia quæ Deus in eos exseruit, *v.* 18. 19. 20. & oraculorum Dei ne meminerit quidem: nec ea per sanctuarium Dei, ut putat Maresius, intellexerit. Cui adde Asaphum damnare stultitiam suam, cum tantopere prosperitate improborum & adversitate bonorum offensus est, ut pene pedes sui moti fuerint; & Deo confiteri, *Ut jumentum factus sum apud te*, *v.* 23. nempe cum illud non animadvertit quod etiam sapientes inter Ethnicos cognoverunt. Ex. gr. Claudianus, qui sic poëma suum adversus Rufinum inchoat:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.

Et post allatas varias tam pro, quam adversus providentiam divinam rationes, sic concludit:

Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absolvitque Deos. Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror; tolluntur in altum
Ut lapsu graviore ruant.

Sed Maresius, ut puto, non illubenter Epicuri, omnem Deo providentiam adimentis, dementiæ patrocinium susciperet, ipsumque ex iis quæ in mundo geri videbat, aliter judicare nequivisse affirmaret. En quo studium contradicendi hominem istum abripiat! 3. Denique quod dicit res speratas, & quæ non videntur, alio ex usu Scripturæ quam ad salutem quæ est in Christo, referri non posse, non est perpetuo nec ubique verum. Nam cap. XI. ad Hebræos contrarium expresse docet: Ex. gr. cum Noë tribuit, *quod fide responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, v.* 7. Scio quidem Maresium pro more suo, intrepide affirmaturum, fidem Noë respexisse ad Christum. Sed ignoscat mihi si θεοπνεύστῳ scriptori, eam ad diluvium imminens referenti, magis quam ipsi credam.

XXX. Sic meam sententiam sufficienter, ut arbitror, defendi. Si quis tamen pertendat fidem in Christum omnino ad salutem esse necessariam, & loca Scripturæ ante adducta videantur ipsi expressiora, quam ut exceptionem qua usus sum admittant, addam corollarii vice Deum esse tam æquum & bonum, ut nunquam passurus sit perire eos in quibus ejusmodi fides & pietatis rudimentum, quale descripsi, inventum fuerit, & potius ad ipsos angelum de cælo missurum, ut olim ad Cornelium centurionem *Act.* X. qui eos de via salutis edoceat, quam ut propter solum defectum cognitionis Christi, quam nec possunt nec tenentur absque revelatione habere, à se æternum rejiciat. Vel, si hac via procedere nolit, & illi Deum timentes aliquo sint numero, ad eos ablegaturum Euangelii præcones, ut olim Corinthum, ubi populum multum habebat, *Act.* XVIII. 10. qui ipsis verba vitæ æternæ annuncient. Nam quod alias contigit potest etiam hodie rebus eodem se habentibus modo evenire; cum id voluntati divinæ sit consentaneum, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad veritatis cognitionem venire, 1 *Tim.* II. 4. & consuetudini, qua solet omni habenti dare, *Matth.* XXV. seu donis suis bene utenti illa augere & multiplicare. Nec opus est scrupulose inquirere de statu Cornelii & Corinthiorum, cum Dominus misit ad eos Euangelii mini-

ministros per quos in veritate divina instituerentur. Libenter enim concedam, quicquid boni erat in illis fuisse ex gratia divina: modo non intelligatur gratia quædam particularis, paucis electis ex decreto absoluto collata, cæteris vero omnibus denegata; sed gratia ad quam cunctis pateat accessus per preces. Interea certum est Cornelium non fuisse proselytum, populo Judaico per circumcisionem insertum, multoque minus Corinthios: alias offensi non fuissent fideles ex circumcisione quod Petrus ad illum ingressus esset, & una comedisset, *Act.* XI. *v.* 2. 3. Neque videtur tunc cognovisse quæ ad salutem ipsi erant necessaria; cum Angelus dicat ei, Accerse Simonem, qui loquetur tibi verba, In quibus salvus eris tu & universa domus tua, *Act.* XI. 14. Si istis assentiatur Maresius, nihil mihi cum eo erit dissidii super hoc negotio. Sed cur objicit nobis axioma quod vocat Jesuiticum, *Facienti quod in se est semper Deus præstat auxilia gratiæ prævenientis*, & innuit nos id deteriore sensu quam prudentiores Jesuitarum intelligere; cum nusquam id usurpaverim, nec forte ullus nostrum? Mira hominis in nos acerbitas, qui in libro adversus Jesuitam scripto, sibi temperare non potuit, quin passim nos durius, & quidem sine causa, eo quem sibi ex professo elegerat adversarium, perstringeret! Sic ostendere exemplo suo vult, fratrum odia, cum à se dissidere incipiunt, longe quorumvis aliorum amaritiem superare.

XXXI. Propter materiæ affinitatem attexam hic, appendicis vice, brevem discussionem hujus quæstionis, An cum Deus fœdus iniit cum Abrahamo & ejus posteris, propositum sibi habuerit omnes reliquos homines à sua gratia penitus excludere: ita ut extra Abrahami familiam & ex ipso per Isaacum & Jacobum ortos, qui postea populum Israëliticum constituerunt, nulli veri cultores Dei, nulli salutis æternæ participes toto terrarum orbe esse possent? Et ad eam quidem nonnulli respondent affirmative, pro certo reprobationis absolutæ indicio ante Christi adventum accipientes, ad istum populum non pertinuisse. Sed tamen putant consilium Dei quodammodo mansisse suspensum, seu executioni non fuisse datum, antequam Abrahami progenies in populum numerosum evasisset, cum quo fœdus suum renovasset. Durante enim isto temporis intervallo, nempe à fœdere quod Deus cum Abrahamo percussit, usque ad legem ipsius posteris è monte Sinaï promulgatam, aliquos adhuc extra Abrahami familiam potuisse pios esse, & vitæ æternæ hæredes: sed postea nullos amplius, nisi sub hac conditione ut legem susciperent, & se populo Israëlitico aggregarent. Sed nullam hujus restrictionis afferunt probationem; quæ ab ipsis eo tantum fine excogitata videtur, ut facilius quorundam argumentorum, quæ ipsis objiciuntur, robur eludant. Alias nullum in Scriptura habemus indicium, nec ulla potest reddi ratio, cur spirituale fœdus cum Abrahamo initum, non statim plenum suum effectum sortiretur. Sicut enim angustia familiæ Abrahami non impedit Deum quominus ipsum solum honore fœderis dignaretur, ita neque requisitum fuit ut in magnum populum excrevisset, priusquam sola benedictionum Dei spiritualium hæres esset. Fateor tamen illud fuisse necessarium ut introduceretur in possessionem terræ Canaan; quæ à paucis hominibus occupari non poterat: ideoque Deus Abrahami posteris post quadringentos demum annos eam se daturum spoponderat, *Gen.* XV. 13. &c. Hac in parte suspensa est plena fœderis cum Abrahamo initi executio: sed in aliis, quæ non constat fuisse comprehensa in fœdere, idem affirmari absque temeritate nequit.

XXXII. Dico igitur liquere ex multis Scripturæ locis, mentem Dei non fuisse cum Abrahamum in fœdus peculiare assumpsit, omnes cæteros homines à gratia sua & beneficiis spiritualibus excludere. Tempore Abrahami vivebat Melchisedec rex Salem, vir pius & sacerdos Dei altissimi, cui Abraham decimam manubiarum ex hostibus suis reportatarum persolvit; & qui tanquam major & præstantior Abrahamo benedixit, *Gen.* XIV. qui etiam Christi & sacerdotii ejus æterni typus fuit, *Psal.* CX. *Hebr.* VII. Sub tam pio autem rege & sacerdote, nullos fuisse homines Dei timentes, qui ipsius vestigia premerent, incredibile est. Similiter Abimelechum Geraræ regem, fuisse virum pium & æquitatis amantem testatur *Genes. cap.* XX. & XXVI. Ut jam præteream Semum Noë filium, & Heberum generis Hebraïci auctorem, præstantes pietate viros, cum quibus Jacobum non exiguam vitæ partem conversari potuisse Chronologia docet. Non diu post vixit Jobus & ejus amici; qui quam eximia Dei cognitione & pietate prædici essent totus Jobi liber fidem facit. Eos autem omnes ex Esauo originem duxisse vulgo creditur, & probabiliter admodum colligitur ex *Genes.* XXXVI. 11. Imo LXX interpretes id diserte asserunt in versione libri Jobi circa finem; ubi Job quintus ab Abrahamo fuisse perhibetur; forte ex Hebraïco aliquo exemplari, illis quibus hodie vulgo utimur pleniori. Quid dicemus de sex Abrahami filiis, quos ex Cetura sua post Saram altera uxore suscepit? omnesne absque pietate & Dei metu ævum transegerunt, quia non erant in illo fœdere comprehensi? Et tamen Deus ipse testimonium perhibet Abrahamo, *Scio quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam*, &c. *Genes.* XVIII. 19. Non minorem ergo curam gessit illorum & Ismaëlis institutionis quam Isaaci, in quo vocandum ipsi erat semen quod terram Canaan olim possideret.

XXXIII. Jam ut ad tempora legis veniam, Jethronem Mosis socerum, sacerdotem Madian,

dian, ex posteris Abrahami per Ceturam (an omnes intermedii parentes impii & profani fuerint prudentibus lectoribus perpendendum relinquo) virum fuisse valde pium discimus ex *cap.* XVIII. *Exodi.* Sane quam alienus fuerit ab idololatria gentili testatur præclara ejus confessio, *Nunc cognovi quod magnus Dominus super omnes Deos, &c.* & quod obtulerit holocausta & hostias Domino, & venerint Aaron & omnes seniores Israël, ut comederent panem cum eo coram Deo. Ideoque Moses, Deo haud dubie approbante, consilium ejus sequi in regendo populo non est dedignatus, & in LXX seniorum tribunali erigendo, quod ad extremam usque Hierosolymæ vastationem perduravit. Familia tamen ejus non se adjunxit Israëlitis, à quibus invitabantur; sed maluit reverti in terram suam, *Num.* X. 29. ubi posteri in cultu veri Dei perseverarunt, ut constat ex historia Jahelis *Judic.* IV. Rachab etiam Deo propter fidem placuit, antequam populo Israëlitico per conjugium cum Salomone insereretur. Hiram quoque rex Tyri, & regina Sabæ, tempore Salomonis pietatis erant studiosi. Et Ninivitæ ad prædicationem Jonæ crediderunt Deo, & pœnitentiam peccatorum egerunt.

XXXIV. Non opus ergo fuit ut extranei à populo Israëlitico legem rituum susciperent, ut gratiam invenirent apud Deum. Id tantum fuit requisitum ut terræ Canaan & benedictionum temporalium ei alligatarum participes essent. Sed quod ad spirituales, semper verum fuit quod dicit Petrus, *In omni gente qui timet Deum, & operatur justitiam acceptus est illi, Act.* X. 34. etsi ipse præjudicio impeditus illud antea non intellexisset. Loquitur enim de gentilibus incircumcisis, & qui legem Mosaïcam non servabant, qualis erat Cornelius centurio. Ideo Prophetæ cum scelera populorum idololatrarum reprehendunt, & judicia Dei ipsis denunciant, nunquam eos omissæ circumcisionis, aut Sabbati, aliorumque ejusmodi rituum violatorum accusant, vel ad eos observandos hortantur: sed tantum peccatorum adversus legem naturæ meminerunt. Nimirum fœdus istud nullos alios obligabat præter Israëlitas, cum quibus initum fuerat: Qua de re vide *Esa.* XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. *Jerem.* XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LI. *Ezech.* XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. Item Abdiam, Jonam, Nahum. Propthereaque cum reliqui populi per Euangelium vocati fuerunt ad veri Dei cognitionem, Deus noluit eos legis ceremonialis onere gravari, *Act.* XV.

XXXV. Nec ita quicquam detrahitur excellentiæ istius gratiæ, qua Deus Israëlitas speciatim prosecutus est. Etsi enim absque ea salus obtineri posset ab aliis gentibus; id tamen longe facilius erat Israëlitis, quibus Deus voluntatem suam & se colendi modum patefecerat, quam iis qui nullam legem præter rationis dictamen & incertas aliquot patrum traditiones habebant. Quod beneficium celebrat Propheta dicens; *Annunciat verbum suum Jacobo, statuta & judicia sua Israëli: Non fecit ita omni nationi, & judicia sua non cognoscunt; Psal.* CXLVII. 19. 20. Sed etsi idem solis splendor cæteris gentibus non affulserit qui Israëlitis, non destituti tamen fuerunt lunæ & clariorum aliquot stellarum lumine, quo tenebræ suæ irradiarentur: & quamvis Deus tam opiparam cunctis mensam non instruxerit atque Israëlitis, potuerunt tamen affatim satiare se pane cibario & reliquiis ex illa decidentibus; adeo ut socordiæ suæ tantum tribuere deberent, si officio deessent.

XXXVI. Denique quia Maresius sententiam meam de plano tanquam Achristianam damnat, ostendere volo quam temere id faciat: utpote qui celeberrimos quosque Ecclesiæ Doctores, tam veteres quam novos, eadem mecum condemnatione involvat. Omnes autem illi pro me militant, non tantum qui Thesin meam diserte tuentur, sed etiam quoquot veras Ethnicis tribuunt virtutes, quas certum est Deum ignis æterni gehenna nunquam puniturum.

Primum in hoc Catalogo occupabit locum *Justinus Martyr*, qui in Apologia sua secunda pro Christianis dicit; *Et quicunque cum ratione ac verbo vixere, Christiani sunt, quamvis athei & nullius numinis cultores habiti sint, quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis similes: inter Barbaros autem Abraham, & Ananias, & Azarias, & Misaël, & Elias, & alii complures: quorum facta simul & nomina in præsentia recensere, quia longum esse scimus, supersedemus.*

Secundus erit *Clemens Alexandrinus*, Stromat. lib. I. *Iis qui à Philosophia fuere justificati, auxilium tanquam thesaurus reconditur, & ea consensio quæ ducit ad Dei cultum & pietatem in Deum. Atque erat quidem ante Domini adventum Philosophia Græcis necessaria ad justitiam, nunc autem est utilis ad Dei cultum & pietatem, iis qui fidem colligunt per demonstrationem.* & lib. VII. *Quocirca præcepta dedit & priora & posteriora, ex uno fonte hauriens Dominus, nec eos qui erant ante legem sine lege esse nihili pendens; nec eos qui non audiebant barbaram Philosophiam ferri effrenatos permittens. Nam cum illis quidem præcepta, his vero præbuisset Philosophiam, incredulitatem conclusit in adventum, quo tempore est inexcusabilis quisquis non crediderit.*

Tertius *Origenes*, qui in Epistol. ad Roman. lib. II. cap. 2. hæc verba *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco*, quæ antea ad confirmandam meam sententiam adduxi, de infidelibus exponit, dicens, *Quod ut ego capere possum, de Judæis & gentilibus dicit, utrisque nondum credentibus.*

Quartus *Ambrosius*, qui in lib. De bono mortis, cap. II. cujus titulus est, Quæ sit animarum post hanc vitam futura lætitia, scribit, *Esdras revelavit secundum collatam in se revelationem, Justos cum Christo futuros, futuros & cum sanctis.*

Hinc & Socrates ille festinare se dicit ad illos semi-Deos, ad illos optimos viros. Sic ostendens se credere Socratem cum Christo & aliis Sanctis æternum victurum.

Quintus *Hieronymus*, qui Commentar. in *Matth.* XXII. exponens hæc verba, *Nuptiæ quidem paratæ sunt,* &c. sic loquitur: *Gentilium populus non erat in viis, sed in exitibus viarum. Quæritur autem quomodo in his qui foris erant inter malos, & boni aliqui sint reperti. Hunc locum plenius tractat Apostolus ad Romanos, quod gentes naturaliter facientes ea quæ legis sint, condemnent Judæos qui scriptam legem non fecerint. Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita; cum sciamus alios esse proclives ad vitia, & ruentes ad mala; alios ob honestatem morum virtutibus deditos.* Et in Comment. in Gal. cap. I. *Ex quo perspicuum fit natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & justitiæ, reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide & Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, &c.*

Sextus *Chrysostomus*, qui Homil. in *Matt.* XXXVII. scribit; *Poterant enim homines tunc* (nempe ante Christi adventum) *etiam ipsum Christum non confessi, salvari. Non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur, sed ut idolorum cultu spreto, unum solum Deum conditorem omnium noscerent.* Et paulo post: *Quod autem qui ante Christum obierunt ac ideo ipsum non agnoverunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorarunt, si præterea honeste vitam peregerunt, æterna bona & beatitudinem adipiscerentur, audi quid dicat Paulus, Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Gentili.* Similia quoque habet in Homil. XXXVIII.

Septimus *Augustinus*, qui licet in contraria fuisse putetur sententia, tamen aliquando ita aperte pro me facit ut non possit magis. Vide Epist. ejus XLIX. ad Deo gratias, presbyterum, ubi in responsione ad secundam quæstionem dicit; *Ab exordio generis humani quicunque in Deum crediderunt, eumque utcunque intellexerunt; & secundum ejus præcepta pie & juste vixerunt, quandolibet & ubilibet fuerint, per eum proculdubio salvi facti sunt.* Eodemque pertinet totum caput XLVII. lib. XVIII. de Civit. Dei; ubi inter alia occasione Jobi dicit, *Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno (Jobo) sciremus etiam alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Hierusalem.* In quod caput vide etiam doctas Ludov. Vivis annotationes.

Octavus *Theodoretus*, qui in *cap.* II. *ad Rom.* scribit, *Similiter autem*, inquit, *& Judæos & Græcos & inique agentes puniet, & pietatis ac justitiæ curam agentes coronis dignabitur. Græcos autem nunc vocat, non eos qui ad divinam prædicationem accesserunt, sed eos qui ante divinam incarnationem fuerunt: Non autem iis vitam æternam pollicitus est, qui idola adorarunt, sed iis qui extra legem quidem Mosaicam vitam egerunt, pietatem autem Deique cultum amplexi sunt, & justitiæ curam gesserunt.*

Et hi sufficient è veteribus. Magnam quoque recentiorum turbam afferre possem, ut Alphonsum Tostatum Abulensem Episcopum, Erasmum, Jacobum Fabrum Stapulensem, Ludovicum Vivem, Zuinglium, & alios, quorum testimonia describere longum esset. Sed præter cæteros Mottam Vayerum in erudito opere Gallico, *De la vertu des Payens.* Ubi prolixe collegit omnium fere qui de hoc argumento scripserunt sententias. Agmen claudet Petrus Molinæus, qui *de Novitate Papismi*, lib. I. cap. 52. inquit; *Tout le service de Dieu consiste en deux parties, à bien faire, & à bien croire. Or nous avons le sommaire du premier en la loy de Dieu, & du second au symbole. Force personnes sont parvenües au salut avec moins de connoissance que cela. Jonas n'a pas proposé toutes ces choses aux Ninivites, à la conversion des quels neantmoins Iesus Christ rend témoignage, au* XII. *chap. de S. Mathieu. Id est, Universus Dei cultus in duabus partibus consistit, videl. in bene faciendo, & bene credendo. Summam autem primæ habemus in lege Dei, & secundæ in symbolo. Multi ad salutem pervenerunt cum minore cognitione quam his continetur. Jonas non proposuit hæc omnia Ninivitis, quorum tamen conversioni Iesus Christus testimonium perhibet, Matt. cap.* XII. Eat nunc Maresius, & istos omnes è Christianorum numero proscribat. Me quod attinet, tam superbam & temerariam damnationem ne pili quidem existimo.

QUAR-

QUARTA DISSERTATIO THEOLOGICA:

DE HOMINIS PER FIDEM ET PER OPERA JUSTIFICATIONE.

I. Feralis Autorem hæreseos accusat Maresius. II. Duæ significationes vocum justificationis & justificandi. III. Justificemur-ne sola fide, an vero fide & operibus simul? IV. Mala Paulum cum Jacobo conciliandi ratio. V. Quomodo uterque vocem fidei accipiat. VI. Paulus eam non raro usurpat pro Euangelio. VII. Paulus non excludit à justificatione opera fidei, quæ Jacobus ad eam requirit. VIII. Responsio ad exceptionem eorum qui dicunt, fidei opera prodesse quidem ad salutem, sed non ad justificationem; & fidem quatenus est opus in justificatione non considerari. IX. Pœnitentiam ad obtinendum peccatorum remissionem requiri: ac proinde omnia bona opera à Justificatione non esse excludenda. X. Quo sensu accipiendum sit dictum Pauli, Rom. IV. 5. Quod Deus justificat impium. XI. Responsio ad accusationem Maresii, Autorem dum ex operibus legis vult justificari, mortem Christi evacuare. XII. Et ad testimonia Bellarmini, & Cornelii à Lapide. XIII. Doctrinam de Justificatione per fidem & opera, non esse Socinianam. XIV. Nec ex ea sequi, Justificationem nostram non esse gratuitum Dei beneficium. XV. Nec salutis certitudinem evertere. XVI. Examen opinionis illorum qui putant nos justificari antequam fidem habeamus. XVII. Eam esse rationi adversam. XVIII. Et toti Scripturæ S. quæ docet nos per fidem justificari. XIX. Non ideo Deum quosdam fide donare, quod peccata eorum in Christi sanguine jam fuerint expiata. XX. Nec fidem qua justificamur apprehendere remissionem peccatorum, quasi antea jam actu irrevocabiliter factam. XXI. Conclusio.

I. Superest adhuc repellenda atrox illa accusatio quam Maresius adversus me instituit, quod dixerim, Hominem coram Deo justificari, non ex fide tantum, sed etiam ex operibus. Unde occasionem arripuit me tanquam Socinianum & Christianæ religionis hostem traducendi. *Praeterea*, inquit, *omnium hactenus Protestantium unanimis vox fuit, & fides communis, hominem sola fide justificari, exclusis quibuslibet fidei operibus. Tu vero crudius adhuc quam Pontificii; ut cum Socinianis justificationem ex operibus propugnes, diserte statuis in præfatione supra citata ad opera Episcopii, Apostolum Opera, Fidei opponendo, in negotio justificationis, non excludere omnia opera à nostri justificatione, sed tantum legalia; Circumcisionem, sacrificia, sabbata, & alia id genus, non moralia, qualia in Euangelio præcipiuntur. I nunc Curcellae, & post ferales istas voces, nega te esse impurissimum Socinianum, aut te simula Euangelicum Protestantem, Reformatorum pastorum fratrem in Christo, & porrige illis arte & more Socinianorum societatis dextram; nunquam tamen alio loco poteris haberi apud homines pios, doctos, & sanos, quam hæretici impurissimi, qui dum ex operibus legis vis justificari, mortem Christi evacuas, & nihil Christiani retines præter nomen. Nam Bellarminus lib. I. de Justificatione, cap. XIX. ex professo eos refutat qui docent per opera, quæ Apostolus à justificatione excludit, intelligi observationem legalium ceremoniarum, circumcisionis, sabbati, neomeniarum, &c. Et Cornelius à Lapide ad Rom. III. docet Apostolum fidem ab operibus separando & distinguendo, opera intelligere legis, non solum ceremonialia & judiciaria, sed & moralia, sive decalogi, ut recte monet Augustinus, de spiritu & litera, cap. IV.* Istud est quod Maresius reprehendit, contra cujus tela ut me defendam, operæ pretium existimavi sententiam meam paulo fusius & enucleatius, quam illic feci, explicare, ut nemo inde errandi, aut sequius quam par sit de orthodoxia mea judicandi, ansam arripere queat. Et quia in hoc doctrinæ capite, si usquam alibi, variæ occurrunt homonymiæ quæ impediunt ne alter alterius mentem recte intelligat, ab indagatione significationis vocum incipiam.

II. Primum igitur sunt nonnulli qui putant justificationem hominis coram Deo, nihil aliud esse quam mutationem, qua quis ex impio, seu peccatore, fit justus; sicut sanatio est mutatio qua quis ex ægroto fit sanus. Secundum illos Deus dicitur peccatorem justificare, cum repurgat cor ejus à peccato cui antea serviebat. Hoc autem facit per verbum Euangelii & per Spiritum suum, qui ejus prædicationem & attentam meditationem ordinarie comitatur. Et hoc sensu Paulus, cum antea dixisset quosdam ex Corinthiis, ad quos scribit, fuisse antea fornicarios, idololatras, adulteros, fures, avaros, ebriosos, maledicos, statim subjungit: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*, I Cor. VI. 9. 10. 11. Ubi vox *justificati*, duabus istis sanctificati & abluti, tamquam synonyma aut æquivalens apposita est. Item: *Qui justus est, justificetur adhuc; & sanctus sanctificetur adhuc*, Apoc. XXII. 11. Ubi etiam manifestum est, *justificetur* idem esse atque justus fiat; sicut sanctificetur est sanctus fiat. Alii vero etiamsi his non contradicant, censent tamen ordinariam verbi *justificare* significationem, in sacris Novi Fœderis libris, præsertim ubi Apostoli contra Judæos disputant, diversam esse, & secun-

 dum

dum fori usum accipiendam, pro justum declarare aut pronunciare: ut cum Dominus Jesus dicit, *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, *Matth.* XII. 37. Ubi oppositio condemnationis & justificationis non permittit ut illud *justificaberis* aliter quam justus pronunciaberis, exponatur. Similiter in Pauli verbis, *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*, *Rom.* II. 13. id est, Deus legis observatores pro justis censebit, & justitiæ præmio donabit. Et hæc significatio est usitatior, & ad Pauli Epistolas intelligendum commodior, quam præcedens. Ideoque nos posthac in dissertatione nostra illam usurpabimus: licet priorem quoque attenta consideratione non indignam judicemus.

III. His in antecessum præmissis, jam videndum est quid Deus ab iis requirat quos olim justificaturus est, vel sub qua conditione homines in judicio suo justos pronunciare, & vita æterna, quæ justitiæ est præmium, donare decreverit. Qua de re duas discrepantes inter Christianos invenio sententias: alii enim nos sola fide apud Deum justificari docent: alii vero fidei bona opera, quæ ex se tanquam effectus producit, adjungi volunt. Priores nituntur præcipue autoritate Pauli, dicentis; *Arbitramur* (vel colligimus) *justificari hominem per fidem, sine operibus legis*, *Rom.* III. v. 28. Item, *scientes quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; & nos in Christo Jesu credidimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod ex operibus legis non justificatur omnis caro*, *Galat.* II. 16. Posteriores vero pro se afferunt Jacobum, qui non minus expresse dicit; *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum*, *Jac.* II. 24. Quid ergo? Contradicuntne sibi invicem Paulus & Jacobus, adeo ut quod ille adstruxit, hic destruat & demoliatur? Ita existimarunt nonnulli, & nodum quem non poterant solvere dissecantes, Epistolæ Jacobi autoritatem Apostolicam, quantum in se fuit, adimere contenderunt. Sed absit ut cum illis faciamus. Non difficile est divinos istos scriptores inter se conciliare, si attendamus eos non de eadem fide, neque de iisdem operibus loqui.

IV. Sed prius removenda est falsa conciliandi ratio, quam aliqui nuper sunt commenti: nempe Paulum agere de justificatione coram Deo; Jacobum vero de justificatione coram hominibus; qualis erat Pharisæorum, quibus Dominus Jesus exprobrat, *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus*, *Luc.* XVI. 15. Idque inde apparere quod Jacobus vanis illis fidei suæ jactatoribus dicat; *Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*, *Jac.* II. 18. Verum nihil minus quam istud cogitavit Jacobus. Nam justificatio coram hominibus ad salutem æternam est inutilis; quia homines quibus arcana cordium sunt inaccessa, & solum ex charitate judicant, quæ omnia credit & omnia sperat, in judicio suo errare possunt, & eos pronunciare innocentes, quibus cælestis judex olim dicturus est, *Nunquam novi vos; discedite à me qui operamini iniquitatem*, *Matth.* VII. 23. Qualis erat Angelus Ecclesiæ Sardis, cui ipse dicit: *Scio opera tua; quia nomen habes quod vivas, & mortuus es*, *Apoc.* III. 1. De salute autem æterna Jacobum loqui, tota disputationis ipsius series ab initio docet: *Quæ utilitas, si quis dicat se habere fidem, opera vero non habeat; num potest eum fides servare?* *Jacob.* II. 14. Item id quod postea de Abrahamo, illustrandi causa, subjungit, *Eum fuisse ex operibus justificatum, cum filium suum super altare obtulit: & amicum Dei appellatum*, *vers.* 21. & 23. Titulo enim isto amici Dei honoratus est, cum Deus eum justum pronunciavit. Non igitur quando justificatus est coram hominibus. Qui si aliquando Abrahamum esse justum testati sunt, diversa prorsus de causa id fecerunt, non quod filium suum super altare obtulisset. Nam propterea ipsum potius insanum & impium, quam justum pronunciaturi fuissent. Quamvis etiam nonnulli se coram hominibus justificent, cum de suis virtutibus & præclare factis glorientur, & eos quodammodo provocare videatur Jacobus, cum dicit *Ostende mihi*, *&c.* Hæc tamen non fuit sufficiens ratio; cur in explicanda nostri coram hominibus justificatione immoraretur, prætermissa illa quam apud Deum habemus, in qua nostra beatitudo consistit.

V. Ad conciliandum ergo Jacobum cum Paulo, expediet primum observare eos de diversi generis fide loqui. Jacobus enim cum docet fidem ad nostri justificationem non sufficere, nisi opera illa adjungantur, intelligit vanam illam fidei umbram, de qua multi, nomine tenus Christiani, gloriantur. Qualis erat Judæorum, de quibus scriptum est, *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat*, *Joan.* II. v. 23. Nam hanc non fuisse veram fidem ostendunt ea quæ statim Euangelista subjicit, *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes*, *&c.* v. 24. 25. Item illorum de quibus idem Apostolus testatur, *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum*, *Joan.* XII. 42. Hanc enim non fuisse sinceram fidem, statim ostendit, dicens: *Sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei*, *vers.* 42. 43. Rem vero ita se habere ex his Jacobi verbis liquet: *Si autem frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis, illis: Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa*, *vers.* 15. 16. 17. Consentaneè iis quæ apud Joannem legimus; *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* *&c.* 1 *Joan.* III. 17. Paulus vero, cum do-

ces

cet nos fide absque operibus legis justificari, intelligit veram fidem, quæ se per opera charitatis exserit, & vivam esse demonstrat. Ut vel unus iste locus testari potest; *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per charitatem operatur*, δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένη, *Gal.* v. 6. Nam si velis scire quid per istam fidem intelligat, ipse id declarat capite sequenti, dicens, *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed nova creatura*, *Gal.* vi. 15. Quid autem nova creatura sit, arguit id quod alibi dicit, *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei*, 1 *Cor.* vii. 19. Unde liquet fidem quam Apostolus in justificatione requirit, à mandatorum Dei observatione, seu nova creatura, revera non differre. Nam quod prætendunt quidam: Nos justificari quidem fide viva, sed non qua viva est, nullius plane est momenti. Nam cum alterutro istorum modorum inspicienda sit fides, aut qua viva est, aut qua mortua; certe si Deus eam in justificandis non consideret ut mortuam (qualis nec est nec esse potest) oportet ut tanquam vivam intueatur. Sicut enim non datur medium inter vivam fidem & mortuam; ita nec inter istos duos fidem considerandi modos. Cum ergo opera fidei à nostri justificatione removent, & tamen nos per fidem vivam justificari dicunt, perinde faciunt atque si aliquis diceret, se per humidum radicale vivere, sed non per cibos qui humidum istud fovent, & consumptum restaurant: vel se per solem illuminari, sed non per radios, quibus sol lumen suum nobis communicat.

VI. Adde Paulum non raro fidem in suis scriptis accipere pro doctrina fidei, seu pro Euangelio, quo fides præscribitur: ut cum *Gal.* iii. 23. &c. dicit, *Antequam venisset fides*; &, *Postquam venit fides.* Istud enim idem est ac si dixisset, Antequam, vel, postquam doctrina Euangelii fuisset revelata. Sic *Act.* vi. 7. *Magna sacerdotum turba obediebat fidei*, id est Euangelio. Imo nonnulli ex iis quibuscum nobis res est, significationem istam urgent in locis ubi agitur de apostasia à fide, 1 *Tim.* i. 19. & iv. 1. Ibi enim per fidem nolunt intelligi internum illum fiducialem assensum quem præbemus Euangelio, & per quem, ut per conditionem à Deo requisitam, justificamur; sed Euangelium ipsum, seu fidei doctrinam. Eodem ergo modo in hac materia, cum Apostolus docet nos justificari fide, non operibus legis, concedi potest vocem fidei esse accipiendam. Ita ut nihil aliud ista loquendi formula voluerit significare, quam nos coram Deo non justificari opera illa ceremonialia faciendo, quæ maximam legis à Mose Israëlitis traditæ partem constituunt; sed credendo, & opera fidei, quæ nobis in Euangelio præscribuntur, exercendo: ideoque, si tanti beneficii cupiamus esse participes, non amplius ad veterem legem, populo Israëlitico olim datam, sed ad novam Euangelicam, quam Christus attulit, vitam & mores nobis esse componendos. Euangelio autem nobis veram & vivam fidem præcipi indubium est, quam Paulus hoc elogio describit, quod per charitatem operetur, id est, bona opera ex sese pariat, sibique indivulso nexu conjuncta habeat.

VII. Cum ergo Jacobus & Paulus non eodem plane modo accipiant vocem fidei, tractando de justificatione, mirum non est si non eosdem illi effectus uterque tribuat. Verum quoniam jam constat inter Christianos hominem non alia coram Deo fide justificari, quam cui bona opera tam arcto vinculo cohærent, ut unum veluti corpus simul faciant, nescio quomodo Maresius audeat dicere, *Nos sola fide, exclusis quibuslibet fidei operibus, justificari.* An cum agitur de utilitate arboris, possunt fructus quos profert ab illa separari? aut cum tractatur de utilitate fontis, inde rivi ab eo profluentes removeri? Hæccine est communis Protestantium vox? Imo contra semper intellexi, eos cum Paulo sola excludere opera legis; non opera fidei, quæ nusquam in suis disputationibus contra Judæos nominat, aut ullo indicio describit. Quid autem utraque à se invicem differant, jam dicendum nobis est. Nam etiam hic est inter Paulum & Jacobum discrimen, observatu necessarium ad eos recte inter se conciliandos: quod non eadem hic opera ad justificationem requirat, quæ ille inde excludit; Paulusque opera legis, præsertim ceremonialis, Jacobus vero fidei intelligat. Id ex utriusque scopo plane diverso, imo aliquatenus contrario, animadvertere licet. Paulus enim sibi propositum habebat refellere istos Pharisæos, legis zelatores, qui etsi in Christum credidissent, Mosi tamen nimium adhuc adhærebant, & jugum ceremoniarum legis, (quod Petrus testatur, *neque ipsos neque suos patres portare potuisse, Act.* xv. 10.) cervicibus gentilium conversorum imponere contendebant, dicentes, *Quia nisi circumcidamini secundum morem Mosis, non potestis salvari*, *Act.* xv. 1. Nam ad os hominibus istis obturandum, opus non erat ut Paulus à nostri justificatione excluderet opera fidei, qualia in Euangelio præcipiuntur, & quæ ipse perpetuo urget & commendat, sed tantum opera ceremonialia, ut circumcisionem, sacrificia, neomenias, & alia id genus, in quibus vera Deoque accepta justitia non consistit, ut Prophetæ, quorum tempore non poterant absque peccato prætermitti, passim docent. Vide *Psal.* l. 8. *& seqq. Esa.* i. 11. & lxvi. 3. Jacobi vero scopus erat falsorum Christianorum hypocrisim redarguere, qui de sua fide gloriabantur, etsi revera nullam haberent nisi mortuam, qualis est dæmonum, utpote quæ debitos charitatis fructus non producebat. Ad quorum torporem excitandum requirebatur, ut bonorum fidei operum necessitatem continuo inculcaret. Quod etiam sæpe Paulus, & non minus serio quam Jacobus facit. Nam quod primis Epistolæ ad Romanos capitibus docet, neque gentiles, neque Judæos bonis suis operibus fuisse justificatos, sed per Dei gratiam: id non facit quasi

quasi bona opera minus ad nostri justificationem requisita essent, sed tantum ut ostendat neminem illorum vi & merito coram Deo justificari. Idque sibi vult cum dicit, *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram Deo*, *Rom.* III. 20. Nam ut aliquis justificetur per opera legis, oporteret ipsum per totum vitæ tempus immunem esse ab omni peccato, proindeque peccatorum remissione non indigere: qualis nullus unquam repertus est, præter unum Dominum nostrum Jesum Christum. Sed de hoc justificandi modo non disputabatur; utpote qui in confesso esset, tam apud Judæos, quam apud Christianos. Ideoque non fuit de eo tractatum in Concilio Hierosolymam convocato, ad sopiendam controversiam, Antiochiæ motam, de necessitate rituum legalium ad salutem; sed istud unicum illic constitutum, ut nemo in posterum ceremoniarum jugo gravaretur; non vero ut Christiani ad opera fidei edenda non amplius essent obligati. Alias quomodo Paulus, post exclusa plane à justificatione omnis generis bona opera, potuisset dicere, *Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus*, *Rom.* III. 31. Et quid sibi voluisset cum toto capite sexto tantopere ursisset bonorum operum necessitatem, ut non possit magis? *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? Rom.* VI. 1. *&c.* Cui adde, nos secundum rigidum fœdus Mosaïcum judicandos non esse, quo absque ulla misericordia moriendum erat ei qui præceptum aliquod mortis pœna sancitum violaverat, etiamsi eum postea quam maxime facti pœniteret; sed secundum novum gratiosum, in quo Deus omnium peccatorum, à quibus non poteramus per legem Mosis justificari, veniam offert iis qui in Christum credunt, & se ad ipsum ex toto corde convertunt, *Act.* XIII. 38. 39. Quæ à me dicta fuisse dissimulavit Maresius, ut tutius calumniari posset apud eos qui præfationem illam unde hæreseos me insimulandi occasionem arripuit, non vidissent. Quos scire velim me non existimare quemquam propter operum suorum meritum aut dignitatem coram Deo justificari; sed tantum ex mera gratia quæ nobis in Christi sanguine obtingit, per quam remissionem peccatorum consequimur, dummodo ex ejus præscripto vitam emendemus, & non amplius secundum carnem, sed secundum spiritum ambulemus, *Rom.* VIII. 13.

VIII. Quidam excipiunt, Bona opera quæ fides parit, prodesse quidem aliquid ad salutem, in quam soli bonorum operum sectatores ingrediuntur, sed non ad justificationem, quæ nobis obtingit *gratis per redemtionem quæ est in Christo Jesu*, *Rom.* III. 24. Sed non video quæ tanti discriminis possit esse causa. Cum enim justificatio aliud nihil sit, quam sententia secundum quam salutem Deus hominibus adjudicaturus est; cur plus à nobis ut salutem consequamur, quam ad justificationem requireret? Quod si plus requirat, quomodo de omnibus justificatis affirmari tuto potest, eos in salutis statu esse? Nec ideo justificatio nostra desinet esse gratuita, quamvis absque vitæ emendatione & sanctimonia non obtineatur, cum etiam ista ad salutem sint necessaria, quæ æque gratuitum est Dei donum atque justificatio, docente id Apostolo, *Rom.* VI. 23. *Ephes.* II. 8. & alibi. Quod etiam valet adversus eos qui fidem, quatenus est opus, à justificatione removent, cum tamen aliter considerari nequeat, quam ut est fidelis animæ, Christum in Euangelio sibi oblatum recipientis, actio; & ita diserte à Christo vocetur: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*, *Joan.* VI. 29. id est, opus non quod Deus vult facere, sed quod requirit, & supra cætera acceptum habet, ut ejus gratia nos justos censere & pronunciare velit. Eodem sensu quo alibi dixit, *Quærite primo regnum Dei, & justitiam ejus*, *Matth.* VI. 33. id est, non justitiam quæ in ipso Deo est, sed qua ornatos oportet esse illos, qui in Dei regnum ingredi desiderant. Ideo in epilogo sermonis illius in monte, quo omnis generis bona opera commendat, dicit; *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram, &c. Matth.* VII. 24. *& seqq.* Nam etiam merces quæ operibus fidei datur, alia non potest esse, nisi gratuita. *Ideo enim ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio*, *Rom.* IV. 16.

IX. Isti doctrinæ contradicere nequeunt, qui pœnitentiam & conversionem, ad peccatorum veniam obtinendum, requiri fatentur, & maximam hodie, ut puto, Protestantium partem constituunt. Nam remissio peccatorum & justificatio iis sunt *ἰσοδυναμοῦντα*, seu æquipollentia. Nec male; quamvis enim ea à se invicem, ut diversæ res separari possent, tamen Deus nemini secundum fœdus Euangelicum remittit peccata, quin eum simul justum censeat, & justitiæ præmio, quod est vita æterna, donare proponat. Quod etiam requirit plena omnium peccatorum remissio. Nam cum ea partim sint commissionis, quibus mandatum aliquod prohibens violatum est; partim omissionis, cum jubens neglectum est; ille cui utriusque generis, peccata fuerunt remissa; pro perfecte justo, ac proinde remuneratione digno, habetur. Pœnitentia autem vera & confessio, in exuendo veteri homine & induendo novo consistit, atque omnia bona opera, à Christianis in Euangelio requisita, complectitur. Atqui sine pœnitentia nemini contingere remissionem peccatorum, constans est & perpetua sacrarum literarum doctrina. Quod hanc à Gulielmo Tuisso, licet postea revocet, confessionem extorsit, *Interdum remissio peccatorum subjicitur confessioni & resipiscentiæ; cujus generis loca fateor & expressiora & frequentiora in Scripturis occurrere: In Vindic. pro Perkinsio: Responsione ad Pref.* §. *ultimo.* Et merito. Nam universa Biblia, à capite ad calcem, iis sunt referta. Illustriora quædam inde excerpere sufficiet. Observa igitur primo, Deum Caino, quem tristem

tristem animadvertebat, quod munera sua non ita accepta forent, atque fratris Abelis, dicentem; *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit?* *Genes.* IV. 7. Huic loco subjunge valde insignem, *Deut.* XXX. per totum fere caput; *Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo, & ductus pœnitudine cordis tui, in universis gentibus, in quas dispersit te Dominus Deus tuus, & reversus fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, & in tota anima tua; reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua, ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit, &c.* Sic cum David post enorme illud scelus adversus Uriam perpetratum diceret, *Peccavi Domino*, dixit Nathan ad Davidem, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*, 2 *Sam.* XII. 13. Omnino secundum id quod testatur se expertum fuisse: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*, *Psal.* XXXII. 5. Ubi per synecdochen voce confitendi, universam pœnitentiam intelligi omnes agnoscunt. Huc quoque pertinent ista Dei nomine Israëlitis dicta, *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, &c. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: Et, si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*, *Esa.* I. 16. & 18. Ubi promissio remissionis, annexa pœnitentiæ mandato, ostendit quanta sit hujus efficacia ad illam consequendum. Et quid expressius fingi potest istis: *Repente loquar adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem, & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo ob quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaveram ut facerem ei*, *Jer.* XVIII. 7. 8. Item: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor; in justitia sua quam operatus est vivet. Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, ut vivat? &c.* *Ezech.* XVIII. 21. 22. 23. 26. Et rursus: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non vobis erit in ruinam iniquitas, &c.* *vers.* 30. 31. 32. Cui gemina habentur *Ezech.* XXXIII. 11. 14. 15. 16. Quod experti fuerunt Ninivitæ, qui ad prædicationem Jonæ, denunciantis ipsis exitium, se converterunt. *Nam vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala; & misertus est Deus super malitia quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit*, *Jon.* III. 10. Hinc est [illegible]od Deus misit Joannem, *qui prædicar*[illegible]*um pœnitentia, in remissionem peccator*[illegible] I. 4. Et quod Dominus Jesus dis[illegible]ebat, *oportere prædicari in nomine* [illegible] *remissionem peccatorum in o*[illegible] v. 46. Quo respiciens [illegible] qui manus suas Christi sanguine maculaverant; *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*, *Act.* II. 38. Item: *Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra*, *Act.* III. 19. Item particulariter Simoni Mago, qui donum Spiritus Sancti pecunia sibi comparare volebat: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua; & roga Deum, si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui*, *Act.* VIII. 22. Et Paulus ad populum Atheniensem verba faciens, *Deus nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, &c.* *Act.* XVII. v. 30. 31. Item; *Ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* *Rom.* II. 4. Et Petrus; *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, 2 *Petr.* III. 9. Et Joannes: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est* (Deus) *& justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*, 1 *Joan.* I. 9. Qua de causa in Epistolis, quas Dominus Jesus conscribi jussit ad Asiæ Angelos & Ecclesias, hortatur, *Pœnitentiam age; sin minus, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo; & pugnabo cum illis in gladio oris mei*, &c. *Apoc.* II. & III. Quemadmodum olim degens in terris, dicebat, *Si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis*; sicut illi Galilæi, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum, & illi decem & octo super quos cecidit turris in Siloe, & occidit illos, *Luc.* XIII. I. & *seqq.* Item, *Quod gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, plus quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia*, *Luc.* XV. 7. Et cum in oratione docuisset discipulos suos dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; postea hanc addit rationem: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*, *Matth.* VI. 14. 15. Ubi non nisi sub conditione boni operis, & per consequens pœnitentiæ, in illis qui antea id neglexerunt, peccatorum veniam promittit. Imo veniam jam concessam revocat Deus, cum ea indignos se postmodum, immisericordia sua erga fratres, homines reddunt. Quos spectat parabola servi, cui cum Dominus decem millia talentorum condonasset, centum autem denarios conservo suo nollet remittere, ab irato Domino tortoribus traditus est, quoad usque reddidisset universum debitum: Nam hanc esse parabolæ mentem, Christus ipse ostendit, subjungens; *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*, *Matth.* XVIII. 23. & *seqq.* Hæccine est feralis doctrina Maresi, pro qua tam multa, & tam expressa Scripturæ testimonia militant? Illene tibi impurissimus Socinianus est qui hanc doctrinam affert, & cui ne Ave quidem dicendum est? Excipies quicquid volueris, hæc nullo alio sensu à me dicta fuerunt, cum opera fidei in justifica-

stificatione adjunxi, quam ut ostenderem, nemini sperandum esse à Deo peccatorum remissionem, nisi iis ex animo prius valedicat. Nimis enim jejunum est quod nonnulli Christum dicentem faciunt: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, Pater cælestis dabit vobis sensum remissionis peccatorum vestrorum. Si vero non dimiseritis, nec Pater dabit vobis sensum remissionis peccatorum vestrorum. Sensus enim iste apud plerosque non est tanti, ut de illo habendo valde soliciti sint; modo persuasum habeant remissionem olim apud Deum absque fidei aut pœnitentiæ conditione obtentam, constantem esse, & nulla ingratitudine revocari posse: Ad quod probandum Pauli verbis, *dona Dei sunt absque pœnitentia, Rom.* XI. 29. abutuntur. Nam ut iste locus cum *Matth.* XVIII. 35. concilietur, nulla alia apparet via, quam si dicamus Deum, in quem pœnitentia proprie dicta non cadit, nemini unquam peccata absolute & absque veræ perseverantisque resipiscentiæ conditione remittere.

X. Prætendes forte cum aliis nonnullis partium tuarum Theologis, hanc esse tamen disertam Pauli doctrinam, quod *Deus justificet impium, Rom.* IV. 5. At quam impia sit hæc applicatio, si per impium intelligas illum, qui ad istud usque momentum, quo justificari dicitur, in impietate sua perseveravit, nec ullos adhuc pœnitentia dignos fructus fecit, ostendunt omnia modo à nobis allegata loca: imo ille ipse ex quo decerptus est, qui integer sic habet: *Ei vero qui non operatur; credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam:* Ubi per eum *qui non operatur*, non intelligit eum qui nihil plane boni operis facit, sed tantum eum qui legem perfecte non implet; ut apparet ex præcedente versu, in quo dicit; *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Nam is *qui operatur*, non est ille qui simpliciter aliquid boni operis facit, cui merces non imputatur secundum debitum; sed qui implet totam legem, quæ dicit, *Hoc fac & vives*; & proinde gratia seu remissione peccatorum non indiget. Ergo per eum *qui non operatur*, is non debet intelligi qui nihil plane boni operis facit, sed tantum qui legem perfecte non implet; ideoque per opera legis justificari non potest, sed ex fide; & quidem tali, quam ei ad justitiam imputari Apostolus dicit, quæ nulla alia est quam viva, & per charitatem efficax. Inter illos autem non operantes, etiam *impios* esse aliquos constat, qui similiter ex fide, postquam conversi fuerunt, justificantur; & *impii* respectu præteriti temporis recte dicuntur, secundum Christi dictum, *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, &c. Matth.* XI. 5. quod de præsenti cæcitate, claudicatione, & surditate intelligere perquam absurdum foret. Cui affine est, & ad rem nostram magis facit, quod Dominus Jesus Pharisæis exprobrat, qui Joannem Baptistam contempserant; *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.* Ubi per publicanos & meretrices intelligit eos qui tales quidem fuerant, sed pristino vitæ generi renuntiaverant, ut ex sequentibus patet: *Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ: & non credidistis ei; Publicani autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei, Matth.* XXI. 31. 32.

XI. Quare vanum est quod tu Maresi objicis, *Me dum volo ex operibus legis justificari, mortem Christi evacuare, & nihil Christiani præter nomen retinere.* Primo enim calumniosum istud est, *me ex operibus legis velle justificari.* Nam diserte opera legalia ab operibus fidei distinxeram, & illa secundum Pauli mentem à nostri justificatione removeram, quæ tu cum fidei operibus perperam confundis. Nolo ergo ex legis operibus, sed fidei; non ex ceremonialibus, sed moralibus, secundum Jacobum, justificari. Illi solum volunt ex operibus legis justificari; primo, qui putant nemini aditum ad salutem patere, nisi qui legis Mosaïcæ ceremonias observet, ut circumcisionem, sacrificia, festa, &c. quod nunquam dixi: deinde qui aliquam operibus apud Deum merendi vim attribuunt: à quo longissime absum: denique qui sibi persuadent se esse perfectos, & nulla peccatorum remissione, vel gratia Christi, indigere; quod mihi nunquam in mentem venit. Talibus objici potest, eos mortem Christi evacuare; sed non mihi, qui nihil cum ipsorum opinionibus commune habeo. Imo id potius in te Maresi quadrat, qui omnem morti Christi efficaciam adimis ad nos liberandum à servitute peccati: contra id quod docet Paulus; *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis Christi; simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato, Rom.* VI. 5. 6. Et Petrus: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit à peccatis; ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis,* 1 *Petr.* IV. 1. 2. Et ex illorum numero es qui doctrina sua prava, de justificatione hominis *sola fide, exclusis quibuslibet fidei operibus* (sed quæ quæso est illa fides, nisi illa mortua quam dæmonibus tribuit Jacobus?) *Dei nostri gratiam transferunt in luxuriam, Jud. vers.* 4. sibique & aliis causa perditionis æternæ existunt. Intereaque, temerarius judex, audes dicere *Me nihil Christiani præter nomen retinere.* Quod nunquam tibi excidisset, si in te descendisses, & à conscientiæ tuæ examine, prout oportebat, inchoasses. Q[illegible]od ad me attinet, non est cur ejusmodi judici[illegible] multum curem, quod magis pronuncianti [illegible] in quem latum est, nocere solet.

XII. Sed ubi [illegible] quando me ad Bellarminum & C[illegible] [illegible]ide remisisti, inter cujus & isto[illegible] [illegible]inam, in hoc capite, tan[illegible] [illegible]antum [illegible]orien-

orientis ab occidente? Audiantur ipsi integri, non more tuo truncati. Sic lego apud Bellarminum, loco à te ipso citato, videl. lib. I. de Justificat. *cap.* 19. *Adversarii existimant per opera quæ B. Paulus à justificatione excludit, intelligi omnia omnino opera, sive ante fidem, sive post fidem facta: imo etiam ipsam fidem, si consideretur ut opus. At hanc absurdissimam esse sententiam, & ab ignorantia Scripturæ profectam, docet Augustinus in libro de Gratia & libero arbitrio, cap.* VII. Homines, *inquit*, non intelligentes quod ait ipse Apostolus Paulus, Arbitramur hominem justificari per fidem, sine operibus legis, putaverunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi male vivat, & bona opera non habeat: quod absit ut sentiret vas electionis. *Et mox adjungit*, non excludi opera quæ fiunt ex fide. *Et nos etiam supra probavimus requiri ad justificationem, actum spei, timoris, pœnitentiæ, dilectionis, & ipsum etiam fidei, non solum credentis, sed etiam orantis & impetrantis; qui actus, opera quidem merito dici possunt, &c.* Ecce quam bonum causæ tuæ elegeris advocatum, qui eam totis viribus ut absurdissimam, & ab ignorantia Scripturæ profectam, impugnat. Nec felicius res tibi successit in Cornelio à Lapide, qui *Rom.* III. 20. postquam *opera legis* exposuisset de *aspersionibus, lustrationibus & sacrificiis*, subjungit: *Cum Apostolus asserit hic, neminem justificari ex operibus legis, veteris intellige, seu iis quæ præscribit lex vetus, seclusa fide & gratia Christi, idque patet ex eo quod vers.* 22. *& passim opponit hæc opera, fidei Christi. Cum ergo fidem justificantem iis opponit, non excludit, sed potius includit in fide, opera facta ex fide. Sic enim pari modo sub lege includit opera legis, seu quæ facienda dictat lex. Ita S. Augustinus lib. de Gratia & lib. arbitr. cap.* VII. At, inquies *vers.* 28. sub legis operibus, non solum ceremonialia & judicialia vult comprehendi, sed & moralia, sive decalogi: Quid hoc te juvat Maresi, cum moralia opera ante & post fidem excludas, ille vero tantum ea quæ præcedunt? *Cum (inquit) Apostolus hic passim fidem ab operibus separat & distinguit, opera intelligit legis, non solum ceremonialia & judicialia, ut volunt Ambrosius & Theophylactus, (quos ut à partibus nostris stantes, sciens omitto) sed & moralia, sive decalogi, ut recte docet S. Augustinus, de spiritu & litera, cap.* IV. *solo legis dictamine, & solis naturæ viribus facta. Sub fide vero gratiam, spem, charitatem cæterasque virtutes Christianas collocat & complectitur. Id ita esse patet, primo ex cap.* XII. *vers.* 3. *ubi gratias, dona, virtutes quas Deus variis varie distribuit, vocat Paulus* mensuram fidei, *quam cuique Deus divisit. Idem clare patet ex Epist. S. Jacob. cap.* II. 21. *& seqq. ubi sic ait*, Abraham pater noster, &c. *Quid clarius contra Novantes, qui ex sola fide hominem justificari volunt, dici posset?* Et paulo post: *Licet vero Paulus generatim loquatur de operibus cujuslibet legis, etiam naturalis & decalogi, ut patet v.* 20. per legem, *ait*, cognitio peccati, & *cap.* II. 12. 13. 14. *ubi ait*, factores leges, non auditores justificari, & gentes naturaliter facere ea quæ legis sunt; *tamen cum ait nos justificari per fidem, sine operibus legis, per opera legis præcipue accipit opera ceremonialia, & lege ceremoniali præcepta, qualia sunt circumcidere præputium, lustrare se aqua lustrali, offerre victimas pro peccato, &c. Nam loquitur de ea lege quæ opponitur fidei; fidei autem proprie non opponitur decalogus, sed lex ceremonialis, quia figura erat, sicut fides est veritas: figura autem & veritas opponuntur, &c.* I nunc Maresi, & de Cornelio à Lapide gloriare, qui tibi in os contradicit. Legerasne illum, an potius omnem pudorem excusseras, quando contra me tali teste pugnavisti?

XIII. Atqui hæc doctrina Sociniana est. Resp. Nondum mihi satis de eo constat. Saltem illam nec ex Socino, nec ex ullis assectarum ejus libris, sed ex unica sacra Scriptura deprompsi. Unde si Sociniani suam quoque petiverint, est quod tum illis, tum mihi de inventa feliciter veritate gratuler, dicamque ipsos rectius hic sentire Maresio, cumque improbe se gerere cum omnibus modis studet, veritatem divinam sub hoc prætextu quod Sociniani eam profiteantur, suspectam mendacii reddere. Sed non est virorum, larvis nominum odiosorum terreri. Vociferetur quantum volet Maresius, & in me dentibus frendeat, non dubitabo hic publice testari, doctrinam Socinianorum de justificatione mihi longe magis orthodoxam videri, quam ipsius, qui vult nos eam absque ullis fidei operibus consequi; Nimirum qualem in Confessione sua fidei tradunt, articulum symboli Apostolici de Remissione peccatorum exponentes; *Credimus, omnia præterita, quamvis gravissima, peccata, omnesque etiam post agnitam veritatem intercurrentes humanæ imbecillitatis lapsus, omnibus sanctorum, quam diximus, communionem habentibus, per obedientiam, & sanguinem, & oblationem Jesu Christi, plenissime remitti; eosque hac ratione, non ex legis operibus, propriisque meritis, sed sine illis, ex Dei gratia, justificari. Quæ quidem remissio peccatorum & justificatio, fide & pœnitentia ex parte nostra comparatur; fidei vero & pœnitentiæ fructibus conservatur.* Quid in hac de justificatione sententia desiderare potest vir pius & veritatis amans, ut ita eam Maresius exagitet?

XIV. Sed, inquiunt, si ita se res habet, non erit justificatio nostra gratuitum Dei beneficium. Resp. Imo erit quam maxime, quamvis Deus nobis peccata condonare nolit nisi sub hac conditione, ut iis renuntiemus & in novitate vitæ ambulemus. Id quod Joannes requirit expresse cum dicit, *Si in luce incedimus, sicut Deus est in luce, communionem habemus cum eo mutuam, & sanguis Filii ejus Jesu Christi purgat nos ab omni peccato, 1 Joan.* 1. 7. Quod idem est ac si dixisset, mortem Christi nemini ad salutem prodesse, nisi peccata, quæ sunt opera tenebrarum, prius abdicet & lucis opera faciat. Non quod pœnitentia aut opera nostra aliquid apud Deum mereantur, aut ita perfecta sint, ut in ipsius judicio,

si rigide examinare vellet, consistere queant. Absit ut id dicam: sed quia Deus alia lege & conditione, salutis, sanguine Christi acquisitæ, participes nos reddere non vult. Qua de re vide supra, dissertat. 2. de Pecc. Orig. §. 41.

XV. Instant adhuc, Quomodo poterimus de salute nostra certi esse, si nemini peccatorum remissio obtingit, nisi sub hac conditione, ut se ab illorum servitute exsolvat? Resp. Non dico requiri ut simus plane ab omni peccato immunes, quod multos in desperationem agere posset, qui vident se eo, quantumvis serio incubuerint, nondum pervenisse, imo procul adhuc à meta abesse. Deus non ita rigide agit cum fidelibus, qui dedit nobis pontificem Jesum Christum, *qui condolere possit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus fuit infirmitate*: *Heb.* v. 2. qui dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, &c. Matth.* XI. 28. qui *arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*, *Matth.* XII. 20. Tantummodo cavendum est ne per negligentiam officio nostro desimus. Nam longe fallitur is, qui sibi salutem pollicetur, quamdiu adhuc in peccatis ambulat. *Filioli nemo vos seducat, qui facit justitiam justus est, sicut & ille justus est: qui facit peccatum ex diabolo est*, 1 *Joan.* III. 7. 8. Item, *Per hoc adimpletur charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quod qualis ille est, tales & nos sumus in hoc mundo*, 1 *Joan.* IV. 17. In utroque autem loco verba illa, *καθὼς ἐκεῖνός ἐστι, qualis ille est*, sanctitatis tantum similitudinem cum Deo aut Christo notant, non paritatem, quæ vires nostras excedit. Et cum absque bonis operibus vitam æternam non obtineamus, ut ex plurimis sacrarum literarum locis constat, *Matth.* v. 20. *Rom.* VIII. 13. *Hebr.* XII. 14. & aliis, absque illis etiam certi esse non possumus aut debemus, nos eam consequuturos, ac proinde neque de nostri justificatione, quæ pari passu cum salute incedit. Si contra facimus, magno animæ nostræ periculo nos decipimus.

XVI. Hæc adversus Maresium sufficiunt; cui si veritas & pietas adeo cordi fuissent ut præ se fert, industriam suam potius collocasset in refutanda opinione perniciosissima, quæ valde nunc gliscit inter Reformatos, nempe Nos non justificari per fidem, sed antequam fidem habeamus. Quam non potuit ignorare in vicina Academia Franekerana à Joanne Maccovio, tam viva voce quam scriptis propugnatam fuisse. Nam longe utiliorem præstitisset suis operam refutando errorem quo multi abripiuntur, quam me perstringendo, qui ab ipsius Ecclesia alienus sum. Sed trabem in domesticorum oculis non animadvertens, festucam quam putat esse in meo eximere voluit. Quod ergo facere neglexit, ego paucis exsequi conabor. Opinio illa summatim in hoc consistit, quod justificatio duorum sit generum. Altera activa, qua Deus hominem reum, unico indiviso actu, antequam credat, imo antequam natus sit, à reatu absolvit, propter satisfactionem Christi, & justum reputat, propter justitiam ejus tunc omnibus electis imputatam, cum Christum in mediatorem constituit & promisit, 1 *Petr.* I. 19. 20. *Gen.* III. 15. Passiva vero, qua aliquis absolvitur à reatu & justus censetur, quoties post peccatum aliquod admissum, Christi justitiam sibi fide applicat, & sic remissionem peccatorum accipit & sortem inter sanctos, *Act.* XXVI. 18.

XVII. Ubi primo observandum est, quod manifesta sit in ista opinione contradictio, & sanæ rationi directe adversetur. Concipi enim nequit quomodo Deus ab initio mundi, omnes electos active justificet, & tamen nullus adhuc tunc sit passive justificatus, contra quam accidit in omnibus aliis rebus, ubi Deus est agens, quippiam vero aliud extra Deum est patiens; ex. gr. in creatione mundi, quam nemo active Deo tribuere potest, quin eo ipso momento mundum passive creatum concipiat. Similiter in regeneratione, sanctificatione, induratione, & plurimis aliis, ubi semper sua passio actioni, in eodem instanti, respondet. Nec aliter fieri potest, cum in actione & passione unus idemque sit motus, qui ab agente tanquam termino à quo proficiscitur, & in patiente tanquam in termino ad quem recipitur; sicut eadem est via quæ ducit Athenis Thebas, & Thebis Athenas: item acclive & declive in monte; & tantum ratione hæc à se invicem differunt. Proinde cum Deus active justificat, necesse est ut aliquis hanc actionem in se recipiat cui passive justificetur.

XVIII. Secundo id pessimum est in hac opinione, quod per eam evertitur Euangelium, ubi Deus nobis justificationem & remissionem peccatorum sub conditione fidei offert; quod plurimis Scripturæ locis confirmari potest. *Huic* (Jesu) *omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum, Act.* x. 43. *In hoc, omnis qui credit, justificatur, Act.* XIII. 39. *Quem Deus proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius, Rom.* III. 25. *Arbitramur justificari hominem per fidem, Rom.* III. v. 28. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, Rom.* IV. 3. *Justificati fide, Rom.* v. 1. *Corde creditur ad justitiam, Rom.* x. 10. *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, Galat.* II. 16. *Non habens meam justitiam, quæ ex lege est; sed illam quæ est ex fide Christi, quæ ex Deo est, justitia in fide, Philip.* III. 9. Huc faciunt etiam loca quæ vitam æternam tribuunt fidei. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, Joan.* III. 36. *Hæc est voluntas Patris, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die, Joan.* VI. 40. *Justus ex fide vivet, Rom.* I. 17. *Gal.* III. 11. *Hebr.* x. 38. *Gratia estis salvati per fidem, Ephes.* II. 8. *Sine fide impossibile est placere Deo, Hebr.* XI. 6. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem*

statem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, *Joan.* I. 12. *Omnes Filii Dei estis per fidem in Christo Jesu*, *Galat.* III. 26. Item id quod Dominus Jesus toties dicit in Euangelio iis quos ab infirmitatibus corporeis sanabat; *Fides tua salvum te fecit*; id est, istud beneficium à me impetravit. Sic Petrus dicebat Judæis de claudo quem sanaverat, *In fide nominis ejus, hunc quem vos videtis & nostis confirmavit nomen ejus; & fides quæ per eum est, dedit illi sanitatem istam in conspectu omnium vestrum*, *Act.* III. 16. Sicut enim Dominus Jesus requirebat ab illis qui à morbis suis sanari volebant, ut crederent in se quod illud posset præstare; ita etiam in sanatione infirmitatum animæ. Hæc autem doctrina evertitur ab iis qui docent nos justificari à peccatis antequam fidem habeamus.

XIX. Excipies fortasse hæc de divino decreto esse intelligenda. Ego vero quamvis non contradicam quin ita fieri possit, non video tamen autores qui huic opinioni adhærent, sic illam exponere; si qui tamen sunt; nos illis sic obviam imus: Quod sicut Deus neminem actu justificat, nisi ut fidelem consideratum; ita quoque neminem decernit justificare nisi jam in mente sua fidei qualitate præditum. Quod non bene convenit cum ista opinione. Indeque est quod inter benedictiones spirituales quibus Deus nobis benedixit in Christo, *Ephes.* I. 3. collocant ipsam fidem: licet falli ipsos id satis doceat quod fides sit actus obedientiæ Euangelio exhibitæ: non possit autem una eademque res simul esse proprie loquendo, & Dei donum, & liberæ nostræ obedientiæ actio. Si dicerent vocationem nostram ad Christum ad illas benedictiones pertinere, & nobis per sanguinem Christi obvenire, ultro assentirer. Ex eo enim quod Christus pro nobis mortuus est, seu novum gratiæ fœdus sanguine suo sancivit, fit ut Deus nobis tam excellens beneficium per Euangelium annunciari decernat. Et isto sensu Paulus dicit, *nobis donatum esse pro Christo ut in eum credamus, Philipp.* I. 29. Nempe quia per Euangelium nobis confertur gratia ad fidem concipiendam requisita; secundum id quod docet alibi; *Fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi*, *Rom.* X. 17. Sed nusquam fides expresse donum Dei appellatur. Nam quod citant ex *Ephes.* II. 8. *Gratia estis salvati per fidem; & hoc non ex vobis, Dei enim donum est*; illud non significat; sed solummodo, hoc esse Dei donum, quod gratia Dei per fidem salvati sumus. Nam eximium sane est donum quod Deus nobis per & propter fidem omnium peccatorum veniam, & consequenter salutem æternam largitur; & id fidem nullo modo mereri, sed ex mera Dei liberalitate & misericordia proficisci constat. Ita istud accipiendum esse, patet ex constructione. Cum enim dixisset Apostolus: *Gratia salvati estis per fidem*, διὰ τῆς πίστεως, non addit, & hæc non est ex vobis, καὶ αὕτη οὐκ ἐξ ὑμῶν, in feminino genere, prout facere debebat, si id voluisset ad πίστιν referre; sed καὶ τοῦτο, in neutro genere, quod aliter quam de toto isto complexo, *Gratia salvati estis per fidem*, accipi non potest. Interim non repugno, quin fides etiam Dei donum esse dicatur; dummodo illud recte explicetur, & potentiæ Dei insuperabili non tribuatur: quod totam obedientiæ rationem everteret.

XX. Sed instabis, Nos justificationem seu remissionem peccatorum fide apprehendere, indeque colligi quod justificatio, naturæ ordine, fidem præcedat; quia omne objectum prius est quam actio, quæ circa ipsum versatur. Ad quod respondeo, objectionem istam falso niti fundamento; nempe fidem per quam coram Deo justificamur, eandem esse numero actionem, cum fide qua credimus nobis per Christum remissa esse peccata: Contra quam militant hæc argumenta. 1. Fides remissionis peccatorum jam acceptæ, non est conditio ad remissionem peccatorum postea accipiendam necessaria. Nam quod accipiendum est, id non est præteritum, sed futurum: quod vero acceptum est, illud non est futurum, sed præteritum. Atqui fides per quam justificamur, est conditio ad postea accipiendam remissionem peccatorum necessaria; ut Scripturæ loca, quæ modo attulimus, ad probandum Deum nobis justificationem & remissionem peccatorum offerre sub conditione fidei, solide evincunt. Quare hæc duo pro una eademque re habere, est causam una cum effectu confundere, & maxima cum absurditate causam effectu posteriorem, & effectum causa priorem, statuere. 2. Fiducia justificationis & remissionis peccatorum, tanquam reipsa jam obtentæ, non pertinet ad essentiam fidei salvificæ, nec eam constituit, sed jam constitutam sequitur; ut apparet cum fidelis ita apud se ratiocinatur: Quicunque credit in Christum, ille obtinet remissionem peccatorum. Atqui ego credo in Christum, ut conscientia mihi testis est. Ergo peccatorum remissionem obtinebo. Ubi *credere* illud, in minore propositione, non potest idem esse quod in majore habetur, & in conclusione, quæ ita formari potest, ergo credo me remissionem peccatorum obtenturum, subintelligitur. Alioqui syllogismus iste foret tautologicus, seu idem per idem probaret. 3. Fides qua credimus in Christum, nobis præcipitur in Euangelio; Illa vero qua credimus nos per ipsum habere remissionem peccatorum, nullibi nobis præcipitur, sed ex præcedente ultro sequitur. Nam fieri nequit quin is qui majorem propositionem modo allati syllogismi amplectitur, & de minore ex propriæ conscientiæ testimonio certus est; non statim inde conclusionem quam diximus eliciat. 4. Fides quæ commendatur nobis in Dei verbo, tanquam unica ad salutem via, talis est, ut nemo illa vere præditus esse possit, quin bonis operibus continuo incumbat. Ea enim summatim in hoc consistit, ut credamus Jesum esse Christum, qui se hostiam pro peccatis nostris

Deo obtulit, ut quicunque renunciabit omni impietati & cupiditatibus mundanis, atque in hoc seculo vivet temperanter, juste, & religiose, omnium peccatorum veniam, & tandem vitam æternam adipiscatur. Ideo Joannes ei tribuit, quod sit *victoria quæ vincit mundum*, 1 *Joan*. v. 4. Hujus enim persuasionis ope, nos constanter in obedientia mandatorum Christi perseverando vitam & felicitatem æternam obtenturos, quemadmodum ipse promisit, & multis modis nos certos reddidit, victoriam reportamus de mundo & carne nostra, quæ illecebris suis nos ab ista obedientia avertere contendunt. Fides vero illa, per quam credimus peccata nostra esse deleta, & Deum nos apud se irrevocabiliter justificasse antequam Christum cognosceremus, & pœnitentiam peccatorum ageremus, nullam habet vim nos incitandi ad bona opera, cum quibus nullam habet connexionem, nec an ad salutem necessaria sint, aut quatenus, ostendit. Dices, tam excellens beneficium, remissionis omnium peccatorum, natura sua obligare ad illa in posterum vitanda, & bonis operibus studendum. Fateor; sed istud non apparet ex vulgari fidei definitione, in qua nulla apposita est conditio à nobis præstanda, sub qua peccatorum remissionem obtineamus, aut jam obtentam, in perpetuum retineamus. Deinde nihil est vulgarius inter homines quam acceptorum beneficiorum oblivisci, & malo bonum compensare. Et experientia quotidiana nos docet, beneficii præteriti memoriam non esse tantæ efficaciæ ad continendum aliquem in officio, atque spem in posterum accipiendi, aut metum, ne id, quod collatum est, ab ingratis auferatur. Proinde illi mihi toto cœlo in describenda fidei Christianæ natura errare videntur, qui eam collocant in sensu gratuitæ peccatorum suorum remissionis, per obedientiam & sanguinem Christi, ex antecedente & immutabili Dei decreto jam irrevocabiliter obtentæ: Seu, quod eodem redit, in firma fiducia, quam unusquisque Christianus habeat, se ex numero electorum Dei esse pro quibus solis Christus justitiæ divinæ morte sua satisfecerit. Nam Scriptura nobis semper proponit fidem tanquam medium aut conditionem per quam beneficium justificationis à Deo consequamur, ut ostendunt loca supra, num. XVIII. allegata. Opinio vero ista contrario ordine procedit; nempe nos credituros in Christum, si peccata nobis fuerint à Deo condonata. Et mirum omnino foret nos à Deo beneficium aliquod sub hac lege accipere, ut jam actu accepisse credamus, cum ista duo simul consistere nequeant, jam nos aliquid accepisse & postea demum illud ipsum accepturos sperare, præsertim cum fides rerum naturas non mutet, sed quales sunt amplecti debeat, præteritas quidem ut jam præteritas; futuras vero, ut suo olim tempore futuras. Adde quod opinio ista fidem, quam Deus nobis in Euangelio præcipit, in donum promissum transformat; & sic facile negligentiores reddere potest homines in meditando Dei verbo, & precibus aliisque mediis sectandis, quibus ejus participes fiant, imo efficere ut fidem minus ad salutem necessariam esse putent, utpote cum sine illa omnium spiritualium Dei in Christo benedictionum simus per adoptionem nostram gratuitam hæredes, & nihil aliud præstet nisi quod gaudium in corde ex sensu favoris Dei accendat, cui multos cupiditatum carnalium expletionem anteferre, experientia quotidiana docet.

XXI. Hæc est sententia mea de Justificatione per fidem & opera, propter quam Maresius me impurissimum Socinianum & hæreticum, anathemate omniumque bonorum execratione dignum clamat. Sed an merito, judicium sit penes illos qui sensus habent in Scripturis exercitatos. Me certe ejus non pudet, nec cum illa coram Jesu Christi tribunali comparere verebor; parum solicitus quid homines, quibus sua tantum commenta placent, de me dicturi aut sensuri sint. Consolabor enim me cum Paulo, qui ejusmodi iniqua adversus se judicia experiebatur, & cum ipso dicam: *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die; sed neque me ipsum judico. Nullius enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare; quo ad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et tunc laus erit unicuique à Deo*, 1 *Cor*. IV. 3. 4. 5.

STE-

STEPHANI CURCELLÆI

DIATRIBA

DE

ESU SANGUINIS

INTER

CHRISTIANOS.

PRÆFATIO.

Cum Religio Christiana duobus præcipuis capitibus comprehendatur, videlicet mysteriis fidei credendis, & bonis operibus faciendis malisque fugiendis, ac nostri temporis Theologi in primo tractando ita sint versati ut nihil fere diligentiæ ipsorum addi posse videatur, sæpenumero miratus sum qui factum sit ut alterum pari studio non excoluerint: atque omnibus quæ se animo offerebant perpensis, cum tandem diversitatis istius causam esse animadverti, quod ita nobiscum natura sit comparatum, ut longe libentius in iis quæ jucunda sunt, quam in tristibus, operam nostram collocare soleamus; jucundiora autem sint illa quæ in nuda theoria, licet ardua, consistant, quam quibus officium nostrum, quod absque affectuum repugnantia exsequi nequimus, præscribitur. Interim quin posteriora hæc utilitate & necessitate priora exæquent, si non etiam quandoque superent, attendenti nullum est dubium. Quis enim nescit, imo etiam non conqueritur, de quibusdam theoreticis, quæ neque ad Dei cultum, neque ad vitæ probitatem quicquam faciunt, nimis curiose à multis hodie disputari, istaque occasione quæ multo majoris sunt momenti, opera charitatis, quasi pro nihilo haberi?

Ne igitur ad eundem lapidem cum imperito vulgo offenderem, decrevi, sepositis ad tempus aliis occupationibus, de quæstione Theologica ad praxin pertinente breviter nunc disserere: Utrum *nempe* Christianis vesci liceat sanguine animantium, quorum Deus ipsis carnes ad nutrimentum pro sua liberalitate & munificentia indulsit. *In qua video quidem maximam Europæorum hodiernorum partem mihi tam sententia quam observatione adversari. Sed cum veritatis studiosum populi se opinionibus mancipare indecorum sit, contradicentium multitudo non impediet me quominus in hac* Diatriba *libere mentem aperiam, eamque pro virium modulo tuear.*

Ac decretum quidem Apostolicum, à Luca in literas relatum, omnibus à vitilitigandi libidine alienis sufficere posse videretur ad totam istam controversiam dirimendam: Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & SANGUINE, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis, *Act.* xv. 28. 29. *Sed cum hujus constitutionis mens nescio quot operose & procul quæsitis effugiis à nostri ævi Tractatoribus implicetur & obscuretur, quasi non in perpetuum, sed tantum ad breve tempus obligaverit olim nominis Jesu Christi cultores, operæ pretium fore judicavi, si paulo accuratius de tota ista materia disputarem, & quam graviter errent qui ita sentiunt demonstrarem. Quod ut solide à me præstetur, rem à principio arcessam, & sanguinis esum illicitum fuisse ostendam,* primo, *à mundi creatione usque ad diluvium;* secundo, *à diluvio usque ad legem Mosis;* tertio, *à lege usque ad Christum;* quarto *denique, à Christo usque ad finem mundi; & ita quatuor partibus totam istam dissertationem includam: inserta tamen propter materiæ affinitatem brevi* digressione de Sabbato, *ubi an, & quomodo, ad ipsum observandum devincti hodie simus declarabo. Faxit Deus ut gemina hæc commentatio ignaros ad voluntatis suæ cognitionem dirigat, & præjudiciorum quibus laborant nubes ab ipsorum mentibus discutiat.*

CAPUT I.

Carnis esum non fuisse homini in statu innocentiæ à Deo indultum.

Quod ad primam temporis periodum attinet, nempe à creatione mundi usque ad ejus destructionem per diluvium, in ea quidem expresse esum sanguinis à Deo prohibitum fuisse non dicit Scriptura; sed tamen inde manifeste colligitur, quod tunc animalium carne, in qua est sanguis, nemini vesci licuerit; ita ut non putem quemquam de illo litem mihi moturum, postquam hoc bene firmavero. Quod ut convenienti ordine præstem, primam istam periodum rursus in duas alias subdividam; quarum una erit à condito homine usque ad ejus lapsum, altera à lapsu usque ad diluvium: de quibus distincte & seorsim agere, propter mutationem status innocentiæ in statum peccati, quæ in hoc argumento alicujus ponderis est, necesse existimo.

Cum

Cum ergo Deus initio creasset hominem, masculum & fœminam, iisque suam benedictionem impertitus esset ut crescerent & multiplicarentur super terra, voluit tanquam benignus Pater ipsis & omnibus ex ipsis nascituris de alimento quo ad vitæ conservationem indigerent liberaliter prospicere. Quod hisce verbis significat: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna* (seu arbores) *quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animalibus terræ, omnique volucri cæli, & universis quæ moventur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum*, *Genes.* 1. 29. 30. Hic nullam prorsus facit mentionem carnis animantium, sive volucrium, sive quadrupedum, sive reptilium, sive piscium, ut sine dubio facturus erat si eam hominibus in alimentum concedere intendisset. Ipsis autem non licuit usurpare nisi quæ à Deo sibi donata fuerant; alioqui se furti reos reddidissent. Nam furtum est ablatio rei alienæ, invito ejus domino.

Deinde non conveniebat excellentiæ in qua conditus fuit homo, & statui ejus antequam peccatum in mundum esset ingressum, ut animalia mactaret ad vescendum, quasi vitam suam nequiret sustentare, quin alteri eam eriperet & se illius sanguine pollueret.

Cujus rei nobis non levidense argumentum præbet, infantium, quasi sese in illis explicantis naturæ, propensio ad fructus. Videmus quidem eos grandiores jam factos carnes fructibus præponere: Sed hoc ex assuetudine potius quam ex naturæ instinctu fieri quis ibit inficias? maxime & cum parentes nostri ab initio tantopere caveant, ne fructibus, herbis, frugibus vescamur; curareque potius soleant, ut carnibus victitemus.

Quæ enim natura in pueris purior adhuc est neque contrario habitu violenter depravata, efficit ut ex omnibus ciborum generibus deligant ac diligant fructus; & vix ullum quidem reperire liceat, qui non perdici pomum præferat. Quid putas vero contingeret, si cum paulatim infans ablectatur, maturis quibusdam atque delicatis fructibus sensim assuesceret? Indeque etiam est quod Poëtæ, quibus moris fuit aliquas pristinæ veritatis reliquias, quas per traditionem à majoribus acceperant, fabulis suis immiscere, scripserint homines in aurea ætate (quæ alia non fuit ab ea quam primi nostri parentes in Paradiso degebant) fructibus arborum victitasse, quos terra per se absque cultura ferebat, itemque lacte & melle: de esu vero carnium aut omnino silent, aut etiam expresse illum excludunt. Qua de re legi potest Ovidius, Metam. lib. 1. fab. 3. ubi auream illam ætatem describit, & de hominibus qui tunc vivebant inter alia dicit:

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.

Et lib. xv. fab. 2. ubi Pythagoram sic loquentem introducit:

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis,
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc & aves tutæ movere per aëra pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis;
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo.

Sed quid opus est hic diutius insistere, & operose quod omnes ultro confitentur probare velle? Nec enim memini legisse me ullum Theologum, sive ex veteribus, sive ex recentioribus, aut Judæum, aut Christianum, qui animalia ante Adami lapsum mactata ad esum fuisse, aut jure mactari potuisse existimarit.

Imo tantum abest ut homo in illo felici statu carnibus vesceretur, ut ne quidem animantia, quæ hodie rapto vivunt, eas tunc attingerent. Deus enim in principio rerum nulli animantium terrestrium generi carnes in alimentum assignavit: herbæ & fructus arborum communis hominum brutorumque terrestrium cibus illa tempestate fuerunt, ut docet locus modo ex *Genes.* 1. allegatus. Nec refert quod jam quædam animalia, tam ex quadrupedum quam volucrium ordine, carnes vorare videamus. Nam istud est præter naturam quam in principio Deus illis indiderat, & quæ paulatim, ut verisimile est, ab integritate sua deflexit. Neque magis mira talis mutatio videri debet ea quæ in hominibus conspicitur, qui in infantia saccharo & dulcibus delectantur, quæ non diu post fastidiunt; & melopepones nolunt gustare, quos adulti in deliciis habent. Adde quod animantium carnivororum natura non usque adeo à creationis suæ primævo statu degeneravit, quin, si fames urgeat, herbis & aliis terræ fructibus libenter vescantur. Quo etiam modo illa vivere oportuit in Arca Noë, ubi per integrum annum inclusa nullum aliud pabuli genus habere potuerunt. Imo ejusdem speciei animalia, ut ursi, non eodem se ubique cibo sustentant; sed in Alpibus quidem herbis & pomis sylvestribus contenti sunt, in Groenlandia vero se carnibus saginant. Quam indolis diversitatem non crediderim eos ex creatione habere, sed ab assuetudine, & peculiari locorum, in quibus degunt, ad hoc potius quam illud alimenti genus nanciscendum oportunitate. Ita progressu temporis animalium temperamentum insensibiliter mutatum est, ut tandem alterius naturæ quam initio erant visa fuerint. Sed de hac quæstione ὡς ἐν παρόδῳ plus satis.

Audio tamen, dum hæc scribo, nonnullos esse qui putant primos humani generis parentes jus habuisse in statu integritatis vescendi carne si voluissent. Si vero non usurpaverint, id solum tribuendum esse brevitati temporis quod lapsum antecessit; aut quod tanta optimorum terræ fructuum copia abundarent, ut de

de alio cibi genere cogitare opus non esset. Deum enim ipsos omnium animantium dominos constituisse, cum eis dixit, *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur super terram*, *Genes.* 1. 28. In isto autem dominio comprehensam esse animalia occidendi, & carnibus eorum vescendi potestatem. Ad quod respondeo, dominium quod Adamus & Eva habebant in animalia non fuisse absolutum & illimitatum, sed iis circumscriptum limitibus, quos Deus ipse supremus omnium Dominus posuerat, proindeque sine gravi peccato violari non poterant. Posuisse autem apparet ex eo, quod cibi genus quo debebant vesci præscripserat. Et dominium in bruta integrum posse consistere, etiamsi non comedantur, istud unicum aperte probat, quod multæ eorum sint species à quibus sponte abstinemus, imo quæ vel summis labris attingere horreremus, licet nobis non minus subjecta sint quam oves, gallinæ, boves, aliaque ejusmodi quæ quotidie esitamus. Quod autem afferunt Adamum non ita diu permansisse in statu innocentiæ, ut interea animalia quibus vesceretur mactandi oportunitatem habuerit; istud plane incertum est, ideoque ad rem controversam probandum nullarum est virium. Nec possum ab animo meo impetrare ut vulgari Theologorum opinioni assentiar, πρωτοπλάστους eodem quo creati fuerunt die in peccatum lapsos. Rationes enim habere mihi videor non levis momenti quæ aliud suadeant. Adamus creatus fuit sexto die post cætera omnia animantia terrena. Nec statim adjuncta est ipsi uxor Eva, sed interjecto mediocri aliquo temporis spatio, ut ista Historici Sacri verba innuunt; *Adæ non inveniebatur adjutor similis ejus*, *Genes.* II. 20. nempe sicut reliquis terræ animantibus, inter quæ nullus erat mas cui Deus illico suam non adjunxisset feminam. Deus autem singula adduxerat ad Adamum, ut pro arbitrio nomina eis imponeret. In quo si non sit ὕστερον πρότερον, ut quidam putant, non exiguam diei illius partem consumi oportuit. Adamus enim actiones suas non edebat in instanti, ut Deus, sed aliquo indigebat temporis spatio ad considerandum tam multas animalium species, & dispiciendum quo singulas nomine appellaret. Postea Deus profundum immisit soporem in Adamum, & cum obdormivisset unam de costis ejus sumpsit, ex qua formavit Evam, quam expergefacto adduxit, & in uxorem, individuamque vitæ comitem dedit. Creatis illis Deus legem tulit de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, quam mortis comminatione sancivit, permittens ut cæteris omnibus fructibus, qui in horto Heden erant, pro libitu vescerentur. Quæ cuncta, quod ad Adamum & Evam, in momento fieri nequiverunt. Nec probabile est Diabolum his factis illico adfuisse ut tentaret eos ad peccandum; præsertim dum recens adhuc erat in ipsorum animis interdicti divini memoria: sed videtur potius, observato per otium quam felices essent, accensum fuisse invidia, & quæsivisse qua ratione eos in peccatum, & perditionem secum præcipitare posset. Adde quod ex tentationis historia appareat impostorem illum aucupatum esse tempus quo Eva erat sola, sperans, se (ut etiam eventus comprobavit) propter sexus infirmitatem facilius eam in casses suos tracturum, quam si comitata viro fuisset. Quis autem credat Evam ea ipsa qua condita fuit die tam procul ab Adamo discessisse, ut Satan oportunitatem nancisci potuerit eam clam dilectissimo viro suo compellandi, & ad peccandum solicitandi? Existimarim igitur tempus aliquod paulo longius inter hominis creationem & ejus lapsum intercessisse, in quo (si id sibi licitum esse credidisset) ex animantium carne una cum conjuge epulari potuisset. Sed quomodocunque negotium hoc se habuerit, id nihil ad propositum facit. Sive enim primi parentes ad exiguum tantum temporis spatium, sive ad majus & diuturnius in statu innocentiæ permanserint, istud de eorum ad vescendum carnibus jure nihil mutat, adimit, nec si forte habuerunt; nec largitur, si destituti fuerunt. Quod vero præterea dicunt, ipsos tantam optimorum fructuum habuisse copiam, ut de carnibus tunc non cogitarent, potius ostendit Deum vescendi facultatem non indulsisse; præsertim cum minime deceret homines integros vitam, quam ex arbore vitæ consequi poterant, in aliorum interitu quærere. Quod si brutorum carne tunc vesci erat nefas, per consequens etiam sanguine. Eadem enim utriusque est ratio, ut illi ipsi qui esum sanguinis putant esse licitum fatentur; adeo ut carne ad esum non indulta, non opus esset sanguinem prohibere, sed hic in illa comprehensus esse intelligeretur.

CAPUT II.

Nefas fuisse homini, statim post peccati in mundum ingressum, carne vesci.

INnocentiæ statum excepit status peccati, postquam primi nostri parentes Dei mandatum de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali transgressi fuissent. Unde factum est quidem ut aperirentur ipsorum oculi, & cognoscerent nuditatis suæ turpitudinem, quam antea ut infantes malitiæ expertes non animadvertebant: sed tamen jus consecuti non fuerunt cupiditatem suam carne & sanguine brutorum animantium explendi. Absurdum enim foret existimare ipsos Deum offendendo conditionem suam meliorem quam ante lapsum fuisset reddidisse: si tamen, hæc carnes edendi licentia, melior conditio dici potest, quæ cupiditatem quidem explet, sed primævæ hominis excellentiæ repugnat.

gnat. Cum ergo constet ex ante dictis Deum homini quando adhuc sceleris purus versabatur in Paradiso, nihil aliud in cibum dedisse præter ea quæ terra ex sinu suo profert, sequitur ipsum post transgressionem suam, & ejectionem ex amœnó illo horto, cujus eximiis fructibus indignum se exhibuerat, potestatem non accepisse mensam lautioribus epulis cum dispendio vitæ animalium instruendi. Contra Deus in admissi peccati pœnam, ipsi difficiliorem victus rationem esse voluit. Nam cum terra ante absque laboriosa cultura suppeditaret omnia copiose quæ ad vitam cum honesta voluptate transigendam erant requisita, maledictioni subjicitur propter hominem, ut spinas & tribulos germinet, & ipse comedat ex ea cum labore, & in sudore vultus sui, cunctis diebus vitæ suæ, donec in terram de qua sumptus est revertatur, *Genes.* III. 17. 18. 19. Quod quantum à potestatis in creaturas augmento distet, nemo est qui non facile animadvertat.

Idem confirmatur ex eo, quod non legimus ullam hominibus permissionem fuisse datam comedendi carnes usque ad diluvium & tempora Noachi, cui & ejus posteris Deus in renovatione mundi istud indulget: *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, *Genes.* IX. 3. Ubi postrema verba manifeste respiciunt ad id quod supra ex ejusdem libri cap. I. retuli, de terræ fructibus homini in alimentum donatis. Quasi Deus diceret Noacho; Volo me indulgentiorem erga vos exhibere, quam feci erga vestros majores in ipso mundi primordio. Illis ad victum tantum concessi olera & arborum fructus: vobis insuper largior animantium carnes, sive quadrupedum, sive volucrium, sive reptilium; sive denique piscium. Hæc enim omnia permissione ista comprehendi, liquet ex præcedentibus, ubi Deus quadruplicis animalium generis meminit, quæ hominibus in potestatem tradebat. Unde solide colligitur, ante eam, illicitum fuisse carnes in cibum usurpare. Nam quamvis homines cupiditatibus ventris mancipati istud forte pluries sibi indulsissent, non ideo jus faciendi habebant: sed tantum ostendit quam depravati essent, quos nulla mandati divini reverentia in officio continebat.

Quidam excipiunt ad hoc argumentum, Deum nullam Noacho & ejus filiis novam potestatem facere carnibus vescendi; sed tantum restituere eam quam olim ante lapsum Adamo largitus fuerat; ne propter immissum terris diluvium videretur deinceps cum genere humano durius velle agere, & concessa illi ab initio privilegia revocare. Ad quod respondeo; istud aliquam veri speciem habiturum, si constaret licitum fuisse Adamo in statu integritatis carnem usurpare ad alimentum. Sed ne μὲ quidem ea de re legitur in historia sacra; extra quam quicquid affertur nihil est nisi mera conjectura, & fidem non facit. Quin supra contrarium validissimis rationibus evici, & tam evidentis veritatis, ut nemo hactenus iis directe ausus fuerit obloqui. Nam quod afferunt probabile non esse, Deum Noacho peccatori plus potestatis in animantia concessisse, quam Adamo adhuc integro dederat; ego contra verum esse credo, quia Scriptura ita testatur, cujus verbis tutius existimo simpliciter acquiescere, quam ideo quod consilii divini causas ignoramus contradicere. Theologi tamen hujus indulti, post diluvium hominibus facti, quasdam rationes reddere conantur; videl. terræ corruptionem per aquas maris salsas, quibus diluvii tempore operta fuerat; adeo ut non posset amplius tam probum atque antea hominibus alimentum suppeditare: item insignem virium humanarum diminutionem, quam arguit brevitas vitæ eorum qui post diluvium nati sunt, si cum antediluvianis conferantur. Quæ veritati consentanea esse, nemo, ut opinor, facile negaverit. Sed quod inde colligunt, ideo homines carnibus indiguisse, tanquam salubriori & magis confortanti alimento, quam illud sit quod terræ fructus suppeditant; non est usquequaque certum. De eo sane non consentiunt inter se Medicorum filii, & experientia adversari videtur. Constat enim multos qui sibi à carnibus temperaverunt, longe diutius & salubrius vixisse iis qui quotidie esitabant. Qualis fuit Seno Cittiæus, qui nonagesimum octavum ætatis annum implevit, Paulus eremita qui centesimum decimum tertium, Antonius magnus, qui centesimum quintum. Et communiter Esseni (teste Josepho, de bello Judaico, lib. 2. cap. 12.) diutissime propter ejusmodi abstinentiam vivebant; ita ut plurimi ipsorum centesimum ætatis annum excederent. Observatur etiam rusticos, & tenuioris fortunæ homines, qui raro carnibus vescuntur, longe robustiores & valentiores esse urbium incolis & divitibus, qui quotidie iis se replent. Eaque de causa non immerito dubitari potest, utrum esus carnium plus emolumenti humano generi, quam damni & morborum attulerit. Magis itaque arridet opinio Tertulliani, de Jejuniis, cap. 4. & Hieronymi, lib. I. adversus Jovinianum, eo fere modo Deum Noacho & filiis ejus concessisse esum carnium, quo postea Israëlitis propter duritiam cordis ipsorum, repudii libellum uxoribus dare permisit; nempe quia videbat vix aliter posse hominum gulam compesci, quam liberam faciendo eis potestatem cibos quibus jam assueverant, vel quos valde appetebant, usurpandi. Hincque, opinor, factum est, ut olim multi sancti viri, quamvis persuasi essent sibi per Dei indulgentiam licere carnibus vesci, sponte ab illis sibi temperarint, aut saltem in tam frequenti usu atque vulgus abdomini servientium non habuerint, contenti eas in sacrificiis

ficiis Eucharisticis, & aliis publicae vel privatae lætitiæ diebus attingere: contra vero reprehendantur, qui epulantur super terram, & in luxuriis enutriunt corda sua, sicut in die occisionis, *Jacob.* v. 5. qualis erat dives ille helluo, de quo memoratur ipsum quotidie epulatum fuisse splendide, *Luc.* XVI. 19. Et sanctorum istorum, ut videtur, exemplo quidam inter Ethnicos Philosophi & Sacerdotes, qui sanctiorem cæteris disciplinam profitebantur. Nam Chæremon Stoïcus id testatur de antiquis Ægyptiorum sacerdotibus; Eubulus de magis Persarum; Bardesanes Babylonius de Indorum gymnosophistis. Et Pythagoras ut discipulos facilius ab esu carnium averteret, *μετεμψύχωσιν*, seu reciprocam animarum ex hominum corporibus in brutorum corpora migrationem finxit; *ne* (ut salse perstringit Tertullianus) bubulam de aliquo proavo quisquam obsonaret. Quod dogma indecisum relinquens Seneca dicit: *Si vera sunt ista, abstinuisse animalibus innocentia est: si falsa, frugalitas est*, Epist. CVIII. Eoque pertinent Plutarchi duo libelli, περὶ σαρκοφαγίας, in quibus esum carnium crudelitatem sapere, corporique simul & animo non parum obesse contendit. Quin etiam (si Porphyrio fides sit habenda) tempore Pygmalionis Tyri regis, qui Elizæi Prophetæ coætaneus fuit, nondum inter ipsius subditos usitatum erat carnibus vesci, & ne mos ille irreperet totis studuit viribus impedire, sed irrito conatu, lib. 4. περὶ ἀποχῆς. ubi similiter piscium abstinentiam usque ad Menandri comici tempora duravisse in Græcia ostendit. Quæ non commemoro ad excusandam Ethnicorum superstitionem, aut in donorum & munificentiæ divinæ contemptum: absit! sed tantum ut eo melius liqueat rem tot hominibus, aut etiam integris nationibus diu ignotam, adeo vitæ sustentandæ non esse necessariam ut ejus origo ad mundi principium sit referenda.

Verum quid opus est ejus tam procul conquirere indicia, cum doctissimos & celeberrimos quosque Theologos hic assentientes habeamus? De Hebræis vide Manasseh ben Israël, in Conciliatore, super Genesin, quæst. IX. ubi pro ista sententia citat R. Selomoh, Aben Ezrah, R. Mosem Gerundensem, R. Bahye, R. Nissim, Ishac Karo, Ishac Arama, Ishac Abravanelem, R. Mosem Alchech, & multos alios, nulliusque mentionem facit qui in diversum abeat. Consule item Seldenum de jure naturali, lib. III. cap. 8. ubi dicit: *Primæ ætatis hominibus, id est, qui Noachum præcesserunt, carnis esus permissus non est, ut Ebræi statuunt. Vide Bereschith Rabba, Parash, 34. Josephum Albo, lib. Ikarim, part. 3. cap. 14. 15.* Inter antiquos Christianos adeatur Tertullianus, sive potius Novatianus, de cibis Judaïcis, cap. 2. dicens: *Cibus primus hominibus solus arborum fuit fœtus & fructus, &c. Postea etiam usus carnis accessit*, &c. Et Hieronymus adversus Jovinianum, lib. 1. *Esus carnium usque ad diluvium ignotus fuit*, &c. Quibus accedat Boëthius, de Consolat. lib. 2. met. 5.

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.

Hos longo intervallo secuti sunt Nicolaus Lyranus, Alphonsus Tostatus, & Dionysius Carthusianus, qui, ut testatur Bened. Pererius, in *Genes.* cap. IX. affirmant esum carnium nec fuisse in usu ante diluvium, nec fuisse licitum. Inter protestantes in eadem sunt sententia Petrus Martyr, Hieronymus Zanchius, Benedictus Aretius, Gulielmus Perkinsus, qui etiam omnes veteres Patres pro se facere asserunt. Dissentiunt quidem Cajetanus, Calvinus, & quidam alii, sed pauci: ita ut si numero suffragiorum ista lis decidenda foret, longe plura, & majoris ponderis, pro parte eorum qui carnes ante diluvium licitas fuisse negant, quam pro iis qui affirmant, afferri possent. Sed in his victoriæ spem non repono.

CAPUT III.

Responsio ad objectiones eorum qui putant esum carnium ante diluvium fuisse permissum.

Videamus jam quo argumentorum robore contraria opinio defendatur. *Primum est:* Deus omnia quæ in terra sunt propter homines condidit, & ipsorum potestati subjecit. *Dominamini*, inquit, *piscibus maris, & volucribus cæli, & universis animalibus quæ moventur super terram*, *Genes.* 1. 28. Angustis autem inclusum fuisset limitibus istud dominium, præsertim in pisces, quorum nullus alius videtur usus esse quam suppeditare nobis victum, si carnibus eorum non licuisset famem sedare. *Resp.* Dominium hominis in bruta tunc erat plenissimum, tum quod ad jus, tum quod ad exercitium, quando Adam nondum adversus creatorem suum peccaverat. De jure omnes consentiunt. De exercitio quoque non est minus evidens. Homo enim poterat animalia, si forte rebellassent, partim vi, partim astu, voluntati suæ subjicere, & ad parendum cogere. Atqui illo tempore, ut fatentur omnes, non mactabantur ad victum: dedecuisset enim Paradisum laniena fœdare. Et multa alia ex animantibus commoda percipere poterant homines præter escam. Equis, bobus, asinis, usi fuissent ad arandum terram, ad gestanda onera, trahendos currus. Vaccæ, oves, capræ, illis suppeditassent lac, butyrum, caseum, lanam. Et sic alia similiter, singula pro facultate sua. Ex

omnibus occasionem sumpsissent Dei bonitatem, sapientiam, & potentiam celebrandi. Nullum enim est vel minimum animalculum, aut insectum, quod de his nos instituere non queat. Quin etiam dominamur hodie leonibus, lupis, vulpibus, serpentibus, & aliis ejusmodi pluribus, quorum carnes nauseam nobis concitant. Nonnulla ex iis pelle, alia ossibus, alia cornibus & unguibus, imo etiam excrementis nobis inserviunt. Ex quibusdam eximia, ut arcanorum naturæ scrutatoribus est notum, adversus gravissimos morbos remedia mutuamur. Unde liquet dominium in bruta constare integrum veteris mundi incolis potuisse, etiamsi illis non vescerentur. Ad cujus rei illustrationem non pigebit insignem Hieronymi locum, ex lib. 2. adversus Jovinianum, hic adscribere: *Si enim*, inquit, *omne quod movetur & vivit, ad vescendum factum est, & præparatum gulæ, respondeant mihi, cur elephanti, cur leones, ursi, leopardi, lupi; cur viperæ, scorpii, cimices, culices, pulicesque; cur vultur, aquila, corvus, accipiter; cur ceti, delphines, phocæ, minutæque cochleolæ condita sint? Quis nostrum leonem, quis viperam, quis vulturem, quis ciconiam, quis milvum, quis reptantes in littoribus vermiculos unquam comederit? Sicut igitur hæc proprios usus habent, ita possimus dicere & cæteras bestias, pisces, aves, non ad esum, sed ad medicinas creatas. Denique carnes viperæ unde theriace conficitur, quantis rebus aptæ sint norunt Medici. Segmenta eboris in medelas varias assumuntur. Fel hyenæ oculorum restituit claritatem, & stercus ejus putrida curat vulnera. Et (quod forsitan legenti mirum sit) hominis fimus quantis curationibus proficiat, Galenus in* ἁπλοῖς *docet. Ajunt Physici, quod pellis colubri quæ exuitur, decocta in oleo, mire dolorem aurium mitiget. Quid ita inutile videtur nescientibus ut cimices? si sanguisuga faucibus hæserit, fumo ejus excepto statim evomitur; & difficultas urinæ hujus appositione laxatur. Porcorum autem, & anserum, & gallinarum, phasianorumque adipes quid commodi habeant omnes Medicorum declarant libri: quos si legeris, videbis tot curationes esse in vulture, quod membra sunt. Pavi fimus podagræ fervorem mitigat. Gruis, ciconiæ fel, aquilæ, sanguis accipitris, strutiocamelus, rana, chamæleontes, hirundinis stercus & carnes, quibus morbis apta sint dicerem, si mihi propositum esset de medela corporum disputare. Legat qui vult Aristotelem & Theophrastum prosa, Marcellum Sidetem, & nostrum Flavium hexametris versibus disserentes: Plinium quoque Secundum, & Dioscoridem, & cæteros tam Physicos quam Medicos, qui nullam herbam, nullum lapidem, nullum animal, tam reptile, quam volatile, & natatile, non ad suæ artis utilitatem referunt.* In qua disputatione longius quidem quam oporteat bonus ille Pater videtur progredi, dum etiam post indultum à Deo imbecillitati humanæ carnium esum, affine vitio existimat illas attingere: cum tamen Dominus Jesus, omnis perfectionis exemplar, id non fit veritus; & Apostolus doceat, *omnem Dei creaturam esse bonam, & nihil esse rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*, 1 *Tim.* IV. 4. Imo nolim negare quin ante diluvium, in extremæ necessitatis casu, licuerit se animalium carnibus sustentare, & ab imminente alioqui morte præservare. Veluti si multiplicato hominum genere delati fuissent aliqui in sterilem insulam, & cæteris omnibus alimentis destitutam, sed quæ pisculento mari allueretur; quis dubitat eos absque peccato piscium carnibus se potuisse explere, & vitæ mutorum istorum natatilium dispendio suæ consulere, quamvis in ordinariam escam non essent dati? Nam etiam dominium quod homines in bruta acceperunt, jus semper eis tribuit se ab illorum injuriis vindicandi, & noxia interimendi, ut leones, serpentes; ejusque rei nomine nemo unquam reprehensus legitur; cum ratio dictet vitam hominis ad imaginem Dei conditi, multis partibus reliquorum animalium vitæ præponderare. Cui neque Pythagoras ausus est contradicere, ut videre est apud Ovidium, loco supra citato.

Nostrumque potentia lethum
Corpora missa neci salva pietate fatemur.

Istud solum est quod dico illicitum fuisse absque urgente necessitate, voluptatis causa, seu ad gulæ placendum, animantium carnem in cibum usurpare, ut nefarii illi incolæ primi mundi fecisse videntur.

Secundum: Prisci illi mortales sacrificia Deo offerebant ex animalibus, ut docet historia Abelis, qui ovium pastor erat, & *obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*, *Genes.* IV. Ergo non dubitabant carne vesci. Nam olim moris erat ut victimæ aliqua pars rediret ad sacrificantes, unde coram Deo una cum domesticis & amicis epularentur. De quo sacræ literæ passim testimonium perhibent, ut *Genes.* XXXI. 54. *Exod.* XVIII. 12. Præterea immerito pietas Abelis celebraretur in eo quod pinguissima ex grege suo offerret. Si enim non fuisset solitus ovium carnes comedere, nullum discrimen inter pingues & macras fecisset, nec illas pluris quam has æstimandi causam habuisset. *Resp.* Male consequentiam duci à seculis diluvium secutis ad ea quæ antecesserunt, quasi utrorumque eadem foret ratio, & iidem semper atque ubique mores obtinuissent. Nemo enim nescit hominum mores perpetuis mutationum vicissitudinibus esse obnoxios, & quæ nunc atque hic observantur, olim & alibi fuisse incognita, aut contra. Quod ergo in aliis rebus usu venit, cur non in sacrificiis quoque locum habere potuit? Tanta-ne est affinitas inter sacrificia & convivia, ut nullum sacrificium absque convivio celebrari queat? Atqui etiam sub lege oblata fuere plurima holocausta, quæ (ut nomen ipsum indicat) tota igne consumebantur: taliaque erant

quæ

quæ ſingulis diebus, mane & veſperi in Tabernaculo primum, deinde in templo Hieroſolymitano fiebant, unde nec ſacerdotes, nec ulli alii quicquam delibabant. Quid ni ergo idem quoque factitatum eſſet olim, antequam Deus carnibus veſci permiſiſſet? Nec ſane poterat aliter, ut Seldenus, ex Hebræorum diſciplina, ſupra dicti operis lib. III. cap. 8. docet. *Holocauſta*, inquit, *ſola erant in uſu ante legem. Neque enim ex immolati animalis parte aliqua (quemadmodum in ſacrificiis aliis Ebræorum, & in non paucis Gentilium ævi ſuccedentis) epulum ſacrum, veluti ſacrificii appendicem, celebrari tunc licite potuiſſe nemo non videt. Et cum carnium eſus verbis diſertis*, Geneſ. IX. 4. *generi humano poſt complura ſecula à Numine indultus eſt, de ſacrificiorum cruentorum ritu nihil interea eſt novatum: ſed totum animal pro victima oblatum, excoriatum tamen ex more & diſſectum, ut ante, cremandum erat. Uſibus nempe humanis ſic plane eximendum; idque tum in recognitionem ſupremi Numinis imperii, tum in gratiarum actionem, favoris conciliationem, peccatorum expiationem, veluti per ſymbolum, quod retributionis univerſi Domino facta ſpeciem ſaltem ſibi indueret.* Certe Noachus non videtur aliud ſacrificii genus noviſſe; de quo ex arca recenter egreſſo dicitur; *Ædificavit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare*, Geneſ. VIII. 20. Similiter Cain & Abel, ſi veteri traditioni credimus, Deum igne cælitus miſſo hujus ſacrificia, non illius, conſumpſiſſe. Cui favet Theodotionis verſio, ubi Geneſ. IV. 4. 5. legebatur; καὶ ἐνεπύρισεν (inflammavit) *Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium ejus; ſuper Cain vero, & ſuper ſacrificium ejus non inflammavit.* Nec etiam carnium eſum ſub mundi initia jam receptum uſu fuiſſe, evincitur ex laude Abeli tributa, quod pinguiſſimas quaſque oves Deo in ſacrificium offerret. Nam ratio docet nihil Deo niſi optimum & præſtantiſſimum eſſe offerendum. Inter animalia autem etiam quæ non eduntur, ut equos, canes, feles, pluris fieri ſolent pinguia & bene habita, quam macilenta & ſtrigoſa.

Tertium: Deus veſtes Adamo & Evæ poſt peccatum ex pellibus conficiens, ad eorum nuditatem tegendam, exemplum dedit ut poſtea pelles quoque in eundem uſum adhiberentur. Non eſt autem veriſimile ipſum carnes animalium, quæ excoriari permittebat, tanquam inutiles abjici voluiſſe, ſed potius indulſiſſe ut in alimentum cederent. Reſp. Exuviæ animantium quæ Deo in ſacrificium fuerant oblatæ retineri poterant ad veſtimenta facienda, vel eorum quæ fato ſuo, cui omnia naturaliter ſunt obnoxia, perierant, atque etiam ferarum & aliarum beſtiarum quarum carnes non comeduntur, ut leonum, luporum, canum, felium, & aliarum ejuſmodi. Quicquid ejus ſit, Deus concedendo hominibus ut corpus ſuum animantium corio tegerent, oſtendebat ſe non improbare ut id commoda aliqua ratione ipſis detraherent. Sed nullo adhuc indicio patefecerat ſibi placere ut eorum carnibus veſcerentur: longeque ſatius erat carnes quantumvis delicatas & ad edendum optimas abjicere, quam invito aut non largiente Deo illas uſurpare. Nam ſi ita argumentari liceat, quid ni etiam excuſabiles fuiſſent Adamus & Eva comedendo de fructu vetito? & dicendo, non potuimus credere Deum arborem iſtam fruſtra condidiſſe, & maluiſſe ut ſineremus fructum ejus qui tam bonus eſt ad veſcendum & deſiderabilis aſpectu, perire, quam in uſum noſtrum convertere.

Quartum: Ante diluvium jam locum habebat diſtinctio animalium in munda & immunda, ut apparet ex Geneſ. VII. 2. 3. Munda autem ſunt illa quæ Deus in lege pro talibus haberi voluit, & in alimentum Iſraëlitis indulſit; immunda contra, Levit. XI. Deuter. XIV. Reſp. Diſtinctionem iſtam ſub lege non factam fuiſſe tantum propter eſum, ut ſcirent Iſraëlitæ quibus veſci poſſent, & à quibus abſtinere deberent: ſed etiam propter ſacrificia, ut ſanctiſſimo Deo, & omnis immunditiæ oſori, nihil niſi mundum offerretur, & ab ejus cultu id quod vel minimam impuritatis ſpeciem haberet removeretur. Ad poſtremum autem hunc finem, ſeu ad ſacrificia, ſolum reſpici in loco Geneſ. VII. ubi mundorum & immundorum animalium fit mentio, inde recte colligitur, quod cum Deus *cap.* IX. eſum carnis permittit, diſtinctionem iſtam ne verbo quidem attingit, & nullam prorſus animalium ſpeciem, ſed tantum ſanguinem, ſeu carnem cum ſanguine, excipit.

Quintum: Si illicitum fuiſſet ante diluvium animalia ad edendum mactare, in adeo immenſum excreviſſent numerum ut terram popularentur & fruges conſumerent, homineſque in periculo verſati eſſent ne aut fame perirent, aut ſaltem magna ciborum ad vitam ſuam ſuſtentandam requiſitorum penuria laborarent. Id autem eſt abſurdum, & curæ quam Deus de humano genere habet repugnans. Reſp. Incommoda iſta minime fuiſſe metuenda, ſive cicuria & domeſtica ſpectes animalia, ſive fugacia & quæ in agris degunt. Nam qood ad domeſtica attinet, ut ſunt oves, capræ, boves, &c. quamvis fœcunditate præſtent, non tamen valde abſque hominum peculiari cura & labore multiplicantur; ita ut ſibi ipſis relicta, magnam partem morbis peritura, aut feris in prædam ceſſura eſſent, ſicut minutos piſces à majoribus devorari comperimus. Et quod ad fugacia, ut ſunt cervi, damæ, lepores, &c. experientia quoque docet contrarium. Nam etiam in locis ubi nemo illa perſequitur & capit, non adeo multiplicantur ut terram repleant, & homines ejus fructibus privent. Niſi eo forte referre quis velit quod in hiſtoria

de Balearibus insulis legimus, cuniculos aliquando illic tanta fuisse copia ut messes popularentur, & ædificia suffoderint, incolasque ad tantas angustias adigerent ut auxilium militare cogerentur petere à Romanis, cujus ope ipsos finibus suis exterminarent. Sed quin in tali casu licuisset animalia adeo noxia persequi & occidere, nullum est dubium. Istud enim comprehensum est in dominio quod Deus homini in illa dedit. Unde tamen jus carnibus eorum vescendi non bene elicitur; quemadmodum neque ex eo quod Israëlitæ legitime poterant veteres incolas ex Cananæa, sibi à Deo in hæreditatem data, pellere, sequitur fas ipsis fuisse eos Cyclopum aut Cannibalum more devorare.

CAPUT IV.

A diluvio usque ad legem illicitum fuisse cuiquam sanguine vesci.

DEfuncti sumus prima laboris nostri parte, quæ tantum velut introitus & præparatio ad alteram præcipuam fuit, quæ jam est tractanda: nempe omnem sanguinis esum à Noachi, seu potius diluvii tempore, usque ad Mosem, & legem per eum Israëlitis latam interdictam fuisse. Postquam ergo Noachus ex aquis diluvii liberatus, arca in quam se abdiderat egressus esset, placuit Deo fœdus quod olim cum genere humano in mundi principio pepigerat, cum ipso & ipsius posteris non solum renovare, sed etiam aliqua ex parte ampliare. Cum enim in priore illo fœdere nihil aliud concessisset hominibus ad victum, nisi arborum fructus, olera, & fruges, in hoc posteriore largitur eis insuper animantium carnes. *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, *Genes.* IX. 3. Cujus indulgentiæ rationes in præcedentibus indagavimus. Sed tamen hanc exceptionem seu restrictionem immediate addidit; אַךְ בָּשָׂר בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ לֹא תֹאכֵלוּ *Tantum carnem in anima ejus, sanguine ipsius, non comedetis:* ut vertit Arias Montanus. Vulgata vero, *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis:* omissa *anima* voce. LXX. interpretes: πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς οὐ φάγεσθε. *Verum tamen carnem in sanguine animæ non comedetis.* Aquila ἐν ψυχῇ αὐτοῦ αἷμα αὐτοῦ, *in anima ejus sanguinem ejus.* Symmachus, οὗ σὺν ψυχῇ αἷμα αὐτοῦ, *cujus cum anima sanguis ejus.* Quæ adeo solicite refero, ut constet ex veterum & idiomatis Hebraïci peritissimorum interpretum mente hic sanguinis esum prohiberi. Nec aliter etiam intellexit Josephus, qui tali paraphrasi præceptum Noacho datum illustrat. χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις ζώοις ἅπασι πρὸς ἃ βούλεσθε καὶ τὰς ὀρέξεις ἔχετε. δεσπότας γὰρ ἁπάντων ὑμᾶς εἶναι πεποίηκα, τῶν τε χερσαίων καὶ νηκτῶν καὶ ὅσα τὴν μετάρσιον φέρεσθαι ἔχει καὶ φοράν, χωρὶς αἵματος· ἐν τούτῳ γάρ ἐστιν ἡ ψυχή. *aliorum animalium usum ad voluntatem ac libitum vestrum permitto. Dominos enim vos feci omnium, tam terrestrium quam natatilium, & eorum quæ per sublime feruntur*, ABSQUE SANGUINE. *Nam in hoc inest anima.* Antiquit. Judaic. lib. I. cap. 4. Similiter Sulpitius Severus, cujus hæc sunt verba: *Mox* (Noë) *à Domino cum filiis benedicitur; præceptumque accipit ne sanguine vesceretur, aut sanguinem hominis effunderet.* Histor. Sacræ lib. I. Nec aliter transtulerunt recentiores, Tigurini, Castellio, Junius & Tremellius, Genevenses, Belgæ, Deodatus. Quare indubium est nos expressum sanguine vescendi interdictum hic habere; licet nonnulli hodie effugia magno labore quærant, ne ad ejus observationem, tanquam Noachi filii, videantur etiamnum esse obligati.

Sed præter tot eruditorum interpretum consensum, id etiam causæ nostræ favet, quod in aliis Mosaïcæ legis locis, ubi sine controversia esus sanguinis prohibetur, eadem quæ hic, & totidem verbis, reddatur ratio; nempe, *Quia anima carnis in sanguine est*, *Levit.* XVII. 11. 14. & alibi. Quod alia de causa non est factum, nisi quia illorum locorum & hujus unus idemque est sensus & scopus: videlicet ostendere dominium quod Deus concedebat homini in reliqua animantia non esse absolutum & illimitatum, ut ad libitum iis uti liceret, cum sanguinem, qui est vehiculum animæ, præcipuæ animalium partis, exciperet; quo vesci perinde barbarum & crudele foret atque animam ipsam comedere.

Cui accedit alia ratio, satis aperte in sequentibus verbis expressa: *Et profecto sanguinem vestrum, sanguinem animarum vestrarum requiram; de manu omnis bestiæ requiram illum; & de manu hominis, de manu viri fratris ejus requiram animam hominis*, *v.* 5. Ubi non multum refert, sive *vau* illud, à quo incipit versus in Hebraïco, reddatur per conjunctionem copulativam *&*, ut factum est à Pagnino; sive per rationalem *nam*, quam adhibuit vulgatus interpres; cum phrasis ista *sanguis animæ*, manifeste respiciat ad antecedentia, & ostendat quid Deus in prohibendo sanguinis esu sibi proposuerit; nimirum tanto efficacius homines ab effusione sanguinis proximorum deterrere, cum nequidem pecuinum penitus in ipsorum arbitrio reliquisset. Quæ ratio est egregia, & à plerisque doctioribus commentatoribus observata. Quasi dixisset Deus, Nolo vos sanguine vesci, quia sic evaderetis crudeles & propensi ad homicidia, à quibus debetis abhorrere. Sed meræ erunt scopæ dissolutæ, nisi in versu quarto præcedente sanguinis esus prohibitus fuerit.

Ad universum autem genus humanum istud interdictum pertinere inde liquet, quod factum sit instauratori ejus Noacho, & filiis ipsius, ex quibus omnes reliqui homines ad hodiernum usque diem originem suam traxerunt. Nec ideo obligandi vim amisisse censendum est, quod sequentibus seculis apud mortalium plerosque

plerosque in desuetudinem abierit. Eodem enim jure aliquis dicere posset, nos mandato inimicos diligendi, quod hodie à tam paucis observatur, non amplius teneri. Legibus quidem humanis interdum contraria consuetudine derogatur; sed aliter se res habet in divinis; quæ tamdiu nos devinciunt, donec Deus aperto aliquo indicio se nos ab earum obedientia liberare ostenderit. Nullum autem hic tale dedit; sed contra in lege Israëlitis aliquanto post lata iterum sanguinis abstinentiam stricte admodum præscripsit; & in ultima voluntatis suæ declaratione, quam per Jesum Christum & Apostolos fecit, eam toti credentium Ecclesiæ tanquam rem necessariam, ut mox videbimus, commendavit.

Quamvis autem hæc clara & plana sint, tamen non pauca excipiuntur in contrarium ab iis qui verentur ne tam illustris locus lethale opinioni suæ vulnus infligat.

Except. I. Mandato quod Deus Noacho dedit, non prohibetur esus sanguinis; sed ne quis membrum vivi animalis, sanguine adhuc manans, in cibum usurpet. *Resp.* Interpretationem hanc adeo esse coactam, & à Sacri historici verbis alienam, ut putem eam nemini unquam Christiano in mentem fuisse venturam, nisi aliqui recentiores Judæorum Magistri præivissent; qui illa quæ ante pedes sunt inanimadversa præterire soliti, acuminis laudem in paradoxis confingendis affectant. Ita ex his Mosis vocibus, *Masculum & feminam creavit eos, Genes.* I. 27. per subtilem consequentiam eliciunt, Deum creavisse primum hominem hermaphroditum, seu utroque sexu in uno corpore constantem. Cujus tamen inventi laus, si qua sit, non Rabbinis, sed Platoni, qui dudum ante in Symposio id confinxit, debetur. Alii vero ex iisdem verbis *Genes.* I. collatis cum illis quæ habentur *cap.* 2. 18. *Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adjutorium quod sit coram eo:* colligunt Adamum aliam habuisse uxorem ante Evam, quæ vocabatur Lilis, & Dæmonum fuit mater. Similiter ex eo quod Deus Adamo post peccatum dixit, *Pulvis es, & in pulverem reverteris, Genes.* III. 19. probant mortuos resurrecturos; utpote qui ex eodem pulvere unde primo Adami corpus factum est, postmodum sint refingendi: non attendentes se ex comminatione divina perabsurde promissionem facere. Sic igitur putantes expositionem, quæ hunc locum *Genes.* IX. de esu sanguinis accipit, nimis simplicem esse, ad illam reconditiorem, quam modo audivimus, confugerunt. Nisi potius Christianorum odio, ut suspicatur Hugo Grotius, eam amplexi fuerint: quod etiam ipsos in aliis locorum Scripturæ enarrationibus non semel fecisse eruditi observarunt. Nam longe diversum sensisse veteres Rabbinos evincunt LXX. interpretum, Aquilæ, Symmachi, & Josephi metaphrases quas supra retuli. Eosque sequuntur Rabbi Chanania, ben Gamaliel, Rabbi Saadias, & aliquot alii, ut refert Seldenus, de jure naturali, lib. 7. cap. I. Item doctissimi quique inter Christianos Scripturæ enarratores. Et merito. Nam sensum illum, de vivi animalis membro non comedendo, Sacri textus verba ne leviter quidem insinuant; sed inde violenter, & quasi obtorto collo, trahitur. Nec ulla probabilis causa afferri potest, cur Deus inter tam pauca mandata, quæ Noacho dedit, unum comprehendere voluerit quod superfluum videtur, prohibitionem nempe rei à qua homines naturaliter abhorrent, & quæ non nisi in ferinam indolem cadit. Nam quod quidam dicunt istud in usu fuisse apud impios illos qui ante diluvium vivebant, nos tunc credemus cum idoneos assertionis suæ testes produxerint. Esto tamen. Nam & tales deliciæ quondam Americanis placuisse dicuntur. Sed longe graviora fuerunt crimina propter quæ diluvium mundo immissum est, videlicet impietas in Deum, oppressiones pauperum, latrocinia, libidines contra naturam, & alia ejusmodi; contra quæ cum nihil tunc temporis decreverit Deus, an crudelitatem tantum in bruta dignam reputasset, quam speciali aliqua lege frænaret? adeone ipsi curæ sunt bruta supra homines ipsos? Præterea verbis istis, de quorum mente disputamus, interdictum non contineri de vivi animalis membro comedendo, inde quoque probabiliter admodum colligitur, quod nulla ejus in universo Bibliorum codice alibi fiat mentio; cum tamen pleraque mandata divina, præsertim majoris alicujus momenti, (qualia oportet fuisse pauca illa Noacho tradita,) non semel tantum & obiter proponantur, sed sæpe diversisque in locis repetantur, inculcentur, & qui ea transgressi fuerunt damnantur; ex. gr. de homicidio. Quod sane etiam in hoc, de abstinendo à vivi animalis carnibus, utpote tam obscure proposito, (si tamen propositum est) ut oculis plus quam lynceis opus sit ad ipsum animadvertendum, observari æquum fuisset, ne quis peccato suo hanc excusationem, quod Dei mentem non assequeretur, cum specie prætexeret. Denique qui opinioni isti adhærent, non diffitentur Noacho & filiis ejus illicitum fuisse sanguine vesci; quamvis id non fuerit ipsis directe & primario prohibitum, sed tantum indirecte & per consequentiam. Agnoscunt enim Dei interdictum, (quæcunque ejus sit mens) hoc fundamento niti, quod anima in sanguine sit; ac proinde sanguinem, ubicunque se nobis offerat, non esse attingendum, ne ferino more anima seu vita ipsa simul vesci velle videamur. Et istud nobis sufficit. Ita ut, quod ad hanc quam tractamus controversiam, res eodem propemodum redeat, sive admittatur Rabbinorum expositio, sive repudietur. Nec ideo illam impugnavi, quasi alioqui causa nostra laboratura esset, sed quia mihi

mihi absurda videtur, & toto cælo ab intentione divina aberrare.

Except. 2. Suffocatum potius fuit Noacho prohibitum, quam sanguinis à carne distincti & separati esus. *Tantum carnem in anima ejus, sanguine ipsius, non comedetis.* Resp. Non multum etiam nostra refert, sive hoc sive illud dicatur. Nam cum suffocatis vesci nefas sit propter sanguinem in illis contentum, non potuerunt à Deo prohiberi suffocatæ carnes, quin sanguis simul prohibitus esse intelligeretur. Fateor etiam istam interpretationem cum verbis textus, si seorsim & per se considerentur, non male convenire. Sed quia alibi in lege esus morticinorum (quorum eadem est cum suffocatis ratio) conceditur peregrinis inter Israëlitas versantibus, inde facile est animadvertere illum Noacho & filiis ejus hic non fuisse prohibitum; alioqui lex divina sibi ipsi non obscure contradiceret, eandem rem iisdem vetans & permittens. Antecedens autem liquet ex *Deut.* XIV. *v.* 21. *Quicquid morticinum est, ne vescamini ex eo: peregrino qui intra portas tuas est da ut comedat, aut vende ei.* Vide etiam *Levit.* XVII. 15. 16. Itemque observabatur si pecus aliquod in foveam cecidisset & ibi suffocatum esset. Nihil enim aliud in utrisque, sive morticinis & discerptis à feris, sive suffocatis, desiderabatur, nisi quod sanguis inde non satis accurate fuisset expressus & separatus. Peregrini ergo poterant libere & absque conscientiæ scrupulo comedere morticina, lacera, & suffocata: non potuissent autem si lege quæ Noacho data est comprehensa fuissent. Non minus enim quam Israëlitæ ad mandatorum omnibus ejus posteris traditorum observationem obligati erant. Imo Israëlitæ nemini peregrino permittebant in Cananæa secum habitare, nisi omnia præcepta Noachidis injuncta custodiret; qualia septem vulgo recensent. 1. Ne idola colerent. 2. Ne Deo aut sancto ejus nomini maledicerent. 3. Ne furta aut rapinas exercerent. 4. Ne sanguinem humanum funderent. 5. Ne incestis se nuptiis fœdarent. 6. Ne membrum vivi animalis, aut carnem cum anima ejus, quæ est sanguis, comederent. 7. Ut judices crearent qui secundum hæc præcepta jus administrarent. Sed quod ad morticinorum & suffocatorum abstinentiam, quia pertinebat ad cultum ceremonialem solis Israëlitis à Deo præscriptum, peregrini inter ipsos commorantes eam servare non tenebantur. Nec obstabat quod sanguis inde non fuisset exemptus. Nam quod in morte factum non erat, postmodum aliqua potuit ratione resarciri. Existimo itaque pios ex Gentilibus, qui istius prohibitionis divinæ notitiam habebant, morticina & suffocata non comedisse, quantumvis sibi à lege permissa, nisi prius ea quantum poterant à sanguine per diligentem ablutionem expurgassent. A qua opinione Seldenus quoque loco supra citato non est alienus. Et vellem istud hodie caveri ab iis qui talibus cibis vescuntur. Sic nec superstitiose Judaïzarent, piaculum putantes paucas aliquot sanguinis guttas carni admixtas, & vix ab ea separabiles, attingere; nec præcepta omnibus Noachi posteris tradita, sanguinem merum comedendo, profane contemnerent.

Except. 3. Deus ideo tantum prohibet Noacho & ejus filiis, ne vescantur sanguine, quia volebat ipsum ad sacrificia sibi reservari, *Levit.* XVII. 11. proinde est mandatum ceremoniale, & sacrificiis animalium, ad quæ respiciebat, abrogatis, neminem amplius constringit. Resp. In lege quidem rationem istam, quam affert exceptio, inter alias reddi, cur Deus Israëlitas ab esu sanguinis sibi temperare vellet. Sed in prohibitione Noacho facta, non attingitur omnino. Imo, quod amplius est, ne verbulum quidem de sacrificiis illic occurrit, unde suspicari quis possit ad ea respici. Quis ergo credat principali dissimulato, aut silentio præterito, legem de accessorio fuisse latam? Sed de hac re pluribus agendi, mox se commodior offeret occasio: quæ nunc attuli ad propositi nodi solutionem abunde sufficiunt.

Except. 4. Prohibitione sanguinis, quam Deus Noacho fecit, non fuerunt in perpetuum obligati omnes ejus posteri; sed tantum usque ad Abrahami tempus, cum quo Deus peculiari fœdere inito, reliquas gentes postea in viis suis ambulare permisit, nec eas unquam quod vescerentur sanguine reprehendit. Resp. Deum peculiare fœdus cum Abrahamo pangendo, cæteras gentes non liberasse obligatione parendi mandatis, quæ ipse antea Noacho & posteris ejus præscripserat. Sic enim vix ad obitum usque Noachi ea durasset, qui quinquaginta septem annos cum Abrahamo vixit. Permisit quidem Deus post illud tempus gentes in viis suis ambulare; id est non visitavit per Prophetas, nec officii sui admonuit: sed non ita laxavit eis frænum ut impune possent facere quicquid luberet. Quare non est dubium, quin ii omnes, apud quod memoria interdicti Noacho facti adhuc supererat, ei parere tenerentur, & se gravis per ejus contemptum peccati reos redderent. Quod vero ad alios attinet, qui nullam ejus notitiam habuerunt, aut habere potuerunt, credo Deum misericordem non imputavisse ipsis in culpam si contravenirent, nec enim ista res ex earum est genere quas unusquisque naturæ lumine facile cognoscere potest, adeo ut inexcusabiles sint qui non obtemperant. Propterea Deus nunquam populos à suo fœdere alienos reprehendit per Prophetas ob esum sanguinis, quem ab ipso prohibitum fuisse ignorabant. Multa erant longe graviora, in quibus à conscientia sua redarguebantur, quæ ipsis exprobraret.

Alii sentiunt præcepta positiva alicujus fœderis

ris non diutius obligare quam fœdus illud duret, & succedente alio novo vim suam amittere. Tale autem esse Novi Testamenti fœdus, in quo omnia antecedentia sint abrogata; quemadmodum ultimo testamento priora annihilantur, nisi testator aperte significet velle se ut priora vim obtineant. Resp. Fateor quoque interdictum sanguinis Noacho & ejus filiis factum, posse cum aliqua specie abrogatum censeri per Novum & perfectius fœdus, quod Deus ultimis diebus cum universo genere humano per Dominum Jesum pepigit, nisi viderem ipsum ab Apostolis per Spiritus S. impulsum expresse fuisse renovatum, & pristino suo vigori restitutum, *Act.* xv. de quo postea.

CAPUT V.

Omnem sanguinis esum à lege Mosaica diserte esse vetitum.

SEquitur tertia temporis periodus, quæ à Mose usque ad Jesum Christum extenditur: ubi nullus est qui neget sanguinis esum Israëlitis fuisse prohibitum. Nam de eo plurima legis loca diserte testantur. Inter alia *Levit.* VII. 26. 27. *Sanguinem omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus, quam de pecoribus. Omnis anima quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis.* Item *cap.* XVII. à *v.* 10. usque ad finem capitis, *Deut.* XII. 16. 23. & XV. 23. & alibi. Piscium tamen nulla fit hic mentio. Ideoque Judæi ab eorum sanguine abstinere non solent; ut Seldenus lib. VII. cap. 1. ex eorum scriptis ostendit. Maimonides, Halshecita, cap. 1. Non opus est ut adhibeantur ritus mactationis piscibus & locustis. Cæterum collectio eorum tantum licitos eos facit. Nam & dixit Moses *Numer.* XI. 22. *Nunquid ovium & boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient?* Ubi collectio, seu congregatio ipsa & captura piscium mactationi boum & pecorum comparatur. Alibi item collectio locustarum memoratur in Prophetis, ut quæ sola sufficeret. Vide *Esa.* XXXIII. 4. Unde pisces liciti erant, tametsi ex se morerentur in aquis: quos etiam vivos comedere, ut ostrea solemus, nihil prohibebat.

Excipi solet 1. Præceptum istud esse positivum & ceremoniale: legis autem ceremonias, cum olim vigerent, non alios obligasse quam Israëlitas: sub Novo autem Fœdere illas esse abrogatas, & neminem hodie ad earum observationem amplius teneri. Positivum vero esse inde probatur, quod recta ratio non docet nos à sanguine abstinere debere, sed totum id pendeat ex mera Dei prohibentis voluntate. Resp. 1. Male inter se confundi positivum & ceremoniale, quasi hæc duo unum idemque sint; cum tamen positivum latius pateat quam ceremoniale. Nam omne ceremoniale est positivum; sed non vice versa. Id quod animadverti potest in gradibus consanguinitatis & affinitatis, qui conjugiis impedimentum afferunt; item polygamia & divortiis, aliisque ejusmodi rebus plurimis, quas juris positivi esse constat; sed nemo ceremoniales recte appellaverit. Ceremoniarum enim nomine soli ritus externi ad cultum Dei pertinentes intelliguntur; quibus vel puritas spiritualis, vel aliquid in Christo olim implendum adumbrabatur. Itaque multæ leges positivæ longe propius accedunt ad jus naturale, quam ceremoniales. Et licet utrisque hoc sit commune, ut alios non obligent præter eos quibus Deus illas nominatim tulit: tamen adeo mirum videri non deberet, si postea quasdam positivas à natura non multum abhorrentes, etiam aliis præscriberet, quam si idem de ceremonialibus faceret. 2. Ubi agitur de obedientia mandatis Dei exhibenda, necesse non est scrupulose distinguere inter ea quæ juris sunt naturalis, & ea quæ ad jus positivum pertinent. Istud enim aliquando factu est difficillimum, propter magnam quæ in quibusdam casibus cernitur inter utrumque jus affinitatem. Ex. gr. utrum conjugium inter fratrem & sororem sit ex jure naturali illicitum, an vero tantum ex positivo. Nec tanti est momenti, ut aliqui putant, ista distinctio. Sufficit enim ut de voluntate Dei bene simus edocti; de qua ubi nobis constat, cæca, ut ita dicam, obedientia, seu absque hæsitatione, parendum est.

Excipitur 2. Apparere istud interdictum ad ceremonias pertinuisse ex verbis legis, *Levit.* XVII. *v.* 11. 12. *Ego dedi vobis illum* (sanguinem) *ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit. Idcirco dixi filiis Israël, omnis anima ex vobis non comedet sanguinem*, &c. Resp. 1. Abstinentiam à sanguine quæ Noacho & ejus filiis præscripta est, ceremonialem non fuisse constat ex iis quæ supra dixi. Duabus enim moralibus & perpetuæ durationis rationibus nitebatur; una, quod Deus concedendo hominibus ut carne animalium vescerentur, sanguinem exceperat. In bona autem Dei propria, nisi ipse ultro dederit, nemini manus injicere licet. Altera, quod Deus sic voluerit homines docere, quantum ab humani sanguinis effusione abhorrere deberent; cum nequidem pecuinum, longe viliorem, absolute eorum arbitrio permisisset. Si igitur istud præceptum non erat ceremoniale, cum primo datum est, non evasit tale cum secundo repetitum fuit. 2. Nolim tamen negare huic præcepto postea aliud ceremoniale in lege Mosaica accessisse; quale fuit primo, accurata illa & scrupulosa carnis ab omni sanguine expurgatio, quæ Noacho non fuit mandata, sed Israëlitis solis. De qua videre est *Levit.* VII. & XVII. *Deuter.* XII. & XIV. & XV. supra citatis. Et exemplum memorabile habemus in Saule

rege, qui audiens milites exercitus sui famelicos carnem comedere cum ſanguine, id eſt non ſatis exacte ab eo repurgatam, juſſit ut unuſquiſque ad ſe adduceret pecudem ſuam, & coram ſe mactaret, 1 *Sam.* XIV. 32. Ne jam loquar de multitudine regularum, quas poſteriores Judæorum Magiſtri condiderunt, & peculiaribus libellis comprehenderunt; quibus tam operoſa docetur ratio pecora mactandi, & ad victum quotidianum parandi, ut ne minima quidem ſanguinis particula remanere queat. Regulæ enim iſtæ legis divinæ partem non faciunt, & forſan ſuperſtitione non carent. Secundo acceſſit ratio illa nova, ex *Levit.* XVII. adducta, nempe ideo vetuiſſe Deum Iſraëlitis ſanguinem attingere, quia volebat ut ſanguine victimarum expiatio fieret ſuper altare pro ipſorum animabus. Sed obſervandum eſt aliam quoque eorum loco prohibitionis hujus rationem pure moralem afferri; videlicet, *quia anima carnis in ſanguine eſt*, v. 11. Et rurſus: *Anima omnis carnis in ſanguine eſt. Unde dixi filiis Iſraël, Sanguinem univerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt*, &c. v. 14. Ubi non repetitur illa ratio, de expiatione quæ per ſanguinem fieret ſuper altari. Cum igitur gemina mandati iſtius afferatur cauſa, una moralis, altera ceremonialis, non video cur magis propter ceremonialem cauſam habendum ſit pro ceremoniali, quam morale propter moralem; ſed ut utraque pondus ſuum retineat, dicere potius oportet, partim eſſe morale, partim ceremoniale, quemadmodum de Sabbato, & aliis quibuſdam legalibus, vulgo Theologi docent; præſertim quia Deus ſolam moralem cauſam attulit, quando id primum Noacho dedit.

Præterea mandatum hoc eſſe morale indicant, cum ſingularis benedictio illud obſervantibus promiſſa, tum graviſſima pœna ejus tranſgreſſoribus denunciata; quarum ſimiles præceptis ceremonialibus ſimul appoſitas non facile invenies. De prima conſule *Deuter.* XII. 23. 24. 25. *Hoc ſolum cave ne ſanguinem comedas. Sanguis enim eorum* (pecorum) *pro anima eſt*; *& idcirco non debes comedere animam cum carnibus: ſed ſuper terram fundes quaſi aquam; ut bene ſit tibi, & filiis tuis poſt te, cum feceris quod placet in conſpectu Domini*. Ubi nota, omnia hic eſſe moralia, nihilque interjici quod ceremoniam vel leviter reſipiat. De ſecunda inſpice *Levit.* XVII. v. 10. *Homo quilibet de domo Iſraël, & de advenis qui peregrinantur inter vos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam illam de populo ſuo*. Non puto tam eximiam promiſſionem alicujus legalis ceremoniæ obſervatoribus uſquam alibi eſſe factam. Et quod ad phraſim in comminatione uſurpatam, *Obfirmabo*, vel, *ponam faciem meam contra animam illius*: Maimonides annotat, illam non occurrere in tertio aliquo præcepto præter iſta duo, de Idololatria, & comeſtione ſanguinis: *More Nevochim*, Part. III. cap. 46. Prohibitionem autem Idololatriæ ad cultum Dei moralem pertinere, tam Chriſtiani quam Judæi unanimiter confitentur.

Denique non exigui iſtud eſt momenti, quod peregrinis inter Iſraëlitas in terra Canaan verſantibus prohibitum fuit ne ſanguine veſcerentur, *Levit.* XVII. 10. *& ſeqq.* Illi enim ad ſolorum moralium præceptorum, aut quæ Noachi poſteris data ſunt, obſervationem obligati erant: imo, quod amplius eſt, ceremonialia omnia cuſtodire eis non licebat. Nam de Paſchate Deus dicit, *Omnis alienigena non comedet ex eo*, *Exod.* XII. 43. Et legitur in Thalmude, tit. Sanhedrin, *Paganum qui obſervaverit legem* (nempe, qua peculiariter Iſraëlitis lata eſt) *mortis eſſe reum.* Unde neceſſario ſequitur hoc interdictum, quo peregrini una cum Iſraëlitis devincti fuerunt, morale eſſe, non ceremoniale tantum.

Excipitur, Peregrinum cujus mentio fit in lege, & Iſraëlitæ opponitur, duplicis fuiſſe generis; nempe, *peregrinum juſtitiæ*, qui ſuſcepta circumciſione ſe ad totam legem ſervandam obligabat; & *peregrinum domicilii*, à quo nihil aliud requirebatur quam ut præceptis Noacho datis obtemperaret; & abſtinentiam à ſanguine illi ſolum, non vero huic, in lege mandari: idque inde liquere quod גֵּר הַגָּר vocetur, id eſt, peregrinus qui peregrinatur, quæ phraſis de peregrino juſtitiæ ordinarie uſurpetur. Sed quamvis diſtinctionem iſtam non illibenter admittam, quæ ad aliquorum Scripturæ locorum intelligentiam utilis eſt, dico tamen nihil eſſe in prohibitione facta *Levit.* XVII. quod nos cogat eam potius de peregrino juſtitiæ, quam de peregrino domicilii accipere. Vox enim גֵּר peregrinorum ſpecies à ſe invicem diſcriminandi vim non habet; ſed modo huic, modo illi ſignificandæ indifferenter adhibetur; & de qua intelligi debeat ex ſolis locorum circumſtantiis judicandum eſt. Sic juvenis ille Amalecita qui nuntium attulit Davidi de Saulis morte, vocatur גֵּר 2 *Sam.* I. v. 13. quem nemo dixerit peregrinum juſtitiæ fuiſſe. Et in præcepto Decalogi de Sabbato, *Exod.* XX. 10. *Deuter.* V. 14. interpretes vocem iſtam vulgo accipiunt de peregrino domicilii. Nec majus eſt robur in conjunctione duarum vocum גֵּר הַגָּר cum enim גֵּר peregrinus, derivetur à גּוּר peregrinatus eſt, ea nullum poteſt indicare diſcrimen inter peregrinantes, vel peregrinationis eorum cauſas, niſi hoc forte, ſic appellatos fuiſſe illos qui inter Iſraëlitas peregrinari conſueverant; quod aliis de cauſis quam ob religionem fieri poterat. Sed quia LXX. interpretes illas vertunt ὁ προσήλυτος ὁ προσκείμενος, id eſt, advena appoſitus, inde forte nata eſt hæc opinio, per peregrinos peregrinantes ſemper debere peregrinos juſti-

justitiæ intelligi, quamvis absque fundamento.

Caput VI.

Digressio de præcepto Sabbati, quatenus sit morale aut ceremoniale.

Nunc quia jam semel atque iterum præcepti Sabbati mentio est facta, & illud partim morale, partim ceremoniale esse innuimus, operæ pretium erit, antequam ulterius pergamus, rem istam paulo fusius per modum digressionis explicare. Rabbini Judæorum docent Deum duo præcepta de Sabbato tradidisse: Unum, זכור *Recordare diei Sabbati*, *Exod.* xx. 8. Alterum, שמור *Observa diem Sabbati*, *Deuter.* v. 12. Et ad primo obtemperandum omnes totius mundi homines absque exceptione obligatos esse; secundo vero, solos Israëlitas: id est, omnes quidem mundi incolas beneficium creationis, in cujus memoriam Sabbatum est institutum, debere celebrare; sed non alios quam Israëlitas teneri istum diem feriari. Quod non ideo dicunt, quod Sabbatum parvi faciant; sed contra, ut videtur, quod reliquis hominibus invideant eximia beneficia quæ ejus observationem sequi putant. Quo pertinent hæc Magistrorum istorum pronunciata: *Ponderatur Sabbatum contra omnia præcepta quæ sunt in lege*: id est, tanti est momenti Sabbatum, ut si quis rite ipsum observet, omnibus præceptis satisfecisse censendus sit. Item, *Quicunque observat Sabbatum juxta ritum suum, etiamsi commiserit idololatriam, ut generatio Enosch, condonatur illi*; id est, gravissima etiam peccata per accuratam Sabbati observationem expiantur. Et alia plura quæ ei tribuunt. Sed quis non admiretur acumen Rabbinicum, quo ex uno præcepto, propterea quod voce זכור in Exodo, & voce שמור in Deuteronomio exprimatur, duo faciunt, & quidem tam diversa, ut primum ad omnes homines, alterum ad solos Israëlitas pertineat? Quasi vero utraque ista vox ex Decalogo petita non sit, ubi omnibus quos compellat indistincte, unoque tenore, non tantum præcipitur recordatio diei Sabbati, sed etiam ut in eo ab omni opere abstineatur.

Interim utrumque istud certum est; nempe, tum omnes mundi cives ab initio ad Sabbati observationem obligatos fuisse; tum postea Israëlitas peculiariter supra cæteras gentes, propter fœdus cum ipsis à Deo percussum, illud colere devinctos esse. De primo constat ex narratione Mosis: *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum; quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret*, *Genes.* II. 2. 3. Quamvis enim Deus non præcipiat hic disertis verbis, sicut fecit in Decalogo, ut homines die septimo ab omni labore quiescant, illud tamen facile colligitur ex verbis *benedicendi* & *sanctificandi*, quæ significant Deum istum diem à reliquis segregasse, & cultui suo peculiariter consecrasse, cui non potuissent toti vacare, nisi interea ab hujus vitæ animalis occupationibus sibi temperarent. Nec alium in finem commemoratur Deum septimo die ab omni opere quod fecerat quievisse, quam ad monendum nos ut ipsum à laboribus cessando imitemur. Nolim tamen dicere primos nostros parentes ad tam scrupulosam quietem obligatos fuisse, ut Israëlitæ sub lege. Id enim necesse non erat in statu integritatis, in quo labores hominum fuissent innocentes, & cultum Dei, ut postea accidit, non impedivissent. Sed non videtur diu, peccato in mundum ingresso, septimi diei sanctitas celebrata, & memoria ejus inter homines conservata. Saltem nulla istius rei vestigia apud Mosem supersunt, in toto libro Geneseos, nec in primis XV. *capp. Exodi*; quamvis multæ ibi occurrerent commodæ occasiones, ejus mentionem in describendis Patriarcharum gestis faciendi, si forte illum observassent. Affertur quidem ex historia diluvii Noachum duabus vicibus expectato septem dierum circuitu columbam ex Arca dimisisse, *Genes.* VIII. 10. 12. Sed quæ Sabbati religio in ista actione apparet? Nonne potuit illud facere respectu cursus Lunæ, singulis septem diebus novam faciem nobis exhibentis, secundum quem menses & tempora dimetiebatur? Nec firmius est quod legitur de Jacobo, eum *venisse ad Salem, & castra posuisse ad conspectum civitatis*, *Genes.* XXXIII. 18. nempe, ut conjiciunt, quia Sabbatum instabat, & non licebat ei ulterius proficisci, ideo subsistebat ante urbem. Nam quod in urbem illam non est ingressus, ne minimum est indicium, propter Sabbati reverentiam, quod ibi ne nominatur quidem, fecisse; sed potius quia habebat magnam pecoris copiam, de qua *v.* 13. cum qua in urbe habitare non potuisset. Non crediderim tamen Deum piis neglectum istum si quis fuit, imputasse, quia facile potuit absque eorum culpa contingere, si parentes liberis in observando Sabbato non præivissent.

Alterum; nempe Israëlitas, magis quam alios populos, ad Sabbatum observandum obligatos fuisse, inde probatur, quod Deus ejus memoriam illis refricavit, & districte mandavit ut custodirent; quod aliis non fecit. Cui accessit, quod voluerit Sabbatum esse signum fœderis sui cum ipsis, ut discimus ex his testimoniis; *Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Videte ut Sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris; ut sciatis quia ego Dominus qui sanctifico vos*, *Exod.* XXXI. 13. *Insuper & Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos, & scirent quia ego Dominus sanctificans eos*, *Ezech.* XX. 12.

Hic tamen puto distinctionem esse faciendam inter Decalogum, & alia Mosaïcæ legis loca. Nam quæ in Decalogo præscribuntur de observatione Sabbati, omnes homines devinciunt statim atque iis innotescunt, utpote juri naturæ consentanea: sed quæ alibi in lege occurrunt ei superaddita, non obligant alios quam Israëlitas, quibus solis à Deo imperata fuerunt. Cujus rei veritas ut pateat, notare oportet nihil aliud in Decalogo præcipi, nisi ut unum diem è septem à labore feriemur, (quod plerique hodie Theologi morale & immutabile esse agnoscunt:) quis vero sit septimus ille dies, non designari; num septimus ab inchoata mundi creatione, an vero aliunde sumpto numerandi principio. Nam quamvis Sabbatum fuerit institutum ad memoriam creationis, & quietis divinæ isto opere absoluto recolendam, & indubium sit primos homines id tamdiu à mundi creatione numerasse, quamdiu temporis quo peracta est recordati fuerunt, non fuit necesse ut omnes eorum posteri, præsertim qui longius à rerum principio remoti erant, & ejus momentum scire nequibant, id præcise illo ipso die faciant. Non enim pertinet ad essentiam celebrationis beneficiorum divinorum, ut eodem fiat die hebdomadis quo nobis contigerunt; alias Christiani non rite agitarent festum nativitatis Christi, quod, sine respectu ad ordinem dierum in circulo hebdomadario, semper XXV Decembris die celebratur; de quo etiam non convenit inter Chronologos, an sit verus dies quo Jesus ex utero materno prodiit. Certe primum Sabbatum quod observarunt Israëlitæ in deserto, numeratum non fuit à creationis principio, sed à die quo Manna pluere cœpit, ut videre est *Exod.* XVI. 4. 5. 13. *& seqq.* quæ duo concurrisse creduntur quidem vulgo, sed absque ullo solido fundamento. Etiamsi autem Deus ad illud Sabbatum missi Mannæ postea respexerit, cum legem suam è monte Sinai promulgavit; diserte tamen non nominavit, seu non dixit ab isto principio numerandum, quo Manna ipsis mittere inceperat; sic innuens Sabbatum missi Mannæ, proprium Israëlitarum esse Sabbatum, propter causas quæ eos particulariter, non alios populos, spectabant institutum; ideoque mutari posse cum plenitudo gentium aggregaretur Ecclesiæ, invariato nihilominus manente in æternum præcepto de uno die è septem cultui divino impendendo, quod solum in Decalogo dabat. Ita putarem illum qui tempestate jactatus, & non attendens ad diem hebdomadis, appelleret in regionem ubi nulla foret nec Sabbati nec diei Dominici notitia, intentioni Decalogi satisfacturum, quemlibet è septem sibi primo obvium, quieti & Dei cultui destinando.

Morale autem esse mandatum Sabbati, ostenditur his argumentis. Primo, quod in Decalogo contineatur. Nam Decalogus, fatentibus omnibus Theologis, summam legis moralis continet, & totus à Jesu Christo ad dilectionem Dei & proximi nostri refertur, *Matth.* XXII. adeo ut de prima ejus tabula, quæ Deum immediate spectat, nihil possit eradi, quin dilectioni Deo debitæ multum detrahatur. Inconcinnum vero fuisset inter moralia novem præcepta, unum ceremoniale, & diversi plane generis admiscere. Secundo, ratio illi addita idem suadet, nempe quod Deus creato sex diebus cœlo, terra & mari, requieverit die septimo, & nos ad exemplum suum velit unum diem è septem ab hujus vitæ laboribus feriari. Nam ea universalis est, & ad omnes mundi incolas, qui Dei sunt opus, pertinet. Nec refert quod Decalogus solis Israëlitis datus esse videatur. Quemadmodum enim reliqua ejus præcepta omnes devinciunt, ita istud quoque, cum primum à Deo esse profectum scire queunt; saltem nos qui per fidem in Christum in unum corpus cum Israëlitis insiti sumus, & sacras literas ab iis accepimus, quæ nos de voluntate Dei certiores reddunt, nulla cum specie nos ab ejus obedientia subducere possumus. Tertio, Sabbatum præscriptum fuit Israëlitis, ut servi eorum & ancillæ, sicut ipsi, à laboribus suis quiescerent, *Deuter.* V. 14. Non minor autem humanitas à dominis requiritur sub Euangelio erga servos & ancillas suas, quam olim sub lege; præsertim si Christiani sint, quos tanquam fratres tractare debent.

Excipitur, rectam rationem non docere unum diem è septem feriandum, & cultui divino impendendum; proinde istud non esse juris naturalis, sed tantum positivi. Sed resp. Etsi recta ratio id per se non suggerat, ejus tamen agnoscit æquitatem, statim atque ipsi proponitur, & Deo placere audit. Nam cum ordinis causa certus dies, per vices recurrens, quieti & sacris conventibus destinandus sit, nullus melius isti usui quam septimus quisque convenire videtur. Septenarium enim numerum tam sæpe in Scriptura cæteris prælatum à Deo animadvertimus, & tam commodum esse multis in rebus, ut naturalem quandam excellentiam & perfectionem ipsum habere, propter quam æstimari mereatur, fatendum sit. Vide tantum ex. gr. in Apocal. septem spiritus, septem Ecclesias, septem candelabra aurea, septem stellas, septem Angelos, septem sigilla, septem tubas, septem tonitrua, septem plagas, septem phialas, septem cornua, & septem oculos Agni, aliaque ejusmodi plurima. Et inter profanos Scriptores A. Gellium, Noctium Attic. III. 10. quod est quædam septenarii numeri vis & facultas, in multis naturæ rebus animadversa. Optimo autem ordine, & quem natura monstravit, constituto, alium quærere aut introducere velle, sapientis non est.

Non oporteret ergo dicere, ut aliqui faciunt, Sabbatum per religionem Christianam esse abrogatum. Mandatum enim quod habemus in Decalogo, ut unum diem è septem quiescamus ab aliis laboribus, & totum cultui divino impendamus, invariatum adhuc manet; cum nullum extet indicium, unde certi simus nos eo amplius non teneri. Liberati tantum sumus ab obligatione servandi Sabbatum quod Israëlitæ in memoriam Manna, quo Deus ipsos in deserto per XL annos aluerat, simul & creationis mundi, celebrabant: & à rigida illa exactione quietis à laboribus etiam necessariis, dilationemque vix patientibus; quam tamen aliquando non tam Deus, quam ipsi sibi superstitione sua imposuisse videntur, ut Dominus Jesus ostendit, *Luc.* VI. I. *& seqq.* & XIII. II. *& seqq.* & XIV. 2. *& seqq.*

Excipitur 1. Omne discrimen dierum sublatum esse sub Novo Fœdere. Sic enim docere Apostolum Paulum, cum dicit, *Alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit*, *Rom.* XIV. 5. 6. Item, *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis*, *Gal.* IV. *v.* 10. 11. Resp. Discrimen quod ponitur inter dies ordinis causa, & propter conventus sacros, non esse sublatum: necessarium enim est in Ecclesia. Illud solum est abolitum, quo putatur unus dies alio sanctior esse, aut populum Christianum obligatum esse ad celebrandum certis diebus beneficia quædam Israëlitis peculiaria. Sabbatum vero non debemus æstimare propter se, sed propter Dei cultum, & in memoriam creationis mundi, quod est beneficium omnibus hominibus commune. Neque credere oportet cessationem ab hujus vitæ laboribus esse aliquid in se laudabile; sed eam demum quæ pro fine habet exercitiis pietatis tanto diligentius vacare.

Excipitur 2. Apostolum speciatim nos ab obligatione feriandi Sabbatum liberare, dicendo, *Nemo judicet vos in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum: quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*, *Coloss.* II. 16. 17. Resp. Nihil esse quod cogat nos per vocem Sabbatorum in plurali intelligere primarium illud Sabbatum in Decalogo imperatum; posse enim eam accipi de aliis festis Judaïcis, quibus nomen Sabbati aliquando in Scriptura tribuitur, ut *Levit.* XVI. *v.* 31. & XXIII. 32. 39. & XXV. 2. 4. Nam alias cur post neomeniam in singulari nominatam, Sabbatorum in plurali meminisset, nisi ad illud innuendum? Fac tamen hic de Sabbato proprie dicto agi; non sequetur ex eo quod Christiani non debent alii alios judicare, seu damnare propter Sabbata, omnem Sabbati obligationem esse sublatam; quid ni enim potius dicemus Paulum eos solum reprehendere, qui scrupulosam Sabbati observationem, libertati Christianæ contrariam, à fratribus suis exigebant? Christum sane Sabbatum abrogasse non credidit Tertullianus, qui dicit *ipsum*, *Sabbati diem benedictione Patris a primordio sanctum*, *benefactione sua effecisse sanctiorem:* Adversus Marcionem, lib. IV. cap. 12.

Non etiam recte asseritur Apostolos, primum hebdomadis diem, quem vulgo Solis vocant, in locum Sabbati Judaïci substituisse; idque ostendere hæc loca quæ vulgo in eum finem afferuntur, *Act.* XX. 7. 1 *Corinth.* XVI. 2. *Apoc.* I. 10. Nulla enim apparet satis gravis ratio, cur credendum sit ipsos unum diem in alium mutare intendisse. Nam quæ inde utilitas rediisset ad Ecclesiam? quæ sublevatio à molesto legis onere? Et cum Apostoli tam faciles essent in rituum externorum & indifferentium usu, ut se omnibus omnia facerent, omniaque in omnibus tolerarent, 1 *Cor.* IX. 20. &c. voluissentne animos credentium infirmos unum diem festum in alterius usitati locum introducendo perturbare? Nolim quidem diffiteri eos diem Solis, qui postea Dominicus, quia Dominus Jesus in illo resurrexerat à morte, appellatus fuit, in peculiari honore habuisse, & libenter in eo ad exercitia pietatis convenisse, ut loca modo citata innuere videntur: sed tamen non liquet Apostolos diem Dominicum totum ab omni labore, ut in lege præcipitur de Sabbato, abstinuisse, aut propterea Sabbatum vetus celebrare destitisse. Quemadmodum enim nos celebrato die Dominico, nihilominus conventus sacros habemus aliis hebdomadis diebus; ita poterant ipsi post festum Sabbati agitatum, iterum sequentibus diebus convenire; quod Paulum facere solitum, Lucas aliquoties observat. Vide *Actor.* XIII. 14. 42. 44. & XVI. 13. 18. & XVII. 2. 17. & XVIII. 4. 11. & XIX. 8. 9. 10. Tantus enim erat primorum Christianorum zelus in promovenda Dei gloria, & fratrum salute, ut maximam temporis sui partem, etiam cum rerum temporalium dispendio, istis curis impendere non verentur.

Nec etiam constat Ecclesiam primitivam diebus Dominicis ab omni se labore continuisse, antequam Christianos Imperatores haberet, qui olim istud constitutionibus suis præciperent. Minus autem necessariæ fuissent ejusmodi constitutiones, si Christiani mandato Apostolorum, aut introducta ab iis consuetudine, se ad tunc quiescendum obligatos credidissent. Nihilominus *Constantinus precationi idoneum tempus, salutarem diem Dominicum constituit*, Euseb. de vita Constant. lib. IV. cap. 18. Sed non adeo rigidam quietem exigebat, quin permitteret, *ut ruri positi agrorum culturæ libere licenterque inservirent; quoniam frequenter eveniat, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur; ne occasione momenti pereat commoditas cælesti provisione concessa*, Cod. lib. 3. tit. 12. de

feriis,

feriis, l. 2. Sed quia Constantinus nimis indulgere videbatur rusticis, præsertim ad rem avidioribus, *Novella Cæsaris Leonis cavetur, ut die Dominico ipsi quoque agricolæ ab omni vacent opere:* Harmenopulus, lib. I. tit. 4. §. 7.

Veteres autem Christianos per aliquot sæcula, & fere ubique terrarum, Sabbatum pari reverentia cum die Dominico feriatos esse, multis testimoniis doceri potest; quorum nonnulla recensebo. Sed non alligabo me ordini temporum, quia de aliquibus incertum est quando auctores vixerint. Primum locum assignabo Nazaræis, ut antiquissimis; quos nescio cur Epiphanius & Augustinus referant in catalogum hæreticorum, cum nullum iis hæreticum dogma tribuant. Id non fecerunt Irenæus, Tertullianus, Eusebius, qui propiores erant illorum tempori, & melius eos nosse poterant. Hoc solum Augustinus de iis dicit, *Omnia veteris legis observant.* Et Epiphanius, *A Judæis nulla in re dissentiunt, nisi quod in Christum credunt.* Et postea dicit, *se non posse certo affirmare, utrum Christum pro simplici homine habeant, an vero ipsum per Spiritum Sanctum de Maria virgine genitum esse fateantur.* Satis ostendens his verbis se nihil habere cujus ipsos accuset. Nam quod legem Mosis retinebant, hoc erat ipsis commune cum primis Christianis, è Judaismo conversis, qui Hierosolymis & in reliqua Palæstina degebant, qui *omnes æmulatores erant legis,* ut inquit Jacobus, *Act.* XXI. 20. quos tantum abest ut Apostoli condemnarent, ut contra eorum exemplum sequerentur. Et revera Nazaræi alii non fuerunt quam Christiani, à Jesu Nazareno ita nuncupati. Unde Tertullus Judæorum orator, Paulum accusans apud Præsidem Felicem, vocat eum *πρωτοστάτην τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως*, id est, *Principem hæresis Nazaræorum, Act.* XXIV. 5. Postea quidam eos Ebionitas appellarunt; sed non satis decore. Nam istud etiam convicium erat, quo Judæi increduli mactabant eos qui Jesum pro Christo receperant; ut docet Origenes contra Celsum, lib. 2. *Ἐβίων τε γὰρ ὁ πτωχὸς παρὰ Ἰουδαίοις καλεῖται. καὶ Ἐβιωναῖοι χρηματίζουσιν οἱ ἀπὸ Ἰουδαίων τὸν Ἰησοῦν ὡς Χριστὸν παραδεξάμενοι.* Eusebius vero Histor. Eccles. lib. 2. cap. 27. duo Ebionitarum facit genera, quorum alii Jesum ex Josepho & Maria natum dicebant, & propter progressionem quam in virtute fecerat hominem justum fuisse, sed merum tamen hominem; legemque Mosis ad salutem necessariam. alii vero confitebantur Jesum ex virgine & Spiritu S. progenitum, qui non solum Sabbatum & reliquam legem, sed etiam dies Dominicos observabant. His quidem postremis & alia tribuit, ut quod Epistolas Pauli rejicerent, &c. sed quæ melius videntur in primos quadrare, qui primum tam Matthæi, quam Lucæ caput, errori suo contraria, repudiabant. Saltem certum est zelatores illos legis, de quibus modo ex *Act.* XXI. locuti sumus, Pauli scripta nequaquam fuisse aspernatos, & nihil aliud ipsis nisi nimium legis studium objici posse: ad quod Sabbati observationem non pertinuisse asserimus.

Secundus erit Clemens Romanus, in Constitut. Apostol. ubi, sicut etiam in Canon. Apost. licet quædam inveniantur fabulosa & spuria, longe plurimæ tamen supersunt melioris ævi reliquiæ. *Τὸ σάββατον μέντοι καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε· ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα, τὸ δὲ ἀναστάσεως*, lib. VII. cap. 23. id est, *Sabbatum & Dominicum diem, festum agite; quoniam illud Creationis universi est monumentum, hic resurrectionis,* nempe Domini Jesu. Bellarminus dicit: *Audio Æthiopes his Constitutionibus uti, ut vere Apostolicis, & ea de causa in errore versari circa cultum Sabbati, & diei Dominicæ:* Libro de Scriptor. Eccles. tit. de S. Clemente Romano. Sed Bellarminus hic errat ipse, non quos erroris accusat, qui veterum instituta, una cum multis aliis, sequuntur.

Tertius, Origenes: *Oportet sanctorum quemque & justum agere etiam Sabbati festivitatem. Quæ est autem illa festivitas Sabbati, nisi illa de qua Apostolus dicit? Relinquitur ergo Sabbatismus, hoc est Sabbati observatio, populo Dei, Hebr.* IV. *Relinquentes ergo Judaicas Sabbati observationes, qualis esse debeat Christiano Sabbati observatio videamus. Die Sabbati nihil ex omnibus mundi actibus oportet operari. Si ergo desinas ab omnibus secularibus operibus, & nihil mundanum geras, sed spiritualibus operibus vaces, ad Ecclesiam convenias, lectionibus divinis & tractatibus aurem prabeas, & de cœlestibus cogites, de futura spe solicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia & visibilia, sed ad invisibilia & futura, hæc est observatio Sabbati Christiani,* Homil. XXIII. in Numeros.

Quartus, Constantinus Magnus, de quo Eusebius scribit, *διὸ τοῖς ὑπὸ τὴν ῥωμαίων ἀρχὴν πολιτευομένοις ἅπασι, σχολὴν ἄγειν ταῖς ἐπωνύμοις τοῦ σωτῆρος ἡμέραις ἐνουθέτει· ὁμοίως δὲ καὶ τὰς τοῦ σαββάτου τιμᾶν.* De vita Constant. lib. IV. cap. 18. id est, *Quapropter statuit ut cuncti in Romano Imperio degentes, diebus de Servatoris nomine nuncupatis ab omni opere feriarentur: similiter etiam Sabbati dies colerent.*

Quintus, Gregorius Nyssenus. *Ποίοις ὀφθαλμοῖς τὴν κυριακὴν ὁρᾷς, ὁ ἀτιμάσας τὸ σάββατον; ἢ οὐκ οἶδας ὡς ἀδελφαὶ αὗται αἱ ἡμέραι; κἂν εἰς τὴν ἑτέραν ἐξυβρίσῃς τῇ ἑτέρᾳ προσκρούεις;* in oratione adversus eos qui ægrè ferunt reprehensiones, id est, *Quibus oculis vides diem Dominicum, qui despicatus es Sabbatum? An nescis quod hi dies fratres sunt? Quod si alterum probro affeceris, alterum offendis.*

Sextus, Asterius Amaseæ Episcopus, *Καλὴ συνωρὶς τῶν δύο τούτων ἡμερῶν τοῖς Χριστιανοῖς καὶ φιλοπόνοις τυγχάνει, τοῦ σαββάτου καὶ τῆς κυριακῆς λέγω, ἣν καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα ὁ χρόνος ἀνακυκλῶν περιφέρει.*

φέρε· ὡς γὰρ μητέρες ἢ τροφοὶ ἐκκλησίας, καὶ τὸν λαὸν ἀθροίζουσι, καὶ τοὺς ἱερέας παιδευτὰς προσκαθίζουσι· δημαγωγοῦσι δὲ καὶ τοὺς μαθητὰς καὶ τοὺς διδασκάλους εἰς τὴν τῶν ψυχῶν ἐπιμέλειαν. Homil. de repudio. Id est, *Praclara Christianis & laboris amantibus duarum est harum copula ac concursus dierum, Sabbati inquam & Dominica, quas tempus in orbem recurrens hebdomadis singulis reducit. Nam quasi matres & nutrices Ecclesia, & populum congregant, & sacerdotes ad docendum considere faciunt; atque adeo cum discipulos, tum doctores, ad animarum curam ducunt & impellunt.*

Septimus, Socrates, qui testatur *omnes ubique in orbe terrarum Ecclesias, singulis septimanis vertentibus, die Sabbati mysteria celebrasse*: excepta tantum Alexandrina & Romana, Histor. lib. v. cap. 22. Et loquens de turbis quas Ariani tempore Joannis Chrysostomi Constantinopoli excitaverant, dicit: *Cum festa cujusque septimana occurrebant, videlicet Sabbatum & dies Dominicus, in quibus conventus in Ecclesiis fieri solent, illi intra portas civitatis*, &c. Lib. vi. cap. 8.

Octavus, Sozomenus, dicens: *Alii Sabbato, & consimiliter prima hebdomadis die conveniunt, ut Constantinopoli, & apud alios fere omnes: Roma autem & Alexandria non item*, Lib. vii. cap. 19.

Nonus, Anastasius Nicænus: *Sabbatum & dies Dominicus sunt dies sancti & festi, neque licet in eis jejunare.* Libr. quæst. q. 77.

Decimus, Theodorus Balsamon: παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐξισώθησαν δι᾽ ὅλου χεδὸν ταῖς κυριακαῖς τὰ σάββατα, id est, *Sabbata à sanctis patribus prope in omnibus exaquata sunt Dominicis diebus.*

Et quamvis consuetudo observandi Sabbatum paulatim in Ecclesia, præsertim occidentis, desierit, diu tamen & multis in locis vestigia ejus remanserunt. Unde Concilium Laodicenum quod Can. 29. vetat Christianos Judaïzare & otiari in Sabbato; tamen dicit Can. 16. *quod in Sabbatis Evangelia cum aliis Scripturis legi conveniat.* Quod in festis tantum fieri solet. Inde etiam profectum est quod multi olim à jejunio Sabbati abhorruerunt, & quidam adhuc hodie abhorrent, nimirum quia jejunium non convenit diei festo & lætitiæ; quale Sabbatum reputabant. Quod pluribus explicat Balsamon, in Canon. 52. Concilii VI. generalis Constantinopolitani, in Trullo: *Statutum est ut jejuniorum dies, luctus & compunctionis dies sint, ad sua uniuscujusque expianda peccata. Deo autem sacrificium offerre, est festum celebrare. Festus autem dies, nihil aliud est quam gaudium. Quomodo ergo potest quis simul & marere, & latitia diffundi? Et ideo statuerunt Patres non fieri sacrificium tota quadragesima, praterquam Sabbato & die Dominico, & die annunciationis. In his enim festum agere, non deflere, vel jejunare, vel genu flectere jussi sumus.*

Quantum autem semper improbatum fuerit jejunium Sabbati à plerisque Christianis, docent nos multa. Primo, Canon Apostolicus LXV. εἴ τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, καθαιρείσθω. εἰ δὲ λαϊκὸς ἀφοριζέσθω, id est, *Si quis Clericus inventus fuerit in sancto die Dominico, vel Sabbato jejunans, prater unum & solum*, (nempe Sabbatum præcedens Pascha, quo Dominus Jesus in sepulcro jacuit) *deponatur; sin autem laicus, segregetur.*

Secundo, Ignatius, qui scribit: εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει (πλὴν ἑνὸς σαββάτου τοῦ πάσχα) οὗτος χριστοκτόνος ἐστί. In *Epist. ad Philipp.* id est, *Si quis Dominica aut Sabbato jejunaverit, (praterquam uno Sabbato Pascha) ille est Christi interfector.*

Tertio, Augustinus, Epist. 86. ad Casulanum, disputans adversus quendam, qui pertendebat Sabbato esse jejunandum, dicit, *Ecclesiam toto terrarum orbe diffusam, exceptis Romanis, & paucis adhuc occidentalibus, Sabbato non jejunare.* Atque inter alias Mediolanensem cui præsidebat Ambrosius.

Quarto, Concilium VI. generale Constantinopolitanum volens illud ubique observari, decernit Can 55. *Quoniam intelleximus in Romanorum civitate, in sanctis Quadragesima jejuniis in ejus Sabbatis jejunare, prater Ecclesiasticam traditam consequentiam, sancta Synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcusse vires habeat Canon* (Apostolicus) *qui dicit, si quis Clericus inventus fuerit in sancto die Dominico, vel sabbato jejunans, prater unum & solum, deponatur: sin autem laicus, segregetur.*

Denique Ed. Brerevood, in Inquisitione diversitatis linguarum & religionum, testatur Syros aut Melchitas, & Abyssinos, æque solenniter celebrare adhuc Sabbatum vetus, atque diem Dominicam, cap. 16. & 23.

Melius ergo, mea quidem sententia, fecissent posteriorum temporum Christiani, si, majorum exemplum sequentes, una cum die Dominico etiam retinuissent Sabbatum, & utrumque festum duxissent. Sic Judæos absque justa & necessaria causa non offendissent; nec ita libertati Christianæ derogassent, ut tot alia festa introducendo. Sed odium in Judæos magis ac magis singulis diebus ingravescens causa fuit ut omnia ipsorum instituta & consuetudines, etiam optimæ, displicerent. Unde Baronius, ad A. C. 57. n. 204. agens de jejunio Sabbati in Quadragesima, dicit: *Sicut ea die jejunare fideles Roma consueverant, ita nefas ducebant eam feriari diem, ne quid cum Judais hac ex parte commune habere viderentur.* Ex eodem quoque fonte orta est Concilii Nicæni constitutio, ne unquam Pascha xiv. die mensis Nisan celebraretur, etiamsi in diem Dominicum incideret: nimirum quia Judæi, Christi interfectores, ita secundum legem Mosis faciebant, quos non oportebat ut Christiani imitarentur. Qua de re sic Imperator Constantinus in Epistola sua ad

ad Ecclesias: *Primum omnium indignum plane videbatur, ut ritum & consuetudinem imitantes Judæorum (qui quoniam suas ipsorum manus immani scelere polluerunt, merito, ut sceleslos decet, cæco animorum errore tenentur irretiti) hujus festi celebrationem ad posterorum seculorum memoriam propagemus. Nihil igitur sit nobis commune cum Judæorum turba, omnium odiosa maxime.* Sed non opus est alia hic recensere quæ pluribus ibidem ista de re disserit. Videant qui volent apud Eusebium, de vita Constant. lib. IV. cap. 17. Vide etiam Synodi VI. generalis in Trullo, Can. XI. *Nemo eorum qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel laicus, Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accersat, vel ab eis medicinam accipiat, vel una cum eis in balneis lavetur. Si quis autem hoc facere agressus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; si autem laicus, segregetur.* Quam autem hæc sint parum consentanea cum spiritu Apostolico, facile animadvertunt præjudicio vacui, & quorum mentes odium in miseram istam gentem non plane excæcavit. Apertum est non esse rectam viam quam insistere oporteat ad eos Christo lucrifaciendum. Et quid absurdi, quæso, aut indecori foret, si eodem cum ipsis tempore laudes Creatoris universi celebraremus, & quando illi gratias agunt pro liberatione sua ex Ægypto, nos idem pro nostra ex peccato & morte æterna redemtione faceremus?

Non tamen hæc dico, quod velim aut suadeam Sabbatum nunc revocari. Absit. Præstitisset quidem olim id non abrogare. Sic vitata fuisset Judæorum offensio, & nos eos à fide non alienavissemus. Sed hodie non convenit turbare Ecclesiam Christianam, in qua tam multi sunt infirmi, quibus ejusmodi mutatio grave scandalum afferret: præsertim cum in die Dominico habeamus Sabbati substantiam, & in eo veteris simul & novæ creationis memoriam celebrare possimus; Decalogusque, si eum seorsim ab aliis legibus Mosaïcis inspicias, nihil aliud requirat, ut ante ostendi, nisi ut unum diem è septem, qualiscunque ille sit, festum agamus. Quamvis enim tam solidis id argumentis non adstruxerim, ut omnem scrupulum ex animo lectorum tollere queant; longe tamen certius esse videtur, eorum opinionibus, qui Sabbatum sub Novo Fœdere abolitum, aut diem Dominicum in ejus locum substitutum censent: Adeo ut fatendum sit vel omnes Christianos hodie præceptum Sabbati violare, quod conscientias debiles non parum inquietaret, vel dies Sabbati, de quo in Decalogo, sic ut dixi, intelligendus, id est, ut præcipiatur ibi observatio unius diei è septem, sed quis ille septimus esse debeat non designetur.

Superesset nunc aliquid dicere de ratione Dominicum diem sanctificandi. Sed tam multa jam de hoc argumento scripta sunt, ut id denuo moliri, nihil aliud sit quam actum agere, & se aliosque superfluo labore fatigare. Uno verbo dici potest, istum diem exercitiis sacris, seu quæ ad Dei gloriam, & nostri proximorumque salutem pertinent impendendum; in cæteris quam minimum sibi indulgendum esse, nec prætexendam operandi necessitatem, nisi evidenter appareat. Imprimis vitari tunc cuperem recreationes carnales, quales sunt lusus, vel in se mali, ut alea; vel malo occasionem præbentes, ut plerique alii: item convivia, quibus tum servi & ancillæ, tum convivantes ipsi impediuntur ne cultui divino & meditationi Scripturæ vacent, etiamsi alias modesta sint, & luxu careant. Imo vellem ut præcedenti die pararentur ad victum necessaria, ne dies sacer, & melioribus curis dicandus, in operibus culinariis abiret, utque majus studium adhiberetur in pascenda cælesti alimento anima, quam in corpore terrenis & corruptibilibus cibis saginando. Tale Sabbatum Deo valde foret gratum, & nos ad æternam illam quietem, quam piis promisit in cælo, disponeret & præpararet. Sed è diverticulo in viam nunc redeamus.

CAPUT VII.

De occasione qua interdictum comedendi sanguinem ab Apostolis renovatum fuit.

Restat ergo quarta & ultima periodus temporis, quo sanguinem comedere illicitum esse dixi, nempe à Christo usque ad mundi finem. Id vero merito à me assertum fuisse inde patet, quod Apostoli, Ecclesiæ Christianæ summi & perpetui post Christum Doctores, veterem illius prohibitionem decreto suo, Diatribæ nostræ initio, ex *Act.* XV. memorato, diserte renovarunt. De quo nobis jam paulo fusius agendum est; & primo ostendendum quam istiusmodi decreti faciendi occasionem habuerint Apostoli: deinde quænam ejus sint partes.

Occasionem tribuit clare Lucas dissidio exorto in Ecclesia Antiochiæ Syriæ; ubi cum multi ex Gentilibus credidissent in Christum, quidam qui descenderant ex Judæa docebant eos, *Quia nisi circumcidamini, secundum morem Moysi, non potestis salvari*, *Actor.* XV. I. Unde apparet discipulos istos, recte fuisse sive à Paulo & Barnaba, sive etiam ab aliis, in doctrina de libertate Christiana institutos, & ad se circumcidendum non esse obligatos. Sed inde *oborta est seditio*, nempe inter membra Ecclesiæ illius diversum sententia, *& disceptatio non exigua Pauli & Barnabæ adversus eos* doctrinam istam afferebant. *Constitueruntque* fratres, ut *ascenderent* non tantum *Paulus & Barnabas*, (qui erant velut altera litigantium pars) sed *& quidam alii ex ipsis*, (qui non essent suspecti iis qui venerant ex Jerusalem) *ad Apostolos & Seniores*, consultum eos *super hac quæstione. Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem & Samariam,*

riam, narrantes conversionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis & Senioribus, annunciantes quanta Deus fecisset cum illis, v. 2. 3. 4. *Surrexerunt autem quidam de haresi Pharisaorum qui crediderunt, dicentes, Quia oportet circumcidi eos, pracipere quoque servare legem Mosis*, v. 5. Quæritur cujus verba hæc sint, Lucæ-ne historiographi, an vero Pauli & Barnabæ, narrantium in cœtu fratrum Hierosolymitano, ea quæ contigerant Antiochiæ, & ibi ab Ecclesiæ perturbatoribus dicta fuerant. Qua de re sic Beza in Annotat. *Hunc locum video omnes perinde interpretari, ac si essent verba Luca; quasi cum suam expeditionem narrarent Paulus & Barnabas, insurrexerint qui circumcisionem urgerent. Quod mihi non sit admodum probabile. Sed potius illos, exposita sua expeditione, subjecisse controversiam illam Antiochia excitatam; cujus causa ipsi Jerosolymam venerant. Puto igitur esse illorum verba, non Luca: ideoque addidi verbum* AJEBANT: *ut ostenderem transitionem esse ab obliqua oratione ad rectam. Cujus simile exemplum extat Luc.* v. 14. & VII. 4. 5. *& infra* XVI. 36. & XVII. 3. & *Deuter.* II. 13. Sed hic fallitur Beza; (quamquam levi in re.) Non enim potest esse transitus ab oratione obliqua ad rectam; cum obliqua nulla præcedat, totaque illa sit recta quæ in *versu* 3 & 4. habetur. Potius itaque dixerim hæc esse verba Lucæ, significare volentis, Pharisæos Hierosolymitanos qui crediderant in Christum, consensisse cum illis qui hanc controversiam Antiochiæ moverant, & ursisse ut Gentiles conversi circumciderentur. Nam isti homines, quorum Secta hactenus primaria fuerat in religione Judaïca, videntur existimasse primas sibi adhuc partes deberi in Ecclesia Christiana, suasque opiniones cæteris prævalere. Sed alii libertatis suæ sibi conscii, non cesserunt ipsis; nec acquieverunt donec Apostoli & alii Seniores sententiam de ista quæstione suam dixissent. Non opus est immorari in eo quod Lucas Sectam Pharisæorum nomine *hereseos* appellat. Notum enim est istam vocem olim mediæ fuisse significationis, & modo in bonam, modo in malam partem usurpatam. Unde Paulus Pharisaismum ἀκριβεστάτην αἵρεσιν, exquisitissimam sectam religionis Judaicæ vocat, *Act.* XXVI. 5. Imo quoque Christianismum sic insignit, *Act.* XXIV. 14. Præcipuum hic observatu dignum, est quod isti homines nimio legis Mosaicæ zelo accensi non audiebant Apostolos docentes nos per Christum ab isto importabili jugo fuisse liberatos. Epiphanius, hæresi XXVIII. tradit Cerinthum fuisse antesignanum eorum qui necessitatem observandæ legis urgebant, & seditionem in Ecclesia excitabant. Mirum est autem quod se adeo duros in isto negotio exhibebant, cum tamen omnium Judæorum non eadem esset sententia. Nam cum Izates Adiabenorum Rex in Judæorum religione à quodam Anania institutus existimaret se non perfectum esse Judæum nisi circumcideretur; id illi suus præceptor dissuasit: δυνάμενον ἢ αὐτὸν, ἔφη, καὶ χωρὶς περιτομῆς τὸ Θεῖον σέβειν, εἴγε πάντως κέκρικε ζηλοῦν τὰ πάτρια τῶν Ἰουδαίων. τοῦτο εἶναι κυριώτερον τοῦ περιτέμνεσθαι. id est, *Licere ei, dixit, etiam absque circumcisione Deum pie colere, si Judaorum instituta placeant. In hoc enim magis sitam religionem, quam in circumcisione.* Joseph. Antiquit. Judaic. XX. 2. Sed tamen iste Rex aliquanto post, ex alterius Judæi, nomine Eleazari, (de quo Josephus dicit, πάνυ περὶ τὰ πάτρια δοκῶν ἀκριβὴς εἶναι, *cum legis valde peritum habitum*) consilio se circumcidi curavit. Nec etiam Tryphon Judæus incircumcisis omnem salutis spem adimit, sic apud Justinum Martyrem loquens: μένοντι γάρ σοι ἐν ἐκείνῳ τῷ τῆς φιλοσοφίας τρόπῳ, καὶ ζῶντι ἀμέμπτως, ἐλπὶς ὑπελείπετο ἀμείνονος μοίρας. id est, *manenti tibi in illa philosophandi ratione, & inculpate viventi, melioris sortis spes relinquebatur.* Quæ sententia hodie inter Judæos recepta videtur, ut colligere est ex Menasseh Ben-Israël, de Resurrectione mortuorum: ubi totum caput IX. libri II. impendit probando, etiam Gentes resurrecturas. *Non minus verisimile est*, inquit, *omnes gentes ac nationes aque resurrecturas esse atque Israëlitas, juxta illud veterum dictum*, PIIS EX GENTIBUS MUNDI PARS ERIT IN FUTURO SÆCULO. *Neque illi tantummodo resurgent, sed etiam beatitudinis futuri saculi participes erunt, juxta veterum illud pronunciatum:* NON FRAUDAT DEUS PRÆMIO ULLAM CREATURAM. *Ac proinde dicunt*, ILLIS PARS ERIT. *Neque dubium est, quin illi quoque, qui recte de Deo senserunt, pariterque honeste, pie, ac probe vixerunt, partem in resurrectione mortuorum obtinebunt: uti sentit R. Moses Ægyptius, in epistolis suis; quamvis talis aliquis fuerit ex Gentilibus, uti Socrates, Plato, &c. Denique in Zoar, magna auctoritatis libro, legitur, Quod illos qui in captivitate bene de Israëlitis meriti sunt, maneat in futuro saculo magna felicitas.* Verum tamen in Misna, Hirurum cap. 2. dicitur, *Qui non est circumcisus, gehennam hareditabit.* Isaac Abravanel, de Capite fidei, *cap.* 24. Sed isti qui florente adhuc Republica Judæorum vixerunt, durius de hac quæstione senserunt iis quos calamitatum sensus humiliavit; qui omnem beatitudinis participationem Gentibus in futuro sæculo derogare non audent: quamquam certum est eos tanto feliciores ibi Israëlitas reliquis populis facere, quanto Gabaonitæ ipsis olim in terra Cananæa inferiores fuerunt. Unde murmur adversus Dominum Jesum exortum, qui ipsos in parabola *Matth.* XX. inter se exæquare velle videbatur. Isti autem zelotæ qui Gentiles volebant jugo legis subjicere, circumcisionem præcipue urgent, quia sciebant ea semel suscepta, nihil amplius fore remoræ, quo minus se toti legi subjicerent. Nihil enim erat quod magis adultos arceret à Judaïsmo quam circumcisionis

formido. Adde quod qui eam suscipiebant, sic se tacite ad universam rituum legem servandam obligabant. Unde Paulus ab ea Galatas deterrere volens; *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*, *Galat.* v. 3.

Cum ergo Paulus & Barnabas resisterent istis Pharisæo-Christianis, qui pertendebant Gentiles absque circumcisionis susceptione non posse servari, & inter se non convenirent, nec auctoritati Pauli cederent, quem pro Apostolo non agnoscebant eo quod in Domini Jesu comitatu non fuisset, visum est Ecclesiæ Antiochenæ aliquos mittere Hierosolymam, qui Apostolos illic commorantes super hac quæstione consulerent. Ubi dubitatur, utrum omnes Apostoli tunc adhuc essent Hierosolymis, an vero aliqui tantum, & quinam. Certum enim est Apostolos ibi aliquandiu mansisse post acceptum Spiritum Sanctum. Nec inde videntur migrasse ante persecutionem excitatam in cæde Stephani Proto-martyris.

Omnes enim duodecim adhuc erant Hierosolymis cum facta est VII. Diaconorum electio, *Act.* VI. 2. Imo ne gravi quidem illa persecutione excitata, statim inde pedem moverunt; sicut innuunt hæc Lucæ: *Facta est in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Jerosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos*, *Act.* VIII. 1. Constans tamen inter veteres est fama Apostolos non diu post fuisse Hierosolymis commoratos; sed forte inter se orbis terrarum partes divisisse, in quas singuli Euangelium prædicatum irent. De qua consuli possunt Origenes in Genesin, & Eucherius Lugdunensis, qui scribunt Orientem obvenisse Thomæ & Bartholomæo, Meridiem Simoni & Matthæo, Septentrionem Philippo & Thaddæo, Mediterraneas regiones Matthiæ & Jacobo Justo, Provincias maris mediterranei Joanni & Andreæ, Occidentem Petro & Jacobo Zebedæi; sed totum pariter mundum Paulo. Unde in quibusdam Ecclesiæ Romanæ Calendariis, *Apostolorum separatio* ad xv. Julii celebratur. Sed de illius anno altum fere ubique silentium. Alia etiam divisio muneris inter Apostolos commemoratur, *Gal.* II. 7. 9. Quod Paulo creditum esset Euangelium præputii, Petro vero circumcisionis: sed quæ huc non pertinet. Concilium autem Hierosolymitanum videtur primam illam Apostolorum separationem secutum esse, & nullos amplius in illa urbe fuisse Apostolos præter Petrum & Jacobum, qui etiam soli in Concilio sententiam dixisse leguntur. Quamquam putem iis adjungendum Joannem, cujus fit mentio *Gal.* II. 9. Quod enim ibi dicit v. 1. se *post quatuordecim annos iterum ascendisse Jerosolymam, cum Barnaba, assumpto & Tito*, omnino ex iis quas ibi recenset circumstantiis apparet quadrare in iter quod illuc fecit ut Concilio isti, de quo agimus, interesset. Ergo saltem quatuor Apostoli illic comparuerunt; Petrus, Jacobus, Joannes, Paulus; præter viros Apostolicos Barnabam, Judam, cognomento Barsabam, & Silam; quorum mentio fit *Act.* XV. 22. nec non Titum, de quo *Gal.* II. 3. & alios viros celebres, ex quibus constabat Ecclesia Hierosolymitana. Adeo ut celebrior isto conventus nullus unquam datus fuerit, nisi in quo omnes Apostoli interfuerunt.

Sed præterea celebritatem illi magnam affert quæstio illic agitata, utrum Gentiles ad Christum conversi tenerentur se circumcidere, & alios legis Mosaïcæ ritus observare, nec-ne; qua nulla unquam gravior in ullo Christiano conventu discussa legitur. Operæ ergo pretium erit, attente considerare quid de illa censuerint congregati ibi Apostoli. Duorum tantum suffragia recensentur à Luca, nimirum Petri & Jacobi, in quorum sententiam reliqui omnes pedibus veluti concesserunt. Petrus ergo in hunc modum loquitur: *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelii & credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis; & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicibus discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi*, *vers.* 7. 8. 9. 10. 11. Ubi manifestum est illum respicere ad historiam conversionis Cornelii per ministerium suum, quæ prolixe narratur toto capite x. & magna XI. parte. Et summatim in hoc consistit, quod etsi vir ille & cæteri ejus amici, quibus Petrus cælesti visione admonitus Euangelium annunciabat, incircumcisi essent, eo tamen fide in cordibus suis suscepto, Spiritus Sanctus in omnes illapsus fuerit, & loqui extraneis linguis, Deumque in illis magnificare auditi sint. Unde Petrus collegit, *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos? Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu*, *Actor.* x. 47. 48. Petrus autem dicit id factum esse *à diebus antiquis*, quia inter Cornelii centurionis conversionem, & Concilium istud Hierosolymitanum, XX. circiter anni, ut plerique Chronologi agnoscunt, elapsi erant. Mirum autem est valde, per tam longum temporis spatium, à quo Deus clarissimo isto exemplo manifestaverat voluntatem suam de incircumcisis in Ecclesiam suam, & omnium benedictionum spiritualium participationem admittendis, non potuisse adhuc è credentium Judæorum cordibus revelli hanc opinionem, etiamnum necessariam esse circumcisionem ad placendum Deo. Sed istorum legis rituum, tanquam divinitus institutorum, reverentia tam alte insederat illorum

rum animis, ut non facile esset statim illam inde eradicare, & de libertate nobis per Christi sanguinem parta ipsos convincere. Nam etiam post celebratum istud, de quo agimus, Concilium, videtur eadem opinio apud multos permansisse in Ecclesia Hierosolymitana; quemadmodum liquet ex *Act.* XXI. 20. & seqq. aliisque historiæ Ecclesiasticæ monumentis; nominatim Sulpitii Severi, qui de Hadriano Imperatore agens, dicit: *Tum pene omnes, Christum Deum, sub legis observatione, credebant.* Si quis autem recte attendat ad Petri orationem, vix aliud quidquam inde extundet, nisi ipsum censuisse Gentiles ad Christum conversos ab omnium legis ceremoniarum jugo plane esse liberatos per Christi gratiam; adeo ut earum observationem ipsis præcipere, foret Deum tentare, id est, graviter offendere; si voluntati ejus sufficienter revelatæ adhuc obstreperent, & nova illius documenta habere desiderarent. Nullam enim addit suæ sententiæ restrictionem aut limitationem; sed simpliciter judicat incongruum esse cervicibus discipulorum Gentilium velle jugum imponere, quod Israëlitæ ipsi nunquam nisi summa cum molestia ferre potuerunt. Quod de præceptis morum, paucis numero, & per Christi gratiam observatu facilibus, *Matth.* XI. 30. I *Joan.* V. 3. non debere intelligi, res ipsa docet. Et certe de illis nunquam dubitatum fuit quin omnes, tam Judæi quam Gentiles, ea observare tenerentur; quamquam non tanta cum severitate, ut sub lege; ubi qui vel semel irritam fecerat legem Mosis, absque misericordia moriebatur, *Numer.* XV. 30. 31. *Hebr.* X. 28.

Cum autem Petrus sermonem suum absolvisset, *Tacuit omnis multitudo; & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in Gentibus per eos*, *vers.* 12. Quod prudenter interjectum fuit ab historiographo Luca, quia ista narratio multum faciebat ad confirmandum Petri sententiam, non esse obligandos Gentiles ad observandas legis ceremonias; cum Deus magna signa & prodigia inter eos faciens per ministerium Pauli & Barnabæ, satis ostenderet se flocci facere circumcisionem, & alios ejusmodi ritus, quibus Gentiles non erant initiati: & *in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed novam creaturam*, *Galat.* VI. 15.

Sequitur Jacobi suffragium: *Simon narravit, quemadmodum Deus primum visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo. Et huic consonant verba Prophetarum, sicut scriptum est, &c. Notum à seculo est Domino opus suum. Propter quod ego judico, non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum; sed scribere ad eos ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*, *vers.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. In quo duo sibi habuit proposita. Nam primo confirmat Petri sententiam allato ex *Amos* IX. testimonio: ubi Deus non solum promittit per suum Messiam restitutionem domus & regni Davidici in integrum; sed etiam erectionem ad multo majorem magnificentiam, cum Gentes à suo fœdere alienas illuc introduceret. Deinde ostendit quid in Petri sententia desideret; nempe ut Gentiles qui se converterent ad Deum obligarentur, non quidem ad ceremonias legis, quas eis nolebat impónere; sed ad quædam præcepta positiva, aut saltem ad jus naturæ non ita aperte spectantia, quæ lex Mosis habebat, & non poterant absque veræ pietatis detrimento negligi. Qualia recenset quatuor; de quibus postea, ubi decretum Apostolorum explicabimus. Denique rationem affert, qua id quod dixerat ita faciendum esse confirmaret: *Moyses enim à temporibus antiquis*, &c. Cujus sensus nobis est obiter ostendendus; quia nonnulli putant ea significatum voluisse Jacobum, præcepta ista, *de abstinendo à contaminationibus idolorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine*, à se præscribi tantum ad tempus, ad vitandum Judæorum infirmorum scandalum, quo cessante nullam amplius obligandi vim habitura essent. Quasi dixisset, *Fieri non posse ut tam cito, quasi uno impetu, aboleantur ceremoniæ; quia jam à multis seculis assueti essent Judæi legis doctrinæ, & Moses suos haberet præcones. Ideo redimendam ad breve tempus concordiam esse, donec paulatim clarius innotesceret libertas per Christum parta.* Annotat. breviores in Bezæ Testamento. Sed hic quædam sine probatione assumuntur, quæ nemo prudens facile concedet. Ubi enim vel uno verbulo innuitur à Jacobo, *Redimendam ad breve tempus concordiam?* Et, expectandum *donec paulatim clarius innotesceret libertas per Christum parta?* Quamvis enim non negem, oportuisse ita fieri; non tamen apparet id Jacobum hoc loco significavisse. Mens ejus procul dubio fuit reddere consilii sui rationem. Sed ad quam ejus partem respexerit, non ita liquet. Puto ad postremam; nempe cur scribendum sit ad eos qui ex Gentibus convertebantur ad Deum; quia nisi id fieret, & declaretur ipsos esse liberatos à rituum legis observatione, putarent se iis adhuc teneri, cum intersint Synagogis Judæorum, in quibus lex Mosis, qua districte præcipiuntur, singulis Sabbatis legi solet. Vel forte Jacobus voluit rationem reddere, cur non esset necesse hac de re scribere ad Judæos, qui fidem Christi amplexi erant, sicut ad Gentiles; nempe quia illi satis sciebant quid sui esset officii, ex lege quæ iis in Synagoga, secundum antiquam consuetudinem, singulis Sabbatis prælegebatur. Sed priorem interpretationem præfero, quæ magis sponte fluit, cum altera coactum

 aliquid

aliquid habere videatur. Quamquam ea placuit Chrysostomo dicenti in hunc locum: *Quoniam Moyses continuo prioribus loquitur in Synagogis, quas vel adhuc, dum Judæi essent, frequentaverant, vel etiam postea: ita ut dictarum rerum abstinentia illis nec nova, nec inculcanda sit; & circumcisio ipsis adhuc cum aliis legalibus permitteretur, hac lege tamen ne alios inquietarent; aut magistro minime egerent, cum ex Moyse, & universa Scriptura, discere possent libertatem atque immunitatem ab oneribus legis antiquæ. Hoc autem pacto simul conciliavit Jacobus sibi Judæos, laudans Moysem, & ad eum illos remittens.* Hugo Grotius hic putat esse ἀνθυποφοράν. *Nempe quod ad Mosem attinet, non possunt, qui ex Judæis sunt, queri eum sperni ab alienigenis nostri gregis, quando in nostris, non minus quam in Judaicis conventibus, Moses, ita ut ab antiquo factum est, legitur, & quidem Sabbatis.* Lectori facio liberum quam placuerit expositionem sequi: Nulla ex istis est quæ faveat temporario sanguinis & aliorum interdicto; quo etiam absque violentia Jacobi verba torqueri nequeunt. Sed de hoc iterum in cap. XII. agendum nobis erit; ideoque Lectorem illuc remitto.

CAPUT VIII.

De quibusdam decreti Apostolici antecedentibus & comitantibus.

JAcobi Apostoli sententia, ut æquissima erat, ita approbatores habuit omnes qui isti Concilio intererant. Quare nihil restabat aliud, nisi ut quod suadebat confestim executioni mandaretur, & sic lis in Ecclesia Antiochena exorta, quæ ad alias quoque facile dimanare poterat, feliciter componeretur. *Placuit itaque Apostolis, & Senioribus, cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus, vers.* 22. Nam cum Paulus & Barnabas partem quasi alteram in hac controversia facerent, & multis suspecti essent, veluti erga Mosis legem minus æqui, non conveniebat ut soli Antiochiam remitterentur, (quamquam hoc præclaro testimonio ornati, quod *homines essent qui tradiderant animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi, vers.* 25.) sed adjungendi ipsis erant alii, in quos nulla suspicio caderet, quod alteri parti addictiores essent. Talesque erant Judas & Silas, viri inter fratres præcipui nominis & auctoritatis. Per eos igitur scribunt epistolam fratribus ex Gentibus qui erant Antiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ, inter quos mota erat controversia de necessitate observandi ritus legis Mosaïcæ: sed quæ tamen institutioni omnium aliorum Gentilium, qui ad fidem converterentur, in pari casu inservire posset. Unde dicitur de Paulo & Sila eos *cum pertransirent civitates*, in quibus antea prædicaverant verbum Domini, *tradidisse iis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus qui erant Jerosolymis, Act.* XVI. 4. Istæ enim civitates non tantum erant Syriæ & Ciliciæ, sed etiam multarum aliarum provinciarum. Et Paulus de eadem materia scribit ad Corinthios, *cap.* VIII. & X. epistolæ primæ. Imo hodie quoque, & omnibus qui usquam sunt terrarum Christianis, ostendit hæc epistola ipsos ad observandas legis Mosaïcæ ceremonias non esse obligatos. Nullus enim æque illustris in toto Novo Testamento occurrit locus, ubi istud aperte & ex professo doceatur.

Causæ quoque meminerunt, qua impulsi fuerint ut ad eos scriberent; nempe *Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus, vers.* 24. Intelligentes eos qui asserebant circumcisionem & alios ritus legales ad salutem observatu esse necessarios, & dogmati suo prætexebant auctoritatem Apostolicam. Quamvis enim esset falsum Apostolos ita docere, non tamen facile erat omnibus istam falsimoniam deprehendere; cum vulgo Hierosolymis, ubi Apostoli erant, lex Mosis à fidelibus observaretur. Nec poterat fieri quin graviter turbarentur animæ discipulorum, recenter ad fidem Christianam accedentium, cum ab una parte audirent istos doctores, magna cum vehementia dicentes, *Non potestis salvari, nisi circumcidamini*: & ab altera parte gentium Apostolum non minori cum fiducia asserentem; *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit, Galat.* V. 2. Opus ergo erat ut Apostoli hic aperte mentem suam declararent, ne quis in posterum auctoritate ipsorum abuteretur.

Tria autem sunt consideranda in epistola quam scribunt, antequam ad præcipuum ejus argumentum perpendendum accedamus. Primo quod Apostoli dicunt, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*: deinde, *nihil ultra vobis imponere oneris*: denique, *quam hæc necessaria.* Quod ad primum attinet, si simpliciter dixissent, *Visum est nobis*, res careret omni difficultate. Poterant enim hujus epistolæ auctores sibi optime de sua mente esse conscii, præsertim postquam una de proposito argumento contulerant, & singulorum sententias inter se convenire compertum fuerat. Sed quomodo erant certi ita quoque Spiritui Sancto videri? *Quis enim cognovit sensum Domini: aut quis consiliarius ejus fuit? Roman.* XI. 34. Sed non est valde arduum ex hoc se nodo expedire. Omnibus enim notum est, non solum Apostolos, sed etiam præcipua Ecclesiæ membra, illo tempore magna donorum Spiritus Sancti copia fuisse perfusos, per quem, secundum Christi promissum, dirigerentur in omnem veritatem, *Joan.* XVI. 13. Unde factum est ut Petrus, deprehensa Ananiæ fraude, exprobraret ei, *Non es mentitus hominibus, sed Deo, Actor.* V. 4. id est, Non tam hominibus, qua-

quales nos sumus, mentitus es, quam Deo ipsi, qui nobis dedit Spiritum suum, per quem arcana cordium animadvertimus. Et non semel de illis dicitur, quod pleni fuerint Spiritu Sancto, & quod agunt ipsi, Spiritui Sancto, à quo impellebantur, tributum legimus. Sicque accipi debet quod Lucas refert, *Ministrantibus illis Domino & jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus, Segregate mihi Paulum & Barnabam*, &c. *Et ipsi quidem missi à Spiritu Sancto, abierunt Seleuciam*, *Act.* XIII. 2, 4. Nam Spiritus Sanctus non aliter hæc dixit, quam per os Prophetarum qui aderant. Ita etiam hoc loco, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, nihil aliud significat, quam, Visum est nobis, qui per Spiritum Sanctum afflati sumus. Unde apparet quantæ auctoritatis apud nos esse debeat decretum istud Apostolicum, quod non proprie ab hominibus, sed ab ipso Spiritu Sancto, quo regebantur, dictatum est. Nam si magni facimus singulos Novi Testamenti libros, quia persuasi sumus, Scriptores illorum à Spiritu Sancto fuisse inspiratos: quanto magis hoc epistolion, quod tot magni viri, Spiritu Sancto pleni, dictaverunt? Proinde non est ullo pacto verisimile, in eo solum agi de rebus indifferentibus, & quæ ad exiguum tempus, vitandi scandali causa, observari deberent; cum majestas auctorum, à quibus emanavit, primo Spiritus Sancti, deinde plurium Apostolorum, & virorum Apostolicorum, contrarium suadeat, nimirum in eo tractari de gravissimis dogmatibus, & quæ ad totius Ecclesiæ Christianæ, usque ad finem mundi, ædificationem pertinerent. Si tam magnos auctores haberent decreta Conciliorum, quæ postea celebrata sunt, ô quam obviis ulnis ab omnibus veritatis divinæ amatoribus reciperentur! & quanti ponderis essent inter bonos ad controversiarum in Ecclesia Christiana exortarum decisionem! Sed, proh dolor! in multis eorum quæ dicunt, Visum est Spiritui Sancto & nobis, potius præsedit spiritus ambitionis, avaritiæ, iræ, invidiæ, præsumptionis, ignorantiæ, ne quid pejus dicam, quam mansuetus & placidus Christi spiritus. Quid igitur mirum, si nihil inde boni profectum sit, & lites nostras, ut sperabatur, non composuerint, sed potius multiplicarint, & magis atque magis exacerbaverint?

Secundum ad quod attendi debet, est quod Apostoli dicunt, non visum esse sibi quicquam oneris Gentilibus ad fidem conversis imponere, præter ista quæ postea commemorant. Ubi nomine *oneris* intelligi non debent præcepta morum, quorum honestatem natura sola unumquemque statim, absque alterius præceptoris ope, docere potest. Sicut enim Politicæ leges Gentilium neminem liberabant ab ejusmodi onere, ita neque lex Christi, quæ perfectioris sanctimoniæ est magistra. Nec vocari debent onus quæ tam honesta sunt, ut ab omnibus qui norunt, etiam nemine præcipiente, observari debeant. Sed onus vocantur quædam positivæ leges, quæ in honestate quidem naturali fundatæ sunt; sed tamen non ita aperte ut omnes id illico animadvertant, & mediæ sunt naturæ inter morales & illas positivas, quæ à mero legis latoris arbitrio pendent; unde fit ut necesse habeant à magistris commendari & inculcari, ne ignorentur aut negligantur. Ex hujusmodi ergo ordine legum, quarum plurimas Moses tulit, visum est Apostolis tantum istas, de quibus postea, præscribere Gentilibus qui ad fidem accederent, & præcipue liberare eos circumcisionis jugo, à qua plurimi valde abhorrebant, ne Christianæ disciplinæ difficultas Euangelii cursum remoraretur. Et ista consentaneè Petri sententiæ, *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum*, &c. atque Jacobi, *Ego judico non inquietari* oportere *eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum.* Ineptum est vero quod nonnulli hinc colligunt, Ista quatuor quæ prohibent Apostoli, nempe abstinentiam ab idolothytis, à sanguine, à suffocato, & fornicatione, sunt onus; ergo non sunt censendi illa prohibuisse in perpetuum, sed tantum ad tempus, ut se Judæorum infirmitati accommodarent, & nullum eis scandalum præberent. Non enim dicunt se nullum plane onus imponere velle Gentilibus qui se converterent; sed nullum præterquam de istis quæ nominatim recensebant. Quod erat novam eis obligandi conscientias vim dare, etiamsi antea forte non habuissent. Nec etiam recte infertur ab aliis, Ista quatuor pertinent ad ceremonias legis Mosaïcæ, quas constat Apostolos intendisse hic abrogare; ergo non vetuerunt ea in perpetuum. Quamvis enim ceremonialia esse non putem, id tamen absque causæ quam tueor detrimento possem concedere, & dicere, quamvis sint ceremonialia, tamen Apostoli illa excipiunt ex numero præceptorum ceremonialium quæ abrogant; ergo mens eorum fuit obligare in perpetuum fideles ad sibi ab iis temperandum.

Nec potuerunt id validius facere, quam *necessaria* vocando. Idque est tertium quod nobis inspiciendum restat, antequam capita prohibitionis attingamus. Hic autem primo notare oportet insolentiam phraseos qua utitur Lucas, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων id est, ad verbum, præterquam horum *necessario*, subaudi, observandorum. Grotius tamen annotat esse vocem pure Græcam, dicitque apud Demosthenem & Plutarchum dici de iis rebus quas lege fieri oporteat, atque subaudiri ὄντων. Et totum hunc locum vertit, *præter hæc quæ omnino opus est fieri.* Tertullianus, *quam eorum quibus necesse est abstinere.* Cyprianus, *quam ista quæ ex necessitate sunt.* Sed Salmasius, lib. De fœnore trapezitico, pag. 440. putat hunc

 locum

locum esse corruptum, *Omnino*, inquit, *in Græcis legendum*, πλὴν τῶν ἐπ' ἀνάγκης τούτων, *non ut vulgo est*, ἐπάναγκες. *Quod in hac constructione omnino Græcum non est, nec potest ferri. At ἐπ' ἀνάγκης ἔχω, necesse habeo, Græci dicunt; qui & ἐπάναγκες ἔχω possent dicere; sed hic, ut syntaxis hujus loci est, non convenit.* Vellem ut Grotius annotasset loca Demosthenis & Plutarchi, in quibus dicit extare, ut de constructione judicari posset. Alias Salmasii conjectura non displiceret. Sed major est difficultas de re ipsa; quo sensu abstinentia ab iis quæ memorant Apostoli sit necessaria. Certum enim est diversos esse necessitatis gradus, & non omnia quæ dicuntur necessaria, eodem modo obligare. Sic major est necessitas observandi præcepta moralia quam ceremonialia. Unde Deus dicit per Prophetam, *Misericordiam volo, & non sacrificium*, *Ose.* VI. 6. id est, magis delector misericordia, quam sacrificiis. Nec adeo necessarium est abstinere ab esu sanguinis brutorum; quod aliquis ignorare potest absque culpa; atque sibi temperare ab homicidio, quod natura docet horrendum esse crimen. Et difficultas quæ hic occurrit tanto major est, quod de valde diversis rebus agatur, & de quibus idem non potest fieri judicium. Nam magis obligati sumus ad vitandam fornicationem, quam esum suffocatorum. Quomodo ergo abstinentia ab idolothytis, sanguine, suffocato, & fornicatione, junguntur inter se tanquam pariter necessaria? Cloppenburgius in Schola sacrificiorum putat se nodum istum solvere posse, dicendo: *Quid quod vox Græca* ἐπάναγκες *(quæ adverbium est positum loco nominis, ut* πλησίον, ἐγγὺς, *& similia) non significat, si animum advertas, necessitatem absque consignificatione analogiæ ejusmodi, quæ, si cuncta dicas necessaria esse, subintelligatur tamen necessitatis imparitas, ut cuncta non sint* ἁπλῶς *necessaria. Præpositio enim* ἐπὶ *in compositione plurima vocabula ita modificat, ut non rerum significatarum* τὸ ἀκριβὲς *exprimant semper, sed etiam solam cum re significata vicinitatem aut affinitatem, qualia sunt* ἐπίγαμος *nubilis, nuptiis vicina*, ἐπίτεξ *(forte*, ἐπίτοκος*) partui vicina*, ἐπιθανὴς *vel* ἐπιθανάτιος *morti vicinus*, ἐπίδοξος *opinabilis*, ἐπίδασυς *aliquantum densus*, ἐπίξανθος *leviter flavus, & similia. Quid ni similiter* ἐπάναγκες, *quasi aut propemodum necessarium; ut quamvis unum ex quatuor sit* ἁπλῶς *necessarium, à potiori numero tamen cuncta dicantur quasi necessaria?* Sed quamvis non illibenter concedam præpositionem ἐπὶ eam in compositione habere vim quam ei tribuit Cloppenburgius, nondum tamen id constat de adverbio ἐπάναγκες in tali constructione ut hic sit usurpato; aut ullam firmitatem habet hæc consequentia, τὸ ἐπάναγκες non significat absolute necessarium, sed quodammodo tantum & limitate; ergo licet unum tantum ex quatuor quæ enumerantur in prohibitione Apostolorum sit absolute necessarium, nempe abstinentia à fornicatione, à potiori numero tamen cuncta dicantur quasi necessaria. Cui adde quod Apostoli gravitatis potius rei, quam numeri solius, rationem habere debuissent.

CAPUT IX.

De abstinentia ab immolatis simulacrorum.

NUnc singula illa in specie sunt expendenda, à quibus Apostoli constituunt ut Gentiles ad Christum conversi abstineant, si pro membris Ecclesiæ Christianæ haberi velint. Primum sunt εἰδωλόθυτα *immolata simulacris*, seu idolothyta; quæ Jacobus sententiam in Concilio dicens vocavit τὰ ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, *contaminationes simulacrorum.* Ἀλίσγημα enim contaminationem aut pollutionem significat; sed non quamvis promiscue, verum eam solum quæ proficiscitur à cibis impuris; quales erant Israëlitis quos lex Mosis prohibebat, inprimis immolata Diis Gentium. Unde Deus *Malach.* I. 7. conqueritur Judæos offerre super altare suum ἄρτους ἠλισγημένους, id est, panes pollutos. Et legimus de Daniele & sociis ejus, quibus rex Nabuchodonosor constituerat annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino unde bibebat ipse, eos proposuisse in corde suo ne polluerentur de mensa regis, neque de vino potus ejus, *Dan.* I. nempe, quia verebantur ne inter cibos illos essent aliqui lege sibi interdicti, *Levit.* XI. *Deut.* XIV. aut idolis libati, de quibus mandatum habebant, *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum*, (terræ Canaan;) *ne cum fornicati fuerint cum Diis suis, & adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis*, *Exod.* XXXIV. 15. Cujus rei periculosum habetur exemplum, *Numer.* XXV. 1. 2. 3. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt Deos earum: initiatusque est Israël Beel-phegor.* Idolothyta autem duobus modis considerari possunt, ubi quæritur an illis vesci liceat. 1. Ut carnes quæ in macello veneunt, aut quæ nobis ab infideli aliquo, qui nos invitavit, privatim domi suæ offeruntur. 2. Ut carnes idolis consecratæ, & ideo peculiarem sanctitatem habentes, præsertim cum in idoleo ad falsi alicujus numinis honorem comeduntur, prout moris erat convivia in sacrificiis Ethnicorum celebrare. Et in utroque considerantur à Paulo, 1 *Corinth.* VIII. & X. Priori modo idolothytis vesci, res est media seu indifferens, dummodo id fiat absque scandalo infirmorum. Ideoque dicit, *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam: Domini enim est terra, & plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod apponitur vobis manducate; nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam*

tiam alterius, x. 25. 26. 27. 28. Poſteriori modo, eſt res mala, utpote cum idololatriæ profeſſione conjuncta, aut quæ ſaltem ita poteſt accipi ab iis qui mentem noſtram non noverunt, & eis grave offendiculum præbere. Eoque pertinent iſta, *Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri Dæmoniorum, Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum*, x. 20. 21. Unde videre eſt Apoſtolum non habuiſſe pro facto indifferenti, & extra caſum ſcandali licito, veſci idolothytis in idoleo; ſed pro re peſſima, & cui nullus bonus color induci poſſet. Quid ergo, inquies, ſibi volunt hæc verba cap. VIII. *Videte autem ne forte hæc licentia veſtra* (comedendi idolothyta) *offendiculum fiat infirmis. Si quis enim viderit eum qui ſcientiam habet, in idoleo recumbentem, nonne conſcientia ejus cum ſit infirma ædificabitur ad edendum idolothyta? Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?* Reſpondeo Apoſtolum ita loqui per conceſſionem, propter eos qui de ſcientia ſua gloriabantur, & actionem fidelibus indignam, nempe quod in idoleo cum Gentilibus accumberent, hoc vano prætextu defendebant, Se ſcire idolum nihil eſſe, & ab eo quod nihil eſt inquinari non poſſe. Quibus ita obviam it; Volo ut res ſe habeat quemadmodum dicitis: Attamen ab iſtis conviviis abſtinere deberetis in gratiam fratrum infirmorum, quibus periculoſiſſimum ſcandalum præbetis. Quod cum non faciatis, in fratres veſtros peccatis quos in damnationis æternæ diſcrimen conjicitis; & in Chriſtum ipſum, qui illos morte ſua redemit. Quod ad me attinet, longe aliter animatus ſum: mallem enim abſtinere in æternum, non ſolum ab iſtis victimis, ſed etiam ab omnium carnium eſu, quam aliquod offendiculum fratri meo præbere. Vult ergo Paulus gemina de cauſa, Ethnicorum convivia in idoleis facta vitari, tum quod eſſent per ſe mala, & nemo iis abſque idololatriæ approbatione aut ſimulatione intereſſe poſſet; tum quod illa adeundo, grave ſcandalum fratribus infirmis præberent. Sed poſtremam hanc rationem urget potiſſimum *cap.* VIII. rejecta priore in *caput* X. ubi ita acriter, ut vidimus, adverſus illa convivia detonat, menſæ & calicis Dæmoniorum participationem vocans. Videtur autem Apoſtolus in hunc ſermonem eſſe lapſus, occaſione à Corinthiis ſuppeditata, qui ipſum de quibuſdam interrogaverant per epiſtolam, I *Cor.* VII. I. & ſpeciatim de idolothytis, VIII. I. & ſeqq. forte quomodo intelligendum eſſet decretum non diu ante factum ab Apoſtolis in Concilio Hieroſolymitano. Habemus ergo optimum interpretem iſtius conſtitutionis, ex quo diſcere poſſumus, quouſque ſe extendat, & quantam vim obligandi conſcientias fidelium habeat prohibitio idolothytorum. Nempe cum ea diverſi ſint generis, non poſſe ad hanc quæſtionem, niſi diſtinctione adhibita reſponderi. Eſſe nonnulla à quibus abſtinere oporteat propter ſolum ſcandali, quod inde oriri poſſit, metum: qualia ſunt quæ væneunt in macello, aut quæ privatim apponuntur in amicorum conviviis. Nonnulla vero à quibus abſtinere oporteat, quia ſimpliciter & per ſe malum ſit iis veſci: ut quæ comeduntur in idoleo, cum aliqua ſemper ſive aperta, ſive tacita, idololatriæ approbatione. Ad poſterius autem genus, quod eſt majoris momenti, Apoſtolos in celebri illo conventu potiſſimum reſpexiſſe; quis dubitet? Interim fieri aliquando poteſt, ut gravi periculo non vacet iis veſci quæ in macello venalia proſtant, ut docet hiſtoria Juliani apoſtatæ; qui præ ſtudio Ethnicam religionem propagandi, aut potius ægre Chriſtianis faciendi, cibos omnes in foro venales polluit ſacrificiis, quæ Diis immolata erant, ut ſic Chriſtiani cogerentur veſci immolatitiis, niſi fame perire vellent. Qua de re memorabile eſt quod legimus apud Theodoretum, Eccleſ. hiſt. lib. III. cap. 14. *Primum fontes, tum qui in urbe erant, tum qui Daphnæ, ſceleratis victimis contaminavit, quo ſinguli qui aquam guſtarent, tetra nequitiæ labe inficerentur. Deinde quæ in foro exponebantur, eadem ſceleris macula inquinavit. Nam panes, carnes, fructus, olera, & alia omnia eſculenta, aqua luſtrali aſpergebantur. Quæ cum viderent Chriſtiani, etſi non poterant non gemere, lamentari, & ſcelera illa impenſe deteſtari, tamen eiſdem veſcuntur, legi Apoſtolicæ obſecuti, ita jubenti: Quicquid in macello venditur, comedite, nihil dijudicantes propter conſcientiam.* Alias notum eſt quanta in deteſtatione eſſet vulgo apud Chriſtianos idolothytorum eſus. Adeo ut Dominus Jeſus imputet Jezabeli tanquam enorme ſcelus, quod *ſeduceret ſervos ſuos, ſcortari, & manducare de idolothytis*, *Apoc.* III. 20. Et Leo Magnus, Epiſt. LXXIX. cap. 5. decernit, *Ut ſive terror, ſive fames ſuaſerit ad edenda immolatitia, pœnitentia ſatisfactione purgentur qui id fecerint.* Sic cum apud Minutium Felicem, Cæcilius objiceret Chriſtianis, *Præcerptos cibos, & delibatos altaribus potus abhorretis*; mox reſpondet Octavius: *Quod ſacrificiorum reliquias & pocula delibata contemnimus, non confeſſio timoris eſt, ſed veræ libertatis aſſertio. Nam etſi omne quod naſcitur, ut inviolabile Dei munus, nullo opere corrumpitur, abſtinemus tamen, ne quis exiſtimet, aut Dæmoniis, quibus libatum eſt cedere, aut noſtræ religionis pudere.* Imo Auguſtinus tam ſcrupuloſum in idolothytorum eſu ſe oſtendit, ut videatur potius laudaturus quempiam fame enecari, quam illa attingere; ut teſtantur quæ epiſtola 154. ad Publicolam ſcribit: *Reſtat ut dicamus aliquid de illo viatore Chriſtiano, quem commemoraſti victum famis neceſſitate, ſi nihil uſpiam invenerit, niſi cibum in idoleo poſitum ubi nullus alius eſt hominum, Utrum ei ſatius ſit fame emori, quam illud in alimentum ſumere. In qua quæſtione, quo-*

niam

niam non est consequens ut cibus ille idolothytum sit: potuit enim vel ab eis qui ibi ab itinere divertentes corpus refecerant oblivione seu voluntate dimitti, vel illic ob aliam causam quamlibet poni; breviter respondeo: Aut certum est, esse idolothytum; aut certum est, non esse; aut ignoratur. Si ergo certum est esse, melius Christiana virtute respuitur; (etiam cum manifesto mortis discrimine, ut supponit quæstio.) *Si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur.* Unde apparet Augustinum nequaquam pro re indifferenti habuisse idolothytorum esum, à quo tantum propter scandali metum abstinendum esset; sed etiam pro re omnino in se mala, &, quamvis nemo esset conscius, vitanda. Supponit enim illic *nullum alium esse hominum*, qui isto facto offendi possit; & tamen præfert ab eo sibi temperare ex Christiana virtute, quam aliquid vocatione sua indignum ad conservandam vitam facere. Idemque semper judicarunt veteres Christiani, qui inter Paganos vixerunt; adeo ut multi mortem obire maluerint, quam se aliquo ejusmodi cibo contaminare. Celebraturque in Martyrologio Romano, ad 11. Martii, octoginta martyrum in Campania memoria, qui noluerunt carnes immolatitias comedere, nec caput capræ adorare. Cum ergo abstinentia à sanguine ponatur ab Apostolis in suo decreto in eodem necessitatis gradu cum vitatione idolothytorum, quibus hodie non liceret nobis vesci si inter idololatras versaremur; ea non debet haberi pro lege ad tempus data, & ad vitandum infirmorum scandalum, sed perpetuæ est usque ad mundi finem durationis, etiamsi nemo esset qui illius violatione offenderetur.

CAPUT X.

De interdicto fornicationis.

SEquitur in constitutione Apostolorum, ut Gentiles ad Christum conversi *abstineant à sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Quare nobis jam agendum esset de prohibitione sanguinis. Sed quia istud est præcipuum Diatribæ nostræ argumentum; quod fusiorem & non interruptam explicationem requirit, differam adhuc paulisper, & nunc de *fornicatione*, seu πορνείᾳ verba faciam, & qualem Apostoli intellexerint diligentius inquiram. Fornicationis enim prohibitio valde turbat eos qui putant hic solum agi de rebus indifferentibus, quæ non nisi propter offendiculi metum sint vitandæ, cum nulla sit fornicationis species, quam Christiani pro re media seu ἀδιάφορον habere debeant. Cum ergo vox scortationis seu πορνείας in Sacris Literis modo accipiatur pro *adulterio*, ut cum Dominus Jesus dicit, *quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, Matth.* XIX. 9. modo pro *incestu*, ut cum Paulus dicit, *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes; ita ut uxorem patris aliquis habeat*, 1 *Corinth.* v. 1. certum est de neutra Apostolos intendisse loqui, ut neque de libidinibus contra naturam in pæderastia. Ista enim prohibebantur etiam Ethnicorum legibus; nec verendum erat ut quisquam Christianus tanquam licita excusare vellet. Apostoli autem hic agunt de rebus quæ non sunt ita evidenter turpes, ut naturæ lumen ad illas redarguendas sufficiat; sed de quibus adhuc dubitare poterant proselyti Christiani, an sibi essent permissæ nec-ne, quia vulgo inter Ethnicos obtinebant, nec pro peccatis habebantur. Sunt ergo quidam ex interpretibus, qui per *scortationem*, intelligunt scortationem spiritualem, id est, *idololatriam*. Quo sensu hæc vox sæpe accipitur in libris Prophetarum, & in Apocalypsi, ubi fit mentio, *magnæ meretricis*, πόρνης, *cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus, Apoc.* XVII. 1. 2. Atque ita bene convenire putant cum prohibitione idolothytorum quæ simul etiam conjunguntur, cum Dominus Jesus dicit de Jezabele, *eam seducere servos suos, scortari, & manducare de idolothytis, Apocal.* II. 20. Ubi ista duo tanquam æquipollentia simul jungi videntur, & prius explicari per posterius. Sed respondeo, incertum esse an scortatio ad quam Jezabel ista fideles instigabat, spiritualis tantum fuerit. Potuit enim corporalis simul & spiritualis esse, ut facilis est ab una transitus ad alteram. Quod Israëlitarum exemplum docet, qui invitati à filiabus Moab ad sacrificia sua, cum iis scortati sunt corporaliter, & cum earum idolis spiritualiter, *Num.* XXV. 1. 2. 3. Deinde, etiamsi in Apocalypsi, quæ tota figuris scatet, per scortationem intelligeretur idololatria; non tamen est verisimile Apostolos eodem significatu hanc vocem in sua epistola usurpasse. Nam sic idem bis dixissent in scripto paucorum commatum, & duobus diversis in locis, primò clare, deinde obscurius. Quod non convenit cum simplicitate styli epistolæ, præsertim quæ missa foret ad Gentiles recenter conversos, qui in Prophetarum lectione nondum erant ita exercitati, ut allegoricum eorum sermonem facile intelligerent. Nec refert quod hæc epistola mittebatur per viros doctos, qui ejus sensum explanarent. Nam interpretes non erant semper ad manum, iis qui legebant, ut consulere illos possent; ut nec postea fuerunt cum dissidium de ejus sensu etiam inter maxime literatos exortum est. Beza, qui in ista sententia est, *scortationis nomen, ex Prophetarum more, ad idololatriam hic fuisse translatum*; dicit se id intelligere, *non de illa crassa, & sine exceptione detestanda; sed quam illorum temporum & exortæ contentionis circumstantia requirebant; seu de accubitu in idoleo.* Verum hic auctor non sibi satis constat, qui cum fateatur disertis verbis, *hanc scortationem*, quæ fit per accu-

accubitum in idoleo, *non magis esse indifferentem, quam alteram illam crassam de qua hic non agi contendit*: tamen putat in decreto Apostolorum tractari, *de rebus concessis & liberis, quibus ex charitatis lege, & quatenus earum usus Judæis infirmis nocuisset, abstinendam esset*. Cui adde absurdum esse existimare scortationem, pro quocumque idololatriæ genere acceptam, rem esse indifferentem. Nulla enim alia de causa Spiritus Sanctus per Prophetas loquens idololatriam hoc nomine appellat, quam ut turpitudinem ejus majori cum emphasi taxet; proindeque Apostoli eam non fuissent in constitutione sua adhibituri, si de rebus natura sua indifferentibus, & propter scandalum solum vitandis, tractassent.

Quod animadvertens Heinsius, novam & ingeniosam vocis πορνείας interpretationem excogitavit, in Exercit. sacris in Novum Testamentum, ἀντὶ πορνικῆς θυσίας, pro oblatione meretricia; ita scilicet, ut quemadmodum ἀλισγήματα εἰδωλοθύτων, inquinamenta immolatitiorum, intelliguntur Idolothytorum nomine, ita ἀλισγήματα πορνείας, inquinamenta scortationis, id est, oblationes meretriciæ, per τὴν πορνείαν designentur. Mentemque Apostolorum fuisse vetare, ne fideles ex Gentibus conversi cibis se polluerent qui idolis essent à meretricibus oblati, aut meretricia empti mercede. Et suam expositionem inde probat, quod lege Dei cautum erat, ne quis mercedem scorti, & consequenter victimam, Deo Israëlis offerret; οὐ προσοίσεις μίσθωμα πόρνης, *Deuter*. XXIII. 18. Sed non video inde sequi Apostolos hanc πορνείαν, id est, victimam meretriciam, prohibuisse speciatim fidelibus qui ex Gentilibus ad Deum se converterent; quasi ad innuendum se alias victimas non improbare, sed tantum istud genus. Non enim erat verendum, ut illi qui noverant debere se abstinere ab idolothytis ex aliorum sacrificiis, putarent sibi licere alias hostias mactare; & quidem ex mercede meretricia emptas. Longe proclivius erat eis omnem meretricium quæstum prohibere; quod etiam factum. Sic enim sublata infami hac professione, nullus relinquebatur locus sacrificiis quæ inde compararentur.

Superest ergo ut vocem πορνείας seu fornicationis in usitatissima sua significatione accipiamus, pro commixtione soluti alicujus cum soluta; quæ vulgo pro peccato non habebatur ab Ethnicis; ideoque metus erat, ut si diserte non prohiberetur, sibi adhuc indulgerent qui Christo nomina sua dederant. Nam quam parvi duxerint istud peccatum, notum est ex illo Terentiano, *Non est flagitium (mihi crede) adolescentulum scortari*, &c. Adelph. Act. I. sc. 2. Et Ciceronis pro Cælio, *Detur aliquid huic ætati; sit adolescentia liberior: non omnia voluptatibus denegentur*, &c. Item, *Quando hoc factum non est? quando reprehensum? quando non permissum?* Imo sapiens ille Cato hortabatur juvenes, ut lupanaria adirent, quemadmodum legimus apud Horatium. Et quantum fræno hic indigerent neophyti Christiani, docent seriæ adhortationes Pauli ad vitandam scortationem; I *Corinth*. VI. 15. &c. I *Thess*. IV. 3. 4. & alibi. Non esse autem prohibitam solum propter offendiculum, sed etiam quia in se mala est, omnes Christiani ultro largiuntur. Quid ni ergo idem dicamus de *sanguine*, cujus abstinentia tanquam pariter necessaria ab Apostolis in eodem commate nobis commendatur? Junxissentne una res adeo diversæ naturæ, ut istas esse volunt, absque ulla limitatione, quæ discrimen inter eas faciendum esse indicaret?

CAPUT XI.

De suffocato, & iis quæ nobis ab aliis fieri nollemus.

Legimus etiam vocem πνικτοῦ, suffocati, in codicibus Novi Testamenti, quibus hodie utimur, inter illa quæ Apostoli recens conversis Gentilibus prohibuerunt. Sed merito nobis suspecta est, cum à multis antiquis Patribus non agnoscatur, imo tanquam supposita diserte rejiciatur. Primus & antiquissimus est Irenæus, *lib*. III. adversus hæreses, *cap*. XII. ubi prolixe & verbo tenus, totum hunc locum, à *vers*. 7. usque ad 30. describens, nullam nec in sententia Jacobi, nec in constitutione Apostolorum mentionem facit *suffocati*. Quod manifestum indicium est vocem istam absuisse à codice quo usus fuit. Nam ex memoria non recitasse, docet accurata recensio, & in qua nihil plane aliud desideratur. Secundus est Tertullianus, lib. de Pudicitia, *cap*. XII. ubi cum cætera ad hunc locum pertinentia accurate recenseantur, non legitur etiam vox *suffocati*. Tertius est Cyprianus, qui ad Quirinum lib. III. hunc locum recitans *suffocati* non meminit: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nullam imponere sarcinam, quam istam quæ ex necessitate est; Abstinere nos ab idololatriis, & sanguinis effusione, & fornicatione; & quæcunque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis.* Quartus est Hieronymus, qui Comment. in Galat. cap. v. sic scribit: *In Actibus Apostolorum narrat historia, cum quidam de circumcisione surgentes asseruissent eos qui ex Gentibus crediderant debere circumcidi, & legem custodire Moysi: Seniores qui Hierosolymis erant & Apostolos pariter congregatos statuisse per literas, ne supponeretur eis jugum legis, nec amplius observarent, nisi ut custodirent se tantum ab idolothytis, & sanguine, & fornicatione; sive, ut in nonnullis exemplaribus scriptum est,* καὶ τῶν πνικτῶν, ἢ τοῦ πνικτοῦ. Quæ annotatio ostendit istam vocem non fuisse inventam in plerisque exemplaribus quæ in Hieronymi manus venerunt, & non constanter ita lectam. Quintus est Ambrosius, aut quisquis auctor est commentariorum, qui sub ejus nomine

feruntur in epiſtolas. Sic enim loquitur in *Galat. cap.* 2. *Denique tria hæc mandata ab Apoſtolis & Senioribus data reperiuntur, quæ ignorant leges Romanæ, id eſt, ut obſervent ſe ab idololatria, & ſanguine, ſicut Noë, & fornicatione. Quæ ſophiſtæ Græcorum non intelligentes, ſcientes tamen à ſanguine abſtinendum, adulterarunt Scripturam, quartum mandatum addentes, & à ſuffocato obſervandum.* Quicquid autem afferatur ad auctoritatem hujus commentatoris deprimendam, nemini tamen ſani judicii perſuaderi poterit, eum ita auſurum loqui, ſi vox πνικτῦ aut ſuffocati, quam rejicit, vulgo lecta fuiſſet. Indeque ſaltem apparet in majore exemplarium parte deſideratam tunc fuiſſe. Sextus eſt Auguſtinus, qui in Speculo recitat primum ex *Act.* xv. verba decreti Apoſtolorum; deinde ex *cap.* xxi. ea quæ illic Jacobus repetit: *De Gentibus autem quæ crediderunt nos mandavimus, judicantes nihil hujuſmodi ſervare illos, niſi ut ſe obſervent ab idolis immolato, & à ſanguine, & à fornicatione*: omiſſa mentione *ſuffocati.* Quod ab ipſo per oblivionem non eſſe factum, apparet ex his quæ addit: *Ubi videmus Apoſtolos eis qui ex Gentibus crediderant, nulla voluiſſe onera veteris legis imponere, quantum attinet ad corporalis abſtinentiam voluptatis, niſi ut obſervarent ab his tribus, id eſt, ab eis quæ idolis immolarentur, & à ſanguine, & à ſcortatione. Unde nonnulli putant tria tantum eſſe crimina mortifera, idololatriam, homicidium, & fornicationem; ubi utique & adulterium, & omnis præter uxorem concubitus intelligitur.* Septimus eſt Pacianus Barcilonenſis Epiſcopus, (qui ſecundum Bellarminum obiit Theodoſio imperante) in Parænesi ad pœnitentiam: *Poſt Domini paſſionem Apoſtoli tractatis omnibus atque diſcuſſis, epiſtolam tradiderunt; cujus epiſtolæ hæc ſententia fuit. Apoſtoli & Presbyteri fratres, his qui ſunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus, qui ſunt ex Gentibus, ſalutem. Quoniam audivimus quoſdam ex nobis exiiſſe & conturbaſſe vos verbis.* Item infra: *Viſum enim eſt Sancto Spiritui & nobis, nullum amplius imponi vobis pondus, præterquam hæc: Neceſſe eſt ut abſtineatis vos ab idolothytis, & ſanguine, & fornicatione: à quibus obſervantes, bene agetis. Valete. Hæc eſt Novi Teſtamenti tota concluſio.* Ubi nulla mentio fit *ſuffocati.* Ultimus erit Gaudentius Epiſcopus Brixianus, Philaſtrii ſucceſſor, in tractatu de Machabæis, qui *ſuffocata* quidem memorat, ſed non ut aliquid à ſanguine diſtinctum, ſub quo illa comprehendit. *Idcirco*, inquit, *beatus Jacobus cum cæteris Apoſtolis decretum tale conſtituit in Eccleſiis obſervandum: Ut abſtineatis vos*, inquit, *ab immolatis, à fornicatione, & à ſanguine, id eſt, à ſuffocatis. Prætermiſerunt homicidium, adulterium, veneficia; quoniam nec nominari ea in Eccleſiis oporteret quæ legibus etiam Gentilium punirentur. Prætermiſerunt quoque illas omnes minutias obſervationum legalium; & ſola hæc, quæ prædiximus, cuſtodienda ſanxerunt; ne vel ſacrificatis Diabolo cibis profanemur immundis; vel ne emortuo per viſcera ſuffocatorum animalium ſanguine polluamur; vel ne immunditiis fornicationum corpora noſtra, quæ templa Dei ſunt, violemus.* Quæ omnia teſtimonia manifeſte oſtendunt particulam de *ſuffocato* non inventam fuiſſe olim in plurimis Novi Teſtamenti exemplaribus, aut in ſanguine comprehenſam; ac proinde non ſine cauſa in falſi ſuſpicionem trahi poſſe. Quibus accedit hæc magni momenti ratio, ſuffocatorum, ſeu (quod eodem redit) morticiniorum eſum, diſerte fuiſſe lege Moſaïca conceſſum peregrinis; *Quicquid morticinum eſt, ne veſcamini ex eo. Peregrino qui intra portas tuas eſt, da ut comedat, aut vende ei: quia tu populus ſanctus Domini Dei tui es, Deut.* xiv. 20. 21. Peregrino tamen illi, veſci ſanguine ſub capitis pœna prohibitum erat, *Levit.* xvii. 10. 11. 12. Non autem eſt credibile Apoſtolos, qui cætera omnia Iſraëlitis peculiaria legis Moſaïcæ onera tam ſtudioſe à Gentilibus converſis removebant, gravius ullum quam iſtud quo omnes Noachi poſteri tenebantur, imponere eis voluiſſe. Impoſuiſſent autem per ſuffocati prohibitionem, quæ ad peculiarem Iſraëlitarum diſciplinam pertinebat; quemadmodum etiam accuratus ille jugulandi pecora, & à ſanguine repurgandi, modus, de quo videre eſt, 1 *Samuel.* xiv. *verſ.* 33. 34. Adde quod non eſt difficile, ſi cura aliqua adhibeatur, ſanguinem à morticinis & ſuffocatis noſtris abluere & ſeparare. Nec aliter iis vellem hodie veſci Chriſtianos, ut oſtenderent quanti conſtitutionem Apoſtolicam faciant: quamvis non putem pietatem in ejuſmodi minutiis conſiſtere, quæ Judaiſmum ſapiunt, & ſufficere ad vitandum peccatum, ſi nullus unquam ſeparatus à carne ſanguis comedatur.

Eſt præterea in hoc loco alia diverſa lectio, ad quam attendi operæ pretium erit; nempe quod in fine *verſ.* 20. additur in quibuſdam exemplaribus, καὶ ὅσα μὴ θέλωσιν αὐτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, *& quæcunque noluerint ſibi fieri, aliis ne faciant.* Quod etiam ſub finem *verſ.* 29. repetitur paululum immutatum, καὶ ὅσα μὴ θέλετε ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, *& quæcunque nolueritis vobis ipſis fieri, aliis ne faciatis.* Deinde, ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς εὖ πράξετε φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Quæ Tertullianus ita reddidit in libro De pudicitia; *A quibus obſervando recte agetis, vectante vos Spiritu Sancto.* Si autem iſta pro genuinis recipiantur, id apertius adhuc oſtendet Apoſtolos in ſuo decreto non egiſſe de rebus indifferentibus. Tali enim loco habere nequeunt ea quæ veluti ſummam religionis Chriſtianæ continent. Non video autem cur eliminari debeant, cum nonnulli veteres Patres ea legant, & Complutenſis quoque editio, quæ ad caſtigatiſſima vetuſtiſſimaque exemplaria fuit expreſſa, primumque inter hodiernas locum merito obtinet.

CAPUT XII.

De prohibitione sanguinis.

Nihil amplius de constitutione Apostolica considerandum superest, præter sanguinis prohibitionem, de qua, cæteris breviter expeditis, fusius jam agemus. Vix opus esse existimo annotare quosdam Patres, ut Tertullianum, Cyprianum, & alios, id retulisse ad homicidium, quasi illud quoque & non tantum esus pecuini sanguinis hic vetaretur. Nam id videntur potius fecisse argumento à minori ad majus ducto: si pecoris sanguine non licet se polluere, quanto minus humano? quam quod existimarent proprie de homicidio esse accipiendum. Nam Apostoli non proposuerunt hic sibi tradere præcepta de iis vitandis à quibus natura abhorret, & quæ Gentilium legibus prohibebantur; sed solum de rebus quæ vulgo tunc obtinebant, & in quibus peccari non putassent Gentiles isti nuper conversi, nisi admoniti. Nam quemadmodum licet nossent sibi renunciandum esse omni idolorum cultui, non tamen statim capiebant vitanda esse idolothyta: ita quamvis piaculum ducerent humanum sanguinem effundere, non tamen idem judicabant de esu pecuini. Quorum ignorantiæ subvenire voluerunt Apostoli decreto suo; ubi exonerando eos à jugo circumcisionis & aliorum legalium, ista tamen retinenda censuerunt, quæ jam antiquitus à peregrinis inter Israëlitas commorantibus observabantur, tanquam Noacho & filiis ejus tradita. Hoc significavit Tertullianus, libro de Monogamia, dicens: *Et adeo in Christo omnia revocantur ad initium, ut & fides reversa sit à circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit; & libertas ciborum, & sanguinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit; & repudii cohibitio, quod ab initio non fuit: & postremo totus homo in Paradisum revocatur, ubi ab initio fuit.* Cum autem dico hic esu sanguinis interdici, id de sanguine mero, & à carne separato, intellectum volo, non de guttulis forte aliquot quæ non satis diligenter expurgatæ fuerint, & in venis remanserint. Quæ ἀκρίβεια ad legis ceremonias pertinebat, & nusquam commendata ab Apostolis legitur; ut factum fuit sub veteri fœdere. Cum in aliquot sanguinis guttulis animalium vita non contineatur, nec eam habeant ad animam seu vitam significandum analogiam, quam major aliqua copia, quo interdicti Noacho facti ratio, *Carnem in anima ejus*, id est, *sanguine ipsius non comedetis*, respiciebat. Suffecerit igitur si sanguis merus aut liquidus non absorbeatur, aut aliis eduliis admixtus non comedatur, ut in botulis, farciminibus & similibus fieri solet. Quem cum Gentiles absque scrupulo ederent, Apostoli omnia ad primam integritatem & puritatem revocantes prohibendum censuerunt.

Sed quæritur, Utrum Apostoli decretum istud, de abstinendo à sanguine, ea mente fecerint ut perpetuo usque ad mundi finem vigeret in Ecclesia Christiana; an vero potius ut obligaret solum ad tempus, donec Judæi de libertate sibi per Christi mortem parta bene edocti essent, ne Gentiles intempestivo illius usu offendiculum præberent infirmis. In quo prius affirmarunt veteres omnes Christiani, & plerique hodie; posterius vero Ecclesia Romana à quatuor aut quinque seculis, una cum Protestantibus qui ab ea defecerunt. Sed nescio quo fundamento nitatur opinio ista de præceptis quibusdam Dei perpetuis, aliis vero ad tempus tantum datis. Omnia enim Dei mandata tanquam perpetuæ durationis amplecti debemus, nisi ipse contrarium alibi nobis aperte declaraverit. Quod natura ejus docet, qui nulli mutationi est obnoxius. *Ego Dominus, & non mutor, Malach.* III. 6. Nullum etiam habemus in Scriptura decreti alicujus exemplum præsertim ita ut istud de abstinendo à sanguine, solenniter facti, ut ad breve tantum tempus durare deberet. Nam neque de lege ceremoniarum, quæ aliquando abroganda erat, dici potest eam ad breve tempus fuisse latam, cum toto tempore fœderis Dei cum populo & Republica Israëlis observanda necessario esset. Exempla quidem habemus quorundam factorum, in quibus Apostoli se Judæorum infirmitati accommodarunt; ut cum Paulus circumcidit Timotheum. Sed non fecerunt de iis leges; imo diligenter caverunt ne ejusmodi facta extraordinaria in exemplum traherentur. Dicit enim Lucas Paulum, cum voluisset Timotheum matris Judææ fidelis, patris vero Græci filium, secum proficisci ad prædicandum Euangelium, *circumcidisse eum propter Judæos qui erant in illis locis; quia omnes sciebant quod pater ejus erat gentilis, Act.* XVI. 1. 2. 3. Sic ostendens, id tantum esse factum ad vitandam Judæorum offensionem. Et ne istud traheretur in consequentiam, Titus, Pauli alius in Euangelio coadjutor, compulsus non est circumcidi, quamvis Gentilis esset, *Galat.* II. 3. Id autem longe magis necessarium erat declarare de lege aliqua, quæ sua natura est æterna, nisi Legislator expresse declaret se nolle. Cujus rei cum nullum hic Deus dederit indicium, non est cur de ea aliter quam de reliquis legibus judicemus, nimirum in sempiternum obligare. Nam res non caret periculo, definire ex privato suo sensu, mandatum aliquod esse temporaneum, si Dei præscribentis intentio fuerit ut in æternum observaretur. Vellem etiam scire ex iis qui dicunt interdictum de sanguine ad tempus tantum esse factum, quantum fuerit illud tempus, seu quamdiu Christianos eo obligatos fuisse existiment. Quod nemo, ut opinor, definire aggredietur, quin se in magnas angustias conjiciat. Nam si dicas obligavisse usque ad excidium Hierosolymorum, quo sacrificia, & totus ille ceremonialis cultus in templo exerceri

ceri solitus, per divinam potentiam fuerunt abrogata, ut Beza & aliquot alii statuere videntur; primo id non convenit cum opinione illorum qui putant probari posse ex Pauli epistolis, quas multis annis ante scripsit; jam tum liberum fuisse Christianis sanguine vesci. De quo mox nobis erit agendum. Deinde sequetur, post illud tempus potuisse absque peccato offendiculum præberi infirmis; cum tamen Christus *Væ illi homini* dicat *per quem scandalum venit*, *Matth.* XVIII. 7. Nec incommoda ista vitabis, brevius temporis spatium assumendo, sed contra augebis. Dices forte, non esse necesse ullum tempus in specie definire, quo interdictum Apostolicum vigorem suum retinuerit; tamdiu enim solum obligasse, quamdiu fuerunt infirmi, qui illius transgressione offenderentur; aliter potuisse insuper haberi. Sed si ita se res habeat, obligat adhuc hodie. Nam multi sunt nunc Christiani, qui istius mandati transgressione graviter offenduntur: non tantum omnes Græci, qui ideo ab occidentalibus abhorrent, & eos per contemptum αἱματοφάγους, id est, sanguivoros appellant: sed etiam plurimi pii & religiosi homines passim in Germania, Gallia, Anglia, & alibi; quibus æquum esset se in re adeo facili accommodare. Ne quid dicam de Judæis, in medio nostri habitantibus; quibus grave præbetur scandalum, cum vident Christianos præcepta toti humano generi in Noacho tradita pedibus quasi conculcare.

Hic autem duo excipiuntur. Primo, Occasionem quæ Apostolos movit ad prohibendum abstinentiam à sanguine, satis indicare eos non cogitasse de lege perpetua condenda; sed tantum voluisse ad infirmitatem Judæorum se accommodare, qui putabant istud esse illicitum. Cum enim dissensio exorta fuisset in Ecclesia Antiochena inter Pharisæos quosdam qui crediderant, & volebant ut Gentiles ad Christum conversi se circumciderent, legemque servarent, atque inter Paulum & Barnabam libertatis Gentilium à legis jugo strenuos assertores, consultum fuit visum mittere Paulum & Barnabam, una cum aliis, ad Apostolos & presbyteros in Jerusalem super hac quæstione: Ubi causa istorum zelotarum fuit improbata, contraque Pauli & Barnabæ à Petro asserta. In cujus sententiam omnes concessuri fuissent, nisi intervenisset Jacobus, qui pro sua sapientia suasisset ut nonnihil zelotis istis concederetur, ad pacandum eorum animos, & Gentiles conversi juberentur abstinere ab idolothytis, sanguine, &c. Eo namque spectare rationem quam allegat; *Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* Quasi diceret: Fieri aliter vix potest, quin gravissime offendantur Judæi fratres, si nulla prorsus habeatur ratio legis Mosaicæ, quæ tanta religione, & tam longa diuque insolita consuetudine ab ipsis celebratur, & in summo apud eos pretio est. Unde colligitur, decretum in Jacobi verba factum, in gratiam istorum legis zelotarum fuisse conditum, ne scilicet nimium offenderentur; ac proinde eo non tam contineri præceptum, quam consilium; quod isto tempore tanquam utilissimum, adeoque vitandæ offensioni maxime necessarium videbatur, & jure meritoque sequendum erat. Ratio est: quia fundatur non in eo quod Moses sua lege gentibus ista præcipiat, aut quod zelotæ isti recte legis Mosaicæ observationem Gentilibus conversis imponendam esse urgerent. Nihil minus: sed in eo quod Gentiles id facientes, eo ipso demonstraturi essent legem Mosaicam à se prorsus non contemni, sed eam hactenus in pretio à se haberi, quod aliquos istius legis ritus non gravarentur usurpare, ad quos observandum gentiles ab ipsis usque Noachi temporibus obligatos fuisse sibi persuasum habebant. Hoc enim sibi volunt Jacobi verba, *Moses enim legitur à temporibus antiquis*, &c. id est, Pentateuchus Mosis. Quasi diceret, nisi id faciant Gentiles qui synagogas frequentant, frustra omnino legi videretur coram iis, & sic tandem plane vilesceret Moses. In pretio autem videtur haberi Moses, quando aliqua Mosaica, seu Mosaicis ritibus similia, in pretio habentur ab iis qui natura ad legis Mosaicæ observationem non sunt obligati. Respondeo, Præcipuum hujus objectionis robur, in eo situm, quod Jacobus, & una cum eo Synodus Apostolorum, mediam teneat sententiam inter Petrum, atque adeo Paulum & Barnabam, pro quibus Petrus stabat, ac inter Pharisæos zelatores legis, à nobis supra ei fuisse ademptum, cum Jacobi suffragium obiter explicaremus. Addidit quidem aliquid sententiæ Petri, quod ad conciliandos Judæorum & Gentilium animos multum posse facere existimabat; sed non ex rerum indifferentium ordine, & solum ad vitandam offensionem observandum, qua cessante non amplius obligaret; verum quod omnino bonum & sanctum esset, etsi non adeo evidenter in honestate naturali fundatum, ut Decalogi lex. Istud tantum præcedentibus adjicio, sententiam Jacobi non posse dici mediam, inter extremas Pharisæorum & Petri Paulique; & quidem propter has tres causas: 1. Quia ne ad breve tempus concedebat istis Pharisæis, id de quo præcipue adversus Paulum & Barnabam contendebant, nempe ut Gentiles ad Christum conversi circumciderentur. 2. Quia non apparet id quod Jacobus vult observari à Gentilibus, in controversiam fuisse vocatum; ut nec vocari potuit, nisi ut consequens quoddam eorum quæ controvertebantur. Nam cum non observarent legem, neque etiam à sanguine aut idolothytis, sicut illa mandat, sibi temperabant. Sed idcirco istud vult præcipi Gentilibus, quia in

in eo graviter illos peccare animadvertebat, contra id quod Noacho & filiis ejus, unde oriundi erant, Deus olim mandavit. 3. Quia zelotæ isti non disputant de rebus opinione sua indifferentibus, sed quam maxime necessariis. Dicebant enim Gentilibus ad Christum se convertentibus, *nisi circumcidamini, non potestis salvari*, *Act.* xv. 2. Quibus directe contrarium Paulus inculcabat: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*, *Galat.* v. 2. Ideo nequaquam illis satisfactum fuisset mandato ad exiguum tempus obligante, de quibusdam indifferentibus: sed potius se irrideri ab Apostolis credidissent. Nihilominus, inquies, circumcisio res erat indifferens, etiam ipsius Pauli judicio, qui dicit, *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei*, 1. *Corinth.* VII. *v.* 19. *Galat.* v. 6. & vi. 15. Et qui Timotheum circumcidit ut vitaret scandalum Judæorum, *Act.* xvi. 3. Ita est, inquam ego, si in se consideretur, non vero cum necessitatis respectu, quam illi tribuebant Antiochenæ Ecclesiæ turbatores. Sic enim erat valde noxia. Et nemini circumcisionem ut necessariam Paulus commendavit, ne quidem ad evitandum scandalum quod ex ejus omissione capi posset. Imo postea Titus compulsus non est circumcidi, cum esset Gentilis, *Galat.* II. 3. nimirum ne id traheretur in consequentiam. De circumcisione autem & aliis ritibus legis, ita consideratis, disputabatur in conventu Hierosolymitano. Ergo non de rebus indifferentibus, sed de malis; & quæ vitandæ erant non tantum propter scandalum infirmorum, sed etiam quia erant usurpantibus noxiæ. Nec recte dicitur Gentiles per istam abstinentiam Judæis ostensuros in quanto pretio haberent Mosem; cum circumcisionem negligerent, per quam Israëlitæ à reliquis terræ populis discriminabantur. Eo quoque non respexit Jacobus, cum diceret, *Moses enim legitur à temporibus antiquis*, &c. sed, (quemadmodum antea observavi) voluit reddere rationem, cur oporteret ad eos scribere qui ex Gentilibus se ad Deum convertebant; quia nisi illud fieret & aperte declararetur ipsos non esse obligatos ad ceremonias legis observandas, putarent se illis teneri, cum interessent Synagogis Judæorum, in quibus lex Mosis, qua expresse mandantur, ex veteri consuetudine singulis Sabbatis prælegitur. Quamquam non repugno ut quis Chrysostomi aut Grotii expositiones amplectatur, quæ non minus expresse mandatum temporaneum evertunt, quam nostra. Quam periculosum autem sit mandata Dei, observatu necessaria, in consilia arbitraria convertere, intelligentes considerent.

Secundo excipiunt: necessitatem abstinendi à sanguine & idolothytis esse tantum necessitatem pro tempore. Idque inde apparere, quod idem ille Paulus, qui decretum hoc cum Juda & primariis fratribus, ad Ecclesiam Antiochenam pertulisse legitur ex mandato Synodi, *vers.* 30. atque oppidatim tradidisse servandum Ecclesiis, *Act.* XVI. 4. diserte alibi, non semel, eo obstrictos esse negat fideles Gentiles, extra casum scandali, uti apparet ex istis locis: *Esca nos non commendat Deo: neque enim si vescamur, abundantiores sumus; neque, si non vescamur, pauperiores reddimur*, 1 *Corinth.* VIII. 8. Item, *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*, &c. 1 *Corinth.* x. 25. & seqq. Item ex epistola ad *Romanos*, *cap.* XIV. ubi pluribus libertatem omni ciborum genere vescendi adstruit; quam multo post habitam hanc Synodum Hierosolymitanam scriptam esse non videtur dubitandum. Atqui certum est Paulum optime scivisse mentem Synodi; & quia eam approbaverat, decretumque ejus executioni mandaverat, nullo modo verisimile esse, eum directe contra mentem Synodi aut agere aut scribere voluisse. Necessitatem itaque istam non esse habendam pro necessitate universali & perpetua, sed pro necessitate temporaria, in metu scandali. Posito enim casu scandali, necessitas ista ex mente Apostoli, ut & omnium rerum adiaphorarum, quæ absque scandalo fieri non possunt, est universalis & perpetua. Sic enim inquit 1 *Corinth.* VIII. 13. *Quapropter si esca scandalizaverit fratrem meum, non manducabo in æternum*, *N B. ne fratrem meum scandalizem.* Ex quo sequitur, Gentiles omnes non fuisse obligatos omni tempore ad hoc præceptum; aut si obligati essent, eos non fuisse obligatos ex vi præcepti hujus, sed ex circumstantia accidentaria scandali, quæ obligat omnes Christianos ne libertate sua ad fratrum perniciem abutantur. Respondeo, 1. Nullum esse dubium quin Paulus optime Constitutionis Apostolorum mentem intellexerit, utpote qui non tantum Synodo ipsorum interfuerit, sed etiam suffragium in eo tulerit. Sed non mihi fit verisimile, ipsum statim atque promulgata fuit eam laxare voluisse, faciendo liberum id observare, aut negligere, quod ibi ut necessarium fuerat præscriptum; præsertim cum ipse & Silas, pertranseundo Ecclesias ubi antea Euangelium annunciaverant, *traderent iis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus qui erant Jerosolymis*, *Act.* XVI. *vers.* 4. & non magnum elapsum fuerit temporis spatium inter conventum Apostolorum, & scriptionem epistolarum ad Corinthios & ad Romanos, ubi putant liberum fecisse, extra scandali metum, idolothytis & sanguine vesci. Nimirum secundum eos qui longissimum faciunt, non nisi sex aut septem annorum ad summum; & secundum alios, unius aut alterius anni solum. Synodus enim Hierosolymitana, ut vult Alstedius in Chronologia sua, habita

habita fuit anno à Christo nato XLIX. & Paulus scripsit epistolam primam ad Corinthios anno L. secundam vero LV. sicut & epistolam ad Romanos. Sed secundum Lud. Capelli calculum, dicta Synodus celebrata fuit anno Christi XLV. & Paulus primam epistolam ad Corinthios scripsit Anno LI. secundam anno sequente, sicut & epistolam ad Romanos. Quare non intercessit nisi sex aut septem annorum spatium, inter promulgationem decreti, quo injuncta est Ecclesiis abstinentia à sanguine, tanquam res necessaria; & missionem illarum epistolarum in quibus Paulus existimatur ejus esum, tanquam indifferentem & licitum permittere. Quod tempus adeo fuit breve, ut interea non potuerit accidere tanta mutatio in Ecclesia, quod ad firmitatem aut infirmitatem Christianorum, in locis longe à se dissitis habitantium, ut quod Apostoli præscripserant ut necessarium, paulo post arbitrarium & indifferens evaderet. Cui adde quod interdictum edendi sanguinis, eandem quam habuerat ab initio, vim atque auctoritatem adhuc retinebat, biennio post scriptam priorem epistolam ad Corinthios, quemadmodum colligitur ex iis quæ Jacobus Paulo dicit, *De his qui crediderunt ex Gentilibus nos scripsimus, judicantes ut abstineant se ab idolis immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, Act.* XXI. 25. Quæ non commemorasset, si existimasset Christianos non amplius teneri isto interdicto, aut si jam in desuetudinem abire aliquo modo cœpisset. 2. Nullum occurrere locum in epistolis Pauli, aut alibi in Scriptura, in quo fiat mentio sanguinis, aut expresse permittatur eo vesci. Quod tamen necesse foret, ut aliquid valeret ad tam apertam & claram prohibitionem relaxandum. Scimus enim leges generales restringi per exceptiones particulares, quæ alibi fiunt, ne in tota sua latitudine, & prout verba sonant, accipiantur. Sic cum Deus dicit in Decalogo, *Non occides*: id non ita late accipi debet, quasi omnem plane hominis cædem prohibeat. Idque inde colligimus, quod Deus occidi facinorosos alibi jussisse legatur. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui percusserit patrem suum aut matrem suam, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur, Exod.* XXI. Hæc particularia mandata, una cum similibus, ostendunt interdictum generale, *Non occides*; non ita debere extendi, quasi in nullo unquam casu vitam alteri adimere liceat. Et in eo consentiunt omnes Jurisconsulti, dicentes, *Generi per speciem derogari*: Barbosa de Principiis juris. Sic, *omnis masculus potest posthumum scribere: Ergo etiam spado? negatur consequentia; quia omnis ille masculus qui liberos tollere potest, in majori intelligitur, quod hæredem habere posset.* Cum ergo Paulus dicit, *Omne quod in macello venit, manducate; nihil interrogantes propter conscientiam*, 1 *Cor.* X. 25. non ita late accipiendum est, quasi licentiam quoque sanguine vescendi indulsisset. Non poterat enim id legitime facere; quia non diu ante una cum Apostolis sanciverat ab eo abstinendum. Nec refert quod botuli aut farcimina ex sanguine prostarent venalia in macello, aut apponerentur in conviviis Ethnicorum. Permissio enim hæc generalibus terminis concepta, per specialem prohibitionem antea factam restringi debet. Quod etiam monet Clemens Alexand. Stromatum lib. IV. *Dicit enim Apostolus, omnia alia ex macello emite, nihil interrogantes; convenienter exceptioni eorum quæ ostenduntur in Catholica omnium Apostolorum epistola: quæ, quod ita visum fuit Spiritui Sancto, scripta est in Actis Apostolorum; lata autem fuit ad fideles per ipsum Paulum, qui ministrabat.* Et hæc Clementis interpretatio restrictiva, omnibus aliis locis quæ generaliter loquuntur, applicari potest & debet. Sed præterea cum iste locus, *Omne quod in macello venit, manducate*, &c. agat solum, ut inspectio ipsa docet, de idolothytis quæ in macellum deferebantur, aut in conviviis Gentilium apponebantur, male ad esum sanguinis extenditur, cujus ibi nulla prorsus fit mentio. De alio idolothytorum genere quod in idoleo comedebatur, & cum aliqua idoli reverentia, idem judicandum est quod de sanguine, nempe omnino esse illicitum.

CAPUT XIII.

Universa Ecclesia Christiana in improbando esu sanguinis consensus.

ALterum argumentum adversus esum sanguinis suppeditat nobis totius Ecclesiæ Christianæ consensus, quæ Apostolicam istam constitutionem semper habuit pro æternæ durationis præcepto, seu quod ante ultimum Christi adventum abrogari non debeat. Nam si quo in dogmate gloriari liceat de traditionis universalitate & constantia, istud est vel inter prima, sanguine non licere vesci. In citandis veterum testimoniis, non sequar scrupulose ordinem temporum, propterea quod, in nonnullis, quorum veri auctores ignorantur, illud fieri nequit. Agmen inter eos ducet Tertullianus, qui in Apologet. cap. IX. Gentiles refutaturus, Christianis infanticidia & Thyestæas cœnas objicientes, dicit: *Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quoque suffocatis & morticinis abstinemus, ne quo modo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis: certissimi scilicet illicitum esse penes illos per quod exorbitare eos vultis. Porro quale est, ut quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis? nisi forte suaviorem eum*

experti. Quibus verbis non tam quis suus particularis, quam qui communis isto ævo omnium Christianorum esset sensus graphice expressit. Et dicens, *qui propterea quoque suffocatis & morticinis abstinemus*, &c. innuere videtur Christianos sibi à morticinis & suffocatis temperavisse potius ex scrupulo, ne quis adhuc in iis sanguis superesset, quam ex interdicti Apostolici auctoritate.

Succedet Minutius Felix, in Octavio: *Nobis homicidium nec videre fas est, nec audire; tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecudum in cibis sanguinem noverimus.*

Tertium testimonium erit Biblidis fœminæ, quæ tormentis subjecta, ut confiteretur Christianos carnibus humanis vesci, generose respondit: *Quomodo infantes ederent illi, quibus ne irrationalium quidem pecudum sanguine vesci licet?* Quæ duo etiam testimonia, tanto majoris sunt ponderis, quod non contineant privatas unius aut alterius Doctoris opiniones, sed certos nos reddant quid melioribus Ecclesiæ temporibus communiter inter Christianos observatum fuerit.

Quartum suppeditabit Clemens Alexandrinus, Pædag. lib. III. cap. 3. ubi cum retulisset Scythas sanguinem equorum; & Arabes camelorum potare solitos, subjungit; *Pereant ergo immanes belluæ, quibus est cibus sanguis. Neque enim hominibus fas est tangere sanguinem, quibus corpus nihil est aliud quam caro sanguine exculta.* Cui adde aliud ejusdem Clementis, modo à nobis in capitis præcedentis fine allegatum.

Quintum erit Auctoris Quæstionum & Responsionum ad Orthodoxos, quæ vulgo Justini nomine circumferuntur, Quæst. 145. *Cum ex iisdem constet sanguis, ex quibus caro, quare Deus carnis animalium esum permittit, carnis autem in sanguine usum interdicit? Excepto, inquit, quod carnem in sanguine non comedetis.* Resp. *Ut ea quoque in re Deus nos à ferarum immanitate secerneret, quæ in laniatu carnium, sanguinem quoque eorum lambunt, quorum vorant carnes.*

Sextum dabit Origenes, lib. VIII. contra Celsum: *Suffocata sunt animalia mortua non expresso ex illis sanguine; quæ utique Dæmonum esse ajunt cibum, cujus nidore illi pascantur. Hæc idcirco vetantur in cibum assumi, ne nos Dæmonum cibis nutriamur; & nobiscum maligni spiritus coalantur, si pariter cum illis vescamur suffocatis.* Nempe quæ bene à sanguine repurgata non fuerint.

Septimum, in Canonibus Apostolorum dictis, quos hypobolimæos quidem esse constat inter eruditiores, sed tamen antiquos, sic habet Canon 63. *Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel omnino ex sacerdotali catalogo, comederit carnes in sanguine animæ ipsarum, vel quid à feris captum, vel morticinium; deponatur: hoc enim lex prohibuit. Si autem sit laicus, segregetur.*

Octavum habemus in Concilio Gangrensi, Anno Christi 325. Can. 2. *Si quis carnem edentem, absque sanguine & idolis immolato & suffocato, cum pietate & fide, condemnat, ut spem non habentem, propter hujusmodi perceptionem, anathema sit.* Ubi quidem non prohibetur esus sanguinis; sed (quod eodem propemodum redit) prohibitus esse supponitur; ita ut ille qui carnibus vescitur absque sanguine nullius peccati sit reus, propter quod jure condemnari possit.

Nonum, in Concilio 2. Aurelianensi, Anno Christi 536. Can. 20. *Catholici qui ad idolorum cultum revertuntur; vel qui cibis idolorum cultibus immolatis gustu illicitæ præsumptionis utuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi qui bestiarum morsibus extincto, vel quolibet morbo aut casu suffocato vescuntur.*

Decimum, Concilium Constantinopolitanum Ut in Trullo, Anno Christi 692. congregatum, Can. 67. *Sacra Scriptura nobis præcipit, ut abstineamus à sanguine, & suffocato, & fornicatione. Merito igitur damnamus eos qui cujuscunque animalis sanguinem arte aliqua condiunt, & sic comedunt. Qui hoc fecerit clericus deponatur, laicus excommunicetur.*

In quem Canonem Balsamon, qui vixit Anno Christi 1191. annotat: *Latini indiscriminatim suffocata comedunt, sed etiam Adrianopolitani, ut audio; animalium sanguine cum quibusdam esculentis utuntur.*

Undecimum, Cyrilli Hierosol. Catech. IV. *Scribunt Apostoli & seniores omnibus gentibus communem Catholicam epistolam, ut inprimis idolothytis abstineant, deinde & sanguine, atque suffocato. Nam hominum multi feri & immanes, moreque canino viventes, sanguinem lambunt, agrestium & ferocium belluarum instar suffocata devorant abunde. Tu autem servus Christi comedens, reverentia modestiaque adhibita comede.*

Duodecimum, Chrysostomi in Acta Apostol. Homil. XXXIII. *Quid est, Ego judico? Id est, cum potestate dico scribendum illis, ut abstineant ab immolatis idolorum, & fornicatione, & immolato, & sanguine. Hæc enim licet corporalia, tamen observatu necessaria, quoniam magna procurant mala. Et ne quis objiciat, Quare non & Judæis eadem scribimus? addit; Moses ab ætatibus antiquis per singulas civitates habet eos qui ipsum prædicant: hoc est, Moses illis continuo loquitur: hoc enim est quod per omne Sabbatum legitur.* Et paulo post: *Cæterum ostendit non esse sermonem ad gratificandum compositum, neque ad parcendum illis quasi infirmis,* NB. *sed contrarium. Magnus enim & doctorum pudor fuisset, superfluumque fuisset onus. Vide brevem epistolam nihil abundans habere, neque epicheremata, neque syllogismos, sed imperium: erat enim legislatio Spiritus.* Sic innuens se non existimasse mandatum istud spectare duntaxat res indifferentes, aut ad breve solum tempus obligavisse, sed contra, maximi esse ponderis & perpetuæ in Ecclesia auctoritatis.

Decimum tertium, in Constitut. LVIII. Imperatoris Leonis, Anno Christi 886. *Simul olim Legislatori Mosi sanguine vescendum non esse mandavit Deus: simul ab istiusmodi cibo abstineri debere à præconibus gratiæ est constitutum. Et quanquam tum veteris*

teris tum novæ gratiæ tempore illa res vilis habita sit & nefaria; eo tamen contumaciæ, imo vecordiæ, homines processere, ut neutri legi aurem præstent morigeram: at contra, alii lucri, alii gulæ causa, summa cum impudentia mandatum contemnunt, inescamque, qua vesci vetitum est, sanguinem convertunt. Perlatum enim ad aures nostras est, quod intestinis, tanquam tunicis, sanguinem infartum, velut consuetum aliquem cibum ventri præbeant. Quod tolerari non debere imperatoria nostra majestas rata, neque tam impio soli gulæ inhiantium hominum invento, nunc præcepta divina, nunc reipublicæ nostræ honestatem dedecore affici sustinens, jubet ne quis id scelus, neque ad suum usum, neque ut emptores detestando cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. Ac sciat quicunque dehinc divinum mandatum contemnere, sanguinemque in cibum convertere (sive vendat, sive emat) deprehensus fuerit, se bonorum publicationi subjiciendum, & ubi acerbum in modum flagris cæsus, ac cute tenus fœde tonsus erit, perpetuo patriæ exilio mulctandum esse. Quo quidem in judicio, neque civitatum magistratus circa criminationem dimittendos censemus; sed ut & ipsi (neque enim si convenienti alacritate magistratum gessissent id scelus commissum esset) quod negligenter socorditerque subditis præfuerint, decem librarum auri mulctam sustineant.

Sed quid plura opus est in re manifesta congerere testimonia? Ex iis quæ attuli constat nullum esse dogma de quo hodie inter Christianos disputetur, quod tam constanter & tam universaliter creditum sit, atque istud, nos ad abstinendum à sanguine etiamnum esse obligatos. Quamvis enim nunc desierit observari in Occidente, id non ita pridem fieri incepit. Nam ut testatur Alfonsus Ciaconus, in vitis Pontificum, viguit usque tempora Calisti II. circa annum Christi 1120. cum Pomeranis ad fidem conversis idem ipsum fuerit impositum. Et Beatus Renanus in *cap.* IX. Apologet. Tertulliani scribit: *Non diu est quod Christiani suffocato vescimur & morticina carne. Nam Beatus presbyter, & item Rabanus in Pœnitentiario, sed & quotquot de hac re supra 400. annos tradiderunt, certum pœnitentiæ tempus præscribunt, si quis Apostolicam hanc legem fuerit prævaricatus. Extat in Actis. Sed & cadaver animalis tangere piaculum erat.* Quod repetitur à Jacobo Pamelio in notis ad eundem Tertul. locum. Petrus Martyr in I *Samuel.* XIV. 32. *Duravit hoc institutum usque ad ætatem Irenæi, Tertulliani, Origenis. Imo, ut verum fatear, nescimus quo tempore desierit.* Martinus Delrio in *Genes.* IX. *Duravit observatio præcepti hujus temporibus Tertulliani, & Minutii, & usque ad ævum Bedæ ac Rabani, ut ex hujus Pœnitentiali patet.* Cum anno Christi 1653. prælegissem summam Diatribæ hujus de esu sanguinis, (excepta digressione de Sabbato, de qua tunc nihil adhuc commentatus eram) doctissimo viro D. Blondello, τῷ μακαρίτῃ, ille mihi his verbis respondit: Ego per omnia sententiam tuam probo. Simulque narravit se olim audivisse Genevæ, ex D. Antonio Fayo, ibidem Euangelii Ministro, & Theologiæ veterano Professore, nullum ibi adhuc solitum comedere sanguinem in botulis, cum Calvinus illuc advenit, sed morem hunc introductum postea fuisse à Gallis qui eo commigraverant. Putareque se consuetudinem illam edendi sanguinem irrepsisse paulatim in Ecclesiam Latinam, cum populi septentrionales, sanguinis esui assueti, Christianam religionem amplexi fuerunt. Imo lex Apostolica vigorem suum retinet adhuc hodie in maxima Orientis & Meridiei parte. De Græcis id notum est ex testimonio Nili, Archiepiscopi Thessalonicensis, libello de Primatu Papæ, & Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitani. De Moscovitis & Russis ex historia Sigismundi Baronis ab Herberstein. De Abyssinis, ex Damiano à Goës, de moribus Æthiopum. De Maronitis in Syria & in Ægypto habitantibus, ex Edw. Brerevood, de diversitate linguarum & religionum. Ita ut istud dogma & consuetudo de Christianorum per totum orbem consensu non immerito gloriari possit. Quod haud scio an ulli alii dogmati aut observationi conveniat. Huic sententiæ adstipulantur quoque viri omnigena eruditione illustres, Hugo Grotius in Annotat. in *Genes.* IX. & *Act.* XV. & Claudius Salmasius, libro de fœnore trapezitico. Quam etiam defendi non semel audivi à Gerardo Joan. Vossio, qui neutri doctrina inferior erat, in publicis suis lectionibus Amsteldami cum historiam Ecclesiasticam explicaret. Nec prætereundus est Christianus Becmannus, qui in Exercitationibus suis Theologicis totam XXVI. in ejus defensione impendit.

Nihilque adhuc adversus illam ex antiquitate allatum vidi, quod alicujus sit momenti, præter unum Augustini locum ex *lib.* XXXII. contra Faustum Manichæum, *cap.* XIII. quem hic totum describam, ut melius de eo judicari possit. *Et in Actibus Apostolorum hoc lego præceptum ab Apostolis, ut abstinerent Gentes tantum à fornicatione, & ab immolatis & sanguine; id est, nequaquam ederent carnem, cujus sanguis non esset effusus. Quod alii non sic intelligunt, sed à sanguine præceptum esse abstinendum, ne quis se homicidio contaminet. Hoc nunc discutere longum est, & non necessarium: quia & si hoc tunc Apostoli præceperunt, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur, elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam observatu onerosam, in qua cum Israëlitis etiam gentes, propter angularem illum lapidem duos parietes in se condentem, aliquid communiter observarent: simul & admonerent, in ipsa arca Noë, quando Deus hoc jussit, Ecclesiam omnium gentium fuisse figuratam: cujus facti Prophetia, jam gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri. Transacto vero illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex cir-*

cumci-

circumcisione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant: & ubi Ecclesia Gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israëlita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu à cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, à cæteris irridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa sententia veritatis, Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit; nullam cibi naturam, quam societas admittit humana, sed quæ iniquitas committit, peccata condemnans. Sed hic distinguendum est inter id quod Augustinus ex sua mente dicit, & id quod tanquam historicus de praxi Ecclesiæ sui temporis refert. Nam quod existimavit interdictum sanguinis obligasse tantum ad tempus, non debet majoris ponderis apud nos esse; quam tot aliorum qui contrariæ opinioni adhærent consensus: Imo, si liberum sibi esse credidit, viam à majoribus tritam deserere, multo minus nos eum exorbitantem sequi tenemur. Quod vero memorat paucos tunc temporis Christianos abstinuisse à suffocato, id mihi non adversatur, qui istam abstinentiam non puto ab Apostolis præscriptam fuisse; sed sufficere ad eorum constitutioni parendum, si è carnibus quibus vescimur sanguis quantum fieri potest exprimatur, etiamsi in occidendo non fuerit separatus. Sed non dicit ullum Christianum merum sanguinem edisse aut potasse: quod ostendit interdictum Apostolicum vigorem suum adhuc ista in parte retinuisse. Nec testatus est de omnibus ubique gentibus Christianis; quod non poterat absque evidenti mendacio facere; sed tantum de suis Africanis, & forte de non adeo multis. Cui enim non familiare est istud schema, ut ad omnes provocet, statim atque sibi de aliquo numero conscius est? Quod vero illi irriderentur qui religioni ducebant suffocata comedere, non arguit ipsorum errorem, sed potius profanitatem aliorum, quibus susque deque est mandata Dei observare; ut hodie usu venire videmus. Sic irridentur qui Baptismum fieri cuperent, non per aspersionem, sed, ut in veteri Ecclesia solebat, per totius corporis immersionem in aquam. Et quia istud irridetur à parum religiosis, alii observare aut probare erubescunt.

CAPUT XIV.

Responsio ad loca Scripturæ S. quibus licitum esse sanguinis esum confirmatur.

SEd forsitan hæc opinio de licito esu sanguinis fundata est in Scripturis. Audiamus ergo quid inde ad eam fulciendam afferatur.

Primum est, quod Dominus Jesus adversus Pharisæos disputans, dicebat; *Non quod intrat in os coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, Matth.* XV. 11. Sed hæc Christi verba non sunt accipienda prorsus universaliter, quasi illis sanguinis & ciborum omnium lege prohibitorum esum discipulis suis jam tunc permitteret. Nihil minus. Oportet ea ad subjectam materiam restringere. Scribæ & Pharisæi reprehendebant Christi discipulos, quod *non lavarent manus suas, cum panem manducabant:* nimirum ea cum cura quam illi adhibebant secundum majorum traditionem: quasi in eo consisteret eximia aliqua sanctitas. Non enim agitur hic de munditie civili, sed de ea quæ ad religionem pertinere putabatur. Cum ergo Jesus dixit, *Non quod intrat in os coinquinat hominem*, &c. non respexit ad cibos quos lex declarat esse mundos aut immundos, nec sibi propositum habuit docere cibos quos lex pro immundis ducit, non amplius pro immundis habendos, seu omnia ciborum genera jam esse munda. Sed voluit solum ostendere hominem non coinquinari, etiamsi illotis manibus, id est, non ita curiose lotis, ut à Pharisæis fiebat, manducaret cibum. Et sane, si quis, occasione ex hoc Christi responso sumpta, licentiam porcina vescendi tunc arripuisset, merito pro legis transgressore fuisset habitus; non quod ea natura sua esset immunda, sed propter rebellionem adversus Dei mandatum. Nondum enim tempus abrogandæ legis rituum advenerat, quod incepit tantum post exaltationem Christi ad dextram Dei, & inde missum Spiritum Sanctum. Quanquam non negem, Christum ita generatim loquendo innuisse, tempus istud esse præ foribus, cum ubique gentium, abrogato ciborum discrimine, Deo serviendum esset in spiritu & veritate.

Secundus locus est, *Scio & confido in Domino Jesu, quia nihil commune per seipsum; nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est*, &c. *Non est regnum Dei esca & potus; sed justitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto, Rom.* XIV. 14. 17. Sed hic etiam restrictio aliqua adhibenda est in verbis Apostoli, ut dicatur nihil per se commune esse seu pollutum, nisi id quod Deus prohibuit. Tunc enim id usurpare non possumus, quin polluamur. Id res ipsa docet, ut pluribus confirmare velle, sit operam ludere. Nam *quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere, 1 Samuel.* XV. 23. Sequentia etiam verba, *Non est regnum Dei esca & potus*, &c. non ita universaliter sunt accipienda; quasi nullam exceptionem admittant: alioquin sequeretur illum Dei regno nihil indignum committere, qui cibo & potu se ingurgitaret. Eodem quippe jure concludi posset, sicuti revera hodie à nonnullis concluditur, non esse necessarium ut Cœna Dominica, quæ in manducatione panis & potu vini consistit, in Ecclesia Christi celebretur. Si dicas nos peculiari Christi mandato ad eam obligatos esse, per quod generali isti Apostoli enunciationi derogatur; Ego decretum Apostolorum urgebo, quod non minus ei; quam

quam præceptum de Eucharistia celebranda, derogat. Paulus ergo non ita loquutus est absolute, sed per comparationem, veluti cum Deus dicit, *Misericordiam volo & non sacrificium*: id est, Malo misericordiam, quam sacrificium. Et revera Deus olim volebat ut Israëlitæ, & qui inter illos Nazaræatus votum fecerant, à quibusdam potuum & ciborum generibus abstinerent: non quod in eo sanctitas proprie consisteret, præsertim si absque fide & morum sanctimonia observarentur; sed quia illorum obedientiam in ejusmodi corporalibus exercitiis explorare ipsi placuerat. Quare regnum Dei in obedientia quam Deo exhibemus positum est, non vero in abstinentia ab hoc aut illo cibo & potu, quem ipse non præceperit, sed homines sibi sponte imposuerint. Præterea notandum est Paulum in loco allegato reprehendere eos qui cum fratrum infirmorum scandalo vescebantur cibis, per se quidem licitis, sed quos nonnulli illicitos credebant, quia lex olim illos prohibuerat, ideoque sic faciendo libertate sua ad aliorum perniciem abutebantur. Quod non solum plane diversum est ab eo, de quo nunc disputamus, sed etiam facit contra illos qui sanguine vescuntur. Posito enim istud esse indifferens, tamen quia multi sunt inter Christianos, qui inde, tanquam mandati Apostolici aperto vilipendio, offenduntur, deberent potius, qui pietatis sunt studiosi, ab isto esu abstinere, ne contrairent Apostoli mandato, quod immediate antecedit: *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas*: (nempe, si illo vescaris.) *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum vestrum. Non est enim regnum Dei esca & potus*, &c. Saltem qui ab esu sanguinis abstinent, nemini offendiculo esse possunt, nisi forte improbo, cum is non sit præceptus, sed tantum ad tempus saltem prohibitus. Sed qui edunt, non levem habent causam timendi ne infirmos, qui credunt esse illicitum, libertate sua offendant. Quanquam igitur regnum Dei, seu religio Christiana, non consistat in cibo & potu,, aliisque ejusmodi exercitiis corporalibus abstinentiæ ab his aut ab illis, qualia olim locum habebant in lege Judaïca, quæ maximam partem in illis consistebat, tamen pauca illa quæ à Christo & ejus Apostolis nobis sunt præscripta, reverenter debemus suscipere, nec existimare in arbitrio nostro relictum esse quasi consilia humana, nos ab iis observandis eximere. Quod ex Domini Jesu exemplo discimus, qui cum Joannis baptismo minime indigeret, voluit eum quasi justitiæ opus suscipere, dicens, *Sic nos decet implere omnem justitiam*, *Matth.* III. 15. Sic Tertullianus de Pœnitentia cap. 4. *Nos pro nostris angustiis unum inculcamus, bonum atque optimum esse quod Deus præcipit. Audaciam existimo de bono divini præcepti disputare: neque enim quia noxium est auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis, prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis.*

Tertius est: *Esca nos non commendat Deo: neque enim si vescamur, abundantiores; neque si non vescamur, pauperiores reddimur*, I *Corinth.* VIII. 8. Eadem est illius ratio quæ præcedentis. Hoc vel illo cibi aut potus genere vesci, quam alio, exiguarum est virium ad nos Deo acceptiores reddendos. Nam si aliquando prosit, id non fit propter cibi aut potus naturam, sed duntaxat propter obedientiam aut contumaciam eorum usui adjunctam. Qui enim ab idolothytis & sanguine abstinent, non existimant esse ullum cibi genus quod ipsos Deo acceptos reddat: sed solummodo verentur ne istorum prohibitorum usurpatione illum offendant. Si quis illis sibi vescendum putaret ad specimen aliquod exferendum libertatis quam in Christo habet, iste locus eum redargueret, in quo Paulus illorum objectioni occurrit, qui sub prætextu scientiæ suæ, quod idolum nihil esset, conviviis Gentilium idololatricis interesse non dubitabant, ut supra jam monui. Ergo iste locus magis favet iis qui putant à sanguine abstinendum, quam qui licitum ejus esum esse contendunt. Nam etiamsi quam maxime licitus esset, non tamen obligarentur ad edendum, *cum esca nos non commendet Deo*: certum autem sit posse graviter in ejus esu peccari, si cum infirmorum scandalo fiat.

Quartus est: *Omne quod in macello venit manducate: nihil interrogantes propter conscientiam*, &c. I *Corinth* X. 25. *& seqq.* Ad quem ut respondeam, suppono Paulum eodem tempore commendavisse Ecclesiis observationem decreti Apostolici, & hanc epistolam scripsisse; ut facere potuit, si secundum Alstedii calculum eam scripsit altero anno post Concilium Hierosolymitanum: vel saltem, exiguum admodum temporis spatium inter utrumque, nempe Concilium & hujus epistolæ scriptionem, intercessisse. In hoc casu quid magis convenit facere, aut interpretari particulare decretum Apostolorum, quo sanguine & idolothytis interdicunt, secundum istud pronunciatum generale, *Omne quod in macello venit, manducate*, &c. an vero hoc pronunciatum, secundum illud decretum restringere? Nonne ratio docet generalia potius ex particularibus exponenda, quam omnem particularibus obligandi vim adimendam? Nam aliquando oportet alterutrum necessario facere; id est, aut fateri generale mandatum nullam obligandi vim habere, aut secundum particularis alterius restrictionem id exponere. Supponamus ex. gr. Magistratum edixisse omnibus civibus, ne cum armis noctu è domibus suis exeant; & simul aliud esse edictum, quo omnes ii qui munere aliquo publico funguntur, cum armis ad curiam venire debeant, quacunque hora classicum cani audierint; nonne ex hoc particulari mandato, debet illud generale restringi & explicari? & nisi id fiat, annon erit ridiculum & nullius plane usus? Cum ergo Apostolus dicit: *Omne quod in macello venit, manducate*, &c. res ipsa indicat ita accipiendum esse, nisi aliquod sit speciale interdictum,

dictum, quo id prohibeatur. Tale autem fecerant paulo ante Apostoli, quorum decretis Paulus derogare nec volebat, nec poterat. Nam ut certi essemus in conscientia licitum nobis esse sanguine vesci, oporteret nos habere relaxationem particularem ab illo interdicto; quæ quamdiu non ostenditur, sicut in æternum ostendi non poterit, tamdiu ejus vis & obligatio durare censenda est.

Quintus est: *Nemo igitur vos judicet in cibo & in potu*, &c. *ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis*, &c. *Coloss.* II. 16. *& seqq.* Resp. Hic nulla fit mentio sanguinis, nec prohibetur ut quis illum judicet peccare quem sanguinem edentem conspexerit contra disertam Concilii Hierosolymitani prohibitionem. Et Apostolus ita generaliter loquitur, ut nisi ejus verba limitentur, inde multa absurda elici possint: nam cum variis modis peccetur circa cibum & potum, non vetat quominus eos qui prave se gerunt judicemus, seu peccati redarguamus. Certe dubium non est, quin ille esset damnabilis, & dignus à quo omnes abhorrerent, qui vellet carne humana vesci, ut feri Cannibales faciunt. Nec excipere ausim casum necessitatis & urgentis famis; existimans longe satius esse fame perire, quam tam barbara ratione vitam ad aliquod breve tempus sustentare: quamvis illos qui hac in parte peccassent, durius esse censeam capite plectere, uti inter Reformatos patrum nostrorum tempore, in Sancerræ obsidione factum fuisse memoriæ proditum est. *Ad illam etiam miseriam accessit, quod pater & mater, vetulæ cujusdam, vel potius dirissimæ famis consilio, mortuæ fame filiolæ caput, jecur, ilia jam devorarant, & cætera devorassent, nisi feralis illa in mensa intercepti, & ad Magistratum deducti, illius decreto, horrendas dapes suorum capitum pœna expiassent. Id trigesimo primo Julii accidit anni* 1573. Hæc Serrarius IV. parte commentariorum de statu Reipub. & Religionis in Gallia sub Carolo IX. Imo ejusmodi homines in execratione fuerunt apud Ethnicos, ut docet memorabilis historia Amilcaris, qui elephantibus suis conculcandos dedit eos qui fame pressi in Sicilia comederant eos qui in prælio cecidissent, deinde captivos & servos, postremo sese invicem, quasi nefas esset eos amplius hominibus permisceri; Et Annibalis ipsius filii, qui consilium sibi in Italiam proficiscenti datum repudiavit, ut exercitum carnibus humanis edendis assuefaceret, ut hac ratione nunquam commeatu indigerent: Porphyrius de abstinentia ab esu animalium, lib. 2. n. 57. Dices Paulum agere de cibo & potu quem lex Mosaïca prohibebat, & nolle ut quisquam ea de causa Christianos damnet, si contingeret ut sanguinem ederent; carnes autem humanas nemini unquam concessas fuisse in alimentum. Ita est. Discrimen ciborum quod lex introduxerat, sublatum est sub Novo Fœdere, nisi aliquid constitutione peculiari exceptum sit, ut factum est ab Apostolis de sanguine. Cujus rei causam habuerunt istam, quod interdictum vescendi sanguine antiquius lege esset, utpote jam factum Noacho & filiis ejus. Nunc ergo eadem fruimur libertate omnibus indiscriminatim vescendi, quam Noë & ejus posteri post diluvium habuerunt. Sed sicut non licuisset eis comedere carnem humanam, quia non erat comprehensa inter species animalium quas Deus eis dederat ad vescendum; ita neque sanguinem, quem Deus diserte exceperat. Istud autem interdictum renovarunt Apostoli, nec majorem concesserunt libertatem Gentilibus ad Christum conversis, quam habuerunt Noächidæ. Imo ut antecedentia suadent, *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam*, &c. verisimile est Apostolum respexisse potius ad dogmata Pythagoræorum, qui usum carnium in universum damnabant, quam ad solam legem Mosis; qua tantum aliquæ animalium species prohibebantur: ita ut libertatem non indulgeat vescendi sanguine, cujus nullam plane mentionem fecit; non magis quam carne humana, à qua semper paulo humaniores abhorruerant. Mirorque quid nonnullos adeo transversos egerit, ut maluerint concedere liberum carnis humanæ esum, quam fateri loca ubi Apostoli permittunt omnibus vesci, limitationem aliquam postulare.

Sextum est: *Omnia munda mundis*, *Tit.* I. 15. Sed ne quidem constat istud de cibis particulariter esse intelligendum, qui non nominantur. Nam etiam ad alias hominum actiones referri potest. Et hæc adeo sunt generalia, ut nisi prudenter ex Apostoli mente limitentur, inde colligi queat id quod aliqui fanatici fecerunt, etiam furta, adulteria, homicidia esse Christianis licita, nihilque pro peccato habendum, nisi quod repugnante conscientia committitur. Fac tamen ad cibos oportere referri; non debet absque limitatione. Adamus & Eva erant mundi, antequam mandata Dei transgressi essent; nec tamen iis mundum fuit edere ex arbore scientiæ boni & mali; quia Deus prohibitione sua immundam illam ipsis reddiderat. Ineptum ergo est istud afferre ad probandum esum sanguinis nobis esse mundum, à quo Apostoli nos abstinere jusserunt.

Septimus & ultimus est, *Doctrinam esse Dæmoniorum, jubere à quibusdam cibis abstinere*, 1 *Tim.* IV. 1. Sed etiam hinc sequetur, nisi restrictio aliqua commoda fiat, Apostolos qui interdixerunt sanguine, Dæmoniorum doctrinam proposuisse, si non in perpetuum, saltem ad tempus quo ipsorum constitutio viguit. Id vero quis pius absque horrore audiat? Paulus videtur ad illos hæreticos respexisse, qui existimabant cibos aliquos natura esse malos, à quibus vescentes inquinarentur. Quod nihil facit adversus eos qui sanguinem nulla alia de causa pro immundo habent, quam quia sciunt nunquam hominibus in escam fuisse datum, non magis quam carnem humanam. Sicut ergo male diceretur de iis qui prohibent carnibus humanis vesci, illos doctrinam Dæmoniorum afferre, ita de illis quoque qui reverentia interdicti

Apostoli ducti, quod non vident esse abrogatum, aut obligare desiisse, cupiunt omnes à sanguine, tanquam à nefariis epulis, ubi anima ipsa comeditur, sibi temperare.

Non puto opus esse aliquid adhuc respondere ad argumentum quod petitur à visione cælesti quam Petrus habuit antequam ad Cornelium accederet, *vasis cujusdam veluti lintei magni, quatuor initiis de cælo in terram submissi, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ & volatilia cæli*; cum voce ad eum, *Surge Petre, occide & manduca.* Et respondentis objectioni, *Absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune & immundum*: his verbis, *Quod Deus purificavit, tu commune non dixeris*, *Act.* x. Nam 1. apparet ex historia totius capitis, per animalia immunda significatos fuisse gentiles incircumcisos, qualis erat Cornelius cum suis, non bruta. 2. Etiamsi id extendatur usque ad bruta, non tamen ita accipiendum, quasi quoque sanguinem in alimentum usurpare liceret, qui nunquam Noë posteris permissus fuit. Nam ex nuda visione, quæ nullam habet sibi additam applicationem, majorem libertatem colligere velle, quam fineret interdictum illud antiquum, ad totum humanum genus pertinens, valde absurdum foret.

Sic ergo liquet omnia hæc loca, & si quæ alia sunt ejusmodi, quæ tantum in genere concedunt libertatem omnibus vescendi, nihil facere adversus particulare & expressum sanguinis interdictum; sed contra, secundum illud, ut solent generales leges per particulares, limitari & restringi debere.

CAPUT XV.

Respondetur ad alias objectiones pro esu sanguinis, & finis huic Diatribæ imponitur.

AFferuntur etiam quædam rationes ad ostendendum licere nobis hodie sanguine vesci, & quidem nominatim duæ: Prima est, quia prohibitio sanguinis est pars legis ceremonialis, ad cujus observationem Apostoli decreto suo docuerunt nos obligatos non esse. Cessante igitur hujus legis vi, posse nos si libeat sanguine, quemadmodum omnibus aliis ciborum generibus quæ prohibebat, absque conscientiæ scrupulo vesci. Ad quam respondeo: Quandoquidem Apostoli in illo ipso loco, in quo nos Mosaicæ legis jugo premi nolunt, expresse dicunt se fidelibus nihil ultra imponere velle oneris, quam quædam necessaria, inter quæ recensent abstinentiam à sanguine, satis apparere nos nequaquam esse solutos a lege quæ prohibet sanguinem; imo contra novam ei obligandi vim ex præcepto Apostolico accessisse. Non opus est ergo scrupulose disputare, utrum hæc lex sit moralis, an vero positiva & ceremonialis: quanquam rationes supra attuli, quibus satis evidenter probatur eam, si in moralium ordine non sit reponenda, saltem esse ex illis positivis, quæ magnam cum naturalibus affinitatem habent, & rationibus moralibus nituntur. Hoc enim concesso, ut perpetuo ad ejus observationem devincti simus, sufficit quod in mundi reformatione per Apostolos facta, iterum sit Ecclesiæ Christi, quæ ex gentibus coalescebat, custodienda tradita.

Secunda est, Abstinentia ab esu sanguinis est contraria libertati Christianæ, & jugum est conscientiarum sive onus: Ergo Apostolorum, qui nobis commendarunt ut istam libertatem diligenter retineremus, & declararunt se nolle ullo onere seu jugo difficili gravare fideles, mens non fuit nos ad eam in perpetuum obligare. Respondeo, Mirum mihi videri, quod abstinentia tam facilis vocetur jugum & onus, præsertim in tanta copia omnis generis ciborum, quos Deus ex mera sua liberalitate ad vescendum indulsit. Quasi vero deceat Christianos adeo gulæ esse deditos, ut nisi omnia quæ nancisci possunt absorbere liceat conquerendi materiam habeant. Si quis diceret, præstare in gravi fame sanguine vesci, quam finere se ab ea enecari, dispiciendum esset an prohibitio Apostolica eò usque nos obligaret. Et putarem idem de sanguine judicari posse, atque David & Achimelech fecerunt olim de panibus propositionis, nempe in tali casu mandatum Dei non obligare. Quanquam nescio an Judæi tantam sibi licentiam sumpturi essent, ut urgente fame cibis lege prohibitis vescerentur. Sed vocare ejusmodi abstinentiam jugum, cum nulla necessitas urget, mihi perabsurdum videtur. Tantum enim abest ut isto loco debeat haberi, ut contra Deus optime nobis consuluerit, cum vesci sanguine prohibuit, qui valetudini tum animæ, tum corporis, valde contrarius est; adeo ut quicumque istud norunt, ab eo sponte abstinere debeant, etiamsi nulla lege vetaretur. De valetudine animæ id probatur: quia omnia animantia, quibus vescimur, stupida sunt, & gulæ, libidini, iræ, aliisque id genus vitiis obnoxia. In sanguine autem uniuscujusque peculiaris indoles est ingressa, ut Medicorum filii docent. Vide inter alios Sennertum, in Institut. Unde sequitur ut qui eum in cibum usurpant, mores istis animantibus similes paulatim & insensibiliter induant. Cujus rei memorabile refert exemplum Simon Goulartius, in Admirandis suis historiis, tomo 1. Puella quædam Silesia laborabat epilepsia. Vicinus suadet ut calidum felis sanguinem bibat. Sic ab isto gravi morbo sanatum iri. Obtemperat isti consilio. Quid inde accidit? Non liberatur morbo corporis; sed alium insuper contrahit in animo. Assumit ingenium felis, imitatur ejus vocem & gesticulationes, observat mures iisque insidiatur. Si non appareat tam prompta & sensibilis mutatio in omnibus qui sanguine delectantur, non dubium est tamen quin talis cibus sensim animum afficiat, & aliquid pecuinum illi imprimat. Converti enim nequit in corporis nutriti substantiam quin ipsum

ipsum sibi quodammodo assimilet. Nam hæc est omnis patientis natura, ut patiendo reagat in agens, quemadmodum accidit cum manus meæ calore alteram frigidam calefacere volo, ut ea frigore suo meæ calorem imminuat. De corporis valetudine non minus evidens est sanguinis esum illi nocere. Nam si Medicis credimus, omnis sanguis pravum suppeditat alimentum; difficilis est concoctu, ideoque obstructiones parit, quæ maximæ partis morborum, quibus laboramus, sunt causæ. Unde Galenus suadet eum vitandum in cibo. Speciatim de sanguine taurino seu bubulo perhibent, eum si calidus aliqua copia potetur esse mortiferum. Dioscorides lib. VI. ubi agit de venenis, cap. 25. de eo scribit: *Tauri recens jugulati sanguis epotus, spirandi difficultatem strangulatumque concitat*, &c. Et Plinius lib. XI. cap. 38. *Taurorum* (sanguis) *celerrime coit atque durescit, ideo pestifer, potu maxime.* Cujus rei exempla aliquot nobis suppeditant historiæ. Psammenitus Ægypti rex, captus à Cambyse, epoto tauri sanguine confestim obiit: Herodot. lib. 3. cap. 15. De Themistocle Atheniensi scribit Plutarchus, in ejus vita, ipsum, ut celebris erat fama, sacris operatum, hausto sanguine taurino vitam cum morte commutavisse. Non pari quidem tam perniciosos effectus, si coctus comedatur: verumtamen quod venenatæ est naturæ nunquam potest sine aliqua noxa assumi. Quare illi qui conqueruntur libertatem suam circumscribi per interdictum edendi sanguinem, idem facere mihi videntur, ac si quis gravate ferret se ab esu bufonum & colubrorum arceri: quos tamen memini me olim vidisse avide & absque ullo (quod appareret) damno valetudinis comedi. Et forte hæc insalubritas est causa, cur Deus hominum valetudini cavere volens omnem eis sanguinis esum prohibuerit. Sicut nonnulli existimant ipsum, ideo quia sues lepræ sunt obnoxii, noluisse Israëlitas suillam carnem attingere, ne qua fœdæ istius labis semina contraherent, præcipue cum terra Canaan, quam ipsis in hæreditatem, dabat, isti morbo, magis quam cæteræ terræ plagæ obnoxia fuisse perhibeatur. Ita ut Deus prohibendo nobis sanguinem, se non minus patrem benignum, cui valetudo filiorum est curæ, quam supremum dominum, jus habentem statuendi quod lubet de suis, exhibuerit. Cui mandato cum parere facillimum sit, videndum est ne petulanti ejus violatione, non solum animæ & corporis valetudinem lædamus, sed etiam Dei iram, quæ omnes contumaces manet, in nos accersamus. Ideo cuperem ut omnes Christiani non minus faciles præberent aures fratribus suadentibus, ut huic divino mandato pareant, quam fecit Naaman Syrus servis dicentibus ut, secundum Elisæi jussum, septies se in Jordane ablueret: *Pater si rem grandem tibi dixisset Propheta, certo facere debueras, quanto magis hanc quam dixit tibi*, &c. 2. Reg. v. Quod si tamen sint qui aliter sentiant, ego eos damnare nolo: Domino enim suo stant aut cadunt; cui omnes actionum nostrarum rationem aliquando reddere oportet. Moneo tantum ut in veritatem diligenter inquirant, & ne præjudiciis suis excæcari se patiantur, quo minus eam offensam animadvertant; cogitentque an æque clarum sit nos constitutione Apostolica non teneri hodie, atque clarum est veteres, quibus tam solenniter tradita fuit, eam observare religiose debuisse. Nam si minus constat nobis de abrogatione, quam veteribus de obligatione, periculo non vacat in illam potius quam in hanc partem inclinare, cum edendo sanguinem peccari possit, abstinendo vero minime. Sapientis autem est, tutiori semper parti adhærere, & nihil unquam facere de quo merito dubitari queat an sit licitum, necne: secundum illud Paulinum: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, Rom. XIV. 23. Cum non constet quomodo sanguine, toties & tam diserte prohibito, vesci aliquis cum vera fide possit. Faxit Deus ut voluntatem suam non tantum in hoc capite, sed etiam in aliis, quæ majoris sunt momenti, noverimus, & cognitæ constanter obtemperemus. Amen.

STEPHANI CURCELLÆI

SYNOPSIS ETHICES.

Caput I.

De Natura Ethices.

I. Ethices Synopsin traditu-ro, visum est à naturæ illius explicatione ordiri. Dicta est ἀπὸ τῶν ἠθῶν, id est, à moribus. Mores vero sunt vivendi ratio consuetudine firmata. Quod ad rem ipsam attinet, *Ethice est scientia morum, quibus hominem ad beatitudinem contendere oportet*.

II. Genus in hac definitione est *scientia*, voce scientiæ pro certa alicujus rei cognitione accepta. Non repugno tamen ut dicatur vel *sapientia* vel *prudentia*, modo hæc vocabula non restringantur more Aristotelico, sed usurpentur generaliter pro actionum moralium scientia seu cognitione. Vocari etiam potest *doctrina*, quatenus à præceptore docetur: *disciplina* vero quatenus à discipulo discitur: Nec male appellatur *ars*, quatenus constat compage certorum præceptorum usu probatorum, ad finem aliquem in vita: prout artem ex Stoicorum mente definit Lucianus.

III. Differentia definitionis petita est ab Ethices subjecto, & quidem tam tractationis quam informationis. Subjectum tractationis in hac scientia sunt *mores*, & *beatitudo* hominis. *Beatitudo* quidem, quatenus omnium actionum humanarum ea est finis ac meta. *Mores* vero, quatenus sunt media quibus ad beatitudinem pervenitur, aut infortunium vitatur. Et cum sub morum generali appellatione & virtutes & vitia comprehendantur, de illis per se in Ethicis agitur, utpote quæ sunt via ad beatitudinem recta ducens: de his autem per accidens, tanquam de impedimentis in illa via occurrentibus.

IV. Subjectum informationis est homo, quatenus bonis moribus est imbuendus, atque à pravis abducendus, sicque beatus reddendus. Cum autem homo constet corpore & anima, & in anima sint primum intellectus, voluntas & memoria, deinde sensus, affectus & locomotiva; circa hæc omnia occupatur Ethice, quanquam diversimode. Anima enim est quæ præceptis Ethicis imbuitur, non corpus; intellectus illa percipit, voluntas approbat, memoria retinet, locomotiva una cum corpore exsequitur. Sensus autem, affectus & locomotiva his præceptis regenda sunt, ne rationi obluctentur.

V. Hic quæritur, An juvenis sit idoneus Ethices auditor? Resp. Aristoteles distinguit inter νέον τὴν ἡλικίαν, juvenem ætate, & νέον τὸ ἦθος, juvenem moribus; & hunc non esse aptum ad Ethicen audiendam contendit, illum vero quandoque admittit. Sed nos dicimus, pueros statim atque rationis sunt compotes in Ethicis esse instituendos. In tenera enim illa ætate ingenia sunt maxime flexilia, & quæ tunc didicerunt toto vitæ suæ tempore retinere solent: secundum illud Poëtæ:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Ideoque in Sacris literis præcipitur parentibus, ut liberos suos statim ab infantia legem Dei doceant. *Erunt*, inquit Deus per Mosem, *verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis*, &c. *Deut.* VI. 6. Item Propheta Regius; *In quo corriget adolescens viam suam? In custodiendo sermones tuos*, *Psal.* CXIX. 9. Vide etiam, *Genes.* XVIII. 19. & *Exod.* XII. 26.

VI. Triplex autem est modus docendi Ethicen: Primus *gnomologicus*, seu per breves sententias, quibus indicatur quid agendum & quid vitandum sit: qualem secutus est Solomon in suis Proverbiis, Syracides in Ecclesiastico, Isocrates ad Demonicum, Agapetus & Nilus in suis paræneticis, aliique. Secundus *paradigmaticus* per exempla & apologos, quibus virtutis pulchritudo & vitii deformitas depingitur & velut ob oculos ponitur: qualem observavit Æsopus in Fabulis, Valerius Maximus in suis Dictorum & factorum memorabilium collectaneis, Plutarchus in Apophthegmatibus. Tertius *apodicticus*, cum accurate virtutum & vitiorum natura per definitiones, divisiones, causas, effectus, & adjuncta explicatur: qualem videmus in Ethicis Aristotelis ad Nicomachum, apud Ciceronem & Ambrosium in libris Officiorum, in multis aliis tam Christianorum quam Ethnicorum opusculis moralibus. Priores duo modi in puerorum institutione usurpari debent, utpote eorum captui accommodatiores: Et statim atque capere possunt, infigenda sunt ipsorum intellectui & memoriæ, Decalogus, oratio Dominica, Symbolum Apostolicum, insigniores historiæ Biblicæ, & breves à Novo Testamento excerptæ gnomæ. Postremus

mus vero adultioribus tantum instituendis convenit: Eumque nos in ista Synopsi, quantum brevitas ejus patietur, observare proposuimus.

VII. Ethicæ duo sunt partes primariæ. Prima de virtutibus, quæ sunt media ad beatitudinem ducentia: Secunda de beatitudine, quæ est virtutis finis & præmium. Illa non incommode una voce ἀρετολογία, hæc vero εὐδαιμονολογία appellari potest. Alii eam aliter dividunt. Sed nobis hæc partitio maxime arridet: 1. Quia neque latior neque angustior est suo diviso, sed ei adæquata. Omnia enim quæ in Ethica tractari debent ad harum partium alterutram revocari possunt, nihilque sub iis comprehenditur quod non sit Ethicæ considerationis. 2. Quia membra illius inter se dissentiunt & cum toto consentiunt; seu, neutrum sub altero, utrumque vero sub toto continetur. Non multum autem refert, quænam harum partium præcedat, quæ sequatur. Utraque enim sententia pari fere rationum pondere niti videtur. Qui præponunt beatitudinem virtuti, moventur hoc argumento, quod beatitudo est virtutis finis: Finis autem primus est in operantis intentione. Qui postponunt, id faciunt quia finis est ultimus in exsecutione, id est, non obtinetur nisi postquam media fuerunt usurpata. Idque fortasse movit Aristotelem, ut de beatitudine in principio & in fine suorum Ethicorum ageret. Nobis posterior sententia magis allubescit, quia hic est ordo naturæ, ut media prius usurpentur, quam finis, qui illorum præmium est, obtineatur.

VIII. Sunt præterea qui Ethicen in duas species dividunt, quarum una sit Philosophica, altera vero Theologica. Et in illa agendum putant de virtutibus lumine naturæ notis, quas ad vitæ præsentis beatitudinem comparandam sufficere credunt: in hac vero de perfectioribus illis virtutibus fide, spe & charitate Christiana, quæ ad cœlestem felicitatem ducunt. Sed male. Non tantum quia fieri non debet per plura quod æque commode potest fieri per pauciora: sed etiam, idque præcipue, Quia nemo terrestrem seu hujus vitæ beatitudinem adipisci potest, qui negligit cœlestem; & qui ad cœlestem toto corde adspirat, terrestrem etiam, quatenus ei expedit, consequitur: secundum illud Christi, *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia* (nempe quæ ad præsentem vitam sunt necessaria) *adjicientur vobis*, *Matth.* VI. 33. Et Pauli, *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ*, 1 *Tim.* IV. 8. Ideoque nos utramque hic compingemus in unius scientiæ corpus, colligentes tam è Sacris quam è profanis auctoribus, quæ ad institutum nostrum facere existimabimus.

IX. Sed si res ita se habeat, quæretur, Utrum Ethica sit Philosophiæ, an vero potius Theologiæ pars. Ad quod respondeo, per distinctionem vocis Philosophiæ. Si enim Philosophia accipiatur pro omnium artium laudatarum fasciculo, ut non tantum Ciceroni & Platoni placuit, sed etiam multis è veteribus Christianis, qui religionem Christianam Philosophiæ Euangelicæ nomine indigitant; nullum est dubium quin Ethica Philosophiæ ambitu comprehendatur, cum Theologia ipsa eodem quoque pertineat. Sed si per Philosophiam intelligatur cognitio rerum quæ naturæ lumine haberi potest, ut vulgo hodie accipitur; per Theologiam vero illa quæ ex revelatione divina proficiscitur, Ethica ad utramque pertinebit: siquidem pars quædam illius natura nota est, quam Philosophi Ethnici scriptis suis illustrarunt; alia vero pars minime, quam ideo ex Dei verbo haurire debemus; ut ex iis, quæ deinceps dicturi sumus, apparebit.

CAPUT II.

De Principiis actionum moralium.

I. ARetologia est prima Ethices pars, agens de virtute tanquam medio ad Beatitudinem acquirendam requisito. Eaque in duas partes iterum dividitur, quarum una est de Objecto & norma virtutis, altera de virtute ipsa. Objectum virtutis sunt tum actiones morales, tum affectus; nec non voluptas & dolor. Intellige istud de objecto interno; nam externum est vel reale, nempe bona & mala hujus vitæ, vel personale, quod est partim Deus, partim alii homines, partim nos ipsi. Sed de illo in ipsa virtutis tractatione agetur; hujus vero consideratio præmitti debet.

II. Actio moralis est motus hominis circa bonum vel malum morale occupati. Ita vocatur ad distinctionem naturalis, quæ boni & mali moralis respectu indifferens est, ut edere, bibere, loqui, currere & similes: item artificialis, quæ pari modo se habet. Etsi autem de actionibus moralibus agatur in ipsa virtutum tractatione; tum quatenus sunt causa efficiens virtutum & vitiorum, tum quatenus eorundem sunt effecta; tamen quia etiam aliter considerari possunt, præstat de iis hic generaliter agere. Actiones autem morales in eos tantum cadunt, qui rationis usum habent, qua possint bonum à malo discernere. Proinde infantes & mente moti qua tales, seu durante amentiæ paroxysmo, illarum capaces non sunt: eorumque actiones nihil aliud sunt quam motus naturales, qui per se neque honesti, neque turpes sunt.

III. Actionis moralis considerandæ sunt tum causæ seu principia, tum species. Causa illius efficiens vel est in homine, vel extra hominem. In homine est primo natura, secundo intellectus, tertio arbitrium.

IV. Natura est causa efficiens actionis moralis, quatenus per eam intelligitur propensio naturalis ad bonum vel malum morale agendum, ex

ex temperamento seu conformatione corporis orta. Ex diversitate enim temperamenti proficiscitur, quod alii proni sint ad iram, alii vero mansueti sint; alii audaces, alii contra meticulosi, &c. Idque Galenus ostendit peculiari libro, in quo auctoritate, experientia & rationibus confirmat mores sequi temperamentum corporis. Hocque fundamento nititur pars illa Physicæ, quæ dicitur Physiognomica: quæ ex lineamentis corporeis conjecturam sumit de moribus animi. Sed tamen sciendum est, temperamentum necessitatem non afferre secundum illud operandi: & mali temperamenti propensionem posse bona institutione corrigi, boni vero inclinationem cum improbis versando & se ad malum assuefaciendo corrumpi. Hinc est quod Physiognomica tota est στοχαστική seu conjecturalis, & nullas regularum suarum indubias demonstrationes afferre queat. Quare qui male faciunt, non debent naturam accusare, sed seipsos, quod motus naturales prout poterant non compescuerint & refrænarint.

V. Intellectus est causa efficiens actionis moralis, quatenus bonum & malum morale cognoscit, & de cognito judicat. Est enim fax quæ hominem in actionibus suis regit; eaque exstincta non potest non cespitare & impingere. Nam cum appetitus, qui cæcus est, sæpe ad turpia incitet, intellectus lumine opus est, qui doceat quid honestum quid turpe sit, atque auctoritate sua ἡγεμονικῇ motus inordinatos appetitus compescat. Qualis igitur & quanta est notitia boni, talis & tanta ordinarie est ejusdem approbatio, volitio & persecutio. Contra, qualis & quanta est mali notitia, talis & tanta etiam est ejusdem improbatio, nolitio & fuga. Indeque ortum habet vulgatum illud, Ignoti nulla cupido. Item, Error in intellectu, parit peccatum in voluntate.

VI. Liberum arbitrium est causa efficiens actionis moralis, quatenus per id intelligitur voluntatis facultas, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere, aut hoc potius quam illud agere. Libertas enim est duplex, contradictionis seu exercitii, & contrarietatis seu specificationis actus. Illa est, per quam homo potest agere vel non agere, & locum habet ubi de una re agitur; ut si cui offerantur honores, liberum est ei eos acceptare vel repudiare. Hæc vero est, per quam homo hoc potius quam illud potest agere, & locum habet ubi de pluribus rebus agitur, ut si cui honores & opes proponantur, in ejus arbitrio est honores acceptare & opes repudiare, vel contra. Utraque est homini à Deo cum ipsum creavit indita, nec unquam postea erepta. Et sane absque ea obedientiæ & inobedientiæ seu virtutis & vitii, ut Deus sibi proposuerat, capax esse non poterat. Virtus enim obedientiæ non est, bona & justa quæ præcepta sunt sectari, nisi liberum sit ab iis abstinere; aut mala & injusta quæ vetita sunt omittere, nisi liberum sit ea facere. Ita v. gr. ille non potest dici obediens, qui arcto carceri inclusus & diligenter custoditus non aufugit. Nec vitium inobedientiæ est bona omittere aut mala facere si aliter nequeas. Ita ex. gr. cæcum nemo dicet inobedientem, si jussus videre non videat, aut surdum si jussus audire non audiat. Deinde, omnes leges tam divinæ quam humanæ erunt injustæ, si ii quibus feruntur libertate sunt destituti. Cui enim fini præcipere virtutem illi, cui non minus sit impossibilis quam montem humeris suis gestare, aut aquam maris absorbere? Cui fini prohibere vitium si ab eo non magis possit abstinere quam à videndo cum oculos apertos habet, aut ab audiendo, cum aures non sunt obturatæ? Tertio, suasiones & dissuasiones, promissa & minæ vanæ & inutiles erunt. Stultum enim est illas adhibere erga eos qui liberi non sunt, sed ineluctabili necessitate feruntur ad ea facienda quæ faciunt, vel omittenda quæ omittunt; ut ignis qui necessario siccat nec humectare potest, & aqua quæ necessario humectat & siccare non potest. Quarto & postremo, præmia sine ratione obedientibus dabuntur, & pœnæ injuste ab inobedientibus exigentur. Nec enim ille dignus est mercede qui boni quippiam fecerit, si in potestate ipsius non erat id omittere, non magis quam lapidi à cadendo abstinere cum in terram projicitur. Nec ille meretur pœnam, qui mali quidpiam admiserit, aut boni omiserit, si aliter agere non poterat, & æque impossibile facere atque mare sicco pede trajicere, aut omittere atque à respirando abstinere. Nec ratio tantum huic opinioni favet, sed etiam Scriptura. Inter alia illustris ille locus, ubi Moses Israëlitis dicit, *Testes inveco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas & semen tuum*, *Deut.* XXX. 19. Vide etiam *Ecclesiast.* XV. 14. *& seqq.* qui liber est quidem Apocryphus, sed in hoc sententiam totius veteris Ecclesiæ, tam Judaicæ quam Christianæ continet.

VII. Sed contra objicitur, Hominem divinis legibus obedire teneri: Ergo non esse libero arbitrio præditum, cum libertas sit facultas vivendi ut vis. Ego vero respondeo minime id sequi; prout apparet ex Regum & summorum magistratuum exemplo, qui etiamsi nullam in voluntatem subditorum potestatem habeant, nihilominus tamen eos suo imperio regunt; quia non solum eos prudentia sua quo volunt ducere possunt, sed etiam potestatem habent eos severe puniendi si mandata sua transgrediantur. Quanto ergo magis id Deo convenit, cujus sapientia & potentia sunt infinitæ? Nihil enim ipso inscio aut invito à quoquam fieri potest, & qui in eum peccavit nunquam manus ipsius effugiet, quin meritas pœnas luat. Præterea etiamsi libera sit hominis voluntas, non tamen est absolute dominus suarum actionum. Hic enim agitur

gitur solum de libertate interna in rebus Dei lege præceptis aut prohibitis volendis vel nolendis, quæ necessaria est ut tam obedientiæ quam inobedientiæ capax sit; non de executione externa eorum quæ proposuit agere aut omittere. Nam Deus, qui corda scrutatur, ex voluntate firma & deliberata de virtute & vitio judicat, etiamsi forte nulla actio externa sequatur; modo per hominem non stet quin exsequatur, sed à majore aliqua vi impediatur. Ita Abrahamus coram Deo reputatus est quasi filium suum, prout ei præceptum erat, immolasset, quia id apud se statuerat & extemplo erat executioni mandaturus, nisi Angelus eum ulterius progredi prohibuisset. Et Saul coram eodem pro homicida fuit habitus, propter deliberatam Davidem occidendi voluntatem, quam proculdubio exsecuturus fuisset, nisi Deus varia ei impedimenta objecisset. Idemque in multis aliis tam bonis quam malis rebus contingere non est dubium, in quibus Deus voluntatem plena sua libertate frui sinit, & tantummodo potestatem effectum illius impediendi sibi reservat. Unde patet libertate ista ne minimum quidem summo Dei imperio derogari. Contra imperii divini sublimitas magis conspicitur in creaturarum liberarum regimine, quam si libertate essent privatæ; quemadmodum magis eminet Principis sapientia in regendis subditis quam in equo domando. Præstantius enim est præceptis, interdictis, promissis, minis, hortationibus, inspirationibus & occasionibus quas offert, aliisque ejusmodi mediis, eos ad finem quem intendit ducere, nulla libertati ipsorum vi illata, quam si eos brutorum instar vi irresistibili tanquam capistro traheret.

VIII. Secundo affertur, Deum præscire omnes actiones hominum, Ergo illas non esse liberas seu contingentes, sed ad unum determinatas: quia alioqui præscientia Dei falli posset. *Resp.* Negare me consequentiam: præscientia enim est res in Deo immanens & quæ nihil foris operatur. Deus præscit futura quia futura sunt, non autem sunt futura quia Deus illa præscit. Præscit autem singula secundum propriam eorum naturam, contingentia ut contingenter futura, necessaria ut necessario futura; alioqui falleretur, non vere præsciret. Est enim scientia instar visus. Debet autem visus esse accommodatus rebus visis, non contra. Nec refert quod contingentia tam possint non esse quam esse. Sufficit enim ut præscientia Dei non fallatur, ut res eveniant quemadmodum illas eventuras prævidit, non ut aliter evenire non possint. Et si aliter eventuræ essent, id quoque prævidisset Deus; ita ut metuendum non sit ne unquam decipiatur. Unde autem certitudo ista pendeat, alia ratio reddi non potest præter intellectus divini infinitatem, qui abdita omnibus creaturis inaccessa penetrat. Nec dicendum est Deum scire futura quia illa decrevit; cum enim pleraque eorum quæ fiunt ab hominibus sint mala, Deus esset mali auctor si illa decrevisset; quod nefas est dicere.

IX. Tertio dicunt, Voluntatem hominis necessario pendere à judicio rationis practico, quia nec contrarium nec aliud quidpiam velle possumus, quam illud quod omnibus circumstantiis expensis, judicavimus apud nos esse bonum, aut melius, sive minus malum aliis quæ nobis proponuntur; alioqui vellemus malum sub specie mali, quod fieri non potest. Intellectum autem non esse liberum in suo judicio, sed necessario judicare de rebus prout ipsi offeruntur. Ergo nullum esse liberum arbitrium. *Resp.* 1. Voluntatem non necessario pendere in omnibus suis actionibus à judicio rationis practico; quia sæpe contingit ut in actionibus quibusdam subitaneis nullum tale judicium formemus, sed impetu & sine deliberatione ferimur quo sensus nos trahunt. Cum autem intellectus judicium aliquod de re facienda aut omittenda format, non esse mirum si voluntas illud semper sequatur, quia tale judicium reipsa non differt ab actu volendi. Nam dicere apud se, hoc ita bonum est ut oporteat illud amplecti, vel ita malum est ut oporteat id aversari, nihil aliud esse videtur quam id velle aut nolle. Intellectus enim & voluntas non sunt facultates reipsa à se invicem distinctæ, ita ut intellectus nihil velit, & voluntas nihil intelligat. Nam quamvis in formali sua ratione consideratæ videantur tales esse, in usu tamen id locum non habet. Sed in plerisque rebus, præsertim practicis, nihil judicamus sine voluntate, & nihil volumus sine judicio: alioqui actiones nostræ, utpote aut sine cognitione aut sine libertate factæ, nec laude nec vituperio, neque præmio, neque pœna essent dignæ; quod absurdum est. 2. Falsum est intellectum semper & necessario judicare de rebus prout ipsi objiciuntur, sine ullo interveniente voluntatis actu. Quamvis enim id contingat in quibusdam, adeo manifestæ veritatis aut falsitatis, ut de iis homini sanæ mentis nulla dubitatio oboriri queat; tamen in multis aliis quæ talis naturæ non sunt, id locum non habet; sed illas veras aut falsas, bonas aut malas esse statuimus quia ita volumus. Imo quemadmodum oculos meos si velim claudere possum, vel alio avertere, ne videam id quod alioqui fieri non posset quin viderem, si iis uterer; ita etiam possum intellectum meum, si libeat, ab aperta veritate vel falsitate agnoscenda abducere; ita ut illa mihi incognita maneat. Instant, Neminem peccare scientem, sed ex ignorantia & errore mentis, quatenus malum pro bono apprehendit: malum enim quatenus malum non esse appetibile. Ut autem verum bonum alicui appareat penes ipsum non esse; cum tales res nobis appareant quale est nostrum ingenium. Sed respondeo, etiamsi nemo sciens peccet, quatenus actu & distincte est sciens, tamen peccare posse

quatenus

quatenus habitualiter solum & confuse est sciens; idque merito ipsi vitio verti, cum si vellet & diligentiam quam potest adhiberet, actu & distincte cognoscere posset. Quod autem dicitur malum non esse appetibile; verum quidem est quatenus malum ut malum consideratur. Sed cum id quod turpe est simul vel jucundum vel utile esse queat, non appetetur quidem sub ratione turpis, sed tantum quatenus jucundum aut utile esse apparet. Cur vero verum bonum non semper nobis tale esse appareat, in causa est vel negligentia nostra, vel mala assuetudo quæ judicium corrumpit. Assuetudo autem initio est plane voluntaria; licet cum diuturno tempore invaluit difficulter exui possit.

X. Quarto ita disputant, Homo nunquam libere agit; quia neque libere agit antequam agat, utpote qui tum nihil agit; neque libere agit cum agit, sed necessario; siquidem omne quod est, quando est necesse est esse. Ergo non est præditus libero arbitrio. Sed resp. istud esse ineptum sophisma. Utroque enim modo liber est homo quo esse negatur. Nam quamvis cum libere agere inepte diceretur antequam agat, tamen indubium est quin potentiam libere agendi habeat, etiam antequam reipsa agat; cum omnis potentia præcedere debeat sui usum. Præterea homo cum agit id, quod in potestate sua fuit non agere, omnino libere agit. Etsi enim eo momento quo agit, certum sit eum agere & contrarium sine falsitate dici nequeat, non tamen necessario agit; quia ut potuit ante non agere, ita etiam tunc potest ab agendo desistere, vel contrarium agere. Itaque vulgatum illud, Omne quod est, quando est, necesse est esse, non est verum in iis quæ contingenter fiunt. Quidam dicunt esse verum in sensu composito, sed non in diviso. Sed neque sic loqui velim; cum aliud sit verum, aliud necessarium.

XI. Causa efficiens actionis moralis extra hominem, alia est præparans, alia impellens. Præparans causa est, quæ hominem extrinsecus disponit ad moraliter agendum, cujusmodi est educatio, institutio, & disciplina recta vel prava; eodemque etiam pertinent aliorum exempla. Per educationem autem hic non intelligitur alimentorum aliorumque ad vitam sustentandam necessariorum suppeditatio, sed quæ eam comitari solet animi & actionum puerilium familiaris & domestica directio & informatio. Per institutionem autem & disciplinam intelligitur accuratior informatio quæ à præceptoribus fit. Per exempla vero externa facta in sensus incurrentia, quæ vel imitamur vel fugimus. Solentque profundius in animos penetrare quam præcepta.

XII. Impellens causa est, quæ hominem extrinsecus excitat ad moraliter agendum, cujusmodi est suasio & dissuasio, hortatio & dehortatio, præceptio & prohibitio, promissio & comminatio, laudatio & vituperatio, præmia & pœnæ. Suasio est oratio, qua alterum movere studemus ad aliquid agendum quod nondum agere cœpit. Dissuasio contra qua ipsum movere conamur ad omittendum aliquid quod nondum agere cœpit. Hortatio oratio est, qua alterum incitamus ad pergendum in eo quod agere cœpit. Dehortatio vero est, qua ipsum retrahimus ab eo quod agere cœpit, ne in eo pergat. Præceptio est oratio, qua alteri bonum aliquod injungimus ut appetat illud & persequatur. Prohibitio vero est, qua malum vetamus, ut illud aversetur & fugiat. Promissio oratio est, qua alteri præmium pollicemur ut bonum aliquod alacrius appetat & persequatur. Comminatio vero qua pœnam minamur, ut malum aliquod studiosius aversetur & fugiat. Laudatio est oratio, qua alterius facta commendamus, ut alacrius in iis pergat, vel alios ad imitandum stimulet. Vituperatio contra, qua alterius facta reprehendimus ut ea vel ipse vel alii aversentur & fugiant. Præmium est boni operis renumeratio, eo tendens, ut tum qui fecit alacrius postea in bene agendo pergat, tum alii similis remunerationis spe accensi virtutem sectentur. Pœna est mali operis ultio, eo collimans, ut tum qui peccavit in posterum à malo abstineat, tum etiam alii similis ultionis metu deterriti vitium fugiant.

XIII. Finis actionis moralis est boni propositi assecutio, & mali declinatio. Sicut omnes actiones morales causam aliquam efficientem habent, ita etiam finem habere debent ad quem tendant, nisi frustra & temere fiant. Finis autem ille est bonum aliquod quod assequi volumus: sub quo comprehenditur mali declinatio, quæ etiam bonum quid est. Omnis enim finis boni rationem habet; Sed cum bonum aliud sit verum, aliud apparens, homines sæpe apparens pro vero amplectuntur. Apparens autem bonum est revera aliquid mali; ut delectatio quæ ex peccatis percipitur, videtur bona, cum reipsa mala sit.

XIV. Finis actionum moralium alius est per se, alius per accidens. Finis per se est, ad quem illæ actiones sua natura vel intentione agentis destinantur. Estque vel ultimus vel intermedius. Finis ultimus est ad quem omnes actiones humanæ ultimo sua natura destinatæ sunt, vel saltem ex ordinatione Dei referri debent, estque Dei gloria. Secundum illud Pauli, *Sive editis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite*, 1 *Cor.* x. 31. Item, *Ex ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia. Ipsi sit gloria in secula, Rom.* XI. 36. Finis intermedius actionum moralium est, qui ad ultimum refertur; ut liberalitatis finis intermedius est subvenire indigentiæ alienæ; ista autem subventione gloria Dei illustratur. Finis per accidens est, ad quem actiones morales præter naturam suam, vel præter agentis intentionem referuntur. Et melius eventus dicitur. Sic illustratio gloriæ Dei est finis per accidens vel eventus peccatorum quæ ab homine perpetrantur; cum

cum præter naturam suam & peccantis intentionem eo dirigantur.

XV. Quæritur autem an actiones morales solo fine discriminentur, ita ut illæ sint bonæ quæ bonum finem habent, malæ quæ malum. Respondeo, nullum est dubium quin illæ quæ malum finem habent, malæ quoque sint. Qualis erat actio illorum Pseudo-Apostolorum, qui *per invidiam & contentionem Christum annuntiabant, non sincere, ut afflictionem adderent Pauli vinculis*, *Philipp.* I. 15, 16. Nam quod Paulus ea de re lætabatur, id non faciebat quod illa actio esset revera bona, sed quia ex ea aliquid boni redibat, nimirum cognitio Christi ad plures perveniebat. Malus autem ille animus omnibus non innotescebat, ideoque ita nocere non poterat. Sed bonus finis solus actionem bonam reddere non potest; ut si quis eleëmosynæ dandæ causa, aliis sua bona sive clanculum, sive aperta vi eripiat. *Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona*, *Rom.* III. 8. Sed ad finem bonum per honesta & licita media, non autem per turpia & illicita contendendum est. Nam quod objicitur in contrarium, finem mediis conciliare bonitatem, id non semper de vera bonitate morali accipiendum, sed aliquando etiam de apparente. Et potius locum habet in naturalibus aut indifferentibus rebus quam in aliis. Aut dicendum, bonitatem quam finis conciliat mediis, non esse bonitatem internam & absolutam, sed externam & relativam, quæ eis convenit respectu finis, quem illis commode assequi possunt.

XVI. Materia actionum moralium sunt motus naturales. Forma est motuum naturalium ad bonum vel malum morale determinatio. Actiones absolutæ, quatenus determinatis opponuntur, materiæ & formæ sunt expertes. Licet enim iis interdum attribuatur materia, tamen illa vox non proprie accipitur, pro materia ex qua materiatum essentialiter constituitur; sed vel pro materia in qua, quæ proprie dicitur subjectum inhærentiæ, vel pro materia circa quam, quæ proprie dicitur objectum. Forma vero ea nihil est aliud quam modus quo fiunt. Solæ actiones determinatæ, quales sunt morales & artificiales, habent materiam & formam. Illæ enim constant ex actione naturali & absoluta tanquam materia, & determinatione ad bonum & malum tanquam forma.

CAPUT III.

De speciebus actionum moralium.

I. Actionum moralium variæ sunt species; nam primo aliæ sunt spontaneæ, aliæ invitæ, aliæ mixtæ. Differunt actiones spontaneæ à liberis, etsi enim omne liberum sit spontaneum, non tamen vice versa.

II. Actiones spontaneæ sunt, quæ fiunt ab homine ad agendum propenso, & cognoscente singulas actionis suæ circumstantias. Duo itaque in actione spontanea requiruntur: unum, ut principium illius sit in ipso agente; quod fit cum ab appetitu aut voluntate sua ad agendum movetur. Nec refert, etiamsi boni spe impulsus, aut ab altero admonitus quippiam faciat; cum his positis possit etiam non facere. Alterum ut partim sensuum, partim rationis ope cognoscat singulas actionis suæ circumstantias. Illæ autem vulgo hoc versiculo comprehendi solent:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Prima voce, *Quis*, designatur persona tam agens quam actionem recipiens: quæ aliquando facit ut illa quæ similia esse videntur, multum inter se discrepent. Ita beneficium ab inimico acceptum majus habetur quam si ab amico esset profectum. Contra vero injuria ab amico accepta gravior est quam ab inimico. Secunda voce, *Quid*, significantur accidentia bona aut mala quæ actionem sequuntur, & eam laudabiliorem aut vituperabiliorem reddunt. Ita præstantius est facinus vitam servare viro reipublicæ utili, quam alii: & majus est peccatum eripere pauperi id exiguum quod habet, quam divitem parte aliqua eorum quæ ipsi abundant fraudare. Tertia voce, *Ubi*, notatur locus actionis: qui non parum etiam facit ad discriminandas actiones. Ita virtus Lothi erat eminentior, quod vivens in medio corruptissimi populi, se ab illius sceleribus purum conservaret: & furtum aut vulnus illatum in templo gravius est quam alibi. Quarta voce, *quibus auxiliis*, comprehenduntur media & instrumenta quibus in actione aliqua utimur, & merito ejus addunt aut detrahunt. Ita majori laude dignus est qui publico suis sumptibus inservit, quam qui magna stipendia accipit. Et pejus facit qui servo alterius abutitur ad domino nocendum, quam si alium adhiberet. Quinta voce, *Cur*, indicatur finis actionis; ad quem supra cætera omnia attendi solet, & maximum habet momentum ad bonitatem aut pravitatem ejus intendendam. Ita majorem laudem meritus est Aristoteles instituendo Alexandrum ad bene regnandum, quam si privatæ ejus vitæ tantum rationem habuisset. Et majori vituperio digna fuit uxor Alboini, quæ adulterium cum Peredeo commisit, ut eum ad mariti sui cædem obligaret, quam si solius voluptatis causa id fecisset. Sexta voce, *Quomodo*, designatur modus quo actio aliqua peragitur, nempe vel alacri & ferventi animo, vel contra frigide & ægre. Ita præstantior est eleëmosyna hilari animo facta, quam ægre & veluti per vim extorta. Contra minus est scelus quod quis ægre perpetrat, quam si ad illud tota voluntate ferretur. Septima & ultima voce, *Quando*, intelligitur tempus alicujus actionis, quatenus ejus pretium auget aut minuit. Ita majus est beneficium quod præstatur

amico in summa necessitate, & cum ab aliis omnibus deseritur, quam alio tempore: & major fuit perfidia Capuanorum, quod post cladem Cannensem à Romanis defecerunt, quam si antea id fecissent. Quod autem dicitur circumstantias quasdam naturam actionis mutare, id intelligendum est fieri per adjunctionem bonitatis aut pravitatis diversæ speciei, manente semper ea quæ essentialis est ipsi operi. Idque præcipue in diversitate finium observare est; v. gr. in homicidio cum prædandi intentione perpetrato; vel ad ostendendam fortitudinem suam: item in pulsatione facta ad castigationem alterius, vel ad ultionem. Nec non aliquando in diversitate personarum: ut scortatio cum ea quæ sanguine juncta, ad turpitudinem actionis adjungit incestum; parricidium ad turpitudinem homicidii adjungit gradum qui peccatum istud in diversa specie constituit.

III. Actiones spontaneæ vel sunt consultæ vel inconsultæ. Consultæ sunt, quæ fiunt deliberato animo; & ex certa proæresi, seu prælectione. Inconsultæ contra quæ fiunt sine deliberatione & proæresi.

IV. Consultatio est deliberatio quam quis vel apud se solum, vel cum aliis de rebus agendis aut omittendis instituit. In omni consultatione duo sunt consideranda, objectum seu res de qua consultari potest & debet, & modus quo consultatio instituenda est.

V. Objectum consultationis non sunt res omnes, sed tantum illæ quæ ad nos pertinent, & in nostra sunt potestate ut fiant vel non fiant, nobisque sunt ignotæ & dubiæ. Itaque 1. homines non consultant de fine, sed de mediis quæ ad finem ducunt. Neque enim medicus deliberat utrum ægri sanitatem quærere debeat, aut orator an debeat persuadere, sed quibus mediis illud obtinere possint. 2. Non consultant de rebus necessariis, quæ vel semper sunt & nunquam fiunt; vel fiunt quidem, non tamen à nobis, sed aut à Deo solo, aut ab ejus famula natura. 3. Neque consultant de rebus contingentibus, quarum effectio non est in sua potestate, vel etiamsi sit, tamen vel sunt alienæ à nobis, hoc est neque ad nos, neque ad nostros pertinent, vel sunt nobis notæ ac certæ, ita ut consultatione non indigeant. Sed contra objicitur; Consultationem non tantum institui de mediis, sed etiam aliquando de fine; ut cum quis deliberat utrum hoc vel illud vitæ genus sequi debeat; utrum Medicinæ, an Jurisprudentiæ, aut Theologiæ operam dare præstet? Resp. Finem alium esse ultimum, qui est beatitudo, alium subordinatum seu intermedium, qui ad ultimum refertur. De priore simpliciter verum est quod nulla prorsus deliberatio institui soleat; nemo enim deliberat an velit esse beatus. De posterio re vero non est absolute verum. Nam cum finis subordinatus rationem habeat medii, quo ad ultimum pervenitur, eo respectu quandoque de eo deliberatur. Et sic consultatio de genere vitæ seu studiorum est quidem de fine subordinato, sed qui non consideratur ut finis, verum tanquam medium ad ultimum ducens, quo toto impetu ferimur & sine omni prorsus deliberatione. Deinde objicitur; Consiliarios principum, item parentes, advocatos, medicos, &c. sæpe consultare de rebus quæ non in sua sed aliorum sunt potestate, & ad eos pertinent. Respondeo, Per nos, non tantum nostras personas esse intelligendas, sed etiam omnes eos qui ad nos quoquomodo pertinent, sive officii, sive cognationis, sive amicitiæ ratione: atque hoc sensu consiliarios, advocatos, &c. deliberare de suis rebus quando deliberant de iis quæ pertinent ad dominos, clientes, aliosve quorum personam repræsentant.

VI. Modus instituendi consultationem in tribus potissimum rebus consistit, nimirum certi finis constitutione, inquisitione mediorum idoneorum ad finem ducentium, & in usu & applicatione illorum mediorum. Primo enim consultanti certus finis propositus esse debet, ad quem tanquam scopum collineet; alioqui consultatio ipsius erit vana atque inutilis. Secundo, oportet illum inquirere media idonea, quibus finem suum obtinere possit. Et in illis spectare partim qualitatem, partim numerum. Nam quod ad qualitatem attinet; videndum est utrum media sint honesta vel turpia, utilia an inutilia, facilia an difficilia, possibilia an impossibilia; & illa eligenda, hæc vero rejicienda. Deinde comparatione inter illa instituta, honestiora, utiliora, & faciliora præferenda erunt iis quæ minus sunt. Et quod ad numerum, dispiciendum est utrum paucis an pluribus mediis opus sit ad finem obtinendum: Et si æque commode per pauciora id fieri possit, plura non erunt usurpanda; cum in pluribus confusio & lapsus facilior sit, quam in paucioribus. Tertio applicanda sunt media inventa ad finem propositum. Ut autem id fiat ultima cum primis aut mediis non sunt confundenda, sed initio facto à remotissimis, progressus faciendus ad intermedia, donec perveniatur ad proximum medium, quod cum fine immediate cohæret. Deinde idonea instrumenta adhibenda sunt per quæ media recte deliberata executioni mandentur. Denique oportuna occasio exsecutionis observanda; ne vel nimis cito vel nimis tarde rem aggrediamur. Verbi gratia, Salus reipublicæ est finis quem sibi proponunt Princeps & consiliarii ejus. Ad illam consequendum necesse est ut hostes qui Reipublicæ moliuntur perniciem ab ea arceantur. Hoc medium proxime cum fine intento cohæret; sed nondum est ad manum. Duobus igitur modis illud acquiri potest; vel pacem cum hostibus ineundo, vel, si id fieri nequeat, illos devincendo. Ad pacem faciendam videndum quæ conditiones sint commodissimæ, & mittendi sunt legati qui de iis cum hostibus tractent.

Hoc

Hocque est medium in inquisitione ultimum, sed in exsecutione primum. Si vero pacis consilia rejiciantur, & ad arma devenire necesse sit, quia bellum sine ducibus, militibus, armis & commeatu geri non potest, ideo hæc comparanda decernuntur. Et quia sine pecunia id fieri non potest, rursus videndum qua via colligi possit, utrum ex tributis, aut vectigalibus, an potius mutuo ab amicis accipienda. Et commodior via cæteris præferenda. Si medium aliquod omnino impossibile occurrat, ut nullo modo haberi possit miles, deliberatio cessat. Si omnia suppetant, inquirendum quomodo sint adhibenda, ut Reipublicæ salus obtineatur. Et ab iis quæ in deliberatione fuerunt postrema inchoandum, ut tandem in iis quæ primo proposita sunt acquiescatur.

VII. Proæresis seu prælectio est appetitio mediorum quæ per consultationem sunt inventa, & idonea ad finem consequendum judicata. Hinc judicari potest quid sentiendum sit de illa Aristotelis opinione, qua proæresin à volitione differre statuit. Nam cum volitionis vox vel generaliter accipiatur pro qualibet appetitione rationali, sive circa finem, sive circa media ad finem ducentia versetur, sive eam præcedat consultatio sive non; vel specialiter pro sola illa appetitione rationali quæ circa finem versatur: secundum priorem significationem volitio est genus prælectionis; secundum posteriorem vero differunt inter se. Nam 1. Volitio versatur circa finem, prælectio vero circa media ad finem ordinata. 2. Prælectio consultationem præsupponit per quam unum alteri præfertur; volitio non item.

VIII. Utræque actiones, nempe tam consultæ quam inconsultæ, vel antecedunt habitum moralem, vel eum consequuntur. Antecedentes actiones sunt, quibus habitus moralis acquiritur. Consequentes vero quibus habitus moralis jam acquisitus exercetur & confirmatur. Differunt autem inter se in eo, quod actiones antecedentes habitum fiunt cum lucta appetitus carnalis & rectæ rationis, ac proinde difficulter, moleste & inconstanter; cum in illa lucta modo appetitus modo ratio superior fit: consequentes vero sine ejusmodi lucta, vel saltem non magna, ac proinde facile, jucunde & constanter.

IX. Actiones invitæ sunt, quas quis illibenter prorsus, seu contra animi sui sententiam facit. Eæque sunt duplices: vel enim fiunt per vim, ideoque violentæ dicuntur, vel per ignorantiam, & imprudentes appellantur. Violentæ actiones sunt, quæ fiunt à principio externo, & contra hominis agentis propensionem & voluntatem; ut si quis vi in carcerem trahatur, vel quis contra meam voluntatem abutatur mea manu ad alium percutiendum. Imprudentes actiones sunt, quæ fiunt per ignorantiam facti pœnitentem, ut cum Adrastus in venatione interfecit Crœsi filium, putans esse feram, & postea re cognita valde contristatus est. Differunt autem, agere per ignorantiam & agere ignoranter. Ibi enim principalis causa actionis est sola ignorantia; ut si quis ducat sororem in matrimonium nescius: hic vero est alia causa principalis, cum qua tamen ignorantia concurrit; ut cum ebrius alium occidit, agit quidem ignoranter, sed non per ignorantiam, quia hæc non est causa principalis peccati, tametsi cum illo sit conjuncta, sed ebrietas. Duplex autem est ignorantia ex qua actio aliqua oriri potest; alia culpabilis, alia vero inculpabilis. Ignorantia culpabilis est, cum quis ignorat id quod nosse poterat & debebat; ita ut ejus negligentia aut improbitate factum sit ut nesciret. Vulgo dicitur affectata ignorantia, & à Jurisconsultis, lata culpa. Estque iterum duplex, vel juris seu universalium, vel facti seu particularium circumstantiarum. Ignorantia juris est, cum quis legem aliquam, cujus addiscendæ occasionem & causam habuit, ignorat; ut si quis ignoraret, Magistratui esse obediendum, furtum aut scortationem esse mala. Ignorantia facti est, cum quis specialem aliquam actionis suæ circumstantiam ignorat quam nosse debebat: ut si quis per fenestram jaciens lapides in plateam aliquem vulneret, & dicat se ignorasse aliquem præteriturum. Id enim scire tenebatur, nec sine magna culpa ignorare potest, ut si sit ebrius. Ignorantia inculpabilis est, cum quis legem aliquam sibi non revelatam ignorat, aut facti alicujus circumstantiam nescit, licet eam diligentiam adhibuerit, quam virum bonum & prudentem decet; talis est eorum qui ignorant an Christus venerit in mundum, quia nihil unquam de illo audiverunt; vel ejus qui in bello interficeret patrem aut fratrem armis indutum hostilibus. Nec tamen censetur invitum omne factum ex hujusmodi ignorantia profectum, sed tum demum, si re cognita dolor sequatur. Itaque non prorsus invitus novercam feriit, qui lapidem in canem jaciens novercam attigit, & dixit, Euge, ne sic quidem male. Ejusmodi ergo actio est mediæ naturæ inter spontaneam & invitam, & discriminis causa dici potest, *non sponte facta*. Hinc apparet qua ratione ignorantia actionem aliquam involuntariam reddat, aut non. Nam 1. Nulla prorsus actio, quæ ab ignorantia oritur, est formaliter voluntaria dum fit, cum fieri non possit ut voluntas quæ est appetitus rationalis feratur in id quod est prorsus incognitum. Postea tamen potest reddi voluntaria per approbationem. 2. Actio proficiscens ex ignorantia affectata, etsi non sit formaliter voluntaria, tamen virtualiter est talis, quia ignorantia quæ ei causam dedit est voluntaria. 3. Actio quæ ex insuperabili ignorantia oritur, nec formaliter, nec virtualiter voluntaria est, cum non sequatur ex ulla re voluntaria. Post factum tamen si approbetur, etiam virtualiter voluntaria fieri potest.

X. Actiones mixtæ sunt, quæ partim sponte, partim invite fiunt. Eæ versantur circa res

quas in se consideratas pro malis habemus, ita ut eas sponte nunquam facturi essemus, si optio plane libera nobis daretur: Sed tamen majoris mali effugiendi, aut eximii alicujus boni obtinendi gratia facimus. Talis est actio illius qui brachium suum chirurgo amputandum porrigit, quia videt se aliter totum corpus conservare non posse. Item nautæ qui tempestate urgente merces in mare projicit ad navem & vitam tuendam. Ita multi martyres ad salutem æternam consequendum acerba tormenta & mortes tolerant; alii contra ad effugiendos cruciatus Christum ejusque religionem abnegant. Quæritur autem de istis actionibus, utrum sponte factis an vero potius invite factis annumerari debeant. Respondeo, sponte factis potius. Nam etsi absolute & simpliciter videantur esse invitæ, quia gravate ad eas nos accingimus, & mallemus omittere; tamen cum fiunt, pensitatis omnibus circumstantiis sponte suscipiuntur. Nam principium earum est in agente, qui suæ actionis circumstantias novit, & sponte movet membra ad eas exsequendum cum posset non movere, aut contra; Ita qui magnam pecuniæ summam dat latroni, ut ipsius manus effugiat, magis est volens in ista actione quam nolens; quia etsi absolute loquendo mallet pecuniam suam servare quam latroni dare, tamen ratione vitæ habita quæ pecunia pretiosior est, vult pecuniam dare ad illam conservandum. Iterum quæritur, utrum ejusmodi actiones mixtæ per se laudem an vituperium, præmium an pœnam mereantur? Resp. Quandoque merentur laudem; ut si quis Dei aut virtutis amore gravia subeat mala, quemadmodum multi martyres fecerunt. Item Attilius Regulus, qui ut fidem Carthaginensibus datam servaret, prætulit mortem acerbam turpi vitæ, & Anaxarchus, qui ne amicos proderet se crudeliter excarnificari à tyranno sustinuit. Quandoque vero vituperium, ut si quis damni alicujus levioris vitandi causa, faciat id quod non decet; sicut ille qui virgis publice cædi maluit, quam centenorum aliquot florenorum jacturam facere. Quandoque præterea pœnam meretur; ut si quis metu aut spe mundana adductus, aliquid natura sua turpe, aut legi divinæ repugnans perpetret; verbi gr. patriam prodat lucri causa, aut metu mortis Christianam religionem abneget. Denique aliquando ejusmodi facta veniam aut commiseratonem merentur; ut si quis mali alicujus maximi effugiendi causa, aliud minus subeat, aut aliquid minus decorum faciat, v. gr. stultitiam fingat quemadmodum fecit David ad vitam conservandum, vel servire malit hosti quam ab eo occidi. Quæritur denique, Utrum actiones quæ ex vehementi aliqua animi perturbatione fiunt, qualis est ira aut amor, sint spontaneæ an invitæ? Resp. Esse spontaneas, tum quia ab interno principio proficiscuntur, & circumstantiarum ignorantiam aut coactionem prætendere non possunt: tum quia in potestate est hominis affectus suos frænare, ne extra recti & honesti limites exorbitent.

XI. Secundo, Actiones dividuntur in internas & externas. Cum qua divisione magnam habet affinitatem illa Logicorum in immanentes & transeuntes. Internæ sunt, quæ intus in animo peraguntur, & in externos sensus non incurrunt, ut amare, credere. Hucque pertinent actus voluntatis eliciti, qui à voluntate proxime fiunt & per seipsam sine ullius alterius facultatis ministerio, ut velle, consentire, eligere, &c. Item illi actus imperati, qui fiunt quidem à voluntate, sed ministerio alterius facultatis internæ, ut intelligere, recordari, &c. Externæ sunt, quæ membris corporeis perficiuntur, & in sensus externos cadunt, ut cantare, eleëmosynam dare. Hucque pertinent actus voluntatis imperati, qui corporis ministerio exsecutioni mandantur, ut saltare, verberare. Utræque debent semper inter se convenire, atque adeo in viris probis conveniunt, quorum animus cum factis consentit. Sed tamen sæpe in improbis & hypocritis diffident, qui externam honestatis speciem affectant, licet ab ea corde sint alieni. Ab internis autem actionibus præcipue coram Deo cordium inspectore censentur viri boni aut mali, cum per eos non stetit quominus eas exsequerentur exterius.

XII. Tertio, Actiones sunt vel bonæ seu honestæ, vel malæ seu turpes, vel adiaphoræ seu indifferentes. Bonæ sunt quæ cum regula boni moralis, quæ est recta ratio seu lex, congruunt. Malæ vero quæ ab ea discrepant. Indifferentes quæ cum ea nec congruunt nec discrepant, ut ambulare.

XIII. Hic quæritur, Utrum omnes bonæ actiones sint æqualiter bonæ & omnes malæ æqualiter malæ? Resp. Stoici utrumque affirmarunt, sed nos negamus. Et primo quidem de bonis dicimus, alias aliis esse meliores & honestiores. Inæqualitas autem ista bonitatis est vel speciei, vel gradus. Inæqualitas speciei locum habet in rebus diversæ naturæ. Sic melius est amare Deum quam parentes, & melius amare parentes quam extraneos. Item melius est appetere mortem pro vera religione aut pro patria, quam temperantiam servare in cibo & potu. Inæqualitas vero graduum locum habet in rebus ejusdem naturæ: quæ cum magno ardore & alacritate peraguntur, meliores sunt quam si aliter fierent. Ita præstantior fuit oratio Danielis, qui ne proposito quidem mortis periculo ab ea avocari potuit, *Dan.* VI. quam Davidis invocantis Deum in sua necessitate. Et præstantior eleëmosyna illius pauperculæ viduæ, quæ duo minuta misit in gazophylacium, quam divitum qui magna munera in illud conjiciebant, *Luc.* XXI. Objicitur, sicut linea recta non datur rectior, ita recta actione rectiorem non posse dari. Sed resp. Non eandem esse rationem rerum spiritualium & corporearum. Quia recta linea unico tan-

tantum modo fieri potest; cum sit brevissima inter eosdem terminos, via quam tenet est omnino indivisibilis: sed via bonarum actionum latitudinem quandam habet, qua fit ut quæ magis à pravis remotæ sunt, meliores sint iis quæ minus.

XIV. Secundo, quod ad malas actiones attinet, aliæ etiam aliis sunt pejores; idque tam secundum speciem quam secundum gradum. Secundum speciem, ut occidere aliquem majus est scelus quam ei convitiari. Secundum gradum etiam pejores sunt quæ à scientibus fiunt quam ab ignorantibus, etiamsi illorum ignorantia sit culpabilis; pejores sunt quæ plane sponte fiunt, quam mixtæ, quæ quodammodo invitæ sunt. Ideoque legislatores graviores pœnas quibusdam peccatis constituerunt quam aliis, ut homicidio quam simplici furto. Et Christus dicit, *tolerabilius fore in die judicii Tyro & Sidoni, quam Corazim & Bethsaida*, *Matth.* XI. 22. Et comparens coram Pilato, inquit, *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet*, *Joan.* XIX. 11. Objicitur contra, pravas actiones esse tanquam transilitiones linearum. Eum enim qui semel virtutis mediam lineam transiliit peccare; nec quicquam ad augendam transilitionis illius culpam facere, longiorem in transiliendo progressum. Sed resp. eandem esse hic fallaciam quæ in præcedente argumento, ex dissimilitudine rerum spiritualium & corporearum ortam. Nam quemadmodum medium virtutis non est indivisibile instar lineæ quæ nullam latitudinem habet, sic etiam non uno modò ab eo recedi potest. Et longius ab eo recedendo magis peccatur quam si minus recederetur, ut qui semel à via recta aberravit, quanto magis in itinere progreditur, tanto magis à proposita meta aberrat.

XV. Quæritur etiam, àn actiones quædam dentur vere indifferentes? Resp. Aliqui concedunt in genere tales dari, sed de singularibus actionibus id negant. Omnes enim singulares actiones esse vel bonas vel malas, nullas indifferentes, v. gr. ambulare quidem in genere esse indifferens, sed in specie necessario aut bonum aut malum esse; bonum quidem si bono fine id fiat & cum debitis circumstantiis, malum vero si contra. Sed contradictionem videtur implicare, aliquid in genere consideratum vere esse indifferens, & in specie nunquam posse esse tale. Et si ambulare in genere est indifferens, id non necessario bonum aut malum reddetur in specie propter finem aut circumstantias, cum illa quoque possint esse indifferentia; ut relaxatio animi hoc vel illo tempore vel loco, ubi nihil est quod magis bonum quam malum, aut malum quam bonum dici possit. Similiter non tantum indifferens in genere facere vestem ex hoc vel illo genere panni, sed etiam mihi in specie, item hunc vel illum modum observare, indifferens est si in agro meo feram hordeum vel frumentum, & infinita ejusmodi. Sed objicitur, quoties homo agit, tenetur agere ut homo, id est rationabiliter seu conformiter rectæ rationi, Ergo nihil eorum quæ agit potest esse indifferens. Resp. Illum rationabiliter satis agere, qui nihil adversum rectæ rationi facit. Sed rectitudinem moralem non tenetur sequi in illis actibus indifferentibus, de quibus recta ratio nihil præcipit, & quæ æque bene hoc atque illo modo fieri possunt.

XVI. Quæritur denique, annon bonitas & malitia, non tantum locum habeant in actionibus, sed etiam in omissionibus? Resp. Nullum esse dubium quin in his quoque reperiantur. Bona enim est illa omissio qua omittitur aliquis vitiosus actus rectæ rationi aut legi divinæ repugnans, ut omissio furti, aut adulterii, cum perpetrandi offertur occasio. Contra mala est omissio qua omittitur actus aliquis nobis præceptus, ut omissio precum, aut eleëmosynæ pauperi dandæ. Sed dubitatur utrum omissio ejusmodi sit mala, ubi abest expressus nolendi actus, & ex pura tantum negligentia proficiscitur. Resp. Negligentiam esse peccatum, quia ad officium nostrum attendere debemus. *Oportet*, inquit Apostolus, *ad Hebr.* II. 1. *attendere iis quæ audivimus, ne quando perfluamus*. Et videmus negligentia incendi domos, cum ab igne non bene cavetur, & perire naves omissione, cum sentina non exhauritur.

CAPUT IV.

De affectibus in genere.

I. HActenus de actionibus, sequitur ut agamus de affectibus, qui etiam passiones & perturbationes à Philosophis appellantur. *Affectus sunt motus animæ, cum non naturali mutatione corporis, ab objecto bono vel malo excitati, ad illud consequendum, hoc vero effugiendum.*

II. Dico primum esse *motus animæ*. Non enim sunt facultates animæ naturales, multoque minus habitus consuetudine acquisiti; oportet ergo esse animæ motus. Cum autem omnis motus à facultate naturali procedat, & duplex sit animæ facultas, alia cognoscens, alia appetens, affectus ab hac non ab illa originem suam ducunt. Nam quod Stoici dicunt affectus esse opiniones, est à veritate alienum. Idque ex eo patet 1. Quod opiniones sunt in cerebro, affectus vero in corde. 2. Quod opiniones semper sunt languidæ, nullamque in corpore mutationem efficiunt, utpote quæ sine ullo cordis motu concipi possunt; affectus vero sæpe sunt valde vehementes, & totum corpus concutiunt. Experientia enim docet, animo affectibus perturbato spiritus & sanguinem modo ad extremas corporis partes se effundere, modo ad interiora recurrere, atque ita non solum cor sed etiam reliquum corpus varie agitari. Sed si Stoici affectus opinionum titulo insignirent, quia ex præ-

via

via opinione facultatis cognoscentis originem trahunt, etiamsi improprie loquerentur, non tamen male sentirent. Prout enim res cognoscendi facultati oblatæ, judicantur ab ea esse bonæ vel malæ, ita quoque affectus moventur.

III. Variæ sunt causæ quæ ad affectuum generationem concurrunt. Nam totalis est homo, partialis anima, instrumentalis facultas appetens, conditio seu causa sine qua non objecti apprehensio, idque hoc ordine. 1. Objectum sensibus se offert, indeque affectus suam ducunt originem, secundum id quod vulgo dicitur, Objecta movent sensum. 2. Objectum sensibus perceptum, cognoscitur & judicatur esse bonum vel malum, 3. Bonum appetitur cum voluptate; malum refugitur cum dolore. 4. Hinc oritur affectus quo id quod appetimus consequi studemus, & quod aversamur à nobis removere contendimus. 5. Denique spiritus tam in corde quam in cerebro, & per spiritum sanguis excitatur, unde totum hominis corpus commovetur & alteratur.

IV. Deinde humorum & spirituum temperies & intemperies plurimum adjumenti afferunt ad affectuum concitationem, eorumque sunt instrumenta per quæ suas operationes edunt. Hinc videmus homines sanguineos esse hilares propter sanguinis & spirituum puritatem & luciditatem: biliosi vero temperamenti plerumque sunt ad iram propensi propter sanguinis calorem & spirituum tenuitatem: melancholici autem ad tristitiam& metum proniores sunt, propter sanguinis crassitiem & spirituum impuritatem & obscuritatem. Phlegmaticæ denique complexionis affectibus minus sunt obnoxii, propter sanguinis aquositatem & spirituum frigiditatem.

V. Sed quodnam est proximum & immediatum affectuum subjectum? Resp. Cor, quod maxime ab iis afficitur & commovetur. Nam sicut immoderata animi intensio, quæ cerebri opus est, id de sede sua deturbat, & insaniam parit; ita lætitia & tristitia nimia aliquando mortem etiam repentinam affert. quod fieri non posset, nisi hæ commotiones cor vitæ fontem recta invaderent. At contra objicitur vulgatus ille versiculus:

Cor timet, at pulmo loquitur, fel commovet iras,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Proinde proximum omnium affectuum subjectum non esse cor. Sed resp. Fel non tam esse iræ, splenem lætitiæ & jecur libidinis subjecta, quam organa seu instrumenta per quæ suas functiones exercent, & per suam peculiarem temperiem efficere, ut magis minusve in hos aut illos affectus simus propensi.

VI. Quæritur etiam inter illos qui animam distinguunt in partem rationalem & irrationalem, in qua parte resideant affectus. Ad quod illi qui nihil in anima humana irrationale agnoscunt præter sensus externos, & phantasiam referunt ad intellectum, appetitum sensitivum ad voluntatem, respondent uno verbo istam quæstionem esse inutilem. Alii vero dicunt excitari affectus tam in parte rationali quam irrationali. Idque ita probant: Cum triplex sit appetitus species, naturalis, animalis & spiritualis; naturalis qui est improprie dictus appetitus, cum sit propensio sine ulla cognitione, quæ etiam in plantis reperitur, in parte irrationali residere. Animalem quoque qui ex sensitiva boni & mali cognitione exsurgit, in irrationali etiam esse, veluti iram ex læsione corporis, aut substractione alimenti. Sed spiritualem, qui oritur ex cognitione boni & mali intellectiva, in rationali esse, qualis est amor Dei & virtutis, odium peccati & Satanæ, spes vitæ æternæ, metus infamiæ, & similes. Ideoque hominem pluribus esse affectibus obnoxium quam bruta, cum brutorum affectus sint tantum in appetitu sensitivo, hominis vero in rationali etiam seu voluntate. Ad quod tamen alii respondent, id non inde fieri quod duplicis sint generis affectus, sed quod alii à solo sensus judicio, alii vero à ratione mediante sensu excitentur.

VII. Finis affectuum est conservatio vitæ animalis & omnium actionum alacritas. Nam sine iis, inquit Seneca, languebit omnis actio, & vis ac vigor animi resolvetur. Concessi ergo sunt à natura animalibus, ut bonum sibi conveniens persequantur & malum fugiant. Hinc dolor datus est instar stimuli ad vitæ consulendum: Voluptas vero nobilioribus animalis functionibus, præsertimque necessariis ad individui aut speciei conservationem adjuncta est instar condimenti. Nam sublato sensu doloris & voluptatis torperent animalia, & neque ad pabulum, neque ad generationem, neque ad prolis educationem & similia officia se accingerent.

VIII. Hinc judicari potest, quid sentiendum sit de nobili illa controversia inter Stoicos & Peripateticos agitata, Utrum affectus omnes natura sua mali sint, ideoque oporteat sapientem esse ἀπαθῆ, carere affectibus; vel excessus eorum tantum sit damnandus, sufficiatque si sapiens sit μετριοπαθῆς, mediocriter affectibus tangatur. Ubi, ut vulgo creditur, prius affirmabant Stoici, posterius vero Peripatetici, & nos cum illis. Nam 1. Quod est ita necessarium homini, ut eo carere nullo modo possit, id non est censendum malum, nec debet aut potest penitus eradicare. At tales sunt multi affectus, ut modo ostensum est. Ergo non sunt mali. 2. Quod Deus ipse ab initio naturæ hominum insevit, & locum habuit in illis ante peccatum, non est vitiosum nec penitus exstirpandum. At tales sunt quidam affectus, ut στοργὴ, & amor mutuus conjugalis, Ergo non sunt vitiosi. 3. Quod Deus in verbo suo nobis mandat, id non est malum, nec à sapiente abesse debet. At quosdam affectus mandat, ut misericordiam erga afflictos, *Matth.* v. 7. Christus omnis perfectionis exemplar, non fuit expers affectuum. Nam legimus eum lætatum fuisse ob felicem successum prædicationis Euangelii, *Luc.* x. & tristatum fuisse

fuisse ob mortem Lazari, *Joan.* XI. Misericordia commotum fuisse super turbis, quod essent dissipati & disjecti quasi oves non habentes pastorem, *Matth.* IX. Item quod inedia premerentur, nec haberent unde vescerentur, *Matth.* XV. &c. 5. Imo Deo ipsi nonnulli affectus tribuuntur, ut misericordia, amor, ira, odium, &c. Et quamvis ἀνθρωποπαθῶς id sit intelligendum, & Dei naturæ convenienter, tamen inde apparet ejusmodi affectus toto suo genere non esse vitiosos. 6. Si affectus non sunt ad mediocritatem reducendi sed penitus exstirpandi, virtus quæ in illis moderandis occupatur simul peribit: nam si tollas metum, non erit amplius fortitudo; si cupiditatem, non erit temperantia; si iram, non erit mansuetudo; si honoris ambitum, non erit modestia. 7. Non sunt extirpanda ea quæ virtutum possunt esse instrumenta. At tales sunt affectus. Amor enim virtutis & odium peccati inserviunt nobis ad illam majore studio sectandam, istud vero fugiendum, quam sine illis facturi essemus. Et sine misericordia erga afflictum, vix induci poterimus ad ei benefaciendum. Ergo hæc sententia naturam evertit, & virtuti est inimica.

IX. At contra objicitur: Affectus pervertere rationem & rectum de rebus judicium, hominesque incitare ad omnis generis peccata & vitia, ut quotidiana experientia docet; Ergo esse natura sua malos & penitus exstirpandos. Resp. Falsum esse, omnes affectus rationem pervertere, & vitiorum esse irritamenta; Id enim tantum convenit immoderatis, & qui limites à Deo & natura præscriptos excedunt. Sed quis dicat eum, qui ex amore virtutis sectatur virtutem, & ex odio vitii fugit vitium, rationem pervertere, cum illud potius sit eam perficere? Attamen, inquiunt, videmus hominem affectibus frequentius ad malum quam ad bonum inclinari. Verum est. Sed id fit non culpa affectuum, sed rationis, quæ cum affectibus dominari deberet, se sub eorum servitutem redigi patitur. Cui adde, quod vitiorum exempla magis obvia sunt quam virtutum; & vitia in rebus sensui arridentibus consistunt, cum virtus in arduo & difficili loco posita sit. Objicitur etiam invidiam, quæ est tristitia de alieno bono, & ἐπιχαιρεκακίαν, quæ est lætitia de alieno malo, esse natura sua malas, Ergo quosdam saltem affectus esse natura malos, qui proinde non debeant aut possint ad mediocritatem reduci, sed penitus tolli. Resp. Invidiam in genere consideratam nihil aliud esse quam tristitiam, & sic esse indifferentem. Sed si spectetur secundum specificam suam rationem, quatenus videlicet de alieno bono concipitur, esse quidem plane malam; at tunc non esse affectum naturalem, verum in vitiorum numero reponendam.

X. Quæritur etiam, an affectus sint in hominis potestate? Resp. Primos eorum motus sæpe omne rationis judicium antevertere, mereque esse naturales, quos non possimus impedire ne exoriantur. Sed tamen posse nos si allaboremus eos in ordinem cogere & impedire ne exorbitent. quemadmodum facile est impedire ne aves in capite nostro nidificent, licet ne id prætervolent impedire non possimus. Alioquin, si affectus plane non essent in nostra potestate, vanæ essent omnes leges & præceptiones quæ de sedandis aut moderandis affectibus dantur; nemoque jure posset vituperari aut puniri quod ipsis fræna laxaverit: frustra quoque pueri à teneris instituerentur in virtute, & assuefierent affectibus gaudii & doloris moderari. At, inquies, Affectus rectæ rationis imperium non audiunt, Ergo non est in potestate nostra eos moderari. Resp. Etiamsi quod ad ortum & primos motus non subjaceant rationis imperio, tamen in progressu ei subjici posse & in ordinem cogi: quemadmodum equus nondum domitus, qui fræno parere recusat & sessorem excutit, ita equisonis industria domari potest ut fræni sit patiens, & ad sessoris arbitrium se moveat & quiescat.

XI. Omnium affectuum communia adjuncta sunt voluptas & dolor. Aliquando autem hæ voces usurpantur pro affectibus gaudii & tristitiæ, de quibus postea agendum erit. aliquando vero pro dispositione animæ quæ quorumlibet affectuum motus comitatur. posteriore vero sensu nos hic accipimus. Voluptas est perfectio operationum facultatis cognoscentis. Duplex autem est facultas cognoscens, nempe sensus & ratio. His enim homines objecta percipiunt & dijudicant: ideoque voluptatis & contrarii doloris mensuræ sunt. Unde apparet ut quis voluptate frui possit ipsum utraque hac facultate vel saltem alterutra esse præditum oportere. Quare non tantum homines adulti, qui cum sensu rationis usum habent, sed etiam infantes & bruta, quæ sensibus valent, voluptatis sunt capacia. Et in Deum etiam atque Angelos, licet sensibus destitutos, cadit voluptas propter intellectus excellentiam.

XII. Perfectio vero operationum facultatis cognoscentis duabus in rebus consistit; quarum una facultatem ipsam respicit, altera verò ejusdem objectum. Quod ad facultatem cognoscentem attinet, requiritur ut sit bene disposita, hoc est secundum naturam, & ut in actione sua non impediatur. Alioquin non inde orietur voluptas sed dolor. Ita qui oculis dolent nullam ex visione delectationem percipiunt, sed potius dolorem; idemque contingit cum impedimentum aliquod iis objicitur quod actionem imperfectam reddit. Quod ad objectum vero cognoscendum, debet esse bene affectum, & cum facultate cognoscente, ejusque instrumento convenire. Ita nulla voluptas oritur ex intuitu rei horrendæ, vel nimis lucidæ quæ oculos lædit. Voluptas igitur requirit proportionem objecti & facultatis cognoscentis, qua turbata voluptas

 perit,

perit, dolorque in ejus locum succedit. Hæcque est causa cur voluptas non possit esse perpetua, sed quæ prius voluptatem attulerunt, postea fastidium afferant & dolorem.

XIII. Voluptatis variæ sunt species, nam 1. Voluptas alia est animi alia corporis. Voluptas animi est, quæ sic animo percipitur, ut ad corpus nullo modo pertineat: qualis est quæ oritur ex scientia, vel ex sensu dilectionis Dei. Voluptates autem animi multum corporeis præstant, idque variis de causis: 1. Ob facultatem in qua existunt quæ corpore nobilior est. 2. Ob excellentiam rerum è quibus oriuntur. 3. Quia constantiores sunt & fastidium nunquam pariunt, ut aliæ.

XIV. Voluptas corporis est, quæ sensu percipitur qui corporeus est, & primo atque immediate corpus afficit, deinde per corpus animum. Voluptatis corporeæ tot sunt differentiæ quot sunt sensus. Alia enim est voluptas visus, alia auditus, alia odoratus, alia gustus, alia tactus. Priores tres sunt puriores, quia contactum corporeum rei quæ voluptatem excitat minus requirunt, & sic ad naturam voluptatum animi quodammodo accedunt. Posteriores vero duæ sunt impuriores, quia contactum illum omnino postulant. Præterea voluptates gustus & tactus brutis etiam conveniunt: Illæ vero quæ oculis, auribus & naribus percipiuntur, in bruta non cadunt nisi per accidens, quatenus imaginationem concitant voluptatum ad gustum & tactum pertinentium. Nec enim delectantur conspectu egregiæ alicujus picturæ, aut concentus musici auditu, aut rosarum & aromatum olfactu.

XV. Etiamsi autem voluptates corporis, præsertim quæ tactu & gustu percipiuntur, ignobiliores sint voluptatibus animi, tamen homines ad eas consectandas proniores sunt: idque triplici de causa. 1. Quia voluptates corporis nobis sunt notiores, utpote qui iis statim à pueritia simus assuefacti; animi autem voluptates nonnisi viri facti percipimus, & postquam in virtute intellectus vel morum progressus aliquos fecimus. Illa autem quæ notiora sunt magis vulgo appetimus quam minus cognita. 2. Quia voluptates corporis sunt faciles obtentu; ad veras autem animi voluptates nonnisi magno labore pervenitur. Facilia autem nos alliciunt, à difficilibus vero abhorremus. 3. Voluptates gustus & tactus solet præcedere dolor quidam ex defectu naturæ proficiscens, qui cum sit molestus, ideoque eum depellere studeamus, vehemens voluptatum istarum, quæ sunt remediorum instar quibus tollitur aut mitigatur, desiderium accendunt. In voluptatibus autem animi nihil tale occurrit.

XVI. 2. Voluptas alia est honesta, alia turpis, alia indifferens. Voluptas honesta ea est, quæ ex rebus honestis percipitur, v. gr. ex actione virtutis. Turpis est quæ ex rebus turpibus percipitur, qualis est ea quam percipiunt gulosi cum se cibo & potu ingurgitant. Indifferens vero est quæ percipitur ex rebus indifferentibus, quæ neque honestæ neque turpes sunt, ut ex deambulatione. Omnes itaque voluptates non sunt laudandæ, ut Epicuro visum est, nec omnes vituperandæ ut Platoni & Stoicis placitum est. Sed illæ sunt laudandæ quæ rectæ rationi & legi Dei consentaneæ sunt, vituperandæ quæ illi adversantur.

XVII. 3. Voluptas alia est per se, alia per accidens. Voluptas per se ea est, quam omnes qui secundum naturam bene affecti sunt communiter expetunt. Secundum animum autem bene affecti sunt sapientes & virtute præditi, & secundum corpus qui prospera valetudine fruuntur. Voluptas per accidens est, quam illi expetunt qui affectu aliquo præternaturali laborant, sive is animi sit sive corporis; quales sunt voluptates improborum & ægrorum. Hinc responderi potest ad quæstionem quæ fit, an omnes animi voluptates sint bonæ. Affirmativa enim vera est de animo bene disposito. Nam qui talis est malis non potest delectari. At si pravus est & male dispositus, aliquando etiam ex malis voluptatem capit. Talis est quæ dicitur ἐπιχαιρεκακία. licet illa potius sit affectus quam vere & proprie dicta voluptas.

XVIII. 4. Voluptas est vel communis vel propria. Communis quam omnes naturaliter expetunt, qualis est quæ ex cibo & potu percipitur, &c. Propria quam unusquisque propter peculiarem ἰδιοσυγκρασίαν seu temperamentum quærit, unde dicitur, Trahit sua quemque voluptas. Aliaque est non solum in singulis animantium speciebus, sed etiam ejusdem speciei individuis.

XIX. Dolor est imperfectio operationum facultatis cognoscentis. Imperfectio autem ista vel à læsa vel ab impedita facultate proficiscitur, vel ab objecto facultati non proportionato. Eodem modo dividitur dolor quo voluptas. Quot enim modis dicitur unum oppositorum, totidem etiam alterum dicitur. Dolor ergo 1. est vel animi vel corporis. Dolor animi est, qui sic animo percipitur, ut ad corpus nullo modo pertineat; qualis est qui oritur ex cognitione peccati aut sensu iræ Dei. Dolor corporis est, qui sensu percipitur, & primo atque immediate corpus afficit, & per corpus animum. Estque similiter ut voluptas vel visus, vel auditus, vel olfactus, vel gustus vel tactus. 2. Dolor alius est honestus, alius turpis, alius indifferens. Dolor honestus est qui honestam causam habet, ut si quis doleat quod vitia regnent, quod nomen Dei blasphemetur. Dolor turpis est qui turpem causam habet, ut si quis doleat quod alius sit felix. Huc spectat illud Pauli, *Quæ secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur*, 2 Cor. VII. 10. Dolor indifferens est, qui indifferentem

tem causam habet; & talis est corporeus qui sensibus percipitur in rebus quæ nec honestæ nec turpes sunt moraliter. 3. Dolor alius est per se alius per accidens. Dolor per se est, quem communiter percipiunt qui animo & corpore bene sunt affecti, ex rebus quæ alterutri nocent. Dolor per accidens est, qui ex mala animi vel corporis habitudine proficiscitur, qua fit ut doleamus de rebus ob quas dolere non convenit. 4. Dolor est vel communis vel proprius. Communis quem omnes naturaliter sentiunt, ut ex contusione, solutione continui. Proprius, quem singuli sentiunt ob peculiare temperamentum, unde fit ut quæ alicui cibus sunt, alii venenum sint, ut cicuta, qua delectantur turdi, homines vero interimit.

XX. Ad moderandos affectus causæ ex quibus oriuntur primo cognoscendæ sunt, deinde convenientia iis remedia sunt adhibenda. Quemadmodum enim in curatione morborum corporeorum ad ista duo attendi solet, ita etiam faciendum est in curandis affectibus qui sunt animi ægritudines. Sed ista in genere tantum hic spectantur, in specie postea de iis agitur, cum de singulis affectuum speciebus disseretur. Affectuum causæ aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Externæ causæ sunt quæ extrinsecus adveniunt, ut injuriæ, honoris vel opum jactura, &c. Internæ causæ sunt quæ corpori vel animo nostro adhærent. Corpori, ut dolores qui ipsum discruciant, & propter arctam quæ est inter corpus & animam conjunctionem affectus in anima excitant. Animæ, ut naturæ nostræ corruptio, & ad malum propensio.

XXI. Remedia affectuum sunt vel prophylactica vel therapeutica. Prophylactica sunt, quæ ad præcavendos affectus faciunt, ne nos invadant. Therapeutica sunt, quæ sanant eos postquam nos invaserunt. Utraque triplicis sunt generis, nimirum vel naturalia, vel moralia, vel supernaturalia. Naturalia sunt, quæ petuntur à medicina, quæ pravum corporis temperamentum corrigendo, simul animi perturbationibus medetur. Sic etiam David pulsans citharam, Saulem à melancholico affectu sublevavit. Moralia sunt, quæ petuntur à ratione, ut sunt hortationes, consilia, exempla, &c. Supernaturalia sunt, quæ verbum Dei nos docet, quo pertinent preces sive auxilii divini imploratio, una cum jejunio & carnis maceratione, ut spiritui reddatur obsequentior.

CAPUT V.

De affectibus in specie.

I. Species affectuum primariæ sunt duæ; alii enim sunt simplices, alii mixti. Simplices affectus sunt undecim, quorum sex sedem habent in facultate animæ concupiscente, nempe amor & odium; desiderium & fuga; gaudium & tristitia; quinque vero in facultate animæ irascente, nempe spes & desperatio; audacia & timor, denique ira. Facultas autem concupiscens est quæ versatur circa bonum vel malum simpliciter & absolute spectatum, abstrahendo nimirum à ratione difficilis. Facultas vero irascens est quæ versatur circa bonum vel malum arduum, hoc est circa bonum quatenus est obtentu difficile, vel malum vitatu difficile. Affectus dividuntur vel secundum subjecta, vel secundum adjuncta, vel secundum species. Secundum species quatuor sunt summa affectuum genera, desiderium & fuga, gaudium & tristitia, quorum duo priora versantur circa bonum & malum absens, duo vero posteriora circa præsens. ita placuit Stoicis. Secundum adjuncta alii sunt lenes, alii vehementes, alii cito transeunt, alii perdurant, &c. Secundum subjecta alii sunt juvenum, alii senum, alii divitum, alii pauperum, &c. Compositi sunt sex, videl. misericordia, invidia, æmulatio, verecundia, indignatio & epichærecacia.

II. Probatur autem undenarius numerus affectuum simplicium hac ratione, quod cum facultas concupiscens versatur circa bonum ut bonum est sine consideratione an sit præsens vel absens, inde nascitur Amor, cui opponitur odium mali. Cum vero versatur circa bonum ut absens & obtinendum, excitatur desiderium, cui opponitur fuga mali. Cum denique versatur circa bonum ut præsens & possessum, nascitur gaudium, cui opponitur tristitia de malo præsenti concepta. Pariter cum facultas irascens versatur circa bonum arduum ut absens sed tamen comparabile, oritur spes, & cum æstimatur obtineri non posse, desperatio. Cum vero respicit malum absens, idque apprehendit ut imminens & vitatu difficile, inde nascitur timor, & cum æstimatur propulsari posse, audacia. denique cum versatur circa malum præsens, quod est repellendum, exsistit ira. Non datur autem passio quæ per se directe sit iræ contraria. Nam *ἀοργησία* lentitudo quæ ei videtur opponi, vel nascitur ex apprehensione periculi, & sic est timoris species, vel oritur ex motivo pietatis, & est virtus patientiæ non affectus.

III. *Amor* est affectus complacentiæ in bono quatenus bonum est, sine consideratione an sit præsens vel absens. Objectum amoris est bonum, sive verum bonum sit, sive tantum apparens. Differt ab amicitia, quæ est amor mutuus ab utraque parte cognitus atque officiis reciprocis declaratus; & à dilectione, quæ proprie est amor cum electione, ac proinde non est affectus à sola natura excitatus.

IV. Amor vulgo distinguitur in amorem amicitiæ & amorem concupiscentiæ. Amor amicitiæ, qui etiam benevolentiæ vocatur, est quo aliquid amatur propter ipsum, non vero propter delectationem aut utilitatem ex ipso percipien-

piendam. Sic amamus nos propter nos ipsos, & matres amant prolem recenter natam. Amor concupiscentiæ est quo amatur aliquid propter delectationem aut utilitatem inde redundantem. Sic amamus cibum & potum, quatenus jucundi sunt & vitæ conservandæ utiles. Amorem personæ primo solet excitare oris venustas, & pulchritudo, quæ in oculos incurrit & tacita quadam vi ad sui amorem allicit. Secundo amorem excitat similitudo, sed præsertim ea quæ in moribus, affectibus & studiis cernitur; quo etiam pertinent familiaritas & convictus: tertio amorem eliciunt comitas, mansuetudo, liberalitas: quarto ipse amor amorem excitat. Nam, ut inquit Seneca, vis philtrum sine poculo, si vis amari, ama. Interna vero amoris causa est calor & subtilitas sanguinis; unde fit ut homines temperamenti sanguinei proniores sint ad amorem. 2. Amor est vel personæ, vel rei. Personæ, Dei, hominum. Rei, ut divitiarum. Sub amore personæ comprehenduntur ea quæ personæ adhærent & ob quæ amatur, ut forma, ingenium, probitas, &c. 3. Amor alius est honestus, alius turpis. Honestus amor est quo amamus quæ oportet vel licet amare, & prout amare oportet. Turpis amor est, quo amamus quæ non licet, vel non eo modo quo oportet.

V. Amoris effectus sunt varii. Primus est assimilatio qua amans amato se conformare studet. Secundus est unio, per quam amans amatæ personæ consortium quærit, vixque ab illa se unquam divelli patitur, de ea cogitare & loqui semper solet. Unde vulgatum illud, anima magis est ubi amat quam ubi animat. Idque indicat scriptura cum dicit de Jonathane, animam ipsius conglutinatam fuisse animæ Davidis, 1 *Sam.* XVIII. 1. Tertius est consiliorum & bonorum inter amicos communio. Quartus est zelus quo amans removet obstacula quibus rei amatæ possessio vel impediri posset vel retardari. Solus enim vult amare, & solus amari, tertiumque in consortium non admittit.

VI. Amor honestus, qualis est Dei, parentum, liberorum, conjugum, virtutis, est excitandus in nobis & fovendus. Sed turpis eradicandus. Remedia adversus illum sunt otii fuga, Nam otia si tollas, &c. David otiosus tentatus fuit, &c. Parcimonia in cibo & potu, nam sine Cerere & Baccho friget Venus. Avertendi sunt oculi à re quam non licet amare, precibus vacandum & lectioni Sacrarum literarum, cœlestia sunt amanda. Sanguis etiam aliquando detrahendus, qui calore suo & copia affectum illum accendit.

VII. Amori opponitur *odium*, quod est affectus displicentiæ in malo quatenus malum est, sine consideratione an sit præsens vel absens. Estque vel personæ, vel rei. Illius causæ & effectus patent ex iis quæ de amore dicta sunt, cum contrariorum contraria sint attributa. Remedium hujus affectus est charitas, qua qui præditus est ita vitia oderit, ut personas amet, easque ad saniorem mentem reducere conetur.

VIII. *Desiderium* est affectus erga bonum absens, quod ut conveniens fuit apprehensum. Dicitur etiam concupiscentia, voce hac strictius accepta, cum generaliter omnes affectus significet, & speciatim eos qui sunt in facultate concupiscente. Differt ab amore duobus modis. 1. Quia amor versatur circa rem quæ habetur, tam præsentem quam absentem, desiderium vero circa rem habendam, eamque absentem. 2. Quia amor est vel personæ vel rei, desiderium vero est tantum rei. Illius tamen eædem fere sunt causæ & effecta quæ amoris. Est item aliud honestum, aliud turpe. Desiderio opponitur *fuga*, quæ est affectus quo malum absens aversamur, quod ut inconveniens apprehendimus.

IX. *Gaudium* est affectus quo erga bonum præsens & possessum ferimur. Vocatur etiam lætitia, delectatio, voluptas, voce voluptatis angustius quam antea accepta. Differt etiam duobus modis ab amore, 1. Quia gaudium bonum tantum præsens respicit, amor tam ad absens quam ad præsens refertur. 2. Quia gaudium circa rem proprie versatur, amor vero tam circa rem quam circa personam. Easdem etiam habet in genere causas & effecta quæ amor. Speciatim vero gaudium cor dilatat, quam dilatationem sequitur diffusio sanguinis & spirituum ad corporis partes extremas. Sanitatem item parit vel tuetur, quia isto cordis motu recreantur spiritus vitales & purificantur. Immodicum tamen gaudium, præsertim repentinum, periculosum est, quia in eo nimio impetu spiritus vitales ex corde erumpunt, unde concidit facultas vitalis, & mors aliquando sequitur. Præterea omne gaudium ex rebus corporeis, cum diuturnius aut vehementius est, fastidium tandem parit, quia turbat proportionem objecti & facultatis naturalis quæ à vehementi sensili lædi solet. Gaudium etiam sicut amor, aliud est honestum, aliud turpe, quorum illud est quod ex rebus honestis, hoc vero quod ex turpibus concipitur. Gaudii immoderati remedia sunt, considerare omnia humana esse caduca & fluxa, gaudium facile in tristitiam mutari, voluptates etiam honestas animi vim relaxare, & ad præclaras actiones segniores reddere, ideoque parce sapienti usurpandas.

X. Illi opponitur *tristitia*, quæ est affectus quo à malo præsente cum quadam inquietudine abhorremus, sive malum jam reipsa sit præsens, sive tantum secundum imaginationem, quæ id animo præsens reddit. Vocatur etiam dolor, voce doloris strictius accepta. Tristitia tamen differt à dolore in eo, quod dolor promiscue de animo & de corpore dicitur, tristitia vero ad solum animum refertur. Illa oritur ex malo præsenti, vel pro præsenti habito, quo etiam refertur bonum amissum, & retardatio

datio adeptionis boni, atque omne quod resistit appetitui. hæc enim speciem habent mali. Per accidens amor & desiderium tristitiam pariunt, vel ob rei amatæ & desideratæ absentiam, vel ob metum amittendi, seu desiderio non potiendi. Illa cor contrahit & sanguinem ac spiritus ab extremis ad illud revocat, morbosque parit & mortem accelerat. Imo etiam ex immoderata & repentina tristitia, sicut ex immoderato & repentino gaudio mors sequi potest, sed ob contrariam rationem, nempe quia vi repentinæ & vehementis tristitiæ cor ita constringitur, ut in eo calor vitalis ventilatione carens, suffocetur, indeque mors eveniat. Remedia tristitiæ sunt, magnitudo animi qua casus humani despiciantur, quærere gaudia solida quæ eripi non possint, ut solatium bonæ conscientiæ, Dei metum, alloquia amicorum quæ dolorem levent, somnus etiam & moderata exercitatio, calorem excitando & spiritus debilitatos reficiendo.

XI. *Spes* est affectus qui tendit in bonum absens ut acquisitu difficile sed tamen possibile. *Desperatio* contra est affectus qui tendit in bonum absens, non tantum ut acquisitu difficile, sed etiam impossibile. Sub bono vero hic comprehendo mali evitationem, quæ boni rationem habet. Spes autem & desperatio inter affectus recensentur, quatenus deliberationem antevertunt; Postquam enim rationis judicio & voluntatis imperio sunt corroboratæ, ad classem virtutum & vitiorum pertinent. Et in genere virtutes & vitia nominibus affectuum designantur, quia circa illos affectus versantur, & peculiare nomen non habent. Ita cum nomen alicujus qui mihi occurrat ignoro, describo eum à vestibus quas gestat, aliisque ejusmodi externis. Spes & desperatio magnam habent cum desiderio affinitatem: Sed illud tantum inter ipsa est discriminis, quod spes sit desiderium animum exhilarans & ad suscipiendum impellens; desperatio vero est desiderium animum crucians, & ab agendo plane deterrens.

XII. Causæ spei sunt variæ. Aliquando in experientia fundamentum suum habet. Qui enim antea sæpe in cœptis suis felix fuit, facile sperat se in posterum similem eventum consecuturum. Aliquando contra oritur ab imperitia. Qui enim dubiæ & ancipitis Martis fortunæ imperitus est, facile sibi victoriam pollicetur. Hinc fit ut juvenes, utpote humanorum casuum imperiti, facile sperent; senes vero, qui fortunæ inconstantiam sæpius in se vel in aliis sunt experti, ad desperationem proniores sint. Licet alia etiam istius diversitatis ratio à temperamento peti possit. Sanguineus enim calor, quo juvenes maxime abundant, eos in spem erigere solet; melancholicum vero frigus quod in senibus obtinet eos ad desperationem facile inducit.

XIII. Effectus spei sunt longanimitas in exspectando, patientia in tolerando, audacia in aggrediendo, & alacritas in operando. Desperationis vero contraria, nisi quod aliquando per accidens desperatio audaciam parit. Unde in bellis periculosum est hostes ad desperationem vitæ compellere. Jucundissimus est spei affectus hominesque in malis sustentat, ideo alendus est, & ea cor adversus desperationem muniendum. Cato:

Rebus in adversis animum submittere noli,
Spem retine, Spes una hominem nec morte relinquit.
Atque aliquis pendens in cruce vota facit. Ovid. lib. I. de Ponto, Eleg. 7. ad Græcinum, *Hac dea, cum fugerent*, &c. & in Appendice Virgil. lib. I. tit. 18. *Spes fallax, spes dulce malum.*

XIV. *Audacia* est affectus qui tendit in malum, seu periculum imminens, quod superatu apparet difficile, sed tamen possibile. Vocatur à quibusdam fiducia & confidentia, sed differunt tamen in eo, quod fiducia bonum primo & per se respicit, audacia vero respicit malum ut id superet, & tandem bono potiatur. Audaciæ eædem prope causæ sunt quæ spei, experientia nempe vel opinio propriæ virtutis, seu adversariorum imbecillitatis; item imperitia. Nec non calor cordis, & vinum. Effectus sunt caloris & sanguinis diffusio, bilis commotio, contemtus periculorum. Remedia, experientia, modeste de se sentire, adversarios non despicere.

XV. *Timor* seu metus est affectus qui refugit malum, seu periculum imminens, quod tamen apparet vitatu possibile. Differt à tristitia, quæ respicit malum præsens, cum hic versetur circa futurum. Consternatio est summus timoris gradus in malo vitatu pene impossibili. Causæ timoris sunt sanguis frigidior, unde fit ut senes & fœminæ metu facilius corripiantur juvenibus & viris. Nonnunquam occulta quædam antipathia est causa metus, indeque oritur timor, quo ovis conspecto lupo, pullus conspecto milvo, & homines conspecto serpente corripiuntur. Imo quosdam videas qui ad aspectum felis expavescant, & de leone dicitur eum ad galli cantum horrore corripi. Qui magno sunt corde solent esse meticulosi, ut lepores; nimirum quia in magno receptaculo calor facile dissipatur, & vis unita solet esse fortior.

XVI. Post tristitiam nullus est affectus timore perniciosior, & qui tum corpori tum animo plus noceat. Primo enim contrahit & debilitat cor, ad cujus opem spiritus & sanguis accurrunt, unde nascitur pallor in vultu, frigus externarum partium, tremor membrorum, præsertim eorum quæ magis mobilia sunt, ut poplitum, & labelli inferioris, eriguntur capelli, nonnunquam repente cani fiunt, vox hæret faucibus, lingua titubat, sitis cruciat, alvus & vesica laxantur. Deinde animum perturbat, memoriam labefactat, suspiciones gignit, meticulosi enim omnia solent augere in majus. Crudeles etiam sunt timidi, quia dum ab omnibus sibi metuunt,

tuunt, omnes perditos volunt, ut sint in tuto & securi. Remedia timoris sunt, Moderate amare bona hujus mundi, opes, vitam: qui enim impense ea amat, semper cruciatur metu amittendi. Item assuefacere se rebus terribilibus & animum adversus eas obfirmare. Sed ante omnia timor Dei, & charitas erga alios expellunt mundanos metus.

XVII. *Ira* est affectus puniendi, seu doloris illi qui intulit reponendi. Differt ab iracundia, quod hæc sit assuetudo, illa vero actus. Item ab odio variis modis. 1. Quod odium possit esse sine ullo affectu puniendi, ut cum odimus diabolum, vel tyrannum aliquem; ira minime. 2. Quod odium gravius sit ira; odium enim est obfirmatus affectus, in quem ira cum diu perseverat tandem desinit. 3. Quod odium feratur etiam adversus eos à quibus nulla affecti sumus injuria, ut adversus improbos, & improbitatem: ira vero exardescat tantum ex opinione acceptæ injuriæ. 4. Quod odium feratur tam erga rem quam erga personam; ira vero erga personam tantum, aut quod tanquam persona est. Nemo enim nisi insanus irascitur trunco aut lapidi. Iræ nullus est affectus contrarius; Oritur enim ex malo quod reponere cupit, à quo nullo affectu prohibetur, sed tantum aliqua virtute, nempe lenitate, & clementia, quæ ipsius impetum vel antevertunt ne erumpat, vel ortum comprimunt.

XVIII. Tres sunt iræ gradus, primus est cum bilis moveri incipit & sanguis effervescere. Secundus dicitur excandescentia, quæ est vehemens irá, sed brevis. Tertius est furor qui diuturnior est, & vix placari potest. Unde illud Horatii ad utrumque discernendum, *Ira furor brevis est*, quod de secundo iræ gradu, excandescentia intelligendum est. Tres quoque sunt species hominum iracundorum, primi sunt ὀργίλοι, qui facile quidem ira corripiuntur; sed eam facile deponunt. Secundi sunt πικροὶ amari, qui quidem non ita facile commoventur, sed irati vix placantur; tertii sunt χαλεποὶ difficiles seu sævi, qui nempe ad iram proni sunt nec placari possunt, nisi extorta ultione. Sanguinei temperamenti homines facile concipiunt iram, quia sunt calidi, sed facile etiam deponunt quia humidi. Biliosi temperamenti facilius ira inflammantur sanguineis, quia calidiores sunt, & diutius eam retinent, quia sicciores. Pituitosi nec facile iram concipiunt, nec diu retinent, illud quia sunt frigidi, hoc quia sunt humidi. Melancholici tarde ira corripiuntur, quia sunt frigidi, sed diutissime eam retinent quia sicci. Cibi calidi, vinum, aromata & inedia reddunt etiam ad iram propensos.

XIX. Causa iræ est contemptus nostri vel nostrorum, seu opinio quam de eo concepimus. Eundem enim hic effectum producit opinio atque res ipsa. Contemptus autem est vel conjunctus cum injuria & violentia aperta, ut si quis nos percutiat vel vulneret, vel cum derisu & contumelia, qua magis solent accendi qui sunt generosi animi & in dignitate aliqua constituti. Auget iracundiam personæ conditio, gravius enim est offendi ab amicis, subditis, vilis conditionis hominibus, vel iis quos beneficiis affecimus, quam ab aliis, auget quoque locus, & aliæ circumstantiæ; gravius enim est in hominum conspectu & frequentia quam privatim & semotis arbitris derideri. Infirmiores, & in quibus vitium aliquod naturæ est, facilius solent irasci cæteris, quia citius concipiunt opinionem se contemni, ut claudi, lusci, gibbosi; item fœminæ, senes &c. Sed divites quoque & potentes in eam ob fastum quo turgent valde proni sunt. Putant enim se contemni, si quis vel ad minimum nutum eis morem non gerat.

XX. Effectus iræ primus est fervor seu ebullitio sanguinis circa cor, deinde ejus ad exteriores partes diffusio, quam aliquando comitatur rubor, aliquando vero pallor. Ruborem causat spes cum desiderio reponendæ injuriæ, & in iis qui generosioris sunt animi conspicitur. Pallorem inducit ingens tristitia ob acceptam injuriam, metusque ne qui intulit elabatur inultus; & signum est animi abjectioris. Cor quoque in ira palpitat, ardent oculi, titubat lingua, tremunt labia, manus & poplites, crepant dentes, totum denique corpus indecore concutitur. Inde perturbatio rationis sequitur, verba jactantiæ plena, minæ, verbera, cædes, blasphemiæ; Et in nonnullis vomitus biliosus, febrisque & cita mors; ita ut ira Iliadem malorum complectatur.

XXI. Unde non immerito quæritur, an irasci aliquando sapienti liceat. Nam qui omnino id illicitum esse contendunt, pro sua sententia perniciosos quos modo commemoravi iræ effectus urgere solent. Sed tamen responderi potest, iram non minus esse naturalem affectum quam cæteros, ideoque nec posse nec debere penitus eradicari. Sufficit si intra rationis cancellos contineatur, ne eos transiliat. Unde Paulus ad *Ephes.* IV. 26. dicit, *Irascimini & nolite peccare.* Quamvis enim illud, *Irascimini*, permissio potius sit quam præceptum, tamen aliquam iram esse licitam arguit. Sicut ex eo quod prohibet peccare irascendo, id fieri nonnunquam posse absque peccato recte colligitur. alioqui monitio ista esset ridicula, perinde ac si quis diceret, Ambula, sed cave ne ambulando movearis. Distinguendum est igitur inter iram moderatam & immoderatam, quarum illa est affectus puniendi moderatus in eo qui justam id faciendi causam habet; hæc vero etiamsi interdum justam causam habeat, modum tamen in commotione sua non servat. Unde Paulus loco modo citato addit, *Sol ne occidat super iram vestram, nolite locum dare diabolo*; ut ostendat etiam justam iram esse frænandam, ne diu ei indulgendo diabolicæ tentationi locus detur.

XXII. Re-

XXII. Remedia quibus ira compescitur & intra rationis gyrum continetur sunt hæc. Primo aliorum dicta & facta, quæ contemptum nostri sapiunt, in bonam partem quatenus fieri potest sunt accipienda, & inadvertentiæ potius aut perturbationi quam offendendi animo sunt tribuenda. Secundo, modeste de nobis sentire oportet, atque existimare nos posse aliquid contemptu aut offensione alterius dignum admittere. Tertio rixosorum conversatio fugienda, & iis qui lenioris sunt animi se adjungendum. Quarto removendæ sunt occasiones irascendi, ut faciebat Cotys, qui elegantia vasa vitrea sibi donata frangebat, ne adversus servos qui ea frangerent posset irasci. Quinto attente & frequenter consideranda sunt mala quæ ex ira in nos vel alios redundare possunt. Sexto perpendere oportet quam prope ad ferarum indolem aut amentium accedat iracundus. Unde Socrates suadebat iratis ut faciem intuerentur in speculo, ut abhorrerent ab affectu qui eam ita turpiter fœdaret. Septimo tempus rationi concedendum ut se colligat & adversus belluinum iræ impetum se armet; quod volebat Athenodorus, qui suadebat Augusto ut cum sentiret se ira commoveri, 24. Græci alphabeti literas apud se enumeraret priusquam quicquam diceret aut faceret. Sed parum efficax erat ejusmodi remedium. Præstantius est multo & plane divinum, orationem dominicam attente ac devote pronunciare, in quo efficacissima adversus istum affectum habemus antidota.

XXIII. Hactenus de affectibus simplicibus, sequuntur mixti seu compositi, Quorum primus est *Misericordia*; Ea est tristitia de alieno malo ut proprio existimato, cum succurrendi affectu. Composita est ex tristitia & desiderio. quarum illa oritur ex malo in quod quempiam immerito incidisse existimamus: Eorum enim quos juste pati credimus vix solemus misereri. Hoc vero est affectus illi subveniendi. Malum autem istud est præcipue pœnæ seu afflictionis, non vero culpæ, etiamsi ob id etiam tristari nos conveniat, & de eo qui admisit in rectam viam reducendo sollicitos esse. Laudatissima est hæc passio & quam Christus nobis ab exemplo ipsius Dei commendat, dicens, *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est*, *Luc.* VI. 36. Quare gravissime errant illi qui ipsam eradicare volunt, cum potius omni studio sit fovenda, ut fons & origo operum charitatis. Regerunt quidem illi, bene faciendum esse miseris, sed sensum miseriæ ipsorum in animum nostrum non esse admittendum, idque ad instar Dei, qui nullam ex alienæ miseriæ intuitu tristitiam percipit. At resp. sine ejusmodi sensu doloris fieri non potest ut prompti satis simus ad aliis subveniendum; ideoque Deum nobis ipsum natura velut stimulum charitatis insevisse.

XXIV. Ad misericordiam propensiores sunt meticulosi & infirmi, ut fœminæ, pueri, senes. Et qui opinantur eadem mala cum quibus alios conflictari vident sibi suisque contingere posse, vel ipsa aliquando sunt experti. Unde Dido apud Virgilium dicebat, *Non ignara mali miseris succurrere disco.* Felices vero quibus omnia ex voto fluunt, & potentes qui nihil ab aliis sibi timent, non ita solent alienæ miseriæ sensu affici. Item qui sunt in extrema positi calamitate miseratio vix tangit, cum enim urgeantur propriis malis, de alienis non cogitant. Ad excitandum in se hunc affectum propriis oculis alienas miserias intueri convenit. Profundius enim in animum descendunt visa, quam tantum audita. Quare peccarunt sacerdos ille & Levita de quibus Christus *Luc.* X. qui conspecto homine seminece, alia via prætererunt, ne propiore intuitu ad misericordiam commoverentur. Magni facienda est misericordia, quia misericordes misericordiam consequentur, *Matth.* V. 7. *Judicium sine misericordia erit illi qui non exercuerit misericordiam*, *Jacob.* II. 13. Idque ultimus dies comprobabit, in quo misericordes Christus secum in æterna gaudia assumet, immisericordes cruciatibus æternis devovebit, *Matth.* XXV.

XXV. Secundus est *Invidia*, quæ aptius invidentia vocatur, cum invidia tam sit eorum qui invident, quam quibus invidetur. Estque tristitia de bono alieno, æstimato ut malo proprio. Iste affectus est plerumque malus, utpote à naturæ corruptione ortus, ideoque potius est eradicandus, quam ad mediocritatem quæ difficillime hic reperitur reducendus. Licita tamen videtur esse invidia, qua improbis bona illa invidentur quibus tum ad suam, tum ad aliorum perniciem abutuntur. Remediis adversus eam duorum generum opus est, Cavendum enim est non solum ne invideamus, sed etiam ne nobis invideatur. Illud autem præstabit charitas & amor proximi, quo qui accensus erit, nunquam bonis ejus tristabitur. Hoc vero quadantenus obtinebimus, si in rebus prosperis non insolescamus, sed simus erga omnes comes & benefici. Nam aliorum invidiam plane frænare impossibile est.

XXVI. Tertius affectus est *æmulatio*, quæ est tristitia de bono alieno, quatenus illud nobis deest. Vocatur etiam zelus, & aliquando est ad virtutem stimulus; solummodo cavendum ne in invidiam degeneret. Differt à zelotypia quæ in conjugibus aliquando locum habet, pessimaque est perturbatio, omni studio eradicanda.

XXVII. Quartus affectus est *Verecundia* seu pudor, quæ est timor mali ignominiam afferentis. Oritur à re turpi, aut quæ pro turpi habetur, & erubescentiam producit: natura enim ad tegendam verecundantis faciem sanguinem veluti velum per faciem ejus diffundit. Laudatur hic affectus maxime in juvenibus tanquam signum bonæ indolis. Nam impudentis est & in

in malo obfirmati nunquam erubescere. Non probatur in senibus, quia nihil admittere convenit, cujus pudere ipsos possit. In nulla tamen ætate indecorum est ad suarum laudum auditum pudore aliquo suffundi.

XXVIII. Quintus affectus est *indignatio* seu *nemesis*, quæ est tristitia de bono alieno, quatenus judicamus eum isto bono esse indignum. Causæ illius sunt bona fortunæ quæ vocantur, ut opes, honores, forma, robur, &c. ob virtutem enim alterius nemo indignatione corripitur. Hic etiam est videndum, ne quid ejusmodi indignatio cum invidia affine habeat. Nec ei admixta esse debet ἐπιχαιρεκακία, quæ est cum quis odio impulsus alieno gaudet malo, ideoque in vitiorum potius censum quam affectuum naturalium referri debet. Nihil enim magis alienum est ab humanitate & misericordia.

CAPUT VI.

De legibus.

I. HActenus de objecto virtutis, sequitur ut agamus de norma ad quam illa est componenda, quæ est lex. Cum autem varia sint legum genera, illæ tantum sunt Ethicæ considerationis, quæ hominum mores regunt. Itaque huc non pertinet lex illa naturæ generalis, secundum quam omnia in orbe fiunt, astra moventur, terra fruges producit, animalia nascuntur & moriuntur, contra quam peccat natura quando monstra producit. Neque leges artium, non modo liberalium, ut Rhetoricæ, Poëticæ, sed etiam illiberalium, ut sutoriæ, adversus quas qui peccat non propterea est improbus, sed imperitus. Lex autem dicta est à ligando, ut vult Cicero lib. 1. de legib. quia homines vinculo quodam ligat vel astringit. Alii malunt nomen habere à legendo, quia Romæ leges in foro proponebantur legendæ populo, antequam ratæ essent & vim obligandi haberent. Alii denique ita appellatam putant quod sit lecta, id est electa vivendi regula. Græcis dicitur νόμος à νέμω tribuo, quia unicuique quod suum est tribuit. Hebræi vocant *Thorah*, id est doctrinam, quia opus est ut doceatur.

II. Lex universim accepta est regula humanorum actuum per se habens vim obligandi ad aliquid agendum vel non agendum. Cicero eam sic definit, Lex est ratio summa insita in natura quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Sed definitio hæc angustior est quam par sit, non quadrat enim in omnes leges, v. gr. in leges de testamentis, servitutibus, neque in ceremoniales & judiciales Mosis.

III. Dividitur lex in æternam & participatam, seu potius in originariam & derivativam. Lex æterna est divinæ mentis actus quo Deus judicat quid sit fas & honestum quid nefas & inhonestum in actionibus humanis. Distinguunt autem actiones humanas ab actionibus hominis; quod illæ solæ sint liberæ, & homini qua homo propriæ; hæ vero illi cum brutis animantibus communes. Lex participata est ea quæ ab æterna lege quodammodo participatur & derivatur. Estque duplex divina vel humana. Lex divina est quæ Deum habet auctorem: humana vero quæ hominem.

IV. Lex divina iterum dividitur in naturalem & positivam. Lex naturalis est vel ea quam Deus homini in creatione impressit, vel ea quam postea inde deductam ei revelavit. Lex homini ab ortu indita nihil aliud est quam ratio per quam homo à brutis distinguitur, & judicat quid honestum sit & agendum, quid inhonestum sit & fugiendum. Hæc enim lex naturaliter in cordibus omnium hominum, etiam maxime barbarorum, est insculpta, & statim atque usum rationis habent incipit se exerere. Hinc fit ut nulla gens tam fera aut inculta reperiatur quæ non putet Deum esse colendum, parentes honorandos, abstinendum ab homicidio, furto, lapsum erigendum, reducendum errantem in viam, alteri non faciendum quod tibi fieri non vis, &c. De hac lege intelligendum est illud Pauli, *Gentes quæ non habent legem, naturaliter faciunt quæ sunt legis*, *Rom.* 11. 14. Ubi per eos, *qui non habent legem*, significantur ii ad quos lex moralis per legem lata non pervenit; quos paulo post dicit habere opus legis inscriptum cordibus. Atque ex hoc fonte promanarunt tam multæ leges de æquo & bono à legislatoribus Ethnicis latæ, ab ipsa natura rationali haustæ. Nec obstat quod apud quosdam populos repertæ sunt nonnullæ leges aut consuetudines impressionibus naturalibus pugnantes, ut quibus furta, liberorum expositio, permittebantur. Hæ enim paucorum fuere, ægre admissæ, & tandem per contrarias leges meliores sunt abrogatæ, aut in desuetudinem abierunt.

V. Differt hæc lex naturaliter impressa à conscientia in eo, quod lex est regula universalis jubens, aut vetans: at conscientia est examen sui ipsius ad hanc regulam. Istius autem regulæ cognitio alte sedens in animo est synteresis. Exempli gratia homicida sic apud se ratiocinatur, Omnis homicida dignus est morte, Ego sum homicida, Ergo dignus sum morte. Major hujus syllogismi est lex naturæ per synteresim in animo conservata. Sed totius syllogismi constructio est conscientiæ opus.

VI. Lex naturalis à Deo homini revelata est Decalogus, quem olim Deus in monte Sinai Israëlitis pronunciavit & duabus tabulis lapideis descriptum Mosi dedit; cujus præcepta moralia, quinque libris Mosis comprehensa, nihil aliud sunt quam expositio. Decalogi enim præcepta omnia ad legem naturalem pertinent, excepto quarto de quiete Sabbathi. In quo tamen est illud naturale, ut ad exemplum Dei, qui absoluta creatione ab operibus suis quievit, etiam homines

nes ab operibus suis quiescant, & tempus aliquod meditationi & celebrationi operum divinorum impendant. Dubitatur etiam de præcepto secundo, in quo prohibentur confici imagines in quibus Deus colatur, utrum ad naturalem legem sit referendum. Sed quamvis non ita evidenter ex ea fluat ut primum, inde tamen omnino suam habet originem. Et malum est imagines facere ad cultum, non tantum quia Deus id hoc præcepto prohibuit, sed etiam quia sua natura tale est. Qua de causa Gentes quæ legem non habebant reprehendit Paulus, quod *mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis & volucrum & quadrupedum & serpentium, Rom. 1. vers. 23.* Nec id tantum, sed etiam addit, *Propterea Deum tradidisse illos in desideria cordis illorum in immunditiam*, &c. Tam graviter autem Deus bonus & æquus istud factum in gentibus non vindicasset, nisi violationem legis naturalis contineret.

VII. Hæc lex naturalis æqui & boni est prorsus immutabilis, adeo ut Deus non videretur esse id quod est sua natura, hoc est optimus & sanctissimus, si eam rescinderet aut de ea aliquid relaxaret. Nec enim est quod quis putet Deum ipsam rescidisse, quando jussit Abrahamum proprium filium suum offerre in holocaustum, & Israëlitas sub specie mutui spoliare Ægyptios supellectili sua aurea & argentea. Nam præterquam quod præcepta ista aut exceptiones à lege sunt singulares quæ regulam non faciunt, etiam dici illud potest, legi naturali conforme in primo exemplo ut homo plus diligat Deum, quam filium, & ad illius jussum, qui immortalitate donare potest sibi obedientes, vitam temporalem filii charissimi in honorem Dei impendat. Et tamen Deus, ne à sua lege naturali resilire videretur, probato Abrahami prompto ad obediendum animo, factum ipsum inhibuit. Et quod ad alterum exemplum attinet, nihil in eo est adversus naturæ legem. Nam quamvis sine speciali Dei jussu non licuisset Israëlitis fraudare Ægyptios suis bonis, tamen quin Deus omnium totius mundi bonorum sit absolutus Dominus, qui ea dare & adimere potest cuicumque velit, nullum est dubium. Justa autem erat causa adimendi ista bona Ægyptiis, qui crudeli & inhumana servitute Israëlitas oppresserunt, & meriti erant illa Israëlitæ suis laboribus, quorum nullam mercedem ab Ægyptiis acceperant. Eadem est ratio bellorum adversus populos Cananæos, quos speciali Dei jussu deleverunt & possessione terræ suæ expulerunt. Nam populi isti meriti erant sceleribus suis contra naturam excidium, & Deus Israëlitis tanquam exsecutoribus suæ vindictæ adversus eos utebatur, & regionem illorum possidendam ipsis dabat. Absque quo Dei jussu bella illa nihil aliud fuissent quam mera latrocinia.

VIII. Sed quid de lege D. Christi statuendum, qua jubet ne resistamus malo, & si quis nos percusserit in maxillam dextram obvertamus illi & alteram, &c. estne hæc lex naturalis? Respondeo, consideratam cum præmio quod observantibus illam promissum est nullo modo à naturali æquitate discedere. Beatos illi scipsos judicare debent, qui levi bonorum & commodorum temporalium jactura æterna sibi comparare possunt. Præterea naturale in ea est, quod excellens medium continet ad pacem inter homines conservandam, quibus etiam nulla præmii cœlestis habita ratione, præstet aliquando injurias acceptas dissimulare, quam vindicare eas volendo in periculum graviores accipiendi se conjicere. Verumtamen lex ista non est propterea naturalis dicenda, sed potius est supernaturalis, quia nemini natura est nota, ideoque non peccant gentes quibus non est revelata, si ad eam mores & vitam suam non componant.

IX. Lex divina positiva dicitur, quæ non est in naturali æquitate & ratione fundata, aut saltem ita manifeste ut à quolibet statim id agnosci possit, sed à mero Dei arbitrio pendet, qui si voluisset diversa omnino aut etiam contraria illi præcipere potuisset. Tales sunt leges ceremoniales & judiciales populo Israëlitico olim præscriptæ. Ceremoniales leges dicuntur, quæ cultum Dei dirigunt in rebus quæ sua natura neque honestæ neque turpes sunt, sed indifferentes, & ob solum Dei mandatum sunt faciendæ aut omittendæ. Quales sunt leges circumcisionis, sacrificiorum, festorum, abstinentiæ à diversis cibis, &c. quarum plerumque nulla ratio dari potest, nisi sola Dei voluntas. Ubi autem aliquod in æquitate naturali fundamentum habent, sunt quidem veluti propago legis naturalis, sed tamen neminem obligant nisi accedente expressa Dei voluntate. Christus paucas ejusmodi leges instituit. Vix enim alias reperies in Novi Fœderis libris præter baptismum & Cœnam Domini, quarum observatio omnibus ejus discipulis sit præcepta. Leges judiciales sunt, quæ spectant regimen politicum populi Israëlitici, veluti de pace aut bello, de venditionibus & emptionibus, de judiciis litium, criminum pœnis, & similibus. Tales nullas leges Christus in Novo Fœdere præscripsit, qui regimini politico nullo se modo immiscere voluit. Sed neque Mosaïcas abrogavit, quæ quamdiu politia Judaica duravit etiam à Christianis legitime observari poterant. Et quod ad alios principatus aut respublicas attinet, illi qui legum ferendarum potestatem habent, id solum cavere debent, ne ullas constituant quæ cum charitatis Christianæ præceptis convenire non possint.

X. Lex positiva divina, neminem obligat nisi Israëlitas quibus est expresse data; Ideoque cum varii populi reprehendantur in scriptis Prophetarum quod scelera contra legem naturalem commiserint, nunquam iis exprobratum vide-

videbis quod circumcisionem aut festa Judæorum non observarint. Præterea cedit dignitate legi naturali, adeo ut quando utraque simul non potest observari, præstet positivam & ceremonialem violare quam naturalem, ex. gr. operari Sabbatho ad succurrendum ægro qui in vitæ periculo versatur. Qua de causa Dominus Jesus dicebat, *Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum*, *Marc.* II. 27.

XI. Variæ conditiones requiruntur in omni lege positiva, sive ea divina sit sive humana. Prima est, ut sit rationalis. Omnis enim vera lex est participatio quædam legis æternæ, & secundum naturam esse debet, illiusque veluti anima est æquitas. Unde sequitur omnem legem debere esse possibilem observatu. Nam jugo impossibili alium gravare est iniquum, & natura docet ad impossibile neminem teneri. Itaque male sentiunt de legis divinæ æquitate, qui dicunt eam etiam cum Dei auxilio observatu esse impossibilem. Attamen etiam injusta lex obligat, si is qui eam fert legislatoriam habet auctoritatem; quales sunt principes & summi magistratus in qualibet ditione: intellige autem injustam præcipienti, non observanti. Nam quæ observatu injusta est non obligat; imo propter conscientiam tenemur ei non parere. Ita cum Pharao imponebat Israëlitis onera æquo graviora quæ tamen ferre poterant, tenebantur illi obedire. Sed quando præcipiebat obstetricibus ut omnes mares in ipso ortu interimerent, grandi scelere apud Deum se obstrinxissent si paruissent. Secunda conditio est, ut lex non uni aut alteri personæ imponatur, sed toti alicui communitati: alioqui nomen legis non meretur, sed est proprie mandatum aut præceptum. Verumtamen si omnibus iis qui in aliquo loco degunt, urbe vel insula, sit lata, quantumvis paucissimi sint, legem dici nihil obstat. Ita interdictum Adamo & Evæ factum de edenda arbore scientiæ boni & mali non minus lex erat, quam circumcisionis. Tertia conditio est ut lex constituatur ab eo qui illi communitati præest, cui lex imponitur. Ejusdem enim est legem imponere alicui communitati cujus est eam regere, cum legum constitutione maximam partem regatur civitas. Regendi autem jus ille tantum habet qui præest. Itaque si rex Hispaniæ vellet imponere leges Gallis, vel rex Galliæ Hispanis, neutri obedire tenerentur. Et si privatus aliquis leges omnium æquissimas conscripsisset, neminem obligarent, nisi quatenus præcepta de naturali æquitate continerent, quibus sine lege omnes parere tenentur. Nec pœnam mereretur apud homines qui illas violasset. Quarta conditio est ut lex tendat in commune bonum tanquam medium in suum finem. Nam cum legis constitutio præcipua sit pars gubernationis publicæ, quæ sua natura medium est ad communem felicitatem, eo quoque ipsa tendere debet; proindeque lex ad commune bonum non conducibilis, hoc ipso non est lex. Differt autem hæc conditio à prima, quod prima requirat tantum ut lex sit rationalis & æqua, tertia vero præterea ut prosit. Quinta legis conditio est ut sit firma & stabilis. In eoque discernitur à simplici aliquo mandato. V. gr. si magistratus mandet ut singuli cives tractandis armis idonei crastina die conveniant in forum. Hoc quidem mandatum est ordinatio rationalis in commune bonum, ab eo qui curam habet communitatis; sed quia non est firmum & stabile, sed ad unum tantum diem obligat, non est lex. Hæc tamen legis positivæ stabilitas non impedit quo minus abrogari possit quando id reipublicæ expedire judicatur. Causa enim cessante ob quam lex instituta est, non est cur diutius vigorem suum retineat. Sexta conditio est ut sit præmio aliquo vel pœna sancita, sine quibus lex potius est præceptum & suasio quam vera lex. Raro autem præmia promittuntur legum humanarum observationibus: sed pœnæ tantum illarum violatoribus intentantur. Præmium solum est frui securitatis publicæ beneficio. Sed leges divinæ utrumque habent. Septima & ultima conditio legis positivæ est promulgatio, sine qua lex positiva non habet completam vim dirigendi & obligandi. Subditi enim ab illa lege regi & obligari non possunt quæ ipsis incognita est. Requiritur ergo ut ad eorum notitiam perveniat, quod fit per promulgationem externam. Hoc observavit Deus in lege danda Israëlitis, & Moses in iis quas jussu divino ipsis præscripsit; Christus etiam in lege Euangelica, mittens Apostolos per universum orbem ad eam promulgandum. Idemque in omni principatu & republica etiam observatur, licet diversimode, secundum singulorum locorum consuetudines.

XII. Omnes leges humanæ sunt positivæ. Nam per leges humanas hic non intelligimus universaliter omnes eas quæ ab hominibus quacumque de re feruntur. Sic enim multæ earum sunt naturales & divinæ, ut si jubeant Deum colere, parentes honorare, ab homicidiis & adulteriis abstinere. Sed particulariter intelligimus eas quæ ad politiam humanam pertinent. Nam etiam cum leges humanæ præcipiunt aliquid quod est legis naturalis, aliquam semper circumstantiam addunt quæ lege naturali non continetur, & ita ab ea discriminantur. V. gr. cum lex humana statuit ut homicidæ & adulteri morte plectantur, aut cum vetat ut liberi minorennes invitis parentibus matrimonium contrahant, non est plane naturalis; etsi in æquitate naturali fundamentum habeat.

XIII. Præter naturæ autem legem necesse fuit alias leges ab hominibus institui diversis de causis. 1. Quia lex naturæ generalia tantum æquitatis præcepta continet. Omnes autem homines non ita pollent ingenio, ut per se absque alterius ope omnia particularia pervidere possint quæ generalium regularum ambitu comprehenduntur.

duntur. Ita fieri potest ut qui furtum pro re turpi habet, non putet illicitum patri suo aliquid furari, vel de publico thesauro aliquid rapere, quasi aquæ cyathum è prætereunte flumine hauriret. 2. Quia plurimi data opera se decipiunt, dum notiones naturæ generales, prout possent, ad singulas suas actiones non applicant. Sic decurtator mensuræ aut ponderis, aut adulterator monetæ sibi blandiens in scelere, non putat hæc furtis debere annumerari. 3. Quia interest reipublicæ ut scelera pœnis corporalibus vel pecuniariis coërceantur; quod natura docet quidem esse æquum, sed non potest exsequi nisi legum humanarum ope & magistratibus creatis qui ei curæ invigilent.

XIV. Leges humanæ duum sunt generum, vel enim politicæ seu sæculares sunt, vel Ecclesiasticæ; unde nata est distinctio juris in Civile, quod in unum corpus inter Romanos à Justiniano Imperatore redactum est, & Canonicum, quod Decreto Gratiani & Pontificum Romanorum decretalibus continetur. Licet in Codice & Novellis variæ sint leges ad regimen Ecclesiasticum pertinentes, & in Decreto atque decretalibus multa statuantur quæ sunt politiæ mundanæ. Ad leges politicas referuntur militares.

XV. Differunt autem leges humanæ à divinis multis modis. 1. Quod lex divina regit conscientias, & cupiditates corde conclusas vetat & punit. Unde præceptum, *Non concupisces uxorem, domum, agrum, ancillam, bovem proximi tui*, Et, *qui viderit mulierem ad concupiscendum jam mœchatus est eam in corde suo*, *Matth.* v. 24. At leges humanæ externa facta tantum respiciunt & puniunt. 2. Quod leges divinæ omnes sunt justæ, humanæ vero multæ sunt injustæ, quæ tamen obligandi vim habent. 3. Quod legibus divinis omnes homines sine exceptione obedire tenentur, non minus Principes & magistratus quam subditi. At leges humanæ concedunt aliquando privilegia & immunitates à lege communi. Et non sine causa comparantur telis aranearum, quæ muscas implicant, sed ab avibus perrumpuntur. 4. Quod leges humanæ præmia & pœnas temporales tantum constituunt, & sæpius quidem pœnas quam præmia; lex vero divina præmia & pœnas æternas, nec magis has quam illa, sed contra potius.

XVI. Leges tam divinæ quam humanæ aliæ sunt affirmativæ aliæ negativæ. Affirmativæ sunt quibus bonum aliquod præcipitur, ut precibus incumbere, pauperi eleëmosynam dare. Negativæ vero quibus malum aliquod prohibetur, ut furtum, adulterium. Leges affirmativæ obligant quidem semper, sed non ad semper; negativæ vero semper & ad semper. Certum enim est hominem non teneri quovis tempore exercere omne bonum opus, ut non tenetur honorare patrem qui patrem non habet. Sed tenetur semper abstinere ab omni malo quod vetatur præcepto negativo: nunquam licet blasphemare Deum, aut falsum dicere testimonium.

XVII. Munera legum sunt quinque, jubere, vetare, permittere, præmio & pœna afficere. Jubent actiones bonas, vetant malas, permittunt malas vel indifferentes, præmio donant obedientes, puniunt immorigeros. Duplex enim est genus permissionis, unum quo permittuntur res malæ & quas legislator improbat, ad malum majus vitandum; ita Moses permisit Israëlitis uxores dimittere propter duritiam cordis ipsorum, ut inquit Christus, *Matth.* xix. 8. nimirum ne si cogerentur inviti retinere quas odissent, dure & inclementer eas tractarent. Ea quæ sic permittuntur vir bonus sponte nunquam faciet. Alterum vero quo permittuntur res indifferentes & in quibus nullum est vitium. Ita lege Euangelica permittitur tum virginibus, tum viduis matrimonium contrahere. Etsi enim cœlibatus matrimonio præferatur à Paulo, id tamen non facit quia in matrimonio sit aliquid vitii, sed quia cœlibatus est aptior ad bene serviendum Deo, & ad crucem propter Euangelium ferendam. Vide 1 *Corinth. cap.* VII. *toto*.

XVIII. Lex humana quæ in æquitate naturali fundamentum aliquod habet, obligat coram Deo, ipsique parendum est, *non tantum propter iram*, seu metu pœnæ, *sed etiam propter conscientiam*, *Rom.* XIII. 5. Sunt tamen leges quædam mere pœnales, quæ nullum alium reatum violatæ afferunt quam ad mulctam lege præscriptam persolvendam, quales sunt leges de funeribus in hac urbe, & similes.

XIX. Omnes leges humanæ positivæ sunt mutabiles, ut patet ex eo quod aliquando abrogentur, & obligare desinant. Mutatio autem secundum quam lex obligare desinit fit quatuor modis, nimirum interpretatione, dispensatione, abrogatione & irritatione. Interpretatio est qua lex verbis durior in sensum benigniorem à legislatoris mente non alienum trahitur. V. gr. lex Sabbathi quæ opus omne interdicit Judæis, ita exposita est à senioribus tempore Maccabæorum, ut liceret arma capere ad se defendendum contra hostes invadentes, 1 *Macch.* II. 32. &c. Dispensatio est exemptio ab obligatione concessa alicui à superiori ob causam legitimam, qualis est qua permittitur alicui venatio in sylva principis, quæ vulgo est prohibita. Abrogatio legis est, quando lex quæ secundum se totam obligabat, lege contraria à legislatore rescinditur, ut si princeps qui tempore pacis arma subditis gestare interdicit, bello ingruente postea id expresse permittat. Aliquando consuetudine longa quæ vim legis habet abrogantur leges. Differt autem derogatio ab ipsa abrogatione, quod per abrogationem tota lex tollatur, per derogationem vero pars aliqua tantummodo. Irritatio est quando lex rescinditur antequam obligare incipiat.

CAPUT VII.

De virtute in genere.

I. HActenus de virtutis objecto & norma, ſequitur ut de virtute ipſa agamus, eamque tum in genere tum in ſpecie conſideremus. Tractatio generalis complectetur virtutis naturam, cauſas, effecta, ſubjecta, adjuncta & oppoſita. Natura virtutis cognoſcitur ex definitione, eaque tum nominali, tum reali. Vox virtutis à viro derivata eſt, & proprie viri robur ſignificat: Nam primo bellicæ fortitudini impoſitum eſſe videtur; ſicut & Græca vox ἀρετὴ ab Ἄρης Mars derivata eſt, licet alii malint deducere ab ἀρέσκω placeo, vel αἱρέω eligo. Sed poſtea longius extenſa eſt hæc appellatio, & omni potentiæ naturali eſt applicata; ut cum herbarum vel lapidum virtutes dicimus, & animali virtutem viſivam vel odorativam attribuimus. Ita quoque bona indoles hominis & ingenium virtus appellatur. Deinde habitus acquiſiti ea deſignantur, non tantum hominum ſed & brutorum. Sic virtus æqui eſt parere fræno, & canis ſtatoris perdices ſiſtere: has enim facultates aſſuetudine & frequenti exercitio ſibi comparant. Habitus etiam divinitus infuſi, ut donum linguarum, prophetiæ, ſanationum, quandoque virtutes appellantur. Sed hæ omnes ſignificationes alienæ ſunt à noſtro propoſito. In Ethica enim virtutis nomine intelliguntur vulgo habitus acquiſiti per quos homines doctiores vel meliores redduntur. Duo enim virtutum ſumma genera faciunt, intellectuales videl. ut prudentiam, ſcientiam, artem, &c. Et morales, ut juſtitiam, temperantiam, &c. Quarum illæ ornant mentem, & docti titulum nobis conciliant, hæ vero regunt voluntatem & faciunt ut probi nuncupemur. Sed male etiam virtutes iſtæ intellectuales Ethicæ pomœriis includuntur, quandoquidem ad beatitudinem acquirendam plerumque nihil faciunt, imo cum ſumma miſeria & improbitate conſiſtere poſſunt, ut in Muſica, Geometria & ſimilibus eximiis animi virtutibus videre eſt. Et hac de cauſa de moralibus tantum hic agere nobis propoſitum eſt.

II. *Virtus moralis*, definiente Ariſtotele II. Ethic. cap. VI. *eſt habitus electivus conſiſtens in mediocritate quod ad nos, per rationem & judicium viri prudentis definita.* Nobis vero eſt *actio & habitus legi conformis.* In hac definitione genus & differentia ſunt conſideranda. Genus virtutis duplex facimus, nempe actionem & habitum. Ariſtoteles vero & cum eo Ethicorum vulgus habitum ſolummodo pro vero & proprio virtutis genere agnoſcunt. Nos vero actionem illi adjungendam cenſemus, ſine qua etiam habitus ſubſiſtere non poteſt. Etſi enim ab una aliqua ſolitaria actione nemo virtute præditi nomen adipiſcitur, cum una hirundo ver non faciat; actiones tamen ſunt quæ primario legibus præcipiuntur aut prohibentur, habitus vero tantum ſecundario, quatenus ex actionibus naſcuntur & per illas conſervantur. Idque ex collatione virtutis cum vitio clare cognoſci poteſt. Singulæ enim vitiorum actiones legibus vetantur & puniuntur, ut furta, homicidia, adulteria, &c. non tantum horum vitiorum habitus. In minoribus quidem vitiis denominatio non ſolet nec debet fieri ab unica actione, nec dicitur iracundus qui ſemel aut bis iratus fuerit, aut ebrioſus cui ſemel inebriari contigerit, ut Noacho, ſed qui pluries hæc peccata repetiit; ſed tamen in gravioribus aliter ſe res habet, nec expectatur ut aliquis pluribus homicidiis aut adulteriis ſe contaminaverit, ut homicida vel adulter nuncupetur, atque ut talis pœnam lege ſancitam ſubeat. Nemo igitur legi ſatisfacit ſolo virtutis habitu. Nec eſt ut quis excipiat, habitum ſine actione conſiſtere non poſſe, utpote qui per crebro repetitas actiones acquiratur & conſervetur. Nam qui virtutem habitu definiunt, illam etiam in ſua integritate permanere poſſe cenſent, quando nullæ ejus actiones eduntur, quia habitus ſemel acquiſitus non facile amittitur, etiamſi aliquamdiu ab agendo deſiſtat. Indeque nata ridicula & noxia bonis moribus diſtinctio, ut aliquis dicatur temperans, juſtus, liberalis actu primo propter habitum in animo reſidentem, ſed non actu ſecundo, quia nullas temperantiæ, juſtitiæ, liberalitatis actiones edit.

III. Sed cum tam virtus quam oppoſitum ei vitium in habitu etiam conſiſtat, antequam ad differentiam definitionis explicandam accedamus, neceſſe eſt aliquid prius de habituum natura in genere dicere, ſicut de actionibus ſupra fecimus. Habitus vox multipliciter ſumitur. Nam 1. ſignificat habitionem, ut ita dicam, ſeu poſſeſſionem alicujus rei. Sic homo dicitur habere veſtes, domum, liberos, &c. 2. Uſurpatur pro qualibet forma cujus privatio eſt poſſibilis, quatenus ab alio habetur; & hoc ſenſu viſus, ſanitas, habitus dicuntur. 3. Veſtitus & cultus corporis habitus vocatur. 4. Sumitur pro externa cujuſlibet corporis diſpoſitione & forma, & ita habitus aëri, terræ, aliiſque rebus ejuſmodi tribuitur. 5. Denique pro qualitate adventitia & permanente ſumitur, per quam animal ad bene vel male cum facilitate operandum diſponitur. Et in hac ſignificatione hic à nobis accipitur. Logici à diſpoſitione diſtinguere ſolent quæ eſt via ad habitum, ſeu habitus imperfectus. Sed iſta tantum ſecundum plus & minus differunt, ideoque non eſt neceſſe de iis ſeparatim tractare.

IV. Quæritur primo de iſtis habitibus an dentur. Sunt enim aliqui qui nullos agnoſcunt, & ad potentias naturales à Deo rebus inſitas ea quæ habitibus tribuuntur referre malunt. Sed expe-

experientia ipsa redarguuntur. Experimur enim nos usu & frequenti eorundem actuum repetitione facultatem quandam ad actus similes exercendos comparare. Cum autem facilitas hæc perseveret etiam cessantibus actibus, necesse est ut à qualitate aliqua reali & permanente oriatur quæ in nobis jam sit, cum antea non esset quando difficultatem & molestiam in iis sentiebamus. Probatur etiam id ipsum ex habituum necessitate. Quamvis enim homo per potentias naturales aptus sit ad absolute & indeterminate operandum, tamen ut facilius & promptius operetur & quidem determinate, opus est ei alia qualitate à qua illa operandi facilitas & promptitudo oriatur. Ea autem est quam habitum dicimus. Unde etiam habitus non est necessarius ad substantiam actus, sed tantum ad ejus facilitatem & promptitudinem. Non enim requiritur absolute ad hoc ut eliciatur vel fit actus, sed ut facilius & promptius eliciatur. Absolute enim loquendo potentia est sufficiens ad efficiendum actum sine tali habitu, alioqui nunquam posset actus præcedere habitum; quod tamen falsum esse constat.

V. Objicitur in contrarium; Si habitus daret facilitatem & promptitudinem operandi, sequeretur eum qui ex perfecto virtutis habitu agit, minus laudis mereri illo qui sine habitu actum honestum exercet. Cæteris enim paribus quo plus est difficultatis in aliquo opere, eo plus quoque est meriti. At consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Sed respondeo duplicem in opere aliquo difficultatem spectari posse, unam ex natura operis, alteram vero ex parte operantis; & priorem quidem laudis meritum augere, nec unquam ab habitu minui; posteriorem vero non augere meritum, cum procedat vitio operantis, qui sua culpa difficultatem in actione, alioqui facili, sentit, v. gr. ebriosus in abstinendo à nimio potu; Et hæc difficultas est quæ habitu minuitur.

VI. Jam de habituum subjecto videndum est, quatenus id ad virtutis & vitii naturam cognoscendam facit. Cum autem duæ sint principes humanæ animæ facultates intellectus & voluntas, quæritur primo an intellectus idoneum habituum sit subjectum. Affirmativam autem partem esse veram ex eo apparet, quod intellectus per actus sæpius repetitos, facile & prompte, & jucunde operandi facultatem sibi comparat, ut experientia docet. Ista facilitas, promptitudo & jucunditas aliunde proficisci non potest quam ex habitu acquisito. Sed objicitur, intellectum positis omnibus ad agendum requisitis necessario agere; ex. gr. posito assensu præmissarum necessario conclusioni assentitur. Ergo omnem habitum in illo esse superfluum. Resp. id non sequi. Nam id quod intellectus positis omnibus ad agendum requisitis, non potest suspendere suum actum, non impedit quominus habituum sit capax. Possunt enim simul cohærere duo principia, quorum unum omnino determinet, alterum vero tantum inclinet, & facilitatem, jucunditatemque actioni conciliet; siquidem aliud est necessario agere, aliud facile, & jucunde agere, illudque absque hoc consistere potest. Secundo disputatur de voluntate an in ea existant habitus. Inesse autem inde probatur, Quia experientia docet, quod post multos virtutis alicujus actus, v. gr. temperantiæ, mansuetudinis, voluntas majorem ad actus similes deinceps exercendos facilitatem experiatur, quam antea. Hæc autem facilitas aliunde quam ex habitu proficisci non potest.

VII. Considerandæ quoque sunt obiter causæ habituum procreantes & corrumpentes. Causa efficiens habituum, & quidem proxima, sunt actus. Iteratorum enim actuum vi produci solet habitus; & quamdiu actus ipsi non ponuntur tamdiu neque ipse habitus poni potest. Objicies, Potentiam continere actum suum; ergo & habitum qui mediante actu producitur. Sed facilis est responsio, Potentia enim continet habitum remote solum, seu ut causa remota, non autem proxime. Atqui remota causa sine proxima nihil operatur.

VIII. Quæritur hic, an habitus uno actu acquiri possit. Respondeo habitum perfectum vix uno actu acquiri posse, sed ad ejus productionem plures actus requiri; ita tamen ut primus actus non sit plane otiosus & inefficax, sed inchoet habitum, sequentes vero augeant & perficiant habitum donec ille ad statum suum pervenerit. Id quod hoc exemplo declaro; Fac Petrum nunc exercere primum temperantiæ actum. Hic primus actus vel nihil relinquet in voluntate, vel relinquet saltem aliquem levem & inchoatum habitum. Si relinquit, habemus quod volumus. Si nihil relinquit, certe nec secundus temperantiæ actus relinquit habitum, atque adeo nec tertius nec quartus, nec cæteri. Nam cur potius per quartum actum quam per tertium aut secundum inchoaretur habitus, cum omnes illi actus ejusdem sint naturæ? Ita aquæ guttæ in lapidem cadentes eum nunquam excavarent, nisi prima gutta faceret aliquid in lapide. Cur enim secunda potius gutta quam prima præstaret aliquid ad excavationem conducens? Quemadmodum ergo prima gutta aliquid ad lapidem excavandum confert, sic primus actus aliquid confert ad habitus productionem, proindeque aliquid imprimit potentiæ. Sed istud quod imprimit aliud esse non potest quam habitus, saltem inchoatus. Primus enim actus inchoat id ipsum quod per sequentes actus perficitur. Atqui sequentes actus perficiunt habitus productionem, illum novorum graduum adjectione intendendo.

IX. Difficilius est habitum introducere in subjectum in quo contrarius habitus reperitur, quam in illud quod indifferens est & à contrario habitu plane liberum. Contrarius enim iste

habitus sui contrarii introductioni resistit atque repugnat. Ideoque ad talis habitus productionem unus actus non sufficit, sed necessario plures requiruntur, qui repugnantiam & resistentiam illam tollant.

X. Sicut per iteratos actus acquiritur habitus, ita etiam per eosdem conservatur & augetur. Augmentum habitus duplex est, unum intensivum, alterum extensivum. Augmentum intensivum est cum habitus novorum graduum adjectione augetur & roboratur. Quæritur vero an actus illi per quos intenditur habitus sint primo similes per quem habitus accepit initium, an vero dissimiles, item an sint æquales, vel inæquales? Respondeo, istud augmentum semper fieri per actus similes, sed non semper per actus æquales. Necesse enim est ut actus quibus habitus tum acquiritur, tum intenditur & roboratur, semper sint inter se similes, non tantum quod ad eandem essentiam specificam, sed etiam quod ad idem objectum circa quod versantur, & quod ad eundem modum tendendi in illud objectum. Sed non necesse est ut semper sint æquales, cum fieri possit ut ex illis actibus unus sit intensior, alter vero remissior.

XI. Augmentum habitus extensivum est, cum ad diversos actus & objecta diversa ex eodem motivo extenditur. Sic temperantiæ habitus, qui circa voluptates gustus requisitus est, moderatione cibi & potus sæpe repetita ex motivo illius honestatis, quæ temperantiæ propria est, quandam extensionem suscipere potest, quatenus ex ejusdem honestatis motivo ad voluptates tactus seu venereas moderate appetendas extenditur; adeo ut non sit novus habitus, sed quædam ejus extensio ad novam materiam ex eodem objecto formali seu causa movente. Id vero ita se habere probatur ex eo, quod voluntas non consentiat in actum alicujus virtutis exercendum, nisi ex motivo honestatis, quæ tali virtuti propria est. Inde enim sequitur, ut si eadem honestas occurrat in diversis actibus, voluntas ejusdem habitus vi sufficientem habitura sit ad omnes illos actus facilitatem.

XII. Ut habitus paulatim acquiruntur & augentur, ita paulatim quoque remitti, seu minui, tandemque omnino corrumpi possunt. Id quotidiana testatur experientia. Videmus enim interdum homines, in quibus habitus alicujus virtutis aut vitii radicatus erat, habitum illum amittere, contrariumque induere, vel saltem de fervore suo præcedente in virtutis aut vitii exercitiis multum remittere. Ita ut illi contra Solem loquantur qui id negant. Quæritur autem unde id fiat. Respondeo causam tam remissionis quam amissionis habituum esse duplicem, aliam negativam aliam positivam. Negativa est cessatio seu intermissio actuum quibus habitus acquisitus est, & conservatus atque auctus. Omnes enim habitus acquisiti sunt qualitates ex natura sua fluxæ & caducæ, quæ sponte sua paulatim minuuntur & desinunt: veluti impetus quo rota circa axem suum circulariter movetur paulatim minuitur, & nisi crebris impulsibus identidem renovetur tandem omnino desinit. Positiva causa diminutionis & cessationis habituum est exercitium contrariorum actuum, per quos cum alii habitus contrarii acquirantur, ita fit ut habitus fortior debiliorem facile de sede sua deturbet. Sic actus mansuetudinis expellit iracundiæ habitum, aliquid de mansuetudinis habitu introducendo, qui si continuatis actibus crescat, oportet alium oppositum non tantum minui, sed & penitus desinere, veluti ignis qui calorem in aquam introducit, si continues, frigus ipsius naturale tandem omnino perimit & extinguit.

XIII. Sed habitus potest-ne uno actu opposito amitti & corrumpi, v. gr. virtus una actione mala, & vitium una actione bona? Resp. Quemadmodum raro contingit ut habitus uno actu generetur & acquiratur, ita non facile fieri ut uno actu opposito amittatur & corrumpatur, sed pluribus actibus ad id efficiendum opus est. Verumtamen quidam vitii actus sunt adeo turpes, ut habitum virtutis oppositum simul & semel extinguant, veluti venenum quoddam quod malignitate sua vitam animalis statim extinguit. Sic adulterii actus confestim castitatis habitum perimit. Et contra quidam virtutis actus sunt adeo excellentes, ut contrarium vitii habitum omnino perimant, v. gr. martyrii actus timiditatis habitum statim tollit. Nisi forte istos actus qui simplices esse primo intuenti videntur, dicas revera esse multiplices, quatenus ex firmo & perseverante animi proposito ortum habuerunt. Et hæc ad genus virtutis declarandum sufficiunt.

XIV. Differentiam ejus quod attinet, Aristoteles, ut supra vidimus, eam in mediocritate posuit, propterea quod plerumque virtus inter duo vitia extrema versatur, quorum unum in excessu peccat, alterum vero in defectu, v. gr. liberalitas inter avaritiam & prodigalitatem, fortitudo inter audaciam & timiditatem, deinde etiam, quia moderatur omnes affectus & actiones naturales ne à recto tramite exorbitent, & plus aliquid aut minus in iis inveniatur quam oportet. Unde illud vulgatum, Medium tenuere beati. Medium autem duplex est, aliud Arithmeticum aliud Geometricum. Illud est quod æqualiter distat à suis extremis, atque sic omnibus & ubique semper est idem. Ita sex æqualiter distant à tribus & novem, quia quantum sex excedunt tria, tantum exceduntur à novem. Hoc vero est quod non servat æqualitatem distantiæ ab utroque extremo, sed tantum æqualitatem rationis seu proportionis quæ uni extremorum aliquando est vicinior quam alteri, qualis est in sex respectu trium & duodecim, quorum medium tenet; ut enim 3. bis in 6. continentur, ita 6. bis in 12. Neque semper eadem permanet, sed pro ratione circumstantiarum

rum temporis, loci & personarum variat. Et in hoc medio Aristoteles vult virtutem consistere. Sic liberalitas debet esse accommodata tum danti tum accipienti; unde fit ut pauper exiguum nummum de sua pecunia dando alteri, possit dici liberalis, & si dives idem faceret, merito censeretur sordidus. Item liberalis vocabitur qui incognito mediocre quippiam largitur, qui si non plus daret fratri aut consanguineo avaritiæ insimularetur.

XV. Verum etsi hæc Aristotelis sententia ad veritatem maxime accedat, non caret tamen omni defectu. Nam primum, quod medium virtutis vult pendere à definitione viri prudentis, illam in incerto ponit, cum judicia prudentium variare soleant, & quod huic videtur esse verum medium, alius pro extremo habeat. Atqui virtutis normam certam & fixam esse oportet. Deinde sunt quædam virtutes quæ in mediocritate non consistunt, sed in extremis; ita Deus non est mediocriter amandus, sed ad extremum nostræ potentiæ. Neque etiam justitia medium tenet inter duo vitia, quorum unum ei repugnet in excessu, alterum in defectu. In illam enim nunquam peccatur excessu; quod sic ostendo; Petrus debet Joanni decem florenos intra biduum restituendos, sed anticipando tempus hodie reddit, & pro decem florenis duodecim ei numerat. In eo facit quidem plus quam justitia exigit, quia antevertit tempus solutionis, & dat supra debitum: sed in neutro tamen contra justitiam peccat; imo id potest esse eximium misericordiæ opus, si habita ratione indigentiæ sui creditoris id faciat. Melius itaque essentialis differentia virtutis collocatur in conformitate cum lege, quæ est regula fixa & immota, quam in mediocritate, cujus definitio ab alterius arbitrio pendet; & ex opposito vitium rectius definitur per discrepantiam à lege quam per excessum aut defectum. Quid autem per legem intelligamus, ex superiore capite patet, ubi etiam varias illius species recensuimus. Virtutis autem est, omnibus illis legibus obtemperare, aut saltem nullam transgredi, nisi forte aliqua lex humana esset quæ juberet quod lex divina vetat, aut vetaret quod illa jubet. Illa enim cum nomine legis indigna foret, neque ad obedientiam obligare valide quemquam posset.

XVI. Virtuti oppositum est vitium, quod est actio & habitus à lege dissentiens. Aliquando sumitur vitii vox pro quocunque defectu, sive naturali, ut claudicatio vitium corporis dicitur, debilitas memoriæ vitium animi; sive artificiali, ut vitium scripturæ est cum peccat in orthographia; sive morali, quod in pravis moribus consistit, quale est furtum, homicidium. Hic in postrema significatione accipimus. Aristoteles autem, & qui eum sequuntur, id in solo habitu collocant. Sed sicut antea de virtute ostendimus eam non in habitu tantum, sed etiam in actione, idque imprimis, consistere, ita etiam de vitio statuendum est; oppositorum enim eadem est ratio: alioqui furtum & homicidium aliaque similia non essent vitia appellanda antequam in habitum transiissent, quod est absurdum. Itaque peccatum & vitium pro synonymis habemus, quæ alii ut actionem & habitum inter se distinguunt. In definitione autem tum virtutis tum vitii, sub actione etiam cessationem ab actione comprehendo. Abstinere enim ab agendo aliquando est virtus, ut si quis occasione data abstineat à furto, ebrietate: aliquando vero est vitium, ut cum quis abstinet à precibus vel à benefaciendo pauperi.

XVII. Formam vitii Aristoteles in excessu vel defectu à medio virtutis collocat. Sed licet id de plerisque vitiis verum esse fatear, tamen in omnibus absque exceptione locum non habet; sicut ex iis quæ ante de virtute dixi liquere potest. Nam si omnis virtus non consistat in medio, neque omne vitium etiam in recessu à medio consistet. Melius itaque forma seu essentia vitii ponitur in discrepantia à lege, sive illa lex sit naturalis sive positiva, sive divina sive humana, modo hæc, ut aliquando contingit, observatu non sit injusta, cum in tali casu legis nomine indigna est, quamvis à tyranno aliquo pro tali obtrudatur.

XVIII. Causa efficiens virtutis alia est prima, alia secunda. Prima est Deus auctor & fautor omnis boni in natura & supra naturam. Nam *omnis donatio bona & omne perfectum donum est superne, descendens à patre luminum, Jacob. 1. vers. 17.* Quod etiam Cicero agnovit, dicens, Nemo vir magnus sine afflatu divino. Contra vitii causa prima est Diabolus, omnis mali auctor & fautor, qui primus in Deum peccavit, primusque homines ad peccandum sollicitavit. Secunda virtutis causa est vel intra hominem vel extra. Intra hominem vel in animo est, vel in corpore. In animo est tum intellectus, tum voluntas; quorum ille est causa virtutis cognoscendo & judicando id quod legi est conforme; hæc vero id sponte eligendo & amplectendo. Quibus si accedat crebra exercitatio, virtutis habitus acquiritur. Inter cætera quotidiana sui exploratio multum facit ad proficiendum in virtute: de qua Pythagoras in aureis carminibus. Virgilius in viro bono:

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei.
Quo prætergressus, quid gestum in tempore, quid non, &c.

In corpore est bonum temperamentum, per quod fit ut aliquis ad virtutem facilius assuefieri possit quam si pravum esset. Unde dici solet, Gaudeant bene nati. Et

Naturam expellas furca tamen usque recurret.

Extra hominem causa virtutis est recta educatio & institutio. Contraria omnia sunt in vitio, intellectus male judicans, voluntas male eligens, & nulla vel prava exercitatio. De quibus omnibus vide

vide quæ supra cap. 2. de principiis actionum humanarum dicta sunt.

XIX. Hinc videre est quid respondendum sit ad quæstionem, utrum virtutes & vitia sint homini naturalia, ut voluerunt Stoici, an vero acquisita, ut placuit Peripateticis. Illius explicatio maximam partem pendet à varia acceptione hujus vocis, Naturale. Primo enim id naturale dicitur, quod est natura nobis insitum, ut potentiæ naturales. Secundo quod sponte prodit virtute naturæ solius, ut dentes in infantibus, barba viris. Sed neutro istorum sensuum virtus aut vitium est nobis naturale. Nam quæ natura constant non possunt aliter assuefieri, sic homo nulla arte aut exercitatione potest assuefieri ut in aqua aut igne vivat. Sed facile tum vitiosis tum honestis actionibus assuescit. Præterea in iis quæ sunt à natura, potentia præcedit habitum, sed in virtutis & vitii negotio contrarium videmus, actio enim honesta & prava antecedunt virtutis & vitii habitum; nam sicut qui in tibia canendo se exercet fit tibicen, ita qui temperantiæ aut intemperantiæ actiones frequenter exercet temperans aut intemperans evadit. Verum quidem est, nos propter naturæ & temperamenti corruptionem ad vitia multo proniores esse quam ad virtutem. Sed pronitas illa ad vitia, non est vitium morale sed morbus naturæ, nec efficit ut vitium nobis sit naturale, alioqui corrigi non posset, cum naturalia non mutentur. Deinde ejusmodi pronitas inde oritur, quod virtus in arduo consistat, vitium vero in iis quæ sensibus arrident, quibus ita à teneris assuescimus ante rationis usum, ut postea difficile sit sensuum illud imperium excutere. Tertio naturale dicitur id ad quod acquirendum natura nobis capacitatem & principia concessit. Quarto quod naturæ nostræ conveniens est & valde congruum. Hisque duobus modis virtus dici potest homini naturalis. Siquidem naturalem virtutis comparandæ capacitatem habet, ut patet ex lege naturæ, cordi ejus à principio inscripta, cujus ope honestum à pravo discernit, illudque amplectendum judicat, hoc vero fugiendum. Deinde etiam virtus est homini ut homo est valde consentanea, cum per eam disponatur ad vivendum conformiter naturæ rationali. Quod ad vitium vero attinet, sunt quidem illius principia in nobis natura, ut liberum arbitrium, & inclinatio ad ea quæ sensibus sunt grata; sed tamen naturæ rationali ut rationalis est, cujus est imperium in sensus obtinere, eosque sibi subjicere, non est conveniens, eoque præternaturale potius quam naturale dici debet.

XX. Finis primarius ad quem tendit virtus est gloria Dei quæ ultimus actionum nostrarum omnium scopus esse debet. Huic subordinatus est beatitudo nostra, tum præsentis tum futuræ vitæ, & proximorum atque adeo totius reipublicæ bonum. Eadem prout obtenta, sunt illius effecta.

XXI. Subjectum tum virtutis tum vitii est homo, idque respectu potius animæ quam corporis; sed utrum in voluntate an vero in appetitu sensitivo immediate sedem suam habeant, frustra aut saltem non magno cum fructu videtur disputari, cum nondum constet an facultates istæ à se invicem realiter differant, an tantum nostro considerandi modo. Ad unam enim eandemque rem ferimur tum appetitu sensitivo tum voluntate, vel ab eadem abhorremus; illudque dicitur fieri, cum rationem in consilium non advocamus, hoc vero cum eam advocamus. Sed sæpe ista inter se ita sunt connexa ut nesciamus ipsi utrum voluntas an appetitus in nobis agat. Attamen cum virtus & vitium sint actiones & habitus hominis qua homo est & rationalis, in voluntate potius quæ facultas est rationalis, quam in appetitu irrationali sedem suam habent.

XXII. Adjuncta virtutis sunt tria; Sinceritas, constantia, & connexio uniuscujusque virtutis cum aliis. Sinceritas est, per quam virtuti nihil ficti & simulati inest, sed qualis exterius apparet, talis etiam interius & revera est. Ea est primum virtutis condimentum, sine qua virtus nihil nisi larva & umbra est. Et commendatur nobis à Christo, dicente, *Prudentes estote ut serpentes & sinceri ut columbæ*, *Matth.* X. 16. Et Paulo, *Volo vos sapientes quidem esse in rebus bonis, sinceres vero in malis*, *Rom.* XVI. 19. Ei opposita est hypocrisis, per quam aliquis alius videri cupit quam reipsa est, probus nempe cum sit improbus. Tales sunt qui appropinquant Deo ore suo, &c. *Appropinquat populus iste ore suo & labiis suis honorat me*, inquit Deus, *cor autem suum procul amovet à me*, *Esa.* XXIX. 13. & *Matth.* XV. 8. & *qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, *Tit.* I. 16. 2 *Tim.* III. 5. Tales maxime sunt abominationi Deo, quem una cum hominibus dissimulatione sua decipere velle videntur. Vide *Proverb.* XI. 20. & *Psal.* L. 16. 17. Et gravissime illud vitium punitum est in Anania & Sapphira, *Act.* V.

XXIII. Constantia est, qua virtus ad finem usque perseverat, & neque prosperis neque adversis à recto tramite dimovetur. Ea est veluti columna sustentans splendidum virtutis palatium. Et commendatur nobis à Christo dicente, *Qui perseveraverit usque ad finem salvus erit*, *Matth.* XXIV. 13. Ei opponitur inconstantia, qua quis aut prosperis delinitus, aut adversis fractus, virtutem quam amplexus erat deserit. Ejus causæ ostenduntur à Christo in parabola seminantis & seminis *Matth.* XIII. 3. &c. Et à Jacobo *cap.* I. 8. *Vir duplex inconstans est in omnibus viis suis.*

XXIV. Omnes virtutes ut sunt in statu perfecto connexionem habent mutuam inter se, ita ut nulla perfectum statum habere queat sine societate cæterarum. Sed quod ad imperfectas attinet, nihil obstat quominus una absque aliis subsi-

subsistere queat. Ita liberalitas potest esse absque mansuetudine, vel contra, quia si formalem utriusque rationem spectes, eæ toto genere inter se differunt. Sed in statu perfecto non possunt, quia non potest esse perfectum propositum unam virtutem exercendi, cum alterius contemtu: secundum illud Jacobi, *Quicunque totam legem servaverit, offendet autem in uno, factus est omnium reus, cap.* II. 10. & 11. Animus enim virtute vere imbutus omnibus legibus obedire proponit. Unde qui aliquas spernit, fieri non potest ut alias sincere observet: Et quod facit iis conforme ab aliquo alio fonte proficiscitur quam ab animo vere honesto.

XXV. Virtutis generales divisiones ex adjunctis sunt, quod 1. Alia sit ordinaria, alia extraordinaria. 2. Alia perfecta, alia imperfecta. Virtus ordinaria est, quæ secundum essentiam suam spectatur in homine quocunque vulgari, qui nihil habet quo supra cæteros bonos & honestos magnopere emineat. Virtus extraordinaria est, quæ secundum eminentiam conspicitur in naturis divinis seu heroicis. Heroica virtus ex peculiari spiritus divini afflatu proficiscitur, illiusque notæ sunt impetus extraordinarius sive raptus divinus, & constantia summa. Talisque fuit in Abrahamo, Mose, Davide, Elia, aliisque Prophetis & Apostolis. Ei opponitur feritas, quæ omnem honestatem exuit, & absque conscientiæ fræno in omni vitiorum genere se volutat. Talis fuit Neronis, Caligulæ, & similium monstrorum barbaries atque immanitas. Virtus perfecta est, quæ induit naturam habitus, & cum facilitate & jucunditate exercetur. Virtus imperfecta est, quæ nondum ad habitum pervenit, & non absque lucta & molestia exercetur. Aristoteles eam vocat ἐγκράτειαν, id est, continentiam.

XXVI. De vitiis quæ virtuti sunt opposita quæritur 1. An de iis in Ethica agi debeat? Resp. Omnino, etsi non per se & primario, tamen per accidens & secundario; nimirum ut ab iis caveatur & ut sanentur; sicut in medicina tractatur de morbis & de venenis, ut in Logica de sophismatis. Itaque deinceps de iis simul cum singulis virtutibus tractabimus, & quomodo iis tum in excessu tum in defectu opponantur considerabimus. 2. Quæritur, An vitia sint inter se connexa sicut sunt virtutes. Resp. Omnino, si non externa praxi, saltem in animo. Nam cujus animus est pravus & nullo virtutis amore ducitur, non verebitur data occasione omni se vitiorum genere volutare. Attamen fatendum est, vitia in quibusdam non ita esse profunde radicata ut in aliis. Sunt enim qui luctantur adversus vitia, antequam iis succumbant, & iis perpetratis dolent, etsi non satis fortes sint ut emendent. Alii vero cum voluptate summa ea perpetrant, & nullum animi morsum sentiunt, quos Paulus vocat ἀπηλγηκότας, *Ephes.* IV. 17. & dicit se dedere proterviæ ad certatim patrandam impunitatem omnem.

CAPUT VIII.

De prudentia.

I. ATque hæc de virtute in genere, sequuntur ejus species. Virtus alia est dirigens seu gubernans, alia directa seu gubernata. Virtus dirigens est quæ moderatur reliquas virtutes, ita ut sine ea nulla virtus perfecta esse possit. Eaque est prudentia, à providendo seu porro videndo dicta, Græce φρόνησις. Illa est virtus dirigens, quæ proposito honesto fine, præscribit & sequitur media honesta & accommodata ad istum finem obtinendum. Aliquando sapientia vocatur. Sed accurate loquendo eæ sunt inter se distinctæ, cum sapientia circa θεωρίαν versetur, prudentia vero circa πρᾶξιν. Cum autem prudentia alia sit naturalis, quæ est congenita mentis perspicacia, alia vero acquisita, prior non est Ethicæ considerationis sed tantum posterior. Item cum alia sit personalis seu solitaria, qua quis in singulis suis actionibus spectat quid agere debeat, proprium bonum intendens: alia vero socia, quæ est vel œconomica, vel politica, vel legislatrix, vel judiciaria, &c. Illa simpliciter & absolute prudentia dicitur, de eaque hic tractandum: hæc vero ad alias disciplinas pertinet.

II. De prudentia autem quæritur an sit virtus moralis, an intellectualis? Resp. Illam esse intellectualem respectu subjecti, siquidem in intellectu sedem suam habet; Sed est moralis respectu objecti, quia versatur circa agenda vel fugienda.

III. Prudentia tribus constat actibus, nimirum præsentium scientia, præteritorum reminiscentia, & futurorum prospicientia. Tria item sunt ejus officia, videl. 1 Bene consultare & inquirere media, 2. Bene judicare de mediis inventis. 3. Præcipere ut ea quæ judicata sunt executioni mandentur. Virtus est omnium tum excellentissima, tum difficillima. Excellentissima, quia dirigit alias, eisque prælucet. Difficillima, propter lubricitatem objecti, quod est singulare & secundum circumstantias variatur, nec certis regulis & universalibus comprehendi potest. Nemo est vere prudens nisi idem sit vir bonus; qui vero boni non sunt, potius astuti & callidi dicendi sunt quam prudentes. Pravitas enim pervertit judicium, & facit ut nec veri finis bonitatem sectetur, nec recta media ad eum assequendum adhibeat. Custos prudentiæ est temperantia. Ea enim removet voluptates & omnem luxuriam, quæ maxime est inimica prudentiæ.

IV. Prudentiæ duæ sunt species; alia enim religiosa est, alia vero civilis. Prudentia religiosa est, per quam homo sectatur ea quæ ad cul-

tum Dei pertinent & observationem mandatorum ejus. Ea dictat 1. Optima deberi optimo, ac proinde cum Deus sit optimus eum supra omnia amandum esse. 2. Æterna caducis præferenda esse, 2 *Cor.* IV. 18. Ideoque hujus vitæ bona & voluptates esse spernendas ut æternis potiamur. Prudentia civilis est, quæ curat ea quæ faciunt ad vitæ præsentis commodum & conservationem. In qua cavendum est ne cum neglectu cultus divini & melioris vitæ id fiat. Hæc enim jam non esset vera prudentia civilis quæ debet ancillari religiosæ, sed animalis & diabolica, quam insectatur *Jacobus* III. 15. De utraque tam religiosa quam civili potest intelligi illud Christi, *Matth.* X. 16. *Prudentes estote ut serpentes.*

V. Prudentis est metiri suas vires, ne subeat onus, cui non sit ferendo, & cujus pondere obruatur. Huc spectat parabola de volente ædificare turrim, aut bellum gerere, *Luc.* XIV. 28. *& seqq.* Prudentia docet uti occasionibus oblatis ne effluant, & amissæ frustra requirantur, nam, *fronte capillata est sed post occasio calva.* Illius quoque munus est pretia rerum recte ponderare, ne ob res exigui momenti multum sumamus operæ, aut magnos faciamus sumptus, aut in periculum nos conjiciamus. Eadem suadet non se immiscere alienis negotiis, nisi rogatum, nec satagere rerum alienarum, nisi ut prosis proximo.

VI. Ad prudentiam comparandam varia requiruntur; primum naturæ bonitas, sine qua fieri nequit ut quis in ea excellat: Temperamentum autem melancholicum ad eam aptius est quam biliosum aut pituitosum. Biliosi enim sunt præcipites, & pituitosi stupidi & tardi. Deinde nervi prudentiæ sunt diffidere. Præfidens enim animus & omnis suspicionis expers sæpe impingit. Sed maxime prudentiam affert experientia, quæ cum ratione conjuncta est omnium rerum magistra. Sed experientiæ duo sunt genera, una quam quis per se adipiscitur, & suo ipsius periculo; altera vero quæ acquiritur per alios, & alieno exemplo. Horsum multum prodest historiarum lectio, præcipue earum quæ non nudas factorum narrationes continent, sed in causas singulorum diligenter inquirunt.

VII. Opposita est prudentiæ imprudentia, cujus contrariæ sunt causæ, adjuncta & effecta.

CAPUT IX.

De pietate.

I. Virtus directa est, quæ pendet à dirigente, & circa objectum aliquod speciale versatur; cum illa omnia promiscue moralia consideret. Eaque est vel omnium hominum communis, vel quorundam statuum particularis. Virtus omnium hominum communis est tum pietas, tum probitas. Pietas est Dei recte cogniti, rectus cultus. Alio nomine vocatur religio: licet sub hac voce etiam probitas comprehendatur, quatenus propter Deum exercetur, *Jac.* I. 27. Tam late etiam aliquando pietatis vox accipitur, ut officia consanguineis, præcipue parentibus & patriæ debita, designet. Sed hic in strictiore significatione usurpamus.

II. Ut autem recte Deus colatur duo requiruntur, primum, ut honor ei exhibeatur qui supremæ ejus majestati conveniat: secundum ut ei soli exhibeatur. Is vero Dei cultus majestati ejus optime convenit, qui demississimus est & spiritualis. Demississimus quidem, quatenus nos coram eo nihil aliud quam pulvis & cinis sumus, *Gen.* XVIII. 27. Spiritualis vero, quia Deus est spiritus & in spiritu in veritate vult coli, *Joan.* IV. 24. Nullum etiam vult à nobis in consortium istius cultus assumi, *Deuter.* VI. 13. *Matth.* IV. 10. Deus enim zelotypus est, qui gloriam suam non dabit alteri, *Esa.* XLII. 8. Nomine autem alterius non includitur Jesus Christus Mediator noster apud Deum, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, & quem Pater vult à nobis honorari sicut ipsum honoramus, *Joan.* V. 22. 23. *Philipp.* II. 9. 10. 11.

III. Pietati opponitur partim impietas, partim superstitio, illa quidem in defectu, hæc vero ut videtur in excessu, licet proprie loquendo nulla nimia erga Deum pietas esse possit. Impietas est vitium Deo cultum debitum denegans. Eaque est duplex: vel enim denegatur Deo is cultus qui majestati ejus summæ convenit, vel non soli exhibetur. Priori modo peccant 1. Athei qui Deum nullum agnoscunt, aut saltem nullam hominum curam gerere putant, ac proinde frustra coli. 2. Qui falsa numina colunt. 3. Qui Deum verum aliquo quidem modo agnoscunt, sed non debito modo colunt; utpote qui vel præter eum alios quoque religioso cultu prosequantur, vel eum in imagine effingant. Superstitio est tum vanus & ridiculus Dei cultus, tum etiam anxius & nimius ejusdem metus, cum iis rebus offendi putatur quibus tamen nullo modo offenditur.

IV. Cultus Dei nomine varii actus comprehenduntur, nempe fides, spes, amor, timor, obedientia & honor. Fides in genere considerata est assensus mentis erga ea quæ à Deo nobis sunt revelata. Eaque duplex est, vel imperfectior vel perfectior. Imperfectior quæ pietatem & obedientiam mandatorum divinorum conjunctam non habet; qualis est fides dæmonum, qui credunt Deum unum esse & contremiscunt, *Jacob.* II. 19. Perfectior vero fides pietatem & mandatorum divinorum obedientiam necessario secum trahit. Utraque est vel in Deum tantum, qualis est piorum quibus Christus revelatus non fuit: vel in Deum & Christum simul, quæ propria est religionis Christianæ. De priore accipiendum est illud Apostoli,

stoli, *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator fit*, *Hebr.* xi. 6. In posteriore vero illud Christi, *Creditis in Deum, & in me credite*, *Joan.* xiv. 1. Perfectior fides Euangelica quæ justificans vulgo dicitur, nihil aliud est, quam fiducia per Christum in Deum collocata, obedientiam mandatorum ejus ex se pariens. Cum enim Deus salutem nobis promiserit sub hac conditione, si mandata ejus servemus, posita illa, certa quoque est nostra fiducia, deficiente vero, fiduciam corruere necesse est. Fiducia autem omnis in Deum & Christum non necessario fundatur in ipsorum verbis, sed etiam in eorum bonitate, potentia, scientia, quamvis voluntatem suam non revelaverint. In quo videtur à fide differre, quæ revelationem requirit.

V. Opponuntur fidei ab una parte dubitatio & incredulitas, ab altera nimia credulitas. Dubitatio est hæsitatio vitiosa de rebus nobis à Deo patefactis & ad religionem pertinentibus. Incredulitas est vitium quo quis veritati divinæ, quam cognovit vel cognoscere potuit, assensum præbere recusat. Credulitas vero nimia est vitium, quo quis sine fundamento temere cuivis de religione doctrinæ assentitur. Fiduciæ etiam adversantur, diffidentia & temeraria confidentia.

VI. Spes est expectatio futuri boni à Deo vel Christo obtinendi. Et inter eam & fiduciam tam exiguum est discrimen ut plerumque inter se confundantur. Differt autem à fide quod fides etiam præterita respiciat, spes vero tantum futura, item quod fides etiam circa minas Dei versetur, spes vero tantum in promissis ejus sit occupata. Spei opponitur dubitatio & desperatio, item temeraria spes.

VII. Amor seu charitas erga Deum aliquando late accipitur, pro observatione omnium mandatorum ejus, ut 1 *Joan.* v. 3. aut speciatim mandatorum primæ tabulæ legis, ut *Exod.* xx. 6. vel stricte & proprie sumitur pro affectu quo desideramus ut tum à nobis tum ab aliis omnibus ea fiant quibus Deus delectatur. Charitati Dei opponitur ejusdem odium. In sacris autem literis non tantum illi Deum odisse dicuntur, qui infenso sunt erga eum animo, sed etiam qui præceptis ejus sunt immorigeri, *Exod.* xx. 6.

VIII. Timor Dei vel accipitur late pro universo Dei cultu, ut *Deut.* x. 12. vel stricte & proprie pro metu quem divinæ majestatis & potentiæ consideratio gignit, quo fit ut ipsius iram & pœnas veriti eum offendere non audeamus. Estque duplex, servilis & filialis. Servilis timor est, cum quis Deum tanquam severum Dominum considerat, qui non solum difficilia præcipit, sed etiam inobedientiam rigide punit. Et talis erat timor quem gignebat vetus fœdus Mosaicum, intonans, *Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ sunt scripta in libro legis ut faciat ea.* Filialis vero timor est minus anxius, utpote consideratione divinæ bonitatis, quæ plane paterna est, temperatus. Et proprius est eorum qui sub Novo Fœdere gratiæ vivunt. Timori Dei opponitur, vel carentia timoris Dei, *Rom.* 3. 18. vel superstitiosus Dei timor.

IX. Obedientia est, qua omnibus mandatis divinis animo & opere quotiescunque se offert occasio paretur. Eique oppositum est inobedientiæ & hypocriseos vitium.

X. Honor Dei etiam generaliter pro universa religione & cultu divino plerumque accipitur. Et duplex est, internus & externus. Internus est cordis reverentia, qua ex consideratione sublimitatis & beneficentiæ divinæ & nostræ vilitatis, Deum prosequimur. Externus consistit in signo aliquo exteriore quo honorem illum externum testamur. Uterque adorationis nomine comprehenditur. Est autem adoratio corporis & animi coram Deo venerabunda inclinatio, & prostratio. Accipitur quidem aliquando pro civili honore qui hominibus, præsertim magnatibus, quales sunt reges & principes, defertur: sed cum de Deo agitur & Christo, religiosa tantum & omni civili infinitis partibus major animi demissio intelligitur. Adversus honorem Dei duobus modis peccatur, vel denegando ei debitum honorem, vel superstitiose eum honorando, aut alios honoris divini participes faciendo.

XI. Honor Dei externus maxime in celebratione divini nominis consistit (cui maxime adversatur blasphemia) sub qua confessio, juramentum & preces comprehenduntur. Confessio est aperta & ingenua sententiæ nostræ de Deo ejusdemque cultu ad ipsius honorem facta declaratio, etiamsi ea de causa periculum aliquod nobis subeundum esset. Ea commendatur nobis *Matth.* x. 32. 1 *Petr.* III. 15. Ei contraria est ab una parte tum dissimulatio veritatis divinæ, tum aperta denegatio. Ab altera confessio temeraria sine necessitate & spe emolumenti facta, per quam quis se aut alios in periculum temere conjicit; adversus Christi monitum, *Matth.* VII. 6.

XII. Juramentum est religiosa rei alicujus affirmatio per Dei nomen tanquam veritatis testis & vindicis. Quæritur de eo an sit absolute prohibitum à Christo sub N. F. *Matth.* v. 34. & *seqq.* & *Jacob.* v. 12. Resp. Non. Sed juramenta illa per cœlum, terram, &c. & levibus de causis facta, & indignis ob quæ Deus in testem advocetur. Alioqui Paulus non ita expresse jurasset ut facit 2 *Cor.* I. 23. dicens, *Ego testem Deum invoco in animam meam.*

XIII. Precum nomine tum implorationem opis divinæ, tum gratiarum actionem pro acceptis beneficiis intelligo: quibus opponitur omissio utriusque istius officii, vel superstitiosa illius usurpatio, cum battologia aliisque ejusmodi vitiis conjuncta.

CAPUT X.

De justitia.

I. HActenus de Pietate, sequitur ut de Probitate agamus. Probitas est virtus quæ erga homines exercetur. Eaque vel alios homines respicit, vel nos ipsos. Probitas ad alios homines relata Charitatis nomine in S. L. solet designari. Cujus proprietates & elogia vide 1 *Cor.* XIII.

II. Ejus duæ sunt primariæ species, Justitia & Civilitas. Justitia vel est universalis vel particularis. Justitia universalis nihil aliud est nisi omnium simul virtutum complexio & concatenatio. Et hoc sensu sæpe accipitur in S. L. ubi justi tantum illi dicuntur qui omnia Dei mandata servant. Vide 1 *Joan.* III. 7. *Matth.* V. 20.

III. Ad eam pertinet æquitas, Gr. ἐπιείκεια, quæ est juris legibus comprehensi moderatio & correctio quædam. Ita statuit lex ut homicida capite plectatur; sed æquitas requirit ut si quis per ignorantiam inculpatam cædem perpetraverit ab hujus legis rigore eximatur: proptereaque instituta sunt asyla. Æquitatis duo sunt præcipua munera, plus alteri concedere quam ei ex rigore debetur, & minus quam leges sinant ab eo exigere.

IV. Justitia particularis est virtus suum unicuique tribuens. Ea triplex est, distributiva, commutativa & correctiva. Vel potius Justitia est vel privatorum, qui nullam in alios potestatem habent, vel magistratuum & eorum qui potestatem aliquam in alios obtinent, ut Patresfamilias, & dici potest Rectoria. Privatorum justitia est commutativa seu æquatoria. Eorum qui cum potestate sunt est vel distributiva vel correctiva.

V. Justitia distributiva est quæ in distributione bonorum aut onerum versatur. Per bona vero intelliguntur pecunia, honores & similia; per onera tributa, pœnæ, &c. Ea requirit ut in iis distribuendis ratio habeatur dignitatis & conditionis personarum; quod in commutativa justitia locum non habet, quæ æqualitatem rerum tantum spectat. Ideoque vulgo dicitur quod justitia distributiva proportionem geometricam observet, commutativa vero proportionem arithmeticam: v. gr. si dividenda sint spolia inter centurionem, signiferum & milites, majorem partem accipiet centurio quam signifer, & signifer quam gregarii milites; Et si imponenda sint tributa toti alicui communitati, majorem partem ferre debent divites quam pauperes, & unusquisque pro ratione facultatum suarum. Sed in contractibus emptionis, venditionis, locationis, conductionis & similibus, nulla habetur ratio conditionis personarum, nec facultatum, sed æqualitas inter res servatur.

VI. Justitia distributiva est vel remunerativa vel punitiva. Remunerativa est quæ præmia bene merentibus retribuit. Punitiva quæ pœnas nocentibus infert. In hac quidem requiritur æqualitas inter pœnam & noxam, præsertim ne illa hanc gravitate superet; sed non tamen secundum talionis legem, quæ nec in omnibus observari potest, & quamvis posset aliquando non deberet; ut si Titius vitiaverit sororem Mævii, non propterea justum esset ut Mævius par pari referret sorori Titii. Qua de re vide egregium locum apud A. Gellium, lib. XX. cap. 1. Talio tamen illa approbanda est quæ non in identitate consistit, sed in similitudine tantum & proportione.

VII. Justitia commutativa est quæ in contractibus suum cuique æqualiter tribuit, nullo habito ad personas aut opes respectu. Per contractus autem hic voluntarios tantum contractus intelligimus, qui mutuo contrahentium consensu fiunt, quales sunt emptio, venditio, permutatio, &c.

VIII. Justitia correctiva est quæ vitia quasi contractuum emendat. Quasi contractus autem vocamus omnis generis injurias quæ altera parte invita oriuntur, ut furta, rapinas, verbera, cædes, contumelias. Hujus munus est inæqualitatem ex injuria ortam inter lædentem & læsum ad æqualitatem præcedentem quoad ejus fieri potest reducere. Id autem fit cum judex ei qui fecit injuriam lucrum adimit, & ei qui passus est reddit; idque vel restituendo rem ablatam, ut in furto, rapina, vel aliqua alia ratione satisfaciendo læso, etiam per pœnam corporalem lædenti inflictam.

IX. Justitiæ opposita est injustitia, quæ omnis in defectu consistit, nulla in excessu: Neque enim aliquis nimis justus esse potest, nisi forte illum nimis justum esse dicas qui semper τὸ ἀκριβοδίκαιον sectatur, nulla ἐπιεικείας ratione habita. Unde ortum est vulgatum illud, Summum jus summa est injuria. Quælibet autem injustitia est homini Christiano summopere vitanda, peccat enim adversus legem naturæ, Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris. Ideoque injusti regnum cœlorum non possidebunt, 1 *Cor.* VI. *vers.* 9.

CAPUT XI.

De Benevolentia, & Beneficentia.

I. SUb justitia comprehendi possunt tum Benevolentia, tum Beneficentia. Benevolentia est virtus per quam ad alios amandum & pacem cum iis colendum propensi sumus. Is alios sincere amat, qui commodis eorum delectatur & quantum fieri potest inservit. Unius autem sanguinis ex quo omnes orti sumus vinculum, & ejusdem naturæ communio arctissima ad id faciendum obligatio est. Huic virtuti adversatur ab una parte odium seu

μισαν-

μισανθρωπία, qua alios nulla aut levi de causa odimus; & invidia, qua eorum bonis tristamur: ab altera nimia officiositas, qua iis etiam in rebus malis obsequi studemus.

II. Studium pacis duæ virtutes regunt, Mansuetudo & Concordia. Mansuetudo est virtus iræ & ultionis moderatrix. Ira autem est cupiditas reponendi doloris; & ultio, ipsa actualis doloris repositio. Duplex est mansuetudo, vel enim est privati erga quemcunque, vel ejus qui aliquam potestatem habet in alterum. Illa lenitas dicitur, vel generale mansuetudinis nomen retinet: hæc clementia appellatur. Irasci quidem aliquando licet, sed ita ut non peccemus, & Sol non occidat super iram nostram, *Ephes.* IV. *vers.* 26. Justa iræ causa non tam est privata quam accepimus injuria, quam Dei offensa. Ultio in causa propria nunquam est licita Christiano, ne quidem ea quæ fit per magistratum, *Matth.* V. 38. *&c. Rom.* XII. 19. Sed tamen ad magistratus opem aliquando confugere licet, ut nos adversus injustam vim auctoritate sua tueatur, aut grave aliquod damnum illatum resarciri curet, *Rom.* XIII. 4. *Act.* XXIII. 12. *&c.* Leviores autem injurias dissimulare & condonare debet vir mansuetus. Mansuetudini ab una parte opposita est iracundia & crudelitas, ab altera lentitudo & nimia indulgentia, qualis reprehenditur in Heli, qui in scelera liberorum pro meritis non animadvertebat, I *Sam.* II. 12. *&c.* & III. 12. *&c.*

III. Concordiæ studium est, quo quis pro virili & quantum in se est pacem cum omnibus colit. Id commendatur nobis, *Rom.* XII. 18. *Heb.* XII. 14. & alibi sæpe. Summus reciprocæ concordiæ gradus est Amicitia, quæ est mutua & manifesta benevolentia qua alter alterius bonum & commodum ut suum ipsius cupit & procurat. Talis fuit inter Davidem & Jonathanem, & inter bonos tantum reperitur, utpote in virtute fundamentum habens. Huic virtuti adversatur partim contentiositas & inimicitia, quæ cum est occulta dicitur Simultas; partim turpis in malo concordia, qualis est inter latrones.

IV. Beneficentia est virtus qua quis aliena commoda ad quæ justitiæ civilis legibus præcise non tenetur curat & promovet. Eaque versatur partim circa danda beneficia, partim circa reddenda, quarum illa Liberalitas, hæc vero Gratitudo appellatur. Liberalitas est virtus quæ in beneficiis dandis modum debitum servat.

V. Duobus modis potest alteri beneficium conferri, nempe vel opera vel pecunia. Operæ autem nomine non tantum labor pro alio susceptus, sed & quælibet actio quæ illi prodesse potest præter pecuniæ largitionem intelligitur. Et quamvis hoc non ita vulgo liberalitatis nomine venire solet, tamen nonnunquam etiam dicimus aliquem esse laboris sui & operæ liberalem, vel prodigum aut parcum. Sub pecunia vero & nummum & omnes alias res nummo æstimabiles quæ donari cuipiam possint comprehendimus. In liberalitate exercenda attendi debet tum ad dationem pecuniæ, tum ad ejusdem acceptionem & custodiam; quorum illud est primarium liberalitatis officium, hoc vero secundarium. In dando, ne spectes gloriam propriam aut lucrum, sed gloriam divinam, & honestatem. Modum dandi partim tuæ facultates definiant, partim indigentia, & conjunctio eorum quibus das. Conjuncti autem nobis sunt non tantum consanguinei & familiares, sed etiam Christianæ fidei domestici; atque erga eos præcipue cum necessitate premuntur liberalitas exercenda, *Gal.* VI. 10. In accipiendo, ne à quovis aut ex qualibet re quæstum facias, nec ita congerendæ aut custodiendæ pecuniæ operam des ut cœlestium bonorum obliviscaris.

VI. Gradus eminens liberalitatis vocatur Magnificentia, quæ est virtus in magnis largitionibus occupata. Sed nisi magnæ illæ largitiones in res utiles fiant, ut promotionem veræ religionis, pauperum subsidium & similia, vituperium potius quam laudem merentur.

VII. Ad liberalitatem etiam pertinet hospitalitas, qua pauperes peregrini, præsertim ii qui veritatis aut justitiæ causa exulant, excipiuntur.

VIII. Gratitudo est virtus circa reddenda beneficia occupata. Ejusque sunt tria requisita, gratiam habere, agere, & referre: quorum primum animo fit, alterum lingua, tertium re. Ingratitudo vero est vitium quod in aliquo horum deficit. Summus ejus gradus est beneficii accepti oblivisci.

IX. Vitia beneficentiæ opposita sunt partim inclementia seu immisericordia illa, qua aliorum commoda negliguntur; partim avaritia, cujus species sunt sordes & inhospitalitas; partim denique prodigalitas. Avaritia est vitium quod in quærenda & custodienda pecunia modum excedit, in eroganda vero deficit. Sufficit autem aliquem in uno ex his tribus peccare ut avarus dici possit. Prodigalitas est vitium in eroganda pecunia modum excedens. Quamvis autem hæc duo vitia sint contraria, sæpe tamen in uno eodemque homine conspiciuntur.

CAPUT XII.

De civilitate.

I. Civilitas est virtus quæ modum & decorum in conversatione cum aliis servat. Estque triplex, Humanitas, Modestia & Gravitas. Humanitas, quæ etiam comitas & affabilitas vocatur, est facilitas in conversatione. Ad eam quidam referunt urbanitatem, quæ in jucundo conspicitur. Sed hæc non est virtus moralis, & ab Apostolo sub nomine εὐτραπελίας damnatur, *Ephes.* V. 4. Attamen Christianorum sermo semper in gratia

sale conditus esse debet, *Coloss.* IV. 6. Ei opponitur ab una parte inhumanitas, quatenus pro morositate accipitur, & promiscua blandities, etiam erga improbos quorum consortium fugere oportet.

II. Modestia est virtus quæ honoris cupiditatem moderatur: ita ut nec honores mundanos nimium avide expetamus. nec quosvis oblatos temere amplectamur, nec si nobis non contingant contristemur. Propterea demisse de nobis sentire debemus, & alios non minori honore quam nos dignos judicare. Illa conspicitur tum in sermone & gestu, tum in cultu corporis & supellectile, ubi omnis ostentatio fugienda est. Eam præcipue nobis exemplum Christi commendare debet. de quo vide *Matth.* XI. 29. *Joan.* XIII. 4. *&c. Philipp.* II. 6. 7. 8. Ejus gradus eminens est magnanimitas, qua omnia mundana bona, ut honores & divitias, spernimus, & mala iis contraria, contemtum & paupertatem, non metuimus. Vitia modestiæ adversantia sunt partim nimia animi abjectio, qua quis præfracte honores, quibus dignus ab aliis judicatur, contemnit & rejicit; partim superbia. Superbia est vitium in appetendis & consectandis honoribus modum excedens. Ea sub se complectitur arrogantiam & jactantiam, quarum illa in animo præcipue, hæc vero in sermono sedem suam habet.

III. Ad modestiam pertinet verecundia, quæ est virtus quæ decorum in pudendo servat. Ejus officium est vereri infamiam quæ semper delicta comitari solet. Illa convenit quidem omni ætati, sed præcipuum tamen est ornamentum juvenum & sexus muliebris. Signa ejus sunt demissio oculorum & faciei rubor. Ei opposita sunt ab una parte rusticus pudor, cum aliquem pudet etiam rei honestæ: ab alia vero impudentia, cum quis omnium hominum de se judicia contemnit, & nullo malefactorum pudore tenetur. Eaque est dux ad omnia scelera, & profligati animi indicium.

IV. Gravitas est virtus externum corporis habitum, gestum, & sermonem ad decoram dignitatem statui & officio cujusque convenientem componens. Ea decet omnem ætatem, sed præcipue senilem. Gravitas habitus & gestuum requirit ut moribus simus elegantibus, & munditiem in vestibus corporisque cultu sectemur, sed absque luxu. Idque videtur indicare Paulus, cum requirit in Episcopo ut sit *κόσμιος* ornatus, I *Tim.* III. 2. Gravitas in sermone requirit ut nullus sermo ex ore nostro prodeat, qui non tendat ad ædificationem eorum qui eum audiunt. In excessu opponitur huic virtuti fastus & nimia severitas, in defectu vero levitas. Levitas autem conspicitur in choreis, item lusibus, & jocis intempestivis.

V. Præcipua sermonis virtus est veracitas, quam sequitur ordine taciturnitas. Veracitas est virtus qua quis studet dicere id quod res est. Ejus est sermonem cum intellectu & intellectum cum rebus conformare, quorum illud est simpliciter viri boni, hoc vero eruditi & prudentis. Cum veracitas ad promissa refertur, maxime si juramento sint confirmata, dicitur fides aut fidelitas. Ei opponitur mendacium, omnesque ejus species, quales sunt perfidia, assentatio, calumnia & similes. Omne genus mendacii studiose est fugiendum, sed præcipue quod cum alterius detrimento conjunctum est, in quo duplex est vitium.

VI. Taciturnitas, quæ docet id tacere, quod tacendum est. Id autem tacendum est quod evulgatum nobis aut aliis noceret. Ejus excessus est garrulitas, cum quis secreta effutit, aut inutilia & intempestiva loquitur. Et defectus, nimium silentium, cum quis ne tempestive quidem & cum aliis prodesse potest loqui vult.

CAPUT XIII.

De probitate quæ nos ipsos spectat.

I. HActenus de probitate ad alios homines relata, sequitur ea quæ nos ipsos spectat. Ea est tum fortitudo, tum temperantia. Fortitudo est virtus quæ modum servat in periculis & doloribus. Inter pericula autem & dolores eminent qui in morte pulcherrima subeundi sunt. Mors vero pulcherrima vulgo Ethnicis & mundanis habetur quæ in bello & pro patria pugnando contingit. Sed Christiani melius eam pro tali reputant quæ pietatis causa toleratur, qualis est martyrum.

II. Fortitudinis duæ sunt species; alia enim est suscipiens, quæ in periculis adeundis versatur, & dicitur proprie Magnanimitas, alia vero sustinens, quæ in doloribus tolerandis se exerit, & vocatur Patientia. Magnanimitati in excessu opponitur audacia, qua quis se in pericula temere conjicit; & in defectu timiditas seu ignavia, qua quis pericula plus æquo reformidat, & eorum vitandorum causa turpe aliquid admittere non dubitat. Patientiæ vero in defectu opponitur impatientia, qua quis ita mollis est, ut dolores æquo animo tolerare nequeat: in excessu vero nihil ei adversatur, nisi forte belluinus stupor, quo quis ita in doloribus se gerit quasi eos non sentiret.

III. Temperantia late sumpto vocabulo pro omni abstinentia ab illicitis, vel occupatur in rebus naturalibus, vel in fortunæ bonis, quæ vocant. Quæ in rebus naturalibus occupatur, ea moderatur voluptates, & est quadruplex, sobrietas, castitas, diligentia & vigilantia.

IV. Sobrietas est temperantia circa voluptates cibi & potus. Ejus officium est utriusque tum quantitatem, tum qualitatem moderari. Quantitatem quidem ut non plus cibi & potus sumamus quam ad reficiendas vires sufficit. Qualitatem

tatem vero, ne delicatiorem vel pretiosiorem cibum aut potum expetamus, sed contenti eo simus quem valetudinis ratio requirit. Huic virtuti opponitur in excessu ingluvies, quæ est intemperantia in cibo & potu; cujus duæ sunt species, voracitas quæ peccat in cibo, & ebrietas vel bibacitas quæ peccat in potu; in defectu nimia abstinentia qua vires exhauriuntur, & ineptiores reddimur ad officia vocationis.

V. Castitas est temperantia in voluptatibus venereis. Ejus regula est ut nunquam extra legitimi matrimonii cancellos eæ usurpentur. Ejus gradus eminens est perpetuus cœlibatus seu virginitas, ad quam tamen nemo præcise obligatur, nisi qui speciale donum à Deo ad hoc accepit. Ei opposita est in defectu omnis generis libido, qualis in scortatione, adulterio, aliisque ejusmodi impuritatibus exercetur. In excessu nulla nimia potest esse castitas, nisi forte eorum qui in matrimonio vivunt & partem suam defraudant.

VI. Diligentia quæ etiam sedulitas dicitur est virtus quæ quietem & laborem moderatur. Ea requirit ut quantum fieri potest, & valetudinis ratio permittit, nos semper honesto aliquo labore exerceamus. Excessus ejus est immodicus labor seu satagentia, præcipue in rebus mundanis; defectus ignavia seu otium, quod est omnium vitiorum mater, cum homines nihil agendo male agere discant.

VII. Vigilantia est virtus somni & vigiliæ moderatrix. Ejus officium est non plus temporis somno impendere quam ad recreandas vires diurno labore prostratas requiritur. Ei in excessu opponitur immodica vigilia voluntaria; in defectu vero somnolentia.

VIII. Circa fortunæ bona occupantur duæ virtutes, nimirum αὐτάρκεια & parsimonia, quæ vulgo quidem sub liberalitate comprehendi solent, sed tamen proprie loquendo peculiares virtutis species constituunt. Αὐτάρκεια, quæ sufficientia Latine potest dici, est virtus qua quis contentus est sua sorte, & in bonis quam Deus ei largitus est, quantumvis exiguis, læto animo acquiescit. Ei non adversatur plura honesto labore parandi studium, sed partim sollicitudo Ethnica, quæ Dei providentiæ diffidens, perpetuo inopiæ metu cruciatur, & insatiabilis habendi cupido; partim fastidium rerum præsentium, quale erat Israëlitarum manna fastidientium.

IX. Parsimonia est virtus, quæ conservandarum opum studium moderatur. Ejus munus est res proprias custodire, utiliter collocare, vitare sumptus non necessarios, & tamen ubi res postulat, quantum opus est expendere. Finis enim præcipuus quo spectat, est semper habere unde liberalitatem exerceas. Illi eadem fere quæ liberalitati vitia repugnant, nempe in excessu profusio, & in defectu sordida tenacitas.

CAPUT XIV.

De virtute quorundam statuum particulari.

I. HUc usque de virtute omnium hominum communi, superest ea quæ est quorundam statuum particularis. Ea est multiplex secundum varios hominum in hac vita status & conditiones.

II. Primo alia est puerorum, alia juvenum, alia senum. Pueri, quales solent dici usque ad decimum quartum ætatis annum, propter rationis imbecillitatem perfectæ virtutis capaces non sunt, mature tamen illius præceptis imbuendi sunt, ut statim à teneris discant timere Deum, colere parentes, abstinere à malo, facere bonum, verecundi esse, seniores revereri, rusticitatem in sermone, gestibus & cultu corporis fugere. Juvenes, quanto magis ob affectuum vehementiam lapsibus variis obnoxii sunt, tanto studiosius cavere sibi debent necubi impingant; propterea que senum & peritiorum consilia libenter audire, reprehensiones eorum non gravate ferre, imo pro iis gratias agere, & modeste erga majores natu se in omnibus gerere. Senes maxime decet gravitas, quæ ipsis auctoritatem & reverentiam apud juniores conciliet, quorum vitam præceptis & exemplo suo regere debent. Utrorumque autem tum senum tum juvenum officia describit Paulus *Tit.* II. *vers.* 2. *&c.*

III. Secundo alia est virtus virilis sexus, alia fœminei. Quamvis enim tum viri tum fœminæ operam dare debeant ut omnibus virtutibus præstent, sunt tamen quædam quæ his magis quam illis conveniant. v. gr. fortitudo in adversis maxime requiritur in viris, turpe contra illis est studiosiores esse culturæ corporis. Sed modestia, verecundia, castitas peculiaria fœminarum sunt ornamenta.

IV. Tertio aliud est virginum seu cœlibum aliud conjugatorum officium. Virgines & cœlibes cum sollicitudinibus domesticis non ita sint distracti ut alii, majori cura quæ Domini sunt debent quærere; Et si matrimonium inire velint, id facere in Domino, & nonnisi consultis iis sub quorum potestate sunt, I *Cor.* VII. 25. *& seqq.* Conjugatorum vero est fidem inter se servare, sibi mutuam benevolentiam reddere, nec se invicem fraudare, I *Cor.* VII. 3. 4. 5. In specie vero mariti est uxorem suam diligere tanquam corpus suum, adversus eam non exacerbari, infirmitates ferre. Uxoris vero marito suo obedire & subditam esse tanquam Domino, *Ephes.* V. 21. *&c. Coloss.* III. 18. I *Petr.* III. 1. *& seqq.*

V. Quarto alia requiruntur in parentibus, alia in liberis. Parentum est liberos suos enutrire in disciplina & admonitione Domini, & non eos irritare aut nimis dure tractare, ne animum despon-

despondeant, *Ephes.* VI. 4. Item iis exemplo virtutis præesse, eos in aliqua honesta arte à teneris instituere, qua possint subsidio parentum destituti, vitam suam sustentare. Liberorum officium est parentes suos honorare, id est, cum reverentia obedire in omnibus quæ cum præceptis Dei non pugnant, *Exod.* XX. *Ephes.* VI. I. 2. item gratum iis animum pro acceptis beneficiis exhibere, eos si opus sit in necessitatibus sublevando, I *Tim.* V. 4. *&c.*

VI. Quinto alia est virtus dominorum, alia servorum. Dominorum est servis quod justum & æquum est tribuere, minas remittere, seu clementer eos tractare, scientes tam suum quam ipsorum dominum esse in cœlis, apud quem non sit acceptio personarum, *Ephes.* VI. 9. *Coloss.* IV. I. Servorum est dominis suis parere, non tantum bonis & æquis, sed etiam iniquis, neque ad oculum servire quasi hominibus vellent placere, sed ut servi Christi ex animo, I *Petr.* II. 18. *Ephes.* VI. 5. *&c.* item non contradicere, nec eos fraudare, sed omnem fidelitatem exhibere, *Tit.* II. 9. 10.

VII. Sexto alia est Magistratuum, alia subditorum. Magistratuum est, uti auctoritate quam à Deo acceperunt ad defensionem bonorum, & terrorem improborum, cum omni tamen clementia & moderatione, *Rom.* XIII. 4. I *Petr.* II. 14. Subditorum vero est magistratibus suis parere in omnibus quæ bona cum conscientia facere possunt, tributa eis solvere, honore eos prosequi, & pro iis Deum orare, *Rom.* XIII. 5. I *Petr.* II. 13. I *Tim.* II. 2.

CAPUT XV.

De Beatitudine.

I. FUit Aretologia, sequitur Eudæmonologia, quæ est altera Ethices pars de Beatitudine tractans, quatenus est finis & præmium virtutis. Beatitudinis nomine intelligitur ultimus vitæ humanæ finis, seu summum & perfectissimum hominis bonum. Hæc duo enim æquipollent, cum ultimus finis & scopus ad quem homines in omnibus suis actionibus collimant, sit ut summo & perfectissimo bono fruantur.

II. De beatitudine duo quæri solent, I. An sit, 2. Quid sit. Prima vero quæstio iterum in duas resolvitur, nimirum, An detur beatitudo, & An in hac vita detur. Ac de priore quidem non videtur esse magna ambigendi causa. Nam datur ultimus vitæ humanæ finis, ergo & summum bonum. Antecedens autem probatur ex eo, quod sunt intermedii aliqui fines. Si vero sunt intermedii, necessario aliquis est ultimus; alioqui daretur progressus in infinitum; quod cogitatu absurdum est. Consequentia vero patet ex iis quæ modo dicta sunt de ultimi finis & summi boni æquipollentia.

III. Quod ad posteriorem quæstionis partem attinet, An summum bonum detur in hac vita, respondeo per distinctionem. Bonorum enim quæ homini in hac vita contingere possunt, oportet aliquod esse summum quod cætera omnia infra se relinquat. Sed ex eo non sequitur id esse summum simpliciter & perfectissimum, ita ut in eo nihil desiderari possit. Id autem est ad quod homines maxime aspirant & contendunt, cum nihil ipsorum desiderium explere possit, nisi sit omnibus numeris perfectum. Tale autem in hac vita non dari omnibus constat. Mirum ergo non est si veteres Philosophi, quibus nulla melioris vitæ revelatio contigit, in tot de summo bono opiniones scissi fuerint. Nihil enim in toto terrarum orbe inveniebant in quo suus appetitus acquiescere posset. Sed magna reprehensione digni sunt Philosophi Christiani, qui cum agnoscant summum nostrum & perfectissimum bonum quærendum esse in cœlis, soli terreno in Ethicis suis inhærent. Nisi forte, quia simulachra & umbras virtutum sæpius pro veris virtutibus amplectuntur, illas tam perfecto bono indignas esse profiteri velint. Verum cum nemo summi hujus vitæ boni, quantumvis imperfecti, particeps esse possit, nisi omnibus veris virtutibus sit ornatus, & illæ simul ad cælestis possessionem nos ducant, male fecerunt quod unum ab altero divulserunt, & vere summo bono posthabito, illud quod æquivoce tantum ita appellatur sibi elegerunt.

IV. Nunc ut ad quæstionem quid sit summum bonum respondeam, dico id non male expressum esse à Boëthio, cum beatitudinem definit esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum, lib. 3. de consolat. prosa 2. Nam quod quidam eum reprehendunt, hac ratione adducti, quod summum bonum unum quid esse oporteat, non vero multitudo bonorum, imperite faciunt; cum ex ista omnium bonorum aggregatione, unius summi boni essentia constituatur, veluti ex multis conclavibus unicum præstans palatium.

V. Variæ autem conditiones in illo requiruntur. Primo enim oportet ut summum bonum sit res quæ expetatur propter se & non propter aliud, cætera vero propter ipsum. Nam si propter aliud expeteretur, illud aliud esset melius, ac proinde istud non esset summum. Secundo summum bonum debet explere omnia desideria & excludere omnem metum; unde sequitur illud permanens & æternum esse oportere, cum alioqui semper ejus amittendi metus nos cruciaturus esset. Tertio oportet ut summum bonum contingat solis bonis; nam si cum scelere esset conjunctum, non foret summum, utpote admixtione mali inquinatum.

VI. Ad has leges si exigantur ea quæ pro summo bono habita sunt à quibusdam, nullum

lum eorum esse isto nomine dignum apparebit. Bona in tres classes distinguuntur, alia enim sunt animi bona, alia corporis, alia fortunæ, quæ sigillatim nobis consideranda sunt. Ut vero à postremis incipiam, cum per bona fortunæ, intelligantur potissimum divitiæ & honores, in neutro horum consistit summum bonum. Non in divitiis, nam. 1. Eæ non appetuntur propter se, sed propter aliud; nimirum quia sunt instrumenta quibus alia bona acquiruntur, ut honores, voluptates; unde hæc pluris fieri divitiis apparet. 2. Eæ non explent omnia desideria,

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Et

Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

Imo crescentibus divitiis ordinarie crescit plura habendi cupiditas, & fieri potest ut qui ditissimus est ægrotet & sanitatem omnibus votis appetat; multo minus excludunt illæ omnem amittendi metum, cum qui eas possident perpetuo soleant cruciari metu ne à furibus aut potentioribus sibi eripiantur, aut incendio pereant; & quamvis hoc non esset, eas tandem in morte deserere cogantur. 3. Divitiæ non tantum contingunt bonis, sed etiam malis: imo improbi sæpius illis abundant quam probi, quia ut plurimum scelere parantur. Præterea sunt vitiorum irritamenta, ut libidinis, contumeliæ, aliorumque. Nihil autem magis à summi boni natura alienum esse debet, quam ut possidentem deteriorem reddat.

VII. Neque in honoribus consistit. Nam 1. honores mundani sunt res valde fluxa & inconstans, adeo ut qui modo tanquam Deus quispiam adorabatur, repente omni ignominiæ genere afficiatur, ut videre fuit in Hamane, Sejano, Marchione Ancorensi. 2. Pendent ab aliorum judiciis, & sæpe improborum aut imperitissimorum, qui laudant quæ vituperium merentur, & contra vituperant quæ laude digna sunt. Absurdum autem est existimare summum bonum nostrum in aliorum qui improbi aut imperiti sunt potestate esse positum. 3. Honores etiam maximi, imo hi supra alios, conjuncti esse solent cum perpetuo metu, & tantum abest ut animum tranquillare valeant, ut potius eum indesinenter agitent & perturbent. Nec possunt delectare eos qui febri æstuant, vel calculo aut podagra cruciantur. 4. Ad honores sæpe scelere pervenitur, & illi homines superbos & arrogantes reddunt; quod à summi boni natura maxime abhorret.

VIII. Quod ad bona corporis attinet, qualia sunt pulchritudo, robur, sanitas, non est necesse prolixe ostendere in iis non esse situm summum bonum, cum res ipsa contrarium loquatur; siquidem vel fluxa admodum sunt & caduca, vel sunt malorum occasio & illecebræ, vel denique in iis à brutis homines superantur: quæ omnia ea tanto nomine indigna reddunt.

IX. De voluptatibus etiam corporis & sensuum superfluum est dicere, quas nullus unquam sapiens in veris bonis habuit. Sunt quædam ex his honestiores & hominibus magis propriæ, ut quæ visu, auditu & olfactu percipiuntur, quarum abusus non ita est turpis. Sed quod ad eas attinet quæ in gustu & tactu consistunt, præterquam quod sunt nobis cum brutis communes, illarum excessus omnino fœdus est, ut quæ corpus & animum corrumpant. Quare nemo nisi amens in illis beatitudinem collocaverit. Ne Epicurus quidem id fecit, quamvis hoc nomine vulgo male audiat. Sed indolentiam tantum sectatus est, quam omnes summi boni comitem & appendicem esse fatentur.

X. Restant animi bona, quæ partim scientia sunt, partim virtus, quarum illa intellectum perficit, hæc vero voluntatem. In scientia tamen summum bonum non consistit, quia nulla est perfecta in hoc sæculo scientia, ubi multo plura ignoramus quam scimus. Et etiamsi nihil nos fugeret non explentur tamen omnia hominis desideria. Ne jam dicam eam cum improbitate conjunctam esse posse, imo superbiam proprio quodam genio parere, dicente Apostolo, *Scientia inflat*, 1 *Cor.* VIII. 1.

XI. Videndum igitur utrum in virtute positum sit, quod plerique Philosophi senserunt, licet verbis potius quam re discrepantes alii in illius habitu, alii verò in actione collocarint. cum istæ duæ sententiæ non sint à se invicem divellendæ, sed potius conjungendæ, ut constat ex iis quæ supra de genere virtutis dixi. Et fatendum est nihil in rebus humanis esse virtute præstantius, nihil quod propius ad summum bonum accedat. Sed tamen eam non esse bonum absolute summum inde apparet, quod aliquis potest excellenti virtute esse præditus, & tamen cum ingentibus malis conflictari, extrema paupertate, infamia, cruciatibus. Adde quod virtus propter seipsam non expetitur, sed propter aliud, nimirum propter animi tranquillitatem & voluptatem quæ benefacta comitatur. Unde sequitur illa potius esse summum bonum quam ipsam. Nam quod Stoici dixerunt virtutem sibi ipsi esse præmium, & sapientem etiam in eculeo esse beatum, voces fuerunt præterea nihil. Nec his adversatur quod Christus dicit, beatos esse mites, pacificos, misericordes, mundos corde, qui esuriunt & sitiunt justitiam, *Matth.* v. Nam voce beati, non intelligit absolutam & omnibus numeris perfectam beatitudinem, quasi fieri non posset ut quis his virtutibus præditus, in mundo sit miser; cum Paulus diserte profiteatur, pios fore omnium hominum miserrimos si in hac vita tantum in Christum sperarent, nullaque secutura esset mortuorum resurrectio, 1 *Cor.* XV. *vers.* 19. Sed misericordes, pacificos, mundos corde, &c. ideo beatos vocat, quia talibus parata est cælestis vitæ beatitudo. Spe igitur sunt beati potius quam reipsa, sicut Apostolus dicit nos spe salvos esse factos, *Rom.* VIII. 24.

XII. Nunc quod ad futuræ vitæ summum

bonum attinet, Scholastici id vulgo duplex faciunt, unum objectivum, quod est Deus ipse, alterum vero formale, quod est Dei fruitio. Sed impropria valde est hæc distinctio. Nam dicere Deum esse nostrum summum bonum objectivum, aliud non est quam facere Deum illius objectum. Si autem Deus sit objectum summi boni, non est ipse illud summum bonum, cum aliud sit objectum, aliud res quæ circa objectum versatur. Sic ergo loqui perinde est ac si quis diceret colorem esse visum objectivum, vel sonum auditum objectivum, quia visus objectum est color, auditus vero sonus. Præterea Deo ipso nemo frui potest, sed tantum bonis ab eo procedentibus; quorum plenitudinem beati in æternum in futura vita possidebunt, ubi neque malum ullum amplius erit, nec mali metus, & Deus omnia quæ gaudium nostrum perfectum reddere possunt cumulatissime largietur. Ei sit honor & gloria in sæcula, per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

STE-

STEPHANI CURCELLÆI
EPISTOLÆ.

ILLUSTRISSIMO VIRO
D. H. Grotio, regni Suecici apud Christianissimum Galliæ Regem Legato Stephanus Curcellæus.

Illustriss. vir & Litterarum nostro seculo Decus,

NOn dubito quin tibi jamdudum filii cura reddita sint postremorum tuorum quæ hic edita sunt opusculorum exemplaria, alioquin hoc quicquid est officii non fuissem prætermissurus. Nunc ad te mitto, quem vides, de Reprobatione absoluta tractatulum, quem aliqui amicorum, etiam me contradicente, volunt à te profectum. Tu illos aut me errore liberare facile potes, & ut spero facies. Aliquot præcedentium tractatuum exemplaria à typographo accepta inter amicos distribui, quod te, ut confido, non improbante feci, etsi id in mandatis non haberem. Omnes raram & reconditam doctrinam extollunt, & tibi gratias de tuis agunt muneribus. Inter alios D. Salmasius, qui rogavit ut si quando ad te scriberem, id apud te ipsius nomine profiterer. Non dissimulabo tamen novitatem sententiæ de Antichristo quosdam nondum potuisse concoquere. Non loquor de illis quibus omnia tua displicent. Nec miror si isti homines, qui aureum tuum de Christianæ religionis veritate librum, qui omnibus pietatis studiosis in delitiis esse deberet, rabido ore admordent, hunc, in quo nonnihil à trita & vulgari orbita discedis, impetant & nescio quid minitentur. Sed amici etiam, qui præclaras ingenii tui dotes suspiciunt & venerantur, putant se tanti ponderis rationes habere, ut merito quominus pedibus in tuam descendant sententiam, debeant prohibere. Unam aut alteram breviter attingam, eo fine ut scrupulum qui animis illorum meoque eapropter hæret, prima data occasione doctis tuis responsis eximas. Offendit illos primum, quod posteriorem ad Thessalonicenses Epistolam longe ante priorem & quidem antequam Thessalonicam Apostolus ipse venisset exaratam putas; in quo tamen cardo istius Commentationis versari videtur, cum ex serie historiæ *Act.* XVII. Paulum eo demum post Caii mortem appulisse constet. Multa enim in ista Epistola testari videntur, Ecclesiam jam tum cum posterior hæc Epistola scriberetur, Thessalonicæ & quidem à Paulo ipso constitutam fuisse. Videatur modo *cap.* II. *vers.* 5. 15. & III. *vers.* 6. 7. 8. 9. 10. Huc accedit, quod conjunctio in inscriptione Silvani atque Timothei in utraque Epistola verisimile faciat unam non diu post aliam scriptam fuisse. Præterea existimant non bene à se invicem istam Pauli prophetiam divelli, ita ut prior ejus pars Caium, posterior Simonem Magum notet; cum verba ista *vers.* 8. καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, manifeste respiciant ad *vers.* 6. ubi dicitur, καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε, εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ. Et ad *vers.* 3. καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. Unde sequitur utrobique eandem personam designari, nec sine vi ad duas diversas posse trahi. Nec censent Johannem tam serio voluisse Christianos monere ut sibi à Barchocheba caverent, cum metuendum non esset ne Judæi, multo minus è gentibus ad fidem conversi, Christianæ religionis dogmatibus imbuti ab illo seducerentur. Illine enim qui persuasi erant omnibus mundanis cupiditatibus valedicendum esse ut vitam æternam consequerentur, vanis istius impostoris pollicitationibus de Judaïco populo à Romanorum tyrannide liberando & regno mundano in locum Spiritualis Christi regni erigendo, aures patulas præbuissent? Et quid, quæso, commodi gentes, è quibus tum temporis maximam partem Christianorum constabant Ecclesiæ, inde ad se rediturum sperare poterant? Dolent etiam nonnulli, Trajano Romanorum Imperatorum optimo, mitissimoque, & qui multo minus Christiani sanguinis quam Domitianus aut Nero effudit, numerum bestiæ applicari. Item putant minus bene plagam mortis à bestia acceptam de Capitolii incendio exponi, cum incendium istud, utut pro mali ominis portento haberi potuerit, Imperium tamen Romanum in periculum subversionis non adduxerit. Sed hæc minoris sunt momenti, priora magis urgent, in quibus enodandis spero opem tuam diu desiderari non passurum. Alioqui omnes admirantur tantum inter Pauli & Johannis prophetias eventusque à te summa industria ex variis collectos historiis consensum, ut tuas expositiones etiamsi pro veris & certis non audeant adhuc amplecti, pro verisimillimis tamen habendas putent. Vale, Illustrissime vir, & si qua in re alia tibi inservire possim, opera mea uti ne vereare. Semper me ad obsequia ista quibus pietas & literæ promoveri possunt, paratum invenies. Amstelodami x. Junii 1640.

D. PETRO CUPO, VERBI DIVINI MINISTRO S.P.

Reverende & doctissime vir, frater in Christo mihi plurimum colende,

Gaudeo tibi redditas fuisse meas literas, & scriptum iis adjunctum non omnino displicuisse. Cætera quæ ad illud pertinentia scire expetis, alias si Dominus permiserit, coram, aut commoda aliqua occasione oblata, aperiam. Est præterea aliquid quod tibi scitu non injucundum fore puto, si nondum ad aures vestras pervenerit. Fervent nunc in Gallia, Lutetiæ præcipue inter Jesuitas & Sorbonicos, de Prædestinatione disputationes, illis liberi arbitrii, his vero fatalis necessitatis partes tuentibus. Ita ut verendum sit ne propediem universa Gallia hanc ob causam in partes abeat. Magnos enim utrimque patronos & regii sanguinis Principes habent. Sorbonicorum quædam legi in quibus non minus crude Calvino loqui videntur. Pelagianismum perpetuo adversariis & tanquam ingens aliquod crimen objiciunt, quod Scientiam Dei mediam in Theologiam invexerint. Sed ab alia parte Jesuitæ bonam suam causam fœdis dogmatibus, & pietati directe repugnantibus deturpant; qualia sunt: 1. An licitum sit viro honorato occidere invasorem, qui fustem vel alapam nititur ei impingere, ut ignominiam inferat notabilem, si aliter hæc ignominia vitari non potest. Respondeo affirmative. Ita Lopes, Gomes, Clarus & alii: quia hæc ignominia, quæ fuste vel alapa infertur, censetur majus damnum, quam damnum multarum pecuniarum. Ergo si tu potes occidere invasorem, ne damnum hoc accipias, poteris etiam aliud, ne ignominiam cogaris sustinere. 2. An si nomini meo falsis criminationibus apud Principem, Judicem, vel viros honoratos detrahere nitaris, nec ulla ratione possim hoc damnum famæ avertere, nisi te occulte interficiam, id licite possim? Affirmat Bannes, addens idem dicendum, etiamsi crimen sit verum, dummodo occultum sit, ita ut secundum justitiam legalem non possit pandere. Ratio ejus est, quia si baculo vel alapa impacta velis honorem vel famam meam violare, possum armis prohibere. Ergo etiam si id coneris lingua; nec aliter id possim evadere, nisi te occidam, parum id videtur referre, cum æque lingua atque alio instrumento mihi nociturus es. Deinde, jus defensionis se extendit ad omne id quod necessarium est, ut se quis ab omni injuria servet immunem. Monendus tamen prius esset detractor, ut desisteret, & si nollet, ratione scandali non esset aperte occidendus, sed clam. 3. An licitum sit mulieri procurare abortum. Respondeo 1. Si fœtus non sit animatus & periculum esset ne ipsa moreretur, potest procurare abortum tum directe tum indirecte. Directe quidem, sumendo potiones quæ in fœtum agant eum dilacerando & evacuando; indirecte vero curando sibi aperiri venam, & sumendo pharmaca purgativa, quæ directe eam sanent & indirecte fœtui noceant. 2. Si fœtus sit jam animatus & futurum sit ut ipsa cum prole moriatur, ante partum potest medicamenta sumere, quæ indirecte fœtui noceant, directe autem eam sanent. 3. Si honesta puella invita ab adolescente adultero corrupta fuisset, ante animationem fœtus posset illum excutere, ut multi volunt, ne honorem suum inde amittat, qui illi multo pretiosior est ipsa vita. 4. An liceat mulieri conjugatæ, quæ in partu semper versatur in summo periculo mortis, sumere pharmacum sterilitatis, ut effugiat ejusmodi periculum. Respondeo ita: quia sic cum justa causa suæ saluti consulit corporali. Et vero satius est ut hoc faciat, quam ut marito debitum conjugale recuset, cum periculo spiritualis ejus salutis. Hæc sunt ad verbum excerpta ex dictatis Patris Herean Theologiæ moralis in Collegio Claromontano Lutetiæ Professoris: ex quibus quantum carnis cupiditatibus habenas laxent videre est. Eaque de causa publice ab Universitate Parisiensi apud Parlamentum, corruptæ religionis sunt accusati. Sed causa adhuc in judicio pendet. Hæc te, Vir Reverende, non nescire volui. Vale, & me ut facis amare perge, Dominosque tuos collegas meo nomine saluta. Amstelodami 8 Decemb. 1644.

Tuæ Reverentiæ addictissimus

S. de COURCELLES.

PHI-

PHILIPPO LIMBURGIO,
STEPHANUS CURCELLÆUS S. P. D.

NOn minus Contra-Remonstrantium quam nostra interest, præscientiam Dei conciliare cum libero hominis arbitrio. Si nulla ἀμφιβολογίᾳ ludunt, quando nobiscum confitentur Adamum in statu integritatis habuisse voluntatem liberam, & à peccato potuisse abstinere; explicent quomodo, posita lapsus præscientia, Adamus potuerit tam non peccare, quam peccare. Id quod afferent, usui etiam nobis erit ad solvendum argumentorum nodos, quibus nos irretire student. Interim dum id faciant, paucis rationem illorum præcipuam expendamus. Quærunt, an posita hac prædictione, Petrus abnegabit Christum, adhuc in potestate Petri fuerit Christum non abnegare. Dico Petrum posita hac Christi prædictione; Tu me abnegabis, potuisse à negando Christo abstinere, quia id de libera abnegatione intelligebat. Nam ut vera comperiretur prædictio, sufficiebat Petrum actu abnegare Christum; etsi non abnegandi potentiam adhuc haberet. Instant; si posita hac prædictione, Petrus abnegabit Christum, Petrus possit non abnegare; ergo & hæc propositio posset fieri vera, Petrus non abnegabit Christum. Nego consequentiam, quia ea agit de abnegandi actu, antecedens vero de potentia sola. Christus prædixit quidem se à Petro abnegatum iri; sed id de libera abnegatione intellexit, cum qua non abnegandi potentia conjuncta esse non solum poterat, sed etiam debebat. Interim quia abnegationem istam intuitus est ut menti suæ præsentem, non potuit eodem tempore dicere Petrum se non abnegaturum. Sic enim contraria, & quæ se mutuo everterent, de una eademque re simul pronunciasset: quod absurdum. Quare rationes, quæ ad consequentiam istam statuminandam afferuntur, ex se cadunt: nimirum, quia si Petrus non abnegaret Christum, vera foret hæc propositio, Petrus non abnegabit Christum. Concedimus enim posita prædictione, tu me abnegabis, Petrum abnegaturum: sed addimus libere abnegaturum, quia Christus de tali abnegatione verba sua intelligi voluit. Pergunt: si Petrus posset non abnegare Christum, ergo vera fieri posset hæc propositio, Petrus non abnegabit Christum: si autem vera fieri potest hæc propositio, Petrus non abnegabit Christum, ergo falsa fieri potest hæc propositio, Petrus abnegabit Christum, & per consequens Deus in præscientia sua poterit falli. Negamus iterum consequentiam: quia antecedens agit de sola potentia, à qua ad positionem actus non bene procedi jam ante ostendimus. In sensu quidem diviso vera fieri potuit illa propositio, Petrus non abnegabit Christum, nempe antequam Petrus consideraretur ut se ad Christum negandum determinans: sed in sensu composito, quando consideratus fuit ut se jam ad negandum determinans, non potuit simul & eodem tempore de illo dici, Petrus non negabit; quia duæ istæ propositiones sunt contradictoriæ, & simul veræ esse nequeunt: licet alioquin verum sit Petrum se libere ad Christum negandum determinasse, & potuisse ab eo negando sibi temperare. Proinde quod tandem colligitur, ergo si Petrus potuisset non abnegare, Deus in præscientia ex qua prædixit ipsum abnegaturum, potuisset falli; ex antecedentibus non sequitur: nam in præscientia Dei inclusus fuit iste modus abnegationis Petrinæ, nempe cum fore liberum, ita ut quamvis actu abnegaret, potentiam tamen non abnegandi haberet.

Nunc ut etiam aliquid adjiciam de responsione, quæ est, majorem primi argumenti negandam, ut consideretur abnegatio vel respectu Petri, vel respectu futuritionis suæ: Si consideretur respectu Petri, procedere eam, quia posita prædictione, Petrus potest non abnegare; est enim Petrus causa indifferens: sed respectu futuritionis suæ non; abnegatio enim futura, qua futura, necessario est futura: Dico 1. me non posse capere quomodo futuritio abnegationis, à Petro abnegaturo ita distinguatur, ut Petrus quidem libere sit abnegaturus, abnegatio vero necessario sit futura. Nam si Petrus non sit causa, ut abnegatio ista necessario sit futura, assignanda erit alia, quæ non poterit esse nisi Deus ipse; & ita in absurdum, quod vitare propositum erat, recidetur. Existimo potius distinguendam esse futuritionem, & dicendum aliam esse rerum contingenter futurarum, quæ non excludat potentiam ad oppositum: aliam vero esse rerum necessario futurarum, quæ excludat potentiam ad oppositum. Quod Græci exprimunt vocibus μελλόντων & ἐσομένων, quibus nullas habemus respondentes in lingua Latina. 2. Illud quod dicitur ad confirmationem hujus distinctionis; omne quod est, quatenus est, necessario est; esse ambiguum. Illud enim necessario est, intelligitur vel respectu causæ, & est falsum; quando id de quo agitur, ut abnegatio Petri, causam habet contingentem: aut respectu consequentiæ, ut nimirum de eo, quod est, quatenus est, debeat necessario dici ipsum esse. Si postremum hoc genus intelligatur, nempe necessitas consequentiæ, indubium est cum ejusmodi necessitate optime consistere posse contingentiam: quia illa nihil efficit aut mutat in natura rei, quæ tali necessitate posita, nihilominus vere potuit contingens fuisse: ita ut falsum sit affirmare eam futuritionem habuisse necessariam.

Amstelodami 13 Decemb. 1653.

CHRISTIANO HARTSOECKERO, STEPHANUS CURCELLÆUS S. P. D.

Charissime in Christo Frater & Amice,

Miraberis procul dubio quod tamdiu ad amicam tuam compellationem respondere distulerim, & quænam ejus rei causa fuerit scire avebis. Dicam paucis. Cum litteræ tuæ mihi fuerunt redditæ, aberat ab urbe noster Geesteranus, per quem indicaveras me tuto & commode meas responsorias ad te mittere posse. Interea dum præstolor ejus reditum, contigit ut pro more purgaretur Musæum meum, & litteræ tuæ una cum aliis chartis miscerentur, inter quas difficile fuit postea invenire. Et cum invenissem, adversa valetudo & aliæ occupationes, quibus fere continuo obruor, impedierunt non semel ne officio isto quod à me postulasti defungerer. Relegendo tuam diatribam, animadverti te nodum cujus solutionem fingis petere jam ipsum solvisse; unde cogitatio illa subiit animum, aut te serio istud non petiisse, sed potius specimen mihi præbere voluisse tuæ in conciliandis Scripturis in speciem pugnantibus dexteritatis, aut cupivisse scire an ingeniosa illa quam excogitasti Euangelistarum inter se conciliatio ad meum palatum esset futura. Quicquid istius rei sit, agnosco meam tenuitatem, nec citra arrogantiam possem tibi opem polliceri, ubi præclara illa eruditionis lumina, Erasmus, Beza, Maldonatus, Grotius non tulerunt. Sed quia nihil vetat quo minus post copiosam illorum messem, spicas quas non animadverterunt investigemus, id exiguum quod in me est industriæ lubens etiam huc conferre sum paratus. Velim ergo primum istud observari, Joannem de cujus conciliatione in historia resurrectionis Christi cum reliquis tribus es sollicitus, non sibi proposuisse integram historiam texere in qua omnia bene inter se cohæreant, sed tantum ab aliis prætermissa recensere. Ideoque prima interpretum cura hic esse debet, Matthæum, Marcum & Lucam inter se conciliare (quod tibi non adeo arduum esse videtur.) Quo facto considerandum est quomodo ea quæ Joannes addidit singula suis locis commode inseri possint. Sic nihil aut parum admodùm difficultatis in illorum ἐναντιοφανείαις tollendis superfuturum existimo. Experire id & non illibenter nisi fallor in meam sententiam concedes. Sane magni laboris non est id conciliare quod magna ingenia torsit, quomodo id quod Lucas & Joannes dicunt mulieres venisse ad sepulcrum profundo diluculo & cum adhuc tenebræ essent, simul verum esse possit cum eo quod narrat Marcus, id factum esse exorto Sole (parum hic refert sive cum quibusdam legamus ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου, exoriente Sole, sive ut vulgata exemplaria habent, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, exorto Sole; cum certum sit exoriente Sole non esse diluculum profundum nec tenebras) nempe facile est videre Lucam & Joannem agere de tempore quo mulieres istæ ad iter se accinxerunt; Marcum vero de eo quo ad sepulcrum accesserunt. Nam cum Hierosolyma urbs esset admodum magna, & sepulcrum Christi aliquantulum saltem ab ejus pomœriis remotum, & mulieres aliæ alias forte sint præstolatæ, non potuit interea minus quam una aut altera hora abire, sicque à profundo diluculo & tenebris ad Solis ortum transitus fieri. Hic ergo nihil est quod prudentem & attentum lectorem remorari debeat. Ut neque in eo quod Matthæus & Marcus unius tantum Angeli faciunt mentionem qui mulieribus apparuit, cum Lucas & Joannes duos fuisse diserte asserant. Nam qui unius meminerunt, non propterea censendi sunt negare plures uno fuisse. Sed unum nominare fuerunt contenti, quia unus tantum mulieres allocutus est. Nec refert quod Lucas & Joannes tribuant illis in plurali quod locuti fuerunt. Nam per usitatam Scripturis & omnibus auctoribus synecdochen, quod unus eorum, qui simul idem negotium procurant, dicit communi sociorum nomine, solet etiam reliquis attribui, quamvis tacuerint. Sed quod te videtur torquere est, quod cum Euangelistæ non dicant mulieres sæpius ivisse ad sepulcrum, talia tamen commemorent quæ vera esse nequeunt, nisi plures earum itiones agnoscamus. Ita est fateor, & tu ipse (mea quidem sententia) nodum vel potius nodos istos commode solvis, statuendo tres diversas mulierum itiones ad sepulcrum. Nec est quod de solutionis tuæ veritate diffidas, ideo quod doctissimi illi interpretes, quos consuluisti, unam tantum itionem mulierum ad sepulcrum agnoscant. Non enim tantum est dissidium inter vestras sententias, quin simul consistere facile possint. Istud solum observandum arbitror, diversas istas mulierum itiones nihil aliud fuisse nisi accessus & recessus paucorum aliquot passuum in via quæ tota non patebat prospectui, sed ubi parietes, arbores, aut alia interjacentia, facile impedire poterant, quo minus quæ in propinquo fiebant animadverti possent. Imaginare tibi talem fuisse qualis est scena in theatro, ubi diversi anfractus & separationes faciunt, ut qui in propinquo sunt, procul abesse putentur. Sic nullo negotio concipies, quomodo singula ista quæ dissensus speciem habent, amice inter se conspirent. Ostenderem istud sigillatim in difficultatibus à te motis, nisi persuasus essem te meo ductu hic non indigere. Cui adde quod tempore nunc destituar ad prolixum illum discursum ingrediendum quem talis narratio postularet. Spero nos

nos brevi te in his oris reducem visuros, & de his aliisque quæ ad communia studia pertinent per otium collocuturos. Quod vero non tam cito tibi mittitur successor ac forte speravisti, inde fit, quod nullos adhuc habeamus idoneos inter studiosos nostros qui istam provinciam obire possint. Sed laborabitur in eo volente Deo diligenter, ne tu illic nimis diu contra animi propensionem detinearis. Audivi his diebus Deum Matrem tuam dilectam in quietem suam transtulisse. Quod ipsius causa non puto ægre ferendum, quæ in pietate defuncta à Deo justo judice fidei suæ mercedem in cælis repositam habet. Sed vicem tuam doleo, quod ejus auxilio & consortio destitutus nunc quasi in solitudine vivas. Hortarer te ad patientiam in hoc acerbo casu, nisi scirem te diu ante pectus tuum contra ejusmodi tela munivisse. Oro Deum supplex ut te Spiritu suo consoletur, & nobis incolumem multos annos conservet studiisque tuis & Ecclesiæ cui præes cumulate benedicat. Vale. Amsteldami 29 Januarii, 1654.

DOCTISSIMO ET INTEGERRIMO VIRO,

D. ADRIANO PATIO, ADVOCATO

STEPHANUS CURCELLÆUS S. P. D.

Doctissime Vir & Amice plurimum observande,

Scripsisti ad me nonnullos offendi, quod in Epistola ad D. Sorberium, in qua Ecclesiæ Romanæ reformandæ necessitatem obiter demonstro, nullam multiplicis idololatriæ, cujus à Protestantibus accusatur, mentionem fecerim: quasi illud manifestum sit indicium me ab ea non tantopere, ut verum Christianum oportet, abhorrere. Sed boni isti viri toto cœlo errant. Alias longe quam opinantur habui instituti mei causas: primam quidem, quod non librum, sed brevem tantum Epistolam scriberem, in qua non credebam opus esse omnia sigillatim commemorare, quæ in ista Ecclesia displicebant: alteram quod continere me vellem intra illa quæ Galliæ Rex, & aliquot alii Principes Christiani, petierant per Legatos suos à Concilio Tridentino emendari, quibus sperabam Sorberium meum non contradicturum: caput autem istud ab iis non attingeretur. Sed tamen id non penitus dissimulavi. Nam sub Epistolæ finem, post enumeratas crassiores aliquot corruptelas, dixi me præterire multas superstitiones & erronea dogmata, de quibus nimis prolixum foret agere; voce superstitionis paulo molliore id intelligens quod alii idololatriam solent appellare. Et antequam in campum illum ingrederer, significaveram me desiderare ut abusus ab Erasmo, Cassandro, & aliquot aliis partium istarum doctis & piis viris reprehensi corrigerentur; ad Lud. Vivem, Claud. Espencæum, Georg. Wicelium, & similes respiciens, qui nullos fere paulo majoris momenti Ecclesiæ Romanæ errores reliquerunt intactos, quos non satis acri stylo perstrinxerint. Cum igitur Lectorem meum ad illos remisissem, arbitrabar id sufficere ad omnem sinistram opinionem à me amoliendam. Sed quia ex tuis literis me nondum satis omnibus purgatum esse animadverto, proposui tibi paucis aperire quid de universa ista materia sentiam, ut in promptu habeas argumenta quibus ὀρθοδοξίαν meam, si opus fuerit, adversus calumniatorum morsus tuearis.

Primum occurrit cultus qui Sanctis mortuis in Ecclesia Romana publice, & privatim exhibetur. In quo fœde peccari jamdudum conquesti sunt aliqui eruditi viri, ut Lud. Vives, inquiens: *Multi Christiani in re bona plerumque peccant, quod Divos Divasque non aliter venerantur quam Deum. Nec video in multis quod sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis, & id quod Gentiles putabant de Diis suis.* Comment. in Augustinum, de Civit. Dei, lib. 8. cap. 27. Nec sola plebs culpæ illius est rea; magnam quoque in ea partem habent Pastores, qui ad vulgi superstitiones connivent, aut etiam eas emolumenti sui causa fovent; & ex Concilii Tridentini præscripto inculcant populis curæ suæ commissis, *Bonum atque utile esse Sanctos una cum Christo regnantes suppliciter invocare, & ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.* Etsi nullum invocationis istius mandatum aut exemplum è Scriptura S. afferre queant, unde eam Deo gratam, vel saltem licitam esse nobis constet. Non tamen ausim istum Sanctorum cultum æquiparare idololatriæ, quam Ethnici circa Solem, Lunam, & Reges suos defunctos, imo Dæmones ipsos exercebant. Magnum enim est inter utrosque discrimen; & quidem in hisce tribus potissimum. 1. In Ecclesia Romana unus Deus summus, cæli & terræ creator atque gubernator, agnoscitur & adoratur. Sancti vero inferiore honoris gradu, tanquam Dei amici, qui gratia apud ipsum valent, afficiuntur. Sed Ethnici verum Deum ignorabant, & istos quos dixi in ejus locum substituebant, & quasi Deos venerabantur. 2. Nullum est dubium quin Sancti & Martyres, quos Romano-Catholici colunt, aliqua animi veneratione ob eximias eorum virtutes, & constantiam in perse-

secutionibus, sint digni. Sed Astra sensu & ratione destituta colere ridiculum est. Memoriæ impiorum & sceleratorum regum, qualis fuit Jupiter, nullus debetur honor. Dæmones ut Dei & virtutis osores, omnibus piis execrationi esse meruerunt. 3. Pontificii quidem Sanctis scientiam tribuunt divinæ quodammodo æmulam, per quam preces nostras audiant, & necessitates perspectas habeant; licet Scriptura omnem à mortuis cognitionem removeat, *Eccles.* IX. 5. 6. *Job* XIV. 21. Sed illorum errorem id aliquatenus minuit, quod profiteantur Sanctos scientiam istam non ex se, sed ex Dei dono habere. Gentiles vero inexcusabiliter errant, dum falsis suis numinibus scientiam & potentiam independentem, qualis summo Deo soli convenit, adscribunt.

Secundo loco consideranda venit Imaginum veneratio, quam nullus in Sacris literis aliquantum versatus ignorare potest Christianis esse indignam. Procumbunt enim coram iis in genua, aperiunt caput, preces ad eas dirigunt, vota faciunt, cereos iis accendunt, thus adolent, donaria offerunt, coronas imponunt, vestibus pretiosis amiciunt, publice in processionibus circumgestant, peregrinationes ad illas instituunt. Quæ adeo bilem moverunt Polydoro Virgilio, ut non veritus sit scribere: *Eo insania deventum est, ut hæc pietatis pars parum differat ab impietate. Sunt enim bene multi rudiores stupidioresque, qui saxeas, vel ligneas, marmoreas, æneas, seu in parietibus pictas, variisque coloribus litas imagines colant, non ut figuras, sed perinde quasi ipsæ sensum aliquem habeant, & iis magis fidant quam Christo, vel aliis Divis quibus dicata sunt.* De invent. rerum lib. 6. cap. 13. Et quamvis Concilii Tridentini Patres probe scirent hanc esse petram scandali, ad quam plurimi è vulgo offenderent, non curarunt tamen illam removeri, quemadmodum ex officio tenebantur, & omnes pietatis studiosi ab iis expectabant. Sed decreto suo ambiguis locutionibus concepto superstitionem passim receptam potius confirmarunt, quam ullum ei remedium attulerunt. Sancientes, *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, &c.* Non tamen declarantes, prout ad abusus præcavendos fieri oportuisset, qua in re debitus ille honor & veneratio consistant. Et nullam imaginum Dei passim erectarum facientes mentionem; ideo, ut conjicio, quod secundæ Synodo Nicenæ, in qua improbantur, non auderent contradicere, & tamen id quod in Ecclesia Romana jamdudum usitatum esse noverant non liberet ipsis reformare. Porro istam Synodum laudantes in eo quod constituit, *ut omnes imaginibus salutationem & honorariam adorationem exhibeant, non tamen veram latriam, &c.* quæ etiam pronunciat ut *quicunque sententias Sacræ Scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducunt anathema sint.* Ne igitur laïci, quos vocant, scire possint quam crebro & diserte Scriptura omnem imaginum cultum damnet, Antistites sacrorum ipsos ab ejus lectione arcent, sub hoc excogitato colore, quod *inde plus detrimenti quam utilitatis oriatur.* Et in Catechismis, Officio B. Virginis, & aliis ejusmodi libellis, quos loco Scripturæ populo tradunt & commendant, secundum Decalogi præceptum solent omittere, ne forte magis quam brutum anathematis sui fulmen, aliqui expressum istud Dei interdictum vereantur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.* Quibus verbis, omnis generis sculptile & similitudinem absque exceptione comprehendentibus, non minus imaginum Abrahami, Josephi, & similium sanctorum cultus, si quis eum inter Israëlitas instituere aggressus esset, quam idolorum Gentilium prohibetur; ut frustra effugium quæratur in distinctione inter imaginem & idolum; quasi solummodo idolorum, & non etiam imaginum cultus Deo displiceret. Nullatenus ergo superstitiones quæ circa imagines exercentur probo, aut excusare volo. Utinam nullæ amplius fierent, & omnes qui Christi nomen invocant ab iis non minus quam Judæi aut Mahometani abhorrerent. Nam quamvis forte modum excedant, nihil tamen detrimenti inde ad Christianam religionem rediret. Usus certe quem dicuntur præstare, ut sint idiotarum libri, non est tanti, ut ideo in periculum idololatriæ conjicere quemquam oporteat. Sed religio mihi est eo usque progredi, ut illas eodem cum Ethnicorum idolis loco habeam. Nam etsi inter modum colendi aliqua sit affinitas; tamen ingens restat adhuc inter Christi atque sanctorum ejus imagines, & Jovis, Dianæ, Mercurii, atque Dæmonum quos Gentiles colebant simulacra discrimen. Neque negari potest quin illæ in aliqua apud nos existimatione esse debeant, propter eos quos repræsentant, ut parentum icones esse solent, quas tanquam κειμήλια studiose custodimus; hæc contra omnium bonorum abominationem mereantur. Non puto etiam omnes qui cum Ecclesia Romana communicant, peccati istius circa imagines esse accusandos. Sunt plurimi, præsertim in Gallia, docti & pii viri, qui serio superstitiones istas improbant, & toto animo exoptant ut coërceantur. Et magna laude digna est Synodus Moguntina, quæ sub Sebastiano Archiepiscopo, post decem Concilii Tridentini celebratas sessiones, non exspectata illius conclusione, ausa est pronunciare, *Imagines non ad adorationem aut ad cultum iis deferendum in templis proponi; sed ad ea tantum in memoriam revocanda quæ adorari oportet. Quod si ad imaginem aliquam populus confluat, cui homines opinionem quandam divinitatis tribuunt, eam hoc casu inde auferendam, aut aliam diversæ magnitudinis in ejus locum reponendam; ne populus inducat animum credere, Deum & Sanctos* suppli-

supplicum votis annuere per imaginis illius solummodo intercessionem. Histor. Concil. Trident. lib. 3. Cum qua consentit Henricus Holden Doctor Sorbonicus, in sua nuper edita Divinæ fidei Analysi; ubi dicit, *hanc esse universalis Ecclesiæ doctrinam Catholicam*: 1. *Imagines Christi Domini, Deiparæ Virginis, nec non & aliorum sanctorum, haberi ac detineri posse, præsertim in templo*. 2. *Hujusmodi imaginibus honorem & venerationem aliquam quodammodo impartienda esse*. Et aliquanto post, non obscure Trinitatis & Dei imagines, sicut & usum vocabulorum *adoratio* & *adorare*, cum agitur de veneratione imaginum, improbat. Quibus si reliqui omnes Catholici subscribere vellent, libenter eos, quod ad me attinet, à crimine non solum idololatriæ, sed etiam superstitionis hac in parte, absolverem.

Tertio, quod ad cultum Eucharistiæ, observandum est duplex esse posse adorationis quæ illic exercetur fundamentum; nempe vel Transubstantiationem, ut vocant, vel præsentiam Christi spiritualem, cujus Symbolum sint panis & vini elementa. Et quod transubstantiationem spectat, cum illa nihil aliud sit nisi ridiculum humani ingenii commentum, eam pro adorationis fundamento assumere nemo potest, quin se manifesta & palpabili idololatria polluat, summum latriæ cultum, quem soli Deo debere omnes agnoscunt, pani & vino deferendo. Quod etiam Jesuita Costerus fatetur in Enchiridio suo, dicens, *nullam unquam visam vel auditam fuisse in universo mundo idololatriam similem illi quam Ecclesia Romana committeret, si verum Jesu Christi corpus in Eucharistiæ Sacramento non contineretur*. Acquiescimus ergo in condemnatione quam adversus seipsum & ὁμοδόξες pronunciat, cum simus certi nullam ibi transubstantiationem fieri. Nam ea repugnat, 1. Scripturæ Sanctæ quæ diserte dicit fideles in Eucharistia panem comedere, 1 *Corinth*. XI. 26. 27. 28. 2. Rationi, quæ docet corpus Christi, quod jam existit, denuo fieri non posse, saltem ita ut quod recenter fit, idem sit cum eo quod jamdudum fuit. 3. Sensibus, qui nullam fieri in pane & vino mutationem docent; sed post verba consecrationis, ut vocant, prolata, eandem prorsus manere figuram, quantitatem, colorem, saporem, nutriendi vim, corruptibilitatem quam ante habebant. Sed quia indubium est Dominum Jesum spiritu præsentem esse in Eucharistia, cum ex ipsius mandato in cœtu Christianorum celebratur, secundum id quod promisit, *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, *Matth*. XVIII. 20. isto respectu nihil prohibet quominus ipsum in hac actione adoremus. Imo nos tenemur id facere, cum ritus iste à Christo sit institutus, ut ipsi pro ineffabili sua dilectione, qua maledictam crucis mortem ad nos salvandum subire non refugit, gratias ageremus: quod sine adoratione & laudum ejus religiosa celebratione fieri nequit. Hoc se facere dicunt Catholici cordatiores, qui transubstantiationem non credunt, aut suspectam habent, & se unicum Jesum Christum, cui omnis cum Patre honor & gloria in Spiritu Sancto debetur, in Eucharistia adorare profitentur. In quibus nihil aliud desidero, nisi quod interim conniveant ad aliorum cum quibus communicant idololatriam, non ignorantes ipsos adorationem suam ad symbola Eucharistica dirigere, quasi Jesus Christus illic corporaliter esset præsens, pane & vino in corpus ejus substantialiter transformatis, solisque accidentibus illorum remanentibus. Prætexunt quidem Concilium Tridentinum nihil aliud à se requirere, cujus Canon VI de Eucharistia sic habet: *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, anathema sit*, &c. Sed an ejus mentem satis assequantur, ipsi viderint; cum iste Canon ex præcedentibus pendeat, in quibus transubstantiationis dogma sancitum, & instar fundamenti adorationi hostiæ quam Sacerdos ad altare manibus tenet, & elevatam populo ostendit, substratum fuit. Quod vero existimant licitum sibi esse coram illa procumbere, tanquam præsentiæ Jesu Christi spiritualis symbolo, veluti olim Israëlitæ ante arcam Fœderis, de qua mandatum acceperant, *Adorate ad scabellum pedum ejus*, *Psal*. XCIX. 5. id non caret mali specie, & adstantibus offendiculum præbere potest, quasi non Jesum Christum solum, sed etiam hostiam illam, quæ merus panis est, adorent. Sed quia istud habent commune cum illis Protestantibus qui adgeniculantes Eucharistiæ participant, quorum fraternitati cæteri non ideo renunciant, non facile etiam in illorum, tanquam idololatrarum, condemnationem consenserim; sed potius Dei judicio, qui mentem eorum videt, & ex quo fonte proficiscatur id quod faciunt perspectum habet, relinquendos esse existimarim.

Et hæc speciminis instar de Romanæ Ecclesiæ superstitionibus delibasse nunc sufficiet. Inde enim quid de cæteris affinibus sentiam facile tibi erit colligere. Quamvis autem eas omnibus qui in illius communione vivunt indiscriminatim impingere nolim; sciens quamplurimos, qui non contemnendam corporis istius partem constituunt, ab iis esse alienos, & optare ut emendentur; tamen cum Pontifex Romanus, qui se pro ejus capite gerit, celeberrimique & doctissimi Præsules, ingenti plebis turba comitati, mordicus eas defendant, & reformationem suadentes oderint & insectentur, credo Protestantes justissimam superiore sæculo habuisse secessionis causam, nec bona conscientia ad eam redire nos posse, quamdiu gubernatores, & qui maxima potentia pollent, non solum in peccatis suis obstinate perseverant, sed etiam cæteros ad assentiendum cogunt. Oportet enim observare eos qui dissensiones & offendicula faciunt præter doctrinam quam ex Euangelio didicimus, &

declinare ab illis, *Rom.* XVI. 17. 18. Quod præcipue tenentur facere qui veritatem noverunt. *Scienti enim facere bonum*, *& non facienti, peccatum est illi*, *Jacob.* IV. 17. *Et servus qui novit voluntatem domini sui*, *& non fecit secundum voluntatem ejus*, *vapulabit multis*, *Luc.* XII. 47. Sed tamen procul absum ab illorum sententia, qui putant Ecclesiæ Romanæ cultum, nihilo idololatria Ethnica esse tolerabiliorem. Nihil enim sani erat in gentilium religione, sive objecta spectes quæ colebant, Astra, Principes impios defunctos, Dæmones; sive in modo quo illa edebant, cum omni genere petulantiæ & spurcitiæ. Ideoque Deus non jussit eam reformari, sed penitus eradicari. Ecclesia vero Romana retinet adhuc religionis Christianæ fundamentum; agnoscit Scripturam Sanctam esse verbum Dei & infallibilis veritatis, nec audet ei contradicere; etsi defectum quem imaginatur in illa, traditionibus suis & variis inventionibus humanis supplere præsumat. Nihil ergo aliud requiritur, nisi ut additamenta ista, quibus obfuscatur veritas, removeantur, & Ecclesia Romana in pristinum illum splendorem, quem habebat tempore B. Pauli, cum fides ejus annunciaretur in universo mundo, *Rom.* I. 8. restituta erit. Celebratur in ipsa Sacrificium Eucharisticum, quod Dominus Jesus in commemorationem mortis suæ instituit; falsis quidem aliquot opinionibus conspurcatum; sed quarum odio non oportet id quod bonum est abolere. Quod perinde foret ac si quis ad domum suam à sordibus repurgandum, eam everteret aut incenderet. Ecclesia Romana majorem aliquanto affinitatem habet cum decem Israëlitarum tribubus, qui vitulos à Jeroboamo in Dan & Bethel erectos colebant, quasi Dei illius essent imagines, qui majores suos ex servitute Ægyptiaca liberaverat. Sed negari nequit quin purius in ea colatur Deus, quam inter Israëlitas. Nam quamvis habeat aliquas Dei imagines, illæ decreto Magistratus publico, aut Synodali auctoritate, propositæ non sunt ad adorandum, multique celebres Doctores aperte abusum istum damnant. Quod apud Israëlitas non licuisset impune, ut docent duæ celebres historiæ, quarum altera legitur 1 *Reg.* XIII. altera vero *Amos* VII. Adeo ut illæ Dei imagines quæ apud Romano-Catholicos alicubi conspiciuntur, pro superstitione privata haberi debeant, non pro lege publice recepta aut approbata. Quare non assentior illis, qui omnia quæ Scriptura de gentilibus & abominanda ipsorum idololatria dicit, Pontificiis applicant, quasi nihil aut parum admodum inter utrosque esset differentiæ; & suadent ut adversus eos secundum id quod lex Mosaica decernit de Cananæis procedatur, quæ Israëlitis edicebat; *Subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum. Dissipate aras earum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: disperdite nomina earum de locis illis*, *Deuter.* XII. 2. 3. Et præcipiebat ut absque misericordia interficerent eos qui deficiebant ad alienos Deos, aut aliquem ad ejusmodi defectionem clanculum instigabant, quamvis esset frater uterinus, vel filius, vel filia, vel uxor, vel amicus intimus; imo si forte tota aliqua civitas apostasiæ ad Deos alienos rea comperiretur, omnes ejus incolas, & pecora ipsa, percuterent in ore gladii, omnemque suppellectilem ibi inventam cum ipsa succenderent, nec liceret illam rursus ædificare, sed desolata maneret in æternum, *Deut.* XIII. Istæ enim politicæ constitutiones solos Israëlitas obligabant, uti Calvinus id agnoscit in sua Institut. libr. IV. cap. XX. sect. 16. & cum illo fere omnes Theologi Protestantes. Et à Christianis Magistratibus non observantur hodie in pœna furti, adulterii, & multis aliis. Imo qui eas urgent in causa idololatriæ & hæreseos, se dispensatos putant ab isto mandato: *Sculptilia eorum igne combures: non concupisces aurum & argentum de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quicquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est*, *Deuter.* VII. 25. 26. Nimis splendet in ipsorum oculis aurum & argentum ex quo imagines sunt conflatæ, aut ex mulctis & spoliis hæreticorum collectum, ut igne id velint consumi. Sed si lex non obligat in uno capite, neque etiam in alio, privati enim arbitrii non est partem quæ arridet assumere, & eam quæ displicet repudiare. Præterea observandum est leges plerasque quæ externum cultum spectabant, & speciatim istas de idolis & idololatris exscindendis, pro terra Canaan fuisse datas, ut apparet ex præfatione præfixa: *Hæc sunt præcepta atque judicia quæ facere debetis in terra quam Dominus Deus Patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris. Subvertite omnia loca*, &c. *Deut.* XII. 1. Et ex eo quod sæpe ibidem inculcatur, de sacrificiis extra Cananæam & locum quem Deus in illa elegisset non offerendis. Nec eas Israëlitæ usurpare debebant adversus alios Ethnicos, extra regionem quam Deus in possessionem ipsis dederat habitantes, si forte eos bello devicissent; Deus enim expresse inter utrosque discrimen facit; & longe majore lenitate vult agi cum iis qui degebant extra terram Canaan, quam cum illius incolis, *Deut.* XX. *v.* 10. *& seqq.* Quinetiam postea in Cananæa ipsa decem Israëlitarum tribus defectrices ab istarum legum rigore exceptæ fuerunt: nempe quia Dei legem aliquomodo adhuc, licet valde corruptam, retinebant. Nam cum Judæi sub Roboamo cum ingenti exercitu pararent se ad eos bello impugnandum, prohibiti fuerunt à Deo, dicente; *Non ascendetis neque bellabitis contra fratres vestros filios Israël*, 1 *Reg.* XII. 24. Sed inquies; laudantur in Scriptura pii aliquot Reges Juda,

Juda, qui collapsum in regno suo Dei cultum restituerunt, & idololatriam omnem aboleverunt, ut Asa, Josaphat, Amasias: & supra cæteros Ezechias, quod excelsa dissipaverit, serpentemque æneum quem fecerat Moses confregerit, quia filii Israël incensum illi adolebant, 2 *Reg.* XVIII. 3. 4. Item Josias, quod etiam excelsa sustulerit, & altare quod erat in Bethel polluerit; supra ipsum ossa hominum è sepulcris desumta comburens, & simul in cineres redigens: atque in Samaria Sacerdotes excelsorum qui ibi erant occiderit super altaria, ossaque humana super ea combusserit, 2 *Reg.* XXIII. Et notatur in quibusdam aliis Regibus, cætera piis & Dei timentibus; tanquam ὑστέρημα seu defectus non exiguus, quod excelsa in quibus populus sacrificabat demoliti non fuerint. Teneri itaque Magistratus Christianos, ad illorum exemplum, omnem idololatriam & superstitiones Pontificias in ditionibus suis abolere, & penitus eradicare, si cupiant ut Deus regimini ipsorum benedicat. Sed observandum est qua in re constiterit ista reformatio, ne præpostere ad ea quæ non sunt jurisdictionis humanæ trahatur. Omnem externam idololatriam, de qua ne illi quidem qui ejus rei erant dubitare poterant quin pugnaret adversus legem, sustulerunt: similiter excelsa, quæ contra expressum Dei interdictum, ne alibi quam in loco quem Deus elegisset (qui fuit primum Silo, ubi Josue fixit tabernaculum, *Josu.* XVIII. 1. & 1 *Sam.* 1. 3. deinde Nob 1 *Sam.* XXI. 1. denique Hierusalem & templum Salomonis, 1 *Reg.* VIII. v. 10. & IX. 3.) sacrificia offerrent, extructa fuerant. Sed cum aliqua fuit lis de sensu legis, inter pios qui illam pro divina amplectebantur, & se ejus auctoritati sponte subjiciebant, Reges isti nunquam constituerunt ut hæc opinio potius quam illa reciperetur. Indeque factum est postea, ut controversiæ inter Pharisæos, Sadducæos & Essenos exortæ, qui singuli legem Dei opinionibus suis favere asserebant, indecisæ manerent; quia decisio nonnisi à Propheta, & per revelationem Dei extraordinariam, fieri poterat; Deus autem tunc temporis Judæos non amplius per Prophetas alloqueretur. Imo Judæi sub Machabæorum dominium, ne quidem ausi sunt privato arbitrio quicquam statuere de lapidibus altaris holocaustorum, quos gentiles impuris suis oblationibus contaminaverant. *Sed reposuerunt lapides* istos *in monte domus in loco apto, quoad usque veniret Propheta, & responderet de illis*, 1 *Mach.* IV. 44. 45. 46. Quam moderationem si Christiani Antistites fuissent imitati, non tot haberemus temerarias decisiones de rebus nusquam in verbo Dei clare revelatis, quarum occasione Ecclesia in partes misere lacerata fuit. Nec Josias interemit Sacerdotes Samariæ, & super altaria sua immolavit, propter cultum vitulorum à Jeroboamo fabricatorum; sed in ultionem idololatriæ mere Ethnicæ quam exercebant, quemadmodum & illi qui jussu Eliæ & Jehu occisi fuerunt, 1 *Reg.* XVIII. & 2 *Reg.* X. quod secundum legem supra memoratam *Deut.* XIII. facere tenebatur. Et quamvis Deo omnis idololatria, sive circa vitulos, sive circa imaginem Baal commissa valde displiceret, non tamen utramque eodem loco habuit; ut inter alia videre licet in eo quod de Achabo rege Israël memoratur. *Non sufficit ei ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat; insuper servivit Baal & adoravit eum; irritans Dominum Deum Israël super omnes Reges Israël qui fuerunt ante eum*, 1 *Reg.* XVI. v. 30. *& seqq.* Imo laudatur Jehu, licet vitulorum cultor, ob zelum quem ostendit in abolenda Achabi idololatria, & Deus ei dicit; *Quia studiose egisti quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui usque in quartam generationem sedebunt super thronum Israël*, 2 *Reg.* X. 18. *& seqq.* Sed istud manifestius adhuc apparet ex historia quæ legitur 2 *Reg.* XVII. 25. cujus summa est: Cum Deus immisisset leones in gentiles qui Samariæ civitates incolebant, post abductas in captivitatem decem tribus; rex Assyriorum ut huic malo mederetur, consultum judicavit illuc ablegare Sacerdotem Israëlitam, qui doceret eos quomodo deberent Deum colere. Et sic Deus erga ipsos fuit placatus, licet non ei soli, sed etiam idolis suis servirent. Unde duo discimus. 1. Religionem Israëlitarum qui Deum verum sub imaginibus vitulorum colebant, visam fuisse tolerabiliorem Deo quam gentilium qui ipsum non timebant, sed tantum sua idola. 2. Gentiles qui Deo & idolis simul serviebant, magis placuisse Deo, iis qui sola idola colebant. Cum ergo, ut supra ostendi; Ecclesiæ Romanæ superstitiones gravitate non æquent idololatriam vitulorum quam Jeroboam introduxit, sequitur ab æquitate esse alienum, pejus earum sectatores Israëlitis idololatris excipere velle. Illud quidem ad exemplum regum Juda fieri recte posset, ut sicubi Pontificii imagines Dei, Jesu Christi, aut Sanctorum, in ditione Protestantium publice erigere & colere auderent, illæ auctoritate Magistratus tollerentur. Multo enim potiori jure istud facere iis liceret, quam Ezechiæ serpentem æneum in pulverem comminuere; quia ille jussu Divino olim fuerat erectus, & iis qui morsi fuerant à serpentibus ad spectandum propositus: de his vero nullum exstat Dei mandatum; sed contra in variis Scripturæ locis damnantur, ut *Deut.* IV. 15. & V. 8. Sed præcipue dignum est imitatione factum Josaphat, qui aliquos de suis Principibus misit, & cum iis Levitas, qui circumirent cunctas urbes Juda, atque erudirent populum, 2 *Chron.* XVII. Hæc est demum vera ratio omnem idololatriam & superstitionem abolendi, eas per bonam institutionem è cordibus hominum eradicare. Sic enim nullus erit metus ut repullulent. Edicta vero & coactio forte quidem ad tempus illas coërcent, sed nunquam sanant. Et suspectam reddunt veritatem, quasi ex se nimis infirma sit ut prævaleat mendacio, nisi

armis & potentia carnali defendatur. Quam viam si Magistratus in crassioribus vulgi superstitionibus, quæ nemini intelligenti unquam placuerunt, ex Ecclesia eliminandis sequi teneantur, multo magis ubi agitur de subtilioribus fidei quæstionibus, de quibus inter doctos & veritatis studiosos disputatur: maxime cum Theologi qui opiniones eorum quos vocant hæreticos oppugnant, & in omnium odium adducere student, non audeant diffiteri illas esse probabiles, & rationi humanæ consentaneas; & certum sit neminem de illis recte pronunciare posse, nisi qui non solum in Scripturis egregie sit versatus, sed etiam qui animum habeat omnibus præjudiciis & affectibus vacuum, quales pauci semper, præ reliquorum multitudine, reperiuntur. Vereri enim debent ne eradicent triticum, putantes se avellere zizania, & ne persequantur Christum, dum se existimant punire hæreticos; ut sæpe antea factum esse, & hodie adhuc multis in locis fieri, ipsi norunt & conqueruntur. Quod enim aliis hominibus contigit, id à se, qui homines etiam sunt, alienum putare non debent.

Hæc sunt, amice quamplurimum observande, quæ breviter de ista materia tibi rescribenda putavi; non quidem pro ejus merito & amplitudine, sed ita tamen ut hæc duo sufficienter animadvertere queas. 1. Me nullo modo superstitionibus aut idololatriæ favere, aut eas quæsitis coloribus palliare velle; sed optare ex animo ut Christianus orbis tandem aliquando penitus ab illis repurgetur, ne amplius Judæis & Mahometanis offendiculo simus, & conversionem illorum remoremur. 2. Nihilominus non existimare idem de Pontificiis, qui illis adhærent, judicium quod de Ethnicis ferri debere, aut constitutiones legis Mosaicæ, & piorum Juda Regum exempla recte usurpari ad ostendendum Magistratus Christianos ex officio, quod exercent, teneri eorum vel aliorum in fide errantium cœtus disturbare. Præstare igitur illos, cum alia tutior via non supersit, Dei judicio relinquere, qui ut misericors est erga peccantes ex ignorantia, ita profanos veritatis suæ contemtores, & qui eam in injustitia detinent, inultos non sinet: atque interim mansuetudine, patientia, benignitate, quæ genuinorum Christi discipulorum sunt notæ & propria, allicere; si quando Deus det ut oculos aperiant, & errores in quibus immersi jacent, agnoscant & deserant. Quod ut pro immensa sua misericordia brevi facere dignetur ex intimo corde rogo. Cui etiam te, & tua studia commendo. Vale, Amsteldami, 24 Martii, 1656.

FINIS.

I N-

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ,

Quæ in hoc opere occurrunt.

Asterisco notata prolixius discutiuntur, reliqua breviter illustrantur, vel nude citantur.

Cap.

LOCORUM SCRIPTURÆ.

Cap.

INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ.

FINIS.

IN-

I N D E X
RERUM PRÆCIPUARUM
Quæ in Theologicis hiſce Inſtitutionibus reliquiſque tractatibus continentur.

A.

Per

Colum-

 in

F.

exceſſu

G.

H.

Jacobi

I.

K.

L.

M.

O.

Patis

P.

S.

T.

V.

Virtutis

W.

Z.

FINIS.